



6
7 0
9

SVMMA
PHILOSOPHICA
R.P. PHILIPPI
à Sanctissima Trinitate,
CARMELITÆ DISCALCEATI.

SVMMA
PHILOSOPHICA
EX MIRA PRINCIPIS PHILOSOPHORVM ARISTOTELIS, ET DOCTORIS ANGELICI D. THOMÆ DOCTRINA

Iuxta legitimam Scholæ Thomisticæ intelligentiam composita.

Per R^um P^em PHILIPPVM A S^ma TRINITATE, nunc Præpositum Generalem Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ.

EDITIO SECVNDA.

Aucta & emendata, per eumdem Reuerendissimum Patrem.






LVGDVNI,
Sumptibus ANTONII IVLLIERON, vnicum Typographum & Bibliopolam Regis, Cleri, & Vrbis, in platea de Confort, sub signo duarum Viperarum.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
FRANCISCO ADHEYMAR
DV MONTEIL, DE GRIGNAN,
SANCTÆ ARELATENSIS ECCLESIÆ
ARCHIEPISCOPO, ET PRIMATI;
ABBATI D'AYGVEBELLE,
REGI A SANCTIORIBVS
CONSILIIS, &c.

HVNC CELSITVDINI TVÆ fructum Indicum offero, (ILLVSTRISSIME, AC REVERENDISSIME PRÆSVL, PRIMAS, & PRINCEPS:) hoc, inquam, Opus in Ciuitate Goana Indiarum Orientalium Metropoli elaboratum Tibi consecro, tuoque Nomini deuoueo. Tria me ad hoc soluendum tributum induxere: primum est grati animi virtus, secundum est antiqua societas, tertium & præcipuum est tui meriti singularis eminentia.

Quantum ad primum, quis non meritò me ingrati animi vitio notaret; si tot tantaque beneficia Carmelitis Discalceatis à te collata reticerem? si propensum animi tui in eos affectum omnibus euidentem, operibúsque comprobatum, ipse eo-

rum Superior, & voce, & scriptis non prædicarem? ostendisti quàm vero & germano ordinem nostrum amore prosequereris; cùm ardentissimum nostri in Arelatensem ciuitatem aduentus desiderium concepisti: vix enim Archiepiscopus electus ipsam ingredi voluisti, nisi vnà tecum Carmelitæ introirent; in illa habitare, nisi cohabitarent; admitti in Præsulem, nisi ipsi admitterentur in ciues: omnium animos cum incredibili illa, qua præditus es, prudentia, & mira industria, tam fortiter & suauiter eis conciliasti; vt, qui primùm aduersabantur, breui pro nobis starent; & communi tam sæcularium, quàm regularium consensu fuerimus admissi: plurima alia, eaque maxima possem tua in nos beneficia recensere, nisi me tua modestia importunum fore iudicarem.

Quantùm ad secundum, iam à triginta annis venerabili tua societate in perdiscendis humanioribus litteris, per duos annos mihi Carpentoracti frui licuit, vbi tot egregias animi tui dotes condiscipuli omnes venerabamur, insitam scilicet cordis nobilitatem, summam modestiam, & mansuetudinem, cæterasque Ecclesiastico Principi dignas virtutes: nullus erat, qui ex tunc tibi ætate quidem iuueni, sed prudentia maturo supremas in Ecclesia, tanquam debitas, non exoptaret dignitates. Ne mireris, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, si tam dulci tua conuersatione illectus, perpetuum in te conseruarim affectum; cui non parum contulit natalis mei soli oppidi Malaussenæ propinquitas ad Grignanum inclytum paternæ tuæ ditionis Castrum.

Quantùm ad tertium, scio quidem te proprias horrere laudes; sed ne iniusti damner silentij, aliquas saltem leuiter attingam; necesse est permittas: vt te huius operis mei protectorem exteris nationibus manifestem, iam in nostra Gallia celeberrimum. Ad quem poterat fœlicius confugere mea Philosophia, quàm ad celeberrimum æui nostri Philosophum? amor sapientiæ, quàm ad Præsulem sapientissimum: vix primos iuuentutis attigeras annos, cùm in singularis sapientiæ præmium Abbas commendatarius nostræ Dominæ d'Aiguebelle fueris electus: deinde crescentibus meritis Episcopus & Comes Sancti Pauli Tricastrensis creatus: denique ad sublimem Archiepiscopatus Arelatensis Sedem euectus. Inde prudentiæ & sanctitatis emittis odorem; inde tua verba, quasi oracula suscipiuntur: radiant in Te omnes virtutes, singularis radiat in pauperes misericordia, in componendis dissidiis prudentia, ardentissimus pro Dei gloria zelus: de Te ipso ausim dicere, quod de se testabatur Gregorius Magnus; Te potius mori paratum, quàm permittere Beati Trophimi Ecclesiam tuis diebus degenerare: factus es gregi tuo, & toti regno exemplum bonorum operum, in scientia, in integritate, in grauitate: vtinam altiùs eueharis, vt tot præclaræ dotes toti mundo resplendeant.

Non mirabitur in Te tantarum splendorem uirtutum, qui Te tot Heroüm tam Illustris Adheymaris familiæ hæredem considerabit: hi celebranda, & Poëtis, & Historicis Prouincialibus præclara facinora, posteris admiranda, subministrarunt. Enim verò quis nesciat stirpem tuam tot Illustribus fulgere Heroibus, quot radiat Cœlum syderibus: hi supremum & independens dominium supra Montilium ab hinc quingentis, & amplius annis ab Imperatoribus obtinuerunt, vt habetur in Bulla aurea ab ipsis Sacri Imperij Electoribus subscripta; vnde Montilium Adheymaris, vulgò Monteil Aymar vocitari cœpit: hoc etiam apparet in

monetis

monetis sculptis sub insignibus domus Tuæ, quas monetarum species religiosissimè tui in hunc vsque diem seruarunt, tanquam certissimum clarissima nobilitatis indicium, & perenne Nobilissimi ortus monumentum: hac fuerunt præmia tuis Maioribus concessa, propter insignia Martialis animi facinora; vnde etiam in antiquo familia Tua sigillo hac bellica virtus emicabat: adhuc Aquis Sextiis videtur, in quo adest catafractus Eques flammigerum præ manibus ensem gerens, cum hac inscripsione, Sigillum Adhemarij de Greinhano. *Hac eadem Maiorum tuorum virtus apud Prouinciæ Comites, & Galliæ Reges in pretio fuit: Carolus Secundus Comes Andegauensis &. Prouinciæ, Rex Neapolitanus, Sancti Ludouici nepos annuam ipsis quinquaginta librarum Regalium Coronatorum pensionem Massiliæ exigendam (summam tunc notabilem) in præmium inuictissimi animi concessit: Franciscus I. Rex Galliæ vnum ex clarissima stirpe tua in Regium Prouinciæ Locum-tenentem elegit: deinde in ipso Orientali mari totius Intendentem nauigationis constituit: denique Lugdunensis Prouinciæ Gubernatorem creauit.*

Si generosos & inuictos, singulis sæculis genuit Nobilissima tua familia Duces; gloriosos etiam & sanctos Ecclesiæ dedit Antistites: cæteros prætereo, vt veniam ad Magnum illum Adheymar du Monteil Episcopum Aniciensem, qui primus inter Ecclesiasticos, cum Godifredo Bullioneo, Crucem accipiens, ab Vrbano II. Summo Pontifice sacræ huius expeditionis Legatus Apostolicus constitutus, in obsequium fidei mare traiecit; multis ibi preclarè gestis, laboribusque superatis, plenus meritis, ac bonis operibus cumulatus, beatitudinis præmium suscepturus, vt pluribus constat apparitionibus, in Cælum euolauit, suis successoribus Episcopis Aniciensibus in præmium huius facti heroici relinquens priuilegium, vt in insignibus ensem baculo pastorali sociatum habeant: huius tu magni, inuictissimi, & sanctissimi Præsulis dignissimus hæres existis.

Vide PRÆSVL ILLVSTRISSIME, quantis titulis Tibi hoc opus debeatur: & quamuis non sit Te dignum, meretur tamen, vt illud benignè excipias, cum ex Indiis Orientalibus veniens vastissima maria, & immensa terrarum spatia traiecerit, tuis prouolueretur pedibus: noluit lucem intueri, priusquam meruisset tuum aspectum & fauorem, qui peritorum omnium amorem ei facilè conciliabit. Sume igitur primum nostræ erga Te gratitudinis monumentum; prædicabunt tua beneficia, quandiu superstites erunt, Carmelitæ discalceati; attollent pro tua incolumitate, & totius Clarissimæ familiæ tuæ quotidie in Cælum manus, vt Deus tot in Te effundat cœlestes gratias, & diuina Charismata, quot eis beneficia contulisti: hac Tibi primus ego deprecor.

TVÆ CELSITVDINIS,

Humillimus & addictissimus seruus
F. PHILIPPVS à SANCTISSIMA TRINITATE Prouincialis Carmelitarum discalceatorum.

Prologus ad Lectorem

LECTOR beneuole, me quantum potui in huius Summæ artificio, & diuisione Angelico Doctori conformaui: ficut enim Diuus Thomas suam Summam Theologicam in tres partes diuisit, quarum Secunda, propter nimiam prolixitatem, ab eius Discipulis subdiuisa est: sic meam Philosophiam in tres diuido partes, quarum prima est Logica, secunda Physica, tertia Metaphysica. Quia verò secunda pars nimium est diffusa, subdiuiditur in Primam Secundæ, & in Secundam Secundæ; In Prima Secundæ agitur de ente mobili in communi, sicut Diuus Thomas in sua Prima Secundæ egit de habitibus, virtutibus, & vitiis in communi: sed in Secunda Secundæ agitur de entibus mobilibus in particulari, sicut Diuus Thomas in sua agit de virtutibus, & vitiis in particulari. In hoc autem differunt, quòd Summa Theologica continet vnicam scientiam specificam; hæc verò tres specie scientias, quæ tamen vnam vnitate ordinis, dictam Philosophiam, efficiunt. Deinde ordinem Diui Thomæ in proponendis quæstionibus & articulis, ac methodum in eisdem articulis componendis, quantum possibile est, in omnibus sequor; à doctrina verò illius ne latum vnguem advertens discedo: cùm ipsi tum constitutionibus nostris, tum speciali affectu adstringar. Nihil in ea nouum; cùm ex Bernardo *epistola* 174. Nouitas sit mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. Nihil proprio confictum capite reperies; nam ordo doctrinæ est Aristotelis, methodus Diui Thomæ; doctrina verò vtriusque, secundùm communem Thomistarum interpretationem, præsertim nostrorum Complutensium; quamuis enim eadem sit ipsorum, ac aliorum Thomistarum, quos dum scriberem, præ oculis habebam, doctrina, eadémque fundamenta: maiori tamen claritate, & methodo procedere videntur. Sed quorsum, dices, hæc scripta veniunt ad publicum, si nihil nouum, si nihil habeant proprium? Ad publicum veniunt, Lector, vt tibi afferant vnita, quæ in variis dispersa sunt; & compendiata proponant, quæ sunt in aliis plurimum diffusa, & sic summam totius speculatiuæ Philosophiæ in Scholis tractari solitæ, eodem stilo, ac constanti eiusdem doctrinæ Thomisticæ serie compositam reperias: vtinam vt etiam tibi aliquam conferant vtilitatem, ac animi recreationem. Non eorum sequor spiritum, qui communes despiciunt Philosophorum sententias, vt nouas suas imaginationes introducant, vel antiquorum iam sepultas suscitent: fortassis vsitato confisci prouerbio, quòd omnia noua placent: sed pace eorum dixerim, decipiuntur; nam similes nouitates malè fundatæ, radio veritatis, velut nebulæ dissipatæ statim euanescunt, earúmque inuentores leuitatis, vanitatis, & spiritus contradictionis à prudentibus arguuntur. Non crimen est probatos sequi Authores; imò crimen est eos deserere: nihil sub Sole nouum, nihil potest adduci, quod ab Aristotele, D. Thom. aliísque Philosophiæ Principibus approbantibus,

bantibus, aut reprobantibus non fuerit adductum. Vnde noua Philosophiæ opera laudanda non sunt; quia præferunt nouitates; sed quia stabilitas iam sententias, vel faciliori methodo illustrant, vel noua fundamentorum expensione, & robore confirmant: nihil igitur noui in hac Summa Philosophica; solam methodum credidi fore nouam in Philosophicis; cùm Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Septimo in Indiis Orientalibus opus aggressus sum, méque eam à solo Diuo Thoma haustam à Theologia ad Philosophiam deriuasse: sed cùm ad Europam rediissem, quendam Patrem Societatis, nomine Cosmum Alamannium, quid simile fecisse reperi; toto tamen cœlo differimus, vt legenti constabit: ipse D. Thomam loquentem intendit adducere, quod vtrùm semper efficiat, iudicent veri Thomistæ: solùm dico me in plures eius opiniones cursim incidisse, quæ nec probabiles sunt in schola D. Thomæ. Logica solet horrido, & penè inuio comparari deserto: Physica campo florido, & vndequaque amœnissimo: Metaphysica monti præcelso, & fulgido; vnde remotissima & separata conspiciuntur. In hoc igitur Philosophiæ cursu sub vexillo Diui Thomæ procedam pacificus, nullum vel leuiter offendens: vnde quàm maxima potero modestia dissonas doctrinæ Thomisticæ confutabo opiniones, illæsis earum authoribus. Ne mireris, si vexillum D. Thomæ, aliis etiam domesticis præferam; cùm doctrinam eius approbauerint nobiliores Vniuersitates, plures Summi Pontifices, Sancti Apostoli Petrus & Paulus, & Maria Apostolorum Regina; imò & Christus ipse laudauerit, his verbis: *Benè scripsisti de me Thoma.* Vnde eius sententiam sicut & Aristotelis omnibus aliis præpono; singulas Diui Thomæ authoritates hinc inde acceptas scriptis eius contuli; vt fideles essent: quantùm ad authoritates Philosophi, scito me pro diuersitate conuentuum, variis eius translationibus vsum; quæ licèt in verbis aliquandò differant; sensu tamen ordinariè conueniunt. Vale & fruere meo labore.

NOS

NOs Frater Iacobus à Sancto Martino Definitor, & Visitator generalis Carmelitarum Discalceatorum, examinauimus *Summam Philosophicam* à R. P. PHILIPPO à Sanctissima Trinitate, Definitore Prouinciali eiusdem Ordinis in Prouincia Sanctæ Theresiæ compositam, nihilque in ea contra fidem, aut bonos mores contrarium reperimus; imò omnia sana, & vbique doctrinam Diui Thomæ redolentia, & quod rarò euenit in ipsa simul mira breuitas, Doctrinæ profunditas, & claritas coniunguntur; vnde luce dignissimam iudicamus, & publico multùm profuturam. Datum Lugduni in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli, die 11. Iulij anni 1645.

Fr. IACOBVS à SANCTO MARTINO Definitor & Visitator generalis.

NOs Frater Seraphinus à Sancta Maria Prior Perusiæ, & in præsenti Lotaringiæ Visitator Generalis Carmelitarum Discalceatorum ex commissione Reuerendi admodum P. N. Præpositi Generalis, recognouimus *Summam Philosophicam* à R. P. PHILIPPO à Sanctissima Trinitate, Definitore Prouinciali in Prouincia Sanctæ Theresiæ eiusdem Ordinis in Gallia elaboratam; nihílque in ea contra fidem, bonósque mores reperimus, imò, & ob methodi concinnitatem, & doctrinæ solidæ claritatem, vna cum breuitate coniunctam studiosis vtilem, plausibilémque futuram. Vnde vt Typis mandetur, dignissimam iudicamus. Datum Lugduni, in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli 20. Iulij 1645.

Fr. SERAPHINVS à SANCTA MARIA.

FRATER Laurentius à Sancto Elia Præpositus Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli, vt Liber cuius titulus est, *Summa Philosophica, &c.* à R. P. Fr. PHILIPPO à Sanctissima Trinitate, Prouinciali Prouinciæ Auenionensis Sanctæ Theresiæ compositus, & à grauibus doctísque viris nostri Ordinis maturè recognitus & approbatus, Typis mandetur, & in lucem prodeat, tenore præsentium licentiam concedimus. Datis in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scala Romæ, die 20. Maij anni Domini 1647.

Fr. LAVRENTIVS à SANCTO ELIA Præpositus Generalis.

Approbationes Doctorum.

NOS Sacræ Theologiæ facultatis Parisiensis Doctores testificamur perlegisse nos, & examinasse *Summam Philosophicam* à R. P. PHILIPPO à Sanctissima Trinitate Patrum Carmelitarum Discalceatorum Prouinciali summo cum studio compositam, nihilque nobis occurrit fidei Orthodoxæ, bonis moribus, nec Ecclesiæ Romanæ contrarium; quin imò visum est nobis opus locupletissima eruditione plenum, dignúmque quòd ad omnium scholasticorum vtilitatem lucem videat, typísque mandetur. Actum Lugduni die 27. Octobris 1647.

Fr. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

Fr. FRANCISCVS LORNET, Prior Conuentus Præd. Lugd.

VISA per Nos authentica Approbatione RR. Patrum Sacræ Theologiæ facultatis Parisiensis Doctorum super doctrina *Summæ Philosophicæ* R. P. PHILIPPI à Sanctissima Trinitate Patrum Carmelitarum Discalceatorum Prouincialis, quâ asserunt omnia in ea contenta Orthodoxæ fidei, & documentis Ecclesiæ Romanæ ex toto consona; meritò Typis mandandam in publicum commodum censemus Lugduni 27. Octobris 1647.

DEVILLE Prouicarius Generalis.

PRIVILEGE DV ROY.



LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauare : A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra. SALVT; Nostre amé ANTOINE IVLLIERON Marchand Libraire & Maistre Imprimeur en nostre ville de Lyon, Nous a fait remonstrer que le P. Philippe Prouincial des Carmes Deschaussez a composé vn Liure intitulé *Summa Philosophica*, que l'Exposant desire faire imprimer: mais il craint qu'en ayant fait la despence d'autres le voulussent imptimer s'il n'auoit sur ce nos Lettres. Tres humblement requerant icelles; A CES CAVSES desirant fauorablement traiter l'Exposant, Nous luy auons permis & accordé, permettons & accordons par ces presentes, d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure en tel Volume, Marges, Caracteres, & autant de fois que bon luy semblera pendant le temps de cinq années consecutiues, à commencer du jour qu'il sera acheué d'imprimer pour la premier fois; Iceluy vendre & distribuer par tout nostre Royaume. Faisons deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & autres, d'imptimer ou faire imprimer ledit Liure, vendre & debiter sans le consentement dudit Exposant ou ses ayans causes, plainement & paisiblement, sous quelque pretexte que ce soit, sur peine de confiscation des exemplaires, amande arbitraire, despens, dommages & interests; à la charge d'en mettre deux Exemplaires en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres cher & feal Cheualier Chancelier de France le sieur Seguier, à peine de nullité des presentes; du contenu desquelles Vous mandons faire iouir l'exposant & ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire: Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit liure l'extraict des presentes elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & qu'aux copies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers Secretaires, foy soit adjoustée comme au present Original. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent faire tous exploits necessaires, sans demander congé ny permission: Car tel est nostre plaisir. DONNE' à Paris le premier jour de Iuillet l'an de grace mil six cens quarante huict, & de nostre regne le sixiéme.

Par le Roy en son Conseil.

LE BRVN.



INDEX
QVÆSTIONVM
& Articulorum Primæ Partis Summæ Philoſophicæ.

QVÆSTIO VII.

De differentia.

QVÆSTIO VIII.

De Proprio.

QVÆSTIO IX.

De Accidente.

QVÆSTIO X.

De Anteprædicamentis.

QVÆSTIO XI.

De Prædicamentis.

QVÆSTIO XII.

De Postprædicamentis.

QVÆSTIO XIII.

De modis sciendi.

QVÆSTIO XIV.

De Termino & eius proprietatibus.

QVÆSTIO XV.

De propositione simplici.

QVÆSTIO XVI.

De oppositione, æquipollentia & conuersione propositionum simplicium.

QVÆST.

QVÆSTIO XVII.

De propositione modali exponibili & de futuro contingenti.

QVÆSTIO XVIII.

De argumentatione ac eius speciebus.

QVÆSTIO XIX.

De tribus figuris syllogismi earumque Regulis.

QVÆSTIO XX.

De probatione Syllogismorum perfectorum reductione imperfectorum & inuentione medij.

QVÆSTIO XXI.

De prærequisitis ad demonstrationem.

QVÆSTIO XXII.

De Demonstratione.

QVÆSTIO XXIII.

De Scientia.

QVÆSTIO XXIV.

De subalternatione scientiarum.

QVÆSTIO XXV.

De aliis habitibus intellectualibus speculatiuis.

QVÆSTIO XXVI.

De locis argumentandi probabilibus & apparentibus.

INDEX

Quæstionum & Articulorum Primæ Secundæ Summæ Philosophicæ, siue Physicæ in communi.

QVÆSTIO I.

De obiecto & quidditate Physicæ.

QVÆSTIO II.

De principiis entis naturalis in communi.

QVÆSTIO III.

De primo principio scilicet materia prima.

QVÆSTIO IV.

De secundo principio entis naturalis scilicet priuatione.

QVÆSTIO V.

De tertio principio entis naturalis scilicet forma substantiali.

QVÆSTIO VI.

De ente naturali composito ex principiis intrinsecis.

QVÆSTIO VII.

De Natura & Arte.

9 Vtrùm

QVÆSTIO VIII.

De cauſis in communi.

QVÆSTIO IX.

De cauſis materiali & formali.

QVÆSTIO X.

De cauſa efficiente.

QVÆSTIO XI.

De dependentia cauſæ ſecundæ neceſſariæ à prima.

QVÆSTIO XII.

De cauſa inſtrumentali.

QVÆSTIO XIII.

De caſu, fortuna & fato.

QVÆSTIO XIV.

De cauſa finali.

QVÆSTIO XV.

De cauſis ad inuicem comparatis.

QVÆSTIO XVI.

De eſſẽtia & quidditate motus in cõmuni.

QVÆSTIO XVII.

De actione & passione, tam inter se quam cum motu collatis.

QVÆSTIO XVIII.

De Infinito.

QVÆSTIO XIX.

De Loco.

QVÆSTIO XX.

De Vacuo.

QVÆSTIO XXI.

De Tempore.

QVÆSTIO XXII.

De speciebus motus.

QVÆSTIO XXIII.

De vnitate motus.

QVÆSTIO XXIV.

De contrarietate motuum.

QVÆSTIO XXV.

De compositione Continui.

3 Vtrùm

QVÆSTIO XXVI.

De modo inceptionis & deſitionis rerum.

QVÆSTIO XXVII.

De termino rerum naturalium.

QVÆSTIO XXVIII.

De diſtinctione & approximatione requiſita inter mouens & mobile.

QVÆSTIO XXIX.

De æternitate Mundi, & de primo illius opifice & motore.

INDEX

Quæſtionum & Articulorum Secundæ Secundæ Summæ Philoſophicæ.

QVÆSTIO I.

De obiectis harum partium Phyſicæ.

QVÆSTIO II.

De Mundo.

QVÆSTIO III.

De numero & ſtatu Cœlorum.

QVÆSTIO IV.

De natura & proprietatibus Cœlorum.

QVÆST.

Index Quæstionum & Articulorum.

QVÆSTIO XII.

De Nutritione.

QVÆSTIO XIII.

De Augmentatione.

QVÆSTIO XIV.

De condensatione & rarefactione.

QVÆSTIO XV.

De Actione & reactione.

QVÆSTIO XVI.

De Mixtione.

QVÆSTIO XVII.

De natura & numero Elementorum.

QVÆSTIO XVIII.

De qualitatibus Elementorum.

QVÆSTIO XIX.

De mutua Elementorum generatione.

QVÆSTIO XX.

De temperamentis mixtorum.

Index Quæstionum & Articulorum.

QVÆSTIO XXI.

De reproductione eiusdem rei.

QVÆSTIO XXII.

De meteoris in communi.

QVÆSTIO XXIII.

De Meteoris lucidis.

QVÆSTIO XXIV.

De Meteoris igneis.

QVÆSTIO XXV.

De Meteoris aëreis.

QVÆSTIO XXVI.

De Meteoris aqueis.

QVÆSTIO XXVII.

De Meteoris terreis.

QVÆSTIO XXVIII.

De quidditate animæ.

QVÆSTIO XXIX.

De diuisione animæ & modorum viuendi.

QVÆSTIO XXX.

De informatione animæ.

QVÆSTIO XXXI.

De potentiis animæ in communi.

2 Vtrùm

QVÆSTIO XXXII.

De anima vegetatiua, eiusque potentiis.

QVÆSTIO XXXIII.

De anima sensitiua & sensibus externis in communi.

QVÆSTIO XXXIV.

De sensu Visus.

QVÆSTIO XXXV.

De sensu Auditus.

QVÆSTIO XXXVI.

De sensu Odoratus.

QVÆSTIO XXXVII.

De sensu Gustus.

QVÆSTIO XXXVIII.

De sensu Tactus.

QVÆSTIO XXXIX.

De Sensibus internis.

QVÆSTIO XL.

De anima intellectiua.

QVÆSTIO XLI.

De intellectu agente.

QVÆSTIO XLII.

De intellectu possibili.

QVÆSTIO XLIII.

De speciebus intelligibilibus & intentionalibus.

QVÆSTIO XLIV.

De Intellectione.

QVÆSTIO XLV.

De appetitu rerum cognoscentium tam sensitiuo quàm intellectiuo.

QVÆSTIO XLVI.

De potentia obedientiali.

2 Vtrùm

INDEX

Quæſtionum & Articulorum Tertiæ Partis Summæ Philoſophicæ.

QVÆSTIO I.

De obiecto & quidditate Metaphyſicæ.

QVÆSTIO II.

De quidditate entis in communi.

QVÆSTIO III.

De proprietatibus entis in communi.

QVÆSTIO IV.

De Vno ſiue Vnitate tranſcendentali.

QVÆSTIO V.

De principio indiuiduationis materiæ & formæ.

QVÆSTIO VI.

De principio indiuiduationis ſubſtantiæ materialis completæ.

QVÆSTIO VII.

De principio indiuiduationis accidentium.

QVÆSTIO VIII.

De Vero siue Veritate transcendentali.

QVÆSTIO IX.

De veritate ac falsitate formali.

QVÆSTIO X.

De bono siue bonitate transcendentali.

QVÆSTIO XI.

De prædicamentis in communi.

QVÆSTIO XII.

De prædicamento substantiæ.

QVÆSTIO XIII.

De prædicamento quantitatis.

QVÆSTIO XIV.

De prædicamento qualitatis.

QVÆSTIO XV.

De prædicamento relationis.

7 Vtrùm

QVÆST.



PRIMA



PRIMA PARS SVMMÆ PHILOSOPHICÆ, SIVE LOGICA.

PROLOGVS.

INGREDIMVR horridum Logicæ desertum, vbi non res veræ sed solæ rerum vmbræ & phantasmata, scilicet entia rationis conspiciuntur; vbi inextricabilis & pluribus sophisticarum semitarum fallaciis intricatus est labyrinthus: sed D. THOMÆ Doctoris Angelici clarissimo collustratus lumine, & ductu manifestus, facilè imò & iucundè pertransitur.

Continet Logica plures tractatus. Primus est Porphyrij de Vniuersalibus, alij omnes sunt Aristotelis, scilicet de Prædicamentis, de Interpretatione, de Priori analysi, de Posteriori analysi, de Topicis, & Elenchis.

QVÆSTIO I.

De obiecto, quidditate, & necessitate Logicæ.

PRIMVM quod occurrit agendum in tradenda aliqua scientia, est eius obiectum proponere, naturam declarare, necessitatem exponere, finem manifestare, quod hic in principio tradendæ Logicæ obseruamus, circa quod quæruntur nouem.

¶ Primò, Vtrùm detur Logica artificialis.
¶ Secundò, Vtrùm obiectum Logicæ sit ens rationis.
¶ Tertiò, Vtrùm omne ens rationis sit obiectum Logicæ.
¶ Quartò, Vtrùm Logica sit scientia.
¶ Quintò, Vtrùm Logica sit scientia speculatina.
¶ Sextò, Vtrùm Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas.
¶ Septimò, Vtrùm Logica sit pars Philosophiæ.
¶ Octauò, Quis sit finis Logicæ.
¶ Nonò, Quid, & quotuplex est methodus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm detur Logica artificialis.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod non detur Logica artificialis. Probatur. Quidquid attribuitur Logicæ artificiali, fit per Logicam naturalem: nam dirigere mentis operationes, quod tanquam obiectum, vel officium adæquatum illi attribuitur, optimè fit per Logicã naturalem, videmus enim aliquos ita ingenio pollere, vt absque præuio studio optimè definiant, diuidant, & argumententur: ergo non datur Logica artificialis. Frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora.

¶ 2. Præterea. Vt detur Logica artificialis, debet ha-

bere aliquod obiectum sibi proprium, vt patet: sed non habet: nam illud vel esset ens reale, vel ens rationis; non primum, vt docet D.Th. & cum eo communiter Thomistæ: non secundum; quia scientia realis, qualis esset Logica, si daretur, non potest referri realiter ad ens rationis; constat autem quod scientia omnis realiter debet referri ad suum obiectum: ergo non datur Logica artificialis.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, S. Augustini & D. Thom. quos communiter sequuntur omnes philosophi tum veteres, tum moderni.

CONCLVSIO.

Cum modus sciendi per definitionem, diuisionem, & argumentationem sit scibilis: datur Logica artificialis.

RESPONDEO dicendum, quòd datur Logica artificialis, siue scientia docens modum sciendi & procedendi in aliis scientiis, naturaliter acquisibilis. 2. valdè nobilis. 3. fuit infusa à Deo primo parenti. 4. sed postquam successu temporis deperiit, experientiâ fuit restituta. Ad cuius euidentiam sciendum est, idem esse Logicam ac Dialecticam, quæ à diuersis fuit diuersimodè definita. Stoici illam vocabant artem bene dicendi: Plato verò vocabat artem diuidendi vnum in plura, quod fit per diuisionem: vel colligendi plura in vnum, quod fit per definitionem: Aristoteles autem & Peripatetici vocabant artem disserendi ex probabilibus. Hi autem omnes non definiebant Logicam siue Dialecticam adæquatè & absolutè, sed tantùm quamdam illius partem: vnde nunc communiter accipitur Dialectica pro tota arte quæ continet rationem definiendi, diuidendi, & argumentandi ex necessariis, probabilibus, & apparentibus. Sub hac significatione in posterum vsurpabitur: sic autem vniuersaliter sumpta definitur, quòd sit scientia speculatiua entium rationis, quæ ad definiendum, diuidendum, & argumentandum sunt destinata.

Item sciendum est multipliciter diuidi scientias. Primò diuiduntur ratione materiæ, in eas quæ agunt de

rebus, & in eas quæ agunt de ſermone, quæ tantùm ſunt tres, Grammatica, quæ de congruo; Rhetorica, quæ de ornato; & Logica, quæ de vero & falſo. Diuiduntur ſecundò ratione finis in ſpeculatiuas & ptatticas. Speculatiuæ ſunt quarum finis eſt ſola veritatis contemplatio. Pratticæ verò, quarum finis eſt operatio, quædam ex iſtis dicuntur ptatticæ effectionis, quæ poſt ſe opus relinquunt, vt ſunt artes mechanicæ, aliæ dicuntur pratticæ actionis, quæ nullum poſt opetationem opus telinquunt, vt ars ſaltandi, pſallendi, Philoſophia moralis &c. Speculatiuæ iuxta diuiſionem obiecti ſpeculabilis quod debet eſſe perpetuum & immateriale, ac proinde abſtrahens à materia & motu, diuiduntur in tria genera: nam de obiecto abſtrahente à materia ſingulari non communi eſt Philoſophia naturalis: de obiecto abſtrahente ab omni materia ſenſibili, ſiue ſingulari ſiue communi, non tamen abſtrahente à materia intelligibili, ſunt Mathematicæ, quarum ſunt plures ſpecies, de obiecto abſtrahente ab omni ſimpliciter materia etiam intelligibili, eſt Metaphyſica, ad quod genus etiam reducitur noſtra Logica, quæ agit de ente rationis, & etiam, vt docent aliqui authores, Theologia quæ agit de Deo; ſub Philoſophia naturæ continetur Medicina ſubalternata, vbi enim deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus: ſub Mathematicis continentur Arithmetica quæ agit de numero & Geometria quæ agit de magnitudine; aliæ ſunt mixtæ ex Mathematicis & Philoſophicis, vt Aſtrologia quæ agit de influxu aſtrorum, Aſtronomia quæ de diſtantia & aſpectu ſiderum, Muſica ſubalternata Arithmeticæ, quæ agit de numero ſonoro, Optica ſiue Perſpectiua quę agit de linea viſuali, Geographia de ſitu orbis &c. Aliæ ſunt diuiſiones ſcientiarum, ſcilicet in liberales & mechanicas &c.

Item ſciendum eſt Logicam diuidi in natutalem & artificialem. Logica naturalis eſt poteutia quâ quiſque licet ruſticus poteſt citca aliquas tes raciocinari, diuidere & definite, quia vt ait D.Thom. 1.2. q.63. art.1. inſunt nobis à natura quædam ſemina ſcientiarum ſicut & virtutum. De hac nulla eſt difficultas quin detur, quia non diſtinguitur ab intellectu, provt habet quædam principia Logicæ naturaliter nota, ex quibus poteſt quilibet ratiocinari: naturaliter enim quicumque poteſt inferre, quod ſi Petrus currit, mouetur: vnde præſens difficultas ſolùm procedit de Logica artificiali, nomine cuius intelligitur quidam habitus vel habilitas intellectus, quâ directus perfectè ratiocinatur &c.

Probatur prima pars concluſionis. Modus ſciendi, ſiue modus quo res ſine errore & tectè cognoſcuntur, vel per definitionem vel per diuiſionem vel per argumentationē eſt ſcibilis, ſicut ſcibilis eſt modus pingēdi, pſallendi &c. ac proinde datur ſcientia de illo naturaliter acquiſibilis; aliàs natura deficeret in maximè neceſſariis, cùm, vt poſtea dicetur, ſine hac ſcientia aliæ non poſſint acquiri: ſed ſcientia quæ verſatur citca modum ſciendi, eſt Logica artificialis, vt communiter docent Philoſophi: ergo datur in rerum natura Logica artificialis: quòd autem naturaliter acquiratur, patet experientiâ; nam poſt ſtodium perceptis Logicæ præceptis, facilè & ſine errote diſcurrimus, quod anteà difficulter & cum errore faciebamus: ergo per ſtudium acquirimus aliquam habitualem facilitatem, per quam fit iſta mutatio: ac proindè habitum Logicæ artificialis, à quo prouenit talis facilitas.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Nulla poteſt acquiri ſcientia, ſaltem in gradu perfecto, ſine Logica artificiali, vt infra dicetur. Deinde pet Logicam diſſoluuntur omnia quæ obiiciuntur contra fidem, vt ait Hieronymus ſupta Ezechielem, eius verba ſunt. *Quidquid in hoc ſæculo peruerſorum dogmatum eſt, & putatur robuſtum, hac arte ſubuertitur, & inſtar incendij in cineres fauillaſque diſſoluitur.* Item in tota Sacra Scriptura videmus multiplicem vſum Logicæ: hac vſi ſunt Prophetæ, Apoſtoli, imò Chriſtus Dominus, vt expreſsè docet D. Aug. lib.1. contra Creſcon. Grammaticum. Denique eſt valde apta & neceſſaria ad conuincendos fidei inimicos vt paſſim experimur: Ergo Logica artificialis eſt valdè nobilis & bona ſimpliciter; licet poſſit quis ea malè vti, propter quem malum vſum ſiue abuſum vituperatur aliquando & improbatur ab aliquibus ſanctis. Vnde Paulus ad Coloſſenſes ait: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.*

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Th. 1.p.q.94. art.3. vbi docet omnes ſcientias fuiſſe Adamo infuſas tanquam vniuerſali principio inſtructionis & gubernationis humanæ, & ab ipſo ad poſtetos fuiſſe deriuatas: inter alia autem hæc habet; *Non poteſt autem aliquis inſtruere niſi habeat ſcientiam, & ideò primus homo ſic inſtitutus eſt à Deo, vt haberet ominium ſcientias, in quibus naſcimur inſtrui.*

Probatur quatta pars concluſionis. Aliæ ſcientiæ experientia acquiſitæ ſunt ſiue reſtitutæ, vt conſtat in Philoſophia naturæ, quæ ex obſeruatione motuum & aliorum quæ in ipſa ttactantur, nata fuit: ergo & Logica artificialis. Vnde intellectus longa obſeruatione & reflexione ſupra ſuos actus videns quòd aliquando definiebat, diuidebat & argumentabatur benè, aliquando malè; incepit inueſtigare cauſam horum virtute Logicæ naturalis, & hac cognitâ conſtituit præcepta benè definiendi, diuidendi & argumentandi, & ſic paulatim reſtituta fuit Logica, & ad perfectum perducta: ſed præcipuè laus reſtitutionis & perfectionis Logicæ debetur Ariſtoteli Philoſophorum Principi, ipſe enim excluſis antiquiorum philoſophorum erroribus abſolutam omnibus ſuis partibus, ſicut nunc habemus, tradidit Logicam. Ex quibus patet non experientia vnius tantùm, ſed multorum actuum fuiſſe adinuentam; & licet Logica artificialis ſit neceſſaria ad omnes alias ſcientias addiſcendas, non tamen fuit neceſſaria ad ſeipſam addiſcendam, ſed vittute Logicæ naturalis potuit vna pars Logicæ artificialis adinueniri, quâ mediante, potuit alia pars acquiri virtute eiuſdem Logicæ naturalis, & ita partes prius inuentæ iuuarunt ad acquiſitionem poſteriorum, & ad totalem eius perfectionem. Deinde Logica ab Adamo detiuata non totaliter periit, ſed aliquod eius veſtigium aliis ſcientiis permixtum remanſit, quod potuit ſufficere cum vittute naturali intellectus ad acquirendam perfectam eius cognitionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet aliqui virtute Logicæ naturalis definiant, diuidant & argumententur; hæc tamen nullus facit faciliter & ſine errote niſi per Logicam artificialem, quæ circa hoc præcipuè verſatur, vt tradat præcepta ad hæc ritè exequenda.

Ad ſecundum patebit ex dicendis articulo immediatè ſequenti.

Articvlvs II.

Vtrùm obiectum Logicæ ſit ens rationis.

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd obiectum Logicæ non ſit ens rationis: ſed aliquid reale. Ita tenent multi recentiores extra ſcholam D. Thom. Fonſeca 2. Metaph.cap.3.q.1 ſect.5. Suarez diſp.1.ſect.4. Conimbricenſes, Murcia, Hurtado, & alij in præſenti; diuiſi ſunt autem hi authores, nam quidam dicunt obiectum Logicæ eſſe operationes intellectus, provt dirigibiles & reducibiles pet modum ſciendi: alij verò dicunt hoc non ſufficere, ſed requiri quòd ſint diſpoſitæ in forma definitiouis, diuiſionis & argumentationis, adduntque ipſam talem diſpoſitionem eſſe ens reale: hi authores attribuunt hanc opinionem aliquibus antiquis; ſed ſi bene legantur nihil tale dicunt, antiqui enim poſuerunt pro obiecto Logicæ vel voces, vt Nominales, vel argumentationem in communi, vel ſyllogiſmum tantùm, vel ſolam demonſtrationem, vel modum ſciendi in communi, vel quid ſimile. Probatur prædicta opinio authoritate D. Thom. initio Poſteriorum, vbi ſic ait: *art quedam neceſſaria eſt vt ſit directiua ipſius actus rationis, per quam homo in ipſo rationis actu ordinatè, faciliter & ſine errore procedat, & hac ars eſt logica,*

id

id est, rationalis scientia, quæ non solùm rationalis est ex hoc quòd est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quòd est circa ipsum actum rationis sicut circa propriam materiam. Item in proœmio Ethicorum docet Philosophiam moralem versari circa operationes voluntatis, sicut Logica circa operationes intellectus: sed Philosophia moralis vt ibidem docet D. Thom. versatur circa operationes voluntatis vt dirigibiles tanquam circa obiectum: ergo etiam Logica versatur circa operationes intellectus vt dirigibiles tanquam circa proprium obiectum.

2. Prætereà demonstratio non solùm pro materiali, sed etiam pro formali, & quicquid tractatur in Logica est ens reale; nam demonstratio non solùm quoad entitatem actuum, sed etiam quoad illam dispositionem quam illi actus in demonstratione habent, est causa scientiæ, quæ est ens reale: constat autem quòd ens rationis cùm sit inferioris ordinis, non potest esse causa entis realis; causa enim semper est nobilior effectu. Item ratio subiecti, attributi & similium est quid reale, quando enim formatur hæc propositio (homo est animal) tenet a repræsentatur intellectui natura humana non præcisè, sed vt subiecta animali, ac proinde à parte rei illi subiicitur, & ita esse obiectum, est quid reale, quòd proportionaliter est verum de aliis quæ in Logica tractantur: ergo obiectum Logicæ non est ens rationis, cum obiectum sit illud de quo in ipsa tractatur.

3. Prætereà, Ens rationis nullam habet entitatem, ac proinde non est scibile, nam sciri & intelligi præsupponit aliquod esse. Item nullas habet proprietates reales, alioquin essent perfectiores essentia à qua essent: nec rationis, quia essentialiter includerentur in ente, & ens essentialiter prædicaretur de illis, quod repugnat essentiæ respectu proprietatum; constat autem quòd in qualibet scientia probantur de obiecto proprietates. Item scientia ex Aristotele cap. de relatione, dicit relationem realem ad suum obiectum tanquam ad propriam mensuram: sed ens rationis non potest terminare relationem realem; nam relatio realis necessariò petit terminum realem: ergo ens rationis non est obiectum Logicæ.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis & D. Tohm. quos communiter sequuntur omnes Thomistæ nemine excepto; extra scholam verò D. Thom. Rubius, Toletus, Oña, Salas & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm enti rationis conueniant respectu Logicæ conditiones obiecti formalis communiter receptæ, ens rationis est obiectum formale Logicæ.

RESPONDEO dicendum, quòd obiectum formale Logicæ non est aliquid reale, sed ens rationis. Ad cuius euidentiam sciendum est hæc tria idem esse respectu scientię, scilicet obiectum, subiectum & materiam. Dicitur obiectum, quia scientiæ obiicitur contemplandum. Dicitur subiectum, quia in scientia multa probantur de ipso respectu quorum est subiectum. Dicitur materia, non in qua, vel ex qua, sed circa quam, quia respectu scientię se habet sicut se habet materia respectu artium: tamen obiecti nomen est magis vsitatum. Obiectum autem est duplex, siue sunt duę partes integri obiecti, scilicet pars materialis & pars formalis; formalis est illa quę per se, siue ratione sui attingitur à potentia vel scientia: pars verò materialis siue obiectum materiale est illud quod per se non attingitur, sed ratione obiecti formalis: vt coloratum aut lucidum est integrum obiectum potentię visiuę, cuius pars materialis est corpus, quia solùm videtur ratione coloris aut lucis, quę per se videtur, & ideò sunt obiectum formale. Rursus in parte formali obiecti duo reperiuntur, primum scilicet ratio quę & est res ipsa quę per se consideratur à scientia. Dicitur etiam ratio formalis in esse rei, siue obiectum formale quod: secundum est ratio formalis sub qua, seu in esse scibilis, aut obiectum formale quo, & est id sub quo potentia vel habitus attingit suum obiectum formale quod, sicut lux medij est ratio sub qua potentia visiua attingit colorem &c. quando agetur de specificatione & vnitate scientię explicabitur ad quid deseruiat ratio sub qua: nam ipsa est quasi vltima sigillatio specificationis; ratio formalis quę, comparata cum ratione sub qua, aliquando vocatur ratio materialis, quia per ipsam redditur in esse scibilis, quę ex se tantùm erat in esse rei: propriè tamen loquendo est ratio formalis quę: quia de illa solùm per se in scientia agitur; de aliis autem agitur tantùm ratione ipsius, vnde per accidens agitur de illis. Sub ratione qua obiecti formalis multa comprehenduntur, scilicet lumen sub quo tendit, media quibus tendit, abstractio à materia &c. rursus diuiditur obiectum in adequatum & in inadequatum, inadequatum in principale & minùs principale. Obiectum adequatum est illud, vt ait D. Thom. prologo sententiarum quod nec excedit scientiam, nec ab ea exceditur, & dicitur obiectum attributionis, tres conditiones sequentes illi assignantur ab eodem D. Thom. prima vt ad ipsum reducantur omnia quę tractantur in scientia vel tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam species, vel tanquam proprietates. Secunda vt de illo sit principalis cura in tali scientia & precepta quę traduntur, sint de ipso. Tertia per obiectum debent scientię specificari & inter se distingui, non quidem per ipsum in esse rei consideratum, sed in esse scibilis, scilicet adiunctâ ratione formali sub qua.

Item sciendum est, quòd est duplex genus entis: aliud est ens reale, quod scilicet nemine etiam cogitante habet esse in rerum natura: aliud est ens rationis, quod nihil est aliud quam id quod consequitur res vt habeat esse obiectiuè in intellectu, vt ratio subiecti vel attributi, ratio generis, speciei &c. quæ non conueniunt rebus à parte rei, sed per operationem intellectus, vt ei obiiciuntur. Sed de his fusiùs quæstione sequenti: in præsenti autem non inquirimus de obiecto materiali Logicæ, quod, vt postea dicetur, siue sint voces, siue operationes intellectus, siue res ipsæ, est aliquid reale: nec similiter inquirimus de ratione formali sub qua, cùm de ipsa agendum sit infra, vbi agetur de distinctione scientiarum. Et ita tota præsens difficultas est de ratione formali quæ: quamuis autem ordine generationis priùs inquirendum videatur, an Logica sit scientia; incipiendum est enim ab vniuersalioribus; quærere autem de obiecto Logicæ est quærere quæ sit scientia: quia tamen est impossibile scire, an sit scientia, priusquam sciatur eius obiectum, ideò præmittitur præsens difficultas.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. 4. Metaph. lect. 4. vbi sic ait: *Ens est duplex: ens scilicet rationis & ens naturæ*: ens autem rationis dicitur propriè de illis intentionibus quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei & similium quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur: & huiusmodi scilicet ens rationis est propriè subiectum Logicæ: huiusmodi autem intentiones intelligibiles entibus naturæ æquiparantur, eo quòd omnia entia naturæ sub consideratione rationis cadunt, & ideo subiectum Logicæ ad omnia se extendit, de quibus ens naturæ prædicatur; idem repetit opusc. 56. 70. & maximè 42.

Secundò, ex Aristotele & D. Thom. loco citato, Logica agit de omni ente de quo agit etiam Metaphysica, & propterea agit de prædicamentis sicut & illa: ergo agit de illo sub aliqua ratione formali, quæ conueniat omni enti, cùm obiectum scientiæ debeat esse vnum: sed non agit de omni ente sub communi reali ratione entis, quia hæc pertinet ad Metaphysicam tanquam obiectum formale, nec in hoc dissentiunt aduersarij: ergo agit de illo sub communi ratione entis rationis, siue vt substat prædicatis rationis & secundis intentionibus, & ita obiectum Logicæ est ens rationis. Confirmatur primò. Grammatica, Rhetorica & Logica dicuntur scientiæ rationales, & distinguuntur ab aliis quæ dicuntur reales, non quod ipsæ sint aliquid rationis, cùm sint veri habitus reales sicut aliæ scientiæ: nec quia solùm ipsæ dirigant

rationem, cùm hoc conueniat etiam aliis scientiis, vt statim dicetur: ergo solùm restat quod dicantur rationales, quia habent pro obiecto ens rationis, cùm aliæ habeant ens reale pro obiecto. Confirmatur secundò. Ex Aristotele & D. Thom. vt infrà patebit, scientiæ speculatiuæ entis realis adæquatè diuiduntur in Physicam, Mathematicas, & Metaphysicam iuxta abstractionem entis realis creati à materia, quæ abstractio ex D.Thom. opusc. 70. q. 5. art. 1. est triplex tantùm possibilis, & ad ipsam reducitur omne ens creatum sub quacunque consideratione: ergo si Logica est distincta, vt debet esse à scientiis enumeratis, scilicet à Physica quæ agit de ente quod abstrahit à materia singulari, à Mathematicis quæ abstrahunt à materia sensibili, & à Metaphysica, cuius obiectum abstrahit à materia intelligibili, non agit de ente reali sed solum de ente rationis.

Tertiò. Enti rationis conueniunt respectu Logicæ tres conditiones obiecti formalis assignatæ à D. Thom. & communiter receptæ. Prima enim conditio est vt omnia quæ adducuntur in scientia reducantur ad obiectum, vel vt principia, vel vt partes, vel vt species, vel vt proprietates: constat autem quod omnia quæ adducuntur, & pertractantur in Logica, reducuntur ad ens rationis; nam ratio vniuersalis, generis, speciei, differentiæ &c. vniuocum, analogum, æquiuocum, prædicamentum, propositio, æquipollentia, antecedens, consequens, syllogismus &c. sunt entia rationis, si verò agit de substantia, quantitate & aliis entibus realibus, solùm de illis agit, vt sunt series generum & specierum, vel vt participant alias secundas intentiones: de actibus autem intellectus solùm agit vt sunt principia istarum intentionum, nec habetur aliquis peculiaris tractatus de ipsis, sed principalis cura Logicæ est agere de istis secundis intentionibus, vt patet, quæ est secunda conditio obiecti: vnde de illis operationibus agitur in ordine ad istas intentiones, & non è contra: tandem quæ est tertia conditio obiecti, per ens rationis, vt dictum est, Logica distinguitur, ab aliis scientiis: ergo ens rationis est obiectum Logicæ.

Quartò. In qualibet scientia sunt aliqua principia propria ex quibus ducit conclusiones circa suum obiectum, & ad quæ ipsæ conclusiones resoluuntur, quæ principia sunt proportionata ipsi obiecto, nam vel sunt eius definitio, vel causæ intrinsecæ, & extrinsecæ, vel proprietates: vnde vt patet si obiectum est quid reale, principia etiam erunt realia, siue significantia, & exprimentia aliquid reale: sed Logica non habet principia realia quibus probet suas conclusiones, nam vtitur pro principiis secundis intentionibus, & tota ars argumentandi ex D. Th. opusc. 70. q. 6. art. 1. in omni opinione fundatur in istis principiis, dici de omni & dici de nullo, vel in istis, quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, & quæcumque sunt eadem inter se distinguuntur ab vno tertio: quæ sunt principia rationis vt patet. Similiter ars definiendi fundatur in genere, specie & differentia, quæ sunt principia rationis: ergo etiam obiectum Logicæ est ens rationis, & non actus intellectus vt dirigibiles: maximè quia ipsæ secundæ intentiones non conueniunt ipsis actibus, sed rebus vt obiiciuntur intellectui: ipsis autem actibus conueniunt vt causis, nam ad ipsos actus vt cõsiderant res hoc vel illo modo, consequuntur istæ intentiones, vnde si actus intellectus dicitur definitio, est quia format definitionem quam repræsentat species expressa, quæ est terminus intellectionis: & licet formatio & repræsentatio sit realis, res tamen repræsentata scilicet definitio vtpote constans genere, & differẽtia, & importans speciem, est ens rationis. Similiter diuisio Logica cum sit partitio in partes quæ sunt entia rationis, sicut & argumentatio quia constat partibus, scilicet propositionibus quæ sunt entia rationis: vnde sequitur Logicam esse ignobiliorem aliis scientiis speculatiuis, vt optimè declarat D.Th. opusc. 56. eius verba sunt: *Inter omnia subiecta scientiarum debilissimum & incertissimum est subiectum Logicæ*, quia vnumquodque quantùm habet de entitate tantùm habet de veritate, & certitudine ex Aristotele 2. Metaph. nunc autem secundæ intentiones solùm habent esse in anima & ab anima, ex quo sequitur quod habent debilissimum esse, & sic ad plenum sciri non possunt nisi per primas intentiones.

AD primum ergo dicendum, quòd D.Thom. in illo loco non facit mentionem obiecti formalis Logicæ, sed tantùm vult quòd directio istorum actuum sit finis remotus & vltimatus Logicæ: quòd autem hæc sit mens D.Th. patet ex antecedentibus, ibi enim S.Doctor comparat Logicam cum arte ædificatoria, ad quam dicit pertinere vt dirigat actus manus, & tamen constat quòd talis directio est eius finis remotus, & non obiectum. Vt autem percipiatur quomodo pertineat peculiari titulo ad Logicam dirigere operationes mentis, sciendum est ex D.Th. 1.2. q. 54. art. 4. & q. 100. art. 2. quòd quilibet habitus præcipuè operatiuus est quædam perfectio potentiæ in qua est, vnde quælibet scientia perficit & dirigit intellectum in ordine ad cognitionem sui obiecti & non alterius, quia cùm verum sit obiectum adæquatum intellectus, & quælibet scientia respiciat aliquod verum, sequitur quòd omnes scientiæ simul adæquatè perficiunt intellectum in ordine ad verum totale, & quælibet scientia in ordine ad partem illius veri totalis, scilicet in ordine ad aliquod verum particulare & determinatum: tamen quia inter scientias dantur aliquæ, quarum obiectum est vniuersalius obiectis aliarum, quasi illa sub se continens, vt Metaphysica, cuius obiectum est ens, sub quo omnia continentur, ideò tales scientiæ perficiendo & dirigendo intellectum in ordine ad suum obiectum, consequenter dirigunt illum quodammodò in ordine ad obiecta aliarum scientiarum, quæ sub suo continentur, vnde Metaphysica probat principia aliarum scientiarum, & illis quasi distribuit sua principia &c. non quod directè & principaliter dirigat intellectum in ordine ad talia obiecta, sed ex consequenti per hoc quod dirigat intellectum in ordine ad proprium sub quo illa continentur. Similiter dicendum de Logica, quæ sicut & Metaphysica dicitur scientia generalis, cùm habeat ens pro obiecto, vnde confert illas Aristoteles 4. Metaph. cap. 2. & D. Th. ibidem lect. 4. sic habet: Conueniunt autem in hoc quod dialectici est considerare de omnibus: hoc autem esse non posset nisi consideraret omnia secundùm quòd in aliquo vno conueniunt, quia vnius scientiæ vnum subiectum est, & vnius artis vna est materia circa quam operatur; cùm igitur omnes res non conueniant nisi in ente, manifestum est quod dialecticæ materia est ens, & ea quæ sunt entis, de quibus etiam Philosophus considerat: vnde obiectum Logicæ sicut & Metaphysicæ est aliquid quod reperitur in omni ente, sed cum hoc discrimine, quòd obiectum Metaphysicæ à parte rei conuenit omni enti, scilicet ipsa ratio entis, & eius proprietates: obiectum verò Logicæ non conuenit enti à parte rei, sed per operationem intellectus, scilicet ratio entis rationis siue prædictæ secundæ intentiones, vt esse subiectum, prædicatum, genus, speciem &c. vnde ista prædicata sunt extrinseca, prima verò intrinseca. Ex dictis sequitur esse proprium vtriusque scientiæ dirigere intellectum in ordine ad obiecta etiam aliarum scientiarum. Sed adhuc peculiari titulo hoc pertinet ad Logicam, quia dirigit illum vt cognoscat omnes res, non secundùm sua prædicata realia, sed secundùm prædicata quæ eis aduenit à ratione, & ideò ad Logicam pertinet dirigere tales operationes intellectus, dando ei notitiam illarum intentionum, & illas inter se ordinando, vt fiant ex eis congrua instrumenta sciendi; ac proinde tribuit ipsi intellectui modum vt de quocumque rectam habeat cognitionem. Ad alium locum dicendum, quòd D. Thom. solùm comparat istas scientias ratione finis, in quo proportionaliter conueniunt, quòd autem Philosophia moralis habeat etiam pro obiecto ipsos actus voluntatis vt dirigibiles, hoc se habet per accidens ad intentum D.Th. Ex diuerso autem modo dirigendi inferimus tales actus esse respectu vnius obiectum: non verò

respectu

respectu alterius: Philosophia quippe moralis non solùm intendit rectitudinem accidentalem actuum voluntatis prouenientem ex circunstantiis, sed etiam & præcipuè rectitudinem substantialem eorum prouenientem ex obiecto, vnde obiectum siue finis proximus Philosophiæ moralis est ipse actus directus, siue operatio humana ordinata in finem: Logica verò non dat intellectui rectitudinem qoasi substantialem ad res cognoscendas quantùm ad suas intrinsecas entitates, hoc enim faciunt aliæ scientiæ: sed dat quasi accidentalem rectitudinem ad ipsas coguoscendas quantùm ad ordinationem & dispositionem earum in forma modi sciendi, quod est ipsis extrinsecum, & accidens rationis.

Ad secundum dicendum, quòd demonstratio ratione entitatis realis quam habet, scilicet actus intellectus circa obiectum scientiæ, qui est vel discursus, vel iudicium, generat scientiam, quæ est habitus circa idem obiectum correspondens actui: non autem si sumatur demonstratio formaliter pro secunda intentione, vel pro aggregato secundarum intentionum quæ in illa sunt, vnde iste ordo & dispositio non est constitutiua actuum intellectus in esse causæ producentis scientiam, sed tantùm est conditio sine qua oon: quòd autem ens rationis possit vt conditio concurrere ad productionem entis realis patet, nam voces ratione suæ significationis, quæ est ens rationis resultans ex impositione humana, producunt speciem intentionalem in auditu repræsentantem significatum per vocem, & species est ens reale: similiter forma Sacramentorum ratione suæ significationis habet effectum realem: quamuis possit dici quòd totum refunditur ad actus intellectus, qui disponit hoc modo & ordine tales propositiones. Ad aliud dicendum, quòd licet istæ intentiones realiter repræsententur & repræsentatio sit realis, tamen ipsæ sunt quid rationis, & solùm per rationem conueniunt rebus, non enim homo, v.g. est subiectum vel attributum à parte rei, aliàs semper esset tale, cuius contrariom experimur, nam per intellectum modò sit subiectum, modò attributum.

Ad tertium dicendum ex D. Thom. iam citato, quòd ens rationis habet aliquod esse qoamuis debilissimum, per resultantiam ex dispositiona & coordinatione actuum intellectus: & consequenter est scibile, non per accidens, sed per se, licet non possit dici simpliciter ens: ratio enim simpliciter entis & ratio scibilis ex diuersa radice proueniunt, & ratio entis se habet maretialiter ad rationem scibilis, quæ in hoc consistit præcisè, vt res obiiciatur intellectui, quòd non solùm conuenit enti simpliciter & reali, sed etiam enti diminuto & rationis. Ad aliud dicendum, quòd ens rationis habet suas proprietates sicut ens reale, & licet propter transcendentiam entis tales proprietates conuertantur cum essentia, & ens de illis prædicetur: tamen sufficit illa expressio peculiaris, quam addunt sopra ens, vt habeant rationem proprietatis, quamuis non in tanto rigore. Ad aliud dicendum ex D. Th. in 1. dist. 26. quæst. 2. art. 1. quòd cùm relatio realis petat vt vtrumque extremum sit actu, ideò scientia, quæ terminatur ad ens reale, dicit ad illud relationem prædicamentalem realem; quæ verò terminatur ad ens rationis, solùm dicit relationem rationis superadditam; ipsa verò scientia est relatio transcendeotalis ad suum obiectum qualecumque sit.

Articvlvs III.

Vtrùm omne ens rationis sit obiectum Logicæ?

AD Tertium sic proceditur. Videtur quòd non omne ens rationis sit obiectum formale Logicæ: ita tenent multi: quidam vt Ammonius, Simplicius & alij restringebant illud ad solam demonstrationem. Probatur. Demonstratio est finis, ad quem Logica tendit & ordinat cætera quæ in ipsa pertractantur, vnde de illa vltimo loco agit: ergo sola demonstratio est obiectum formale Logicæ.

2. Præterea, videtur quòd solus syllogismus, vt docet Scotus hic quæst. 9. vel sola & omnis argumentatio sit obiectum formale Logicæ, ita tenent Auicenna, Louanienses, B. Albertus & alij. Probatur. Aristoteles nihil agit in tota Logica ex professo de definitione, & diuisione, sed solùm de argumentatione & syllogismo, vt ipsemet fatetur 2. Elenchorum cap. vltimo: ergo solus syllogismus aut argumentatio sunt obiectum formale Logicæ.

3. Præterea, videtur quòd ens rationis prout dicit modum sciendi comprehendentem tantùm definitionem, diuisionem & argumentationem, sit obiectum formale adæquatum Logicæ; alias verò secundas intentiones solùm reductiuè ad illud pertinere. Ita tenet Masius quæst. 13. sectionis 2. quæstionum Proœmialium Logicæ. Probatur. Ad istos tres modos sciendi redocuntur omnia quæ tractantur in Logica, nam secundæ intentiones generis, speciei & similes deseruiunt definitioni & diuisioni, aliæ verò argumentationi: sed illud est obiectum formale adæquatum alicuius scientiæ, ad quod omnia quæ tractantur in scientia reducuntur; ergo tres modi sciendi sunt obiectum formale adæquatum Logicæ. Maximè quia isti tres modi sciendi sufficienter dirigunt intellectum ad rerum cognitionem, quæ directio est finis Logicæ, nam per definitionem scitur essentia rei, per diuisionem sciuntur partes, per argumentationem verò proprietates, quæ tria tantùm in aliqua re possunt ignorari: ergo per se primariò & adæquatè constituunt obiectum formale Logicæ, aliæ verò intentiones Logicales secundariò & quasi per accidens.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Sotus, Sanchez, nostri Complutenses in præsenti, Araujo & alij etiam extra Scholam Thomisticam.

Conclvsio.

Cùm non sufficiat quilibet ordo aliquorum ad aliud, vt excludantur à ratione obiecti: ens rationis Logicum in tota sua latitudine est obiectum formale adæquatum Logicæ.

Respondeo dicendum, quòd ens rationis Logicum siue modus sciendi in tota soa latitudine, vt comprehendit omnes secundas intentiones Logicales veritatis ostensiuas, etiam illas quæ fundantur in vocibus, est obiectum qood formale adæquatum Logicæ. 2. Licet autem illæ quæ fundantur in rebus magis principaliter ad illud pertineant, quàm illæ quæ fundantur in vocibus: 3. tamen omnes per se & non per accidens ad illud pertinent. 4. Ratio eius formalis sub qua, est tùm abstractio ab omni materia, tum principia quibus procedit ad eliciendas suas conclusiones. 5. Obiectum verò materiale sunt res & voces de quibus agitur in Logica. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D. Thom. quæst. 21. de veritate art. 1. in corpore & ad 2. multa esse genera entium rationis: nam primò negatio & priuatio sunt entia rationis, negatio est carentia formæ in subiecto, priuatio autem addit qood talis carentia sit in subiecto apto, vnde cæcitas in homine est priuatio, in lapide est negatio. Circa quæ notandum est, qoòd negatio & priuatio in ratione entis non sunt à parte rei, sed solùm sunt per intellectum, nihil enim sunt reale aut positiuum, sed apprehenduntur ab intellectu per modum alicuius formæ: In propria verò ratione negationis, & priuationis sunt à parte rei, nam reuera à parte rei nemine cogitante dantur negationes & priuationes, non tamen vt sic dicunt ens, sed potiùs negationem & priuationem entis. Secundum genus entis rationis consistit in quibusdam penitùs fictitiis, quæ nullam habent subsistentiam aut fundamentum in rerum natura, sicut est chimæra & aliæ fictiones intellectus per modum alicuius entis subsistentis. Tertium genus entis ratioois sunt relationes rationis, inter quas adhuc reperiuntur aliquæ, quæ non pertinent ad Logicam, sicut relatio dextri & sinistri in columna, relationes Dei ad creaturas &c. Aliæ autem pertinent ad Logicam, & sunt illæ, quæ possunt de-

ſeruire ad definiendum, diuidendum & argumentandum, vt ſunt relatio generis, ſpeciei &c. quæ vocantur ſecundæ intentiones, vel ens rationis Logicum. Inter iſtas relationes rationis Logicales quædam nullo modo denominant conceptus intellectus, ſed tantùm res vel naturas intellectas, vt relatio vniuerſalis, generis, ſpeciei &c. quædam verò ſunt communes, quæ denominant tam conceptus intellectus, quàm res intellectas, vt relatio prædicati & ſubiecti, definitionis & definiti &c.

Item ſciendum eſt, modum ſciendi poſſe ſumi vel ſtrictè, ſcilicet pro illis ſecundis intentionibus, quæ perfectè ignotum manifeſtant, & veritatem proximè oſtendunt, ſub quo comprehenduntur ſolùm iſta tria generalia inſtrumenta ſciendi, ſcilicet definitio, diuiſio & argumentatio: vel poſſe ſumi lato modo, ſcilicet pro illis ſecundis intentionibus, quæ aliquo modo, licet remotè, diſponunt ad acquirendam ſcientiam, ſub quo comprehenduntur omnes ſecundæ intentiones Logicales: nam illæ omnes aliquo modo veritatem oſtendunt, & adiuuant ad acquirendam ſcientiam, & per hoc ens rationis Logicum diſtinguitur ab entibus rationis, quæ pertinent ad Grammaticam & Rhetoricam. Probatur doctrina tradita. Modus ſciendi eſt illud quod ducit & iuuat vt benè & faciliter acquiratur ſcientia, vt ex ipſis terminis apparet: ſed omnes ſecundæ intentiones logicales hoc faciunt, ſicut ſignificatio vocum, talis vel talis poſitio, appellatio &c. ergo ſunt modi ſciendi aliquo modo, ſcilicet remotè & inadæquatè. Confirmatur ſi modus ſciendi ſumeretur tantùm pro illo vltimo, quo proximè & perfectè acquiritur ſcientia, ſequeretur quod nec definitio nec diuiſio nec argumentatio in genere eſſent modi ſciendi, ſed ſola demonſtratio, cùm ipſa ſola generet ſcientiam; definitur enim quòd ſit ſyllogiſmus generans ſcientiam, quod tamen eſt contra communem opinionem.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Thom. 1. Perihermenias lect. 2. vbi ſic ait, *Quia Logica ordinatur ad cognitionem de rebus ſumendam: ſignificatio vocum, quæ eſt immediata ipſis conceptibus intellectus, pertinet ad principalem conſiderationem ipſius:* Quæ authoritas non ſolùm primam, ſed etiam tertiam partem concluſionis probat. Confirmatur ex aliis locis eiuſdem D. Thom. articulo præcedenti citatis, vbi dicit intentiones generis, ſpeciei &c. eſſe obiectum Logicæ, nec inuenitur illum reſtrinxiſſe obiectum Logicæ ad modum ſciendi, prout ſolùm comprehendit definitionem, diuiſionem & argumentationem.

Secundò, non ſufficit quilibet ordo alicuius ad aliud, ad hoc vt excludatur à ratione obiecti formalis: nam videmus quòd Metaphyſica conſiderat ens vt ens tanquam obiectum formale, & agit de omni ente ſub ratione entis, & tamen eſt certiſſimum quod omnia entia etiam ſub ratione entis ordinantur ad Deum optimum maximum, qui eſt primum ens; cùm enim ratio entis ad creatum & increatum ſit analoga etiam attributionis, neceſſarium eſt quòd omne ens creatum vtpote minus principale analogatum, ordinetur ad ens increatum primum & principale analogatum: hæc enim eſt conditio analogatorum. Deinde ſi quilibet ordo vnius ad aliud ſufficit, vt excludatur à ratione obiecti formalis, ſequitur quòd obiectum principale ſit obiectum adæquatum, cùm omnia alia ordinentur ad obiectum principale, quod tamen eſt contra communem ſententiam Philoſophorum, qui in obiecto adæquato formali diſtingunt obiectum principale ab aliis: ergo licet ſecundæ intentiones Logicæ ordinentur ad alias, non tamen excluduntur à ratione obiecti formalis illius: vnde ad obiectum adæquatum alicuius ſcientiæ pertinent per ſe principia intrinſeca ſiue partes illius; concedendum tamen eſt modum ſciendi, vt comprehendit tantùm definitionem, diuiſionem & argumentationem eſſe obiectum principale, & argumentationem inter ipſa principaliſſimum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. In Logica minùs principaliter agitur de vocibus, & principaliùs agitur de rebus, vt conſideranti patet: imò vtplurimùm agitur de vocibus vt ſignificant & exprimunt res, cùm enim res non poſſint ſemper in medium adduci, loco ipſarum vtimur vocibus ipſas exprimentibus: ergo ſecundæ intentiones quæ fundantur in rebus, magis principaliter pertinent ad obiectum formale Logicæ, quàm illæ quæ fundantur in vocibus, cùm enim principaliùs agat Logica de rebus quàm de vocibus, etiam debet neceſſariò principaliùs agere de ſecundis intentionibus quæ fundantur in rebus, quàm de illis quæ fundantur in vocibus: non enim agit de rebus, aut de vocibus niſi vt ſubſtant iſtis ſecundis intentionibus.

Probatur tertia pars concluſionis. Omnes partes integrantes alicuius obiecti formalis, pertinent ad illud per ſe & non per accidens, cùm de illis vtpote componentibus & adintegrantibus obiectum formale debeat neceſſariò & non ex incidenti, ac proinde per ſe & non per accidens tractari in illa ſcientia, quæ reſpicit tale obiectum; ſed omnes ſecundæ intentiones logicales ſiue fundentur in rebus ſiue in vocibus, ſunt partes integrantes obiecti formalis Logicæ, vt patet ex dictis in probatione primæ partis, cùm ſint entia rationis: ergo omnes ſecundæ intentiones logicales, ſiue fundentur in rebus ſiue in vocibus, pertinent per ſe & non per accidens ad obiectum formale Logicæ.

Probatur & explicatur quarta pars concluſionis. Ratio ſub qua ſcientia tendit ad ſuum obiectum & illud conſiderat, ſiue ſe teneat ex parte ipſius obiecti, ſiue ex parte ipſius ſcientiæ, dicitur ratio formalis ſub qua, vt dicetur infra: ſed Logica conſiderat ſuum obiectum ens rationis abſtractum ab omni materia, & in illud tendit ex ſuis principiis, eliciendo ſcilicet ex illis concluſiones de obiecto, demonſtrando eius proprietates: ergo ratio formalis ſub qua Logicæ eſt tum abſtractio ab omni materia, quæ ſe tenet ex parte obiecti, tum principia quibus procedit ad eliciendas ſuas concluſiones, quæ ratio ſe tenet ex parte ipſius ſcientiæ; licet fundetur in obiecto; principia enim ſcientiæ originantur ab eius obiecto & in illo fundantur.

Probatur quinta pars concluſionis authoritate D. Th. locis articulo præcedenti citatis, vbi docet quòd Logica agit de omni ente prout ſubſtat ſecundis intentionibus, quæ vt dictum eſt, ſunt eius obiectum formale: ſed illud de quo agitur in ſcientia per ordinem ad obiectum formale, tanquam ipſum participans, eſt obiectum materiale, vt ex ſe patet: ergo obiectum materiale Logicæ ſunt res omnes & voces, de quibus agitur in Logica ſecundùm ſuum eſſe reale, vt ſubſtant ſignificationi, quæ eſt quid rationis reſultans ex impoſitione humana & aliis ſecundis intentionibus.

Si autem inquiratur de actibus intellectus, vtrùm pertineant ad obiectum materiale Logicæ? Reſpondetur breuiter, quòd tales actus ſecundùm ſe, vt ſunt actus, ſiue conceptus formales intellectus, cùm vt ſic non ſubſtent ſecundis intentionibus, non pertinent ad obiectum materiale Logicæ, ſed ad Phyſicam, & ſic de illis agitur in tractatu de anima, vnde ſub hac conſideratione ſolùm de illis agit Logica tanquam de principiis ſui obiecti, quod eſt agere de illis indirectè, ſicut Phyſica agit de Deo, vt primo motore: ſi autem tales actus conſiderentur ratione obiectiui conceptus, ſiue ſpeciei intelligibilis impreſſæ, vel expreſſæ, quam producunt; (intellectus enim agens producit principaliter ſpeciem impreſſam, vtens phantaſmate tanquam inſtrumento; intellectus autem paſſibilis producit ſolus ſpeciem expreſſam actuatus impreſſâ) pertinēt ad obiectum materiale Logicæ; hi enim conceptus obiectiui ſubſtant etiam ſecundis intentionibus.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi valeret eius fundamentum, probaret in qualibet ſcientia idem eſſe obiectum principale, quòd obiectum adæquatum; quia obiecta minus principalia vtplurimùm ordinantur ad magis principale, & tamen conſtat, quòd in multis ſcientiis obiectum adæquatum diuiditur in principale, & minùs principale.

Ad secundum dicendum, quòd Aristoteles non egit ex professo de definitione & diuisione;sed de sola argumentatione, non tamen inde est ioferendum illum voluisse solam illam esse obiectum formale Logicæ; ratio autem cur se solùm occupauit in tractando de argumétatione,fuit;quia priùs nihil certi,& ordinati de illa habebatur : de definitione autem iam egerat Socrates, vt ipsemet Aristoteles ait 1. Metaph.c.6. Fuit enim primus aothor methodi definiendi; de diuisione autem egerat Plato,vt alij tradunt. Deinde multi libri Aristotelis perierunt:nam,vt refert Laërtius lib. 5. in eius vita,scripsit de Logica centum quinquaginta libros,fortè de aliis intentionibus secundis, specialiter de definitione & diuisione.

Ad tertium dicendum sicut ad primum. Deinde si quid probaret, contra seipsum probaret : nam definitio & diuisio ordinantur ad argumentationem, & tamen ex aduersariis pertinent ad obiectum formale Logicæ:vnde quia omnes intentiones Logicales participant immediatè rationem sub qua Logicæ, & sunt scibiles,non solùm vt sunt in definitione,diuisione & argumentatione; sed etiam seorsum in seipsis, etiamsi dicant aliquem ordinem inter se, non propterea excluduntur à ratione obiecti formalis. Similiter ad Confirmationem dicendum, quòd licet non tam proximè omoes intentiones secūdæ dirigant mentis operatiooes:tamen remotè dirigūt, & si requireretur immediata directio respectu illarum,ad hoc vt aliquid participaret rationē formalem obiecti Logicæ, nec definitio nec diuisio illam participarent, quod non concedunt aduersarij:quia sola demonstratiua argumentatio immediatè attingit consecutionem scientiæ.

Articvlvs IV.

Vtrùm Logica sit scientia.

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd Logica nullo modo sit scientia. Ita tenuerunt aliqui antiqui. Probatur authoritate Aristotelis 1. Rhetoric.cap.2. vbi agens de Rethotica & Dialectica ait, *neutra earum de re determinata quomodo se habeat scientia est.* Item 2. Metaph. cap. 3. ait : *absurdum est simul quærere scientiam & modum sciendi.* Item vocat Logicam artem. Item.1.Topic.cap.9.vocat Logicam instrumentum.Denique 1. Rhetor.cap.2.sic ait : *Si quis Dialecticam & Rhetoricam vt scientias, & non facultates pertractat, imprudens earum naturam subuertit.*

§ 2. Præterea, Omnis scientia agit de rebus necessariis, & non de contingentibus, aliàs scientia non esset certa & infallibilis : sed Logica non agit de rebus necessariis,cùm agat de entibus rationis quæ fiunt à nobis:ergo non est scientia. Deinde scire,est rem per causam cognoscere : sed in Logica nihil per causam cognoscitur; quidquid enim in scientia cognoscitur,pertinet ad proprietates obiecti,quæ io Logica sunt ens rationis:constat autem quòd ens rationis nullam habet causam; omne enim quod habet causam est ens productum & reale:ergo Logica non est scientia. Denique obiectum Logicæ non est scibile saltem simpliciter;nam ens rationis, cùm non sit simpliciter ens,non potest esse simpliciter scihile; scihilitas enim est proprietas entis : proprietates autem non possunt esse nobiliores eo cuius sunt proprietates : ergo Logica non est scientia; scientia enim debet esse de obiecto scibili.

§ 3. E contrà videtur quòd Logica sit simpliciter sciētia non solùm io quantùm docens : sed etiam in quantùm vtens. Ita tenent Murcia, noster Didacus à Iesu, & alij in præsenti. Probatur. Logica docens & vtens sunt idem habitus : ergo si docens est scientia, etiam vtens erit; aliàs idem habitus esset scientia,& non esset scientia, quod implicat contradictionem; nec sola distinctio rationis tollit contradictionem:nam vt dicitur communiter,ex eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa. Deinde illud est verè scientia, quod demonstrat proprietates de suo obiecto : sed Logica, vt vtens,demonstrat proprietates de suo obiecto; nam demonstrare & vti demonstratione (quod pertinet ad Logicam vtentem)idem sunt : ergo Logica etiam vt vtens, est scientia.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur non solùm eius discipuli, sed & etiam alij Philosophi.

Conclvsio.

Cum Logica docens quoad omnes suas partes sit habitus per demonstrationem acquisitus:non verò Logica vtens: sequitur quòd Logica docens sit scientia:non verò vtens.

Respondeo dicendum, quòd Logica docens secundùm omnes suas partes est vera scientia. 2. Logica verò vtens vt sic formaliter, non est scientia. 3. Sed tantùm entitatiuè, siue realiter & identicè; cùm sit idem habitus cum docente. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Aristotele, D. Th. & communi consensu philosophorum Logicam diuidi in docentem & vtentem : dicitur docens prout tradit præcepta definiendi, diuidendi & argumentandi : dicitur verò vtens prout vtitur talibus præceptis reducendo illa ad praxim : Logica autem est docens oon solùm respectu partis Analiticæ siue Demóstratiuæ : sed etiam respectu partis Topicæ & Sophisticæ,vt docet D. Th.infra citandus,& communiter admittunt Philosophi;& ratio est manifesta, quia Logica non solùm dat præcepta scientifica ad conficiendam demonstrationem, sed etiam ad conficiendam argumentum probabile & sophisticum. De vtente est difficultas inter authores,vtrùm sit vtens respectu cuiuscunque suæ partis : quidam etiam Thomistæ id asserunt, vt Masius.q.3. proœmiali, Gallego controuersia 2. Dicendum tamen cum nostris Complutensibus & aliis in præsenti, illam non esse nec debere dici vtētem respectu partis Demonstratiuæ. Ita docet D. Th.4. Metaphysicæ, cap.4. vbi sic ait. *In parte Logicæ, quæ dicitur Demonstratiua, solùm doctrina pertinet ad Logicam: vsus verò ad Philosophiam & alias particulares scientias, quæ sunt de rebus naturæ :* & paulò inferius. *Sic apparet, quòd quædam partes Logicæ habent ipsam scientiam & doctrinam & vsum, sicut Dialectica, Tentatiua & Sophistica : quædam autem doctrinam, & non vsum, sicut Demonstratiua.* Idem docet 2.2.q.51.art.2.ad 3.& alibi sæpe,& ratio est euidens.Nam si Logica est vtens respectu partis Demonstratiuæ, vel hoc est in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia propria. Non primum;nam quælibet scientia in sua propria materia efficit suas demonstrationes; Logica verò tantùm se habet vt dirigens:non verò vt efficiēs; alioquio ipsa sola esset scientia, & aliæ, quæ dicuntur scientiæ,verè non essent scientiæ : quia nihil demonstrarent : sed tantum præberent media ad demonstrandum, siue materiam quâ conficerentur demonstrationes;& ita Logica in materia necessaria aliarum scientiarum habet solùm doctrinam & non vsum : sioe est solùm docens & non vtens. Non secundum, vt docet D.Thom.loco citato : sic enim ait; *vsus partis Demonstratiuæ consistit in vtendo principiis rerum de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinet, non vtendo intentionibus Logicis.* Ex qoo patet, quòd pars Demonstratiua Logicæ in materia propria nullum habet vsum; eius enim materia propria sunt intentiones Logicæ : vnde vsus,qui potest fingi in materia propria Logicæ respectu partis Demonstratiuæ, non est propriè vsus : sed est doctrina actualis & scientificè tradita; & ita ab illo vsu Logica non potest denominari vtens; alioquin rationes docentis & vtentis non essent formaliter diuersæ. Confirmatur. Logica vtens apud Græcos dicitur Logica rebus concreta : docens verò dicitur Logica à rebus auulsa;ac proinde in materia propria non est vtens:quamdiu enim non descendit ad extraneas materias, dicitur à rebus auulsa; vnde restat Logicam solùm esse,& dicendam esse vtentem respectu partis Topicæ & Sophisticæ : quod sic declaratur. Quælibet scientia habet propria principia, quibus procedit in suis demonstrationibus,quæ, vt infrà

dicetur,

dicetur, sunt vltimum specificatiuum scientiæ, cùm sint ratio sub qua obiecti scientiæ, & sint lumen, per quod illuminatur & cognoscitur conclusio in scientia, & diiudicatur cuius sit scientiæ: eadem enim conclusio, vt elicitur per diuersa media, pertinet ad diuersas scientias: sicut terram esse rotundam, est conclusio Astrologiæ, si eliciatur per medium figuræ eclypsium; est autem conclusio Physica, si eliciatur per medium motus grauium ad centrum: hæc autem principia, quæ sunt media demonstrationum, vtpotè propria, sunt necessaria: cùm sint vel essentia obiecti, vel proprietates, vel causæ: vnde efficere tales demonstrationes, est illius scientiæ, cuius sunt principia: Logica verò solùm se habet vt dirigens, ad hoc vt illa principia rectè ordinentur in forma argumenti, vt ex illis necessaria conclusio deducatur: principia autem communia & probabilia, quæ eruuntur à locis Topicis, scilicet definitione, diuisione, coniugatis &c. quæ important pro formali intentiones rationis, sunt propria in toto rigore ipsius Logicæ; & idem dicendum de principiis Sophisticis; ac proinde argumenta probabilia vel Sophistica facta ex talibus principiis propriè & adæquatè pertinent ad Logicam, vt simul efficientem & dirigentem, & hoc, quia talia principia sunt propria Logicæ: sicut alia argumenta facta ex aliis principiis pertinent ad illas scientias, ad quas pertinent illa principia: & licet aliqua principia probabilia non includant aliquam secundam intentionem, vt sunt illa, quæ procedunt à causa, ab effectu &c. tamen cùm Logica sit instrumentum generale omnium scientiarum, & per ista principia paretur via ad cognitionem scientificam illorum, quæ in aliis scientiis pertractantur; argumenta probabilia ex illis facta pertinent ad Logicam saltem reductiuè.

Item sciendum est diuisionem Logicæ in docentem & vtentem, non esse diuisionem in duas res vel duas entitates realiter distinctas: sed in duas rationes formales, siue in duo munera eiusdem habitus, & ita idem habitus est Logica docens & vtens: ita tenent communiter Thomistæ & plures alij contra Suarez & Vasquez: & ratio est; nam si Logica docens distinguitur realiter à Logica vtente, vel hæc distinctio est specifica & essentialis, vel tantùm numerica & materialis. Non primum, cùm eadem sint principia secundarum intentionum Logicæ docentis & vtentis intra eandem abstractionem à materia; vnde desumitur specificatio habituum, vt postea dicetur. Non secundum, cùm duo accidentia solo numero distincta non possint reperiri in eodem subiecto, vt infrà probabitur in Metaphysica. Confirmatur vtraque pars. Qui scit modum conficiendi syllogismos, non indiget nouo habitu ad illos conficiendos, cùm in naturalibus non sit noua difficultas reducere in vsum præcepta scientiæ cognita; licet sit talis difficultas in moralibus ob obiectum arduum & corruptionem naturæ: vnde Logica docens & vtens non sunt duo habitus: sed vnus & idem habens hæc duo munera. Maximè cùm inter se habeant ordinem: possunt enim ab eodem habitu esse duo actus ordinati, vt docet D.Thom. 1.2. q. 28. art.4. vbi ait: Est autem contingens ex vno habitu plures actus eiusdem rationis ordinatos prouenire, quorum vnus sequatur ex altero: ex quo patet: quòd licet respectu diuersorum idem habitus scientiæ inferioris non possit simul esse practicus, & speculatiuus.

Probatur conclusio quoad omnes partes, authoritate D.Thom.4.Metaphysicæ lect.4. vbi fusè totam hanc materiam, & quantùm ad notanda & quantùm ad conclusionem pertractat; vnde integra hic apponitur, sic enim ait: Dialectica potest considerari secundùm quod est docens, & secundùm quod est vtens: secundùm quidem quod est docens, habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum, quo per eas procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas; & hoc demonstratiuè facit, & secundùm hoc est scientia. Vtens verò est, secundùm quod, modo adiuncto, vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientiis: & sic recedit à modo scientiæ. Et similiter dicendum est de Sophistica, quæ prout est docens, tradit per necessarias & demonstratiuas rationes, modum arguendi apparentem: secundùm verò quod est vtens, deficit à processu veræ argumentationis; sed in parte Logicæ, quæ dicitur Demonstratiua, solùm doctrina pertinet ad Logicam, vsus verò ad Philosophiam & ad alias particulares sciẽtias, quæ sunt de rebus naturæ: & hoc ideò; quia vsus Demonstratiuæ consistit in vtendo principiis rerum, de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinet, non vtendo intentionibus Logicis. Et sic apparet, quòd quædam partes Logicæ habent ipsam scientiam & doctrinam & vsum, sicuti Dialectica, Tentatiua & Sophistica; quædam autem doctrinam, & non vsum, sicut Demonstratiua. Hactenus D. Thom.

Probatur sigillatim prima pars Conclusionis. Logica docens quoad omnes suas partes est habitus per demonstrationem acquisitus; cùm possit aliquid demonstrari de qualibet parte Logicæ, sicut demonstrationem generare scientiam sic: syllogismus procedẽs ex veris, necessariis, notioribus & causis rei, generat scientiam: sed demonstratio est huiusmodi: ergo demonstratio generat scientiam. Similiter, sed viâ contrariâ potest demonstrari argumentum probabile & sophisticum non generare scientiam; & ita de qualibet parte Logicæ potest fieri aliqua demonstratio, vt vsu constat, & per illas demonstrationes acquiritur Logica: ac proinde Logica docens quoad omnes suas partes est habitus per demonstrationem acquisitus: ergo Logica docens secundùm omnes suas partes est vera scientia; cùm scientia nihil aliud sit, quàm habitus per demonstrationem acquisitus, vt constat ex definitione scientiæ communiter recepta.

Probatur secunda pars Conclusionis. Logica solùm est & dicitur vtens respectu partis Topicæ & Sophisticæ, vt patet ex authoritate D. Thom. & suprà dictis: sed vt vtitur istis partibus, non est scientia, cùm scientia vt sic, non inclinet primò & per se ad syllogismos probabiles & apparẽtes, at ad demonstratiuos & necessarios; & ita secundariò & ex consequenti tantùm non inclinat ad probabiles & apparentes: quia scientia primò & per se petit elicere assensus certos & infallibiles, qui solùm eliciuntur mediâ demonstratione; secundariò tamen elicit assensus opinatiuos & contingentes ac fallibiles, qui eliciuntur medio argumento probabili; omnes enim assensus isti licet tantùm probabiles, qui eliciuntur ex iisdem principiis, pertinent ad eandem scientiam; quia non habent specialem aliquam difficultatem supra assensus demonstratiuos primarios & perfectos illius scientiæ; & ita non requirunt distinctum habitum, à quo eliciantur; at continentur in virtute eiusdem scientiæ tanquam actus eius secundarij & imperfectiores; constat autem, quòd Logica vtens respectu partis Topicæ & Sophisticæ primò & per se inclinat, imò tantùm inclinat ad syllogismos probabiles & apparentes, vt per se patet; nam pars Topica & Sophystica versatur in constructione syllogismi solùm probabilis & apparentis, qui est tantùm de materia contingenti & incerta; licet illatio sit necessaria: ergo Logica vtens vt sic formaliter, non est scientia.

Secundò; Omnis vera scientia habet pro officio & fine demonstrare aliquam proprietatem de suo obiecto; ad hoc enim instituuntur scientiæ: sed Logica vtens vt sic formaliter nullam demonstrat proprietatem de ente rationis suo obiecto; nam vt sic tantùm versatur in construendis syllogismis, & solùm exequitur & reducit ad vsum præcepta & demonstrationes ipsius Logicæ docẽtis: ergo Logica vtens vt sic formaliter, non est scientia.

Tertiò, Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus, vt constat ex definitione scientiæ: sed Logica vtens vt sic formaliter, non est talis habitus; habitus enim productus assimilatur actui, quo producitur: constat autem quòd quæcumque demonstratio fiat, vel est actus alicuius scientiæ distinctæ à Logica secundùm diuersitatem materiæ, in qua fit; vel est actus Logicæ docentis, vt patet ex dictis; vnde quicumque habitus productus per demonstrationem, non potest esse Logica vtens:

vtens: ergo Logica vtens vt sic formaliter non est vera scientia.

Tertia pars conclusienis est manifesta ex dictis, nec vllam habet difficultatem, ex quo patet quòd Logica docens vt sic formaliter, vtpote vera scientia, habet veras demonstrationes: vt vtens verò, & vt immiscetur aliis scientiis, cùm vt sic non sit scientia, habet tantùm actus imperfectos, qui degenerant à ratione scientiæ, & sic Logica est quoddam instrumentum commune deseruiens omnibus aliis scientiis.

Ao primum ergo dicendum, quòd Philosophus in primo loco agit de Logica vt vtente formaliter secundùm partem Topicam, vt constat ex verbis sequentibus, & vt sic non est scientia, nec habet materiam determinatam: sed generaliter inquirit & inuenit rationes probabiles, vt disserat de omni materia. Ad secundum locum dicendum quòd solùm intendit dicere alias scientias non esse addiscendas simul cum Logica; sed priùs addiscendam esse Logicam, quia vt ibidem ait D. Thom. *Tradit modum procedendi in aliis scientiis.* Ad tertium locum dicendum, qoòd oon accipit ibi artem strictè vt distinguitur à scientia; sed pro habitu inclinante ad aliquam materiam, in quo est aliquid per modum cuiusdam operis, vt constructio syllogismi, qui habitus est per quamdam similitudinem ars, ex D.Th. 1.2. q.57. art.3. ad 3. Ad quartum locum dicendum; quòd Logicam esse instrumentum ad alias scientias comparandas, non tollit quin ipsa sit scientia: sed solùm addit qoòd deseruit aliis; licèt magis conueniat Logicæ vtenti, quàm docenti esse instrumentum. Ad vltimum dicendum sicut ad primum, quòd loquitur de Logica vt vtente secundùm partem Topicam tantùm.

Ao secundum dicendum, quòd Logica agit de ente rationis, quod est quid perpetuum, & necessarium; quamuis non hoc, vel illud, & prædicationes, quæ fiunt de ente rationis quoad sua prædicata essentialia, & proprietates sont necessariæ & æternæ rationis; & licèt agat de contingentibus & probabilibus, hoc tamen facit modo demonstratioo. Ad aliud dicendum; quòd proprietates euius rationes habent pro causa à qua dimanent essentiam ipsius entis rationis, sicut proprietates reales emanant ab essentia reali tanquam à causa; vnde noo est inconueniens quòd effectus rationis habeat causam rationis; & tamen etiam effectus rationis emanat à causa reali licet non primariò, sed secundariò, & per resultantiam. Ad aliud dicendum, quòd entitas, & scibilitas petuntur à diuerso principio: entitas enim petitur ab esse quod habet; scibilitas verò ab hoc quòd aliquid habeat proprietates demonstrabiles: vnde potest esse, quòd aliquid non sit ens simpliciter, & tamen scibile simpliciter: quamuis ex hac imperfectione & debilitate obiecti Logicæ, sequatur quòd non sit tam perfecta scientia, vt supra dictum est.

Ao tertium dicendum, quòd licèt Logica docens & vtens sint idem habitus realiter & entitatiuè: tamen sunt in eo diuersæ rationes formales, & secundùm vnam est scientia, & non secundùm aliam, & sofficit ista diuersitas rationum formalium ad tollendam contradictionem, vt patet infinitis exemplis: nam contradictio est affirmatio & negatio eiusdem de eodem secundùm eamdem rationem: vnde illa maior solùm concludit quòd ad verificandum propositionem debet res ita esse à parte rei, sicut in propositione ponitur, vel habere fundamentum à parte rei, vt ita ponatur: nam propositiones multoties fiunt de re, non vt est parte rei tantùm, sed vt concipitur propter fundameotum quod habet à parte rei, & de hoc etiam habentur multa exempla: nam propositiones exprimunt rem vt apprehensam per conceptum. Ad aliud dicendum quòd demonstrare aliquid de ente rationis, non est Logicæ vtentis, sed Logicæ docentis, vt patet ex dictis: ex his sequitur, quod Logica vtens entitatiuè & realiter acquiritur per demonstrationem, inquantùm est idem realis habitus cum docente; sed non formaliter sub ratione vtentis.

Articvlvs V.

Vtrùm Logica sit scientia speculatiua?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd Logica nullo modo sit speculatiua, sed tantùm prattica. Ita tenent Conimbricenses, Fonseca, & alij. Probatur. Illa scientia est simpliciter prattica, quæ habet pro fine opus factibile; sed Logica est huiusmodi, nam habet pro fine dirigere operationes intellectus ad conficiendas demonstrationes & syllogismos, & alia quæ fiunt à nobis: ergo Logica est simpliciter scientia prattica; sicut prudentia est habitus simpliciter pratticus, quia dirigit operationes aliquas intellectus. Deinde eiusdem rationis est dirigere operationes intellectus, ac dirigere operationes voluntatis; constat autem quòd scientiæ, quæ dirigunt operationes voluntatis sunt pratticæ. Confirmatur. Illa scientia est prattica simpliciter, quæ est proxima regula operandi, vt ex se patet: sed talis est Logica; nam tota versatur in hoc vt det præcepta, & regulas ad conficiendos syllogismos: ergo est scientia prattica. Et hoc maximè conuincit de Logica vtente, quæ nullo modo habet pro fine cootemplationem veritatis: sed solùm constructionem syllogismi.

§ 2. Prætereà, Scieotia speculatiua est propter se, vt docet Aristoteles 1. Metaphysicæ cap.2. & D. Thom. 6. Ethicor. lect. 6. nam perse est honorabilis: sed Logica non quæritur propter se, at propter alias scientias; cùm sit instrumentum generale ad omnes illas consequendas: ergo non est scientia speculatiua, at simpliciter prattica, & hoc necessariò colligitur ex Aristotele, qui 6. Metaphysicæ cap.1. diuidit scientiam speculatiuam in Physicam, Mathematicam & Metaphysicam, nullam facit mentionem Logicæ. Confirmatur. Scientiæ speculatiuæ sunt nobiliores pratticis ex Philosopho 6. Metaphysicæ textu 2. vbi sic ait. *Theorica aliis scientiis desiderabiliores & præponendæ sunt:* Sed Logica est ignobilior omnibus scientiis pratticis; cùm habeat obiectum ignobilius & minus certum: ergo Logica nullo modo est scientia speculatiua, at tantùm prattica.

§ 3. Prætereà. Videtur quòd Logica non sit simpliciter speculatiua; sed simul speculatiua & prattica. Ita tenent Vasques, Ruuius, Hurtado, & alij in præsenti. Probatur authoritate D.Th.2.2.q.47.art.2.ad 3. vbi dicit Logicam esse speculatiuam artem: sed ars dicit praxim: ergo Logica est simul prattica, & speculatiua. Confirmatur. Logica contemplatur naturam sui obiecti procedendo modo resolutorio, qui pertinet & ordinatur ad contemplationem; procedit etiam modo compositorio, qui est essentialis scientiæ pratticæ; nam introducit formam syllogismi in materiam: ergo simul est speculatiua & prattica.

§ 4 Prætereà. Logica est ianua, & instrumentum ad alias omnes scientias, tam speculatiuas, quàm pratticas comparandas: ergo cùm debeat esse proportio inter instrumentum, & illud quod fit per instrumentum, Logica simul erit speculatiua & prattica. Maximè cùm non repugnet idem esse speculatiuum & pratticum; nam D.Thom. 1. part. quæst. 79. art. 11. dicit speculatiuum & pratticum esse differentias accidentales respectu eiusdem intellectus, item eadem 1. part. q. 1. art. 4. docet, & communiter acceptatur Theologiam simul esse pratticam & speculatiuam.

Sed contra est expressa authoritas S. Aug. 8. De ciuitate Dei, cap. 4. & D. Thom. quos sequuntur communiter omnes Thomistæ, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm Logica versetur tantùm circa actus rationis: simpliciter, & absolutè est tantùm speculatiua.

Respondeo dicendum, quòd Logica non est simul speculatiua & prattica. 2. Sed est simpliciter, & absolutè tantùm speculatiua. 3. Quamuis secundùm quid & per quamdam analogiam possit dici prattica & ars. Ad cuius euidentiam sciendum est Logicam non esse plures

res ſcientias : ſed vnicam ſcientiam ſpecie. Et ratio eſt manifeſta : nam illa ſcientia eſt vna vnitate ſpecifica, quæ habet vnicam rationem formalem (quæ) & (ſub qua) vt infrà probandum remittitur ; ex his enim rationibus conſtituitur quælibet ſcientia, & diſtinguitur ab aliis;ſed Logica habet vnicam rationem formalem (quæ) ſcilicet ens rationis, vt ſuprà dictum eſt, & etiam vnicam rationem formalem (ſub qua) ſiue intelligas abſtractionem ab omni materia tam ſenſibili quàm intelligibili ; ſiue intelligas ipſa media & principia quibus in ſuis probationibus procedit ; ſunt enim omnia principia ſecundarum intentionum : ergo Logica eſt vna ſimplex ſcientia. Vnde ſcientiæ habent ſuam vnitatem,vel diſtinctionem genericam à ratione formali (ſub qua) ſecundùm quòd dicunt abſtractionem à materia,& ſic quæ abſtrahunt ſolùm à materia ſingulari, ſed non communi, vt Phyſica, diſtinguuntur genere ab aliis, quæ abſtrahunt à materia ſenſibili etiam communi, vt ſunt Mathematicæ, & iſtæ diſtinguuntur genere ab aliis, quæ abſtrahunt ab omni materia,etiam intelligibili, vt eſt Metaphyſica, & noſtra Logica : ad vnitatem ſpecificam ſcientiæ requiritur vnitas ſpecifica rationis formalis (ſub qua) vt importat principia ipſius ſcientiæ, quam conſequitur ordinatiò vnitas rationis formalis (quæ) ab diſtinctionem verò ſpecificam ſufficit diuerſitas, vel rationis formalis (quæ)vel rationis formalis,(ſub qua). Vnitas verò, & diſtinctio numerica ſcientiæ deſumitur à ſubiecto in quo eſt;maior verò diſtinctio includit minorem,quæ enim diſtinguuntur genere,diſtinguuntur etiam ſpecie & numero. Et quæ diſtinguuntur ſpecie, diſtinguuntur numero.

Item ſciendum eſt ſcientiam non eſſe eſſentialiter collectionem ſpecierum contra Capreolum, & alios extra ſcholam D. Thom. Licet enim S. Doctor id videatur aſſerere in aliquibus locis, pluribus tamen contrarium aſſerit : vnde quando dicit ſcientiam eſſe collectionem ſpecierum, ſic explicatur à Thomiſtis, vt intelligitur fundamentaliter, ſiue inchoatiuè : quia ad generationem ſcientiæ prærequiruntur ſpecies coordinatæ repræſentantes, per ipſas propoſitiones, quibus conficitur demonſtratio, per quam generatur ſcientia, vel vt intelligatur concomitanter ; nam præter habitum ſcientiæ ſunt in nobis ſpecies repræſentantes diuerſas materias talis ſcientiæ, & varias concluſiones elicitas in tali ſcientia; vnde dicendum breuiter (quòd infrà fuſiùs explicabitur) ſcientiam eſſentialiter conſideratam eſſe ſimplicem qualitatem ſub ſpecie habitus, quæ nihil aliud eſt, quàm quædam habilitas per primam demonſtrationem factam in illa materia, de qua agit, producta in potentia intellectiua, per quam ipſa potentia inclinatur & redditur idonea ad faciliter, promptè, ordinatè & delectabiliter pertractandam illam materiam, circa quam verſatur talis ſcientia.Item ſciendum eſt Logicam diuidi in tres partes iuxta triplicem mentis operationem, ad cuius directionem ordinatur, ſicut ad finem remotum. In prima parte, quæ continet librum categoriarum (cuius eſt quædam introductio tractatus de vniuerſalibus)agitur de ſimplicibus, quæ correſpondent ſimplici mentis apprehenſioni ; categoria enim eſt ſeries quædam generum & ſpecierum. In ſecunda parte, quæ continet libros de interpretatione, agitur de oratione, propoſitione & enunciatione, In quibus verſatur compoſitio & diuiſio, quæ eſt ſecunda mentis operatio. In tertia parte, quæ complectitur libros de priori & poſteriori Analiſi, Topicorum & Elenchorum, agitur de argumentatione ; in genere quidem in libris de priori Analiſi ; in ſpecie verò in aliis libris : nam in libris de poſteriori Analiſi agitur de demonſtratione ; in Topicis de argumentatione probabili, & in Elenchis de apparenti, quæ omnia pertinent ad tertiam mentis operationem, quæ dicitur illatio.

Item ſciendum eſt illam ſcientiam dici ſpeculatiuam, quæ in conſideratione & contemplatione ſui obiecti ſiſtit,nec ordinatur ad opus, quid autem ſit ſcientia prattica,patebit,ſi intelligatur, quid ſit praxis : definitur igitur praxis,vt ſit actio alterius potentiæ ab intellectu,natura poſterior intellectione, quæ vt recta cenſeatur, debet eſſe conſona rectæ rationi, & hæc definitio eſt communiter recepta in ſchola & extra ſcholam D.Thom. ex qua multa colliguntur. Primò,illas actiones non eſſe praxes, ſiue pratticas, quæ ſunt priores intellectione, ſicut ſunt actiones partis vegetatiuæ,& illæ etiam partis ſenſitiuæ, quæ antecedunt intellectionem, nec vllam habent ab illa dependentiam. Secundò per ly, alterius potentiæ, intelligitur voluntas, vnde ſolæ actiones voluntatis ſunt pratticæ, quæ neceſſariò ſunt poſteriores intellectione; nihil enim volitum, quin præcognitum : ſed duplex eſt actio voluntatis. Vna elicita,vt velle,amare,frui &c. iſta eſt intrinſecè & eſſentialiter prattica. Alia eſt actio imperata à voluntate, vt ſcribere, currere, & quæcumque alia actio etiam intellectus, quæ ſequitur ad imperium, vel motionem voluntatis, & iſta eſt extinſecè, ſiue ſecundariò prattica, & hoc modo pratticum ſe extendit non ſolùm ad operationes voluntatis, ſed etiam ad quaſcumque alias operationes, & factiones, quæ cadunt ſub electione : vnde hoc nomen pratticum non adæquatur aliquo nomine Latino ; licet aliqualiter explicetur per iſta tria, operatiuum, actiuum & factiuum. Operatiuum latiùs patet;nam ambit etiam ſpeculationem, quæ eſt vera operatio actiuum verò dicit ſolam actionem immanentem, circa quam verſatur prudentia. Factiuum verò dicit ſolam actionem tranſeuntem, circa quam eſt ars : quamuis aliquando iſta confundantur. Proportione ſeruatà, id quod dictum eſt de actibus, dicendum eſt de habitibus, & potentiis : nam illi habitus ſunt ſpeculatiui vel prattici, qui eliciunt actus ſpeculatiuos vel pratticos; habitus enim ſpecificantur ex actibus adæquatis : illæ etiam potentiæ ſunt ſpeculatiuæ, vel pratticæ, quæ ad ſuas operationes perficiuntur habitibus ſpeculatiuis vel pratticis : Tertiò colligitur,in intellectu eſſentialiter non reperiri praxim, ſed ſolùm extenſiuè, id eſt, actus intellectus vt ſic abſolutè conſideratus, non eſt pratticus, ſed tantùm, Vel ex eo quòd cadit ſub electione libera voluntatis,(quæ eſſentialiter eſt praxis) ſicut cadunt alij actus etiam externi, & ſic à voluntate ordinatur ad operationem alterius : Vel ex eo,quòd per prudentiam dirigit praxim, & alias operationes pratticas. Ita tenet tam ſchola Thomiſtica, quàm Scotica : diſſentiunt tamen Molina, Suares,Zumel & alij, quos citat Gallego controuerſia 5. Probatur tamen ex Ariſtotele 3. de anima, cap. 10. vbi hæc habet. *Hæc igitur ambo intellectus, & appetitus mouendi motu distincte principia ſunt : intellectus, inquam, is, qui alicuius gratia ratiocinatur ; quique principium eſt agendi, atque hic fine ab intellectu contemplatiuo differt.* Quando dicitur principium agendi, intelligitur reſpectu alterius potentiæ : nam contemplatiuus etiam intellectus, eſt ſibi principium agendi ; & tamen Philoſophus iſtum intellectum à contemplatiuo diſtinguit : ecce quomodo aſſerat intellectum extenſione fieri pratticum. D. Thom. citat iſtum locum Philoſophi 1. p. quæſt.79. art.11. in arg.ſed contrà,vbi ſic ait. *Sed contrà eſt, quod dicitur in 3. de anima, quòd intellectus ſpeculatiuus per extenſionem fit pratticus* : & in corpore articuli ait. *Sola extenſio ad opus facit aliquem intellectum eſſe pratticum.* Item quæſt. 14. de veritate, art.4. ſic ait. *Intellectus pratticus idem eſt, quòd intellectus operatiuus; vnde ſola extenſio ad opus facit aliquem intellectum eſſe pratticum* ; & ratio iſtorum eſt manifeſta : nam ille actus, eſt praxis ex Ariſtotele, qui non verſatur circa veritatem, ſic enim ait 2. Metaph. cap.2. *ſpeculatiuæ etenim finis, veritas ; prattica autem, opus* : quem locum exponens Commentator com. 3. ait, *Per ſpeculatiuam ſcimus, vt ſciamus ; per pratticam verò ſumus ſcientes, vt operemur, quia prattica finis opus* : Sed omnis actus intellectus vt ſic verſatur in conſideratione veritatis, vt conſtat ex hac etiam authoritate : ergo nullus actus intellectus eſt praxis ſecundùm ſe abſolutè ; quamuis extenſione poſſit fieri pratticus ; ſola enim electio voluntatis dicitur praxis, alia ab ipſa dicuntur prattica. Hæc ratio poteſt confirmari multis authoritatibus D.Th. 1.2. quæſt. 57.

quæst.57. art.1. ad 1. ait. *Practicum, vel operatiuum, quod diuiditur, contra, speculatiuum sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculatiuus; sed tantùm ad interius opus intellectus, quod est speculari verum:* Ecce quomodo actus intellectus absolutè consideratus habet solùm speculari verum, vnde nullus potest esse praxis; sed solùm potest fieri practicus, vel vt dirigit praxim, scilicet electionem voluntatis, vel dirigitur ab ipsa. Ex his soluuntur omnia, quæ in contrarium possunt obiici; conceditur enim, quòd aliqui actus intellectus sunt practici, qui imperantur & regulantur à prudentia: sed hoc non petunt, nec habent formaliter vt actus intellectus; sed vt sunt actus virtutis, quod habent ab actu voluntatis: vnde sicut secundùm se non sunt boni, nec mali moraliter; sed hoc habent à voluntate, ita nec ex se sunt practici, sed hoc habent à voluntate. Ex omnibus dictis colligitur, quòd scientia speculatiua est illa, quæ solùm habet versari in consideratione sui obiecti, nec exit extra intellectum, & ad hoc sufficit, quòd obiectum eius sit purè speculabile, & nullo modo operabile: nam si ita sit, finis intrinsecus scientiæ erit sola speculatio, & in illud tendet modo solùm speculatiuo; vnde purè, & absolutè secundùm omnia erit speculatiua. Scientia verò practica est illa, quæ versatur circa praxim, siue quæ dirigit operationes alterius potentiæ ab intellectu, ad quod non sufficit, quòd obiectum illius sit practicum, sed etiam requiritur, quòd tendat in illud modo practico; si enim tendet modo speculatiuo non habens pro fine operationem, erit scientia speculatiua, quamuis de re practica, ex D.Thom.1. part. quæst.14. art.16. vbi sic ait. *Si ædificator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantùm, erit quantùm ad finem speculatiua; consideratio tamen de re operabili:* Vnde patet, quòd scientia speculatiua & practica fine differunt, fine inquam scientiæ, non scientis: nam finis speculatiuæ est cognitio rei solùm, vt cognoscatur, & non vt operetur: finis verò practicæ est cognitio rei potiùs, vt operetur, quàm vt cognoscatur: cùm enim hæc cognitio sit proxima regula operandi, debet immediatè, primò & per se ordinari ad opus, aliàs cognitio potiùs erit speculatiua, vt patet ex citato loco D.Thom. & ex Philosopho 2. Metaph. cap.1. vbi ait: *Practicum non considerare causam secundùm se, sed in ordine ad opus:* Differunt etiam ex parte principij: nam ex Aristotele 11. Metaph. cap.6. & 6. Ethic. cap. 1. in speculatiuis principium est in ipsis rebus: nam ab ipsis accipimus cognitionem, quæ ab ipsis mensuratur, vnde res sunt principium, & mensura cognitionis nostræ; in practicis autem principium est in nobis: nam sumus causa actuum & rerum, quarum mensura est nostra scientia, & tunc sunt veræ & perfectæ, quando conformantur nostræ scientiæ: sicut econtrà cognitio speculatiua est vera, quando rebus ipsis conformatur.

Probatur prima pars Conclusionis: Logica est habitus scientiæ inferioris, & qui procedit ex principiis merè naturalibus: sed est impossibile, quòd talis habitus sit simul practicus, & speculatiuus; nam vt colligitur ex Aristotele 6. Metaph. cap.1. & expresè docet D. Thom, 1.p. quæst.1. art.4. & cum eo communiter eius discipuli, practicum, & speculatiuum formaliter considerata, vt reperiuntur in habitibus inferioris ordinis, sunt differentiæ essentiales se inuicem excludentes; cùm emanent ab obiecto formali: constat autem, quod obiectum formale non potest esse simul practicum & speculatiuum in scientiis inferioribus, & hoc patet ex diuerso eorum modo tendendi; nam in obiectum speculatiuum tendimus modo resolutorio resoluentes cognitionem ad prima principia: in practicum verò tendimus modo compositorio descendendo ab vniuersalioribus ad particularia, qui modi tendendi sunt omnino incompossibiles eidem scientiæ inferiori, & consequenter idem non potest esse obiectum formale practicum & speculatiuum respectu scientiæ inferioris: ergo Logica non est simul speculatiua, & practica.

Secundò. Scientiæ inferioris ordinis prima diuisione diuiduntur in practicas, & speculatiuas, tanquam in genera: deinde quodlibet membrum in plures species; constat autem, quòd datur distinctio specifica & essentialis inter scientias speculatiuas ob diuersam rationem speculabilitatis, quæ reperitur in earum obiectis; consequenter multò magis dabitur distinctio essentialis inter scientias practicas & speculatiuas, quæ maiori distinctione formali, scilicet genericâ distinguuntur: & ita respectu scientiæ inferioris practicum, & speculatiuum sunt differentiæ essentiales; vnde vni & eidem scientiæ inferiori non possunt conuenire: sed Logica, vt ex supradictis patet, est omnium scientiarum infima propter ignobilitatem & incertitudinem sui obiecti: ergo non est simul practica, & speculatiua. Confirmatur. Scientiæ practicæ, & speculatiuæ ordinis inferioris, siue procedentes ex principiis merè naturalibus dependent, subordinantur & diriguntur ab habitibus principiorum essentialiter diuersis; practicæ à synderesi; speculatiuæ ab intellectu; ergo si isti habitus principiorum specificè, & essentialiter differant, vt docet D.Thom. 1.part. quæst.57. art. 12. (cùm tamen quilibet ipsorum se extendat ad plures scientias essentialiter diuersas) multò magis habitus speculatiuus scientiæ, qui subordinatur intellectui, & habitus practicus, qui subordinatur synderesi essentialiter differunt; & ita practicum & speculatiuum sunt differentiæ essentiales se inuicem excludentes respectu eiusdem habitus inferioris, qualis est Logica. Respondet Vasques practicum, & speculatiuum tunc solùm esse differentias essentiales, quando vnumquodque respicitur adæquatè ab aliqua scientia; non autem quando respicitur inadæquatè: vnde vt sic non se inuicem excludunt, sed eidem scientiæ possunt conuenire, vt patet in Theologia, quæ simul est practica & speculatiua: sed contra. Primò: nam hæc solutio videtur præpostera; non enim sequitur, nisi à posteriori tanquam à signo quòd aliqua sint essentialiter diuersa, vel non sint; quia possunt, vel non possunt respici ab eadem scientia: prius enim res supponitur esse talis in se, quàm in ordine ad aliud extrinsecum; vnde potiùs dicendum erit aliquas rationes posse, vel non posse respici ab eadem scientia, quia sunt, vel non sunt essentialiter inter se diuersæ. Secundò, implicat, quòd aliqua duo obiecta, quæ respiciuntur à duabus potentiis vel habitibus secundùm aliquas duas rationes adæquatè, secundùm easdemmet respiciantur inadæquatè ab alia tertia potentia, vel habitu; sed si respiciantur ab illa tertia, hoc debet fieri sub alia ratione superiori, in qua eminenter & virtualiter contineantur, & adunentur aliæ diuersæ rationes inferiores, vt patet in exemplo, quod adducit D.Thom. 1. p. quæst.1. art. 3. nam ex eo quòd color & sonus respiciuntur adæquatè à visu & auditu secundùm proprias, & specificas rationes; implicat quòd secundùm easdem respiciantur à sensu communi, etiam inadæquatè, sed debent ab illo respici secundùm aliquam rationem superiorem eminenter continentem rationes particulares obiectorum sensuum exteriorum; alioquin sensus communis non esset potentia distincta à sensibus exterioribus, sed quid aggregatum ex illis: & ita proportionaliter practicum, & speculatiuum, eo quòd secundùm proprias rationes respiciuntur adæquatè ab aliquibus scientiis inferioribus, non possunt secundùm easdemmet rationes respici ab alia scientia inferiori, qualis est Logica etiam inadæquatè: quamuis secundùm aliquam superiorem rationem possint ab aliqua scientia superiori, qualis est Theologia, considerari, quæ ob suam excellentiam & eminentiam in sua ratione formali, (quæ deitatis) & sub ratione sub qua reuelationis diuinæ virtualis plurima contemplatur vt vnum, quæ diuiduntur secundùm alias rationes particulares in multis scientiis: hæc est doctrina D.Thom. loco citato.

Probatur secunda pars Conclusionis authoritate D. Th.1.2. quæst.57. art.3. ad 3. vbi sic ait. *Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis, putà constructio syllogismi, aut orationis congruæ, aut*

opus numerandi, vel menſurandi; & ideò quicumque ad huiuſmodi opera rationis habitus ſpeculatiui ordinantur, dicuntur per quamdã ſimilitudinem artes. Ecce quomodo S. Doctor docet non quodcumque opus tollere ab habitu rationem ſpeculatiui; quamuis ratione illius operis per quamdam ſimilitudinem dicatur ars liberalis (vt ſubiungit) ad differentiam illarum artium, quæ ordinantur ad opera per corpus exercita. Idem docet 2.2. quæſt. 51 art. 2. ad 3. vbi ſic ait: *etiam in ſpeculatiuis alia rationalis ſcientia eſt Dialectica, quæ ordinatur ad inquiſitionem inuentiuam, & alia ſcientia demonſtratiua, quæ eſt veritatis determinatiua*: ergo ex D. Thom. Logica eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua, provt ſpeculatiuum diſtinguitur à practico, vt patet ex argumento, qui reſpondet loco citato, & non ſolùm ſecundùm partem demonſtratiuam, ſed etiam ſecundùm partem Topicam, vt conſtat ex ipſa authoritate, & idem dicendum eſt de parte Sophiſtica.

Secundò. Opus, ſiue actus, quos dirigit Logica, non ſunt praxis, ſed ſpeculatio; cùm ſint actus intellectus, ſiue mentis operationes: ergo Logica non eſt practica, ſed ſimpliciter & abſolutè ſpeculatiua; nam ſcientia illa dicitur practica, quæ dirigit praxim, vel immediatè, ſcilicet actiones ſiue operationes, quorum principium immediatum eſt electio; vel mediatè, ſcilicet factiones ſiue actiones tranſeuntes: & ita non quilibet actus, qui quomodocumque procedit ab electione, poteſt dici actus ſcientiæ actiuæ vel practicæ, ſed ſolùm illi, qui formaliter & per ſe, non verò accidentariò procedunt ab electione; illi autem tales actus ſunt opera virtutis, quæ ſicut intrinſecè & eſſentialiter includunt moralitatem; ſic eſſentialiter ſunt liberi procedentes formaliter ab electione: ſed actibus intellectus, quos dirigit Logica, accidentariò conuenit eſſe quid motale, & procedere ab electione: nam æqualiter diriguntur à Logica, ſiue ſint liberi ſiue neceſſarij; & per hoc ſoluitur ratio Vaſquis, qui infert actus Logicæ eſſe practicos, quia poſſunt procedere ab electione; ſi enim aliquid probaret, probaret nullam ſcientiam eſſe ſpeculatiuam; quia nulla eſt ſcientia, cuius actus non poſſint dependere ab electione. Vnde dicendum eſt tales actus ſolùm poſſe dici practicos, provt induunt rationem virtutis moralis, quod illis eſt accidentarium & ab extrinſeco; ſcilicet ab electione: ſimplicitet tamen ſecundùm intrinſeca; ſcilicet vt ſunt actus intellectus, ſunt ſpeculatiui, & ſub iſta ratione illos conſiderat Logica, & non ſub alia: vnde quandn dicitur, quòd ſcientia, quæ dirigit ad opus, eſt practica, diſtingnendum eſt, ſi opus eſt praxis, vel eſſentialiter ſupponens praxim, concedendum eſt: ſi autem opus ſit ſpeculatio, negandum.

Tertiò. Si quæ eſſet ratio, cur Logica eſſet practica, eſt, quia efficit aliquod opus, ſcilicet ſyllogiſmos, hoc enim eſt vnicum fundamentum aduerſariorum: ſed hæc ratio non facit, quòd ſit practica, nec obſtat, quin ſit ſpeculatiua; nam opus rationis non abſtrahit à ratione ſpeculatiui; cùm tale opus ordinetur ad cognitionem veritatis, vt patet in Mathematicis, quæ ex Ariſtotele 6. Metaph. textu 2. ſunt maximè ſpeculatiuæ, & tamen faciunt triangulos, ſphæras, aſtrolabia &c. quia iſta ordinantur ad cognitionem veritatis, nec per ſe intenduntur iſtà opera; at ſolùm intenduntur ad conſequendam veritatem: ſed opus quod efficit Logica, eſt opus rationis, vt per ſe patet in ſyllogiſmis, nec illos facit, vt faciat; quaſi factio illorum ſit per ſe intenta; at ordinat illos ad cognoſcendam veritatem: ergo Logica ſimpliciter & abſolutè eſt tantùm ſpeculatiua, non ſolùm vt docens, ſed etiam vt vtens: licet enim, vt ſic, non ſit ſcientia; non tamen eſt propriè ars, aut practica; nam terminatur ad actus intellectus, qui non ſunt praxis, nec operatur eà intentione, vt operetur, ſed vt cognoſcat.

Probatur tertia pars Concluſionis authoritate D. Th. opuſc. 70. vbi dicit ſcientias illas dici ſpeculatiuas ſine limitatione, quæ ſunt de illis, quorum cognitio quæritur propter ſeipſam: ſed cognitio rerum, de quibus agitur in Logica, non quæritur propter ſeipſam, ſed vt adminiculum quoddam ad alias ſcientias, & ideò Logica non continetur ſub Philoſophia ſpeculatiua, quaſi principalis pars, ſed quaſi quoddam reductum ad eam, provt miniſtrat ſpeculationi ſua inſtrumenta, ſcilicet ſyllogiſmos, definitiones & alia huiuſmodi, quibus in ſpeculatiuis ſcientiis indigemus; & propter hanc rationem Ariſtoteles non numerauit Logicam inter ſcientias ſpeculatiuas. Deinde Logica in ſuis operibus habet aliquam ſimilitudinem cum artibus propriè dictis: ergo ſecundùm quid, & per quamdam analogiam poteſt dici practica & ars: ſicut propter eamdem rationem Geometria & Arithmetica denominantur artes ſecundùm quid; licet ſint ſcientiæ ſpeculatiuæ ſimpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi tale opus ſit opus rationis, & ordinatum ad cognitionem veritatis, ſcientia ad ipſum ordinata non eſt practica, ſed ſpeculatiua vt patet ex dictis: nec inſtantia eſt ad propoſitum; prudentia enim ideo eſt practica præciſè, quia primò & per ſe ordinatur ad dirigendas actiones voluntatis, quæ eſſentialiter ſunt practicæ: eſſe autem practicum, eſt accidentarium operationibus intellectus, vt dictum eſt, & in hoc conſiſtit diſparitas. Ad confirmationem ſimiliter dicendum, quòd maior eſt falſa, ſi opus ſit opus rationis, & maximè ſi vlteriùs ordinetur ad cognitionem veritatis, & non quæratur propter ſe, quod contingit in Logica: ad minorem dicendum, quòd etiam eſt falſa provt attingit Logicam docentem; nam ipſa eſt ſpeculatiua ſui obiecti; & præcepta, quæ tradit ad conficiendos ſyllogiſmos, pertinent ad ſpeculationem: ipſi etiam ſyllogiſmi ordinantur ad cognitionem veritatis; nam Logica docens conſiderat naturam ſyllogiſmi, & ipſa factione, quæ facilè conſequitur ad talem cognitionem, perficitur talis cognitio, & alia etiam cognoſcuntur.

Ad ſecundum dicendum, quòd Logica quæritur, & propter ſe, cum ſit ſcientia particularis; & etiam quæritur propter alias ſcientia, in quantùm eſt inſtrumentum generale ad omnes ſcientias comparandas, miniſtrans earum ſpeculationi ſua inſtrumenta, ſcilicet definitiones, ſyllogiſmos &c. propter quod Ariſtoteles loco citato non numerauit Logicam inter ſcientias ſpeculatiuas. Ad confirmationem dicendum, quòd Ariſtoteles in illo loco comparat ſolùm ſcientias ſpeculatiuas principales cum practicis: vnde cum Logica non ſit ſcientia ſpeculatiua principalis, ſed miniſtra aliarum, non eſt ſimpliciter nobilior ſcientiis practicis: quamuis ſecundùm quid ſit nobilior ratione modi tendendi in obiectum ſpeculatiuè.

Ad tertium dicendum, quòd ars non eſt ſemper practica, nam vt conſtat ex D. Thom. aliquæ artes ſunt ſpeculatiuæ, quando ſcilicet opus ab illis confectum, eſt opus rationis, & ordinatum ad cognitionem veritatis. Ad confirmationem dicendum, quòd quando compoſitio, ſiue introductio formæ in materiam, fit ſolùm in intellectu, non infert praxim, cùm tota ordinetur ad cognitionem veritatis: & ideò talis compoſitio non poteſt conſtituere, nec denominare ſcientias practicas.

Ad quartum dicendum, quòd Logica eſt quidem innua ad omnes ſcientias: tamen vt ſcientiæ ſunt, ſcilicet vt ſcientificè, & ordinatè procedant in ſuis demonſtrationibus, in quo conueniunt omnes ſcientiæ, tam ſpeculatiuę, quàm practicæ: non autem facit Logica, quòd ſint practicæ, ſed aliunde habent; vnde totum quod habent à Logica, etiam præcepta, quæ docent quomodo practicè ſit procedendum, pertinent ad ſpeculationem; licet propter hoc poſſit aliquo modo dici ſcilicet extrinſecè ars, vt dictum eſt: ſimpliciter tamen eſt ſpeculatiua. Ad aliud dicendum, ſicut iam dictum eſt, loquendo de ſcientia inferiori, quòd practicum & ſpeculatiuum ſunt differentiæ eſſentiales ſe inuicem excludentes; vnde ad primam inſtantiam dicendum, quòd potentiæ reſpiciunt ſuum obiectum ſub altiori & vniuerſaliori ratione, propter quod in vna potentia ſunt plures habitus, & ita eſt magna diſparitas inter potentias & ſcientias: intellectus igitur habet pro obiecto verum, quod ſe extendit ad ſpeculatiuum, & practicum. Ad aliam inſtantiam, iam di-

dictum

ctum eſt, quòd Theologia, cùm ſit quædam participatio ſcientiæ Dei & Beatorum, ac procedat ex principiis fidei, ſub altiori ratione reſpicit ſuum obiectum, & ideò non eſt mirum, ſi ſe extendat ad plura, ſcilicet ad practicum & ſpeculatiuum, ad quæ non poſſunt ſe extendere ſcientiæ inferiores propter ſuas rationes limitatas.

Articvlvs VI.

Vtrùm Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas.

AD Sextvm ſic procedítur. Videtur, quòd Logica non ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas etiam in ſtatu perfecto. Ita tenent aliqui. Probatur. Multi ſunt, qui acquiſierunt varias ſcientias, etiā in ſtatu perfecto ſine Logica, imò experientiâ conſtat, quòd multi addiſcunt Mathematicas ſine illa, & ideo illas primò docendas monebat Plato; Socrates ſine Logica didicit Philoſophiam moralem; Sancti Bernardus, Gregorius, Ambroſius didicerunt Theologiam, Hypocrates Medicinam, & alij ius ciuile & canonicum ſine Logica: ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas in ſtatu perfecto. Confirmatur. Habitus naturales non dantur ad ſimpliciter poſſe, ſed ad faciliùs poſſe; conſtat autem, quòd Logica eſt habitus naturalis: ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas, ſed tantùm ad meliùs & faciliùs acquirendas.

§ 2. Prætereà, ſi Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias, erit etiam ſimpliciter neceſſaria ad acquirendam ſeipſam; cùm ſit ad minus æquè difficilis, ac aliæ ſcientiæ; & ita deberet præſupponi ad ſeipſam, quod eſt ridiculum: ergo ſi non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſeipſam acquirendam, nec eſt ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias. Confirmatur. Poſſunt aliæ ſcientiæ acquiri ſine Logica in ſtatu imperfecto per aliquam facilem demonſtrationem: ergo & in ſtatu perfecto; quia quælibet ſcientia dat facilitatem intellectui, vt definiat, diuidat & argumentetur in propria materia, ac proinde non eſt opus Logica, vt perficiatur talis ſcientia.

§ 3. Econtrà. Videtur, quòd Logica ſit omninò, & ſimpliciter neceſſaria ad acquirēdas alias ſcientias, etiam in ſtatu imperfecto. Ita tenent Araujo 2. Metaph. quæſt. 3. art. 3. Gallego, & alij in præſenti. Probatur authoritate Auguſt. lib. 2. de ordine, cap. 13. vbi ſic ait. *Diſciplina diſciplinarum, quam Logicam vocant, hæc docet diſcere, hæc ſola ſcientes facere poteſt.* Confirmatur. Scientia etiam imperfecta eſt vera ſcientia: ſed nulla ſcientia poteſt acquiri ſine Logica; nam ſcientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, conſtat autem, quòd non poteſt fieri demonſtratio ſine Logica, cùm illius ſolùm ſit tradere præcepta demonſtrationis, & reſoluere concluſiones vſque ad prima principia; imò hæ ſunt difficillimæ materiæ, quæ tractantur in Logica: ergo ſine Logica nulla ſcientia poteſt acquiri etiam in ſtatu imperfecto.

§ 4. Præterea. Ad rationem aſſenſus ſcientifici requiritur, quòd ſit certus & euidens, & per hoc diſtinguitur ab opinione & fide: ſed ſine tali aſſenſu non poteſt acquiri ſcientia nec haberi etiam in ſtatu imperfecto, nec etiam ſine Logica poteſt haberi talis aſſenſus, cum dependeat ex diſpoſitione præmiſſarum ſub forma medij & concluſionis, quod eſt opus Logicæ, dependet etiam ex reſolutione ad prima principia, quod etiam eſt opus Logicæ, vt docet D. Thom. 1. poſter. lect. 1. ſic dicens. *Quia iudicium certum de effectibus haberi non poteſt, niſi reſoluendo in prima principia, ideo pars hæc Analitica vocatur id eſt reſolutoria;* Certitudo autem iudicij, quæ per reſolutionem habetur, eſt vel ipſa forma ſyllogiſmi tantùm; & ad hoc ordinatur liber priorum Analiticorum, qui eſt de ſyllogiſmo, vel cum hac materia, quia ſequuntur propoſitiones per ſe & neceſſariæ, & ad hoc ordinatur liber poſteriorum Analiticorum, qui eſt de ſyllogiſmo demonſtratiuo. Confirmatur. Logica eſt cauſa vniuerſalis concurrens ad actus omnium ſcientiarum: ergo etiam ad imperfectos ſi ſint ſcientifici.

Sed contra, eſt authoritas Ariſtotelis, quam ſequuntur noſtri Complutenſes, noſter Didacus, Maſius, & communiter Thomiſtæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm experientiâ conſtet aliquos ſine Logica imperfectè acquirere alias ſcientias, & nullum ſine Logica illas perfectè acquirere: Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias in ſtatu perfecto acquirendas, non autem ad eas ſub ſtatu imperfecto acquirendas.

Respondeo dicendum, quòd Logica eſt omninò & ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias in ſtatu perfecto, id eſt, ſecundùm ſeriem omnium, vel ferè omnium concluſionum, quæ in illis demonſtrantur. 2. Non tamen eſt ſimpliciter neceſſaria: ſed tantùm ad melius eſſe ad illas acquirendas ſub ſtatu imperfecto quantùm ad aliquas concluſiones faciles. 3. Vnde ante omnes alias ſcientias eſt tradenda. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt neceſſarium definiri ab Ariſtotele. 5. Metaphyſic. cap. 5. eſſe illud, quod aliter ſe habere non poteſt: à D. Thom. 2. Phyſic. lect. 8. quod in ſui natura habet, quòd non poſſit non eſſe, ſiue ab aliis, quod determinatum eſt ad eſſe. Neceſſarium eſt duplex; vnum ſimpliciter, quod abſolutè & independenter à quocumque alio habet in ſui natura, quòd non poſſit non eſſe, & hoc tantùm eſt Deus benedictus: aliud eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, ſiue determinatione alicuius cauſæ, & iuxta diuerſitatem cauſarum diuiditur. Hic ſolùm agitur de neceſſario ex parte finis, ſcilicet vtrùm Logica ſit neceſſaria ad hunc finem, vt aliæ ſcientiæ acquirantur: Neceſſarium autem ex parte finis diuiditur ex D. Thom. 3. part. q. 1. art. 2. & quæſt. 65. art. 4. & 2. 2. quæſt. 83. art. 13. & alibi ſæpe in neceſſarium ſimpliciter, ſine quo finis nullo modo haberi poteſt, ſic neceſſaria eſt lingua ad loquendum, & auris ad audiendum; & in neceſſarium ſecundùm quid, ſiue ad melius eſſe, ſine quo finis quidem haberi poteſt, ſed cum maiori difficultate, vel non ita benè, & ſic equus eſt neceſſarius ad iter agendum: vt autem certa ab incertis ſeparentur; certum eſt apud omnes Logicam eſſe hoc ſecundo modo neceſſariam ad alias ſcientias acquirendas, vt dictum eſt ſuprà art. 1. Idem enim eſt, ac eſſe vtilem: hoc expreſsè docet D. Auguſt. lib. 3. de ordine, cap. 13. & lib. 3. contra Academicos, cap. 18. vbi ait. *Dialectica eſt vnica ſcientiarum ſcientia, & diſciplinarum diſciplina & via.* Item lib. 1. contra Creſconium. *Hac arte*, inquit, *quam Dialecticam vocant, nunquam doctrina Chriſtiana formidat*; Et hoc manifeſtâ conſtat experientiâ in omnibus ſcientiis, vſu enim, & beneficio Logicæ breuiùs, faciliùs & perfectiùs aliæ ſcientiæ addiſcuntur. Præſens autem difficultas procedit non de Logica naturali, quâ quilibet etiam ruſticus poteſt aliquid definire, diuidere & de illo argumentari; certum eſt enim ſine illa nullam ſcientiam, nec principium ſcientiæ poſſe acquiri: ſed procedit de Logica acquiſita, ſiue artificiali.

Probatur prima pars Concluſionis omnibus argumentis in contrarium adductis 3. & 4. loco. Si cum moderatione accipiantur: non enim poteſt quis aliquam ſcientiam in ſtatu perfecto acquirere, niſi priùs agnoſcat modum reſoluendi omnes eius concluſiones vſque ad prima principia, & bonitatem illationis concluſionum ex præmiſſis, neceſſitatem & diſpoſitionem præmiſſarum &c. ſed iſta omnia non poſſunt ſciri ſine Logica acquiſita & artificiali, vt conſtat: ergo Logica eſt omninò & ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias in ſtatu perfecto, id eſt, ſecundùm ſeriem omnium, vel ferè omnium concluſionum, quæ in illis demonſtrantur.

Secundò. Experientiâ conſtat, quòd nullus ſine Logica fuit perfectus in aliis ſcientiis: ait enim Ariſtoteles 1. poſterior. cap. 3. veteres Philoſophos fuiſſe lapſos in turpiſſimos errores ex defectu Logicæ; & econtrà beneficio ſolius Logicæ multi etiam ſine magiſtro euaſerunt viri doctiſſimi in aliis ſcientiis; ait enim Poſſidonius Auguſtinum ſolius Dialecticæ fuiſſe diſcipulum.

Probatur ſecunda pars Concluſionis. Ad acquirendam aliquam ſcientiam ſub ſtatu imperfecto, ſufficit facere vnam vel alteram demonſtrationem in aliqua materia: communiter enim concedunt Philoſophi, quòd per primam demonſtrationem acquiritur ſcientia; quamuis in ſtatu imperfecto: ſed ſine Logica artificiali poteſt fieri vna vel altera demonſtratio in qualibet materia; ſunt enim aliquæ concluſiones tam faciles & tam proximæ primis principiis notis lumine naturali, vt ex illis facilè & euidenter explicatis terminis deducantur, & bonitas illationis percipitur per Logicam naturalem propter facilem illationem, quod experimur in aliquibus, qui nunquam ſtuduerunt: ergo Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed tantùm ad melius eſſe ad alias ſcientias acquirendas ſub ſtatu imperfecto.

Secundò. Si Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias, etiam ſub ſtatu imperfecto acquirendas; etiam erit ſimpliciter neceſſaria ad ſeipſam ſub ſtatu imperfecto acquirendam; ac proinde deberet præſupponi ad ſeipſam, quod eſt ridiculum: nam cum illa, quæ tractantur in Logica, ſint difficillima; ſi intellectus nun poteſt ſeipſo ſine Logica percipere alia faciliora, multò minùs poterit percipere difficiliora: ergo cum Logica non ſit neceſſaria ad acquirendam ſeipſam ſub ſtatu imperfecto, ſicut patet, cum fuit primò inuenta, ſiue potiùs reſtaurata ab antiquis: ſic nec eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas ſub ſtatu imperfecto.

Tertiò. Sine Logica artificiali poteſt cognoſci eclypſis Lunæ per ſuam cauſam, ſcilicet propter interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam, quilibet enim ruſticus, ſi ei explicetur, hoc percipit: ſed talis cognitio eſt ſcientifica, ſiue generans ſcientiam; certum eſt enim, quòd per vnam demonſtrationem generatur habitus ſcientiæ, licet imperfectus, & per hoc diſtinguntur habitus practici à ſpeculatiuis, quòd practici non acquiruntur per vnum actum, niſi ſit valde intenſus, requiruntur verò plures remiſſi: ergo Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcienrias acquirendas ſub ſtatu imperfecto. Reſponder ad hæc Gallego, quòd talis aſſenſus non generabit ſcientiam, quia ſubiectum eſt incapax, quamdiu non poteſt reſoluere concluſiones vſque ad prima principia: ſed contrà primò, quia ſequeretur ſcientias ſubalternatas in eo, qui non habet ſubalternantem, non eſſe verè ſcientias, quia in illis non ſit reſolutio vſque ad prima principia: imò principia, quæ in ſubalternante poſſunt reduci vſque ad prima, in ſubalternata ipſa non probantur, ſed creduntur, & tamen certum eſt in ſchola D.Thom. vt infrà in libris poſteriorum dicitur, quòd ſcientia ſubalternata, etiam ſine ſubalternante, eſt vera ſcientia; licet non ita perfecta, & D.Th. 1. part. quæſt. 1. vocat Theologiam ſcientiam, & dicit eſſe ſubalternatam ſcientiæ Dei & Beatorum. Secundò, quia facillimum eſt percipere cauſam eclypſis, & conuincitur intellectus percipientis etiam ruſtici; ac proinde in eo erit aſſenſus ſcientificus, & ita per illum generabitur ſcientia.

Probatur tertia pars Concluſionis. Sine Logica aliæ ſcientiæ non poſſunt acquiri io ſtatu perfecto, & cum illa perfectiſſimè acquiruntur, vt patet ex dictis: ergo primo loco ante omnes alias ſcientias eſt tradenda: ſola debet præmitti Grammatica ratione congruitatis ſermonis: hic autem ordo in tradendis ſcientiis obſeruandus eſt ex D. Thom. q. 5. ſuper Boëtium de Trinitate, art. 1. Primò debet tradi Grammatica ratione congruitatis. 2. Logica. 3. Rhetorica. 4. Mathematicæ. 5. Philoſophia naturæ. 6. Philoſophia motum, vltimo prima Philoſophia, ſiue Metaphiſica: optimas de hoc ordine ſeruando habet rationes, quæ breuitatis cauſa intermittuntur. Ex dictis conſtat hanc difficultatem procedere de ſola Logica docente, quæ ſola dirigit alias ſcientias in ſuis demonſtrationibus; nam Logica vtens ſolùm verſatur in materia probabili & in argumentis Topicis, per quæ non acquiritur ſcientia, ſed tantùm cognitio probabilis.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi etiam ſancti Patres, vel non fuerunt perfecti in illis ſcientiis, vel habuerunt Logicam, cuius ope illas acquiſierunt. Ad confirmationem dicendum, quòd ſolùm procedit contra illos, qui negant poſſe ſine Logica acquiri alias ſciētias quoad ſubſtātiam: non verò procedit contra concluſionem, quæ dicit Logicam non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias acquirendas quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad eius perfectionem, quod idem eſt, ac dicere eſſe neceſſariam ad meliùs & perfectiùs procedendum in talibus ſcientiis, quod eſt proprium habitus.

Ad ſecundum ſimiliter dicendum, quòd propriè procedit contra eos, qui volunt Logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias, etiam in ſtatu imperfecto acquirendas: in quantum verò procedit contra concluſionem, dicendum ſicut ſuprà dictum eſt art. 1. Quòd lumine naturali poſſumus facere aliquam demonſtrationem Logicalem, præcipuè ſi ſit facilis; & ſic acquirere aliquid Logicæ, & mediante illo iam cognito deuenire ad cognitionem aliorum, & ſic vna pars deſeruiet ad cognitionem alterius, vnde non poterit perfectè acquiri Logica niſi mediante ſeipsâ: & ita proportionaliter dicendum, quòd nec aliæ ſcientiæ poſſint acquiri perfectè ſine Logica. Ad confirmationem dicendum, quòd licèt aliæ ſcientiæ facilitent intellectum ad faciendas definitiones, diuiſiones & demonſtrationes de ſuo obiecto: hoc tamen ſemper eſt ex directione Logicæ, quæ docet modum definiendi, diuidendi & argumentandi; vnde alias dirigit ad definiendum, diuidendum & argumentandum, & hoc maximè eſt neceſſarium in difficilioribus, quæ nunquam deſunt in ſcientiis, & ſimiliter ad reſoluendum concluſiones omnes vſque ad prima principia, quod requiritur ad perfectionem ſcientiæ.

Ad tertium dicendum, quòd S. Auguſtinus per ly diſcere, & per ly ſcientes, ſubintelligit perfectè, qui enim ſcit aliquid imperfectè, non poteſt vocari ſimpliciter ſciens. Ad confirmationem dicendum, quòd ſufficit Logica naturalis ad percipiendam aliquam demonſtrationem facilem & bonitatem eius illationis, quod eſt virtualiter ſcire reſoluere vſque in prima principia; nec talis reſolutio eſt ſemper neceſſaria, vt patet in ſcientiis ſubalternatis, ſed de his iterum infrà in libris poſteriorum.

Ad quartum dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd poteſt dari aliqua demonſtratio facilis, cuius optima diſpoſitio & bonitas illationis virtute intellectus percipiatur, & hoc ſufficit ad acquirendam ſcientiam in ſtatu imperfecto: quamuis illa, quæ aſſignantur in authoritate D.Th. ſint neceſſaria ad acquirendam ſcientiam in ſtatu perfecto. Ad confirmationem dicendum, quòd ſolùm habet vim contra eos, qui docent Logicam cōcurrere effectiuè, vt principium efficiens, ad demonſtrationes aliarum ſcientiarum: dictum eſt autem ſuprà, quòd ſolùm concurrit, vt dirigens; nec ex hoc quòd concurrit vt dirigens ad actus perfectos, debet etiam concurrere ad actus imperfectos neceſſariò, vt patet inductione in aliis artibus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Logica ſit pars Philoſophiæ?

Ad septimvm ſic proceditur. Videtur, quòd Logica nullo modo ſit pars Philoſophiæ. Ita abſolutè tenuerunt Peripatetici citantes pro ſe Ariſtotelem, qui problemata diuiſit in tres partes, ſcilicet contemplationis, actionis & inſtrumentaria, quæ vltima dicit eſſe Logicalia: citatur etiam D.Th. ſuper Boëtium de Trinitate, q. 5. a. 1. ad 2. ex quo ſic probatur. Quod eſt inſtrumentum reſpectu alicuius, non eſt pars illius: ſed Logica eſt inſtrumentū Philoſophiæ: ergo non eſt pars Philoſophiæ.

§ 2. Præterea, Philoſophia verſatur in conſideratione rerum: ſed Logica verſatur in ſolis notionibus, ſiue ſecundis intentionibus iuxta communiorem ſententiam: ergo Logica non eſt pars Philoſophiæ. Maximè quia ipſa non expetitur propter ſe, ſed propter alias ſcientias; conſtat autem, quòd Philoſophia expetitur propter ſeipſam.

§ 3. Præ

§ 3. Præterea, Partes vnius scientiæ non permiscentur inuicem; sed Logica est permixta Philosophiæ: ergo non est pars Philosophiæ.

SED CONTRA est authoritas D. Augustini, & Stoicorum, quos nunc communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm Philosophia definiatur esse comprehensio cuiuscumque admirabilis veritatis: Logica est vera pars Philosophiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Logica docens est pars Philosophiæ. 2. Licèt qua ratione est instrumentum non contineatur sub Philosophia vt pars principalis, sed vt quid reductum ad eam. 3. Logica verò vtens simpliciter loquendo non est pars Philosophiæ, sed solùm instrumentum. Ad cuius euidentiam sciendum est Logicam esse artem liberalem & ingenuam: ars autem liberalis est illa, quæ exercetur in parte hominis libera, redditque corpus idoneum, & mentem præparat ad virtutis opera assequenda & exercenda: ex qua definitione colligitur omnes & solas illas scientias esse liberales, quæ non sunt sordidæ, siue non occupatæ in exercitiis inferioribus & demissis: tales enim dicuntur mechanicæ.

Probatur prima pars Conclusionis ex illa diuisione Philosophiæ tam antiqua & recepta, qua diuidebatur in naturalem, moralem, & rationalem: per rationalem autem certum est intelligi Logicam, quæ diuisio admittitur à plurimis viris grauissimis, vt August. S. de Ciuitate Dei, cap. 4. & lib. 11. cap. 25. ergo Logica est pars Philosophiæ. Deinde Philosophia definitur ab antiquis, quòd sit comprehensio cuiuscumque admirabilis veritatis: sed Logica docens, cùm sit propriè scientia, est cognitio veritatis: ergo est pars Philosophiæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. opusc. 70. quæst. 5. art. 1. ad 2. vbi sic ait: *Scientiæ speculatiuæ sunt de illis, quarum cognitio quæritur propter seipsam*; res autem de quibus est Logica, non quæruntur cognosci propter seipsas, sed vt adminiculum quoddam ad alias scientias; & ideò Logica non continetur sub Philosophia speculatiua quasi principalis pars, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, scilicet syllogismos, definitiones & alia huiusmodi, quibus in speculatiuis scientiis indigemus.

Probatur tertia pars Conclusionis. Logica vt vtens non est scientia, vt suprà dictum est: deseruit tamen ad alias scientias, vt etiam suprà dictum est: ergo Logica vt vtens, non est pars Philosophiæ, cùm Philosophia sit vera scientia, sed solùm est instrumentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt Aristoteles, & D. Thom. vocent Logicam instrumentum ad alias scientias: non tamen simpliciter excludunt illam esse partem Philosophiæ, vt se declarant: maximè D. Thom. loco citato: quamuis non sit pars principalis, qua ratione est instrumentum.

AD secundum dicendum, quòd ipsæ notiones sunt quædam res, sed rationis; sunt enim entia rationis. Ad aliud dicendum, quòd Logica non solùm expetitur propter alias scientias: sed etiam propter seipsam; versatur enim in contemplatione sui obiecti: quòd autem expetatur propter alias scientias, solùm facit, quòd non sit pars principalis Philosophiæ, vt dictum est, nec est necesse, quòd omnes Philosophiæ partes sint eiusdem nobilitatis & dignitatis, sicut nec omnes partes corporis.

AD tertium dicendum, quòd Logica vtens est simpliciter permixta aliis scientiis, quia non est scientia, nec pars Philosophiæ: sed solùm instrumentum ad alias scientias: docens verò inquantùm scientia & pars Philosophiæ, traditur separata ab aliis partibus; quamuis illis etiam permisceatur, quia etiam est instrumentum ad illas.

ARTICVLVS VIII.

Quis sit finis Logicæ?

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quòd finis Logicæ sit probabiliter disserere in omnibus. Ita Rodolphus Agricola 2. de inuentione, cap. 5. Probatur. Logica, siue Dialectica definitur, quòd sit ars disserendi: ergo eius finis est probabiliter disserere in omnibus; definitiones enim scientiarum ab earum finibus desumuntur.

§ 2. Econtrà, Videtur quòd finis Logicæ sit discernere verum à falso. Ita Stoici. Probatur, finis Logicæ est dirigere intellectum in suis operationibus, vt sine errore procedat, vt docet D. Th. & communiter sequuntur eius discipuli: sed hoc est discernere verum à falso, vt ex se patet: ergo finis Logicæ est discernere verum à falso.

§ 3. Econtrà, Videtur quòd finis Logicæ sit demonstratio aut argumentatio in communi: Ita Alexander & alij Græci. Probatur, Obiectum scientiæ est eius finis, ad ipsum enim ordinatur & terminatur, quod autem terminat, est finis: sed obiectum Logicæ est demonstratio, aut argumentatio in communi; quæcumque enim in Logica tractantur, ad hæc ordinantur: ergo finis Logicæ est demonstratio aut argumentatio in communi.

SED CONTRA est authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm obiectum sit finis proximus scientiæ: ens rationis Logicum est finis Logicæ.

RESPONDEO dicendum, quòd finis proximus Logicæ Docentis est contemplatio & cognitio sui obiecti: scilicet entis rationis Logici. 2. Finis autem proximus Logicæ Vtentis est constructio syllogismorum probabilium & apparentium: siue disserere in materia probabili & apparenti. 3. Finis remotus Logicæ Docentis est perficere & dirigere intellectum in suis operationibus, vt rectè & sine errore procedat in cognitione veritatis circa quamcumque materiam pertinentem ad alias scientias. 4. Finis verò remotus Logicæ Vtentis est dirigere intellectum in suis operationibus ad rectè procedendum in acquisitione opinionis obiecti probabilis, & existimationis obiecti apparentis: cum hac tamen differentia, quòd Logica Docens docendo & præcepta tradendo (quod est eius officium) intellectum dirigat; Vtens verò vtendo talibus principiis, & in actu exercito probabiliter vel apparenter disserendo, quod etiam est eius officium. Ad quorum euidentiam sciendum est finem esse illud, cuius gratiâ aliquid fit, & ideò debet habere tres sequentes conditiones. Prima est, vt sit extremum, cùm finiat. Secunda, vt sit bonum verum, vel apparens, cùm appetatur: finis enim est, quod omnia appetunt ex Aristotele 1. Metaph. cap. 16. solùm autem bonum appetitur ex eodē Philosopho 1. Ethicor. cap. 1. Tertia, vt de ipso nulla sit consultatio: nam consultatio solùm est de mediis; scilicet quænam media sint proportionata ad talem finem ex Aristotele 3. Ethic. cap. 3. hæ autem conditiones propriè conueniunt vltimo fini; aliis autem cùm possint esse etiam media ad illum vltimum, solùm conueniunt sub ratione finis. Diuiditur finis in proximum & remotum; proximus est ille, qui proximè terminat: remotus verò, qui remotè & mediatè terminat, fines remoti possunt esse multi, & omnes vocantur intermedij, excepto vltimò, qui est ille, qui vltimò omnes intermedios terminat, ipse verò à nullo alio terminatur, nec vlteriùs ordinatur: aliàs non esset vltimus finis. Subdiuiditur vterque finis in finem (qui) & finem (Cui); finis (qui) est ille ad quem aliquid ordinatur, & mediis acquiritur; quod patet in medicina; nam si æger accipit medicinam ad consequendam sanitatem, vt seruiat Deo, tunc sanitas est finis proximus, seruitium Dei est finis remotus, ipse met verò æger est finis (Cui) nam sibi, siue propter seipsum quærit sanitatem: & applicando

cando hanc doctrinam ad ſcientias, vel ad artes. Sciendum eſt eſſe aliquas, quæ dicuntur Regiæ, & ſunt propter ſeipſas, nec ad alias ordinantur, & iſtæ habent ſolùm vnum finem ſcilicet ſuum obiectum, ad quod per ſe ordinantur: licèt poſſint eſſe multi fines ſcientis; aliæ dicuntur Ancillæ, quæ ſubordinantur & deſeruiunt alteri ſuperiori, & iſtæ habent duos fines; vnum proximum, ſiue intra artem, alium remotum, ſiue extra artem: proximus eſt illarum obiectum, ſed remotus eſt obiectum ſiue finis ſcientiæ ſuperioris, ad quam ordinantur, vt finis proximus artis militaris eſt victoria: remotus verò eſt pax, quæ eſt finis Politicæ, ad quam ordinatur militaris.

Item ſciendum eſt, quòd licet Logica ſit verè ſcientia & pars Philoſophiæ: quia tamen eſt inſtrumentum, & introductio ad alias omnes ſcientias, habet rationem ſcientiæ inferioris ſiue Ancillæ, cùm præbeat aliis inſtrumenta, quibus procedant in ſua contemplatione & demonſtrationibus, & ideo oportet, quòd habeat duos fines, videlicet ſuum proprium & proximum, quem intra ſe habet; & remotum, ſcilicet finem aliarum omnium ſcientiarum; non ſecundùm aliquam conſiderationem vniuſcuiuſque particularem: aliàs eſſent quaſi infiniti eius fines, ſed ſecundùm aliquam rationem communem, in qua omnes fines aliarum ſcientiarum comprehendantur: cum dictis tamen ſtat, quòd Logica non eſt Ancilla, ſicut aliæ, quaſi operans id, quod aliæ impetrant: ſed potius econtrà ipſa dirigit alias, vnde non propriè eſt Ancilla, ſed potiùs conciliatiua & pædagogus aliarum; propterea dicitur ars artium.

Probatur prima pars Concluſionis. Finis proximus cuiuſlibet ſcientiæ eſt illud, ad quod proximè ordinatur ſcientia, vt patet ex ipſis terminis: ſed quælibet ſcientia ordinatur proximè ad cognoſcendum ſuum obiectum, ideò enim inſtituuntur ſcientiæ, vt mediantibus illis deueniamus ad cognitionem illorum, quæ pertractantur in illis, ſcilicet obiectorum: ergo finis proximus cuiuſlibet ſcientiæ eſt contemplatio, & cognitio ſui obiecti: vnde finis Logicæ Docentis, quæ verè eſt ſcientia, eſt contemplatio & cognitio entis rationalis Logici, quod ſuprà probatum eſt eſſe obiectum illius.

Probatur ſecunda pars Concluſionis. Logica Vtens verſatur ſolùm circa partem Topicam & Sophiſticam, vt ſuprà dictum eſt: ergo eius obiectum eſt conſtructio ſyllogiſmi probabilis & apparentis: ſed obiectum ſcientiæ vel artis eſt eius finis proximus: ergo finis proximus Logicæ Vtentis eſt conſtructio ſyllogiſmorum probabilium & apparentium, ſiue differere in materia probabili & apparenti. Reſpondent aliqui, quòd ſyllogiſmis ipſis non poteſt propriè conuenire ratio finis, neque conditiones eius; cùm ordinentur ad producendam opinionem vel exiſtimationem obiecti: ſed hæc reſponſio ſolùm conuincit de fine remoto vel vltimo, qui non poteſt vlteriùs ordinari, finis autem proximus ad alium poteſt ordinari, vt patet ex dictis: aliàs non darentur fines intermedij, qui ſimul ſunt fines & media, fines in quantùm terminant aliquid ad ipſos ordinatum: media verò in quantùm mediis ipſis peruenitur ad vlteriorem finem: nec apparet, quomodò opus, confectum ab arte ſit potiùs finis illius proximus, vt aduerſarij concedunt, & ſyllogiſmus confectus à Logica Vtente non ſit eius finis proximus; cùm ipſa ordinetur ad factionem ſyllogiſmorum eo modo, quo aliæ artes ad ſua opera, cùm in iſtis æqualiter reperiatur ratio obiecti.

Probatur tertia pars Concluſionis. Finis remotus ſcientiæ inferioris ſiue miniſtræ, ſunt fines proximi ſcientiarum ſuperiorum, quibus miniſtrant, ſed Logica miniſtrat omnibus ſcientiis, vt patet: ergo fines proximi omnium ſcientiarum ſunt finis remotus Logicæ: ſed fines proximi ſcientiarum ſunt cognitiones veritatum, quæ circa proprium obiectum tractantur in talibus ſcientiis, vt dictum eſt: ergo finis remotus Logicæ Docentis eſt cognitio omnium veritatum in qualibet materia, ſiue dirigere intellectum ad talem cognitionem conſequendam: hæc enim duo in idem coincidunt, ſiue adintegrant vnum finem; cùm enim talis cognitio ſit actus intellectus, & ipſa vt recta & directa ſit finis remotus Logicæ, etiam ipſa directio, quâ Logica Docens dirigit intellectum ad talem cognitionem, eſt finis remotus Logicæ Docentis.

Probatur quarta pars Concluſionis. Conſtructio ſyllogiſmi probabilis ordinatur tanquàm ad finem ad conſequendam opinionem obiecti probabilis, & conſtructio ſyllogiſmi apparentis ordinatur ad conſequendam exiſtimationem obiecti apparentis: ſed illud ad quod ordinatur finis proximus, eſt finis remotus; finis autem proximus Logicæ Vtentis eſt conſtructio ſyllogiſmi probabilis, & apparentis, vt dictum eſt: ergo opinio obiecti probabilis, & exiſtimatio obiecti apparentis ſunt finis remotus Logicæ Vtentis; ſiue dirigere intellectum in ſuis operationibus ad rectè procedendum in acquiſitione opinionis obiecti probabilis, & exiſtimationis obiecti apparentis; in idem enim hæc duo coincidunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd hic Logica definitur à fine remoto: ſuprà enim adducta eſt eius definitio eſſentialis: eſt enim ſcientia entium rationis, quæ ad definiendum, diuidendum & argumentandum ſunt deſtinata: deinde quando Logica dicitur ars differendi, non debet tantùm intelligi probabiliter: ſed etiam demonſtratiuè & apparenter: vnde iſte finis aſſignatus ad minus eſt inadæquatus, cùm non ſit finis totius Logicæ, ſed ſolùm partis Topicæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi diſcernere verum à falſo accipiatur pro cognitione veritatis, hoc pertinet ad omnes ſcientias: ſi verò accipiatur pro directione intellectus, vt verum diſcernat à falſo; eſt quidem finis Logicæ Docentis, ſed remotus, vt dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd ſi procedat de fine proximo, ſiue intrinſeco Logicæ, deficit, nam nec demonſtratio nec argumentatio in communi eſt obiectum adæquatum Logicæ, vt ſuprà dictum eſt: ſi autem procedat de fine remoto ſiue extrinſeco, eſt falſum; cùm enim demonſtratio ordinetur ad ſcientiam, tanquam medium, quo acquiritur, non eſt finis ſcientiæ: ſed potiùs econtrà; & ita non eſt finis remotus Logicæ, hic eſt enim finis aliarum ſcientiarum.

ARTICVLVS IX.

Quid, & quotuplex eſt Methodus?

AD NONVM ſic proceditur. Videtur, quòd Methodus ſit triplex. Probatur. Ariſtoteles 2. Metaphyſicæ cap. vltimo vocat methodum modum ſciendi: ſed modus ſciendi eſt triplex, ſcilicet definitio, diuiſio & argumentatio: ergo & methodus eſt triplex.

¶ 2. Econtrà. Videtur, quòd non ſint determinatæ Methodi. Probatur. Diuerſi authores diuerſimodè procedunt in tradendis ſcientiis, ita vt omnes ferè in modo procedendi differant: ſed modus procedendi in tradendis ſcientiis eſt methodus: ergo ſunt diuerſæ ac indeterminatæ methodi.

SED CONTRA eſt communis authoritas Philoſophorum, qui diuidunt Methodum in Naturalem, Arbitrariam & Artificioſam, definiúntque Methodum, quòd ſit modus ordinatus procedendi in veritatis acquiſitione.

CONCLVSIO.

Methodus eſt via quadam communis & ordinata, qua breuiter, & cum ratione ad optatum finem perducit.

RESPONDEO dicendum prædictas duas definitiones Methodi coincidere & eſſe optimas. 2. Diuiſionem verò eſſe adæquatam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd pertinet ad Logicam agere de Methodo: cùm enim vt dictum eſt, Logica ſit inſtrumentum ad omnes alias ſciêntias acquirendas, & Methodus maximè conducat ad talem acquiſitionem, vt patet ex Ariſtotele, qui 2. Metaphyſicæ, cap. vltimo exactè differit de Methodo, ſiue de modo procedendi in omnibus ſcientiis, & Galenus idem affirmat exemplo ſui: ait enim, neque vnquam vel tradidi, vel docui artem aliquam, cuius Methodum priùs

non

non didicerim, & in ea non me exercuerim: sine dubio pertinet ad Logicam tanquam proprium ipsius agere de Methodo, siue tradere communes modos procedendi in aliis scientiis, vt ait D. Thom. supra locum citatum Aristotelis: & cùm etiam ipsa Logica vtpotè vera scientia sit methodica, siue ordinatè tradenda; ideò priusquàm eius materiæ attingantur, pro coronide proœmialium hîc de Methodo agitur; quam aliqui vocarunt viam tectam, & optimè: nam rectè dirigit ad acquirendam scientiam: Aristoteles verò lib. 1. de partibus animalium, c. 1. vocat peritiam, alibi verò vocat modum sciendi. Quintilianus autem vocat breue compendium.

Prima pars Conclusionis est manifesta: notandum est tantùm circa definitionem Methodi, quòd quia potest acquiri veritàs non solùm per rationem, sed etiam per sensum, & experientiam: ideò in tali definitione ponitur ly, cum ratione, vel ly, modus ordinatus, vt ostendatur Methodum solùm conducere ad inquirendam veritatem per rationem, & non per sensum.

Secunda pars Conclusionis explicatur. Methodus Naturalis est illa, quæ procedit secundùm regulas infra tradendas: Arbitraria est illa in qua propter aliquam rationem vrgentem ordo Methodi Naturalis prætermittitur: Artificiosa denique est illa, quæ de industria totum ordinem peruertit, ita vt quæ sunt priora posteriùs, & quæ sunt posteriora priùs tractentur: sed ista Artificiosa solùm pertinet ad Oratores & Poëtas: Arbitraria verò non est admittenda, nisi rarò & ex vrgenti causa: vnde tantùm super est agendum de Naturali, & eius diuisionibus.

Diuiditur Methodus Naturalis in methodum compositionis, resolutionis & soluendæ finitionis. Methodus compositionis est, quando procedimus à prioribus & simplicioribus ad posteriora & composita, vt ad docendum modum legendi procedimus à litteris ad syllabas, & à syllabis ad vocabula, & in summulis priùs agitur de terminis, deinde de propositionibus, tandem de argumentatione. Secundò, quando procedimus ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia. Tertiò, quando procedimus à causis ad effectus. Quartò, quando à mediis procedimus ad finem: Methodus autem resolutionis contrariâ procedit viâ; imò potiùs est via contraria, quâ procedimus à posterioribus ad priora, & à magis compositis ad simpliciora; vt si in Grammatica priùs ageretur de oratione, postea de dictione &c. Secundò à minùs vniuersalibus ad magis vniuersalia. Tertiò ab effectu ad causam. Quartò à fine ad media. Methodus autem soluendæ finitionis non propriè distinguitur ab aliis sed solùm superaddit aliquid, & adiungitur Methodo compositionis, quando quia traditurus aliquam scientiam, non solùm incipit ab vniuersalioribus: sed etiam in ipso principio tradit quamdam generalem doctrinam, siue definitionem, vel compendium ipsius scientiæ, postea illam partitur vsque ad vltima eius membra.

Ex his Methodis Methodus resolutionis est proportionata ad inueniendas scientias & artes; ac ita fuerunt per illam inuentæ: nam ea cognitione finis artes fuerunt inuentæ, & ex admiratione effectuum processerunt antiqui ad inquirendam causam: ad scientias verò tradendas Methodus compositionis maximè quantùm ad duos primos modos, est magis accommodata, & ita communiter ista Methodus obseruatur: nam ordinariè quilibet incipit à prioribus & simplicioribus, & procedit ad posteriora & composita; & hanc sequemur in decursu generali Logicæ, vt priùs de intentionibus rerum simplicium in tractatu de vniuersalibus, & libro categoriarum, deinde de propositionibus in libris de interpretatione, tandem de argumentatione in libris de priori & posteriori Analisi, quæ etiam obseruabitur in qualibet parte: ratio autem est modus procedendi ab vniuersalioribus sit aptissimus ad tradendas disciplinas, est quia ex D. Thom. 1. Physic. lect. 1. vniuersaliora sunt notiora quoad nos: minùs verò vniuersalia sunt magis nota secundùm se; est autem optimus modus procedendi, vt ex iis quæ sunt magis nota ad ignotiora procedamus: cùm enim per discursum intelligamus, necesse est, vt ex his quæ nouimus ad percipienda ignota ascendamus, & ità optimus modus procedendi est ab vniuersalioribus notioribus quoad nos, ad minùs vniuersalia ignotiora quoad nos, & notiora quoad se, procedamus: ratio autem cur vniuersaliora sunt notiora quoad nos, est, quia sunt confusiora: intellectus enim noster non statim procedit à pura potentia ad actum perfectum intellectionis, qui est distincta cognitio: sed transit per medium, scilicet per cognitionem confusam, cui proportionantur confusa; & ideo priùs illi occurrunt, ac ita priùs nota sunt vniuersaliora, quàm minùs vniuersalia: ratio denique, cur minùs vniuersalia sint notiora quoad se, est, quia magis participant de actu, & vniuersaliora magis participant de potentia; quod autem est magis actuale, est magis intelligibile, & ideò Deus est summè intelligibilis, quia est purus actus: materia verò prima est summè ignota, quia est pura potentia, & nihil participat de actualitate secundùm se: sed de his, in libris de anima.

Solent tradi aliquæ regulæ, vt rectè Methodus obseruetur in qualibet materia. Prima est, vt si res habeat principia, causas, vel elementa, ab illis incipiatur, & ita Aristoteles 1. Physicon disputat priùs de principiis corporis mobilis, quàm de ipso corpore mobili agat. Secunda, vt quantùm fieri potest ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia procedatur, vt dictum est propter rationem assignatam. Tertia, vt etiam quantùm fieri potest à notioribus nobis ad notiora naturâ procedatur: si quando autem istæ regulæ non se compatiantur, tunc habeatur ratio rerum, quæ tractantur: non enim æqualiter est in omnibus immorandum, sed quæ sunt principaliora principaliùs, & exactiori modo pertractanda: similiter habenda est ratio auditorum, & eorum captui Methodus est attempetanda.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnia, quæ nos manuducunt ad scientias comparandas possunt vocari modus sciendi, & ita Methodus dicitur etiam modus sciendi: quamuis principaliùs, & absolutè hæc tria instrumenta sciendi, videlicet definitio, diuisio & argumentatio ob illorum excellentiam vocantur modus sciendi.

Ao secundum dicendum, quòd illa diuersitas in tradendis scientiis pertinet ad Methodum Arbitrariam. In fine proœmialium notandum est, quòd in disputationibus Logicis nullæ miscebuntur vel Physicæ, vel Metaphysicæ, sed omnia ad Propria loca remittentur fusè disputanda; quamuis aliqua grauis vrgente necessitate leuiter attingentur, ne forte propria Logicæ obscura remaneant.

QVÆSTIO II.

De Ente Rationis, & secundis intentionibus.

QVIA supra dictum est ens rationis esse obiectum Logicæ, ideo statim de illo agendum occurrit: licèt autem omnis scientia debeat supponere suum obiectum; priùs enim supponitur aliquid esse scibile, antequam instituatur scientia de eo; nec scientia intra suos limites potest probare illud esse: quia principia, quibus vnaquæque scientia procedit, originantur ab obiecto, & primum principium est ipsa definitio obiecti, vnde debet supponi obiectum esse; principiis tamen extrinsecis, & ab aliis scientiis, vel habitibus mutuatis potest illud probare, & hoc maximè obseruatur à scientiis superioribus; & ita videmus, quòd Theologia probat Deum esse, qui est eius obiectum, & hoc etiam conceditur Logicæ respectu entis rationis, circa quod in præsenti quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm detur Ens rationis?
¶ Secundò, quid sit Ens rationis?
¶ Tertiò, Vtrùm solus intellectus faciat Ens rationis?

¶ Quartò, Vtrùm diuinus intellectus faciat Entia rationis?

¶ Quintò, per quam ſpeciem cognoſcantur Entia rationis?

¶ Sextò, quid & quotuplex ſit ſecunda Intentio Logicalis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm detur Ens Rationis.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd non detur Ens rationis: Ita tenent aliqui. Probatur. Nulla poteſt aſſignari cauſa entis rationis: ergo non datur Ens rationis. Conſequentia patet; ſolus enim Deus habet eſſe à ſe nullam habens cauſam: Antecedens verò probatur: Ceſſant aliæ cauſæ ceſſante cauſa efficiente, nam ipſa eſt, quæ reſpiciens finem educit formam de materia: ſed nulla datur cauſa efficiens Entis rationis; ſi quæ enim daretur, eſſet intellectus: at intellectus non poteſt facere Ens rationis, cùm ſemper operetur per veram efficientiam, & actionem realem, ac ita ſemper producit effectum realem: ergo nunquam producit Ens rationis.

¶ 2. Præterea, Ens rationis antequam cognoſcatur, non eſt; aliàs eſſet ens reale, nec ſolùm haberet eſſe obiectiuum: ergo non datur Ens rationis: patet Conſequentia: Nihil cognoſcitur niſi præſupponatur eſſe cognoſcibile, nam actus ſecundus præſupponit primum, & actualis cognitio intellectus paſſibilis ſupponit cognoſcibilitatem obiecti factam per intellectum agentem: ſed nihil eſt cognoſcibile, niſi ſit; quia cognoſcibilitas, ſiue veritas (idem enim ſunt) eſt proprietas entis, & proprietas ſupponit eſſentiam: ergo non datur Ens rationis.

¶ 3. Præterea, Si datur ens rationis, ſequitur dari genus ſine ſpeciebus, & eſſentiam ſine proprietatibus: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo non datur Ens rationis. Declaratur Maior. Totum eſſe Entis rationis eſt obiici, & cognoſci: poteſt autem cognoſci aliquis gradus genericus Entis rationis, ſcilicet ratio vniuerſalitatis abſque eo, quòd aliquod vniuerſale ſecundùm propriam rationem cognoſcatur. Similiter poteſt cognoſci ratio vniuerſalitatis abſque eo, quòd cognoſcatur ratio prædicabilitatis, quæ eſt eius proprietas.

SED CONTRA, eſt expreſſa authoritas Philoſophi, & D. Th. locis citatis q. præcedenti, articulo 2. quos ſequuntur communiter omnes Thomiſtæ, qui vnanimiter conſtituunt Ens rationis pro obiecto Logicæ, & plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm detur aliquid, quod cùm nihil ſit à parte rei, habet tamen eſſe obiectiuè in intellectu: datur Ens rationis.

RESPONDEO dicendum, quòd neceſſariò ſit concedendum dari Ens rationis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſub nomine Entis rationis poſſunt multa intelligi, vt ait D. Thom. opuſc. 48. tract. 2. cap. 1. Poteſt intelligi primò illud quod fit directè ab intellectu, ſiue à ratione, ſiue ſit affectus naturalis, ſiue artificialis, vt arca in mente artificis. Secundò illud, quod eſt ſubiectiuè in ratione, vt ſcientiæ, & alij habitus, quilibet actus eius, ſpecies intelligibiles & ſimilia. Tertiò illud, quod eſt obiectiuè in intellectu per modum obiecti cogniti, quod eſt in duplici differentia; ſi enim illud tale habet eſſe non ſolùm obiectiuum, ſed etiam reale; dicitur Ens reale: ſi verò nullum aliud habet eſſe, quàm obiici intellectui, & ceſſante actu intellectus ipſum ſtatim pereat, eſt Ens rationis, de quo in præſenti agitur.

Probatur Concluſio. Datur aliquid, quod cùm nullum eſſe habeat à parte rei, habet eſſe obiectiuè in intellectu: negationes enim & priuationes nullum habent eſſe à parte rei, imò negant & priuant eſſe reale, & tamen habent eſſe obiectiuè in intellectu, aliàs non intelligerentur, & hoc conſtat in peccatis, quæ pro formali ſunt priuationes; & tamen ſecundùm fidem cognoſcuntur à Deo: ſed illud, quod habet eſſe obiectiuè in intellectu, cùm nullum eſſe habeat à parte rei, eſt Ens rationis, vt ſuprà dictum eſt & communiter acceptatur: ergo datur Ens rationis.

Secundò. Iſtæ propoſitiones: Animal eſt genus, homo eſt ſpecies &c. ſunt veræ propoſitiones: ergo in illis datur aliquid, quod prædicatur de alio, ſcilicet genus de animali & ſpecies de homine: ſed illud quod prædicatur, non eſt aliquid reale conueniens illis à parte rei: ergo eſt aliquid rationis conueniens illis per rationem, ac proinde datur Ens rationis.

Tertiò, Aliquando diſtinguimus per intellectum, quæ à parte rei ſunt idem; aliquando per intellectum coniungimus, quæ à parte rei ſunt diſtincta ſiue diuiſa; & tandem comparamus per intellectum illa, quæ à parte rei nullum habent ordinem inter ſe: ergo talis diſtinctio & vnio & comparatio ſolùm habent eſſe obiectiuè in intellectu: ſed quod eſt tale, eſt Ens rationis; vt ex dictis conſtat: ergo datur Ens rationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ens rationis habet quatuor cauſas; de finali videtur certum, quamuis Suares aliud ſentiat; ſi enim habet efficientem, habet etiam finalem, nam iſtæ duæ cauſæ ſibi inuicem ſunt cauſæ: vnde finis illius eſt finis quem intellectus habet, dum illud efformat, ſcilicet vt res rectè & ſine errore cognoſcantur; ad hoc enim ordinantur intentiones Logicales. Cauſa materialis ſunt ipſæ res, de quibus prædicantur Entia rationis, vt quaſi aliquid intrinſecum eo modo, quo ſubiecta ſunt materia accidentium. Cauſa formalis eſt eius formalitas, & eſſentia: Cauſa tandem efficiens eſt intellectus non directè operans, ſiue per verum influxum & actionem, vt intendit obiectio, ſed indirectè; ex hoc enim quòd tali modo apprehendit, & cognoſcit res, reſultant Entia rationis conſequentia res taliter intellectas; nec intellectus per quamcumque actionem aliquid reale producit; nam poſtquam per actionem directam produxit verbum alicuius, per reflexam illud cognoſcit, & conſtituit in eſſe obiecti, nec aliquid de nouo producit.

Ad ſecundum dicendum, quòd Ens rationis, quia per ipſum cognoſci, & non aliter, fit & exiſtit, ideo ſimul cognoſcitur, & eſt cognoſcibile; quia quando actus eſt de eſſentia rei, vt patet in Deo, non ſupponit in ea potentiam, nec fit cognoſcibile per intellectum agentem, cuius officium eſt obiecta materialia facere actu intelligibilia per abſtractionem ſpecierum intelligibilium à phantaſmatibus, quod non competit Enti rationis, vnde nec eius actionem præſupponit: ſed fit per intellectum paſſibilem modo explicato, reſpectu cuius ſe habet vt agens; cùm tamen reſpectu obiecti materialis ſe habeat tantùm vt patiens, ex quo denominatur poſſibilis, ſiue paſſibilis.

Ad tertium dicendum, quòd non eſt inconueniens id, quod pro inconuenienti aſſignatur; cùm enim totum eſſe Entis rationis ſit cognoſci, & non ſit inconueniens prædicata ſuperiora cognoſci ſine inferioribus, vel eſſentiam ſine proprietatibus: aut econtra; quia prædicata inferiora non ſunt de eſſentia ſuperiorum, nec eſſentia de ratione formali ſuarum proprietatum, vt patet in entibus realibus ideo in Entibus rationis poteſt eſſe eſſentia ſine proprietatibus, & econtra, & ſuperius ſine inferioribus: ſed non inferiora ſine ſuperioribus, v.g. ſpecies ſine genere, nec in realibus intelligi, quia ſuperiora ſunt de eſſentia inferiorum.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Ens rationis.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd ratio Entis rationis conſiſtat præcisè in denominatione extrinſeca, ita vt omnis denominatio extrinſeca ſit Ens rationis, vt denominatio cogniti, voliti, viſi, dextri & ſiniſtri in columna &c. Probatur. Deus dicitur Dominus, Creator &c. à relationibus in ipſo exiſtentibus: cùm iſta nomina ſint relatiua; conſtat autem tales relationes non eſſe reales, cùm nihil reale adueniat Deo ex tempore, & ita ſunt relationes rationis: ſed dici Creatorem & Dominum

num sunt denominationes extrinsecæ: ergo ratio & essentia Entis rationis cōsistit in denominatione extrinseca.

¶ 2. Præterea, Denominatio extrinseca est quid rationis: sed ipsa nihil ponit in rebus, nisi seipsam, cùm eas denominat: ergo quælibet denominatio extrinseca rerum est Ens rationis, & Ens rationis nihil est aliud, quàm denominatio extrinseca.

SED CONTRA est ipsa definitio Entis rationis tradita ab Aristotele, & D.Thom. quam communiter amplectuntur non solùm Thomistæ, sed & plures alij.

CONCLVSIO.

Ens rationis est illud, quod cùm nihil sit in re, habet esse obiectiuè in intellectu.

RESPONDEO dicendum, quod essentia Entis rationis non consistit in denominatione extrinseca præcisè. 2. Sed in hoc quòd cùm nihil sit in re, habet esse obiectiuè in intellectu. 3. Vnde quamvis fingi non sit illi essentiale, sed accidentarium. 4. Necessariò tamen ei conuenit. Ad cuius euidentiam sciendum est omnes Philosophos in hoc conuenire, quòd ens rationis distinguatur per hoc ab ente reali, quòd ens reale est à parte rei etiam nemine cogitante, Ens verò rationis non est à parte rei, sed fit beneficio intellectus: differunt tamen in assignanda ratione formali Entis rationis; aliqui enim constituunt in quodam esse ficto, quasi intrinsecè inhærente rebus; alij verò in denominatione purè extrinseca, quæ prouenit ex hoc, quòd aliqua forma communicet suum effectum formalem solùm extrinsecè alicui subiecto, & ita paries denominatur extrinsecè visus à visione animalis, quæ licèt sit quid reale in ipso animali, nihil tamen reale ponit in pariete: sed solùm extrinsecè terminatur ad ipsum: si autem forma intrinsecè communicaret suum effectum formalem alicui subiecto; tunc denominatio esset intrinseca, sicut paries denominatur intrinsecè albus ab albedine intrinsecè sibi inhærente.

Probatur prima pars Conclusionis. Nullum Ens rationis est à parte rei, per hoc enim differt ab ente reali: tantùm enim habet esse per operationem intellectus: sed ante operationem intellectus dantur materialiter denominationes extrinsecæ à parte rei, sicut Deum esse Creatorem, parietem esse visum &c. imò & rem esse intellectam etiam aliter ac est, solùm dependet ab intellectu cognoscente rem, non autem cognoscente denominationem, & talis denominatio est à parte rei: ergo essentia Entis rationis non consistit in denominatione extrinseca præcisè.

Probatur secunda pars Conclusionis 1. ex definitionibus Entis rationis communiter acceptis, primam tradit Auerroës 6. Metaph. comment. 3. Sic: *Ens rationis est, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu.* Secundam tradit D.Thom.1. part.quæst.16. art 3.ad.2. *Ens rationis est, quod cùm non sit in rerum natura: accipitur vt ens in ratione.* Deinde tale ens, quod cùm nihil sit in re, habet tamen esse obiectiuè in intellectu, opponitur nihilitati; quod enim est omnino nihil, nullum habet esse nec in se, nec obiectiuè in intellectu, & aliunde illud ens, non est ens reale, vt ex se patet: nam ens reale habet esse in re, siue à parte rei: ergo est Ens rationis, quod est medium inter ens reale, & purum nihil.

Probatur tertia pars Conclusionis. Quando quis per cognitionem reflexam cognoscit se formasse Ens rationis cognoscendo rem aliter ac est; tunc nihil fingit, imò verum cognoscit, & potest facere, vt alius idem cognoscat, & in tali casu formatur idem Ens rationis: nam datur obiectiuè aliquid in intellectu ergo tunc datur Ens rationis sine fictione, quamuis primò sit formatum cum fictione, & ita fingi non est illi essentiale, cùm sit ab illo separabile: sed accidentarium; deinde Deus facit Entia rationis, vt dicetur art.4. constat autem, quòd Deus non potest fingere; intelligere enim aliquid aliter ac est, maximam importat imperfectionem: ergo fingi non est essentiale Enti rationis, sed accidentarium.

Probatur quarta pars Conclusionis. Ens rationis tantùm fit ab intellectu creato, vel per ordinem ad intellectum creatum, vt dicetur posteà, sed intellectus creatus nihil potest primò, & directè apprehendere, nisi ad modum entis realis: cùm solùm per species entis realis fiat in actu primo, & cognoscat: ergo fingi necessariò conuenit Enti rationis: si enim intellectus intelligit Ens rationis ad modum entis realis, fingit ipsum ad modum entis realis; ac cognoscit aliter ac est. Deinde non potest explicari, quid sit Ens rationis, maximè si fiat sermo de intentionibus Logicis, nisi per aliquod esse fictum: nam istæ intentiones sunt relationes rationis, quæ non possunt intelligi referre vnum relatiuum ad suum correlatiuum, v.g. genus ad speciem, nisi intelligatur, vt aliquid intrinsecè inhærens, in qua intellectione est fictio: non enim Ens rationis est aliquid intrinsecè inhærens: ergo fingi necessariò conuenit Enti rationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus non dicitur Dominus & Creator &c. à relatione rationis, quam in ipso ponimus: sed à relatione subditorum, & creaturarum ad ipsum, quia ante quamcumque considerationem intellectus, Deus est, & dicitur Dominus ac Creator; quòd autem aliquid denominetur ab aliquo extrinseco, quod ad ipsum terminatur, constat in multis, nam dicitur paries visus à visione, quæ est in animali, quam tamen terminat, vnde tales denominationes non sunt Entia rationis, nisi fundamentaliter.

Ad secundum dicendum, quòd denominatio quæcumque, si sumatur, vt pertinet ad nomina, sic est Ens rationis: sed de hac non loquimur in præsenti: verùm de denominatione, quæ pertinet ad res, quæ reuera est à parte rei, etiamsi sit denominatio extrinseca: vnde solùm fundamentaliter est Ens rationis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solus intellectus faciat Ens rationis?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd non solus intellectus faciat Ens rationis: sed etiam aliæ potentiæ. Ita tenent aliqui. Probatur. Voluntas aliquando ordinat vnum ad aliud, ad quod non potest ordinari à parte rei, vt cùm peccando ordinat Deum ad creaturam; nam in tali casu creatura est vltimus finis; ad quem omnia ordinantur, sed tunc non est ordo, siue relatio realis; at est relatio rationis: ergo voluntas facit Ens rationis.

¶ 2. Præterea, Imaginatio, siue phantasia ex duabus rebus aliquando componit tertiam, sicut ex monte & auro, vt ait D. Thom. facit montem aureum: sed hoc fictum est Ens rationis: ergo imaginatio facit Ens rationis.

¶ 3. Præterea, Visus respiciens baculum in aqua, videt illum fractum; & tactus indebitè dispositus apprehendit vt plura id, quod est in se vnum; & gustus infectus apprehendit vt amarum id, quod est dulce: sed ista cùm nihil sint in re, & habeant esse obiectiuum, sunt Entia rationis: ergo sensus externi faciunt Ens rationis.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, ac plures alij extra scholam D.Thom.

CONCLVSIO.

Cùm Ens rationis sit id, quod cùm nihil sit in re, habet esse obiectiuè in intellectu: à solo intellectu fieri potest.

RESPONDEO dicendum, quòd solus intellectus potest facere Ens rationis. 2. non solùm per actum reflexum, sed etiam per actum directum. 3. vnde per quamlibet operationem intellectus passibilis potest fieri Ens rationis. 4. per nullam verò intellectus agentis. Ad cuius euidentiam sciendum est potentias animæ esse principia immediata actionum, quas facit anima: nulla quippe substantia creata ob suam limitationem est se ipsâ sufficiens principium suarum actionum propriè sumptarum; solius emanationis suarum proprietatum est immediatum principium: & ideo indiget superadditis facultatibus, siue potentiis quibus constituatur proximè potens operari; & ista principia vocantur potentiæ; quia faciunt substantiam potentem operari; de istis potentiis agitur suè

in libris de anima. Diuiduntur in tres classes, sicut animæ, quarum sunt potentiæ & proprietates; aliquæ dicuntur Vegetatiuæ, scilicet nutritiua, augmentatiua & generatiua; aliæ sensitiuæ, quæ subdiuiduntur in externas & internas, externæ sunt quinque, visiua, auditiua, olfactiua, gustatiua & tactiua, & vocantur sensus externi: internæ sunt quatuor, quæ & sensus interni vocantur, scilicet sensus communis, phantasia siue imaginatio, æstimatiua siue cogitatiua, memoria siue reminiscentia, aliæ denique sunt rationales, scilicet intellectus tam agens, quàm passibilis, & voluntas.

Item sciendum est, quòd Ens rationis habens fundamentum in re diuiditur adæquatè in negationem latè sumptam, prout dicit carentiam formæ, & in relationem rationis, ita D. Thom. quæst. 21. de veritate, art. 1. vbi sic ait. *Id quod est rationis tantùm, non potest esse nisi duplex, scilicet negatio vel relatio*: idem docet alibi sicut & Aristoteles 5. Metaphisicæ, textu 20. vbi de relatione, & textu 27. vbi de negatione: & ratio est manifesta, quia vel proximum fundamentum, quod nititur intellectus cognoscere, est aliquod ens reale & positiuum, vel aliqua remotio entitatis, quæ ambo sunt à parte rei, nec datur aliud; si primum cognoscat, vt est in se à parte rei, nullum fit Ens rationis: si verò cognoscat aliter, ac est, scilicet ad aliud relatum, cùm reuera à parte rei ad aliud non referatur; tunc est relatio rationis. Si secundum cognoscat, scilicet remotionem entis; tunc resultat Ens rationis, quod dicitur negatio, quæ apprehenditur, vt aliquid inhærens subiecto, & per modum cuiusdam in eo absoluti, licèt ad ipsum dicat respectum eo modo quo aliæ formæ, quæ sunt relationes transcendentales, siue secundùm dici: relatio verò rationis apprehenditur per modum relationis realis, vt respiciens terminum, & ad illum referens subiectum in quo apprehenditur: vnde etiam in ipsa negatione, si apprehendatur eius ordo ad subiectum, intellectus per illam comparationem formabit relationem rationis; vnum quippe Ens rationis potest esse fundamentum alterius: alia Entia rationis, quæ possunt fieri, sunt sine fundamento in re, vt chimera.

Item sciendum est, quòd tam negatio, quàm priuatio possunt sumi tripliciter. Negatio sumitur primò latè pro quocumque non esse, & dicitur negatio simplex, vel pura; quia simpliciter negat entitatem, nec connotat aliquod subiectum, & ita termini infiniti, vt non homo, non studens, &c. dicuntur negationes. Secundò sumitur minùs latè pro carentia formæ in aliquo subiecto abstrahendo ab illo, quòd sit aptum vel ineptum ad talem formam, & sic comprehendit negationes tam proprias, quàm priuationes, & est genus ad illas; vnde priuatio per negationem sic sumptam definitur, & in hoc sensu sumpta est negatio in illa diuisione, quâ supra diuisum est Ens rationis habens fundamentum in re in negationem & relationem. Tertiò tandem sumitur negatio propriè, & strictè prout opponitur priuationi, & dicit carentiam formæ in subiecto inepto ad illam formam habendam, sicut vna species dicit negationem alterius; & ita equus habet negationem rationalitatis: hanc doctrinam tradunt Aristoteles, & D. Thom. 4. Metaphysicæ, textu 4. & 5. textu 27. Similiter priuatio sumitur tripliciter ex Aristotele loco citato, & D. Thom. in 1. dist. 28. qu. 1. art. 1. ad 2. & 1. part. quæst. 33. art. 4. ad 2. & quæst. 9. de potentia, art. 7. ad 11. Primò pro carentia formæ in subiecto inepto ad illam habendam: quamuis ipsa forma possit haberi ab aliquo alio subiecto, quodcumque illud sit, & hoc modo lapis dicitur priuatus visû, & in hoc sensu accepta priuatio non distinguitur à negatione sumpta secundo modo, differt tamen ab ipsa primo modo sumpta; nam priuatio dicit subiectum aliquod: negatio verò sic, nullum. Secundò sumitur pro carentia formæ in subiecto, quod ipsam non potest habere, sed ab alio sui generis potest haberi, vt carentia visus in talpa, sic dicitur priuatio & cæcitas. Tertiò denique sumitur pro carentia formæ in subiecto apto, quando & vbi potest habere, vt tenebræ in aëre, & cæcitas in carne post nonum diem. Tam negatio autem, quàm priuatio possunt sumi, vel in propria ratione; & sic non sunt Entia rationis, nisi fundamentaliter, imò sunt à parte rei non quidem ens, sed remotio entis in rebus: siquidem à parte rei nemine cogitante sunt aliquæ negationes & priuationes; vel possunt sumi in ratione entis, & sic non sunt à parte rei, sed constituuntur in hac ratione secundùm quòd se habent obiectiuè in intellectu.

Probatur prima pars Conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Philosophus 6. Metaphysicæ, textu 8. diuidit ens in ens reale, & ens in anima: D. Thom. verò 1. part. quæst. 3. art. 4. ad 2. & in 1. dist. 19. quæst. 5 art. 1. ad 1. adæquate diuidens ens in reale, & rationis, istud vocat conceptionem, quam facit anima, siue intellectus. Deinde probatur ratione. Ens rationis est illud, quod nullum aliud habet esse, quam cognosci, siue esse obiectiuè in cognoscente, vt constat ex eius definitione: ergo per eumdem actum quo fit, cognoscitur, & econtra: quia si solùm fit, vel habet esse, quando est obiectiuè in cognoscente, simul habet rationem effectus & obiecti respectu cognitionis; & ita per eumdem actum, quo fit, cognoscitur, & econtra; ergo solùm potest fieri ab illa potentia, quæ simul facit & cognoscit, siue quæ reflectitur supra suum actum: si enim ens rationis per eumdem actum, quo fit, cognoscitur; certum est, quòd hoc solùm potest fieri à potentia, quæ reflectens supra suum actum & effectum, habet illum tanquam obiectum: sed solus intellectus est talis potentia reflectens supra suum actum inter potentias cognoscitiuas, vt docet D. Thom. opusc. 48. tract. 2. cap. 2. vbi dicit, quòd intellectus non solùm actu distincto reflectitur supra suum actum: sed etiam in eius actu directo inuenitur quidam modus reflexionis per hoc quòd aduertit ad suum actum, & ad effectum illius, eo modo, quo etiam voluntas ex D. Thom. 1. 2. q. 16. art. 3. ad 3. reflectitur supra suum actum; nam eodem actu, quo eligit medium, consentit se eligere, & applicat se ad eligendum: hoc autem est peculiare istis potentiis ob suam immaterialitatem: constat autem, quòd hic modus reflexionis repugnat sensibus, quia obiectum cuiuscumque sensus, est aliquid particulare, vt patet in visu, quod est color; extra quod sensus non potest ferri, aliàs non esset obiectum adæquatum: & ideo cùm sensus quicumque, aut eius actus non cadant sub eius obiecto, non possunt percipi à tali sensu, & ita non potest reflectere supra se, aut supra suum actum: intellectus autem habet obiectum latissimum scilicet ens verum, sub quo continentur non solùm alia, quæ cognoscuntur ab intellectu, sed & ipsemet intellectus & eius actus; vnde solus inter potentias cognoscitiuas potest reflectere supra se, & supra suum actum: ergo solus intellectus potest facere Ens rationis. Confirmatur. Nulla alia potentia ab intellectu fertur in ens vt sic; nam quælibet alia habet obiectum determinatum, extra quod non potest ferri, vt per se constat: ergo nulla alia potentia ab intellectu potest facere Ens rationis: cùm enim Ens rationis nullum aliud habeat esse, quàm obiectiuum, solùm fit & est, dum obiicitur intellectui, siue dum cognoscitur: ergo ab eodem fit à quo cognoscitur, & ab illo, à quo cognoscitur, fit: & ita à solo intellectu cognoscitur, & fit per eumdem actum.

Probatur secunda pars Conclusionis. Dantur aliquæ relationes rationis, quæ non fundantur in denominatione extrinseca cogniti, sed intellectus ipsas fundat immediatè supra aliquam entitatem realem, vt relatio creatoris in Deo; & ita non fiunt per actum propriè reflexum, at per actum directum, quod idem dicendum est de negationibus, & priuationibus: ergo intellectus non solùm per actum reflexum, sed etiam per actum directum potest facere Ens rationis: non tamen omne, quia secundæ intentiones Logicales, vt postea dicetur, fiunt necessariò per actum intellectus propriè reflexum.

Probatur tertia pars Conclusionis inductione. De prima quidem: constat tunc fieri Ens rationis, quando negationes, priuationes & relationes rationis, siue secundæ intentiones ad modum entis apprehenduntur: hoc

autem

autem fit per simplicem apprebensionem, vt infra magis declarabitur, quæ est prima mentis operatio. Deinde de secunda, relatio qoam dicit prædicatum ad subiectum, & Antecedens ad Consequens, est relatio rationis; nam babitudo formæ, quam prædicatom dicit ad subiectnm, & habitudo causæ, quam Antecedens dicit ad Conseqoens, non conuenit eis à parte rei, sed per iotellectum tantùm, aliàs id quod est prædicatum, esset semper prædicatum, & Antecedens semper esset Antecedens, quod tamen constat esse falsum: nam ad libitum prædicatum fit subiectum, Antecedens fit Consequens, & econtra: tales autem relationes rationis fiunt, siue resultant ex iudicio rationis, quod est secunda operatio meons; quia non datur prædicatum, oec cognoscitur absque prædicatione: constat autem quòd prædicatio, siue compositio fit per secundam mentis operationem. Confirmatur: Per simplicem apprehensionem cognoscitur tantùm homo vt prædicabile, non verò vt actu prædicatum, siue vt exercens actum prædicationis, vt per se patet: ergo ista Entia rationis non fiunt per simplicem apprehensiooem: sed per iudiciom, quod prædicabilia actu prædicat. Denique probatur de tertia. Licet relatio rationis, quam dicit Antecedens ad Coosequens, & econtra, provt vnum potest inferre aliud, & aliud inferri ex alio, pertioeat ad secundam mentis operationem, vt dictum est: tamen Antecedens vt actu infereos, siue in actu exercito, & Consequens vt actu illatum, siue in actu exercito non possunt cognosci, nisi per discursum, vt patet: ergo tales relationes rationis fiunt per tertiam mentis operationem, & vt sic, sunt quid complexum; quamuis ipsæmet in abstracto, siue in actu signato coosideratæ, sint qoid incomplexom, & possint fieri per primam mentis operationem: vnde per quamlibet operationem iotellectus passibilis potest fieri Ens rationis: hic autem intellectus ex triplici capite habet facere Entia rationis. Primò ex sua fœcunditate, ex qua pro libito potest fingere non entia, vt chimeras ad modum entis; distinguere quæ à parte rei sunt necessariò vnita, & vnire quæ sunt distiocta. Secundò ex latitudine suæ cognitionis; cùm enim eius obiectum sit ens in tota sua latitudine, extra quod non potest ferri; inde est, quòd volens attingere non entia, format illa ad modum entis: vnde facit Ens rationis, & boc genus Entis rationis babet pro fundamento oon ens, vt priuationes & negationes. Tertiò denique ex eius debilitate, siue ex imperfecto modo iotelligendi; quia scilicet sæpe non potest cognoscere res, vt in se sunt; & ideò ordinat, & refert ioter se, quæ re vera non ordinantur, vel quia non potest vnico actu aliquod obiectum comprehendere secuodùm omnia, quæ habet; & ideo in illo distinguit, quæ re vera distincta ooo sunt: & hoc modo formantur relatiooes rationis, quæ habent pro fuodamento aliquod ens positiuum, quod cognoscitur, vt ordioatum ad aliud; & sic distinguitur hoc genus Entis rationis à secundo, quòd solùm habet pru fundamento non ens; & ista duo genera distioguotur à primo, quòd nullum habet fundamentum; quòd ideo est omnino fictum, nec deseruit scientiis, & ita de illo non datur scientia, & sæpe excloditur à numero Entium ratioois.

Probatur quarta pars Conclusionis contra Masium hic, sect. 3. quæst. 1. concl. 3. Ens rationis fit, dum cognoscitur, & ab eo à quo cognoscitur, vt patet ex dictis: sed intellectus agens non est cognoscitiuus; totum enim quod facit, est illuminare phantasmata, vt dicetur infra in libris de anima: ergo per nullam operationem intellectus agentis potest fieri Ens rationis.

Ao primum ergo dicendum, quòd voluntas non potest aliquid ordinare ad aliud: omnis enim ordo est ab intellectu, & in illum resoluitur; nam ordinare est opus intelligentiæ, & quidquid ordinis inuenitur io actibus voluntatis, est ab intellectu, vt ait D. Thom. 1. 2. quæst. 16. art. 1. quod manifestè ostenditur: si enim intellectus proponit aliquid voluntati sine aliqua ordinatione, fertur in illud absolutè, vnde non potest ad aliud ordinare; & sic quando amat vnum propter aliud, non ordinat vnum ad aliud, propriè loquendo: sed iam ordinatum per intellectum dirigit; vnde non potest facere Ens ratioois: sed solùm præbere fundameotum proximum, sicut & aliæ potentiæ denominantes extrinsecè sua obiecta: nec apparentia boni, quæ est Ens rationis, fit à voluntate cùm tendit in bonum apparens, sed ab intellectu apprehendente illud apparens tanquàm verum: ratio vtriusque est, quia voluotas exit quasi à se ad ipsas res; vnde noo potest illis communicare aliquod esse obiectiuum, aot bonitatem: intellectus autem ad se attrahit rés formando io se illarum similitudioem; vnde potest illis dare aliquod esse obiectiuum.

Ao secundum dicendum, quòd cùm sensus sint de singularibus, non de voiuersalibus, siue vt dicit Caietanus 1. part. quæst. 80. art. 2. respiciant vniuersale aduerbialiter, id est colorem, v. g. vniuersaliter, non autem vniuersale nominaliter, quod est obiectum intellectus, non potest apprehendere naturam vniuersalem, & sic nec referre ad indiuidua; vnde facere non potest relationes, aot alia Entia rationis: & quamuis imaginatio ex duabus speciebus formet vnam tertiam montis aurei; tamen quia non potest ex se attingere illud oon entis, quod est iu moote aureo ad modum entis, ideo oon facit Ens rationis, cuius rei est indicium, quòd non percipit se decipi, sicut intellectus; & licèt ex influentia intellectus possit cogitatiua formare aliquos actus iudicij & discursus imperfectos; tamen nuoquam perueniet ad cognitionem talem, vt cognoscat illud esse rationis, quod est in propositione, aut syllogismo, quod est necesse ad faciendum Ens rationis; nam fit, dum cognoscitur.

Ao tertium diceodum similiter, quòd sensus non se habet actiuè ad hæc, quæ offeruntur: sed tantùm passiuè; hæc enim proueoiunt ab obiectis indebitè dispositis, vel à medio: similia tamen suot quid reductiuum ad Ens rationis.

Articvlvs IV.

Vtrùm diuinus Intellectus faciat Entia rationis?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd diuinus intellectus oon faciat, imò non possit facere Entia rationis. Ita teoent multi, præcipuè moderni. Probatur. In factiooe Entis rationis admiscetur aliqua imperfectio; quia non potest fieri ab intellectu nisi fingat, concipiendo scilicet non ens, ad modum entis; in boc enim consistit essentia Entis rationis: sed talis imperfectio & omois alia debet excludi à diuino intellectu, cùm omnia quæ sunt in Deo sint infinitè perfecta; ac proinde excludant omnem imperfectionem & includaot omnem perfectionem; quodlibet intra propriam lineam: ergo diuinus intellectus nec facit, nec potest facere Entia rationis.

¶ 2. Præterea, diuinus intellectus est summè efficax in sua operatione, imò est diuioa omnipotentia; ita vt non aliter Deus operetur ad extra, quàm per actionem intellectus: ergo quidquid facit, est ens reale, aliàs deficeret in sua operatione.

¶ 3. Præterea, cognitio Dei est perfectissima: ita vt cognoscat res, vt sunt, & ita cognoscit ens vt ens, & non ens, vt non ens, aliàs cognosceret res aliter quàm sint: ergo diuinus intellectus nec facit, nec potest facere Entia rationis: quia si faceret, cognosceret non ens admodum Entis.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur commuoiter eius discipuli: nostri Salm. tract. de scientia Dei, disp. 1. dub. 3. num. 59. & in comment. art. 9. noster Didacus in Log. disp. 3. quæst. 3. & alij.

Conclvsio.

Cùm diuinus intellectus cognoscat Entia rationis, & eorum cognosci, sit fieri: diuinus intellectus facit Entia rationis.

RESPONDEO dicendum, quòd diuinus intellectus format, vel facit Entia rationis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd Deus comprehendit omnes actiones hu-

manas,& quaſcunque fictiones, quæ in eis accidunt, & conſequenter fictiones obiectiuas, quæ illis correſpondent ſecundùm id, quod reuera ſunt, ſcilicet ſecundùm eſſe merè obiectiuum: cognoſcit enim Deus non ens ad modum entis ex parte obiecti vltimò terminatiuè quia ſcilicet non ens per ſuam non entitatem, & ens rationis per ſuum eſſe merè obiectiuum terminat actum diuinæ cognitionis;eſt enim quid cognoſcibile, ac proinde cadit ſub obiectu intellectus diuini.

Probatur Concluſio authoritate D. Thom. 1. part. quæſt.15.art.2.ad 3. & ad 4.Nam ad 3.dicit, quòd reſpectus, quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus: ſed ab intellectu diuino comparante eſſentiam ſuam ad res.Et ad 4. dicit, quòd illi reſpectus non ſunt reales, ſed reſpectus intellecti à Deo,quod idem eſt,ac reſpectus rationis: ergo intellectus diuinus facit, ſiue format Entia rationis.

Secundò, qui dat Enti rationis eſſe, quod habet, facit illud:nihil eſt enim facere aliquid,quàm dare illi eſſe: ſed Deus cognoſcit Ens rationis,& cognoſcendo dat illi eſſe, quod habet; quia cùm eſſe Entis rationis ſit tantùm obiectiuum, vt ex eius definitione patet, obijci intellectui eſt eſſe illius: conſtat autem, quòd à cognitione ſui habet,quòd obijciatur intellectui; & ita hoc habet à cognoſceote,vt à cauſa: ergo Deus facit Ens rationis. Confirmatur. Ens rationis, abſolutè loquendo, non eſt, antequam cognoſcatur; ſed per ipſam cognitionem accipit eſſe: ergo cognoſci, eſt eius fieri, aliàs haberet eſſe per ſe, & eſſet per ſe, ac proinde eſſet ens reale.

In cognitione & formatione Entis rationis, quæ in Deo ponitur, nulla eſt imperfectio: non enim illud cognoſcit aut format,quòd illo ad cognoſcendum indigeat, ſicut nos indigemus: ſed cognoſcit ex hoc, quòd cognoſcat actus noſtros cum ſuis imperfectionibus & fictionibus; & ita videt, quòd rem apprehendimus aliter, quàm ſit, & quòd vnum referimus ad aliud, quod reuera non refertur, & quòd cognoſcimus ad modum entis, quod reuera non eſt ens. Ex quo ſequitur, quòd Deus non cognoſcit, aut format Ens rationis ſine reſpectu ad intellectum creatum; aliàs apprehenderet etiam ipſe rem aliter,ac eſt,& affirmaret de illa,quod ei non competit: cognoſcens autem cum dicto reſpectu cognoſcit rem ſicut in ſe eſt, nec fallitur nec aliquid fingit: cognoſcit enim id quod reuera eſt, ſcilicet intellectum creatum cognoſcendo rem aliter, ac eſt, formaſſe Ens rationis; & non ſolùm intellectus diuinus, ſed etiam humanus, hoc cognoſcit. Ex quibus ſequitur, quòd Deus efficit & format idem Ens rationis,quod cognoſcit ab alio formatum, vel formandum, ſicut & ille, qui cognoſcit Ens rationis factum ab alio, facit idemmet Ens rationis: vnde idemmet Ens rationis multoties,& à diuerſis reproducitur, & reſpectu illius intellectus creatus habet rationem quaſi cauſæ primæ modo explicato, quia ſcilicet non poteſt formari ſine reſpectu ad illum;& ita Deus format reſpectus rationis, quibus multiplicantur ideæ diuinæ per hoc, quòd comprehenſiuè videns ſuam diuinam eſſentiam,cognoſcit ſummam eius eminentiam,in qua omnes actuales & poſſibiles creaturæ virtualiter vnitæ continentur, præbere fundamentum intellectui creato ad illos formandos, quia vnico conceptu non poteſt eminentem illam perfectionem exprimere, ſed multiplicatis conceptibus illam quaſi diuidens apprehendit, modò vt dicit perfectionem hominis, modò leonis &c. ac ita conſiderat ipſam modò vt ideam hominis, modò vt ideam leonis, & ſic de alijs.

Ad primum ergo dicendum, quòd quidem Ens rationis in ſui formatione prima importat fictionem, & ita eſt impoſſibile,quòd primò fiat ab intellectu diuino, vt ratio conuincit: ſed quia hoc eſt peculiare Enti rationis, vt idemmet numero multoties reproducatur, vt dictum eſt, & in alijs reproductionibus non admiſceatur fictio, ſed tantùm cognoſcatur illa,quæ accidit in prima productione:inde eſt,quòd poteſt fieri ab intellectu diuino.

Ad ſecundum dicendum,quòd intellectus diuinus practicus eſt ſummè efficax in ſua operatione ad extra, & ità producit entia realia: ſed Entia rationis non fiunt à Deo niſi per intellectum ſpeculatiuum;quia Entia rationis per hoc præcisè fiunt, quod cognoſcantur:cognoſcere autem quod in obiecto importat cognoſci, eſt actus intellectus ſpeculatiui.

Ad tertium dicendum, quòd diuinus intellectus ob ſuam ſummam perfectionem cognoſcit terminatiuè & per actum iudicij res vt ſunt; ita vt verè cognoſcat Ens rationis eſſe quid à nobis fictum ad modum entis: cùm tamen in ſe nihil ſit; quia tamen verè & abſque fictione cognoſcit illud à nobis fictum ad modum entis: ita vt per eius operationem habeat eſſe obiectiuè ſuo intellectui diuino; ideo dat illi eſſe & facit.

Articvlvs V.

Per quam ſpeciem cognoſcantur Entia rationis.

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd Ens rationis non eſt cognoſcibile;ſi verò ſit cognoſcibile, quòd cognoſcatur per ſpeciem propriam. Probatur. Obiectum cognoſcibile eſt prius ſaltem naturâ, potentiâ cognoſcitiuâ, in hoc enim differt potentia ſpeculatiua à prattica,quòd iſta facit ſuum obiectum,illa verò ſupponit: ſed Ens rationis non eſt prius intellectu, cùm fiat ab illo: ergo ens rationis non eſt cognoſcibile.

¶ 2. Præterea, ſpecies entis realis nullam habet ſimilitudinem cum Ente rationis, cùm iſta duo entia pluſquam genere differant: ergo ſpecies entis realis non poteſt repræſentare Ens rationis;ac proinde ſi cognoſcitur, hoc fit per propriam ſpeciem,non per ſpeciem entis realis.

¶ 3. Præterea, plùs differt ens reale ab ente rationis, quàm homo ab equo:licèt enim homo & equus differant ſpecie;conueniunt tamen in genere: ens verò reale in nullo genere conuenit cum Ente rationis, ſolùm conueniunt analogicè: ſed per ſpeciem hominis non poteſt cognoſci equus,vt ex ſe patet: ergo multò minùs per ſpeciem entis realis cognoſcetur Ens rationis; vnde ſi ſit cognoſcibile, cognoſcitur per propriam ſpeciem.

Sed contra eſt authoritas D. Thom. & communis ſententia Thomiſtarum, quam plures extra ſcholam D. Thom. ſequuntur.

Conclvsio.

Entia rationis cognoſcuntur per ſpeciem impreſſam entis realis ordinariè:ſemper autem per propriam expreſſam.

Respondeo dicendum, quòd Entia rationis, quæ nullum habent fundamentum in re,vt chimera, & alia omnino fictitia, vel cognoſcuntur ab intellectu per ſpecies impreſſas entium realium. 2. vel per ſpecies impreſſas proprias.3 alia verò Entia rationis, vt negationes, & priuationes cognoſcuntur per ſpecies impreſſas entium realium,ſcilicet formarum,quas negant & priuant.4.relationes autem rationis cognoſcuntur per ſpeciem impreſſam ſui fundamenti vel ſubiecti ab eis denominati. 5.ſed omnia Entia rationis cognoſcuntur per propriam ſpeciem expreſſam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt dari duplicem ſpeciem in intellectu repræſentantem aliquod obiectum. Prima dicitur impreſſa & intelligibilis, quæ abſtrahitur à phantaſmatibus per intellectum agentem, & conſtituit intellectum paſſibilem in actu primo reſpectu talis obiecti; vnde dicitur principium intellectionis. Secunda dicitur ſpecies expreſſa, ſiue verbum mentis, vel conceptus intellectus, quæ in ipſa intellectione producitur ab intellectu; vnde eſt terminus intellectionis,& conſtituit intellectum in actu ſecundo:quamuis & in ipſa obiectum cognoſcatur: incipit enim cognitio alicuius obiecti in eius ſpecie impreſſa, ſed perficitur & conſummatur in ſpecie expreſſa: illa verò obiecta quæ poſſunt intelligi à noſtro intellectu, ſunt in duplici differentia: quædam enim ſunt ei proportionata, & pro hoc ſtatu ſunt tantùm naturæ rerum materialium, vt ait D. Thomas 1. parte, quæſt. 88. art. 1. quia omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu originatur à ſenſibus, qui ſolùm,

vt

vt patet, poſſuot apprehendere materialia : nec in eis eſt aliquid, quod nos poſſit perfectè ad cognitiouem rerum immaterialium ducere, ſed taotùm ſecuodùm quamdam analogiam : alia ſuot improportionata intellectui, vel propter maximam & nimis eminentem entitatem, vt eſt Deus optimus, maximos, vel propter miuimam, debilémque entitatem, vt ſunt Entia raoonis; & iſta vtraque non cognoſcuntut per ſpeciem propriam, quia non habent, ſed per ſpeciem entis proportionati intellectui; & ſic Deus pro hoc ſtatu cognoſcitur per ſpecies creaturarum; & Ens rationis per ſpeciem entis realis. Ea quo ſequitur, quòd aliquid poteſt cognoſci dupliciter, vel io ſe, quando ſcilicet cognoſcitur per propriam & adæquatam ſoam ſpeciem : vel io alio, quando cognoſcitur per ſpeciem alienam, vel ſibi ioadæquaram, vt partes per ſpeciem totius.

Probatur prima pars Concluſionis. Entia rationis merè fictitia, qoæ nullum habent fundamentum in re, vt chimera, ſunt quid compoſitum ea entibus realibus, vt patet : ſed intellectus ex duabus ſpeciebus, quaſi partialibus poteſt formare rationem, & cognitionem vnius tertij ex illis compoſiti ex D. Thom. 1. part. quæſt. 12. art. 9. ad 2. vbi ait : *Intellectus ex præconceptis ſpeciebus generis & differentia format rationem ſpeciei* : Et ita vtitur illis ſpeciebus impreſſis ad cognoſcendum illud tertium: ergo Entia rationis, quæ nullum habent fundamentum in re, vt chimera, & alia omnino fictitia, aliquando cogooſcuntur ab intellectu per ſpecies impreſſas entium realium.

Probatur ſecunda pars Concluſioois. Imaginatio poteſt formare ſpeciem iſtorum entium fictitiorum ex eodem D. Thom. loco citato, vbi ait : *Aliqua potentia cognoſcitiua ſunt, qua ex ſpeciebus primò conceptis alias formare poſſunt, ſicut imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis & auri, format ſpeciem montis aurei* : Sed ex omnibus phantaſmatibus per intellectum agentem abſtrahuntur ſpecies iotelligibiles, & ita mons aureus & ſimilia merè fictitia poſſuot habere ſpecies impreſſas ſibi proprias : ergo per illas aliquando cognoſcuntur.

Probatur tertia pars Concluſionis, & explicatur ſigillatim. Negatio non habet propriam ſpeciem, cùm enim nihil ſit à parte rei, non poteſt apprehendi à ſenſibus, & conſequenter nec poteſt eſſe aliquod principium, vnde proueniat ſpecies impreſſa ei propria, & ſic tantùm poteſt cognoſci per ſpeciem affirmationis contrariæ, vt iſta negatio (homo non eſt ioſtus) apprehenditur per ſpeciem repræſentantem iſtam affirmatiuam (homo eſt iuſtus) io vtraque enim propoſitione idem eſt ſubiectum & prædicatum; quamuis in vna affirmetur, & in alia negetur, & ita quantùm ad hoc habent maximam connexionem. Similiter priuatio, cùm non habeat propriam ſpeciem, propter eamdem ratiooem intelligitur per ſpeciem impreſſam habitus, aut formæ, quam priuat, ita D.Thom. multis in locis 1. part. quæſt. 15. art. 3. ad 1. dicit malum cognoſci à Deo per rationem, & ſpeciem boni, & quæſt. 14. art. 10. ad 4. dicit malum non eſſe per ſe cognoſcibile, nec definibile, niſi per bonum, & quæſt. 48. art. 1. ait tenebras cognoſci per lumen, & vnum ea oppoſitis cognoſci per alterum, & Ariſtoteles 9. Metaphyſicæ, c. 2. dicit per ſpeciem vnius contrarij poſſe ipſum, & contrarium cognoſci, vt per ſpeciem valetudinis, ipſam, & ægritudinem : ergo negationes & priuationes cognoſcuotur per ſpecies impreſſas entium realium, ſcilicet formarum, quas negant & priuant.

Probatur quarta pars Coocluſionis. Relationes rationis & notiones ſecundæ ſuot quidam modi conſequentes ipſas naturas ſic intellectas : ſed modus cognoſcitur per ſpeciem rei modificatæ, & relationes per ſpeciem rei relatæ, vt patet etiam in relationibus realibus : ergo relationes rationis cognoſcuntur per ſpeciem impreſſam ſui fundamenti vel ſubiecti ab eis denominati. Sic igitur cognoſcit noſter intellectus has relationes : cùm ſpecies hominis vel animalis, non ſolùm repræſentet homioem vel animal : ſed etiam ootionem vniuerſi, vel geoeris vel ſpeciei, qoaſi quandam proprietatem conſequentem has naturas ſic intellectas; ideò intellectus pro ſua libertate vtitur his ſpeciebus; vel ad cognoſcendam ſolam naturam; & tonc producit verbum repræſentans ſolam naturam, vel ad cognoſcendam ſolam notionem; & tunc producit verbum repræſentans ſolam notionem, vel ad cognoſcendum vtrumqoe; & tuoc producit verbum repræſentans vtrumque, eo prorſus modo, quo aliquis poteſt vti ſpecie impreſſa totius ad cognoſcendam partem: tunc enim verbum productum per talem cognitionem repræſentat ſolam partem.

Probatur quinta pars Concluſionis ſigillatim. Eotia rationis merè fictitia cognoſcuntur, vt aliqoid ſubſiſtens, ſicut chimera, quæ in ſe, & ſeorſim ab aliis cognoſcitur, ita vt intellectio ad illa ſola terminetur : ſimiliter noſter intellectus apprehendit oegationes & priuationes ad modum entis, vt cæcitatem per modum cuiuſdam formæ in viſu, & iotellectio re vera terminatur ad ipſas per ſe, & ſeorſim à quocuoque alio; quod proportione ſeruatâ dicendum eſt de relationibus rationis : ergo tali intellectione producitor ſpecies expreſſa illis propria, ac proinde omoia Entia rationis cogooſcuotur per propriam ſpeciem expreſſam.

Ad primum ergo dicendum, quòd intellectus noo eſt potentia purè ſpeculatiua reſpectu Entis rationis, ſed eſt ſimul prattica, vel quaſi prattica, cùm illud efficiat.

Ad ſecundum dicendum, quòd ooo poteſt dari ſpecies, quæ ex æquo repræſentet ens rei, & Ens rationis; benè poteſt dari vna, quæ vnum repræſentet primariò, & aliud ſecundariò tanquam eius modum, vt dictum eſt: nec ad hoc requiritur ſimilitudo : ea quo ſequitur, quòd ſpecies impreſſa entis rei eacedit eapreſſam eiuſdem & virtualiter continet etiam eapreſſam Enis rationis.

Ad tertium dicendum, quòd licèt homo & equus magis conueniant in ratione entis, quàm ens reale, & Ens rationis, vt obiectio conuincit : tamen homo & equus ſe habent diſparatè; vnde vnum oon poteſt cognoſci per ſpeciem alterius : Ens aotem rationis, quamuis maximè differat ab ente reali, eſt tamen qoidam modus illius, & ex ipſamet differentia & oppoſitione, quam habent; præcipuè loquendo de negationibus & priuationibus; ſequitur, quòd vnum poſſit cognoſci per ſpeciem impreſſam alterius.

Articvlvs VI.

Quid, & quotuplex ſit ſecunda intentio Logicalis?

Ad ſextum ſic proceditur. Videtur, quòd omne Ens rationis ſit ſecunda inteotio Logicalis. Probatur. Logica conſiderat omne Ens rationis, agitur eoim in illa tum de Entibus rationis merè fictiòis, tum de priuationibus, & negationibus, tom de relationibus rationis; & hæc omnia oon ſunt entia primæ intentionis : entia quippe primæ intentionis ſunt realia, & à parte rei nemine cogitante; ergo omoe Ens rationis eſt ſecunda intentio Logicalis.

§ 2. Præterea, videtur, quòd non poſſit determinari quotuplex ſit ſecunda intentio Logicalis : quia ſecunda intentio Logicalis ſit ab intellectu; vt patet, cùm ſit tantùm Eos rationis : ſed intellectus, vel ex ſua fœcunditate, vel ea imperfecto modo intelligendi, poteſt multiplicare, non ſolùm oumero, ſed etiam ſpecie, ſecundam inteotionem Logicalem: ergo non poteſt determinari quotuplex ſit ſecunda intentio Logicalis.

Sed contra eſt communis ſeotentia omnium Dialecticorum, Caietani capite de genere, Soto, noſtrorum Compluteníium, & aliorum in præſenti.

Conclvsio

Secunda intentio Logicalis eſt relatio rationis, quæ conſequitur rem intellectā, vt habet eſſe obiectiuè in intellectu.

Respondeo dicendum, quòd nomine ſecundæ intentionis Logicæ communiter intelligitur quædam relatio rationis vnius ad aliud. 2. cuius ſunt multæ ſpecies. Ad

cuius

cuius euidentiam sciendum est, quòd intentio & notio pro eodem in præsenti sumuntur: nam licèt intentio à philosophis Moralibus & Theologis accipiatur pro actu voluntatis respectu finis: à Dialecticis verò intentio pro attentione, siue notione, quæ sunt actus intellectus, assumitur; secundùm hoc axioma, pluribus intentus siue attentus, minor est ad singula sensus: aliquando tamen nomina actuum appropriant obiectis; & ideo intentio sumitur pro obiectis actuum intellectus; sed ad tollendam confusionem, actus vocantur intentiones formales, obiecta verò intentiones obiectiuæ; intentio autem tam formalis, quàm obiectiua diuiditur in primam & secundam. Prima intentio formalis est cognitio intellectus, quæ fertur in illa attributa, quæ conueniunt rebus à parte rei: prima verò obiectiua sunt ipsæ res cognitæ secundùm illa attributa, quæ sibi conueniunt à parte rei. Intentio secunda formalis est cognitio intellectus, quæ fertur in illa attributa, quæ conueniunt tantùm rebus per intellectum: obiectiua verò sunt ipsæ res secundùm illa attributa tantùm, quæ sibi conueniunt per intellectum: nomina quæ significant istas secundas intentiones dicuntur nomina secundæ intentionis, vt genus, species, &c. quæ verò significant primas intentiones, dicuntur nomina primæ intentionis, vt homo, leo &c. loquendo tamen absolutè & absque determinatione, iam vsus inualuit, quòd tam pro primis, quàm pro secundis intentionibus, intelligantur obiectiuè. Ex dictis patet primam intentionem, tam formalem, quàm obiectiuam, esse quid reale: hæc enim est res à parte rei, illa est actus intellectus: secunda etiam intentio formalis est ens reale; cùm sit actus intellectus; secunda verò obiectiua, est Ens rationis: etiamsi sint aliquæ secundæ intentiones, quæ fundantur super alias secundas; omnes tamen quantumcumque multiplicentur, dicuntur secundæ intentiones.

Probatur, siue explicatur prima pars Conclusionis. Pro secunda intentione siue notione intelligitur quidam respectus rationis vnius ad aliud, sicut intentio generis refert naturam animalis considerati, vt quid abstractum à suis speciebus ad ipsas species, scilicet hominem, equum &c. notio verò siue intentio speciei refert naturam hominis, vel equi &c. ad animal sic consideratum: hæ autem relationes sunt relationes secundùm esse, cùm primò & per se respiciant suum correlatum: genus enim vt sic, seipso toto & essentialiter respicit speciem, & econtra; Antecedens respicit Consequens, & e contra: vnde terminus harum intentionum secundum propriam rationem relationis sunt oppositæ relationes: secundùm verò communem rationem Entis rationis, est intellectus, respectu cuius se habent eo modo, quo accidentia realia respectu subiectorum, quæ essentialiter sub ratione accidentis respiciunt vt proprium terminum; cum accidentis esse sit inesse; quamuis relatio sub propria ratione vltima respiciat relationem sibi oppositam; & cùm ratio Entis rationis includatur essentialiter in conceptu vltimo harum intentionum eo modo, quo ratio entis realis in quocumque conceptu reali ratione transcendentiæ; ideo istæ intentiones etiam secundùm proprias rationes dicunt ordinem implicitum ad intellectum.

Probatur & explicatur secunda pars Conclusionis. Cùm sint diuersæ rationes fundandi, relatio rationis siue secunda intentio non solùm Logicalis; sed in communi diuiditur in multas species. Primò in eas, quas intellectus immediatè fundat supra aliquam entitatem realem; & in eas, quæ non habent pro ratione fundandi immediatè aliquam entitatem vel perfectionem realem; sed aliquam denominationem extrinsecam prouenientem, vel ab intellectu cognoscente naturas rerum, vel à voluntate imponente significationem vocibus: prioris generis sunt relatio dextri & sinistri in columna, relatio Creatoris in Deo ad creaturam: hæc enim relatio fundatur in omnipotentia diuina, tanquam in ratione fundandi, siue in fundamento proximo, & ipsa creatio est conditio sine qua non; nostra autem cognitio licèt effectiuè formet hanc relationem; tamen non se habet ex parte fundamenti, vt ratio recipiendi talem relationem: nam omnipotentia sine hoc quòd tali, vel tali modo cognoscatur, est sufficiens fundamentum supposità creatione fundandi relationem Creatoris: secundi generis sunt relationes rationis, quas considerant Grammatica, Rhetorica & Logica; & sunt illæ, quæ magis immateriales habent pro ratione fundandi non aliquam entitatem, aut perfectionem realem, sed solam denominationem extrinsecam, vt dictum est: nam in Grammatica declinationes nominum & coniugationes verborum, quæ sunt relationes rationis, non fundantur supra realem entitatem vocum, sed supra ipsarum significationem, quæ est denominatio extrinseca ex libera imponentium voluntate prouenìens; & ita de aliis relationibus rationis Grammaticalibus, pronomen, aduerbium, participium &c. Similiter exordium, tropus, figura, & aliæ relationes rationis consideratæ à Rhetorica non solùm supponunt pro sua ratione fundandi significationem vocum, sed etiam congruentiam orationis, quæ est denominatio extrinseca, & quid rationis, & hanc orationem suis figuris Rhetor exornat: ex quo patet relationes rationis consideratas à Rhetorica essentialiter distingui ab his, quas Grammatica considerat: simili modo dicendum est de relationibus rationis Logicis; nam genereitas, siue relatio generis, qua animal refertur ad sua inferiora, non fundatur supra ipsam naturam animalis secundùm ea quæ habet à parte rei; quia scilicet est sensibilis, mobilis &c. sed secundùm quod sic terminat cognitionem, scilicet inquantùm cognoscitur vt abstractum à suis inferioribus & vt quid superius illis: potens illis communicari, & prædicari de illis, quod idem dicendum est de aliis relationibus Logicalibus, siue intentionibus secundis, quæ cùm fiant per actum reflexum, fundantur immediatè supra cognitionem passiuam, quæ est denominatio extrinseca, vt ait D.Thom. in 1.d.2. quæst.1. art.3. & quæst.7. de potentia, art.11.& opusc.48. cap.1.

Ad primum ergo dicendum, quòd Logica agit per se tantùm de Entibus rationis tertij generis, id est de relationibus, quæ propriè sunt veritatis ostensiuæ; & ideo vocantur secundæ intentiones Logicæ: de Entibus rationis verò merè fictitiis, sicut & de negationibus, ac priuationibus agit tantùm per accidens tanquam de aliquo non pertinente ad eius obiectum.

Ad secundum patet ex secunda parte Conclusionis esse desumendas species secundarum intentionum à rationibus fundandi.

PORPHY

PORPHYRII ISAGOGE
DE
VNIVERSALIBVS
Summa Textus.



CRIPSIT Porphyrius hanc Isagogen, siue introductionem ad Crisaorium amicum, vt de Vniuersalibus instructus, faciliùs acquireret notitiam prædicamentorum Aristotelis: prædicamentum enim est series, siue coordinatio prædicabilium secundùm debitam subiectionem & prædicationem, ac proinde prædicabilia sunt partes prædicamentorum: vnde sine cognitione prædicabilium non possunt sciri prædicamenta. Obiectum huius partis Logicæ est vniuersale in communi sumptum pro secunda intentione, non pro natura denominata, aut aggregato ex vtroque: sic enim est ens per se, & pars obiecti adæquati Logicæ; quamuis aliquando Porphyrius, & alij Dialectici vtantur nominibus concretis, ex hoc, quòd cognitio secundarum intentionum non quæritur propter se præcisè, sed propter res, quarum cognitioni deseruiunt: nomina autem concreta significant formas connotando subiectum, & propterea Auicenna dixit Logicam esse de secundis intentionibus adiunctis primis, siue de intentionibus formaliter, de rebus verò materialiter, & denominatiuè.

Hic tractatus vltra proœmium sex continet capita: in quinque primis agit de quinque vniuersalibus sigillatim, scilicet genere, differentia, specie, proprio & accidente: in sexto tandem inter se comparat Vniuersalia, & ostendit in quibus conueniant, & in quibus differunt.

QVÆSTIO III.

De essentia vniuersalis.

QVAMVIS Porphyrius pauca de Vniuersalibus in communi dixerit, & ex industria multas quæstiones, quas vocat altiores, omiserit: tamen aliorum exemplo moti illas pertractabimus propter necessitatem materiæ: ex his enim pendent ferè omnia, quæ pertractantur in Logica; & ita compositorio modo procedentes agimus primò de essentia Vniuersalis, circa quod quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm dentur naturæ à parte rei, quæ possint denominari vniuersales?

¶ Secundò, Vtrùm à parte rei detur vnitas formalis in natura, per quam possit formaliter dici vniuersalis?

¶ Tertiò, Vtrùm à parte rei detur vnitas formalis in natura indiuiduata?

¶ Quartò Vtrùm in vnoquoque indiuiduo distinguantur vnitas formalis, & numerica?

¶ Quintò. Vtrùm detur à parte rei vniuersale formale, siue vniuersalitas in rebus?

¶ Sextò, Vtrùm natura fiat formaliter vniuersa per comparationem simplicem intellectus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm dentur naturæ à parte rei, quæ possint denominari Vniuersales?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd non dentur naturæ à parte rei, quæ possint denominari vniuersales, ita tenuerunt Heraclitus, Cratilus & alij veteres ante Aristotelem, qui dicebant omnia esse singularia, & ideo caduca & nihil perpetuum; vnde tollebant de medio scientias, & consequenter, quia, cùm scientia debeat esse necessaria & perpetua, non potest versari circa rem mutabilem: ad hanc opinionem potest reduci Ochamus, & alij Nominales, qui dixerunt non dari à parte rei vniuersum in essendo, sed tantùm in significando, scilicet voces, & in repræsentando, scilicet conceptus mentis. Probatur authoritate Aristotelis, qui 1. de demonstratione, cap. 18. sic ait: *Valeant species*, id est, *naturæ vniuersæ: cantilenæ enim sunt, & meræ nugæ*; Et cap. de substantia definiens secundas substantias, siue substantias vniuersales dicit illas significare quale quid: sed significare conuenit solis vocibus. Item lib. 1. de anima, textu 8. ait, *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius: similiter autem & si quid commune aliud prædicatur*: Sed quod est post res, est solùm in vocibus, quæ sunt institutæ ad significandum postquam res sunt: ergo ex mente Philosophi non dantur à parte rei naturæ vniuersales in essendo: sed solùm datur vniuersale in significando.

¶ 2. Præterea, quidquid est à parte rei, est singulare: quidquid enim est à parte rei, est corruptibile, productum, & percipitur ab aliquo sensu: quod autem est huiusmodi, est singulare, vt ex se patet: ergo non dantur naturæ à parte rei, quæ possint denominari vniuersales.

¶ 3. Econtra, Videtur, quòd dentur à parte rei naturæ vniuersales à singularibus separatæ. Ita tenuit Plato, vt ait Aristoteles, quamuis non desint, qui dicant Aristotelem hoc Platoni imponere: has naturas vocabat Plato ideas, & principia omnium indiuiduorum; hanc Platonis opinionem refert Aristoteles 1. Metaph. cap. 6. & 7. ac alibi sæpe, & D.Th. ex Aristotele 1. part. q. 15. art. 1. ad 1. Aliqui sancti Patres voluerunt illam reducere in bonum sensum, dicentes, quòd Plato intelligat de ideis existentibus in mente diuina, quidquid sit de illa. Probatur: Dantur à parte rei scientiæ, vt fatentur omnes Philosophi post Aristotelem: ergo dantur à parte rei naturæ vniuersales: nam scientiæ, cùm sint necessariæ & perpetuæ debent tractare de rebus necessariis & perpetuis; constat autem, quòd singularia, & quidquid est in singularibus, est contingens; nam oritur & interit cum illis: & ita à parte rei dantur naturæ vniuersæ à singularibus separatæ.

¶ 4. Præterea, Vnumquodque producitur à suo simili: sed aliquando manifestè constat, quòd vnum indiuiduum non producitur ab alio indiuiduo sibi simili; aliquando enim ignis producitur à non igne, & mus à non mure, & sic in multis aliis: ergo ponendæ sunt à parte rei naturæ vniuersæ vniuscuiusque speciei, quæ producant ista singularia.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom.

D.Thom. quos communiter ſequuntur non ſolùm Thomiſtæ, ſed & alij Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm à parte rei ſint ſcientiæ; ſit obiectum etiam intellectus; & ſunt propoſitiones de naturis Vniuerſalibus: verè dantur à parte rei naturæ, quæ poſſint denominari Vniuerſales in ſingularibus exiſtentes.

Respondeo dicendum, quòd dantur à parte rei non ſolùm voces & conceptus formales communes, ſed etiam conceptus obiectiui illis correſpondentes, qui ſunt naturæ Vniuerſales 2. quæ tamen non ſunt à ſingularibus à parte rei ſeparatæ: imò implicat dari tales naturas ſeparatas. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D. Th. 1.part. quæſt.85. art.2. ad 2. & 3. ad 1. Item 7. Metaph. lect.13. Vniuerſale, ſiue Vniuerſum poſſe ſumi dupliciter. Primò poteſt ſumi pro intentione, ſiue pro relatione Vniuerſalitatis, quæ dicitur Vniuerſum formale. Secundò pro natura tali intentioni ſubiecta, ſiue cui applicatur per intellectum talis intentio, & dicitur Vniuerſum materiale, & de hoc procedit præſens difficultas, de alio agetur in aliis articulis: hoc verò Vniuerſum materiale poteſt multipliciter diuidi: Vniuerſale quippe dicitur, quod importat ordinem ad plura, quod poteſt fieri in genere cauſæ efficientis, & dicitur Vniuerſale in cauſando, ſiue cauſa Vniuerſalis, cuiuſmodi eſt Deus & aliæ cauſæ ſuperiores: vel in genere cauſæ exemplaris, & dicitur Vniuerſale in repræſentando, ſiue exemplar & ſimilitudo, vt ideæ in mente artificis, ſpecies intelligibiles & alia quæ repræſentant Vniuerſalia: vel in genere ſigni, & dicitur Vniuerſale in ſignificando; vt voces, quæ plura ſignificant: vel denique in genere cauſæ quaſi formalis, in quantùm aliquid exiſtit in pluribus, & conſequenter prædicatur de illis; & hoc dicitur Vniuerſale in eſſendo, & in prædicando, quod ſimpliciter & abſolutè eſt Vniuerſale: nam alia ſupra enumerata in ſe entitatiuè conſiderata ſunt quid ſingulare, & ſolùm dicuntur Vniuerſalia, vel quia plura cauſant, aut repræſentant, aut ſignificant: de hoc vltimo deinceps agendum eſt, quod dicitur communiter Vniuerſale Logicum: eſſe autem, & prædicari ſe habent, vt eſſentia, & proprietas; nam per hoc quòd aliquid eſt in multis, ſequitur, quòd prædicetur de multis; vnde Vniuerſale Logicum definitur aliquando per eſſe in multis, aliquando per prædicari de multis.

Item ſciendum eſt, actus noſtri intellectus vocari eius partus & conceptus, quia illos producit ad ſimilitudinem conceptus & partus prolis; & non ſolùm actus intellectus, ſed etiam res intellectæ dicuntur eius conceptus, actus quidem conceptus formales: res verò conceptus obiectiui, & quia noſter intellectus poteſt in ſe diuidere, quæ à parte rei ſunt vnita: ideo de vnaquaque re format diuerſos conceptus: v. g. in Petro conſiderat & diſtinguit plures rationes, quæ à parte rei ſunt eadem entitas realis: nam in eo conſiderat rationem entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, hominis & Petreitatem, ſiue rationem indiuidualem illius; & tales rationes obiectæ intellectui cognoſcenti dicuntur conceptus obiectiui: vnde in præſenti quæritur, vtrùm dentur tales conceptus obiectiui à parte rei, graduum, ſiue naturarum, quæ poſſint denominari Vniuerſales.

Probatur prima pars Concluſionis authoritate Philoſophi 1. Perihermenias, cap. 5. vbi ſic ait: *Rerum alia ſunt Vniuerſales, alia particulares.* Item lib. 2. poſteriorum, cap. 2. dicit Vniuerſalia eſſe notiora ſingularibus: & illa intellectu, hæc verò ſenſu cognoſci. Idem dicit 2. de anima, cap. 5. vbi per ly Vniuerſales non poteſt explicari de vocibus communibus; nam hæ ſenſibus percipiuntur: ac proinde intelligit de rebus ac naturis: ergo dantur à parte rei non ſolùm voces, & conceptus formales communes, ſed etiam conceptus obiectiui illis correſpondentes, qui ſunt naturæ Vniuerſales.

Secundò, obiectum intellectus eſt à parte rei, aliàs tale obiectum non eſſet ens verum reale; at tantùm Ens rationis, quod nullus dixerit: ſed obiectum intellectus ſunt naturæ Vniuerſales; per hoc enim intellectus differt à ſenſu in ſua cognitione, vt ait Philoſophus immediatè ante citatus: nam ſenſus percipit tantùm indiuidualia, intellectus autem intelligit Vniuerſalia mediante officio, & beneficio intellectus agentis, qui abſtrahit à phantaſmatibus ſpecies intelligibiles repræſentantes naturas Vniuerſales, quæ in phantaſmatibus relucebant immerſæ conditionibus indiuiduantibus, eaſque imprimit intellectui paſſibili: ergo à parte rei dantur naturæ Vniuerſales, licèt in ſingularibus.

Tertiò, dantur à parte rei ſcientiæ veræ & reales, quæ tractant de rebus realibus, & quæ ſunt à parte rei, vt communiter docent Philoſophi, ſolùm enim admittunt Logicam, quæ agat de Ente rationis, quod adhuc multi negant: ſed ſcientiæ non tractant de rebus ſingularibus, cùm ſint contingentes & mutabiles; ſcientiæ autem cùm ſint neceſſariæ, debent tractare de neceſſariis; ac proinde de Vniuerſalibus, & conſtat manifeſtè; nam quando definitur homo, quòd ſit animal rationale, vel quid ſimile; definitur non aliquid ſingulare, vt patet, nec iſta vox homo, ſed natura expreſſa & ſignificata per hanc vocem, quæ eſt communis omnibus hominibus: ergo à parte rei dantur naturæ Vniuerſales.

Quartò: iſtæ propoſitiones ſunt veræ: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo: homo eſt animal, leo eſt animal: ſed in iſtis prædicatur aliqua natura Vniuerſalis, quæ in eis debet reperiri, de quibus prædicatur, aliàs prædicatio eſſet falſa, quod ſic declaratur: ly homo, & animal non ſupponunt pro ſe materialiter, vt voces ſunt, ſed pro naturis ſignificatis: nec pro conceptibus formalibus, aliàs propoſitiones eſſent falſæ: nam falſum eſt, quòd Petrus ſit hæc vox homo, vel conceptus formalis intellectus: ergo dantur à parte rei naturæ Vniuerſales; nec verum eſt, quòd dicunt Nominales, quòd voces communes non ſignificant aliquam naturam communem, ſed immediatè ipſa ſingularia: ſequeretur enim prædictas propoſitiones eſſe falſas; cùm facerent hunc ſenſum, Petrus eſt omnia ſingularia hominis, & homo eſt omnia ſingularia animalis, quod conſtat eſſe falſum.

Probatur ſecunda pars Concluſionis authoritate Philoſophi, & D.Thom. Ariſtoteles quippe perpetuus eſt in eà pugnandis & confutandis ideis Platonis, præcipuè 7. Metaphyſicæ, tex. 51. & D.Thom. ibidem lect.14. conſtat autem Ariſtotelem per ideas Platonicas intellexiſſe naturas Vniuerſales ſeparatas à ſingularibus: ergo ex Philoſopho non dantur tales naturæ.

Secundò probatur ratione D.Thom. opuſc. 55. & 56. Impoſſibile eſt aliquid eſſe de eſſentia alterius, & quòd ſit ſeparatum ab ipſo; nam eſſentia rei eſt in eo, cuius eſt eſſentia, nec aliquid poteſt eſſe ſine ſua eſſentia; cùm ſit conſtitutiua rei: ſed naturæ Vniuerſales etiam ex confeſſione Platonis ſunt de eſſentia ſingularium; nam Petrus eſſentialiter, & non accidentariò eſt homo: ergo implicat dari naturas Vniuerſales ſeparatas à ſingularibus. Confirmatur. Prædicationes eſſentiales ſupponunt prædicatum ineſſe ſubiecto neceſſariò, & eſſentialiter, per hoc enim quòd dicitur, Petrus eſt homo, denotatur, quòd Petrus habeat naturam hominis; vnde ſi in Petro non eſſet natura hominis, illa propoſitio eſſet falſa: importaretur enim ineſſe, quod re vera non ineſſet: ſed illæ propoſitiones, ſiue prædicationes, in quibus naturæ Vniuerſæ prædicantur per modum generis, vel ſpeciei, ſunt eſſentiales, vt communiter docent Philoſophi: ergo ſupponunt tales naturas Vniuerſas eſſe in ſingularibus, de quibus prædicantur.

Tertiò, ex communi conſenſu Philoſophorum poſt Ariſtotelem admittitur intellectus agens, qui habet pro officio abſtrahere naturas Vniuerſales à ſingularibus, & per hoc cognoſcuntur, & per ipſas intellectus cognoſcit ſingularia: ergo à parte rei non ſunt ſeparatæ à ſingularibus, ſed ſunt in illis; aliàs non deſeruirent ad eorum cognitionem; eſſent enim eſſentiæ per ſe ſubſiſtentes, vt docet D. Thom. cap. 4. de ente & eſſentia, vbi impugnans ideas Platonis ſic ait: *Neque ſeparatum illud proficit in cognitione ſingularis ſignati.*

Quartò,

Quartò, si darentur tales naturæ Vniuersales separatæ à singularibus, simul essent Vniuersales, & non Vniuersales: essent quidem Vniuersales ex suppositione: non essent verò Vniuersales quia verè existerent & subsisterent à parte rei, quod autem existit & subsistit à parte rei, est suppositum; ac proinde singulare productum per aliquam actionem, vt patet inductione, vel saltem est in singularibus ex D. Thom. quæst.9. de potentia art. 5. ad 3. sed implicat aliquid simul esse Vniuersale, & non Vniuersale, siue singulare: ergo implicat dari naturas Vniuersas separatas à singularibus. Confirmatur. Vniuersale definitur, quòd sit vnum in multis, quæ definitio communiter acceptatur: ergo naturæ Vniuersæ sunt in multis, scilicet indiuiduis, & non separatæ ab illis. Deinde Vniuersale materiale, vt homo, intrinsecè includit carnes, ossa, quantitatem &c. vnde si daretur homo Vniuersalis separatus includeret carnes, ossa, quantitatem &c. sed quod est à parte rei habens carnem, ossa, quantitatem &c. est singulare, est enim hoc aliquid: ergo simul esset Vniuersalis & singularis, quod implicat: vnde sequitur, quòd si Deus destrueret omnia singularia, necessariò etiam destruerentur naturæ Vniuersæ: nec ex hoc quòd noster intellectus potest eas separare à singularibus, sequitur, quòd à parte rei possunt à Deo separari: nam noster intellectus separat, quæ à parte rei implicat separari, per hoc, quòd vnum intelligat sine alio, & hoc modo separat materiam à forma.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles primo loco reprehendit ideas Platonis, siue Vniuersa separata à singularibus. In secundo autem loco loquitur de nominibus significantibus secundas substantias, non verò de ipsis secundis substantiis. In tertio denique, vt explicat D. Thom. ibid. lect.1. & lib.3. sequenti, lect. 12. reprehendit ideas Platonis, & docet, quomodo fiat Vniuersale; & Ita dicit, quòd animal Vniuersale non est quid separatum à speciebus, sed est in illis quid posterius, scilicet ab intellectu fundatum, & ex earum conuenientia desumptum.

Ad secundum dicendum, quòd quidquid est à parte rei, vel est singulare, vel in singularibus, & ipsæ naturæ communes, siue Vniuersæ, sunt idem realiter cum singularibus, & existunt per existentiam singularium, & eadem actione fiunt, ac corrumpuntur, quâ fiunt, & corrumpuntur singularia, sed quasi secundariò, nec omne, quod est à parte rei, percipitur aliquo sensu, & ita obiectio solùm conuincit non dari naturas Vniuersas separatas à singularibus, sed non probat non dari naturas Vniuersas singularisatas.

Ad tertium dicendum, quòd scientiæ sunt de necessariis & perpetuis; & propterea non agunt de singularibus corruptibilibus: sed de naturis Vniuersis, quæ in illis existunt; & licèt oriantur, & intereant cum singularibus, in quibus sunt, & cum quibus identificantur; hoc tamen non habent ratione sui, sed ratione singularium; & ideo cùm scientiæ solùm considerent sua obiecta ratione quidditatis & veritatis, quæ in propositionibus reperitur, quæ omnia abstrahunt ab existentia: ista enim propositio est vera, imò æternæ veritatis; nullo etiam existente homine (omnis homo est animal) ideo scientiæ sunt perpetuæ & necessariæ.

Ad quartum dicendum, quòd non est necesse causam esse semper similem formaliter cum suo effectu: hoc enim solùm est verum in causis vniuocis: in æquiuocis enim sufficit similitudo virtualis, aut eminentialis; id est, quòd causa eminenter contineat naturam & perfectionem effectus: ignis autem & alij effectus assignati procedunt à causis æquiuocis superioribus, vt cœlis, vel substantiis eorum motricibus, ad quas recurrendum est, quando desunt causæ proximæ.

Articvlvs II.

Vtrùm à parte rei detur vnitas formalis in natura, per quam possit formaliter dici Vniuersalis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd à parte rei detur vnitas formalis in natura, per quam possit formaliter dici Vniuersalis; siue quòd naturæ genericæ & specificæ habeant à parte rei vnitatem formalem positiuè communem multis indiuiduis, neque in illis multiplicatam. Ita tenet Scotus 7. Metaphysicæ, quæst.18. & in 2. & 3. quæst.1. illum sequuntur communiter eius discipuli, Fonseca & alij: vnde dicunt non solùm dari à parte rei Vniuersale materiale, sed etiam Vniuersale formale. Probatur authoritate Pophyrij, qui cap. de specie dicit plures homines participatione speciei esse vnum hominem; vnde Petrus & Paulus sunt vnum in natura humana: ergo à parte rei natura humana habet vnitatem illis communem, & non multiplicatam in eis; quotiescumque enim aliqua duo realiter ab inuicem distincta, sunt vnum in aliqua ratione, illa ratio debet esse vna in illis.

§ 2. Præterea, Aptitudo essendi in pluribus est prior in natura, quàm actus essendi; siquidem actus procedit ex potentia & aptitudine: sed actus essendi in pluribus est in natura à parte rei, & ante quamcumque operationem intellectus, & ipsa aptitudo est præcipua forma Vniuersalis: ergo à parte rei datur vnitas formalis in natura, per quam possit formaliter dici Vniuersalis.

§ 3. Præterea, Aristoteles diuisit omnes res in singulares & Vniuersales: ergo sicut à parte rei dantur singularia sic debent dari naturæ Vniuersæ. Maximè, quia singulare & Vniuersale dicunt mutuam relationem, Vniuersale enim est vnum in multis, scilicet singularibus, & ita est superius ad ipsa; ac proinde sunt correlatiua: sed correlatiua sunt simul naturâ: ergo cùm à parte rei dentur singularia, debent etiam dari Vniuersa formalia.

§ 4. Præterea, Natura secundùm se non est singularis: ergo à parte rei est Vniuersalis. Maximè, cùm sit indifferens ad multa, & respiciat multa, & quantumcumque diuidatur per differentias indiuiduales & numericas, semper manet formaliter indiuisa: ergo habet vnitatem formalem à parte rei: sed à parte rei natura eadem manens formaliter communicatur multis: ergo habet illam vnitatem formalem communem multis, & non multiplicatam in illis.

§ 5. Præterea, datur à parte rei relatio similitudinis in natura humana inter Petrum & Paulum: sed ex Aristotele cap. de relatione, relatio fundatur in vnitate: ergo inter Petrum & Paulum datur aliqua vnitas communis à parte rei. Confirmatur. Petrus & Paulus definiuntur vnicâ definitione: sed quæ definiuntur vnicâ definitione, sunt vnum ex Aristotele 4. Metaph. textu 10. & lib. 7. textu 13. ergo sicut habent vnicam definitionem à parte rei positiuè communem; sic habent à parte rei vnitatem formalem positiuè communem, & non solùm per intellectum; aliàs dicendum est, quòd non magis conuenit Petrus cum Paulo, quàm cum aliquo leone.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Th. & communior sententia Philosophorum.

Conclvsio.

Cum natura sit à parte rei diuisa realiter, & in multis existens: non datur à parte rei vnitas formalis in natura, per quam possit formaliter dici vniuersalis.

Respondeo dicendum, quòd non datur à parte rei vnitas formalis in natura, quæ sit positiuè communis pluribus, aut quid realiter vnum & indiuisum in illis: sed tot sunt à parte rei vnitates formales in aliqua natura, quot sunt indiuidua illius. 2. nec datur à parte rei aptitudo in natura, vt sit in multis. 3. nec natura est communis negatiuè prout formaliter est à parte rei, siue in statu contractionis. 4. si verò consideretur non pro

illi ſtatu ; ſed in ſtatu ſolitudinis ſecundùm ſua prædicata eſſentialia , ac eſt communis negatiuè , id eſt non petit eſſe ſingularem. 5. licèt autem natura à parte rei non habeat aliquam vnitatem formalem communem in indiuiduis ; habet tamen vnitatem conformitatis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt vnum eſſe illud, quod eſt in ſe indiuiſum , & diuiſum à quolibet alio : multæ autem ſunt differentiæ vnius ; nam quædam ſunt vnum genere , quæ conueniunt in eadem natura generica , vt homo & leo : quædam ſunt vnum ſpecie, quæ conueniunt in eadem natura ſpecifica, vt Petrus & Paulus : quædam verò ſunt vnum numero, quæ ſunt indiuiſa in ſe, & diuiſa à quolibet alio, ſicut eſt quodlibet indiuiduum ; licèt autem aliæ ſint vnitates vt analoga &c. hæ tamen ſufficiunt ad propoſitum : & hæc triplex forma vnius deſumitur à triplici ratione diuiſionis , cui opponitur priuatiuè : nam quot modis dicitur vnum contrarium, tot modis dicitur & alterum : diuiſio autem eſt duplex, ſcilicet materialis & formalis ; materialis eſt illa , quæ fit per diuerſa principia materialia , qualis eſt inter duo indiuidua eiuſdē ſpeciei , quæ diuerſis materiis ſignatis diſtinguuntur : formalis eſt illa , quæ fit per diuerſa principia formalia , ſiue per diuerſas differentias eſſentiales : hæc ſubdiuiditur in genericam & ſpecificam, generica eſt illa quæ fit per diuerſa attributa eſſentialia generica , & habet latitudinem ſecundùm quòd genus eſt ſupremum , intermedium & infimum ; vnde magis diſtinguitur formaliter homo à lapide , quàm ab arbore ; & ab arbore , quàm à brutis ; formalis ſpecifica eſt illa , quæ eſt per principia formalia ſpecifica ; ſcilicet illa , quæ eſt inter duas ſpecies, vt hominem & leonem : vnde vnitas generica eſt priuatio diuiſionis genericæ, vnitas ſpecifica priuatio diuiſionis ſpecificæ , & vnitas numerica priuatio diuiſionis numericæ ; & econtra. Ex his vnitatibus, vt docet D.Th. opuſc. 42. de natura generis cap. 7. alia reperitur à parte rei in natura ante quamcumque operationem intellectus, & hæc eſt propria cuicumque indiuiduo , nec natura per illam dicitur Vniuerſa ; alia eſt , quæ ei aduenit beneficio intellectus illam abſtrahentis à ſingularibus , per quam abſtractionem conſequitur quamdam differentiam , vniformitatem & habitudinem , qua eodem modo reſpicit omnia indiuidua, propter quod eſt apta , vt ſit in multis. Vnitas naturæ ex Caietano de ente & eſſentia , cap. 4. quæſt. 6. poteſt eſſe communis duobus modis , ſcilicet poſitiuè & negatiuè : tunc eſt vnitas communis negatiuè, quando natura non eſt appropriata, vel applicata alicui ſuppoſito ; nam negatiuè commune idem eſt , quòd non ſingulare ; & ita conſideratur natura ſolitariè , ſiue in ſtatu ſolitudinis , prout tantùm dicit ſua principia eſſentialia, & eſt abſque conſortio indiuiduorum : tunc autem natura habet vnitatem poſitiuè communem , quando indiuiſa in ſe manens ſecundùm illam vnitatem reperitur in multis ; & hæc vnitas communis poſitiua diuiditur in numericam , ſpecificam & genericam : numerica eſt , quando eadem natura numero indiuiſa reperitur in multis ſuppoſitis , qualis eſt ſola natura diuina propter ſuam eminentiam , quæ vna numero reperitur in tribus diuinis perſonis realiter diſtinctis, & cum illis identificatur : ſpecifica verò , aut generica eſt , quando eadem natura manens indiuiſa ſecundùm gradum genericum vel ſpecificum reperitur in multis realiter diſtinctis , & de hac vnitate generica aut ſpecifica tantùm procedit præſens difficultas ; certum eſt enim , quòd vnitas numerica poſitiuè communis multis, in nulla natura creata reperiri poteſt : vnde dicimus , quòd à parte rei in nulla natura datur vnitas formalis poſitiuè communis : ita vt manens indiuiſa ſecundùm gradum genericum vel ſpecificum , ſit in pluribus abſque eo, quòd in illis realiter multiplicetur.

Item ſciendum eſt ex eodem Caietano loco citato , quæſt. 7. Vniuerſale ſumi tripliciter. Primò formaliter pro ipſa relatione ſiue notione Vniuerſalitatis. Secundò fundamentaliter pro ipſa natura exiſtente à parte rei , quæ communis , & Vniuerſalis dicitur. Tertiò pro aptitudine eiuſdem naturæ ad eſſendum in multis , quæ aptitudo eſt fundamentum proximum relationis Vniuerſalitatis.

Probatur prima pars Concluſionis authoritate D.Th. qui illam expreſsè docet multis locis opuſc. 55. 1. part. quæſt. 85. art. 2. ad 2. & cap. 4. de ente & eſſentia , vbi excludens hanc vnitatem realem poſitiuè communem, ſic ait. *Si quæratur , vtrùm iſta natura poſſit dici vna, vel plures ; neutrum concedendum eſt , quia vtrumque eſt contra intellectum humanitatis , & vtrumque poteſt ſibi accidere &c.* Item D. Auguſt. qui lib. 7. de Trinitate cap. 6. dicit naturam diuinam non eſſe genus aut ſpeciem , quia eſt vna à parte rei : nam vnitas generica aut ſpecifica, non eſt à parte rei ; ſiquidem : *A parte rei* , inquit , *non eſt vnum animal in homine , & in equo : ſed ſunt duo animalia in ipſis inter ſe diſtincta.* Item D. Damaſc. qui lib. 1. Fidei orthodoxæ, dicit duo indiuidua naturæ humanæ à parte rei diſtingui , & habere communionem & vnitatem in homine per intellectum & rationem. Item Boëtij, qui libro de duabus naturis in Chriſto , dicit omnia , quæ ſunt à parte rei , per intellectum habere vnitatem : & tandem Ariſtotelis, qui 10. Metaph. cap. 1. cùm docuiſſet aliqua eſſe vnum ſecundùm rationem & eſſentiam , quæ diuidit in vnum genere , ſpecie & numero ; ſubiungit hanc vnitatem eſſe per intellectum & animi perceptionem.

Secundò , natura à parte rei eſt realiter diuiſa , & in multis exiſtens, vt per ſe patet ; quidquid enim eſt à parte rei, eſt ſingulare, vel in ſingularibus exiſtens ; conſtat autem, quòd ſingularia, & quidquid in illis exiſtit, ita ſe habent , vt vnum ſingulare non ſit aliud à parte rei , & quod eſt in vno realiter , eſt diuiſum ab eo , quod eſt in alio : deinde , quia natura non diſtinguitur realiter à ſingularitate, vt infra dicetur ; conſtat autem, quòd à parte rei tot ſunt ſingularitates realiter diſtinctæ , quot indiuidua ; vnde etiam tot erunt naturæ : impoſſibile enim eſt in creatis aliqua duo, quæ ſunt idem realiter, ita ſe habere ; vt vnum realiter multiplicetur , & aliud non : ergo natura à parte rei non habet vnitatem formalem poſitiuè communem ; vnitas enim eſt priuatio diuiſionis ; & ita ſi natura eſt realiter diuiſa à parte rei , non habet à parte rei vnitatem formalem multis communem.

Tertiò, ſi natura haberet à parte rei, & ante operationem intellectus vnitatem formalem multis poſitiuè communem ; illam haberet ſecundùm ſe , & flueret ex eius principiis intrinſecis : & ita eſſet eius propria paſſio ; natura quippe in triplici tantùm ſtatu poteſt conſiderari, vel abſtracta per intellectum, vel contracta ad indiuidua, vel ſecundùm ſua prædicata eſſentialia ; ſed vt ſupponitur , non habet illam vnitatem ab intellectu , nec propter contractionem realem ad indiuidua ; imò per hoc potius diuiſio concedenda eſt : ergo habet illam ab intrinſeco tanquam propriam paſſionem. Tunc ſic procedit ratio D.Th. Natura ſecundùm ſe habet hanc vnitatem formalem poſitiuè communem : ergo implicat contrahi, & eſſe ſingularem : non enim poteſt amittere illam vnitatem communem , cùm ſit eius paſſio ; ſed ſi contrahitur , non habet illam vnitatem communem ; repugnat enim aliquid eſſe contractum ad ſingulare , & ſimul eſſe poſitiuè commune. Ex quo rurſus ſequitur , quòd illa vnitas formalis poſitiuè communis conueniat , & prædicetur de indiuiduis talis naturæ ; nam proprietates reales naturæ conueniunt cuicumque conuenit natura : vnde ſicut eſt vera iſta propoſitio in opinione Scoti , natura humana habet vnitatem formalem poſitiuè communem pluribus ; ſic eſſet vera iſta , Petrus habet vnitatem formalem poſitiuè communem pluribus , quod aſſerere eſt abſurdum : ſequeretur enim quòd natura Petri vna numero eſſet communis pluribus, ſicut natura diuina.

Quartò , entitatem ſequitur vnitas eius paſſio : ſed à parte rei natura humana, v. g. eſt diuiſa in multas entitates, vt patet in eius indiuiduis : ergo etiam in multas vnitates formales ; talis enim vnitas non diſtinguitur à natura, & ita ſicut alia eſt humana natura in Petro realiter, & alia in Paulo : ſic alia eſt vnitas formalis in Petro , & alia

alia in Paulo: sed de hoc ampliùs articulo sequenti. Nec admittenda est doctrina Fonsecæ, qui præter vnitatem formalem & numericam, constituit vnitatem præcisionis, per quam dicit naturam esse à parte rei Vniuersam: quamuis multiplicentur vnitates formales: nam contrà omnis vnitas realis, vel est formalis tantùm, vel numerica, nec datur vlla tertia; vnitas quippe est proprietas entis, sed entitas, quæ potest reperiri in aliquo, est tantùm duplex; nam vel dicit principia essentialia, vel indiuidualia; ad principia essentialia sequitur vnitas formalis; & ad indiuidualia vnitas numercia: ergo non datur vlla tertia.

Probatur secunda pars Conclusionis ratione Caietani cap. 4. de ente & essentia, quæst. 7. Si natura haberet talem aptitudinem à parte rei, sequeretur ad ipsam, vt eius proprietas, non enim illam haberet ex sua contractione ad indiuidua: cùm ista potiùs opponantur, vt per se patet: sed omnis proprietas naturæ, & quidquid illam consequitur ratione sui, reperitur in omni eo, in quo reperitur talis natura: ergo in natura Petri, vt sic indiuiduata, esset aptitudo essendi in multis: sed hoc est falsum, nam non datur aptitudo ad id, quod est impossibile, aliàs esset otiosa: est autem naturaliter impossibile naturam vnius indiuidui esse in pluribus, vel simul, vel successiuè, vt communiter docent Theologi cum D. Thom. 3. part. hoc enim est proprium naturæ diuinæ, quæ vna existens est in tribus personis; quòd si aliqua natura creata possit assumi à personis diuinis simul, quæ se non excludunt à participatione eiusdem naturæ: hoc non habet naturaliter, & propterea ad hoc non habet aptitudinem à parte rei, sed potiùs non repugnantiam per ordinem ad Deum: vnde dicendum, quòd solùm naturæ competit talis aptitudo in statu solitudinis, id est, vt consideratur abstracta ab indiuiduis secundùm sua prædicata essentialia, quod habet per intellectum; nam secundùm se, vt dictum est ex D. Thom. nec dicit statum solitudinis, nec statum contractionis: si enim secundùm se aliquid ex his diceret: non posset ab illa separari.

Probatur tertia pars Conclusionis. Natura est à parte rei realiter contracta, & singularis positiuè: ergo non solùm non est communis positiuè, sed nec negatiuè, nam esse communé negatiuè idem est, ac non esse singularem.

Probatur quarta pars Conclusionis. Natura secundùm sua prædicata essentialia, vt docet D. Thom. cap. 4. de ente & essentia, nec est Vniuersalis, nec singularis; & ratio est manifesta: si enim ex se esset vnum ex istis, nonquam posset esse aliud, cùm tamen vtrumque secundùm diuersum statum ei competat: ergo natura in statu solitudinis, siue secundùm sua prædicata essentialia, est communis negatiuè, id est, non petit esse singularem: vnde istæ duæ propositiones æquiualent, natura secundùm se est communis negatiuè, & natura secundùm se non est singularis; non tamen ista æquiualet, natura secundùm se est non singularis: nam committitur fallacia à negatiua de prædicato ad affirmatiuam de infinito.

Probatur, & explicatur quinta pars Conclusionis, quam tradit D. Thom. opusc. 48. tract. 1. cap. 4. Vnitas conformitatis nihil aliud est, quàm conformitas, & similitudo, quam habent à parte rei indiuidua ratione naturæ, in qua conueniunt: sed à parte rei naturæ indiuiduorum sunt conformes, & similes in prædicatis essentialibus, de quo nullus dubitat: conueniunt enim vniuocè: ergo in illis est vnitas conformitatis: cum hoc tamen stat, quod sunt multæ naturæ, & non vna, sicut cùm aliqui sunt similes in vultu, dicuntur habere eumdem vultum, non quòd sit idem simpliciter, sed per conformitatem & similitudinem; nam similitudo est quædam identitas. Ex quibus infertur non esse in natura à parte rei aliquam negationem, siue carentiam diuisionis, quæ sit vna & eadem in omnibus indiuiduis: sed tot sunt negationes diuisionis, quot sunt indiuidua: nam priuationes & negationes se habent ad modum formarum; & ita illarum quasi indiuiduationes ad instar indiuiduationum formarum debent accipi: sed est impossibile idem accidens in se indiuisum, esse in pluribus subiectis; cùm accidens indiuiduetur à subiecto: ergo etiam est impossibile eamdem numero negationem esse in pluribus indiuiduis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Petrus & Paulus dicuntur vnum in natura humana; non per aliquam entitatem in illis vnam: sed per conformitatem in natura, quia natura Petri est conformis naturæ Pauli, & hæc responsio coincidit cum illa Caietani, scilicet Petrum & Paulum esse vnum in natura formaliter, non quòd natura vna sit illis communis positiuè à parte rei, sed quia gaudent mutuâ diuisionis formalis negatione, siue quia non habent à parte rei, vnde distinguantur formaliter.

Ad secundum dicendum, quòd actus essendi in pluribus, & etiam aptitudo non conueniunt naturæ ante operationem intellectus, si talis actus, & aptitudo sumantur formaliter, prout conueniunt Vniuersali: scilicet non vt dicunt quocumque modo esse in multis, sed esse vnum in multis; aliàs etiam analoga habebunt actum proprium Vniuersalis; nam ens est in multis per identitatem: cùm igitur natura à parte rei sit multiplex, & solùm habeat esse vnum per intellectum, ideò negari debet, quòd natura sit formaliter à parte rei vna in multis.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. & verbis eiusdem lib. 1. Perihermen. lect. 19. *Quòd non videtur esse conueniens diuisio rerum per Vniuersalia, & singularia: quia nulla res videntur esse Vniuersales, sed omnes sunt singulares: dicendum est, quòd hic diuiduntur res secundum quod significantur per nomina, quæ subiiciuntur enuntiationibus; dictum est enim supra, quòd nomina non significant res, nisi mediante intellectu; & ideò oportet, quòd diuisio ista rerum accipiatur secundùm quòd cadit in intellectum:* Ex qua authoritate necessariò infertur singulare, & Vniuersale, non esse correlatiua realia, sed tantùm rationis, in quantùm scilicet ratio considerat naturam Vniuersalem vt prædicabilem, & singularia vt ei subiicibilia & subiecta, vnde non oportet, quòd si vnum est à parte rei, sit etiam & aliud.

Ad quartum dicendum, quòd natura secundùm se nec est singularis, nec Vniuersalis; vtrumque enim illi accidit, vt dictum est: si autem consideratur sub aliquo statu dicendum, quòd à parte rei reduplicatiuè est singularis: in intellectu verò etiam reduplicatiuè est Vniuersalis: vnde solùm fundamentaliter est Vniuersalis à parte rei, in quantùm est à parte rei fundamentum considerandi ipsam præcisè secundùm sua prædicata essentialia, quæ ex hac consideratione intellectus fit formaliter Vniuersalis, & sic vnitatem Vniuersalitatis habet solùm per intellectum; ac proinde à parte rei non est indifferens ad multa, nec indiuisa formaliter; sed solùm fundamentaliter, modo explicato.

Ad quintum dicendum, quòd sufficit vnitas conformitatis vel similitudinis ad fundandam relationem, & vnitas identitatis in ratione fundandi impedit relationem realem, vt patet in diuinis; quia enim relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis in diuinis personis fundantur in natura diuina, quæ est vna omnino realis ratio fundandi, & terminandi; licèt fundamentum, scilicet persona relata, & terminus, scilicet persona terminans realiter distinguantur, non sunt reales: vnde hoc argumentum potiùs pugnat contra aduersarios: nam vt sit relatio realis inter Petrum & Paulum non debet esse in illis vna formaliter natura; sufficit conformitas inter vtramque naturam. Ad confirmationem dicendum, quòd sufficit vnitas conformitatis in natura ad hoc, vt aliqua indiuidua definiantur eâdem definitione; quamuis hoc sit remotum, proximè autem requiritur vnitas rationis, & hanc habet per intellectum: vnde natura solùm remotè est definibilis à parte rei; quòd sit autem proximè definibilis, hoc habet tantùm per intellectum: vnde patet, quòd propter hanc conformitatem naturæ, quam habent indiuidua eiusdem speciei, magis conueniunt, quàm indiuidua diuersarum specierum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm à parte rei detur vnitas formalis in natura indiuiduata?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd à parte rei non detur vnitas formalis in natura indiuiduata, ſed tantùm vnitas numerica. Ita tenent aliqui moderni. Probatur authoritate Ariſtotelis, qui 5. Metaph. textu 7. agens de vnitate, ſiue de vno, ſolùm numerauit vnitatem numerciam, ſpecificam & genericam: ſed vnitas ſpecifica & generica non ſunt à parte rei, vt dictum eſt articulo præcedenti; at tantùm ſunt per intellectum: ergo tantùm datur à parte rei vnitas numercia in natura indiuiduata, ac proinde non datur vnitas formalis; numerica enim vnitas eſt tantùm materialis.

§ 2. Præterea, Vnitas eſt proprietas entis, ac proinde non ſunt plures vnitates, quàm entitates: conſtat autem, quòd ſunt tantùm duo genera entitatum, videlicet realis & rationis; & ita ſunt tantùm duo genera vnitatum, ſcilicet realis & rationis: ſed vnitas rationis, vt patet ex ipſis terminis, eſt ſolùm per intellectum, nec poteſt dici formalis à parte rei; vnitas autem realis eſt vnitas numerica, nam omnia, quæ ſunt à parte rei, ſunt indiuidua & vnum numero; & ita licèt Petrus ſit homo, animal &c. tamen eſt vnus homo, vnum animal, & ſic de cæteris; ac proinde eſt ſic vnus per vnitatem numericam: ergo à parte rei non datur vnitas formalis in natura indiuiduata, ſed tantùm vnitas numerica.

§ 3. Præterea, Rationes formales, quas noſter intellectus format de vnoquoque, non faciunt, quòd illud ſit plura entia, nec plura vna, & conſequenter vnitas, quæ eſt à parte rei, non ſequitur ad rationes formales etiam tales, ſed ad entitatem, quæ eſt à parte rei, ſed omnis entitas, quæ eſt à parte rei, eſt indiuidua, & numerica: ergo & omnis vnitas, quæ eſt à parte rei, eſt numerica, & nulla datur formalis.

SED CONTRA eſt authoritas Philoſophi, & D. Thom. ac communis ſententia, tam in ſchola Thomiſtica, quàm Scotica, & Caietanus de ente & eſſentia, cap. 4. quæſt. 6. hanc dicit eſſe ita manifeſtam, vt nullus ſanæ mentis poſſit illam negare.

CONCLVSIO.

Cùm à parte rei ſit diuiſio formalis inter indiuidua, vt conſtat in indiuiduis diuerſarum ſpecierum: etiam in vnoquoque datur vnitas formalis.

RESPONDEO dicendum, quòd datur à parte rei, & ante quamcumque operationem intellectus vnitas formalis in natura indiuiduata. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt entia per accidens, vt aceruus lapidum & alia, quæ componuntur ex entibus completis, aut rebus diuerſorum prædicamentorum, non poſſe dici quid vnum ſimpliciter, quia non ſunt ſimpliciter ens vnum, ſed multa entia ac proinde non ſunt ſimpliciter nec formaliter vnum, ſed multa: quia vnitas eſt propria paſſio entis, vnde aggregatum ex ſubiecto & accidente, quod ſignificat accidens in concreto, vt album, non eſt quid formaliter vnum. Ita docet D. Thom. cap. 6. de ente & eſſentia, vbi ſic ait. *Ex accidente & ſubiecto, non fit vnum per ſe, vnde non reſultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis aut ſpeciei poſſit attribui*; vnde nec analoga, nec æquiuoca ſunt quid vnum formaliter: quia non habent, nec poſſunt vnum conceptum formalem, aut obiectiuum habere, & ita ſunt multa ſimpliciter.

Item ſciendum eſt tot eſſe genera, vel ſpecies vnitatum, quot ſpecies diuiſionum: nam opponuntur priuatiuè, carentia autem ſpecificatur & manifeſtatur per formam oppoſitam: diuiſio autem ex Caietano de ente & eſſentia, cap. 4. quæſt. 6. eſt duplex, alia materialis, alia formalis; diuiſio materialis eſt illa, quæ cauſatur per principia materialia, ſiue per differentias indiuiduales, quæ propterea dicuntur materiales: quia deſumuntur à materia, & per hanc diuiſionem diuiditur quælibet ſpecies infima in ſua indiuidua; diuiſio autem formalis eſt illa, quæ cauſatur per principia formalia ſiue per differentias eſſentiales, quæ dicuntur formales: quia deſumuntur à forma, & hoc modo differunt ſpecies cuiuſcumque generis: in hac autem diuiſione formali eſt latitudo ſecundùm quòd ſit per differentias eſſentiales aut formales, magis aut minùs communes, ſicut ipſa genera, quæ diuidunt, ſunt magis, vel minùs communia, & vniuerſalia; quod ſic declaratur. Petrus differt à Paulo ſolùm materialiter, ſcilicet per differentiam indiuidualem, non autem per principia formalia, aut eſſentialia; imò in illis conueniunt: vnde inter illos eſt ſola diſtinctio materialis: ab equo autem non ſolùm differt materialiter, in quantùm ſunt indiuidua, ſed etiam differt per principia formalia, ſcilicet per rationale: ab hac planta autem differt magis formaliter, id eſt, per principium formale communius, ſcilicet per ſenſibile: ab hoc verò lapide adhuc magis differt formaliter, ſcilicet per principium formale ſuperius, nempe per animatum, & ſic deinceps aſcendendo: vnde diuiſio hominis in Petrum & Paulum eſt tantùm materialis, nec habet latitudinem; diuiſio autem formalis, vt dictum eſt, habet latitudinem, nam maior eſt illa, quâ ſubſtantia diuiditur in ſpiritum & corpus, quàm illa, quâ corpus diuiditur in viuens, & non viuens: item maior eſt diuiſio viuentis in animal & plantam, quàm diuiſio animalis in rationale & irrationale. Ex dictis colligitur duplicem in vnaquaque re eſſe vnitatem; ſcilicet materialem & formalem: materialis eſt illa, quæ opponitur diuiſioni materiali, formalis verò, quæ opponitur diuiſioni formali, quæ eſt multiplex eo proportionali modo, quo diuiſio formalis: nam Petrus non ſolùm caret diuiſione formali ex ea parte, quâ eſt rationalis, ſed etiam ex ea, quâ eſt ſenſibilis, viuens, corporeus &c. vnitas autem materialis eſt maxima, quia excludit omnem diuiſionem; quam tamen non excludit vnitas formalis, imò hæc quantò magis eſt communis & ſuperior, tantò minor eſt: vt in Petro vnitas numerica eſt maxima; quia omnem diuiſionem omninò excludit: vnitas formalis, quâ eſt homo, eſt minor vnitate numerica, quia admittit diuiſionem numericam, ſed maior vnitate formali, quâ eſt animal, quia ex vi huius non excluditur diuiſio formalis, nempe quòd ſit hoc animal, ſcilicet homo; & ratio eſt, quia vnitas eſt priuatio diuiſionis, & econtra: ſed priuatio eò eſt maior, quò minùs relinquit de forma oppoſita: ergo vnitas numerica eſt maxima, quia nihil relinquit de diuiſione, & vnitates formales eò ſunt maiores, quò minùs relinquunt de diuiſione: vnde igitur, quia in vnoquoque indiuiduo ſunt multi gradus ſuperiores eſſentiales (conſtituitur enim Petrus in eſſe hominis per rationale, in eſſe animalis per ſenſibile, in eſſe viuentis per animatum, & ſic de aliis) conſequenter in illo ſunt plures vnitates formales, vt dictum eſt, pro numero graduum eſſentialium, ſed ſolâ ratione diſtinctæ, ſicut & ipſi gradus: quia verò iſti gradus ſunt quaſi partes vnius integræ eſſentiæ, quæ ex illis reſultat; ſic ex iſtis omnibus vnitatibus formalibus reſultat vna vnitas formalis integra & completa, quæ eſt extra conceptum vnitatis numericæ, nam differentia indiuidualis ex qua reſultat, eſt extra eſſentiam rei; & ſic plùs differunt vnitas formalis & numerica, quàm illæ formales inter ſe, ita Caietanus cap. 4. de ente & eſſentia quæſt. 6.

Probatur Concluſio authoritate Ariſtotelis, & D. Th. Philoſophus quidem 5. Metaph. textu 11. ſic ait: *Vniuerſaliter enim quæcumque non habent diuiſionem, in quantùm non habent, ſic vnum dicuntur*: vt ſi in quantùm homo non habet diuiſionem, vnus homo, ſi verò in quantùm animal, vnum animal: D. Thom. verò opuſc. 42. cap. 7. concedit naturæ, etiam vt præſcindit ab eſſe, quod habet in indiuiduis, vel in intellectu, quamdam vnitatem, ratione cuius habet vnam definitionem & vnum nomen; quæ non poteſt eſſe niſi vnitas formalis, vt patet: ergo datur à parte rei vnitas formalis in natura indiuiduata.

Secundò, Vnitas formalis eſt carentia diuiſionis formalis, vt patet ex dictis: ſed Petrus à parte rei habet carentiam

rentiam diuiſionis formalis ; nam ſicut à parte rei non eſt diuiſus in plura indiuidua, ſic nec eſt diuiſus in plures formas ſiue eſſentias; ita vt ſit verum dicere, eſt vnus homo, eſt vnum animal &c. ergo non ſolùm habet vnitatem numericam à parte rei, ſed etiam vnitatem formalē.

Tertiò, Non ſolùm datur à parte rei diuiſio materialis inter plura indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſed etiam datur diuiſio formalis inter indiuidua diuerſarum ſpecierum; nam Petrus ſicut nemine cogitante diſtinguitur materialiter & numericè à Paulo, ita diſtinguitur formaliter & eſſentialiter à leone: ergo cùm priuationes regulentur per formas oppoſitas, dicendum eſt, quòd à parte rei in Petro præter vnitatem numericam datur vnitas formalis : nec poteſt dici, quòd Petrus per vnitatem numericam non ſolùm caret diuiſione materiali, ſed etiam formali, & quòd per illam non ſolùm diſtinguitur ab indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ſed etiam ab aliis, hoc enim eſt falſum; niſi ſumatur vnitas numerica, vt includit formalem, & cum illa identificatur : ſi enim ſumatur, vt ab illa condiſtinguitur, cùm procedat ſolùm à principiis merè materialibus, ſcilicet à materia prima ſignata quantitate, tanquam à prima radice, non poteſt cauſare diſtinctionem formalem, aliàs cauſaret in omnibus vbicumque reperiretur ; ſicut in duobus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, quod falſum eſt : ergo diſtinctio formalis cauſatur per principia formalia, quæ in forma, tanquam in prima radice, radicantur, & ſimiliter dicendum de vnitate formali.

Quartò, Petrus & Paulus dicunt relationem ſimilitudinis, ſiue identitatis in natura humana : ſed talis relatio ex Ariſtotele 5. Metaph. textu 20. fundatur in vnitate, non numerica præcisè : ſiue prout condiſtinguitur à formali ; quia in illa potiùs ſunt diſſimiles : ergo in vnitate formali, ac proinde datur à parte rei in qualibet natura indiuidua. Confirmatur. A parte rei concedimus in vnoquoque genere dari vnam ſpeciem perfectiſſimam, quæ ſit regula & menſura cæterarum. Item à parte rei vnum vni contrarium eſſe & ſimilia, quæ non poſſunt concedi, niſi admittatur à parte rei vnitas formalis : ergo à parte rei datur vnitas formalis in natura indiuiduata.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles ſub vnitate generica & ſpecificâ comprehendit vnitatem formalem, tum quia hæc eſt ex parte naturæ fundamentum vnitatis genericæ & ſpecificæ, vnde etiam dicitur fundamentaliter generica & ſpecifica; tum quia ex parte priuationis conueniunt ; nam omnes dicunt carentiam diuiſionis formalis.

Ad ſecundum dicendum, quòd in entitate reali Petri non ſolùm continentur principia materialia, ex quibus deſumitur differentia indiuidualis, ſed etiam continentur principia formalia, ex quibus deſumitur differentia eſſentialis : ſic in eius vnitate reali non ſolùm includitur vnitas numerica, quæ ſequitur principia indiuidualia, ſiue materialia, ſed etiam vnitas formalis, quæ ſequitur principia eſſentialia : vnde licèt omnia, quæ ſunt in Petro, ſint ſingulariſata : ſolùm tamen infertur vnitatem formalem eſſe coniunctam cum numerica, & non dari vnitatem formalem communem.

Ad tertium dicendùm, quòd cùm in vnoquoque indiuiduo ſint plures perfectiones reales, quamuis realiter & à parte rei identificatæ (& propterea efficiunt vnam entitatem realem, quam tamen ſecundùm illas rationes & perfectiones diſtinguit intellectus) ſic in vnoquoque indiuiduo ſunt à parte rei multæ vnitates conſequentes illas diuerſas perfectiones reales : ſed hæ vnitates ſolo intellectu diſtinctæ efficiunt vnam vnitatem realem in actu: natura igitur, quæ realiter diuiditur per differentias indiuiduales, manet formaliter indiuiſa, non vnicâ indiuiſione, ſed pluribus; vnde non datur vna vnitas formalis poſitiuè communis, ſed in vnaquaque natura indiuidua eſt ſua vnitas formalis, quæ licèt multiplicetur in indiuiduis ; tamen vnitas formalis vnius non diſtinguitur formaliter ab vnitate formali alterius, ſicut nec entitas cuius eſt paſſio, ſed ſolùm materialiter & numericè : ac proinde natura, quæ eſt in ſe quid formale, licèt ſit realiter diuiſa per indiuidua, non eſt tamen formaliter diuiſa & ſic dicitur formaliter indiuiſa, ſed non realiter ; vnde habet plures indiuiſiones, ſiue vnitates formales, non formaliter, ſed ſolùm materialiter diſtinctas in ſuis indiuiduis.

Articvlvs IV.

Vtrùm in vnoquoque indiuiduo diſtinguantur vnitas formalis & numerica?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur, quòd vnitas formalis & numerica diſtinguantur ante operationem intellectus ; non quidem realiter, ſed ex natura rei, qua diſtinctione etiam videntur diſtingui natura Vniuerſalis & eius ſingularitas, ſiue hæcceitas. Ita tenent Scotus & eius ſequaces. Probatur generaliter dari iſtam diſtinctionem. Quæ diſtinguuntur definitione, diſtinguūtur ante operationem intellectus ; quæ enim diſtinguuntur definitione, etiam nemine cogitante habent plures eſſentias, ac proinde à parte rei ante operationem intellectus diſtinguuntur : ſed multa ſunt, quæ diſtinguuntur definitione, quæ tamen non diſtinguuntur realiter, vt patet de diuinis attributis inter ſe, & ab eſſentia, de perſonis & relationibus ab eſſentia, de actione & paſſione, de relatione & fundamento : ergo datur iſta diſtinctio media, quæ ſit ante intellectum, & non ſit realis, quæ reperiatur inter vnitatem formalem & numericam.

¶ 2. Præterea, Vnitas formalis & vnitas numerica fundant relationes realiter & ſpecificè diuerſas; nam ſupra vnitatem formalem fundatur relatio ſimilitudinis, ſiue identitatis in natura, ſupra vnitatem verò numericam fundatur relatio diuerſitatis indiuidualis : ergo ex natura rei iſtæ vnitates inter ſe diſtinguuntur.

¶ 3. Præterea, Indiuiduum addit ante operationem intellectus aliquid reale ſupra naturam ſpecificam, per quod conuenit illi negatio diuiſionis materialis: conſtat autem illud ſuperadditum diſtingui à natura ante operationem intellectus aliquâ diſtinctione actuali, quæ ſit ex natura rei, non enim poteſt intelligi actualis additio alicuius realis abſque actuali diſtinctione : ergo etiam vnitas numerica, quæ ſequitur ad illud additum, & vnitas formalis, quæ fundatur ſupra naturam ſpecificam, diſtinguuntur ex natura rei.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. præcipuè cap. 3. de ente & eſſentia, vbi probat, quòd ſi genus diſtingueretur à parte rei à ſpecie, & ſpecies ab indiuiduo; non poſſent per ſe prædicari de illis, illum ſequuntur communiter Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm indiuiduum nihil addat reale ſupra naturam à parte rei diſtinctum ab illa: vnitas formalis, & numerica non diſtinguuntur à parte rei.

Respondeo dicendum, quòd ſi loquamur de vnitate quantùm ad realem entitatem, quam importat in vnoquoque indiuiduo ; vnitas formalis & vnitas numerica diſtinguuntur ſolâ ratione ratiocinatâ 1. ſi verò loquamur de vnitate, quantùm ad negationem diuiſionis, quam importat ; ſic vnitas formalis & vnitas numerica diſtinguuntur realiter negatiuè, quod idem eſt, ac negatio diuiſionis formalis, quam importat vnitas formalis, & negatio diuiſionis materialis, quam importat vnitas numerica, diſtinguuntur realiter negatiuè. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd diſtinctio eſt quædam ſeparatio vnius ab alio, diuiditur primò in diſtinctionem realem & rationis : diſtinctio realis eſt, quando à parte rei vnum non eſt aliud, diſtinctio verò rationis eſt ſeparatio aliquorum per intellectum, quæ à parte rei ſunt vnum & idem ; vnde eſt Ens rationis. Diſtinctio realis ſubdiuiditur in poſitiuam & negatiuam, negatiua eſt illa, quæ verſatur inter ens & non ens, vt inter lucem & tenebras, vel inter duo non entia, vt inter tenebras & cæcitatem : hæc autem dicitur realis ; non quòd extrema ſint realia, ſed quia inter illa affirmatur propoſitio negatiua eo modo,

quo

quo affirmaretur, ſi actu eſſent: diſtinctio realis poſitiua eſt illa, quæ verſatur inter duo entia, alie dicitur maior, quæ eſt inter rem & rem, in qua eſt latitudo; nam aliqua ite diſtinguuntur, vt poſſint ab inuicem eſſe ſeparata, alia verò non, vt accidentia à ſubiecto, & materia à forma; alia verò dicitur minor, quæ dicitur etiam modalis, & eſt illa, quæ intercedit inter rem & eius modum, vt inter quantitetem & figuram: tandem ſubdiuiditur diſtinctio realis in accidentalem & eſſentialem, accidentalis eſt illa, quæ prouenit ab aliquo principio accidentali, qualis eſt inter album & nigrum, ad hanc reducitur diſtinctio numerica rerum materialium: nam differentia indiuiduelis licèt ſit quid ſubſtantiale reſpectu indiuidui; eſt tamen extre eſſentiam eius: eſſentialis verò eſt, quæ prouenit ab aliquo principio eſſentiali, qualis eſt inter res diuerſarum ſpecierum vel generum, quæ habet latitudinem ſecundùm quòd diſtinguuntur per genera magis vel minùs ſuperiora; talis eſt etiam diſtinctio numerica Angelorum, cùm non poſſint eſſe plures eiuſdem ſpeciei ex D. Th. ad diſtinctionem realem pertinet diſtinctio includentis ab incluſo, quæ eſt è parte rei, & eſt illa, quæ verſatur inter totum & partes ſigillatim ſumptas: totum enim dicit quamlibet partem & aliquid ampliùs, ſcilicet alias partes, ſed videatur ad quam ex enumeretis ſit reducenda pro ratione extremorum inter quæ verſatur. Diſtinctio rationis diuiditur in diſtinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ, diſtinctio rationis ratiocinantis eſt illa, quâ intellectus, nullo poſito à parte rei fundamento, idem à ſeipſo diſtinguit, vt cùm format hanc propoſitionem, Petrus eſt Petrus, diſtinctio verò rationis ratiocinatæ eſt illa, quâ ex aliquo fundamento intellectus idem diſtinguit à ſeipſo, & ita eſt virtualis diſtinctio ex parte rei, vt cùm in homine ex actibus ſentiendi & ratiocinandi diſtinguit rationem animalis à rationali, & in Deo ex diuerſis eius effectibus diſtinguit attributa, & hæc frequens eſt in ſcientiis, & aliquando vocatur diſtinctio formalis: vnde diſtinctio formalis eſt æquiuoca; nam dicitur tam de diſtinctione rationis ratiocinatæ, quàm de diſtinctione reali eſſentiali.

Probatur prima pars Concluſionis. Indiuiduum nihil addit reale ſupra naturam, quod ſit à parte rei diſtinctum ab illa; ſi enim ſingularitas aut differentia indiuidualis, ſiue hæcceitas, vt vocet Scotus, quam dicit indiuiduum ſupra naturam, diſtingueretur ab illa; ſequeretur, quòd natura haberet à parte rei vnitatem formalem poſitiuè communem multis: ſuppoſitâ enim illâ diſtinctione, nec natura nec eius vnitas haberet intra ſe vnde multiplicaretur, vt patet; & ita nec ab indiuiduis nec à differentiis indiuidualibus multiplicaretur; cùm eſſent quid extrinſecum, & à parte rei diſtinctum, ſicut quia materia prime eſt diſtincta realiter à forma, & habet ſuam propriam vnitatem: propterea talis vnitas non multiplicatur per aduentum & variationem formarum, ſed ſemper manet eadem numero; imò vlteriùs ſequeretur, quòd natura communis eſſet ſeparata, vel ſeparabilis ſaltem: nam licèt vnita cum differentiis indiuidualibus, remaneret tamen in ſe vna actu Vniuerſalis ratione illius vnitatis formalis, ac proinde ad minùs de potentia abſoluta poſſet ſeperari à ſingularibus, & ita daretur Vniuerſale ſeparatum, quod haberet vnitatem formalem poſitiuè communem multis, cuius contrarium ſupra demonſtratum eſt; & ite indiuiduum nihil addit reale realiter diſtinctum ſupra naturam: ergo natura & differentia indiuidualis, & ſimiliter vnitas formalis & vnitas numerica illas conſequentes non diſtinguuntur à parte rei, ſed ſolùm per intellectum cum fundamento in re; cùm natura dicat principia eſſentialia, à quibus procedit vnitas formalis: differentia verò indiuidualis & vnitas numerica deſumantur à materia ſignata.

Probatur ſecunda pars Concluſionis, negationes & priuationes regulantur ad modum formarum, quas negant & priuant: ſed diuiſio formalis & diuiſio materialis, quas priuant vnitas formalis & vnites numerica, diſtinguuntur ſpecie & realiter; nam diuiſio formalis eſt eſſentialis, cùm proueniat ex principiis eſſentialibus, diuiſio verò materialis reducitur ad accidentalem, cùm proueniat à materia ſignata quantitate, quæ eſt accidens: ergo negatio diuiſionis materialis, quam importat vnitas numerica, & negatio diuiſionis formalis, quam importat vnitas formalis, diſtinguuntur ſpecie & realiter; non quidem poſitiuè, cùm ſint priuationes, ſed tantùm negatiuè.

An primum ergo dicendum, quòd ſi definitio tradatur de re ſecundùm id quod eſt à parte rei, verum eſt illa diſtingui à parte rei, quæ habent diuerſas definitiones; nam habent à parte rei diuerſas eſſentias, vt patet in definitione hominis & equi: ſi autem definitio tradatur de re ſecundùm quod diuerſimodè tantùm apprehenditur & concipitur ab intellectu, cùm intellectus poſſit apprehendere; vt diſtincta, quæ realiter, & à parte rei ſunt vnum, vt contingit in præſenti materia; tunc falſum eſt, quòd à parte rei diſtinguantur, quæ differunt definitione: nam ſecundùm diuerſas rationes formales de eadem re poſſunt dari diuerſæ definitiones. Ad inſtantias dicendum in diuinis nullam dari diſtinctionem à parte rei actualem, niſi inter perſonas & proprietates perſonales: actionem verò à paſſione, ſicut & relationem à ſuo fundamento diſtingui realiter, vt ſuo loco dicetur.

Ao ſecundùm dicendum, quòd in eodem ſubiecto non poſſunt eſſe plures relationes ſolo numero diſtinctæ, etiam reſpectu diuerſorum terminorum: poſſunt tamen fundari in eadem entitate formali plures relationes ſpecie diſtinctæ; nam albedo eſt fundamentum relationis ſimilitudinis ad aliud album, & diſſimilitudinis ad nigrum, & eadem quantitas fundat relationem æqualitatis reſpectu vnius, & inæqualitatis reſpectu alterius.

Ao tertium dicendum, quòd indiuiduum per differentiam indiuidualem nihil reale addit ſupra naturam, quia differentia indiuidualis non diſtinguitur realiter à natura; licèt ſumatur à principio realiter diſtincto, ſcilicet à materia ſigneta quantitate: per intellectum tamen intelligitur vt aliquid reale ſuperadditum, & realiter diſtinctum à nature: ſed de his iterum in Metaphyſica.

ARTICVLVS V.

Vtrùm detur à parte rei Vniuerſale formale, ſiue Vniuerſalitas in rebus.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd detur à parte rei Vniuerſale formale; ſiue Vniuerſalitas, quæ conueniat naturis à parte rei, vt proprietas realis Ita tenet Scotus 7. Metaph. quæſt. 18. & in 2. d. 3. quæſt. 1. quem ſequuntur eius diſcipuli, & aliqui alij. Probatur authoritate Philoſophi, qui 1. Perihermenias, cap. 4. ſic ait: *Rerum aliæ ſunt Vniuerſales, aliæ particulares:* Ergo ſicut à parte rei dantur res ſingulares; ita & Vniuerſales, & ſic Vniuerſale formale eſt à parte rei. Maximè, quia Vniuerſale, & ſingulare dicunt mutuam relationem ſuperioris & inferioris: conſtat autem, quòd vbi eſt vnum relatiuum, ibi eſt ſuum correlatiuum: ac proinde Vniuerſale formale eſt à parte rei, ſicut & ſingulare: nam vt ſic ſunt correlatiua.

§ 2. Præterea, obiectum cuiuſlibet potentiæ, etiam ſecundùm illam rationem, quâ conſtituitur obiectum, eſt prius tali potentia ex Ariſtotele 2. de anima: ſed ex eodem Ariſtotele 1. phyſic. cap. 5. Vniuerſum eſt obiectum intellectua: ergo ante quamcumque operationem intellectus datur Vniuerſum etiam ſecundùm illam rationem, quâ conſtituitur formaliter Vniuerſum, ſcilicet Vniuerſalitatem, & conſequenter datur Vniuerſum formale à parte rei; quod enim eſt ante quamcumque operationem intellectus eſt à parte rei. Confirmatur. A parte rei omnes homines ſunt eiuſdem ſpeciei, & omnia animalia ſunt eiuſdem generis: ergo à parte rei dantur genera & ſpecies: ſed genus & ſpecies ſunt Vniuerſum formale: ergo datur Vniuerſum formale à parte rei.

§ 3. Præterea, Vniuerſale non poteſt conſtitui formaliter tale per aliquid ſingulare, cùm ſint rationes oppoſitæ;

positæ : sed quæcunque secunda intentio producta ab intellectu est simpliciter singularis, cùm sit producta à causa particulari, & constituatur vt indiuiduum sub aliqua specie : ergo per illam non potest constitui Vniuersale formale, & ita si datur Vniuersale formale, est à parte rei independenter ab intellectu. Confirmatur : si Vniuersum fieret beneficio intellectus, ex eo esset, quia per intellectum separaretur à proprietatibus indiuiduantibus : sed à parte rei dantur naturæ ab illis separatæ, vt patet in Angelis, deinde obiectum sensus, quod est à parte rei, est res Vniuersalis ex Aristotele 1. de demonstratione, cap. 24. nam licèt eius actio terminetur ad particularia, tamen non terminatur ad hoc, vel ad illud : ergo datur à parte rei Vniuersale formale.

§ 4. Præterea, Vniuersum pro formali dicit duo, scilicet vnitatem & aptitudinem essendi in multis : sed quælibet natura est vna formaliter à parte rei, & etiam à parte rei habet aptitudinem essendi in multis; imò actu est in multis : ergo à parte rei est formaliter Vniuersalis, & ita à parte rei datur Vniuersum formale, siue Vniuersalitas.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur non solùm Thomistæ omnes, sed etiam plures alij, Suares disp. 6. Metaph. sect. 5. Ruuius quæst. 4. de Vniuersalibus.

Conclvsio.

Cùm natura non sit Vniuersalis nisi per hoc, quòd abstrahatur à singularibus, quod habet beneficio intellectus : Vniuersum formale non est à parte rei.

Respondeo dicendum, quòd natura secundùm se considerata nec est singularis formaliter, nec Vniuersa formaliter. 2. sed provt est à parte rei in singularibus, est singularis. 3. fit autem formaliter Vniuersalis per operationem intellectus. 4. vnde Vniuersale formale, aut Vniuersalitas non datur à parte rei. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D. Thom. cap. 4. de ente & essentia, naturam Vniuersam posse sumi tribus modis. Primò secundùm se, siue secundùm sua prædicata essentialia. Secundò, vt habet esse in indiuiduis. Tertiò, vt habet esse in intellectu, & iuxta hunc triplicem statum naturæ dantur proprietates illam consequentes : nam naturam secundùm se consideratam, v. g. humanitatem, consequuntur admiratio, risibilitas, capacitas disciplinæ &c. illam verò, vt habet esse in indiuiduis, consequitur esse magnam vel paruam, calidam vel frigidam, albam vel nigram &c. vt denique habet esse in intellectu, illam consequitur esse speciem, attributum, subiectum &c. Rursus ipsa natura per ordinem ad indiuidua potest dupliciter considerari. Primò, vt possibilis & vt antecedit realem existentiam : secundò, vt iam actualis & realiter existens extra causas; & adhuc vt existens potest considerari, vel reduplicatiuè, vel specificatiuè, id est, præcisè, vt natura, quæ existit non considerata existentiâ. Certum est, quòd ipsa natura, vt existens, sumpta reduplicatiuè non potest habere aptitudinem essendi in multis; nam vt sic est singularis & propria, ac limitata ad vnum : vnde si diceret hanc aptitudinem, inuolueret contradictionem; sub alia consideratione, scilicet vt est possibilis, & etiam vt actualis, præcisâ tamen existentiâ, infra agetur.

Item sciendum est ex eodem D. Thom. in 1. d. 19. q. 5. art. 1. tria esse genera rerum; quædam enim habent totum suum esse à parte rei & independenter ab intellectu, vt cœlum, elementa &c. quædam verò habent totum suum esse in intellectu, vt chimeræ & alia fictitia : quædam denique se habent mediâ viâ, quæ neque habent totum suum esse in intellectu, nec à parte rei, sed sunt materialiter & fundamentaliter à parte rei; formaliter verò & secundùm essentiam in intellectu, vt veritas propositionum, & similiter Vniuersum Logicum : nam, v. g. natura humana est à parte rei, sed habet Vniuersalitatem ab intellectu : hoc autem vniuersale fundamentale, scilicet natura denudata proprietatibus indiuiduantibus vocatur Vniuersum Metaphysicum, quia Metaphysicus agit de illo : vniuersum verò formale, siue intentio & notio Vniuersalitatis, quæ consequitur naturam sic abstractam, dicitur Vniuersale Logicum, quia Logicus de illo agit : hæc autem notio est quædam vniformitas, indifferentia & aptitudo naturæ vt sit in multis. Vniuersum Metaphysicum est duplex, scilicet proximum & remotum : proximum est natura iam abstracta à proprietatibus indiuiduantibus, remotum est eadem natura, vt à parte rei immersa illis proprietatibus indiuiduantibus.

Item sciendum est aptitudinem nihil aliud esse, quàm potentiam ad aliquem actum, vel ad aliquod esse, & sic aptitudo vniuersalis, est potentia in ipso essendi in multis, non vagè & indeterminatè, scilicet in hoc vel illo : sed simul & semel positiuè respiciendo multa; hæc autem aptitudo est de essentia vniuersalis : nam illa multa sunt terminus adæquatus vniuersalis, cùm definiatur vnum in multis vel præter multa, esse autem actu in multis non est de essentia vniuersalis. De hac aptitudine inquiritur in præsenti articulo, an conueniat naturæ vniuersæ à parte rei, & licèt de hoc breuiter dictum sit supra art. 2. & ex dictis possit facilè resolui hæc difficultas : iterum tamen hic tanquam in proprio loco debet exactiùs examinari iuxta exigentiam doctrinæ.

Probatur prima pars conclusionis. Si natura secundùm se esset vniuersalis, non posset fieri singularis per indiuiduationem; cum istæ duæ rationes opponantur : id autem quod conuenit rei secundùm se non potest ab illa separari, & similiter si secundùm se esset singularis, non posset apprehendi vt vniuersalis; aliàs apprehensio esset falsa & sine vllo fundamento. Deinde si secundùm se natura esset vniuersa, ratio vniuersi illi competeret secundùm se & essentialiter : quòd autem competit naturæ secundùm se & essentialiter, competit omni cui competit essentialiter talis natura; & ita notio vniuersi competeret indiuiduis quod est falsum : ergo natura secundùm se considerata nec est singularis formaliter, nec vniuersa formaliter.

Probatur secunda pars conclusionis. Tunc natura est singularis, quando circumscribitur proprietatibus singularibus & illam indiuiduantibus : sed vt est à parte rei circumscribitur talibus proprietatibus inquantùm est in singularibus : ergo natura provt est à parte rei in singularibus est singularis.

Probatur tertia, & quarta pars conclusionis authoritate Philosophi, & D. Thom. Aristoteles 1. de anima cap. 1. dicit animal vniuersum aut nihil esse, aut posterius esse : vbi D. Thom. ait ideo vniuersum dici posterius, quia per intellectum abstrahitur à singularibus. Item 2. de anima cap. 4. ponens differentiam inter sensum & intellectum, ex parte obiecti, dicit obiectum sensus esse singularia, & intellectus esse vniuersalia, quæ vniuersalia sunt, inquit, quodammodo in anima : ponitur autem hæc particula limitans (quodammodo) quia vniuersalia sunt etiam à parte rei, sed fundamentaliter. Item 2. de demonstratione cap. vltimo definiens vniuersum, dicit esse vnum in multis & præter multa : sed à parte rei non potest esse aliquid præter multa; aliàs darentur naturæ separatæ vt ponebat Plato : ergo cùm natura solùm in intellectu sit præter multa, solùm in intellectu datur vniuersum formale.

Secundò. Vt dictum est ex D. Thom. natura non potest habere nisi triplicem statum, vel vt consideratur secundùm sua attributa essentialia præcisè, & vt sic non est vniuersalis vt dictum est; vel in statu contractionis & vt sic non est etiam vniuersalis; cum vt sic sit immersa proprietatibus singularibus : ergo restat quòd sit vniuersalis, vt abstrahitur ab illis : sed hoc habet per intellectum : ergo solùm per intellectum est vniuersale formale. Vbi nota hæc valde differre : natura secundùm se non includit singularitatem, & natura secundùm se est separata à parte rei à singularitate : primum enim est verum, secundum est falsum vt patet ex dictis.

Tertiò. Vt natura sit vniuersalis à parte rei formaliter, debet à parte rei esse vna formaliter, & non multiplicata, siue contracta indiuidualiter ad singularia; quia vniuersale aptum est prædicari proximè de multis, quod

repughat naturæ indiuidualiter contractæ, vt patet ex ipſis terminis: ſed vt ſupra dictum eſt non datur à parte rei talis natura, quæ ſit formaliter vna & non multiplicata: ergo non datur natura formaliter vnioerſalis à parte rei, ſed fit talis per operationem intellectus.

Quartò. Natura vt eſt à parte rei repræſentatur tantùm per phantaſmata, & ſic repræſentata, eſt & dicitur ſingularis; quia vt ſic repræſentata, eſt cum proprietatibus indiuiduantibus: eſt autem vniuerſalis cùm ſeparatur ab illis proprietatibus, quod fit per actionem intellectus, & tunc repreſentatur per ſpecies intelligibiles: ergo natura fit formaliter vniuerſalis per operationem intellectus, & ita vniuerſale formale non datur à parte rei.

Quintò. Si eſſe vniuerſalem formaliter conueniret naturæ à parte rei; ideo eſſet, quia illi conueniret ab intrinſeco, & ſecundùm ſe: ſed hoc eſt falſum, alioquin ſequeretur qoòd cuilibet indiuiduo conueniret eſſe formaliter vniuerſale, quod eſt ridiculum: certum eſt enim quòd quidquid conuenit naturæ ſecundùm ſe, conuenit omni eſſentialiter contento ſob tali natura: ergo eſſe vniuerſalem formaliter non conuenit naturæ à parte rei, ſed fit talis per operationem intellectus.

Sextò. Obiectum Logicæ eſt ens rationis, vt ſupra dictum eſt, & conſequenter non eſt à parte rei: ſed vniuerſum formale eſt pars obiecti formalis Logicæ; ideo enim Logica agit de illo: ergo vniuerſum formale eſt ens rationis, ac proindè non datur à parte rei. Ex quo ſequitur qoòd vniuerſalitas eſt quoddam accidens, ſiue forma rationis: & ita à parte rei non dantur genera & ſpecies cùm ſint vniuerſalia formalia. Sequitur etiam quòd natura ſit formaliter vniuerſa in eſſendo & prædicando, vt habet eſſe obiectiuè in intellectu: vnde fundamentum remotum notionis vniuerſi eſt natura vt eſt à parte rei; fundamentum verò proximum eſt natura vt habet eſſe obiectiuè in intellectu, quæ dicitur vniuerſum metaphyſicum: vniuerſum autem in repreſentando eſt à parte rei, ſcilicet ſubiectiuè in intellectu, ſunt enim ſpecies intelligibiles.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philoſophos ibi diuidit res, non abſolutè, ſed vt ſignificantur per nomina, & quia nomina non ſignificant res niſi mediante intellectu, id eſt, vt apprehenſas ab intellectu, & aliunde cùm intellectus diſtinguat vniuerſalia à ſingularibus; inde eſt quòd licet à parte rei ſint idem, tamen nominantur vt diſtincta; quod idem eſt ac dicere, dari à parte rei naturas vniuerſales fundamentaliter: quod autem Philoſophus ſit ſic intelligendus, probat D. Thom. ex hoc, quòd non definiuit vniuerſale & ſingulare ſecundùm aliquod quod pertinet ad res, ſed per actum animæ, ſcilicet per prædicari de vno ſolo, vel de pluribus. Ad aliud dicendum, quòd talis relatio non eſt realis, ſed ſolummodò rationis; vnde non eſt neceſſe quòd extrema ſint à parte rei, ſed ſufficit quòd ſint per rationem.

Ad ſecundum dicendum, quòd obiectum intellectus, etiam formaliter vt obiectum, eſt ſolùm vniuerſale fundamentaliter: nec per idem conſtituitur formaliter obiectum, & formaliter vniuerſale. Deinde dicendum, quòd maior ſit vera de potentia purè ſpeculatiua, non de practica, vel per modum practicæ, qualis eſt intellectus reſpectu entium rationis. Ad confirmationem dicendum homines dici eiuſdem ſpeciei &c. non qoòd à parte rei ſit aliquid vnum formaliter poſitiuè commune ipſis, ſed ob conformitatem in natura.

Ad tertium dicendum, quòd natura, quæ denominatur vniuerſalis, ex ſe non eſt ſingularis, imò eſt fundamentaliter vniuerſalis, id eſt, ex ſe habet quòd poſſit abſtrahi à ſingularibus: vnde notio vniuerſi illi adueniens per intellectum ipſam ſic conſiderantem, licèt non ſit vniuerſalis vt quod; eſt tamen vnioerſalis vt quo, & ſic illam denominat formaliter vniuerſalem, ſicut albedo licèt non ſit alba vt quod; dicitur tamen alba vt quo, & denominat ſobiectum album: imò ſicut albedo ſi eſſet alba vt quod, non poſſet conſtituere aliquod album vt forma: ſic pari modo, ſi vniuerſalitas eſſet vt quod vniuerſalis, non poſſet eſſe forma conſtitutiua illius. Ad confirmationem dicendum, quòd in rebus materialibus, naturæ Vniuerſæ abſtrahuntur à ſingularibus per actionem intellectus agentis illuminantis phantaſmata: in aliis autem per actionem intellectus paſſibilis conſiderantis naturam Vniuerſam abſqoe eo, quòd conſideret ſingularia, & ſic quodammodo abſtrahit. Ad aliud dicendum, quòd valdè differunt Vniuerſum, & in Vniuerſùm: vnde obiectum ſenſus non eſt Vniuerſum, ſed ſingulare in Vniuerſùm, ſiue vniuerſaliter, id eſt, vagè, & indefinitè ſumptum; obiectum autem intellectus ſont naturæ Vniuerſæ, ita vt illas apprehendat in ratione communi & Vniuerſali: actio autem ſenſus ſemper terminatur ad aliqoid ſingulare vt ſic.

Ad quartum dicendum, quòd aptitudo proptia Vniuerſalis dicit indifferentiam in naturâ; vt vna ſimpliciter exiſtens, formaliter & poſitiuè poſſit eſſe in multis, quod non conuenit naturæ à parte rei, vt dictum eſt ſupra: ſed vt conſideratur in ſtatu ſolitudinis, quod habet per intellectum: à parte rei autem habet ſolùm vnitatem conformitatis, quæ non eſt vna vnitas in pluribus; vnde à parte rei ſolùm eſt indifferens negatiuè, quia ex ſe noo eſt determinata ad hoc vel illud, nullam aotem habet à parte rei indifferentiam, aut communicabilitatem poſitiuam, etiam vt conſideratur poſſibilis à parte rei: nam ſemper reſpicit vnam exiſtentiam ſingularem, quamuis non determinatè hanc vel illam: actu verò exiſtens reſpicit hanc determinatè poſitiuè, licèt non ſecundùm ſe, ſed per hoc ſolùm colligitur indifferentia negatiua à parte rei: vnde patet, quòd Vniuerſalitas eſt relatio rationis, & ſic definitur. Vniuerſalitas eſt relatio, ſiue aptitudo rationis naturæ vnius ad eſſendum in pluribus: in concreto verò Vniuerſale eſt natura vna relata, ſeu apta ad eſſendum in pluribus: definitio enim accidentis in concreto traditur per ſubiectum poſitum loco generis: & ita Vniuerſum definit Ariſtoteles 1. Perihern. 5. *Vniuerſale dico, quod de pluribus aptum eſt prædicari*: Et 2. poſterior. vltimo. *Vniuerſale eſt, quod eſt vnum præter multa quodque in omnibus illis vnum ineſt.* Item 4. Metaph. textu 14. *Singulare dicimus, quod vnum numero eſt, Vniuerſale verò, quod ineſt.* Item lib. 7. textu 45. *Hoc enim dicitur Vniuerſale, quod pluribus naturâ aptum eſt ineſſe.*

Articvlvs VI.

Vtrùm natura fiat formaliter Vniuerſa per comparationem ſimplicem intellectus?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur, quòd natura fiat formaliter Vniuerſa, ſiue quòd reſultet Vniuerſalitas in natura per abſtractionem intellectus agentis. Ita tenent Zumel 1. part. quæſt. 13. art. 7. Scoto quæſt. 2. Vniuerſalium, & aliqui alij, quibus ſubſcribit Maſius qoantùm ad naturas ſpecificas, quarum indiuidua percipiuntur aliquo ſenſu externo. Probatur authoritate D. Th. 1. part. q. 85. art. 1. ad 1. vbi ſic ait: *Ea quæ pertinent ad rationem ſpeciei cuiuſlibet rei materialis, poſſunt conſiderari ſine principiis indiuidualibus, quia non ſunt de ratione ſpeciei, & hoc eſt abſtrahere Vniuerſale à particulari, ſiue ſpeciem intelligibilem à phantaſmatibus.* Item opuſc. 55. ait: *Eadem natura, quæ ſingularis erat, efficitur poſtea Vniuerſalis per actionem intellectus depurantis ipſam à conditionibus, quæ ſunt hic, & nunc.* Item 2. Phyſicor. *Animal poteſt intelligi abſque homine, & homo abſque Socrate, & aliis indiuiduis, & hoc eſt abſtrahere Vniuerſale à particulari.* Item opuſc. 42. cap. 5. *Natura Vniuerſalis propter vniformitatem rationis, quæ fit per remotionem à materialibus conditionibus, eſt vnum in multis*: ergo natura fit formaliter Vniuerſa per abſtractionem intellectus agentis.

¶ 2. Præterea, Natura abſtracta non eſt ſingularis, cùm ſit apta & indifferens ad eſſendum in multis, & vt ſic eſt præter multa: ergo fit formaliter Vniuerſa per abſtractionem intellectus agentis. Maximè, quia talis indifferentia, vniformitas & communitas, qoam habet per

abſtractio-

abstractionem, non sunt entia rei, sed entis rationis, scilicet relatio rationis, quæ est Vniuersalitas.

§ 3. Præterea, Obiectum potentiæ contemplatiuæ antecedit eam: sed Vniuersale in actu est obiectum intellectus passibilis, cùm hoc solùm sit intelligibile in actu: ergo antecedit eius actionem, ac proinde debet fieri per abstractionem intellectus agentis. Maximè, quia per talem abstractionem natura habet in intellectu illas conditiones, quæ sufficerent, si darentur à parte rei, vt esset Vniuersale à parte rei separatum; quale fingebat Plato: nam ideo non datur Vniuersale separatum à parte rei, quia omnia sunt contracta ad principia indiuiduantia, ac proinde omnia sunt singularia: sed per abstractionem intellectus agentis separatur natura in intellectu ab illis principiis indiuiduantibus: ergo in illo est formaliter Vniuersa. Confirmatur. Relationes generis & speciei habent pro fundamento actionem intellectus passibilis, quæ est comparatio: sed Vniuersalitas, quæ est relatio superior ad alias, cùm formaliter, vt quid superius ab illis distinguatur, debet habere aliud fundamentum; nam ex fundamentis relationes distinguuntur: ergo fundatur in alia actione intellectus, scilicet abstractione.

§ 4. Econtra, Videtur, quòd natura fiat formaliter Vniuersa per abstractionem præcisiuam intellectus passibilis, ita Durandus in 1.d. 3. quæst. 5. ad 2. Toletus q. 2. Vniuersalium, & alij, quibus subscribit Masius, quantum ad illas naturas specificas, quarum indiuidua non percipiuntur aliquo sensu externo, & quantum ad omnes naturas genericas, quæ abstrahuntur à naturis specificis. Probatur authoritate D.Thom. 1. part. quæst. 85. art. 2. ad 2. vbi sic ait. *Sed quòd humanitas apprehendatur sine indiuidualibus conditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio Vniuersalis, accidit humanitati secundùm quòd percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei, & non indiuidualium principiorum.* Probatur ratione. Tunc natura fit Vniuersa formaliter, quando cognoscitur esse proximum fundamentum Vniuersalitatis, tunc enim in illa resultat relatio Vniuersalis: sed per abstractionem præcisiuam intellectus passibilis cognoscitur natura esse proximum fundamentum Vniuersalitatis, quia per abstractionem intellectus agentis fit talis, per hoc quòd separatur à conditionibus indiuiduantibus, & redditur vniformis, indifferens & apta ad essendum in multis: ergo per abstractionem præcisiuam intellectus passibilis fit formaliter Vniuersa.

§ 5. Econtra, Videtur; quòd natura fiat formaliter Vniuersa per comparationem compositam intellectus passibilis: ita tenuere aliqui antiqui. Probatur: Vniuersalitas est relatio rationis, per quam natura dicitur respicere multa, & esse in multis: sed non potest resultare ista relatio in natura, nisi per comparationem compositam; non enim potest intellectus cognoscere naturam esse in multis, nisi intellectualiter exprimat coniunctionem cum illis importatam per ly, est, aut, esse: ergo natura fit formaliter Vniuersa per comparationem compositam intellectus passibilis.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur communiter eius discipuli, Caietanus 1. part. quæst. 28. art. 1. & cap. 4. de ente & essentia: Nazarius loco citato 1. part. Araujo 3. Metaph. quæst. 3. art. 5. Soncinas lib. 5. quæst. 27. nostri Complutenses, noster Didacus, Sanchez, & plures alij tam Thomistæ, quàm extra scholam D.Thom. in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm Vniuersale sit relatiuum secundùm esse, & Vniuersalitas sit vera relatio rationis: resultat Vniuersalitas, & fit natura formaliter Vniuersa per comparationem simplicem intellectus passibilis.

RESPONDEO dicendum, quòd natura non fit formaliter Vniuersa, siue non resultat in illa Vniuersalitas per abstractionem intellectus agentis. 2. nec per abstractionem præcisiuam intellectus passibilis. 3. nec per comparationem compositam eiusdem intellectus passibilis. 4. sed per comparationem simplicem illius. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd ex rebus, quæ sunt à parte rei, quædam percipiuntur aliquo sensu exteriori, vt sunt materialia, quæ substant obiectis formalibus sensuum exteriorum: quædam verò percipiuntur non aliquo sensu externo, sed interno, vt sunt intentiones, quæ formantur ab æstimatiua, siue cogitatiua, videlicet ratio inimicitiæ, quam percipit agnus videns lupum, ratio aptitudinis ad fabricandum nidum, quam videt auis in palea &c. quædam denique sunt, quæ à solo intellectu percipiuntur, vt Deus & alia immaterialia; & ista licèt non habeant phantasmata, à quibus desumatur ipsorum cognitio tamquam à propriis principiis: tamen originatur aliqualiter ex phantasmatibus rerum materialium; quia pro hoc statu obiectum nostri intellectus est quidditas materialis, vnde ipsæ substantiæ separatæ non cognoscuntur hic perfectè, quid sunt, sed potiùs quid non sunt, remouendo ab ipsis imperfectiones rerum materialium: ad hoc genus entium reducitur ipse intellectus, actus, habitus & species eius; sed tamen ista perfectiùs cognoscuntur, quàm priora ob eorum experientiam: circa has res spirituales intellectus agens nullam habet operationem; totum enim eius officium consistit in illuminatione phantasmatum: materialia verò hoc modo & ordine cognoscuntur; cùm enim, vt dicitur communiter, quando nascimur noster intellectus sit velut tabula rasa, nihil cognoscit, nisi beneficio sensuum; & ideò obiectum priùs percipitur sensu, quàm percipiatur intellectu; sensatio autem fit per hoc; quod obiectum sensibile mittit speciem intentionalem seipsum repræsentantem in sensum, qua informatus & actuatus sensus, in ea videt obiectum sine productione alicuius speciei expressæ, vt tenet sanior pars Thomistarum, & docet D.Thom. Quodlibeto 5. q. 5. art. 9. ad 1. vnde hæc actio non est productiua, sed tantùm vnitiua obiecti in actu secundo, quod per suam speciem erat iam vnitum potentiæ in actu primo; species receptæ in sensibus externis producunt successiuè alias per neruos, vsque dum perueniatur ad sensum communem, qui est in anteriori parte cerebri, in quo radicantur isti nerui, qui terminantur ad sensus externos; quia tamen hic sensus communis est humidissimus, & hoc prouidentiâ naturæ, vt facilè in eo species missæ à sensibus externis reciperentur & imprimerentur; ideo natura prouisit alium sensum non ita humidum in media parte capitis, quem vocamus phantasiam & imaginationem, ad quem species receptæ in sensu communi immittunt alias similes, vt diutiùs in illo conseruentur, quæ facilè delentur in sensu communi ob nimiam humiditatem: prope phantasiam est alia potentia sensitiua, siue sensus internus, quæ in aliis animalibus vocatur æstimatiua, in homine verò cogitatiua, propter quoddam iudicium, & discursum, licèt imperfectum, quem habet participatum ab intellectu, propter quod etiam vocatur ratio particularis: huic potentiæ, sicut sensui communi & phantasiæ ob eminentiam, quam super alios sensus habent, conceditur, quod in sua sensatione producant speciem expressam rei sensatæ, quæ propriè dicitur idolum, siue phantasma, sicut etiam species impressæ, quæ dicuntur intentiones, prout sunt in ipsis dicuntur phantasmata: æstimatiua autem siue cogitatiua habet pro officio percipere quasdam intentiones, quæ formaliter non relucent in speciebus intentionalibus missis ab obiecto, sicut rationem inimicitiæ percipit ouis in specie lupi; & rationem amicitiæ in specie canis; item auis videt in specie paleæ rationem conuenientiæ respectu sui nidi; hæc autem potentia habet temperamentum idoneum ad facilem perceptionem harum intentionum, sed non ad diuturnam conseruationem: & ideo à natura prouisa est quarta potentia sensitiua interior, quæ sit conseruatiua specierum repræsentantium has intentiones, quæ species sibi mittuntur ab æstimatiua, siue cogitatiua, & hæc potentia vocatur memoria, siue reminiscentia in homine, quia in eo se habet actiuè ad reminiscendum, siue se excitat ad suum actum, & collocatur in posteriori parte cerebri; hæc etiam in sua operatione producit speciem expres-

ſam, iſta omnia phantaſmata, prout dicunt tam ſpecies intentionales impreſſas, quàm expreſſas; cùm adhuc ſint materialia, licèt valde depurata, repræſentant obiectum ſingulare cum proprietatibus ſingularibus, v. g. Petrum cum hac magnitudine, cum hoc numero, colore, odore &c. cùm autem obiectum intellectus ſit Vniuerſale, & ipſe ſit potentia purè ſpiritualis, nec ſenſus iſti interni poſſint producere ſpecies ſimpliciter ſpirituales; ſequitur, quòd intellectus non poteſt percipere iſta obiecta; quia tales ſpecies non poſſunt in ipſo imprimi, nec à ſenſibus internis, nec ab eorum phantaſmatibus; cùm ſint in ordine materialium: ideo natura prouiſit intellectum agentem, qui habet pro officio illuminare phantaſmata, & ab illis abſtrahere ſpecies intelligibiles hoc modo. Intellectus agens imprimit quamdam qualitatem tranſeuntem in phantaſmata, quæ quia conducit ad cognitionem, & viſionem intellectus paſſibilis, dicitur lumen, & eſt ſpiritualis, in virtute huius luminis phantaſmata, licèt in ſe materialia, eleuantur ad producendas ſpecies intelligibiles ſpirituales eo modo, quo obiecta purè materialia in virtute lucis producunt ſpecies intentionales, quæ accedunt ad ſpiritualitatem: iſtæ ſpecies intelligibiles productæ à phantaſmatibus recipiuntur in intellectu paſſibili, & cùm ſint omnino ſpirituales, directè ſolùm repræſentant naturam communem, & hoc modo intellectus agens dicitur denudare phantaſmata à conditionibus indiuiduantibus, & iſta denudatio, ſiue ſeparatio naturæ à conditionibus indiuiduantibus dicitur abſtractio intellectus agentis, quia quaſi abſtrahit, & ſeparat naturam à ſingularitatibus. Intellectus autem paſſibilis informatus hac ſpecie ſiue fœcundatus, dicitur conſtitutus in actu primo cognitionis; quando verò exit in actum ſecundum producit ſpeciem expreſſam, quæ dicitur verbum mentis, quod producit cognoſcendo ipſum obiectum, & producendo verbum, in ipſo etiam cognoſcit obiectum: vnde eſt terminus tam dictionis, quàm cognitionis intellectus: poteſt autem intellectus dupliciter cognoſcere naturam humanam; v.g. vel præciſè, cognoſcendo ſcilicet ipſam ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, non cognoſcendo ſingularia, nec ipſam per ordinem ad ſingularia, ſed ab illis abſtrahendo & præſcindendo; & hæc dicitur abſtractio præciſiua intellectus paſſibilis pertinens ad primam eius operationem, & diſtinguitur ab abſtractione negatiua, quæ eſt in ſecunda mentis operatione, & fit per propoſitionem negatiuam; ſed per hanc, aut per tertiam mentis operationem fieri Vniuerſale eſt impoſſibile: vel poteſt cognoſcere intellectus naturam humanam in ordine ad ſingularia, id eſt, vt ab illis participabilem, quod fit per cognitionem reflexam; ſupponit enim aliam, ſcilicet eius abſtractionem ab inferioribus, & ita ſecunda iſta actio terminatur ad naturam ſecundùm id, quod habet ab intellectu, quod eſt ipſam eſſe reflexam, & iſta ſecunda actio dicitur comparatio, quæ ſi fiat per ſimplicem apprehenſionem, cognoſcendo ſcilicet naturam in ordine ad inferiora abſque affirmatione, dicitur comparatio ſimplex: ſi autem fiat cum aliqua affirmatione, attribuendo videlicet naturam ſingularibus, mediá actuali prædicatione, dicitur comparatio compoſita: vnde colligitur quatuor eſſe operationes intellectus in ordine ad Vniuerſale, ſcilicet abſtractionem intellectus agentis, abſtractionem præciſiuam intellectus paſſibilis, & duas comparationes eiuſdem, ſimplicem & compoſitam. Natura autem generica eo modo abſtrahitur ab ſpecibus intelligibilibus ſuarum ſpecierum, quomodò natura ſpecifica à phantaſmatibus ſuorum indiuiduorum; nam ſicut natura ſpecifica coarctatur per differentias indiuiduales, ſic natura generica per differentias ſpecificas: abſtractio autem naturæ ſpecificæ in materialibus ſemper fit per intellectum agentem; naturæ verò genericæ in eiſdem rebus materialibus aliquando fit per intellectum agentem immediatè, vt quando videtur à longè aliquod animal vagum, & neſcitur quodnam ſit: producitur in oculo ſpecies intentionalis repræſentans ſolùm aliquod animal ratione motus, vel alterius, tunc phantaſma correſpondens illi ſpeciei ſolùm repræſentat aliquod animal, & ita per illuminationem intellectus agentis abſtrahitur ſpecies repræſentans ſolùm naturam animalis: vnde natura generica animalis fit Vniuerſa Metaphyſicè per intellectum agentem, & hoc ita ſuccedit, quia ſenſus exterior ſolùm apprehendit proprietates naturæ genericæ, vt contractas ſolùm per differentias indiuiduales, & non per ſpecificas: quando enim immediatè percipit indiuiduum determinatæ ſpeciei, tunc tam ſpecies intentionalis, quàm phantaſmata repræſentant naturam ſpecificam indiuiduatam, & ſic ſpecies intelligibilis abſtracta ab hoc phantaſmate per illuminationem intellectus agentis repræſentat primò naturam ſpecificam; & cùm in ea reluceat natura generica, intellectus paſſibilis poteſt eam ſeparare, præſcindendo à differentiis ſpecificis; & in tali caſu (qui eſt frequentior & ordinarius) natura generica fit Vniuerſa Metaphyſicè per intellectum paſſibilem; in rebus autem ſpiritualibus, tam natura generica, quàm ſpecifica fiunt immediatè per intellectum paſſibilem, vt dictum eſt; quia non habent per ſe phantaſmata, à quibus repræſententur; ex quibus patet per quam actionem fiat Vniuerſum Metaphyſicum, quod importat ipſam naturam realem Vniuerſam, vnde præſens difficultas eſt de Vniuerſo Logico, quod eſt ipſa forma, ſiue notio & relatio Vniuerſalitatis, & de illo quæritur per quam actionem intellectus ex enumeratis reſultet in natura communi.

Probatur Concluſio quoad omnes partes authoritate D.Th. in 1.d.2.q. 1. art.3. ſic ait, *Ex hoc, quòd intellectus intelligit animal, vt in pluribus ſpeciebus, attribuit ei intentionem generis, & huiuſmodi intentionis licèt proximum fundamentum non ſit in re, ſed in intellectu; tamen remotum fundamentum eſt res ipſa.* Item quæſt.7. de potentia, art.11. *Huiuſmodi ſunt relationes, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout ſunt intellectæ, ſicut relatio generis & ſpeciei: has enim relationes ratio adinuenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu ad res, quæ ſunt extra.* Item 1.part.quæſt.28.art.1. ait: *Aliquando verò reſpectus ſignificatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantum in ipſa apprehenſione rationis conferentis vnum alteri; & tunc eſt relatio rationis tantum, ſicut cùm comparat ratio hominem animali, vt ſpeciem ad genus.* Item lib. 1.Periarch.lect.10. ait: *Huiuſmodi intentiones format intellectus, attribuens eas naturæ intellectæ, ſecundùm quòd comparat ipſas ad res, quæ ſunt extra animam.* Item ſed clariùs opuſc.48. cap.1. ſic enim ait: *Quia intellectus reflectitur ſupra ſeipſum, & ſupra ea, quæ in se ſunt, ſiue ſubiectiuè, ſiue obiectiuè: conſiderat iterum hominem ſic à ſe intellectum ſine conditionibus materiæ, & videt, quòd talis natura cum tali Vniuerſalitate, ſeu abſtractione intellecta poteſt attribui huic, & illi indiuiduo, & ideo format ſecundam intentionem de tali natura, & hanc vocat Vniuerſale, ſeu prædicabile.*

Probatur prima pars Concluſionis ſigillatim: nullum Ens rationis reſultat in natura per abſtractionem intellectus agentis, quia Ens rationis non poteſt fieri à potentia non cognoſcitiua, cùm eius fieri ſit cognoſci, vt ſupra dictum eſt: conſtat autem ex libris de anima, quòd intellectus agens eſt potentia non cognoſcitiua: ſed Vniuerſalitas eſt Ens rationis, vt fatentur omnes: ergo Vniuerſalitas non reſultat in natura per abſtractionem intellectus agentis; ac proinde natura non fit formaliter Vniuerſa per illam.

Secundò. Vniuerſale eſt vnum in multis, ſic enim definitur: ſed natura per abſtractionem non fit vna, hoc enim habet per comparationem; quia abſtractioni intellectus ſolùm correſpondent obiectiuè in natura cognita, & abſtracta, prædicata eſſentialia, quæ conueniunt naturæ ſecundùm ſe; conſtat autem, quòd natura ſecundùm ſe, nec eſt vna, nec plures, nec particularis, nec Vniuerſalis, vt ſupra dictum eſt; vnde natura per abſtractionem non fit vna, ſed ſolùm habet illam vnitatem per comparationem ad plura: ergo non fit formaliter Vniuerſa, ſiue non reſultat in illa Vniuerſalitas per abſtractioné intellectus agentis.

Probatur

Probatur secunda pars conclusionis. Per abstractionem præcisiuam intellectus passibilis solùm cognoscitur natura secundùm sua prædicata essentialia, quæ habet à parte rei, nam illa sola repræsentantur in specie intelligibili: sed quando natura cognoscitur præcisè secundùm id tantùm, quod habet à parte rei, nullum resultat in illa Ens rationis; quia Ens rationis est illud, quod cùm nihil sit à parte rei, habet esse obiectiuè in intellectu, quod fit, dum intellectus cognoscit rem aliter ac est, ac proinde non cognoscens naturam aliter ac est, non facit Ens rationis: patet autem, quòd quando cognoscit naturam cum suis prædicatis essentialibus non comparans eam ad indiuidua, at se merè negatiuè habens ad illa, cognoscit rem secundùm ea, quæ habet à parte rei: ergo natura non fit formaliter Vniuersa, siue non resultat in illa Vniuersalitas per abstractionem præcisiuam intellectus passibilis.

Secundò. Quælibet secunda intentio, vt supra dictum est, fundatur in denominatione extrinseca cognitis, vnde non potest fieri vniuersalitas, siue quælibet alia secunda intentio per primum actum cognitionis intellectus terminatum ad aliquam rem; nam si est fundamentum, debet præsupponi: sed abstractio præcisiua intellectus passibilis est primus actus, quem habet circa naturam: ergo per illam non resultat in natura intentio Vniuersalitatis.

Probatur tertia pars Conclusionis. Essentia prædicabilis, siue Vniuersalis, est aptitudo essendi in multis, & prædicandi de multis; ac proinde actualis prædicatio non est necessaria ad Vniuersale, hæc enim facit prædicatum, & non prædicabile: ergo ante actualem prædicationem, quæ fit per comparationem compositam, iam est factum Vniuersale, siue prædicabile, ac proinde natura non fit formaliter Vniuersa, siue non resultat in illa Vniuersalitas per comparationem compositam intellectus passibilis.

Probatur quarta pars Conclusionis. Vniuersale est relatiuum secundùm esse, & Vniuersalitas est vera relatio rationis, vt communiter docent Philosophi: ergo resultat per comparationem simplicem intellectus passibilis: probatur Consequentia. Vnum relatiuum secundùm esse, nec potest esse, nec intelligi sine ordine ad suum correlatiuum; nam sunt simul naturâ & cognitione, vt ait Philosophus: ergo relatio Vniuersalitatis resultat in natura, & ipsa fit formaliter Vniuersa, quando intelligitur per ordinem ad correlatiuum, scilicet singularia: sed hoc fit per simplicem comparationem, vt patet ex dictis: ergo natura fit formaliter Vniuersa, siue resultat in illa Vniuersalitas per comparationem simplicem intellectus.

Confirmatur. Relationes rationis in hoc consistunt, quòd natura intelligatur relata, cùm reuera nullam dicat talem relationem: sed non potest intelligi relata, nisi intelligatur ipsa, vt ordinata & comparata ad sua inferiora; relatio enim est quidam ordo & comparatio: ergo talis relatio Vniuersalitatis resultat in natura per simplicem comparationem, quæ nullum includit iudicium actuale, aut discursum, vnde est simplex apprehensio naturæ in ordine ad sua inferiora.

Ad primum ergo dicendum pro omnibus locis generaliter, quòd D. Thom. se declarat in opusc. 48. cap. 1. cuius titulus est. (*Quid sit Vniuersale, & quomodo originetur*) vbi naturam abstractam ab intellectu agente vocat Vniuersale, & ipsam abstractionem vocat vniuersalitatem, seu intentionem; & tamen propriam Vniuersalitatem; seu secundam intentionem Vniuersalitatis dicit fieri per actum reflexum, quando natura est iam abstracta, & cognita in ordine ad inferiora, quæ cognitio est comparatio simplex: specialiter tamen dicendum ad primum locum, quòd loquitur de Vniuersali in repræsentando. Ad. 2. dicendum, quòd loquitur de Vniuersali Metaphysico, siue de natura, non autem de Logico, siue de secunda intentione, vel (quod in idem redit) loquitur de Vniuersali fundamentaliter in potentia proxima; vnde absolutè vocat Vniuersale; quia quod prope est, ad esse, nihil ab esse differre videtur, vt ait ipsemet D. Th. opusc. 42. cap. 20. quod autem sit ita intelligendus, patet, nam in fine huius loci ait, quòd Vniuersale fiat per comparationem. Ad 3. similiter dicendum, quòd loquitur de Vniuersali Metaphysico & reali, nam loquitur in illo loco, vt Phisicus. Ad 4. locum dicendum, quòd est dubium, an hoc opusc. sit D. Thom. vnde iussu Pontificis fuit impressum minoribus caracteribus, vel dicendum, quòd textus non est fideliter relatus, non enim habetur ly, per remotionem, sed propter remotionem; ly per, significat causalitatem, ly propter, significat solùm occasionem; & ita non vult D. Thom. quòd talis abstractio sit causa proxima Vniuersalitatis Logicæ, sed solùm occasio, ex hoc, quòd illa abstractio facit naturam proximè capacem, vt adueniente comparatione resultet in ea relatio Vniuersalitatis.

Ad secundum dicendum, quòd sicut natura contracta est singularis, ita abstracta est Vniuersalis, sed Metaphysicè, non Logicè, nec per abstractionem, vt dictum est, habet quòd sit vna in multis; quia nondum dicit ordinem rationis ad illa multa, & illa indifferentia & vniformitas, quam sic abstracta dicit, non est positiua, sed tantùm negatiua, vnde non sufficit ad constituendum Vniuersale, nam significat præcisè ipsa prædicata essentialia naturæ non singularisata; non autem dicit ipsa, vt vnum quid multis commune, quod requiritur ad Vniuersale Logicum.

Ad tertium dicendum, quòd obiectum intellectus etiam formaliter, quatenus obiectum, est Vniuersale fundamentaliter in potentia proxima, nec requiritur naturæ, ad hoc, vt fiat actu intelligibilis, quòd ei adueniat notio Vniuersalitatis; nam intelligibilitas est proprietas consequens entitatem realem & intrinsecam, sed immaterialem ipsius naturæ, quod præcisè habet per abstractionem à proprietatibus indiuiduantibus: nec instantia aliquid vrget, est enim magna disparitas, nam si darentur naturæ separatæ à parte rei, essent Vniuersæ physicè, & in eis esset relatio realis ad inferiora, quæ exurgit nemine cogitante: sed relatio rationis non potest exurgere, nisi per actionem rationis considerantis vtrumque extremum, vnde natura per abstractionem præcisè non fit Vniuersalis Logicè; quia sic importat hanc relationem rationis, sed tantùm Metaphysicè, id est, fit vna Vniuersalis negatiuè, non positiuè. Ad confirmationem dicendum, quòd non fit relatio rationis, scilicet vniuersalitas sic absolutè; quia non dantur gradus superiores, nisi in inferioribus: vnde quando resultat vniuersalitas, vel est generica, vel specifica; & ita per eamdem actionem fit distinctio autem genericæ ab specifica, non est ex parte actionis, quâ resultat, sed ex parte terminorum, qui si differant solo numero, relatio est specifica; si differant essentialiter, relatio est generica.

Ad quartum dicendum, quòd solùm D. Thom. vult, quòd ad naturam consideratam sine indiuiduis consequitur relatio Vniuersalitatis; sicut consequitur relatio realis ad fundamentum, quia per illam considerationem præcisiuam vltimò est disposita, vt ei adueniat relatio Vniuersalitatis: sed sicut non sufficit fundamentum, vt resultet relatio realis, sed insuper requiritur terminus: sic ad relationem rationis requiritur, vt intelligatur terminus, quod non potest esse, nisi intelligatur natura sic abstracta in ordine ad inferiora, quod fit per comparationem simplicem. Ad rationem dicendum, quòd per illam abstractionem præcisiuam solùm cognoscitur natura secundùm sua prædicata essentialia, & non vt vna, & indifferens ad multa; siue vt proximum fundamentum Vniuersalitatis: ista enim non possunt intelligi, nisi cognoscatur per ordinem ad inferiora, & hoc fit tantùm per comparationem; nam vt sic videtur vt vna dicens vniformem ordinem ad multa; vnde omnes aliæ actiones sunt solùm dispositiuæ.

Ad quintum dicendum, quòd natura fit Vniuersalis præcisè per hoc, quòd concipitur apta & indifferens essendi in multis, nec necesse est, quòd actu sit in illis, vt

patet in pluribus naturis, quæ habent vnicum indiuiduum; ac proinde non eſt neceſſe, quòd cognoſcatur vt actu in multis; quòd fit per comparationem compoſitam, ſed ſufficit, quòd cognoſcatur vt apta eſſendi in multis, quod fit per comparationem ſimplicem.

QVÆSTIO IV.

De proprietatibus Vniuerſalis.

COGNITA eſſentiâ alicuius rei ſtatim occurrit agendum de eius proprietatibus, quæ neceſſariò conſequuntur eſſentiam, vt quædam eius corollaria: circa proprietates ergo Vniuerſalis quæruntur ſeptem.

- ❡ Primò, Vtrùm peremptis ſingularibus pereant naturæ vniuerſæ?
- ❡ Secundò, Vtrùm propoſitiones in materia neceſſariâ ſint æternæ veritatis?
- ❡ Tertiò, quid & quotuplex ſit prædicatio?
- ❡ Quartò, quomodo prædicentur inter ſe nomina primæ intentionis?
- ❡ Quintò, quomodò prædicentur nomina ſecundæ intentionis, tam de primis, quàm inter ſe?
- ❡ Sextò, Vtrùm vniuerſalia ſint tantùm quinque?
- ❡ Septimò, Vtrùm vniuerſale ſit genus ad quinque prædicabilia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm peremptis ſingularibus pereant naturæ vniuerſæ?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd peremptis ſingularibus non pereant naturæ vniuerſæ. Ita tenuit Plato: dicebat enim naturas vniuerſas habuiſſe ab æterno exiſtentiam ſeparatam à ſingularibus; & conſequenter eſſe perpetuas, & fore remanſuras, etiamſi omnia ſingularia interirent. Probatur. Ex communi proloquio omnium Philoſophorum habetur naturas vniuerſas eſſe perpetuas, liberas ab ortu & interitu, ab omni loci & temporis differentia, vt ab hîc & nunc, ſempérque & vbique eſſe, & hoc admittit D. Th. 1. part. q. 46. art. 2. ergo peremptis ſingularibus non pereunt naturæ vniuerſæ.

❡ 2. Præterea, Quæcumque continentur in prædicamentis ſunt entia realia, vt infra dicetur ex communi doctrina Philoſophorum: ſed naturæ vniuerſæ etiam peremptis ſingularibus continentur in prædicamentis; nam ſublatis hyeme omnibus roſis datur in prædicamentis hæc ſeries, roſa eſt flos, viuens, corpus, ſubſtantia: ergo peremptis ſingularibus non pereunt naturæ vniuerſæ.

❡ 3. Præterea, Hæc propoſitio eſt vera ab æterno; homo eſt animal; propoſitio autem dicitur vera vel falſa, ex hoc, quòd res eſt, vel non eſt; & ita ab æterno homo eſt animal: ergo ab æterno eſt natura humana vniuerſa, etiam quando nondum erant ſingularia; & conſequenter naturæ vniuerſæ ſunt poſitiuè ingenerabiles & incorruptibiles; vnde remanebunt in æternum, etiam peremptis ſingularibus.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Philoſophi ſæpe Platonem impugnantis, D. Thom. & omnium pene Philoſophorum.

CONCLVSIO.

Cùm naturæ vniuerſæ non poſſint eſſe ſeparatæ à ſingularibus: peremptis ſingularibus neceſſario pereunt.

RESPONDEO dicendum, quòd non ſolùm eſt chimericum ponere naturas vniuerſas ab æterno actualitate exiſtentiæ extra Deum, ſed etiam eſt contra fidem. 2. nec tales naturæ vniuerſæ ſunt perpetuæ ſecundùm eſſentiam poſitiuè; vnde nec fuerunt ab æterno in aliquo gradu entis ſecundùm eſſentiam extra Deum, neque remanent peremptis ſingularibus ſecundùm aliquam realitatem; ſed ſicut nihil ſunt antequàm ſingularia exiſtant: ſic omnino euaneſcunt, & in nihilum redeunt, ſiue vt dicit D. Thom. nihil ſunt, ſi pereant ſingularia. 3. ſunt tamen ſecundùm eſſentiam perpetuæ negatiuè, id eſt, ſecundùm ſe non ſunt generabiles aut corruptibiles, qui non habent in ſe principium ſuæ generationis aut corruptionis, nec ſui principij aut finis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quaſdam eſſe naturas vniuerſas, quarum indiuidua ſunt realiter in intellectu, vt ſunt ſcientiæ, alij habitus intellectuales & ſpecies intelligibiles, & iſtæ naturæ dicuntur eſſe in intellectu ſecundùm rem; in eo quippe ſubiectantur: aliæ autem ſunt, quarum indiuidua ſunt realiter in rerum naturâ extra intellectum, vt ſunt omnia materialia; & iſtæ non ſunt realiter in intellectu, quia in ipſo non ſubiectantur ſecundùm ſuam entitatem, ſed tantùm ſunt in illo obiectiuè, quamuis earum ſimilitudo, ſcilicet ſpecies intelligibilis, ſit in intellectu realiter. Ratio horum eſt manifeſta; naturæ ſiquidem vniuerſæ non ſunt ſeparatæ à ſingularibus, ſed ſunt in illis identificatæ; & ita vbi ſunt illarum indiuidua realiter, ſiue in intellectu, ſiue extra illum; ibi etiam ſunt realiter ipſæ naturæ: eſt autem eadem natura vniuerſalis in ſe ſecundùm eſſentiam conſiderata in indiuiduis; & in intellectu, ſolùm differens ratione, & ſecundùm diuerſum modum eſſendi: quia in ſe ſolùm dicit ſua attributa eſſentialia, in indiuiduis dicit ipſamet, vt contracta ſiue ſingulariſata: prout verò in intellectu, dicit eadem non ſubiectiuè in ipſo, ſed obiectiuè: ſed hic diuerſus ſtatus naturæ eſt cum quodam ordine, priùs enim ratione intelligitur in ſe, poſtea, vt habens eſſe in indiuiduis, poſtremò, vt in intellectu, ſi loquamur de humano: nam in intellectu diuino eſt ab æterno antequam in ſe, & indiuiduis: in Angelico verò ab Angelorum creatione, quæ ſaltem ratione & naturâ præceſſit creationem materialium: ratio iſtorum eſt, quia priùs conuenit naturæ id quod eſt ei eſſentiale, quàm quod ei accidit: ſed prædicata eſſentialia conueniunt naturæ eſſentialiter (propterea enim dicuntur eſſentialia) contrahi autem ad indiuidua eſt extra eius conceptum eſſentialem & illi accidit; vt ſupra dictum eſt ex D. Thom. deinde nos non cognoſcimus naturas vniuerſas, niſi per hoc, quòd abſtrahimus illas à ſingularibus: ergò priùs ratione natura eſt in ſe, deinde in indiuiduis, denique in noſtro intellectu: natura autem vniuerſa verius habet eſſe eſſentiæ in ſe, deinde in intellectu, poſtremò in indiuiduis; quia in ſe eſt purior, nec vllam habet admixtionem alterius, cùm vt ſic dicat tantùm ſua prædicata eſſentialia; in intellectu autem habet admixtionem alicuius accidentis rationis, in indiuiduis verò habet maiorem impuritatem, quia in illis permiſcetur multis accidentibus realibus, & eſt obnoxia variis mutationibus: ſed tamen in indiuiduis quantùm ad actum ſecundum, ſcilicet exiſtentiam, & quantùm ad hoc, quòd illis tribuat rationem & denominationem, verius eſſe habet, quàm in ſe vel in intellectu: nam in indiuiduis verè exiſtit, & illa denominat formaliter, in ſe autem non exiſtit, vt per ſe, neque in intellectu.

Item ſciendum eſt ex D. Thom. in 1. d. 33. art. 1. eſſe ſumi tripliciter, ſcilicet eſſe eſſentiæ, eſſe exiſtentiæ & eſſe quod ſignificat veritatem propoſitionis. Hæc ſunt verba D. Thom. *Vno modo dicitur eſſe ipſa quidditas, vel natura rei, ſicut dicitur, quòd definitio eſt ratio ſignificans, quod eſt eſſe, alio modo dicitur eſſe, ipſe actus eſſentiæ, ſicut viuere, quod eſt eſſe viuentibus, tertio modo dicitur eſſe, quod ſignificat veritatem compoſitionis in propoſitionibus ſecundùm quod, eſt, dicitur copula.* Idem repetit 1. part. quæſt. 3. art. 4. ad 2. vbi de hoc fusè eius diſcipuli, præcipuè Nazarius: in hac difficultate non procedimus de veritate propoſitionis, an ſcilicet peremptis ſingularibus pereant naturæ vniuerſæ quoad veritatem propoſitionis, ſed de eſſe primo & ſecundo modo.

Probatur prima pars Concluſionis. Si naturæ vniuerſæ eſſent ab æterno, vel dependerent à Deo & eſſent ab ipſo creatæ, vel non: ſed vtrumque eſt contra fidem: nam dicere, quòd non ſint creatæ à Deo, Scripturæ repugnat

Ioannis 1.

Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*; Imò est contra Aristotelem 12. Metaph. cap. vltimo, & contra rationem naturalem, quæ dictat omnia alia entia dependere à primo ente per essentiam, vel quasdam participationes illius; primum enim in vnoquoque genere est causa cæterorum illius generis; dicere etiam, quòd sunt creatæ ab æterno, est contra fidem: nam, vt habetur primo Genesis. *Omnia fuerunt creata in tempore*: Ergo non solùm est chimericum ponere naturas vniuersas esse ab æterno actualitate existentiæ extra Deum, sed etiam est contra fidem. Ex quo sequitur, quòd si perirent omnia singularia alicuius naturæ vniuersalis, vt de facto peribunt omnia mixta excepto homine, in fine mundi, talis natura vniuersa non remaneret existens, sed periret cum singularibus: vnde dicendum vniuersaliter, quòd si perirent omnia singularia, quæ sunt in rerum natura, perirent similiter cum illis omnes naturæ vniuersæ quoad existentiam. Ita Aristoteles cap. de substantia, vbi sic ait: *Destructis scilicet primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere*: Igitur quoad esse essentiæ naturæ vniuersæ non sunt perpetuæ, quia non existunt, nisi in singularibus & à singularibus.

Probatur secunda pars Conclusionis authoritate D.Th. 1.part.quæst.10. art.3. ad 3, & quæst.3. de potentia, art.5. ad 2. vbi sic ait: *Quidditas creata antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia.*

Secundò. Implicat aliquid habere actualem essentiam extra Deum; ita vt talis essentia sit aliquid reale, & non habeat existentiam: sed naturæ vniuersæ, vt dictum est, secundùm fidem, non habent ab æterno existentiam extra Deum, ergo nec essentiam actualem: Probatur Maior: Vel istæ naturæ vniuersæ sunt dependentes à Deo secundùm illud esse diminutum, quod habent, vel sunt independentes: si hoc secundum dicatur, sequitur, quòd sit aliquid reale independens à Deo, quod est contra fidem, quæ docet, omnia, nullo etiam minimo, & diminutissimo ente excepto, per ipsum esse facta; & etiam est contra veram Philosophiam, quæ docet Deum esse primum ens, & per essentiam tale, alia autem omnia esse entia per participationem, quod autem est primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum illius generis: si autem dicatur, quòd habent illud esse dependenter à Deo, debet concedi, quòd est causatum ab illo per aliquam actionem, vel emanationem realem: sed omnis actio productiua terminatur ad existentiam: nam per actionem productiuam ponitur res producta extra causas, omne autem, quod est positum extra causas, existit; licèt enim essentia non ponatur formaliter extra causas per existentiam, sed per suam actualitatem, quam habet distinctam ab existentia, præsuppositâ actione causæ; verum tamen est non dari in aliquo instanti reali aliquid actuale sine existentia; quia licèt actio intelligatur prius terminari ad essentiam, & sic illam facere actualem, postea ad subsistentiam, & vltimò ad existentiam: tamen ista sunt instantia naturæ & rationis; nam in eodem vero instanti reali totum existens producitur; vnde actio terminatur ad existentiam: ergo implicat aliquid habere actualem essentiam extra Deum, ita vt talis essentia sit aliquid reale, & non habeat existentiam.

Tertiò. Ex opposito sequitur non dari creationem verè & propriè loquendo: creatio enim, vt accipitur à sanctis Patribus & Theologis, est productio totius entis secundùm omnem realitatem substantialem & intrinsecam, quam habet: sed talis productio esset impossibilis, si naturæ vniuersæ essent ab æterno; nam cùm sint aliquid reale in singularibus, esset aliquid reale in singularibus, quod non posset prodeci in tempore, sed supponeretur esse ab æterno: est autem contra Scripturam asserere non dari creationem veram, vt constat ex illo Genesis. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Confirmatur. Ideò homo non dicitur simpliciter creatus, sed genitus, & tamen præcipuum hominis, scilicet anima creatur: ergo licèt creentur in tempore singularia, cùm tamen naturæ vniuersæ, quæ in ipsis sunt, non crearentur in tempore, sed essent ab æterno, non possent dici res simpliciter creari in tempore, quod est contra Scripturam.

Probatur tertia pars conclusionis. Primò authoritate D.Thom. 1.p. q.16. art.7. ad 2. q. 1. de veritate art. 5. ad 13. & 14. Deinde ratione. Quod est negatiuè incorruptibile, est etiam negatiuè perpetuum; quod enim est, & non corrumpitur, perpetuò durat: sed naturæ vniuersæ sunt incorruptibiles negatiuè; quia in se, & ex se nullum habent principium vnde corrumpantur; corruptio enim & generatio per se tantùm in singularibus reperiuntur: ergo naturæ vniuersæ sunt perpetuæ negatiuè.

Secundò. Sicut se habent naturæ vniuersæ ad locum, ita se habent ad tempus; par enim ratio videtur: sed per hoc quòd non determinant sibi certum locum, dicuntur esse immensæ, & vbique negatiuè: ergo ex hoc quòd non determinant sibi certum tempus, dicuntur esse negatiuè æternæ, perpetuæ & semper. Confirmat hoc D.Th. loco citato 1. p. exemplo materiæ primæ, quæ non dicitur vnà positiuè secundùm se, quia non habet vnam formam, sicut homo est vnus ab vnitate vnius formæ: sed negatiuè tantùm dicitur vna per remotionem omnium formarum distinguentium, & similiter naturæ vniuersæ sunt perpetuæ negatiuè, ex hoc quòd ex se non habent, per quod determinentur ad vnum vel ad aliud tempus: ex quo colligitur quòd sicut materia prima, ex hoc quòd secundùm se est vna tantùm negatiuè, non excludit quin positiuè multiplicetur iuxta numerum compositorum, & habeat à parte rei tot vnitates positiuas quot habet formas substantiales; ita similiter licèt naturæ vniuersæ sint perpetuæ negatiuè secundùm se, non tollit quin verè, & realiter oriantur, & intereant per accidens ad generationem, & curruptionem singularium, vt docet Aristoteles 1. posterior. cap.9. & ibidem explicant D.Thom. & Caietanus; vnde simpliciter asserendum est, quòd peremptis singularibus pereunt: quamuis possint aliquo modo dici remanere, vel in virtute suarum causarum, vel in ideis diuinis, vel in intellectu creato angelico, siue humano, ratione specierum intelligibilium in quibus repræsentantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd similes propositiones solùm indicant naturas vniuersas esse perpetuas, immensas, & incorruptibiles negatiuè; quia ex se non habent vnde oriantur & intereant, nec petunt sibi determinatum tempus & locum; non tamen intendunt ipsas esse perpetuas positiuè, quasi nunquam habuerint principium, aut sint habituræ finem &c.

Ad secundum dicendum, quòd illa quæ actu continentur in prædicamentis, sunt actu entia realia: sed negandum quòd naturæ vniuersæ antequam existant sua inferiora, & ipsæ in inferioribus, sint actu in prædicamentis: sunt enim tantùm potestate inquantùm ab æterno sunt possibiles; non per aliquam potentiam passiuam tealem in ipsis, sed per potentiam actiuam causæ, in cuius virtute præexistunt; vel dicendum quòd ab æterno sint in prædicamentis repræsentatiuè, inquantùm repræsentantur in ideis diuinis, in propriis categoriis: sed hoc non est esse formaliter secundùm aliquam realitatem positiuam actualem.

Ad tertium dicendum, quòd veritas huius propositionis æternæ (homo est animal) non fundatur in aliqua entitate creata hominis & animalis, quæ sit ab æterno; sed in entitate exemplarium diuinorum, quæ non distinguuntur ab ipso Deo, in quibus repræsentatur perpetua & necessaria connexio inter hominem & animal.

Articvlvs II.

Vtrùm propositiones in materia necessariâ sint æternæ veritatis.

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd propositiones in materia necessaria non sint æternæ veritatis actu, sed tantùm in potentia. Vt ista propositio

ſitio (homo eſt animal) tunc tantùm eſt actu vera quando actu exiſtit homo: dicitur tamen eſſe æternæ veritatis in potentia, quia ab æterno potuit exiſtere homo, qui neceſſariò eſt animal: ita tenet D. Bonauentura in 3.d.22. q.1. Heruetus quodlib. 1.q.10. Gabriel in 3.d.22. q. vnicâ, Ocham. quodlib. 4. quæſt. 37. Zumel 1. part. quæſt. 10. art. 3. quæſt. vnicâ. Probatur primò. Ex hoc, quòd res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera vel falſa, ex Ariſtotele cap. de ſubſtantia, & in poſtprædicam. cap. 9. ſed ab æterno extra Deum nihil eſt, nec ſecundùm eſſentiam, nec ſecundùm exiſtentiam: ergo nulla datur propoſitio æternæ veritatis de creaturis. Confirmatur. Vt ſit vera hæc propoſitio ab æterno (roſa eſt flos) debet ab æterno eſſe connexio inter roſam & florem: ſed nec ab æterno eſt roſa, nec flos, nec connexio inter illa; quia non poteſt eſſe connexio, ſine extremis connexis, & licèt hoc eſſet poſſibile: nihil tamen eſt ab æterno: ergo propoſitiones in materia neceſſaria non ſunt æternæ veritatis.

¶ 2. Præterea. Ex Dialecticis 1. de interpretatione, verbum in omni propoſitione debet eſſe indicatiui modi, & temporis præſentis: ergo in hac propoſitione (roſa eſt flos) ly, eſt, ſignificat cum tempore præſenti: ſed falſum eſt, quòd ab æterno roſa ſit flos de præſenti: ergo hæc propoſitio, ſicut & aliæ in materia neceſſaria non ſunt æternæ veritatis. Confirmatur. Propter hanc rationem, ſcilicet, quòd ly, eſt, ſignificat de præſenti, negat Ariſtoteles hanc Conſequentiam eſſe bonam (Socrates eſt homo mortuus: ergo eſt homo:) ſed ſi hæc (Socrates eſt homo) quia eſt eſſentialis, & in materia neceſſaria, eſſet ęternæ veritatis, ſemper eſſet vera, ſiue exiſteret, ſiue non exiſteret Socrates: ergo non ſunt æternæ veritatis.

¶ 3. Præterea. Hæc propoſitio (homo eſt viuens) eſt neceſſaria & eſſentialis: ſed non eſt æternæ veritatis; quia ad vitam in homine requiritur vnio animæ ad corpus, quæ non eſt ab æterno, & aliquando homo eſt mortuus; & ita non ſemper eſt viuens: ergo propoſitiones neceſſariæ non ſunt æternæ veritatis.

¶ 4. Præterea. Hæc propoſitio (Chriſtus eſt homo) eſt eſſentialis; & tamen non eſt æternæ veritatis: quòd ſit homo, patet, eſt enim verum indiuiduum naturæ humanæ, licèt non habeat perſonalitatem, ſiue ſubſiſtentiam, nec exiſtentiam humanam: vnde ſicut iſta eſt eſſentialis & neceſſaria (Petrus eſt homo) ita etiam eſt (Chriſto eſt homo) quòd autem non ſit æternæ veritatis, etiam patet: nam Chriſtus in triduo mortis ſuæ non fuit homo, vt docet Magiſter in 3.d.22. & D. Thom. 3. part. quæſt. 50. art. 4. & communiter cum illis Theologi; vnde in illo triduo hæc propoſitio fuit falſa, ac proinde non eſt æternæ veritatis: ergo propoſitiones in materia neceſſaria non ſunt æternæ veritatis.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis 1. Poſterior. cap. 9. S. Aug. S. Anſelmi in Dialogo de veritate, & in monologio, cap. 18. Porphyrij, & D. Th. 1. part. quæſt. 10. art. 3. ad 3. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli.

CONCLVSIO.

Cùm veritas formalis propoſitionis non ſit in ipſis rebus, ſed in intellectu cognoſcente, & ab æterno ſit intellectus diuinus cognoſcens connexionem prædicati cum ſubiecto propoſitionum in materia neceſſaria: tales propoſitiones ſunt æternæ veritatis.

Respondeo dicendum, quòd veritas fundamentalis poſitiua, ſiue vnio, vel vnitas poſitiua inter prædicatum & ſubiectum expreſſa & ſignificata in propoſitionibus neceſſariis non fuit ab æterno; vnde ex hac parte non dicuntur propoſitiones neceſſariæ eſſe æternæ veritatis. 2. ſed fuit ab æterno veritas fundamentalis negatiua, ſiue vnio, vel vnitas negatiua inter prædicatum & ſubiectum expreſſa, & ſignificata in propoſitionibus neceſſariis, & hæc ſufficit ad fundandam æternitatem veritatis propoſitionum in materia neceſſaria. 3. vnde ſi loquamur de veritate formali, illæ propoſitiones, in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti, vel habet neceſſariam connexionem cum illo, vt quando eſt eius proprietas; ſunt actu æternæ veritatis, ſiue res exiſtant, ſiue non; ac proinde earum veritas nec habuit principium, nec finem habebit, & quantùm ad iſtam veritatem propriam, & formalem dicuntur naturæ vniuerſæ eſſe actu ab æterno. 4. hæc tamen veritas formalis harum propoſitionum habet cauſam, ſcilicet intellectum diuinum: ſimiliter veritas fundamentalis, quæ prout eſt futura in tempore, & repræſentatur in æternitate, vt in menſura ſuperiori, & etiam veritas fundamentalis negatiua habent cauſam, ſcilicet Deum. Ad quorum euidentiam ſciendum eſt ex D. Thom. 1. part. quæſt. 16. art. 1. quòd veritas rei eſt adæquatio, ſiue conformitas ad intellectum, ita vt priùs ſit veritas in intellectu, & ab ipſo deriuetur ad res, & iſta dicitur veritas tranſcendentalis: vt creaturæ dicuntur veræ tranſcendentaliter, quia adæquant intellectum diuinum, ſiue conformantur ideæ & exemplari diuino, ad cuius conformitatem Deus illas operatus eſt, & ſimiliter artificiatum dicitur verum, ſi adæquat ideam artificis: alia datur veritas, quæ dicitur formalis, quæ ſolùm reperitur in intellectu, & definitur, quòd ſit adæquatio & conformitas intellectus ad rem: hæc veritas exprimitur per propoſitiones, & ad ipſas deriuatur; vnde intellectus eſt verus, quando apprehendit rem, vt eſt in ſe; & falſus, quando apprehendit aliter ac eſt in ſe: & ſimiliter propoſitio eſt vera vel falſa, per hoc quòd exprimit rem vt eſt eſt in ſe, aut aliter ac eſt in ſe; & iſta veritas deriuatur à rebus ad intellectum, & ab intellectu ad propoſitiones: hîc non agitur de veritate tranſcendentali, cùm enim ſit proprietas entis, ſicut nullum fuit ens ab æterno extra Deum, ſic nec extra Deum fuit vllum verũ tranſcendentale ab æterno: in veritate autem formali duo diſtinguuntur, ſcilicet illud, quod formale eſt, & propriè dicitur veritas, ſcilicet cognitio connexionis inter attributum & ſubiectum, & hoc, vt conſtat, eſt tantùm in intellectu, & deriuatur ad propoſitionem, quæ hoc enuntiat: vnde ſi detur intellectus æternus, ſicut eſt diuinus cognoſcens hanc connexionem, in eo dabitur ab æterno veritas formalis talis propoſitionis: aliud, quod poteſt conſiderari in veritate propoſitionis, eſt fundamentum eius; illud ſcilicet ſupra quod fundatur veritas formalis, & hoc eſt connexio, & vnio illarum rerum inter quas fit enuntiatio, ſi ſermo ſit de enuntiatione affirmatiua, ſi verò de negatiua, eſt diuiſio, & ſeparatio illarum rerum inter quas fit enuntiatio. Connexio autem, & vnio inter attributum & ſubiectum, quæ ſignificatur ad modum identitatis, & quæ dicitur veritas fundamentalis, eſt duplex ſcililicet poſitiua & negatiua; poſitiua tunc eſt, quando aliqua actu, poſitiuè & realiter ſunt vnita, & hæc non datur ab æterno, vt dictum eſt inter ſubiectum & prædicatum alicuius propoſitionis neceſſariæ; quia ab æterno nulla fuit entitas extra Deum: vnio autem negatiua eſt negatio diuerſitatis inter aliqua extrema, & hæc poteſt eſſe, licèt extrema non ſint; & cùm talis vnio, vel vnitas negatiua ſit negatio, debet ſequi leges aliarum negationum: vnde tamdiu dicetur eſſe inter aliqua extrema, quamdiu abfuerit diuerſitas, quam negat; & ſic cùm in propoſitionibus neceſſariis abſit ab æterno diuerſitas inter prædicatum & ſubiectum & ita abſit, vt non poſſit inter illa reperiri, conſequenter inter illa erit negatio diuerſitatis, ac proinde vnio, vel identitas negatiua, & veritas fundamentalis negatiua.

Probatur prima pars Concluſionis. Nihil eſt extra Deum ab æterno, nec quantùm ad eſſentiam, nec quantùm ad exiſtentiam, vt dictum eſt articulo præcedenti: ergo veritas fundamentalis, ſiue vnio, vel vnitas poſitiua inter prædicatum & ſubiectum expreſſa, & ſignificata in propoſitionibus neceſſariis non fuit ab æterno.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Inter prædicatum & ſubiectum harum propoſitionum nec fuit, nec eſt, nec erit, nec poteſt eſſe diuerſitas, vt per ſe patet, cum ſint in materia neceſſaria, & dicant neceſſariam habitudinem inter ſe cum actu ſunt: ergo ab æterno fuit negatio talis diuerſitatis: ſed hæc negatio diuerſitatis eſt vnio, vel vnitas negatiua: ergo fuit ab æterno veritas fundamen-

talis

talis negatiua, ſiue vnio, vel vnitas negatiua inter prædicatum,& ſubiectum expreſſa, & ſignificata in propoſitionibus neceſſariis.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate. Porphyrius in cap. de communitatibus,& differentiis generis, & differentiæ ait : *Sublatis è medio participibus, & expertibus rationis, adhuc poſſe intelligi hominem eſſe animal* : Ac proinde veritas huius propoſitionis non dependet ab exiſtentia rerum ſingularum,aut rerum ſignificatarum. S.Auguſtinus hanc doctrinam ſæpè docuit expreſsè lib.2.de libero arbitrio cap. 8. dicit hanc enuntiationem , (tria, & ſeptem , ſunt decem) ſemper fuiſſe, & futuram eſſe veram ; item 4.de Geneſi ad litteram cap.7.ait: *Senarium eſſe numerum ſuis partibus abſolutum , etiamſi mundus nunquam eſſet futurus , & facilius poſſe cœlum & terram perire , quam Senarium non eſſe numerum ſuis partibus abſolutum.* Item 2. Soliloquiorum ait : *Dari quaſdam enuntiationes ita veras , vt etiamſi tota mundi machina conciderit , ſemper tamen ipſæ vera permanerent : vt iſta, veritas eſt* : Ergo illæ propoſitiones in quibus attributum eſt de eſſentia ſubiecti , vel habet neceſſariam connexionem cum illo, ſunt actu æternæ veritatis.

Secundò. Veritas formalis propoſitionis non eſt in ipſis rebus,ſed in intellectu cognoſcente,vt dictum eſt;ex hoc ſcilicet quòd cognoſcit connexionem prædicati cum ſubiecto : ſed ab æterno datur intellectus diuinus cognoſcens connexionem prædicati cum ſubiecto iſtarum propoſitionum ; quia iſtæ propoſitiones ſunt neceſſariæ , & conſequenter intellectus diuinus non poteſt eas non cognoſcere : ergo iſtæ propoſitiones ſunt actu veræ ab æterno, veritate propriâ & formali. Confirmatur. Iſtæ propoſitiones in materia neceſſaria diſtinguuntur ab illis quæ ſunt in materia contingenti in hoc , quòd iſtæ non poſſunt habere indeterminatam , & quaſi ſuſpenſam veritatem; & propterea ſunt materia demonſtrationis,quæ vt ait Ariſtoteles 1. de demonſtratione cap.7. *Verſatur in rebus perpetuis, & infallibilis veritatis.*

Tertiò. Iſtæ propoſitiones (roſa eſt flos, homo eſt animal &c.) vel ſunt veræ ab æterno , vel non ſunt veræ ; ſi ſunt veræ, habetur intentum; ſi non ſunt veræ : ergo ab æterno verum eſt dicere has propoſitiones non eſſe ab æterno veras ; ac proinde dabitur ab æterno aliqua propoſitio vera,ſcilicet illa, quæ negat has priores eſſe veras.

Quartò. Ex duabus contradictoriis in materia naturali & neceſſaria, vna eſt determinatè, & neceſſariò vera : ſed iſtæ propoſitiones (homo eſt animal , homo non eſt animal) ſunt contradictoriæ , & in materia naturali etiamſi nullus homo exiſtat , vt ait Ariſtoteles in poſt prædicamentis cap. de oppoſitis : ergo vna ex iſtis etiam homine non exiſtente erit determinatè , & neceſſariò ab æterno actu vera.Confirmatur.Propoſitio hypothetica quæ ſemper eſt vera , fundatur ſupra aliquam ſimplicem & categoricam ſemper veram ; cùm ab illa habeat ſuam veritatem : ſed iſta hypothetica (ſi homo eſt, eſt animal) ſemper eſt vera vt ex ſe patet : ergo debet fundari ſupra iſtam ſimplicem , & categoricam ſemper veram (omnis homo eſt animal) vnde habetur iſtas propoſitiones eſſe æternæ veritatis , quia ſunt in intellectu diuino illas cognoſcente, & licèt verum ſit dari in intellectu diuino multas propoſitiones contingentes ab æterno veras , ex hoc quòd ſignificata per ipſas ponantur in tempore , vt iſta, D.Th. eſt princeps Theologorum : tamen iſta veritas poteſt vocari extrinſeca ex hoc,quòd prædicatum & ſubiectum non habeant connexionem inter ſe neceſſariam,ſed contingentem : ita vt poſſit dari ſubiectum ſine prædicato : iſtæ verò de quibus actum eſt , quia ſunt in materia neceſſaria, dicunt neceſſariam connexionem inter ſubiectum & attributum ; ita vt ſubiectum non poſſit poni ſeparatum à tali attributo , vel prædicato, ſed iſta connexio eſt negatiua,non poſitiua, vt dictum eſt.

Probatur quarta pars Concluſionis , & quidem quantùm ad primum , quod importat, conſtat ex dictis, & eſt communis inter Philoſophos , illámque docet expreſsè D.Th. 1.part. quæſt.16.art.7. vbi hæc habet: *Veritas enuntiabilium non eſt aliud, quàm veritas intellectus ; enuntiabile enim eſt in intellectu , & eſt in voce ; ſecundum autem quòd eſt in intellectu habet per ſe veritatem : ſed ſecundùm quòd eſt in voce,dicitur verum enuntiabile,ſecundum quod ſignificat aliquam veritatem intellectus , non propter aliquam veritatem in enuntiabili exiſtentem,ſicut in ſubiecto, & ita res denominantur vera à veritate intellectus ; vnde ſi nullus intellectus eſſet æternus, nulla veritas eſſet æterna ſed quia ſolus intellectus diuinus eſt æternus , in ipſo ſolò veritas æternitatem habet ; nec propter hoc ſequitur , quòd aliquid aliud ſit æternum , quàm Deus : quia veritas intellectus diuini eſt ipſe Deus.* Quantùm ad ſecundum, quod importat, ſcilicet de veritate fundamentali poſitiua, eſt de fide ; quia quidquid eſt reale & poſitiuum, eſt factum à Deo,vt dicitur Ioannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, Et ratio philoſophica id conuincit ; cùm enim Deus, vtpote primum ens, ac proinde ens per eſſentiam, ſit prima cauſa , omnia ab ipſo procedunt , vt quædam eius participationes : ergo veritas fundamentalis , quæ prout futura in tempore,eſt & repræſentatur in æternitate,vt in menſura ſuperiori, habet cauſam, ſcilicet Deum. Quantùm ad tertium, quod importat probatur. Ideò attributum iſtarum propoſitionum non dicit diuerſitatem à ſubiecto , quia intellectus diuinus connectit ipſa , vt inter ſe conuenientia, imò connectendo facit ipſa conuenientia, quia antequam intelligatur diuinus intellectus iſta connectere,cùm nihil ſint ; nec conuenientiam , nec diſconuenientiam habent inter ſe : nec ſufficit ipſa non dicere diuerſitatem, quia etiam in materia contingenti attributum , nullam dicit diuerſitatem à ſubiecto ; & tamen hoc non ſufficit, vt dicatur , quòd propoſitiones in materia contingenti non habeant cauſam : ergo veritas fundamentalis negatiua habet cauſam : vnde iſta licèt ſint neceſſaria , habent tamen cauſam ſuæ neceſſitatis , nam excludere ſimpliciter cauſam , eſt ſolius Dei , qui cùm ſit primum ens , & primum verum , eſt cauſa cæterorum entium , & veritatum : quod enim eſt primum in vnoquoque genere , vt aiunt Philoſophus , D.Th. & communiter alij, eſt cauſa cæterorum illius generis ; & ita prima veritas , quæ eſt Deus, eſt cauſa cæterarum.

Ad primum ergo dicendum, quòd propoſitio non ſignificat rem immediatè , vt eſt à parte rei , ſed vt apprehenditur ab intellectu ; vnde cùm intellectus diuinus apprehendat connexionem inter attributum & ſubiectum in materia neceſſaria,& hoc ab æterno, ob vnionẽ negatiuam,quam dicunt inter ſe, hoc ſufficit,vt iſtæ propoſitiones dicantur eſſe æternæ veritatis,nec iſtæ propoſitiones ſignificant eſſe actu vnita attributum & ſubiectum per illas ſignificata , ſed ſolùm quòd habent neceſſariam habitudinem, non quidem poſitiuam , ſed negatiuam ab æterno, vt vniantur , & in hac habitudine fundatur veritas harum propoſitionum, inquantùm non fuit, nec potuit , aut poteſt eſſe diuerſitas inter extrema ipſarum. Et per hoc patet ad confirmationem : nam verbum (eſt) in illis propoſitionibus abſoluit à tempore, & ſignificat ſolùm connexionem extremorum modo explicato.

Ad ſecundum dicendum ſimiliter , quòd ly (eſt) in iſtis propoſitionibus non ſignificat cum tempore , quòd ſi dicatur ipſum importare aliquam durationem ; dicendum eſt illam eſſe inſtans, aut nunc æternitatis ; non autem tempus,in quantùm ex hoc,quòd Deus determinauit creare hominem, iam in æternitate eſt realiter homo , & eſt connexio realis inter attributum & ſubiectum huius propoſitionis(homo eſt animal) & ſic de aliis,vt probatur prima part.quæſt.14.art.13.à D.Thom. & ab eius diſcipulis. Ad Confirmationem dicendum, quòd Ariſtoteles non negat veritatem conſequentis, ſed ſolùm bonitatem conſequentiæ non enim eſt bona conſequentia (eſt homo mortuus:Ergo eſt homo)imò potiùs ſequitur contrarium: ſed tamen valet conſequens, nam Socrates eſt homo ſiue ſit viuus , ſiue ſit mortuus.

Ad tertium dicendum , quòd ad verificandam illam propoſitionem (homo eſt viuens) non requiritur poſitiua connexio attributi cum ſubiecto , ſed ſufficit nega-

tiua, quæ fuit ab æterno: nunquam enim fuit homo non viuens, nec datur homo absque connexione animæ & corporis; nec verum est, quòd homo sit mortuus, nam ex hoc ipso quòd moritur, desinit esse homo, & æquiuoce appellatur homo.

Ad quartum dicendum, quòd si loquamur rigorosè in triduo mortis Christi, non fuit Christus, inquantùm Christus significat hunc hominem, quia separatâ animâ à corpore non remanet homo: vnde cùm in triduo verè fuerit separata in Christo anima à corpore: licèt Verbum manserit seorsim vnitum vtrique: rigorosè loquendo in illo triduo non fuit Christus; vnde vera est semper hæc propositio: quando autem Theologi dicunt Christum in tridoo mortis non esse hominem, non inspiciunt ad rigorem Logicum, sed volunt excludere errorem illorum, qui negant in Christo fuisse separatam animam à corpore per mortem, vnde cùm ad mortem sit necessaria ista separatio, & factâ istâ separatione non remaneat homo; propterea dicunt Christum in triduo desiisse esse hominem, & in hac propositione per ly (Christum) intelligunt personam Christi, scilicet Verbum secundùm se, non prout subsistit in vtraque natura, diuina & humana, quod impropriè importat Christus: vnde cùm in triduo ista persona desierit esse homo, desiit etiam esse hic homo, scilicet Christus.

Articvlvs III.

Quid, & quotuplex sit prædicatio?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur, quòd non sit alia prædicatio præter directam. Probatur ex Porphyrio, cap. de specie, vbi sic ait: *Nam aut paria de paribus, aut maiora de minoribus prædicentur, oportet: minora verò de maioribus non oportet*: Sed tales prædicationes sunt directæ: ergo non est alia prædicatio præter directam.

§ 2. Econtra, Videtur, quòd non sint assignabiles determinatæ species prædicationis: nam hæc prædicatio, hoc animal est homo, ad nullam ex assignatis reducitur.

§ 3. Præterea, Illæ propositiones, in quibus vnum accidens in concreto prædicatur de alio in concreto, non sunt reducibiles ad aliquam speciem prædicationis: ergo non sunt determinatæ tales species.

Sed contra est communis doctrina Logicorum, qui certas, & determinatas species prædicationis assignant.

Conclvsio.

Prædicatio est oratio enuntiatiua, in qua prædicatum enuntiatur de subiecto.

Respondeo dicendum, quòd prædicatio, siue attributio est oratio enuntiatiua, in qua prædicatum attribuitur subiecto, siue enuntiatur de illo. Ad cuius euidentiam sciendũ est, quòd prædicabilitas est proprietas vniuersalis; ex hoc enim, quòd natura fit per intellectum vniuersalis, scilicet vna communis positiuè pluribus, sequitur necessariò, quòd possit de illis prædicari; quod enim alicui inest, de illo prædicari potest: prædicabilitas autem est potentia, siue aptitudo naturæ, vt prædicetur de inferioribus, & illis per actualem prædicationem attribuatur: vnde ad perfectam notitiam prædicabilitatis requiritur notitia prædicationis, quæ est proprius eius actus, & ignoratâ prædicatione, & modo prædicationis, non potest dignosci, quæ prædicationes sint vnius prædicabilis, & quæ alterius; & quia prædicationes fiunt in nominibus concretis, & abstractis: ideo de illis agendum est: igitur nomina concreta accidentium significant eamdem rem, ac eorum abstracta: dicit enim Aristoteles cap. de substantia: nomen albi, nisi qualitatem, nihil significat: & D.Thom. in 1.d.18. quæst.1.art.2.ad 3.ait: *Subiectum non includitur in significatione nominis significantis accidens concretiuè, vt dicit Commentator*, & 7. Metaph. lect. 1. ait: *Et ideo vnumquodque talium nominum, quæ significant accidens in concreto, videntur importare prædicamentum substantiæ: non ita, quòd prædicamentum substantia sit pars significationis talium nominum; album enim, vt in prædicamentis dicitur, solam qualitatem significat, sed inquantùm huiusmodi nomina significant accidentia vt inhærentia substantiæ.* Ex quo loco infertur nomina concreta accidentium principaliter significare formas; quamuis ex modo significandi magis significent subiecta ipsa formarum; propter quod Aristoteles dicit, quòd accidentia in concreto magis entia videntur: hæc doctrina est communis, præsertim inter discipulos D.Thom. quæ manifestè probatur. Nam hæc prædicatio (homo est albus) est prædicatio accidentalis, & in materia contingenti: ergo res significata per prædicatum, est accidens, quod potest adesse & abesse; ac proinde hoc nomen album significat primò & principaliter idem, ac albedo: quando igitur dico (homo est albus) solam albedinem attribuo homini, & non aliquod subiectum habens albedinem: nam æquiualet isti, homo habet albedinem, & ita sola albedo, & non subjectum, est res significata per hoc nomen album: alioquin concretum accidentium non solùm ex modo significandi, sed etiam quantùm ad rem significatam non esset ens per se, sed per accidens, nec posset definiri, quod tamen est contra Aristotelem, & communem sensum Philósophorum, qui sæpe definiunt concreta accidentium, vt infra dicetur: ergo ista concreta non important subiectum, & formam, vt partes sui significati, sed tantùm formam; & ideo concreta & abstracta significant idem; cum hoc tamen stat talia concreta & abstracta differre in modo significandi, quia abstracta significant formam per modum substantiæ, siue per modum per se stantis, quia significant illam non quasi alicui inhærentem, aut per ordinem ad aliud, quod ita succedit, non quòd accidens habeat entitatem per se ipsum, aut quòd possit esse sine subiecto: sed quia significatio conuenit nominibus mediante conceptione intellectus; nam, vt dicit Aristoteles 1. Perihetm. voces sunt notæ passionum, quæ sunt in anima: intellectus autem potest seorsum intelligere ea, quæ sunt coniuncta, & sic in sua cognitione separat formam accidentalem à subiecto: ita D.Thom. 7. Metaph. lect.1. & opusc.42.cap.19. vbi sic ait: *Illud autem, quod seorsum accipitur, videtur, vt per se existens, sed ideo designatur nomine abstracto, quòd significat remotionem eius ab alio, & hoc modo abstracta accidentium significant formas, quæ quidem inhærent, sed non significant eas per modum inhærentium.* Concreta autem significant formas connotando, & concernendo subiectum, siue ipsas inhærentes subiecto, in quo exercent suum effectum formalem: vnde concretum accidentium dicitur connotatiuum, quia in obliquo connotat subiectum, in quo est forma, quam significat: differunt etiam, vt ait D.Th. opusc.69. lect. 2. Primò, quia abstracta sunt talia per se ipsa, nam albedo per seipsam est albedo: concreta verò sunt talia per abstracta: nam album est album per albedinem. Secundò, quia abstracta significant formas simplices, puras & impermixtas; concreta verò significant eas, vt in subiecto, & consequenter permixtas aliis qualitatibus & accidentibus, quæ reperiantur in eodem subiecto: ratio D.Th. est, quia abstracta nihil habent, quod sit alienum à sua essentia; concreta autem, cùm in obliquo dicant subiectum, possunt habere plura extra essentiam rei significatæ primò, & principaliter per nomen concretum & propter hoc abstracta diuersarum specierum, licèt reperiantur in eodem subiecto, non possunt de se inuicem prædicari, sicut prædicantur concreta: vnde ista est falsa (albedo est dulcedo) respectu cuiuscumque; ista autem vera respectu lactis (album est dulce) & econtra. Tertiò tandem, quia vt ait D.Th. 1.part. quæst.3. art.3. & 3.part.quæst.2. art. 2. abstracta sumuntur vt partes, concreta verò vt toto: nam licèt, vt dictum est, significent eamdem rem, tamen ex modo significandi abstractum significat, vt quo aliquid est; concretum verò, vt quod habet formam: vnde abstractum significat ex modo significandi partem formalem: concretum verò significat compositum ex subiecto & forma; ac propterea abstracta non possunt prædicari

dicuntur de concretis, quia pars non prædicatur de toto.

Diuiditur primò prædicatio in identicam, disparatam, & mediam. Prædicatio identica est illa, in qua idem enuntiatur de se ipso, vt ista (Petrus est Petrus, disparata est illa, in qua prædicatum nullam habet connexionem cum subiecto, vt ista (homo est lapis) media verò est illa, in qua prædicatum & subiectum habent sufficientem connexionem, sed non omnimodam identitatem, vt ista (homo est albus) & hoc verum est sine propositiones sint affirmatiuæ, siue negatiuæ, siue sint veræ, siue falsæ: vnde ista est identica, sed falsa (Petrus non est Petrus) ista similiter est disparata, sed vera (homo non est lapis) &c.

Diuiditur secundò prædicatio media in directam & in indirectam: directa est illa, in qua illud, quod reuera à parte rei habet rationem formæ, ponitur in propositione, vt prædicatum, & illud, quod habet rationem materiæ, vt subiectum: contrarium verò constituit propositionem, vel prædicationem indirectam: vnde istæ sunt directæ (homo est animal, homo est rationalis) & econtra istæ indirectæ (animal est homo, rationale est homo) & sic de aliis similibus, siue sint affirmatiuæ, siue negatiuæ, siue sint veræ, siue falsæ: ratio huius manifesta est: nam, vt ait Aristoteles 5. Metaph. textu 14. & D. Thom. ibidem lect. 9. modus prædicandi sequitur modum essendi, cùm sit eius proprietas; & ideo cùm forma sit in subiecto, & non subiectum in forma sequitur quòd tunc prædicatio sit directa, quando in ea ponitur, vt forma, seu prædicatum id, quod verè est forma; & ponitur, vt subiectum id, quod verè est subiectum; & econtra in prædicatione indirecta, & propter hoc prædicatio directa dicitur formalis, & quia superius se habet, vt forma respectu inferioris, vt ait Aristoteles 2. Physic. textu 28. & 5. Metaph. textu 2. nam intelligitur, quasi recipi in inferiori, quando contrahitur ad illud, ideo quoties superius prædicatur de inferiori, prædicatio est directa: & ita ad prædicationem directam requiritur, quòd prædicatum sit superius, vel saltem æquale respectu subiecti; vnde non erit directa, si prædicatum sit inferius, licèt habeat in se rationem formæ, vt patet in ista (animal est rationale) quia licèt rationale sit forma, tamen non exercet rationem formæ respectu superioris ob rationem iam dictam: esset tamen directa, si diceretur (animal est rationale, vel irrationale) nam tunc prædicatum esset æquale. Caietanus tamen in cap. de specie, vult illam priorem propositionem esse directam, quia rationale est forma respectu animalis eo modo, quo istæ sunt directæ (numerus est par, & nasus est simus) si quis tamen attendat, inueniet similes non omnino indirectas, sed tamen non propriè directas.

Diuiditur tertiò prædicatio directa, siue formalis, in essentialem, & accidentalem, essentialis est illa, in qua prædicatum est de quidditate, essentia, siue intrinseca ratione subiecti, vt ista (homo est animal) accidentalis verò est illa, in qua prædicatum est extra essentiam subiecti, & accidit illi, siue sit entitatiuè substantia, siue accidens proprium, aut commune, & ad has species prædicationis reducuntur omnes prædicationes.

Ad primum ergo dicendum, quòd sola prædicatio directa est, & vocatur propriè prædicatio, & hoc intendit Porphyrius; & sic aliæ prædicationes, tam indirectæ, quàm identicæ, & disparatæ, non pertinent ad prædicabilia, imò nec prædicatio, in qua definitio prædicatur de definito, aut de quolibet contento sub illo: nam licèt essentia significata per definitionem sit ens per se, & idem quòd species; tamen vt significatur nomine complexo, deficit à simplicitate prædicabilium, nec potest recipere intentiones eorum: non tamen hoc obstat, quin omnes prædictæ prædicationes sint prædicationes, licèt non tam propriè, in præsenti autem quæritur de prædicatione in tota sua latitudine.

Ad secundum dicendum, quòd si per hoc animal designetur aliquis homo singularis, est prædicatio directa: si verò assignetur aliquis leo, aut aliud brutum, est prædicatio disparata: ratio est, quia in nominibus magis attenditur modus significandi, quàm res significata, & ideò in dicta propositione, ly animal, licèt significet animalitatem; tamen supponit pro habente illam, scilicet Petro; & similiter licèt leo significet pro formali naturam leonis; tamen supponit pro supposito illam habente: vnde prima est directa, alia indirecta.

Ad tertium dicendum, quòd illæ prædicationes, in quibus vnum accidens in concreto prædicatur de alio in concreto, vt (album est dulce, dulce est album) sunt directæ; quamuis in abstracto sint disparatæ (vt albedo est dulcedo.) Ratio est, qui accidens in concreto, licèt pro formali significet formam, tamen ex modo significandi supponit pro subiecto talis formæ: in abstracto autem significat tantùm formam, & etiam supponit tantùm pro illa; vnde cùm forma vna disparata non habeat rationem materiæ respectu alterius, ideo propositiones in quibus abstractum vnum accidentale prædicatur de alio, sunt indirectæ: quando verò fit prædicatio in concreto, concretum quod ponitur ex parte subiecti, non solùm supponit vtcumque pro subiecto (quod habet concretum ex se) sed etiam exercet talem suppositionem ex situ & ratione propositionis ipsius: concretum autem, quod ponitur ex parte prædicati, licèt non amittat propriam suppositionem, tamen ex ratione, & situ ipsius prædicationis, & lege appellationis, magis attenditur in illo res significata, scilicet forma: radix autem istorum est, quia in istis propositionibus concretum accidentale positum ex parte subiecti sumitur substantiuè: positum verò ex parte prædicati sumitur adiectiuè; & ideo omnes prædicationes, quæ fiunt inter concreta accidentalia, quæ conueniunt in aliquo communi subiecto, sunt directæ, & ob eamdem rationem istæ post post incarnationem Verbi diuini, (homo est Deus, Deus est homo) nam duæ naturæ diuina & humana conueniunt & vniuntur in eodem supposito Verbi, pro quo semper supponit subiectum propositionis.

Articulus IV.

Quomodo prædicentur inter se nomina primæ intentionis.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd nomina primæ intentionis non possint semper inter se prædicari: Scotus enim in 1. d. 2. quæst. 7. Canariensis 1. part. quæst. 18. art. 2. disp. 2. Ruuius in tractatu de prædicationibus, dicunt abstracta substantialia non prædicari inter se, quando vnum est de essentia alterius, & prædicatur in quid: vnde has propositiones (humanitas est animalitas, animalitas est corporeitas) negant esse veras in sensu formali: quamuis concedant esse veras in sensu identico, nam ipsamet res, quæ est humanitas, est animalitas, & corporeitas. Probatur authoritate D. Thom. qui sæpè docet, vt 4. contra gentes, cap. 81. ista abstracta significari vt partes formales, & præscindi ab aliis: sed pars non prædicatur de parte. Item Auicenna ait, quòd equinitas tantùm est equinitas: vnde non est animal: ergo abstracta substantialia non prædicantur inter se, quando vnum est de essentia alterius, & prædicatur in quid.

§ 2. Præterea, vt aliquid prædicetur de alio in sensu formali debet actu continere, aut saltem confusè, & in potentia quidquid continet subiectum de quo prædicatur, vt patet: sed abstractum substantiale generis, v. g. nec actu, nec potentia continet totum quod est in abstracto speciei; quia nomen abstractum significat per modum formæ abstractæ abstractione formali; quod autem est tale, nec actu, nec potentiâ includit illud, à quo abstrahitur, imò excludit: comparatur enim ad illud, vt pars ad compartem: ergo abstracta substantialia non prædicantur inter se, quando vnum est de essentia alterius, & prædicatur in quid.

§ 3. Præterea, animalitas est illa ratio formalis, quâ constituitur animal vt sic, sicut humanitas est ratio formalis constitutiua hominis vt sic, vt communiter docent philosophi; sed ratio formalis constitutiua animalis vt

sic, non est ratio formalis constitutiua hominis vt sic, aliàs omne animal esset formaliter homo, quod est absurdum: ergo ista abstracta substantialia non prædicantur inter se.

Sed contra est authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, Masius de vniuersalibus sect. 4. quæst. 6. Soto q. 3. Sanchez lib. 3. q. 13. nostri Complutenses hic disp. 4. q. 4. & alij extra scholam D. Th.

Conclusio.

Cùm etiam abstracta substantialia possint habere rationem totius respectu inferiorum, verè de illis formaliter prædicantur.

Respondeo dicendum, quòd nomina primæ intentionis possunt inter se prædicari quomodocumque combinentur: vnde illæ intentiones in quibus concretum prædicatur de concreto formaliter sunt veræ, siue concretum sit substantiale, siue accidentale, vt (homo est animal, album est coloratum) & idem est quando concretum accidentale prædicatur de substantiali, vt (homo est coloratus) quòd si concretum substantiale prædicetur de accidentali, (vt coloratum est homo) propositio est indirecta. 2. Enuntiationes etiam quæ fiunt inter abstracta accidentium, quorum vnum est de essentia alterius vt (albedo est color, Logica est scientia) sunt omninò veræ & formales. 3. Enuntiationes autem in quibus abstractum substantiale, quod ponitur loco prædicati, non pertinet ad essentiam abstracti, quod ponitur loco subiecti, vt (humanitas est risibilitas) sunt falsæ in sensu formali, licèt in sensu causali possint esse veræ. 4. Si verò enuntiationes sint de abstractis substantialibus, quorum vnum est de essentia alterius, & prædicatur in quid, vt ista (humanitas est animalitas) si sumantur cum præcisione suorum inferiorum, non possunt de illis prædicari: non tamen tepugnat huiusmodi abstracta sumi absque tali præcisione, siue vt confusè continent inferiora, & sic verè de illis possunt prædicari, non solùm in sensu identico, sed etiam in sensu formali: istæ tamen prædicationes non per se & simpliciter, sed secundùm quid & per reductionem pertinent ad prædicabilia. 5. Denique in transcendentalibus & diuinis abstracta prædicantur de concretis, & concreta de abstractis, quamuis non quidquid affirmatur de concretis, affirmetur de abstractis, aut econtra: in aliis autem nec concreta de abstractis, nec abstracta de concretis prædicantur. Ad quorum euidentiam sciendum est quatuor posse esse combinationes nominum primæ intentionis inter se. Prima est concreti cum concreto. Secunda abstracti cum abstracto. Tertia concreti cum abstracto. Quarta abstracti cum concreto, siue extrema sint substantialia, siue accidentalia; abstractio autem est duplex ex D. Th. 1. p. q. 40. art. 3. vna est totalis siue vniuersalis, & est illa quâ vniuersale abstrahitur à particulari, vt homo ab indiuiduis, alia est formalis siue præcisiua, & est illa quâ forma, vel id quod habet rationem formæ abstrahitur à materia, vel ab eo quod habet rationem materiæ: nomina autem non dicuntur abstrahi primo modo abstractionis, sed hoc secundo modo: nam homo, animal &c. sunt propriè vniuersalia, & abstracta primâ abstractione, & tamen significantur in concreto, & non in abstracto. Deinde ex quolibet concreto etiam singulari, formatur nomen abstractum vt ex Deo deitas, ex Petro petreitas, & tamen ibi nulla est abstractio vniuersalis, vnde abstractio nominum est tantùm formalis, per quam non solùm separatur accidens à subiecto, sed etiam natura à supposito, ex quo fit vtraque abstracta præcisè secundùm quòd inuoluunt hanc abstractionem formalem nullum dicere ordinem ad inferiora, sed tantùm ad concretum, siue suppositum à quo abstracta & separata sunt, non enim dicimus color alicuius albedinis est color, sed color alicuius colorati est color, nec dicimus animalitas alicuius humanitatis est animalitas, sed alicuius animalis est animalitas, & vt sic significantur per modum partis, vel vt quo aliquid est tale: nam sunt actus & formæ respectu eorum à quibus sic abstrahuntur; vnde nullum abstractum præcisè ratione abstractionis formalis potest prædicari de aliquo, quia ratione abstractionis formalis non habet rationem totius, sicut debet habere quod prædicatur de alio; debet enim continere subiectum, & sic solum abstractum ratione abstractionis vniuersalis prædicatur.

Item sciendum est hanc esse differentiam inter compositum substantiale, & accidentale; quòd compositum substantiale cum sit verè ens per se & simpliciter vnum & totum, habet veras partes, ex quibus componitur, quæ non possunt esse simpliciter tota, sed tantum secundùm quid: compositum verò accidentale cùm sit ens per accidens, & tantùm secundùm quid vnum & totum; ideo illa ex quibus componitur non sunt simpliciter, sed secundùm quid tantùm partes, simpliciter autem tota; vnde sicut concreta accidentium non ponuntur directè in prædicamentis, sed reducuntur ad prædicamenta suorum abstractorum, & sunt tantùm vniuersalia & prædicabilia secundùm quid; ita econtrario abstracta substantialia sunt in prædicamento ratione concreti, & dicuntur vniuersalia & prædicabilia secundùm quid tantùm, & per reductionem ad sua concreta, ita D. Thom. cap. 7. de ente & essentia, & alibi: sicut autem abstracta accidentium per hoc quod mediâ abstractione formali significantur, vt partes secundùm quid suorum concretorum, non desinunt esse tota simpliciter respectu suorum inferiorum; sic in abstractis substantialibus per hoc quòd mediâ abstractione formali significantur vt partes simpliciter suorum concretorum, non tollitur quin possint secundùm quid habere rationem totius respectu suorum inferiorū, & de illis prædicari, si considerentur vt confusè continent illa, & non vt præscindunt ab illis, & sunt partes.

Probatur prima pars Conclusionis. Concretum significatur vt totum permixtè continens quidquid est in subiecto, vel supposito, & per hoc differt ab abstracto, quòd significat formam putam, impermixtam & præcisam ab aliis: ergo vt superius potest prædicari de alio. Sciendum tamen est quòd gradus superiores, v. g. animal, possunt dupliciter considerari. 1. vt sunt partes actu componentes simul cum differentiis ipsas species, & vt sic non continent totum quod continent species, quia pars non continet suum totum, & ideo non sufficit ponere animal in definitione hominis: sed debet adiungi rationale, & sub hac consideratione prædicantur tantùm de suis speciebus eo modo quo pars de toto, nullo autem modo de differentiis; nam vt sic ab ipsis præscindunt vt quid contradistinctum, nisi differentia supponat pro specie. 2. vt totum potentiale, & quid superius ac vniuersale confusè continens ipsas differentias specificas, ac proinde quidquid est in speciebus; & sub hac consideratione prædicantur non solùm de speciebus, sed etiam de differentiis in concreto, vt (homo, aut rationale est animal) non autem de differentiis in abstracto vt (rationalitas est animal, aut animalitas) & in hoc differt pars Physica à parte Logica; quòd Physica ita est pars, vt nunquam possit assumi vt totum, respectu eius cuius est pars, vt anima, caput &c. Logica verò licèt si sumatur cum præcisione aliorum, sit pars: tamen si sumatur sine illa est totum.

Probatur secunda pars Conclusionis. Accidentia in abstracto propriè ponuntur in prædicamentis, & sunt entia per se completa, & significantur per modum totius, & sunt propriè genera & species: ergo enuntiationes, quæ fiunt inter abstracta accidentium, quorum vnum est de essentia alterius, sunt omnino veræ & formales.

Probatur tertia pars Conclusionis. Quando prædicatum non est de essentia subiecti, non potest de illo prædicari in quid, sed in quale, & consequenter prædicatio est accidentalis: sed vt prædicatio accidentalis sit vera, prædicatum debet poni adiectiuè, siue per modum alterī adiacentis, quod non fit, quando prædicatum significatur in abstracto, vt patet: ergo enuntiationes in quibus abstractum substantiale, quod ponitur loco prædicati, non pertinet ad essentiam abstracti, quod ponitur loco subiecti, sunt falsæ in sensu formali: idem dicendum de enuntiationibus, in quibus abstractum differentiæ prædicatur de abstracto speciei, vt (humanitas est rationali-

tas)

tas) in sensu enim formali sunt falsæ, quia differentia, licèt sit de essentia speciei; tamen non prædicatur de illa omnino in quid, sed in quale quid, vt infra in cap. de differentia dicetur: ergo vt prædicetur, debet significari adiectiuè, siue per modum alteri adiacentis; quod non potest fieri, quando prædicatur in abstracto. Idem etiam dicendum de prædicationibus inter abstracta generis & differentiæ, & inter abstracta differentiæ superioris & inferioris; vt (rationalitas est animalitas, rationalitas est sensibilitas) Ratio est, quia differentia non includit genus, nec alias differentias superiores, vt infrà cap. de differentia dicetur, nec ex modo significandi vnum significatur vt adiacens alteri, sicut quando prædicantur in concreto: ergo tales prædicationes in abstracto sunt falsæ.

Probatur quarta pars Conclusionis, quantùm ad primum. Si abstractum sumatur cum tali præcisione, sumitur vt pars alterius abstracti, sicut animalitas respectu humanitatis: sed nulla pars prædicatur de suo toto in recto; proptereà enim D. Th. negat hanc propositionem esse veram (homo est humanitas) ergo cum tali præcisione tales propositiones sunt falsæ, maximè quia in tali præcisione semper interuenit abstractio formalis, quæ proptereà dicitur præcisiua: constat autem, quòd abstractio formalis impedit prædicationem. Confirmatur. Concreta cum tali præcisione, siue vt accipiuntur, vt partes, non prædicantur de aliis concretis, vt dictum est: ergo multò minùs abstractum. Quantùm ad secundum: ad veram prædicationem de inferioribus sufficit, quòd prædicatum habeat rationem totius respectu illorum, & contineat illa in confuso: sed non repugnat istis abstractis substantialibus habere aliquo modo rationem totius respectu inferiorum abstractorum, & illa continere in confuso, quia ex vi abstractionis formalis, quam ista abstracta essentialiter petunt, præscindunt tantùm à concreto, siue supposito, & significantur vt partes illius; cum tali autem abstractione formali, & præcisione respectu concreti, non repugnat aliqualis abstractio vniuersalis, & continentia confusa respectu inferiorum; vt constat, tum in abstractis accidentalibus, tum etiam in formis physicis, quæ stante abstractione formali, quâ præscinduntur, & sumuntur vt partes concretorum, admittunt tamen abstractionem vniuersalem, & induunt rationem totius, & prædicantur de suis inferioribus: ergo seruatâ suâ naturâ possunt abstracta ista superiora verè prædicari de inferioribus. Deinde hæc propositio est vera, & communiter vt talis recepta (hæc animalitas est animalitas) ergo etiam erit vera ista (hæc humanitas est animalitas) Antecedens patet; nam est eadem ratio de illa propositione, ac de sequentibus, quæ à nemine negantur, scilicet (hæc humanitas est humanitas, humanitas Christi est humanitas) Probatur Consequentia; Nam sicut in hac propositione (humanitas est animalitas) includit humanitas aliquid, quod est extra essentiam animalitatis, principium scilicet specificum: sic in ista (hæc animalitas est animalitas) subiectum includit aliquid, quod est extra essentiam prædicati; scilicet principium indiuiduationis denotatum per ly, hæc, & ratione cuius talis prædicatio est verè superioris de inferiori: ergo si de ratione animalitatis esset significare naturam sensitiuam cum omnimoda præcisione quorumcumque aliorum, quæ sunt extra essentiam eius, & ob id esset falsa prima propositio eadem ratione esset etiam falsa secunda: maneat ergo econtra, quòd sicut animalitas saluâ proprietate abstracti substantialis, potest habere rationem totius, & prædicari de hac, & illa animalitate; ita etiam potest prædicari de humanitate & equinitate. Confirmatur. Si quis definiat humanitatem, definiet illam esse animalitatem, & rationalitatem; constat autem, quòd pars definiens, habens alia requisita, prædicatur de re definita: ergo prædicta prædicatio est vera. Quantùm ad tertium: ista abstracta significantur, vt partes compositi substantialis, & simpliciter conuenit illis esse partes, & secundùm quid tantùm induunt rationem totius: ergo non possunt habere simpliciter rationem generis & speciei: nam istæ intentiones solùm conueniunt propriè & simpliciter naturis, quæ sunt entia per se & completa, & sic tantùm sunt genera & species reductiuè, vnde tales prædicationes non per se & simpliciter, sed secundùm quid & per reductionem pertinent ad prædicabilia.

Probatur quinta pars Conclusionis authoritate D. Thom. qui illam expresè docet multis locis; vt 1. 2. quæst. 55. art. 4. ad 1. Item quæst. 21. de veritate, art. 4. ad 4. & art. 5. ad 6. Item 1. part. quæst. 3. art. 3. Deinde inter prædicatum & subiectum debet esse vnitas, seu identitas tealis: sed quando concretum includit aliquid aliud præter abstractum, vt contingit in propositionibus, quæ sunt in materia creata & particulari, non sunt idem tealiter concretum & abstractum, at distinguuntur distinctione teali includentis & inclusi, & abstractum verè est pars concreti: sed ex D. Thom. cap. 3. de ente & essentia, nec pars potest in recto prædicari de toto, nec totum de parte: ergo in istis creatis & particularibus non potest abstractum de concreto, nec concretum de abstracto prædicari: vnde istæ sunt falsæ (homo est humanitas, albedo est alba) sola excipitur quantitas, vt ait D. Thom. in 4. d. 12. quæst. 1. art. 1. cùm enim inter omnia accidentia sit propinquior substantiæ, non dependet secundùm suam rationem à materia sensibili; & ideo in prædicando, & subiiciendo accipit modum substantiæ, & accidentis: vnde lineam dicimus quantitatem & quantam: & Aristoteles cap. de quantitate, & 5. Metaph. textu 10. lineam & alias species quantitatis appellat quanta per se; & hoc, quia quantitas simul est mensura substantiæ, & mensurabilis per aliam quantitatem; & ideo ipsamet secundùm quòd est mensuratiua, siue mensura substantiæ, dicitur quantitas; secundùm verò quòd est mensurabilis, siue mensurata, dicitur quanta.

In transcendentalibus verò & diuinis ob eorum simplicitatem concretum non plùs dicit, quàm abstractum, nec abstractum minùs dicit, quàm concretum: ideo vnum de alio prædicatur, & sic istæ propositiones sunt veræ (entitas est ens, bonitas est bona, vnitas est vna &c. Deitas est Deus) & econtra: ista autem transcendentia; cùm imbibantur intrinsecè in omnibus, non possunt considerari vt quoddam totum absolutum, & abstrahens ab inferioribus, licèt ratio vnius non exprimat rationem alterius; vel rationem inferiorum: sed considerantur vt quoddam totum essentialiter inclusum in inferioribus, etiam in minimis differentiis; nullo autem modo possunt considerari vt partes contradistinctæ à quibuscumque differentiis: omnia enim realiter & formaliter sunt ens &c. Si enim aliquid effugeret rationem entis, nihil esset: vnde sequitur, quòd transcendentia realiter & formaliter prædicantur, tam in concreto quàm in abstracto adinuicem, & de omnibus aliis, etiam vltimis differentiis, vt quoddam totum: quia tamen in propositionibus attenditur, non solùm res significata, sed etiam modus significandi: ideo in istis transcendentibus, & diuinis, non quidquid dicitur de abstracto, dicitur etiam de concreto, & econtra: dicimus enim, deitas est ratio, quâ Deus est Deus, & entitas ratio, quâ ens est ens; & tamen non possumus dicere, quòd Deus est ratio deitatis, aut ens ratio entitatis. Ita D. Thom. in 2. d. 27. quæst. 1. art. 1. ad 1. & quæst. 1. de virtutibus art. 2. ad 8.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando D. Thom. ait abstracta ista significari vt partes formales, & præscindi ab aliis; intelligendus est respectu concreti, siue suppositi, & non respectu inferiorum. Ad illud verò Auicennæ dicendum, quòd ab equinitate non excludit gradus superiores, cùm sint de essentia illius; sed solùm excludit alia, quæ non conueniunt naturæ secundùm se, sicut esse vniuersalem vel singularem: ratio est, quia abstracta solùm dicunt seipsa: concreta verò plura includunt: vnde debet attendi in ipsa propositione, quomodo ista abstracta substantialia sumantur; si enim sumantur cum omnimoda præcisione, cùm vt sic sint partes, & ita frequentiùs sumuntur, tunc non possunt prædicari: non

tamen illis repugnat habere aliquam abſtractionem vniuerſalem reſpectu inferiorum, vt dictum eſt.

Ad ſecuodum dicendum, quòd licèt abſtractum abſtractione formali, quatenus tale, ſit pars, nec poſſit vt ſic prædicari: tamen illi non repugnat aliqua abſtractio vniuerſalis, ratione cuius prædicetur de ſuis inferioribus.

Ad tertium dicendum, quòd animalitas & humanitas ſub ratione conſtitutiui præcisè animalis & hominis, ſumnntur vt abſtracta abſtractione formali; & ſic non poſſunt prædicari: tamen illis non repugnat aliqua abſtractio vniuerſalis, vt dictum eſt.

Articvlvs V.

Quomodo prædicentur nomina ſecundæ intentionis, tam de primis, quàm inter ſe.

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd nomina ſecundæ intentionis non poſſint prædicari inter ſe; aliàs ſequeretur, quòd vna ſecunda intentio poſſet eſſe fundamentum alterius, quod eſt inconueniens: nam daretur proceſſus in infinitum in ſecundis intentionibus, quod eſſe non poteſt, quia fundamentum debet eſſe maioris entitatis, quàm id, cuius eſt fundamentum; & ita breui deuenietur ad id, quod eſt debiliſſimum, quod repugnat proceſſui infinito.

§ 2. Præterea, ſi ſecundæ intentiones prædicentur inter ſe, debet hoc fieri ſecundùm aliquam analogiam ad nomina primæ intentionis; & ita ſicut genus in abſtracto prædicatur de ſpecie, vt (humanitas eſt animalitas) ſic poterit dici in abſtracto, quòd (ſpecieitas ſit genereitas) quod tamen eſt falſum: ergo nomina ſecundæ intentionis non prædicantur inter ſe.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli & alij.

Conclvsio.

Cùm nomina ſecundæ intentionis dicant analogiam ad nomina primæ intentionis: prædicantur tam de primis, quàm inter ſe.

Respondeo dicendum, quòd nomina ſecundæ intentionis in abſtracto non prædicantur de primis, nec in concreto nec in abſtracto. 2. nomina ſecundæ intentionis in concreto prædicantur de primis in concreto, non autem in abſtracto, loquendo de ſubſtantiis: vnde iſta eſt vera (animal eſt genus) iſta verò eſt falſa (animalitas eſt genus) loqueodo verò de accidentibus prædicantur de primis in abſtracto, & non in concreto: vnde iſta eſt vera (albedo eſt ſpecies) iſta verò falſa (album eſt ſpecies) 3. vna ſecunda intentio, quando eſt de eſſentia alterius, poteſt de illa prædicari, tam in concreto, quàm in abſtracto. 4. quando autem vna ſecunda intentio, non eſt de eſſentia alterius; ſi habeant inter ſe repugnantiam, nullo modo poſſunt de ſe inuicem prædicari, nec in abſtracto, nec in concreto: ſi autem non habent talem repugnantiam, ſed poſſunt eidem naturæ conuenire, tunc verè prædicantur in concreto, ſed non in abſtracto. 5. licèt autem in ſecundis intentionibus vna in abſtracto non poſſit prædicari de alia in concreto, vt conformiter dictum eſt in primis intentionibus; vna tamen in concreto poteſt prædicari de alia in abſtracto, in quo differunt à primis. Ad quorum euidentiam ſciendum eſt ſecundas intentiones, cùm ſint entia rationis, eſſe debiliſſimas entitates, & cognitu difficillimas; & ideo, quia ſunt quædam accidentia rationis, ſcilicet relationes, de illis agendum eſt proportionaliter ad accidentia realia; par enim ratio vtplurimùm de illis procedit, & ſic ſicut ſolet fieri in aliis per notiora, quæ ſunt minùs nota pateſient.

Probatur prima pars Concluſionis. Inter nomina primæ intentionis non ſiunt tales prædicationes: non enim dicimus (homo, vel humanitas eſt albedo) ergo ex paritate rationis nomina ſecundæ intentionis in abſtracto non prædicantur de primis, nec in concreto, nec in abſtracto, & ita non dicimus (animal eſt genereitas, humanitas eſt ſpecieitas.)

Probatur ſecunda pars Concluſionis, quantùm ad primum, anthoritate D. Thom. de ente & eſſentia cap. 4. vbi ſic ait: *Quia autem cui conuenit ratio generis, ſpeciei, vel differentiæ prædicatur de hoc ſingulari ſignato, impoſſibile eſt, quòd ratio generis, vel ſpeciei, vel differentiæ conueniat eſſentiæ ſecundùm quòd per modum partis ſignificatur, vt nomine humanitatis, vel animalitatis*; & ideo dicit Auicenna, quòd rationalitas non eſt differentia, ſed differentiæ principium, & eadem ratione humanitas non eſt ſpecies, neque animalitas genus. Quantùm ad ſecundum docet inferiùs cap. 7. vbi ſic ait: *Ex accidente & ſubiecto non fit vnum per ſe*; Vnde non reſultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis, vel ſpeciei poſſit attribui, vnde nomina accidentalia concretiuè dicta, non ponuntur in prædicamento, ſicut ſpecies, vel genera, vt album, & muſicum; niſi per reductionem: ſed ſolùm ſecundùm quòd abſtractè ſignificantur, vt albedo & muſica: & ratio vtriuſque eſt manifeſta: duo enim requiruntur in primis intentionibus, vt propriè & abſolutè denominentur à ſecundis intentionibus generis & ſpeciei, ſcilicet, vt ſint entia completa, & entia per ſe: ſed iſta duo reperiuntur in concretis ſubſtantiæ, & in abſtractis accidentium; nam abſtracta ſubſtantiæ, licèt ſint entia per ſe, non tamen ſunt entia completa, quia ſignificantur vt partes; concreta verò accidentium, licèt ſint entia completa; tamen non ſunt entia per ſe, ſed entia per accidens: componuntur enim ex entibus completis, & diuerſarum categoriarum: ergo ſola concreta ſubſtantiæ, & abſtracta accidentium ſimpliciter denominantur à ſecundis intentionibus generis & ſpeciei, licèt ſecundùm quid, & per quamdam reductionem, tam abſtracta ſubſtantiæ, quàm concreta accidentium poſſint dici genera & ſpecies.

Probatur tertia pars Concluſionis. Prædicationes in ſecundis intentionibus debent proportionari his, quæ ſiunt in primis: ſed in primis intentionibus, quando vnum eſt de eſſentia alterius, poteſt de illo prædicari, tam in concreto, quàm in abſtracto: iſtæ enim prædicationes ſunt veræ (albedo eſt color, color eſt qualitas, album eſt coloratum, coloratum eſt quale) ergo & in ſecundis intentionibus; vnde etiam iſtæ prædicationes ſunt veræ (genereitas eſt vniuerſalitas, vniuerſalitas eſt relatio rationis, item genus eſt vniuerſale, vniuerſale eſt relatiuũ rationis.

Probatur quarta pars Concluſionis. In accidentibus primæ intentionis, quæ habent repugnantiam, noo ſiunt prædicationes, nec in concreto, nec in abſtracto; vnde iſtæ ſunt falſæ (calor eſt frigus, calidum eſt frigidum) ſi autem nullam habent repugnantiam, prædicationes ſiunt quidem in concreto, ſed non in abſtracto: vnde iſta eſt vera (album eſt dulce) iſta autem falſa (albedo eſt dulcedo) ergo & in ſecundis intentionibus, ſi habeant inuicem repugnantiam, nullo modo ſiunt adinuicem prædicationes, nec in concreto, nec in abſtracto; vnde iſtæ ſunt falſæ (genereitas eſt differenticitas, genus eſt differentia) ſi autem non habent talem repugnantiam tales prædicationes poſſunt fieri in concreto, ſed non in abſtracto; vnde iſta eſt vera (genus eſt ſpecies ſubalterna) iſta autem eſt falſa (genereitas eſt ſpecieitas ſubalterna.)

Probatur quinta pars Concluſionis. Quantùm ad primum, ex proportione in ordine ad primas intentiones: quantùm ad ſecundum verò ſic: Vna ſecunda intentio in abſtracto poteſt eſſe fundamentum alterius, & habere rationem primæ reſpectu illius; quia quidquid poteſt eſſe obiectum intellectus, poteſt denominari à ſecundis intentionibus: ergo quando vna ſecunda intentio eſt capax denominationis alterius, poteſt hæc in concreto ſignificata prædicari de illa in abſtracto; vnde iſtæ ſunt veræ (vniuerſalitas eſt genus, genereitas eſt ſpecies.)

Ad primum ergo dicendum, quòd non eſt inconueniens in ſecundis intentionibus, imò eſt valdè conueniens admittere proceſſum in infinitum, quia conſequuntur actiones intellectus, in quibus neceſſariò admittendus eſt talis proceſſus; nam quâlibet intellectione poſitâ poteſt intellectus illam actu reflexo intelligere, &

hanc

hanc rursus alio acta; & sic in infinitum: ista D. Thomas, Metaph. lect. 11. Nec verum est, quòd fundamentum sit semper maioris entitatis, quàm res fundata, vt patet in materia prima, quæ habet rationem fundamenti respectu formæ substantialis, & licèt hoc verificetur in accidentibus realibus respectu substantiæ, cui inhærent, à qua oriuntur & conseruantur: hoc tamen non est necessarium in entibus rationis, siue secundis intentionibus, quæ se habent merè passiuè adinuicem; vna enim recipit aliam ab intellectu, à quo producuntur & conseruantur, nec vna alteri inhæret realiter, sed potiùs adhæret.

Ad secundum dicendum, quòd prædicationes in secundis intentionibus, vtplurimum conformantur iis, quæ fiunt in primis intentionibus, vt dictum est; in exemplo autem allato est fallacia; nam in primis intentionibus species est sub genere, vnde verè animalitas prædicatur de humanitate: in secundis autem intentionibus intentio, siue notio speciei, quæ dicitur specieitas, non est sub notione generis, siue genereitate: sed vtraque continetur, vt species opposita sub vniuersalitate; vnde non mirum, si ista sit falsa (specieitas est genereitas.)

Articvlvs VI.

Vtrùm Vniuersalia sint tantùm quinque?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur, quòd vniuersalia sint plura quàm quinque. Probatur authoritate Aristotelis 4. Metaph. cap. 1. vbi dicit, quòd tot sunt partes vniuersalis, quot entis: constat autem, quòd partes entis sunt decem, scilicet prædicamenta; ac proinde tot sunt vniuersalia. Item 1. Topic. cap. 12. ait tot modis dici vnum contrariorum quot & aliud: sed vniuersale & singulare sunt contraria, & singularia sunt infinita: ergo & vniuersalia.

¶ 2. Præterea, Indiuiduum vagum, & definitio cùm prædicentur de pluribus, sunt vniuersalia, non ex quinque assignatis, vt patet: similiter existentia, cùm prædicetur de multis, est vniuersale, non ex assignatis: non enim est genus, species, aut differentia; cùm ista sint de essentia rei, vel ipsa essentia: existentia autem ex D. Th. sit extra essentiam, nec est accidens proprium, cùm sit communis omnibus entibus adueniens illis contingenter per actionem causæ efficientis; nec est accidens commune, cùm non possit adesse & abesse sine subiecti corruptione: sublatâ enim existentiâ necessariò corrumpitur subiectum: ergo vniuersalia sunt plura, quàm quinque.

¶ 3. Econtra, Videtur, quòd vniuersalia sint pauciora quàm quinque: quia sola prædicatio directa pertinet ad prædicabilitatem, quæ est passio vniuersi: sed prædicatio directa est tantùm duplex, scilicet essentialis & accidentalis: ergo est tantùm duplex prædicabilitas; ac proinde duplex tantùm vniuersalitas, & duo vniuersalia. Confirmatur: Omne accidens completum est genus vel species: ergo non constituit distinctum vniuersale.

¶ 4. Præterea, Differentia subalterna & infima; & idem dicendum de proprio subalterno & infimo, non constituunt duo vniuersalia: licèt vna prædicetur de pluribus specie differentibus, & alia de pluribus numero differentibus: sed per hoc præcisè differunt genus & species: ergo non constituunt duo vniuersalia. Confirmatur. Vniuersalia sunt prædicata Dialectica, quæ de pluribus prædicantur, sed ex Aristotele 1. Topic. cap. 3. 4. & 5. talia prædicata sunt tantùm quatuor, scilicet genus, definitio, proprium & accidens: ergo sunt tantùm quatuor vniuersalia.

Sed contra est expressa authoritas Porphyrij, & D. Thom. 1. contra gentes, cap. 32. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cum sint tantùm quinque modi essendi vnum in multis, & prædicandi de multis: sunt tantùm quinque vniuersalia.

Respondeo dicendum, quòd sunt quinque vniuersalia, nec plura, nec pauciora. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd licèt in tractatu vniuersalium frequentiùs vsurpentur nomina concreta generis, speciei, differentiæ &c. quia talia nomina sunt magis vsitata: principaliter tamen sermo procedit de ipsis secundis intentionibus, scilicet genereitate, specieitate &c. nam istis propriè conuenit esse species vniuersalis, non eorum concretis; vnde quando quæritur, quot sunt vniuersalia, & an vniuersale sit genus, idem est, ac quærere, quot sunt vniuersalitates, siue secundæ intentiones vniuersalium, & an vniuersalitas sit genus ad illas: propria autem, & essentialis differentia, tam in accidentibus realibus, quàm in istis secundis intentionibus sumitur ex proprio, & adæquato subiecto, vt infra dicetur; vnde quando definiuntur in abstracto (sic enim habent propriam, & perfectam definitionem) ponitur loco differentiæ subiectum ipsum, & ita est optima via ad dignoscendas species alicuius accidentis generici, scire quot possint esse subiecta adæquata, & inter se distincta intra illud genus; sic enim inuenientur omnes differentiæ diuisiuæ talis generis, ac proinde numerus specierum eius.

Item sciendum est vocem vniuersalem sic definiri, vt sit vox omnino simplex, quæ de multis synonimè nata est dici: per ly, omnino simplex, debet intelligi tam voce, quàm significatione; vnde excluduntur voces compositæ, vt orationes, definitiones &c. per ly, synonimè, excluduntur à ratione vniuersi æquiuoca & analoga, per ly, nata est dici, datur intelligi, quòd non est de ratione vniuersi dici actu de multis, sed posse dici de multis.

Probatur Conclusio authoritate Porphyrij, quem omnes in materia vniuersalium sequuntur: in prœmio huius tractatus, sic ait. *Cùm necessarium sit Crisaori ad prædicamentorum notitiam, quidnam sit genus cognoscere, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens:* Deinde de illis agit sigillatim, nec vllam facit mentionem alterius vniuersalis: ergo sunt quinque vniuersalia, nec plura, nec pauciora.

Secundò, proprium & adæquatum subiectum vniuersalitatis in communi, est natura simpliciter vna, vt patet ex supra dictis, & ex definitione; vniuersale enim est vnum in multis: ergo quot sunt modi diuersi naturæ simpliciter vnius, siue quot sunt naturæ diuersæ in ratione subiecti vniuersalitatis, tot sunt differentiæ diuisiuæ vniuersalitatis, & tot eius species, vt constat ex notando: sed sunt tantùm quinque huiusmodi diuersi modi naturæ simpliciter vnius, scilicet natura perfectibilis & constituibilis, quæ est subiectum genereitatis, siue intentionis generis; natura perfectiua siue constitutiua, quæ est subiectum intentionis differentiæ; natura perfecta & constituta, quæ est subiectum adæquatum specieitatis; natura profluens ab essentia, quæ est subiectum adæquatum intentionis proprietatis; deniquè natura extrinseca siue contingens, quæ est subiectum adæquatum intentionis accidentis: ergo sunt tantùm quinque differentiæ diuisiuæ, & species vniuersalitatis. Minor continet duo probanda, scilicet quòd in ratione subiecti vniuersalitatis quinque istæ considerationes naturæ sint inter se diuersæ, & quòd non possit aliis modis considerari natura. Probatur primum. Natura perfectibilis comparatur ad inferiora, vt quid in illis potentiale, & per modum materiæ: natura verò perfectiua comparatur ad inferiora, vt constitutiuum essentiæ eorum, & per modum actus seu formæ; natura autem perfecta comparatur ad inferiora, vt tota eorum essentia, siue per modum compositi ex potentia & actu; natura profluens comparatur ad inferiora, vt quid necessariò coniunctum cum eorum essentia; & tandem natura extrinseca comparatur ad inferiora, vt quid potens adesse & abesse ab eorum essentia: ergo istæ naturæ diuerso modo comparantur ad inferiora, & ita sunt diuersæ in ratione vniuersalis. Probatur secundum. Vel natura comparatur ad inferiora, vt quid illis essentiale, vel vt quid accidentale: si primum, tantùm possunt formari tres priores considerationes; quia in essentia non est, nisi potentia, actus & compositum ex vtroque; si secundum, vel comparatur ad inferiora, vt accidens

cidens proprium, vel non proprium, scilicet commune: ergo sunt tantùm quinque diuersi modi naturæ simpliciter vnius.

Tertio. Ex Porphyrio tot sunt vniuersalia, quot sunt modi prædicandi de pluribus: sed isti sunt quinque, nec plures nec pauciores; nam vel prædicantur in quid, vel in quale: si in quid, vel de pluribus differentibus specie, vel solo numero; & sic ponuntur duo, scilicet genus & species; in quale, vel secundùm essentiam, & est differentia, vel secundùm accidens; quod vel fluit ab intrinseco, & est proprietas, vel venit ab extrinseco, & est accidens commune: ergo sunt quinque prædicta vniuersalia, nec plura, nec pauciora.

Quartò. Compositio Logica est similis compositioni Physicæ siue naturali: sed in compositione Physica & naturali reperiuntur quinque, nempe totum compositum, pars, quæ habet rationem potentiæ, & alia pars, quæ habet rationem actus, proprietates ab istis profluentes, & accidentia communia, quæ à principiis indiuidoantibus deriuantur, vt patet in homine composito ex materia & forma rationali, habente suas proprietates & accidentia: ergo similiter in compositione Logica, quæ fundatur supra Physicam, dantur ista quinque; scilicet species, quæ est totum; genus, quod est pars potentialis, differentia, quæ est pars actualis; proprietas, quæ fluit à natura, & primò ipsi conuenit; & tandem accidens commune, quod à principiis indiuidualibus deriuatur, & primò conuenit indiuiduis.

An primum ergo dicendum, quòd Aristoteles loquitur de vniuersali materiali, & non de vniuersali formali, scilicet vult, quòd tot sunt naturæ teales, quæ possunt dici vniuersales, quot sunt partes entis: hic autem agitur de numero vniuersalium formalium, scilicet intentionum vniuersi. Ad aliud dicendum, quòd Aristoteles loquitur de oppositis formaliter, vt opposita sunt: sic enim quot modis dicitur vnum, dicitur etiam alterum, siue quot sunt acceptiones vnius, tot debent esse alterius: non tamen sequitur tot debere esse subiecta materialia vnius, quot alterius: sicut albedo & nigredo sunt opposita, & tamen non est necesse, quòd tot sint subiecta nigra, quot alba, & similiter in præsenti.

An secundum dicendum cum D. Th. 1. p. q.30. art.4. quòd indiuiduum vagum significat naturam cum determinato modo essendi, scilicet vt particulariter subsistentem, licèt abstrahat ab hoc, vel illo determinato modo subsistendi: vnde cum hæc conuenientia indiuiduorum solùm sit in habere modum particulariter subsistendi, qui non est aliqua natura integra, vt requiritur ad rationem vniuersalis: ideo non constituit distinctum vniuersale; vel dicendum, quòd non prædicatur de pluribus nec determinatè, quòd requirtur ad vniuersale; non enim prædicatur copulatiuè de Petro & Paulo; sed disiunctiuè de Petro vel de Paulo: cum enim sit vagum, non potest determinari. Ad aliud dicendum, quòd definitio est terminus complexus, qui repugnat simplicitati vniuersalis. Ad aliud dicendum, quòd existentia non est natura completa, sed est terminus essentiæ; vnde sicut dictum est de aliis abstractis substantialibus, non respicit inferiora, sed substantiam quam terminat, nec in suo conceptu generali est vniuoca, sed analoga: cùm priùs dicatur de substantiali, quàm de accidentali, quando aliquo modo induit rationem totius; vniuersale autem debet esse totum & vniuocum; vnde solùm reductiuè, sicut & alia incompleta, potest dici vniuersale.

Ad tettium dicendum, quòd licèt prædicatio directa primò diuidatur in essentialem & accidentalem; vtraque tamen subdiuiditur iuxta diuersum modum prædicandi; essentialis in tres; accidentalis in duas. Ad confirmationem dicendum, quòd tam differentia essentialis, quàm proprium & accidens per ordinem ad sua inferiora sunt genus vel species: sed vniuersalia non distinguuntur per ordinem ad inferiora, sed per ordinem ad subiecta siue ad naturas quas denominant.

Ad quartum dicendum, quòd differentia tam subalterna quàm infima; & idem de proprio proportionaliter; prædicatur vt actus perfectiuus & constitutiuus essentiæ in quale quid, nec subalterna est perfectibilis per infimam: cùm sint actus simplices; ideo vtraque respicit essentiam vt eius constitutiua: genus autem & species, licèt prædicentur in quid: tamen genus, quia prædicatur de speciebus, prædicatur vt quid potentiale & perfectibile; species autem, quia prædicatur de indiuiduis, prædicatur vt quid perfectum & constitutum. Ad confirmationem dicendum, quòd in illo loco Aristoteles agit de modis, quibus possunt fieri problemata Dialectica, & dicit, quòd quatuor modis, 1. essentialiter conuertibiliter, & hoc per definitionem. 2. essentialiter inconuertibiliter, & hoc per genus, sub quo continetur differentia subalterna, sicut sub definitione differentia infima. 3. accidentaliter conuertibiliter, & hoc per proprium. 4. accidentaliter inconuertibiliter, & hoc per accidens; speciem autem non nominat, quia de ipsa sunt talia problemata; hic autem est sermo de vniuersalibus, & prædicabilibus, vt deseruiunt prædicamentis, scilicet per ordinem ad inferiora, sub quibus continetur species: quia habet inferiora, & excluditur definitio, quia complexa.

Articvlvs VII.

Vtrùm vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia.

Ad septimvm sic proceditur. Videtur quòd vniuersale non sit genus ad quinque prædicabilia, ita tenent aliqui extra scholam D. Thom. qui dicunt esse analogum: hancque opinionem attribuunt Ammonio, Simplicio & Scoto: sed immeritò, hi enim loquuntur de vniuersali materialiter, scilicet natura denominara, sicut & alij Thomistæ, quibus hanc eamdem opinionem attribuit Fonseca. Probatur tamen. Ratio generis æqualiter ab inferioribus participatur: sed ratio vniuersi inæqualiter participatur à quinque prædicabilibus; nam genus prædicatur de pluribus, quàm species: quod est ratio vniuersi; deinde aliqua ex istis prædicantur immediatè, alia mediatè: denique genus, species & differentia prædicantur de multis nobiliori modo, quàm proprium & accidens: hæc enim prædicantur accidentaliter, illa verò essentialiter: constat autem quòd hæc omnia dicunt inæqualitatem; ergo vniuersale non est genus ad quinque prædicabilia. Confirmatur: proprium & accidens non sunt vniuoca, quia ex Aristotele cap. 1. in anteprædicamentis, denominatiua non sunt synonima siue vniuoca; constat autem proprium & accidens, vt constituunt quartum & quintum prædicabile, esse denominatiua; nam solùm prædicantur de subiectis; deinde prædicantur in concreto: sed concretum accidentium non est ens per se: ergo nec vniuersale: ac proinde non est genus.

¶ 2. Præterea, Vniuersale est superius ad omnia prædicamenta: sed supra prædicamenta non datur genus; cùm ipsa sint suprema genera: ergo vniuersale non est genus. Confirmatur. Ideo ens non est genus, quia transcendit omnes suas differentias: sed vniuersale etiam transcendit differentias quinque prædicabilium; nam differentia est vnum prædicabile: ergo vniuersale non est genus.

¶ 3. Præterea, Nullum genus potest sub sua specie contineri: sed si vniuersale esset genus, contineretur sub sua specie, scilicet sub genere, quod est prima species vniuersalis. Item omnia prædicabilia essent species, & sic essent solùm vnum prædicabile, scilicet species: imò ipsa species prædicaretur de seipsa non solùm prædicatione identicâ, sed etiam formali: nam verè diceretur (species est species vniuersalis item vniuersale, cùm sit genus aliquod particulare ad hæc prædicabilia, contineretur sub genere in communi, quod est species infima vniuersalis, ac proinde vniuersale sub illo contentum erit indiuiduum, quæ omnia sunt absurda: ergo vniuersale non est genus ad quinque prædicabilia.

Sed

Sed contra eſt authoritas D. Thom. vt colligitur ex 1. contra gentes, cap.32. & opuſc.56.quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, noſtri Complutenſes, Sotus, Maſius,Sanches,Gallego & communiter etiam Scotiſtæ, & alij in præſenti.

Conclvsio.

Cùm vniuerſale prædicetur in quid æqualiter de quinque prædicabilibus, eſt genus ad illa.

Respondeo dicendum, quòd vniuerſale formale,ſiue vniuerſalitas, eſt verum & proprium genus ad quinque prædicabilia. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt vniuerſale poſſe ſumi dupliciter; vel materialiter pro ipſis ſcilicet naturis ſubiectis notioni vniuerſi, & ſic certum eſt, quòd non eſt genus,ſed analogum: non enim omnes naturæ conueniunt vniuocè, vt conſtat in ſubſtantia & accidente; vel pro ipſa notione vniuerſi, & ſic ſumitur formaliter: quod vniuerſum formale adhuc poteſt conſiderari dupliciter; vel vt eſt integrum & completum; vel vt includit ipſas etiam differentias & partes vniuerſalis: hæc autem difficultas procedit de vniuerſali formali completè conſiderato.

Probatur Concluſio. Vniuerſale prædicatur in quid æqualiter de pluribus ſpecie differentibus, ſcilicet de iſtis quinque prædicabilibus: nam primò interroganti quid eſt genus, quid ſpecies &c. benè reſpondetur, quòd ſunt vniuerſale; & ita vniuerſale prædicatur de illis in quid: deinde, quòd quinque predicabilia diſtinguantur ſpecie,patet ex articulo præcedenti;& ita vniuerſale prædicatur in quid de pluribus ſpecie differentibus: quòd denique æqualiter prædicetur,patet;nam quinque prædicabilibus verè & propriè conuenit eſſe relationes rationis, quibus naturæ abſtractæ referuntur ad multa, in quo eſt eſſentia, & ratio formalis vniuerſalitatis, nec vnum dependet ab alio: nam quodlibet eſſet vniuerſalitas; licèt alia eſſent impoſſibilia, quod non eſt in analogatis: ſed prædicari in quid de pluribus ſpecie differentibus æqualiter, eſt eſſe genus: ergo vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia.

Ad primum ergo dicendum,quòd prædicari de multis conuenit per ſe vniuerſali,cuius eſſentia eſt eſſe in multis: ſed prædicari in quid, vel in quale, mediatè, vel immediatè &c.ſunt extra eſſentiam vniuerſi,& ſunt variæ eius differentiæ:vnde ſicut in aliis inæqualitas differentiarum non prẹiudicat conceptui vniuoco generis,ſic nec in iſtis & multò minùs prædicari de pluribus vel paucioribus. Ad confirmationem dicendum, quòd denominatiua formaliter non ſunt vniuoca:quia ſic important ſecundas intentiones eſſentialiter diuerſas,licèt materialiter aliquando coincidant:nam eadem natura dicitur ſpecies ſubiicibilis & prædicabilis;vnde denominatiua, vt ſunt iſta prędicabilia, in ordine ad formam denominantem non ſunt vniuoca, ſed ſunt vniuoca in ordine ad inferiora, in quibus æqualiter reperiuntur.Ad aliud dicendum,quòd concretum accidentale, licèt ex modo ſignificandi ſumatur, vt ens per accidens, tamen quoad rem ſignificatam(quomodo ſumitur, quando ſe tenet ex parte prædicati,vt dictum eſt ſupra) eſt ens per ſe; nam vt ſic dicit idem ac abſtractum & hoc maximè contingit in prædicationibus quarti & quinti prædicabilis;vnde res ſignificata,ſcilicet entitas accidentis, non autem totum concretum, prout innoluit ſubiectum, recipit in ſe ſecundas intentiones conſtitutiuas proprij & accidentis, quod ſufficit, vt natura denominata ab illis ſit ſimpliciter vna, & ens per ſe:quamuis non debeat ſignificari in abſtracto,ſed in concreto: quia iſta prædicabilia prædicantur in quale.

Ad ſecundum dicendum, quòd prædicamenta non conueniunt in aliquo vniuoco eſſentiali; vnde non habent genus ſupra ſe, ſed conueniunt vniuocè in vniuerſali tanquam in quodam denominatiuo, & accidente rationis, quod non eſt inconueniens. Ad confirmationem dicendum, quòd vniuerſalitas non tranſcendit differentias genereitatis &c. nam iſta eſt falſa(differentia conſtitutiua genereitatis eſt vniuerſalitas) quod neceſſarium erat ad tranſcendentiam, ſed quia illi differentiæ poteſt tribui intentio à qua denominetur vniuerſalis: ideò dicitur differentia illa eſſe vniuerſalis: ſed hoc accidentaliter & denominatiuè,non eſſentialiter, ſicut requiritur ad tranſcendentiam.

Ad tertium dicendum, quòd vniuerſale(vt quod) eſt genus ad hæc prædicabilia, & ſic non poteſt contineri ſub ſua ſpecie,ſed quando continetur ſub ſpecie generis, eſt vniuerſale (quo) id eſt in ordine ad naturam, quam afficit, & iſtæ mutuæ ſubiectiones proueniunt ex hoc, quòd poteſt dari proceſſus in iſtis intentionibus propter varias reflexiones intellectus; & ſic genus poteſt denominari ſpecies, & ſpecies poteſt eſſe ſupra ſuum genus, & genus eſſe indiuiduum ſuæ ſpeciei; quia vna gerit rationem primę reſpectu alterius:iſtæ autem prædicationes ſunt denominatiuæ, & non eſſentiales;nam prædicatione eſſentiali eſt impoſſibile, quòd vna ſpecies prædicetur de alia, vel ſpecies de ſuo genere, vel concretum de ſuo abſtracto: vnde ſimiles prædicationes allatæ in argumento ſunt accidentariæ pertinentes ad quintum prædicabile. Ad dignoſcendum autem quando propoſitio eſt eſſentialis, vel accidentalis & denominatiua ſeruetur hæc regula: eſt eſſentialis,quando prædicatum eſt de quidditate ſubiecti, cuius ſignum eſt, quando prædicatio eſt vera, ſiue fiat in abſtracto, ſiue in concreto, vt in iſtis (genereitas eſt vniuerſalitas, genus eſt vniuerſale) tunc autem eſt denominatiua, quando prædicatum accidentaliter conuenit ſubiecto, cuius ſignum eſt, ſi prædicatio, quæ in concreto eſt vera, in abſtracto ſit falſa, vt patet io his, quæ in concreto ſunt veræ (vniuerſale eſt genus, genus eſt ſpecies vniuerſalis) & tamen in abſtracto ſunt falſæ (vniuerſalitas eſt genereitas, genereitas eſt ſpecieitas.

QVÆSTIO V.

De genere.

Post Conſiderationem eſſentiæ, & proprietatum vniuerſalis in communi; ſtatim conſiderandæ occurrunt eius ſpecies ſigillatim; vt ita ſeruetur methodus compoſitionis optima in tradendis diſciplinis, vt ait Ariſtoteles, quæ incipit à prioribus naturâ: ſcilicet ab illis, quorum natura eſt prior naturâ aliorum, & à quibus non valet ſubſiſtendi conſequentia, vt ſunt ſuperiora reſpectu inferiorum, hanc methodum ſequutus eſt Porphyrius: prius enim egit de vniuerſali in communi, deinde deſcendendo ad particularia,priùs egit de illis, quæ prædicantur per modum ſubſtantiæ, quàm de illis, quæ prædicantur per modum accidentis: nam ſubſtantia eſt prior accidente naturâ; cùm habeat rationem cauſæ reſpectu illius: in his autem priùs agit de genere, cùm ſit priùs naturâ,quàm ſpecies;quia ſimplicius, & vniuerſalius: circa quod quæruntur ſex.

¶ Primò, Vtrùm definitio generis tradita à Porphyrio ſit bona?

¶ Secundò, Vtrùm accidentia tam in concreto,quàm in abſtracto definiantur per ſuum ſubiectum?

¶ Tertiò, Vtrùm definitum in definitione generis ſit ſecunda intentio?

¶ Quartò, quid ponatur loco generis in definitione eius, & aliorum prædicabilium?

¶ Quintò, Vtrùm natura generica prædicetur de ſpeciebus vt totum, vel vt pars?

¶ Sextò, Vtrùm genus ſumatur à materia, & differentia à forma?

Articvlvs I.

Vtrùm definitio generis tradita à Porphyrio ſit bona?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur,quòd definitio generis tradita à Porphyrio non ſit bona. Ita tenuit

quidam Laurentius Valla. Probatur. Quidquid definitur, debet eſſe ſpecies, ex Ariſtotele 7. Metaph. textu 39. ſed genus ſub ratione generis, ſub qua hic definitur, non eſt ſpecies, vt ex ſe patet: ergo definitio generis tradita à Porphyrio non eſt bona. Confirmatur. Quod definitur, debet conſtare genere: definitio enim traditur per genus & differentiam: ſed generis non datur aliud genus, aliàs daretur proceſſus in infinitum: ergo genus non eſt definibile: ac proinde definitio generis tradita à Porphyrio non eſt bona.

¶ 2. Præterea, Definitio generis tradita à Porphyrio conuenit alteri à genere: nam ipſa definitio animalis, ſcilicet viuens ſenſibile prædicatur de pluribus ſpecie differentibus. Item ens prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quæſtione (quid res eſt) & tamen non eſt genus. Item anima prædicatur in quid de vegetatiua, ſenſitiua & rationali; & tamen non eſt genus: ergo talis definitio non eſt bona.

¶ 3. Præterea, Ex Ariſtotele cap. de ſubſtantia: Secundæ ſubſtantiæ ſignificant quale quid: ſed genera ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, vt ibidem docet Philoſophus: ergo prædicantur in qualequid, & non in quid; & ita definitio generis tradita à Porphyrio non eſt bona. Confirmatur: genus eſt pars ſpeciei, cùm ipſam conſtituat vnà cum differentia: ſed nulla pars prædicatur in recto de ſuo toto: ergo definitio generis, quà dicitur eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid, non eſt bona.

¶ 4. Præterea, Differentia generis prædicatur in quid de differentiis ſpecierum: nam iſta valet (rationale eſt ſentiens) & tamen differentia generis non eſt genus: deinde differentia prædicatur etiam in quid de pluribus ſpecie differentibus; cùm enim differentia, vtpotè actus ſit perfectior genere, quod eſt potentia, habet prædicari nobiliori modo, quàm genus: modus enim prædicandi conſequitur modum eſſendi, vtpote eius proprietas, vnde cùm prædicari in quid ſit perfectius, quàm prædicari in quale; differentia etiam prædicatur in quid, ſi genus prædicetur, & ita definitio generis tradita à Porphyrio conuenit differentiæ; ac proinde non eſt bona.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, qui hanc eamdem definitionem ſub iiſdem ferè verbis tradit 1. Top. cap. 4. & lib. 4. cap. 1. & 5. Metaph. cap. 28. Idem D. Thom. qui illam admittit opuſc. 48. tract. 1. & in 2. d. 34. quæſt. 1. art. 2. ad 1. & tandem eſt communis conſenſus Philoſophorum.

CONCLVSIO.

Cùm hæc definitio tradatur per notiora, & nihil in ea ſit ſuperfluum, & tandem in ea ſit aliquid habens rationem generis, & aliquid habens rationem differentiæ: eſt bona.

Respondeo dicendum, quòd definitio generis tradita à Porphyrio eſt bona. 2. non tamen eſſentialis: ſed tantùm deſcriptiua. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt genus ſic definiri à Porphyrio: *Genus eſt, quod de pluribus differentibus ſpecie, hoc ipſo quod eſt; ſiue in eo quod quid eſt prædicatur*: Et de hac definitione in præſenti quæritur: alij alias generis definitiones afferunt, ſed vel ad hanc reducuntur, vel ſunt eius deſcriptiuæ. Definitio tradita ab Ariſtotele 1. Topic. cap. 4. & 5. Metaph. cap. 28. eſt valde huic conformis: eſt autem huiuſmodi; *Genus eſt, quod in definitionibus primum ineſt, & quod in quæſtione, quà rei natura quæritur, dicitur, cuiuſque differentiæ ſunt qualitates.*

Probatur prima pars Concluſionis. Definitio generis tradita à Porphyrio datur per notiora, nihil in ea eſt ſuperfluum, & in ea eſt aliquid habens rationem generis, & aliquid habens rationem differentiæ, vt conſtabit ex eius explicatione: ſed ad bonitatem definitionis nihil vltra requiritur: ergo talis definitio eſt bona: ſic autem debet explicari; ly relatiuum (quod non importat vniuerſale, aut aliud concretum ſuperius ad genus, ſed ſignificat ſubiectum, ſiue naturam denominatam, quæ ponitur loco generis, vt infra dicetur: aliæ autem particulæ ponuntur loco differentiæ, & exprimunt peculiarem modum, quo genus prædicatur de ſuis inferioribus: circa vltimam particulam, (in eo quod quid) notanda eſt differentia horum relatiuorum, quid, & quale, prout ad præſens attinet; quid, eſt relatiuum ſubſtantiuum, ſiue abſolutum, & ſignificat per modum ſubſtantiæ, ſiue per ſe ſtantis; quale verò, eſt relatiuum adiectiuum, & connotatiuum, ac ſignificat per modum accidentis, ſiue alteri adiacentis; & ideo ad interrogationem (quid eſt hoc) reſpondetur nominibus ſubſtantiuis generis, vel ſpeciei: quia hæc tantùm ſignificant per modum per ſe ſtantis: ad interrogationem verò (quale eſt hoc) reſpondetur nominibus adiectiuis differentiæ, proprij & accidentis: nam iſta tria ſignificant per modum alteri adiacentis, licèt non eodem modo; nam differentia, quia pertinet ad ſubſtantiam rei ſiue eſſentiam, non ſignificatur omnino (vt quale): quia verò exprimitur per modum alteri adiacentis, non omninò ſignificatur (vt quid) & ideo differentia ſignificatur (vt quale quid): vnde differentia quantùm ad rem ſignificatam, eſt de eſſentia & ſubſtantia rei; quantùm verò ad modum ſignificandi, accipitur vt accidens, ſeu vt adiacens rei: proprium verò & accidens tum quantùm ad rem ſignificatam, tum quantùm ad modum ſignificandi, ſunt extra eſſentiam rei; & ideo omnino prædicantur (in quale), genus autem, & ſpecies tum quantùm ad rem ſignificatam, tum quantùm ad modum ſignificandi prædicantur (in quid) quia ſignificant ipſam eſſentiam rei, vel aliquid de eſſentia: genus verò cùm ſit perfectibile, neceſſariò continet ſub ſe plures ſpecies, vnde prædicatur (in quid) de pluribus ſpecie differentibus: ſpecies verò cùm ſit quid vltimò in eſſentia perfectum, & conſtitutum, non poteſt ſub ſe continere plura eſſentialiter diſtincta, ſed tantùm materialiter & numericè, ſcilicet indiuidua; & ſic prædicatur (in quid) de pluribus tantùm numero differentibus: hæc doctrina eſt D. Thom. opuſc. 48. tract. 1. cap. 2. 3. & 4. quæ explicat definitiones omnium vniuerſalium.

Probatur ſecunda pars concluſionis contra Scotum & Hurtado authoritate Porphyrij, qui hic cap. de genere fatetur hanc definitionem eſſe tantùm deſcriptiuam, eius verba ſunt: *Quod etiam deſcribentes aſſignarunt genus eſſe dicentes, quod de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid prædicatur.* Item etiam docet D. Th. loco citato; & ratio eſt manifeſta ac demonſtratiua, quia definitio, quæ non traditur per partes eſſentiales, ſed per aliquam proprietatem, non eſt eſſentialis, at deſcriptiua, vt conſtat ex Summulis: ſed iſta definitio generis traditur per prædicari, ſiue per prædicabilitatem, quæ eſt paſſio vniuerſalis, vt etiam conſtat ex quæſtione præcedenti; nam prædicari de pluribus præſupponit eſſe in pluribus, & ad hoc ſequitur: nam ideo aliquid prædicatur de alio, quia eſt in eo; & ita prædicari de pluribus eſt proprietas vniuerſalis: ergo iſta definitio non eſt eſſentialis, at tantùm deſcriptiua: vnde fundamentum aduerſariorum falſum eſt, qui dicunt obiectum huius libri non eſſe vniuerſale, ſed prædicabile: quia in hoc libro, vt ait D. Thom. opuſc. citato, agitur de vniuerſali & prædicabili: de vniuerſali quidem tanquam de eſſentia, de prædicabili tanquam de proprietate.

Ad primum ergo dicendum, quòd quidquid definitur, debet eſſe ſpecies (vt quod) & denominatiuè, id eſt, debet eſſe talis natura, vt ſit capax ſecundæ intentionis ſpeciei; & ſic genus vere eſt ſpecies vniuerſalis, etiam inquantùm genus. Ad confirmationem dicendum, quòd licèt detur vnicum genus (vt quo) & eſſentialiter, ſiue intentio conſtitutiua primi prædicabilis; tamen naturæ, ſiue gradus, qui denominantur ab hac intentione, ſunt plures, & vnus poteſt eſſe genus reſpectu alterius, in quibus tamen non eſt proceſſus in infinitum; ſed peruenitur ad ſupremum genus, v. g. ſubſtantiæ, quod non poteſt propriè definiri, quia non habet ſupra ſe aliud genus per quod definiatur & idem proportionaliter contingit in ſecunda intentione ſpeciei, & aliis entibus rationis.

Ad ſecundum dicendum, definitionem, ens, & alia analoga, aut alia incompleta; propterea non eſſe propriè genera,

genera, quia non sunt simpliciter vniuersalia; & ita formaliter loquendo non excluduntur ab hac definitione per particulas, quæ habent rationem differentiæ, sed per relatiuum (quod) positum loco generis; significat enim genus, quâ ratione est vniuersale, debere esse naturam simpliciter vnam, & per consequens vniuocam, per quod excluditur analogum; completam, per quod excluditur pars; & incomplexè significatam, per quod excluditur definitio.

Ad tertium dicendum ex D. Thom. 7. Metaph. lect. 13. vbi verba Aristotelis explicat, quòd sicut omnis forma dicitur qualitas materiæ, quia in illa recipitur; ita etiam in quacumque propositione prædicatum dicitur qualitas subiecti, quia habet rationem formæ respectu illius, & ei quodammodo adiacet, & in hoc generali sensu dicit Philosophus primas substantias significare (hoc aliquid) secundas verò (quale quid) id est, primæ substantiæ, scilicet indiuidua, siue supposita semper habent rationem materiæ & subiecti respectu secundarum: secundæ verò, scilicet genera, & species semper habent rationem formæ & prædicati respectu primarum, quod non tollit, quominus secundæ substantiæ prædicentur per modum per se stantis, seu (in quid) vt hic sumitur. Ad confirmationem dicendum, quòd quando genus prædicatur de specie, non sumitur vt pars, sed vt totum superius continens confusè quidquid est in inferioribus.

Ad quartum dicendum, quòd differentiæ generis, vt sic, non prædicantur de differentiis specierum, vt sic, vt infra dicetur, nisi ipsæ differentiæ supponant pro speciebus. Ad aliud dicendum, quòd quamuis differentia habeat perfectiorem modum essendi, quàm genus secundùm se; non tamen prout concipitur à nobis; nam illam apprehendimus ad modum accidentis, siue qualitatis adiacentis generi: genus verò ad modum substantiæ, & subiecti illam recipientis: vnde quia modus prædicandi sequitur modum essendi; non secundùm se, sed mediante modo cognoscendi: ideo genus habet perfectiorem modum prædicandi, quàm differentia.

Articvlvs II.

Vtrùm accidentia tam in concreto, quàm in abstracto definiantur per suum subiectum?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd accidentia nec in concreto, nec in astracto definiantur per suum subiectum. Probatur. Definitio essentialis alicuius rei debet tradi per partes essentiales illius: sed subiectum non est pars essentialis accidentis, siue in concreto, siue in abstracto, vt ex se constat; accidentariò enim coniungitur: ergo accidentia tam in concreto, quàm in abstracto non definiuntur per suum subiectum.

¶ 2. Præterea, Omnis bona definitio traditur per genus & differentiam, vt constat ex Summulis: sed subiectum non pertinet ad genus, nec ad differentiam accidentis siue in concreto, siue in abstracto: ergo accidens non definitur per suum subiectum.

¶ 3. Præterea, si definitur accidens per suum subiectum, & definiatur in abstracto, subiectum debet poni loco differentiæ: si in concreto, subiectum debet poni loco generis: sed ista duo se destruunt, sequitur enim quòd in eadem re simplici aliqua simul conueniant, & differant: in genere quippe res conueniunt, & differunt in differentia: vnde si idem subiectum modo est genus, modo differentia in defioitione accidentis; in illo simul conuenient, & different accidentia, quod est impossibile: ergo accidentia siue in concreto, siue in abstracto non definiuntur per suum subiectum.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. ac Commentatoris 7. Metaph. comm. 17. quos sequuntur Soncinas ibidem quæst. 6. Caietanus de ente & essentia, cap. 7. quæst. 15. Ferrar. 1. contra gentes, cap. 30. nostri Complutenses, & alij in præsenti.

Conclvsio.

Cùm accidentia siue in concreto, siue in abstracto significentur, habeant dependentiam ad suum subiectum: per illud definiuntur.

Respondeo dicendum, quòd accidentia siue in concreto, siue in abstracto definiuntur per suum subiectum: vnde tunc propriè, perfectè & essentialiter definiuntur in abstracto, quando ponitur pro genere prædicatum, siue gradus superior, qui inuenitur in essentia talis accidentis, & loco differentiæ proprium eius subiectum in obliquo significatum. 2. definiuntur autem propriè & essentialiter in concreto, eo modo, quo definiri posse dicitur, si econtra loco generis ponatur proprium eius subiectum in recto, & loco differentiæ gradus ille superior etiam in recto, & adiectiuè significatus. 3. Seruatâ autem proprietate concreti accidentalis, & proprio modo significandi & definiendi, quem exigit, quatenus tale est, non potest rectè definiri per concretum, siue connotatiuum superius loco generis; vnde hæc definitio, licèt in abstracto sit bona (albedo est color disgregatiuus visus) tamen ista in concreto nihil valet (album est coloratum disgregatiuum visus) & sic quando proprium subiectum accidentis non est notum, & accidens debet definiri per suam proprietatem, aut effectum formalem, debet poni pro genere subiectum concreti superioris, & non ipsum concretum superius. Ad quorum euidentiam sciendum est ex supradictis concreta & abstracta eamdem prorsus rem significare, & solùm distingui ex modo significandi, quatenus abstractum significat formam, quasi per se stantem, ab alio separatam, & consequenter puram, ac impermixtam: concretum verò significat eamdem formam, vt alteri adiacentem, & connotat subiectum tanquam id, cui inhæret forma, & in quo exercetur effectus formalis eius; ex quo sequitur, quòd licèt concretum quoad rem significatam sit ens per se, sicut abstractum; tamen quoad modum significandi sumitur, vt ens per accidens: vnde simpliciter de illo loquendum est vt de ente per accidens, quia in ipsis nominibus modus significandi est potior & immediatior, quàm res significata: vnde plùs ad illum attenditur, quia vt ait D. Th. 7. Metaph. lect. 11. *Nec modus significandi consequitur immediatè modum essendi rerum, sed mediante modo intelligendi*; Quia intellectus sunt similitudines rerum, voces autem intellectuum; abstracta autem quoad omnia sunt entia per se, vnde ipsa sola possunt propriè & rigorosè definiri: his enim tantùm tribuit intellectus intentiones generum & specierum, ex D. Thom. de ente & essentia cap. 7. & opusc. 42. cap. 19. Ratio est, quia definimus res vt nominibus significantur: vnde vt possit aliquid propriè definiri, non solùm requiritur, quòd in se sit ens per se, sed etiam quòd significetur per modum entis per se; quia tamen concreta non sunt omnino entia per accidens sicut aceruus lapidum; ideo solent quodammodo definiri: & sic vniuersale definitur ab Aristotele, & hæc quinque prædicabilia à Porphyrio, D. Th. & aliis: debet tamen esse idem iudicium de istis definitionibus, ac de eorum definitis in hoc quòd sicut definita quoad modum significandi non sunt entia per se, nec suscipiunt denominationem generis, speciei &c. nec directè ponuntur in prædicamentis, sed reducuntur ad sua abstracta; sic istæ definitiones non sunt simpliciter definitiones, non enim continent proprias & rigorosas leges definitionis, sed debent reduci ad definitiones abstractorum, quæ sunt propriæ definitiones, quas in se continent, & ad eas possunt reduci factâ transpositione terminorum: si terminus qui in vna definitione habebat locum generis, in alia habeat locum differentiæ, & econtra; nam qui definit simum, dicit, quod est (nasus curuus) simitas autem definitur, quòd sit (curuitas nasi), prima autem definitio est valde imperfecta, nec est essentialis; quia in definitione essentiali genus & differentia sunt in eodem prædicamento; quòd hic non contingit: nam nasus est substantia, curuitas verò qualitas: in secunda autem definitione, licèt ponatur nasus, ponitur

tamen in obliquo, vt detur intelligi subiectum non esse propriam differentiam simitatis; sed id vnde sumitur propria eius differentia, siue per ordinem ad quod constituitur in ratione simitatis; vnde talis differentia significata per subiectum in obliquo positum, est in eodem prædicamento cum suo genere scilicet curuitate: & ita concludendum est quòd sicut concretum & abstractum in re significata non differunt, sed tantùm in modo significandi; sic eorum definitiones in re definita omnino conueniunt, eamdemque rem explicant: differunt tamen tanquam perfectum & imperfectum in modo definiendi & explicandi talem rem: nam in abstracto genus & differentia sunt intra idem prædicamentum: in concreto verò quia habet modum entis per accidens, ideo traditur per terminos diuersorum prædicamentorum, sic enim explicatur natura accidentis, vt simul ostendatur id in quo exercetur definitio, seu effectus formalis accidentis, scilicet subiectum quod pertinet ad diuersum prædicamentum. Cùm autem, vt dictum est, istæ secundæ intentiones sint quædam accidentia rationis, de illis loquendum est proportionaliter ad accidentia realia, & definienda sunt siuè in concreto, siue in abstracto ad modum accidentium realium in concreto, vel in abstracto: sicut obseruauit Aristoteles 1. Periherm. definiens orationem, nomen, verbum & alias huiusmodi intentiones, vt refert D. Thom. ibidem lect. 4.

Probatur prima, & secunda pars Conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Philosophus 7. Metaph. textu 4. iuxta antiquam translationem sic habet: *Substantia omnium primum est, ratione, & notitiâ, & tempore: ratione; quia necesse est in vniuscuiusque ratione substantiæ rationem esse.* Supra quem locum D. Thom. lect. 1. sic ait: *Substantia est prima inter omnia entia secundùm definitionem, & secundùm cognitionem, & secundùm tempus.* Quòd sit prima secundùm definitionem, patet, quia in definitione cuiuslibet accidentis oportet ponere definitionem substantiæ: sicut enim in definitione simi ponitur nasus: ita in definitione cuiuslibet accidentis ponitur proprium eius subiectum. Cuius rationem ex eodem Aristotele reddit lect. 4. vbi sic ait: *Quia substantia quæ habet quidditatem absolutam, non dependet in sua quidditate ex alio, ita quod oporteat exteriorem essentiam in eius definitione poni:* Accidentia verò non habent esse nisi per hoc quod insunt subiecto; & ideo eorum quidditas est dependens à subiecto, & propter hoc oportet quòd subiectum in accidentis definitione ponatur; quandoque quidem in recto, quandoque verò in obliquo: in recto quidem, quando accidens significatur in concretione ad subiectum, vt cum dico, simus est nasus concauus. Item de sensu & sensato lect. 6. ait: *Est autem considerandum quòd semper oportet subiectum ponere in definitione accidentis, vt dicitur 7. Metaph. differenter tamen: nam si accidens definitur in abstracto, subiectum ponitur loco differentiæ; id autem quod pertinet ad genus accidentis ponitur loco generis: sicut cùm dicitur, simitas est curuitas nasi: cùm autem accidens definitur in concreto è conuerso subiectum ponitur loco generis, sicut cùm dicitur, simus est nasus curuus: quia ergo hic color definiendus est in abstracto, primò incipit inuestigare loco generis id quod est essentialiter ipse color.* Sed clariùs horum rationem affert 1. 2. q. 53. art. 2. ad 3. vbi hæc habet: *Quocumque modo significetur accidens, habet dependentiam ad subiectum secundùm suam rationem, aliter tamen & aliter:* Nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidente, & terminatur ad subiectum: nam albedo dicitur, quâ aliquid est album; & ideo in definitione accidentis abstracti non ponitur subiectum, quasi prima pars definitionis, quæ est genus; sed quasi secunda, quæ est differentia: dicimus enim, quòd simitas est curuitas nasi: sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens: dicitur enim album, quod habet albedinem: propter quod in definitione huiusmodi accidentis, ponitur subiectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis: dicimus enim, quòd simum est nasus curuus.

Secundam affert rationem huius veritatis. 7. Metaph. lect. 1. his verbis: *Nasus ponitur in definitione simo tanquam genus ad designandum, quòd accidentia non habent subsistentiam nisi ex subiecto;* Nam cùm genus in quacumque definitione significetur, vt per se stans, & omninò in quid; differentia verò vt quid illi adiacens, seu in quale quid: concretum autem ex modo significandi, qui principaliter attenditur in nominibus, supponat pro subiecto, quod substat formæ significatæ; ideo in definitione concreti debet poni subiectum vt per se stans, & substans formæ significatæ, & consequenter, vt genus, sic enim designatur, quòd accidentia non subsistunt, nisi ratione subiecti.

Tertiam affert D. Thom. rationem cap. vltimo de ente & essentia, vbi sic ait: *Sed è conuerso esset si eorum definitio sumeretur in concreto:* Sic enim subiectum poneretur sicut genus, quia tunc definirentur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur à materia: in hoc autem fundatur vis rationis, quòd concretum accidentium ex modo significandi censetur compositum ex subiecto & accidente, subiectum autem habet rationem materiæ: quia tamen, vt ait D. Thom. ibidem, propria principia, siue subiecta accidentium, non semper sunt manifesta; ideo quandoque sumuntur differentias accidentium ex eorum effectibus, sicut congregatiuum & disgregatiuum dicuntur differentiæ coloris, quia causantur ex abundatia, vel paucitate lucis, ex qua diuersæ species coloris causantur.

Probatur tertia pars Conclusionis. Ex dictis, subiectum debet necessariò poni in definitione accidentis: sed in definitione concreti non potest poni loco differentiæ, vt etiam constat ex dictis: ergo debet poni loco generis. Deinde ex opposito sequeretur eumdem esse modum significandi, & definiendi concretum & abstractum: & definitio concreti esset æquè perfecta, ac definitio abstracti; vnde æquè deberet collocari in prædicamento; quæ omnia repugnant doctrinæ D. Thom. Denique connotatiuum vt sic, prædicatur in quale: ergo in definitione non potest habere locum generis, quod omnino prædicatur in quid, & propterea Aristoteles quoties definiuit concreta accidentium, numquam posuit pro genere aliquod concretum superius, sed relatiuum (quod) exprimens naturam, vel subiectum; sicut quando definiuit vniuersum, vt dictum est supra, & 5. Metaph. diuersum, differens, simile, contrarium, quantum, terminum, totum, & 1. Topic. genus, proprium & accidens: ergo non sunt admittendi isti noui modi definiendi: sed seruandus antiquus traditus ab Aristotele, & approbatus à D. Thom. & ab aliis: & hæc vera sunt iuxta proprietatem, nam si tam concretum definitum, quàm aliud superius sumantur secundùm rem significatam; cùm significent idem omnino, ac abstractum: talis definitio æquiualebit definitioni abstracti; sed hoc est confundere omnia, & abuti terminis; quia in istis magis attenditur modus significandi, quàm res significata, maximè quia in definitione concreti debet seruari connotatio, quæ non intelligitur in definitione abstracti: connotatio autem non potest intelligi sine re connotata, sicut nec res connotans quatenus talis: res autem cõnotata est subiectum: ergo subiectum debet poni in tali definitione: hîc autem pro subiecto intelligimus non materiale, sed formale, quod est proprium vnicuique accidenti; quia actus per se, & potentia per se ita intrinsecè, & essentialiter sibi correspondent, vt in naturalibus sit impossibile dari aliquam potẽtiam, quæ per se non respiciat aliquem actum, per quem constituatur & definiatur; ac proinde dari actum, cui per se non respondeat aliqua potentia, per ordinem ad quam cognoscatur & definiatur: hoc autem subiectum formale & proprium est causa materialis emanatiua & receptiua eiusdem accidentis: vnde licèt ab eodem gradu generico, specifico & indiuiduali emanent plura accidentia: quia tamen talis emanatio fit quodam ordine & dependentiâ: ita vt primum tantùm emanet

immediatè

immediatè à substantia, respectu cuius ipsa est proprium subiectum, & secundum non emanet à sola substantia, sed ab ipsa simul cum primo accidente, inde est, quòd substantia cum primo accidente habet rationem principij adæquati; ac proinde proprij subiecti respectu secundi accidentis.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt subiectum non sit essentiale accidenti; tamen dependentia, & ordo accidentis ad proprium subiectum est illi essentialis, quia accidens est essentialiter entis ens, siue ens, in alio: vnde in definitione accidentis in abstracto, quæ est rigorosa, debet poni talis dependentia & ordo; quamuis non ipsa, sed ipsum subiectum loco eius exprimatur.

Ad secundum dicendum, quòd dependentia & ordo accidentium ad propria & formalia subiecta, est differentia essentialis illorum.

Ad tertium dicendum; quòd in definitione abstracti, cùm sit propriè definitio, seruantur rigorosè leges definitionis: & ideo in ea, cùm sit conuenientia cum rebus eiusdem generis, ponitur pro genere, id quod propriè est genus; & pro differentia, id quod propriè est differentia intra illud genus: sed in definitione concreti, cùm sit definitio tantùm secundùm quid & impropria: sufficit ponere, quæ secundùm quid & impropriè habent rationem generis & differentiæ: & ideo cùm fiat conuenientia cum rebus diuersi generis, in hoc tantùm quòd insunt eidem subiecto, ponitur pro genere ipsum subiectum, in quo conueniunt, & pro differentia id quod pertinet ad proprium genus vniuscuiusque: nec repugnat illud, quod in vna definitione est simpliciter differentia; in alia est secundùm quid genus; & econtra, respectu diuersarum rerum: nam solet contingere, quòd id, quod in vna diuisione est superius, & diuisum respectu aliquorum, in alia sit membrum diuidens respectu vnius illorum, vt album in diuisione accidentis in subiecta; est superius hominis & equi: in diuisione autem subiecti in accidentia, homo est quid superius respectu albi & nigri: licèt autem id, quod in istis diuisionibus habet rationem differentiæ, aliquando secundùm se, magis latè pateat, quàm diuisum: tamen vt est membrum diuidens, non extenditur vltra diuisum.

Articvlvs III.

Vtrùm definitum in definitione generis sit secunda intentio.

AD tertivm sic proceditur. Videtur, quòd in definitione generis definitum sit aggregatum ex natura, & secunda intentione: ita vt vtrumque ex æquo, & directè definiatur; natura quidem (vt quod) secunda verò intentio (vt quo) ita attribuitur Rubio. Probatur. Logica tractat de secundis intentionibus adiunctis primis: ergo aggregatum ex primis, & secundis intentionibus, est definitum, quod per hanc definitionem generis explicat Logicus.

§ 2. Præterea, Illud est definitum alicuius definitionis, quod conuertitur cum tali definitione: sed aggregatum ex natura, & secunda intentione conuertitur cum ista definitione; nam secundæ intentioni conuenit esse id, quo natura prædicatur de pluribus; naturæ verò, prout denominatur secundâ intentione, essentialiter conuenit esse id, quod prædicatur: ergo vtrumque directè & per se est definitum huius definitionis: natura (vt quod) intentio verò (vt quo) quòd si excludatur natura, non dabitur definitum (quod) huius definitionis, quod est contra Porphyrium, qui definit genus esse id, quod prædicatur.

§ 3. Econtra: Videtur, quòd natura vt connotat secundam intentionem sit definitum huius definitionis: ita vt principaliter & in recto definiatur natura: secunda verò intentio in obliquo & de connotato: ita tribuitur Toleto & aliis. Probatur, Aristoteles 1. Topic. cap. 4. & Porphyrius in hoc cap. post definitionem generis subiungunt exemplum, vt animal, quod significat naturam: ergo natura principaliter & in recto definitur.

§ 4. Præterea, illud definitur in recto in hac definitione, quod de pluribus prædicatur: sed natura ipsa, vt subiicitur secundæ intentioni, & ipsam connotat, est, quæ prædicatur de pluribus; ipsa verò secunda intentio non prædicatur: sed est solùm ratio, qua natura prædicetur: ergo definitum in definitione generis est natura. Confirmatur: concretum accidentale supponit pro subiecto; cum actiones & passiones non attribuantur formis, sed suppositis: ergo genus supponit pro natura, quæ est subiectum intentionis; ac proinde natura est definitum in definitione generis.

Sed contra est communis opinio Thomistarum; quam expressè docent Caietanus in hoc capite, & de ente & essentia cap. 9. Soto, Sanches, nostri Complutenses, noster Didacus, & alij in præsenti.

Conclvsio.

Cùm per definitionem generis explicetur natura secundæ intentionis generis, siue essentia genereitatis: ipsa est definitum huius definitionis.

Respondeo dicendum, quòd natura denominata, & affecta secundâ intentione generis, v. g. animal, secundùm suam entitatem realem non est definitum huius definitionis. 2. nec sola secunda intentio generis secundùm se, & vt præscindit à natura. 3. nec aggregatum ex natura, & secunda intentione. 4. nec natura ipsa vt substat secundæ intentioni. 5. sed est secunda intentio in concreto significata, siue vt connotat naturam: ita vt intentio ipsa sit res definita, natura verò connotetur ex modo definiendi. 6. licèt autem sola secunda intentio sit res definita in hac definitione & similibus: quia tamen ex modo significandi connotatur natura tanquam id, in quo exercetur definitio; ideò ipsi entitati secundæ intentionis secundùm se non conuenit definitio (vt quod) sed tantùm (vt quo) ex modo tamen, quo significatur in concreto, supponit pro natura cui (vt quod) conuenit definitio. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd in (genere) possunt quinque considerari. Primò, natura denominata generica secundùm suam entitatem realem. Secundò, secunda intentio generis, siue genereitas secundùm se. Tertiò, aggregatum ex vtroque, quod includat ex æquo tam naturam, quàm secundam intentionem. Quartò, ipsa natura vt connotat secundam intentionem, ita vt natura principaliter, & quasi in recto, secunda verò intentio tantùm in obliquo, & de connotato sumatur. Quintò, econtra ipsa secunda intentio, non secundùm se, sed vt connotat naturam; ita vt intentio principaliter & in recto sumatur, natura verò solùm in obliquo & de connotato.

Probatur prima pars Conclusionis. Definitio non conuenit definito accidentaliter, at essentialiter, si tradatur per partes essentiales: ad minus conuenit necessariò, si tradatur per aliquam proprietatem, vt traditur ista; ac proinde est intrinseca rei definitæ: sed assignata definitio generis conuenit tantùm accidentaliter naturæ denominatæ consideratæ secundùm suam entitatem realem: nam sicut conuenit eidem naturæ secundùm suam entitatem realem accidentaliter, & non essentialiter, aut ab intrinseco esse genus, & ita prædicari de pluribus specie differentibus, ambæ enim propositiones sunt in materia contingenti, & idem dicunt: quòd autem esse genus, aut prædicari de pluribus conueniat accidentaliter naturæ, v. g. animalis, secundùm suam entitatem realem; patet: nam si conueniret essentialiter animali prædicari de pluribus specie differentibus, aut necessariò: conuenisset etiam essentialiter, aut necessariò homini, & aliis speciebus animalis: nam quod est essentiale, aut proprium secundùm se superiori, eodem modo conuenit inferiori essentialiter sub illo contento: ergo definitum in definitione generis, non est natura denominata, & affecta secundâ intentione generis secundùm suam entitatem realem.

Probatur secunda pars Conclusionis. Secunda intentio secundùm se præcisè est abstractum, & significatur in

abſtracto: ſed forma ſignificata in abſtracto non poteſt eſſe definitum in definitione ſui concreti, quia nec concretum, nec eius definitio prædicantur de abſtracto ob diuerſum modum ſignificandi: ergo definitum huius definitionis non eſt ſola ſecunda intentio generis ſecundùm ſe,& vt præſcindit à natura. Confirmatur. Secundæ intentioni ſecundùm ſe non conuenit iſta definitio, quia non conuenit illi prædicari de pluribus ſpecie differentibus; cùm non ſit in illis, imò vt patet in hac definitione, importatur expreſsè ſubiectum, cui conuenit prædicari de pluribus ratione ſecundæ intentionis: ergo non ſola ſecunda intentio eſt definitum huius definitionis.

Probatur tertia pars Concluſionis ex D. Thom. de ente & eſſentia cap.7. Compoſitum ex accidente & ſubiecto non poteſt vnicâ definitione definiri, cùm ſit aggregatum ex rebus diuerſorum prædicamentorum; & ideo ens per accidens: ergo hoc aggregatum ex natura reali & ſecunda intentione, non eſt definitum huius definitionis.

Probatur quarta pars Concluſionis. Hæc definitio generis vtpote tradita per eius proprietatem conuenit neceſſariò rei definitæ: ergo natura ipſa vt ſubſtat ſecundæ intentioni non eſt res definita; nam iſta definitio conuenit omnino accidentaliter naturæ ſecundùm ſe, vt dictum eſt: iſta enim prædicatio eſt omnino accidentalis & contingens: licèt autem natura inquantùm ſubiicitur intentioni genereitatis, ſit genus, aut prædicetur de pluribus ſpecie differentibus, iſtæ tamen reduplicationes (inquantùm ſubiectum: inquantùm ſubiicitur) non reduplicant aliquid pertinens ad ipſam formam, ſed ad ipſum ſubiectum, ſcilicet ſubiectionem, capacitatem, ſeu potentiam paſſiuam ad recipiendam talem formam; quæ ſubiectio, capacitas, & potentia paſſiua ſemper manent extra eſſentiam formæ: ergo naturæ etiam reduplicatiuè inquantùm ſubſtat, & ſubiicitur ſecundæ intentioni omnino accidentaliter, & contingenter conuenit eſſe genus, & prædicari de pluribus ſpecie differentibus; ac proinde non eſt definitum huius definitionis: ex quo ſequitur iſtas reduplicationes, in quibus reduplicatur de aliquo ſubiecto ſubiectio, ſeu capacitas ad recipiendam formam, eſſe inutiles: nam ex vi prædicationis ſubiectum ſubiicitur prædicato, & recipit illud ratione capacitatis & potentiæ paſſiuæ, quam habet ad ipſum recipiendum: vnde dicendum quòd tantùm prædicationes accidentales fiunt eſſentiales, quando fit reduplicatio ſupra formam, vt quando dicitur (homo inquantùm albus eſt diſgregatiuus; animal inquantùm genus eſt vniuerſale) quia tunc prædicatum appellat ſupra ipſam formam; ac proinde ipſa erit definitum huius definitionis.

Pobatur quinta pars Concluſionis. Illud definitur in aliqua definitione, cuius natura per definitionem explicatur: nam definitio eſt oratio explicans naturam rei: ſed per hanc definitionem generis explicatur natura ſecundæ intentionis generis: non autem explicatur quid ſit natura illi ſubiecta: quamuis in definitione ipſa natura connotetur: eſſentia quippe ſecundæ intentionis generis in hoc eſt, vt det naturæ reali quam afficit prædicari de pluribus ſpecie differentibus; ac proinde ipſi intentioni per ſe, & ab intrinſeco conuenit prædicari (vt quo) de pluribus ſpecie differentibus, & hoc eſt, quod explicatur per hanc definitionem, vt ſtatim dicetur, & in concreto prædicatur (vt quod) ergo definitum huius definitionis eſt ſecunda intentio generis in concreto ſignificata, ſiue vt connotat naturam: ita vt intentio ipſa ſit res definita, natura verò connotetur ex modo definiendi: maximè quia iſtæ definitiones prædicabilium ſunt propriæ Logicæ: ergo in illis definitur id, quod per ſe pertinet ad Logicam, ſcilicet ſecunda intentio. Deinde iſtæ definitiones traduntur per ſubiectum loco generis: ergo definitum illatum eſt ſecunda intentio in concreto ſignificata, cùm ſit iſte modus definiendi concreta accidentium, vt articulo præcedenti dictum eſt.

Probatur ſexta pars Concluſionis, in qua diſſentit à nobis Caietanus, & Sanches. Res definiuntur ſecundùm quòd ſignificantur per nomina: ſed nomen concretum in accidentibus ſignificat ſolam formam, & tamen connotat ſubiectum, ſiue ſupponit pro illo, vt patet ex ſupradictis: ergo quando definitur accidens ſignificatum in concreto, ſola forma definitur; & tamen fit connotatio, & ſuppoſitio pro ſubiecto tanquam in quo exercetur talis definitio: vnde definitio, quæ totum hoc includit, ſolùm poteſt conuenire formæ (vt quo) ſiue tanquam rationi, quâ ſubiectum denominatur tale (vt quod.) Confirmatur. Id quod propriè eſt definitum in aliqua definitione, eſt res ſignificata per nomen definiti; quod verò inuoluitur ex modo ſignificandi non pertinet propriè ad definitum, ſed ad modum definiendi: ergo propriè loquendo ſola ſecunda intentio eſt res definita, & explicata in his definitionibus: licèt ex modo definiendi ſimul ſignificetur naturam eſſe id, cui (vt quod) conuenit definitio, & in quo exercetur effectus formalis ſecundæ intentionis, & conſequenter iſtæ definitiones non conueniunt ſecundæ intentioni ſecundùm ſe, niſi tantùm (vt quo)

Ad primum ergo dicendum, quòd Logica non tractat de ſecundis intentionibus, & de primis ex æquo: licèt enim agat de vtriſque; tamen agit de ſecundis formaliter, & per ſe: de primis verò materialiter, & quaſi per accidens.

Ad ſecundum dicendum, quòd ad hoc vt definitio conueniret per ſe, & eſſentialiter toti illi aggregato: neceſſe erat quòd ſicut ſecundæ intentioni ratione ſui conuenit eſſentialiter eſſe principium (quo) prædicandi, ſic ipſi naturæ ratione ſui, & non ratione ſecundæ intentionis conueniret eſſentialiter eſſe id, quod prædicatur: vt ſic ex vtraque componeretur integrum definitum; qui autem dicit conuenire naturæ formaliter, vt denominatur à ſecunda intentione prædicari (vt quod) totum refundit in ipſam intentionem, & conſequenter debet concedere illam ſolam eſſe definitum. Ad replicam dicendum, vt ſupra dictum eſt, quòd in omni perfecta definitione eſt definitum, cui (vt quod) conuenit definitio: quia ibi ſolùm explicatur natura definiti, & nihil aliud connotatur; & ideo eſt eadem res, quam ſignificat, & pro qua ſupponit nomen definiti: ſed quia definitiones concretorum accidentalium ſunt imperfectæ, ex eo quòd nomen concretum ſignificat vnum, & ſupponit pro alio: ideo in iſtis definitionibus præter rem definitam, fit ſuppoſitio pro re, in qua exercetur ipſa definitio, & propterea tota definitio non conuenit (vt quod) ſed tantùm (vt quo) ipſi rei, quæ definitur; & ſic explicatur eſſentia accidentium, quæ tantùm eſt eſſe principium (quo) ſuorum effectuum, & innuitur tales effectus exerceri in ſubiectis eorum, qui eſt proprius modus definiendi concreta accidentium quatenus concreta ſunt.

Ad Tertium dicendum, quòd Ariſt. & Porphirius adduxerunt pro exemplo naturas reales, vt oſtenderent, quòd in iſtis definitionibus ex modo definiendi fit ſuppoſitio pro ſubiecto, tanquam in quo exercetur definitio.

Ad quartum dicendum, quòd licèt natura prædicetur de pluribus; hoc tamen illi conuenit purè accidentariò, etiam vt ſubſtat ſecundæ intentioni; & ideo prout ſic etiam natura non poteſt eſſe definitum, ſed ſecunda intentio: etiamſi definitio non conueniat illi (vt quod) Ad confirmationem dicendum, quòd licèt hoc concretum ſupponat pro natura ex modo ſignificandi, ſola tamen forma eſt res ſignificata & definita; tamen exercetur definitio in natura.

ARTICVLVS IV.

Quid ponatur loco generis in definitione eius, & aliorum prædicabilium.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd in definitione generis & aliorum prædicabilium, quando

do definiuntur in concreto, non ponatur loco generis ipsum subiectum, vel natura: ita tenent multi, qui inter se discrepant in assignando quid intelligatur per ly relatiuum (quod) Aliqui enim vt Louanienses volunt intelligi vniuersale positum loco generis: ita vt similes definitiones debeant sic exponi; genus est vniuersale, quod prædicatur de pluribus specie differentibus: species est vniuersale quod prædicatur de pluribus solo numero differentibus. Alij vt Caietanus, & Toletus volunt loco generis intelligendum esse prædicabile contentum sub istis particulis (quod prædicatur) ita vt debeat sic exponi; genus est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid. Alij denique volunt quòd vtrumque scilicet vniuersale, & prædicabile possint habere locum generis. Probatur. D. Thom. in 1. d. 25. q. 1. art. 1. ad 2. docet ex Aristotele quòd definitio, & definitum sunt idem: sed secunda intentio, quæ est definitum huius definitionis, cùm sit ens rationis, non potest esse idem quòd subiectum, vel natura realis posita loco generis; si poneretur: ergo in definitione prædicabilium in concreto subiectum, vel natura non ponitur loco generis; sed debet poni aliquod concretum superius.

¶ 2. Præterea, Definitio essentialis, & quælibet eius pars prædicatur essentialiter de definito ex Aristotele 1. Poster. cap. 4. sed subiectum, vel natura denominata, in recto significata non prædicatur essentialiter de genere, & aliis prædicabilibus: alioquin ens reale prædicaretur essentialiter de entibus rationis: ergo subiectum, vel natura denominata non potest poni in recto, siue loco generis in istis definitionibus.

¶ 3. Præterea, Subiectum, siue natura, quæ denominatur à secunda intentione generis, & aliorum prædicabilium, non est quid vniuocum respectu omnium subiectorum, vel naturarum, quæ recipiunt tales intentiones: quia non solùm in prædicamentis, sed etiam in entibus rationis sunt genera, & species; constat autem, quòd enti reali, & enti rationis nihil est commune vniuocum: ergo subiectum, siue natura non potest poni in istis definitionibus in recto loco generis (quod debet esse vniuocum) sed aliquod concretum superius.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. expressa articulo præcedenti, hanc sequuntur nostri Complutenses, Masius & plurimi alij in præsenti.

Conclusio.

Cùm genus & alia prædicabilia in concreto sint quædam concreta accidentalia rationis; si sic definiantur: subiectum, siue natura denominata debet poni loco generis.

Respondeo dicendum, quòd quando genus, & alia prædicabilia definiuntur in concreto, subiectum, siue natura denominata ponitur loco generis, & significatur per ly relatiuum (quod) 2. quando autem secundæ intentiones prædicabilium definiuntur in abstracto, sicut genereitas, specieitas &c. debet poni loco generis vniuersalitas.

Probatur prima pars Conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. adducta articulo præcedenti. Item authoritate Porphyrij, qui sumpsit has definitiones ex Aristotele, qui, vt dictum est supra, docet in definitione concreti accidentalis poni subiectum loco generis. Deinde quia Porphyrius docet excludi indiuiduum ab hac definitione per particulas, quod prædicatur de pluribus, quod esset falsum, si vniuersale esset genus, nam per ly (vniuersale) potiùs excluderetur, imò esset impossibile, quòd excluderetur per illas particulas: nam propriè loquendo per differentiam definitionis definitum non excluditur nisi ab illis, cum quibus conuenit in genere, quod inconueniens cessat, si subiectum & natura ponantur loco generis.

Secundò. In definitionibus concretorum accidentalium tam realium, quàm rationis, subiectum ponitur loco generis, & non aliquod concretum superius, vt dictum est: sed genus, & alia prædicabilia sic significata sunt concreta accidentalia rationis, vt communiter fatentur Philosophi, & natura denominata est illorum subiectum: ergo quando sic definiuntur in concreto, natura ponitur loco generis, & significatur per ly relatiuum, quod.

Probatur secunda pars Conclusionis. Definitiones accidentium in abstracto sunt veræ & perfectæ; ac proinde debet poni in illis pro genere id, quod est verè genus definiti: sed vniuersalitas, vt dictum est, est verè genus ad has omnes intentiones: ergo quando secundæ intentiones prædicabilium definiuntur in abstracto, debet poni loco generis vniuersalitas.

Ex dictis possunt formari definitiones essentiales horum prædicabilium: nam habetur vniuersalitas, vt proprium genus: differentiæ autem essentiales sumuntur ex propriis, & adæquatis subiectis: vnde genereitas est vniuersalitas naturæ perfectibilis, seu constituibilis; specieitas est vniuersalitas naturæ perfectæ, & constitutæ; differentialitas est vniuersalitas naturæ perfectiuæ, & constitutiuæ; proprietareitas est vniuersalitas naturæ profluentis ab essentia; accidentalitas est vniuersalitas naturæ extrinsecæ, seu contingentis: in concreto autem sic essentialiter definiuntur, genus est natura perfectibilis vniuersalis, &c. nec est inconueniens, quòd id, quod est genus in abstracto in istis definitionibus, sit differentia in concreto, & contra: quia quando definiuntur in abstracto, est vera conuenientia inter istas intentiones in gradu superiori, quia sunt veræ species vniuersalis; & ideo illud ponitur genus: quando verò definiuntur in concreto, conuenientia est tantùm in subiecto, secundùm diuisionem eius in accidentia: & ideo subiectum, siue natura, in qua conueniunt, ponitur loco generis; vniuersale, in quo different, loco differentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd tantùm vera, & propria definitio, qualis non est accidentis in concreto: cùm ipsa sola explicet essentiam definiti: est idem cum illo; & ita intelligendus est D. Thom.

Ad secundum dicendum similiter, quòd Aristoteles intelligendus est de vera, & perfecta simpliciter definitione, & de partibus quæ propriè, & quoad rem significatam sunt partes: nam istæ constituunt essentiã definiti; & consequenter de illo prædicantur, quæ hic non reperiuntur: nam natura ponitur in recto in definitione concreti; non quia est vera pars rei significatæ; sed quia ex modo significandi concretum supponit pro natura.

Ad tertium dicendum, quòd quia in definitione concreti non ponitur vt genus id quod est verè genus definiti sed id pro quo concretum supponit: ideo non est necessarium, vt genus in definitione concreti supponat vniuersaliter distributiuè, sed potest supponere indeterminatè & vagè pro vna & altera natura, absque eo, quòd detur aliquis gradus, vel conceptus illis vniuocè communis: & ideo licèt sint diuersæ naturæ denominatæ istis intentionibus prædicabilium: tamen adhuc natura potest habere rationem generis in definitionibus eorum, & definitiones erunt bonæ; quia supponunt indeterminatè pro qualibet natura.

Articvlvs V.

Vtrùm natura generica prædicetur de speciebus, vt totum, vel vt pars?

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur quòd natura generica possit prædicari de speciebus, non solùm vt est totum, sed etiam vt est pars. Ita tenent Scotus q. 16. prædicabilium: Paulus Venetus cap. de specie; Sanches lib. 3. quæst. 6. & alij. Probatur authoritate Aristotelis, qui 1. Posterior. cap. 4. inter modos prædicandi per se numerat prædicationem, quã definitio, & partes eius prædicantur de definito: ergo genus & differentia, vt partes etiam prædicantur de specie.

¶ 2. Præterea, Partes Logicæ per hoc distinguuntur à Physicis, quòd Logicæ non sunt veræ partes, sicut Physicæ, quę distinguuntur à toto distinctione reali includentis & inclusi: vnde in eius definitione non ponuntur in recto, sed in obliquo; non enim dicitur (homo est materia

teria & forma : ſed homo eſt ex materia & forma) quæ omnia non competunt partibus Logicis ; non enim ſunt veræ partes, cùm ſignificent totum compoſitum , nec ſumuntur ab aliqua parte eſſentiæ , ſed à tota illa : & ideo in definitione non ponuntur in obliquo , ſed in recto : dicitur enim (homo eſt animal rationale , & non ex animali & rationali) ergo natura generica prædicatur de ſpeciebus , etiam vt eſt pars.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtot. 2. poſterior. cap.8.& 5. Metaph. D.Th.opuſc.48.tract. 1.cap.4.& de ente & eſſentia cap.3.vbi docet corpus,& animal non eſſe genus , nec prædicabilia ſecundùm quòd ſumuntur vt partes,ſed vt ſunt quædam tota ; quos ſequuntur Caietanus ibidem , Soto , Maſius , noſtri Complutenſes , & alij in præſenti.

CONCLVSIO.

Cùm natura generica vt pars non contineat etiam confusè, & in potentia quidquid eſt in ſpeciebus ; ſed vt ſic formaliter abſtrahat abſtractione, non vniuerſali , ſed formali , ratione cuius non eſt prædicatio : non prædicatur de ſuis ſpeciebus vt formaliter pars.

RESPONDEO dicendum, quòd natura generica , & idem dicendum proportionaliter de differentiali , non poteſt prædicari de ſpeciebus , vt eſt pars ſiue actualis , ſiue potentialis in compoſitione Logica illarum ; ſed quando de illis prædicatur, debet neceſſariò ſumi vt totum. 2. Et hoc,quia genus continet differentias non actu,ſed tantùm in potentia, eo modo , quo materia prima in genere cauſæ materialis continet omnes formas. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt hanc difficultatem proponi ab aliquibus ſub aliis verbis ; vtrùm ſcilicet natura generica ſit vniuerſalis , vt eſt totum quid potentiale confusè continens quidquid eſt in inferioribus antequam intelligatur limitari & contrahi per ſuas differentias ad aliquam ſpeciem, vel vt eſt pars condiſtincta à differentia per rationem , actu cum ipſa componens ipſam ſpeciem : nos illam agimus ſub titulo prædicabilis : quia cùm prædicabilitas ſit proprietas vniuerſalis, eſt notior illo : quodlibet autem genus , ſolo genere generaliſſimo excepto , ita eſt genus , vt etiam ſit ſpecies ſubalterna ; quia ſi comparetur ad ſuperiora, habet rationem ſubiicibilis ; ac proinde eſt ſpecies : ſi ad inferiora , habet rationem vniuerſalis, ac prædicabilis,& eſt genus, & ſolùm vt reſpicit ſuperiora eſt totum actuale , compoſitum ex genere ſuperiori , & propria differentia , quæ actu includit, non minus ac ſpecies infima includit proprium genus , & vltimam differentiam ex quibus actu componitur : per ordinem verò ad inferiora , non eſt totum actuale , ſed ſolùm eſt totum potentiale , & ideo genus non prædicatur de ſpeciebus vt totum actuale ; cùm actu non ſit tota eſſentia earum , ſed hoc proprium eſt ſpeciei infimæ reſpectu indiuiduorum , vnde de illis prædicatur vt totum actuale , conſtat autem , quòd illud , quod eſt vera pars reſpectu alicuius , non poteſt de illo prædicari in recto ; ac proinde , vt aliquid prædicetur de aliquo , debet habere rationem totius reſpectu illius , vt expreſsè docet D. Thom. de ente & eſſentia , cap. 3. his verbis : ſi animal non eſſet totum , quod eſt homo, ſed pars eius, non prædicaretur de eo, cùm nulla pars integralis prædicetur de ſuo toto. Idem aſſerit Ariſtoteles 7. Metaph. & patet: nam eadem res vt ſignificatur per modum totius , prædicatur verè de homine ; dicimus enim (homo eſt materialis) vt ſignificatur verò per modum partis, non prædicatur : non enim dicimus (homo eſt materia) de proprio & accidenti, res eſt manifeſta , quando prædicantur prædicatione quarti & quinti prædicabilis , non enim prædicantur niſi in concreto : concretum autem ſignificatur per modum totius : de genere autem , de differentia , & etiam de ſpecie , eſt particularis difficultas ; quia poſſunt conſiderari vel vt totum , vel vt pars Logica : quidquid igitur hîc concludetur de genere,debet proportionaliter dici de differentia & de ſpecie , quæ etiam habet rationem partis ; nam cum differentia numerica conſtituit indiuiduum.

Item ſciendum eſt,quòd compoſitio, quæ fit ex materia & forma , dicitur Phyſica,ſiue naturalis : nam partes componentes ſunt partes Phyſicæ & naturales , ipſúmque compoſitum continetur ſub obiecto Phyſicæ vel Philoſophiæ naturalis,quod eſt ens mobile : & ideo tam ipſa compoſitio,quàm partes componentes pertinent ad Phyſicam : præter hanc datur alia compoſitio,quæ fit ex diuerſis gradibus eiuſdem eſſentiæ , quorum vnus ſumitur vt materia & potentia , & eſt quid commune ; alter verò vt forma, & actus, & eſt quid proprium:primus dicitur genus ,ſecundus differentia (ſumptis genere & differentiâ materialiter , ſcilicet pro ipſis gradibus , qui habent tales denominationes) hæc compoſitio dicitur Metaphyſica, & partes componentes partes Metaphyſicæ ; fortè propter tranſcendentiam obiecti Metaphyſicæ,ſicut ſupra dictum eſt de vniuerſali Metaphyſico: licèt meliùs & cum maiori proprietate , ipſa compoſitio ex genere & differentia , debeat dici Logica , & partes componentes Logicæ,ſic enim appellat illas ex Ariſtotele,D.Th.3.part. quæſt.90.art.2. Ita enim meliùs diſtinguitur iſta compoſitio à compoſitione quæ fit ex eſſentia , ſubſiſtentia & exiſtentia,quæ propriè dicitur & eſt Metaphyſica.& hoc maximè quia, licèt iſti gradus ſecundùm ſuam entitatem realem , non pertineant ad obiectum Logicæ : tamen formaliter ad illud pertinent ſecundùm intentiones quibus denominantur , & ſecundùm totum diſtinctionem & compoſitionem , quæ fit ab intellectu , & eſt rationis: in hac autem compoſitione Logica , quæ non eſt realis : partes eius , ſcilicet iſti gradus , non diſtinguuntur realiter formaliter , vt ait Scotus ; ſed ſolùm per intellectum , vt communiter tenent Thomiſtæ , ac plures alij cum D. Thom. multis ſuæ doctrinæ locis , quæſt. 27. de veritate, art. 1. ad 8. ſic ait : *Ad hoc quòd aliquid ſit in prædicamento aliquo accidentis , non requiritur , quòd ſit compoſitum compoſitione reali , ſed ſolummodo compoſitione rationis ex genere , & differentia.* Item cap. 3. de ente & eſſentia ait de hac compoſitione , quòd non eſt ſicut ex duabus rebus tertia res , ſed ſicut ex duobus intellectibus tertius intellectus : & ratio eſt manifeſta ; quia ſi animal & rationale diſtinguerentur realiter in homine , eſſent verè & realiter partes eius ; ac proinde non poſſent prædicari de illo , quia nulla pars verè prædicatur de ſuo toto, & tamen conſtat , quòd prædicantur de homine. Item ſi diſtinguerentur realiter , ſicut alia & alia natura,& non tantùm vt determinatum & indeterminatum, ſequeretur, quòd in eodem compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales, vt colligit D. Thom. 1. part.quæſt. 50. art.4. ad 2. quòd tamen eſt impoſſibile , vt idem D. Th. probat.1.part, quæſt. 76. art.3. & infrà probabitur. Item ſi gradus genericus diſtingueretur realiter à differentia , diceret potentiam realem ad illam recipiendam , ſicut materia prima ad formam : & conſequenter ſicut materia prima ob illam potentiam realem paſſiuam , quam habet ad recipiendas formas oppoſitas , poteſt de vna in alteram tranſire ; ſic animal cùm reſpiciat plures & oppoſitas differentias, poſſet de vna in alteram tranſire. Ex dictis ſequitur genus & differentiam , vt animal & rationale , ſignificare eandem rem à parte rei , ſcilicet eſſentiam hominis , quæ à parte rei eſt vna entitas realis compoſita ex materia & forma : vnde animal non importat ſolùm materiam,nec rationale ſolam formam,ſed vtrumque nomen ſignificat totum compoſitum : in quolibet autem compoſito ſubſtantiali non ſunt plures formæ ; ſed ſicut eſt vnica materia prima, ſic & vnica forma ſubſtantialis, ex quarum coniunctione reſultat compoſitum, v.g. homo:materia quidem eſt potentia ſimpliciter, forma verò actus ſimpliciter ; huius proprium eſt dare eſſe, & conſtituere in ſpecie : illius verò recipere tale eſſe , & conſtitui. Forma iuxta maiorem vel minorem perfectionem vnica & eadem exiſtens plures vel pauciores perfectiones tribuit materiæ ; ſicut ſunt omnes perfectiones graduum eſſentialium ; quæ tamen à parte rei non ſunt diſtinctæ ; ſed ex diuerſis operationibus animæ illas colligimus , ratione diſtinguimus & aſſerimus animam illas

omnes

omnes continere vel formaliter vel virtualiter & eminenter: vnde dicimus, quòd anima rationalis vnita materiæ dat illi, non ſolùm eſſe hominem, ſed etiam dat eſſe animal, viuens, corpus, ſubſtantiam, ens, & ſi qui ſint alij gradus medij: quia conſtituit eſſentiam, à qua oriuntur non ſolùm operationes intellectus, ſed etiam ſenſus, nutritionis &c. Intellectus igitur noſter videns quaſdam ex his operationibus ſoli homini conuenire, vt intelligere, velle; quaſdam illi & aliis animalibus eſſe communes, vt ſentire & moueri; quaſdam etiam ipſi & plantis ineſſe, vt augeri & notrire &c. diſtinguit diuerſos grados in homine alios aliis ſuperiores & apprehendit gradum inferiorem ſuperaddere aliquam perfectionem gradui ſuperiori, qui omnes & ſinguli grados dicunt totam eſſenoam hominis, ſcilicet compoſitum ex materia & forma: ſed diuerſo modo, nam quia intellectus poteſt diſtinguere in tali forma radicem vnius perfectinnis à radice alterius, v. g. quantitatis; conſequenter vno nomine ſignificat compoſitum, ſcilicet materiam cum forma, dans ſolam illam perfectionem ſuperiorem & ſic nominat corpus: inquantum verò eſt radix vlterioris perfectionis; ſcilicet operationum vitalium, nominat viuens: inquantùm verò eſt principium ſentiendi, nominat animal, inquantùm verò priocipium intelligendi & volendi, vocat hominem: & quia iſtæ perfectiones inferiores habent rationem actus reſpectu graduum ſuperiorum, & contrahunt illos; ſignificantur nominibus adiectiuis rationalis, ſenſibilis &c. vnde ex gradu ſuperiori corporis, & perfectione ſuperaddita ſignificata adiectiuè, animatum conſtituitur, ſiue viuens, & ſic de aliis. Quilibet autem graduum ſuperiorum ſimul eſt totum reſpectu gradus inferioris, cùm illum contineat, & ſimul eſt pars eius; cùm includatur in eo propter rationem, quam aſſignat D. Thom. cap. 3. de ente & eſſentia, ex quo doctrina hactenus tradita deſumpta eſt: nam cùm corpus ſignificet compoſitum ex materia & forma ſecundùm illam perfectionem, quâ profluit ab illo quantitas (quæ perfectio ex ſe, nec includit vlteriorem perfectionem, nec illam excludit) inde eſt, quòd corpus poſſit concipi, vel cum præciſione vlterioris perfectionis excludendo per intellectum aliam qoamcumque perfectionem, quæ non ſit de conceptu corporis (quomodo eſt pars materialis hominis, quæ non continet omnem perfectionem, quæ eſt in homine, ſed potius excludit, & diſtinguitur à perfectione viuendi, aut ſentiendi) vel poteſt concipi corpus, vt dicit perfectionem, ſeu formam à qua profluit quantitas, quæcumque ſit talis forma; ſiue tribuat hanc ſolam perfectionem, ſiue alias vlteriores addat: & hoc modo corpus non præſcindit, nec excludit tales vlteriores perfectiones, ſed potiùs confuſè, & in potentia continet illas, & tunc eſt totum reſpectu hominis, quia aliquo modo continet quidquid eſt in homine; primò autem modo eſt pars: ſimiliter animal ſi dicat præciſum gradum ſentiendi, & excludat perfectionem ratiocinandi, eſt pars homiois, ſi autem dicat perfectionem, ſeu formam ſentiendi, quæcumqoe ſit talis forma, ſiue ſeoſitioa tantùm, ſiue etiam intellectiua; ſic continet io confuſo omnem perfectionem hominis, & aliorum animalium; vnde eſt totum reſpectu illorum. Similiter poſſunt ſumi differentiæ, vt ſenſibile, prout excludunt & præſcindunt à perfectione gradus ſuperioris, & exclodunt quamcumque vlteriorem perfectionem; & tunc ſunt pars: ſi verò ſumantur, vt includunt confuſè quidquid eſt in illis; tunc habent rationem totius: comparantur autem vt quid perfectiuum & actuatiuum; genus verò vt quid perfectibile & actuabile: faciunt autem genus & differentia hanc compoſitionem Logicam, non ſecundùm quòd habent rationem totius, ſed tantùm vt habent rationem partis.

Probatur prima pars concluſionis. Vt aliquid prædicetur de alio, debet ſaltem confuſè & in potentia continere quidquid eſt in illo: nam prædicatio non ſolùm importat vnionem ſed identitatem prædicati cum ſubiecto, ad quam ſi prædicatio ſit formalis, & noo identica, requiritur, quòd prædicatum confuſè, & in potentia ſit totum id, quod actu includit ſubiectum, & quod ſubiectum ſit actu; & diſtinctè totum id, quod actu includit prædicatum: ſed gradus genericus, & differentialis licèt ſignificent totum compoſitum ex materia & forma, tamen ſi ſumantur formaliter vt partes, non ſignificant illud ſecundùm omnes perfectiones, quas habet: at cum mutua præciſione, & excluſione aliarum: ergo gradus genericus & differentialis non poſſunt prædicari de ſpeciebus vt ſunt formaliter partes, ſiue actuales, ſiue potentiales io compoſitione Logica, ſed quando de illis prædicantur, debent neceſſariò ſumi vt totum. Confirmatur; ideo partes Phyſicæ non prædicantur in recto de ſuo toto, quia non continent quidquid eſt in toto: ſed hoc habet quælibet pars vt ſic, ſiue actualis, ſiue potentialis; quòd non contioeat quidquid eſt in toto, aliàs non eſſet pars, at totum: ergo nulla pars vt pars prædicatur in recto de ſuo toto; ac proinde, nec natura generica vt pars formaliter, prædicatur de ſuis ſpeciebus.

Probatur ſecunda pars Conclofionis authoritate Ariſtotelis 2. Poſteriorum, cap. 8. vbi ſic ait: *Supponatur tale eſſe genus, vt ſit ſecundùm potentiam in plus:* vbi D. Th. lect. 13. idem docet, ſicut & opuſc. 42. cap. 9. & 10. Item Porphyrius cap. de differentia. Deinde certum eſt, quòd genus, vt pars eſt ſpeciei, continet tantùm in potentia, & non actu alteram partem, ſcilicet differentiam: nam vt ſic ſe excludunt actu. Quod etiam, vt eſt totum, probatur. Genus vt totum abſtrahitur abſtractione vnioerſali, & ſeparatur à differentiis, vt patet: ergo non poteſt illas actu includere. Denique cùm differeotiæ diuiſiuæ generis ſint oppoſitæ; ſi genus illas actu includeret, non haberet vnum conceptum, aut ſignificatum diſtinctom ab ſpeciebus: ſed immediatè ſignificaret illas, & eſſet conſequenter analogum (non autem obeſt confuſa & indiſtincta incluſio): ergo genus non continet differentias actu.

Genus oon prædicatur formaliter de differentiis prædicatiooe propriâ alicuius prædicabilis: licèt verè de illis prædicetur, vnde iſta eſt vera (rationale eſt animal) quia prædicatum aliquo modo continet ſubiectum: ſed non eſt formalis; ſiqoidem in illa ſobiectum non includit rationem prædicati; nam differentia excludit genus, quia ſemper reſpectu eios habet rationem partis.

Ao primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles vult definitionem, & eius partes prædicari de definito; ſed non vt partes; id eſt, partes materialiter, & non formaliter conſideratas: ibi enim dicit, quòd tales prædicationes ſint in primo modo dicendi per ſe, qoia ſunt eſſentiales, quod æquè verum eſt, ſiue prædicentur vt partes, ſioe vt tota.

Ao ſecundum dicendum, quòd verum eſt iſtas partes, non ita eſſe partes; vt non poſſint habere rationem totius; quia proximè non ſumuntur à ſingulis partibus Phyſicis, nec ſignificant ſolam materiam, aut formam: tamen quamdiu ſumuntur vt partes, noo ſignificant totum compoſitum etiam confuſè ſecundùm omnes ſuas perfectiones; & ideo vt ſic non poſſunt prædicari de illo: io hoc tamen differunt, quòd partes Phyſicæ ſunt eſſentialiter partes, quia ſecundùm ſe vna taliter non eſt alia: & ideo non poſſunt habere rationem totius; vnde nunquam prædicantur de toto in recto, cuius contrarium accidit in partibus Logicis: nam quia accidit illis, vt vna accipiatur cum præciſione alterius, poſſunt ſine tali præciſione conſiderari, vt vna continet alteram confuſè, & ſic habere rationem totius, & prædicari de toto.

Articvlvs VI.

Vtrùm genus ſumatur à materia, & differentia à forma?

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd genus non ſumatur à materia, & differentia à forma. Ita tenet Vaſques 1. part. diſp. 179. cap. 1. Probatur. Multa ſunt, quæ non conſtant ex materia & forma, vt ſunt ſubſtantiæ immateriales & accidentia: & tamen conſtant genere & differentia;

differentia : ergo in illis genus non ſumitur à materia & differentia à forma : & ita falſum eſt vniuerſaliter loquendo hoc axioma.

¶ 2. Præterea, In Angelis genus ſumitur ab eſſentia & differentia ab exiſtentia : ſed exiſtentia, cùm ſit extra eſſentiam, non eſt forma, de qua intelligitur in hoc axiomate, quæ eſt conſtitutiua eſſentiæ; nec eſſentia, cùm ſit totum, eſt ſola materia : ergo vniuerſaliter genus non ſumitur à materia, & differentia à forma.

¶ 3. Præterea, Si verum eſſet vniuerſaliter hoc axioma, quòd genus ſumitur à materia, & differentia à forma : ſequeretur id, quod aſſerit Durandus in 2. d. 3. quæſt. 1. ſcilicet quòd non eſſet conuenientia generica inter illa, quæ non habent materiam communem : ſed hoc eſt planè falſum, & contra communem ſenſum Philoſophorum, qui dicunt Angelos immateriales &c. conuenire in genere cum materialibus : ergo vniuerſaliter loquendo genus non ſumitur à materia, & differentia à forma.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis & D.Thom. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, Caietanus cap. 6. de ente & eſſentia, Ferat. 2. contra gentes cap. 95. noſtri Complutenſes, Maſius & communiter alij Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm materia prima ſit prima potentia, & forma primus actus : gradus genericus, qui eſt potentialis, deſumitur à materia; & gradus differentialis, qui eſt actualis, deſumitur à forma; primum enim in vnoquoque genere, eſt cauſa cæterorum illius generis.

Respondeo dicendum, quòd vniuerſaliter loquendo genus ſumitur à materia, & differentia à forma : ita vt in ſubſtantiis materialibus materia prima ſit radix generis, & forma ſubſtantialis radix differentiæ. 2. In ſubſtantiis verò immaterialibus, quamuis tota earum eſſentia ſit fundamentum non tantùm proximum, ſed etiam radicale; vnde ſumantur genus & differentia, ac ita vtrumque fundetur ſuper eamdem ſimplicem eſſentiam : tamen ſecundùm quòd conſideratur vt determinabilis & perfectibilis (quæ vt ſic habet rationem materiæ) eſt radix gradus generici; ſecundùm verò quòd conſideratur vt determinata & perfecta (& ſic habet rationem formæ) eſt radix gradus differentialis. 3. Quòd proportionaliter dicendum eſt de accidentibus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt nullam ſubſtàntiam poſſe propriè definiri, recipere intentiones generis, differentiæ & ſpeciei, aut poni in prædicamento; quæ in ſe non ſit aliquo modo compoſita, aut ex materia & forma, aut ex eſſentia & exiſtentia : vnde ſolus Deus, cùm ſit omninò ſimplex, nullam admittens compoſitionem, ab his omnibus excluditur : quod declarat D. Thom. cap. 6. de ente & eſſentia, vbi ſic ait : *Triplex inuenitur modus habendi eſſentiam in ſubſtantiis : aliquid enim eſt, ſicut Deus, cuius eſſentia eſt ipſum ſuum eſſe; & ideo inueniuntur aliqui Philoſophi dicentes, quòd Deus non habet eſſentiam, quia eſſentia eius non eſt aliud, quàm eſſe ipſius : & ex hoc ſequitur, quòd ipſe non ſit in genere; quia omne quod eſt in genere, oportet quòd habeat quidditatem præter eſſe ſuum : in Deo autem proprium eſt, quòd exiſtentia eius ſit ſua eſſentia, ita vt iſta propoſitio (Deus [illegible]) ſit quidditatina, & in primo modo dicendi per ſe, quod nulli alteri conuenit :* In doctrina autem D. Thom. ideo exiſtentia in creatis eſt extra conceptum quidditatiuum eſſentiæ, quia realiter diſtinguitur ab illa; & ideo ex identitate reali inter eſſentiam & exiſtentiam in Deo, infert Deum non contineri in prædicamento, nec componi ex genere & differentia, nec vllum eſſe in Deo fundamentum formandi talęs conceptus; & econtra realis compoſitio ex eſſentia & exiſtentia, eſt primum requiſitum, vt creaturæ collocentur in prædicamento, & vt in eis ſit fundamentum compoſitionis ex genere & differentia : præſens autem difficultas poteſt intelligi, vel de fundamento proximo, à quo ſumuntur iſti gradus genericus & differentialis; vel de remoto : ſi de proximo, conſtat ex articulo præcedenti totam eſſentiam eſſe fundamentum horum graduum, ſiue in Angelis, ſiue in corporibus, ſiue in accidentibus : quia nomina ſignificantia tales gradus in quacumque eſſentia, ſignificant totam illam, & non aliquam eius partem; licet non eodem modo, & ſecundùm omnem perfectionem, & hoc tam in Angelis, quàm in ſubſtantiis materialibus & accidentibus : vnde in hoc conueniunt omnino, ſcilicet in fundamento proximo, à quo deſumuntur hi gradus : & quia tota eſſentia ſecundùm perfectionem communem, habet rationem materiæ reſpectu ſui, ſecundùm perfectionem propriam; ideo in hoc ſenſu poteſt dici, quòd genus ſumatur ab illo, quod eſt materiale in re : differentia autem ab illo, quod eſt formale, vt ſæpe loquitur D.Th. & hoc fundamentum poteſt dici materiale & formale ſecundùm quamdam analogiam ad propriam materiam & formam; vnde difficultas propriè eſt de fundamento remoto.

Probatur prima pars Concluſionis authoritate D. Th. 1. part. quæſt. 50. art. 2. ad 1. vbi ſic ait : *In rebus materialibus aliud eſt, quod determinat ad ſpecialem gradum, ſcilicet forma; & aliud, quod determinatur, ſcilicet materia; vnde ab alio ſumitur genus, & ab alio differentia* : Sed in rebus immaterialibus non eſt aliud determinans & determinatum; ſed vnaquæque earum ſecundùm ſeipſam tenet determinatum gradum in entibus; & ideo genus & differentia in eis non accipitur ſecundùm aliud & aliud : ſed ſecundùm vnum & idem. Docet idem 7. Metaph. textu 33. vbi poſt multa ad hoc intentum, tandem ſic concludit; & inde eſt quòd genus ſumitur à materia, differentia à forma : ſpecies autem à forma & materia ſimul. Idem reperit 8. Metaph. textu 9. præcipuè lect. 3.

Secundò. Gradus genericus ex ſe eſt quid potentiale & perfectibile : differentialis autem eſt quid actuale & perfectiuum : ergo licèt fundamentum proximum horum graduum, ſit tota eſſentia ſecundùm quòd conſideratur vt perfectibilis & perfectiua : tamen primæ radices à quibus ſumuntur tales gradus, ſunt illæ res, à quibus primò oritur dicta potentialitas & actualitas : ſed intra latitudinem ſubſtantiarum materialium, omnis potentialitas oritur primò à materia prima, & omnis actualitas primò oritur à forma : nam intra latitudinem ſubſtantiarum materialium materia prima eſt prima potentia, & forma ſubſtantialis primus actus; primum autem in vnoquoque genere, eſt cauſa eorum, quæ ſunt poſt in illo genere, vt dicitur 2. Metaph. textu 4. ergo in genere ſubſtantiarum materialium, omnis potentialitas oritur à materia prima, & omnis actualitas à forma, & conſequenter ab illis tanquam à primis radicibus gradus genericus & differentialis : non ita tamen quòd materia prima ſola (ſi ab ea præſcindatur omnis forma) ſit integra radix gradus generici; quamuis hoc conueniat ſoli formæ reſpectu gradus differentialis : ita D.Thom. de ſpiritualibus creaturis, art. 1. ad 24. vbi ſic ait : *In rebus compoſitis ex materia & forma, genus ſumitur à materia, & differentia à forma; ita tamen quòd per materiam, non intelligatur materia prima, ſed ſecundùm quòd per formam recipit quoddam eſſe imperfectum & materiale reſpectu eſſe ſpecifici, ſicut eſſe animalis eſt imperfectum & materiale reſpectu hominis :* Ratio huius dicti D. Thom. eſt, quia gradus generici (qui deſumuntur à materia) non ſolùm dicunt potentialitatem, quæ à ſola materia prima, tanquam à prima radice oritur, ſed etiam includunt aliquod eſſe actuale, per quod in tali gradu conſtituuntur : ſed huius actualitatis, vt patet, non poteſt eſſe radix materia prima per ſe ſolam; cùm ſit pura potentia, ſed ad tale eſſe actuale neceſſariò requiritur forma : & ſic niſi intelligatur in materia prima aliquod eſſe imperfectum proueniens à forma, non eſt integra radix gradus generici : vnde rationale in homine integrè ſumitur ab anima; nam ipſa eſt prima radix, à qua recipit materia omnes perfectiones, tam ſuperiores, quàm inferiores : animal autem ſumitur à materia inquantùm recipit gradum ſenſitiuum : & ita gradus generici ſunt compoſiti ex gradu ſuperiori; & primo conſtitutiuo : differentiæ autem ſunt conceptus ſimplices nullam includentes compoſitionem; &

conſequenter

conſequenter gradus genericus connotat & materiam & formam, vt quid intrinſecum tali gradui, quod eſt integra radix illius: differentia verò ſi connotat materiam, hoc eſt extrinſecè & illatiuè, eo modo, quo ex differentia colligitur genus, & prædicatur de illo.

Probatur ſecunda pars Concluſionis authoritate D.Thom. 1. part. quæſt. 50. art. 2. ad 1. iam in hoc articulo citatâ. Deinde ratione D.Th. opuſc. 42. cap. 5. In Angelis nulla reperitur compoſitio ſubſtantialis Phyſica, at ſola Metaphyſica ex eſſentia & exiſtentia: ſed hæc non poteſt eſſe radix compoſitionis Logicæ ex genere & differentia, quam in illis format intellectus, vt ibidem dicit D. Thom. quia eſſentia eſt aliud ab eſſe Angeli: conſtat autem quòd illud, vnde ſumitur genus aut differentia, non eſt aliud ab eſſentia rei conſtitutæ per differentiam; cùm ſint gradus eſſentiales exprimentes ipſam rei eſſentiam: ergo vtrumque fundatur ſuper vnum ſimplex & indiuiſibile, ſcilicet ſupra ipſam eſſentiam Angeli, quæ eſt entitas ſimplex, & forma ſeparata, & non immerſa materiæ; & ſic in illis tota eſſentia eſt fundamentum, non ſolùm proximum, ſed etiam radicale generis & differentiæ modo ſupra explicato.

Probatur, & explicatur tertia pars Concluſionis. *Genus & differentia in accidentibus non ſumitur radicaliter à materia & forma: ſed primum genus ſumitur ex proprio modo eſſendi, quo quodlibet prædicamentum accidentium conſtituitur in eſſe talis entis: differentia verò à diuerſitate principiorum, à quibus cauſantur.* Ita de verbo ad verbum D. Thom. ad finem de ente & eſſentia, Caietanus ibidem, & alij. Ratio eſt, quia eſſentia accidentis non componitur ex materia & forma, nec alia compoſitione reali actus & potentiæ; ergo in illo non eſt alia radix generis, alia differentiæ; ſed vtrumque fundatur ſuper eamdem ſimplicem entitatem accidentis, vt dictum eſt de ſubſtantiis immaterialibus: ita vt tota eadem eſſentia, vt indeterminata & perfectibilis fundet gradum genericum, eadem verò vt determinata & perfecta fundet gradum differentialem; in hoc autem differunt, quòd ſubſtantiæ immateriales, cùm ſint entia ſimpliciter, habent in ſe completam definitionem: vnde integra eorum differentia ſumitur à propria eſſentia, & non ab aliquo extrinſeco: accidentia autem, cùm non ſint ſimpliciter entia, ſed entium entia, ideo non habent completam definitionem in ſeipſis: ſed in eorum definitione ingreditur ſubiectum; & ideo ſola eorum eſſentia, non eſt integra radix vnde ſumatur eorum differentia, ſed completur in eſſe radicis per extrinſecum ſubiectum, ſeu principium proprium talis accidentis, & ſic differentia in accidentibus, radicaliter ſumitur ex propriis principiis, à quibus cauſantur, ſiue quod idem eſt, à propriis ſubiectis: nam vt dicit D.Thom. 3. contra gentes, cap. 7. omne quod eſt de genere accidentis, oportet quòd ex principiis alicuius ſubſtantiæ cauſetur, inter accidentia autem iſtud eſt diſcrimen, vt notat D. Thom. de ente & eſſentia, cap. 7. his verbis: *Quòd aliquando accidentia ex principiis eſſentialibus cauſantur ſecundùm actum perfectum, ſicut calor in igne, qui ſemper actu eſt calidus: aliquando verò ſecundùm aptitudinem tantùm, ſed complementum accipiunt ex agente exteriori, ſicut diaphaneitas in aëre, quæ completur per corpus lucidum exterius: & ſic in accidentibus primi generis differentia, etiam ſecundùm actum perfectum, deſumitur ex propriis principiis; in aliis ſecundi generis, cùm illud complementum ſit extrinſecum, & ſola aptitudo ſit eſſentialis: ſolùm poteſt ſumi ex propriis principiis differentia illius aptitudinis, non verò talis extrinſeci complementi.*

Quomodo autem primum genus ſumatur ex proprio modo conſtitutiuo cuiuſlibet prædicamenti accidentium, dicetur, cùm de illis tractabitur: ſufficit pro nunc dicere, quòd cùm ens tranſcendat omnium vltimas differentias: ideo prædicamenta iſta ex communi ratione accidentis, non habent ſufficientem potentialitatem & præciſionem, vt ab eis ſumatur aliquod genus omnibus commune: & ſic prima potentialitas, & radix generis in quolibet prædicamento, prouenit ex proprio modo conſtitutiuo talis prædicamenti.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc axioma (genus ſumitur à materia & differentia à forma) non verificatur in toto rigore, niſi in rebus materialibus, & ſecundùm quid tantùm in ſubſtantiis immaterialibus & accidentibus, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd D. Thom. ex profeſſo opuſc. 42. cap. 4. refert, & impugnat hunc dicendi modum, quòd ſcilicet in Angelis genus ſumatur ab eſſentia & differentia ab exiſtentia: ait enim: *Cùm autem omne, quod eſt in genere, vt completum exiſtens, componatur ex genere & differentia; genus autem ſumatur ab eo, quod eſt in potentia, differentia verò à forma, ſiue actu; in ſubſtantiis verò ſeparatis eſſentia eſt vt potentia, eſſe verò vt actus: ſequi quibuſdam videtur, genus eius ſumi ab eſſentia, differentia verò ab eſſe: ſed hoc nihil eſt: quia eſſentia eſt aliud ab eſſe Angeli; ſed illud vnde ſumitur differentia, non eſt aliud ab eſſentia rei conſtituta per differentiam.*

Ad tertium dicendum, quòd hoc axioma non eſt vniuerſaliter verum, niſi modo ſupra explicato; vnde malè Durandus hanc intulit conſequentiam.

QVÆSTIO VI.

De Specie.

Quamuis iuxta methodum compoſitionis, quam Porphyrius in hoc tractatu ſecutus eſt, priùs videatur agendum de differentia, quàm de ſpecie, cùm ſit ſimplicior ſpecie, vtpote pars eius: tamen in hac re eſt ſecutus methodum arbitrariam, ad quam pertinet corrigere alias, quando occurrunt oppoſitæ rationes vel in præſenti: rationes autem, quæ præponderarunt, vt priùs ageret de ſpecie; ſunt quia genus, & ſpecies ſunt correlatiua, nec poteſt cognoſci perfectè natura vnius correlatiui ſine alio; vnde poſt genus debuit ſtatim agere de ſpecie: deinde quia agens de genere fecerat mentionem ſpeciei: denique quia hic tractatus ordinatur ad librum Categoriarum, & ita priùs debuit agere de illis, quæ ponuntur in linea recta, ſiue conſtituunt prædicamenta, quæ ſunt ſeries generum & ſpecierum: differentia verò ponitur ad latus: circa ſpeciem autem quæruntur quinque.

- ¶ Primò, Vtrùm definitiones ſpeciei traditæ à Porphyrio ſint bonæ?
- ¶ Secundò, Vtrùm ſpecies poſſit conſeruari in vnico indiuiduo, & genus in vnica ſpecie?
- ¶ Tertiò, Vtrù ſpecies ſubiicibilis vt ſic ſit vniuerſalis?
- ¶ Quartò, Vtrùm omnis ſpecies ſubiicibilis, ſit etiam prædicabilis?
- ¶ Quintò, quid, & quotuplex ſit indiuiduum?

Articvlvs I.

Vtrùm definitiones ſpeciei traditæ à Porphyrio ſint bonæ?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur, quòd non ſint bonæ tres definitiones ſpeciei traditæ à Porphyrio. Prima, *Species eſt id, quod ſubiicitur generi.* Secunda, *Species eſt id, de quo genus, hoc ipſo quid eſt, prædicatur.* Tertia, *Species eſt id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipſo quid eſt, prædicatur.* Probatur de duabus prioribus; tales definitiones quoad omnes ſuas partes conueniunt indiuiduo: indiuiduum enim verè ponitur ſub genere, & genus prædicatur de illo; nam iſta eſt vera (Petrus eſt animal) conſtat autem quòd indiuiduum non eſt ſpecies: ſed definitio, quæ conuenit alteri a re definita, non eſt bona: ergo duæ priores definitiones ſpeciei non ſunt bonæ. Si dicatur, quòd in iſtis definitionibus ſubintelligitur (immediatè) Contra 1. Debet exprimi in definitione quiquid eſt eſſentiale. 2. Quia etiamſi ſubintelligatur

telligatur illa particula, adhuc tales definitiones conueniunt indiuiduis genericis, quæ immediatè ponuntur sub genere, & de quibus prædicatur genus immediatè, vt in ista propositione (hoc animal est animal): ergo tales definitiones non sunt bonæ.

§ 2. Præterea, Tertia definitio conuenit aliis à re definita: nam Deus non est species, & tamen prædicatur in quid de tribus realiter numero differentibus. Item genus animalis immediatè prædicatur de Petro, hoc leone, hoc equo, quæ numero distinguuntur, & tamen genus non est species: ergo non est bona hæc definitio.

§ 3. Præterea, Multæ dantur species, quæ non habent nisi vnum indiuiduum, vt patet in Angelis, Mundo, Sole: ergo non conuenit omni speciei prædicari de pluribus numero differentibus; ac proinde definitio, quæ hoc importat in specie, non est bona.

§ 4. Præterea, Definitio debet conuenire definito inquantùm huiusmodi; nam debet conuerti cum illo: sed hæc tertia definitio non conuenit speciei inquantùm est species; nam species vt species subiicitur generi: ac proinde vt species non prædicatur: ergo hæc tertia definitio non est bona.

Sed contra est authoritas Porphyrij illas tradentis, Aristotelis à quo in 2. Topic. cap. 2. accepit, D. Damasceni, qui primam in sua Logica cap. 2. approbat, & D. Th. qui admittit, & probat tertiam opusc. 48. tract. 1. cap. 3. ac tandem consensus vnanimis Philosophorum.

CONCLVSIO.

Cùm definitiones speciei traditæ à Porphyrio explicent naturam speciei: sunt bonæ.

Respondeo dicendum, quòd definitiones speciei traditæ à Porphyrio sunt bonæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd duæ primæ definitiones assignatæ non confunduntur in vnam, sicut aliqui volunt: sed verè sunt duæ, vt fert communior opinio, idque declarat Porphyrius: nam citans prædicta verba continentia dictas definitiones, dicit in plurali (cæteræ verò definitiones) & ita sunt duæ integræ definitiones: hoc autem est inter illas discrimen, quòd prima est essentialis, secunda verò descriptiua: nam sicut in genere esse in pluribus speciebus, est eius essentia: prædicari verò de illis est proprietas: sic in specie vt est correlatiua generis, siue quatenus est subiicibilis, esse id in quo est ratio generis, est essentia: esse verò id de quo talis ratio prædicatur, est eius proprietas. Tertia etiam definitio non est essentialis, sed descriptiua tantùm, quia traditur per prædicari de multis, quod est proprietas vniuersalis consequens ad eius essentiam, quæ est esse in multis. Dicit autem Porphyrius, quòd prædicata intermedia habent duos respectus: si comparentur ad superiora, sunt, & dicuntur species subalternæ: si verò ad inferiora, sunt, & dicuntur genera; & ita solum genus supremum, & species infima non habent duos istos respectus, vnde sumant diuersas denominationes: quod sic debet intelligi. Genus supremum cuiuscumque prædicamenti semper est genus, & licèt respiciat vt quid superius rationem communem entis: tamen non est, nec denominatur species respectu eius: sed retinet denominationem generis, quam habet respectu inferiorum: & similiter species infima tam respectu superiorum, quàm inferiorum dicitur species; licèt diuersimodè: nam respectu illorum, dicitur subiicibilis: respectu verò istorum dicitur prædicabilis. Dicit deinde Porphyrius species esse finitas: sed indiuidua infinita, quia species secundùm communem cursum rerum sunt in eodem numero, nec multiplicantur: indiuidua verò sunt in continua multiplicatione, vnde dicuntur infinita secundùm communem vsum loquendi syncategorematicè, vel fortè ipse cum Aristotele credidit Mundum esse ab æterno; & ideo iam infinita præteriisse indiuidua, & cùm non sint per se intenta à natura, sed solùm ad conseruationem speciei (quod patet: nam in incorruptibilibus, in quibus non potest deficere species, est vnicum indiuiduum, vt constat in Angelis, Sole &c.) ideo sunt contingentia, nec habent determinatum numerum, nec de illis potest esse scientia; & sic nec ponuntur in linea prædicamentali, vt vera pars illius ordinis, sed tantùm sunt fundamentum, cui innituntur omnia prædicata talis prædicamenti, vnde integra habetur scientia de aliquo prædicamento, licèt per eam non cognoscantur indiuidua secundùm differentias numericas. Denique dicit Porphyrius, quòd licèt in aliis definitionibus vti circulo sit inconueniens, tamen in relatiuis non est: quia sunt simul naturâ, & mutuò dependent in esse, & in cognosci.

Probatur Conclusio. Prima definitio speciei est tradita per essentialia: duæ autem posteriores sunt traditæ per proprietates, vt dictum est & omnes traduntur per subiectum loco generis, nec continent aliquid superfluum, aut diminutum, & sont notiores re definita, vt consideranti patet: ergo sunt bonæ: nihil enim aliud requiritur ad bonitatem definitionis alicuius concreti.

An primum ergo dicendum, sic intelligendam esse primam definitionem, vt species sit id, quod ponitur sub genere formaliter, & non tantùm materialiter considerato; id est, sub genere, vt genus est, quod nulli nisi speciei conuenit: nam licèt animal de hoc animali immediatè prædicetur: tamen ad eum modum, quo hoc animal ex modo significandi habet rationem indiuidui; ita etiam animal ex modo, quo prædicatur de hoc animali, habet rationem speciei, & non generis; nam vt sic enuntiatur vt tota essentia inferiorum, quod est proprium speciei, & sic patet ad argumentum, & ad replicas: nam eo ipso, quòd genus sumitur hic formaliter, debet prædicari prædicatione immediatâ.

An secundum dicendum, quòd personæ Diuinæ propriè, & simpliciter non differunt totaliter numero, quia non differunt in natura, & tamen necessarium est ad hoc, vt aliquid sit species, quòd prædicetur quantùm est in se de pluribus numero totaliter & simpliciter differentibus; nam species, cùm sit simpliciter vniuersalis, necessariò respicit plura, quæ simpliciter sint plura: & sic necessariò est multiplicabilis & diuisibilis per differentias; quod repugnat naturæ Diuinæ, cùm non multiplicetur in personis; vnde in Diuinis non est multiplicitas absolutorum, sed relationum tantùm, ita D. Thom. 1. part. quæst. 30. art. 1. ad 3. & in 1. d. 24. quæst. 1. art. 2. quæ pluralitas licèt non sufficiat, vt in Deo sit vera species: sufficit tamen vt in eo sit vera Trinitas. Ad aliam instantiam patet ex responsione ad 1. De incompletis autem iam dictum est, quòd non sunt propriè vniuersalia, quia non ponuntur in recta linea prædicamentorum: & ideo non possunt prædicari simpliciter, aut esse genera, & species, sed tantùm secundùm quid, cùm sit eadem ratio de essentia, ac de proprietate.

An tertium dicendum, quòd species Angelicæ sunt veræ species prædicabiles, vt infra dicetur: nam licèt quælibet ex ipsis de vno solùm indiuiduo actu & potestate prædicetur: tamen vt obiicitur intellectui nostro pro hoc statu, essentialiter prædicatur de illo indiuiduo, quod est à parte rei; & ex modo essendi, quem habet sic obiecta intellectui, prædicaretur de infinitis aliis indiuiduis; si essent: quod sufficit ad rationem vniuersi prædicabilis de multis, vt dicetur. Ad alia dicendum, quòd licèt actu non sint plura indiuidua: tamen sunt possibilia, & hoc sufficit; vnde hæc definitio non intelligitur de actuali, sed de potentiali prædicatione.

An quartum dicendum, quòd subiicibilitas, quam habet species respectu generis, & prædicabilitas, quam habet respectu indiuiduorum, sunt relationes inter se disparatæ: vnde species æquiuocè dicitur de specie subiicibili & prædicabili; & sic vt comprehendit vtramque, non habet aliquam vnam definitionem, sicut nec alia æquiuoca; & ita species, quatenus species, non solùm habet respectum ad genus, nec solùm ad indiuidua, sed ad vtrumque: fundamentum autem harum relationum, est diuersa & disparata cognitio naturæ specificæ, vel vt est id, de quo dicitur generica, vel vt est id, quod dicitur de indiuiduis; & etiam illarum termini scilicet genus

nus & indiuiduum, sunt diuersi & disparati; ex quo sequitur duas priores definitiones speciei conuenire solùm speciebus, vt sunt subiicibiles: tertiam verò soli speciei, vt prædicabili, & propriè soli speciei infimæ: nam ipsa sola prædicatur de indiuiduis solo numero differentibus in quid; pro numero verò non solùm intelligitur quantitatiuus, sed etiam transcendentalis, & per hoc clariores fiunt solutiones obiectionum.

Articvlvs II.

Vtrùm species poßit conseruari in vnico indiuiduo, & genus in vnica specie?

AD secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd species non possit conseruari in vnico indiuiduo. Ita tenent aliqui. Probatur. Tam natura generica, quàm specifica diuiduntur per differentias oppositas, & incompossibiles: ergo sicut natura generica non potest conseruari in vnica specie; sic nec natura specifica in vnico indiuiduo: sed vtraque exigit plura inferiora, vt earum potentialitas plenè actuetur.

¶ 2. Econtra. Videtur, quod genus possit conseruari in vnica specie, sicut & species in vnico indiuiduo. Ita Scotus in hoc cap. quæst. 18. Louanienses ibidem, & alij: quamuis fortè possint explicari de consideratione Physica generis & speciei. Probatur. Post diem Iudicij poterit abstrahi ab homine gradus animalis, cùm illum contineat: sed iste gradus est genericus non specificus: ergo dabitur tunc gradus genericus animalis in sola specie humana; maximè quia tunc poterit homo definiri, quòd sit animal rationale, & ita tunc in homine erit animal: non enim de illo prædicaretur, nisi esset, imo implicat separari ab illo, cùm sit de essentia illius: ergo in fine mundi in sola specie humana conseruabitur natura generica animalis; aliæ enim omnes species cum omnibus mixtis destruentur; & hoc quia genus refertur ad multas species vnicâ relatione, vnde remanente vnâ specie, remanet genus, sicut propter eamdem rationem remanente vno filio, remanet pater: sicut enim posito vno termino exurgit relatio, & constituitur relatiuum; sic vno remanente, remanet, licèt alij pereant.

¶ 3. Præterea, Licèt nullum aliud esset possibile animal præter hominem: tamen ista propositio esset vera, & essentialis (homo est animal) sed ista prædicatio, non esset speciei, aut differentiæ, vt patet: ergo esset generis; vnde tunc animal esset genus, & conseruaretur secundùm totam suam potentialitatem in vnica specie.

¶ 4. Præterea, Eo modo se habet genus ad differentias specificas, quomodo materia prima ad plures formas; nam eamdem dicunt potentialitatem & indifferentiam ad illas, & æqualiter perficiuntur: sed materia prima cum omni sua potentialitate sufficienter conseruatur cum vna forma: ergo potentialitas etiam generis potest saluari in vnica specie actuata per vnam differentiam. Confirmatur. Si talis potentialitas non posset conseruari in vnica specie, neque posset conseruari in duabus; cùm talis potentialitas non sit ad duas differentias, sed ad syncategorematicè infinitas, vt constat in numero ad infinitas suas species; & ita non posset conseruari nisi in infinitis speciebus, quod est absurdum; quia de facto sine illis conseruatur: imò esset impossibile, etiam de potentia absoluta: quòd est falsum; nam sicut Deus potest facere, quòd materia prima secundùm totam suam potentialitatem compleatur per vnam formam cœli, sic poterit creare aliquam differentiam specificam tam perfectam, quæ satiet totam potentialitatem generis.

Sed contra authoritas Aristotelis 4. Topicorum, cap. 3. & 4. Metaph. textu 10. Item D. Th. 1. Poster. lect. 12. & in 1. d. 19. quæst. 4. art. 2. quos communiter sequuntur non solùm Thomistæ, sed etiam alij.

Conclvsio.

Cùm differentia specifica sint formales, & perfectiua generis; differentia verò indiuiduales sint tantùm materiales, nec perfectiua speciei: species secundùm totam suam perfectionem essentialem potest conseruari in vnico indiuiduo; genus autem non potest conseruari in vnica specie.

Respondeo dicendum, quòd natura generica Metaphysicè considerata secundùm potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non potest integrè perfici, aut saluari in vnica specie. 2. Benè tamen potest saluari natura specifica in vnico indiuiduo. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd præsens difficultas procedit de natura reali generica & specifica secundùm se, & non de secundis intentionibus generis & speciei: nam cùm istæ sint relationes rationis ad plura inferiora ab intellectu formatæ, & intra ipsum manentes obiectiuè; non requiritur, vt illa plura sint actu à parte rei, sed sufficit, quòd apprehendantur possibilia, vel quòd apprehendatur natura potens prædicari de multis quantùm est in se: vnde istæ intentiones semper requirunt, vt terminum adæquatum, plura inferiora; & consequenter loquendo de naturis Logicè consideratis, id est, vt denominantur à secundis intentionibus, nec natura generica habet vniuersalitatem respectu vnius speciei, nec specifica respectu vnius indiuidui: & sic tota difficultas est de natura generica & specifica secundùm se, idest, vtrùm natura animalis possit conseruari in sola specie humana aliis animalibus non existentibus, & natura humana in Petro solo aliis indiuiduis humanis sublatis. Rursus natura generica & specifica possunt considerari dupliciter. Primò Physicè & materialiter, id est, secundùm realem entitatem, quam dicunt prædicata essentialia, quæ actu includunt; aut natura generica animalis secundùm illam entitatem, quæ est principium sentiendi, & etiam est realiter perfectio vitæ, corporis substantiæ &c. idemque proportionaliter in natura specifica hominis; & in hoc sensu non est dubium, quin possit conseruari genus in vnica specie, & species in vnico indiuiduo: nam solo Petro existente verè etiam existit entitas, & perfectio realis; quam dicunt homo, animal, viuens &c. cùm omnia à parte rei sint in Petro vnica & eadem entitas realis. Secundò possunt considerari Metaphysicè, & quasi formaliter, vt scilicet sunt conceptus præcisi, & gradus inter se diuersi, ex quibus genericus est totum quid potentiale & informe, materiæ valde simile, & consequenter vlteriùs perfectibile & diuisibile per differentias formales: specificus verò est quoddam totum actuale perfectum, & vltimò constitutum in essentia, & solùm diuisibile per differentias materiales & numericas: & in hoc sensu dicimus, quòd gradus genericus secundùm potentialitatem, quam includit, consideratus Metaphysicè non intelligitur sufficienter actuari, & saluari in vnica specie: benè tamen gradus specificus in vnico indiuiduo.

Item sciendum est hoc esse discrimen inter naturam genericam & specificam, quòd natura generica, cùm sit diuisibilis per differentias formales (quæ necessariò causant distinctionem specificam) ipsa in se est quid imperfectum, incompletum & informe intra latitudinem perfectionis essentialis, in qua perficitur & completur per easdem differentias, eo modo, quo materia prima perficitur & completur per formas substantiales: sed natura specifica, cùm in se sit quid completum, perfectum, actuale, & vltimò constitutum intra latitudinem perfectionis essentialis; in hac nullo modo perficitur per differentias indiuiduales, sed tantùm diuiditur & multiplicatur, quod potiùs dicit imperfectionem.

Probatur vtraque pars Conclusionis à priori. Integra perfectio potentiæ sumitur ex actu adæquato sibi correspondente vt patet: sed vnica species non continet adæquatum actum correspondentem potentialitati Metaphysicæ generis, quia talis potentialitas respicit vt actum adæquatum omnes suas differentias essentiales, per quas perficitur & contrahitur ad species: nam per illas omnes essentialiter perficitur; constat autem quòd vnica species non continet omnes illas differentias; aliàs esset omnis species, at vnaquæque differentia diuisiua (cùm sit inferior genere, & inconuertibilis cum illo, ac proin-

de actus eius inadæquatus) facit vnam ſpeciem eſſentialiter diſtingui ab aliis ſub eodem genere, ac ita potentialitas generis neceſſariò eſt radix oppoſitarum differentiarum, quarum nulla ex ſe ſola poteſt adæquare talem potentialitatem: ergo natura genetica Metaphyſicè conſiderata ſecundùm potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis eſſentialis, non poteſt intrgrè perfici, aut ſaluari in vnica ſpecie. Natura verò ſpecifica intra latitudinem perfectionis eſſentialis, non habet modum potentiæ, ſed potiùs eſt totum actuale, vltimo complerum in eſſentia, ac perfectum; & ideo non reſpicit vt eſſentialem actum differentias numericas; imò vt ait D. Thom. 2. Phyſic. lect. 5. natura ſpecifica comparatur ad indiuiduum, vt actus & forma eius, ac ita deptimitur & materialiſatur per differentias indiuiduales: ergo vt natura ſpecifica intelligatur cum omnimoda perfectione eſſentiali, non requiruntur plura indiuidua, & ita poteſt ſaluari in vnico.

Secundò probatur à poſteriori. De facto nullum datur genus à parte rei, quod non habeat plures ſpecies, & tamen ſunt plures ſpecies, quæ habent vnicum indiuiduum, vt patet in Angelis, Sole, Phœnice &c. ergo ſignum eſt, quòd natura generica neceſſariò exigit illas plures ſpecies & natura ſpecifica non exigit plura indiuidua, aliàs natura ſuperflueret in multitudine ſpecierum, & deficeret in ſingularitate indiuiduorum, conſtat autem quòd natura nihil agit fruſtrà, nec deficit in neceſſariis.

Tertiò. Natura per ſe ſolùm intendit multitudinem ſpecierum, non autem multitudinem indiuiduorum, niſi propter conſeruationem ſpecierum ex D. Thom. 1. parte, quæſt. 47. art. 2. & quæſt. 85. art. 3. ad 4. Nec poteſt dari alia ratio, niſi quia genus in vnaquaque ſpecie habet perfectionem eſſentialem diſtinctam, quod non habet ſpecies in indiuiduis; vnde ſpecies pertinent per ſe ad ordinem vniuerſi, & ſunt partes eſſentiales illius non indiuidua: ergo natura generica Metaphyſicè conſiderata ſecundùm potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis eſſentialis, non poteſt integrè perfici, aut ſaluari in vnica ſpecie: benè tamen poteſt ſaluari natura ſpecifica in vnico indiuiduo.

Ad primum ergo dicendum, quòd differentiæ, quibus diuiditur natura generica, ſunt formales & eſſentiales ac perfectiuæ generis, & propterea genus non intelligitur plenè eſſentialiter perfectum in vnica ſpecie: differentiæ verò quibus diuiditur natura ſpecifica, ſunt materiales tantùm; & ita ſpecies poteſt intelligi eſſentialiter perfecta in vnico indiuiduo; quamuis recipiat in varietate indiuiduorum variam perfectionem accidentalem ex diuerſo modo exiſtendi indiuidualiter in vnoquoque.

Ad ſecundum dicendum, quòd procedit de conceptu Metaphyſico generis præcisè ſecundùm prædicata eſſentialia, quæ includit, & vt eſt pars ſpeciei; & hoc modo intrat definitionem ſpeciei: & ita conceditur, vt iam dictum eſt, ſaluari in vnica ſpecie: ſed negatur poſſe ſaluari ſecundùm quòd conſideratur vt totum potentiale ſecundùm omnem perfectionem, quam exigit intra latitudinem perfectionis eſſentialis. Vnde terminus adæquatus relationis genericæ ſunt omnes ſpecies, quæ poſſunt contineri ſub illo; & ideo omnes illas ſimul reſpicit vnicâ relatione & quamlibet vt terminum inadæquatum & ita ſecundùm adæquatam potentialitatem & relationem non poteſt intelligi, niſi in ordine ad omnes ſpecies. De patre eſt diſparitas, nam relatio paternitatis adæquatè terminatur ad vnum filium, quia eius terminus formalis adæquatus eſt filiatio, vnde poſitâ ipſâ in vno filio, ſtatim exurgit relatio paternitatis, quæ ſe extendit poſtea ad alios, qui ſe habent caſualiter.

Ad tertium dicendum, quòd dato illo impoſſibili, idem omninò eſſet animal & homo: & ideo iſta prædicatio (homo eſt animal) non eſſet formalis, ſed identica.

Ad quartum dicendum, quòd ſi conſideretur potentialitas materiæ primæ Metaphyſicè ſecundùm omnem eius latitudinem, falſum eſt quòd ſit plenè ſatiata per vnam formam & vt ſic comparatur naturæ genericæ: ſi autem conſideretur Phyſicè & realiter, tota entitas materiæ eſt ſub qualibet forma; ſicut inuenitur tota eſſentia Phyſica generis in vnaquaque ſpecie, ſed de hoc non procedit difficultas. Ad confirmationem dicendum, quòd non poteſt ſaluari genus ſecundùm totam ſuam potentialitatem, niſi reperiatur in omnibus ſuis ſpeciebus: nam tot exigit ſpecies, quot ſunt eius differentiæ diuiſiuæ, ſiue ſint finitæ, ſiue infinitæ: dicitur autem quòd requiruntur ſaltem duæ ſpecies, quia ad minus illæ ſunt neceſſariæ, vt intelligatur genus eſſe totum potentiale, vel quia cuilibet generi aſſignantur tantùm duæ differentiæ, vna propria & poſitiua; alia impropria & negatiua: & ita ſi ſermo ſit de genere Phyſicè conſiderato, poteſt Deus facere, quòd conſeruetur in vnica ſpecie, & faciet in fine mundi: ſi autem ſermo ſit de genere Metaphyſicè conſiderato ſecundùm plenitudinem ſuæ potentialitatis, eſt implicantia, quòd ſit genus, & omnino perfectum in vnica ſpecie. Ad exemplum materiæ primæ dicendum, quòd ſi ſermo ſit de materia corruptibilium, ob eamdem rationem eſt implicantia, quòd perfectè & adæquatè actuetur per vnicam formam, & hæc aſſimilatur naturæ genericæ: ſi de materia incorruptibilium, dicendum quòd, quia plenè ſub forma intelligitur actuata, nec habet aptitudinem ad alias, habet omnimodam perfectionem ſub vna forma, & hæc aſſimilatur ſpeciei, quia reſpicit ſuum actum ſecundùm ſpeciem; ſicut illa reſpicit ſuum actum ſecundùm genus.

Articulus III.

Vtrùm ſpecies ſubiicibilis vt ſic ſit vniuerſalis?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur, quòd ſubiicibilitas in ſpecie ſe habeat per modum eſſentiæ, à qua oriuntur tanquam proprietates, vniuerſalitas & prædicabilitas. Ita Caietanus in hoc cap. Arauio lib. 3. Metaph. quæſt. 4. art. 3. quamuis negent ſpeciem formaliter vt ſubiicibilem, eſſe vniuerſalem, aut prædicabilem: ita vt per reſpectum ad genus conſtituatur in eſſe vniuerſalis & prædicabilis. Probatur. Species formaliter vt ſpecies ſolùm reſpicit genus, & ex eo quòd ſit ſub genere, neceſſariò habet indiuidua, & illa reſpicit: ergo relationes, quibus reſpicit inferiora, ſcilicet vniuerſalis & prædicabilis oriuntur ab illa, quæ reſpicit genus, ſcilicet à ſubiicibilitate.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd vniuerſalitas in ſpecie habeat rationem eſſentiæ reſpectu prædicabilitatis & ſubiicibilitatis. Ita Toletus, qui tenetur concedere quòd ſicut iſta eſt vera (ſpecies inquantùm prædicabilis eſt vniuerſalis) & econtra: ita etiam iſta ſit vera (ſpecies inquantùm ſubiicibilis eſt vniuerſalis) & econtra. Probatur. Vniuerſale in communi eſt genus ad quinque vniuerſalia, ac proinde quodlibet vniuerſale in particulari reſpicit vt ſpecies ſubiicibilis vniuerſale in communi: ſed reſpicit illud vt vniuerſale eſt: ergo quodlibet vniuerſale vt vniuerſale eſt, eſt ſpecies ſubiicibilis.

¶ 3. Præterea, Species ſubiicibilis formaliter vt ſic poteſt de pluribus numero differentibus prædicari in quid; ſcilicet de hac & illa ſpecie ſubiicibili: ergo vt ſubiicibilis, eſt vniuerſalis & prædicabilis.

¶ 4. Præterea, Correlatiua ſunt ſub eodem genere: ſed vniuerſale eſt genus generis, & ſpecies ſubiicibilis vt ſic, eſt correlatiua generis: ergo vt ſic eſt vniuerſalis. Confirmatur. Quod immediatè ſubiicitur generi, prædicatur de multis, & eſt vniuerſale: ſed ſpecies vt ſubjicibilis, immediatè ſubiicitur generi: ergo vt ſubiicibilis prædicatur de multis, & eſt vniuerſalis. Maximè, quia vt ſubiicibilis reduplicatiuè conſtat ex genere & differentia.

Sed contra eſt communis ſententia omnium penè Philoſophorum, tum Thomiſtarum, tum aliorum extra Scholam D. Thom. hanc docent noſtri Complutenſes, Maſius, Sanches, Gallego, Ruuius & alij in præſenti.

CONCLVSIO.

Cùm ſpecies conſtituatur ſubiicibilis per ordinem ad ſuperiora, & vniuerſalis per ordinem ad inferiora: ſpecies ſubiicibilis vt ſic non eſt vniuerſalis.

RESPONDEO dicendum, quòd ſpecies formaliter vt ſubiicibilis non eſt vniuerſalis: vnde nulla natura conſtituitur in eſſe vniuerſalis, aut prædicabilis per relationem ad ſuperiora. 2. Relatio ſubiicibilitatis in ſpecie diſtinguitur eſſentialiter à relatione prædicabilitatis. 3. Nec inter ſe habent ordinem paſſionis & eſſentiæ; ita vt vna oriatur ab alia. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt in qualibet natura vniuerſali reperiri duas relationes rationis reſpectu inferiorum, ſcilicet vniuerſalitatem & prædicabilitatem, quibus (cùm ſint mutuæ) neceſſariò correſpondent ex parte inferiorum duæ aliæ relationes, quæ indiſtinctè appellantur ſubiicibilitas: ſed poteſt diſtinctionis gratiâ, prima vocari ſubiicibilitas naturæ (in qua) ſecunda verò ſubiicibilitas naturæ (de qua) & ſecunda eſt paſſio primæ, ſicut prædicabilitas eſt paſſio vniuerſalitatis: quæ doctrina eſt communis ad quinque vniuerſalia: ſicut, v.g. in homine ſunt duæ relationes reſpectu animalis, cui ſubiicitur, & ſecundùm illas dicitur ſpecies ſubiicibilis: reſpectu verò Petri & Pauli ſunt duæ aliæ, ſecundùm quas dicitur ſpecies vniuerſalis & prædicabilis: vnde ſenſus præſentis difficultatis eſt, vtrùm ſpecies ſecundùm duas primas relationes, ex quibus dicitur ſubiicibilis, & reſpicit ſuperiora, ſit etiam prædicabilis, & reſpiciat inferiora: ſiue vtrùm relationes ſubiicibilitatis oriantur vt proprietates à relationibus vniuerſalitatis & prædicabilitatis, vel econtra: ſicut dicitur quòd relatio prædicabilitatis eſt proprietas vniuerſalitatis, & ſubiicibilitas (de qua) eſt proprietas ſubiicibilitatis (in qua) & reſponſum eſt negatiuè.

Probatur prima pars Concluſionis breuiter, ſed demonſtratiuè. Natura conſtituitur in eſſe ſubiicibilis, per ordinem ad ſuperiora, quibus comparatur vt ſubiectum ſub eis contentum; conſtituitur autem in eſſe vniuerſalis per ordinem ad inferiora, in quibus eſt, & de quibus prædicatur ipſa continens: ſed vt conſtat iſti ordines ſunt diuerſi, imò oppoſiti: ergo natura ſpecifica inquantùm ſubiicibilis non eſt vniuerſalis. Deinde, ratio vniuerſalis conſiſtit in hoc, quòd ſit vnum in multis: ſed ſpecies ſolùm habet quòd ſit vna in multis per ordinem ad inferiora, in quibus eſt, & de quibus prædicatur, & non per ordinem ad ſuperiora, ſecundùm quem dicitur ſubiicibilis: ergo ſpecies vt ſubiicibilis non eſt vniuerſalis. Denique, ſi ordo conſtitutiuus vniuerſalis importaret relationem ſubiicibilis, ſiue reſpectum ad ſuperiora, nullum eſſet vniuerſale, quod non diceret talem reſpectum; quod apparet eſſe falſum in genere ſupremo: ergo ſpecies vt ſubiicibilis non eſt vniuerſalis.

Probatur ſecunda pars Concluſionis. Iſtæ relationes habent diuerſos formaliter terminos, ſcilicet genus & indiuiduum: nam genus eſt quid ſuperius continens confusè ſpeciem; indiuiduum autem eſt inferius contentum in ſpecie, quæ rationes, vt conſtat, conſtituunt diuerſos formaliter terminos. Deinde terminantur diuerſo modo, ex eo quòd ſpecies reſpectu generis habet rationem ſubiecti, reſpectu verò indiuiduorum, rationem prædicati. Denique vna ex iſtis poteſt intelligi ſine alia: poteſt enim intelligi ſpecies, vt ſubiicitur generi, abſque eo quòd intelligatur, prout prædicatur de indiuiduis: ergo relatio ſubiicibilitatis in ſpecie diſtinguitur eſſentialiter à relatione prædicabilitatis.

Probatur tertia pars Concluſionis: iſtæ relationes rationis adueniunt naturæ ſpecificæ per hoc, quòd intellectus illam comparat ad terminos diuerſos, vt patet ex dictis: ſed vna harum comparationum non dependet, nec deriuatur ab alia: quia per hoc quòd intellectus comparet illam ad genus, non eſt magis apta, & diſpoſita, vt comparetur ad indiuidua, & econtra, vt ex ſe conſtat: ergo iſtæ relationes non habent inter ſe ordinem paſſionis & eſſentiæ, ita vt vna oriatur ab alia. Ex quo ſequitur, quòd licèt prædicabilitas ſit paſſio vniuerſalitatis, quia ex hoc quòd intellectus comparat naturam ad inferiora vt quid in illis exiſtens, redditur apta vt de illis prædicetur: non tamen ſubiicibilitas eſt paſſio vniuerſalitatis formalis; vnde ſolùm requirit in ſpecie vniuerſalitatem fundamentalem, ſeu indifferentiam negatiuam eſſendi in multis; quam habet natura per abſtractionem intellectus, per quam ſufficienter diſtinguitur ſpecies ſubiicibilis ab indiuiduo: vt autem eſt ſic abſtracta, poteſt intellectus vt voluerit illam comparare, vel ad genus, vel ad indiuidua; vnde tales relationes ſunt penitùs diuerſæ & diſparatæ.

AD primum ergo dicendum, quòd ſi ſumatur ſpecies fundamentaliter prout dicit naturam ſpecificam, quæ denominatur à ſecundis intentionibus, ſic tam ſubiicibilitas, quàm vniuerſalitas ei accidit: ſi autem ſit ſermo de ipſis ſecundis intentionibus inter ſe comparatis, neutra oritur ex alia; nec neceſſariò ſupponit illam, ſed ſunt relationes diſparatæ; quamuis ordinariò coniunctæ; & ita ſpecies vt ſic non habet ſolùm reſpicere genus, nec ſolùm indiuidua: ſed vtrumque diuerſo modo; licèt aliquo modo ſit magis intrinſecum naturæ ſpecificæ fundare relationem ad genus, quàm ad indiuidua; quia genus eſt de eſſentia ſpeciei, indiuidua autem ſunt extra eius eſſentiam; ſed ex hoc non infertur vniuerſalitatem oriri ex ſubiicibilitate.

AD ſecundum dicendum, quòd ſolùm concludit ſpeciem ſubiicibilem eſſe vniuerſalem Metaphyſicè, hoc capacem vt prædicetur de multis, quod ei aduenit per actionem intellectus referentis illam ad inferiora: non quòd prædicari ſequatur ad ſubiici: imò ex hoc quòd genus prædicetur de ſpecie, ſolùm ſequitur neceſſariò in ſpecie, quòd generi ſubiiciatur.

AD tertium dicendum, quòd ſpecies ſubiicibilis eſt quidem verè vniuerſalis, & prædicabilis reſpectu huius, & illius ſpeciei ſubiicibilis: ſed tunc eſt ſubiicibilis tantùm materialiter, ſiue ſecunda intentio ſpeciei ſubiicibilis, vt comparatur ad naturam, quam facit ſubiicibilem, habet rationem formæ, quâ natura eſt talis, ſiue eſt (id quo): vt autem prædicatur de hac, & illa ſpecie ſubiicibili, eſt (id quod).

AD quartum dicendum, quòd correlatiua ſolùm habent, quòd ſint ſub genere remoto relationis: nam dantur correlata diſquiparantiæ: nec genus habet prædicari de pluribus formaliter ex hoc, quòd ſubiicitur vniuerſali: quia ſubiici & prædicari important diuerſos reſpectus. Nec duæ confirmationes aliud concludunt, quàm ſpeciem vt ſubiicitur, eſſe materialiter vniuerſalem; id eſt, illam rem, quæ ſubiicitur generi debere eſſe naturam, quæ denominari poſſit vniuerſalis, non formaliter prout ſubiicitur, ſed aliunde: nec genus & differentia vt conſtituunt ſpeciem, habent rationem vniuerſalis. Ex dictis multa inferuntur. 1. Speciem eſſe quid æquiuocum ad ſubiicibilem & prædicabilem: nam licèt conueniant in relatione rationis: tamen vt ſignificantur nomine ſpeciei nihil habent commune, niſi nomen. 2. Quòd correlatum ſpeciei vt ſubiicibilis, eſt ſolùm genus; vt verò prædicabilis, ſunt indiuidua. 3. Quòd ſola ſpecies ſit terminus immediatus generis vt ſic: indiuidua verò ſunt termini mediati: quia genus ideo prædicatur de illis, quia prædicatur de ſpecie, ſub qua continentur: habet verò rationem generis, ſi prædicatur de indiuiduis diuerſarum ſpecierum, vt ſi animal prædicatur de Petro, & de hoc leone: nam vt ſic prædicatur de multis ſpecie differentibus in quid: habet etiam rationem veri generis, vt prædicatur de indiuiduis eiuſdem ſpeciei; nam prædicatur de illis in quid eſſentialiter, non vt tota eſſentia, quod conuenit ſpeciei: ſed vt pars eſſentiæ: quamuis ſub ratione partis non habeat, quòd prædicetur: id autem quod prædicatur in quid vt pars eſſentiæ, eſt genus: vt verò prædicatur de indiuiduis genericis, ſicut cùm dico, (hoc animal eſt animal) habet rationem ſpeciei, & non generis, quia prædicatur vt tota eſſentia, quod eſt proprium ſpeciei: genus autem habet conceptum perfectè & diſtinctè ſeparatum ab inferioribus, & eſt ſpecies infima vniuerſalis, quia ſunt differentiæ accidentales generis,

esse supremum, intermedium & infimum, sicut esse speciem subalternam & infimam subiicibilem, non autem in ratione prædicabilis: quia sola infima est vera species prædicabilis: subalternæ verò vt prædicabiles, non sunt species, sed genera: quia prædicantur de multis essentialiter differentibus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnis species subiicibilis sit etiam prædicabilis?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd non omnis species subiicibilis, sit etiam prædicabilis. Ita Molina 1. part. q. 50. art. 4. Suares disp. 5. Metaph. sect. 2. & alij. Probatur. Prædicabile & vniuersale est vnum in multis: sed dantur species subiicibiles, quæ non sunt vnum in multis, scilicet naturæ Angelicæ, quia nec sunt actu, nec in potentia etiam absoluta plura indiuidua illarum: ergo non omnis species subiicibilis est etiam prædicabilis. Confirmatur. Relatio vniuersalitatis & prædicabilitatis aduenit naturæ per hoc, quòd intellectus illam comparat ad plura inferiora: sed intellectus non potest comparare naturas Angelicas ad plura inferiora; cùm nec sint actu, nec possibilia etiam de potentia absoluta, vt dicitur à Thomistis: ergo licèt sint species sobjicibiles respectu naturæ Angelicæ in communi, non sunt tamen species prædicabiles: & ita sicut Petrus non potest concipi vt vniuersalis & prædicabilis: quia natura in illo apprehenditur vt immultiplicabilis secundùm numerum (quod opponitur vniuersalitati) sic quælibet natura Angelica, v. g. quæ est in Gabriele, quia concipitur sub eadem immultiplicabilitate (est enim adæquata illi indiuiduo, & incapax descendere ad plura) non potest concipi vt vniuersalis & prædicabilis: quamuis sit species subiicibilis.

¶ 2. Præterea, si quæ esset ratio cur naturæ Angelicæ specificæ essent vniuersales & prædicabiles, esset quia concipiuntur à nobis per speciem naturæ vniuersalis: sed hæc ratio nulla est. Primò, quia falsò concipimus; quælibet enim natura Angelica est essentialiter singularis, & sta implicat concipi sine singularitate, siue vniuersalis ac prædicabilis. Secundò, quia licèt naturæ Angelicæ concipiantur ad modum rerum corporalium, & per earum species; non tamen attribuuntur illis, imò remouentur proprietates corporis: ergo licèt concipiantur per speciem naturæ vniuersalis, non possunt tamen concipi esse vniuersales; non enim minùs repugnat naturæ Angelicæ multiplicari in plura indiuidua, quàm esse corpoream, quia multiplicatio purè numerica est solùm rerum materialium. Tertiò, quia simili modo posset dici, quòd natura diuina, vt à nobis concipitur pro hoc statu, sit vniuersalis & prædicabilis: nam licèt in se sit essentialiter singularissima: tamen posset dici, quòd apprehenditur vt communis, & vt potens supponere pro pluribus naturis diuinis, si darentur: quod tamen est falsum & contra D.Thom. quæst. 7. de potentia, art. 3. ad 1.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Th. quem sequuntur Caietan. hîc dub. 3. Capreol. in 2. d. 3. quæst. 1. ad 2. Arauio 3. Metaph. quæst. 4. art. 4. Soncinas, Ianclius ibidem, Masius, Sanches, Gallego, & nostri Complutenses in præsenti: & addunt ita censere omnes discipulos D. Thom. nec esse Thomistam, qui oppositum censuerit.

CONCLVSIO.

Cùm qualibet natura specifica pro hoc statu intelligatur per abstractionem à singulari: intelligitur vt indifferens vt sit in vno, vel in pluribus. ac ita qualibet natura specifica est vniuersalis & prædicabilis.

RESPONDEO dicendum, quòd quælibet natura Angelica vt à nobis pro hoc statu imperfectè concipitur, potest habere intentiones vniuersalis & prædicabilis: etiamsi sint realiter impossibilia plura indiuidua in vnaquaque earum. 2. Si autem talis natura secundùm quòd in se est, perfectè conciperetur (quod pro hoc statu fieri non potest) non posset concipi vt vniuersalis & prædicabilis; sed conciperetur vt omninò singularis. 3. Vnde omnis species subiicibilis, est etiam prædicabilis. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem moueri principaliter propter naturam Angelicam, quæ talis est, vt sub qualibet specie non sit nisi vnum indiuiduum; in Angelis sine dubio sunt species subiicibiles; nam omnes conueniunt in multis gradibus essentialibus & vniuocis, vt quòd sint intellectuales, spiritus & substantiæ: sola difficultas est vtrùm sint etiam species prædicabiles: nam vniuersale videtur dicere ordinem ad plura saltem possibilia: in natura autem Angelica, vt nunc supponitur & videbitur infra in Metaphysica, ex communi sententia Thomistarum, non solùm non sunt plura indiuidua sub vna specie, sed etiam sunt impossibilia simpliciter & ita sub hac suppositione procedit difficultas: nam si possibilia essent plura indiuidua, nulla esset difficultas: conueniunt enim authores, quòd non est necesse adhoc, vt aliquid sit vniuersale, quòd actu prædicetur de pluribus: sed sufficit, quòd illa plura sunt possibilia, & de illis possit prædicari, vt patet in Phœnice, Sole &c.

Item sciendum est, quòd licèt in Angelis non sit aliud, à quo sumatur species & à quo sumatur indiuiduatio: sed eadem entitas simplex per seipsam constituatur in sua essentia specifica: & simul sit hæc, & indiuidua, vt docet D.Th. & cum illo Thomistæ 1. part. q. 13. art. 9. & q. 50. art. 4. tamen eamdem entitatem simplicem concipimus & vt constituit Angelum in sua specie, & habet rationem differentiæ essentialis, & alio conceptu concipimus vt indiuiduat & habet rationem differentiæ numericæ constituentis Angelum in esse indiuidui & singularis & vnum possumus præscindere ab alio & abstrahere naturam specificam ab indiuiduali differentia illius nam quamuis differentia specifica & indiuidualis sint eadem entitas realis: tamen munera talis entitatis sunt valdè diuersa, cùm singularitas non sit de essentia alicuius creaturæ: licèt autem naturæ Angelicæ per hoc quòd sint omninò immateriales, sint in se actu intelligibiles, non solùm quantùm ad principia specifica, sed etiam quantum ad indiuidualia: tamen quia à nobis cognoscuntur per species corporum, quæ non sunt actu intelligibilia, donec intellectus agens denudet phantasmata à conditionibus indiuiduantibus, ideo naturæ Angelicæ non possunt à nobis intelligi secundùm quòd in se sunt intelligibiles, & secundùm principia indiuidualia earum: sed secundùm nostrum modum intelligendi, qui est cognoscere naturam specificam præcisam à conditionibus indiuiduantibus; & ideo diuersimode nunc cognoscimus, ac cognosceremus, si perfectè cognoscerentur.

Probatur Conclusio quoad omnes partes authoritate D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 9. vbi sic ait: *Formæ, quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, sed per seipsas quia scilicet sunt formæ subsistentes; si intelligerentur secundùm quòd sunt in seipsis, non possent communicari nec re, neq; ratione: sed quia formas simplices non possumus intelligere secundùm quod sunt; sed intelligimus eas ad modum rerum compositarum; ideò imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito: vnde quantùm pertinet ad rationem nominum, eadem ratio est de nominibus, quæ à nobis imponuntur ad significandum naturas rerum compositarum & de omnibus, quæ à nobis imponuntur ad significandum naturas simplices subsistentes.* Idem docet opusc. 42. c. 5. & de spiritualibus creaturis, ar. 8. ad 4.

Probatur prima pars Conclusionis. Intellectus noster pro hoc statu intelligit naturam specificam quamcumque per abstractionem à singulari, vt constat ex præfata authoritate D. Thom. ergo esse in vno supposito singulari, vel in pluribus est præter intellectum naturæ specificæ: ergo seruato intellectu naturæ speciei potest intelligi vt in pluribus existens. Hæc sunt verba D. Thom. quæ sic exponuntur. Natura Gabrielis, v. g. prout hic à nobis intelligitur abstracta, & præcisa à sua differentia indiuiduali,

indiuiduali, non intelligitur vt determinata ad hoc indiuiduum, sed indifferens secundùm se: ergo vt sic habet talem statum, vt si per impossibile essent plura eius indiuidua, posset ad vnumquodque determinari per propriam indiuidualem differentiam vniuscuiusque, ac proinde ex tali modo nostro intelligendi potest talis natura apprehendi vt vniuersalis & prædicabilis.

Secundò. Quælibet natura Angelica sic abstracta per intellectum comparatur ad proprium indiuiduum, vt quid indifferens ad proprium determinatiuum: ergo ex modo concipiendi comparatur vt quid superius ad suum inferius, ac proinde vt vniuersalis & prædicabilis; quod enim est indifferens apprehenditur cum maiori latitudine, quàm eius determinatiuum. Confirmatur. Prædicamus naturam Gabrielis de ipso verà prædicatione formali, quæ pertinet ad speciem; nam Gabriel est verum indiuiduum & res singularis, ac directè ponitur in prædicamento substantiæ tanquam fundamentum aliorum prædicatorum: ergo necessariò apprehendimus supra ipsum aliquem gradum specificum, cui immediatè subiiciatur: nam implicat dari indiuiduum, quod non sit immediatè sub aliqua specie infima, & consequenter cùm relatio mutuò correspondens subiicibilitati indiuidui, sit vniuersalitas & prædicabilitas speciei; sequitur naturam specificam Gabrielis, vt à nobis concipitur respectu sui indiuidui, subire rationem & intentionem vniuersalis ac prædicabilis.

Tertiò. Magis est de essentia Dei sua singularitas & incommunicabilitas, quàm de essentia Angeli cuiuscumque, & tamen Deus potest à nobis pro hoc statu intelligi absque singularitate ex nostro modo concipiendi: vnde iste terminus (Deus) est terminus communis ex D.Th. 1. part. quæst. 13. art. 9. ait enim hoc nomen, Deus, secundùm rem esse incommunicabile, communicabile autem secundùm rationem, id est, ex parte modi concipiendi & significandi, non ex parte rei significatæ: & ex hac parte posset concipi vt species & vniuersalis: nisi obstaret, quia est indefinitus, & est suum esse, carens omni compositione, etiam ex genere & differentia: ergo cùm non inueniatur talis repugnantia in natura Angelica, poterit apprehendi vt communis & communicabilis secundùm rationem, & verè vniuersalis & species.

Probatur secunda pars Conclusionis. Quilibet Angelus secundùm se ab eodem principio constituitur in esse specifico, & in esse indiuiduali, & est intelligibilis non solùm secundùm naturam specificam, sed etiam secundùm differentiam indiuidualem: ergo si intelligeretur perfectè secundùm se, intelligeretur simul vt Angelus talis speciei, & vt hic Angelus: ergo non intelligeretur vt vniuersalis & prædicabilis. Ex his sequitur manifestè tertia pars Conclusionis: cùm enim in sola natura Angelica posset esse dubium, vtrùm omnis species subiicibilis, sit etiam prædicabilis? probato quòd omnis natura Angelica, quæ est species subiicibilis, sit etiam species prædicabilis; sequitur quòd omnis species subiicibilis, est etiam prædicabilis.

Ad primum ergo dicendum, naturam quamlibet Angelicam esse vnam in multis; non quòd illa multa sint actu existentia, vel actu possibilia, vel actu conficta ab intellectu: quando enim natura est tantùm vniuersalis secundùm rationem, sufficit vt dicatur esse vna in multis, quòd ex modo nostro concipiendi ita comparetur ad proprium indiuiduum, ac si haberet plura; nam sic concipitur vt superior, nec ei provt sic formaliter loquendo repugnat multiplicatio: dicit enim D.Th. loco citato de spiritualibus creaturis, quòd naturæ huius Angeli non prohibetur esse in multis; ex eo quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quòd pertinet ad rationem indiuidui: & ideo est sic apprehensa in tali statu, vt si per impossibile darentur plura eius indiuidua, verè prædicaretur de illis, sicut nunc prædicatur de vno absque vlla mutatione ipsius naturæ sic à nobis conceptæ. Ad confirmationem dicendum, quòd quando natura est vniuersalis secundùm rem & rationem: tunc relatio vniuersalitatis prouenit illi per comparationem eius ad plura indiuidua, vel actualia, vel possibilia: quando verò est vniuersalis tantùm Logicè, siue secundùm rationem, siue ex modo nostro concipiendi, non est opus, vt actu comparetur ad plura, sed sufficit ita comparari ad proprium indiuiduum, ac si haberet alia. Ad instantiam dicendum, quòd natura Angelica ex nostro modo concipiendi est concepta, vt communicabilis pluribus, & præcisa à sua singularitate, vel vt non habens aliquid, quo prohibeatur descendere ad plura: Petrus autem vt talis concipitur à nobis, vt vnus vnitate numericâ, & consequenter, vt immultiplicabilis secundùm numerum.

Ad secundum negatur minor. Et ad primam eius probationem dicendum, quòd natura Angelica non est essentialiter singularis: hoc enim est proprium naturæ Diuinæ; dicitur autem ab intrinseco indiuidua, quia non indiuiduatur ab extrinseco, sicut naturæ materiales; & licèt singularitas esset illi essentialis; posset tamen pro hoc statu concipi imperfectè sine illa, sicut in Deo distinguimus ratione, & per conceptus essentiam ab esse, & tamen esse est eius essentia. Ad secundam dicendum, quòd est lata disparitas: nam in primo repetiuntur duo actus, scilicet apprehensio Angeli ad modum corporis, & iudicium de Angelo: iudicium autem non necessariò sequitur apprehensionem, quod sit corpus, sed ad abstractionem & comporationem naturæ Angelicæ ad modum materialium, sequitur quamlibet fieri vniuersalem: nam per comparationem resultat in natura vniuersalitas. Ad tertiam de natura Diuina iam dictum est.

Articvlvs V.

Quid & quotuplex sit Indiuiduum?

A D quintum sic proceditur. Videtur quòd indiuiduum non sit rectè definitum à Porphyrio, quòd sit id (*Quod de vno tantùm prædicatur; vel cuius collectio proprietatum sic est in vno, vt nunquam in alio fiat.*) Probatur. Indiuiduum est correlatiuum speciei: ergo vt rectè definiatur, debet definiri per ordinem ad speciem, sic (indiuiduum est quod ponitur sub specie, vel de quo species prædicatur) ac proinde prædictæ definitiones non sunt bonæ, quia non exprimunt illum ordinem.

§ 2. Præterea, indiuiduum verè prædicatur de pluribus: nam istæ propositiones sunt veræ (Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum, & hoc indiuiduum est indiuiduum) ergo malè definitur indiuiduum, quòd sit id (quod de vno tantùm prædicatur.)

Sed contra est authoritas Porphyrij tradentis definitiones indiuidui, & Aristotelis, à quo sumpsit, & communis consensus Philosophorum.

Conclvsio.

Cùm definitiones traditæ à Porphyrio rectè explicent naturam indiuidui, sunt bonæ.

Respondeo dicendum, quòd rectè definitur indiuiduum à Porphyrio, primò quòd sit id (*Quod de vno tantùm prædicatur.*) 2. Quòd sit id (*Cuius collectio proprietatum sic est in vno, vt nunquam in alio fiat*) Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd duo repetiuntur in indiuiduo, scilicet natura specifica, in qua conuenit cum aliis; & differentia indiuidualis, per quam talis natura redditur incommunicabilis alteri, & est propria huius, & non alterius: vnde sicut ex natura specifica præcisâ differentiâ indiuiduali, intellectus sumit fundamentum, vt attribuat illi vniuersalitatem, & apprehendit illam vt prædicabilem de multis; nam vt sic præcisa nulli appropriatur: sic ab eadem natura specifica, vt apprehenditur appropriata & particularisata, intellectus habet fundamentum, vt tribuat illi intentionem particularis & indiuidui, & illam apprehendat vt prædicabilem de vno tantùm, scilicet de seipso: sicut autem natura specifica potest significari dupliciter, vel nominibus primæ intentionis, vt homo, leo, equus; vel nominibus secundæ intentionis, vt species, vniuersale, subiicibile &c. sic natura

tura particularis & indiuidua potest significari vel nominibus primæ intentionis vt persona, hypostasis, prima substantia, Petrus, hic homo, vel nominibus secundæ intentionis vt indiuiduum, singulare, particulare & suppositum (hoc enim nomen, suppositum, iuxta propriam & primam eius significationem ita sumitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 1. & in 1. d. 26. quæst. 1. art. 1. ad 3.) Huic duplici significationi indiuidui correspondet duplex eius definitio tradita à Porphyrio.

Probatur & explicatur prima pars Conclusionis. Sicut in aliis definitionibus vniuersalium res definita est secunda intentio in concreto: ita vt ipsa secunda intentio sit res, quæ definitur: natura verò sit id, pro quo supponit & in quo exercetur definitio: sic in hac definitione definitum est secunda intentio, à qua res denominatur indiuidua & singularis: naturæ verò particulares sunt id, pro quo supponit & in quo exercetur definitio, absque eo quòd detur aliquid reale vniuocum illis commune. Hanc primam indiuidui definitionem tradidit etiam Aristoteles 1. Perihermen. cap. 5. sed sub negatione his verbis (*Singulare est id, quod non est prædicabile de multis*) Constat autem quòd æquiualer isti Porphyrij. (*Indiuiduum est, quod de vno tantum prædicatur*) Quæ si resoluantur, formant hunc sensum (indiuiduum est natura quædã, quæ ad seipsam, & non ad plura refertur, & de se ipsa, & non de pluribus prædicatur) si autem definiatur in abstracto debet sic definiri (secunda intentio constitutiua indiuidui est relatio rationis naturæ, quæ tantùm potest respicere ipsam relatione prædicabilitatis, siue quæ nulla habet inferiora, de quibus sit prædicabilis) vnde indiuiduum non est prædicabile prædicatione doctrinali, artificiali, siue formali, sed tantùm identicâ & naturali. Alij diuersimodè definiunt, siue describunt indiuiduum, scilicet (quòd sit id, quod est in se indiuisum & diuisum à quolibet alio) &c. sed omnes similes definitiones reducuntur ad istam Porphyrij, quæ continet omnes conditiones bonæ definitionis, ex eo quòd separat definitum à quolibet alio maximè ab vniuerso, quod continetur intra idem genus.

Probatur & explicatur secunda pars Conclusionis. Notando quòd nomen significans indiuiduum, primò intentionaliter sumptum, si illud significet determinatè, siue in sua significatione includat determinatum indiuiduationis principium, vt Petrus & Paulus &c. tunc verè non potest definiri, nec esse obiectum scientiæ; vnde dicit D. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 2. ad 3. *Essentia est id, quod significatur per definitionem*; Definitio autem complectitur principia speciei, non autem principia indiuidualia, & ita si definitur indiuiduum debet hoc fieri sub aliqua ratione communi, vt ait D. Thom. quæst. 9. de potentia, art. 2. ad 1. his verbis: *Sicut nomen quod significat naturam est commune & definibile, vt homo, vel animal: ita nomen quod significat naturam cum tali modo existendi, vt hypostasis, vel persona: illud verò nomen quod in sua significatione includit determinatum indiuiduationis principium, non est commune, nec definibile, vt Socrates & Plato*; Vnde sub ratione communi definitur indiuiduum à Porphyrio: collectio autem harum proprietatum exprimitur his versibus,

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
patria, sunt septem, quæ non habet vnus & alter.

Per formam intelligitur singularis complexio; per figuram partium proportio & delineamenta; per locum pars terræ in qua quis natus est; per tempus momentum natiuitatis; per nomen propria denominatio; per sanguinem progenies; per patriam prouincia, vel ciuitas, quæ omnia simul sumpta non possunt duobus conuenire: sed hæc definitio solis substantiæ indiuiduis conuenit.

Indiuiduum diuiditur in substantiale & accidentale, vt hic homo, hæc albedo. Deinde diuiditur in determinatum, vt Socrates; in confusum & indeterminatum, vt hic homo; & per circumlocutionem, vt Sophronici filius; quæ tria possunt eamdem rem significare, sed diuersimodè; denique in indiuiduum vagum, quod est medium inter naturam vniuersam & alia indiuidua: nam prædicatur de pluribus, sed non determinatè & distributiuè, at tantùm confusè & disiunctiuè: vnde non dicimus (Petrus & Paulus sunt indiuiduum vagum: sed quidam homo est indiuiduum vagum,) propter quod non est vniuersale, quia non potest prædicari simul de multis determinatè.

Ad primum ergo dicendum, quòd indiuiduum non fuit definitum à Porphyrio quatenus est subiicibile respectu speciei, siue per ordinem ad superiora: tunc enim debuisset definiri duplici allatâ definitione; sed fuit definitum vt prædicabile: per primam definitionem, vel secundùm se, & non per ordinem ad aliud per secundam definitionem.

Ad secundum dicendum, quòd in istis prædicationibus, prædicatur tantùm secunda intentio constitutiua indiuidui, quæ est quid vniuersale, & commune omnibus: non verò prædicatur natura particularis, pro qua supponit, & in qua exercetur definitio: vnde adductæ prædicationes non sunt indiuidui: sed duæ primæ sunt quinti prædicabilis tertia autem est secundi prædicabilis: nec est inconueniens id quod essentialiter est indiuiduum, esse denominatiuè speciem vel accidens.

QVÆSTIO VII.

De differentia.

Post considerationem generis & speciei statim occurrit differentia, quæ est diuisiua generis, & constitutiua speciei, vt pars eius formalis ac præcipua: circa ipsam quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam sit vniuoca?

¶ Secundò, Vtrùm differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad indiuidua?

¶ Tertiò, Vtrùm dentur differentiæ vltimæ, quæ cum speciebus atomis simpliciter conuertantur?

¶ Quartò, Vtrùm differentia infima includat subalternas?

¶ Quintò, Vtrùm quælibet differentia sit perfectior genere.

Articvlvs I.

Vtrùm diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam sit vniuoca?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam sit vniuoca generis in species. Ita Louanienses, Ona, Cabero & alij. Probatur. Per hoc non obstat quin vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia; quia duo priora prædicantur essentialiter, & duo posteriora accidentaliter: ergo etiam non obstabit, quin intentio differentiæ sit genus, & vniuoca ad tres particulares intentiones, per hoc quòd vna faciat differre propriissimè, alia propriè, alia tantùm communiter; eadem enim est vtrobique ratio: nam ideo vniuersale est genus; quia omnia prædicabilia simpliciter sunt rationes prædicandi de pluribus independenter ab inuicem: sed etiam istæ tres intentiones differentiæ faciunt differre independenter ab inuicem; nam licèt tolleretur differentia propriissima, adhuc remanerent aliæ: ergo diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam, est vniuoca generis in species?

¶ 2. Præterea, Licèt substantiæ & accidenti nihil detur Physicè vniuocum, & accidens dependeat Physicè à substantia: tamen æqualiter denominantur à secunda intentione generis & speciei: genera & species: ergo licèt differentiæ communis & propria dependeant Physicè à propriissima aliqualiter; & sic nihil habeant com-

mune vniuocum : tamen secunda intentio differentiæ potest illis esse communis vniuocè & hoc dicit Porphyrius in hoc cap. asserens commune esse his tribus differentiis facere differre.

§ 3. Præterea, Intellectus noster aliquando distinguit Petrum ab Æthyope & ab equo per albedinem & risibilitatem ; absque eo quòd apprehendat albedinem esse accidens, siue differentiam communem & risibilitatem esse proprietatem, siue differentiam propriam : sed solùm apprehendit ista sub ratione differentiæ : ergo ratio differentiæ æqualiter attribuitur ab intellectu his tribus intentionibus, scilicet differentiæ communi, propriæ & propriissimæ ; ac proinde est vniuoca generis in species.

Sed contra est Auicenna in sua Logica, B. Albertus, Caietanus, Iauellus, Masius, Sanches, Sotus, nostri Complutenses & alij Thomistæ in præsenti ; quibus consentiunt Scotus & alij Moderni extra scholam D. Thom.

Conclvsio.

Cùm sola intentio differentiæ propriissimæ simpliciter participet rationem differentialitatis & ipsa sola constituat hoc tertium prædicabile : diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam non est vniuoca.

Respondeo dicendum, quòd prædicta diuisio differentiæ etiam secundò intentionaliter sumptæ, est analoga. Ad cuius euidentiam sciendum est Porphyrium in hoc cap. afferre plures diuisiones & definitiones differentiæ. Prima diuisio est illa de qua hîc inquirimus in communem, propriam & propriissimam. 2. Differentia alia facit diuersum per accidens, vt communis & propria ; alia facit diuersum per se, vt propriissima. 3. Differentia alia est separabilis, alia inseparabilis. 4. Differentia inseparabilis, alia est per se & de substantia rei, nec suscipit magis & minus, alia per accidens & solùm facit diuersum & potest suscipere magis & minus. 5. Alia est differentia constitutiua generis, alia diuisiua. Totidem affert definitiones differentiæ. 1. est. Differentia est id, quo species excedit genus : nam genus continet tantùm differentiam in potentia, species verò continet actu. 2. Differentia, est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. 3. Differentia est id, quod ea quæ sunt sub eodem genere separat. 4. Differentia est id, quo singula differunt. 5. Denique, quam dicit Porphyrius esse exactiorem, differentia est, quâ ita singula differunt, vt pertineat ad substantiam & rationem, sitque pars rei, cuius est differentia. Hoc autem nomen (differentia) sumitur, vel latè & propriè pro quacumque diuersitate & distinctione aliquorum ; & tunc non requiritur, quòd in aliquo conueniant & sic etiam primò diuersa vt prædicamenta dicuntur differre : vel pro diuersitate eorum, quæ in aliquo vnò conueniunt, siue provt importat illa, quæ non seipsis, sed aliquo alio inter se differunt : vnde etiam nomen differentiæ sumitur ad significandum principium huius distinctionis, siue gradum illum, per quem vnum differt ab alio ; & in hoc sensu in præsenti sumitur : hæc autem prima diuisio est adæquata ; nam quidquid differt verè ab alio, vel differt secundùm essentiam ; & est differentia propriissima, siue essentialis : vel secundùm accidens : quòd si fuerit proprium, est differentia propria ; si commune, est differentia communis : hæc tamen diuisio est differentiæ quæ pertinere potest ad prædicabilia & subire intentionem vniuersalis ; & per hoc excluditur differentia indiuidualis, quæ tamen aliquo modo potest reduci ad differentiam propriissimam : quia facit differre substantialiter & radicaliter sumitur ab vna parte substantiæ, in qua assimilatur differentiæ propriissimæ : licèt ex qua parte sumitur etiam à quantitate, talis differentia appellatur accidentalis ; & sic reducitur ad communem. Circa secundam diuisionem notandum, quòd nullum accidens facit aliud substantiuè sumptum : istud est quippe discrimen inter ista tria, Alter, Alius & Aliud : quòd Alter denotat quamcumque differentiam, etiam accidentalem : vnde vnus homo ob aliquam mutationem dicitur alter à se ipso. Alius adiectiuè significat distinctionem suppositorum : Aliud verò substantiuè significat distinctionem naturarum, siue formalem, siue materialem : sic Plato est aliud ab equo & etiam à Socrate ; & ita in Diuinis Aliud substantiuè non habet locum, quia tres personæ Diuinæ habent eamdem omnino naturam : datur tamen Aliud adiectiuè, nam Filius est aliud suppositum à Patre ; differentia propriissima facit aliud, provt importat diuersitatem non materialem, sed formalem naturam ; quia est pars essentiæ : non autem aliæ differentiæ cùm sint extra essentiam. Circa vltimam diuisionem notandum, quòd si ly (constitutiua & diuisiua) referantur ad eamdem differentiam, non potest hoc esse respectu eiusdem generis : sed est diuisiua generis & constitutiua speciei ; nam rationale diuidit animal & constituit hominem. Si referantur ad diuersas differentias : poterit esse respectu eiusdem generis : nam sensitiuum constituit animal, & rationale illud diuidit.

Item sciendum est posse quadrupliciter fieri comparationem inter diuisum & membra diuidentia huius diuisionis. 1. Si tam diuisum, quàm membra diuidentia sumantur primò intentionaliter pro naturis denominatis. 2. Si diuisum sumatur pro natura denominata & membra diuidentia pro secundis intentionibus. 3. Econtra si diuisum sumatur pro secunda intentione & membra diuidentia pro naturis denominatis. 4. Si tam diuisum, quàm membra diuidentia sumantur secundò intentionaliter, scilicet pro ipsis secundis intentionibus : si sumatur hæc diuisio primo modo, certum est apud omnes, quòd non potest esse vniuoca, sed est analoga : nam naturæ denominatæ diuagantur per omnia prædicamenta. Si secundo & tertio modo ; est diuisio vel subiecti in accidentia, vel accidentis in subiecta : & licèt diuisio de qua hîc agitur possit sumi tertio modo : tamen probabilius est Porphyrium illam sumpsisse quarto modo, quia sic conueniunt Authores, maximè quia nomen differentiæ, vt in præsenti sumitur, est terminus secundæ intentionis, sicut genus & species : & quia vt sic ista diuisio propriè pertinet ad Logicam ex omni parte : vnde sensus diuisionis est : secunda intentio differentiæ alia est, quæ facit differre communiter, alia propriè, alia propriissimè.

Probatur Conclusio. Sola intentio differentiæ propriissimæ participat perfectè rationem differentialitatis & ipsa sola constituit hoc tertium prædicabile : nam propria ratio differentialitatis secundùm quòd constituit hoc tertium prædicabile, per quam distinguitur ab aliis prædicabilibus, siue intentionibus prædicabilium, in hoc consistit, quòd sit vniuersalitas naturæ constitutiuæ, siue contractiuæ, vt suprà dictum est : nam differentia comparatur ad genus, sicut actus ad potentiam, siue sicut determinatiuum ad indeterminatum : sed hæc ratio non potest simpliciter conuenire intentionibus differentiæ communis & propriæ ; at solùm intentioni differentiæ propriissimæ : nam actus simpliciter, siue constitutiuum debet esse in eodem genere, siue prædicamento cum potentia cuius est actus, siue constitutiuum ; aliàs ex vtroque non fieret vnum per se ; ac proinde cùm sola differentia propriissima sit in eodem genere, siue prædicamento cum ipso genere quod actuat : differentia verò communis & propria sint extra illud & faciant cum illo compositionem accidentalem ; sequitur differentiam propriissimam tantùm esse propriè differentiam ; alias verò secundùm quid : ergo diuisio differentiæ in communem, propriam & propriissimam etiam secundò intentionaliter sumptæ est analoga.

Secundò. Facere differre provt conuenit istis intentionibus habet magis & minus : nam quæ differunt differentiâ communi ; non ita differunt vt patet, ac illa quæ differunt differentiâ propriâ ; nec ita differunt, vt etiam patet, quæ differunt differentiâ propriâ, ac illa quæ differunt differentiâ propriissimâ : nam ista differunt essentialiter, & talis differentia non potest tolli, alia autem licèt differant, non tamen essentialiter, sed tantùm accidentaliter & non implicat, imò sæpe naturaliter potest tolli talis differentia : sed vbi est magis & minus, ibi non est vniuocatio, vt patet, at est analogia : ergo diuisio

differentiæ in communem, propriam, & propriissimam non est vniuoca; sed analoga.

Tertiò. Ex opposito sequitur tria tantùm esse prædicabilia: nam si differentia est quid simpliciter vnum vniuocum, constituet tantùm vnum prædicabile, quòd est contra positionem Porphyrij & omnium Philosophorum, qui communiter docent quinque prædicabilia esse species infimas. Secundò docent differentiam esse prædicabile essentiale. Tertiò dicunt differentiam non omnino prædicari in quid, aut in quale, sed in quale quid: in quid quoad rem significatam, quia est de essentia rei, in quale verò ex modo significandi, qua significatur ad modum accidentis, quæ omnia repugnant vniuocationi diuisionis differentiæ in communem, propriam & propriissimam: ergo hæc diuisio non est vniuoca, sed analoga.

Ad primum ergo dicendum, quòd est latum discrimen inter materiam præsentem, & instantiam allatam: nam naturæ denominatæ nihil obstant siue sint substantia, siue accidens, intentioni generis, aut speciei, quæ consistit in hoc, quòd prædicentur vniuocè de pluribus, quod potest conuenire æqualiter tam substantiæ, quàm accidenti respectu inferiorum: ratio autem differentiæ sumitur per ordinem ab subiectum, quod ab alio differt; & ideo cum differentia propriissima Physicè sumpta faciat illud magis differre: ideo differentiæ intentio etiam Logicè magis conuenit differentiæ propriissimæ; vnde si tolleretur differentia propriissima, non daretur differentia simpliciter: quia non esset intra idem genus, sed esset tantùm differentia secundùm quid.

Ad secundum dicendum similiter quòd licèt Physicè accidens dependeat à substantia; tamen ad fundandas intentiones istas generis, speciei, differentiæ &c. se habent æqualiter: nam in vtroque est compositio ex actu & potentia: ac ita æqualiter in illis inuenitur ratio perfectibilis, perfectiui & perfecti & consequenter in illis sunt veræ genera, veræ species & differentiæ: sed differentia communis, propria & propriissima se habent inæqualiter respectu eius, cuius sunt differentiæ & duæ priores faciunt cum illo compositionem accidentalem; vnde tantùm reductiuè & per quamdam analogiam sunt differentiæ: & ita explicandus est Porphyrius.

Ad tertium dicendum, quòd quando intellectus comparat aliquid incompletum habens modum generis, speciei &c. respectu inferiorum, vel comparat differentiam propriam & communem inter Petrum, Æthyopem & equum: tunc per tales actus resultant intentiones in huiusmodi naturis, quæ ex suo genere sunt quid imperfectum & tantùm reducuntur ad aliquod prædicabile, sicut embrio reducitur ad speciem animalis; licèt secundùm se ad nullam pertineat: hîc autem loquimur de prædicabilibus secundùm se. Ex his colligitur quòd Porphyrius adduxit omnes definitiones differentiæ, quæ tunc erant communes; & ideo quædam coincidunt, nec omnes sunt exactæ: sed tantùm secunda & vltima, ac in vltima quasi correxit alias (exceptâ secundâ) quæ poterant conuenire etiam differentiæ communi, & propriæ: sed per istas particulas (quod pertineat ad substantiam & rationem, sitque pars rei) ita restrinxit ad differentiam propriissimam, vt non conueniat alteri: hæc definitio est essentialis, vt patet, secunda verò licèt bona, quia traditur per prædicari, quod est proprietas vniuersalis, est tantùm descriptiua, de qua iterum redibit sermo.

Articulus II.

Vtrùm differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad indiuiduum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd differentia non constituitur in esse vniuersalis, nec per ordinem ad speciem quam constituit, nec per ordinem ad indiuidua talis speciei; sed per ordinem ad propria inferiora: sicut rationale non constuitur in esse vniuersalis respectu hominis, nec respectu Petri & Pauli; sed respectu huius & illius rationalis. Probatur. Vniuersale est correlatiuum particularis: ergo vnumquodque vniuersale habet proprium particulare; sed proprium particulare differentiæ, non est species: cùm ipsa sit correlatiua generis; nec est indiuidua speciei, cum ipsa sint correlatiua ipsius speciei: ergo propria particularia differentiæ, sunt eius inferiora; ac proinde respectu illorum tantùm constituitur in esse vniuersalis.

§ 2. Econtra, Videtur quòd differentia constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit: ita vt hæc prædicatio (homo est rationalis) sit propriè huius prædicabilis; ita Caietanus, Soto, Toletus, & alij in præsenti. Probatur. Differentia vt differentia est, habet rationem vniuersalis: sed differentia constituitur in esse differentiæ per ordinem ad speciem, quam constituit, vt de se patet: ergo differentia constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem quam constituit. Confirmatur. Hæc prædicatio (homo est rationalis) est directa & formalis; ac proinde alicuius prædicabilis, non alterius quàm differentiæ, vt ex ipsis terminis constat: ergo differentia verè constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit.

§ 3. Præterea, Differentia constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad illa, de quibus prædicatur immediatè per modum differentiæ: hoc enim est commune cuicumque vniuersali, constitui tale per ordinem ad illa de quibus immediatè prædicatur, & constat exemplo generis, quod non constituitur vniuersale per ordinem ad indiuidua, sed per ordinem ad speciem; cuius alia ratio non est: nisi quòd immediatè prædicatur de specie & non de indiuiduis: sed differentia prædicatur tantùm de specie immediatè per modum differentiæ (nam de indiuiduis prædicatur mediante specie, de suis verò inferioribus non prædicatur per modum differentiæ) ergo differentia constituitur in esse vniuersalis tantùm per ordinem ad speciem quam constituit.

Sed contra est authoritas Porphyrij & D.Th. quos sequuntur nostri Complutenses, Sanches, noster Didacus, & plures alij in præsenti.

Conclusio.

Cùm sola indiuidua speciei sint inferiora differentiæ, vt differentia est: per ordinem ad ipsa tantùm, differentia constituitur in esse vniuersalis.

Respondeo dicendum, quòd propria inferiora differentiæ quatenus talis, v. g. rationalis, non est hoc, aut illud rationale, sed indiuidua speciei, scilicet Petrus & Paulus. 2. Vnde differentia infima, non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, sed per ordinem ad indiuidua speciei: & similiter differentia subalterna, vt sensitiuum non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad animal, quod constituit, sed per ordinem ad species animalis.

Probatur prima pars Conclusionis. Differentia prædicatur quatenus talis de pluribus in quale quid, vt suprà dictum est: sed rationale non prædicatur de hoc & illo rationali in quale quid, at omnino in quid; nam sicut animal licèt in se sit genus, quando prædicatur de indiuiduis genericis, nempe de hoc & illo animali ex modo prædicandi induit conditionem speciei, non aliâ ratione nisi quia tunc prædicatur de inferioribus vt tota essentia eorum, (quod per se conuenit speciei) ita rationale prædicatur de hoc & illo rationali vt tota essentia illorum, vt patet; ac proinde respectu illorum habet rationem speciei & prædicatur omnino in quid: respectu verò indiuiduorum prædicatur in quale quid: ergo propria inferiora differentiæ quatenus talis, v. g. rationalis, non est hoc, aut illud rationale: sed indiuidua speciei scilicet Petrus & Paulus.

Probatur secunda pars Conclusionis authoritate D. Thom. qui 2. Posterior. lect. 13. dicit differentiam vltimam nullo modo esse in plus quàm speciem: ergo respectu illius non habet rationem vniuersalis; vniuersale enim plus patet quàm illud respectu cuius dicitur vniuersale.

uersale, vt constat ex ipsis terminis. Deinde Porphyrius non definit differentiam in ordine ad vnam speciem, sed per prædicari de pluribus inferioribus, & cap. præcedenti enumerans modos prædicationis directæ ait: nam aut paria de paribus, vt hinnibile de equo, aut maiora de minoribus prædicari oportet: constat autem prædicationes vniuersalium esse illas in quibus maiora de minoribus prædicantur: ergo aliæ in quibus paria de paribus prædicantur, non pertinent ad vniuersalia; sed differentia est huiusmodi respectu speciei, etiam vt sumitur vt quid totum: quia sic conuertuntur: nam provt sumitur vt pars, est inferior specie, vt patet: ergo differentia non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, sed per ordinem ad indiuidua speciei.

Secundò, Vniuersale essentialiter dicit ordinem ad plura inferiora; propterea enim dicitur vniuersale: sed species non est inferior ad differentiam: nam ex Aristotele in postprædicamentis inferius est id, à quo valet subsistendi consequentia, & superius est id, à quo non valet subsistendi consequentia: constat autem quòd à differentia ad speciem, & econtra valet subsistendi consequentia: nam si est homo, est rationalis; si est rationalis, est homo: & ita differentia non est superior respectu speciei: ergo differentia non constituitur in esse vniuersalis in ordine ad speciem, sed in ordine ad indiuidua speciei.

Respondent aliqui, quòd licèt Physicè differentia sit æqualis cum specie: tamen Logicè inquantùm prædicabilis, est superior; quia differentia prædicatur de specie prædicatione formali: species autem non prædicatur prædicatione formali de differentia; sed tantùm de indiuiduis, quod sufficit vt sit vniuersalis respectu speciei: sed contra primò, quia sequeretur nullam esse prædicationem æqualis de æquali Logicè loquendo contra dictum Porphyrij, & communem sententiam Dilecticorum, qui asserunt illas esse aptissimas ad perfectissimam demonstrationem. Secundò, quia vt suprà dictum est vniuersale tantùm est superius Logicè loquendo respectu eorum à quibus abstrahit abstractione totali, & vniuersali: sed differentia non abstrahit ab specie abstractione totali, & vniuersali: sed tantùm abstractione formali, vt patet: ergo differentia respectu speciei non est quid superius etiam Logicè, at tantùm respectu indiuiduorum speciei.

Respondent alij, quòd licet differentia prædicetur de sola specie: tamen quia species sub se continet plura: ideo virtute prædicatur de pluribus; & ita prædicatio differentiæ de specie, æquiualet prædicationi de pluribus indiuiduis. Sed contra. Primò, quia talis continentia virtualis non sufficit ad rationem vniuersi: nam sicut vniuersale est simpliciter vnum; ita dicit ordinem quantùm est de se ad simpliciter multa, vel non saluabitur propria abstractio, & superioritas, quam requirit vniuersale: sed indiuidua vt virtute continentur in specie, non sunt simpliciter multa, at simpliciter vnum ex Porphyrio dicente, quòd participatione speciei plures homines sunt vnus homo: ergo differentia respectu speciei non habet rationem vniuersalis, ex eo quòd virtute contineat plura indiuidua. Secundò quando differentia prædicatur de specie, tunc species formaliter loquendo non habet rationem prædicabilis, at subiicibilis: ergo vt sic formaliter non continet etiam virtualiter indiuidua: nam sicut de ratione prædicati formaliter vt sic, est solùm continere in potentia subiectum: ita de ratione subiecti formaliter vt sic, est solùm continere actu prædicatum; ac proinde quælibet continentia etiam virtualis, & potentialis respectu inferiorum, est extra rationem formalem subiecti, siue subiicibilis: ergo quando differentia prædicatur de specie, tunc species formaliter loquendo, vel non habet, vel non exercet continentiam virtualem & potentialem indiuiduorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd v. g. Petrus provt relatione subiicibilitatis respicit totam essentiam, est proprium correlatiuum speciei: vt verò aliâ relatione subiicibilitatis respicit constitutiuum suæ essentiæ, est proprium correlatiuum differentiæ, & vt aliâ relatione respicit naturam quamdam profluentem à sua essentia, est proprium particulare, & correlatiuum proprij &c. Istæ autem relationes, sunt rationis: vnde verum quidem est diuersa vniuersalia petere diuersa particularia, non materialiter & in esse rei, sed formaliter; & in esse subiicibilis.

Ad secundum dicendum, quòd maior est falsa: nam sicut homo inquantùm formaliter rationalis, non est animal: sic differentia formaliter vt tale vniuersale, non est vniuersalis: quia nulla differentia includit genus. Ad confirmationem dicendum, quòd non omnis prædicatio directa pertinet ad vniuersalia: sed tantùm illa, in qua maius de minori prædicatur: si cætera necessaria adsint: prædicationes autem in quibus paria de paribus prædicantur, non pertinent ad prædicabile vniuersale, sed ad prædicabile de vno tantùm: vnde prædicationes in quibus differentia & proprietas prædicantur de sua specie, non sunt tertij, aut quarti prædicabilis: licèt aliqui Thomistæ ita eas vocent, quia si fiant de indiuiduis talis speciei sint propriè tertij & quarti prædicabilis.

Ad tertium dicendum, quòd si sensus sit vniuersale constitui in esse vniuersalis per ordinem ad ea, de quibus prædicatur immediatè, quatenus est vniuersale, maior est vera: sed est falsa, si prædicatur immediatè non vt vniuersale, sed alio modo vt hîc contingit: nam differentia non prædicatur de specie quatenus vniuersalis; sic enim prædicatur immediatè de indiuiduis speciei: & ideo licèt Petrus & Paulus sint rationales, quia sunt homines: tamen rationale non est vniuersale, quia respicit hominem, sed quia respicit Petrum & Paulum; ista enim valdè differunt, quòd Petro & Paulo conueniat esse rationales, quia sunt homines, & quod rationali conueniat secunda intentio vniuersalis, quia respicit hominem; argumentum vrgeret, si differentia, vt respicit speciem, respiceret actu multa, per quod constitueretur in esse vniuersalis: vnde cum ex respectu ad speciem non possit constitui in tali esse, debet constitui per respectum ad indiuidua talis speciei: licèt illa tantum mediatè respiciat vt est formaliter differentia.

Articvlvs III.

Vtrùm dentur differentiæ vltimæ, quæ cum speciebus atomis simpliciter conuertantur.

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd non dentur differentiæ vltimæ: quæ cum speciebus atomis simpliciter conuertantur: ita tribuitur quibusdam antiquis vt Themistio, Philoppono, & Auerroi: vnde dicebant omnes differentias esse subalternas, & consequenter ad definiendam aliquam speciem, ponendas esse duas, vel plures differentias subalternas, quarum vnaquæque latiùs pateat quàm species definita: omnes verò simul sumptæ cum ea conuertantur. Probatur ex Aristotele 2. posterior. cap. 14. vbi agens de definitionibus specierum hæc habet: *Talia eo vsque sumenda sunt, quovsque tot fuerint sumpta, vt vnumquodque illorum quidem pluribus competat; cuncta autem simul non ad plura sese extendant.* Idem etiam alibi docet.

¶ 2. Præterea, Porphyrius hîc definiens differentiam dicit quòd prædicatur in qualequid de pluribus differentibus specie: sed hæc definitio non conueniret differentiæ vltimæ si daretur: ergo non datur. Item cap. de communitatibus generis & differentiæ sic ait: *Continet enim & differentia species: etsi non omnes eas, quas genus continet:* Rationale enim, etsi non expertia rationis, vt animal; Deum tamen, ac hominem, quæ sunt species, continet. Item alibi ad definiendam aliquam speciem semper vtitur duabus differentiis, vt rationali & mortali ad definiendum hominem, vtraque autem latiùs patet, quàm homo: nam rationale conuenit etiam Deo & Angelis; mortale verò aliis animalibus, sed simul iunctæ soli homini: quod non faceret, si darentur differentiæ atomæ

vt patet, quia cum ſpecie conuerterentur vnde vna ſuffi- ceret : ergo non dantur.

§ 3. Præterea, Per ſolas differentias ſubalternas ſimul ſumptas ſufficienter conſtituitur ſpecies, & diſtinguitur ab aliis, ſicut ex Ariſtotele 2. poſterior. Trinitas definitur quòd ſit numerus impar primus: per ly (impar) diſtinguitur à binario, qui eſt quidem numerus primus, ſed non impar, per ly verò (primus) diſtinguitur à quinario qui quidem eſt numerus impar, ſed non primus: ergo differentiæ vltimæ ſunt ſuperfluæ; ac ita non dantur in natura, quæ ſicut non deficit in neceſſariis; ita nec eſt ſuperflua, ſiue nihil agit fruſtra.

Sed contra eſt authoritas Ariſtot. & D. Thom. nec non & communis ſententia philoſophorum tam antiquorum quàm recentiorum.

Conclvsio.

Cùm qualibet ſpecies habeat aliquem gradum ſpecificum eſſentialem ſibi proprium: habet & differentiam vltimam, quæ cum ipſa ſimpliciter conuertatur.

Respondeo dicendum, quòd præter differentias ſubalternas verè dantur differentiæ vltimæ, & ſimplices in ſingulis ſpeciebus, quæ cum ipſis ſimpliciter conuertantur. 2. Quæ tamen ferè omnes ſunt nobis ignoræ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt præſentem difficultatem moueri præcipuè propter Porphyrium, qui definiens differentiam dixit eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in qualequid, quæ definitio non poteſt conuenire niſi differentiis ſubalternis, cùm vltimæ (ſi dantur) non prædicentur de differentibus ſpecie, ſed ſolo numero, & ita ex hac definitione videntur excludi differentiæ vltimæ: differentiæ autem ſubalternæ & vltimæ ſi ſumantur pro naturis realibus, licèt in eodem non diſtinguantur realiter, vt in homine ſenſibilitas, & rationalitas: tamen diſtinguuntur formaliter eſſentialiter, vt communiter docent Philoſophi: ſi tamen ſumantur pro ſecundis intentionibus, non diſtinguuntur eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter, & numero: vnde differentia propriiſſima eſt ſpecies infima vniuerſalis, ratio eſt manifeſta, nam facere differre (quod eſt eſſentia differentiæ) accidentaliter tantùm, & materialiter reſpicit hanc vel illam naturam, ſcilicet genericam vel ſpecificam vt patet: conſtat autem, quòd differentia dicitur ſubalterna quæ facit differre vnam naturam genericam ab alia: differentia verò dicitur vltima, quæ facit differre naturam ſpecificam.

Probatur prima pars concluſionis triplici auctoritate Ariſtot. quam refert D. Thom 2. poſterior lect. 15. prima eſt ex 7. Metaph. textu 42. vbi aſſerit eſſe poſſibile, quòd definitio ex duobus conſtituatur, quorum vnum ſit genus, & aliud differentia. Secunda eſt ibidem textu 43. vbi ſic ait: *Et ſic ſemper vult procedere, donec vſque veniat ad non differentia: tunc autem erunt tot ſpecies pedis, quot differentia*; quod explicans D. Thom. ait: *Et ita ſemper procedendum eſt in diuiſione differentiarum, donec diuidens veniat ad non differentia, id eſt ad vltimas differentias, quæ non diuiduntur vlterius in alias differentias; & tunc tot erunt ſpecies pedis quot differentiæ.* Tertia tandem habetur 8. Metaph. textu 6. vbi dicitur differentiam correſpondere formæ. Idem docet Porphyrius in libro de interrogationibus & reſponſionibus cap. 3. qui cùm ſibi hanc feciſſet interrogationem, cùm dixeris differentiam de pluribus ſpeciebus efferri nunquid rem vt ita ſeſe habet explicaſti? Sic reſpondet, non ita planè: ſed vt plerumque eſſe conſueuit: reperiuntur enim aliqua, quæ ſpeciebus adæquantur &c. quibus verbis procul dubio concedit vltimas differentias.

Secundò. Quælibet ſpecies habet aliquem gradum ſpecificum eſſentialem ſibi proprium, quo ab aliis omnibus, quæ continentur intra idem genus diſtinguitur, & in eſſe ſpecifico vltimatè conſtituitur; aliàs eſſet tantùm diſtinctio accidentalis inter ſpecies rerum, quod nullus dicet: ſed hunc gradum vocamus differentiam vltimam: ergo dantur in rebus differentiæ vltimæ, quæ cum ſpeciebus atomis ſimpliciter conuertantur: quod conſonat communi ſententiæ philoſophorum, qui dicunt ex genere proximo, & differentia vltima conſtitui ſpeciem. Confirmatur. Dantur proprietates ſpecificæ, quæ conſequũtur gradus vltimos & ſpecificos vt in homine potentia admirandi & ridendi, quæ conuertuntur cum ſpecie, & ſunt aliis perfectiores: ergo idem dicendum de gradibus eſſentialibus, à quibus emanant: conſtat autem quòd hi gradus ſunt differentiæ atomæ: ergo dantur tales differentiæ.

Tertiò. In rebus materialibus, vt ſupra dictum eſt, differentia deſumitur à forma, & genus à materia: ſed in qualibet re materiali eſt forma ſubſtantialis propria, per quam vltimò conſtituitur in ſuo eſſe, quæ forma eſt vnica, ſimplex, & non compoſita ex pluribus formis: ergo in qualibet re materiali eſt etiam propria differentia, per quam vltimò in eſſe ſpecifico conſtituitur, quæ differentia eſt vnica, ſimplex, ac proinde vltima: hæc ratio habet etiam locum in Angelis, & accidentibus: nam eorum eſſentia, à qua deſumitur eorum differentia, eſt omninò ſimplex: ergo & ipſa differentia. Confirmatur. Differentia ſubalterna eſt ſimplex, & conuertitur cum ſpecie ſubalterna vt ab omnibus conceditur: ergo multò magis differentia vltima, nam ſi à gradu imperfecto, & potentiali, quem tribuit forma, deſumitur vera differentia ſimplex; multò magis à gradu perfecto, & actuali ſumitur vera, & ſimplex differentia, quæ ſit vltima.

Probatur, & explicatur ſecunda pars concluſionis. Sola differentia vltima hominis eſt nobis nota; nam cùm in nobis experiamur proprietates, quas vltimò videmus reſolui in rationalitatem, tanquam in principium; ideo conuincimur vt dicamus rationalitatem eſſe vltimam differentiam hominis, quam experientiam in aliis non habemus: & ita in aliis vltima differentia non eſt nobis nota; vnde in conſtruenda eorum definitione vtimur aliqua eorum proprietate nobis nota, ſicut dicimus quòd Leo eſt animal rugibile, & Equus animal hinnibile &c.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 2. poſterior. lect. 15. quòd Ariſtot. loquitur ibi de definitionibus accidentalibus, quæ dantur per aliqua accidentia communia, quæ tamen dicuntur ſubſtantiales & eſſentiales; quia inducuntur ad declarandam ſubſtantiam, ſiue eſſentiam rei; & tunc certum eſt quòd debent aſſumi plures differentiæ, quarum ſingulæ latiùs pateant, quàm definitum; ſimul verò iunctæ cum illo reciprocentur: ex hoc quia differentiæ ſubalternæ verè ſubſtantiales, non poſſunt efficere definitionem, ſicut nec poſſunt eſſentiam ſpecificam conſtituere: nam vel tales differentiæ ſunt conſtitutiuæ duorum generum, quorum vnum ſub alio non continetur, & tunc repugnat eas iungi in vna definitione, quia nec conſtituunt vnam ſpeciem & ſunt incompoſſibiles: vel ſunt conſtitutiuæ generum, quorum vnum continetur ſub alio, & tales differentiæ, licèt omnes iungantur in definitione alicuius ſpeciei infimæ; adhuc conuenient aliis ſpeciebus, & ideo definitio erit mala.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſecundùm aliquos hæc definitio conuenit per non repugnantiam etiam differentiæ vltimæ, non inquantum eſt vltima, ſed inquantum differentia, aliàs nulli differentiæ conueniret: ſed hæc explicatio nulla eſt; nam ſi admittantur definitiones per non repugnantiam rationi communi, ſequerentur multa abſurda: nam poſſet ſimiliter ſic definiri equus, quòd ſit ſubſtantia ſenſibilis rationalis: quia non repugnat illi, inquantum eſt animal, eſſe rationalem; aliàs omni animali repugnaret, & generaliter definitio vnius ſpeciei conueniret alteri, quia differentia vnius ſpeciei non repugnat alteri propter rationem communem: vnde ſi oppoſitio differentiarum eſſentialium impedit, ne ſimiles definitiones ſint bonæ: quia tales differentiæ, quia oppoſitæ, ſunt incompoſſibiles; ſic in præſenti iſta definitio differentiæ non poteſt conuenire differentiæ vltimæ; quia ſubalterna, & vltima dicunt differentias oppoſitas, licèt tantùm accidentaliter; & ideo incompoſſibilis: vnde dicendum eſt quòd in hac definitione Porphyrius tantùm definit differentias ſubalternas vt communiter docent Thomiſtæ: cur autem iſtâ definitione non ſit complexus

omnes

omnes differentias? Respondent quidam quòd sicut cap. præcedenti quasdam dedit definitiones, quæ soli speciei infimæ conueniunt, quasdam verò communes speciei subalternæ & infimæ: ita egit in præsenti, sed vice versa tradens definitionem solius differentiæ subalternæ, quia vsus illius est frequentior in definitionibus, diuisionibus & argumentationibus: sicut cap. sequenti solùm definit proprium infimum, quia proprietatibus infimis frequentiùs vtimur, quàm subalternis; & tamen proprium subalternum est verè proprium; & in hoc imitatus est Aristotelem, qui ex professo agens de differentia in ordine ad demonstrationes, & argumenta probabilia 2. poster. cap.14. & alibi, solùm meminit subalternæ, & 1.Topic. cap.3. agens de proprio, solùm definit infimum: si tamen ex prædicta definitione amoueantur aliquæ particulæ, fiet communis omni differentiæ, vt si dicatur, (differentia est quæ prædicatur de pluribus in quale quid.) Ad alium locum Porphyrij dicendum sicut ad Aristotelem, quamuis errauerit credens dari animalia immortalia.

Ad tertium dicendum, quòd differentiæ subalternæ si verè sint essentiales, non possunt constituere speciem in vltimo & specifico gradu: si autem sint accidentales, sunt tantùm signum propriæ & specificæ differentiæ, quando simul sumuntur: tunc autem licet illas assumere quando ignoratur differentia vltima, vt contingit in definitione adducta numeri ternarij, vbi ambæ differentiæ assignatæ non sunt essentiales: nam idem genus semel tantùm potest in species diuidi.

Articvlvs IV.

Vtrùm differentia infima includat subalternas?

AD qvartvm sic proceditur. Videtur quòd differentia infima includat subalternas. Ita Nominales, qui constituunt rectam lineam in differentiis, non minùs ac in generibus & speciebus: hoc vt probabile tenet exercitij gratiâ Soncinas 7. Metaphysicæ quæst. 37. Probatur authoritate Aristot. qui 7. Metaph. textu 43. tria dicit: Primum, quòd differentiæ superiores clauduntur in infima, & ideo nihil refert siue in definitione ponantur illæ omnes, siue ista sola. Secundum, quòd differentia infima est tota rei substantia, & ideo illâ positâ in definitione non licet aliquam superiorem adiungere, aliàs esset nugatio, sicut esset si hominem definiremus esse animal rationale sensibile. Tertium, quòd ad inueniendam vltimam differentiam procedendum est per diuisionem differentiæ superioris in inferiores, quæ sint per se diuisiuæ eius: sed ex his sequitur necessariò differentiam infimam includere subalternas: ergo differentia infima includit subalternas.

¶ 2. Præterea, Conceptus differentiæ infimæ non est simplex, quia talis conceptus, non est simplicior conceptu generis generalissimi, qui tamen non est simpliciter simplex, sed resoluitur in duos, scilicet in conceptum entis, & modi proprij vniuscuiusque: ergo differentia infima continet subalternas; si enim non est simplex, non potest continere aliud, quàm differentias subalternas.

¶ 3. Præterea, Rationale v. g. est substantia: ergo corporea vel spiritualis: vnde verè vna ex istis subalternis prædicatur formaliter de infima. Deinde hæc est bona consequentia in Darapti, omnis homo est sensibilis, omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est sensibile; ac proinde sicut in præmissis maius, & minus extremum prædicantur de medio: sic in conclusione maius extremum prædicatur de minori prædicatione formali: sed quod prædicatur de alio prædicatione formali, includitur in illo: ergo differentiæ subalternæ includuntur in infima.

Sed contra est authoritas Aristot. & D. Thom. 1. contra gentes cap. 17. 3. Metaph. cap. 3. lect. 8. de ente & essentia cap. 7. item Scoti in 4. d. 11. q. 3. & 7. Metaph. q. 17. vnde est communis doctrina tam in schola Thomistica, quàm Scotica.

Conclvsio.

Cùm differentiæ infimæ sint omninò diuersæ, id est se totis differant; ac proinde in nullo conueniant: non includunt in se genera, nec differentias subalternas.

Respondeo dicendum, quòd differentiæ infimæ sunt conceptus omninò simplices, nec includunt differentias subalternas, aut genera: vnde de illis nec genera, nec differentiæ superiores per se formaliter prædicantur. 2. Quamuis differentiæ infimæ contineant virtualiter differentias superiores & subalternas; quæ propterea possunt prædicari de infimis prædicatione identicâ. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem procedere de differentiis subordinatis, vt de rationali & sensibili: non autem de differentiis, quæ dicunt oppositionem, vt de rationali & insensibili: oppositio autem quam dicunt inter se differentiæ quæcumque, nec est priuatiua, nec contradictoria, nec contraria propriè; sed impropriè: quòd non sit priuatiua patet, nam licèt differentiæ per se diuidentes genus, aliquando exprimantur per nomina priuatiua, siue negatiua: hoc fit vt adæquatè diuidatur genus, & non sit opus afferre omnes differentias positiuas; vnde illa negatiua supponit pro omnibus aliis positiuis: oppositio autem priuatiua est tantùm inter formam, & eius priuationem. Quòd non sit oppositio contradictoria etiam patet; quia in contradictoriis est affirmatio & negatio immediatè eiusdem de eodem, & vna pars dicitur tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, vt non homo tam de lapide, quàm de chimera, ex Aristotele in postcategoriis cap. de contrariis: sed vna differentia non immediatè negat aliam, sed aliquid reale importat. Quòd etiam hæc oppositio non sit contraria propriè sed impropriè constat ex eo, quòd ad propriam contrarietatem sequentes tres conditiones indispensabiliter requiruntur. Prima, vt contineantur sub eodem genere, quæ differentiis competit. Secunda, vt inter se maximè distent, quod etiam eisdem differentiis competit. Tertia, vt eidem subiecto vicissim insint, à quo per veram actionem & passionem se mutuò expellant, nisi fuerit alterum inditum à natura: quæ non competit differentiis: ad contrarietatem verò impropriam requiruntur etiam tres conditiones, scilicet duæ primæ assignatæ, tertia autem est, quòd eidem subiecto nullâ ratione possint conuenire, quæ conuenit differentiis; nam rationale & irrationale non possunt eidem homini, vel equo conuenire; & ita opponuntur contrariè sed impropriè.

Item sciendum est hanc difficultatem procedere in sensu formali, & non in sensu materiali ac identico: nam in sensu identico, certum est differentiam vltimam includere subalternas & genera, nam cum illis realiter identificatur: vnde difficultas est, vtrùm v. g. rationale prout formaliter significat perfectionem illam siue illum gradum, per quem homo differt ab aliis animalibus, & ratione cuius homo excedit animal; ita sit conceptus simplex vt non includat in sua ratione formali aliquam differentiam subalternam: ex qua, & propria ratione intelligatur componi eo modo, quo species componitur ex genere & differentia: ex hac verò difficultate resoluuntur aliæ connexæ, an scilicet differentiæ superiores, siue subalternæ per se prædicentur de differentiis infimis: si enim includuntur, prædicantur formaliter: an genus includatur in vltimis differentiis, & an per se prædicetur de differentiis, per quas diuiditur, eadem quippe est ratio quantùm ad hoc de genere, ac de differentiis subalternis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi 4.Topicor.cap.2. vbi sic ait: *Omne quod participat genus, vel species, vel indiuiduum est*: Differentia autem neque est indiuiduum, neque species; manifestum igitur quòd non participat genus differentia: idem docet 3. Metaph.textu 10. Constat autem quòd est eadem ratio quantùm ad hoc de genere & de differentiis genericis, siue subalternis: ergo differentia infima non includit subalternas.

Secundò,

Secundò, differentiæ infimæ ſunt omnino diuerſæ: id eſt ſe totis differunt, ac proinde in nullo conueniunt, ex Ariſtotele, & D. Th. Ratio autem eſt, quia ſi differentiæ infimæ non ſunt omnino diuerſæ, different aliis differentiis; & ita ipſæ non erunt vltimæ differentiæ, ſed illæ aliæ, quibus different: de quibus iterum inquirendum eſt an ſint omnino diuerſæ, & differant ſe totis, an differant per alias differentias: & ſic vel dabitur proceſſus in infinitum in differentiis, qui eſt impoſſibilis; vel perueniendum eſt ad aliquas vltimas omnino ſimplices, & ſe totis diuerſas, ac in nullo conuenientes: ergo differentiæ vltimæ non includunt in ſe genera, neque differentias ſubalternas: aliàs in ipſis conuenirent, vt ex ſe patet; propterea enim aliquæ ſpecies conueniunt in aliquo genere, quia illud includunt.

Tertiò, quælibet pars in quacumque compoſitione præſcindit ab alia parte, & excludit illam, vt ex ſe conſtat: ſed genus & differentia ſunt partes in compoſitione logica, & genus formaliter ſumptum habet rationem potentiæ & contrahibilis: differentia verò rationem actus & contractiui, & ſi prædicarentur prædicatione formali, aſſumerentur vt partes Logicæ, ſiue ſecundùm rationem formalem potentiæ & actus: ergo cùm non ſolùm genus, ſed etiam differentia ſubalterna ex D. Thom. 1. contra gentes cap. 14. contrahatur per differentias vltimas, & habeat rationem potentiæ reſpectu earum (nam conſtituit genus in quodam gradu eſſentiæ potentiali, & vlterius perfectibili) ſequitur non ſolùm genus, ſed & differentiam ſubalternam eſſe extra eſſentiam differentiarum vltimarum.

Quartò, Ariſtoteles 3. Metaphyſicæ textu 10. probat genus non eſſe de eſſentia differentiarum, ſiue de conceptu formali: alioquin duplici ratione conueniret ſpeciebus, ſemel ratione ſui, & iterum ratione differentiæ, in qua includeretur: & ſic in definitione committeretur nugatio: nam dicere (homo eſt animal rationale) eſſet dicere (homo eſt animal animal rationale) ſed idem abſurdum ſequeretur, ſi differentiæ ſubalternæ includerentur in vltimis, quia cùm dicimus (homo eſt animal rationale) idem eſſet ac dicere (homo eſt viuens ſenſibile rationale) ergo ſi rationale includeret in ſe ſenſibile, idem eſſet dicere (homo eſt animal rationale) ac dicere (homo eſt viuens ſenſibile ſenſibile rationale) Ac proinde ad vitanda hæc abſurda dicendum eſt, quòd differentiæ vltimæ ſunt conceptus ſimplices, qui non includant differentias ſubalternas, aut genera.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Omnes gradus eſſentiales qui ſunt v. g. in homine, ſunt eadem res ſimpliciſſima: ergo prædicantur differentiæ ſubalternæ de infimis prædicatione identicâ: ex alia verò parte differentia infima eſt perfectior ſubalternis, cùm ſit actualior: ergo continet illas virtualiter.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles non loquitur in ſenſu formali, ſed in ſenſu materiali & identico, vt conſtat ex ipſiſmet verbis Philoſophi: nam ibi ſubiungit quòd genus & differentia non diſtinguuntur tanquam duæ res, ſed tanquam indeterminatum & determinatum: ſiquidem eadem res ſignificata vt indeterminata, eſt genus, vt determinata, eſt differentia: ita explicat D. Thom. hunc locum.

Ad ſecundum dicendum, quòd differentia vltima non eſt conceptus ſimpliciter ſimplex: hoc enim repugnat cuicumque rei creatæ, cùm non ſit ſuum eſſe: tamen eſt conceptus ſimplex, vt hic loquimur; non enim in ſe includit nec genera, nec differentias ſubalternas, nec quidquam aliud præter conceptum entis, qui à nullo poteſt abſtrahi; & hoc ſolùm conuincit argumentum: eſt tamen quid ſimplicius primo genere, ſi ipſa ſumatur cum præciſione: nam eſt vltima pars, & actus conſtitutiuus eſſentiæ: genus autem ſupremum habet multùm de potentialitate, & continet confusè omnia inferiora.

Ad Tertium dicendum, quòd rationale ſi ſumatur cum præciſione, & ſubſtantia, vt eſt primum genus, & quid vniuocum, corporeum autem & incorporeum, vt ſunt eius differentiæ diuiſiuæ: ſic rationale formaliter nec eſt ſubſtantia, nec corporea, nec incorporea: & in hoc ſenſu procedit difficultas: ſi autem ſumatur ſubſtantia latè, vt opponitur accidenti, quâ ratione non eſt genus: corporeum etiam & incorporeum prout ſignificant quamcumque habitudinem ad corpus & ſpiritum, quâ ratione non ſunt differentiæ: hoc modo rationale dicitur ſubſtantia, ſicut materia & forma dicuntur ſubſtantiæ: dicitur etiam corporea, quia eſt differentia hominis, qui eſt ſubſtantia corporea. Ad aliud dicendum, quòd in hoc argumento ly (rationale) quod eſt minor extremitas concluſionis, ex vi & ſitu prædicationis ſupponit, quòd de materiali importat: vnde cùm ſenſibile ſit prædicatum; ac propterea, vt ſic, habeat rationem formæ, & ſit quid ſuperius, talis prædicatio eſt formalis: ſed nihil contra nos: quamuis poſſit dici cum Maſio & Sanches, & optimè, quòd ex virtute formæ ſillogiſticæ ſolùm ſequitur, extremitates, quæ in præmiſſis vniuntur cum medio, vniti etiam inter ſe in concluſione: non tamen quòd habeant eumdem modum vnionis, vel quòd propoſitiones habeant eamdem perſeitatem: vnde poteſt contingere, quòd præmiſſæ in ſenſu formali ſint veræ: concluſio autem ſit ſolùm vera in ſenſu materiali & identico.

Articvlvs V.

Vtrùm quælibet differentia ſit perfectior genere?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd quælibet differentia non ſit perfectior genere. Ita Omnia in præſenti q. 1. art. 5. & alij moderni, qui negant quamlibet differentiam addere aliquam perfectionem generi: ſed dicunt hoc tantùm competere illis differentiis, quæ eleuant genus ad eminentiorem & nobiliorem gradum naturæ, vt animatum, quod eleuat mixtum ad gradum vitæ; & rationale, quod eleuat animal ad gradum intellectiui. Probatur. Differentiæ, quæ non eleuant genus ad altiorem gradum, ſignificant tantùm ipſam perfectionem generis, & adhuc magis limitatam & contractam: ergo non ſuperaddunt generi perfectionem; ſed eius potiùs perfectionem auferunt: nam coarctare & limitare aliquid intra idem genus denotat imperfectionem.

¶ 2. Præterea, volitio libera eſt genus ad omnes volitiones liberas, tam bonas, quàm malas: ſed differentia illam limitans ad eſſe malæ & peccaminoſæ, eſt imperfectior ipsâ volitione liberâ in communi, cùm per illam reddatur imperfecta. Item ſapientia in communi cùm ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, eſt perfectior ſapientiâ creatâ, cùm non ſit perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo quælibet differentia non addit perfectionem: ſed aliquæ auferunt perfectionem à genere, & ita quælibet non eſt perfectior genere.

¶ 3. Præterea, ſi quælibet differentia addit perfectionem generi, ſequitur quòd quælibet ſpecies haberet diſtinctam & perfectiorem operationem ab aliis ſpeciebus: nam ad eſſe diſtinctum & perfectius, ſequitur operatio diſtincta & perfectior: nam ſicut operari ſequitur eſſe, ita modus operandi ſequitur modum eſſendi: ſed omnes ſpecies Angelicæ habent eaſdem & æquè perfectas operationes, ſcilicet intelligere & velle: item aliqua animalia non ſolùm ratione differentiæ non habent perfectiorem operationem, imò ratione eiuſdem deſunt illis aliquæ operationes, quæ conſequuntur rationem communem generis: ſicut talpæ carere viſu, piſcibus olfactu, oſtreis motu: ergo quælibet differentia non addit perfectionem generi, nec eſt perfectior illo.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis 8. Metaph. textu 10. vbi rerum eſſentias comparat numeris: nam ſicut numeri per vltimam vnitatem ſe inuicem ſuperant, & ſuperantur: ita ſpecies per differentias. Item Porphyrij in hoc cap. ac D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. ad 1. & q. 75. art. 7. ad 2. & in 2. d. 3. q. 1. art. 6. ad 1. & q. de ſpiritualibus creaturis art. 8. ad 9. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Conclusio.

Cùm genus in compositione Logica sit potentia, & differentia sit eius actus: quælibet differentia est perfectior genere.

Respondeo dicendum quòd omnis differentia est perfectior suo genere, sicut actus est perfectior potentiâ; & ideo addit aliquam perfectionem generi, per quam determinatur genus ad specialem naturam; vnde species in perfectione excedit genus. Ad cuius euidentiam sciendum est genus non diuidi propriè loquendo in differentias, quia differentiæ non includunt genus: sed genus per differentias diuidi in species: quæ diuisio vt rectè fiat, sumendæ sunt differentiæ, quæ per se diuidant genus, vt ait Philosophus 7. Metaph. textu 43. quia si fuerint differentiæ per accidens non erit diuisio generis in quantum genus, & consequenter nec essentialis: quod optimè explicat D. Thom. 1. 2. q. 35. art. 8. vbi sic ait: ad rationem speciei pertinet, quòd se habeat ex additione ad genus: sed generi potest aliquid addi dupliciter; vno modo, quod per se ad ipsum pertinet, & virtute continetur in ipso, sicut rationale additur animali: & talis additio facit veras species, vt per Philosophum patet in 7. & 8. Metaphisic. aliquid verò additur generi quasi aliquid extraneum à ratione ipsius, sicut si album animali addatur, vel aliquid huiusmodi, & talis additio non facit veras species generis.

Probatur Conclusio authoritate D. Th. quæst. citatâ de spiritualibus creaturis vbi hæc habet: *Illud quod constituit in specie est nobilius eo, quod constituit in genere, sicut determinatum indeterminato*: Habet enim se determinatum ad indeterminatum, vt actus ad potentiam; non autem ita quòd semper illud, quod constituit in specie ad nobiliorem naturam pertineat, vt patet in speciebus animalium irrationalium: non enim constituuntur huiusmodi species per additionem alterius naturæ nobilioris supra naturam sensitiuam, quæ est nobilissima in eis, sed per determinationem ad diuersos gradus in illa natura, & similiter dicendum est de intellectuali, quod est commune in Angelis.

Secundò, omne genus est perfectibile vlteriori perfectione, per hoc enim differt ab specie, quæ est totum quid completum, ac perfectum, ac vltimò actuale in essentia: genus autem est quid maximè potentiale, cuius potentialitas perficitur & completur in qualibet sua specie: ergo omnis differentia superaddit generi aliquam perfectionem: quia species, quæ est perfectior genere, supra genus solùm importat differentiam: cùm autem differentia, vt sic, habeat rationem actus & formæ respectu sui generis, quod habet respectu illius rationem potentiæ & materiæ: actus autem & forma, vt sic, sit perfectior potentiâ & materiâ; sequitur quòd quælibet differentia sit perfectior suo genere.

Ad primum ergo dicendum, quòd illimitatio in genere causæ materialis, est imperfectio: nam prouenit ex priuatione perfectionis, scilicet formæ & actus, vt patet in materia prima, quæ cùm sit pura potentia, & illimitata in genere causæ materialis, est omnium entium imperfectissima: & sic contingit in genere, quod est hoc modo illimitatum; quia in se actu nullam habet perfectionem, ex his quas tribuunt illi differentiæ.

Ad secundum dicendum, quòd malitia, quæ est in actu libero in genere moris, vt dicit priuationem rectitudinis, dicit imperfectionem: vt autem volitio libera mala consideratur secundùm esse Phisicum, positiuum & reale quod habet: sic addit aliquam perfectionem supra genus: hîc autem agitur de differentiis positiuis & non de priuatiuis. Ad aliud dicendum quòd sapientia, vt sic, non est genus, nec quid vniuocum, sed taotùm analogum ad sapientiam creatam & increatam: in analogis autem maiorem dicit perfectionem analogum, quàm secundaria analogata.

Ad tertium dicendum quòd differentia tunc solùm est radix necessariò nouæ operationis, quando eleuat genus ad altiorem naturam: quando verò non eleuat, sufficit quòd sit radix, quare eadem operatio perfectiori, vel imperfectiori modo participetur ab speciebus: vnde etiam in illis animalibus, quæ aliquo sensu, vel perfectione sunt destituta, propria vniuscuiusque differentia perfectior est, quàm genus animalis; quia saltem determinat aliquam operationem, quæ confusè tantùm & indeterminatè conueniebat generi: vt autem dicit D. Thom. in 2. d. 3. q. 1. art. 6. ad 1. habere intellectum sic, nobilius est quàm habere intellectum simpliciter, & habere sensum sic; quàm habere sensum simpliciter.

QVÆSTIO VIII.

De Proprio.

Post considerationem prædicabilium essentialium, consideranda sunt duo alia prædicabilia, quæ accidentaliter & contingenter prædicantur: prius autem agendum est de proprio, quàm de communi accidente, quia magis, & intimiùs vnitur essentiæ, vt pote ab illa dimanans & inseparabile, circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm solum proprium quarto modo constituat hoc prædicabile?

¶ Secundò, Vtrùm proprium subalternum pertineat ad hoc prædicabile?

¶ Tertiò, Vtrùm proprium constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad inferiora illius speciei, à qua dimanat?

Articulus I.

Vtrùm solum proprium quarto modo constituat hoc prædicabile?

Ad Primum sic proceditur. Videtur quòd proprium in tota sua latitudine, id est sumptum secundùm aliquam ex quatuor vulgatis acceptionibus constituat hoc prædicabile. Ita Louanienses & alij. Probatur. Proprium secundùm omnes acceptiones respicit inferiora speciali modo qui non competit accidenti quinto prædicabili: nam in prima respicit sub formalitate totius; conuenit enim soli, licèt non omni. In secunda respicit vt conueniens omni, sed non soli. In tertia vt conueniens omni, & soli, sed non semper. In quarta vt conueniens omni, soli, & semper: ergo per se secundùm has omnes acceptiones constituit hoc prædicabile, & non pertinet ad quintum: nam diuersus modus respiciendi inferiora & prædicandi de illis, diuersificat prædicabilia: vnde quintum prædicabile est solius accidentis, quod respicit inferiora sub formalitate tantùm contingentis, siue vt potest adesse & abesse sine subiecti corruptione. Maximè quia proprium secundùm tres priores acceptiones, de quibus tantùm est difficultas verè profluit ab intrinseco, non quidem vt dicit actum, sed vt dicit aptitudinem ea D. Thom. cap. 7. de ente & essentia, vbi dicit omne accidens secundùm aptitudinem causari à principiis substantiæ, quod potest probari inductione: & ita illud proprium est vera proprietas pertinens ad hoc prædicabile.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd proprium secundùm tres saltem posteriores acceptiones pertineat ad hoc prædicabile, ita Fonseca & alij. Probatur. Quod conuenit omni, & semper; conuenit necessariò; ac proinde profluit ab essentia, & est proprietas: sed proprium secundùm quamlibet ex tribus postremis acceptionibus conuenit omni, & semper: ergo verè fluit ab essentia, & est vera proprietas; ac proinde pertinet ad hoc prædicabile. Maximè quia non est necesse ad veram rationem proprietatis, quòd conueniat soli: aliàs sequeretur, quòd proprium subalternum respectu speciei infimæ, non esset proprium: nam etiam aliis speciebus conuenit.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd proprium non solùm quarto modo, sed etiam tertio modo pertineat ad hoc prædicabile,

prædicabile. Ita aliqui Moderni. Probatur. Quod conuenit omni, & soli; licèt non semper conueniat; verè habet rationem proprietatis, & verè dimanat ab essentia: nam proprietates dimanant ab essentia tempore à natura constituto, quando scilicet inducit subiecto dispositionem necessariam, vt patet in potentia visiua respectu canis post nonum diem: ergo non solum proprium quarto, sed etiam tertio modo pertinet ad hoc prędicabile.

Sed contra est authoritas Aristotelis 1. Topicor. cap. 4. Porphyrij in hoc capite, & D. Thom. opusc. 48. tract. 1. cap. 6. & 7. vbi agens de proprio illud solùm definit in quarta acceptione: quos communiter sequuntur Thomistæ & plures alij.

Conclusio.

Cùm solum proprium in quarta acceptione, simpliciter dimanet ab essentialibus principiis, & cum illis habeat naturalem & necessariam connexionem: ipsum solum est vera proprietas, & constituit hoc prædicabile.

Respondeo dicendum, quòd solum proprium quarto modo constituit hoc prædicabile: aliæ verò proprij acceptiones simpliciter pertinent ad quintum prædicabile, & tantùm secundùm quid, & per reductionem possunt pertinere ad hoc quartum, eo modo quo differentia propria & communis pertinent ad tertium: vnde diuisio proprij in hac lata significatione non est vniuoca, sed analoga. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd proprium apud Platonem sumitur pro optimo; apud Ciceronem pro eo quo quis vtitur, vel fruitur; in rerum dominiis diuersimodè sumitur à Iurisperitis: sed apud Dialecticos dupliciter solet sumi proprium, vel vt opponitur improprio, vel vt opponitur communi, & ita sumitur hîc prout constituit hoc quartum prædicabile. Huius proprij assignauit Porphyrius quatuor acceptiones quas desumpsit ex 1. Topicor. cap. 4. Prima acceptio est; proprium dicitur, quod conuenit soli speciei: sed non omni indiuiduo eius, vt esse Medicum, vel Geometram respectu hominis. Secunda; proprium dicitur, quod conuenit omni, sed non soli, vt esse bipedem respectu hominis. Tertia; quod conuenit omni, & soli, sed non semper vt canescere respectu hominum, quia hoc vt in plurimùm contingit in hominibus, & rariùs in aliis animalibus. Quarta; quod conuenit omni, soli & semper; vt esse risibile respectu hominis: nam licèt homo non semper rideat: tamen semper habet ridendi facultatem, & hoc dicitur verè & maximè proprium, & conuertitur cum specie: primùm & secundum proprium vocat Aristoteles (proprium ad aliud) nam est proprium non absolutè, sed per comparationem ad aliam speciem, vel ad aliud indiuiduum: proprium tertio modo (vocat proprium, quando) quia secundùm tempus conuenit, proprium verò quarto modo definit sic: proprium est quod non indicat quid esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur: & hoc solum vocatur ab illo proprium simpliciter; alia verò secundùm quid.

Probatur conclusio. Illud tantùm est verè, & simpliciter proprium; ac proinde constitutiuum huius prædicabilis, quod emanat à principiis essentialibus, & habet cum illis naturalem & necessariam connexionem, vt per se patet, & communiter fatentur Doctores: sed solum proprium in quarta acceptione, quod scilicet conuenit omni, soli & semper, est huiusmodi: nam si proprium in aliis acceptionibus habet necessariam connexionem cum principiis essentialibus, inuenietur in omnibus, vbi sunt talia principia essentialia; ac proinde conueniet omni habenti illa principia: & vice versâ vbi non erunt talia principia essentialia, neque erit tale proprium: & ita conueniet soli habenti illa principia. Denique quamdiu in aliquo erunt talia principia, tamdiu etiam in illo erit tale proprium; & consequenter conueniet semper: constat autem quòd quæ participant aliquam essentiam, semper participant illam: & ideo semper habebunt talem proprietatem: vnde vera proprietas, siue verum proprium, quod fluit à principiis essentialibus, & habet necessariam connexionem cum illis, conuenit omni, soli & semper, quod est tantùm proprium in quarta acceptione, siue quarto modo: ergo solum proprium in quarta acceptione est verè & simpliciter proprium, ac proinde constitutiuum huius prædicabilis.

Secundò, in hoc differt verum proprium ab accidente communi, quòd essentia non solùm potest abstractione præcisiuâ considerari sine accidente: sed etiam abstractione & præcisione compositâ, id est, potest considerari cum opposito talis accidentis; quod non est in vero proprio, siue in proprietatibus: nam licèt possit considerari essentia sine illis, tamen non potest absque præiudicio & destructione sui considerari cum opposito earum: sed potest quælibet essentia considerari absque proprio in tribus primis acceptionibus, & cum opposito illius, vt patet inductione, nam potest considerari natura humana, & homo absque eo quòd consideretur esse medicus, bipes, aut canus, imò ista possunt negari de homine: ergo proprium in tribus primis acceptionibus non habet necessariam connexionem cum essentia; & ita non est vera proprietas, nec pertinet ad hoc prædicabile; ac proinde solum proprium in quarta acceptione illud constituit.

Ad primum ergo dicendum, quòd isti diuersi modi speciales respiciendi inferiora participant quidem intentionem proprij, sed imperfectè: vnde pertinent ad hoc prædicabile solùm imperfectè secundùm quid, & reductiuè: simpliciter tamen deficiunt à ratione proprietatis veræ, quia non fluunt ab essentia, siue à principiis formalibus: & ideo simpliciter excluduntur ab hoc prædicabili, & pertinent ad quintum. Ad instantiam dicendum, quòd si aptitudo, v. g. ad medicinam sumatur pro generali capacitate & inclinatione ad scientias, est proprium homini quarto modo, non primo: si verò sumatur pro speciali habilitate ad vnam potiùs scientiam, quàm ad aliam; solùm dimanat ex principiis materialibus & indiuidualibus, ex diuerso scilicet temperamento, aut vario siderum aspectu, sub quo quis natus est, quod non sufficit ad veram proprietatem: sed conuenit peculiariter accidenti communi, & hoc intendit D. Thom. loco citato, vbi dicit accidentia causari ex principiis substantiæ, quædam quidem ex principiis formalibus, & hæc dicit esse proprietates: quædam verò ex principiis materialibus, & hæc dicit esse accidentia indiuidui, siue communia.

Ad secundum dicendum, quòd id quod conuenit omni, & semper, non conuenit necessariò, vt patet de albedine Cigni, & nigredine Corui &c. quæ sunt accidentia inseparabilia: sed requiritur, quòd fluat à principiis essentialibus, vel formalibus rei, quod non habet proprium in secunda & tertia acceptione. Ad aliud dicendum, quòd ad rationem veræ proprietatis sufficit, quòd conueniat soli essentiæ, à qua dimanat; siue omnibus habentibus talem essentiam: & ideo cùm omnes species generis participent essentiam generis; propterea proprietates generis, siue subalternæ prædicantur de omnibus speciebus, & de solis illis simul sumptis: sed non de vnaquaque sola.

Ad tertium dicendum, quòd id quod verè dimanat à principiis essentialibus, siue formalibus: cùm habeat necessariam connexionem cum tali essentia, habet necessariò in subiecto dispositionem, vt semper in eo sit: quia semper in eo est propria essentia: vnde ad instantiam dicendum, quòd in potentia visiua canis nulla est variatio secundùm tempus, sed tantùm in dispositione organi, quæ est necessaria ad eliciendum actum visionis. Ex quibus sequitur sic definiendum esse proprium ex Porphyrio: Proprium est quod prædicatur de pluribus accidentaliter, sed necessariò. Definitio autem Aristotelis sic tradita: Proprium est quod non indicat quid esse rei; soli autem inest, & conuersim prædicatur: Cùm vix exprimat ordinem ad inferiora: non tam competit proprio, vt est quartum prædicabile, quàm vt est quartum prædicatum: cùm autem dicitur, quod non indicat quid

esse

esse rei, debet intelligi tanquam pars intrinseca, sed non tanquam signum : nam proprietas est signum essentiæ, & illam indicat sicut effectus suam causam.

Articulus II.

Vtrùm proprium subalternatum pertineat ad hoc prædicabile.

AD Secundum sic proceditur. Videtur quòd proprium subalternatum non pertineat ad hoc prædicabile, Probatur. Proprium subalternum non est vera proprietas : nam Aristoteles & Porphyrius definientes & diuidentes proprium, mentionem tantùm fecerunt proprij infimi : ergo proprium subalternum non pertinet ad hoc prædicabile.

§ 2. Præterea, Proprium quod pertinet ad hoc prædicabile, est proprium quarto modo, quod scilicet conuenit omni, soli, & semper : sed proprium subalternum hoc non habet; non enim conuenit soli alicui speciei : conuenit siquidem omnibus speciebus illius generis, cuius est proprium : ergo proprium subalternum non pertinet ad hoc prædicabile.

Sed contra, est authoritas Aristotelis 5. Topicor. cap. 2. & D. Thom. opusc. 48. tract. 1. cap. 7. & de ente & essentia cap. 7. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm proprium subalternum sit vera proprietas : pertinet ad hoc prædicabile.

Respondeo dicendum quòd proprium subalternum pertinet ad hoc prædicabile, cùm sit vera proprietas. Ad cuius euidentiam sciendum est proprium diuidi in tria membra. Primum est proprium infimum siue specificum; & hoc habet in toto rigore rationem proprij, & est strictissima proprietas : quia consequitur essentiam vltimò completam. Secundum est proprium subalternum siue genericum, & includit omnes proprietates, quæ conueniunt naturis genericis, siue gradibus superioribus : quæ proprietates non emanant ab essentia generica præcisè, vt est totum potentiale, siue formaliter inquantùm indeterminatè & in confuso continet inferiora : nam vt sic non habet sufficientem actualitatem : sed inquantùm habet rationem totius actualis : nam proprietas est accidens essentiæ, dans illi esse accidentale, siue secundùm quid; & ideo necessariò supponit eam cõstitutam in esse actuali simpliciter : vbi autem intelligitur constitutio, intelligitur etiam compositio ex actu & potentia; & consequenter totum actuale : sicut autem possunt esse plures proprietates eiusdem speciei; sic & eiusdem generis. Tertium est proprium indiuiduale : sed hoc deficit à ratione veræ proprietatis, & est tantùm proprietas secundùm quid, & cum limitatione (id est indiuidualis) qualis est albedo in Cigno, & nigredo in Coruo, quia cùm non fluant à principiis essentialibus & formalibus, sed à materialibus, scilicet à vario temperamento indiuidui, potest intelligi tale subiectum, etiam cum præcisione negatiua, sine illis accidentibus, quod non esset, si essent veræ proprietates.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis qui 5. Topicorum cap. 2. aptum esse ad sentiendum, docet esse proprietatem animalis, & in prædicamentis assignat multas proprietates generibus supremis, & in Metaphisica idem repetit : ergo proprium subalternum est vera proprietas; ac proinde pertinet ad hoc prædicabile.

Secundò. Plura sunt accidentia quæ dimanant ab essentia secundùm gradus genericos, & habent necessariam connexionem cum ea, nec possunt etiam per intellectum adesse, & abesse saluâ manente tali essentiâ, vt patet de potentiis sensitiuis respectu animalis, & de nutritiuis respectu viuentis : & ita non sunt accidentia communia; cùm eis repugnet definitio accidentis communis; at sunt veræ proprietates pertinentes ad hoc prædicabile : sed proprium subalternum est huiusmodi : ergo proprium subalternum pertinet ad hoc prædicabile.

Ad Primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & Porphyrius definierunt tantùm proprium infimum & specificum : quia proprietates specificæ & infimæ sunt nobis magis notæ; non quòd non admiserint propria subalterna, vt constat ex adducta authoritate philosophi.

Ad Secundum dicendum, sicut supra dictum est, quòd ad rationem veræ proprietatis, sufficit quòd conueniat soli essentiæ, à qua dimanat, siue omnibus illis tantùm, quæ habent talem essentiam; & ideo cùm omnes species generis participent essentiam generis, propterea proprietates generis, siue subalternæ prædicantur de omnibus speciebus, & de solis illis simul sumptis; sed non de vnaquaque sola.

Articulus III.

Vtrùm proprium constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad inferiora illius speciei, à qua dimanat.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd proprium constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, ad quam sequitur, siue à qua dimanat : & proportionaliter dicendum de proprietate generica; siue subalterna per ordinem ad genus. Probatur. Ex Aristotele, & D. Thom. proprium distinguitur ab accidente communi, per hoc quòd accidens commune conuenit speciei ratione indiuiduorum : ideo enim homo est albus, quia Petrus est albus; proprium autem conuenit indiuiduis ratione speciei : ideo enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis : ergo proprium priùs prædicatur de specie, quàm de indiuiduis; ac proinde potiùs constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, à qua dimanat, quàm per ordinẽ ad indiuidua talis speciei.

§ 2. Præterea, Solæ prædicationes huius quarti prædicabilis possunt propriè, & à priori demonstrari : nam prædicationes quinti prædicabilis sunt in materia contingenti; & ideo non sunt necessariæ; nec possunt demonstrari : prædicationes verò generis, speciei & differentiæ; quamuis sint necessariæ : tamen sunt essentiales; nihil autem est prius essentia, per quod tales prædicationes à priori demonstrentur : sed proprium propriè, & à priori demonstratur tantùm de specie : ergo prædicatur tantùm de prædicatione quarti prædicabilis.

§ 3. Præterea, Idem accidens, quod respectu illius gradus, à quo dimanat adæquatè, est vera proprietas; respectu graduum inferiorum est accidens commune : ergo vel nulla datur prædicatio quarti prædicabilis, vt vniuersale est, vel constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, siue gradum, à quo adæquatè dimanat.

Sed contra est authoritas Porphyrij in hoc capite, quem sequuntur nostri Complutenses, & alij Thomistæ communiter, ac plures alij.

Conclusio.

Cùm proprium prædicetur in quale, & sit superius respectu tantùm indiuiduorum speciei, à qua dimanat : per ordinem ad talia indiuidua tantùm constituitur in esse vniuersalis.

Respondeo dicendum, quòd proprium non constituitur in esse vniuersalis respectu inferiorum eodem nomine significatorum, vt risibilitas respectu huius & illius risibilitatis. 2. Nec per ordinem ad speciem, siue ad essentiam ad quam sequitur, à qua dimanat, & cum qua conuertitur. 3. Sed per ordinem ad inferiora talis speciei. 4. Et proportionaliter dicendum de proprio generico & subalterno. Ad cuius euidentiam sciendum est propria, siue proprietates emanare à suo subiecto siue ab essentia, cuius sunt proprietates, & à principiis illius formalibus : quædam quidem, vt dictum est, emanant ab essentia secundùm gradus genericos, vt in homine animatum & sensitiuum : aliæ autem secundùm gradum specificum, vt admiratiuum & risibile; essentia concurrit ad ortum & productionem suarum pro-

prietatum secundùm quatuor genera causarum: secundùm quidem genus causæ efficientis; non per verum motum Phisicum, sed per simplicem emanationem, quæ non est vera actio: secundùm genus causæ finalis; quia omnes proprietates sunt datæ, & ordinatæ à natura ad conseruationem, perfectionem, & multæ etiam ad operationem subiecti, vt sunt omnes potentiæ naturales: secundùm genus causæ materialis; quia in seipsa recipit & sustentat proprietates, quas emanat: concurrit etiam aliquo modo secundùm genus causæ formalis, sed secundariò: nam primarius effectus formæ est dare esse specificum rei, siue composito; secundarius autem est dare esse specificum iis, quæ naturali connexione consequuntur totum compositum, quales sont proprietates; quæ in vnoquoque etiam in accidentibus plores sunt: licèt vtplurimum nobis ignotæ: oriuntur autem quodam ordine; ita vt prima oriatur immediatè ab essentia; secunda verò oritur mediatè ab essentia, mediante scilicet primâ proprietate, eodem genere causæ, quo dictum est omnes emanare ab essentia: Tertia autem oritur mediante primâ & secundâ; & sic omnea vsque ad vltimam hoc modo mediantibus aliis oriuntur: proprietates verò quæ hoc modo emanant ab essentia & quæ in toto rigore dicuntur proprietates, realitèr distinguuntur ab illo, cuios sunt proprietates & secundùm probabiliorem sententiam possunt ab illo separari, non quidem naturaliter: sed de potentia Dei absoluta: imò de facto separatur in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento quantitas à materia prima cuius est aliquomodo proprietas, & extensio in ordine ad locum separatur à quantitate corporis Christi, cuius etiam est proprietas: ea quo sequitur proprietates entis vnum, verum, bonum &c. item potentiam materiæ primæ ad formas recipiendas, & potentiam substantiæ corruptibilis ad interitum, & similia non esse proprietates in tanto rigore; quia nec realiter distinguuntur, nec possunt separari à suis subiectis: sed de his fusè agetur propriis in locis: pertinent enim ad considerationem Phisicam & Metaphisicam. Proprietates verò consideratæ secundùm suam essentiam & eâ ratione, quâ denotant aptitudinem, siue potentiam ad aliquem actum; priùs origine, & ratione conueniunt naturis vniuersis, quàm singularibus, vt ait Porphyrius in capire de communitatibus quinque vocum in genere: vbi dicit in hoc differre proprietates, & accidentia communia, quòd accidentia communia priùs conueniunt singularibus, quàm naturis vniuersis, vt sedere, priùs Petro, quàm homini, ita etiam D. Thom. cap. de ente, & essentia. Vsus etiam & exercitium, siue actio proprietatum vniuersarum, priùs conuenit indiuiduis, quàm naturis vniuersis, vt ridere priùs conuenit Petro, quàm homini; imò homini, quia Petro; quia talis vsus est accidens commune: proprietates autem priùs conueniunt naturis vniuersis, quàm indiuiduis; imò conueniunt indiuiduis, quia conueniunt naturis vniuersis, quæ sunt in indiuiduis; priùs enim esse risibile conuenit homini, quàm Petro; imò Petro, quia est homo.

Probatur prima pars conclusionis. Proprium, vt constituit hoc vniuersale, prædicatur ea Porphyrio, & aliis philosophis (in quale) sed proprium respectu inferiorum eodem nomine significatorum; v. g. risibilitas, respecto huius, & illius risibilitatis, non prædicatur (in quale, sed io quid) simpliciter, vt patet: ergo proprium non constituitur in esse vniuersalis respectu inferiorum eodem nomine significatorum.

Probatur secunda & tertia pars conclusionis ea bis quæ supra de differentia dicta sunt. Nam species non est inferius respectu proprij, nec proprium superius respectu illius, quia ex vtraque parte valet subsistendi consequentia: valet enim (est homo: ergo est risibilis & econtra, est risibilis: ergo est homo) ex alia verò parte proprium est superius respectu inferiorum illius speciei, à qua dimanat: non enim ab ipso valet ad illa subsistendi consequentia: licèt valeat ab illis ad ipsum: sed vniuersale essentialiter est superius, & respicit inferiora: ergo proprium non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, siue ad essentiam, à qua dimanat & cum qua conuertitur; sed per ordinem ad inferiora talis speciei; & hæc ratio conuincit etiam quartam partem conclusionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa differentia est de proprio, & accidente Phisicè & realiter sumptis; non verò Logicè & formaliter vt denominantur secundâ intentione: vnde licèt entitas risibilitatis priùs conueniat homini, quàm Petro: Prædicatione tamen vniuersali, non priùs prædicatur de homine, quàm de Petro: & sic quamuis differentia constitutiua proprij in esse quarti prædicabilis sumatur per ordinem ad speciem: non tamen est vniuersalis per ordinem ad illam: non enim proprium habet ab eodem & respectu eiusdem esse vniuersale, & esse tale vniuersale: quia ratio generica & ratio differentialis à diuersis principiis oriuntur.

Ad secundum dicendum, quòd non solum prædicationes quarti prædicabilis possunt à priori demonstrari: sed etiam prædicationes, quas supra vocauimus, quarti prædicati: imò perfectiùs demonstrantur, quia proprietas non ingreditur demonstrationem, quatenus formaliter habet rationem superioris & vniuersalis: sed quatenus emanat ab essentia, ad quam comparatur, vt prædicatum æquale, siue conuertibile: & ideo demonstratio, in qua talis proprietas prædicatur de essentia, cum qua conuertitur, est perfectior aliis demonstrationibus in quibus eadem proprietas concluditur de inferioribus, respectu quorum habet rationem vniuersalis: quia istæ demonstrationes supponunt illam, & ab illa dependent.

Ad Tertium dicendum, quòd accidens, quod est verè proprietas respectu alicuius essentiæ, semper est & prædicatur vt vera proprietas de quibuscumque inferioribus talis essentiæ: nam sicut quidquid est de essentia alicuius superioris, est etiam de essentia inferiorum essentialiter sub illo contentorum; sic proprietas illius superioris, est etiam proprietas inferiorum eius.

QVÆSTIO IX.

De Accidente.

VLTIMO, occurrit agendum de Accidente quinto prædicabili, quod breuiter expedietur: plura enim, quæ de accidente moueri poterant dubia, tam Physica, quàm Metaphysica, ad propria loca remittimus: illa solummodo pertractantes, quæ sunt Logicalia & ad præsentem attinent tractatum; quod etiam circa proprium obseruatum est. De Accidente autem quæruntur Tria.

¶ Primò, Vtrùm accidens rectè definiatur à Porphyrio.

¶ Secundò, Vtrùm proprium, & accidens commune differant.

¶ Tertiò, Vtrùm accidens sit vniuersale in ordine ad subiectum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accidens rectè definiatur à Porphyrio.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd accidens non rectè definiatur à Porphyrio esse illud (quod adest & abest sine subiecti corruptione.) Probatur. Vel hæc definitio intelligitur primò intentionaliter. Vel secundò intentionaliter: sed neutro modo potest intelligi; non primò intentionaliter: quia Porphyrius diuidit accidens in separabile & in inseparabile: constat autem quòd accidens inseparabile non potest abesse sine subiecti corruptione, deinde mors, & existentia sunt accidentia prædicabilia; & tamen mors non potest abesse, nec existentia abesse sine subiecti corruptione. Nec secundò intentionaliter: nam Porphyrius debet loqui in definitione accidentis eodem modo, quo loquitur in eius

eius diuisione: aliàs esset ibi magna æquiuocatio: constat autem quòd in diuisione loquitur de separabilitate, & inseparabilitate reali, siue primò intentionali; aliàs definitio accidentis etiam conueniret proprio: nam proprietas cùm non sit de conceptu, & essentia rei, cuius est proprietas, at quid posterius eâ potest per intellectum præscindi & separari à tali essentia, ipsâ saluâ manente; & sic potest adesse & abesse per intellectum sine subiecti corruptione: ergo non rectè definitur accidens à Porphyrio esse illud (quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione.)

¶ 2. Præterea si accidens potest adesse & abesse sine subiecti corruptione, sequitur quòd accidentia inseparabilia poterunt simul affirmari & negari de subiecto: ita vt sit verum, Cignus est albus, Cignus non est albus: cuius tamen contrarium constat; nam ex duabus contradictoriis, vna affirmatur, & alia negatur: ergo non rectè definitur accidens à Porphyrio esse id (quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione.)

Sed contra est authoritas Porphyrij tradentis definitiones accidentis: quas vt rectas admittunt communiter Philosophi, vt Caietanus in hoc cap. nostri Complutenses, noster Didacus, & alij in præsenti.

Conclusio.

Cùm definitiones accidentis traditæ à porphyrio explicent naturam accidentis, illique soli conueniant: accidens rectè definitur à Porphyrio.

Respondeo dicendum, quòd tres definitiones accidentis traditæ à Porphyrio sunt bonæ. 2. licet tertia non sit tam exacta. 3. prima autem debet intelligi secundò intentionaliter. Ad cuius euidentiam sciendum est Porphyrium tres attulisse definitiones accidentis. Prima est, (accidens est, quod adest, & abest sine subiecti corruptione) secunda (accidens est, quod inesse & non inesse idem potest:) tertia (accidens est, quod neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium est: semper autem est in subiecto.) Accidens autem diuiditur in separabile & in inseparabile & potest sumi vel Physicè, vel Logicè: accidens Physicum est, quod distinguitur contra substantiam & diuiditur in nouem genera, scilicet quantitatem, qualitatem &c. diciturque accidens prædicamentale: accidens verò Logicū diuiditur contra essentiam, & sub se continet quidquid non pertinet ad essentiam rei: sed se habet omnino accidentaliter vel contingenter; siue entitatiuè sit substantia, siue accidens, siue ens reale, siue ens rationis: vnde dicimus aurum accidere vasi, rationale animali, existentiam Petro & secondas intentiones entibus realibus: nam faciunt prædicationes accidentales & contingentes; accidens in hac acceptione dicitur accidens prædicabile, est terminus secundæ intentionis & constituit vltimum vniuersale.

Probatur prima pars conclusionis ex communi consensu philosophorum, qui has definitiones accidentis traditas à Porphyrio admittunt contra quemdam grammaticum Franciscum Sanctium Brocensem, qui has definitiones reprehendit in libello à se edito, cui nomen indidit: Errores Porphyrij. Deinde hæ definitiones explicant optimè naturam accidentis, illique soli conueniunt; vt statim patebit: ergo sunt bonæ.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Hæc tertia definitio, quia datur per negationes, constat quòd non est ita exacta: non tamen est omnino despicienda, quia non datur adæquatè per solas negationes, vt patet ex ipsis vltimis eius terminis: deinde quando res illæ sunt notæ, per quarum negationes aliquid explicatur; potest quid definiri per tales negationes loco differentiæ: vnde ista definitio reddit hunc sensum: accidens est, quod est in subiecto, non inhæsionis, sed prædicationis, id est quod prædicatur de pluribus, non sicut genus, species, differentia, vel proprium; per quod vtcumque cognoscimus positiuum illud, in quo accidens differt ab aliis prædicabilibus, scilicet in prædicari contingenter.

Probatur tertia pars conclusionis contra Toletum & Ruuium; quòd scilicet verba primæ definitionis (quod adest & abest sine subiecti corruptione (non debent intelligi primò intentionaliter, id est per realem inhæsionem & absentiam: sicut calor adest aquæ, quando est calida, vel abest, quando est frigida: sed secundò intentionaliter de adesse & abesse per intellectum: In hac definitione definitur secunda intentio quinti prædicabilis, quæ non est principium quo, siue ratio quare natura affirmetur, vel negetur de subiecto sine eius corruptione: sed hoc importat secundam intentionem & non primam, vt ex se patet: ergo ly (adest & abest) non sumitur primò intentionaliter, sed secundò intentionaliter maximè quia in aliis prædicabilibus definitur secunda intentio, vt supra dictum est & definitio traditur per prædicari: ergo etiam in hoc prædicabili debet definitio intelligi per ly (adest & abest) de prædicari affirmando & negando.

Secundò. Hæc definitio debet conuenire omni accidenti, quod pertinet ad hoc prædicabile: sed nisi intelligatur ly (adest & abest) secundò intentionaliter, non conuenit omni accidenti, quod pertinet ad hoc prædicabile: nam sunt multa accidentia rationis, & multa quæ sunt entitatiuè substantia, vt patet in his prædicationibus (homo est species, vas est aureum, &c.) quæ pertinent verè ad hoc prædicabile & tamen ista non adsunt, vel absunt à subiecto realiter: sed tantùm intentionaliter: ergo ly (adest & abest) debent intelligi secundùm intellectum, id est de affirmatione & negatione.

Tertiò. Si ly (adest & abest) non sumantur secundò intentionaliter, sequitur quòd hæc definitio repugnat diuisioni, quam immediatè post talem definitionem attulit Porphyrius dicens, quòd aliud accidens est separabile, & aliud inseparabile: nam quod est inseparabile, non potest realiter abesse sine subiecti corruptione, vt patet inductione: ergo cùm definitio debeat conuenire omni essentialiter contento sub definito, debet hæc intelligi secundò intentionaliter, vt ibidem respondit Porphyrius dicens, quòd quamuis coruus albus & æthiops candore affectus à parte rei non sit: mente tamen potest intelligi coruus & æthiops albus.

Ex dictis manet clara definitio accidentis & reddit hunc sensum (accidens est, quod indifferenter affirmatur, vel negatur absque eo quòd destruatur definitio subiecti) siue breuiùs cum Caietano (accidens est, cuius neque affirmatio, neque negatio subiecti rationem tollit) quæ definitio est propria vniuersalis: nam traditur per prædicabilitatem, quæ est proprietas vniuersalis & coincidit cum communi descriptione accidentis: (accidens est quod prædicatur de pluribus in quale & contingenter:) nam si contingenter prædicatur, potest affirmari & negari saluâ subiecti essentiâ: eodemque modo intelligenda est, ac exponenda secunda definitio accidentis, quæ fere constat iisdem verbis, ac prima.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc definitio intelligenda est secundò intentionaliter: & sic argumenta, quæ probant non esse intelligendam primò intentionaliter, nihil probant contra conclusionem; vnde dicendum quòd existentia potest optimè negari, vel affirmari de subiecto sine eius corruptione, siue saluâ subiecti essentiâ; nam siue homo existat, siue non existat, manet eadem definitio, & essentia hominis. De morte respondetur primò cum Caietano quòd hæc propositio (homo est mortuus) non est quinti prædicabilis; quia prædicatum non conuenit, sed omninò repugnat subiecto: imò illud destruit: dicitur tamen vera, ratione ampliationis copulæ, nam facit hunc sensum, quod est, vel fuit homo, est mortuum, siue olim homo, modo est mortuus. 2. Respondetur cum Sanches, mortem pertinere ad quintum prædicabile, vt est in via & in fieri non in facto esse: nam dum dico homo moritur, vel non moritur; non tollo essentiam hominis & hoc sufficit vt terminus huius motus, qui exprimitur per mortuum, pertineat ad hoc prædicabile. 3. Respondetur cum Soto,

mortuum eſſe accidens quinti prædicabilis reſpectu corporis: nam corpus quod manet & dicitur idem, ratione eiuſdem materiæ, modo viuit, poſtea eſt mortuum. & poteſt intelligi ſine vita & ſine morte. Ad illud quod dicitur de æquiuocatione, reſpondetur quòd ſatis ſe explicuit Porphyrius; nam diuiſit accidens in ſeparabile & inſeparabile realiter: tamen ibidem dicit quòd accidens inſeparabile habet rationem accidentis; non quia inſeparabile eſt realiter, quia vt ſic ei non competit definitio accidentis: ſed quia ſeparari poteſt per intellectum ſaluâ rei eſſentiâ: ecce quomodo non loquitur æquiuocè. Ad id quod dicitur de proprio, reſpondetur quòd cùm eſſentia ſit prior proprietate, poteſt quidem intelligi ſine illa abſtractione præciſiuâ; non verò abſtractione compoſitâ: quia cùm habeat neceſſariam connexionem cum illa, & ab ea dimanet, non poteſt negari de illa, etiam per intellectum, ſicut negatur accidens: nam ſe mutuò inferunt, valet enim (eſt riſibile: ergo eſt homo. Non eſt riſibile: ergo non eſt homo.)

Ad ſecundum dicendum, quòd de Cigno ſaluâ eius eſſentiâ poſſumus concipere & affirmare eſſe album, vel non eſſe album: licèt à parte rei non ſit verum dicere Cignus non eſt albus; nam propoſitio priùs reſpicit conceptum mentis, quem exprimit, quàm rem ſignificatam. Ad illud de contradictoriis dicendum, quòd illæ duæ propoſitiones non ſunt contradictoriæ: contradictio enim eſt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem determinato: Cignus autem eſt ibi ſubiectum indeterminatum, quod æquiualet pluribus.

Articvlvs II.

Vtrùm Proprium & accidens commune differant:

AD Secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd proprium & accidens commune non differant: ita Louanienſes & aliqui moderni, qui tenent omnia accidentia eſſe proprietates reſpectu alicuius gradus ſubſtantiæ, ſiue reſpectu ſui proprij & adæquati ſubiecti, per quod definiuntur: licèt ſint accidentia communia reſpectu aliorum graduum inferiorum, vel ſubiecti inadæquati. Probatur. Differentia quam aſſignant Ariſtoteles & D. Thom. inter proprietates & accidentia communia non enacuet difficultatem: nam eſt ambiguum, quæ accidentia ſequantur materiam, & quæ formam. Deinde ipſe D. Thom. cap. 7. de ente & eſſentia docet nullum eſſe accidens, quod à ſola materia dimanet. Denique quantitas ex eodem D. Thom. 3. p. q. 90. art. 2. & q. 9. De potentia art. 7. ſequitur ad materiam, & tamen eſt proprietas corporis: ergo proprium & accidens commune non differunt.

§ 2. Præterea, color reſpectu hominis eſt accidens; reſpectu verò mixti eſt proprietas: nam iſta propoſitio (mixtum eſt coloratum) eſt neceſſaria, & poteſt demonſtrari: ergo quod eſt accidens reſpectu vnius, eſt proprietas reſpectu alterius: & ita proprium & accidens commune non differunt.

§ 3. Præterea, accidentia, quæ cauſantur ex varia diſpoſitione materiæ, vt maſculinum & femininum, ſunt proprietates ſaltem reſpectu illius temperamenti, à quo reſultant ex Ariſtotele 10. Metaph. textu 25. vbi ſic ait: *Maſculus autem & femina propriæ quidem animalis paſſiones ſunt*: Et ratio eſt, quia per ſe ſunt effectus talis temperamenti & prædicantur de illo: ergo omnia accidentia ſunt proprietates reſpectu alicuius gradus.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis & D. Thom. quos communiter ſequuntur ferè omnes Philoſophi, vt teſtantur Caietanus, Maſius & noſtri Complutenſes in præſenti.

Conclvsio.

Cùm proprietas, ſiue proprium conſequatur formam; accidens verò commune materiam: proprium & accidens commune differunt.

Respondeo dicendum, quòd proprium & accidens commune differunt: ita vt propriè & rigoroſè loquendo, non omnia accidentia ſint proprietates: ſed illa tantum, quæ oriuntur ab eſſentia ratione formæ, & quæ per ſe primò conueniunt ſpeciei: illa verò oriuntur ab eſſentia ratione materiæ, & quæ per ſe primò conueniunt indiuiduis, ſunt accidentia communia.

Probatur concluſio authoritate Philoſophi 10. Metaph. textu 25. vbi inquirens cur aliquæ differentiæ faciant differre ſpecie, aliæ non, hæc habet: *An quoniam illa quidem propria paſſiones generis ſunt: hæc verò minimè*: Et affert rationem, quia illa ſequuntur rationem, ſiue formam, hæc verò materiam: vnde ſubdit; *Et tùm illud quidem ratio; hoc verò materia ſit: quæcumque in ratione contrarietates ſunt; ſpeciei differentiam faciunt: quæcumque verò in conſumpto materia, minimè faciant*; Hæc vltima dicit conuenire ſpeciei, quia conueniunt indiuiduo; vnde ſic habet: *Homo enim eſt albus, quia Calias eſt albus; per accidens igitur homo eſt albus.* Idem docet D. Thom. cap. 7. de ente & eſſentia vbi hæc habet: *Et quia vnaquæque res indiuiduatur ex materia, & collocatur in genere, vel ſpecie per ſuam formam, ideo accidentia, quæ conſequuntur materiam ſunt accidentia indiuidui, ſecundùm quæ etiam indiuidua eiuſdem ſpeciei differunt adinuicem: accidentia verò quæ conſequuntur formam ſunt propriæ paſſiones, vel generis, vel ſpeciei: ſicut riſibile conſequitur in homine formam &c.* Item in 1. d. 17. q. 1. art. 2. ad 2. vbi ſic ait. *Quædam ſunt accidentia, quæ cauſantur ex principiis ſubiecti: & hoc dupliciter; quia vel cauſantur ex principiis ſpeciei, & ſic ſunt propriæ paſſiones, quæ conſequuntur totam ſpeciem, vel ex principiis indiuidui, & ſic ſunt communia.* Ex quibus authoritatibus infertur hanc eſſe præcipuam differentiam inter proprietates & accidentia communia, quòd forma ſit prima radix proprietatum; materia verò prima radix proprietatum; materia verò prima radix accidentium communium.

Secundò. Sunt aliqua accidentia, quæ reſpectu quorumcumque ſunt communia, & contingenter eueniunt vt patet in actibus intellectus & voluntatis: aliàs iſtæ propoſitiones (homo intelligit, Petrus amat) poſſent demonſtrari & eſſent neceſſariæ, quod conſtat eſſe falſum: imò ex antecedente neceſſario ſequeretur conſequens contingens quod tamen eſt impoſſibile: nam et aduerſarius iſta propoſitio eſt contingens (homo eſt coloratus,) hæc verò neceſſaria (mixtum eſt coloratum.) ſed ex hac ſecunda ſequitur prima in forma ſillogiſtica ſic: omne mixtum eſt coloratum, omnis homo eſt mixtum: ergo omnis homo eſt coloratus: maior ſillogiſmi eſt neceſſaria; nam in illa iuxta aduerſarios prædicatur proprietas de eſſentia: minor etiam eſt neceſſaria; nam in ea genus prædicatur de ſua ſpecie, & tamen conſequentia eſt contingens: ergo proprium & accidens commune differunt: cùm proprium conueniat neceſſariè.

Tertiò. Illud eſt proprietas ſimpliciter & abſolutè, quod emanat ab eſſentia, quatenus eſſentia eſt: ſed eſſentia conſtituitur in eſſe eſſentiæ principaliter per formam, & in recto, ipſa enim dat eſſe ſpecificum; & non per materiam: ergo illa accidentia ſunt proprietates, quæ emanant ab eſſentia ratione formæ: illa verò accidentia communia, quæ emanant ratione materiæ, quæ eſt radix differentiæ indiuidualis & numericæ; ac proinde accidentia, quæ ſequuntur materiam, ſunt propria indiuiduorum: quæ verò ſequuntur formam, ſunt propria ſpeciei & eſſentiæ: conſtat autem quòd proprietates ſequuntur eſſentiam ratione differentiæ ſpecificæ, non verò ratione differentiæ indiuidualis: nam proprietates inueniuntur in omnibus participantibus talem eſſentiam. Confirmatur. Proprietates, vel dantur naturis ad aliquas operationes, vel ſequuntur eſſentiam, vt eſt conſtituta in determinato gradu entis: ſed forma, & non materia, eſt prima radix operationum, aut conſtitutionis eſſentiæ in determinato gradu: cùm ſola forma ſit actus ſimpliciter: ergo accidentia ſola quæ conſequuntur formam, ſunt proprietates: alia verò ſunt communia.

Et

Ex hac prima differentia sequitur alia notata ab Aristotele loco citato, & à D. Thom. ibidem lect. 11. quòd proprietates per priùs conueniunt speciei, & mediante illa indiuiduis: nam Petrus est risibilis; quia homo est risibilis: accidentia verò communia per priùs conueniunt indiuiduis, & ratione eorum speciei: homo enim est albus; quia Petrus est albus: Ratio est, quia forma est prima radix; vnde sumitur species: materia verò prima radix, vnde sumitur indiuiduatio.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt ex nostro defectu nesciamus, quæ accidentia in particulari proueniant à materia, & quæ à forma: tamen valet doctrina communis: non autem dicimus quòd aliquod accidens oriatur à sola materia: sed dicimus quòd forma est prima radix aliquorum accidentium: materia verò aliorum. De quantitate autem dicendum cum Caietano, quòd licèt latè possit dici proprietas corporis: tamen rigorosè non est, quia sequitur ad essentiam ratione materiæ; & ideo est accidens, quo indiuidua differunt: nam duo possunt differre etiam in eodem accidente, sed diuersimodè participato: non enim inueniuntur duo quanta omnino similia; nam saltem propriis situbus differunt; quod indicat quantitatem nôn esse veram proprietatem; nam proprietas vel inuenitur eodem omnino modo in habentibus essentiam, à qua procedit, vel saltem ex se non habet istam inæqualitatem, quam habet quantitas.

Ad secundum dicendum, quòd color non est proprietas respectu gradus superioris mixti vt sic, nec mixtum esse coloratum potest demonstrari; si mixtum sumatur pro illo gradu essentiali: si autem nomine mixti intelligatur quædam accidentalis mixtio, vel temperamentum, ad quod necessariò sequatur color; respectu illius temperamenti habebit quidem color rationem proprietatis, & de illo poterit demonstrari: sed non sequitur, quòd idem sit proprietas respectu gradus superioris, & accidens commune respectu eius inferiorum: & ideo color non est proprietas mixti vt sic (quia hoc temperamentum est accidens respectu mixti) nec vt de ipso prædicatur, pertinet ad quartum prædicabile, sed ad quintum.

Ad tertium dicendum, quòd masculinum, & femininum sunt simpliciter accidentia communia: nam licèt per se conueniant, & oriantur ab illo peculiari temperamento siue dispositione, quam habet materia tempore conceptionis, ex eo quòd calor sit intensus vel remissus, & respectu talis dispositionis habeant rationem proprietatis: tamen cùm illa dispositio sit accidentalis respectu animalis; ideo masculinum & femininum illam consequentia, sunt simpliciter accidentia communia; & hoc solùm intendit Aristoteles: nam post verba citata in argumento, hæc subdit: sed non secundùm substantiam, verùm in materia & corpore; quod debet sic explicari, vt explicat D. Thom. non simpliciter, & ex parte formæ; sed ex parte materiæ, & secundùm quid.

Articvlvs III.

Vtrùm Accidens constituatur vniuersale in ordine ad subiectum?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd accidens non constituatur vniuersale in ordine ad subiecta, quæ accidentaliter denominat; sed in ordine ad sua inferiora, de quibus essentialiter prædicatur. Probatur. Multæ sunt prædicationes accidentales huius quinti prædicabilis, in quibus prædicatur substantia de alio, qualis est ista (vas est aureum) sed substantia non prædicatur de subiecto, cùm non sit in subiecto: ergo accidens non constituitur vniuersale in ordine ad subiectum.

¶ 2. Præterea, omne superius debet abstrahi ab inferioribus certis & determinatis, ac proinde constitui in esse vniuersalis in ordine ad illa: sed subiecta, quæ accidens denominat accidentaliter, non sunt certa & determinata sicut sunt eius inferiora essentialia: ergo accidens non constituitur vniuersale in ordine ad subiectum.

¶ 3. Præterea, si accidens constituitur in esse vniuersalis in ordine ad subiecta accidentaliter denominata, sequitur quòd non sit essentialiter, sed accidentaliter vniuersale: eodem enim modo est vniuersale, quo prædicabile; sed est falsum, quòd accidens non sit essentialiter vniuersale; nam ex hoc sequeretur, quòd vniuersale non esset genus ad quinque prædicabilia: ergo accidens non constituitur in esse vniuersalis in ordine ad subiectum.

Sed contra, est authoritas Porphyrij in præsenti, quem vnanimiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm de ratione quinti prædicabilis sit, quòd possit adesse & abesse sine subiecti corruptione, & hoc conueniat accidenti per ordinem ad subiectum tantùm: accidens constituitur in esse prædicabilis & vniuersalis in ordine ad subiectum.

Respondeo dicendum, quòd accidens constituitur in esse vniuersalis, & quinti prædicabilis per ordinem ad subiecta quæ accidentaliter denominat, & non per ordinem ad alia inferiora, quibus potest essentialiter conuenire; vnde hæ prædicationes sunt quinti prædicabilis (Petrus est albus, equus est coloratus) non verò istæ (hoc album est album, album est coloratum) & aliæ huiusmodi.

Probatur conclusio. Esse quintum prædicabile, est posse adesse, & abesse sine subiecti corruptione, vt constat ex definitione accidentis, prout constituit hoc quintum prædicabile, tradita à Porphyrio: ergo accidens constituitur in esse vniuersalis, & quinti prædicabilis per ordinem ad illa, quibus potest sic adesse, & abesse: sed hoc tantùm habet respectu subiectorum, quæ accidentaliter denominat; non verò respectu inferiorum essentialium, vt patet: albedo enim non potest etiam per intellectum separari ab hac albedine, saluâ eius essentiâ: benè tamen potest separari ab homine, vel equo: ergo accidens non constituitur in esse quinti prædicabilis per ordinem ad inferiora essentialia, sed per ordinem ad subiecta accidentaliter denominata.

Ad primum ergo dicendum, quòd in similibus prædicationibus substantia (quia accidentaliter prædicatur) habet modum accidentis, & dicitur accidens prædicabile: illud verò, de quo prædicatur ad modum subiecti se habet, & hoc sufficit ad prædicationes quinti prædicabilis: non autem est necesse, vt prædicatum insit & inhæreat: hoc enim tantummodo conuenit accidenti prædicamentali.

Ad secundum dicendum, quòd superiora quæ prædicantur essentialiter, & in quid: vt genus, species & differentia debent abstrahi ab inferioribus certis & determinatis, sicut & quæ prædicantur in quale necessariò: propter intrinsecam & necessariam connexionem, quam habent ad inferiora: quintum autem prædicabile; quia conuenit contingenter & accidentariò, ex sua ratione petit inferiora indeterminata.

Ad tertium dicendum, quòd ista sunt valde diuersa, scilicet secunda intentio quinti prædicabilis facit naturam accidentaliter prædicari de subiectis: & secunda intentio est accidentaliter vniuersalitas: istud est falsum, illud verum: quia cùm secunda intentio accidentis sit vna in multis, & faciat naturam de pluribus prædicari, est essentialiter vniuersalis, siue vniuersalitas; vniuersale enim est vnum in multis: quòd autem faciat prædicari accidentaliter & contingenter; est eius differentia: nam ista secunda intentio non potest conuenire nisi naturæ extraneæ à subiecto, sicut aliæ intentiones conueniunt aliis naturis, scilicet perfectibili genereitas, perfectiuæ differentieitas, perfectæ specieitas, & intentio proprietatis naturæ ab intrinseco profluenti.

LIBER

LIBER CATEGORIARVM ARISTOTELIS.

Summa Textus.

HIC EST Primus Tractatus Logicus Aristotelis, saltem qui extet; quem breui absoluemus, perfectiorem eius dilucidationem remittentes ad Metaphysicam, ad quam principaliter pertinet, quatenus est de diuisione entis; constat enim quòd agere de ente, & eius proprietatibus pertinet ad Metaphysicam, & propterea etiam ibi egit Philosophus de Categoriis: hic autem in Logica de illis tantùm agitur inquantùm sunt series, & coordinationes generum, ac specierum: vnde tantùm breuem Categoriarum epilogum faciemus, consuetum procedendi modum aliquantulùm immutantes. Diuisit Aristoteles hunc tractatum in tres partes, scilicet in antepradicamenta, pradicamenta & postprædicamenta: in antepradicamentis agit de quibusdam prarequisitis ad pradicamenta; vnde dignoscitur, qua in illis collocanda; qua verò ab eis reiicienda sunt: antepradicamenta absoluit tribus primis capitibus. In 1. agit de homonimis siue aquiuocis, de sinonimis siue vniuocis, & de paronimis siue denominatis. In 2. Tradit duas diuisiones. In 3. Tradit tres regulas. In prædicamentis pertractandis insumit sex sequentia capita: vnde in 4. Agit de ipsis in communi. In 5. De substantia. In 6. De quanto. In 7. De relatis. In 8. De qualitate & quali. In 9. De actione & passione, ac reliquis Categoriis. Postpradicamenta absoluit sex capitibus vltimis. In 10. quidem agit de oppositis. In 11. De contrariis. In 12. De priori. In 13. De modis simul. In 14. De motu. In 15. De modis habendi.

QVÆSTIO X.

De Antepradicamentis.

VT DIGNOSCATVR quæ in prædicamentis collocanda sunt, & quæ ab ipsis reiicienda, præmisit Aristoteles quædam principia, quæ communiter vocantur Anteprædicamenta: circa quæ quæruntur sex.

¶ Primò, de homonymis, siue æquiuocis.
¶ Secundò, de sinonymis, siue vniuocis.
¶ Tertiò, de analogis siue proportionatis.
¶ Quartò, de paronimis, siue denominatis.
¶ Quintò, de duabus diuisionibus Aristotelis.
¶ Sextò, de duabus regulis traditis ab Aristotele.

ARTICVLVS I.

De Homonymis, siue Æquiuocis.

ÆQVIVOCA dicuntur, quorum nomen commune est: ratio verò substantiæ nomini accommodata, diuersa: sic definit Aristoteles, & affert exemplum, vt animal dicitur & ipse homo, & id quod est pictum. Ad euidentiam huius definitionis sciendum est, quòd in æquiuocis est nomen significans, & res significata tali nomine: nomen dicitur æquiuocum æquiuocans: res verò dicitur æquiuoca æquiuocata, non quidem secundùm se, sed provt substat nomini æquiuoco: intentio enim æquiuoci fundatur immediatè in nominibus: & hæc proportionaliter dicenda sunt de vniuocis, analogis & denominatiuis.

In hac definitione Ly (nomen) vt aduertit Boëtius, sumitur latè, provt amplectitur quamcumque dictionem aliquid significantem, vt verbum, aduerbium, participium & alias, in quibus potest latere æquiuocatio. Per ly autem (commune) denotatur, quòd nomen debet esse omnino vnum; aliàs non esset communa: vnde minima etiam diuersitas in nomine, siue sit in accentu, siue in mutatione alicuius litteræ, soluit æquiuocationem.

PER ly (ratio) intelligitur conceptus obiectiuus, siue sit propria definitio, siue non: per ly verò (substantiæ) intelligitur essentia: substantia enim aliquando significat essentiam: maximè hic, quia in Greco est nomen οὐσία quòd propriè significat essentiam, & non substantiam provt opponitur accidenti: per ly (nomini accommodata, diuersa) datur intelligi, quòd ad æquiuocationem solùm requiritur vt æquiuocata, provt significantur nomine æquiuoco, non habeant vnam rationem communem: quamuis aliàs possint habere, provt significantur alijs nominibus: & sic vniuocè conueniant: & ideo nomen canis est æquiuocum ad terrestrem, marinum & cœlestem: quia secundùm quòd significantur per tale nomen, non habent vnam rationem: quamuis vniuocè conueniant in ratione substantiæ; & terrestris, ac marinus, etiam in ratione animalis.

LICET verum sit, quòd æquiuoca primò intentionaliter non possint definiri verá definitione; quia simpliciter sunt plura & diuersa; ac proinde exigunt diuersas definitiones: tamen secundò intentionaliter possunt definiri vniuocâ definitione: ita vt definitio conueniat primò & per se secundæ intentioni æquiuocationis, vt dictum est supra de prædicabilibus (vt quo) rebus verò in quibus exercetur talis definitio (vt quod) constat autem quòd secunda intentio æquiuocationis, est quid vniuocum; ac proinde potest definiri vnicâ definitione: quia vniuoca sunt quid simpliciter vnum, & ita exigunt vnicam definitionem: quod etiam debet sic intelligi de aliis definitionibus vniuocorum, analogorum & denominatiuorum.

SI DICATVR quòd nomen æquiuocum non est vnum; ac proinde nec commune, sed simpliciter plura; quia nomen constituitur in esse talis ex ipsa significatione: vnde cùm nomen æquiuocum significet multa, erit multiplex. Respondetur quòd ad multiplicationem concreti, siue compositi accidentalis non sufficit multiplicatio formæ,

vt

compositi accidentalis non sufficit multiplicatio formæ, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 30. art. 3. vnde licèt quis habeat plures artes, dicitur tamen vnus artifex: & ratio est, quia concretum significat formam concernendo subiectum, & ex modo significandi supponit pro illo; vnde ad eius multiplicationem, debet multiplicari subiectum: & ita cùm nomen æquiuocum sit concretum accidentale importans de formali significationem, & connotans pro materiali vocem, non sufficit multiplicatio significationis, vt dicantur plura nomina, sed necessaria etiam est pluralitas vocis: vnde nomen æquiuocum est formaliter vnum, licèt sit multiplex virtualiter.

ARTICVLVS II.

De Sinonymis, siue Vniuocis.

VNIVOCA dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata est eadem: sic definit Aristot. & affert exemplum, vt animal dicitur & ipse homo & equus: vnde illa sunt vniuoca, quæ significantur vno & eodem nomine, & conueniunt in vna & eadem ratione formali significata per tale nomen: hæc definitio manet explicata ex dictis circa æquiuoca; cùm enim vniuoca & æquiuoca sint penitus contraria, eorum definitiones sunt proportionaliter, sed contrariâ viâ explicandæ: ex quo sequitur quòd vniuocum immediatè significat vnam rationem communem vniuocatis, vt animal quod est in homine & equo, significat immediatè rationem viuentis sensibilis: non verò proprias & differentiales rationes hominis & equi: æquiuocum verò significat immediatè rationes proprias æquiuocatorum: quod probat à posteriori Aristot. in hoc capite, quia si quis quærat, quæ est ratio canis, quæ inuenitur in latrabili & marino, non assignabitur ei vna definitio illis communis, sed propriæ eorum definitiones adducentur: si verò quærat, quæ sit ratio animalis, quæ inuenitur in homine & equo, assignabitur vnica definitio animalis illis communis, dicendo est viuens sensibile, nec opus est afferre proprias definitiones hominis & equi.

VNIVOCA sunt genera, vel species: quando autem Aristot. 7. Physicor. textu 31. dicit, quòd in generibus latent æquiuocationes: debet explicari, vt explicat D. Th. lect. 8. scilicet, quòd genera solent physicè loquendo appellari æquiuoca; quia non significant aliquam rationem, quæ physicè & à parte rei sit vna in speciebus: animal enim v.g. non sumitur ab aliqua forma substantiali, quæ realiter sit in homine & equo: sed à peculiaribus formis eorum, secundum quòd tribuunt perfectionem sentiendi: solent etiam genera appellari analoga inæqualitatis, siue physica: hoc tamen non tollit, quin sint propriè vniuoca: significant enim rationem, quæ Logicè loquendo, & prout abstracta est ab speciebus, est omnino eadem in illis.

ARTICVLVS III.

De Analogis, siue Proportionatis.

ARISTOTELES non egit hîc expresse de Analogis: sed illa comprehendit & definiuit sub æquiuocis, vt clarè docet D. Thom. opusc. 48. tract. 2. cap. 1. & ita sentiunt Caietanus 1. part. quæst. 13. art. 5. & communiter Doctores: quod manifestè constat tum exemplo allato ab Aristotele de homine, respectu vini & picti, quod potiùs est analogi, quàm purè æquiuoci: tum quia ratio importata per nomen analogum, non sic est partim eadem, partim diuersa, quasi ex æquo contineat vtrumque: sed simpliciter est diuersa; & secundum quid eadem: vnde, licèt analogum sit medium inter æquiuocum & vniuocum; non tamen æqualiter distat ab vtroque, sed magis approximatur æquiuocis, & annumeratur illis: & sic diuiditur æquiuocum in communi in purè æquiuocum & analogum: in purè æquiuocis, ratio significata per nomen est omnino diuersa; in analogis verò licèt sit simpliciter diuersa; est tamen secundùm quid eadem: & sic debet exponi definitio analogorum. (analoga sunt, quorum nomen est commune: ratio verò substātiæ nomini accommodata, est partim eadem, & partim diuersa) Analogia quippe est nomen Græcum, quod idem est, ac Latinè proportio, comparatio, siue proportionalitas: illa autem appellantur proportionata siue proportionalia, quæ cùm simpliciter sint diuersa & inæqualia, habent tamen aliquam similitudinem aut æqualitatem; & ita nomen analogiæ importat diuersitatem aut inæqualitatem cum aliqua conuenientia & similitudine.

ANALOGIA Logica diuiditur in analogiam attributionis siue proportionis, & in analogiam proportionalitatis: analoga attributionis sunt illa, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum, sicut sanum cōuenit tam animali, quàm medicinæ, aëri, vrinæ &c. respiciunt autem eumdem terminum, scilicet sanitatem: sed tamen diuersimodè: nam animal vt subiectum eius, medicina vt causa, aër vt conseruatiuus, vrina vt signum: dicitur autem hæc analogia attributionis, vel quia principale analogatum dat denominationem aliis, vel quia analogata minus principalia attribuuntur principaliori analogato, & reducuntur ad illud tanquam ad propriam mensuram & radicem: dicitur etiam analogia proportionis ad distinctionem analogiæ proportionalitatis, quia non proportio, sed proportionalitas requirit quatuor terminos, qui tamen non sunt necessarij in analogia attributionis.

ANALOGA proportionalitatis sunt illa, quorum nomen est commune: ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est similis secundum proportionem. Ita Caietanus in suo opusc. c. 3. vt principium dictum de corde respectu hominis, & de fundamento respectu domus: nam sicut fundamentum principiat domum, sic cor principiat hominem. Hæc modo sufficiant de analogis: ob maximā quippe analogiæ difficultatem, exactiorem eius tractatum ad Metaphysicam remittimus, vbi agitur de analogia entis.

ARTICVLVS IV.

De Paronimis, siue denominatiuis.

DENOMINATIVA dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu: ita definit Aristoteles, & affert exemplum: vt à grammatica grammaticus. Ad cuius euidentiam, sciendum est tria reperiri in quacumque denominatione, scilicet formam denominantem, rem denominatam, & ipsum denominatiuum, vt albedo est forma denominans, paries res denominata, concretum ex vtroque, scilicet album, est denominatiuum: denominatio autem non omnino distinguitur ab enumeratis, sed quodammodo inuoluit ea; prima radix, & origo denominationis est forma, à qua denominatiuum accipit appellationem.

TRES sunt denominatiuorum conditiones: Prima est, vt denominatiuum deriuetur à forma denominante; nam apud Logicos abstractum est prima radix concreti; quamuis apud grammaticos contrarium accidat, iuxta quorum regulas, non semper concretum deriuatur ab abstracto, imò frequentiùs fit econtra. Secunda est, quòd denominatiuum differat à forma denominante casu, id est, cadentia nominis: & hoc per se loquendo: per accidens enim potest contingere, quod non differant, sicut grammatica pro scientia, & grammatica pro muliere. Tertia est, vt denominatiuum & forma denominans non differant in re significata: licèt non excludatur differentia in modo significandi: quia vt supra dictum est, abstractum & concretum idem significant, sed diuersimodè.

QVAMVIS eadem res materialiter sit simul vniuoca & denominatiua; ac proinde materialiter vniuocum sit denominatiuum; inquantùm istæ duæ secundæ intentiones vniuoci & denominatiui coincidunt in eadem natura:

natura: nunquam tamen formaliter vniuocum eſt denominatiuum; quia iſtæ intentiones conueniunt rei per ordinem ad diuerſa: album enim eſt denominatiuum per ordinem ad albedinem denominantem, à qua nominis appellationem recipit; eſt autem vniuocum per ordinem ad ſua inferiora, in quibus æqualiter reperitur: quòd autem iſti reſpectus, & rationes ſint eſſentialiter diuerſæ, ac diſparatæ conſtat ex hoc, quòd poſſunt ab inuicem ſeparari: nam ratio formalis denominatiui æquè benè ſaluatur in analogis, ac in vniuocis, vt patet in ſanitate & ſano, & contra, ratio vniuoci æquè benè ſaluatur in non denominatiuis, ac in denominatiuis.

Per particulam (ab aliquo) poſitam in definitione denominatiuorum: intelligunt communiter Philoſophi formam denominantem non debere eſſe de eſſentia rei denominatæ: quod enim eſt de eſſentia rei, non eſt propriè aliquid aliud ab ipſa, nec ponit cum ipſa in numero: vnde homo non dicitur denominatiuum ab humanitate, nec animal ab animalitate: benè tamen humanum & animale; quia cùm ſint termini adiectiui, ſignificant humanitatem, & animalitatem per modum accidentium alteri adiacentium, & conſequenter cum abeitate ſufficienti ad rationem denominatiui: nomine autem formæ denominantis non ſolùm intelligitur id, quod verè eſt forma aut accidens: ſed omne illud, quo aliquid dicitur tale accidentaliter, ſiue in ſe ſit accidens, ſiue ſubſtantia, ſiue materia, ſiue forma: vnde iſtæ omnes prædicationes ſunt denominatiuæ, (vas eſt aureum, cathedra eſt lignea, paries eſt albus &c.)

Tria aſſignantur genera denominatiuorum: primum eſt re, & non voce, vt ſtudioſus à virtute: ſecundum eſt voce, & non re, vt ſtudioſus ab ſtudio: tertium eſt, & re, & voce, vt albus & albedine: & hoc vltimum tantùm eſt propriè, & ſimpliciter denominatiuum: quia ad rationem denominatiui duo requiruntur; ſcilicet vt denominatiuum & forma denominans conueniant in principio nominis, & non differant in re ſignificata.

Articvlvs V.

De duabus diuiſionibus Ariſtotelis.

Affert Ariſtoteles in 2. capite duas diuiſiones. Prima eſt huiuſmodi (*eorum, quæ dicuntur, alia cum complexione dicuntur, vt homo currit; alia ſine complexione vt homo*) cuius diuiſionis ſenſus eſt; illarum rerum, quæ per voces ſignificantur; aliæ ſunt complexæ, quæ ſcilicet pluribus conceptibus concipiuntur correſpondentibus pluribus vocibus, per quas ſignificantur: aliæ ſunt incomplexæ, quæ ſcilicet vnico conceptu concipiuntur correſpondente vni voci, per quam ſignificantur: hanc Philoſophus addidit diuiſionem, quia complexa excludit à prædicamentis, quia ſunt tantùm ſecundùm quid vnum, incomplexa verò ſunt quid vnum ſimpliciter, & ita hæc diuiſio eſt analoga.

Secvnda diuiſio eſt huiuſmodi (*eorum, quæ ſunt, quædam de ſubiecto dicuntur; in ſubiecto tamen non ſunt, vt ſubſtantiæ vniuerſales. Quædam in ſubiecto ſunt, de ſubiecto autem non dicuntur, vt accidentia ſingularia. Quædam in ſubiecto ſunt & de ſubiecto dicuntur, vt accidentia vniuerſalia. Quædam verò neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto dicuntur, vt ſubſtantiæ ſingulares:*) explicans autem quid ſit eſſe in ſubiecto, ſic ait: *In ſubiecto autem eſſe dico: quòd cùm ſit in aliquo, non ſicut pars, impoſſibile eſt eſſe ſine eo:* Hæc facile intelligentur, ſi quis ſupponat per ly (in aliquo) intelligi ſubiectum diſtinctum, & ſubſtantiæ repugnare in ſubiecto inhæſionis eſſe, & hoc per ſe competere accidenti: vniuerſali autem competere de ſubiecto dici ſiue prædicari: particulari verò repugnare.

Articvlvs VI.

De duabus regulis traditis ab Ariſtotele.

Affert Philoſophus in 3. capite duas regulas. Prima eſt (*Quando aliquid prædicatur de aliquo, vt de ſubiecto, quicquid prædicatur de prædicato, dicitur etiam de ſubiecto*) vt ſi de Petro prædicatur homo, & de homine prædicatur animal, viuens &c. etiam prædicabuntur de Petro. Ad euidentiam huius regulæ ſciendum eſt, quòd per ly (prædicatur & dicitur: ſubintelligit Ariſtoteles (quidditatiuè) vt patet exemplo adducto; licèt enim hæc regula poſſet extendi ad prædicationes quinque prædicabilium, & alias quaſcunque, ſi ſeruetur eadem ſuppoſitio: hoc tamen non eſt intentum Philoſophi, qui de hac regula agit præcisè, vt eſt anteprædicamentum: iuxta alias verò extenſiones pertinet ad principia Syllogiſtica (dici de omni, & dici de nullo) quæ non ſunt anteprædicamenta, ſed priora analytica: in hac autem regula fundantur ſorites, ſiue modus argumentandi de primo ad vltimum: nam valet, Petrus eſt homo, homo eſt animal, animal eſt viuens &c. ergo Petrus eſt viuens.

Secvnda regula eſt iuxta tranſlationem Boëtij (*Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſa ſunt ſpecie differentiæ: ſubalternatorum verò generum, nihil prohibet eaſdem differentias eſſe.*) Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Ariſtoteles per differentias ſpeciei diuerſas excludit differentias materiales, & intelligit formales, ſiue eſſentiales eſſentialiter diuerſas: ſic autem exponenda eſt regula, quantùm ad primam partem. Quando duo genera ita ſunt diuerſa, vt vnum non contineatur ſub alio, vel quia ſunt in diuerſis prædicamentis, vt animal & ſcientia; vel quia opponuntur ſub aliquo tertio, vt animal, & planta: neceſſariò habent differentias eſſentiales, tam diuiſiuas, quàm conſtitutiuas formaliter diuerſas: nam genera primo diuerſa, vel oppoſita vt ſic, nec poſſunt conſtitui per eandem differentiam, neque diuidi in eadem membra. Quantùm verò ad ſecundam partem ſic exponenda, eſt quando vnum genus continetur ſub alio: poſſunt ambo quidem habere quodammodo eaſdem differentias, tam diuiſiuas, quàm conſtitutiuas: quia differentia conſtitutiua ſuperioris, eſt etiam inadæquatè & remotè conſtitutiua inferioris; & differentiæ diuiſiuæ inferioris ſunt etiam inadæquatè & remotè diuiſiuæ ſuperioris: per hoc tamen non excluditur, quin iſta genera habeant proprias differentias, per quas proximè & adæquatè conſtituantur & diuidantur; exceptis primis & generaliſſimis, quæ habent quidem proprias differentias diuiſiuas, ſed non conſtitutiuas.

Qvæstio XI.

De Prædicamentis.

Diuidit, Philoſophus in 4. capite ens in decem prædicamenta, ſiue in decem prima genera, ſiue generaliſſima, ſic dicta, quia nullum genus, ſiue conceptum vniuocum habent ſupra ſe: ens quippe, cùm includatur in vltimis ſuis differentiis (quia non effugiunt rationem entis: aliàs nihil eſſent) non habet vnum conceptum præciſum ab illis, ſed immediatè dicit ſua inferiora, vt habentia proportionem adinuicem: prædicamentum autem, ſiue Categoria eſt ſeries quædam, ſiue coordinatio generum & ſpecierum ſecundùm prædicabilitatem & ſubiicibilitatem, vt apparebit in arbore prædicamenti ſubſtantiæ: prædicamenta multiplicantur ſecundùm diuerſos modos, quibus ſuperiora vniuoca (quæ prædicantur de ſuis inferioribus eſſentialibus, vt genera & ſpecies) prædicantur de aliquo ſubiecto; qui modi exprimuntur per interrogationes, quæ ſiunt de aliquo, ſcilicet quid eſt, quantum eſt, quale eſt &c. qui modi ſunt decem: & ita ſunt decem prædicamenta, ad quæ pertinent omnia entia creata, quædam

directè

directè siue in recta linea, & debent ex communi consensu omnium Philosophorum habere omnes istas conditiones vt sint entia rei, per se, finita, actu, sinonyma & simplicia: alia ponuntur ad latus, scilicet differentiæ in prædicamento suorum generum & specierum: alia denique reductiuè, vt partes in prædicamento totius, entia potestate in prædicamento entium similium actualium, principia in prædicamento eorum, quorum sunt principia, motus in prædicamento sui termini, quamuis magis propriè sit postprædicamentum: priuationes & negationes in prædicamento formarum, quas negant vel priuant: quia igitur prædicamenta sunt decem, breuiter quæruntur decem.

¶ Primò, de Substantia.
¶ Secundò, de Quantitate.
¶ Tertiò, de Qualitate.
¶ Quartò, de Relatione.
¶ Quintò, de Actione.
¶ Sextò, de Passione.
¶ Septimò, de Vbi.
¶ Octauò, de Quando,
¶ Nonò, de Situ.
¶ Decimò, de Habitu.

Articvlvs I.

De Substantia.

SVBSTANTIA prout constituit hoc Prædicamentum significat naturam completam: vnde non sumitur in lata significatione, prout opponitur accidenti, quâ ratione differentiæ substantiales dicuntur substantiæ.

DIVIDITVR substantia à Philosopho in primam & secundam: prima substantia est singulare, siue indiuiduum, vocatur primò, propriè & maximè substantia: quia substat non solùm accidentibus, sed etiam secundis substantiis, quæ sunt genera & species; & ita dependent à primis, vt illis sublatis pereant: inter secundas verò substantias, illæ quæ magis accedunt ad primas, sunt magis substantiæ: quid autem sit diuisum huius diuisionis disputant authores. Aliqui etiam Thomistæ vt Caietanus, Iauellus, & Masius volunt esse substantiam ratione realis proprietatis subsistendi, siue substandi accidentibus: ita vt diuisio reddat hunc sensum; substantia, quâ ratione substat accidentibus, alia primò substat, scilicet particularis; alia secundò substat, scilicet vniuersalis: vnde hæc diuisio est analuga: & hæc explicatio videtur esse de mente Aristotelis. Alij verò vt nostri Complutenses, Sanches, Gallego dicunt diuisum esse substantiam secundùm suam essentiam, & conceptum quidditatiuum, diuidique in duos modos subsistendi, scilicet particulariter & vniuersaliter: ex quibus alter est modus realis, quem suppositum addit supra naturam; alter verò est modus; & accidens rationis, à quo natura constituitur in esse vniuersalis. Ita expressè habet D. Thom. quæst. 9. de potentia art. 2. ad 6. Sic enim ait: *Cùm diuiditur substantia in primam & secundam, non est diuisio generis in species: sed est diuisio generis secundùm diuersos modos essendi.* Nam secunda substantia significat naturam generis secundùm se absolutam: prima verò significat eam vt indiuidualiter subsistentem: vnde magis est diuisio Analogi, quàm generis.

PROPRIA & essentialis ratio substantiæ, est (esse per se, siue per se stare) si sumatur secundùm aptitudinem. Ly (per se) non sumitur vt opponitur ad (esse per accidens) nam per se hoc modo conuenit omni enti, etiam accidenti habenti vnicam essentiam: neque ly (per se) sumitur vt contradistinguitur ad (per aliud) nam esse per se hoc modo, idest non per aliud, soli Deo conuenit: vnde ly (per se) sumitur vt opponitur ad (esse in alio secundùm aptitudinem & inclinationem ad inhærendum) quod est essentia, siue formalis ratio accidentis.

SEX assignat Philosophus proprietates substantiæ. Prima est, tam prima, quàm secunda substantia, non est in subiecto, scilicet inhærendo. Secunda, secundæ substantiæ vniuocè prædicantur de prima: nam prima substantia non prædicatur. Tertia, prima substantia significat hoc aliquid, secundæ verò videntur significare quale-quid: quia prima semper habet rationem subiecti; non enim prædicatur de alia; secundæ verò respectu primarum habent locum prædicati, quod generali ratione dicitur qualitas; nam adiacet subiecto. Quarta, substantiæ nihil est contrarium: propriâ scilicet contrarietate, quæ est inter illa, quæ sub eodem genere maximè distant, & se expellunt ab eodem subiecto. Quinta, substantia non suscipit magis & minus: hæc proprietas est comparatiua, vel inter primas, vel inter secundas eiusdem ordinis: id est vna non est magis substantia, quàm alia; licèt sit perfectior substantia. Sexta, substantia est, quæ eadem manens est contrariorum susceptiua (nota quoad aptitudinem, & de substantia prædicamentali, & de recipere, vt quod, cum intrinseca mutatione.) Hæc pro nunc sufficiant de substantia, cuius prædicamentum sic ordinatur.

NOTA Circa hanc arborem, tria esse circulorum genera, alij quidem ponuntur in recta linea, siue in medio arboris, vbi ponuntur genera & species: nam indiuiduum non est pars intrinseca prædicamenti, sed fundamentum, cui cætera innituntur. Alij ponuntur ad latus dextrum, vbi collocantur propriæ, & positiuæ differentiæ, quæ simul diuidunt gradum superiorem, & constituunt inferiorem. Alij ad latus sinistrum, vbi collocantur differentiæ impropriæ & negatiuæ: quas ponimus loco aliarum, quæ constituunt species alias illius generis. In supremo circulo est substantia, quæ est genus supremum, siue generalissimum; quia supra se nullum aliud habet genus: vnde propriè non potest definiri; solùm enim habet supra se rationem entis, quæ est analoga, nec simpliciter vna. In circulo infimo est homo, qui est species specialissima siue infima; quia sub se non habet alias species, & solum materialiter, ac numericè diuiditur: illi verò gradus, qui collocantur in aliis circulis intermediis, respectu superiorum dicuntur species: respectu verò inferiorum, genera, ideo indistinctè dicuntur, vel species subalternæ, vel genera subalterna: genus autem vltimum, quia immediatè diuiditur in species atomas, nec sub se continet alia genera, solet vocari

genus infimum: hìc animal eſt genus infimum, quia tale eſt reſpectu hominis; licèt non ſit tale reſpectu aliorum animalium ex Ariſtotele. 7. Metaphiſicæ textu 58. vbi docet inter aſinum, & animal eſſe aliud genus innominatum, quo in loco D. Thom. lect. 7. Ita habet: *Eſt enim aliquod proximum genus, quod non eſt nominatum, commune equo & aſino*. Et ita tenent communiter Thomiſtæ: poteſt autem vocari brutum.

In hac arbore conſtituimus duo genera cum ſuis differentiis, quæ non conſtituit Porphyrius cap. de ſpecie, nec D. Thom. opuſculo 48. tract. 2. cap. 3. nec multi alij illa conſtituunt: ſed dicimus Porphyrium tantùm poſuiſſe genera notiora, & in hoc imitati ſunt alij, tamen idem Angelicus Doctor opuſc. 42. vbi ex profeſſo inueſtigat omnia genera prædicamenti ſubſtantiæ, adducit omnes diuiſiones in hac arbore poſitas. Primam quidem ſubſtantiæ in corpoream & incorpoream, ſiue in materialem & immaterialem, ſiue in extenſibilem & inextenſibilem adducit cap. 4. 5. 6. & 7. Secundam autem corporis in inalterabile, & alterabile, ſiue in incorruptibile & corruptibile, ſiue in cœleſte & ſublunare (quæ omnia penitus idem ſunt. tradit cap. 14. Tandem tertiam generabilis in compoſitum & ſimplex. Quartam mixti in animatum & inanimatum. Quintam viuentis in ſenſibile & inſenſibile. Sextam animalis in rationale & irrationale, tradit, latè explicat & probat cap. 18.

Probatur ratione ſufficientia huius diuiſionis. Omnia accidentia & operationes conſequuntur ad aliquem gradum ſubſtantiæ cui adæquatè & conuertibiliter conueniunt (quænam ex illis ſint veræ proprietates patet ex dictis) vnde ex diuerſis operationibus & accidentibus, quorum vnum non fluit ab alio, nec conuertitur cum illo, optimè colliguntur diuerſi gradus, ſiue genera prædicamenti ſubſtantiæ, & hac via vſus eſt D. Thom. cap. 18. citato: ſed in Petro præter accidentia materialia, quæ eius ſequuntur indiuiduationem, reperiuntur intellectus & voluntas, quæ conſequuntur ſpeciem humanam in ipſo præcisè: item potentiæ ſenſitiuæ, quæ præcisè etiam conſequuntur gradum genericum animalis; non autem ſpecificum: aliàs ſolus homo illas haberet, quod eſt falſum. Nec gradus ſuperiores, alioquin conuenirent aliis, quàm animalibus, quod etiam eſt falſum. Item potentiæ vegetatiuæ, quæ ob eamdem rationem præcisè conſequuntur ad gradum viuentis. Item qualitates ſecundæ, vt color, ſapor, odor &c. quæ non conuenirent Elementis, ſi pura eſſent: conſequuntur enim gradum mixti præcisè; aliis enim conueniunt, quàm viuentibus. Item potentia generatiua communiter dicta, ſiue productiua ſimilis in natura quæ non conuenit illi, vt eſt homo, animal, viuens, aut mixtum; nam reperitur etiam in Elementis, nec illi conuenit vt eſt ſubſtantia, aut corpus; quia nec Angeli, qui ſunt ſubſtantia, nec corpora cœleſtia ſimilem habent potentiam: & ita conuenit illi quatenus generabile. Item quantitas, motus, tempus, & quæ præcisè conſequuntur rationem corporis: nam omni, & ſoli conueniunt; non ratione inferiorum, vt patet, nec ratione ſubſtantiæ, quia Angeli ſunt ſubſtantiæ; & tamen ipſis non conueniunt. Denique ſubſiſtere in ſe, & ſubſtare accidentibus, quod præcisè conſequitur ad ſubſtantiam categoricam, vt patet: ergo eſt ſufficiens hæc diuiſio.

Articvlvs II.

De Quantitate.

Qvantitas eſt primum Prædicamentum accidentium, & ſecundum in ordine, quæ cùm ſit accidens, realiter diſtinguitur à ſubſtantia. Eius eſſentia conſiſtit, non in ratione menſuræ actualis, nec in diuiſibilitate proxima, nec in extenſione partium in ordine ad locum (quæ omnia ſunt vt eius proprietates) ſed conſiſtit in extenſione partium in toto, ſiue in ordine ad ſe; & hoc dicit rationem menſuræ, non per ordinem ad extrinſecum, vt ſuo loco dicetur: ita D. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 12. ad 1. vbi ſic ait: *De ratione quantitatis eſt ordo partium*: Idem 4. contra gentes cap. 65. *Poſitio, quæ eſt ordo partium in toto, in eius* (ſcilicet quantitatis) *ratione includitur*: Ita communiter Thomiſtæ, ac plurimi alij: & ratio eſt manifeſta, nam omnia, quæ aſſignantur de quantitate, vltimò reſoluuntur ad hanc extenſionem; & ita eſt primum omnium, quæ ſunt in quantitate; ac proinde eſt eſſentia.

Dividitvr quantitas ab Ariſtotele duplici diuiſione. Prima eſt quantitas alia diſcreta, cuius ſcilicet partes non copulantur aliquo termino communi, vt numerus, & oratio: & alia continua, cuius ſcilicet partes copulantur termino communi, vt linea, ſuperficies, corpus, & tempus: partes enim lineæ copulantur punctis; partes ſuperficiei lineis, partes corporis ſuperficiebus, partes temporis inſtantibus, vel momentis. Diuiditur 2. in eam, quæ habet ſitum, ſiue poſitionem partium inter ſe, vt ſunt linea, ſuperficies & corpus: in his enim poteſt deſignari, quem ſitum & poſitionem ſingulæ partes habeant; & in eam, quæ non habet talem poſitionem, vt ſunt tempus, numerus & oratio: licèt in eis partes habeant aliquem ordinem prioris & poſterioris niſi ſumantur vt continuæ. Dicit autem Ariſtoteles quòd hæ ſpecies quantitatis ſunt quantæ per ſe, & ratione ſui: alia verò omnia ſunt quanta per accidens ſcilicet per iſtas ſpecies: nam actio dicitur longa, quia durat multo tempore; & albedo dicitur magna quia eſt in magna ſuperficie.

Tres aſſignat Philoſophus quantitatis proprietates. Prima eſt; quantitati nihil eſt contrarium, id eſt propriâ contrarietate. Secunda, quantitas non ſuſcipit magis & minus: licèt vna ſit maior quàm alia, tamen non eſt magis quantitas, quàm alia. Tertia, ſecundùm quantitatem res dicuntur æquales, vel inæquales; & hoc omni, & ſoli conuenit quantitati molis: tamen etiam appropriatur quantitati virtutis, ſiue perfectionis: vnde Chriſtus Dominus ſecundùm diuinitatem dicitur æqualis Patri, & vna albedo æqualis alteri in intenſione.

Sic autem ordinatur hoc prædicamentum. Quantitas eſt ſupremum genus. Diuiditur primò in continuam & diſcretam: diſcreta in numerum & orationem, tanquam in ſpecies ſubalternas: numerus in binarium, ternarium &c. vt in ſpecies infimas; oratio verò diuiditur in varias ſpecies ſecundùm quòd ſillabæ diuerſo modo ordinantur ſecundùm breuitatem & longitudinem. Quantitas continua diuiditur in figurabilem, ſiue ſituabilem, & in infigurabilem & inſituabilem: figurabilis ſubdiuiditur in lineam, ſuperficiem & corpus tanquam in ſpecies infimas: ſub infigurabili continetur tempus.

Articvlvs III.

De Qualitate.

Aristoteles priùs agit de relatione, quàm de qualitate, datâ occaſione; quia eius mentionem fecerat in prædicamento quantitatis: ſed in hac parte ſequimur D. Thom. qui opuſc. 48. vbi agit de omnibus prædicamentis, præmiſit relationi qualitatem, vtpote quid abſolutum, & meritò; nam abſoluta ſunt priora relatiuis: Philoſophus qualitatem ſic definit (*Qualitatem autem voco ſecundum quam quales eſſe dicimur*) quæ definitio ſic poteſt exponi. Qualitas eſt accidens, à quo res conſtituitur in eſſe qualis, & per quod propriè reſpondetur interrogationi factæ per quale.

Dividitvr qualitas in quatuor ſpecies. Prima eſt habitus & diſpoſitio, vt ſcientia & virtus: error & vitium. Secunda eſt potentia naturalis & impotentia. Vt potentiæ ſenſitiuæ, & mollicies in cera ad reſiſtendum. Tertia eſt paſſibilis qualitas, & paſſio, vt albedo & rubor naturalis: albedo & rubor ex verecundia & metu cauſatus. Quarta eſt forma, & figura vt triangulus, pyramis.

Tres enumerat qualitatis proprietates. Prima eſt habere contrarium etiam propriè dictum. Non conue-

nit

bit omni; quia lux non habet contrarium positiuum. Secunda est suscipere magis & minus: nec etiam ista couenit umni: multæ enim qualitatea non intenduntur. Tertia est, per qualitatem res dicantur similes & dissimiles: quamuis etiam hoc approprietur substantiis. Ex dictis facilè ordinatur hoc prædicamentum.

ARTICVLVS IV.

De Relatione.

RELATIO sic in concreto definitur ab Aristotele (*relatiua sunt, quibus ipsum esse, est ad aliud quodammodo se habere: siue relatiua sunt, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur*) prima definitio est exactior, & ptoptia Aristotelis, & solùm comprehendit veras relationes secundùm esse: secunda adducitur ab Aristotele tanquam aliorum, quæ non est ita exacta; quia comprehendit etiam relationes secundùm dici.

QVATVOR assignantur proprietates relationis. Prima est, relatio habet contratium. Secunda, relatio suscipit magis & minus: sed hæ oon conueniunt ei per se: at ratione alicuius sui fund.menti, scilicet qualitatis. Tertia, relatio dicitur ad conuertentiam, vt pater alicuius filij pater: filius alicuins patris filius. Quarta, relatiua sunt simul natorâ; & ideo, posita se ponunt, & ablata se auferunt.

DIVIDITVR relatio io tealem, & rationis: realis alia est ereata, alia increata. Cteata alia secundùm esse, quæ importat ipsam habitudinem relatioam, vt paternitas. Alia secuodùm dici, siue transcendentalis, quæ principaliter impottat rem absolotam, quam consequitur quædam habitodo, vt mouens, motum, scientia &c.

SOLA relatio realia cteata secundùm esse pertinet ad hoc prædicamentum, & dicitur prædicamentalis: quæ diuiditut primò in mutuam: quando scilicet ex parte termini correspondet alia, vt paternitas & filiatio: & in non mutuam, quando scilicet ex parte termini non correspondet alia, vt telatio maternitatis B. Virginis ad Christum. Mutua subdiuiditut in relationem æquipatantiæ; quando in termino correspondet alia eiusdem rationis, vt similitudo, æqualitas; & disquiparantiæ, qoando in termino correspondet alia diuersæ rationis, vt paternitas & filiatio: & sic constat quomodo sit ordinandum hoc prædicamentum.

IN relatione reali & prædicamentali ista omnia debent necessariò teperiri: scilicet subiectum reale, in quo est: 2. fundamentum, siue ratio fundandi, scilicet id, ad quod sequitur telatio, & debet esse reale: 3. terminus realis realiter existens. 4. distinctio realis subiecti, fundamenti, & termini.

ARTICVLVS V.

De Actione.

ACTIO definitur à Gilberto Portetano quòd sit (*forma, secundùm quam in id quod subiicitur, agere dicimur:*) quæ definitio sic potest exponi. Actio est caussalitas causæ efficientis, vel actus secundus potentiæ operatiuæ, siue est accidens, à quo res constituitur actu agens.

DIVIDITVR actio in transeuntem, & immanentem; vnde actio in communi est supremum genus: vtraque autem diuiditur in varias species: immanens quidem iuxta diuersitatem pbtentiarum à quibus procedit; transiens verò iuxta diuersitatem formalem terminorum, siue principiorum.

ARTICVLVS VI.

De Passione.

PASSIO est actualis receptio termini, siue actus secundus potentiæ passiuæ. Diuiditur in substantialem & accidentalem: subdioiditur substantialis iuxta diuisionem geoerabilium adductam in arbore substantiæ: accideotalis verò ioxta diuisionem motus in augmentationem, alterationem & lationem passiuam; augmentatio est species infima, sicut & corpus quantitatis eius terminus: Alteratio passiua diuiditur iuxta diuisionem primæ, & tertiæ speciei qualitatis: nam hæ solùm qualitates producuotur per veram actionem: aliæ per emanationem: denique latio passiua diuiditur iuxta diuisionem Vbi, quod est eius terminus.

ARTICVLVS VII.

De Vbi.

VBI, definitur sic à Gilberto. (*Vbi est circumscriptio corporis ex circumscriptione loci proueniens.*) Diuiditur late io vbi diuinum, siue vbique Dei, & vbi creaturatum: vbi verò creaturarum in vbi difinitiuum, & circumscriptiuum; circumscriptiuum est quod ita facit rem esse in loco, vt tota correspondeat toti loco, & partes eios partibus loci: & hoc conuenit solis quantis ratione quantitatis: vbi verò definitiuum particulare, est quod ita facit rem esse in loco; vt tota correspondeat toti loco, & tota cuilibet parti loci: & hoc conuenit rebus spiritualibus, sicut anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, & hoc modo Angeli sunt in loco: & quia æquiuocè dicuntur res spirituales, vt Angeli, esse in loco: ideo vbi Angelicum non conuenit in aliquo genere cum vbi circumscriptioo: vnde circumscriptiuum est supremum genus huius prædicamenti: eius species assignat Philosophus 3. Phisicor. textu 45. dicens: *Amplius omne corpus sensibile in loco est*: loci autem species, & differentiæ sunt sursum, & deorsum, ante, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum; & hæc ooo solùm ad nos & positione sunt, sed in ipso toto determinata sunt: &c.

PROPRIETATES sunt. Vbi nihil est contrarium propriâ contrarietate: secunda, vbi non recipit magis & minus saltem per se primò, & ratiooe sui.

ARTICVLVS VIII.

De Quando

QVANDO, defioitur à Gilberto sic: (*quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquitur*) vt fieri, hodie, cras &c. hæc definitio est communiter recepta, & approbata à D. Thom. opusc. 48. tract. 5. cap. 12.

An hoc prædicamentum non pertinet, nec æternitas Dei, nec æuum, propter eorum vniformitatem & immutabilitatem: sed solùm (quando) quod consequitur ad tempus; & licèt tempus ipsum sit in se vnum: possunt tamen ab illo sumi dioersæ species huius prædicamenti ex diuerso ordine, quē res mensuratę habēt ad diuersas partes tēporis: sicut licèt locus ratione superficiei cōtinentis sit eiusdem speciei; tamen ex diuerso ordine, quē res locatæ habent ad centrum, & polos mundi, sumuntur diuersæ species vbi.

TRES assignantur proprietates Quando. Prima est, Quando nihil est coottarium. Secunda, non tecipit magis & minus. Tertia, denominat sola corpora corruptioni, & mutationi obnoxia.

SIC ordinatur hoc prædicamentum (quando) diuiditur in quando præteriti, præsentis & futuri; qoando præsentis est species infima; quia in tempore præsenti non sunt diuersæ partes, vnde sumantur diuersa quando: aliæ duæ sunt quasi subalternæ: nam sub prima continentur heri, nudiustertius, superiori anno &c. sub vltima continentur cras, postridie, sequenti anno &c.

ARTICVLVS IX.

De Situ.

SITVS definitur à Gilberto qoòd sit (*Positio partium, secundùm quam dicuntur stantia vel sedentia, vel*

aspera vel lenia:) Siue breuiùs ex D. Thom. opusc. 48, (*Situs est positio, seu ordo partium in loco*) Quæ sic exponimus, situs est accidens disponens partes in loco.

Dvas habet proprietates. Prima, est situm esse, aliquid est contrarium: nam pronom esse contrariatur ei, quod est esse supinum. Secunda, situm esse recipit magis & minus: licèt non per se primò: potest enim vnus magis stare vel sedere, quàm alius.

Sitvs qui est supremum genus huius prædicamenti diuiditur in naturalem & præternaturalem, siue ex appetitu animalis acqoisitum; vnicuique enim corpori conuenit à natura, vel natiuitate situs, sioe talis dispositio partium, vt quòd homo habeat caput erectum: alia verò animalia non habeant; & hinc sumuntur diuersæ species sitos naturalis pee ordinem ad singula animalia: præternaturalis verò, siue acquisitus ea appetitu animalis diuiditur in stare, sedere, iacere & alias species: nam ista diuersimodè disponunt partes etiam eiusdem in ordine ad locum.

Articvlvs X.

De Habitu.

Habitvs provt constituit hoc prædicamentum definitur à Gilberto quòd sit (*Corporum, & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia*) Vnde significatur vt quid medium inter corpus, & ea quæ sunt circa corpus per modum cuiusdam actionis & passionis; inquantum medio illo corpus ornatur, vestimenta ornant: vnde vestimenta debent esse eatrinseca; & ideo animalia ratione indumentorum, vel armorum, quæ habent à natura, excluduntur ab hoc prædicamento: non verò ratiooe eorum, quibus eatrinseeùs ab hominibus ioduuntur, vel armantur: quia hæc non sunt partes eorum sicut priora: Ita D. Thom. opusc.48. nec substaotiæ spirituales ad hoc prædicameotum pertinent.

Hnc prædicamentum habet analogiam ad prædicamentum vbi; nam sicut vbi resultat ea circumscriptione loci, sic habitus resultat ex adiacentia vestium &c. Diuiditur in habitum, qui resultat ea adiacentia armorum, respectu cuius res dicuntur armaræ; & in habitum, qui resultat ea adiacentia vestium; siue arma & vestes conueniant toti corpori, aut partibus: vterque subdiuiditur in varias species secundùm diuersa genera armorum & vestium, vt esse loricatum, galeatum: esse togatum, calceatum &c.

Svas babet proprietates. Prima est, habitus non babet contrarium propriè dictum. Secuoda, habitus recipit magis & minus licèt ooo per se primò: secundùm enim quòd vestis magis adiacet, dicitur aliquis magis vestitus, licèt oon sit magis onustus vestibos; hæc modò sufficiant de prædicamentis: reliqua ad proprium locum in Metaphisicam remittuotur.

QVÆSTIO XII.

De Postprædicamentis.

Agit Philosophus io postprædicamentis de quibusdam consequentibus prædicamenta, quæ sunt quædam entia incompleta, siue quędam rationes imperfectæ & inconpletæ, diuagantes per multa prædicamenta: & ideo ad nullom specialiter pertioent aut reducuotur: sunt autem sequentes, oppositio, prioritas, simultas, motus & modus habẽdi: vnde quærũtur quinque.

- ¶ Primò, de Oppositis.
- ¶ Secundò, de Modis prioris.
- ¶ Tertiò, de Modis simul.
- ¶ Quartò, de Specicbus motus.
- ¶ Quintò, de Modis habere.

Articvlvs I.

De Oppositis.

Non agit hîc Philosophus de oppositis propositionibus, sed rebus: opposita autem sunt in quadruplici differentia: alia sunt relatiua, vt pater & filius. Alia contraria, vt calor & frigus. Alia priuatiua, vt lux & tenebræ. Alia contradictoria, vt sedet & non sedet: oppositio latè sumpta conuenit etiam disparatis & repugoantibus: sic enim est repugnantia aliquorum ad simul conueniendum alicui: oppositio autem propriè addit certam & determinatam babitudinem ad vnum termioum, & sibi determinat, & quasi segregat extremum, cui repugnat: hoc enim importat oppositio propria, quæ sic definitur: oppositio est repugnaotia determinata aliquorum. Sufficientia huius diuisionia sic probatur. Vel oppositio est inter ens & nôn ens; vel inter ens & ens; si ptimom, vel est inter ens & non ens simpliciter, & est oppositio contradictoria: vel inter ens & non eos in determinato subiecto, & est oppositio priuatiua: si secundum, vel ens & ens se mutuò expellunt, & est oppositio contraria: vel se respiciunt, & est oppositio relatiua. Ea quo etiam patet ordo istarum oppositionum, omnium enim maxima est contradictotia, deinde priuatiua, tertiò contraria, vltimò relatiua: vnde ista diuisio est analoga: tum quia oppositio est quid reale conueniens rebus diuersorum prædicamentorum, quibus nihil reale potest esse commune vniuocum: tum quia sola oppositio cootradictotia est simpliciter, & absolutè oppositio, cùm eacludat omne medium, quod tamen aliæ oppositiones non eacludunt; & ita aliæ per ordinem ad oppositionem contradictoriam participant rationem oppositionis: videatur D.Th.5.Metaph. lect.12. & opusc.37.cap.1.2. & 3. Cum hoc tamen stat quòd oppositio contradictotia possit fundari in aliis oppositionibus, vt in contraria: nam in oppositione albi & nigri, inuoluitur oppositio albi & non albi: nigri & noo nigri.

Hic dicit Aristoteles quòd à priuatione ad habitum non datur regressus: quod debet intelligi, quando subiectum se habet ad diuersa secundùm ordioem prioris & posterioris: quando scilicet respicit immediatè formam, cui succedit ptiuatio, vt patet in visu & cæcitate: si autem subiectum indifferenter respiciat formam, eiúsve priuationem, tunc à priuatione datur regressus ad babitom: vt patet io aëre respectu lucis & tenebrarum. Ita D. Th. 8. Metaph. lect.4.

Assignat tandem proprietates contrariorum. Prima est, Si vnum contrarium existit, noo est opus quòd aliud existat, Logicâ consequentiâ, vt si est album, non seqoitur esse nigrum: quamuis, Phisicè loquendo, si vnum eaistit, etiam eaistit aliud. Secunda, Duo contraria non possunt esse in eodem subiecto; qoomodo, & quando explicabitur in libris de generatiooe. Tertia, Contraria sunt circa idem sobiectum, ita enim definiuntur: contraria sont quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subiecto insunt, à quo mutuò se expellunt: ita 10. Metaph.c.6. subiectum autem debet esse idem specie vel genere. Quarta, Contraria vel sunt sub eodem genere, vt albedo & nigredo: vel sub contrariis generibos, vt iustitia & iniustitia sub virtute & vitio; vel sunt ipsa cootraria genera, vt virtus & vitiom: vnde prædicta definitio per ly (sub eodem genere) debet intelligi vel infimo vel subalterno.

Articvlvs II.

De Prioris Modis.

In 12. Capite enumerat Philosophus qoatuor modos prioritatis. Prima est prioritas temporis, vt illa, quæ est inter Adam & Abel. Secunda est prioritas consequentiæ, quando scilicet ab vno non valet consequenoa ad aliud, vt noo valet ab animali ad hominem: non enim sequitur si est animal, quòd sit homo. Tettia est prioritas ordinis, quando seilicet est habitudo principij, vel partis: qualis est illa, quæ intercedit inter principia & cooclusiones, inter litteram & syllabam. Quarta est prioritas digoitatis, vt inter Regem & elicotes.

Hrs modis prioritatis, qui communiter acceptabantur, addit Aristoteles quintum, scilicet prioritatem naturæ, quæ repetitur inter ea, quæ licèt inter se conuertantur:

tur : tamen vnum est causa alterius, vt patet in essentia & proprietatibus. Theologi addunt sextum modum prioritatis, quæ dicitur prioritas originis, qui modus tantùm inuenitur inter diuinas personas, & non est prioritas (in quo) quia non datur aliquod instans, vel signum etiam naturæ, in quo vna persona diuina sit prior alia: sed dicitur prioritas (à quo) quia vna persona procedit ab alia: cùm autem prius & posterius sint contraria, & eadem sit ratio contrariorum: totidem modis dicitur aliquid posterius, quot prius.

Articvlvs III.

De Modis Simul.

Agit Philosophus in cap. 13. de modis simul. Tres autem sunt modi simultatis. Prima est simultas temporis, quando scilicet aliqua sunt simul in eodem tempore, vt Adam & Eua. Secunda est simultas naturæ: quæ reperitur inter illa, quarum vnum conuertitur cum alio, nec vnum est causa alterius, vt sunt relata: si enim est pater, est etiam filius; & si est filius, est etiam pater nec pater inquantum pater est causa filij vt sic: quamuis persona patris sit causa personæ filij. Tertia est simultas differentiæ, quæ inter differentias reperitur præcisè vt comparantur ad genus, quatenus sunt diuisiuæ ipsius: si autem comparentur inter se, vna est prior alia, sicut & species ipsæ, quas constituunt, quæ se habent vt numeri: vt dicitur 8. Metaphisicæ textu 10.

Articvlvs IV.

De Speciebus Motus.

In 14. Cap. agit Aristoteles de speciebus motus, & numerat sex; licèt non sint propriæ species: cùm motus sit ens incompletum; sunt autem generatio & corruptio ad substantiam; augmentatio & diminutio ad quantitatem: alteratio ad qualitatem: latio, siue motus localis ad vbi; quæ omnes species inter se distinguntur essentialiter: vt probatur in libris de generatione, vbi ex professo de istis agitur.

Dicit præterea quemlibet istorum motuum habere duo contraria: Primum est quies, siue cessatio à motu, quæ opponitur priuatiuè: Secundum sunt ipsimet motus; nam vnus contrariatur alteri, sicut generatio corruptioni, augmentatio diminutioni, & è contra: alterationi nullus per se contrariatur, sed ratione termini tantùm vna alteratio contrariatur alteri, vt dealbatio denigrationi: & similiter dicendum est de motu locali: nam motus sursùm contrariatur motui deorsùm: nec mirum si motus à suis terminis habeant contrarietatem cùm ab ipsis habeant esse, & specificationem; ad quam consequitur contrarietas; omnes quippe species sunt contrariæ, non tamen hic est sermo de propria contrarietate supra explicata, quæ reperitur solùm in qualitatibus.

Articvlvs V.

De Modis Habere.

Concludit tandem Aristoteles postprædicamenta, totumque librum Categoriarum. 15. capite, in quo agit de modis habere: qui numerantur ab ipso sex. Primus est quo habetur aliqua qualitas, vt virtus, scientia. Secundus, quo habetur quantitas, vt magnitudo quatuor cubitorum. Tertius, quo habentur ea, quæ circa corpus ponuntur, vt vestis, arma: sed hic modus non pertinet ad postprædicamenta: nam constituit vltimum prædicamentum vt dictum est supra. Quartus, vt in vase: nam dolium habet vinum. Quintus, quo habetur possessio, vt quis habet domum. Sextus per relationem, vt vir habet vxorem, & pater filium, qui modus est omnium imperfectissimus.

LIBRI PERIHERMENIAS SIVE DE INTERPRETATIONE

Summa Textus.

Habent Antiquæ translationes duos libros Perihermenias, siue de interpretatione: noua habet vnicum, in quo agit Philosophus de secundis intentionibus, quibus dirigitur secunda mentis operatio: continet quatuordecim capita. In 1. ponit proœmium. In 2. agit de nomine. In 3. de verbo. In 4. de oratione. In 5. de enuntiatione. In 6. de affirmatione, & negatione, & contradictione. In 7. de enuntiationibus vniuersalibus, particularibus, indefinitis, & singularibus. In 8. de enuntiatione vna, vel pluribus. In 9. de enuntiationibus singularibus in futurum collatis. In 10. de enuntiationibus secundi, vel tertij adiacentis, finitis, aut infinitis. In 11. de enuntiationum coniunctione, ac diuisione. In 12. de oppositione enuntiationum modificatarum. In 13. de consecutione enuntiationum modificatarum. In 14. quærit quænam sint enuntiationes contrariæ.

QVÆSTIO XIII.

De modis sciendi.

Cum ex Aristotele 2. Metaphysicæ cap. vltimo debeat scientiam præcedere modus sciendi: ait enim; absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere: propterea quamuis videatur immutari ordo, agendum est priùs methodo arbitrariâ de modis sciendi, quàm de terminis, ex quibus componuntur definitio, diuisio & argumentatio, quæ sunt modi sciendi: hîc etiam vsque ad libros de posteriori Analysi mutabitur ordo, & methodus procedendi claritatis gratia: circa autem modos sciendi quæruntur quatuor.

¶ Primò, de modo sciendi in communi

¶ Secundò,

¶ Secundò, de definitione.
¶ Tertiò, de diuisione.
¶ Quartò, de argumentatione.

ARTICVLVS I.

De modo sciendi in communi.

MODVS sciendi est oratio ignoti manifestatiua. In hac definitione ly (oratio) est genus, quia multæ dantur aliæ orationes, quæ non sunt modi sciendi: aliæ particulæ sunt differentiæ, per quas modi sciendi distinguuntur ab aliis orationibus & propositionibus: per ly (ignoti) intelligitur quodcumque, siue sit complexum, vt homo est risibilis; siue sit incomplexum, vt homo, lapis &c. oratio autem pro nunc definitur, vt sit plures voces congruè se habentes, & diuersa significantes, vt animal rationale.

MODVS sciendi est triplex, scilicet definitio, diuisio & argumentatio: ita vt per argumentationem manifestetur ignotum complexum: per definitionem autem ignoti incomplexi essentia: per diuisionem denique eiusdem ignoti incomplexi partes; & sicut non restat aliquid aliud sciendum, sic non sunt plures, quàm hi tres modi sciendi. Sit exemplum: si quis ignorat, v. g. quid sit homo: per hanc eius definitionem manifestatur, cùm dicitur, quòd est animal rationale. Similiter si quis ignoret quotuplex sit animal, per eius diuisionem cognoscet clarè, quod antea in quadam tantùm confusione cognoscebat, dum dicitur, animal aliud est rationale, aliud irrationale. Denique si quis ignoret aliquam proprietatem vel quid aliud conuenire alicui subiecto, per argumentationem ei manifestatur, v. g. manifestatur sequenti argumentatione, quòd homini conuenit risibilitas. Omne admiratiuum est risibile: omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis.

NOTATVR tamen aliud esse enuntiare ignotum, & aliud manifestare: enuntiare conuenit omni propositioni, vt patet in ista, homo est animal: manifestare verò conuenit solis modis sciendi inquantùm per ipsos afferuntur res notiores, in quo consistit manifestatio: conuenit autem modo sciendi manifestare per se; nam per accidens contingit, quòd non manifestat, respectu scilicet illius, qui iam nouit ignotum.

ARTICVLVS II.

De definitione.

DEFINITIO est oratio quod quid est significans, siue explicans naturam rei. Oratio est ibi loco generis: nam ipsa conuenit cum aliis modis sciendi: per alias autem particulas constituitur particularis modus sciendi, & ab aliis distinguitur: per ly autem [significans vel explicans] debet subintelligi clarè & distinctè: nam etiam voces significant naturam rei, etiam quando sunt simplices, sed significant tantùm confusè.

DEFINITIO diuiditur primò in definitionem nominis & definitionem rei: definitio rei est illa, quæ explicat naturam alicuius rei, vt homo est animal rationale: definitio verò nominis est illa, quæ explicat significationem alicuius nominis seu vocis, vt dum dicitus, fari est idem ac loqui, cosmos idem est ac mundus: ad hanc definitionem reducitur ethymologia, vt si dicatur lapidem sic denominari à lædendo pede: non enim per hoc explicatur natura nominis, vt res quædam est: si enim definitetur nomen per verum genus & differentiam, definiretur vt res quædam, sicut si quis diceret, homo est vox significatiua naturæ rationalis ex beneplacito, & sic patet quòd ista diuisio definitionis ad summum est analoga.

DIVIDITVR 2. definitio in essentialem, causalem & accidentalem siue descriptiuam: essentialis est quæ traditur per partes essentiales, scilicet genus & differentiam: dicitur autem essentialia metaphysica, siue logica, quia genus & differentia sunt partes essentiales rei metaphysicæ: genus quidem est id, per quod definitum conuenit cum aliis; differentia verò est id, per quod distinguitur ab aliis; vt homo est animal rationale. Causalis est illa, quæ datur per aliquam causam, & vocatur etiam physica: quæ si detur per causas intrinsecas, id est, materiam & formam, dicitur etiam essentialis, sed physica: nam istæ causæ constituunt physicè essentiam rei, vt homo est corpus naturale constans ex materia & anima rationali: datur etiam definitio per causas extrinsecas, & est physica, sed non essentialis; cùm fit per aliquid extrinsecum: per causam quidem efficientem, vt actus humanus est actus productus ab homine: per finalem verò, vt homo est animal creatum ad videndum Deum: ista definitio causalis extrinseca dicitur etiam descriptiua: vt autem sit bona, debet tradi per causas proprias, & non per communes: nam aliàs non conuerteretur cum definito, vt patet: vnde nihil potest bene definiri per materiam primam aut causam efficientem vniuersalem. Accidentalis siue descriptiua est illa, quæ datur per genus & aliquam propriam passionem, vt homo est animal risibile, vel per aliqua accidentia communia, quæ licèt separatim sumpta possint aliis, quàm definito conuenire: tamen simul sumpta, siue collectio ipsarum ita definito conuenit, vt nulli alteri conueniat, vt homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum; ex dictis patet, quòd omnes definitiones reducuntur ad essentialem & descriptiuam: nam accidentalis simpliciter est descriptiua; causalis verò si fit per causas intrinsecas, est essentialis, si per extrinsecas, descriptiua.

DANTVR aliquæ regulæ, siue leges bonæ definitionis: Prima est, vt si fieri potest, tradatur per ea quæ sunt naturæ, & nobis notiora; vnde debet definitio esse clarior suo definito, aliàs non esset ignoti manifestatiua: definitum autem est id, quod explicatur per definitionem. Secunda, definitum non debet ingredi definitionem aliàs idem esset notius & ignotius se ipso: nam vt pars definitionis manifestaret seipsum vt definitum. Tertia, definitio non debet esse superflua nec diminuta: si superflua, parit potius confusionem quàm claritatem: si diminuta, non explicat totam essentiam definiti. Quarta & principalis est, quòd constet ex genere & differentia, vel ad minus aliquo supplente vices generis & differentiæ: nam per definitionem debet explicari tota essentia rei, in cuiuslibet autem rei essentia reperitur aliquid commune multis, quod est genus; & aliquid proprium, quod est differentia: vt autem sit optima, debet tradi per genus proximum; nam licèt ista sit bona (homo est substantia rationalis) hæc tamen est melior (homo est animal rationale) Quinta & vltima est, quòd definitio conuertatur cum definito, & econtra: cùm enim definitio contineat totam essentiam rei, & essentia vnius non sit essentia alterius, consequens est, quòd definitio vnius nulli alteri potest conuenire.

Ex his regulis desumuntur duo modi arguendi ex definitione. Primus est, à definitione ad definitum, & econtra valet consequentia tam affirmatiuè quàm negatiuè; vt, est animal rationale: ergo est homo; non est animal rationale: ergo non est homo. Secundus, qui ferè est idem, quidquid prædicatur de definitione, prædicatur de definito, & econtra. Sed hoc debet intelligi in prædicatis realibus, non autem in prædicatis rationis siue intentionalibus: non enim sequitur, definitio est modus sciendi: ergo definitum est modus sciendi; animal rationale est oratio: ergo homo est oratio.

DVO tamen hic notanda sunt. Primum, quòd definitio quæ hic definitur, est definitio in communi siue in actu signato: definitio autem quâ definitur, est definitio in particulari siue in actu exercito; vnde idem non definitur formaliter per seipsum: imò definitio hic definita habet rationem definiti. Secundum, quòd partes sunt idem cum toto, sed non formaliter, vt cadunt sub diuisione; & ita licèt diuisio explicet id quod est essentia

tia rei realiter : non tamen illud explicat formaliter vt eſt eſſentia, ſicut facit definitio : ſed ſolùm explicat multiplicitatem quæ eſt in tali eſſentia : ſiue definitio explicat eſſentiam coniungendo partes & componendo totum : diuiſio verò quaſi diſiungendo & reſoluendo : nam eſſentia dicit partes coniunctas & hanc explicat definitio ; multiplicitas autem quam importat diuiſio, dicit partes diſiunctas.

ARTICVLVS III.

De Diuiſione.

DIVISIO eſt oratio explicans multiplicitatem in aliquo exiſtentem, ſiue totum in ſuas partes diſtribuens. Res quæ diuiditur, appellatur diuiſum : partes in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia ; oratio verò, quæ tales partes explicat, dicitur diuiſio : cùm autem diuiſio diuidat totum iuxta diuerſos modos totius ; ſic erunt diuerſæ diuiſiones : vnde ſicut totum eſt triplex ſcilicet potentiale, actuale & accidentale ; ſic etiam eſt triplex diuiſio, ſcilicet potentialis, actualis & accidentalis.

DIVISIO potentialis ſiue vniuerſalis eſt illa, qua totum vniuerſale diuiditur in illas partes quas ſub ſe continet in potentia, & hæc diuiſio eſt duplex : nam alia eſt vniuoci totius in ſuas partes ſubiectiuas, ſiue quod idem eſt, generis in ſuas ſpecies: vt animal aliud eſt homo, aliud leo &c. vel ſpeciei in ſua indiuidua, vt homo alius eſt Petrus, alius Paulus : hæc autem diuiſio requirit vt diuiſum eſſentialiter & æqualiter reperiatur in membris diuidentibus : ad iſtam diuiſionem reducitur diuiſio generis in ſuas differentias diuiſiuas, quæ cùm ſint conſtitutiuæ ſpecierum, eſt fere eadem ac præcedens : nam differentia ibi ſupponit pro tota ſpecie, vt animal aliud eſt rationale, aliud irrationale; quia genus propriè non diuiditur in ſuas differentias, ſed per differentias in ſuas ſpecies. Alia eſt diuiſio analogi in ſua analogata, quando ſcilicet diuiſum ſiue ratio diuiſa reperitur primò principaliter & abſolutè in vno analogato : in aliis verò minus principaliter & per participationem ſiue dependenter à primo : ſicut ens reſpectu Dei & creaturarum : reſpectu ſubſtantiæ & accidentis ; vnde dicitur quòd analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato : hoc ſaltem eſt manifeſtum in analogis attributionis.

DIVISIO actualis eſt illa, qua totum diuiditur in ſuas partes ex quibus actu componitur; ſi illæ partes ſint Phyſicæ, dicitur diuiſio actualis Phyſica, vt hominis alia pars eſt anima rationalis, alia corpus : ſi partes ſint Logicæ, vt genus & differentia ; dicitur diuiſio actualis Logica, vt hominis alia pars eſt animal, alia rationale : ſi partes ſint integrantes, dicitur diuiſio actualis integralis, vt hominis alia pars eſt caput, alia pectus &c. Totum autem integrale aliud eſt homogeneum quod habet partes eiuſdem rationis, aliud eſt etherogeneum cuius partes ſunt diuerſæ rationis.

DIVISIO accidentalis eſt, quando totum accidentale diuiditur in ſuas partes, & hoc contingit multipliciter. Primò, quando ſubiectum diuiditur in accidentia, vt homo alius albus, alius niger, & ad hanc reducitur diuiſio nominis in ſua ſignificata, vt canis alius eſt marinus, alius cœleſtis, alius latrabilis : nam ſignificatio eſt quoddam accidens rationis poſitum ex beneplicito in ipſa entitate reali vocis. Secundò, quando accidens diuiditur in ſua ſubiecta, vt alborum aliud eſt nix, aliud lac. Tertiò, quando accidens diuiditur in accidentia, vt dulcium aliud album, aliud nigrum : ſed iſta vel reducitur ad potentialem, quando diuiſum eſt de eſſentia diuidentium, vt coloratum aliud album, aliud nigrum : æquiualet enim iſti, color alius albus, alius niger ; vel reducitur ad illam qua ſubiectum diuiditur in accidentia, ſi ratio diuiſa accidentaliter coniungatur membris diuidentibus, vt dulcium aliud album, aliud nigrum, ly enim (dulce) ſupponit pro ſubiecto.

QVÆDAM aſſignantur regulæ ad bonitatem diuiſionis. Prima, eſt quod membra diuidentia ſint oppoſita, ſiue diſtincta re vel ratione : nam vna pars non poteſt eſſe alia ; vnde in qualibet diuiſione debent ſaltem eſſe duo membra diuidentia. Secunda, membra diuidentia ſigillatim accepta non debent æquè patere ac totum : ſimul verò ſumpta debent illud adæquare & non excedere : ratio eſt, quia totum eſt maius ſuarum partium qualibet ; ſed non omnibus ſimul ſumptis, quia ſunt realiter ipſum totum : vnde illud debent æquare & non excedere : & ita in hac diuiſione, hominis alia pars eſt animal, alia rationale ; animal ſumitur non vt totum potentiale quod eſt ſuperius & prædicatur de homine, ſed vt pars actualis Logica, & conſequenter vt quid inferius homine : ſiue non ſumitur ibi vt genus abſtractum à ſuis inferioribus : ſed vt contractum per differentiam & componens partialiter ſpeciem. Tertia, diuiſio debet tradi per pauca membra : ratio eſt, quia multiplicitas potius cauſaret confuſionem quàm claritatem : vnde ordinariò traditur per membra contradictoria, ita vt aſſumatur membrum principale cum eius negatione, vt animal aliud rationale, aliud irrationale. Hæc regula debet intelligi : ſi omnes ſpecies alicuius generis non ſint notæ, vel non ſit neceſſe omnes recenſere : nam ſi omnes eſſent notæ ; licèt ratione noſtri talis diuiſio tradita per omnes ſpecies per accidens cauſaret aliquam confuſionem : tamen ſecundùm ſe multùm manifeſtaret diuiſum ; vnde eſſet bona : pro membro autem negatiuo non intelligitur pura negatio; ſed potius intelligitur priuatio, pro vt ſignificat carentiam alterius membri diuidentis ſub eodem diuiſo, ſine ratione communi : quamuis non ſit propriè priuatio ; cùm ratio vnius membri diuidentis non debeatur ; imo repugnet alteri membro : ſed dicitur priuatio modo explicato.

SVNT tres modi arguendi ex diuiſione. Primus, à diuiſo ad omnia membra diuidentia & econtra, bona eſt conſequentia tam affirmatiuè quàm negatiuè, vt, eſt animal : ergo rationale vel irrationale. Eſt rationale vel irrationale : ergo eſt animal. Secundus, à membro diuidente ad diuiſum valet conſequentia affirmatiuè, vt eſt rationale : ergo eſt animal : non autem valet negatiuè : vnde eſt falſum ; non eſt rationale : ergo non eſt animal : à diuiſo verò valet conſequentia ad quodlibet membrum diuidens negatiuè, vt non eſt animal : ergo non eſt rationale : non autem valet affirmatiuè, vnde hæc eſt falſa ; eſt animal : ergo eſt rationale. Tertius, à diuiſo cum negatione aliorum membrorum valet conſequentia ad affirmationem membri reſtantis, vt eſt animal non irrationale : ergo rationale. Eſt Elementum, non Ignis, non Aër, non Aqua : ergo eſt Terra.

ARTICVLVS IV.

De Argumentatione.

ARGVMENTATIO eſt oratio explicans illationem vnius ex alio : ſiue eſt oratio, in qua vnum ex alio inferri denotatur, vt Petrus currit : ergo mouetur. Ex qua definitione ſequitur primò, quòd non ſufficit ad argumentationem, quòd vnum poſſit inferri ex alio ; ſed debet explicari talis illatio : vnde non argumentaretur qui diceret, Petrus currit & mouetur : nam licèt ad curſum Logicè ſequatur motus ; tamen in hac oratione non denotatur motum inferri ex curſu. Sequitur ſecundò, quòd in qualibet argumentatione tria reperiuntur. Primum eſt illud, ex quo infertur aliud ; quòd ſi ſit vnica propoſitio, dicitur antecedens : ſi fuerint duæ ; prima ſecundùm ſe ſiue vniuerſalior dicitur maior, quamuis non ponatur primo loco ; ſecunda dicitur minor. Secundum quod reperitur, eſt illud quod infertur ex alio & dicitur conſequens, quia conſequitur ad aliud. Tertium eſt nota illationis, & vocatur conſequentia : nam denotat conſequens inferri ex antecedente vel præmiſſis : vt in hoc argumento, omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo : ergo Petrus eſt animal ; prima propoſitio eſt ma-

ior, quia vniuersalior; secunda est minor, quia magis particularis; tertia est consequens; denique ly (ergo) est consequentia siue nota illationis: nam ostendit tertiam propositionem inferri ex duabus antecedentibus: nota autem illationis est triplex, scilicet conditionalis, rationalis & causalis: conditionalis fit per particulam (si) vt si Petrus currit, mouetur: rationalis fit per particulam (ergo, vel igitur) vt Petrus currit: ergo mouetur: caosalis denique fit per particulam (quia) aut similem, vt quia homo est admitatiuus, est risibilis: & licèt per alias particulas possit fieri illatio, vt in istis; vbi est charitas, ibi est sanctitas; quando quis orat, benè facit: tamen istæ omnes illationes reducuntur ad aliquam ex prædictis, vt inductione patet: ex quo sequitur quòd sicut est triplex nota illationis, sic est triplex argumentatio, scilicet conditionalis, rationalis & causalis: quia tamen rationalis est præcipua; ideo de illa præcipuè agitur; aliis prætermissis.

Dividitvr argumeotatio rationalis in quatuor species, scilicet Syllogismum, Enthimema, Inductionem & Exemplum. Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus, scilicet maiori, minori, & consequentia: siue est argumentatio, in qua duabus propositionibus inter se dispositis, tertia necessariò sequitur, vt omnis homo est animal, Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Eothimema est argumentatio, in qua ex vna propositione, quæ vocatur antecedens, infertur alia, quæ vocatur consequens, vt Petrus currit: ergo mouetur. Inductio est argumenratio, in qua à singularibus sufficienter enumeratis, infertur aliquod vniuersale, vt hic homo ridet, & ille ridet, & sic de cæteris: ergo omnis homo ridet. Exemplum est argumentatio, in qua ex vno vel pluribus particularibus, siue singularibus infertur aliud singulare simile, vt Christus pepercit Magdalenæ pœnitenti: ergo & tibi parcet si pœnitueris.

In omni argumentatione aduertendum est an vnum ex alio benè inferatur: videlicet an consequens sequatur necessariò ex propositionibus antecedentibus, quæ dicuotur præmissæ: nam benè potest esse, quòd consequens, & antecedens sint vera; & tamen argumentatio sit mala: qoando scilicet consequens non colligitur ex antecedente, vt Petrus mouetur: ergo currit: hoc autem potest dignosci qoando consequens potest esse non coniunctum cum antecedente: vnde consequentia, quæ non benè deducitur, dicitur mala; quæ verò benè deducitur, dicitur bona. Consequentia bona, alia est naturalis, alia formalis: naturalis est, quando fit illatio solùm propter rerum connexionem, vt Petrus est homo: ergo est substantia: formalis est quando fit illatio bona, non solùm propter rerum connexionem, sed etiam propter modum inferendi, qui etiam in materia falsa, est bonus, vt omnis homo est arbor, Petrus est homo: ergo Petrus est arbor.

Circa exercitium autem argumentationis aduertenda sunt aliqua. Primum, vt tam defendens quàm arguens non peruertant finem intentum in argumentatione, qui est inquisitio veritatis, & ideo non debent cum pertinacia, vel defendere quod est manifestè falsum; vel quod verum est, negare: quamuis aliquando exercitij causa vtrumque liceat. Secundum, vt argueos elarè, & breuiter proponat argumentum, nihil aliud extra formam immiseendo, aut respondentem impediendo, ne suas partes agat: in argumento autem debet esse conclusio, siue consequens argumenti qoæ sit propositio à defendente negata in priori argumento: aliàs nihil probat; id enim solùm probatur, quod ponitur in conclusione. Tertium, qoòd respondens in principio debet repetere totum argumentum, vt conueniant respondens & arguens; postea repetere sigillarim vnamquamqoe propositionem argumenti, & ad illam respondere: ita, vt sit maior, fuerit vera, concedatur; si falsa, negetur; si dubia, distinguatur; si sit impertinens, siue si non intersit argumento, quòd sit vera, vel falsa, dicatur (transeat maior, vel admitto maiorem:) similiter fiat in minori: vbi autem negatur aliqua propositio, cessare debet responsio: concessa vero maiori & minori, procedatur ad consequens quod oec negari, nec concedi potest; sed tantùm distingui, & secundùm vnum, vel alium sensum illius negabitur, vel concedetur consequentia; nequaquam enim potest distingui: si quando autem concessa maiori & minori, negat consequentiam, debet ostendere defectum argumenti, aliàs iudicandus est conuictus: nam argumentum in forma concludit: debet autem abstinere à multiloquio: si enim concedit, vel negat; non debet amplius loqui: si autem distinguat poterit explicare breuiter membra distinctionis, nec se ingerat in danda doctrina, nisi iubeatur: sed magistro relinquat. Iterum in libris de priori analysi redibit sermo de argumentatione.

QVÆSTIO XIV.

De Termino, & eius proprietatibus.

QVIA terminus est id, ad quod resoluitur propositio: terminus enim componitur; priùs agendum occurrit de termino, quàm de propositione, quæ est præcipuum quod in hoc libro tractatur; & ita seruatur methodus compositionis optima in tradendis disciplinis: quia verò terminus significat, ideo primò agitur de signo. Quæruntur autem quinque.

¶ Primò, de Signo.
¶ Secundò, de essentia Termini.
¶ Tertiò, de diuisionibus Termini.
¶ Quartò, de Suppositione.
¶ Quintò, de aliis proprietatibus Termini.

Articvlvs I.

De Signo.

Cvm Terminus sit vox, siue dictio significatiua ad placitum ex primo instituente, & propterea voces, ac termini non considerentur à Dialectico, nisi sub ratione significationis: necessariò sciendum est, quid sit signum & quid significare, ac quot modis contingat.

Significare est potentiæ cognoscitiuæ aliud à se repræsentare: itaque signum est illud, quod præter sui cognitionem alterius cognitionem inducit: siue ex Aug. 2. de doctrina Christiana cap. 1. signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire: hæc tamen definitio Aug. est tantùm signi instrumentalis: sicut fumus est signum ignis; nam viso fumo venimus in cognitionem ignis: ex quo patet ad quodlibet signum sequi duplicem cognitionem, siue notitiam: prima est ipsius signi: secunda rei significatæ.

Dividitvr primò sigoom in formale, & instrumentale. Signum formale est illud, quod seipso absque præuia sui cognitione aliquid repræsentat, sicut sunt species intentionales, & intelligibiles: cùm enim sint claræ & formales similitudines rerum, simul & semel ipsæ, & res, quarum sunt similitudines, per ipsas cognoscuntur; signum autem instrumentale est illud, quod iam definitum est ex August. quod scilicet præexistente cognitione sui, aliquid aliud à se distinctum facit nos cognoscere, vt imago B. V. Mariæ est signum instrumentale: prius enim cognita ipsa imago, vt motiuum cognitionis, facit quòd ipsa cognitio feratur, vt ad suum terminatiuum, ad ipsam beatissimam virginem: de hoc autem signo, quod propriè & simpliciter est signum, hîc agitur: nam hoc modo voces dicuntur signa.

Dividitvr secundò signum instrumentale in naturale, & voluntarium, siue ad placitum: naturale est, quod suapte natura, remota omni humana institutione, idem significat apud omnes; vt fumus est signum ignis; imago est signum rei repræsentatæ; & omnis effectus signum suæ causæ: signom verò voluntarium, siue ad placitum, est illud, quod non significat ex sua natura,

sed

sed ex hominum instituto ad eorum beneplacitum; sicut quòd sonitus campanæ sit signum chori: & hoc modo omnes voces sunt signa rerum, quas significant: sicut hæc vox (homo) significat habens naturam humanam. Nomina autem non debent imponi à quolibet, siue non debent habere rationem significandi, nisi aliquâ authoritate publicâ, & adhibito maximo consilio, vt nomina quantùm fas est rebus conueniant: debent autem assumi ex aliqua proprietate, cùm rerum essentiæ nos lateant: hæc autem significatio nominum est duplex, scilicet propria, & impropria; propria est quando vox, vel nomen accipitur iuxta propriam significationem, sicut cùm hæc vox (leo) accipitur ad significandam naturam leonis in concreto: impropria autem cùm vox significat metaphoricè, vel per translationem, sicut cùm hæc vox (leo) accipitur ad significandum hominem fortem: ad hæc signa reducitur signum, quod dicitur ex consuetudine: si enim consuetudo fundatur in natura, est signum naturale, sic mensa præparata significat esse tempus comedendi: si verò solùm fundetur in voluntate humana, est signum ad placitum.

Dividitur tertiò signum in illud, quod est in vocibus, & in illud quod est in rebus. Signum in vocibus sunt omnia nomina & verba, siue actu significent, vt cùm actu leguntur vel audiuntur; siue significent tantùm in potentia, vt cum actu non audiuntur vel leguntur: voces autem duo continent, nam sunt quidam sonus in aëre causatus, & vt sic sunt res quædam, & significant naturaliter ipsum dicentem, qui per illas tanquam per effectus dignoscitur, & sub hac ratione non considerantur à Dialectico. Secundò habent significationem, quæ est forma, sub qua considerantur à Logico; & sic sunt signa rerum & conceptuum nostrorum ex beneplacito. Signum in rebus, est quando res significant, vt Sacramenta nouæ legis à Christo Domino instituta. Est autem discrimen inter ista signa, quòd res sunt signa tantùm manifestatiua; voces autem non solùm sunt signa manifestatiua, sed etiam suppositiua: nam cùm differitur de rebus, & hæ non possint afferri in medium, vtimur nominibus institutis ad illas exprimendas; vnde supponunt pro ipsis, quod non potest esse in rebus.

Articulus II.

De Essentia Termini.

Definitur Terminus ab Aristotele 1. priorum his verbis. (*Terminum autem eum appello, in quem resoluitur propositio, vt prædicatum, & id de quo prædicatur*) ex quo desumitur communis definitio termini, quæ idem significat (terminus est extremum propositionis) extremum autem propositionis, vel est prædicatum, vel subiectum, nam intra ipsa, tota propositio continetur, sicut inter suos terminos res continentur. In hac definitione extremum habet rationem generis; ly verò (propositionis) rationem differentiæ. Alij verò definiunt terminum, vt sit vox, siue dictio significatiua ad placitum ex primo instituente: dicitur (vox) quæ est sonus articulatus ab animali procedens cum intentione aliquid significandi, & per hoc excluduntur soni editi à brutis, vt rugitus leonum: licèt enim dicantur voces, tamen reuera non sunt; non enim sunt articulati: dicitur (significatiua) & per hoc excluduntur voces nihil significantes, vt bletiri, semidapsus: dicitur (ad placitum) & per hoc excluditur eiulatus pueri.

Ex adducta Aristotelis definitione exurgit difficultas, vtrùm voces extra propositionem sint, & possint dici termini: quidam asserunt dicentes ad hoc sufficere, vt voces habeant potentiam & aptitudinem, vt componant propositionem: fundari in hoc communi axiomate, scilicet (verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem) deinde in communi vsu loquendi: nam voces simplices, siue intra, siue extra propositionem communiter dicuntur termini: verius tamen dicunt qui negant, & magis conformantur menti Aristotelis. Primò, quia voces extra propositionem non possunt verè dici extrema; ac proinde nec termini. Secundò, quia illa aptitudo vocum ad componendam propositionem non sufficit, vt propositio dicatur resolui in illas: non enim potest resolui nisi in illa, ex quibus actu componitur: constat autem ex Aristotele terminum esse id, in quod resoluitur propositio: & consequenter voces non sunt termini extra propositionem. Tertiò, quia suppositio, ampliatio, & aliæ proprietates termini non conueniunt vocibus extra, sed solùm intra propositionem: & ita nec essentia termini: essentia quippe affert secum suas proprietates. Quartò denique, quia si sufficeret illa aptitudo sequeretur, quòd vna & eadem vox esset simul extremum quod est prædicatum, & extremum quod est subiectum: nam extra propositionem quælibet vox habet aptitudinem indifferentem ad vtrumque: sed hoc est impossibile; nam prædicatum & subiectum sunt veræ species termini: est autem impossibile idem contineri sub diuersis speciebus eiusdem generis: ergo voces extra propositionem non sunt termini.

Ex dictis colligitur hanc esse differentiam inter vocem, nomen & terminum; quòd vox importat entitatem realem soni, quæ causatur in ore animalis ex collisione quarumdam partium eius, & ideo sonus ponitur in definitione vocis. Nomen dicit significationem superadditam ex hominum instituto tali entitati: scilicet significationem tanquam formale, entitatem verò tanquam materiale; vnde nomen definitur ab Aristotele, quòd sit vox significatiua ad placitum. Terminus denique super hoc addit, quòd sit extremum, siue quòd finiat propositionem, vnde optimè & adæquatè definimus sic: Terminus est nomen extremum propositionis: vnde sicut in entitate reali vocis, non sufficit aptitudo, quam habet ad significandum, ad hoc vt dicatur nomen, sed requiritur vt actu significet; sic pari ratione non sufficit nominibus aptitudo, quam habent ad componendam propositionem, ad hoc vt dicantur termini, sed actu debent illam componere, & esse extrema illius.

Vnde ad fundamenta contrariæ opinionis dicendum, quòd quando actus est de essentia rei, vt in Deo propter summam perfectionem, & in entibus rationis propter summam imperfectionem, debent poni in definitione verba significantia actum, & non aptitudinem tantùm: quando autem sola aptitudo est de essentia, tunc verba definitionis debent solùm exprimere illam aptitudinem. Ad aliud dicendum, quòd licèt in communi vsu loquendi ista tria confundantur voces, nomina & termini: tamen quando exactè agitur de illis, debet vnicuique tribui, quod suum est: vnde dicitur 2. Topic. cum pluribus loquendum est, sentiendum verò cum paucioribus.

Articulus III.

De Diuisionibus Termini.

Diuiditur 1. Terminus secundùm se consideratus immediatè in prædicatum & subiectum: in vna enim propositione sunt hi tantùm duo termini; sicut in vna linea sunt duo tantùm puncta terminantia: quòd autem ista diuisio sit termini secundùm se consideratì patet; nam sicut ratio termini non reperitur extra propositionem, vt dictum est: sic nec ratio prædicati & subiecti reperitur propriè extra propositionem; sunt autem partes essentiales propositionis, & inter se condistinctæ: subiectum quidem materialis, cùm sit terminus de quo aliud dicitur: prædicatum autem formalis; cùm sit terminus qui dicitur de alio, hæc diuisio est generis in species.

Diuiditur 2. Terminus in mentalem, vocalem & scriptum: hæc diuisio est accidentis in subiecta: nam denotat rationem termini, quæ est accidens rationis, reperiri, vel in actibus intellectus, vel in vocibus, vel in scripturis, tanquam in subiectis. Terminus mentalis est conceptus mentis, qui subdiuiditur in vltimum & non

vltimum; siue in vltimatum & non vltimatum. Vltimatus est conceptus mentis de rebus per voces, nam ibi sistit intellectus. Non vltimatus autem est conceptus mentis de vocibus; in illo enim non sistit, sed per conceptum vocis transit ad conceptum rei significatæ per talem vocem: vnde si sint voces nihil significantes, conceptus ipsarum erit vltimatus. Item subdiuiditur terminus mentalis in directum & reflexum. Directus, qui habetur directè operando de aliqua re, vel voce. Reflexus verò est conceptus præcedentis conceptus, qui fit, dum cognoscimus nos cognoscere, vel cognouisse, reflectente scilicet intellectu supra suum actum: vnde vt dicatur conceptus reflexus, debet vtraque cognitio esse in eadem potentia; nam cognitio, quâ quis cognoscit alium cognoscere, non est reflexa.

DIVIDITVR 3. terminus vocalis, de quo præcipuè hîc agitur, & est terminus voce prolatus, in categorematicum & sincategorematicum. Categorematicus idem est, ac significatiuus, & est ille, qui per se aliquid significat determinatè, vt sunt omnia nomina substantiua in recto. Sincategorematicus verò est ille, qui per se separatus non significat aliquid absolutè, sed significat aliquid, vnitus categorematico: id est solus non causat in nobis perfectum conceptum, sicut causat categorematicus: sincategorematicus enim idem est, ac consignificatiuus, vt isti, omnis, nullus; omnia aduerbia &c. vnde terminus categorematicus significat aliquid; sincategorematicus non significat aliquid, sed aliqualiter, & ita est solùm terminus secundùm quid; ac proinde hæc diuisio est analoga. Potest addi huic diuisioni terminus mixtus, qui scilicet virtualiter includit vtrumque terminum categorematicum & sincategorematicum, vt nemo, id est, nullus homo, semper, id est, omni tempore, aliquando, id est, aliquo tempore &c.

DIVIDITVR 4. terminus categorematicus in simplicem, siue incomplexum & complexum. Simplex, siue incomplexus est ille, cuius nulla pars separata significat, vt homo, leo, & aliæ voces simplices. Complexus verò est ille, cuius partes separatæ significant iuxta significationem totius, vt homo albus, animal rationale; & hoc licèt res significata sit quid simplex: vnde patet, quòd excluduntur à ratione termini complexi illa nomina, quorum partes separatæ aliquid significant; aliud tamen diuersum ab eo, quod significant in toto, vt Dominus, Sacerdos, Magister: constat etiam terminum complexum non esse propriè terminum, sed potiùs orationem: vnde ista diuisio est analoga.

DIVIDITVR 5. terminus incomplexus in sinonymum, siue vniuocum; homonymum, siue æquiuocum; & analogum. Vniuocus est, qui multa significat participantia æqualiter eámdem rationem, vt homo, leo. Æquiuocus est ille, qui multa significat nullo modo conuenientia, provt exprimuntur tali termino, vt hoc nomen, canis, significat terrestrem, marinum & cœlestem, quibus in ratione vltima specifica nihil est commune præter nomen, quamuis in gradibus superioribus conueniant. Tandem analogus est ille, qui multa significat sub eadem ratione nec omninò conuenientia, nec omnino disconuenientia, vt sanum respectu animalis, medicinæ & vrinæ: nam ista participant rationem sani, in quo conueniunt; sed diuersimodè, in quo disconueniunt: animal enim propriè est sanum, quia habet sanitatem; medicina autem solùm illam causat, & vrina solùm indicat: terminus autem analogus, & æquiuocus, si per aliquid additũ restringantur, siue determinentur ad vnum suorum significatorũ, possunt fieri vniuocus, vt canis terrestris, ens per se &c.

DIVIDITVR 6. terminus vocalis in communem siue vniuersalem, & singularem. Communis, siue vniuersalis est ille, qui significat plura diuisim: vnde potest dici terminus diuisiuus, vt homo, qui significat, & prædicatur, vt quid commune de quolibet indiuiduo naturæ humanæ, & per hoc distinguitur à termino collectiuo, qui licèt multa significet, vt populus, ciuitas, pars, gens: tamen non significat multa diuisim; non enim de quolibet homine potest prædicari; sed significat tantùm multa coniunctim, id est simul: possunt autem ista nomina collectiua accipi, vt communia & vniuersalia; sicut populus, licèt sit collectiuus provt significat congregationem plurium; est tamen vniuersalis, provt abstrahit ab hoc, & illo populo, & prædicatur eo modo, quo homo prædicatur de illo & illo homine: subdiuiditur terminus communis in transcendentem & non transcendentem: transcendens est ille, qui in omnibus etiam vltimis differentiis reperitur transcendens omnia genera: ita vt nec per rationem possit perfectè ab illis separari: sub ipso sex comprehenduntur; videlicet ens, res, vnum, verum, bonum, aliquid: terminus autem communis non transcendens est ille, qui de aliquibus prædicatur, sed per rationem potest ab illis abstrahi, vt homo. Terminus singularis est ille, qui tantùm significat vnum, vel determinatè vt Petrus; vel demonstratiuè, vt hic, aut ille homo; vel ex suppositione, vt Filius Beatissimæ Virginis; vel vagè, siue non determinatè, vt quidam homo.

DIVIDITVR 7. terminus in concretum & abstractum. Concretus est ille, qui significat formam vt in habente, siue vt in subiecto: sicut homo, qui significat humanitatem vt in supposito; album, quod significat albedinem vt in subiecto. Abstractus est ille, qui significat tantùm ipsam formam, vt humanitas, albedo &c.

DIVIDITVR 8. terminus in absolutum & connotatiuum. Connotatiuus idem est, ac adiectiuus, & est ille qui significat aliquid per modum alteri adiacentis, vel inhærentis; vt albus, doctus &c. Absolutus idem est, ac substantiuus, & est ille, qui significat aliquid per modum per se stantis, vt homo.

DIVIDITVR 9. terminus in finitum & in infinitum. Terminus infinitus est ille, qui afficitur negatione infinitante, vt non homo. Terminus autem finitus est ille, qui caret tali negatione; vt homo. Circa quod notandum est, quòd si negatio afficiat tantùm terminum, dicitur infinitans: nam facit terminum infinitum, vt non homo: si autem afficiat copulam, vt lapis non est homo, dicitur negatio negans: nam reddit propositionem negatiuam; vt enim dicitur, negatio est malignantis naturæ, & quidquid post se inuenit, destruit ac eius oppositum reddit. Deinde notandum quòd licèt Aristoteles 1. Periherm. cap. 2. excluserit voces infinitas à ratione nominis, quia non deseruiunt ad propositionem scientificam: tamen hîc non sunt excludendæ à ratione termini; quia hic vniuersaliter agimus de omnibus terminis, qui aliquid, vel aliqualiter significant, & pertinere possunt ad rectam rerum cognitionem, quod non potest dici de vocibus nihil omninò significantibus; vnde non sunt termini nisi forte materialiter.

DIVIDITVR 10. terminus in terminum primæ & secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est ille, qui significat rem aliquam secundùm id quod habet à parte rei, vt homo. Terminus secundæ intentionis est ille, qui significat rem secundùm id tantùm, quod habet ex consideratione intellectus, vt genus, species &c.

DIVIDVNTVR 11. termini, si comparentur ad inuicem, in consequentes siue pertinentes; & in inconsequentes siue impertinentes. Impertinentes sunt, quorum vnus non infert alterum, nec repugnat illi; siue qui neque se mutuò consequuntur, nec vnus alteri contrariatur, vt album & dulce. Pertinentes verò sunt, quorum vnus infert alterum, vt animal & viuens, vel repugnat illi, vt album & nigrum: siue sunt, qui se mutuò consequuntur; vel sibi mutuò contrariantur. Pertinentes primo modo dicuntur pertinentes sequelâ, sed secundo modo dicuntur pertinentes repugnantiâ. Pertinentes sequelâ alij sunt conuertibiles, quando se mutuò inferunt, vt homo & rationale; alij sunt non conuertibiles, quando scilicet non est mutua illatio, licèt sit ex vna parte, vt homo & animal. Pertinentes verò repugnantiâ alij sunt, qui licèt sint diuersi, non tamen sunt verè oppositi, & dicuntur disparati, vt homo & bos: alij verò sunt propriè oppositi; vel contrariè, vt album & ni-

grum

grum; vel contradictoriè, vt album & non album; vel priuatiuè, vt lux & tenebræ; vel relatiuè, vt pater & filius respectu eiusdem.

Dividitvr vltimò terminus prout respicit syllogismum in maius extremum, minus extremum & medium. Maius extremum est ille, qui in alio inesse demonstratur, quando argumentum naturaliter concludit. Minus extremum est ille, in quo aliud inesse prædicatur. Medium, est ille terminus, per quem maius extremum de minori probatur, vt in hoc argumento. Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal: ly (animal) est maius extremum (Petrus) est minus extremum, de quo probatur animal: (homo) autem est medium, per quod probatur animal de Petro.

Articvlvs IV.

De Suppositione.

Svppositio est vsus, siue acceptio Termini loco alicuius, siue est acceptio termini pro se vel pro suo significato: sed hæc secunda definitio suppositionis, est potiùs eius diuisio, cùm pro differentia ponantur membra diuidentia.

Divìditvr 1. in materialem & formalem. Materialis est acceptio termini pro se ipso; & est duplex, scilicet vel intrinseca, quando est acceptio termini pro se ipso secundùm ea, quæ sibi conueniunt ab intrinseco & naturaliter, vt in hac propositione, homo est vox: vel extrinseca, quando est acceptio termini pro seipso secundùm ea, quæ sibi conueniunt solùm ab extrinseco, vt in hac propositione, homo est nomen; in hac autem suppositione voces non exercent officium signi, sed materialiter se habent in propositione. Suppositio formalis est vsus, vel acceptio termini pro suo significato, siue loco rei significatæ: nam ex Aristotele 1. Elenchor. cap. 1. cùm non liceat res ipsas in disserendo afferre, nominibus vice rerum vtimur, & vt sic voces sumuntur formaliter vt signa.

Dividitvr 2. suppositio formalis in propriam & impropriam, vt supra dictum est de significatione. Propria est vsus termini pro re, quam propriè significat ex hominum instituto, vt vsus huius nominis (homo) pro animali rationali. Impropria, siue metaphorica est vsus termini pro re, quam metaphoricè significat ob aliquam eius similitudinem cum suo proprio significato, vt vsus huius nominis (Nero) ad significandum hominem crudelem.

Dividitvr 3. suppositio formalis propria in simplicem & realem siue personalem. Simplex est vsus termini pro suo primo & immediato significato præcisè; & hoc accidit quando subiectum propositionis est terminus primæ intentionis; prædicatum autem secundæ, vt in hac propositione, homo est species: ly enim (homo) supponit pro natura humana in communi, quam primò & immediatè significat, & non pro Petro, aut alio indiuiduo; aliàs propositio esset falsa; hoc etiam contingit in terminis singularibus, sicut in hac propositione, Petrus est indiuiduum: Ly enim (Petrus) supponit pro immediato significato, siue pro hoc indiuiduo, non pro natura humana in communi, quæ est eius significatum remotum; vnde ob suppositionem simplicem ambæ istæ consequentiæ sunt falsæ; homo est species: ergo Petrus est species. Petrus est indiuiduum: ergo homo est indiuiduum. Suppositio realis, siue personalis est vsus, vel acceptio termini, non solùm pro primo & immediato significato, sed etiam pro secundo & remoto, vt in his propositionibus: homo est animal, homo currit: ly enim (homo) non solùm supponit pro natura humana, sed etiam pro indiuiduis eius.

Dividitvr 4. suppositio personalis in communem & discretam: Discreta est acceptio termini singularis personaliter accepti, vt Petrus studet: additum est (personaliter accepti) quia aliquando terminus singularis supponit simpliciter, vt in hac propositione, Petrus est indiuiduum, & tunc non possunt affirmari de specie aut genere tales prædicationes, vt dictum est: vnde ista est falsa, Petrus est indiuiduum: ergo homo vel animal est indiuiduum; si verò accipiatur personaliter: tunc infert genus & speciem, vt Petrus currit: ergo homo, ergo animal currit. Communis verò est acceptio termini communis pro omnibus suis inferioribus, vt in hac propositione, omnis homo currit.

Dividitvr 5. suppositio communis in naturalem & accidentalem. Accidentalis est vsus termini pro existentibus secundùm tempus denotatum per copulam, vel secundùm exigentiam prædicati, vt in hac propositione, homo est celebrans, ly (homo) ratione copulæ supponit solùm pro hominibus actu existentibus: ratione verò prædicati, supponit solùm pro viris, & non pro mulieribus: hæc suppositio solùm reperitur in propositione de materia contingenti. Naturalis verò est vsus termini pro omnibus suis significatis independenter à tempore, & contingit in propositionibus de materia necessaria, vel naturali: tunc enim copula (est) non denotat tempus præsens, sed solùm dicit necessariam vnionem inter prædicatum & subiectum; vnde tales propositiones dicuntur absolui à tempore, & sunt veræ; licèt extrema non sint in rerum natura, vocantur etiam propositiones æternæ veritatis, vt homo est animal.

Dividitvr 6. suppositio communis in distributiuam, copulatiuam, determinatam & confusam. Distributiua est vsus termini communis pro omnibus suis significatis seorsum, & copulatiuè sumptis, vt in hac propositione, homo est animal: accidit autem, quando prædicatum verificatur de omnibus illis in propositione copulatiua, & in resolutione coniunguntur propositiones per particulam (&) vnde resoluendo prædictam propositionem, ly (homo) sumitur distributiuè, quia supponit pro hoc & illo homine seorsum, & copulatiuè: vnde valet, hic homo est animal, ille homo est animal. Copulatiua est vsus termini communis pro omnibus suis significatis, non seorsum sed simul & collectiuè sumptis; vt in hac propositione: Apostoli Christi sunt duodecim, ly (Apostoli) non supponit pro quolibet seorsim; vnde non valet S. Petrus est Apostolus: ergo est duodecim: sed debent omnes collectiuè numerari, vt Petrus, Paulus &c. sunt omnes Apostoli Christi: ergo sunt duodecim. Suppositio determinata est vsus termini cōmunis pro omnibus suis significatis seorsum, sed disiunctiuè tantùm sumptis, vt aliquis homo est albus: vnde si resoluatur hæc propositio, non dicetur, hic homo est albus, & ille homo est albus: sed tantùm vel hic vel ille homo est albus. Suppositio confusa est vsus termini communis pro omnibus suis significatis simul, & disiunctim sumptis, (& in hoc conuenit cum determinata, & differt à distributiua;) ita tamen vt non supponat determinatè pro aliquo (& in hoc differt à determinata) sed supponit confusè pro omnibus simul, at sub disiunctione sumptis, vt ad equitandum requiritur equus: si exponatur hæc propositio, reddit hunc sensum, vt hic, vel ille equus requiritur; quòd si ad aliquem equum determinaretur propositio, esset falsa; & tunc est necessarium in resolutione, quòd particula (vel) disiungat terminos, non autem propositiones: in determinata verò potest particula (vel) disiungere propositiones: vt hæc propositio, homo currit, potest sic resolui, vel hic homo currit, vel ille homo currit.

Dividitvr vltimò suppositio distributiua in illam, quæ est pro singulis generum, quæ dicitur completa, & est vsus termini communis, non solùm pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis earum, vt in hac propositione, omne animal est viuens: sic debet fieri resolutio; hoc animal & illud animal, hic homo & ille homo est viuens. Et in illam, quæ est pro generibus singulorum, quæ dicitur completa, & est vsus termini communis pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis earum: vt in hac propositione, omne

animal fuit in arca Noë; id eſt ex omnibus ſpeciebus aliquod animal fuit in arca Noë.

Cvm tot ſint ſuppoſitiones, & per appoſitionem ſignorum, quæ ſunt termini ſincategorematici, variari ſoleant; neceſſariò debent explicari, & poſtea tradentur regulæ ad dignoſcendas ſuppoſitiones. Reducuntur iſta ſigna in tres claſſes, in prima ſunt purè vniuerſalia, vt omnis, quicumque, quilibet; iam aduerbia, vbique, ſemper, vbicumque, quandocumque: & ex negatiuis; nullus, nunquam, nullibi, impoſſibiliter, & non, quando præfigitur categoremati. In ſecunda ſunt purè particularia, vt aliquis, quidam, aliquando, ſemel, alicubi, poſſibiliter &c. ex negatiuis; aliquis non, quidam non, aliquando non, alicubi non, poſſibiliter non. In tertia ſunt ſigna mixta ex particulari & vniuerſali, quæ plura ſignificant, non tamen tot, quot ſignum vniuerſale, vt vterque, alter, omne pro ſpeciebus ſingulorum, termini numerales duo, tria, bis, ter: & ex negatiuis vt neuter, alter non, vterque non; quorum reſolutio explicatur hoc modo: Vterque, id eſt aliquorum duorum omnis, & hic, & ille. Alter, id eſt, omnium duorum aliquis, hic, vel ille. Neuter, id eſt, omnium duorum nullus &c.

Qvando terminus nullo afficitur Signo, & propoſitio eſt in materia contingenti ſupponit determinatè: in materia verò naturali, aut remota ſupponit diſtributiuè; nam propoſitio indefinita in materia contingenti æquiualet particulari: In materia verò naturali & remota æquiualet vniuerſali, exemplum primi (homo eſt albus) exemplum ſecundi (homo eſt rationalis): In materia contingenti intelligenda eſt regula, tam de ſubiecto, quàm de prædicato; in naturali verò ſolùm eſt intelligenda de ſubiecto; nam prædicatum ſupponit etiam determinatè, id eſt, pro omnibus inferioribus diſiunctim acceptis: vnde ſic reſoluuntur prædictæ propoſitiones. Vel hic, vel ille homo eſt hoc, vel illud album. Hic & ille homo eſt hoc, vel illud rationale.

Prima regula pro ſignis vniuerſalibus. Signum vniuerſale affirmatiuum diſtribuit terminos proximos, & confundit remotos: id eſt, facit quòd ſubiectum ſupponat diſtributiuè, & prædicatum confuſè: vt omnis homo eſt animal, ſic reſoluitur: & hic & ille homo eſt hoc, vel illud animal: excipitur ſuppoſitio copulatiua, quæ non variatur ratione ſigni vniuerſalis: vt omnes Apoſtoli Chriſti ſunt duodecim; ly (Apoſtoli) enim non ſupponit diſtributiuè ſed copulatè. Si verò ſignum vniuerſale fuerit negatiuum, diſtribuit terminos, tam proximos, quàm remotos; id eſt, tam ſubiectum quàm prædicatum: vt nullus homo eſt arbor: ſic reſoluitur nec hic, nec ille homo eſt, nec hæc, nec illa arbor.

Secvnda regula pro ſignis partibus. Signum particulare affirmatiuum facit terminum proximum ſupponere determinatè; remotum verò relinquit intactum; vt aliqua planta eſt arbor, facit hunc ſenſum, vel hæc, vel illa planta eſt arbor: vnde arbor ibi ſupponit, ac ſi nullum eſſet ſignum: licèt etiam ſupponat determinatè vt patet ex ſupradictis. Si verò ſignum fuerit particulare negatiuum, terminum poſt negationem diſtribuit ratione negationis: antecedentem verò determinat ſine confundit: vt aliqua planta non eſt arbor; facit ſenſum, vel hæc, vel illa planta; non eſt hæc, nec illa arbor.

Tertia regula. Nomina numeralia partim diſtribuunt, & partim confundunt terminos ſibi proximos; & confundunt remotos, vt quatuor homines currunt, facit hunc ſenſum: ex his, vel illis quatuor, & hic, & hic, & ille, & iſte eſt hoc, vel illud currens: niſi collectiuè ſumantur: tunc enim diſtributio fit collectiuè: vt quatuor homines trahunt totam nauim, ſi reſoluatur; non valet, hic homo trahit totam nauim, vel ille: ſed in ſubiecto debent omnes numerari. Similiter dicendum eſt de ſignis mixtis, vt alter oculus eſt dexter, facit hunc ſenſum; omnium duorum oculorum iſte, vel ille eſt dexter: vbi binarius ſimul diſtribuitur, & diſtinguitur: ly autem (dexter) ſupponit determinatè ſimiliter in hac propoſitione, vterque pes eſt rectus, ſit hic ſenſus: aliquorum duorum pedum, iſte, & iſte eſt rectus. Quia verò in his ſignis mixtis quædam magis accedunt ad purè vniuerſalia, vt vterque, neuter &c. alia verò magis accedunt ad purè particularia: ideo in illis magis apparet ſuppoſitio diſtributiua, in iſtis verò magis apparet determinata.

Qvarta regula. De terminis mixtis ex categorematico & ſyncategorematico, idem iudicandum eſt; ac ſi categorema & ſincategorema eſſent diſiuncta; & ideo quando ſignum, quod includit terminus mixtus, eſt vniuerſale affirmatiuum, vt ſemper: id eſt, omni tempore, diſtribuit terminum categorematicum, cui coniungitur, ſcilicet tempus: alios verò confundit, vel potius intactos relinquit: & conſequenter ſupponunt confuſè ex ſupradictis in prima regula: vt ſemper homo eſt albus, facit hunc ſenſum, hoc, & hoc, & illo tempore homo hic, vel ille, eſt hoc, vel illud album. Si verò ſint particularia affirmatiua, terminum incluſum, ſicut & alios confundunt: vt aliquando homo eſt albus, reddit hunc ſenſum, vel hoc, vel illo tempore, vel hic, vel ille homo eſt hoc, vel illud album. Si ſint negatiua vniuerſalia, tam terminum incluſum, quàm omnes alios terminos diſtribuunt, vt nunquam homo eſt albus, facit hunc ſenſum, nec hoc, nec illo tempore, nec hic, nec ille homo eſt, nec hoc, nec illud album. Si denique ſint particularia negatiua, terminum incluſum confundunt, & terminos poſt negationem inuentos diſtribuunt: vt aliquando homo non eſt albus, ſic reſoluitur, hoc vel illo tempore, hic, vel ille homo non eſt hoc, nec illud album. Signa verò mixta partim diſtribuunt, & partim confundunt terminum incluſum: vt bis audiui miſſam, ſic reſoluitur, iſtorum duorum temporum, vel illorum hoc, & illo tempore audiui miſſam: ex quo colligitur quòd prædicta ſigna, dum ſunt affirmatiua, ſemper reliquos terminos præter incluſum intactos relinquunt.

Qvinta regula. Quilibet terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur: vt bis cantauit miſſam: ly (miſſa) confundetur: nam remanet ſenſus confuſus, ſcilicet an cantauerit duas Miſſas, vel eamdem bis cantauerit, & hæc ſigna appellantur ſpecialis confuſionis.

Circa prædicta obſeruandum eſt ſuperiores regulas æqualiter procedere, ſiue termini ponuntur in recto, ſiue in obliquo: vt cuiuſlibet hominis caput eſt rotundum, ly (hominis) ſupponit diſtributiuè, ſicut ſi poneretur quilibet homo; vnde facit hunc ſenſum, & huius & illius hominis caput eſt rotundum: item aliquis equus hominis currit, ly (hominis) ſupponit determinatè: vnde reddit hunc ſenſum, aliquis equus, vel huius, vel illius hominis currit.

Si terminus aliquis afficiatur pluribus ſignis æqualis virtutis; talia ſigna ſe inuicem impediunt, & faciunt terminum ſupponere determinatè vel confuſè: vt non omnis homo eſt albus, idem valet; ac aliquis homo non eſt albus: ibi (homo) confunditur; ly (albus) autem ratione negationis diſtribuitur: ſi verò ſint diuerſæ virtutis; ſignum, quod proponitur, præualet ſubſequenti; vt aliquis homo non eſt albus, ly (homo) ſupponit confuſè; non aliquis homo eſt albus, ly (homo) ſupponit diſtributiuè: at ſi ſigna afficiant diuerſos terminos; tunc vnumquodque exercet ſuum officium, ſiue facit ſupponere terminos ſuo modo: vt omnis equus alicuius hominis eſt omne animal: tam equus, quàm animal ſupponunt diſtributiuè, ly (hominis) ſupponit confuſè: nullus equus eſt aliqua arbor, ly (equus) ſupponit diſtributiuè; arbor verò determinatè: licèt enim iuxta primam regulam illud ſignum negatiuum (nullus) poſſit diſtribuere terminum remotum; tamen impeditur à ſigno particulari (aliquis)

Cvm ſuppoſitio terminorum per reſolutionem maximè manifeſtetur, neceſſe eſt aliquid de illa adducere. Duplicitet fit reſolutio, vel per aſcenſum, vel per deſcenſum: aſcenſus eſt à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale, ſeu ad aliquod commune progreſſiot vt hic homo eſt animal, & ille & ſic de cæteris: ergo omnis

omnis homo est animal: descensus est progressio ab vniuersali, seu communi ad omnia particularia, pro quibus supponit, vt omnis homo est animal: ergo hic homo, & ille est animal, & sic de aliis: vnde si probanda sit aliqua propositio vniuersalis esse vera, oportet assignare omnia inferiora sub illa contenta: si verò sit probanda esse falsa; sufficit vnum tantùm assumere: nam ex falsitate vnius tota propositio vniuersalis redditur falsa: at verò econtra accidit in probatione propositionis particularis; sufficit enim ad veritatem illius, quòd veritas reperiatur in vno singulari: ad hoc autem vt falsa existimetur: omnia singularia debent assumi ex communi: vt ista propositio aliquis homo est albus, ad hoc vt sit vera sufficit, quòd vnus homo sit albus: adhoc vt sit falsa, nullus homo debet esse albus.

Hic autem ascensus & descensus est in quadruplici differentia, vel enim est copulatiuus, vel copulatus, vel disiunctiuus, vel disiunctus. Copulatiuus est cùm propositiones per particulam (&) copulantur, vt iste homo est animal, & iste est animal, & sic de aliis. Copulatus est ille, qui terminos, non autem propositiones copulat, vt isti Apostoli, & isti sunt duodecim. Disiunctiuus est, cùm per particulam (vel) propositiones disiunguntur, vt hic homo currit; vel ille currit. Disiunctus autem, cùm per eamdem particulam (vel) termini solùm disiunguntur; vt ad equitandum equus est necessarius, vel hic vel ille. Ex his autem colligitur quod in terminis supponentibus collectiuè, resolutio facienda est per ascensum, vel descensum copulatum: in terminis distributiuis per ascensum, vel descensum copulatiuum: in determinatis per disiunctiuum: in confusis per disiunctum. In terminis autem, qui non supponunt pro pluribus, non debere fieri resolutionem.

ARTICVLVS V.

De aliis Proprietatibus Termini.

POst suppositionem numerantur aliæ quinque proprietates termini, scilicet Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio.

AMPLIATIO est extensio significationis Termini à minori ad maiorem suppositionem, & est duplex: alia est ampliatio temporum, alia suppositorum. Ampliatio temporum est quando non solùm terminus supponit pro tempore importato per copulam; sed etiam pro alio tempore, vt rosa est flos corruptibiles: ly (rosa) non solùm supponit pro rosa existente hoc tempore designato per copulam (est) sed etiam pro rosa, quæ potest esse in aliquo alio tempore; dantur autem apud Logicos quinque temporis differentiæ, scilicet præteritum, præsens, futurum, possibile, & imaginarium. Ampliatio suppositorum est; quando suppositio termini extenditur ad plura subiecta, vt iusti resurgent gloriosi: ly (iusti) non solùm supponit pro iustis, qui nunc sunt: sed se extendit ad illos etiam, qui fuerunt, & erunt: possunt in eadem propositione reperiri istæ duæ Ampliationes: vltima Ampliatio reperitur solùm in terminis communibus, prima autem reperitur etiam in singularibus. Quando ampliatio est explicata, dicitur propositio habere suum statum; quod fit, quando tempus, & significatio termini determinantur, vt nunc sedens non currit.

RESTRICTIO est coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem: hæc quatuor modis fieri potest. Primò per additionem casus obliqui, vt doctrina D. Th. est præstantior aliis. Secundò per appositionem termini adiectiui, vt homo Europæus. Tertiò per appositionem substantiui minus communis, vt animal Elephas est irrationale. Quartò per appositionem alicuius aduerbij, vt currit velociter.

ALIENATIO est translatio termini à propria ad impropriam significationem, vt vicit leo de tribu Iuda: ly (Leo) transfertur ad significandum Christum.

DIMINVTIO est deductio termini ab integra ad non integram significationem, quod fit per appositionem alicuius particulæ diminuentis; vt Petrus est albus secundùm dentes: ly (albus) quod poterat stare simpliciter, diminuitur per ly (secundùm dentes.) In hoc differt diminutio à restrictione, quod restrictio dicitur per ordinem ad inferiora: diminutio autem per ordinem formæ ad subiectum, & solet vocari dictum secundùm quid: quando autem per appositionem alicuius implicatiui detrahitur terminus à tota sua significatione, dicitur remotio: vt homo irrationalis est brutum.

APPELLATIO est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius. Ad cuius euidentiam sciendum est terminos adiectiuos, siue connotatiuos habere duplex significatum; vnum materiale, aliud formale: vt album habet materiale significatum ipsum subiectum, in quo est albedo; formale vero ipsam albedinem, quæ est in subiecto: appellatio igitur est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum, siue materiale, siue formale alterius; terminus qui applicatur, dicitur appellans: ille cui applicatur, dicitur appellatus: vt homo est albus, ly (albus) appellat supra hominem, & facit hunc sensum, homo est affectus albedine.

Ex dictis sequitur primò terminum appellantem debere esse connotatiuum, ad hoc vt possit applicari alteri: nam de ratione eius est, quòd significet per modum alteri adiacentis: terminus verò appellatus non necessariò est connotatiuus sed solùm categorematicus.

SEQVITVR secundò appellationem esse duplicem, scilicet materialem & formalem. Materialis est, quando applicatur significatum formale vnius termini supra significatum materiale alterius: vt in hac propositione. Petrus Philosophus est magnus, ly (magnus) non applicatur Petro ratione Philosophiæ, quæ est forma in Petro, sed ratione corporis, quod se habet materialiter in hac propositione. Formalis verò est quando applicatur significatum formale vnius super significatum formale alterius, vt in hac propositione, Petrus est Philosophus magnus ly (magnus) non appellat super Petrum ratione corporis, sed ratione Philosophiæ.

ASSIGNANTVR sequentes regulæ ad dignoscendum supra quem terminum fiat appellatio.

PRIMA regula. Si subiectum est terminus concretus: prædicatum autem est terminus connotatiuus; connotatiuus appellat, siue applicat suum formale significatum supra materiale subiecti: vnde ista propositio est hæretica, Christus est creatus: cùm repugnet supposito Christi Domini, quod est Verbum diuinum, creari: ista verò ob eamdem rationem est vera, Christus est æternus; similiter album est disgregatiuum visus, ly (disgregatiuum) appellat supra subiectum albedinis; licèt ex se non habeat, sed solùm ratione albedinis disgregare.

SECVNDA regula. Quando subiectum propositionis constat ex substantiuo, & adiectiuo, & prædicatum est adiectiuum: tunc prædicatum appellat supra substantiuum, vt Petrus Philosophus est magnus, ly (magnus) appellat supra Petrum, & non supra Philosophum: si autem subiectum constet tantùm termino substantiuo, & prædicatum duobus adiectiuis: tunc vltimum appellat supra primum, & vtrumque supra subiectum, vt Petrus est Philosophus magnus.

TERTIA regula. Quando prædicatum est terminus secundæ intentionis, appellat supra immediatum subiecti, & facit supponere simpliciter vt dictum est: sicut in hac propositione, homo est species.

QVARTA regula. Verba significantia aliquem actum, siue internum, siue externum, applicant suam significationem supra formale termini, cui iunguntur, non supra materiale: vt Petrus facit domum, non significat quòd faciat materiale domus, sed tantùm formam.

QVINTA regula. Nomina numeralia primitiua, vt duo, tria &c. applicata terminis substantiuis, non appellant solùm supra significatum materiale, sed etiam supra formale; & ideo vtrumque multiplicant: si autem talia nomina applicentur nominibus adiectiuis, solùm appellant

lant ſupra ſignificatum materiale eorum, & illud tantùm multiplicant: non verò ſignificatum formale, quod breuiùs ſic explicatur: in Theologia nomina numeralia primitiua adiuncta ſubſtantiuo termino, multiplicant formam, & ſuppoſitum: adiuncta verò termino adiectiuo, ſolùm multiplicant ſubiecta, ſiue ſuppoſita: vnde iſta propoſitio eſt hæretica. In diuinis ſunt tres dij, nam ſenſus eſt, cùm ly (Deus) ſit nomen ſubſtantiuum, quòd in diuinis ſint tres perſonæ habentes tres deitates: iſtæ verò ſunt Catholicæ. In diuinis ſunt tres æterni, tres omnipotentes &c. cum enim iſta ſint nomina adiectiua, ſi accipiantur adiectiuè, ſignificant, quòd in diuinis ſint tres Perſonæ habentes tres Deitates. Iſtæ verò ſunt Catholicæ: In Diuinis ſunt tres æterni, tres omnipotentes &c. cùm enim iſta ſint nomina adiectiua, ſi accipiantur adiectiuè, ſignificant quòd in Diuinis ſunt tres habentes æternitatem, omnipotentiam &c. quod eſt veriſſimum ita D.Thom. 1.part. quæſt.39. art. 3. Caietanus ibidem: S. Athanaſius autem aſſumpſit iſta nomina ſubſtantiuè quando dixit, quòd in diuinis non ſunt tres æterni, nec tres omnipotentes.

Ex hac regula infertur, quòd ſi vna perſona diuina aſſumeret plures humanitates, non dicerentur plures homines: nec ſimiliter ſi plures perſonæ diuinæ aſſumerent eamdem humanitatem: dicerentur tamen plures humani, ſicut nunc dicuntur plures diuini; ſi verò plures perſonæ aſſumerent plures naturas, dicerentur verè plures homines, quia tunc multiplicaretur tam ſignificatum materiale, quàm formale, quod requiritur ad multiplicationem termini ſubſtantiui ita D.Th. 3. p.q.3. art. 6. & 7.

Notandvm eſt, quòd in argumento eſt mala conſequentia ſi variatur appellatio termini; ſiue ſi tranſit de materiali ad formalem, vel econtra; & ſimiliter dicendum de ſuppoſitione, & aliis proprietatibus termini: circa quod valdè vigilandum eſt: nam in his variationibus fundantur plures fallaciæ Sophiſtarum.

QVÆSTIO XV.

De Propoſitione ſimplici.

Post conſiderationem vocum ſimplicium, quæ pertinent ad primam mentis operationem, agendum eſt de propoſitione, quæ ex illis conſtat, & pertinet ad ſecundam mentis operationem: propoſitioni autem, ſiue orationi ſolùm deſeruiunt nomen, & verbum intra terminos Logicæ; quia Logicus in oratione ſolùm intendit verum diſcernere à falſo, quod ſufficienter fit per nomen & verbum: Grammatici verò, & Rhetores plures admittunt partes orationis; quia ad congruitatem & ornatum ſermonis plura requiruntur, quàm nomen & verbum: in præſenti ergo quæruntur quatuor.

¶ Primò, quid ſit nomen.
¶ Secundò, quid ſit verbum.
¶ Tertiò, quid, & quotuplex ſit oratio.
¶ Quartò, quid, & quotuplex ſit propoſitio.

Articvlvs I.

Quid ſit Nomen?

Nomen ex Ariſtotele hic libro 1. cap.1. definitur quòd ſit vox ex inſtituto ſignificatiua ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta dicitur (vox ſignificatiua) vt excludantur voces non ſignificatiuæ, vt blitiri, ſindapſus. Dicitur (ex inſtituto) vt excludantur ſigna naturalia, vt vagitus pueri. Dicitur (ſine tempore) vt excludatur verbum, quod ſignificat cum tempore. Dicitur (cuius nulla pars ſeparata ſignificat:) vt excludatur oratio, cuius partes ſeparatæ ſignificant. Dicitur (finita) vt excludantur nomina infinita. Dicitur (recta) vt excludantur caſus obliqui.

Ex quo patet hîc nomen exactiſſimè definiri, prout deſeruit propoſitioni ſcientificæ: & propterea in hac definitione excluduntur à ratione nominis termini complexi, infiniti, ſincategorematici & obliqui, qui cùm ſint termini tantùm ſecundùm quid; ſic etiam ſunt nomina tantùm ſecundùm quid.

Articvlvs II.

Quid ſit Verbum?

Verbum ex Ariſtotele eodem libro 1. cap. 2. definitur quòd ſit vox ſignificatiua ex inſtituto cum tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta, & eſt ſemper eorum, quæ de altero dicuntur, nota. Priores partes huius definitionis conſtant ex dictis articulo præcedenti: vt autem explicetur iſta particula (cum tempore,) ſciendum eſt iſta eſſe valde diuerſa: ſcilicet ſignificare tempus, connotare tempus, & ſignificare cum tempore. Significare tempus dicitur illud, quod eſt inſtitutum ad ſignificandum tempus, vel aliquam eius partem, vt hæc omnia tempus, annus, menſis, dies, hora &c. Connotare tempus verò dicitur illud; quod ſignificat aliquid inferens, aut concernens aliquod tempus; ex eo quòd determinato tempore fieri ſoleat, vt gentaculum, prandium, merenda, cœna. Significare autem cum tempore dicitur illud, quod ſignificat aliquam actionem, vel paſſionem in actu exercito fieri in tempore, & illam ſignificat, prout in illo fit, vt orat, ſtudet: ſignificare ergo tempus, vel illud connotare, conuenit nomini; ſignificare verò cum tempore, conuenit ſoli verbo, & participio. Differt autem verbum à participio, per ſequentes particulas (& eſt ſemper eorum, quæ de altero dicuntur nota:) nam licèt participium ſignificet cum tempore, nunquam tamen poteſt eſſe copula propoſitionis, ſiue vnio extremorum, vel ſignum vnionis attributi cum ſubiecto.

Ponitvr denique in definitione quòd verbum ſit vox finita & recta: per ly (finita) excluduntur verba infinita, vt non lego; quia nihil determinatè ſignificant, cùm poſſint conuenire tam enti, quàm non enti. Per ly (recta) verò intelligitur præſens indicatiui modi, & excluduntur alia tempora, & modi, nam Ariſtoteles loco citato agit de verbo, quod per ſe, & independenter ab alio poteſt enuntiare veritatem: quòd autem alij modi non enuntient veritatem patet conſideranti; nam nec affirmant aliquid, nec negant: de aliis verò temporibus conſtat quòd enuntiant veritatem dependenter à præſenti: nam hæc eſt vera, homo orauit; quia aliquando fuit verum dicere, homo orat: & ſimiliter iſta eſt vera, homo orabit; quia aliquando verum erit dicere, homo orat.

Articvlvs III.

Quid & quotuplex ſit Oratio.

Oratio definitur ab Ariſtotele loco citato cap.4. quòd ſit vox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars ſeparata ſignificat. Per primam partem definitionis, conuenit cum nomine, & verbo, vt patet: per vltimam verò partem ab illis diſtinguitur: vt etiam patet ex ſupradictis. Ly autem (ſignificare) vt notat D. Th. ſupra iſtum locum ſumitur in rigore, prout conuenit ſoli termino categorematico, & diſtinguitur à conſignificare, quod conuenit termino ſincategorematico: hoc poſito dicendum, quòd ſufficit ad rationem orationis, aliquam eius partem ſignificare, ſiue eſſe terminum categorematicum: vnde iſtæ ſunt veræ orationes, omnis homo, nullus homo.

Dividitvr 1. Oratio ab Ariſtotele ibidem in enuntiatiuam, & non enuntiatiuam: Oratio enuntiatiua eſt illa, quæ affirmat, vel negat aliquid, & vocatur propoſitio, & ſemper fit per verbum indicatiui modi, vt homo orat, homo non orat; non enuntiatiua eſt illa, quæ nihil affirmat, vel negat, ſiue in qua non eſt veritas vel falſitas: ſiue ſit oratio perfecta, quæ generat perfectum ſenſum, & relinquit animum audientis quietum;

quales

quales sunt orationes imperatiui & optatiui modi, quæ tamen non enuntiant verum aut falsum: siue sit oratio imperfecta, quæ scilicet non generat perfectum sensum, nec relinquit quietum animum audientis, vt homo albus, & orationes subiunctiui & infinitiui modi. Sub oratione non enuntiatiua comprehenduntur tres modi sciendi; nam in eis nulla reperitur veritas. De definitione asserit Aristoteles loco citato cap. 3. etenim hominis definitio, nisi est, aut erat, aut erit, aut eiusmodi quidquam addatur nondum est oratio enuntiatiua. De diuisione patet, nam aliàs diuisum intraret diuisionem. Etiam patet de argumentatione: licèt enim constet ex propositionibus materialiter; formaliter tamen dicit tantùm ratiocinationem vel discursum, siue tantùm illationem vnius ex alio, in quibus non est veritas aut falsitas; propter quòd consequentia non dicitur vera aut falsa: vnde non est oratio enuntiatiua.

Ex dictis constat aliud esse manifestare ignotum, aliud esse orationem perfectam: hoc vltimum necessariò requirit verbum copulans ea, quæ habent rationem agentis, & patientis in oratione; licèt aliquando non enuntient: vt cùm dicitur, miserere mei Deus: manifestare verò ignotum, est dicere distinctè, quæ confusè in aliquo continentur, quod potest fieri, & fit sine verbo, adducendo genus & differentiam; vt in definitione: vel membra diuidentia; vt in diuisione: cùm enim definitum & diuisum sint quid incomplexum, non continent verbum: & ideo in eorum explicatione non requiritur verbum; vnde definitio & diuisio sunt orationes imperfectæ: quia cùm nullum includant verbum, non generant perfectum sensum, nec omnino quietant animum.

Ex hac diuisione orationis constat, quòd orationes quædam imperfectæ non distinguuntur materialiter à terminis complexis; idem quippe modò est oratio, modò terminus complexus, sed à diuersa intentione rationis: vt homo albus, sic præcisè est oratio; in propositione verò ista, Petrus est homo albus, ab alia intentione mentis & rationis constituitur terminus complexus: & ita id quod est essentialiter terminus complexus, est accidentaliter oratio; & quod est essentialiter oratio, est accidentaliter terminus complexus. Relictis aliis orationibus non enuntiatiuis accedendum est ad enuntiatiuam, siue ad propositionem: ait enim Arist. cap. 4. citato: cæteræ igitur orationes missæ fiant, quoniam artis Rhetoricæ, vel Poëticæ magis propria est earum consideratio: enuntiatiua autem præsentis est inspectionis.

Articvlvs IV.

Quid, & quotuplex sit Propositio.

PRopositio ex Aristotele loco citato essentialiter definitur, quòd sit oratio enuntiatiua: ab aliis verò sic definitur, propositio est oratio verum vel falsum significans; sed hæc definitio est accidentalis; cum veritas & falsitas sint proprietates propositionis.

Dividitvr 1. propositio in simplicem & compositam; siue in categoricam & hypotheticam: hanc diuisionem tradit Aristoteles loco citato, & aliam annectit, vt notat D. Thom. lect. 8. Verba Phylosophi sunt. *Est itaque vna prima enuntiatiua oratio, affirmatio; deinde negatio: cætera verò omnes coniunctione sunt vna.* Propositio simplex siue categorica est illa, quæ constat subiecto, prædicato & copulà tanquam vnione; vt, homo est animal: subiectum aliquando constat vno tantùm termino, aliquando constat vnâ oratione; vt, homo iustus diligit Deum, aliquando etiam constat vna propositione, vt; homo, qui est iustus, diligit Deum: & hoc non obstat, quin sit propositio simplex & categorica: nam prima propositio solùm habet vicem subiecti; & copula, quæ in ea reperitur, dicitur copula implicationis, siue minus principalis; quia ex ea non consideratur veritas aut falsitas propositionis, sed ex secunda; quæ ideo dicitur principalis: aliquando in propositione categorica non explicatur prædicatum, sed includitur in verbo, vt homo orat; idem quippe valet, ac homo est orans; composita verò siue hypothetica est illa, quæ constat propositionibus tanquam partibus principalibus aliquâ vnione vnitis, vt magister docet, & discipulus audit: hæc diuisio propositionis est analogi in analogata ex D. Thom. supra hunc locum Aristotelis, & opusc. 48. tractato de enuntiatione, & constat ex verbis adductis Philosophi, qui solam categoricam vocat vnam; hypotheticam verò vocat vnam solùm coniunctione, quod est esse vnam secundùm quid: & ratio est manifesta; nam enuntiare (quod est essentia propositionis) non conuenit illis ex æquo: conuenit enim simpliciter categoricæ, quia verè prædicat prædicatum de subiecto (in quo est enuntiare;) hypothetica autem non prædicat vnam propositionem de alia, sed solùm illas vnit, quod est quædam similitudo propriæ enuntiationis.

Dividitvr 2. propositio categorica in affirmatiuam & negatiuam: Affirmatiua est illa, quæ aliquid de aliquo affirmat, & respondet iudicio intellectus, quod appellatur compositio. Negatiua verò est illa, quæ aliquid de alio remouet, & respondet iudicio intellectus, quod dicitur diuisio: hæc propositionis diuisio ex D. Thom. & Aristotele locis citatis, est generis in species; quia affirmatiuum & negatiuum diuidunt enuntiationem, prout formaliter est enuntiatio: nam æque aliquid enuntiatur, siue fiat affirmando, siue negando: & ita essentialiter pugnant, vt sit impossibile in eadem propositione reperiri quòd sit affirmatiua & negatiua: quod non contingit in veritate & falsitate: potest enim eadem propositio transire de vera in falsam, & econtra: vnde verum & falsum non sunt differentiæ essentiales propositionis; & consequenter diuisio propositionis in veram & falsam est subiecti in accidentia.

Dividitvr 3. propositio ratione materiæ in necessariam, contingentem & impossibilem. Necessaria est illa, quæ enuntiat rem quæ aliter se habere non potest: ex quo constat hæc esse valde diuersa. Propositio est in materia naturali, & propositio est necessaria: nam hæc propositio (homo non est animal) est in materia naturali, & tamen est impossibilis. Contingens est illa, quæ enuntiat rem, quæ aliter se habere potest. Impossibilis est, quæ enuntiat rem, quæ sic se habere non potest: vnde non est idem propositionem esse in materia remota, & esse impossibilem: nam ista (homo non est equus) est in materia remota, & tamen est necessaria. Circa hanc diuisionem duo notanda sunt: Primum est, quòd quando prædicatum habet habitudinem naturalem, siue necessariam ad subiectum, quod accidit quando est de essentia vel eius proprietas: tunc dicitur materia necessaria: quando autem habet habitudinem contingentem ad illud, quod accidit quando est accidens commune, dicitur materia contingens: quando denique prædicatum repugnat subiecto, dicitur materia remota: manente autem eodem prædicato & subiecto, semper manet eadem materia propositionis: licèt ipsa propositio varietur de affirmatione in negationem, de veritate in falsitatem, de vniuersalitate in particularitatem, vel econtra; quia remanet eadem habitudo extremorum inter se, quæ consideratur ante actualem prædicationem; vnde istæ sunt in materia naturali (homo est animal, homo non est animal:) istæ in materia contingenti (omnis homo est albus, aliquis homo est albus:) istæ in materia remota (homo est lapis, homo non est lapis.) Secundum notandum est, quòd in materia naturali omnis affirmatiua est necessaria, negatiua autem impossibilis: econtra in materia remota propositio negatiua est necessaria, affirmatiua impossibilis: sed in materia contingenti, tam affirmatiua, quàm negatiua semper sunt contingentes; ideo omnes vniuersales falsæ, particulares veræ.

Dividitvr 4. propositio ratione quantitatis in vniuersalem, indefinitam, particularem & singularem. Vniuersalis est illa, cuius subiectum est terminus communis affectus signo vniuersali, vt; omnis homo est substantia,

nullus homo est lapis.) Indefinita est illa; cuius subiectum est terminus communis nullo affectus signo, vt [homo est substantia :] propositio indefinita in materia naturali & remota æquiualet vniuersali : io materia verò contingenti æquiualet particulari. Particularis est illa, cuius subiectum est terminus communis affectus signo particulari,vt (aliquis homo est albus.) Denique propositio singularis est illa, cuius subiectum est terminus singularis, siue determinatus, vt (Petrus orat :) siue ex demonstratione,vt [hic homo orat:] siue ex suppositione, vt [filius B.V.M. est Christus.] Ex quo patet ex subiecto pendere quantitatem propositionis, & nullo modo à prædicato : quia in propositione subiectum habet rationem materiæ : vnde non est mirum, si ab illo emanat quantitas propositionis, sicut à materia Phisica quantitas Phisica.

DIVIDITVR 5. Propositio ratione qualitatis in veram & falsam : vera est illa, quæ enuntiat rem sicuti est in se; falsa autem, quæ enuntiat rem aliter quàm est in se.

DIVIDITVR Tandem propositio hypothetica à D.Thom.opusc.48.cap.14.in copulatiuam, disiunctiuam, & conditionalem; ad quam reducuntur rationalis, causalis,& si sint aliæ similes. Copulatiua est illa, cuius partes principales vniuntur coniunctione copulatiuâ, cuiusmodi sunt (&, ac, atque, nec.] vt, homo est sensibilis, & Petra insensibilis. Nec homo est arbor, nec lapis est homo : ad eius veritatem requiritur, quòd vtraque pars sit vera; ad falsitatem verò requiritur, quod vtraque, vel altera pars sit falsa; vt autem sit possibilis requiritur, quòd partes sint compossibiles, nec sufficit quòd separatim vnaquæque sit possibilis : vnde ista est impossibilis, Petrus orat, & non orat. Disiunctiua est illa, cui us partes principales vniuntur coniunctione disiunctiuâ, quales sunt [vel, aut, seu, siue &c.] vt,vel Petrus orat, vel studet : ad eius veritatem sufficit, quòd altera pars sit vera : ad falsitatem requiritur quòd vtraque pars sit falsa:si autem vtraque sit vera, & coniunctio disiunctiua sumatur in rigore, propositio erit falsa, vt ait D.Thom. quia ly [vel] vnum tantùm affirmat duorum, & aliud excludit : si autem sumatur impropriè, vt idem est, ac [saltem,ad minus &c.] licèt vtraque pars sit vera, tota propositio erit vera. Propositio conditionalis est illa cuius partes principales vniuntur particulà [si] aut simili: vt,si sol lucet,dies est : ad istam reducuntur rationalis, & causalis: Rationalis est cuius partes vniuntur per particulam [ergo, aut igitur] vt, sol lucet : ergo dies est : Causalis est illa cuius partes principales vniuntur per particulam [quia] aut similem : vt, quia sol lucet, dies est. Quia autem hæ propositiones sunt argumentationes, prima pars dicitur antecedens, alia consequens : nec mirum est si idem sit argumentatio, & propositio hypothetica : nam vt dictum est, propositio hypothetica non est propriè & perfectè enuntiatiua, sed tantùm secundùm quid; ac proinde nec vera, nec falsa simpliciter : quia non est simpliciter propositio, sed tantùm secundùm quid : non autem repugnat quòd aliquid sit simpliciter in vno genere, & participet rationem essentialem illius,& quòd simul reducatur ad aliud genus, & participet aliquam eius rationem: & ita istæ propositiones sunt essentialiter argumentationes ratione illationis; & dicuntur bonæ & malæ: accidentaliter autem sunt propositiones ratione cuiusdam enuntiationis virtualis, & dicuntur veræ aut falsæ. Ad veritatem b:-um propositionum requiritur generaliter quòd consequens sequatur ex antecedenti : insuper ad veritatem rationalis, necesse est vt antecedens sit verum, ob cuius defectum ista est falsa [equus est homo:ergo est animal:]& ad veritatem causalis debet antecedens esse causa consequentis: vt autem propositio conditionalis sit vera. sufficit bonam esse illationem: licèt antecedens & consequens sint falsa : nam conditionalis nihil ponit in esse: vnde ista est vera [si homo habet alas, potest volare.]

NOTANDVM est circa propositionem conditionalem ex Aluarez lib.2. de auxiliis disp. 7. & communi doctrina Thomistarum, quòd dupliciter potest considerari. Primò in rigore consequentiæ, ita vt dictio [si] accipiatur illatiuè, & tunc requiritur, ac sufficit ad eius veritatem, vt illatio sit bona, siue quòd consequens necessariò sequatur ex antecedenti seclusis quibuscumque aliis; siue antecedens & consequens sint vera aut falsa, possibilia aut impossibilia, necessaria aut contingentia : & quia consequentia,quæ secundùm se est bona, semper est bona, ac proinde necessaria : quæ verò secundùm se est mala, sempet est mala, & consequenter impossibilis; ideo omnis conditionalis illatiua vera, est necessaria: omnis autem falsa, est impossibilis; ac proinde nulla est contingens : ita D.Thom. opusc. citato. Secundò. Dictio [si] potest sumi concomitanter, ita vt consequens non sequatur ad antecedens ex vi illationis, secundùm se : sed ex aliqua promissione, proposito &c. Vt [si feceris hoc, dabo tibi hoc;] & tunc consequentia non est secundùm se bona & necessaria, nec consequens sequitur ex vi antecedentis præcisè sumpti : sed sequitur ad antecedens ratione alicuius promissionis &c. Ad veritatem istius sufficit & requiritur, quòd reuera existat fundamentum illius concomitantiæ consequentis & antecedentis : scilicet propositum faciendi quod promittitur &c. vt patet in iuramentis promissoriis sub conditione : nam si non adsit tale propositum, propositio fuit falsa; licèt aliunde posito antecedente sequatur consequens.

NOTANDVM est 2. propositiones hypotheticas tunc esse affirmatiuas, quando principalis earum copula affirmatur : quomodocumque partes sint,fine affirmatæ, siue negatæ : istæ enim sunt affirmatiuæ, (si homo est animal, est sensibilis : si homo non est animal, non est sensibilis:] sunt verò negatiuæ, quando principalis copula negatur, siue partes sint affirmatæ, siue negatæ : vt [non si Petrus mouetur, currit : non si Petrus non mouetur, non currit.] Istæ propositiones ratione sui, nec sunt vniuersales, nec particulares; quia, vt dictum est, vniuersalitas aut particularitas propositionis attenditur penes subiectum: istæ autem non constant subiecto & prædicato, vt etiam dictum est : licèt componantur ex categoricis constantibus subiecto & prædicato.

QVÆSTIO XVI.

De Oppositione, Æquipollentia, & Conuersione propositionum simplicium.

SECVNDVM quòd propositiones inter se comparantur,resultant quædam earum proprietates: scilicet Oppositio,Æquipollentia,& Conuersio: ideo de illis agitur : non est autem sermo de oppositione, quæ est inter res ipsas; de illa quippe agitur in postprædicamentis, nec de oppositione terminorum, quia iam actum est; sed solùm de oppositione propositionum simplicium, vnde quæruntur tria.

¶ Primò, quid, & quotuplex sit oppositio propositionum simplicium.
¶ Secundò, quid sit æquipollentia propositionum.
¶ Tertiò, quid, & quotuplex sit conuersio propositionum.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit oppositio propositionum simplicium.

SIc definitur oppositio propositionum ab Aristotele hic lib. cap. 4. [est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem :] siue, est repugnantia inter propositionem affirmatiuam & negatiuam eiusdem prædicati & subiecti. Ea qua definitione 1. colligitur copulam principalem in vna debere esse affirmatiuam; in alia verò negatiuam : vnde istæ non opponuntur. Petrus, qui disputat, loquitur. Petrus, qui non disputat, loquitur. Colligitur

tur 2. quòd in eadem propositione debet remanere idem prædicatum & subiectum in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, in loco: nam hæc omnia includuntur in ly (einsdem de eodem.) Defectu primæ conditionis istæ non sunt oppositæ (Angelus est Dei, Angelus non est Deus.) Defectu rei significatæ istæ non opponuntur (homo est rationalis, homo non est rationalis) si in prima sit sensus de homine vero, & in secunda de homine picto. Defectu integritatis istæ non sunt oppositæ (Æthinps est albus,) nota secundùm dentes, (Æthiops non est albus,) nota simpliciter. Defectu eiusdem temporis istæ non opponuntur (Petrus orat, Petrus non orat.) Defectu similiter einsdem loci hæ non opponuntur (Petrus est in choro, Petrus non est in choro.) si intelligantur diuersi chori: vnde ad veram oppositionem requiritur, quòd in propositionibus seruentur eædem proprietates terminorum; scilicet, suppositio, appellatio & aliæ præter suppositionem, quæ prouenit ex signis afficientibus subiectum, quæ aliquando mutatur: debet tamen seruari eadem, simplex, vel realis &c.

Hæc oppositio propositionum est multiplex: alia est contradictoria, alia cnntrstia, alia subcontraria, alia subalterna. Oppnsitin contradictoria est, quando vna propositio est vniuersalis affirmatiua, alia particularis negatiua, vel econtra. Contraria, quando ambæ propositiones sunt vniuersales, vna affirmatiua, alia negatiua. Subcontraria, quando ambæ sunt particulares, vna affirmatiua, alia negatiua. Subalterna autem, non est simpliciter dicenda oppositio: quia in ea non est affirmatio & negatio eiusdem de eodem; cùm in ipsa ambæ propositiones sint affirmatiuæ vel negatiuæ: est tamen inter ipsas aliqua oppositio, cùm propositiones habeant diuersam quantitatem; nam vna est vniuersalis, alia particularis: quæ particularis cùm continetur sub vniuersali, est ei subalternata, & dicitur talis: vniuersalis verò dicitur subalternans, quasi sub se habens particularem, quæ omnia manifestantur in subiectis hac tabula.

Ad euidentiam huius tabulæ sciendum est 1. quòd quando in propositione subiectum est terminus communis, supponens realiter, siue personaliter, requiritur ad oppositionem contradictoriam, quòd vna propositio sit vniuersalis & alia particularis, vt patet in tabula: si autem subiectum sit terminus singularis vel communis, supponens, aut simpliciter, aut copulatè, aut confusè, aut determinatè; tunc in vtraque propositione manet idem omnino & inuariatum subiectum. Vnde istæ sunt contradictoriæ: Petrus orat, Petrus non orat; homo est species, homo non est species; omnes Apostoli sunt duodecim, omnes Apostoli non sunt duodecim; ad videndum requiritur oculus, ad videndum non requiritur oculus: si autem mutaretur quantitas, non essent contradictoriæ; vt omnes Apostoli Christi sunt duodecim, aliqui Apostoli Christi non sunt duodecim. Rationem istorum affert D. Thom. opusc. 48. cap. 8. quia oppositio contradictoria ex Aristotele 10. Metaph. cap. 7. est omnium maxima, & nullum habet medium: ideo in illa debet esse totalis remotio affirmationis per negationem: vniuersalis autem affirmatiua totaliter remouetur per particularem negatiuam, & econtra: nam est impossibile simul ambas esse veras aut falsas: sed vna est vera, alia falsa: & hoc quando subiectum propositionum est terminus communis supponens personaliter, ideo in istis oppositio contradictoria consistit in vniuersali affirmatiua, & particulari negatiua, vel econtra; vnde mutatur quantitas subiecti: quando autem subiectum, vel est terminus singularis, vel communis, supponens simpliciter, aut copulatè, aut confusè, aut determinatè: si mutaretur quantitas subiecti, affirmatio non totaliter tolleretur per negationem, aut econtra; ideo in istis remanet idem omnino & integrum subiectum, vt patet in exemplis adductis.

Sciendum est 2. quòd etiam in signis mixtis reperitur diuersa oppositio; quia enim (vterque & neuter) magis accedunt ad vniuersalia: (alter verò & alter non) magis ad particularia, ideo (vterque & neuter) opponuntur contrariè: (vterque autem & alter non) opponuntur contradictoriè: sicut etiam (neuter & alter:) opponuntur verò subcontrariè (alter & alter non:) (vterque & alter) se habent vt subalternans & subalternatum; sicut etiam (neuter & alter non.)

Similiter coniunctio (&) est signum vniuersale: coniunctio (vel) est signum particulare: ideo quando subiectum propositionis est copulatum particulâ (&) in propositione contraria, ly (&) debet mutari in (vel) vt sit oppositio contradictoria, vt accidit in istis: Petrus & equus est animal; Petrus vel equus non est animal: si enim in vtraque remaneret coniunctio (&) essent contrariæ; vt Petrus & equus est animal; Petrus & equus non est animal; si autem in vtraque sit coniunctio (vel) erunt subcontrariæ; vt Petrus vel equus est animal; Petrus vel equus noo est animal. Quòd si partes subiecti copulantur in ordine ad verbum de plurali; tunc ex vi verbi subiectum supponit copulatim, & habet rationem singularis: & propterea ad contradictionem non debet variari subiectum: sed eodem modo in istis fit contradictio, ac in singularibus; vt Petrus & Paulus orant; Petrus & Paulus noo orant. In propositionibus verò quæ constant terminis numeralibus, optimè fit contradictio, quando negatio præponitur secundæ propositioni; vt bis recitaui officium; non bis recitaui officium.

Solent assignari sequentes regulæ pro vnaquaque oppositione. Prima regula pro contradictoriis est; in nulla materia siue naturali siue contingenti siue remota possunt esse simul veræ aut simul falsæ: in his enim non datur medium: cùm sit maxima oppositionum; nam vna pars totaliter destruit aliam; vnde sicut impossibile est idem simul esse & non esse; sic est impossibile, quòd idem affirmetur & omnino negetur de eodem simul; idem enim esset & non esset.

Secunda regula pro contrariis. In nulla materia, possunt duæ contrariæ esse simul veræ: possunt tamen esse simul falsæ in materia contingenti: vt (omnis homo est albus, nullus homo est albus) & similiter in propositionibus indirectis, in quibus inferius prædicatur de superiori, respectu cuius habet rationem accidentis: vt (omne animal est homo, nullum animal est homo.) Probatur hæc regula quoad primam partem; quòd scilicet duæ contrariæ non possint esse simul veræ. Quia si in istis (omnis homo est albus, & nullus homo est albus) ambæ sunt veræ; erunt etiam veræ earum subalternatæ (aliquis homo est albus, & aliquis homo non est albus:) sed prima subalternata (aliquis homo est albus) est contradictoria illius (nullus homo est albus:) secunda verò subalternata (aliquis homo non est albus) est contradictoria illius (omnis homo est albus:) ergo si omnes sunt veræ; dantur contradictoriæ simul veræ, quòd est impossibile: ex quo patet, vniuersaliter loquendo, abstrahendo ab hac & illa materia, vniuersalem affirmatiuam non remoueri totaliter per negatiuam vniuersalem, &

contra, nam inter (omnis & nullus) mediat (aliquis:) in materia autem naturali nullum est medium: sed hoc est ratione materiæ propter necessariam connexionem prædicati cum subiecto; vnde in illa duæ contrariæ non possunt esse simul falsæ, sicut in materia contingenti.

TERTIA regula pro subcontrariis est: non possunt duæ subcontrariæ esse simul falsæ: bene tamen simul veræ in materia contingenti; quòd sint simul veræ patet hoc exemplo (aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus:) quòd non sint simul falsæ, probatur. Si ista est falsa (aliquis homo est albus) erit etiam falsa subalternans (omnis homo est albus); & similiter si ista est falsa (aliquis homo non est albus:) erit etiam falsa subalternans (nullus homo est albus:) ergo si omnes sint falsæ cùm istæ fiant contradictoriæ (omnis homo est albus, aliquis homo non est albus) & similiter istæ (nullus homo est albus, & aliquis homo est albus) sequitur duas contradictorias simul esse falsas, quod est impossibile.

QVARTA regula pro subalternis est. In materia naturali si vna subalterna est vera, alia etiam est vera: & similiter si vna est falsa, alia etiam est falsa: in materia verò contingenti vniuersalis potest esse falsa, & particularis vera: sed non econtra: vnde patet quòd ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ: non autem ex falsitate subalternantis sequitur falsitas subalternatæ: econtra verò, ex falsitate subalternatæ sequitur falsitas subalternantis; non tamen ex veritate subalternatæ sequitur veritas subalternantis, vt patet consideranti. In materia remota tam subalternans, quàm subalternata affirmatiua est falsa, negatiua autem est vera: indefinitæ verò, quia in materia naturali & remota æquiualent vniuersali: ideo in his materiis idem est iudicium de ipsis ac de vniuersalibus; & quia in materia contingenti æquiualent particulari: ideo in hac materia iudicandum est de illis, sicut de particulari.

ARTICVLVS II.

Quid sit Æquipollentia propositionum.

ÆQVIPOLLENTIA propositionum, si vniuersaliter definiatur, est æquiualentia earum; quando scilicet duarum propositionum est eadem vis & sensus sub differentibus terminis, vt Christus est Deus, Filius B. V. est Deus. Prout autem hîc accipitur, est eadem vis & significatio duarum propositionum procedens à diuersis signis: hæc æquipollentia deseruit ad manifestandas propositiones obscuras: circa quam sequentes regulæ sequenti versu expressæ sunt obseruandæ.

Præ contradic. Post contra. Præ, Pôstque subalter.

PRIMA regula. Ad hoc vt duæ contradictoriæ fiant æquipollentes debet præponi negatio (non) subiecto illius quam facimus æquipollentem, vt omnis homo est animal, aliquis homo non est animal, sunt contradictoriæ; cuicumque istarum præponatur negatio, æquiualet alteri, vt (non omnis homo est animal) idem valet ac (aliquis homo non est animal:) similiter (non aliquis homo non est animal) æquiualet isti (omnis homo est animal) & hoc significatur hâc particulâ [Præ contradic.]

SECVNDA regula. Vt duæ contrariæ fiant æquipollentes, negatio (non) debet postponi subiecto eius, quam facimus æquipollentem, vt [omnis homo orat, nullus homo orat] cuicumque istarum postponatur negatio, æquiualet alteri: idem enim est [omnis homo non orat, ac nullus homo orat:] similiter idem est [nullus homo non orat, ac omnis homo orat] & hoc significatur hâc particulâ [Post contra.]

TERTIA regula. Ad hoc vt duæ subalternæ fiant æquipollentes debent apponi duæ negationes; vna ante subiectum, alia post subiectum, vt [omnis homo est animal, aliquis homo est animal]; cuicumque apponantur duæ negationes fiet æquipollens alteri: idem enim est, [non omnis homo non est animal, ac aliquis homo est animal:] & similiter [non aliquis homo non est animal] idem est ac [omnis homo est animal:] & hoc significant aliæ particulæ [Præ, Pôstque subalter.] Subcontrariæ non possunt vllo modo fieri æquipollentes: signa verò per quæ propositiones fiunt æquipollentes, sunt æquipollentia.

ARTICVLVS III.

Quid, & quotuplex sit conuersio propositionum.

CONVERSIO; siue reciprocatio propositionum est transmutatio vnius extremi totalis in aliud extremum totale: siue est transpositio partium ipsius propositionis: ita vt ex subiecto fiat attributum, & ex attributo subiectum, eadem semper qualitate propositionis seruatâ; id est si vna fuerit affirmatiua, etiam alia sit affirmatiua: si vna negatiua, etiam alia negatiua, vt [nullus homo est lapis, nullus lapis est homo.]

DIVIDITVR conuersio in illam, quæ dicitur simplex, & in illam quæ dicitur per accidens. Conuersio simplex vocatur ab Aristotele 1. priorum cap. 2. conuersio in totum, & est transmutatio extremorum propositionis manente eadem quantitate & qualitate; vt quando vniuersalis affirmatiua vera conuertitur in aliam vniuersalem affirmatiuam veram, vt [nullus homo est lapis, nullus lapis est homo:] conuersio autem per accidens siue in partem, est transmutatio extremorum propositionis mutatâ quantitate non verò qualitate, vt quando vniuersalis conuertitur in particularem; seruatâ in vtraque veritate, vel falsitate; affirmatione, vel negatione; vt [omnis homo est animal, aliquod animal est homo.] De qua conuersione istæ sunt regulæ.

PRIMA regula. Vniuersalis negatiua conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam, vel etiam in particularem negatiuam, vt [nullus homo est arbor, nulla arbor est homo; vel aliqua arbor non est homo.]

SECVNDA regula. Particularis affirmatiua conuertitur in aliam particularem affirmatiuam, vt [aliquis homo est albus, aliquod album est homo.]

TERTIA regula. Vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam, vt [omnis homo est animal, aliquod animal est homo.]

QVARTA regula. Particularis negatiua non conuertitur in aliam particularem negatiuam: non enim sequitur [aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal:] quamuis in materia contingenti & remota ambæ particulares negatiuæ possint simul esse veræ, vt [aliquis homo non est albus, & aliquod album non est homo:] item [aliquis homo non est lapis, & aliquis lapis non est homo:] vna tamen ex istis non sequitur ex alia.

PROBANTVR istæ regulæ ostendendo quòd si non essent veræ, verificarentur duo contradictoria. Prima sic probatur. Si ex hac propositione vera [nullus homo est arbor:] eius conuersa scilicet [nulla arbor est homo] non sequatur: duæ contradictoriæ erunt simul veræ; quod sic ostenditur: si ista conuersa [nulla arbor est homo] sit falsa, eius contradictoria [aliqua arbor est homo] erit vera: sed particularis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam, vt patet ex secunda regula, & statim demonstrabitur: vnde ista [aliqua arbor est homo] conuertitur in istam [aliquis homo est arbor] sed ista est contradictoria illius primæ [nullus homo est arbor] quæ conceditur esse vera: ergo duæ contradictoriæ erunt simul veræ, quod est impossibile: ac proinde prima regula est vera.

SECVNDA regula sic probatur si ista particularis affirmatiua [aliquis homo est albus] non benè conuertitur in istam particularem affirmatiuam [aliquod album est homo] eius contradictoria erit vera, scilicet [nullum album est homo:] sed vniuersalis negatiua conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam, vt modò dictum est: Vnde ista [nullum album est homo] conuertitur in istam [nullus homo est albus:] sed ista est contradictoria illius primæ

primæ(aliqois homo eſt albus)quæ conceditur eſſe vera: ergo duæ contradictoriæ erunt ſimul veræ, quod oullus concedit, ac proinde ſecunda regula eſt vera.

TERTIA regula ſic probatur. Si iſta vniuerſalis affirmatiua vera (omnis homo eſt animal) non conuertitur io iſtam particularem affirmatiuam (aliquod animal eſt homo) at iſta particularis ſit falſa; ſequitur duas contrarias ſimul eſſe veras: nam ſi iſta particularis (aliquod animal eſt homo) ſit falſa, eius contradictoria (nullum animal eſt homo) erit vera: ſed vniuerſalis oegatiua conuertitur in aliam vniuerſalem negatiuam; & ſic iſta vera ex ſuppoſitione (nullum animal eſt homo) conuertitur in iſtam (oullus homo eſt animal] quæ erit quoque vera: ſed iſta [nullus homo eſt animal] eſt contraria illius primæ [omnis homo eſt animal] quæ admittitur eſſe vera; ac proinde duæ contrariæ erunt ſimul veræ, quod eſt impoſſibile, licèt poſſibile ſit ſimul eſſe falſas vt dictum eſt ſupra.

QVARTA regula per ſe patet: nam ſi particularis negatiua conuerteretur in aliam particularem negatiuam, ex antecedente vero ſequeretur conſequens falſum.

NOTANDA ſunt duo vt rectè fiant iſtæ conuerſiooes. Primum, vt integrum ſubiectum fiat iotegrum prædicatum, ob cuius defectum non ſequitur [Petrus videt Paulum: ergo Paulus videt Petrum] item (Petrus eſt in domo: ergo domus eſt in Petro:) quia ly (Paulum) & ly (in domo) oon ſunt integra prædicata: vode debent ſic conuerti (videns Paulum eſt Petrus: exiſteos io domo eſt Petrus.) Secundum, debent obſeruari omnes proprietates terminorum exceptâ ſuppoſitione, quæ prouenit ex ſignis: nam defectu ampliationis, non ſequitur (ſeoex fuit puer: ergo puer fuit ſenex:) ſed debet dici (ergo quod fuit puer, eſt, vel fuit ſenex.

QVÆSTIO XVII.

De Propoſitione modali, exponibili, & de futuro contingenti.

POST conſiderationem propoſitionis ſimplicis, ſupereſt agendum de aliis propoſitionibus, quę ſpecialem habent difficultatem, quales ſunt propoſitio modalis, exponibilis, ac de futuro contingenti: vnde quæruntur quatuor.

¶ Primò, de Eſſentia, & ſpeciebus propoſitionis modalia.

¶ Secundò, de Proprietatibus propoſitionis modalis.

¶ Tertiò, de Eſſentia, & ſpeciebus propoſitionis exponibilis.

¶ Quartò, de Propoſitione futuri contingentis.

ARTICVLVS I.

De eſſentia, & ſpeciebus propoſitionis modalis.

MODVS à quo propoſitiones ſuot & dicuotur modales, definitur à D. Thom. opuſc. 40. quòd ſit *adiacens rei determinatio*: modificare enim eſt determinare; non autem hîc agitur de omnibus modis: alij enim ſunt qui modificant extrema propoſitionis; & tunc fiunt termini reſtricti, de quibus iam dictum eſt: alij modificant ſignificationem verbi, vt Petrus currit lentè; ſed quia iſti non habent ſpecialem difficultatem, ideo illis prætermiſſis, agitur ſolùm de illis modis, qui modificant ipſam compoſitionem, ſiue vnionem prædicati & ſubiecti, à quibus propoſitio dicitur modalis: qui ſi auferantur, propoſitio remanens dicitur de ineſſe, ſiue officians.

SEX enumerantur à D. Thom. loco citato tales modi, ſcilicet Verum, Falſum, Poſſibile, Contingens, Impoſſibile, Neceſſe: ſed duo primi nihil addunt propoſitioni de ineſſe; nam idem eſt dicere, Petrus currit, ac dicere Petrum currere eſt verum: & ideo non ſunt propriè modi, nec habent maiorem difficultatem, quàm alij modi ſimplices: ex quatuor verò remanentibus, duo, ſcilicet poſſibile & contingens, idem ſignificant hîc; id eſt quod non repugnat eſſe: vnde ſunt tres modi correſpondentes tribus materiis, ſcilicet neceſſe naturali, impoſſibile remotæ; contingens verò aut poſſibile contingenti:

HI modi poſſunt ſumi dupliciter, Primò, nominaliter, vt poſſibile, contingens. Secundò, aduerbialiter, vt poſſibiliter, contingenter. Sumpti primo modo ſunt prædicata in propoſitionibus modalibus ſecundùm ſenſum: quamuis ſecundùm voces aliquando anteponantur, vt poſſibile eſt Petrum currere: quando autem ſumuntur aduerbialiter, non ſunt prædicatum; ſed modificant vnionem prædicati cum ſubiecto, vt Petrus neceſſariò eſt animal.

PROPOSITIO modalis eſt duplex; alia compoſita, quæ facit ſenſum compoſitum; alia diuiſa, quæ facit ſenſum diuiſum: ſenſus compoſitus propoſitionis modalis tunc fit, quando modus voit extrema dicti ſecundùm ſignificata formalia pro eodem tempore; tunc autem eſt ſeoſus diuiſus, quando modus vnit extrema non ſecundùm ſignificata formalia, ſed ſignificatum formale prædicati vnit ſignificato materiali ipſius ſubiecti, & conſequenter pro diuerſo tempore: quod ſic magis dilucidatur.

D. THOMAS & communiter eius Diſcipuli, vt Sotus, & noſtri Complutenſes in ſummulis, Ferrar. 1. contra Gentes c. 67. Aluarez t. 2. de auxiliis diſp. 115. n. 12. Dicunt, quòd propoſitio modalis tunc facit ſenſum compoſitum, qoando dictum ſubiicitur, & modus prædicatur, vt in hac (prædeſtinatum damnari eſt impoſſibile: vel eſt impoſſibile prædeſtinatum damnari:) ſiue enim modus totaliter præponatur, ſiue poſtponatur dicto, habet rationem prædicati. Facit verò ſenſum diuiſum, quando modus interponitur partibus dicti, vt (prædeſtinatum poſſibile eſt damnari, vel poteſt damnari, vel poſſibiliter damnatur:) ſic enim modus non eſt integrum prædicatum, vt in modali compoſita: hæc diſtinctio in toto rigore logico eſt vera, cùm enim in propoſitione modus eſt integrum prædicatum; tunc totum dictum eſt ſubiectum, & conſequenter de omnibus partibus eius ſimul iunctis, & per modum vnius prædicatur ipſe modus: vnde ſenſus eſt, illa duo ſimul eſſe compoſſibilia in eodem ſubiecto, quòd eſt eſſe ſenſum compoſitum: quando autem modus interſeritur partibus dicti; tunc quaſi disiungit prædicatum à ſubiecto, & iuxta regulas appellationis facit quòd prædicatum applicet ſuum ſignificatum formale ſupra materiale ſubiecti, in quo conſiſtit ſenſus diuiſus: vnde in toto rigore iſta eſt concedenda (prædeſtinatum damnari eſt impoſſibile:) iſta verò neganda (prædeſtinatum eſt impoſſibile damnari.)

AD maiorem horum euidentiam ſciendum eſt, quòd aliquando extrema dicti ſignificant actum ſecundum, ſiue actionem; & tunc modalis compoſita vnit illas duas actiones ſimul. Aliquando extrema dicti ſignificant tantùm potentias, & tunc modalis compoſita vnit illas duas potentias. Aliquando denique extrema dicti ita ſe habent, vt vnum ſignificet actum, aliud potentiam, & tunc modalis compoſita vnit illum actum cum illa potentia: quando igitur eſt iocompoſſibilitas vel inter potentias, vel inter actus, vel inter actum & potentiam; tunc modalis compoſita eſt falſa & neganda: vnde iſta eſt falſa (voluntas à Deo præmota auxilio efficaci diſſentire poteſt, vel eſt poſſibile: nam ſenſus eſt actualem præmotionem efficacem, & actualem diſſenſum poſſe eſſe ſimul, quod eſt falſum: iſta autem eſt vera & concedenda (voluntatem præmotam à Deo auxilio efficaci poſſe diſſentire eſt poſſibile:) oam ſenſus illius eſt præmotionem actualem poſſe eſſe ſimul cum potentia diſſentiendi, quod eſt veriſſimum. Hæc ſunt quæ docent Thomiſtæ de ſenſu compoſito & diuiſo; quamuis aliqui aliud eis imponant: Ita D. Thom. quæſt. 23. de veritate art. 1. ad 3.

CIRCA veritatem aut falſitatem modalis diuiſuæ; non eſt magna difficultas: nam io ea modus modificat copulam; & vt in propoſitione de ineſſe, remanet idem ſubiectum & prædicatum, & ideo ferendum eſt idem iudicium de iſtis modalibus ac de ſimplicibus; modalis verò

compoſita habet ſpecialem difficultatem, quia in ea modus eſt integrum prædicatum, & dictum eſt integrum ſubiectum: vnde dicendum, quòd ſicut in propoſitione ſimplici affirmatio, vel negatio conſideratur ex principali copula: ſic in modali compoſita attenditur affirmatio & negatio ex copula, quâ modus vnitur cum dicto tanquam eius prædicatum; & ideo quando modus eſt negatus, propoſitio modalis eſt abſolutè & rigorosè negatiua: licèt dictum ſit affirmatiuum, & econtra: tamen, quia dictum eſt pars propoſitionis modalis: ideo ex eius negatione vel affirmatione propoſitio dicitur vel negatiua vel affirmatiua ſecundùm quid; & ita quando dictum eſt affirmatiuum, & modus negatus, ſolet propoſitio modalis dici affirmatiua de dicto, & negatiua de modo, & econtra.

Eodem modo iudicandum eſt de quantitate iſtarum propoſitionum: ita vt illa dicatur abſolutè vniuerſalis, cuius modus eſt vniuerſalis: quamuis dictum ſit particulare; & illa abſolutè particularis, cuius modus eſt particularis, licèt dictum ſit vniuerſale: dicitur tamen vniuerſalis vel particularis ſecundùm quid ratione dicti; & ita diſtinguitur vniuerſalis de modo, & particularis de dicto, vel econtra. Ex his autem modis (neceſſe) eſt vniuerſalis affirmatiuus correſpondens ſigno, omnis; [impoſſibile] eſt modus vniuerſalis negatiuus correſpondens ſigno, nullus; [poſſibile vel contingens] eſt modus particularis affirmatiuus correſpondens ſigno, aliquis; [poſſibile non, aut contigens non] eſt modus particularis negatiuus correſpondens ſigno, aliquis non, quod exprimitur ſequentibus verſiculis.

Omnis neceſſe valet, impoſſibile nullus,
Poſſibile quidam, quidam non poſſibile non.

Omnis propoſitio modalis vera, eſt neceſſaria: falſa autem, eſt impoſſibilis: vt (Petrum currere eſt contingens) eſt propoſitio vera & neceſſaria: quia neceſſarium eſt, quòd currere conueniat Petro contingenter. Ratio dimitur ex natura propoſitionis modalis, quæ non ſolùm exprimit prædicatum conuenire ſubiecto, ſed etiam modum proprium, quo illi conuenit: vnde ſi eſt vera, eſt neceſſaria; ſi falſa, eſt impoſſibilis. Dicitur autem modalis (de poſſibili) vera, quando ſua de ineſſe eſt poſſibilis: dicitur falſa, quando non eſt poſſibilis: modalis de impoſſibili) dicitur vera, quando ſua de ineſſe eſt impoſſibilis: modalis de (neceſſe) eſt vera, quando ſua de ineſſe eſt neceſſaria; falſa verò, quando ſua de ineſſe non eſt neceſſaria.

Articvlvs II.

De Proprietatibus propoſitionis modalis.

Cvm iſti modi æquiualeant ſignis propoſitionum ſimplicium: ideo in propoſitionibus modalibus eædem repetiantur proprietates, quæ in ſimplicibus; ſcilicet, Oppoſitio, Æquipollentia & Conuerſio; & idem debet proportionaliter ferri iudicium de iſtis ac de illis: vnde (neceſſe & impoſſibile) ſunt contraria, & ſic de aliis, vt in ſequenti tabula exprimetur, & eædem regulæ expreſſæ in verſu.

Præ contradic. Poſt contra. Præ, Poſtque ſubalter.


Ad eorum æquipollentiam obſeruandæ ſunt, vt etiam parebit in ſequenti tabula; cum hac tamen aduertentia, quòd in propoſitionibus modalibus; tunc anteponitur negatio, quando negatur modus; tunc verò poſtponitur, quando negatur dictum; tunc autem anteponitur & poſtponitur, quando vtrumque negatur.

Vt facilè pateret, quæ propoſitiones modales ſint æquipollentes, & quæ oppoſitæ, & quo genere oppoſitionis, adinuenta ſunt quatuor ſequentia vocabula, ſcilicet Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli, in quibus ſunt quatuor vocales, A. E. I. V. ex quibus A denotat propoſitionem modalem affirmatiuam de dicto & de modo. V. negatiuam de dicto & de modo. I. affirmatiuam de dicto & negatiuam de modo. E. negatiuam de dicto & affirmatiuam de modo. Quod exprimitur hoc verſu.

E. dictum negat. I. que modum. nihil A. ſed V. totum.

Inſuper quodlibet ex his quatuor vocabulis habet quatuor vocales; prima in vnoquoque indicat propoſitionem de poſſibili, ſecunda propoſitionem de contingenti, tertia de impoſſibili, quarta de neceſſe.

Omnes propoſitiones, quæ ſunt in Purpurea & Iliace, opponuntur contrariè. Quæ in Amabimus & Edentuli, opponuntur ſubcontrariè. Quæ in Purpurea & Edentuli, ac ſimiliter quæ in Iliace & Amabimus, opponuntur contradictoriè. Denique quæ ſunt in Purpurea & Amabimus, & quæ in Iliace & Edentuli, opponuntur ſubalternè. Omnes autem propoſitiones cuiuſlibet vocabuli ſunt inter ſe æquipollentes, quæ omnia in ſubiecta figura patent.



Ad euidentiam huius figuræ quædam obſeruanda ſunt. Primum, quòd quando dictum eſt commune: vt oppoſitio & æquipollentia rectè fiant, dictum propoſitionis (de neceſſe) in quocumque rotulo non debet habere eamdem quantitatem, ac aliæ tres propoſitiones in illo contentæ: ſed ſi dictum aliarum eſt particulare; dictum propoſitionis (de neceſſe) ſit vniuerſale, vel econtra: alioquin in rotulis contradictoriis dabuntur duæ contradictoriæ ſimul veræ, vt in (Purpurea) neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem, & (Edentuli) poſſibile eſt aliquod animal non eſſe hominem: in quacumque autem mutetur quantitas dicti, vna erit vera, altera falſa.

Secvndvm obſeruandum eſt, quòd vt fiat oppoſitio in modalibus diuerſis, debet mutari quantitas modorum; vt ſcilicet in vna ſit vniuerſalis, & in alia particularis: vt Petrus neceſſariò eſt homo, eius contradictoria eſt, Petrus poſſibiliter non eſt homo: ſed quando modalis diuiſa eſt de ſubiecto communi, debet mutari quantitas dicti, vt omnis homo neceſſariò eſt animal, eius contradictoria eſt, aliquis homo poſſibiliter non eſt animal.

Tertivm obſeruandum eſt, quòd loquendo generaliter, conuerſio reperitur in modalibus tam compoſitis quàm diuiſis ratione dicti, non ratione modi ſecundùm regulas generales conuerſionis; vnde modus non variatur, niſi in modali (de neceſſe) quando ſubiectum dicti eſt aliquod concretum accidentale; tunc (neceſſe) debet mutari in [poſſibile] alioquin antecedens erit verum, & conſequens falſum: vt Philoſophus neceſſariò eſt homo, non valet: ergo homo neceſſariò eſt Philoſophus; ſed valet: ergo homo poſſibiliter eſt Philoſophus. Ratio D. Th. opuſc. 48. tractatu de ſyllogiſmo eſt, quia ſæpè vna res ex natura ſua poſtulat vniri alteri rei, cùm tamen hæc altera non neceſſariò petat cum priori coniungi.

Vltimvm obſeruandum eſt, quòd quando modi ſunt negatiui, & dictum eſt vniuerſale affirmatiuum, non poteſt propoſitio modalis conuerti: ſi ſubiectum dicti ſit ſuperius prædicato: non enim ſequitur ex hac: omne animal eſſe hominem eſt impoſſibile: ergo aliquem hominem eſſe animal eſt impoſſibile.

Articvlvs

Articvlvs III.

De essentia, & speciebus propositionis expontbilis.

Illa Propositio dicitur expooibilis, quæ facit sensum obseurum, ratione alicoius in ea inclusi: & ideo indiget exponi per aliam propositiooem clariorem, quæ dicitur exponens, alia verò expooibilis.

Inter has primo loco numerantur propositiooes exclusioæ, quæ scilicet modificantur aliquâ dictione exclusiuâ, cuiusmodi sunt solùm, tantùm, dumtaxat &c. si talis dictio applicetur subiecto efficit totam propositionem absolutè exelusiuam: vnde excludit omnia alia subiecta à participatiooe prædicati, vt tantùm bomo est rationalis: sic exponitur, homo est rationalis, & nihil aliud ab bomine est rationale: si autem dictio exclusiua applicetur prædicato, tunc dicitur propositio de excluso extremo, & excludit à subiecto omoia alia prædicata, vt Angelus est rantùm spiritus; sic exponitur: Angelus est spiritus, & noo est aliquid aliud: aliquando tamen istæ dictiones exclusioæ oon ita rectè applicantur, cui debent, scilicet subiecto vel prædicato: vnde ex antecedentibus & coosequentibus colligendus est seosus; nunquam tamen excluduot ab illo, cui applicantur ea quæ illud necessariò coocomitantur.

Secvndvm genus propositionum exponibiliom est illud, in quo propositiones afficiuntur dictione exceptioâ, vt [præter] aut simili & vocantur exceptiuæ; quia aliquid ex aliquo communi distributo excipiunt: vnde non est propria exeeptio, si noo sit talis distributio; sicut in ista, homo est albus præter Petrum. Istæ propositiooes optimè expoouotur, si loco dictionis [præter] ponatur [excepto] ista enim, omoe animal præter hominem est irrationale, sic beoe exponitur, omne aoimal excepto bomine est irrationale: vel per copulam implicationis negatiuam; vt omne animal qood ooo est homo, est irrationale.

Tartivm geous est illatum propositionum, quæ duplicatum habent subiectum vel prædicatum, propter aliquam dictionem illud duplicantem; & istæ reduplicatiuæ dicuntur: dictiones autem reduplicantes suot [vt, ioquantum, quatenus, quâ ratiooe, secundùm quòd &c.] quæ possunt sumi vel specificatiuè vel reduplicatiuè: tuoc sumuotur reduplicatiuè, quando reduplicant causam, cur prædicatum conueniat subiecto: vt, homo inquantum rationalis est risibilis, inquaotum albus disgregat visum. Et istæ optimè exponuntur per causalem: vt, quia homo est rationalis, est risibilis; quia est albus disgregat visum: sumuntur autem specificatiuè, quando reduplicant rationem formalem, cui adæquatè conuenit prædicatum; quæ tamen noo est causa eius; vt, ens inquantum ens, est obiectum Metaphisicæ; hîc enim noo significatur causa, sed natura, cui adæquatè conuenit prædieatum: & istæ non exponuntur per causalem, sed aliqualiter per conditionalem: vt, si est ens, est obiectum Metapbisicæ. Notandum tamen est qubd ly [secundùm] aliquando nec sumitur reduplicatiuè, nec specificatiuè; sed quasi diminutiuè: vt, Æthiops est albus secundùm vel quantùm ad dentes: ibi enim nulla ratio formalis reduplicatur; sed attributum quod poterat conuenire toti homini, dimiouitur ad aliquam partem: circa quod D. Thom. 3. part. quæst. 16. art. 8. dicit quòd illa quæ indifferenter possunt coouenire toti aut parti, aut est dubium cui conueniant: si in sola parte inueniantur, non possunt absolutè denominare totum: vnde non dicitur Æthiops esse albus: illa verò, quæ non conueniunt toti, & Indubitatum est oon posse illi conuenire nisi ratione partis, simpliciter attribuuotur toti: dicitur enim simpliciter Petrus esse Crispus: quia non potest alicui conuenire esse Crispum, nisi per capillos: & propter hanc rationem concludit D. Th. qoòd illa absolutè sunt attribuenda Chiisto, quæ non possont conuenire personæ Christi, nisi ratione humanitatis; vode verè dicitur Christus, aut Deus passus, mortuus &c. Similiter quoque illa, quæ conueniunt Cbristo solùm ratione personæ, & oullo modo possunt conuenire ratione naturæ assumptæ, simpliciter & absolutè de illo dicuntur: vt, Christus est Deus: illa autem de quibus potest suspicari an coouenîant Cbristo, vel ratione solius bumanitatis, vel etiam ratione personæ, noo tribuuntur Christo absolutè sed eum limitatione vel diminutione: vt, Christus est creatura, vel incœpit esse, vel est minor patre; addendum est secundùm humanitatem, ne cum hæreticis conuenire videamur.

Articvlvs IV.

De Propositione futuri contingentis.

Dificilis admodom est materia de futuris contiogentibus, & ad Theologos translata: de illa quippe agunt in tractatu de auxiliis, vel de scientia Dei; propterea non videtur esse præsentis instituti de illa agere: quamuis non desint aliqui, qui se in illa maximè diffundant: vnde relictis pro nunc futuris cootingentibus quantùm ad rem ipsam: aliquid de ipsa proportione futuri contiogentis dicetur.

Aristotales cap. 9. huius libri de interpretatione; vel secundùm aliam translationem cap. 6. primi libri de interpretatione, docuit propositiooes de futuro contingenti uon habere determioatam veritatem aut falsitatem: quod debet intelligi secundùm se & antecedenter ad decretom diuinum: quæ doctrina fuoditus eradicat scientiam quam eius assertores voeant mediam, qoâ dicunt Deum ante omne decretum liberum suæ voluotatis cognoscere futura contingentia: vnde bi authores io præseoti arguuot Aristotelem tanquam sibi cootrarium vt erroneum & fidei repugnantem.

Sed his prætermissis dicendum quòd doctrina antiqua Aristotelis, non fidei, sed eorum opinioni tantùm est contraria: vnde fixa maneat, cùm in schola D. Thom. sit receptissima & indubitata. Hanc docet Angelicus Doctor coto suis Discipulis io hunc locom lect. 13. & in 1. d. 38. quæst. 1. art. 5. ad 2. vbi hæc habet: *Futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam.* Item q. 16 de malo art. 7. vbi sic ait: *Quia vnumquodque cognoscitur secundùm quòd est in actu, non autem secundùm quòd est in potentia*; Vt dicitur in 9. Metaphisicæ: vnde est quòd ea quæ sunt ad vtrumlibet, non possunt præcogoosci in suis causis determinatè, sed sub disiunctione, vtpote quia erunt vel non erunt, sic enim babent veritatem &c. Item qoæst. 2. De veritate art. 12. vbi sic docet: *Ex quo patet contingens vt futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit*: Vode impossibile est, quòd de futuris contingentibus scientiam haberet Deus, si cognosceret ea vt futura sunt. Idem docet infinitis penè aliis locis, vt ibidem ad 6. item 1. part. quæst. 14. art. 13. item lib. 1. contra gentes cap. 67. & alibi: videaotur de hoc Thomistæ, Aluares 2. de auxiliis disp. 7. & lib. 8. respons. cap. 5. Ledesma de auxiliis parte 2. Naoartete, Nazarius, Goosales 1. part. loco citato & alij, sed hæc sufficiant in præsenti, alibi de ipsis futuris contingentibus diffusiùs agetur.

LIBRI
DE PRIORI ANALYSI
SIVE
DE ARGVMENTATIONE.

Summma Textus.

IN his duobus libris agit Aristoteles de secundis intentionibus, quibus dirigitur tertia mentis operatio. Vocantur de priori analysi, siue de priori resolutione: quia in illis agitur de resolutione argumentorum ex parte formæ, quæ est prior materia, probando scilicet formam argumentationis vel syllogismi esse bonam, aut immediatè per prima principia, sicut probantur quatuor modi perfecti, aut per reductionem ad illa. Agitur ergo in his libris de Syllogismo, de triplici eius figura, & varijs vniuscuiusque modis, de reductione imperfectorum ad perfectos, de arte inueniendi medium &c. Liber primus continet quadraginta sex capita; Secundus autem, in quo etiam agitur de alijs speciebus argumentationis, continet viginti septem.

QVÆSTIO XVIII.

De Argumentatione ac eius speciebus.

QVIA argumentatione dirigitur tertia mentis operatio, postquam Philosophus in præcedentibus libris egit de his quibus dirigitur prima & secunda mentis operatio: vt Logicam ad debitum finem, qui est dirigere mentis operationes, perducat; in his & sequentibus libris agit de argumentatione, primò, ratione formæ, deindè ratione materiæ: circa argumentationem autem secundùm se quæruntur tria.

¶ Primò, quid, & quotuplex sit argumentatio.
¶ Secundò, quid sit inductio.
¶ Tertiò, quid, & quotuplex sit syllogismus.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit Argumentatio.

ARGVMENTATIO est oratio explicans illationem vnius ex alio, siue in qua vnum ex alio inferri denotatur. Communiter diuiditur argumentatio in formalem & materialem, cuius diuisionis est duplex expositio. Prima est illorum, qui dicunt per argumentationem formalem intelligi eam, cuius consequentia est bona, siue cuius consequens legitimè infertur ex antecedente: materialem verò eam, cuius consequentia est mala, siue cuius consequens non infertur ex antecedente, licèt tam consequens quàm antecedens sint vera; vt Petrus est substantia: ergo est animal; ex quo patet materialem non esse argumentationem, nisi impropriè: cum in ea non sit propriè illatio. Secunda expositio est illorum, qui eam vocant argumentationem formalem, in qua consequens sequitur ex vi artificij siue dispositionis, quæ est in antecedente, & est quando nullus terminus reperitur in consequente, qui non fuerit in antecedente, licèt aliquis fuerit in antecedente, qui non est in consequente: & in hoc maximè consistit forma argumentationis: & ita dicitur argumentatio formalis: argumentatio verò materialis est illa, in qua licèt sit bona consequentia, siue rectè inferatur consequens ab antecedente: tamen non infertur ex vi dispositionis terminorum, qui sunt in antecedente: nam in consequente est aliquis terminus, qui non fuit in antecedente: & iuxta hanc expositionem solus syllogismus est argumentatio formalis, aliæ species sunt argumentationes materiales.

PROPRIE & rigorosè loquendo sunt tantùm duæ species argumentationis, videlicet syllogismus & inductio: enthymema verò differt à syllogismo, sicut imperfectum à perfecto intra eamdem speciem, sicut & exemplum ab inductione: ita Aristoteles lib. 2. priorum cap. 23. vbi sic ait: *Rerum omnium facimus fidem aut syllogismo aut inductione.* Item 1. poster. cap. 1. vbi postquam dixit Dialecticos vti syllogismo & inductione subdit: *Postremò & oratores hanc probando rationem sequuntur; aut enim exemplis, quæ inductiones; aut enthymematibus, quæ ratiocinationes sunt, probant.* Supra quem locum ait D. Thom. lect. 1. *Vnde patet quòd sicut enthymema est quidam syllogismus detruncatus, ita exemplum est quædam inductio imperfecta*: Ex quo loco clarè patet quòd enthymema habet eamdem dispositionem antecedentis, ac syllogismus; cum imperfectione tamen, quia vna præmissa subintelligitur: exemplum etiam eodem modo procedit ac inductio, vt patet, sed ab eius perfectione deficit: quia ob debilitatem antecedentis singularis, solùm aliud singulare colligit: si verò in antecedente ponerentur alia singularia, colligeret vniuersale, & esset perfecta inductio.

QVOD autem syllogismus & inductio essentialiter inter se distinguantur, patet ex eodem Aristotele hîc libro 1. cap. 19. de inductione; vbi sic ait: *Inductio ratiocinationi contraria est aliquo pacto: hæc enim ex medio probat extremum in tertio: illa verò ab extremo confirmat tertium in medio: naturâ igitur antecedit, & est notior ea ratiocinatio, quæ per medium efficitur: ratione nostrî magis est perspicua, quæ fit per inductionem*: Ex quo loco patet syllogismum procedere à toto ad partes, siue ab vniuersalioribus ad magis particularia, & consequenter à notioribus naturâ: inductio autem procedit à partibus ad totum, & à magis particularibus ad vniuersaliora, & consequenter à notioribus nobis: vnde sunt tantùm duæ propriæ species argumentationis specificè distinctæ: aliæ verò ab istis modo explicato tantùm defi-

nitione

nitione accidentali distinguuntur: dicuntur tamen species argumentationis, quia aliquid concludunt; & possunt reduci ad perfectas species.

Articvlvs II.

Quid sit Inductio.

CVm sint tantùm duæ species propriæ argumentationis, vt dictum est, ad quas aliæ reducuntur; ideo de bis agendum: priùs tamen & breuiter de inductione, vt fusiùs postea de syllogismo agatur.

Indvctio rigorosè & absolutè loquendo, non distinguitur essentialiter à syllogismo per hoc, quòd syllogismus descendat ab vniuersali ad particularia; inductio verò ascendat à particularibus ad vniuersalia: quia licèt hoc ordinariè ita sit: tamen non semper est; quia iam ascensus, quàm descensus reperiuntur in inductione: sed essentialiter distinguũtur à peculiari forma & dispositione vtriusque, vt constat ex verbis adductis Philosophi: nam in syllogismo maius & minus extremum vniuntur cum medio in præmissis, in conclusione verò vniuntur inter se ex vi vnionis ipsorum cum medio: vnde in syllogismo est medium vniens extrema: in inductione verò non dantur propriè extrema vnita, quæ priùs vniantur in aliquo medio; sed loco plurium terminorum singularium, qui erant in antecedente, ponitur in consequenti terminus communis æquiualens illis: vt Petrus est rationalis & Paulus & sic de aliis: ergo omnis bomo est rationalis: vel loco termini communis, qui est in antecedente, ponuntur in consequente termini inferiores æquiualentes, quod est descendere: vt omnis homo est rationalis: ergo Petrus est rationalis & Paulus &c. vnde dispositio inductionis propriè consistit in boc, quòd ponatur in consequẽte propositio æquiualens antecedenti absque eo artificio, quod repetitur in syllogismo, & in boc sita est eius essentialis ratio & differentia: licèt sit alia differentia assignata à Dialecticis, scilicet quòd inductio procedit à particularibus ad vniuersalia; syllogismus econtra ab vniuersalibus ad particularia, quia ordinariè ita succedit: sed non semper; nam inductio aliquando ab vniuersali probat omnia particularia, & syllogismus aliquando vtitur medio æquali, & aliquando inferiori, vt patet in expositorio. Inductio eodem modo procedit, siue ascendendo siue descendendo; quando fit ascendendo, dicitur ascensus siue inductio; quando verò descendendo: dicitur descensus siue reductio: quamuis communi vsu loquendi semper dicatur inductio. Quomodo autem faciendus est iste ascensus vel descensus; videantur quæ dicta sunt supra in fine de suppositione.

Articvlvs III.

Quid, & quotuplex sit syllogismus.

DEfinitvr Syllogismus ab Aristotele hîc l.1.c.1. sub nomine argumentationis sic; *Est oratio, in qua nonnulla ita ponuntur, vt diuersum quid ab his necessariò efficiatur; quia ea ita sint.* Vnde syllogismus ob medium, quod in se habet, in quo vniuntur extrema, concludit vnionem extremitatũ inter se, neque indiget alio termino in conclusione, quem non habeat in præmissis, quod non habet inductio; & hoc significat Philosophus loco citato sequentibus verbis: *Quod postremò indicat propter illa hoc effici; hoc verò est nullo termino egere externo, vt necessaria sit consecutio.*

Syllogismvs, sicut & quælibet alia res creata composita, habet quatuor causas, scilicet efficientem & finalem, materialem & formalem: causa efficiens & finalis sunt extrinsecæ; aliæ intrinsecæ: Causa efficiens syllogismi est solus intellectus humanus, qui discurrendo format eum, & propterea appellatur actus rationis, id est, operatio intellectus ratiocinantis. Causa finalis est cognitio vel notitia conclusionis ignotæ; adhoc enim ratiocinamur, vt veniamus in cognitionem illius, quod ponitur in conclusione. Causa materialis est duplex, proxima & remota: Remota, sunt termini, qui vocantur medium, maius extremum & minus extremum: medium bis in præmissis repetitur, & est ratio vnionis inter alios duos; maius extremum est illud, quod in maiori iungitur cum medio; minus extremum est illud, quod in minori propositione iungitur cum eodem medio. Materia proxima sunt tres propositiones, quæ necessariò repetiuntur in syllogismo, & componuntur ex prædictis terminis; prima dicitur absolutè propositio, vel maior; ex eo quòd in ea sit maius extremum: secunda dicitur assumptio, siue minor; ex eo, quòd in ea sit minus extremum; & ambæ dicuntur præmissæ: quia præmittuntur conclusioni, quæ est tertia propositio ex ipsis genita. Causa formalis syllogismi est illa dispositio propositionum, in qua est virtus & potestas inferendi & deducendi conclusionem: hæc forma siue dispositio est duplex, prima correspondet terminis, & dicitur figura syllogismi, quæ sic definitur; est apta dispositio terminorum secundùm subiectionem vel prædicationem; secunda correspondet propositionibus, & dicitur modus, qui sic definitur; est ordinatio propositionum secundùm quantitatem & qualitatem, siue secundùm affirmationem & negationem, vniuersalitatem & particularitatem: sed de his paulò inferiùs.

Dividitvr Syllogismus 1. ratione materiæ proximæ in affirmatiuum & negatiuum: affirmatiuus est cujus conclusio est affirmatiua: negatiuus autem cuius conclusio est negatiua.

Dividitvr 2. in categoricum & hypotheticum: categoricus est ille, cuius omnes propositiones sunt categoricæ: bypotheticus autem, cuius omnes, vel saltem aliqua propositio est hypothetica: attendatur in hoc vis illationis iuxta dicta de propositione bypothetica.

Dividitvr 3. in demonstratiuum, probabilem, & sophisticum siue apparentem. Demonstratiuus, qui & demonstratio, componitur ex propositionibus necessariis. Probabilis ex probabilibus. Sophisticus ex apparentibus veris: cum tamen sint falsæ. Solent etiam appellari Posterioristicus, Topicus & Elenchus: quia de illis agit Aristoteles in libris Posteriorum, Topicorum & Elenchorum.

Dividitvr 4. ratione materiæ remotæ in rectum & obliquum: rectus est ille, cuius omnes termini ponuntur in recto: obliquus verò, quia constat aliquo termino obliquo; si in hoc syllogismo obliquo sit aliqua difficultas, propositiones fiant in recto, & tunc apparebit bonitas vel defectus consequentiæ.

Dividitvr vltimò ratione eiusdem materiæ remotæ in communem & singularem, siue expositorium. Communis est ille cuius medium est terminus communis: Singularis verò est ille, cuius medium est terminus singularis, & dicitur expositorius, siue sensibilis demonstratio, quia ad sensum explicat vnionem extremorum inter se, propter vnionem quæ percipitur eorum cum medio; & licèt possit fieri in qualibet figura, seruatâ affirmatione vel negatione modorum: tamen tertia est magis idonea: quia medium in ea subiicitur, & est proprium termini singularis esse subiectum propositionis.

Circa hoc notandum est, quòd sicut in syllogismo communi, vt rectè concludat, medium debet verè esse commune & distributum; ita in syllogismo expositorio medium debet esse omnino singulare & incommunicabile: quòd si contingat aliquod singulare esse communicabile multis, vt de facto est natura diuina; tunc habet rationem termini communis, & syllogismus cuius erit medium, non erit propriè expositorius: sed æquiualebit communi ex puris particularibus; ex quibus in quacumque figura nihil sequitur ex vi illationis, vt postea dicetur: vnde nulla est consequentia huius argumenti: Hæc essentia diuina est Pater: hæc essentia diuina est filius: ergo in diuinis filius est Pater: & boc propter communicabilitatem diuinæ essentiæ siue na-

turæ, quæ habet idcirco vim termini communis, licèt singulariter designetur.

QVÆSTIO XIX.

De Tribus Figuris Syllogismi, earúmque regulis.

QVIA potest esse triplex combinatio medij cum extremis (in qua combinatione est ratio figuræ) ideo est triplex figura: nam medium, vel subiicitur in maiori, & in minori prædicatur; & est prima figura: vel in vtraque prædicatur; & est secunda figura vel in vtraque subiicitur; & est tertia figura: quod sequens versus declarat.

Sub, Præ, Prima. Secunda bis Præ. Tertia bis sub.

Circa hæc quæruntur tria.

¶ Primò, de tribus Figuris Syllogismi, earumque modis.

¶ Secundò, de regulis communibus trium figurarum.

¶ Tertiò, de specialibus regulis vniuscuiusque figuræ.

ARTICVLVS I.

De tribus Figuris Syllogismi, earumque modis.

TRES sunt figuræ, vt dictum est, quæ resultant ex varia combinatione medij cum extremis: in vnaquaque autem sunt varij modi argumentandi vtiles. In prima figura sunt nouem, ex quibus quatuor primi sunt directi, alij quinque indirecti, ideo sic vocati, quia in eis conclusio non est directa; in illa siquidem minus extremum concluditur de maiori: & sic efficit propositionem indirectam; quia inferius prædicatur de superiori. In secunda figura sunt quatuor modi. In tertia verò sex: omnes autem exprimuntur quatuor sequentibus versibus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

CIRCA prædicta vocabula notandum est, quòd quodlibet ipsorum constat tribus syllabis (aliæ enim, si sint plures, ponuntur solùm ratione carminis) prima significat maiorem; secunda minorem, tertia conclusionem. Denotat etiam quælibet syllaba quantitatem & qualitatem illius propositionis, cui correspondet, per vocalem ex qua constatur: in istis quippe vocabulis reperiuntur istæ quatuor vocales A. E. I. O. non quidem omnes in vno, sed quædam in vno, quædam in alio, quarum significatio est ista. A. significat propositionem debere esse vniuersalem affirmatiuam. E. vniuersalem negatiuam. I. particularem affirmatiuam. O. particularem negatiuam, quod his versibus exprimitur.

Asserit A. negat E. sed vniuersaliter ambæ.
Asserit I. negat. O. sed particulariter ambo.

OMNES consonantes initiales istorum vocabulorum sunt B.C.D.F. quid autē significent, sicut & istæ S.P.M.C. quæ in medio quorumdam vocabulorum reperiuntur, explicabitur quando agetur de reductione Syllogismorum à modis secundæ & tertiæ figuræ, & à modis imperfectis primæ, ad perfectos eiusdem primæ figuræ.

IN prima figura sunt tantùm quatuor modi directè concludentes, in quorum scilicet conclusione maius extremum prædicatur de minori, quod ei conuenit naturaliter: alij autem modi sunt indirecti, quia in eorum conclusione minus extremum prædicatur de maiori, quod est contra naturam. In aliis etiam figuris possunt esse modi indirecti, quando scilicet conclusio modorum est conuertibilis, per eius conuersionem possunt fieri modi indirecti: vnde illi modi, qui habent conclusionem particularem negatiuam, cùm non sit conuertibilis, non possunt indirectè concludere: quia, vt patet, minor extremitas distribueretur in conclusione; cum tamen non esset distributa in præmissis: modi autem vtiles trium figurarum sunt sequentes: de inutilibus enim ob defectum alicuius regulæ, hîc non agitur.

Modi Primæ Figuræ.

Bar-	Omne animal est substantia
ba-	Omnis homo est animal: ergo
ra	Omnis homo est substantia.
Ce-	Nullum animal est arbor
la-	Omnis homo est animal: ergo
rent	Nullus homo est arbor.
Da-	Omne animal est sensibile
ri-	Aliquis leo est animal: ergo
j	Aliquis leo est sensibilis.
Fe-	Nullum animal est arbor
ri-	Aliquis homo est animal: ergo
o	Aliquis homo non est arbor.
Ba-	Omne animal est substantia
ra-	Omnis homo est animal: ergo
lipt.	Aliqua substantia est homo.
Ce-	Nullum animal est arbor
lan-	Omnis homo est animal: ergo
tes	Nulla arbor est homo
Da-	Omne animal sentit
bi-	Quidam leo est animal: ergo
tis	Quoddam seotiens est leo.
Fa-	Omne animal est substantia
pes-	Nulla arbor est animal: ergo
mo	Aliqua substantia non est arbor.
Fri-	Aliquis homo est animal
se-	Nulla arbor est homo: ergo
som.	Aliquod animal non est arbor.

Modi Secundæ Figuræ.

Ce-	Nullum vitium est virtus
sa-	Omnis sapientia est virtus: ergo
re	Nulla sapientia est vitium.
Ca-	Omnis sapientia est virtus
mes-	Nullum vitium est virtus: ergo
tres	Nullum vitium est sapientia.
Fe-	Nullum vitium est virtus
sti-	Aliqua sapientia est virtus: ergo
no	Aliqua sapientia non est vitium.
Ba-	Omnis sapientia est virtus
ro-	Aliquod vitium non est virtus: ergo
co	Aliquod vitium non est sapientia.

Modi Tertiæ Figuræ.

Da-	Omnis homo est rationalis
ra-	Omnis homo est animal: ergo
pti	Aliquod animal est rationale
Fe-	Nullus homo est equus
la-	Omnis homo est animal: ergo
pton	Aliquod animal non est equus
Di-	Aliquis homo est animal
sa-	Omnis homo est rationalis: ergo
mis	Aliquod rationale est animal
Da-	Omnis homu est animal
ti-	Aliquis homo est albus: ergo
si	Aliquod album est animal.
Bo-	Aliquis homo non est equus
car-	Omnis homo est animal: ergo
do	Aliquod animal non est equus.

Nullus

Fe- Nullus homo est equus
ri- Aliquis homo est albus: ergo
son Aliquod album non est equus.

PRIMA figura est nobilior aliis, quia in ea medium habet propriam sedem, situm & positionem medij, & verè mediat, quia in vna propositione subiicitur, & in alia prædicatur. Secunda est nobilior tertiâ, quia in ea medium habet nobiliorem locum in propositione, cùm sit prædicatum. Tertia denique, cùm in ea medium teneat infimum locum in propositione, est enim in vtraque subiectum, est omnium infima. Ita Aristoteles hîc 1. priorum cap. 1. vbi sic ait: *Medium in prima figura esse positione medium. In secunda positione primum. In tertia verò positione vltimum.*

ARTICVLVS II.

De Regulis communibus trium figurarum.

TOTA ratio Syllogistica fundatur in his duobus principiis. Primum est, quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: id est quando aliqua vniuntur perfectè & adæquatè cum vno medio, necessariò vniuntur inter se; & hoc principium deseruit pro Syllogismis concludentibus affirmatiuè: pro concludentibus verò negatiuè deseruit hoc secundum, quæcumque sunt eadem inter se perfectè & adæquatè, si vnum illorum distinguatur ab aliquo tertio, necessariò & aliud distinguitur: & hæc principia sunt per se nota, quia fundantur in hoc primo principio naturaliter noto, Quodlibet est, vel non est; super ista duo principia fundantur alia duo valde vsitata, quæ distinguuntur tantùm ab illis, per hoc quòd ista ordinantur ad prædicari; præcedentia verò ad esse: hæc autem principia sunt dici de omni, & dici de nullo.

DICI de omni, facit hunc sensum. Quidquid affirmatur de subiecto vniuersaliter accepto, affirmatur etiam de quocumque contento sub tali subiecto, vt quia animal affirmatur de homine vniuersaliter, affirmatur etiam de omni eo, cui competit esse hominem.

Dici de nullo, facit hunc sensum. Quidquid negatur de subiecto vniuersaliter accepto, negatur etiam de quocumque contento sub tali subiecto: vt quia lapis negatur vniuersaliter de homine; negatur etiam de omni eo, cui competit esse hominem. Ex his principiis probantur omnes Syllogismi, & deriuantur sequentes regulæ ad iudicandum de bonitate consequentiæ in vnaquaque figura.

PRIMA regula. Si medius terminus non distribuatur in vna saltem præmissarum, nihil sequitur: quia tunc non perfectè coniungitur extremis, nec disiungitur ab extremis, nec reperitur in Syllogismo dici de omni, vel dici de nullo (hîc autem non est sermo de Syllogismo singulari vel expositorio) ex hoc sequitur alia regula, scilicet, quòd ex puris particularibus nihil sequitur in quacumque figura ex vi illationis; vnde nulla est ista consequentia. Aliquis homo est animal, aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo: ratione tamen materiæ aliquando sequitur; vt, aliquod animal est substantia, aliquis homo est animal: ergo aliquis homo est substantia.

SECVNDA regula. Nullus terminus debet distribui in conclusione, qui non fuerit distributus in præmissis. Ratio est, quia nihil debet esse in conclusione, quod excedat virtutem præmissarum: si aliquis autem terminus esset distributus in conclusione, & non in præmissis, in conclusione excederet seipsum, prout est in præmissis.

TERTIA regula. Ex puris negatiuis nihil sequitur in quacumque figura. Ratio huius est, quia ex hoc quòd aliqua duo distinguantur ab aliquo tertio, non sequitur ea distingui, aut identificari inter se.

QVARTA regula. Medium sub ratione medij non debet intrare conclusionem; vt per se patet, quia quilibet terminus ponitur tantùm bis: medium autem iam positum est bis in præmissis: potest tamen intrare, si fiat extremum: vt omnis homo est animal: sed homo est homo: ergo homo est animal; vel ratione explicandi aliquem terminum; vt, video Petrum, & Petrus currit: ergo video Petrum currentem.

QVINTA regula. Tam in medio, quàm in extremis non possunt variari proprietates terminorum, præter suppositionem, quæ causatur ex signis: aliàs in Syllogismo non essent tres termini tantùm, sed plures; si esset diuersa suppositio, am pliatio, appellatio, æquiuocatio &c.

PRÆTER has regulas proprias Syllogismi, tres aliæ obseruandæ sunt communes omni argumentationi. Prima est: ex antecedente vero in bona illatione, sequitur consequens verum; & ex antecedente probabili, contingenti, vel necessario; sequitur consequens probabile, contingens, vel necessarium. Ratio horum est, quia antecedens est causa consequentis: sed causa non impedita producit effectum sibi similem: ergo ex antecedente vero sequitur consequens verum, ex probabili probabile; ex contingenti contingens, & ex necessario necessarium.

SECVNDA: ex antecedenti falso in bona consequentia aliquando sequitur consequens verū; vt, Petrus est equus: ergo est animal. Aliquando falsum; vt, Petrus volat: ergo habet alas. Quòd ex falso sequatur falsum, non est mirum: quòd autem ex falso sequatur verum non procedit ex virtute præmissarum secundùm se, quia causa nunquam producit effectum nobiliorem se: sed ex dispositione illarum præmissarum sequitur aliud, quod aliunde est verum. Ex his regulis deducuntur duo modi arguendi in bona argumentatione; vt, antecedens est verum: ergo consequens est verum: consequens est falsum: ergo antecedens est falsum: quia cùm ex vero semper sequatur verum, nunquam falsum sequitur ex vero, sed semper ex falso, x. non valet; consequens est verum: ergo antecedens est verum: neque valet; Antecedens est falsum: ergo consequens est falsum; quia ex falso aliquando sequitur verum.

TERTIA: conclusio sequitur debiliorem partem: id est, si aliqua præmissa fuerit particularis, conclusio erit particularis; si aliqua præmissa fuerit negatiua, conclusio erit negatiua. Denique participat omnem defectum, qui reperitur in præmissis: vnde si aliqua præmissa fuerit ineuidens, vt in Theologia, vel tantùm probabilis, conclusio erit ineuidens, vel probabilis: non solùm autem conclusio participat defectum præmissarum: sed etiam quemcumque, qui reperitur in applicatione præmissarum, vnde ex duabus præmissis supernaturalibus, propter discursum naturalem, quo applicantur ad eliciendum conclusionem, sequitur in Theologia conclusio, quæ vt sic formaliter, non est de fide, nec supernaturalis in se: ac proinde nec Theologiæ habitus est in se supernaturalis; sed solùm extrinsecè ratione obiecti & principiorum.

ARTICVLVS III.

De specialibus regulis vniuscuiusque figuræ.

PRÆTER communes regulas Syllogismi sunt aliquæ speciales & propriæ cuilibet figuræ, & sunt tres sequentes.

PRIMÆ FIGVRÆ. In quocumque Syllogismo directè concludente, ex maiori particulari, nihil sequitur: quia medium in nulla præmissarum distribueretur: & ita esset defectus contra primam regulam communem. Ex minori etiam negatiua nihil sequitur: aliàs in conclusione maius extremum esset distributum, & tamen non esset distributum in præmissis: quod est defectus contra secundam regulam communem. In Syllogismis verò primæ figuræ indirectè concludentibus potest esse maior particularis & minor negatiua; nam cessant prædicti defectus, vt in Fapesmo & Frisesomorum, qui sunt modi vtiles, sed indirectè concludentes.

SECVNDÆ FIGVRÆ. Si ambæ præmissæ sint affirmatiuæ nihil sequitur: quia cùm medium in vtraque prædicetur, in neutra præmissarum distribuetur, quòd est defectus contra primam regulam communem. Similiter maiori existente particulari, nihil sequitur, quia aliàs ma-

ius extremum diſtribueretur in concluſione, cùm in maiori non fuiſſet diſtributum contra ſecundam regulam.

Tertiæ figuræ. Minori exiſtente negatiuâ nihil ſequitur: quia maius extremum diſtribueretur in concluſione, cùm tamen non fuiſſet diſtributum in maiori: ſimiliter ſemper concluſio debet eſſe particularis, aliàs minus extremum diſtribueretur in concluſione; cùm non fuiſſet diſtributum in præmiſſis, & vterque defectus eſt contra ſecundam regulam. Hæc tertia figura eſt maximè idonea ad conficiendum ſyllogiſmum expoſitiuum, qui eſt, quando medius terminus eſt terminus ſingularis, vt Iudas eſt damnatus, Iudas eſt Apoſtolus: ergo aliquis Apoſtolus eſt damnatus.

Est dubium inter Logicos, vtrùm præter tres figuras ſyllogiſmi hactenus examinatas,& traditas ab Ariſtotele, ſit admittenda quarta, quam vocant Galeni,quia ab eo adinuenta; in qua medium prædicatur in maiori, & ſubiicitur in minori: aliqui eam admittunt,quia materialiter eſt bona,& facilè reducitur ad primam figuram: tamen ſtando in principiis Ariſtotelis, & communi ſententia Dialecticorum, non eſt admittenda: & ratio eſt manifeſta, quia in omni figura concluſio debet eſſe directa ſiue naturalis; & propterea in prima figura ſunt tantùm propriè quatuor modi; alij autem indirecti ſolùm admittuntur, quia ad iſtas quatuor poſſunt reduci: ſed in figura Galeni repugnat concluſionem eſſe directam & naturalem; nunc enim concluſio eſt naturalis & directa, quando maius extremum (quod continet medium, & prædicatur de illo in prædicatione de omni)prædicatur in cõcluſione de minori extremo, cùm ipſum contineat; nam continendo medium, continet etiam minus extremum ſub medio contentum: conſtat autem quòd in concluſione non poteſt maius extremum prædicari de minori extremo, niſi in præmiſſis maius extremum ſit etiam prædicatum, & prædicetur de medio: aliàs ſi eſt ſubiectum in præmiſſis, non continet medium, at potiùs ab illo continetur (cùm ſubiectum contineatur à prædicato) & conſequenter vt ſit concluſio directa & naturalis, maius extremum debet in præmiſſis habere eumdem locum prædicati ac in concluſione: non enim poteſt naturaliter prædicari maius extremum de minori; niſi quia prædicatur de medio,ſub quo minus extremum continetur,iuxta hanc regulam dialecticâ, quidquid affirmatur de ſubiecto vniuerſaliter accepto, affirmatur de omni eo, cui competit illud ſubiectum: hæc autem repugnant huic quartæ figuræ: ergo non eſt admittenda: ſi tamen tranſponantur eius propoſitiones, reducitur ad primam.

Prædicta ratio conuincit, quando tres termini ita comparantur ad inuicem, vt minus extremum ſit inferius medio,& medium maiori extremo: quando autem aſſumitur aliqua proprietas pro extremo aliquo, ratio quantùm ad omnia non vrget, ſed ſolùm quantùm ad hoc, quòd concluſio debet eſſe directa: id eſt, in ea idem debet eſſe prædicatum & ſubiectum, quod fuit prædicatum & ſubiectum in præmiſſis: vnde ſolùm admittuntur Syllogiſmi indirectè concludentes; quia eorum concluſio per conuerſionem, ex indirecta, poteſt fieri directa; quod repugnat quartæ figuræ: tamen communiter admittuntur argumenta facta in hac figura; quia bona materialiter; nam reuera ſunt in prima figura: licèt in voce habeant tranſpoſitas præmiſſas.

QVÆSTIO XX.

De probatione ſyllogiſmorum perfectorum, Reductione imperfectorum, & Inuentione medij.

Svperest tandem ad perfectam ſyllogiſticæ artis notitiam tradere modum probandi ſyllogiſmos perfectos, & reducendi imperfectos, & inueniendi medium: vnde quæruntur duo.

¶ Primò, de probatione ſyllogiſmorum perfectorum, & reductione imperfectorum.

¶ Secundò, de inuentione medij.

Articvlvs I.

De Probatione ſyllogiſmorum perfectorum, & reductione imperfectorum.

Qvamvis omnes modi ſupra enumerati ſint boni, & conſequentia in illis facta ſit bona & neceſſaria, nec poſſit negati; quia tamen in aliis modis præter quatuor primos primæ figuræ, non ita apparet vis illationis: ideo inuenta eſt ars reducendi omnes tales modos ad quatuor primos, & ſimiliter ars probandi quatuor primos contra proteruos: non enim dantur alij modi clariores, ad quos poſſint reduci. In his quatuor primis modis concluduntur omnes ſpecies propoſitionum, ſcilicet vniuerſalis affirmatiua in (Barbara) vniuerſalis negatiua in (Celarent) particularis affirmatiua, ſub qua comprehenditur ſingularis in (Darij) & particularis negatiua in (Ferio:) in quibus conſequentia eſt manifeſta: ſi tamen negetur, poteſt probari per duo principia ſupra allata; ſi fuerit affirmatiua per (dici de omni) ſi fuerit negatiua per (dici de nullo) ſiue concluſio ſit vniuerſalis ſiue particularis.

Si quis igitur negauerit conſequentiam huius argumenti, quod eſt in (Barbara) omne animal eſt ſubſtantia: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Probatur per (dici de omni) ſic. Quidquid affirmatur vniuerſaliter de ſubiecto, affirmatur etiam de omni contento ſub illo: ſed eſſe ſubſtantiam affirmatur vniuerſaliter de animali in maiori conceſſa, cùm ſit affirmatiua vniuerſalis: ergo debet etiam affirmari de omni contento ſub animali: ſed homo continetur ſub animali, vt patet ex minori conceſſa, cùm ibi homo ſit ſubiectum, & animal prædicatum: ergo eſſe ſubſtantiam debet in concluſione affirmari de homine; & ita malè negatur. Eodem modo probatur concluſio facta in (Darij) Similiter, ſed propoſitione ſeruatâ, probantur per (dici de nullo) concluſiones factæ in (Celarent & Ferio) vt ſi negatur conſequentia huius argumenti, nullum animal eſt arbor: omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt arbor. Sic probatur. Quidquid negatur de ſubiecto vniuerſaliter, negatur etiam de omni contento ſub tali ſubiecto: ſed negatur vniuerſaliter de animali, quòd ſit arbor in maiori argumenti, quæ eſt vniuerſalis negatiua, & tamen conceditur: ergo etiam debet negari de omni contento ſub animali: ſed homo continetur ſub animali; cùm in minori etiam conceſſa animal prædicetur de homine: ergo de illo in concluſione debet negari quòd ſit arbor: & ita concedenda eſt iſta concluſio: ergo nullus homo eſt arbor.

Redvctio omnium modorum ad quatuor primos eſt duplex: Vel per oſtenſionem,& dicitur reductio oſtenſiua: quando ſcilicet per conuerſionem alicuius propoſitionis illius argumenti quod reducitur, oſtenditur fuiſſe bonam eius conſequentiam quæ negatur: licèt autem fiat iſta conuerſio propoſitionum: tamen idem ſequitur, nam quidquid ſequitur ex conſequente, ſequitur etiam ex antecedente: conſtat autem quòd propoſitio conuerſa eſt antecedens, & propoſitio conuertens eſt conſequens; ac proinde, quod ſequitur ex conuertente, ſequitur etiam ex conuerſa. Vel ſit reductio per impoſſibile, deducendo ſcilicet aduerſarium ad concedendum aliquod impoſſibile, ſi enim concedat maiorem & minorem argumenti, & neget conſequentiam; cogetur concedere duas contradictorias ſimul eſſe veras: de vtraque reductione breuiter agendum eſt.

Ad euidentiam primæ,ſcilicet oſtenſiuæ,ſciendum eſt, quòd omnes modi ſyllogiſmorum incipiunt per vnam ex his quatuor litteris B. C. D. F. quæ indicant huiuſmodi ordinem eſſe ſeruandum in reducendis, tam modis aliarum figurarum, quàm etiam modis imperfectis primæ figuræ ad quatuor primos modos perfectos: vt inſpectâ litterâ, à qua initiatur modus, in quo ſyllogiſmus reducendus continetur, intelligatur ſtatim talem ſyllogiſmum

mum eſſe reducendum ad illum modum ex perfectis, qui habet eamdem litteram initialem, vt Ceſare ad Celarent &c.

Sciendvm eſt 2. quòd in medio modorum imperfectorum (ſic nominantur omnes modi ſecundæ & tertiæ figuræ, & indirecti primæ) reperitur aliqua, vel plures ex his quatuor conſonantibus. S. P. M. C. quarum hæc eſt ſignificatio, vt S. ſignificet propoſitionem indicatam per vocalem antecedentem eſſe conuertendam ſimpliciter, ſiue in totum. P. ſignificet eſſe conuertendam per accidens, ſiue in partem. M. ſignificet conuertendas eſſe præmiſſas, ita vt maior fiat minor, & minor fiat maior, ſeruatâ conuerſione, quam aliæ litteræ petunt. C. denique in medio vocabuli denotat illum modum, in quo reperitur, non poſſe reduci per oſtenſionem, ſed tantùm per impoſſibile: qui modi ſunt ſolùm duo (Baroco & Bocardo) Exempli gratiâ: reducamus ad (Ferio) argumentum factum in (Fapeſmo) in quo reperiuntur ferè omnes conſonantes hic aſſignatæ, P. quia ſequitur poſt primam vocalem A. denotat maiorem, quæ eſt vniuerſalis affirmatiua, eſſe conuertendam per accidens, id eſt, in particularem affirmatiuam. S. quia ſequitur poſt ſecundam vocalem E. denotat minorem, quæ eſt vniuerſalis negatiua, eſſe conuertendam ſimpliciter. Denique M. quæ eſt poſt duas vocales, denotat maiorem conuerſam debere eſſe minorem in argumento reducto, & minorem conuerſam debere eſſe maiorem eiuſdem argumenti: vnde hoc argumentum factum in (Fapeſmo) omne animal eſt ſubſtantia: nulla arbor eſt animal: ergo aliqua ſubſtantia non eſt arbor; ſic reducitur in (Ferio) ſi maior conuertatur per accidens, & minor ſimpliciter, ac tandem inter ſe tranſmutentur; eadem inferetur concluſio hoc modo: nullum animal eſt arbor: aliqua ſubſtantia eſt animal: ergo aliqua ſubſtantia non eſt arbor, & ſimiliter de aliis: ſolùm notandum eſt in vocabulo (Friſeſomorum) conſonantem M. collocandam eſſe ante tertiam ſillabam; ſicut in (Fapeſmo & Diſamis:) licèt ratione Carminis collocetur poſt tertiam: vnde ſignificat in illo modo tranſmutandas eſſe præmiſſas.

Redvctio per impoſſibile fit, quando aſſumendo contradictoriam concluſionis negatæ, cum altera ex præmiſſis conceſſis, fit ſyllogiſmus perfectus concludens contradictoriam, vel contrariam alicuius præmiſſæ conceſſæ: ac proinde cogitur negans concedere duas contradictorias ſimul veras: pro vnaquaque figura datur ſua regula.

Pro prima figura. Si quis neget conſequentiam alicuius modi indirecti, oportet aſſumere contradictoriam concluſionis negatæ, loco maioris; & maiorem argumenti, cuius negatur conſequentia, loco minoris: & tunc inferetur in concluſione contradictoria, vel contraria alicuius propoſitionis ante conceſſæ: excipitur tamen (Celantes) in quo minor fit maior, & contradictoria concluſionis negatæ minor. Pro ſecunda figura. Seruatur maior argumenti, cuius negatur conſequentia, & contradictoria concluſionis negatæ aſſumitur loco minoris. Pro tertia figura. Seruatur minor argumenti, cuius negatur conſequentia, & contradictoria concluſionis negatæ aſſumitur loco maioris; vt patet his verſibus in Prima.

Maior fit minor, vt ſit contradictio maior.
Excipe Celantes, in quo conuertitur ordo.
Maiorem ſeruat; variátque ſecunda minorem.
Tertia maiorem variat, ſeruátque minorem.

Notandvm eſt quòd ſemper ſeruatis his regulis concluditur oppoſitum alicuius præmiſſæ conceſſæ, licèt non immediatè: ſed factâ conuerſione ſimplici concluſionis, quæ infertur de nouo: quando autem concluduntur duæ contrariæ ſimul veræ: poſſunt ex his fieri contradictoriæ ſecundùm ſupradicta.

Facile autem eſt ſcire, in quo modo ex perfectis fit argumentum reductum per impoſſibile: tamen Dialectici adinuenerunt iſta vocabula, Neſciebatis, Odiebam, Lætare, Romanis. In quibus notandum eſt, quòd primum vocabulum conſtans quinque ſyllabis, ſignificat quinque modos imperfectos primæ figuræ ordine ſeruato, id eſt, prima ſyllaba primum modum, ſecunda ſecundum &c. Aliud vocabulum conſtans quatuor ſyllabis, ſignificat ordine eodem quatuor modos ſecundæ figuræ. Alia duo vocabula conſtantia ſex ſyllabis ſignificant ſex modos tertiæ figuræ. Inſuper videndum eſt, quænam ex his vocalibus A.E.I.O. reperiatur in illa ſyllaba, quæ correſpondet cuilibet modo: illa enim vocalis ſignificat talem modum reducendum eſſe ad illum, ex quatuor perfectis, cuius concluſio ſignificatur per illam vocalem. A. ſignificat concluſionem in (Barbara) vniuerſalem affirmatiuam. E, vniuerſalem negatiuam in (Celarent.) I. particularem affirmatiuam in (Darij.) O. particularem negatiuam in (Ferio.)

Articvlvs II.

De inuentione medij.

Difficilis admodum eſt ars inueniendi medium ad argumentandum in quacumque figura; propter quod illam ſophiſtæ pontem aſinorum vocarunt, cuius artificium ſubiecta figura manifeſtat.

Hanc artem ita facilem & planam reddidit D. Thom. opuſc. 50. vt facilè quiſque illam percipiat.

Ad euidentiam huius figuræ ſciendum eſt fuiſſe adinuenta à Dialecticis ſequentia vocabula; ſcilicet, Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, Gebali, Febas, Hedas, Hecas. In quibus vltima vocalis denotat quæ concluſio in quolibet vocabulo poſſit inferri. A. in Fecana denotat concluſionem vniuerſalem affirmatiuam. E. in Dafenes & Hebare concluſionem vniuerſalem negatiuam. I. in Cageti & Gebali concluſionem particularem affirmatiuam. O. in Gedaco concluſionem particularem negatiuam. Deinde in quolibet vocabulo dantur duæ vocales præter vltimam (exceptis tribus vltimis) & ſunt A. & E. ex quibus A. ſignificat attributum, E. verò ſubiectum propoſitionis. Denique in iſtis vocabulis inueniuntur ſex conſonantes, ex quibus tres; ſcilicet, B.C.D. concomitantur A. Ly B. ſignificat terminum conſequentem attributum denotatum per A. C. verò ſignificat terminum antecedentem attributum. D. terminum repugnantem attributo, tres verò aliæ concomitantur E; ex quibus F. ſignificat terminum conſeqoentem ſubiectum denotatum per E. G. verò terminum antecedentem ſubiectum, & H. terminom repugnantem ſubiecto. Vnde ſi ſit concludenda hæc vniuerſalis affirmatiua, omnis homo eſt ſubſtantia: aſſumendum eſt vocabulum Fecana, cuius vltima ſyllaba deſinens in A. denotat in ipſo debere fieri hanc concluſionem. In quo reperitur aſſumendum eſſe pro termino medio, aliquem terminum conſequentem ſubiectum, quod denotatur per F. coniunctum cum E. qui terminus antecedat attributum, quod ſignificatur per C. coniunctum cum A, in ſecunda ſyllaba. Aſſumatur

tur igitur animal quod antecedit ſubſtantiam, quæ eſt attributum;& conſequitur hominem, qui eſt ſubiectum: & ſic probabitur hoc pacto; omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt ſubſtantia; & ſic de aliis. Iſta tria vocabula Febas, ad concludendam vniuerſalem affirmatiuam ex medio conſequente, tam ſubiectum, quàm attributum: Hedas importans medium repugnans tam attributo, quàm ſubiecto, & Hecas aſſumens medium repugnans ſubiecto, & antecedens attributum, ſunt modi inutiles.

Sciendvm eſt 2. quòd terminus ille dicitur conſequens, qui ex alio infertur, vt ſunt omnia prædicata ſuperiora reſpectu inferiorum: ſequitur enim, eſt homo: ergo animal, viuens, ſubſtantia: terminus antecedens econtra eſt ille, qui alterum infert, vt ſunt omnia prædicata inferiora reſpectu ſuperiorum: termini verò conuertibiles ſimul ſunt antecedentes & conſequentes, quia ſe mutuò inferunt & inferuntur: vnde in argumentis promiſcuè pro antecedentibus & conſequentibus accipiuntur. Terminus repugnans eſt ille, qui non poteſt alteri ineſſe. Hæc ſufficiant pro expoſitione figuræ: ſed maioris claritatis causâ de vnaquaque concluſione, ſcilicet vniuerſali, tam affirmatiua, quàm negatiua, & de particulari tam negatiua, quàm affirmatiua diſſerendum eſt ex D. Thom. loco citato.

Ad concludendam propoſitionem affirmatiuam vniuerſalem in Barbara, aſſumendum eſt medium, quod ſit conſequens reſpectu ſubiecti, & antecedens reſpectu attributi ſiue prædicati, vt patet in exemplo iam dato. Ratio huius affertur à D. Thom. quia vniuerſalis affirmatiua tantùm poteſt concludi in primo modo primæ figuræ, ſcilicet (Barbara,) in quo cùm medium ſubiiciatur in maiori; antecedit maius extremum, quod erit prædicatum in concluſione; & cùm medium in minori prædicatur de minori extremo, quod erit ſubiectum in concluſione; illud conſequitur.

Ad probandam propoſitionem vniuerſalem negatiuam, quod tantùm poteſt fieri in prima & ſecunda figura, ſcilicet (In Celarent, vel in Ceſare, aut in Cameſtres:) ſi Syllogiſmus debeat fieri (in Celárent vel in Ceſare,) aſſumatur iuxta (Daſenes) medium conſequens ſubiectum, & repugnans attributo, vt ſi hæc concludenda ſit: nullus homo eſt arbor: aſſumatur pro medio [rationale] ſic: nullum rationale eſt arbor: omnis homo eſt rationalis: ergo nullus homo eſt arbor. In Ceſare, nullus arbor eſt rationalis: omnis homo eſt rationalis: ergo nullus homo eſt arbor. Si verò ſit conficiendus in [Cameſtres] aſſumatur pro medio iuxta [Hebare] terminus repugnans ſubiecto, & conſequens attributum, vt [inſenſibile:] & ſic concludetur, omnis arbor eſt inſenſibilis: nullus homo eſt inſenſibilis: ergo nullus homo eſt arbor. Ratio eſt quia in duobus prioribus modis medium remouetur à maiori extremo, quod eſt attributum in concluſione; vnde debet illi repugnare, & conſequitur minus extremum, quod eſt ſubiectum in concluſione, cùm de illo prædicetur: in tertio autem modo medium conſequitur maius extremum, quod eſt prædicatum in concluſione, & negatur de minori extremo, quod eſt ſubiectum in concluſione; vnde debet ei repugnare.

Ad probandam propoſitionem particularem affirmatiuam, quòd poteſt tantùm fieri in prima & tertia figura: ſi probanda ſit in prima figura debet aſſumi medium conſequens ſubiectum, & antecedens attributum: vt ad probandum quòd aliquis homo ſit viuens; ſumatur [ſenſibile] pro medio ſic; omne ſenſibile, eſt viuens: aliquis homo eſt ſenſibilis: ergo aliquis homo eſt viuens. Ratio huius eſt eadem, ac illa quæ data eſt in prima regula pro vniuerſali affirmatiua. Si autem probanda ſit in tertia figura, ſumatur iuxta [Cageti] pro medio terminus antecedens tam ſubiectum, quàm prædicatum; videlicet [rationale] ſic: omne rationale eſt viuens, aliquod rationale eſt homo: ergo aliquis homo eſt viuens. Ratio eſt quia in tertia figura medium eſt ſubiectum in vtraque præmiſſa, vnde debet antecedere vtrumque extremum.

Ad probandam propoſitionem particularem negatiuam, ſi Syllogiſmus fiat in prima figura, ſumendus eſt pro medio terminus conſequens ſubiectum, & repugnans attributo: quia ibi medium remouetur à maiori extremo, quod eſt attributum in concluſione, vnde debet illi repugnare, & conſequitur minus extremum, quod eſt ſubiectum in concluſione; quia de eo prædicatur. Ob eamdem rationem idem obſeruandum eſt, ſi Syllogiſmus fiat in [Feſtino:] ſi autem fiat in [Baroco] medium debet repugnare ſubiecto, & conſequi prædicatum: quia in illo medium prædicatur de maiori extremo, quod eſt attributum in concluſione, & remouetur à minori extremo, quod in concluſione eſt ſubiectum. Si fiat Syllogiſmus in tertia figura, medium debet eſſe terminus antecedens ſubiectum, & repugnans attributo; quia medium ſubiicitur minori extremo, quod eſt ſubiectum in concluſione: vnde illud antecedit & remouetur à maiori extremo, quod in concluſione eſt attributum: vnde illi repugnat: vt ſi iſta ſit probanda aliquis homo non eſt lapis; pro medio in prima figura & in [Feſtino] ſumatur [animal:] ſi in [Baroco] ſumatur pro medio [inſenſibile:] ſi in tertia figura ſumatur pro medio [rationale.]

Notandvm eſt circa tertiam regulam, quòd ſi concludenda ſit propoſitio particularis affirmatiua in [Darij:] rectè procedit; ſed nullum vocabulum ex aſſignatis illam deſignat. Si concludenda ſit in [Ďabitis] exprimitur per [Gebali:] quia cùm hic modus ſit indirectus, minus extremum eſt in concluſione attributum, & maius extremum eſt ſubiectum: & ideo medium debet antecedere ſubiectum, cùm ſubiiciatur ei in maiori; nam vt dictum eſt, eſt maius extremum; & conſequitur attributum, quia in minori prædicatur de minori extremo, quod eſt attributum in concluſione in hoc modo indirecto.

Notandvm eſt circa particularem negatiuam. Quòd ſi fiat in prima & ſecunda figura, nullo ex prædictis vocabulis exprimitur; ſi autem fiat in tertia exprimitur per [Gedaco] quod totum patet in ſuperiori figura.

Notandvm eſt tandem circa tria vltima vocabula, quòd in illis non apponitur vltima vocalis: vt oſtendatur quòd ex illis nulla poteſt inferri concluſio: nam in [Febas] ſi daretur medium conſequens, tam ſubiectum quàm attributum, eſſet in ſecunda figura; quia ibi medium prædicatur de vtroque extremo; & tamen conſtat, quòd in hac ſecunda figura ex duabus affirmatiuis nihil ſequitur; vnde in ea medium debet vel ſubiecto vel attributo repugnare: ſimiliter in [Hedas] nihil ſequitur, quia medium debet repugnare & negari de attributo & ſubiecto: vnde vtraque præmiſſa eſſet negatiua: ex puris autem negatiuis in quacumque figura nihil ſequitur: denique in [Hecas] nihil ſequitur; non enim poteſt fieri Syllogiſmus in prima aut tertia figura: quia cùm medium debeat repugnare ſubiecto, debet negari in minori argumenti de minori extremo, quod eſt ſubiectum in concluſione: in prima autem & tertia figura ex minori negatiua nihil ſequitur: nec etiam poteſt quidquam ſequi in modis indirectis: quia medium prædicatur in minori de minori extremo, quod eſt attributum in concluſione, vnde non illud antecedit, ſed conſequitur, & ob eamdem rationem in ſecunda figura non poteſt aſſumi medium iuxta [Hecas:] quia medium in illa prædicatur, tam de maiori, quàm de minori extremo; & ſic conſequitur, tam ſubiectum, quàm attributum, ac proinde nullum antecedit; quod enim ſubiicitur in affirmatione antecedit: licèt ſit terminus conuertibilis, nam infert alium, licèt alibi poſſit fieri attributum, & vt ſic conſequi.

LIBRI DE POSTERIORI ANALYSI *SIVE* DE DEMONSTRATIONE.

Summa Textus.



N his duobus libris agit Philosophus de resolutione syllogismorum ex parte materiæ: propterea vocantur de posteriori resolutione, siue Analysi: vnde in his agit de Demonstratione, quæ cùm sit in materia necessaria, est potior quàm syllogismus probabilis, de quo agitur in octo libris Topicorum, & quàm syllogismus apparens, vel Sophisticus, de quo agitur in duobus libris Elenchorum: & quia demonstratio est syllogismus generans scientiam; consequenter agit hîc de scientia, de eius specificatione & subalternatione; comparat ipsam cum opinione &c. Liber primus continet triginta quatuor capita: Secundus verò nouemdecim.

QVÆSTIO XXI.

De prærequisitis ad Demonstrationem.

POSTQVAM Philosophus in duobus libris præcedentibus egit de forma argumentationis: in sequentibus libris agit de eius materia: & primò de materia necessaria, quæ facit argumentationem esse demonstratiuam; primò autem inquirit de prærequisitis ad demonstrationem, circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistenti cognitione.

¶ Secundò, Vtrùm rectè assignentur ab Aristotele duæ præcognitiones & tria præcognita.

¶ Tertiò, Vtrùm assensus præmissarum sit causa assensus conclusionis.

¶ Quartò, Vtrùm per assensum præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistenti cognitione.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd non omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistenti cognitione. Probatur. Si omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistenti cognitione, dabitur processus in infinitum: cùm enim illa præexistens cognitio sit vera cognitio, debebit fieri ex alia; & sic in infinitum: sed non potest dari processus in infinitum in cognitionibus per se subordinatis; sequeretur enim nunquam terminari cognitionem intellectus, quia infinitum non est pertransibile: ergo non omnis cognitio intellectiua fit ex præexistẽti cognitione.

¶ 2. Præterea, Cognitio Angelorum est verè intellectiua, imò scientifica & demonstratiua; cognoscunt enim perfectissimè proprietates per suas causas, sicut hominem esse risibilem, per hoc quòd sit rationalis: sed cognitio intellectiua & demonstratiua Angelorum non fit ex præexistenti cognitione; quia vnico & simplici intuitu cognoscunt essentiam & proprietates, causam & effectus; non enim sunt discursiui; ita quòd ex vno priùs cognito cognoscant aliud: ergo non omnis cognitio intellectiua fit ex præexistenti cognitione.

¶ 3. Præterea, Nostra cognitio intellectiua est discursiua, vt patet; & ita includit tam cognitionem præmissarum quàm conclusionis: discursus enim est processus ab vno cognito ad aliud; ac proinde præcisa cognitio conclusionis non est discursiua: sicut enim conclusio sola est simplex propositio, sic eius cognitio est tantùm quædam mentalis enuntiatio, vel iudicium intellectus: ergo non omnis cognitio intellectiua fit ex præexistenti cognitione: non enim apparet, quæ cognitio possit præexistere cognitioni intellectiuæ terminatæ, tam ad principia quàm ad conclusionem.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, qui sic exorditur caput primum huius primi libri. *Omnis doctrina omnisque disciplina, quæ ratione & intelligentiâ constat, ex antecedente fit cognitione.*

CONCLVSIO.

Cùm discurrere intellectus sit de vno cognito ad aliud cognoscendum procedere: omnis cognitio intellectiua discursiua fit ex præexistenti cognitione.

RESPONDEO dicendum, quòd prædictum axioma Aristotelis variè à variis explicatur: Quidam enim illud extendunt ad omnem cognitionem intellectiuam, tam simplicem quàm compositam; nam discursus sequitur ad iudicium; iudicium verò ad simplicem apprehensionem; simplex autem apprehensio ad cognitionem sensuum. Alij autem solùm extendunt ad cognitiones intellectus compositas: & ita exponunt Aristotelem, quòd discursus sequatur ad iudicium, & iudicium ad simplicem apprehensionem. Alij denique nimis restringunt: scilicet ad solam cognitionem discursiuam demonstratiuam: quia, vt dicunt, sola cognitio demonstratiua est verè doctrina. Deinde quia sic rectè excluduntur errores quos impugnat Aristoteles. Denique quia verè dantur opiniones in suo genere per se notæ & probabiles, in quibus non habetur vna cognitio ex alia: sed cognoscuntur ex sola notitia terminorum; sed hæ omnes explicationes non sunt legitimæ: vnde dicendum quòd Aristoteles intelligendus est de omni & sola cognitione discursiua; ita nostri Complutenses, Masius, Sanches & alij. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd Aristoteles induxit hoc axioma ad excludendam opinionem, siue errorem Heracliti & Cratilli & Academicorum; quorum princeps fuit Zenon, qui omnes dicebant omnia sciri dubitanter & cum formidine, & nihil certò ac euidenter posse cognosci: vnde de medio tollebant scientias & demonstrationem, sic dictam; quia quasi digito res per ipsam demonstrantur: hoc etiam axiomate excludit opinionem Platonis, qui negabat necessitatem demonstrationis, dicens scientias fuisse à principio animæ inditas; & propte-

rea

rea nullam de nouo acquiri, sed scire esse quoddam reminisci: eius fundamentum erat; quia homo dum cupit scire, vel cupit scire id quod iam sciebat; & hoc non, quia nemo desiderat scire id, quod iam scit: vel cupit scire id, quod penitus ignorat; & hoc non, quia nemo desiderat id, quod nescit: huic autem difficultati satisfacit Aristoteles hoc axiomate dicens, quòd omnis qui desiderat scire, desiderat scire id quod simpliciter nescit: scit autem secundùm quid: vnde desiderat scire conclusionem, quam in se nescit: scit autem in potentia & virtute, scilicet in principiis naturaliter notis, vel mediate vel immediatè, in quorum virtute præexistit conclusio: & quando ex cognitione principiorum deuenit in cognitionem conclusionis; tunc cognoscit in se actu id, quod antea tantùm cognoscebat virtute vel potentiâ in principiis: & ita mediâ demonstratione dicitur scientiam acquirere; & ideo omnis doctrina & disciplina intellectiua fit ex præexistenti cognitione: ita D. Thom. hîc lectione 3.

Probatur conclusio vniuersaliter authoritate D. Th. hîc lectione 2. vbi per doctrinam & disciplinam dicit significari non omnem cognitionem, sed eam, quæ ex alia acquiritur, siue per quam ratio de vno in aliud procedit, quæ prout est in magistro, dicitur doctrina; prout in discipulo, disciplina: & sic concludit: Neque accipitur hîc doctina & disciplina secundùm quòd se habet ad acquisitionem scientiæ tantùm, sed ad acquisitionem cognitionis cuiuscumque. Quod patet, quia manifestat hanc propositionem etiam in disputatiuis & Rhetoricis disputationibus, per quas non acquiritur scientia.

Probatur prima pars conclusionis impugnando specialiter tres priores interpretationes. Contra primam; Aristoteles loquens de præexistenti cognitione, intelligit cognitionem eiusdem ordinis, siue intellectiuam; nam probat contra Platonem quòd datur cognitio demonstratiua, siue conclusionum, quæ procedit ex cognitione principiorum, quæ sine dubio est etiam intellectiua: ergo hoc axioma non se extendit ad omnem cognitionem intellectiuam, licèt simplex apprehensio fiat ex præexistente cognitione sensuum. Contra secundam, quia Aristoteles per præexistentem cognitionem non intelligit apprehensiuam, sed iudicatiuam, vt constat ex toto illo capite, maximè ex solutione argumenti Platonis: nam ponit discrimen inter propositiones, quæ sunt prima principia, & propositiones demonstrabiles, quòd assensus demonstrabilium fit ex præexistenti cognitione; non verò assensus primorum principiorum: ergo nomine præexistentis cognitionis intelligitur cognitio, quæ necessario supponitur ad assensum conclusionum, & non ad assensum principiorum: constat autem quòd talis cognitio est iudicatiua, & non tantùm apprehensiua: nam apprehensiua præsupponitur etiam ad assensum principiorum. Contra tertiam, quia hæc explicatio manifestè repugnat textui; nam illam propositionem vniuersalem, siue axioma probat Aristoteles inductione factâ in demonstrationibus Mathematicæ, in syllogismis & inductionibus probabilibus Logicæ; in exemplis & enthymematibus Rhetoricæ, quæ ob incertitudinem materiæ non solùm non demonstrat, sed neque vtitur frequenter syllogismo & inductione; at enthymemate & exemplo: ergo Aristoteles non est intelligendus de sola cognitione demonstratiua.

Probatur secunda pars conclusionis. Emendatiores codices secundùm græcum sic habent: omnis doctrina omnisque disciplina discursiua: ergo legitimus sensus illius axiomatis est, quòd omnis cognitio discursiua, siue quæ in magistro est, & dicitur doctrina; siue quæ in discipulo, & disciplina vocatur; fit ex præexistenti cognitione principiorum, ex quibus procedit intellectus, discurrendo ad cognitionem eorum, quæ ex illis principiis deducuntur: & per hanc explicationem magis excluduntur illi errores, quos impugnat Aristoteles; quia magis vniuersaliter loquitur. Deinde conceditur, quòd etiam in probabilibus sunt propositiones immediatæ, & per se notæ in illo genere, & hæ cognoscuntur per habitum opinatiuum principiorum correspondentem intellectui, siue habitui primorum principiorum naturalium: conclusiones autem deductæ ex illis principiis cognoscuntur per habitum opinatiuum generatum syllogismo probabili, qui correspondet habitui scientifico: vnde in istis etiã cognitio conclusionis est ex præcedenti cognitione.

Ad primum ergo dicendum, quòd non omnis cognitio intellectiua fit ex præexistente cognitione alia intellectiua, vt dictum est, & probat ratio: tamen omnis cognitio intellectus discursiua fit ex præexistente alia cognitione intellectus; & licèt sint cognitiones discursiuæ, quæ procedunt & dependent ex aliis discursiuis; sicut illæ, quibus secunda, tertia & aliæ proprietates probantur de subiecto: tamen cognitio, quâ probetur prima proprietas de subiecto, dependet solùm ex cognitione iudicatiua principiorum; & sic non est processus in infinitum.

Ad secundum dicendum, quòd Aristoteles, vt dictum est, solùm loquitur de cognitione discursiua, quæ propriè & formaliter non est in Angelis: nam ad verum discursum requiritur, quòd ex vna cognitione distincta ad id influente, deueniamus in aliam; quod non est in Angelis: licèt enim ex causis, & in causis cognoscant effectus: tamen & causas & effectus vnicâ cognitione & vnico simplici intuitu contemplantur: potest tamen dici, quòd quamuis ex parte ipsorum non sit formalis discursus: ità vt ex distincta cognitione principij procedant ad cognitionem conclusionis; tamen ex parte ipsarum rerum est in Angelis & in Deo quidam quasi discursus obiectiuus, secundùm quòd vnam rem cognoscunt mediante alia, quando sic petunt cognosci ipsæ res: vnde idem actus secundùm quòd terminatur ad conclusiones vel effectus, quasi fit à seipso, & præsupponit seipsum secundùm quòd terminatur ad principium vel causam: vnde dictum Aristotelis aliqualiter verificatur in Angelis & in Deo.

Ad tertium dicendum, quòd in intellectu nostro, præter simplicem apprehensionem, est etiam iudicium, quod est actus simplex realiter & essentialiter distinctus ab apprehensione, nec est aggregatum multarum apprehensionum: vtriusque actus meminit Aristoteles 1. perihermen. cap. 4. & 3. de anima cap. 6. D. Thom. ibidem & alibi sæpe. Præter hos actus est tertius, qui dicitur discursus, actus simplex non realiter & substantialiter distinctus à iudicio simplici: nam est ipsum iudicium, quo intellectus assentitur conclusioni, non vt est propositio, sed vt est formaliter conclusio, siue vt dependens & illata à principiis: vnde entitatiuè idem actus est iudicium & discursus: iudicium, vt præcisè cognoscit vnionem prædicati cum subiecto; discursus, vt assentitur eidem vnioni prædicati cum subiecto propter vnionem cum medio cognitam in principiis siue præmissis: & vt sic dicit intrinsecum ordinem ad priora iudicia præmissarum: in quo distinguitur à prima & secunda operatione intellectus; & ideo fit ex præexistenti cognitione. Et ex his patet ad obiectionem: vnde intellectus intelligitur discurrere per hoc præcisè, quòd iudicet de conclusione, motus & determinatus à iudiciis habitis circa præmissas: nam sic verè ex vna cognitione procedit ad aliam.

Articulus II.

Vtrùm rectè assignentur ab Aristotele duæ præcognitiones & tria præcognita.

AD Secundum sic proceditur. Videtur quòd non rectè assignentur ab Aristotele duæ tantùm præcognitiones: scilicet (An sit, & Quid sit.) Probatur. De rebus possunt excitari duæ aliæ quæstiones: scilicet (Quia est, & Propter quid est:) vnde res possunt cognosci, quia sunt, & propter quid sunt: ergo non rectè assignantur duæ tantùm præcognitiones.

§ 2. Præterea, Quæstio (An est) aliquando demonstratur: nam in Theologia demonstratur Deus esse; sicut & in Logica demonstratur esse ens rationis: ergo non semper dantur ante demonstrationem istæ duæ præcognitiones, & ita non rectè assignantur ab Aristotele.

§ 3. Pra-

§ 3. Præterea, Videtur quòd non rectè assignentur ab Aristotele tria præcognita; scilicet præmissæ, subiectum conclusionis, & proprietas, quæ de subiecto prædicatur: quia debet etiam præcognosci bonitas illationis, vt ex se patet: ergo non rectè assignantur tria tantùm præcognita.

Sed contra est authoritas Aristotelis in præsenti, & D. Thom. hîc lectione 2. quos communiter sequuntur Dialectici.

Conclvsio.

Rectè assignantur ab Aristotele duæ præcognitiones [An est, & Quid est:] tria verò præcognita, scilicet [Principium, Subiectum & Proprietas.]

Respondeo dicendum, quòd rectè assignantur ab Aristotele ante demonstrationem duæ præcognitiones & tria præcognita: præcognitiones sunt (An est, & Quid est;) præcognita autem Principium, Subiectum & Proprietas. 2. De Principio quidem non præcognoscitur (Quid sit) sed tantùm an sit verum. 3. De Subiecto autem non debet præcognosci, an sit verum, neque an sit existens: sed sufficit cognoscere (An sit rei) in aptitudine: debet etiam præcognosci (Quid sit.) 4. Sed de Proprietate non debet præcognosci (An sit) neque [Quid rei:] sed tantùm [Quid nominis.] Ad quorum euidentiam sciendum est, quòd præcognitio est idem ac anticipata cognitio: vnde cùm cognitio præcedens discursum necessariò sit actus iudicij, vel actus simplicis apprehensionis: nam ante demonstrationem oportet cognoscere tam res simplices, quæ apprehenduntur tantùm, & etiam complexas, de quibus est iudicium, & in quibus veritas & falsitas reperitur: ideo sub nomine præcognitionis vtraque cognitio comprehenditur; illud autem quod debet cognosci ante demonstrationem, dicitur præcognitum, siue res præcognita.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. in præsenti lect. 2. Deinde ratione, quantùm ad primum de præcognitionibus. Per hanc demonstrationem, omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis: scimus quòd homo est risibilis, & hæc est tertia quæstio: [Quia est.] Scimus etiam propter quid est risibilis, scilicet quia est rationalis, & hæc est quarta quæstio [Propter quid:] ergo cùm sciantur per demonstrationem, non debent præcognosci ante illã: aliæ verò duæ quæstiones [An est, & Quid est] sunt indemonstrabiles à priori: nam cùm in demonstratione concludatur aliquid de subiecto; necessarium est scire de subiecto quòd est, & quòd habet hanc essentiam, de qua tale prædicatum possit concludi: ergo cùm de re aliqua solùm excitentur quatuor prædictæ quæstiones: rectè assignantur ab Aristotele ante demonstrationem duæ præcognitiones scilicet [An est, & Quid est.] Quantùm ad secundum verò probatur. Demonstratio, cùm constet propositionibus necessariis, probat aliquam proprietatem conuenire subiecto, per aliquod principium necessarium: vnde antequam in conclusione prædicatum attribuatur subiecto, iam præmissæ debent esse cognitæ; in quibus prædicatum & subiectum vniuntur cum medio: ratione cuius vnionis vniuntur inter se in conclusione; cùm autem præmissæ sint simul vnicum principium integrum conclusionis; non plura, sed vnum dicuntur præcognitum. Deinde debet ante demonstrationem esse cognitum subiectum conclusionis: sicut & proprietas, quæ de subiecto in conclusione prædicatur: nam ante actualem prædicationem inter duo extrema, debet præcedere simplex cognitio vtriusque: ergo tria sunt præcognita videlicet Principium, Subiectum & Proprietas.

Probatur secunda pars conclusionis quantùm ad primum. Cognoscere [Quid sit] alicuius, est cognoscere eius definitionem: definitio quippe est oratio explicans quod quid est rei: sed præmissæ demonstrationis, siue principium primò intentionaliter sumptum, vt hîc accipitur, non habet definitionem cùm sit quid complexum: ergo de principio non præcognoscitur quid sit. Quantùm ad secundum. In demonstratione ante assensum conclusionis debet præsupponi assensus præmissarum, vt patet: ergo præmissæ præsupponuntur esse veræ: non enim assentimur nisi propositionibus cognitis veris: ac proinde de principio debet præcognosci an sit verum: hæc tamen debent intelligi de principio formaliter, vt est principium: inter principia autem quædam sunt prima simpliciter & absolutè; & ista sic sunt principia, vt nunquam possint esse conclusiones: & de istis simpliciter & absque limitatione debet præcognosci an sint vera: alia verò sunt principia, quæ non sunt prima simpliciter, imò possunt demonstrari, & sic esse conclusiones, vt constat in principiis scientiæ subalternatæ, quæ ordinariè sunt conclusiones scientiæ subalternantis; & de istis, si sumantur vt principia, debet præcognosci an sint vera, non autem si sumantur vt sunt conclusiones.

Probatur tertia pars conclusionis quantùm ad primum. Veritas formalis est de complexis: nam, vt dicetur infra in Metaphysica, consistit in actu iudicij componentis attributum cum subiecto: sed in demonstratione subiectum conclusionis est quid incomplexum, vt patet: ergo de ipso non debet præcognosci, an sit verum. Quantùm ad secundum. Vnio proprietatis cum subiecto absoluitur à tempore & est æterna; ac propterea propositiones illam exprimentes dicuntur æternæ veritatis: ergo vt proprietas demonstretur de subiecto, non necessariò supponit subiectum actualiter existens: ac proinde non debet præcognosci de subiecto an sit existens, quia tamen nostra cognitio incipit & terminatur à sensibus, necessarium fuit quòd aliquando respectu alicuius subiectum actu extiterit; sed hoc per accidens & non per se pertinet ad demonstrationem. Quantùm ad tertium. Res impossibilis prout sic non habet proprietates, quas intellectus de illa demonstret: nam cùm proprietates emanent à subiecto, implicat vt possibiles in aliquo intelligantur proprietates, nisi possibilis præintelligatur eius essentia: ergo sufficit præcognoscere de subiecto an sit rei in aptitudine: per ly autem (An sit rei) non restringitur hæc doctrina ad entia realia: nam etiam quando subiectum demonstrationis est ens rationis, vt in demonstrationibus Logicis, debet de tali subiecto præcognosci, an sit rei, illi proportionatum. Quantùm ad vltimum. In demonstratione à priori, de qua hîc loquimur, essentia subiecti non potest à priori demonstrari, cum nihil sit prius in re eius essentiâ, imò ex ipsa proceditur ad demonstrandas de subiecto proprietates: ergo essentia subiecti debet præcognosci ante demonstrationem: ac proinde debet præcognosci de subiecto quid sit.

Probatur quarta pars conclusionis quantùm ad primum, [An sit] proprietatis ostenditur per demonstrationem; quia [An sit] siue esse proprium proprietatis est inesse subiecto, quod demonstratur: ergo ante demonstrationem non debet præcognosci de proprietate [An sit:] hîc autem loquimur de proprietate, vt est proprietas, non vt est accidens, aut secundùm aliam generalem rationem: nam potest quis scire risibilitatem hominis, & ignorare an sit eius proprietas; & tunc licèt cognoscat [An sit] risibilitatis, non tamen cognoscit [An sit] illius vt est proprietas. Quantùm ad secundum [Quid rei] proprietatis vt talis, pendet ex proprio subiecto, per quod debet definiri: sed per demonstrationem cognoscitur quodnam sit proprietatis subiectum: ergo ante demonstrationem non debet præcognosci [Quid rei] ipsius proprietatis, vt est proprietas. Quantùm ad tertium, si ignoratur quæ sit significatio nominis, non poterit in demonstratione attribui subiecto tale nomen: ergo de proprietate ante demonstrationem debet præcognosci [Quid nominis;] & propter eamdem rationem debet etiã præcognosci ante demonstrationem de subiecto & principio [Quid nominis:] hoc autem specialiter attribuitur proprietati, quia de illa nulla alia habetur præcognitio.

Ad primum ergo dicendum, quòd duæ illæ quæstiones scilicet [Quia est, & Propter quid est] quas Philosophus affert. 2. Posterior. cap. 1. per ipsam demonstrationem cognoscuntur; vt dictum est: nam per eam

ſcimus, quia proprietas conuenit ſubiecto, & etiam propter quid illi conuenit: vnde ante demonſtrationem ſunt tantùm duæ præcognitiones, videlicèt (An ſit, & Quid ſit:) vtraque autem præcognitio diuiditur in duas alias: quia (An eſt) poteſt inquiri, tam de ipſa re ſimplici, quàm de integra propoſitione, cuius exiſtentia eſt ſua veritas: & ita aliud eſt (An eſt rei ſiue reale, & An eſt veritatis) ſimiliter (Quid ſit) quod ſignificat definitionem diuiditur in (Quid ſit rei) ſiue quæ ſit eſſentia rei, & (Quid ſit nominis) ſiue quid nomen ſignificet: vt patet ex dictis.

An ſecundum dicendum, quòd quando demonſtratur exiſtentia, non ita demonſtratur; quin quodammodo præcognoſcatur [An ſit] talis rei, quatenus intelligitur antecedere ipſam exiſtentiam: quando enim demonſtratur Deus eſſe, ibi apprehenditur priùs Deus cum aptitudine ad eſſendum: & hoc ſolùm debet præcognoſci ante, demonſtrationem. Alij reſpondent debere præcognoſci ante demonſtrationem [An eſt] de ſecundo adiacente, & non de tertio adiacente; dicitur autem propoſitio de ſecundo adiacere, quando ſubiecto ſolùm adiacet verbum, & non aliud prædicatum, vt homo eſt; nam licèt in ly [eſt] includatur participium verbi: tamen nihil dicit vltra verbum: propoſitio autem de tertio adiacente, dicitur illa, in qua præter verbum datur aliquod prædicatum, vt homo eſt albus: quando verò exiſtentia demonſtratur de ſubiecto, talis propoſitio habet modum propoſitionis de tertio adiacente.

Ao Tertium dicendum, quòd bonitas illationis pertinet ad libros Priorum hîc autem enumerantur ab Ariſtotele præcognita poſterioriſtica tantùm.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aſſenſus præmiſſarum ſit cauſa aſſenſus Concluſionis?

AD TARTIVM ſic proceditur. Videtur quòd aſſenſus præmiſſarum non ſit cauſa aſſenſus Concluſionis. Ita Durandus in.2.d.24.q. 1. num.12. vbi dicit quòd in intellectu prattico concluſio deliberationis fit per nudam potentiam, & non per aliquos actus ſe habentes ad hoc in ratione principij actiui: vnde cùm ſit paritas quantùm ad hoc in intellectu ſpeculatiuo, infertur quòd Durandus abſolutè negat aſſenſum præmiſſarum concurrere actiuè ad aſſenſum concluſionis. Probatur. Cauſa efficiens tunc operatur actu tantùm quando eſt in rerum natura: nam cùm operari ſequatur eſſe, operari actu, ſequitur ad eſſe actu: ſed quando intellectus aſſentitur concluſioni, iam præterijt aſſenſus præmiſſarum, nec ſimul eſſe poteſt cum aſſenſu concluſionis ex D. Thom. 1. p. q. 85. art. 4. vbi dicit intellectum non poſſe plura, vt plura ſimul cognoſcere, quia non poſſunt eſſe ſimul plures cognitiones, ſed vna poſt aliam; maximè in vero diſcurſu, qui eſſentialiter requirit talem ſucceſſionem: ergo aſſenſus præmiſſarum non eſt cauſa ſaltem efficiens aſſenſus concluſionis.

§ 2. Præterea, Cùm aſſenſus præmiſſarum ſaltem qui producitur ab habitu principiorum, ſpeciè diſtinguatur ab aſſenſu concluſionis demonſtratiuæ; (cùm hic eliciatur ab habitu ſcientiæ, qui ſpecie diſtinguitur ab habitu principiorum: vbi autem habitus ſunt ſpecie diſtincti, multò magis actus ab illis eliciti) ſequitur quòd ſi ille ſit cauſa efficiens iſtius, eſt cauſa æquiuoca: ſed non poteſt eſſe cauſa æquiuoca; nam cauſa æquiuoca eſt vniuerſalis & remota, vt patet in Sole & aliis aſtris reſpectu horum inferiorum; aſſenſus autem præmiſſarum eſt cauſa particularis & proxima ſi eſt: ergo nullo modo aſſenſus premiſſarũ eſt cauſa efficiens aſſenſus concluſionis.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. hîc lectione 3. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ & alij Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm aſſentiamur concluſioni propter præmiſſas, quæ illam virtute continent: aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus concluſionis.

RESPONDEO dicendum, quòd aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus concluſionis. 2. Non quidem in genere cauſæ finalis. 3. Sed in genere cauſæ efficientis. 4. Et aliquo modo in genere cauſæ materialis & formalis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd in præſenti non quæritur an præmiſſæ ipſæ obiectiuæ, ſint cauſa concluſionis: de hoc enim infra agemus; ſed quæritur an actus intellectus, quo aſſentitur præmiſſis, ſit cauſa actus, quo aſſentitur concluſioni: ex qua difficultate dependet alia, de qua ſtatim agetur; an ſcilicet talis aſſenſus præmiſſarum neceſſitet intellectum ad aſſentiendum concluſioni: ſed hæ difficultates procedunt per ſe loquendo, non per accidens, & reſpectu intellectus bene diſpoſiti, qui ſcilicet cognoſcat vim illationis, & alia de cauſa non ſit impeditus: certum enim eſt, quòd ſi quis non cognoſceret vim illationis, vel eius intellectus non eſſet bene diſpoſitus, vt patet in ruſtico & amente; in eo per accidens aſſenſus præmiſſarum non produceret aſſenſum concluſionis; nec intellectus neceſſitaretur ad aſſentiendum concluſioni ex aſſenſu præmiſſarum.

Item ſciendum eſt quòd aliquid poteſt cognoſci dupliciter; vel in ſeipſo, quando ſcilicet primò & per ſe, ſiue ratione ſui terminat cognitionem, vt quando videtur Petrus in ſua perſona; vel poteſt cognoſci in alio, quando non ratione ſui cognoſcitur, ſed in cognitione alterius, in quo ipſum aliqualiter continetur, vt Petrus in ſua imagine, cauſa in effectu, vel econtra. Quando præmiſſæ & concluſio cognoſcuntur à nobis primo modo, tunc cognoſcuntur diuerſis actibus, vt communiter omnes fatentur: quando autem cognoſcuntur ſecundo modo (concluſio enim continetur virtualiter in præmiſſis, & præmiſſæ in concluſione) tunc per eamdem cognitionem, quæ formaliter terminatur ad præmiſſas, cognoſcitur in eis virtualiter ipſa concluſio, ex Ariſtotele in præſenti; & ſimiliter per eamdem cognitionem, quâ cognoſcitur concluſio in ſeipſa, cognoſcuntur quodammodo in ea præmiſſæ, ſecundùm quòd ſunt rationes aſſentiendi concluſioni ex D. Thom. 1.2. quæſt. 8. art. 3. in hoc autem & ſequenti articulo non loquimur in hoc ſecundo ſenſu: comparando ſcilicet aſſenſum formalem præmiſſarum cum aſſenſu virtuali concluſionis in eo contento, aut formalem concluſionis cum virtuali præmiſſarum ibi incluſo.: quia non ſunt plures actus; & ideo non poteſt ibi reperiri vera cauſalitas aut determinatio: & ita loquimur de aſſenſibus propriis & formalibus præmiſſarum & concluſionis; ſiue de cognitionibus, quibus tam præmiſſæ, quàm concluſio cognoſcuntur in ſeipſis, quæ verè ſunt diuerſæ, & vna poteſt habere rationem cauſæ, & alia rationem effectus.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Philoſophi in præſenti, vbi ait omnem cognitionem diſcurſiuam fieri ex præexiſtenti cognitione præmiſſarum: ibi enim particula [ex) denotat cauſalitatem, vt ait Commentator: & non tantùm ordinem termini [à quo] nam terminus (à quo) eſt incompoſſibilis cum termino (ad quem) & amittitur per acquiſitionem illius: aſſenſus autem præmiſſarum non opponitur aſſenſui concluſionis, nec iſto adueniente deperditur ille neceſſariò. Item authoritate D. Thom. 1. contra gentes cap. 55. ratione 4. item 1.p.qu.14. art. 7. vbi diſcurſum propriè dictum, vocat diſcurſum ſecundùm cauſalitatem: ex quo ſic conficitur ratio: Eſſentia diſcurſus non conſiſtit in hoc præciſè quòd vnum cognoſcatur poſt aliud ſecundùm ſucceſſionem temporis: nam poſſunt plures propoſitiones diſparatæ vna poſt aliam ſucceſſione temporis cognoſci, abſque eo quòd ibi ſit verus diſcurſus: ergo propria eius ratio conſiſtit in hoc, quòd vnius cognitio cauſetur ex cognitione alterius; & ita aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus concluſionis. Deinde aſſenſus præmiſſarum virtute continet in ſe aſſenſum concluſionis: ſed continentia virtualis eſt propria cauſæ reſpectu effectus, vt patet: ergo aſſenſus præmiſſarũ eſt cauſa aſſenſus concluſionis.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Aſſenſus concluſionis non ordinatur ad aſſenſum præmiſſarum: ſed econtra

tra aſſenſus præmiſſarum ordinatur ad aſſenſum concluſionis; præmiſſæ enim aſſumuntur propter concluſionem: ergo aſſenſus præmiſſarum non eſt cauſa aſſenſus concluſionis in genere cauſæ finalis, ſed potiùs econtra; illud enim eſt finis ad quod aliud ordinatur.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Th. hîc lect. 3. vbi ait: *Principia ſe habent ad concluſiones in demonſtratiuis, ſicut cauſa actiua in naturalibus ad ſuos effectus*: Vnde in 2. phyſicorum propoſitiones ſyllogiſmi ponuntur in genere cauſæ efficientis. Item 1. contra gentes cap. 55. ait *In omni ſcientia diſcurſiua oportet aliquid eſſe cauſatum*: Nam principia ſunt quodammodo cauſa efficiens concluſionis: vnde & demonſtratio dicitur ſyllogiſmus faciens ſcire.

Secundò. Illud quod conſtituit potentiam in actu primo ad efficiendum, concurrit cum ea efficienter ad actum ſecundum, vt conſtat tam in ſpeciebus intentionalibus ſenſuum, quàm in omnibus aliis conſtitutiuis cuiuſcúmque potentiæ operatiuæ: ſed per ſpecies intelligibiles præmiſſarum & per aſſenſus illarum conſtituitur intellectus in actu primo ad aſſentiendum concluſioni: ſiquidem intellectus nudè ſumptus non eſt ſufficienter determinatus in ratione cauſæ ad talem aſſenſum producendum; quod tamen habet exiſtente aſſenſu præmiſſarum. Deinde quia in aſſenſu concluſionis, non ſolùm inuenitur ratio communis intellectionis, quæ per ſe primò correſpondet intellectui, nec ſola ratio intellectionis talis obiecti, quæ per ſe primò correſpondet ſpeciei intelligibili: ſed reperitur etiam ratio intellectionis diſcurſiuæ, quæ vt ſic refunditur tanquam in cauſam per ſe in præexiſtentem cognitionem præmiſſarum: ergo ſpecies & aſſenſus præmiſſarum ſunt cauſa aſſenſus concluſionis in genere cauſæ efficientis. Confirmatur. Continentia virtualis aſſenſus præmiſſarum reſpectu aſſenſus concluſionis, & modus neceſſitandi, quo ille cogit intellectum ad iſtum eliciendum, non poſſunt rectè ſaluari in alio genere cauſæ: ergo debet admitti genus cauſæ efficientis.

Tertiò. Ex Ariſtotele, vt infra dicetur, aſſentimur concluſioni propter præmiſſas; & ideo magis aſsentimur præmiſſis: ergo aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus concluſionis in genere cauſæ efficientis; nam ly (propter) non denotat in præſenti cauſam finalem, vt dictum eſt: nec poteſt accommodari cauſæ materiali aut formali, in quibus non habet locum hoc axioma (propter quod vnumquódque tale, & illud magis) vt infra dicetur: ergo denotat genus cauſæ efficientis. Confirmatur. Eo modo ſe habent præmiſſæ, ſiue principia in ſpeculatiuis, ſicut ſe habet finis in practicis ex D. Thom. multis in locis, & habetur 7. Ethicorum 8. ſed volitio finis eſt cauſa efficiens volitionis mediorum ex D. Thom. 1. 2 q. 9. art. 3. quem communiter ſequuntur Theologi: ergo etiam aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa efficiens aſſenſus concluſionis. Iſte autem modus concurrendi, vel conſiſtit in hoc iuxta Caietanum, quod verbum mentis ſiue ſpecies expreſſa, quæ eſt in aſſenſu præmiſſarum, immediatè per ſe ipſam ſimul cum intellectu producit aſſenſum concluſionis, vel in alio: ſed de his in libris de anima.

Probatur quarta pars concluſionis, & explicatur. Licèt aſſenſus præmiſſarum non poſſit dici cauſa materialis aut formalis aſſenſus concluſionis ratione ſui, quia vnus actus non fit propriè ex alio tanquam ex materia, aut actuat illum vt forma: poteſt tamen dici cauſa ratione obiecti, ſcilicet præmiſſarum; nam iſtæ quodammodo ſunt cauſa materialis concluſionis ex Ariſtotele 2. Phyſicorum textu 5. & D. Thom. ibidem lect. 5. inquantum termini, qui ſunt materia præmiſſarum, ſunt etiam materia concluſionis: licèt non vt ſtant ſub forma præmiſſarum, eo modo quo farina dicitur materia panis, non quidem vt ſtat ſub forma farinæ. Similiter præmiſſæ, ſiue principia ſunt ratio (quâ) aſſentiendi concluſioni, & ex qua ſumitur eius ſpecificatio, vt infra dicetur; & propterea ſunt quodammodo cauſa formalis extrinſeca concluſionis.

Ad primum ergo dicendùm, quòd aſſenſus præmiſſarum remanet virtute, inquantum determinauit per ſuam ſpeciem expreſſam intellectum ad aſſenſum concluſionis eliciendum: non autem eſt neceſſe, quòd remaneat actu formaliter: quamuis poſſet concedi, ſimul eſſe aſſenſum præmiſſarum & concluſionis: nam ſolùm intellectus non poteſt intelligere plura vt plura; quando ſcilicet requiruntur plures ſpecies diſparatæ; quando verò ipſæ ſpecies ſubordinatæ ſunt ad inuicem, cenſentur partes vnius integræ ſpeciei & cognitionis; & non plures ſpecies aut cognitiones.

Ad ſecundum dicendum, quòd non eſt eadem ratio formalis cauſæ vniuerſalis ac cauſæ æquiuocæ: vna enim cauſa particularis poteſt eſſe æquiuoca; nec in hoc vlla eſt repugnantia: nam Ariſtoteles lib. 1. de generatione animalium cap. 16 dicit eſſe quædam animalia imperfecta & ex putrefactione genita, quæ tamen coëunt & generant non animal ſuæ ſpeciei, ſed quoſdam vermiculos; vnde diuiſit animalia in fœtipara, ouipara, & vermipara: certum eſt autem quòd ſunt reſpectu horum cauſæ particulares & æquiuocæ; & ita contingit in præſenti.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm per aſſenſum præmiſſarum neceſſitetur intellectus ad aſſenſum Concluſionis?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd per aſſenſum præmiſſarum non neceſſitetur intellectus ad aſſenſum concluſionis quoad exercitium. Ita tenent Oña hîc q. 1. art. 3. Ruuius q. 8. & alij moderni: qui tamen concedunt neceſſitari quoad ſpecificationem. Probatur authoritate D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 3. vbi hæc habet: *Ipſum verum, quod eſt perfectio intellectus continetur ſub vniuerſali bono, vt quoddam bonum particulare*: Sed circa particulare bonum non neceſſitatur voluntas, ſaltem quoad exercitium: at poteſt velle & nolle illud, vt patet: ergo poſtquam intellectus præbuit aſſenſum præmiſſis, poteſt ex imperio voluntatis ſuſpendere aſſenſum circa concluſionem: & conſequenter per aſſenſum præmiſſarum non neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis.

§ 2. Præterea, Ex iiſdem principiis poſſunt deduci duæ concluſiones, vt patet in (Barbara & Baralipton) quarum vna eſt directa alia indirecta: ergo vel intellectus ſimul deducet duas illas concluſiones poſt aſſenſum præmiſſarum, vel remanebit indifferens ad deducendam vnam aut alteram: ergo ſicut voluntas poteſt determinare intellectum ad aſſentiendum alterutri, ſic poteſt determinare eum ad ſuſpendendam vtrámque: & ita intellectus per aſſenſum præmiſſarum non neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. in præſenti, item 1. p. q. 82. art. 2. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, Caietanus ibidem, Sanches, Soncinas, noſtri Complutenſes, noſter Didacus in præſenti, & plures extra ſcholam D. Thom. vt Fonſeca, Conimbricenſes & alij.

CONCLVSIO.

Cùm eodem inſtanti, quo cognoſcitur minor argumenti, cognoſcatur etiam concluſio ab intellectu, qui non eſt potentia libera, ſed naturalis: per aſſenſum præmiſſarum neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis.

RESPONDEO dicendum, quòd intellectus per aſſenſum præmiſſarum cognitâ bonitate illationis neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis, non ſolùm quoad ſpecificationem, 2. Sed etiam quoad exercitium. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Ariſtoteles hîc in 1. cap. docet propoſitionem, ſiue maiorem argumenti cognoſci priùs tempore, quàm concluſionem: aſſumptionem verò, ſiue minorem ſimul tempore; licèt priùs naturâ: quod intelligendum eſt, quando diuerſis actibus cognoſcuntur; nam quando in ipſa cognitione concluſionis cognoſcuntur præmiſſæ, vt ratio aſſentiendi illi, nullum in hoc eſt diſcrimen inter maiorem & minorem; ac ita intelligunt Ariſtotelem D. Thom. hîc lect. 2. & communiter eius Diſcipuli; quòd ſcilicet in ſyllogiſmo poſito aſſenſu ma-

ioris, non statim sequitur assensus conclusionis; cùm assensus maioris non sit causa adæquata assensus conclusionis; & ideo potest tempore præcedere: sed quando aduenit assensus minoris in proprio loco, & situ minoris: scilicet præcedente assensu maioris; cùm iam sit integra & totalis causa, statim sequitur assensus conclusionis in eodem instanti temporis; & ita minor ac conclusio cognoscuntur simul tempore, quamuis assensus minoris prioritate naturæ antecedat assensum conclusionis: cùm sit causa illius. Ratio huius est, quia assensus præmissarum sunt causa naturalis assensus conclusionis: ergo statim ac complentur in ratione causæ producunt illum: sed quando præcedente assensu maioris aduenit assensus minoris, iam causa est completa: ergo statim producunt assensum conclusionis: actiones autem intellectus sunt instantaneæ, nec mensurantur tempore, nisi ratione phantasmatum; & ideo quantùm attinet ad ipsum intellectum, in eodem instanti temporis, quo datur assensus minoris, datur etiam assensus conclusionis: supposito quòd ipse intellectus sit bene dispositus; nec aliàs impeditus vt cognoscat bonitatem illationis.

Item sciendum est dupliciter aliquam potentiam posse necessitari, scilicet quoad specificationem, & quoad exercitium. Necessitatur quoad specificationem, quando taliter determinatur ad vnam partem, vt quamuis possit suspendere actum: tamen si operetur, actus debet esse illius speciei, ad quam determinatur, & non potest esse alterius. Necessitatur autem quoad exercitium, quando taliter determinatur, vt non possit suspendere actum, siue cessare ab illo: vt hîc in via necessitatur nostra voluntas quoad specificationem ad amandam beatitudinem in communi: quia licèt possit non elicere actum circa illam, tamen si velit elicere, non potest esse actus odij, sed necessariò erit actus amoris: sed eadem voluntas in patria necessitatur à bonitate diuina, (quæ est vera beatitudo) clarè visa quoad exercitium; quia non solùm non potest eam odisse: sed neque potest suspendere actum amoris, vel cessare ab amore illius: quia intellectus clarè videt ipsam esse summum bonum, nec vlla est in exercitio difficultas.

Probatur prima pars conclusionis. Assensus præmissarum est causa naturalis assensus conclusionis, vt dictum est: ergo sublatis omnibus impedimentis, & positis requisitis non potest non producere illum: vnde quoad specificationem saltem talis productio est necessaria; cùm ista sit minor necessitas, quæ possit esse in causa ad producendum effectum.

Secundò, ille qui scit ex vero non posse sequi falsum, & cognoscit aliqua principia esse vera, ac illis assentitur: scit etiam conclusionem ex illis rite deductam non posse non esse veram: ergo dato quòd possit suspendere assensum, non potest tamen illi dissentire, quod est necessitari quoad specificationem. Confirmatur. Si post assensum præmissarum intellectus dissentiret conclusioni, iam assentiretur virtualiter contradictoriæ illius: sed qui assentitur contradictoriæ conclusionis, cogitur etiam assentiri contradictoriæ antecedentis iam concessi, & consequenter cogeretur assentiri duabus contradictoriis, quod implicat: ergo post assensum præmissarum non potest intellectus dissentire conclusioni, ac proinde necessitatur quoad specificationem ad assentiendum illi.

Probatur secunda pars conclusionis ex Aristotele, & D. Th. Eodem instanti, quo cognoscitur minor argumenti, cognoscitur etiam conclusio: ergo voluntas imperans assensum minoris, non potest impedire assensum conclusionis: nam voluntas imperans aliquam actionem alterius potentiæ, non potest impedire quidquid necessariò sequitur in eodem instanti ad talem actionem, vt patet: sed assensus conclusionis in eodem instanti necessariò sequitur ad assensum præmissarum, vt dictum est: ergo voluntas non potest impedire illum; ac proinde intellectus per assensum præmissarum necessitatur ad assensum conclusionis, etiam quoad exercitium.

Secundò, intellectus non est potentia libera, at naturalis, sicut visus: sed voluntas licèt possit retrahere potentiam visiuam à visione auferendo obiectum, aut lucem, vel apponendo impedimentum, sicut claudendo oculos: tamen si obiectum sit præsens, medium illuminatum, oculi aperti &c. non potest impedire visionem: ergo similiter poterit quidem voluntas retrahere intellectum, ne cogitet de præmissis aut de bonitate illationis, diuertendo illum ad alia: si tamen semel permiserit ipsum cogitare de bonitate illationis, & assentiri præmissis, neque aliàs sit impeditus, non poterit voluntas impedire quin assentiatur conclusioni: & ita per assensum præmissarum necessitatur ad assensum conclusionis, etiam quoad exercitium.

Ad primum ergo dicendum, quòd voluntas non potest habere necessitatem absolutam, nec quoad exercitium, nec quoad specificationem respectu alicuius boni particularis: bene tamen potest habere necessitatem ex suppositione alterius, quod liberè voluit, & cum quo tale bonum particulare habet necessariam connexionem: quando enim aliqua duo talem habent connexionem, licèt ad positionem prioris sit libertas: semel tamen illo posito, non potest aliud impediri, qui modus necessitatis etiam ad ipsam liberrimam Dei voluntatem pertingit; & ita in præsenti voluntas non potest impedire assensum conclusionis, supposito quòd permiserit assensum præmissarum: quia habent inter se necessariam connexionem.

Ad secundum dicendum, quòd assensus præmissarum necessitat semper intellectum ad assensum conclusionis directæ: hic enim est proprius, & immediatus effectus illius: ex quo deinde facta conuersione talis conclusionis, intellectus elicit assensum conclusionis indirectæ. Ratio huius est, quia conclusio indirecta non per se primò & immediatè sequitur ex præmissis: sed mediante conclusione directâ in qua aliqualiter continetur: quia hæc potest conuerti in illam.

QVÆSTIO XXII.

De Demonstratione.

Deinde considerandum est de ipsa demonstratione, de eius definitionibus quarum prima est, Demonstratio est syllogismus faciens scire, siue generans scientiam: secunda, Demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis, ac de eius diuisionibus: circa quod quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm sint bonæ definitiones demonstrationis ab Aristotele traditæ?

¶ Secundò, Vtrùm sint rectè assignatæ ab Aristotele conditiones demonstrationis?

¶ Tertiò, Vtrùm diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) sit adæquata?

¶ Quartò, Vtrùm hæc diuisio demonstrationis sit vniuoca?

¶ Quintò, Vtrùm per demonstrationem generetur habitus scientiæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sint bonæ definitiones demonstrationis ab Aristotele traditæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd non sint bonæ definitiones demonstrationis ab Arist. traditæ. Probatur de prima. Generare scientiam conuenit demonstrationi pro materiali tantùm: nam pro formali est ens rationis; effectus autem non potest excedere in perfectione suam causam: ergo per generare scientiam non benè explicatur essentia siue ratio formalis demonstrationis. Deinde non apparet, in quo genere causæ, etiam pro materiali, scientiã generet: nã conclusio scita est pars demonstrationis; imò demonstratio consistit in ipso actu discursus, qui est ipsum scire, siue scientia actualis: ergo demonstratio

scientia propriè non facit scire, & ita non bene definitur, quòd sit syllogismus generans scientiam vel faciens scire.

§ 2. Præterea. Probatur de secunda: Ex vna parte hæc definitio redundat: ex alia verò parte est diminuta: dicitur enim quòd est syllogismus procedens ex veris, primis & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis, procedere autem ex primis & immediatis, idem est omnino: item ex eo quòd procedat ex causis, procedit ex prioribus & ex notioribus; vnde ex hac parte redundat: aliundè autem tacentur multæ conditiones præmissarum demonstrationis, vt quòd sint de omni, de per se, de prædicato vniuersali: sed definitio redundans & diminuta non est bona: ergo hæc secunda definitio demonstrationis non est bona.

§ 3. Præterea, Hæc secunda definitio non conuenit omni demonstrationi: sunt enim multæ demonstrationes, quæ non procedunt ex primis immediatis & causis, vt constat in demonstrationibus à posteriori: ergo hæc definitio non est bona.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis tradentis has definitiones, & D. Th. hîc lect. 4. illas acceptantis; quos sequuntur communiter Thomistæ & alij.

CONCLVSIO.

Cùm prima definitio demonstrationis tradatur per causam finalem; secunda verò per causam materialem: sunt optimæ.

RESPONDEO dicendum, quòd prædictæ definitiones demonstrationis traditæ ab Arist. sunt optimæ & exactissimæ. 2. Prima quidem est tantùm descriptiua. 3. Secunda verò est essentialis. Ad quarum euidentiam sciendum est, quòd syllogismus est quoddam artificium & concretum rationis constans materiâ & formâ, quod ex parte formæ diuiditur in tres figuras & plures modos: ex parte verò materiæ in Demonstratiuum, Topicum & Sophisticum: diuisio ex parte formæ est essentialis: secunda ex parte materiæ est accidentia in subiecta: nam secunda intentio constitutiua syllogismi posita in materia necessaria facit demonstrationem, in probabili syllogismum Topicum, & in apparenti Sophisticum: & ideo demonstratio, propriè loquendo, non significat aliquam veram speciem, sed potiùs quoddam ens per accidens resultans ex forma syllogismi & materia necessaria; ac proinde, vt sic non posset definiri; sed quia forma demonstrationis supponitur nota in libris priorum; propterea hîc non definitur forma eius, nec totum illud aggregatum; sed solùm explicatur, quid conueniat demonstrationi ex parte materiæ, siue quid requiratur in propositionibus, vt accedente formâ syllogismi fiat vera demonstratio: & hoc est intentum Arist. in his definitionibus; nam prima id explicat per proprium effectum, quem habet ex parte materiæ, scilicet generare scientiam, qui est causa finalis demonstrationis: vnde talis definitio traditur per causam finalem, ex qua statim infert conditiones, quas habere debent propositiones, quæ sunt materia demonstrationis, per quas secundò definit demonstrationem ex parte etiam materiæ. Solùm autem definit demonstrationem (Propter quid) quæ sine dubio generat scientiam, & procedit ex immediatis &c. hoc verò se fecisse dicit Aristoteles in hoc capite, eo quòd nondum egerat de demonstratione (Quia) nec in secunda definitione enumerauit omnes conditiones demonstrationis (Propter quid) sed tantùm eas, quæ ex definitionibus scientiæ & demonstrationis manifestè inferebãtur: alias verò, scilicet quòd præmissæ sint de omni, per se &c. sequentibus capitulis examinandas reliquit.

Probatur prima pars conclusionis. Definitio, quæ datur per propriam causam definiti, siue intrinsecam siue extrinsecam, est optima: sed prædictæ definitiones demonstrationis sunt huiusmodi; nam demonstratio ordinatur ad scientiam acquirendam tanquam ad proprium finem, per quam traditur prima definitio: constat verò tanquam ex propria materia, ex propositionibus veris, immediatis, notioribus &c. per quam traditur secunda definitio: ergo hæ definitiones sunt optimæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Illa definitio, quæ traditur per causam definiti extrinsecam, licèt sit optima; tamen est tantùm descriptiua: nam definitio essentialis traditur necessariò per causas essentiales, ac proinde intrinsecas: sed prima definitio traditur per causam extrinsecam demonstrationis, scilicet per scientiam, quæ est eius finis: ergo prima definitio demonstrationis est tantùm descriptiua.

Probatur tertia pars conclusionis. Illa definitio, quæ traditur per causam intrinsecam & essentialem, est essentialis, vt patet: sed secunda definitio demonstrationis traditur per eius causam intrinsecam & essentialem; scilicet per causam materialem (quæ est intrinseca & essentialis; quia est constitutiua essentiæ) traditur enim per propositiones, quæ sunt materia demonstrationis: ergo secunda definitio demonstrationis est essentialis. Prima explicabitur infra in vltimo articulo: secunda sic sigillatim expenditur quoad omnes eius particulas.

Dicitur 1. quòd debet constare (ex veris) nam licèt ex Arist. lib. 2. priorum cap. 2. conclusio vera possit sequi ex antecedente falso: tamen illud antecedens non influit veritatem in consequens, neque est causa eius: sed illam aliundè habet: in demonstratione autem præmissæ sunt causa veritatis conclusionis, & per ipsas conclusio probatur: vnde sicut conclusio demonstrationis, ita est vera, vt non possit esse falsa; sic etiam præmissæ debent necessariò esse veræ: eandem particulam probat Aristoteles, quia, quod non est, non scitur, cuius dicti sensus non est, quòd scilicet non detur scientia de re, quæ non existit: hoc enim est falsum: sed sensus illius est, non posse dari scientiam de eo, quod non ita est sicut enuntiatur: quia scientia est habitus circa verum, sicut error est habitus circa falsum.

Dicitur 2. (ex primis & immediatis) quæ duæ particulæ in re non differunt: siquidem propositio immediata est illa quâ non est alia prior, per quam probetur, vnde necessariò est prima: prima enim dicitur, quæ non habet aliam priorem: ponuntur tamen ad explicandos duos respectus ex D. Th. lect. citatâ: nam eadem propositio dicitur immediata, inquantum caret aliâ priori, per quam demonstretur: dicitur verò prima comparatione aliarum subsequentium, quæ per illam demonstrantur: rursus propositio immediata in rei veritate idem est, ac propositio per se nota: hæc enim seipsam notificat, nec eius veritas per aliam notificatur; quod idem est, ac non habere medium siue aliam priorem, per quam demonstretur: quod importat propositio immediata: vnde sicut Sol est per se lucidus, & alia illuminantur à sole; sic propositio immediata est per se nota: mediatæ verò per aliud, scilicet per immediatas illuminantur & noscuntur. Diuiditur propositio per se nota à D. Th. 1. p. q. 2. art. 1. in per se notam secundùm se, non verò quoad nos, & in per se notam secundùm se & quoad nos: Prima est, quæ secundùm se nullum habet medium, per quod manifestetur, quia vel prædicatum est de essentia subiecti, vel immediatè consequitur ad rationem eius: tamen non cognoscitur à nobis illa immediata connexio prædicati cum subiecto, nisi per aliud medium illam notificans, vt ista propositio (Deus est) quæ secundùm se est per se nota: nam esse est de essentia Dei; quia tamen non scimus de Deo (quid est) ideo non est per se nota quoad nos, sed innotescit per eius effectus: similiter propositio, in qua prima proprietas prædicatur de essentia, cùm nihil realiter inter ipsa mediet, est propositio immediata, indemonstrabilis, & per se nota secundùm se ex D. Th. 1. posteriorum lect. 36. & opusc. 48. cap. 12. quoad nos autem potest dici non immediata, aut per se nota; quia per intellectum distinguimus definitionem subiecti ab ipso subiecto, & illam assumimus vt medium ad talem proprietatem de illo demonstrandam. Propositio per se nota secundùm se & quoad nos, est illa, cuius prædicatum & subiectum habent immediatam connexionem, quæ nobis est nota, & aliquando quoad omnes, vt sunt generalissima principia (quodlibet est, vel non est; impossibile est idem esse, & non esse; totum est maius suâ parte &c.) aliquando verò quoad sapientes tantùm, cuius exẽplum adducit D. Th. 1. p.

loco citato ex Boëtio ; scilicet (incorporalia non esse in loco) Aliqui addunt isti diuisioni tertium membrum, scilicet propositionem per se notam quoad nos tantùm, vt est illa, quæ licèt habeat medium, per quod probetur : tamen quia est sensibus notissima, non indiget tali medio, vt ista (nix est alba) tamen in rei veritate talis propositio non potest dici per se nota. Hæc diuisio propositionis per se notæ attribuitur etiam propositioni immediatæ, quamuis non ita frequenter, ac propositioni per se notę: & ideo alia est propositio immediata quoad se & quoad nos ; alia autem quoad se tantùm ; alia denique quoad nos tantùm: in hac autem definitione demonstrationis per propositionem immediatam, intelligitur immediata secundùm se: hæc enim propriè & simpliciter est immediata, quia non habet aliam priorem, per quam probetur : quod accidit in propositionibus affirmatiuis, quando essentia vel partes eius prædicantur de subiecto, vel etiam prima passio: in negatiuis verò, quando prædicatum & subiectum exprimunt rationes primò diuersas, vt quando vnum prædicamentum negatur de alio, vel vna differentia de alia : ibi enim non datur medium per quod probetur vnum non esse aliud. Non intelligit autem Arist. in hac definitione, quòd omnis demonstratio procedat proximè ex immediatis: sed vt dicit D. Th. hîc lect. 4. intelligendus est Arist. de immediatis, vel statim, vel per aliqua media; siue proximè, vel remotè, quod ipsemet Philosophus innuit. 1. Topic. cap. 10. vbi sic ait : *Demonstratio est ex primis & veris, aut his, quæ per ea fidem sumpserunt:* Quæ explicatio non debuit hîc poni; quia demonstratio, quæ constat aliquâ propositione mediatâ, non generabit scientiam, nisi resoluatur ad primam & immediatam à qua deriuatur.

Dicitur 3. (ex causis conclusionis) circa quod notandum est, quòd semper præmissæ sunt causæ conclusionis in cognoscendo : per præmissas enim deuenitur in cognitionem conclusionis : aliquando etiam præmissæ continent causam in essendo conclusionis, vt quando per essentiam demonstratur prima proprietas, & per primam secunda &c. Tunc autem præmissæ dicuntur causa conclusionis in essendo simul & in cognoscendo : quia tunc intellectus assumit, vt causam cognitionis rei, id quod est verè causa rei: cùm igitur, vt dictum est, Arist. solùm definierit demonstrationem (à priori, siue propter quid :) per hanc particulam (causisque conclusionis) intelligendus sine dubio est de causis in essendo & cognoscendo: demonstrationis enim (à posteriori, siue Quia) quæ causas demonstrat per effectus, præmissæ sunt tantùm causæ conclusionis in cognoscendo. Causa autem in essendo est duplex ; vna formalis, alia virtualis ; ita tenent communiter tam Theologi, quàm Metaphysici. Causa formalis in essendo est illa, à qua effectus realiter procedit, siue per veram actionem, siue per naturalem emanationem, aut resultantiam ; & hæc semper distinguitur realiter ab effectu: causa verò virtualis in essendo, est ille gradus, siue ratio, quæ licèt reuera non producat aliam, imò realiter cum illa identificatur : tamen inter eas, vt sunt virtualiter plures, reperitur talis subordinatio ; quòd intellectus apprehendat vnam vt causam alterius ; ita vt si hæc aliquam haberet causam, nullam aliam haberet nisi illam : sicut in anima rationali immaterialitas est causa virtualis immortalitatis : & in Deo immutabilitas est causa virtualis æternitatis: dicuntur autẽ hę rationes causæ virtuales, tum quia quodammodo continent in virtute alias rationes posteriores: tum quia quantùm ad hoc æquiualent causis in essendo formalibus: quæ doctrina applicatur etiã entibus rationis. Igitur in demonstratione (propter quid) præmissæ sunt causæ conclusionis in essendo ; vel formales vel virtuales.

Dicitur 4. & vltimò (ex notioribus & prioribus) nam cùm præmissæ debeant esse causæ in essendo conclusionis ; consequenter sunt notiores : causa enim est notior, quàm effectus ; & quia etiam causa semper est prior suo effectu, saltem prioritate naturæ : ideo etiam præmissæ procedunt ex prioribus formaliter & in actu : nam præmissæ actu antecedunt conclusionem : vnde ly (ex prioribus) dicit ordinem ad conclusionem : ly autem (ex primis) dicit ordinem tantùm ad alias propositiones mediatas.

Ex his quæ hactenus dixit Arist. concludit intellectum firmiùs perfectiùs & magis assentiri præmissis, quàm conclusioni : nam si assentimur conclusioni propter præmissas ; magis assentimur ipsis præmissis, iuxta hoc axioma, (propter quod vnum quodque tale, & illud magis) quod axioma exponitur & limitatur à D. Thom. 1. part. quidem quæst. 87. art. 2. ad 3. & dicit esse intelligendum in his, quæ sunt vnius ordinis, siue in eodem genere causæ : hîc autem lib. 1. lect. 6. dicit, quòd quando causa & effectus conueniunt in nomine, tunc illud nomen magis prædicatur de causa, quàm de effectu, sicut ignis est magis calidus, quàm ea, quæ per ignem calefiunt : quando verò causa & effectus non conueniunt in nomine, tunc licèt nomen effectus non conueniat causæ, tamen conuenit ei aliquid dignius : sicut quamuis in Sole non sit calor, est tamen in eo virtus quædam altior, quæ est principium caloris. Tandem illud limitat in 1. d. 12. q. 1. art. 2. ad 2. vbi sic ait : *Dictum Philosophi verificatur, quando illud, quod conuenit alicui propter aliquid aliud, est diuersum in vtroque, & præcipuè quando vnum est causa alterius essentiali ordine causæ : tunc enim causalitas sua est respectu totius speciei, & non vnius indiuidui tantùm, &c.* Quas omnes limitationes & explicationes ad hanc regulam reducit Caietanus hîc cap. 2. quæ nullam patitur exceptionem. Scilicet, quando totus effectus potest reflecti supra veram causam, id est, quãdo aliquid est tale propter aliud, quia illud aliud est tale ; illud propter quod est tale, est magis tale; sicut Luna est lucida, quia Sol est lucidus; ideò bene sequitur: ergo Sol est magis lucidus.

Ad primum ergo dicendum, quòd hîc non definitur demonstratio ex parte formæ, sed solùm ex parte materiæ : & ideo rectè adducitur in definitione propria operatio, siue effectus, qui competit demonstrationi ratione materiæ. Ad aliud dicendum, quòd scientia habitualis producitur efficienter proximè per actum discursus, qui est in assensu conclusionis, & solet dici scientia actualis: hæc verò producitur à præmissis rectè dispositis, in quibus, prout sic, saluatur artefactum illud, quod assumit intellectus, vt instrumentum, ad acquirendum cognitionem scientificam : vnde licèt demonstratio sumpta pro ipso scire, seu vt est causa scientiæ habitualis, præcipuè consistat in actu discursus ; sumpta tamen vt sumitur frequentiùs pro illo artefacto intellectuali, siue vt est instrumentum sciendi, solùm consistit in præmissis cum tali dispositione, vt ex communi Dialecticorum sententia, & manifestis Philosophi testimoniis constat : & vt sic producit instrumentaliter scientiam.

Ad secundum dicendum, quòd licèt in re sint idem duæ particulæ (ex primis & immediatis :) tamen important diuersos respectus, vt dictum est : vnde ambæ requiruntur, vt sit exacta definitio. Similiter dicendum de tribus aliis particulis, videlicet (ex notioribus, prioribus, causisque conclusionis :) quòd vnaquæque dicit aliquam specialem rationem, & posterior addit supra priorem ; & ideo nulla est superflua : sicut non est superflua definitio, in qua post primum genus adducuntur suo ordine omnes differentiæ subalternæ vsque ad vltimam. Ad aliam partem dicendum, quòd tales conditiones indigebant maiori examine ; vnde Philosophus solùm enumerauit notiores : quamuis in istis illæ aliæ contineantur.

Ad tertium dicendum, quòd istæ definitiones sunt tantùm demonstrationis (propter quid,) vt dictum est ex Aristot. & constat communi Dialecticorum cõsensu: nam sola demonstratio (propter quid) est simpliciter demonstratio.

Articvlvs II.

Vtrùm sint rectè assignatæ ab Aristotele conditiones demonstrationis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non sint rectè assignatæ ab Aristot. conditiones demonstrationis ; præter iam explicatas cap. 4. dicit tria alia esse requisita

requisita ad demonstrationem : scilicet quòd præmissæ sint de omni, per se, & de prædicato vniuersali ; & c. 5. addit duo alia, scilicet quòd demonstratio non procedat ex communibus, neque extraneis, sed ex propriis, prout proprium opponitur, tam communi, quàm extraneo. Probatur de tribus primis. Syllogismus expositorius est demonstratio:sed talis syllogismus non habet præmissas, quæ sunt de omni, per se, & de prædicato vniuersali; imò præmissæ constant terminis singularibus : ergo tres illæ conditiones non rectè assignantur.

§ 2. Præterea, Scientiæ subalternatæ habent veras demonstrationes:sed scientiæ subalternatæ procedunt ex extraneis; ac proinde communibus:nam principia Arithmeticæ, ex quibus procedit musica ad demonstrandas proprietates de numero sonoro,sunt extranea ipsis sonis: ergo duæ vltimæ conditiones non rectè assignantur.

SED CONTRA est authoritas Philosophi assignantis has conditiones, quas admittit D. Thom. in præsenti, & communiter alij Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm præmissæ demonstrationis sint necessaria; debent esse de omni,per se,ac de prædicato vniuersali,& procedere non ex communibus, & extraneis; sed ex propriis.

RESPONDEO dicendum, quòd præmissæ demonstrationis debent esse de omni, & per se.2. ac de prædicato vniuersali.3. Si non vtraque, saltem aliqua.4. Vnde demonstratio non potest procedere ex omnino extraneis, sed medium quod assumitur in præmissis,debet habere necessariam connexionem cum subiecto, & etiam cum proprietate; ac ita subiectum, medium, & proprietas debent contineri intra idem genus.5. nec demonstratio (propter quid) potest procedere per causam remotam,& communem non conuertibilem cum effectu. 6. benè tamen per conuertibilem : quamuis talis demonstratio non sit ita perfecta.

Probatur & explicatur prima pars conclusionis. Dici (de omni) est duplex: vnum prioristicum, & est vnum ex principiis,in quo fundatur ars argumentandi, de quo supra dictum est : aliud verò est posterioristicum, de quo in præsenti est sermo. Ad hoc quòd propositio sit (de omni prioristicu) sufficit quòd sit vniuersalis, licèt prædicatum non conueniat subiecto pro omni differentia temporis, vt ista, omnis homo vigilat ; sufficit enim quòd, quando propositio profertur, ei conueniat : vnde ista propositio, Petrus vigilat, probatur per (dici de omni) sic,omnis homo vigilat,Petrus est homo: ergo Petrus vigilat. Ad hoc autem quòd propositio sit [de omni posterioristico] requiritur ex Arist. quòd prædicatum, non cuidam insit, cuidam non insit, neque interdùm conueniat, interdum non conueniat : quod tunc accidit, quando nihil potest assignari sub subiecto, cui non conueniat prædicatum pro omni differentia temporis, vt in istis, omnis homo est risibilis : omnis nix est alba : Arist. autem explicat hoc per negationem, vt comprehendat propositiones singulares, quarum prædicatum semper conuenit subiecto, vt Petrus est animal, risibilis &c. hæc nix est alba, quæ propositiones licèt non sint [de omni prioristico] sunt tamen de omni posterioristico ; quia earum prædicatum non interdum conuenit subiecto, & interdùm non conuenit ; sed semper conuenit. Item sciendum est, quòd vt Arist. explicet quid sit propositio [per se] adducit quatuor modos dicendi [per se.] Primus est, quando prædicatum est de essentia subiecti, vt quando definitio, vel partes eius sine Phisicæ, siue Logicæ prædicantur de definito. Secundus, quando prædicatum est proprietas subiecti, vel quando subiectum est de essentia prædicati ; quia proprietas definitur per proprium subiectum, & sic subiectum in obliquo est de essentia proprietatis. Tertius, potius est modus essendi; est enim ille,quo substantia dicitur ens per se. & non in alio. Quartus modus [per se] spectat ad causalitatem, & est quando subiectum est causa per se prædicati, vt ædificator ædificat, medicus medetur:quia verò in hoc quarto modo prædicatum conuenit subiecto accidentaliter ; ac proinde pertinet ad quintum prædicabile : propterea hic modus non deseruit demonstrationi, quæ debet constare propositionibus necessariis ; solùm duo primi deseruiunt, in quibus prædicatum habet necessariam connexionem cum subiecto : quia vel est de essentia, vel est proprietas; & sic facit propositionem necessariam. Hoc posito sic probatur. Præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ, vt dictum est supra ; sed omnis propositio necessaria est in aliquo ex duobus primis modis dicendi (per se,) vt etiam dictum est : & ex alia parte omnis propositio (de per se) in duobus primis modis, est etiam (de omni posterioristico) nam in duobus primis modis dicendi(per se)prædicatum vel est essentia, vel de essentia subiecti, vel habet necessariam connexionem cum illa; & ita omni participanti talem essentiam semper conuenit, ac ptoinde est propositio [de omni] ergo præmissæ demonstrationis debent esse [de omni , & per se.]

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Per prædicatum vniuersale non intelligitur hic vniuersale sicut in libro prædicabilium:scilicet quod est vnum in multis:sed illud prædicatum necessarium, quod conuenit subiecto conuertibiliter;siue secundum quod tale est,ex Arist. hic cap. 4. vbi sic ait : *Vniuersaliter autem id competere dico, quod vtique dicitur de omni, per se, & secundum quod ipsum* : Vnde tria requiruntur ad prædicatum vniuersale. Primum, quòd sit [de omni] defectu cuius risibile non est prædicatum vniuersale respectu animalis. Secundum,quòd sit [per se] defectu cuius album non est prædicatum vniuersale respectu niuis, quia ei conuenit accidentaliter, licèt omni. Tertium, quòd conueniat subiecto [secundùm quod ipsum] siue secundùm quod tale est,& conuertibiliter: defectu cuius sensibile non est prædicatum vniuersale respectu hominis; quia sensibile non conuenit homini secundùm quod est homo, sed secundùm quod est animal : vnde istæ sunt de prædicato vniuersali, homo est rationalis, homo est risibilis : ex quo infertur ista tria se habere, vt superius & inferius : nam prædicatum [de omni] latius patet quàm prædicatum [per se] nam album est prædicatum de omni respectu niuis,sed non prædicatum per se : & ita omne prædicatum per se, est de omni, sed non econtra ; similiter prædicatum (per se) latiùs patet quàm prædicatum vniuersale : nam omne prædicatum vniuersale est per se, sed non econtra, vt patet in sensibili respectu hominis. Hoc posito sic probatur.Perfectissima demonstratio probat propriam passionem de proprio & adæquato subiecto, ostendens propter quid illi conueniat : sed propria passio cōuertitur cum proprio & adæquato subiecto,& propriū (propter quid)siue propria & immediata causa passionis conuertitur cum ipsa passione : ergo in demonstratione perfectissima omnes tres termini sunt conuertibiles; vnde vtraque præmissa est de prædicato vniuersali, vt constat in ista ; omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus : ergo omnis homo est risibilis.

Probatur tertia pars conclusionis. In demonstratione [propter quid] probamus etiam proprietatem tum de aliqua specie aut indiuiduo subiecti adæquati, vt in ista, omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis:sed Isocheles est triangulus : ergo habet tres angulos æquales duobus rectis. Tum etiam de ipso genere particulariter sumpto, vt in ista, omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis : omnis triangulus est figura: ergo aliqua figura habet tres angulos æquales duobus rectis. Sed in his demonstrationibus vna tantùm præmissa est de prædicato vniuersali:nam habere tres angulos non conuertitur cum figura ; quia non omni conuenit : nec conuertitur cum Isochele, quia non soli conuenit:ergo non semper vtraque præmissa in demonstratione(propter quid) est de prædicato vniuersali : constat autem ex ipsis exemplis, quòd semper aliqua præmissa est de prædicato vniuersali. Talis tamen demonstratio non est tam perfecta, ac illa, in qua propria passio concluditur de proprio & adæquato subiecto ; quia propria passio per se primò conuenit proprio & adæquato subiecto, & ratione

tione illius conuenit inferioribus eius, & ipsi etiam superiori; sed particulariter sumpto: ita Arist. hic cap. 20. vbi docet demonstrationem vniuersalem, cuius scilicet ambæ præmissæ sunt de prædicato vniuersali, esse perfectiorem demonstratione particulari, cuius scilicet conclusio, aut præmissæ non sunt conuertibiles, siue de prædicato vniuersali: quia in illa, non verò in ista, propria passio concluditur vniuersaliter de proprio & adæquato subiecto. Notantur tamen circa hoc tres deceptiones, quæ possunt accidere. Prima est, quando aliqua species habet vnicum indiuiduum; si quis crederet propriam passionem talis speciei esse prædicatum vniuersale respectu indiuidui. Secunda, quando aliquæ species conueniunt in aliquo genere innominato: si quis proprias passiones talis generis crederet conuenire vniuersaliter, siue vt prædicatum vniuersale alicui eius speciei. Tertia si quis passionem alicuius speciei crederet conuenire generi, vt prædicatum vniuersale; præcipuè si talis species esset innominata. Ad vitandas has omnes deceptiones statuit Arist. hanc regulam: quandò posito subiecto ponitur prædicatum, & ablato aufertur; tunc prædicatum conuenit vniuersaliter, siue secundùm quod ipsum, subiecto. De his agit D. Th. hic lect. 12.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis, quam tradit hic Aristoteles cap. 7. & D. Th. lect. 15. Proprium potest sumi; vel vt opponitur alieno, siue extraneo; vel vt opponitur communi: & hic sumitur, vt excludit vtrúmque, tunc autem syllogismus dicitur procedere ex alienis siue extraneis, quando medium est omnino alienum à subiecto, scilicet à minori extremo: ita vt non habeat necessariam, sed tantùm contingentem connexionem cum illo: similiter syllogismus dicitur procedere ex communibus, siue ex remotis, quando medium non est propria & immediata causa proprietatis, sed remota & communis: tunc enim præmissæ dicuntur remotæ & communes: quod contingit dupliciter. Primò, quando causa est quidem communis & remota, sed tamen conuertibilis cum effectu, vt quando tertia passio demonstratur per primam: tunc enim in præmissis, vt patet, non ponitur propria & immediata causa rei, quæ demonstratur; & sic talis demonstratio procedit ex communibus & remotis. Secundò contingit quando syllogismus procedit per causam remotam & communem: quæ tamen non est conuertibilis cum effectu, sed connectit aliis. Hoc posito sic probatur. Si medium non habeat necessariam connexionem cum aliquo extremorum, illa præmissa, in qua medium cum illo extremo iungeretur, esset contingens, & consequenter etiam conclusio esset contingens, & non scientifica; vnde non esset demonstratio: ergo demonstratio debet procedere ex propriis, prout proprium opponitur alieno, siue extraneo: hoc tamen limitat Aristoteles ad scientias subalternantes, nam scientiæ subalternatæ quodammodo procedunt ex extraneis.

Probatur quinta pars conclusionis, quam tradit Aristoteles hic cap. 7. & Th. lect. 17. Quando demonstratio procedit per causam remotam & communem non conuertibilem cum effectu, tunc nulla præmissarum est de prædicato vniuersali: quia talis causa remota non est conuertibilis; quod tamen requirit prædicatum vniuersale: ergo demonstratio (propter quid) non potest procedere per causam remotam & communem non conuertibilem cum effectu: nam in demonstratione (propter quid) saltem aliqua præmissa debet esse de prædicato vniuersali, vt dictum est.

Probatur sexta pars conclusionis. Inter passiones eiusdem essentiæ talis est ordo, quòd ab essentia sola oritur prima passio, & ab eadem essentia simul cum prima passione oritur secunda, & ab essentia simul cum prima & secunda passione oritur tertia; & sic deinceps: ergo demonstratio, in qua tertia passio demonstratur per primam, aut secunda per essentiam, est verè demonstratio (propter quid;) quia essentia respectu secundæ passionis, & prima passio respectu tertiæ non sunt causæ remotæ: quasi nihil omnino influant per seipsas; sed quia in essentia supponitur prima passio, vt oriatur secunda &c. vnde essentia verè pertinet ad propter quid secundæ passionis, & prima ad propter quid tertiæ; & ideo tales demonstrationes sunt demonstrationes (propter quid) licèt aliqualiter imperfectæ; quia in eis non exprimitur integra causa, siue integrum propter quid passionis. Vnde quando Aristoteles dicit demonstrationem (propter quid) non procedere per causam remotam, intelligendus est de causa remota non conuertibili, vt constat ex ipso textu.

Ex dictis colligitur hoc axioma Aristotelis traditum cap. 10. huius libri; *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*; Esse intelligendum de causa propria & conuertibili: ista enim valet; si est rationale, est risibile: ergo si non est rationale, non est risibile: quia rationale est causa propria & conuertibilis respectu risibilis; non autem potest intelligi de causa communi & inconuertibili; licèt enim valeat; respirat: ergo est animal: tamen negatiua non sequitur, non respirat: ergo non est animal; siue meliùs, non est animal: ergo non respirat, valet; & tamen non valet, est animal: ergo respirat: & similiter licèt hæc affirmatiuà valeat, est homo: ergo est sensitiuum; negatiua tamen non valet, non est homo: ergo non est sensitiuum.

An primum ergo dicendum, quòd syllogismus expositorius non est demonstratio simpliciter, & quæ generet scientiam, de qua hic loquimur: sed dicitur demonstratio sensibilis, quia probat euidenter ad sensum.

An secundum dicendum, quòd ipsemet Aristoteles limitat has conditiones; maximè hanc non procedendi ex extraneis, ad demonstrationes quæ fiunt in scientia subalternante, vt dictum est.

Articvlvs III.

Vtrùm diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) sit adæquata?

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) non sit adæquata: Ita tenent Auerroës hic commento 95. Themistius ibidem cap. 29. Raymundus Lullius in sua arte magna, parte 7. Hi enim assignant tres species demonstrationis: sed differunt in tertia assignanda: Auerroës assignat demonstrationem simpliciter, quandò scilicet non solùm demonstramus passionem conuenire subiecto, & propter quid, siue afferendo causam; sed etiam ipsam causam explicamus. Themistius autem pro tertia eam assignat, quâ ex vno effectu probamus alium æqualem, quorum vnus non est causa alterius; sed ambo ex eadem causa procedunt. Lullius verò tertiam, quam superaddit, vocat demonstrationem æquiparantiæ, siue æqualitatis: quando scilicet per medium par & æquale concludimus attributum aliquod de subiecto, vt si de homine concludamus esse animal, quia est sensibile. Probatur vniuersaliter, quòd hæc diuisio non sit adæquata. Datur demonstratio signi, quando scilicet per signum probatur aliqua passio conuenire subiecto: sed hæc non est demonstratio (Propter quid) quia non procedit per causam proximam, nec est demonstratio (Quia,) non enim procedit per effectum, aut per causam remotam: ergo diuisio demonstrationis in (Quia, & Proter quid) non est adæquata.

¶ 2. Præterea, Demonstrationes negatiuæ sunt veræ demonstrationes: sed istæ non procedunt per causam, nec per effectum; quod enim nihil est, non potest esse causa, nec effectus: ergo diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) non est adæquata: quod maximè apparet in demonstratione ducente ad incommodum, quæ non potest reduci ad istas duas.

¶ 3. Præterea, Quando duo effectus æquales procedunt ab eadem causa, potest vnus probari per alium: sed in tali casu, nec proceditur per causam, nec per effectum; & ita nec est demonstratio (quia, nec Propter quid:) ergo talis diuisio demonstrationis non est adæquata.

¶ 4. Præterea, Hæc demonstratio, omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est

est substantia, nec est demonstratio (Propter quid,) nec demonstratio (Quia:) nam esse animal, nec est causa, nec effectus substantiæ. Deinde quando concluditur aliquid particulare ex aliqua vniuersali necessaria, tunc est vera demonstratio, & tamen distincta ab ea, quâ colligitur aliquod vniuersale: ergo diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) non est adæquata.

Sed contra est authoritas Aristot. hîc c.10. & D.Th. ibidem lect.23. quos communiter sequuntur Philosophi.

Conclusio.

Cùm diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) tradatur per rationes contradictoriè oppositas: est adæquata.

Respondeo dicendum, quòd diuisio demonstrationis in [Quia, & Propter quid] est adæquata. 2. non tamen est eadem cum illa, quâ demonstratio diuiditur in demonstrationem [à priori, & à posteriori.] Ad cuius euidentiam sciendum est quòd Aristoteles multas affert diuisiones demonstrationis: nam cap.10. diuidit in vniuersalem & particularem, dicitque vniuersalem esse perfectiorem particulari: cap.21. diuidit in affirmatiuam, cuius conclusio est affirmatiua; & negatiuam, cuius conclusio est negatiua; dicitque affirmatiuam esse perfectiorem negatiuâ, idque probat multis rationibus, vt istâ: negatio cognoscitur per affirmationem, cùm sit eius causa, & patet inductione: ergo demonstratio, in qua concluditur affirmatio, est prior & potior illâ, in qua concluditur negatio: cap.22. diuidit demonstrationem in directam, siue ostensiuam, in qua directè concluditur propositio intenta: & in ducentem ad impossibile, quando ex contraria aut contradictoria propositionis negatæ infertur aliquod impossibile, per quod constat propositionem negatam esse veram: cap. autem 10. iam diuiserat demonstrationem in [Quia, & Propter quid.] Demonstratio [Propter quid] est illa, quæ non solùm probat passionem inesse subiecto: sed etiam ostendit propter quid illi insit: adducendo scilicet in præmissis propriam & adæquatam causam talis passionis, quæ est illud principium, à quo dimanat: quod quando assumitur pro medio ad probandum talem passionem conuenire subiecto, dicitur Demonstratio [Propter quid] vt patet in hoc exemplo: omne discursiuum est admiratiuum: omnis homo est discursiuus: ergo omnis homo est admiratiuus: in quo non solùm probatur admiratiuum conuenire homini; sed etiam ostenditur propter quid illi conueniat, assumendo pro medio discursiuum, quòd est propria & adæquata causa admiratiui. Demonstratio [Quia] est illa, quæ tantùm ostendit passionem conuenire subiecto, nec ostendit propter quid illi conueniat: vnde ly [Quia,] non sumitur causaliter, sed vt est pura coniunctio: quasi dicatur quòd hoc sit hoc, & sic hæc demonstratio facit scire esse: alia verò facit scire propter quid est. Demonstratio [Quia,] fit tribus modis: Primò quando per effectum adæquatum & conuertibilem procedimus ad demonstrandam causam, & in his demonstrationibus ex Aristotele si maius extremum sumetur in medium, fiet demonstratio [Propter quid] nam procedet per propriam & adæquatam causam: ex quo sequitur omnem demonstrationem à posteriori esse demonstrationem [Quia:] nam in demonstratione à posteriori non potest assignari propter quid conclusionis; sequitur etiam quòd in hoc casu datur quodammodo demonstratio circularis; nam ex demonstratione [Quia,] in qua per effectum adæquatum demonstramus causam adæquatam, fit demonstratio [Propter quid] si inuertendo terminos talem effectum demonstramus per causam. Secundo modo fit demonstratio [Quia,] quando per causam remotam, siue communem non conuertibilem demonstramus effectum: tunc enim non est demonstratio [Propter quid,] quia vnaquæque passio habet proprium & adæquatum propter quid, per quod probatur; & ita demonstratio, in qua solùm continetur causa remota, & non conuertibilis passionis, non adducit propter quid illius; ac proinde non est demonstratio [Propter quid.] Deinde in huiusmodi demonstrationibus tantum concluditur hoc esse hoc, id est, passionem conuenire subiecto, per quod præcisè non scimus propter quid illi conueniat, & consequenter tales demonstrationes, licèt procedant per causam in essendo, verè sunt demonstrationes [Quia.] Tertio tandem modo fit demonstratio [Quia,] quando [Quia, & Propter quid] pertinent ad diuersas scientias, vt quando ex conclusionibus demonstratiuis à scientia subalternante procedimus, tanquam ex principiis, ad demonstrandas conclusiones scientiæ subalternatæ: tunc enim scire [Quia] pertinet ad subalternatam; vt patet in hac propositione: vulnera rotunda difficiliùs curantur: Chirurgus enim tantùm scit quòd difficiliùs, siue quia difficiliùs curantur: scire autem [Propter quid] pertinet ad Geometram, qui demonstrat latera circuli magis distare. Videatur D. Thom. hîc lect. 23. 24. 25. & Caietanus cap. 13.

Probatur prima pars conclusionis. Hæc diuisio demonstrationis in [Quia, & Propter quid] traditur per rationes oppositas, siue per membra contradictoria: nam demonstratio [Propter quid,] est illa, quæ demonstrat aliquam passionem conuenire subiecto, ostendendo propter quid illi conueniat: demonstratio verò [Quia] in tota sua latitudine probat passionem conuenire subiecto, non ostendendo propter quid illi conueniat; quæ duo, vt constat, sunt contradictoria: ergo hæc diuisio est adæquata: nam inter contradictoria non datur medium, sicut nec inter esse, & non esse.

Probatur secunda pars conclusionis. Demonstratio [à priori] dicitur illa, quæ procedit per medium, quod est prius conclusione, non solùm in cognoscendo, sed etiam in essendo: cùm enim prioritas in cognoscendo sit communis omni demonstrationi, non potest ab ea sumi denominatio [à priori,] & ideo omnis demonstratio, quæ procedit per causam, siue proximam, siue remotam dicitur [à priori:] nam medium non solùm cognoscitur priusquam conclusio, sed etiam est prius illa: demonstratio autem [à posteriori] est illa, quæ procedit per medium, quod licèt sit prius in cognoscendo, est tamen posterius in essendo ipsâ conclusione, quales sunt illæ, quæ procedunt ab effectu, vel à signo &c. ergo diuisio demonstrationis in (Quia, & Propter quid) non est eadem cum illa, quâ demonstratio diuiditur in demonstrationem [à priori, & à posteriori;] & ita hæ diuisiones non conuertuntur: nam licèt omnis demonstratio (Propter quid, sit à priori;) non tamen omnis (à priori, est Propter quid,) vt patet in illa, quæ procedit per causam remotam: procedit enim à priori, & tamen est demonstratio (Quia) vt dictum est. Similiter licèt omnis demonstratio (à posteriori,) sit etiam demonstratio (Quia:) non tamen omnis demonstratio (Quia) est etiam (à posteriori,) vt patet in illa, quæ procedit per causam remotam, & in demonstrationibus scientiæ subalternatæ, quando pro principiis vtitur conclusionibus scientiæ subalternantis ad probandas suas conclusiones: tunc enim procedit à priori videlicet per causam, & tamen non sunt demonstrationes (Propter quid) sed tantùm (Quia) vt docet Aristoteles & D.Thom. hîc lect. 24. & cum ipsis communiter Dialectici, qui cum Philosopho docent scientias subalternatas inter proprios limites, non scire propter quid suarum conclusionum.

Ad primum ergo dicendum, quòd demonstratio (Quia) non solùm procedit per effectum: sed etiam per signum, & per quodcunque aliud, quod potest demonstrare passionem conuenire subiecto, non ostendendo propter quid illi conuenit.

Ad secundum dicendum, quòd negatio suo modo habet causam & effectum: ac ita illæ demonstrationes negatiuæ, quæ reddunt propriam & adæquatam causam quare passio negetur de subiecto, sunt demonstrationes (Propter quid:) aliæ verò sunt demonstrationes (Quia:) & similiter dicendum de demonstratione ducente ad impossibile, si reddat causam cur sequatur hoc impossibile, est demonstratio (Propter quid,) si non reddat causam, est demonstratio (Quia.)

Ad tertium dicendum, quòd si illi duo effectus tol-

lam habeant necessariam subordinationem, aut connexionem inter se, vnus non potest demonstrari per alium: si enim vnus assumatur vt medium, debet in aliqua præmissa coniungi cum alio: si autem non habeant necessariam connexionem, talis propositio, vt patet, non erit necessaria, sed contingens; & ideò oon erit demonstratio, sed syllogismus probabilis. Dicendum secundò, quòd admisso hoc pro possibili, talis demonstratio erit demonstratio (Quia): nam licèt demonstret passionem conuenire subiecto; tamen non ostendit propter quid illi conueniat.

Ad quartum dicendum, quòd cùm illi termini, ex quibus talis demonstratio constat, non solùm significent idem realiter: sed etiam significent prædicata subordinata eiusdem essentiæ, quæ non possunt inter se habere veram rationem causæ & effectus etiam virtualiter: ideo non est propriè demonstratio, [aut à priori, aut à posteriori;] est tamen verè demonstratio [Quia:] nam ad hoc sufficit, non procedere per propriam & adæquatam causam, vt hîc contingit. Ad aliud dicendum, quòd tales syllogismi non tam sunt demonstrationes distinctæ, quàm quædam applicationes illius demonstrationis, ex qua colligendum esset vniuersale, ad colligenda singularia.

Articvlvs IV.

Vtrùm hæc diuisio demonstrationis sit vniuoca?

Ad quartvm, sic proceditur. Videtur quòd hæc diuisio demonstrationis in [Quia, & Propter quid] sit vniuoca, scilicet generis in species, ita Sanch. Ruuius, & alij in præsenti. Probatur. Vtraque demonstratio [Quia, & Propter quid] procedit ex principiis certis & euidentibus, ac habet consequentiam euidentem in modo & figura, vt patet: ac proinde vtraque simpliciter facit scire, siue producit habitum scientificum: non enim per assensum conclusionis procedentis ex talibus principiis producitur habitus principiorum; cùm talis assensus sit discursiuus, nec habitus opinionis aut fidei; cùm assensus sit necessarius & euidens: ergo vtraque demonstratio simpliciter participat rationem demonstrationis; ac proinde hæc diuisio est vniuoca.

¶ 2. Præterea, Per demonstrationem [Quia] vt dictum est ex Philosopho, producitur scientia subalternata, quæ est vera scientia: ergo demonstratio [Quia] habet perfectè rationem demonstrationis, sicut demonstratio [Propter quid:] quæ ratio in hoc consistit, vt sit syllogismus generans scientiam: ergo hæc diuisio demonstrationis in [Quia, & Propter quid] est vniuoca.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Th. quos communiter sequuntur Philosophi, maximè Thomistæ, vt nostri Complutenses, Soto, Masius, & alij in præsenti.

Conclvsio.

Cùm sola demonstratio [Propter quid] sit habitus generans simpliciter scientiam: diuisio demonstrationis in [Quia, & Propter quid] non est vniuoca.

Respondeo dicendum, quòd sola demonstratio [Propter quid] est simpliciter & absolutè demonstratio: demonstratio autem [Quia] est tantùm demonstratio secundùm quid: vnde hæc diuisio est potiùs analogi, quàm generis; & ita non est vniuoca. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc diuisionem non esse ex parte formæ, sed ex parte materiæ, vt constat ex supradictis: vnde non est propriè essentialis, nec generis in species, sed magis accedit ad diuisionem accidentis in subiecta: quamuis ex communi vsu accipiatur, vt diuisio essentialis.

Probatur conclusio authoritate Arist. & D.Th. Aristoteles quippe 2. capite huius libri definit tantùm demonstrationem [Propter quid] relictâ demonstratione [Quia] de qua ibidem sic ait: quasi per conditionem. *Si igitur & alius sciendi sit modus, posteriùs explicabimus*: Quem locum exponens D.Th. lect.4. dicit solam demonstrationem [Propter quid] esse proprium & perfectum modum sciendi: ergo signum est Aristotel. prætulisse demonstrationem [Propter quid] demonstrationi [Quia:] ac proinde non conuenire vniuocè. In eodem cap. definiens quid sit scire propriè, ait: *Scire autem putamus vnamquamque rem simpliciter, & non sophistico modo, cùm putamus causam cognoscere, propter quam res est, illius causam esse, neque posse eam aliter se habere*: vbi D. Th. & alij nomine causæ intelligunt causam in essendo. Item cap.7. ait: *Quia difficile cognoscere est: si ex vniuscuiusque principiis scimus, aut non, quod est verè scire.* Vbi D. Th. lect. 18. affirmat, quòd scire ex propriis principiis, quod est scire propter quid, solùm est verè scire: ergo ex Arist. & D.Th. sola demonstratio [Propter quid] est simpliciter demonstratio; & consequenter diuisio demonstrationis in [Quia, & Propter quid] non est vniuoca, sed analoga.

Secundò, demonstratio est medium siue instrumentum ad acquirendam scientiam, vt constat ex eius definitione: sed per solam demonstrationem [Propter quid] acquirimus simpliciter scientiam: nam ex Arist. iam citato, tunc solùm dicimur simpliciter scire, quando causam, cur ita sit, cognoscimus: & hoc in nobis experimur: nam quantumcumque concludamus, hominem esse risibilem per effectum ridendi nobis notum; adhuc non quiescit intellectus, neque existimat se id absolutè scire donec cognoscat propriam & adæquatam causam, siue proprium propter quid risibilitatis: ergo sola demonstratio [Propter quid] est simpliciter demonstratio; ac proinde prædicta diuisio non est vniuoca.

Ad primum ergo dicendum, quòd demonstratio [Quia] non facit scire simpliciter, sed tantùm inchoatiuè; nec habitus per illam acquisitus est perfectus, sed valde imperfectus; vnde & ipsa est quid imperfectum in genere demonstrationis, & tantùm reductiuè pertinens ad ipsam: & ita non est vera eius species: & se habet vt embrio respectu animalis: tamen cùm assensus conclusionum, & habitus per illos acquisitus sumant suam vnitatem, aut distinctionem ab vnitate, aut diuersitate principiorum, non in esse rei, sed in esse scibilis, vt infra dicetur: principia autem ex quibus procedunt demonstratio [Quia & Propter quid] quando sunt intra eamdem scientiam, licèt sint diuersa in esse rei, non tamen in esse scibilis: ideo tam assensus demonstrationis [Quia] quàm demonstrationis [Propter quid] & habitus per ipsas acquisitus, non sunt essentialiter diuersi, quando tales demonstrationes sunt intra eamdem scientiam: benè tamen quando pertinent ad diuersas scientias; quia tunc habent principia in esse scibilis diuersa.

Ad secundum dicendum, quòd scientia subalternata, licèt sit verè scientia, tamen intra proprios limites est imperfecta: perficitur autem per coniunctionem ad suam subalternantem: & ita demonstratio, per quam acquiritur, est etiam imperfecta in ratione demonstrationis.

Articvlvs V.

Vtrùm per demonstrationem generetur habitus scientiæ?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd per demonstrationem non generetur habitus scientiæ. Probatur. Demonstratio secundùm suum formale, quod importat, est ens rationis, vt communiter docent Dialectici: sed per ens rationis non potest generari habitus scientiæ, cùm sit quid reale: nunquam enim effectus est nobilior suâ causâ, sicut ens reale, est nobilius ente rationis: ergo per demonstrationē non generatur habitus scientiæ.

¶ 2. Præterea, si per demonstrationem generatur habitus scientiæ, per quamlibet demonstrationem generabitur peculiaris habitus; omnes enim demonstrationes sunt eiusdem rationis & virtutis: constat autem quòd per quamlibet demonstrationem non generatur peculiaris habitus, aliàs quælibet scientia, cùm habeat plures demonstrationes, contineret plures habitus, ac ita scientia non esset vnus simplex habitus: ergo per demonstrationem non generatur habitus scientiæ.

Sed contra est authoritas Arist. definientis demonstrationem,

ſtrationem, quòd ſit ſyllogiſmus geoerans ſcientiam: item authoritas D. Th. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm ſcientia ſit cognitio rei per cauſam, per demonſtrationem generatur habitus ſcientiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd per demonſtrationem (Propter quid) generatur, per ſe loquendo, habitus ſcientiæ verus & perfectus in eſſe habitus. 2. per demonſtrationem verò (Quia) generatur aliquis habitus ſcientiæ imperfectus, & in eſſe diſpoſitionis, qui non aſſequitur ſtatum habitus; donec accedat demonſtratio (Propter quid) 3. ex quo colligitur per aſſenſus concluſionum vtriuſque demonſtrationis noo produci habitus diſtinctos, nec ipſos aſſenſus differre ſpecie formali, ſed tantùm materialiter, & ſic de aliis actibus intra eamdem ſcientiam circa obiecta partialia: ſi autem iſtæ demonſtrationes pertineant ad diuerſas ſcientias, producent habitus diuerſos. Ad coius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſicut eadem qualitas in ſpecie habet eſſe diſpoſitionis ex parte ſubiecti, quamdiu eſt remiſſa, neque penitus firmatur in illo: aſſequitur autem ſtatum habitus, quando in illo intenditur, & firmiter inhæret: ſic per demonſtrationem (Quia) producitur quædam qualitas imperfecta per modum diſpoſitionis ex parte medij; quando verò aduenit demonſtratio (Propter quid;) eadem qualitas perficitur, & aſſequitur ſtatum ac perfectionem habitus: vnde quia iſta perfectio vel imperfectio non prouenit ex intenſione vel remiſſione talis qualitatis in ſubiecto, ſed ex conditione ipſius medij, per quod procedit vtraque demooſtratio, propterea licèt multiplicentur demonſtrationes (Quia) & intenſiùs cognoſcantur earum concluſiones: qualitas tamen per illas producta nunquam perficietur illâ perfectione, de qua hic loquimur, donec adueniat demonſtratio (Propter quid.)

Probatur prima & ſecunda pars concluſionis. In ſcientiis ſubalternatis, quantumcumque multiplicentur earum demooſtrationes, quæ ſunt demonſtrationes (Quia,) qualitas inde reſultans, ſicèt habeat veram rationem ſcientiæ, non tamen haber perfectionem & ſtatum ſcientiæ, vt infra dicetur, donec aduenientibus ſubalternantibus cognoſcatur propter quid illarum concluſionum, quod poteſt probari inductione: ergo demonſtratio (Propter quid) producit verum & perfectum habitum ſcientiæ: demonſtratio autem (Quia) licèt producat habitum ſcientiæ, non tamen illum producit in ſtatu & perfectione habitus; vnde magis habet rationem diſpoſitionis.

Probatur tertia pars concluſionis. Qualia ſunt principia, tales ſunt concluſiones; cùm ſint virtus & effectus principiorum; & ita, ſi principia pertineant ad eamdem ſcientiam, etiam pertinebunt ad eamdem ſcientiam concluſiones ac aſſenſus earum: & econtra, ſi principia pertineant ad diuerſas ſcientias, etiam concluſiones ac earum aſſenſus pertinebunt ad diuerſas ſcientias: ſed aſſenſus eiuſdem ſpeciei non poſſunt producere habitus ſpecie diuerſos, nam qualis eſt cauſa talis eſt effectus: nec poſſunt producere habitus ſolo numero diſtinctos, cùm duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſint eſſe in eodem ſubiecto: ergo per aſſenſus concluſionũ vtriuſque demonſtrationis (Quia, & Propter quid) non producuntur habitus diſtincti: nec ipſi aſſenſus differunt ſpecie formali, ſed tantùm materialiter: ſi autem iſtæ demonſtrationes pertineant ad diuerſas ſcientias, producent habitus diuerſos.

AD primum ergo dicendum, quòd demonſtratio non producit ſcientiam ratione formæ, quæ eſt ens rationis, ſed ratione materiæ, quæ eſt ens reale: forma autem requiritur, vt conditio ſine qua non, nec eſt inconueniens quod ens rationis ſic concurrat ad productionem entis realis: maximè quia ad productionem ſcientiæ principaliter cnncurrit intellectus iam conſtitutus in actu primo per aſſenſus præmiſſarum.

AD ſecundum dicendum, quòd quælibet demonſtratio poteſt generare habitum ſcientiæ, quantùm eſt ex ſe, niſi impediatur ex parte ſubiecti, in quo iam præſupponatur eſſe habitus talis ſcientiæ: quia tunc ex qua parte illa demonſtratio eſt talis ſpeciei ratione principiorum; non producet habitum alterius ſpeciei: ex qua verò parte iam præſupponitur habitus illius ſcientiæ productus in tali ſubiecto per priorem demonſtrationem, non producet habitum eiuſdem ſpeciei: cùm duo habitus eiuſdem ſpeciei ſint incompoſſibiles in eodem ſubiecto, vt infra dicetur.

QVÆSTIO XXIII.

De Scientia.



CVM ſcientia ſit proprius effectus demonſtrationis: reſtat, vt explicatis eſſentiâ & diuiſionibus demonſtrationis, ad maiorem eius euidentiam, de ſcientia agatur: circa quam quæruntur ſex.

¶ Primò, Vtrùm ſcientia ſit vna ſimplex qualitas?
¶ Secundò, Vtrùm ſint plures ſcientiæ?
¶ Tertiò, vnde ſumatur vnitas, & diſtinctio generica ſcientiarum?
¶ Quartò, vnde ſumatur vnitas, & diſtinctio ſpecifica ſcientiarum?
¶ Quintò, vnde ſumatur vnitas, & diſtinctio numerica ſcientiarum?
¶ Sextò, quam vnitatem habeant ſingulæ ſcientiæ in particulari?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſcientia ſit vna ſimplex qualitas?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ſcientia non ſit vna ſimplex qualitas, ita tenent multi, inter quos aliqui dicunt ſcientiam conſtare ex pluribus habitibus ſpecie diuerſis iuxta diuerſitatem obiectorum materialium, vt Tuletus, Oña, Niger & alij. Probatur. Vnitas & diſtinctio habitus deſumitur ab obiecto, & à principiis à quibus procedit: ſed in qualibet ſcientia, vt in Logica, ſunt plura obiecta inadæquata, & diuerſa ſunt principia à quibus procedit in demonſtrandis proprietatibus definitionis; ab his quibus procedit in demonſtrandis proprietatibus diuiſionis, demonſtrationis &c. ergo ſcientia non eſt vna ſimplex qualitas: ſed eſt aliquod aggregatum ex pluribus habitibus ſpecie diuerſis.

¶ 2. Præterea, Alij, vt Suares & Fonſeca, dicunt quòd ſcientia non eſt vnus ſimplex habitus, & qualitas ſe extendens ad omnes concluſiones: ſed habitus quidam quaſi compoſitus ex pluribus habitibus partialibus; qui licèt in ſe & reſpectu ſuæ concluſionis ſint verè completi, & ſpecie diſtincti: cenſentur tamen incompleti reſpectu totius ſcientiæ; & hoc ſufficit, vt non faciant plures ſcientias ſpecie diſtinctas: ſed omnes cenſeantur vna ſcientia ſpecie; ſunt autem iſti habitus partiales vnum per ſubordinationem, aggregationem & connexionem in ordine ad vnum obiectum, ſiue ad vnam rationem (quæ) in qua contineantur, vel ad quam ordinentur omnia, quæ tractantur in illa ſcientia. Probatur. Idem ſimplex habitus non poteſt reſpicere tot concluſiones diuerſas, quot ſunt in qualibet ſcientia; & ita ex hac parte ſunt plures habitus, ex alia verò parte, cùm quælibet ſcientia ſit vna ſpecie, iſti habitus non poſſunt differre ſpecie formaliter, ſed tantùm materialiter: ergo ſcientia non eſt vna ſimplex qualitas; ſed eſt quid conflatum ex pluribus habitibus partialibus.

¶ 3. Præterea, Alij etiam Thomiſtæ dicunt ſcientiam non eſſe vnam ſimplicem qualitatem, ſed collectionem ſpecierum intelligibilium pertinentium ad idem obiectum; non earum, quæ fiunt ab intellectu agente, & præcedunt actum intellectus paſſibilis, ſed quarumdam aliarum, quas dicunt reſultare in intellectu ex vi aſſenſus ſcientifici. Probatur. Quilibet aſſenſus ſcientificus eſt eiuſdem virtutis: ſed primo conceditur producere aliquid In intellectu: ergo & aliis debet concedi.

SED CONTRA, eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Th. quos

 communiter

communiter sequuntur eius Discipuli, Caietanus 1. 2. quæst. 54. art.2. ad 2. Soto, Sanches, nostri Complutenses, Masius, & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cum scientia sit habitus per demonstrationem acquisitus: est vna simplex qualitas.

RESPONDEO dicendum, quòd scientia est vna simplex qualitas. 2. & definitur, quòd sit habitus per demonstrationem acquisitus. 3. vel quòd sit habitus circa propositiones vniuersales, necessarias & mediatas.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. 2. q.54. art.4. Vbi sic ait: *Sed quia illa multiplicitas est ordinata ad aliquid vnum, ad quod principaliter respicit habitus; inde est quòd habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi ad multa se extendat.* Ibidem ad 3. ait: *Ille qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam conclusionis vnius, habet quidem habitum, sed imperfectè; cum verò acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius, non aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, vt pote ad plura se extendens: eo quòd conclusiones, & demonstrationes vnius scientiæ ordinatæ sunt, & vna deriuatur ex alia.* Idem docet alibi; & quamuis contrarium videatur asserere in aliis locis, videlicet scientiam esse collectionem specierum: tamen non est intelligendus formaliter, sed fundamentaliter & inchoatiuè: quia ad generationem scientiæ prærequiruntur species coordinatæ repræsentantes propositiones, quibus conficitur demonstratio, per quam generatur scientia: vel intelligendus est concomitanter; nam præter ipsum habitum scientiæ, sunt in intellectu species repræsentantes diuersas materias talis scientiæ, & nouas conclusiones elicitas in tali scientia.

Secundò. Si scientia non est vna simplex qualitas, & vnus simplex habitus; erit aliquod aggregatum per accidens ex pluribus habitibus: non enim apparet quomodo illi habitus vniantur per se, cùm non dicant inter se rationem actus & potentiæ per se; & ita efficient vnum per accidens: sed scientia, cùm directè ponatur in prædicamento qualitatis, est vnum per se; entia quippe per accidens excluduntur à prædicamentis: ergo scientia est vnus simplex habitus.

Tertiò. Vel illi plures habitus, ex quibus constat scientia ex aduersariis, sunt specie distincti, vel solo numero: Non primum, aliàs quælibet scientia non esset vna specie, sed vna genere, quod est contra communem doctrinam Philosophorum. Non secundum, quia, vt infra dicetur, duo accidentia in esse naturali solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto; quia, cùm natura per se ordinetur ad perfectionem specificam, & solùm per accidens ad indiuidualem (ex eo quòd specifica non possit haberi sine indiuiduali): sequitur quòd si duo accidentia eiusdem speciei essent in eodem subiecto, esset tale subiectum simul in actu & in potentia respectu eiusdem perfectionis, quod implicat; esset quidem in actu, quia habet vnum accidens illius speciei; in potentia verò, quia potest recipere aliud eiusdem speciei: ergo scientia est vna simplex qualitas.

Probatur, & explicatur secunda pars conclusionis. Per primam demonstrationem factam in aliqua materia producitur in potentia quædam qualitas ratione medij, quo producitur firma & difficilè mobilis; quæ proinde dicitur habitus: per quam ipsa potentia redditur idonea; imò & inclinatur ad promptè, faciliter, ordinatè, constanter & delectabiliter pertractandam illam materiam, circa quam versatur talis scientia, & in qua continentur principia demonstrationis, per quam scientia acquiritur: ergo scientia est habitus per demonstrationem acquisitus. Nec ista definitio est nugatoria, licèt demonstratio etiam definiatur per scientiam; videlicet quòd sit syllogismus generans scientiam: cùm enim mutuò dependeant & definiantur in diuerso genere causæ; nam demonstratio est causa efficiens scientiæ, scientia verò est finis demonstrationis; ideo istæ definitiones non important circulum vitiosum.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis, quam docet Aristoteles 6. Ethic. cap. 6. Per vltimam eius particulam, scilicet (mediatas,) distinguitur ab habitu principiorum, & excluditur opinio Vasquis qui 1.p. disp. 1. c. 1. asserit habitum scientiæ non distingui ab habitu principiorum, sed eumdem habitum, quo assentimur principiis, extendi etiam ad conclusiones: sed hoc est contra Philosophum loco citato, vbi hæc habet: *Cum autem scientia existimatio sit de vniuersalibus, & his quæ necessariò sunt, sintque demonstrabilium, scientiaque omnis principia: est enim ipsa scientia cum ratione principij rei scibilis, neque est scientia, neque ars, neque prudentia: quod enim est scibile, demonstrabile est.* Et ex hoc probat dari habitum principiorum distinctum à scientia. Item 2. Posteriorum capite vltimo ait: *Hæc itaque cùm ita sint, scientia quidem principiorum non erit; sed cùm fieri nequeat, vt aliud quidquam verius scientiâ, quàm intellectus ipse sit: intellectus profectò principiorum habitus erit.*

Secundò probatur rationibus D. Th. ibidem lect. 20. Omnis scientia fit ex aliqua ratione demonstratiua; cùm sit cognitio rei per causam: ergo præsupponit cognitionem ipsius causæ siue principij: & ita per ipsam scientiam non cognoscitur principium. Item 2. demonstratio non necessariò est principium demonstrationis, alioquin procederetur in infinitum: cùm igitur demonstratio causet scientiam; sequitur, quòd neque scientia possit esse principium scientiæ: ita scilicet, quòd principia scientiarum per scientiam cognoscantur: hæc D. Thom.

Tertiò. Sub diuersa formali ratione (sub qua) fiunt assensus principiorum & conclusionum: nam licèt ad assentiendum principiis prærequiratur cognitio sensus, & explicatio terminorum; hæc tamen materialiter se habent ad talem assensum, & tota ratio formalis assentiendi illis, est immediata connexio prædicati cum subiecto: sed ista non potest esse ratio formalis assentiendi conclusionibus; nam eis assentitur intellectus propter extremitatum connexionem cum medio visam in præmissis: ergo principia & conclusiones habent diuersam rationem formalem obiecti, & consequenter exposcunt diuersos habitus: vnde scientia est habitus circa propositiones vniuersales, necessarias & mediatas.

AD primum ergo dicendum, quòd quamuis propria principia, per quæ probantur proprietates definitionis, diuisionis, demonstrationis, aut alterius, sint immediata, & simpliciter indemonstrabilia, quatenus non habent causam adæquatam & conuertibilem, siue propriam, propter quid, per quod probentur: dependent tamen & deriuantur ex communibus principiis secundarum intentionum: quia gradus genericus est radix & principium differentiarum contrahentium ipsum ad species, & harum passiones verè probantur per principia generica, tanquam per causam remotam & inconuertibilem; quod sufficit, vt principia specifica possint resolui in principia generica, & consequenter deriuentur ex eis: & ita ad multiplicationem principiorum specificorum non multiplicantur habitus scientiæ, vt infra dicetur.

AD secundùm dicendum, quòd idem simplex habitus potest respicere diuersas materialiter conclusiones sub vna ratione formali (quæ, & sub qua.)

AD Tertium dicendum vt supra, quòd quidem omnes assensus scientifici, quantùm est ex se, sunt productiui habitus scientiæ, sed solus primus producit ratione subiecti, quod non est capax multorum habituum eiusdem speciei; vnde alij assensus nihil producunt, sed intendunt & extendunt habitum iam productum: sicut quælibet calefactio, quantùm est ex se, est productiua caloris: si autem calor iam supponatur productus, tantùm intendit calorem subsequens calefactio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sint plures scientiæ?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd non sint plures scientiæ. Ita tenent aliqui. Probatur,

tur. Ens ſub ratione entis poteſt eſſe obiectum ſcientiæ, imò de facto aſſignatur obiectum Metaphiſicæ : ergo eſt tantùm vna ſcientia, & non plures : nam ad multiplicationem ſcientiarum neceſſariò requiritur multiplicatio obiectorum : poſito autem, quòd ens ſub ratione entis ſit obiectum ſcientiæ, non poteſt dari multiplicatio obiectorum ; nullum eſt enim obiectum, quod ſub ente non comprehendatur : cùm ens tranſcendat omnia, & includatur in vltimis etiam differentiis.

§ 2. Præterea, Non apparet vnde proueniat iſta pluralitas ſcientiarum : non ab obiecto, vt dictum eſt ; nec à principiis ; nam principia ſcientiæ deriuantur ab obiecto, & in illo fundantur : quia ſemper primum principium eſt definitio obiecti : & ita non multiplicato obiecto, non multiplicantur principia formaliter ; nec ab abſtractione : quia omnes ſcientiæ abſtrahunt à materia, nulla enim cognitio certa poteſt fundari in ſingularibus corruptibilibus : ergo non ſunt plures ſcientiæ.

§ 3. Præterea, Nullum videtur inconueniens dicere, quòd non ſunt plures ſcientiæ : ſed quòd vna & eadem poſſit ſe ad omnia extendere, & de facto ſe extendat ad plura vel pauciora ſecundùm quod per diuerſas demonſtrationes applicatur ad diuerſas materias. Maximè quia in Deo & Angelis datur vnica ſcientia : ergo non ſunt plures ſcientiæ.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis multis in locis, & communis doctrina Philoſophorum admittentium plures ſcientias.

Conclusio.

Cùm ſint plura obiecta formalia, plura principia primò diuerſa, & diuerſa abſtractio a materia : plures ſunt ſcientiæ.

Respondeo dicendum quòd plures ſunt ſcientiæ, quædam genere, aliæ ſpecie diſtinctæ. Probatur hæc concluſio. Ariſtoteles & D. Thom. principes Philoſophiæ, & cum ipſis alij communiter Philoſophi ponunt plures ſcientias propter pluralitatem obiectorum formalium, & principiorum, ac propter diuerſam eorum abſtractionem à materia : ergo dantur plures ſcientiæ ; videtur enim ridiculum negare authoritatem Principum alicuius ſcientiæ vel artis, ac communem aliorum ſenſum circa talem ſcientiam vel artem : aliàs nihil firmum haberetur, vt experimur in Philoſophicis & Theologicis propter nouitates : cùm enim nihil ſit tam abſurdum, quod aliqualiter non poſſit defendi, omnia inuerterentur ; ſi principiis traditis, & communiter receptis non crederetur : vnde qui dicunt non eſſe plures ſcientias, ſed eamdem ſe extendere ad omnia obiecta : poſſent dicere non eſſe quinque ſenſus externos, ſed vnum extenſum per totum corpus, qui ſecundùm diuerſa organa eliceret diuerſas operationes : eodem enim modo probatur pluralitas vtriuſque : vnde autem deriuetur hæc pluralitas ſcientiarum articulis ſequentibus dicetur.

Diuiditur igitur 1. ſcientia ratione materiæ in eas, quæ agunt de rebus, & in eas, quæ agunt de ſermone, hæ vltimæ tantùm ſunt tres ; Grammatica de congruo, Rethorica de ornato, Logica de vero & falſo : aliæ omnes agunt de rebus.

Diuiditur 2. ratione finis in ſpeculatiuas & practicas : ſpeculatiuæ ſunt, quarum finis eſt ſola cognitio veritatis : practicæ verò, quarum finis eſt operatio ; quædam ex iſtis dicuntur practicæ effectionis, quæ poſt ſe opus relinquunt, vt ſunt artes mechanicæ : aliæ dicuntur practicæ actionis, quæ nullum poſt operationem opus relinquunt, vt ars ſaltandi, pſallendi, Philoſophia moralis. Speculatiuæ iuxta diuiſionem obiecti ſpeculabilis (quod debet eſſe perpetuum & immateriale, & ideo debet abſtrahere à materia & motu) diuiduntur in tria genera : nam de obiecto abſtrahente à materia ſingulari, non communi, eſt Philoſophia naturalis ; de obiecto abſtrahente à materia ſenſibili, non intelligibili, ſunt Mathematicæ plures in ſpecie ; de obiecto abſtrahente ab omni materia etiam intelligibili, eſt Metaphyſica ; ad quod genus reducitur noſtra Logica, quæ agit de ente rationis : Theologia adhuc magis eleuatur, nam abſtrahit ab omni materia etiam Metaphyſica ; agit quippe de Deo ſub medio reuelationis. Sub Philoſophia naturali continetur Medicina, tamquam ſubalternata ; vbi enim deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus. Sub Mathematicis continentur Arithmetica, quæ agit de numero ; & Geometria, quæ agit de magnitudine : aliæ ſunt mixtæ ex Mathematicis & Philoſophicis ; vt Aſtrologia, quæ agit de influxu Aſtrorum ; Aſtronomia, quæ de diſtantia & aſpectu ſiderum ; Muſica ſubalternata Arithmeticæ, quæ agit de numero ſonoro ; Optica, ſiue Perſpectiua ſubalternata Geometriæ, quæ agit de linea viſuali ; Geographia de ſitu Orbis &c. quæ ſcientiæ ita inter ſe differunt, vt inueniantur homines aptiſſimi ad aliquas addiſcendas : & ineptiſſimi ad alias : quarúmque diuerſi ſunt inuentores, quod confirmat earum diſtinctionem & pluralitatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd ens ſub ratione entis eſt obiectum vnius ſcientiæ tantùm, ſcilicet Metaphyſicæ : quia hæc ratio entis eſt vnica formaliter in eſſe ſcibilis : & licèt ratio entis intimè in omnibus imbibatur, non tamen in omnibus exprimitur : & hoc ſufficit, vt ſint aliæ rationes formales ſcibiles multiplicantes obiecta ſcientiarum.

Ad ſecundùm dicendum, quòd hæc pluralitas prouenit & ab obiecto, & à principiis, & à diuerſa abſtractione, vt poſtea dicetur.

Ad tertium dicendum, quòd eſt maximum inconueniens, vt dictum eſt, recedere à communi doctrina : nec illud quod dicitur de Deo & Angelis aliquid vrget, quæ enim ſunt diſperſa in inferioribus propter eorum limitationem, ſunt vnita in ſuperioribus propter eorum eminentiam.

Articulus III.

Vnde ſumitur vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum?

Ad Tertium ſic proceditur. Videtur quòd vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum ſumatur ex fine. Probatur. Scientiæ ſpeculatiuæ diſtinguuntur genere à practicis propter diuerſum finem : nam ſpeculatiuæ habent pro fine cognitionem veritatis : practicæ verò habent pro fine praxim, & operationem : ergo vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum ſumitur ex fine.

§ 2. Econtra, Videtur quòd talis vnitas & diſtinctio generica ſumatur ex lumine, quo ſcientiæ procedunt ; Probatur. Sacra Theologia diſtinguitur genere ab aliis ſcientiis inferioribus, quia procedit ſub lumine diuinæ reuelationis : aliæ verò ſub lumine naturali : ergo vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum ſumitur ex lumine, quo ſcientiæ procedunt.

§ 3. Econtra, Videtur quòd vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum ſumatur ex eodem vel diuerſo modo tendendi, ſcilicet vel per diſcurſum, vel per intelligentiam ſimplicem. Probatur. Scientia Diuina & Angelica diſtinguuntur ab humana, genere, per hoc quòd Diuina & Angelica tendunt in obiectum per ſimplicem intelligentiam ; humana verò tendit per diſcurſum : ergo vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum ſumitur ex eodem vel diuerſo modo tendendi.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis 6. Metaph. textu 2. & D. Th. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, noſtri Complutenſes, Sanches, Maſius & Zanardus in præſenti, Iauellus & Soncinas 6. Metaph. q. 7. Caietanus, Nazarius, Gonzales & alij.

Conclusio.

Cùm ſcientiæ diuerſæ abſtractionis plùs differant, quàm illæ, quæ ſunt eiuſdem abſtractionis ; & inter has reperiatur diſtinctio ſpecifica : inter illas erit generica ac proinde vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum ſumitur ab abſtractione à materia.

Respondeo dicendum, quòd vnitas & diſtinctio generica ſcientiarum non ſumitur ab obiecto materiali.

2. nec ab obiecto formali in esse rei; siue à ratione formali (quæ) 3. sed ex abstractione à materia; ac proinde ex obiecto formali in esse scibilis; siue à ratione formali (sub qua:) vnde illæ scientiæ sunt vnum genere, quæ habent eamdem abstractionem: illæ verò diuersi generis, quæ habent diuersas abstractiones. 4. & ita cùm sint tria genera scibilium in diuersa abstractione; scilicet Metaphysicum, quod abstrahit ab omni materia Physica, etiam intelligibili; Mathematicum, quod abstrahit ab omni materia sensibili, etiam communi, sed non ab intelligibili; & naturale, quod abstrahit quidem à materia singulari, sed non communi sensibili: sic sunt tria genera scientiarum inferiorum, videlicet Metaphysica, ad quam reducitur Logica: Mathematica: & Physica. 5. Theologia autem habet specialem vnitatem genericam, quæ ab istis distinguitur genere. Ad quorum euidentiam sciendum est ex D. Thom. 1. p. quæst. 40. art. 3. quòd duplex fit abstractio per intellectum: vna quidem secundùm quòd vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine: alia verò secundùm quòd forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili: istæ duæ abstractiones in pluribus differunt, vt notat Caietanus de ente & essentia cap. 1. q. 1. Primum discrimen est, quòd in abstractione formali; tam forma, quæ abstrahitur; quàm materia, à qua abstrahitur, manet integra, & vna potest concipi sine alia: sed in abstractione totali, vt ait D. Thom. ibidem, non remanet integrum id à quo fit abstractio; remotâ enim differentiâ rationali ab homine, non remanet in intellectu homo, sed tantùm animal; neque potest vnum sine alio concipi; quia licèt superius quod abstrahitur, possit concipi absque inferioribus, cùm non sint de eius essentia; non tamen inferiora, à quibus abstrahitur, possunt concipi sine superiori. Secundum est, quòd per abstractionem formalem oritur in eo, quòd abstrahitur actualitas, distinctio & intelligibilitas: in abstractione verò totali oritur in eo, quòd abstrahitur potentialitas, confusio & minor intelligibilitas: vnde licèt quoad nos id, quod est abstractius abstractione vniuersali, sit quodammodo magis & prius notum ex D. Thom. in procemio Physicæ, tamen secundùm se maior abstractio totalis causat maiorem potentialitatem & confusionem: in abstractione verò formali quantò magis id, quod est formale, abstrahitur à materia; tantò fit actualius, & magis intelligibile: ratio est, quia abstractio formalis fit per separationem à materialibus, potentialibus &c. abstractio verò totalis fit per separationem ab specificis actualibus, à quibus quantò aliquid est abstractius, tantò est potentialius, & minus intelligibile; cùm actus secundùm se sit notior potentiâ ex 9. Metaph. textu 20. De abstractione totali nihil est in præsenti agendum; quia solùm est necessaria ad scientias ex generali ratione, quà omnes excludunt indiuidua corruptibilia, & agunt de rebus: & ideo nihil conducit ad earum distinctionem, siue genericam, siue specificam: abstractio verò formalis non eodem modo reperitur in omnibus; & ideo potest ad earum distinctionem pertinere; & requiritur in omni scientia ex parte obiecti: nam ex D. Th. opusc. 70. q. 5. art. 1. vt aliquid sit obiectum scientiæ, debet esse necessarium: id est, quod non possit aliter se habere, vt patet ex secunda definitione scientiæ superiùs explicata; & ideo non debet esse subiectum mutationi vel motui: quia quod mouetur, inquantum huiusmodi, impossibile est esse & non esse, vt dicitur 10. Metaph. & consequenter est contingens: cùm ergo materia sit prima radix mutationis & contingentiæ ex D. Thom. 1. p. q. 86. art. 3. inde est, quòd obiectum scientiæ, vt sic formaliter, debet esse abstractum à materia: est autem triplex gradus huius abstractionis formalis ex 6. Metaph. textu 2. & D. Thom. opusc. citato, & admittunt communiter doctores, iuxta triplicem materiam, à qua potest aliqua res abstrahi, scilicet singularem, sensibilem & intelligibilem: Materia singularis in præsenti dicitur illud omne, quod pertinet ad singularitatem rerum sensibilium; vt, hæ carnes, hæc ossa, hæc albedo &c. vnde illa scientia abstrahit à materia singulari tantùm, quæ considerat res sensibiles, v.g. hominem cum materia sensibili communi, nempe carne, ossibus &c. non tamen considerat singulariter hanc carnem, hæc ossa &c. & ista est Philosophia naturalis, quæ habet infimum gradum abstractionis: hæc enim ad minus requiritur in obiecto; vt de illo possit esse scientia. Materia sensibilis dicuntur omnes qualitates, quæ sensibus percipiuntur: vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia sensibili, quæ considerant suum obiectum sine istis qualitatibus, vt Mathematicæ, quæ agunt de quantitate, non curando, an linea sit calida, superficies alia &c. non tamen abstrahunt à materia intelligibili, quia non considerant quantitatem absque substantia materiali, cui inest, & à qua dependet in sui cognitione, & hic est secundus modus, siue gradus abstractionis. Tandem materia intelligibilis est ipsa substantia corporea, siue materia prima, quæ dicitur intelligibilis, quia solo intellectu percipi potest: vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia intelligibili, quæ tractant de rebus, quæ sine materia prima esse possunt; vel quia nunquam sunt in materia; vt Deus & Angeli; vel quia in quibusdam sunt in materia, in quibusdam verò non: & ideo secundùm se non dependent ab illa; vt substantia, qualitas, actus, potentia, &c. talis est Metaphysica, quæ etiam Theologia naturalis, & prima Philosophia vocatur, ac obtinet inter scientias naturales supremum gradum abstractionis. Hæc autem abstractio formalis potest sumi, vel actiuè, vel passiuè: Actiuè & formaliter est ipsa operatio intellectus abstrahentis obiectum à materia, quæ abstractio est extrinseca obiecto; & ideo non potest esse distinctiua scientiæ, sed tantùm conditio necessaria, sine causa remouens prohibens. Passiuè autem, siue obiectiuè & radicaliter sumitur abstractio formalis pro ipsa actualitate & immaterialitate, quæ relinquitur in obiecto ex separatione materiæ, & per quam fit actu intelligibile; & hoc modo pertinet ad obiectum in esse scibilis, & consequenter ad rationem formalem constitutiuam & distinctiuam scientiæ: nam vt ait Caietanus hîc cap. 22. actualitas rei est quoddam intellectuale lumen, per quod ipsa cognoscitur: vt docet D. Thom. lect. 6. supra librum de causis sic dicens: *Considerandum est quòd per lumen corruptibile visibilia sensibiliter cognoscuntur: vnde illud per quod aliquid cognoscitur, per similitudinem potest dici lumen: probat autem Philosophus in 9. Metaph. quod vnumquodque cognoscitur per id quod est in actu; & ideo ipsa actualitas rei est quoddam lumen ipsius, & quia effectus habet quòd sit in actu per suam causam; vnde est quòd illuminantur & cognoscitur per suam causam.*

Probatur prima pars conclusionis. Obiectum materiale non respicitur per se, nec ratione sui ab habitu scientiæ; sed vt substat rationi formali, quam in ipso obiecto materiali scientia considerat: ergo nec eius vnitas, nec diuersitas facit ad vnitatem, vel diuersitatem scientiæ: ac proinde vnitas & distinctio generica scientiarum non sumitur ab obiecto materiali.

Probatur secunda pars conclusionis. De eadem ratione formali (quæ) siue de eodem obiecto formali in esse rei disputant scientiæ genere distinctæ ad inuicem, vt de hac propositione (terra est rotunda) ex D. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 1. ad 2. videlicet Physica per medium motus ad centrum, & Astrologia per figuram vmbræ illius: ergo vnitas & distinctio generica scientiarum non sumitur ab obiecto formali in esse rei, siue à ratione formali (quæ) si enim ab illo sumeretur, vbi esset vnitas obiecti formalis in esse rei; ibi esset vnitas generica scientiarum, cuius contrarium accidit in exemplo dato: ibi enim est vnitas obiecti formalis, & tamen scientiæ distinctæ genere illud considerant. Deinde econtra eadem scientia Musica considerat diuersas rationes formales (quæ) valdè diuersas respectu vocis humanæ & soni inanimatorum corporum ex D. Thom. cap. 23. huius libri lect. 41. ergo vnitas & distinctio generica scientiarum non sumitur ab obiecto formali, siue à ratione formali (quæ) si enim

ab

ab illo sumeretur, vbi esset diuersitas obiecti formalis, ibi esset diuersitas & distinctio scientiarum: & tamen apparet contrarium in exemplo allato; nam eademmet scientia considerat diuersas rationes formales (quæ.)

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. cap.23. huius libri lect.41. vbi sic ait: *Distinguuntur autem genera scibilium secundùm diuersum modum cognoscendi: sicut alio modo cognoscuntur ea, quæ definiuntur cum materia, & ea quæ sine materia: vnde aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus mathematicum.* Sed clariùs de sensu & sensato, vbi ait: *Necesse est quòd habitus scientiarum distinguantur secundùm differentiam separationis à materia*: & ideò Philosoph. in 6. Metaph. distinguit genera scientiarum secundùm diuersum modum separationis à materia.

Secundò. Ex abstractione à materia, ex qua sequitur immaterialitas in obiectis scientiarum, ipsæ scientiæ constituuntur in aliquo gradu formali; & si est diuersa abstractio, ab inuicem formaliter distinguuntur: sed talis gradus non est specificus specie infimâ, at est genericus: nam intra eamdem abstractionem continentur scientiæ specie distinctæ, vt patet: ergo vnitas & distinctio generica desumitur ab vnitate & diuersitate abstractionis à materia.

Probatur quarta pars conclusionis tum authoritate Aristotelis, & D. Thom. ac communi consensu Philosophorum: tum ratione: Nam est tantùm triplex modus abstractionis à materia physica; scilicet à materia singulari, à materia sensibili & à materia intelligibili: ergo cùm distinctio generica scientiarum desumatur à diuersitate abstractionis, vt dictum est: tria erunt tantùm genera scientiarum inferiorum. In primo est Physica, quæ abstrahit à sola materia singulari. In secundo sunt Mathematicæ, quæ abstrahunt ab omni materia sensibili; & in tertio est Metaphysica, quæ abstrahit non solùm ab omni materia sensibili, sed etiam intelligibili: ad hoc genus reducitur Logica: cùm enim ens rationis eius obiectum, sit velut quædam vmbra entis realis obiecti Metaphysicæ, est in eodem gradu abstractionis à materia etiam intelligibili; ac proinde constituet Logicam in hoc genere scientiarum, in quo est Metaphysica.

Probatur, & explicatur quinta pars conclusionis. Theologia habet proprium modum abstractionis distinctum ab aliis, & excellentiorem illis: nam Deitas quæ est ratio formalis (quæ) obiecti illius, est simplicior, actualior & immaterialior, quàm rationes entis & substantiæ, quas considerat Metaphysica: hæc enim solùm excludit à suo obiecto materiam corpoream, admittens in eo materiam Metaphysicam, scilicet realem compositionem ex actu & potentia: Theologia verò excludit omnem potentialitatem, & materiam etiam Metaphysicam: ergo Theologia habet specialem vnitatem genericam, quâ ab aliis scientiis distinguitur genere: vnde quando dicitur esse tria genera scibilium, debet intelligi de scientiis merè naturalibus, quæ respiciunt obiectum naturale, & procedunt lumine naturali: inter ipsas quippe quæ procedunt eodem lumine naturali intellectus agentis, illæ sunt eiusdem generis, quæ habent eamdem abstractionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd distinctio, quæ procedit ex fine, est maior illâ, quæ procedit ex obiecto: quia finis est quid remotius & vniuersalius respectu scientiæ, quàm obiectum, quod dicitur finis proximus; ac proinde causat maiorem distinctionem; & ita scientiæ omnes speculatiuæ distinguuntur genere subalterno à practicis: sed inter speculatiuas, quæ differunt in abstractione, differunt genere proximo.

Ad secundum dicendum, quòd Sacra Theologia differt genere ab aliis scientiis purè naturalibus: quia habet specialem modum abstractionis: deinde quia procedit ex lumine supernaturali diuinæ reuelationis ex D. Thom. 1.p. q.1. art.2. eius distinctio est magis generica, quàm sit illa, quæ reperitur inter duas scientias purè naturales diuersæ abstractionis: nam sumitur ex vniuersaliori principio; scilicet ex lumine supernaturali, per quod procedit: maior enim est distinctio inter actus naturales & supernaturales eiusdem potentiæ, quàm inter actus naturales illius: & idem est de habitibus: nam ex D.Thom. principia supernaturalia, ex quibus tales actus procedunt, habent quodammodo rationem potentiæ, quia dantur ad simpliciter operandum, & non tantùm ad faciliter, vt habitus naturales, & complent potentiam in ordine supernaturali: & ideò licèt Theologia sit habitus entitatiuè naturalis: quia tamen procedit ex principiis supernaturalibus, vel fide, vel lumine gloriæ notis, quæ se tenent ex parte potentiæ: inde est quòd distinctio eius ab aliis scientiis purè naturalibus sumitur ex vniuersaliori principio, & consequenter est magis generica, quàm distinctio earum inter se: vnde cùm Metaphysica & Mathematicæ distinguantur genere infimo, vtraque distinguitur à Theologia genere subalterno, & adhuc magis vniuersali, quàm distinguatur à practicis naturalibus: plus enim distat principium naturale à supernaturali, quàm principia naturalia cuiuscumque rationis inter se: quamuis secundùm quid, scilicet in speculatiuo vel practico videantur habere maiorem similitudinem: hic autem discursus fundatur in hoc, quod cùm obiectum potentiæ sit quid communius, quàm obiectum cuiuscumque habitus talis potentiæ: propterea distinctio magis generica & vniuersalior sumitur ab obiecto potentiæ, potius quàm ab obiecto habitus; vnde magis distat scientia à iustitia, quàm scientia ab opinione.

Ad tertium dicendum, quòd loquendo de scientia Diuina, solùm analogicè conuenit cum scientia creata; & ita differt plusquam genere: Angelica verò per hoc quòd sit simplex intelligentia, & non discursiua, plurimùm differt ab humana: nam hæc differentia prouenit à potentia quæ est principium valdè remotum; ac proinde causans distinctionem valdè remotam & vniuersalem.

Articvlvs IV.

Vnde sumitur vnitas, & distinctio specifica scientiarum?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd vnitas, & distinctio specifica scientiarum sumatur ab obiecto: ita tenent multi, inter quos aliqui volunt, quòd sumatur ab obiecto materiali; alij verò ab obiecto formali in esse rei. Probatur. Ab illo res relatiua sumit suam vnitatem & distinctionem specificam, quod essentialiter respicit: vnitas enim & distinctio specifica consequuntur essentiam: & ideo in ordine ad illud res habet suam vnitatem & distinctionem specificam, in ordine ad quod habet suam essentiam: ac proinde res relatiua ab illo sumit suam vnitatem & distinctionem specificam, quod essentialiter respicit; ab illo quippe habet suam essentiam: sed scientiæ respiciunt tantùm essentialiter suum obiectum, vt patet: ergo ab illo sumunt suam vnitatem & distinctionem specificam.

¶ 2. Præterea, Non est assignabile aliud præter obiectum, vnde sumantur vnitas & distinctio specifica scientiarum: non quidem ab abstractione, cùm ab illa sumatur vnitas & distinctio generica: nec à principiis; cùm ipsa principia sumant suam specificationem ab obiecto, à quo dimanant: & ita semper obiectum esset radix talis vnitatis & distinctionis specificæ: ergo vnitas & distinctio specifica scientiarum sumitur ab obiecto.

Sed contra est expressa authoritas Aristot. & D.Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ & plures alij.

Conclvsio.

Cùm principia, quibus scientiæ procedunt, constituant earum obiecta in esse scibilis: ab illis sumitur vnitas & distinctio specifica scientiarum.

Respondeo dicendum, quòd vnitas & distinctio specifica scientiarum non desumuntur ab obiecto materiali. 2. Nec ab obiecto formali in esse rei, siue à ratione formali (quæ.) 3. Nec ex eo quòd illa, quæ tractantur in

in aliqua scientia, dicatur habere connexionem inter se, & participare vnam rationem formalem, exprimitur radix vnitatis & distinctionis specificæ. 4. Quam dicimus esse eam abstractionem radicaliter & passiuè sumptam (ratione cuius obiectum quasi illuminatur, & fit actu intelligibile) quàm media, siue principia demonstrationis, per quæ cognoscuntur conclusiones. 5. Vnde vnitas & distinctio specifica scientiarum desumitur ex vnitate vel distinctione specifica principiorum intra idem genus scibilis, siue intra eamdem abstractionem: tunc autem principia sunt eiusdem speciei in esse scibilis, quando deriuantur ex alterutris, vel omnia ex aliquo primo intra eamdem abstractionem: tunc verò sunt specie distincta in esse scibilis, quando non deriuantur vnum ex alio, siue ex alterutris, nec omnia ex aliquo primo. Ad cuius euidentiam sciendum est, obiectum scientiæ distingui in materiale & formale: formale diuiditur in rationem formalem (quæ) & rationem formalem (sub qua): nam res constituuntur in duplici diuerso genere; scilicet in genere rei, & in genere scibilis; in quorum primo attenditur perfectio rei in esse entis, & sumitur per ordinem ad existentiam & operationes: in secundo autem consideratur perfectio rei in ratione formali obiecti, siue scibilis, quæ sumitur secundùm proportionem ad potentiam, vel habitum; ac proinde distinguendæ sunt in quolibet obiecto duæ formæ siue rationes, per quas in eisdem generibus constituatur. Deinde res, quæ in esse rei est vna, aliquando est multiplex in esse scibilis, vt patet in rotunditate terræ, quæ cùm sit vna in ratione entis, pertinet tamen ad Astrologiam & Philosophiam naturalem ex D.Thom. 1.2. quæst. 54. art. 2. ad 2. & econtra, quæ in esse entis sunt plura, sæpè sunt vnum in esse scibilis, vt patet in obiecto Metaphysicæ; & consequenter per eamdem rationem non possunt res constitui in esse entis & in esse scibilis; & ideò debent admitti istæ duæ rationes formales obiecti: sed circa hoc videantur, quæ supra dicta sunt, dum ageretur de obiecto Logicæ.

Item sciendum est, quòd illud, quod est propriè specificatiuum respectu alicuius, debet præhabere eamdem vnitatem, quam habet res specificata: & ratio est, quia res specificata sumit totam suam vnitatem ab specificatiuo: & ideo est vna; quia specificatiuum est vnum; ac proinde res specificata non potest esse magis vna, quàm sit specificatiuum: vnde si hoc fuerit vnum tantùm genericè, res specificata non poterit esse vna specificè. Hoc est vniuersaliter verum in potentiis, habitibus & actibus; licèt sæpe sit difficillimum in eorum obiectis assignare aliquam rationem formalem habentem tantam vnitatem, quantam habent res specificatæ: & ideò licèt ad rationem formalem (quæ) obiecti sufficiat vnitas generica, aut etiam analoga ex Aristotele 4. Metaphysicæ; tamen ratio (sub qua) semper debet esse vna in specie infima, quando potentia aut habitus est vnus specificè, quia per illam specificantur.

Item sciendum est, quòd ex duplici obiecto scientiæ materiali & formali fit vnum obiectum per se adæquatum; & ideo habet suam definitionem peculiarem, quæ est medium in prima demonstratione: & ex illo obiecto, cùm sit vnum per se, fluunt quædam proprietates, quæ de tali obiecto in scientia demonstrantur. Ad rationem formalem (quæ) obiecti consequitur velut effectus & passio rationis formalis (sub qua); quæ comprehendit tam abstractionem obiecti à materia, quàm media siue principia, quibus procedit scientia ad deducendas suas conclusiones, & etiam lumen, quo cognoscuntur ista principia. Ratio (sub qua) vocatur etiam ratio formalis obiecti, vt obiectum est: quia obiectum, vt obiectum est, siue vt scibile, dicit respectum rationis ad ipsam scientiam: & ideo ratio (sub qua) tam se tenet ex parte obiecti, quàm ex parte scientiæ: ex parte quidem obiecti; quia per additionem rationis formalis (quæ) obiectum habet, quòd tali modo abstrahat à materia, vel singulari, vel sensibili, vel etiam intelligibili; habet etiam per talem additionem sua principia determinata, quæ sunt quædam proprietates obiecti: ex parte verò scientiæ; quia considerat obiectum sub illa abstractione, & procedit ex talibus principiis in eius consideratione; deducendo mediis illis suas conclusiones: principia enim demonstrationis habent rationem luminis, per quod illuminatur & cognoscitur conclusio; tum quia sunt causa eius; tum etiam quia ex D. Thom. quæst. 9. de veritate art. 1. sicut per lumen corporale, non solùm colores redduntur actu visibiles; sed etiam visus ipse confortatur ad videndum: sic per media & principia demonstrationis non solùm fit nobis aliquid notum, sed etiam intellectus ipse conformatur ad intelligendum id, quod priùs intelligere non poterat: tum denique, quia vt ibidem ad 2. ait, ipsa principia demonstrationis includunt in se quoddam intellectuale lumen participatum ab intellectu agente, qui est fons totius luminis intellectualis: ait enim, sunt prima principia quasi instrumenta intellectus agentis, vt dicit Commentator 3. de anima: & similiter omnia principia secunda, quæ continent propria media demonstrationum; ac proinde possunt in virtute ipsius illuminare conclusiones, vnde pertinent ad rationem formalem specificatiuam scientiæ.

Item sciendum est, quòd in qualibet scientia reperiuntur quædam se tenentia ex parte obiecti: sunt enim multæ species, quæ repræsentant omnes propositiones, quibus vtimur in scientia; siue sint principia, siue conclusiones; & in hoc quidam decepti sunt dicentes, quòd scientia nihil est aliud, quàm congeries siue collectio ista specierum: sed hoc tantùm est scientia inchoatiuè & causaliter: quædam autem se tenentia ex parte ipsius scientiæ; nam primò est ipsa entitas habitus scientifici, qui est simplex qualitas, vt dictum est, quâ promptè, constanter & delectabiliter indicat intellectus de obiecto: nam sicut omnes res, quæ cadunt sub aliquo obiecto propter vnicam & indiuisibilem rationem formalem (sub qua) sunt vnum scibile in specie infima: sic de illis omnibus potest diiudicare vnicus & simplex habitus: sicut propter eamdem rationem, vnica & simplex potentia intellectus, de omnibus intelligibilibus indicat; quia omnia habent vnicam & indiuisibilem rationem sub qua ab intellectu attinguntur ex D.Th. 1.2. q. 54. art. 4. habitus verò scientiæ dicitur lumen respectu intellectus; quia ipsi multa manifestantur per talem habitum circa obiectum. Habitus scientificus acquiritur per demonstrationem, vt dictum est, concurrente tamen lumine naturali intellectus, & habitu principiorum. Deinde est ordo essentialis ipsius habitus scientifici ad suum obiectum, à quo specificatur: quia obiectum est mensura scientiæ; & ideo superioris ordinis: ad quem consequitur relatio prædicamentalis ex parte scientiæ ad obiectum: non verò ex parte obiecti ad scientiam.

Probatur prima pars conclusionis. Vnitas & distinctio specifica scientiarum desumitur ab illo, quod per se à scientiis respicitur: nam specificatio est essentialis, ac proinde debet sumi in rebus respectiuis, qualis est scientia, ex ordine essentiali, qui non potest esse nisi respectu eius, quod per se respiciunt: sed obiectum materiale non per se respicitur à scientiis; at solùm obiectum formale: nam respicitur obiectum materiale tantùm; quia participat obiectum formale, siue rationem formalem (quæ:) & ita non per se vel ratione sui; at ratione alterius respicitur: ergo vnitas & distinctio specifica scientiarum non desumitur ab obiecto materiali: maximè quia plures scientiæ specie distinctæ habent aliquando idem obiectum materiale, vt patet; & tamen sicut vnitas & distinctio specifica sunt cuilibet scientiæ propria & intrinseca; sic specificatiuum debet esse proprium & non commune.

Probatur secunda pars conclusionis. Multæ scientiæ & habitus specie distincti habent idem obiectum formale (quod) in esse rei, siue eamdem rationem formalem (quæ:) nam scientia beatifica, fides & Theologia, quæ essentialiter distinguuntur, habent pro obiecto Deum, vt Deus est, siue sub ratione Deitatis: ergo vnitas & distinctio specifica scientiarum non desumuntur ab obiecto

formali

formali in esse rei, siue à ratione formali (quæ:) non enim possunt multiplicari vnitas & distinctio specifica, nisi multiplicetur principium & radix à qua desumuntur.

Probatur tertia pars conclusionis contra Suarem. Dicere aliquam rationem formalem obiecti tunc esse vnam, quando in ea connectuntur, quæ in tali scientia tractantur: videtur esse petitio principij: nam quærere vnde sumatur vnitas & distinctio specifica scientiarum, idem est ac quærere, quis modus attributionis vel connexionis in aliquo vno sit necessarius ad vnitatem specificam scientiæ: quilibet enim non sufficit; sicut ille, quem habent species in vno genere: aliàs esset vna scientia omnium; aut saltem Mathematicæ essent vna scientia specie, cùm earum obiecta connectantur in vna ratione generica quantitatis: ergo ex eo quòd illa, quæ tractantur in aliqua scientia dicantur habere connexionem inter se, & participare vnam rationem formalem, non exprimitur radix vnitatis & distinctionis specificæ scientiarum.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Th. 1.p.quæst.1. art.1. ad 2. vbi hæc habet: *Diuersa ratio cognoscibilis diuersitatem scientiarum inducit: eamdem enim conclusionem demonstrat Astrologus & Naturalis; putà quòd terra est rotunda; sed Astrologus per medium Mathematicum, id est, à materia abstractum:* Ecce quomodò D.Thom. dicit diuersitatem tam medij, quàm abstractionis esse diuersam rationem cognoscendi, causantem diuersam scientiarum specificationem.

Secundò, illa pertinent per se ad rationem formalem specificatiuam scientiæ, quæ per se variant scibile, quatenus scibile est, sed tam abstractio dicta, quàm media, siue principia demonstrationis variant scibile, vt scibile est: nam res sunt scibiles per medium demonstrationis, & per abstractionem, à quibus illuminantur; & consequenter diuersitas medij & abstractionis per se variat scibile, quatenus scibile est: ergo medium demonstrationis & abstractio pertinent per se ad rationem formalem specificatiuam scientiæ. Confirmatur. Obiectum aliquod intantum intelligitur, inquantum intelligibiliter vnitur intellectui; sed ad talem vnionem obiectum fit proximè aptum, tum per remotionem materiæ ex 7. Metaph. textu 36. (debet enim obiectum proportionari intellectui immateriali, cui debet non solùm inhæsiuè vniri per suam speciem: sed etiam obiectiuè: proportio autem ad talem vnionem consistit in immaterialitate:) tum per ipsum medium demonstrationis: ipso enim mediante scitur, & ita obiectum intellectus constituitur in ratione formali obiecti & intelligibilis per abstractionem à materia, & per medium demonstrationis: sed eadem est ratio quantùm ad hoc intellectus, ac scientiæ, vt patet: ergo obiectum scientiæ constituitur in ratione formali obiecti & scibilis per immaterialitatem relictam ex abstractione à materia, & per actualitatem, quam habet à medio demonstrationis; & consequenter vtrumque concurrit ad specificationem scientiæ.

Probatur quinta pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Th. Philosophus quidem in præsenti cap. 23. Sic ait: *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, quæcùmque ex primis componuntur, & partes, aut passiones eorum sunt per se: altera autem scientia est ab altera, quorumcùmque principia neque ex iisdem, neque ex alteruttis sunt:* Quem locum exponens D. Thom. lect. 41. hæc habet: *Materialis diuersitas obiecti non diuersificat habitum, sed solùm formalis: cùm ergo scibile sit proprium obiectum scientiæ, non diuersificabuntur scientiæ secundùm diuersitatem materialem scibilium; sed secundùm diuersitatem eorum formalem. Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine per quod color videtur: ita formalis ratio scibilis accipitur secundùm principia, ex quibus aliquid scitur: & ideo quantumcùmque sint aliqua diuersa scibilia per suam naturam: dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad vnam scientiam.* Et post pauca ait: *Sed vlteriùs considerandum est, quòd secunda principia virtutem sortiuntur à primis, vnde requiritur diuersitas primorum principiorum ad diuersitatem scientiarum: quod quidem non esset, si vel diuersorum principia ex eisdem principiis fluant, sicut principia trianguli & quadrati deriuantur ex principiis figuræ; vel principia vnius deriuantur ex principiis alterius, sicut principia Isochelis dependent à principiis trianguli. Neque tamen intelligendum est quòd sufficiat ad vnitatem scientiæ, vnitas primorum principiorum simpliciter: sed vnitas principiorum primorum in aliquo genere scibili.* Idem docet 2. 2. q. 1. art. 1. his verbis: *Cuiuslibet cognoscitiui habitus obiectum duo habet: scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum; & id, per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti: sicut in scientia Geometria materialiter scita sunt conclusiones: formalis verò ratio sciendi, sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur: & ideò quando media, siue principia sunt in ratione luminis diuersa; quia scilicet intra proprium genus vnum non accipit ab alio vim illuminandi, neque ambo ab aliquo tertio: sed vel sunt prima, vel reducuntur ad diuersa prima principia; tunc intra illud genus verè causant distinctionem specificam scientiarum.* Constat igitur de mente D.Th. quòd intra quodlibet genus scientiæ, quod prouenit ex diuersa abstractione, sunt diuersa scibilia specie infimâ; & diuersæ item scientiæ specie infimâ, quando fuerint diuersa principia, quorum vnum non sequatur ex alio, neque vtráque ex tertio intra eamdem abstractionem: cui non obest, quòd hæc omnia principia sequantur ex vniuersalissimis principiis, quia ex his non sumitur vnitas aut diuersitas scientiæ: cuius rationem assignat D. Th. hîc lect. 43. quia ex vniuersalissimis principiis tantùm non potest sequi aliqua conclusio intra aliquod genus scibilis; nisi illi adiungatur aliquod principium proprium talis generis: & ideo huius principij proprij, & non illorum vniuersalissimorum habenda est ratio ad statuendam vnitatem aut diuersitatem specificam obiecti in esse scibilis; & consequenter scientiæ. Hîc autem est sermo de principiis formaliter, non materialiter consideratis: nam diuersæ scientiæ in specie, sicut est scientia Dei & Beatorum, ac Theologia habent eadem principia materialiter, scilicet principia fidei hîc obscurè, in patria verò clarè reuelata; non tamen formaliter: principium enim formaliter consideratur, prout est cognitum: sic enim influit in conclusionem; & ita habet rationem principij: vnde cùm principia scientiæ Dei & Beatorum ab intrinseco petant cognosci euidenter lumine gloriæ: vt verò sunt principia Theologiæ hæc non petant; sed intra limites Theologiæ cognoscantur ineuidenter negatiuè, siue non euidenter; sunt formaliter distincta: sicut & à principiis fidei, quæ petunt ineuidentiam priuatiuam; ac proinde pertinent ad diuersos habitus.

Secundò. Principia, siue media demonstrationis eatenus pertinent ad rationem formalem specificatiuam scientiæ, quatenus gerunt vicem luminis, quo illuminatur & cognoscitur conclusio, per quam acquiritur scientia, & quam scientia contemplatur: ergo tunc conclusio erit diuersa in esse scibilis; quando principia, per quæ illuminatur, fuerint in ratione luminis diuersa, siue quando habuerint diuersam vim illuminandi: sed principia quorum vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex tertio, non habent diuersam vim illuminandi: benè autem principia, quæ nec deriuantur ex tertio neque vnum ex alio: nam vt dictum est ex D. Thom. secunda principia sortiuntur à primis virtutem inferendi & illuminandi conclusiones: & sic quando vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex tertio; omnia reducuntur in vnam primam radicem luminis, & pertinent ad eamdem rationem scibilis: quando verò neque deriuantur ex aliquo tertio, neque vnum ex alio; tunc reducuntur in virtutes illuminandi diuersas; & consequenter constituunt diuersas rationes scibilis intra eamdem abstractionem: ergo vnitas vel diuersitas specifica scientiarum, desumitur ex vnitate vel diuersitate principiorum intra idem genus scibilis, siue intra eamdem abstractionem modo explicato.

Ex dictis infertur, quòd quando principia, quæ sunt

intra vnam abſtractionem, deriuentur ex principiis altetius abſtractionis ; id non tollit quominus illa ſint verè prima in eſſe ſcibilis ; cùm ſint prima intra propriam abſtractionem : nam cùm auiena genus ſcientiæ ſumatur ex abſtractione à materia, differentia verò ex primis principiis, proprium autem ſit differentiæ diſtinguere rem, quam conſtituit, non à quibuſcumque, ſed ab iis tantùm, cum quibus conuenit in genere ; inde fit, vt principia ad diuerſificandas ſpecificè ſcientias, non debeant eſſe prima abſolutè ; ſed intra illud genus, ſub quo continentur tales ſcientiæ : vnde licèt principia Phyſicæ v. g. deriuentur à principiis Metaphyſicæ ; quia tamen ſunt in diuerſa abſtractione, conſtituunt diuerſas ſcientias, non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere diſtinctas. Geometria autem & Arithmetica ; licèt agant de quantitate : quia tamen non agunt de illa ſecundùm eius propriam rationem, ſed ſecundùm rationem menſuræ, id eſt, ſecundùm quòd per illam menſurantur cætera ; ſecundùm quam rationem principia vtriuſque non deriuantur ex aliis intra eamdem abſtractionem, nec ex ſe inuicem, imò ſunt diuerſa : nam principia omnia Geometrica reſoluuntur in punctum, quod eſt prima menſura magnitudinis ; omnia verò Arithmetica reſoluuntur in vnitatem, quæ eſt prima menſura numerorum, quæ duæ menſuræ ſunt primò diuerſæ in ratione menſurandi, nec poſſunt habere aliquam menſuram communem, per quam regulentur : quia vnitas menſurat numerum, vt pars eius : punctum verò menſurat magnitudinem, vt nexus aut terminus, qui ſunt modi menſurandi omninò diſparati adinuicem independentes : ideo Geometria & Arithmetica ſpecie differunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd res relatiua non ab obiecto præcisè in eſſe rei : ſed in eſſe obiecti habet ſuam eſſentiam & vnitatem, ac diſtinctionem ſpecificam : obiectum autem in eſſe obiecti dicit ſeipſum, & in eſſe rei pro materiali, & vt ſubſtat modo tendendi, pro formali : vnde cùm modus tendendi ſcientiarum in ſua obiecta, includat principia quibus procedunt in cognitionem ſuorum obiectorum : diuerſa principia important diuerſum modum tendendi ; ac proinde diſtinctionem ſpecificam : eadem verò principia important eumdem modum tendendi ; & conſequenter vnitatem ſpecificam.

Ad ſecundum dicendum, quòd principia non ſumunt ſuam vnitatem aut diſtinctionem ſpecificam ab obiecto : cùm de eodem obiecto etiam formali poſſint eſſe diuerſa principia in ſpecie, vt dictum eſt ex D. Th. de terra rotunda : ſed habent vnitatem ſpecificam ex hoc, quòd intra vnum genus abſtractionis, vel ab alterutris deriuantur, vel omnia ab aliquo primo intra idem genus : diſtinctionem verò ſpecificam habent ex hoc, quòd intra idem genus abſtractionis nec ex alterutris, nec omnia ab aliquo primo deriuentur.

Articvlvs V.

Vnde ſumatur vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum non ſumatur à ſubiecto : ſed ab obiecto, vel aliundè. Probatur. Vnitas ſpecifica & vnitas numerica ſunt idem ; ſicut & diſtinctio ſpecifica & diſtinctio numerica : ſed vnitas & diſtinctio ſpecifica non ſumitur à ſubiecto ; at ab obiecto in eſſe ſcibili : ergo & vnitas ac diſtinctio numerica.

¶ 2. Præterea, Scientia reſpicit ſubiectum, vt eſt accidens, non verò vt tale accidens : nam vt tale reſpicit obiectum : ſed indiuiduatio conſequitur rationem ſpecificam immediatè, cùm ſit vltimus gradus eſſentialis ; non vero rationem analogam accidentis : cum ipſa non indiuiduetur niſi iam contracta per alias rationes inferiores : ergo vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum non ſumitur à ſubiecto.

¶ 3. Præterea, Eadem eſt ratio quantùm ad vnitatem & diſtinctionem numericam ſcientiæ, ac aliorum accidentium : ſed vnitas & diſtinctio numerica aliorum accidentium, non ſumitur à ſubiecto : nam eadem remanet numero quantitas, figura & albedo, (quæ ante conſecrationem erant in pane,) ſine ſubiecto : ergo vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum non ſumitur à ſubiecto, at ab obiecto, à quo habent eſſe : ab eodem enim res habet eſſe & eſſe vnum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, ac D. Thom. multis in locis, quos omnes Philoſophi communiter ſequuntur.

Conclvsio.

Cùm ſcientia recipiantur in ſubiecto, vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum ſumitur à ſubiecto.

Respondeo dicendum quòd vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum ſumitur à ſubiecto : vnde Logica, quæ eſt in Petro, eſt vna & diſtincta numero ab illa, quæ eſt in Paulo, & hoc competit omni accidenti indiuiduari à ſuo ſubiecto. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd eſt duplex ſubiectum accidentium : vnum (quod,) & eſt ipſum totum compoſitum, & ab iſto non ſumitur vnitas accidentium, eo quòd in vno, eodémque reperiantur plura accidentia : aliud eſt ſubiectum (quo) & eſt illud, cui accidentia immediatè inhærent, & ipſo mediante inhærent toti compoſito ; & ab hoc ſumitur vnitas numerica accidentium.

Probatur concluſio vnicâ, ſed ſæpe repetitâ ratione ab Ariſt. & D. Th. Omnis forma receptibilis indiuiduatur à ſuo receptiuo : ac proinde habet ab illo ſuam vnitatem & diſtinctionem purè numericam : propterea forma irreceptibilis non poteſt multiplicari intra eamdem ſpeciem : quia omnes formæ eiuſdem ſpeciei participant eamdem omninò rationem indiuiſibilem ſpeciei, & ſolùm differunt in diuerſo modo participandi, qui diuerſi modi proueniunt ex hoc, quòd quælibet participat limitatè non ex parte rei, ſed ex parte participationis : hæc autem limitata participatio prouenit à ſubiecto : nam ex Philoſopho vnumquodque limitatur à ſuo contrario, vt actus à potentia receptiua ; & inde eſt, quòd ſi daretur albedo irreceptibilis, eſſet infinita intra ſuam ſpeciem, & non poſſet eſſe niſi vna : ſed ſcientia eſt forma receptibilis, & ſubiectum eſt eius receptiuum, vt patet : ergo ſcientia indiuiduatur à ſubiecto : ac proinde ab illo ſumetur vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum. Confirmatur, Duæ formæ non poſſunt diſtingui ſeipſis purè numericè, quia omnis diſtinctio petita à forma tanquam à prima radice, neceſſariò eſt formalis, ac proinde eſſentialis, & non materialis ; qualis debet eſſe purè numerica : ergo ſolùm reſtat quòd diſtinguantur ſic purè numericè à ſuo ſubiecto, ſiuè per ordinem ad ipſum : nam in forma receptibili vltrà entitatem ipſius formæ nihil aliud eſt, quàm ordo ad ſuum receptiuum : & conſequenter vnitas & diſtinctio numerica ſcientiarum ſumitur à ſubiecto.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt vnitas ſpecifica includat vnitatem numericam, & diſtinctio ſpecifica diſtinctionem numericam : tamen formaliter diſtinguuntur ; & cùm vnitas & diſtinctio numerica ſint materiales, debent deſumi à principio materiali quale eſt ſubiectum : vnitas verò & diſtinctio ſpecifica, quia ſunt formales, debent deſumi à principio formali, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd cùm ratio accidentis ſit tranſcendens, ac intimè imbibita in omnibus etiam vltimis differentiis : ideo accidens ſecundùm omnem rationem realiter reſpicit ſubiectum : quamuis non ſecundùm conceptum explicitum talis rationis : vndè non mirum ſi indiuiduetur per ordinem ad ſubiectum : ratio enim analoga contracta non diſtinguitur ex æquo à ratione contrahente.

Ad tertium dicendum, quòd illa accidentia ſemper dicunt ordinem ad panem : & ita ex illo ordine remanent indiuiduata : indiuiduatio autem formæ ſumitur ex ordine ad primum ſubiectum : vnde ſi Deus conuerteret ſubſtantiam panis in ſubſtantiam alterius, cui inhærerent accidentia, quæ priùs erant in pane : per ordinem ad primum ſubiectum panis, remanerent eadem numero : non enim

manent

mutato materialiter principio indiuiduationis mutatur indiuiduatio: nam forma substantialis indiuiduatur per ordinem ad materiam, quam primò informauit:& tamen mutatâ paulatim materiâ (quod accidit in nutritione virtute caloris naturalis) non mutatur indiuiduatio: sed remanet semper toto tempore vitæ eadem forma numero: in exemplo autem allato est tantùm difficultas de quantitate; nam figura & albedo habent pro subiecto (quo) quantitatem panis, quæ remanet eadem numero.

ARTICVLVS VI.

Quam vnitatem habeant singulæ scientiæ in particulari?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd Theologia non sit vna specie infimâ. Probatur. Theologia continet saltem duos habitus essentialiter distinctos: cùm sit formaliter simul speculatiua & practica; constat autem eumdem numero habitum non posse esse speculatiuum & practicum: nam est oppositio ex parte finis, quæ maximam causat differentiam in scientiis, vt patet in scientiis naturalibus: ergo Theologia non est vna specie infimâ.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd Metaphysica non sit vna specie infimâ: at solùm vna analogicè. Probatur. Talis est scientia, quale eius obiectum in esse scibilis: sed obiectum Metaphysicæ non est vnum in specie infima in esse scibilis, at solùm est vnum Analogicè; eius quippe obiectum est ens, quod constat esse Analogum: ergo Metaphysica non est vna specie infimâ: at est solùm vna Analogicè.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd Mathematicæ tantùm accidentariò inter se distinguantur. Probatur. Omnes Mathematicæ sunt intra eamdem abstractionem: & ita non differunt genere: deinde differentia, quæ reperitur inter ipsas ex parte obiecti non est essentialis; cùm proueniat ex additione differentiæ accidentalis, vt apparet in subalternatis; & ita non differunt specie: ergo solùm accidentariò inter se distinguuntur.

¶ 4. Præterea, Videtur quòd Physica non sit vna specie infimâ. Probatur. Physica continet diuersos tractatus, vt de Cœlo, de Anima, de Meteoris, & alios, qui non possunt conuenire sub vna ratione formali; ac proinde exigunt diuersos speciæ habitus: ergo Physica non est vna specie infimâ.

¶ 5. Præterea, Videtur quòd Logica non sit vna specie infimâ. Probatur. Est duplex Logica scilicet docens & vtens: ergo continet duos habitus; idem enim non potest hæc duo munera exercere: sed non sunt duo habitus solo numero distincti; quia non possent esse in eodem subiecto: ergo sunt specie distincti; & ita Logica non est vna specie infimâ.

SED CONTRA, est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, vt dictum est in articulis præcedentibus.

CONCLVSIO.

Sacra Theologia est vna specie infimâ; sicut Metaphysica, Physica & Logica: Mathematica verò differunt inter se specie.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacra Theologia princeps aliarum scientiarum ratione nobilitatis & certitudinis, differt genere subalterno ab omnibus aliis scientiis naturalibus: est tamen vnus habitus specie infimâ, quoad omnes suas partes. 2. Metaphysica, quæ & prima Philosophia, & Theologia naturalis propter suam eminentiam dicitur, differt genere infimo à Mathematicis & Physica: est tamen vnus simplex habitus in specie infima quoad omnia quæ includit. 3. Mathematicæ extremæ, scilicet Geometria & Arithmetica differunt genere à Metaphysica & Physica; inter se verò differunt specie infimâ,vnde quælibet est vnus simplex habitus in specie infima. 4. Physica, quæ est Philosophia naturalis, prout comprehendit libros Physicorum, de Cœlo, de Generatione, de Meteoris, de Anima &c. distinguitur genere à Metaphysica & Mathematicis: est autem vna scientia specie infimâ. 5. Scientiæ mediæ inter Physicam & Mathematicas, quales sunt Musica & Perspectiua, differunt inter se specie; sicut & à Physica: differunt verò genere à Metaphysica & Mathematicis puris. 6. Logica denique dignitate quidem aliis inferior; sed non vtilitate, est in se vnicus habitus in specie infima, sub eodem genere cum Metaphysica: distinctus tamen specie ab illa.

Probatur prima pars conclusionis quantùm ad primum. Sacra Theologia, vt dictum est, habet propriam abstractionem ab omni materia naturali & potentialitate creata: item procedit diuerso lumine ab illo, quo procedunt scientiæ naturales; scilicet sub diuina reuelatione: ergo ab illis omnibus differt genere; quia, vt dictum est, genera scientiarum desumuntur à diuersa abstractione à materia: cùm verò scientiæ naturales inter se differant genere infimo pro diuersa abstractione, sequitur quòd differant genere subalterno à Theologia. Quantùm ad secundum, est D.Thom.in prologo sententiarum, & t.p.q. 1.art.2. & ratio est,quia omnia principia Theologiæ intra eamdem abstractionem tandem resoluuntur in diuinam reuelationem; nam omnia, quæ tractantur in Theologia referuntur ad Deitatem; vel tanquam ad propriam essentiam, vt diuina attributa & personæ; vel tanquam ad principium efficiens, aut vltimum finem, vt omnia quæ tractantur de creaturis: quæ omnia, vt sic, non sunt cognoscibilia, nisi vt substant principiis reuelatis; & ita omnia, quæ tractantur in Theologia pertinent ad eamdem rationem formalem (quæ) scilicet Deitatem, & ad eamdem rationem formalem indiuisibilem (sub qua) scilicet diuinam reuelationem mediatam & virtualem: ergo sunt vnum scibile in specie infima: & ita Theologia est vnus habitus in specie infima quoad omnes suas partes: à ratione enim formali (sub qua) desumitur vnitas specifica scientiæ, vt dictum est.

Probatur secunda pars conclusionis quantùm ad primum. Scientiæ differunt genere ex diuersa abstractione à materia: sed Metaphysica habet diuersam abstractionem ab illa, quam habent Mathematicæ & Physica, ipsa enim sola abstrahit ab omni materia etiam intelligibili: ergo Metaphysica differt genere infimo à Mathematicis & Physica. Quantùm ad secundum: est D. Thom. opuscul. 42. cap. 3. Caietani hîc cap. 23 & communiter Thomistarum. Probatur. Omnia principia, quibus Metaphysica procedit ad probandas suas conclusiones tandem resoluuntur ad communia principia entis realis quod est obiectum eius: ergo deriuantur ex vno primo, & ex alterutris intra eamdem abstractionem à materia intelligibili; ac proinde pertinent ad eamdem speciem scibilis: & ita Metaphysica est vnus simplex habitus in specie infima quoad omnia quæ includit. Nec obstat quòd agit de Deo, qui abstrahit ab omni potentialitate; ac proinde à materia Metaphysica: quia hæc abstractio ipsi præcisè competit sub ratione Deitatis, quam formaliter non considerat Metaphysica, sed Theologia: vnde talis abstractio se habet per accidens in Metaphysica: sed de hoc iterum in proœmialibus tertiæ partis.

Probatur tertia pars conclusionis quantùm ad primum. Istæ scientiæ Mathematicæ habent peculiarem abstractionem, scilicet à materia sensibili, quam non habet Physica, quæ solùm abstrahit à materia singulari; & non habent abstractionem à materia intelligibili, sicut habet Metaphysica: sed genera scientiarum desumuntur à diuersa abstractione à materia, vt dictum est: ergo Mathematicæ extremæ, scilicet Geometria & Arithmetica differunt genere à Metaphysica & Physica. Quantùm ad secundum. Ambæ hæ duæ scientiæ continentur sub eadem abstractione,& intra eam principia vnius non deriuantur ea principiis alterius,neque vtraque ex alterutris: sed resoluuntur in diuersa prima principia; scilicet Arithmeticæ ad vnitatem, Geometriæ verò ad punctum, vt patet ea perfecta notitia harum scientiarum: ergo inter se differunt specie infimâ, vnde quælibet est vnus simplex habitus in specie infima.

Probatur quarta pars conclusionis quantùm ad primum; Physica solùm abstrahit à materia singulari; non autem à sensibili, à qua abstrahunt Metaphysica & Mathematicæ, & multò minùs abstrahit ab intelligibili, à qua abstrahit Metaphysica: ergo cùm à diuersa abstractione à materia desumatur distinctio generica in scientiis, Physica distinguitur genere à Metaphysica & Mathematicis. Quantùm ad secundum: Omnia principia Physicæ deriuantur ex vno primo, & ex alterutris intra eamdem abstractionem à materia singulari: nam saltem dependent & probantur per communia principia motus, quæ in libris Physicorum statuuntur,& tandem reducuntur in materiam & formam, quæ sunt prima principia entis mobilis: ergo omnia, quæ tractantur in rota Physica, vt comprehendit octo libros Physicorum, de Cœlo, de Generatione, de Meteoris, de Anima &c. constituunt vnicam speciem scibilis,& pertinent ad eamdem speciem infimam scientiæ: & ita Physica est vna scientia specie infimâ: sed de hoc iterum in quæstione proœmiali primæ secundæ.

Probatur quinta pars conclusionis quantùm ad primum. Musica & Perspectiua habent diuersa prima principia intra eamdem abstractionem principiorum: non verò obiecti, quod est peculiare in his scientiis: nam ipsarum principia sunt intra eamdem abstractionem, in qua sunt scientiæ, quibus subalternantur, & à quibus desumuntur, cùm sint earum conclusiones: principia quippe Musicæ sunt circa tonos: Perspectiuæ verò circa lineam visualem, quæ constat esse inter se diuersa, sicut & à principiis Physicæ: ergo differunt inter se specie, sicut & à Physica. Quantùm ad secundum sic probatur, & explicatur. Istæ scientiæ dicuntur mediæ inter purè Mathematicas & naturales; quia participant abstractionem vtrarúmque; nam obiectum Musicæ ratione numeri abstrahit à materia sensibili, à qua non abstrahit ratione differentiæ soni, quam superaddit, sed solùm abstrahit à singulari, in quo conuenit cum Physica: ex quo sequitur ex D.Th.2.2. q.9. art. 2. ad 3. quòd si istarum scientiarum considerentur principia (quæ habent rationem formæ) annumerandæ sunt Mathematicis: si verò considerentur conclusiones (quæ sunt materia propria) magis conueniunt cum Physica: sed quia, vt dicetur quæstione sequenti, obiecta istarum scientiarum non dicunt ex æquo obiectum superioris, & differentiam superadditam: sed obiectum superioris considerant quasi ex obliquo,& vt principium, per quod definiuntur: differentiam verò principaliter & in recto: vt Musica sonorum, & Perspectiua visuale, quæ sunt materia simpliciter Physica & naturalis: ideo istæ scientiæ simpliciter & absolutè sunt naturales, & continentur sub eodem genere cum Physica & Philosophia naturali, & distinguuntur genere ab Arithmetica & Geometria, quæ sunt propriè Mathematicæ. Ita D.Thom. 2. Physicorum lect. 3. vbi etiam Aristoteles idem docet his verbis. *Hoc idem indicant & Mathematicarum facultatum ha. quæ magis sunt naturales, vt Perspectiua, Musica & Astrologia:* Nam contra quodammodo se se habent ac Geometria; Geometria námque de naturali linea contemplatur, sed non vt est naturalis: Perspectiua verò Mathematicam quidem lineam considerat, sed non vt est Mathematica,sed vt est naturalis: ex quo sic à priori demonstratur: ideo Gometria est scientia Mathematica, & distinguitur à Philosophia naturali; quia considerat lineam, non vt est quid naturale, sed vt abstrahit ab omni materia sensibili: ergo econtra Perspectiua est scientia naturalis,quia considerat lineam, prout includit visualitatem, & vt sic, est quid naturale, nec abstrahit à materia sensibili: & ita Perspectiua est simpliciter scientia naturalis, & distinguitur genere à Mathematicis puris, sicut & à Metaphysica: quod idem dicendum de Musica.

Ex dictis infertur tantùm esse duas scientias medias, sicut sunt duæ tantùm Mathematicæ extremæ: vna est Arithmetica naturalis, quæ prout applicat principia Arithmeticæ ad sonos, dicitur Musica &c. Alia est Geometria naturalis, quæ prout applicat principia Geometriæ ad visum; dicitur Perspectiua siue Optica: dum applicat ad cælos & astra, dicitur Astrologia: dum ad mundum & partes eius,dicitur Cosmographia: dum ad bellica instrumenta & machinas,dicitur Machinatiua &c. ita tenent communiter Mathematici, qui quatuor tantùm Mathematicas admittunt: ita etiam colligitur ex communi diuisione scientiarum expressa hoc versu.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra. Ratio est, quia tot sunt species scientiarum, quot sunt principia in ratione luminis diuersa, siue habentia diuersam vim illuminandi conclusiones: sed lumina siue principia, quibus procedunt scientiæ mediæ, sunt duo tantùm; scilicet Arithmetica & Geometrica: in quæ omnia resoluuntur, tanquam in primas radices luminis, vt constat scientibus has scientias: ergo sunt tantùm duæ scientiæ mediæ. Confirmatur. Genus sumitur ab eo, quod habet rationem materiæ: differentia verò ab eo, quod habet rationem formæ, vt dictum est supra: sed in his scientiis mediis obiectum habet rationem materiæ,& principia superiorum rationem formæ ex D. Thom. hic lect.25. & 2.2. q.9. art.2.ad 3. ergo sicut in eis sumpsimus genus ex obiecto siue materia, ad quam applicant principia superiorum; eas propterea collocantes sub eodem genere cum Physica: sic rectè sumimus differentiam ex ipsis principiis superiorum, duas tantùm scientias medias constituentes iuxta duas species principiorum in esse scibilis: nempe Arithmeticorum & Geometricorum, quæ principia non possunt dici virtualiter plura in esse scibilis per hoc,quòd possint applicari ad diuersas materias: hoc enim est illis accidentarium;sicut est accidentarium luci illuminare hominem, vel equum: & quamuis in illis admitteretur hæc multiplicitas virtualis; adhuc esset solùm materialis, & non formalis, in esse scibilis: quia adhuc resoluitur in vnum primam radicem luminis; nam dantur prima principia, vt dictum est, vnum in Arithmeticis, aliud in Geometricis, ad quæ alia omnia resoluuntur: & sic non sunt nisi duæ scientiæ illis subalternatæ.

Probatur sexta pars conclusionis quantùm ad primum: Omnia principia Logicæ deriuantur ex vno primo, & ex alterutris intra eamdem abstractionem: nam principia demonstrationis deriuantur ex principiis communibus syllogismi,& hæc ex principiis argumentationis: ista verò ex principiis propositionum & terminorum; ista denique ex principiis communibus secundarum intentionum: & sic de aliis principiis partialibus Logicæ, scilicet definitionis & diuisionis; quæ omnia continentur sub eadem abstractione ab omni materia: & ita omnia principia Logicæ pertinent ad vnicam speciem scibilis: ergo Logica est vnica scientia & vnicus habitus in specie infima. Quantùm ad secundum: Logica abstrahit ab omni materia, etiam intelligibili, sicut & Metaphysica: ergo cùm genera scientiarum desumantur ex abstractione diuersa à materia, Logica est sub eodem genere scientiæ cum Metaphysica. Quantùm ad tertium: Licèt principia Logicæ & Metaphysicæ contineantur sub vniuersalissimis principiis entis, quod abstrahit ab ente reali & ab ente rationis, ac deriuentur ex illis: hæc tamen principia vniuersalissima non causant vnitatem scientiæ, quia non influunt in conclusionem nisi remotè, & mediante principio proprio alicuius scientiæ: ex alia verò parte, cùm vtriusque principia non conueniant: nam Metaphysica procedit ex principiis entis realis, Logica verò ex principiis secundarum intentionum; ideo vtriusque principia non deriuantur ex vno primo, neque ex alterutris; & propterea sunt diuersa in esse scibilis: sed ex his causatur distinctio specifica scientiarum: ergo Logica est habitus distinctus specie à Metaphysica.

A o primum ergo dicendum, quòd in scientiis inferioribus speculatiuum & practicum sunt opposita, & incompossibilia in eodem habitu inferiori propter suam limitationem: sed quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus propter eorum eminentiam & illimitationem: sicut visibile & audibile respiciunt diuersos sensus externos, quia sunt limitati: idem autem sen-

sus

ſus communis fertur ad vtrúmque ſub ratione vniuerſaliori : ſic habitus Theologiæ, quamuis vnicus, ratione ſuæ eminentiæ quâ conſtituitur in ſuperiori ordine, reſpicit ſub vniuerſali ratione Deitatis, & reuelationis diuinæ obiectum ſimul practicum & ſpeculatiuum : ac fertur in finem ſpeculationis & praxis:licèt hæc ſint incompoſſibilia reſpectu vnius habitus inferioris ſcientiæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd ens reale obiectum Metaphyſicæ eſt quidem Analogum in eſſe rei : ſed eſt vniuocum in eſſe ſcibilis : quatenus ſubſtat principiis, quæ intra eamdem abſtractionem deriuantur ex vno primo, vel ex alterutris : ſcientiæ autem non ſpecificantur ex obiecto in eſſe rei, ſed in eſſe ſcibilis.

Ad tertium dicendum, quòd Mathematicæ mediæ differunt genere ab extremis, vt dictum eſt, ob diuerſam abſtractionem : Deinde differentia, quam ſubalternatæ addunt obiecto ſubalternantis; licèt accidentalis, poteſt tamen cauſare diſtinctionem eſſentialem : nam mutat intrinſecè obiectum in eſſe ſcibilis, vt dicetur quæſtione ſequenti.

Ad quartum dicendum, quòd omnes illi tractatus conueniunt ſub vna ſimplici ratione formali motus, & conſiderantur ſub iiſdem principiis, vt dictum eſt : & ita non variant ſcientiam.

Ad quintum dicendum, ſicut in proœmialibus dictum eſt, quòd idem entitatiuè habitus Logicæ eſt docens & vtens, qui exercet hæc duo munera.

QVÆSTIO XXIV.

De Subalternatione ſcientiarum.

Qvia inter ſcientias aliquæ ſunt ſubalternantes, aliæ ſubalternatæ : ideo poſt conſiderationem ſcientiæ ſecundùm ſe, de ſubalternatione eius restat inquirendum : circa quam quæruntur ſeptem.

¶ Primò, In quo conſiſtat ſubalternatio ſcientiarum?

¶ Secundò, Vtrùm ſit idem obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, ac ſubalternantis?

¶ Tertiò, Vtrùm differentia, quam addit ſcientia ſubalternata ſupra obiectum ſubalternantis, ſit accidentalis?

¶ Quartò, Vtrùm obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſit ens per ſe ?

¶ Quintò, Vtrùm ſint eadem omnino principia ſcientiæ ſubalternatæ, ac ſubalternantis?

¶ Sextò, Vtrùm principia ſcientiæ ſubalternatæ ſint concluſiones ſubalternantis?

¶ Septimò, Vtrùm ſcientia ſubalternata ſit vera ſcientia : præſertim in eo, qui non habet ſubalternantem ?

Articvlvs I.

In quo conſiſtat ſubalternatio ſcientiarum.

Ad Primvm ſic proceditur. Videtur quòd ſubalternatio ſcientiarum conſiſtat in hoc, quòd vna ordinetur ad aliam : per hoc quòd finis eius referatur in finem illius:ſicut etiam inter artes, vt frænifactoria reſpectu equeſtris. Probatur. Subalternatio ſcientiarum, eſt ſubordinatio vnius ſcientiæ ſub alia, vt communiter docent Philoſophi, & conſtat ex etymologia nominis : ſed quando vna ſcientia ordinatur ad aliam ; per hoc quòd finis eius refertur in finem illius, eſt ſubordinatio vnius ſcientiæ ſub alia, vt patet:ergo ſubalternatio ſcientiarum conſiſtit in hoc, quòd vna ordinetur ad aliam.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd ſubalternatio ſcientiarum conſiſtat in hoc, quòd principia vnius demonſtrentur, vel ſaltem ſint euidentia in alia. Probatur ex D. Th. 1.p.q.1. art.2. Theologia eſt ſubalternata ſcientiæ Dei & Beatorum:ſed eius ſubalternatio in hoc præcisè conſiſtit, quòd eius principia ſint euidentia in ſcientia Dei & Beatorum, vt conſideranti patet ; habet enim idem obiectum : ergo ſubalternatio ſcientiarum conſiſtit in hoc, quòd principia vnius demonſtrentur, vel ſaltem ſint euidentia in alia.

Sed contra eſt authoritas Ariſt. & D.Thom. hîc cap. 10. lect. 25. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Subalternatio ſcientiarum in hoc conſiſtit, quòd obiectum vnius contineatur ſub obiecto alterius.

Respondeo dicendum, quòd ſubalternatio ſcientiarum ratione finis præcisè eſt imperfecta. 2. ſicut & illa, quæ eſt ratione principiorum tantùm. 3. Propria autem & perfecta conſideratur ratione obiecti, & conſiſtit in hoc, quòd obiectum vnius, quæ dicitur ſubalternata, contineatur ſub obiecto alterius, quæ dicitur ſubalternans. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hæc continentia obiecti vnius ſcientiæ ſub obiecto alterius eſt duplex : prima eſt continentia eſſentialis, & contingit quando obiectū ſubalternatæ addit obiecto ſubalternantis differentiam eſſentialem, & eſt ſpecies illius : & hoc modo omnes ſcientiæ dicuntur ſubalternari Metaphyſicæ, cuius obiectum eſt ens, ſub quo continentur eſſentialiter obiecta cæterarum ſcientiarum. Secunda eſt continentia accidentalis, & contingit quando obiectum ſubalternatæ continetur accidentaliter ſub obiecto ſubalternantis; per hoc quòd addat illi differentiam omnino accidentalem & extraneam,& comparatur ad illud, ſicut formale ad materiale : & hoc modo Muſica, quæ agit de numero, reſpectu cuius ſonus, ſiue ſonoreitas, eſt differentia omnino accidentalis & extrinſeca : ad conſtituendam verò ſcientiam ſubalternatam boc modo, non ſufficit quæcúmque differentia accidentalis addita obiecto ſuperioris ; aliàs in infinitum multiplicarentur ſcientiæ ſubalternatæ, & daretur ſcientia de numero colorato &c. ſed requiritur quòd differentia illa accidentalis ſit talis naturæ; vt ex coniunctione ad obiectum ſuperioris ſcientiæ habeat ſpeciales paſſiones,ſiue proprietates,quæ poſſint de ipſo demonſtrari ; & conſequenter conſtituere ſpeciale genus ſcibilis.

Probatur prima pars concluſionis. Quòd finis vnius ſcientiæ ordinetur ad finem alterius,ſiue obiectum vnius aliquo modo referatur ad obiectum alterius, non importat tantam ſubordinationem, quantam importat, quando obiectum vnius eſt ſub obiecto alterius : tunc enim obiectum inferioris eſt aliquo modo obiectum ſuperioris, & principia eius deriuantur à principiis ſuperioris ; quod non contingit, quando eſt ſolùm ſubordinatio ex parte finis : ergo ſubalternatio ſcientiarum ex parte finis præcisè eſt imperfecta : vnde per hunc modum ſubalternationis dicitur potiùs vna ſcientia, aut ars alteri deſeruire, quàm ſubalternari.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Hæc ſubalternatio ratione principiorum tantùm : indicat tantummodo ſcientias eſſe connexas, ac ſe inuicem iuuare : & ſic vna perfectior poteſt dependere ab imperfectiori, vt Theologia in materia de vitiis & virtutibus ſupponit multa probata in Philoſophia Morali, & ab illa mutuatur multa principia : ergo ſubalternatio ratione principiorum tantùm, eſt etiam imperfecta : maximè cùm ſit impoſſibile in ſcientiis, vt omnia principia vnius dependeant ab alia, niſi adſit etiam ſubalternatio ex parte obiecti.

Probatur tertia pars concluſionis. Ad Propriam & perfectam ſubalternationem requiritur, vt vna ſcientia totaliter dependeat ab alia in ratione ſcientiæ ; ac proinde inferior debet mutuare à ſuperiori omnia ſua principia: ſed hoc accidit, quando eſt ſubalternatio ratione obiecti; quando ſcilicet obiectum vnius continetur ſub obiecto alterius : tota quippe ratio habitus deſumitur ab obiecto, & principia conſequuntur obiectum : ergo propria & perfecta ſubalternatio conſideratur ratione obiecti, & conſiſtit in hoc, quòd obiectum vnius, quæ dicitur ſubalternata, contineatur ſub obiecto alterius; quæ dicitur ſubalternans.

Ad primum ergo dicendum, quòd datur quidem

ſubalternatio ex parte finis præcisè ; ſed eſt imperfecta, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd Theologia non ſolùm ſubalternatur ſcientiæ Dei & Beatorum ratione principiorum : ſed etiam ratione obiecti, vt dicetur articulo ſequenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſit idem obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ac ſubalternantis?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd ſit penitus idem obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, ac ſubalternantis. Probatur. Theologia eſt verè ſcientia ſubalternata ſcientiæ Dei ac Beatorum ; ſed eſt idem penitus obiectum Theologiæ ac ſcientiæ Dei & Beatorum; non ſolùm materiale, ſed etiam formale ; nempe Deus, vt Deus eſt, ſiue ſub ratione Deitatis : ergo eſt idem penitus obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, ac ſubalternantis.

¶ 2. Præterea, Phyſica eſt ſubalternata Metaphyſicæ : ſed idem eſt obiectum Phyſicæ ac Metaphyſicæ : nam obiectum Metaphyſicæ eſt ens, quod propter ſuam vniuerſalitatem & tranſcendentiam imbibitur in vltimis etiam omnium differentiis : quidquid enim eſt, eſt ens; vnde mobile, quod eſt differentia, quam videtur dicere obiectum Phyſicæ ; ſcilicet ens mobile ſupra ens obiectum Metaphyſicæ, eſt ens : ergo obiectum ſubalternatæ eſt penitus idem, ac obiectum ſubalternantis.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſt. ac D.Thom, hìc cap. 10. lect. 25. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm propria & perfecta ſubalternatio ſit ratione obiecti: non poteſt eſſe omnino idem obiectum ſcientia ſubalternata, ac ſubalternantis.

RESPONDEO dicendum, quòd eſt impoſſibile, vt ſit omninò idem obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, ac ſubalternantis ; 2. ſed obiectum ſubalternatæ debet eſſe contractius, ac magis limitatum, quàm obiectum ſubalternantis. 3. quæ contractio & limitatio prouenit ex hoc, quòd ſcientia ſubalternata addat aliquam differentiam ſupra obiectum ſubalternantis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſcientiæ non neceſſariò debent conſiderare omnes rationes, quæ poſſunt reperiri in ſuo obiecto, vel fundari in eo : aliàs nulla eſſet ſcientia perfecta intra propriam ſpeciem : nulla enim eſt ſcientia, quæ omnes illas conſideret : ſed ſufficit quòd conſiderent eas, quæ ſunt intra proprios limites, & continentur ſub ratione formali ſui obiecti : imò per conſiderationem diuerſarum rationum alicuius obiecti materialis diuerſificantur & multiplicantur ſcientiæ.

Probatur prima pars concluſionis. Propria & perfecta ſubalternatio ſcientiarum conſideratur ratione obiecti per hoc, quòd obiectum ſubalternatæ contineatur ſub obiecto ſubalternantis, vt dictum eſt : ergo eſt impoſſibile, vt ſit omnino idem obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, ac ſubalternantis : idem enim omnino non poteſt contineri ſub ſe ipſo : continens quippe eſt maius contento, propriè loquendo.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex modo dictis. Obiectum ſcientiæ ſubalternatæ debet contineri ſub obiecto ſubalternantis: in hoc enim propriè conſiſtit ſubalternatio : ſed quod continetur ſub alio, eſt contractius, ac magis limitatum illo ; continens quippe eſt maius contento : ergo obiectum ſcientiæ ſubalternatæ debet eſſe contractius, ac magis limitatum, quàm obiectum ſubalternantis.

Probatur tertia pars concluſionis. Omnis ratio ſuperior ſecundùm ſe vniuerſalis & communis multis, per hoc quòd adiungatur alicui differentiæ, determinatur ad certam ſpeciem, aut peculiarem modum entis, vt conſtat inductione in omnibus : nam v. g. per hoc quòd animal adiungatur rationali, determinatur ad ſpeciem humanam, cùm ſecundùm ſe eſſet indeterminatum, & poſſet pertinere ad omnes ſpecies, quæ continentur ſub animali : ſed hæc determinatio rationis ſuperioris, eſt contractio eius & limitatio : ergo contractio & limitatio obiecti ſcientiæ ſubalternatæ prouenit ex hoc, quòd ſcientia ſubalternata addat aliquam differentiam ſupra obiectum ſubalternantis.

AD primum ergo dicendum, quòd Deus, vt Deus, provt ſubeſt lumini gloriæ, eſt obiectum ſcientiæ Dei & Beatorum ; & vt ſic magis latè patet, & plura in eo cognoſcuntur, quàm vt ſubeſt reuelationi obſcuræ, ſiue non claræ : ſub qua ratione eſt obiectum Theologiæ : vnde licèt Deus, vt Deus, ſit in ſe & in eſſe rei ſimpliciſſimus ; tamen vt conſideratur ſub lumine clariori, ſe ipſo magis latè patet in ratione obiecti, & in eſſe ſcibilis, quia vt ſic magis ſcitur, & intenſiuè & extenſiuè, quàm vt ſubeſt lumini diminuto & non claro : & ſic Theologia addit aliquam differentiam, ſed extrinſecam obiecto ſcientiæ Dei & Beatorum : ſcilicet ineuidentiam, ſiue non euidentiam : quâ coarctatur in eſſe obiecti : non minùs, quàm ſi eſſet intrinſeca & poſitiua : ſcientia quippe Dei ac Beatorum petit ab intrinſeco euidentiam ſui obiecti; econtra ab intrinſeco petit ineuidentiam priuatiuam ; & ita in patria non remanebit : ſed Theologia nec petit euidentiam aut ineuidentiam, nec excludit : vnde hìc eſt cum fide, & in cœlo remanebit cum lumine gloriæ, vt communiter docent Thomiſtæ.

AD ſecundum dicendum, quòd Phyſica non eſt propriè ſubalternata Metaphyſicæ, vt dicetur articulo ſequenti : Deinde non eſt idem, ens in eſſe ſcibilis, & obiecti ; & ens mobile ; quia hæc differentia (mobile) licèt realiter ſit ens : tamen non exprimit rationem vniuerſalem entis; ſicut exprimit ens : ſed exprimit tantùm quemdam modum illius ; qui proinde limitat ipſum ens obiectum Metaphyſicæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm differentia, quàm addit ſcientia ſubalternata ſupra obiectum ſubalternantis, ſit accidentalis?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd differentia quam addit ſcientia ſubalternata ſupra obiectum ſubalternantis, non ſit accidentalis. Ita tenent aliqui. Probatur. Phyſica verè eſt ſubalternata Metaphyſicæ, & tamen (mobile) quod eſt differentia, quam addit ſupra ens obiectum Metaphyſicæ, non eſt differentia accidentalis : imò eſt eſſentialis eſſentialiter contenta ſub ente, cùm de ipſa ens vt ſuperius eſſentiale prædicetur. Deinde Theologia addit ſupra obiectum ſcientiæ Dei & Beatorum, cui ſubalternatur, reuelationem obſcuram ad modum differentiæ : ſed Deus petit ab intrinſeco ſic reuelari ; cùm lucem inhabitet inacceſſibilem : ergo differentia, quam addit ſcientia ſubalternata ſupra obiectum ſubalternantis, non eſt accidentalis.

¶ 2. Præterea, Differentia accidentalis addita alicui facit cum ipſo vnum per accidens, vt communiter docent Philoſophi : ſed obiectum cuiuſlibet ſcientiæ, ſiue ſubalternantis, ſiue ſubalternatæ non poteſt eſſe vnum per accidens ; at debet eſſe vnum per ſe, vt patet : ergo differentia, quam addit ſcientia ſubalternata ſupra obiectum ſubalternantis, non eſt accidentalis.

¶ 3. Præterea, Si talis differentia eſt accidentalis, ſcientiæ ſubalternatæ poſſunt multiplicari in infinitum; ſicut & differentiæ accidentales reſpectu alicuius obiecti, quod eſt inconueniens : ergo differentia, quam addit ſcientia ſubalternata ſupra obiectum ſubalternantis, non eſt accidentalis.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis, & D.Th. in præſenti lect. 15. & 25. quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, Caietanus, & Bannes 1. part. quæſt. 1. art. 2. Iauellus 1. Metaph. quæſt. 2. Arauxo ibidem quæſt. 4. Soncinas lib. 4. quæſt. 9. Sanches, Soto, Maſius, noſtri

stri Complutenses, & alij etiam extra scholam D.Thom. in præsenti.

CONCLVSIO.

Cum scientia propriè subalternata sic intrinsecè pendeat à subalternante, vt si illi non subalternaretur, non esset scientia: differentia, quam addit supra obiectum eius, est accidentalis.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt scientiæ, quarum obiecta essentialiter continentur sub obiecto alterius, vt sunt cæteræ respectu Metaphysicæ, possint impropriè & secundùm quid appellari subalternatæ; 2. propria tamen & perfecta subalternatio tantùm inuenitur, quando obiectum vnius scientiæ continetur accidentaliter sub obiecto alterius; quod accidit, quando differentia, quam addit scientia subalternata supra obiectum subalternantia, est accidentalis.

Probatur conclusio quoad vtramque partem. Illa scientia dicitur propriè & rigorosè subalternata alteri, quæ ab illa ita intrinsecè dependet, vt si illi non subalternaretur non esset scientia; nec haberet viam ad probandas suas conclusiones: & propterea ex D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. subalternata desumit à subalternante principia, per quæ probat suas conclusiones: sed hoc non inuenitur in scientia, cuius obiectum essentialiter continetur accidentaliter: nam quando obiectum addit differentiam essentialem supra obiectum alterius, scientia inferior habet absque superiori, vnde probet suas conclusiones, scilicet illam differentiam siue gradum essentialem, qui est verum principium siue proprium propter quid proprietatum, quæ ab illo dimanant: ita quòd si per impossibile non darentur alij gradus, adhuc ille haberet suas proprietates: ac proinde talis scientia inferior non accipit à superiori principia, nec ab illa dependet in suo esse: sed quando obiectum vnius scientiæ addit supra obiectum alterius differentiam omnino accidentalem & extraneam: Ipsum obiectum superioris pertinet ad proprium propter quid proprietatum, quæ in scientia inferiori demonstrantur de tali materia extranea: nam ab hac tantùm oriuntur illæ, inquantum ei coniungitur obiectum superioris, quod si auferretur, non dimanarent tales proprietates: & consequenter talis scientia non habet absque superiori, vnde probet suas conclusiones, & ab illa accipit sua principia, ac dependet omnino in ratione scientiæ: quod sic ampliùs declaratur; cùm ex quolibet gradu essentiali dimanent suæ proprietates, vt constat in homine, qui alias habet proprietates inquantum homo, alias inquantum animal, alias inquantum viuens &c. nam inquantum homo est admiratiuus & risibilis, inquantum animal est progressiuus &c. Ideo illa scientia quæ addit differentiam essentialem, per ipsam potest immediatè probare proprietates ab illa, & ratione illius differentiæ dimanantes: repugnat autem scientiæ inferiori subalternatæ habere principia immediata, vt patet; non enim subordinatur habitui principiorum proximè sed alteri scientiæ; econtra verò scientia, quæ addit differentiam accidentalem, necessariò assumit, vt medium, proprietates obiecti superioris, vt patet, & sic in ista omnes præmissæ sunt mediatæ & demonstrabiles: in alia verò aliqua saltem præmissarum est propositio immediata ac per se nota, & consequenter non habet eamdem rationem formalem (sub qua) quæ sunt ipsa principia, nec propriè illuminatur à superiori; sicut illa, quæ addit differentiam accidentalem, quæ cùm desumat omnia sua principia à superiori, dicitur ab illa illuminari: ergo licèt scientiæ, quarum obiectum essentialiter continetur sub obiecto alterius, possint impropriè & secundùm quid appellari subalternatæ propter aliqualem subordinationem: propria tamen & perfecta subalternatio tantùm inuenitur, quando obiectum vnius scientiæ continetur accidentaliter sub obiecto alterius.

Secundò, scientia subalternata solùm demonstrat de suo obiecto quia est; (propter quid) autem pertinet ad scientiam subalternantem: nam ex Philosopho, vt dictum est supra, tertius modus demonstrationis (Quia) est quando (Quia, & propter quid) pertinent ad diuersas scientias, vt quando ex conclusionibus demonstratiuis à scientia subalternante procedimus tanquam ex principiis ad demonstrandas conclusiones scientiæ subalternatæ: tunc enim scire (Quia) pertinet ad scientiam subalternatam: scire verò (propter quid) ad subalternantem: sed hoc tantùm verificatur in scientiis, quarum obiecta addunt differentiam accidentalem, vt patet: nam Physica, Arithmetica, Geometria & similes, quæ addunt differentiam essentialem supra ens obiectum Metaphysicæ, verè demonstrant (propter quid) Musica autem, Perspectiua & aliæ quæ addunt differentiam accidentalem tantùm demonstrant (Quia) ergo licèt illæ possint impropriè & secundùm quid dici subalternatæ respectu Metaphysicæ: propria tamen & perfecta subalternatio solùm contingit, quando obiectum vnius continetur accidentaliter sub alio. Hæc differentia accidentalis non debet esse proprietas; quia cùm proprietas non sit omnino extrinseca, pertinet ad eamdem scientiam, sicut differentia essentialis.

AD primum ergo dicendum, quòd Physica subalternatur tantùm impropriè Metaphysicæ. Ad aliud dicendum, quòd illa reuelatio obscura est merè accidentalis respectu Dei; nam in cœlo reuelatur clarè, dicitur tamen inhabitare lucem inaccessibilem respectu viatorum qui ambulant in fide.

AD secundum dicendum, quòd obiectum scientiæ subalternatæ est ens per se: quomodo autem hoc sit, dicetur articulo sequenti.

AD tertium dicendum, quòd non quælibet differentia accidentalis & extranea potest constituere obiectum subalternatæ, sed debet esse talis naturæ, vt ex coniunctione eius ad obiectum superioris oriantur speciales proprietates ab ipsa demonstrabiles.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm obiectum scientiæ subalternatæ sit ens per se?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd obiectum scientiæ subalternatæ non sit ens per se. Ita tenent aliqui dicentes, quòd obiectum scientiæ subalternatæ est quidem ens per accidens in esse rei: sed in esse scibilis est vnum per se. Probatur. Differentia essentialis facit vnum per se, differentia verò accidentalis facit vnum per accidens; quia non per se, sed accidentariò conuenit rei, cui adiungitur: sed scientiæ subalternatæ obiectum, addit differentiam accidentalem & extraneam omnino obiecto subalternantis: ergo obiectum scientiæ subalternatæ non est ens per se.

¶ 2. Præterea, Quando duo entia, siue duæ rationes pertinentes ad diuersa prædicamenta vniuntur, non faciunt vnum ens per se; at ens per accidens, vt ait Philosophus: sed obiectum scientiæ subalternatæ conflatur ex duabus rationibus pertinentibus ad diuersa prædicamenta, vt patet inductione; nam obiectum Musicæ numerus Sonorus constat ex numero pertinente ad quantitatem, & sonorò pertinente ad qualitatem: item obiectum Perspectiuæ linea visualis constat ex linea, quæ est quantitas, & visuali, quod pertinet ad qualitatem: ergo obiectum scientiæ subalternatæ non est ens per se.

SED CONTRA est expressa authoritas Arist. 6. Metaphysicæ cap. 1. & D.Th. ibidem lect. 1. quos sequuntur Arauxo. 1. Metaph. q. 4. art. 1. Sanches, nostri Complutenses, Ruuius, & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cum obiectum scientiæ subalternatæ debeat definiri, & habere proprietates, quæ de ipso demonstrentur: necessariò est ens per se.

RESPONDEO dicendum, quòd obiectum scientiæ subalternatæ est ens, & vnum per se: non solùm in genere scibilis 1. sed etiam in genere rei.

Probatur prima pars conclusionis. Scientia quælibet specificatur à suo obiecto considerato in esse scibilis, vt dictum

dictum est, ac proinde sumit ab ipso, vt sic, suum esse, & vnitatem specificam : ergo obiectum ipsum cuiuslibet scientiæ debet in se præhabere tale esse & vnitatem specificam consideratam in esse scibilis, iuxta illud axioma, nemo dat quod non habet ; & sic obiectum scientiæ subalternatæ est ens, & vnum per se in genere scibilis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi loco citato, vbi omnino reiicit à scientiis entia per accidens : sic enim ait : *Cùm itaque ens multipliciter dicatur, primum de eo quod secundùm accidens, dicendum quòd nulla circa illud speculatio est ; signum autem, quod nulli scientia cura est illud, neque actiua, neque speculatiua &c.*

Secundò, obiectum cuiusque scientiæ debet definiri, & habere proprietates, quæ de ipso in tali scientia demonstrentur, vt patet : in hoc enim scientia occupatur, vt demonstret proprietates de suo obiecto ; primum autem medium demonstrationis est definitio sobiecti, sioe obiecti scientiæ:sed quod est vnum per accidens in genere rei, non potest definiri,nec habet proprietates, quæ de illo demonstrentur : quia non habet vnicam essentiam, à qua dimanent : ergo obiectum scientiæ subalternatæ est ens,& vnum per se etiam in genere rei. Maximè quia genus scibilis fundatur supra genus rei,& solùm addit supra illud habitudinem quamdam, & ordinem ad principia, per quæ proprietates eius demonstrantur : ac proinde ens non habens per se proprietates de ipso demonstrabiles, non potest esse per se scibile,aliàs quodlibet ens per accidens in genere rei, poterit fieri ens per se in genere scibilis, & sic de omni ente per accidens poterit dari scientia.

Ad primum ergo dicendum, quòd scientia subalternata considerat pro formali & in recto differentiam, quam superaddit obiecto subalternantis:v.g. Musica considerat sonorum,vt dicit concentum & harmoniam : pro materiali autem & in obliquo considerat obiectum subalternaotis, scilicet numerum secundùm quòd est principium talis concentus: & sic per se considerat vtrùmque; efficiunt autem vnum per se, noo vt vniuntur secundùm proprias rationes, secundùm quas magis faciunt vnum per accidens, vt probat argumentum : sed secundùm quòd numerus est principium soniri, & sonorum terminatur numero ; eo modo, quo linea & superficies efficiunt vnum per se : non secundùm proprias rationes, cùm vt sic opponantur ; nam linea est solùm diuisibilis secundùm longitudinem ; superficies verò secundùm longitudinem & latitudinem : secundùm quòd linea est principium latitudinis superficiei : superficies quippe dicit latitudinem terminatam lineis : ratio huius est, quia sicut linea non pertinet in recto ad rationem superficiei, sed tanquam principium, per quod essentialiter definitur: sic numerus non includitur in recto in ratione sonori, sed tanquam principium, per quod essentialiter definitur : hoc autem obiectum Musicæ, scilicet numerus sonorus, licèt inquantum numerus sit quantitas : tamen, vt est principium sonori, ponitur reductiuè in prædicamento qualitatis sub tertia specie : sicut linea, vt est principium superficiei, reductiòe ponitur in specie soperficiei ; & per hoc patet ad secundum.

Articvlvs V.

Vtrùm sint eadem omnino principia scientiæ subalternatæ, ac subalternantis?

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur quòd sint eadem omninò principia scientiæ subalternatæ, ac subalternaotis. Probatur, Theologia est scientia subalternata scientiæ Dei ac Beatorum, vt docet D.Thom. 1. p.quæst.1. art.2. sed eadem sunt omninò principia Theologiæ, ac scientiæ Dei & Beatorum : nam in vtraque scientia hæc sunt prima principia, Deus est vnus, Deus est trinus, & similia : ergo possunt esse eadem omnino principia scientiæ subalternatæ, ac subalternantis.

§ 2. Præterea, iisdem principiis communibus, quibus vtitur Metaphysica, vt impossibile est idem simul esse & non esse, quodlibet est vel non est, & similibus ; vtuntur etiam aliæ scientiæ subalternatæ Metaphysicæ : ergo sunt eadem omnino principia scientiæ subalternatæ, ac subalternantis.

Sed contra est authoritas Aristotelis in præsenti cap.10. & D.Thom. lect.25. quos communiter sequuntur Philosophi.

Conclvsio.

Cùm propria subalternatio attendatur etiam penes principia, per hoc quòd principia scientiæ subalternatæ dependeant à principiis subalternantis : non possunt esse eadem omnino principia scientiæ subalternatæ, ac subalternantis.

Respondeo dicendum, quòd ordinariè principia scientiæ subalternatæ sunt distincta à principiis scientiæ subalternantis. 2. contingit tamen aliquando quòd sint eadem materialiter 3. nonqnam tamen formaliter. Ad coius euidentiam sciendum est, quòd omnia principia omnium aliarum scientiarum possunt demonstrari à Metaphysica, cùm sit scientia generalis : non quidem directè, cùm talia principia sint intra propriam latitudinem immediata & per se nota : sed tantùm indirectè & per accidens, scilicet per causam remotam, vel ducendo ad impossibile.

Probatur prima pars conclosionis. Principia scientiæ subalternatæ ordinariè demonstrantur à subalternante per veram causam & à priori : ita vt sint conclusiones subalternantis, vt patet inductione penè in omnibus : ergo ordinariè principia scientiæ subalternatæ sunt distincta à principiis scientiæ subalternantis.

Probatur secunda pars conclusionis. Sont eadem principia scientiæ Dei & Beatorum, ac Sacræ Theologiæ, vt consideranti patet ; vt quòd Deus sit vnus, quòd sit trinus, & similia : sed ex D. Th. 1. p. q.r. art.2. & communi sententia Thomistarum,Theologia est sobalternata scientiæ Dei & Beatorum : ergo contingit aliquando quòd principia scientiæ subalternatæ sint eadem materialiter, ac principia subalternantis.

Probatur tertia pars conclusionis. Propria subalternatio attenditur etiam penes principia, per hoc quòd principia scientiæ subalternatæ dependeant à subalternante, saltem quantùm ad euidentiam: principia quippe subalternatæ non sunt euidentia intra terminos talis scientiæ, & debent esse euidentia in sobalternante, vt ampliùs declarabitur articulo sequenti : sed principia non euidentia, & substantia lumini obscuro non sunt eadem formaliter, ac principia euidentia, & substantia lomini claro; licèt possint esse eadem materialiter : nam principium formaliter, vt principium, importat se ipsum, vt cognitum tali lumine,quia sic tantùm influit in conclusionem : ergo principia scientiæ subalternatæ nunquam possunt esse eadem formaliter, ac principia scientiæ sobalternantis.

Ad primum ergo dicendum, qoòd Theologia habet eadem principia, ac scientia Dei & Beatorum materialiter, non formaliter, vt dictum est; nam principia formaliter considerantur, vt substant cognitioni : vt autem sunt principia scientiæ Dei & Beatorum, ab intrinseco petunt cognosci euidenter lumine gloriæ, vt verò sunt principia Theologiæ hoc non petunt : imò intra limites Theologiæ cognoscuntur ineuidenter negatiuè, siue non euidenter.

Ao secundum dicendum, quòd similia principia communissima sunt propria Metaphysicæ, quæ est scientia prima & vniuersalissima : quòd si aliæ scientiæ inferiores vtuntur illis ; non sequitur,quòd sint propria illarum,sed tantùm quòd sint mutuata à Metaphysica, ad quam pertinet propter suam vniuersalitatem subministrare aliis scientiis vniuersalia ista principia, contra negantes principia particularia ipsarum.

Articvlvs

ARTICVLVS VI.

Vtrùm principia scientiæ subalternatæ sint conclusiones subalternantis?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd principia scientiæ subalternatæ sint conclusiones subalternantis. Probatur inductione. Nam hoc principium Medicinæ, contraria contrariis curantur, est conclusio Physicæ, cui Medicina subalternatur: & probatur hoc medio scilicet, contraria se mutuo expellunt ab eodem subiecto; propterea dicitur, quòd vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus, & sic de aliis: ergo principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis.

¶ 2. Præterea, Principia scientiæ subalternatæ debent esse euidentia in scientia subalternante intra limites eius: sed principia scientiæ subalternatæ non possunt esse euidentia intra limites subalternantis, nisi sint conclusiones illius: nam scientia circa suum obiectum habet principia & conclusiones, principia quidem non sunt euidentia intra limites scientiæ, at cognoscuntur habitu principiorum: solæ conclusiones sunt euidentes intra limites scientiæ: ergo principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis.

SED CONTRA est authoritas D.Th.1.p. q.1.art.2. Caietani ibidem; & aliorum Thomistarum dicentium, quòd Theologia est subalternata scientiæ Dei & Beatorum.

CONCLVSIO.

Cùm principia scientiæ subalternatæ possint esse euidentia in subalternante, absque eo quòd sint eius conclusiones: principia scientiæ subalternatæ non sunt semper conclusiones subalternantis.

RESPONDEO dicendum, quòd ordinariè principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis.2. non tamen semper. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd Sacra Theologia propriè & rigorosè est subalternata scientiæ Dei & Beatorum, ita D.Th. & communiter eius Discipuli loco citato primæ partis. Et ratio est manifesta: Nam habitus acquisitus ex principiis notis lumine scientiæ Dei ac Beatorum, subalternatur tali scientiæ: constat autem quòd Theologia est habitus acquisitus ex principiis reuelaris notis lumine scientiæ Dei & Beatorum: ac proinde subalternatur illi: nec illi deest vlla conditio subalternationis, nam vtrisque est idem obiectum, scilicet Deus, vt Deus, cui Theologia addit differentiam accidentalem licèt extrinsecam; scilicet ineuidentiam negatiuam: nam Deus non est obiectum scientiæ, nisi vt substat alicui lumini: vt autem substat maiori & clariori lumini, magis cognoscitur, & plura in eo cognoscuntur: vnde videtur sub vniuersaliori ratione, quàm si consideretur sub lumine magis limitato: vnde cùm Deus, vt subest lumini gloriæ, sit obiectum scientiæ Dei & Beatorum, vt sic magis latè patet, & plura in eo cognoscuntur; quàm vt subest lumini fidei, sub qua ratione est obiectum Theologiæ pro hoc statu: & ita Theologia addit hanc differentiam scilicet ineuidentiam negatiuam, id est non ineuidentiam: nam scientia Dei & Beatorum petit ab intrinseco euidentiam sui obiecti, non verò Theologia. Tandem principia Theologiæ dependent in sua euidentia à scientia Dei & Beatorum, vt statim dicetur, quæ omnia indicant propriam subalternationem Theologiæ respectu scientiæ Dei & Beatorum: nulli tamen scientiæ naturali subalternatur, cùm sit superioris ordinis: esse autem superioris ordinis respectu alicuius, & illi subalternari repugnant, vt patet ex Etymologia nominis: vtitur tamen aliis scientiis, earùmque principiis, tanquam ministris ex D. Thom. 1. part. quæst. 1. art.6. ad 2.

Probatur prima pars conclusionis rationibus adductis in contrarium, quæ illam efficaciter probant: vnde maiori non indiget probatione; maximè cùm nullus dissentiat.

Probatur secunda pars conclusionis. Theologia est verè subalternata scientiæ Dei & Beatorum, vt dictum est, etiam quantùm ad sua principia: quia maior est dependentia principiorum Theologiæ à scientia Dei & Beatorum, quàm principiorum Perspectiuæ à Geometria, cui tamen propriè etiam quantùm ad principia subalternatur: nam principia Perspectiuæ possunt sciri sine Geometria, vel per experientiam, vel per habitum principiorum: principia verò Theologiæ non possunt sciri, nisi per scientiam Dei & Beatorum, vt patet: sed principia Theologiæ non sunt conclusiones scientiæ Dei & Beatorum; quia talis scientia non est discursiua, at simpliciter intuitiua: ita vt omnia, quæ per illam sciuntur, vnico intuitu videantur; vt cum D. Thom. communiter docent Theologi 1. part. quæst.14. artic.10. ac proinde non habet conclusiones formales; & licèt admittantur in ea conclusiones virtuales, cùm in vnum feratur ratione alterius, tanquam causæ virtualis, vt in æternitatem Dei ratione immutabilitatis, & in creaturas possibiles ratione omnipotentiæ (quod sufficit ad constituendam formaliter in Deo scientiam:) tamen adhuc principia Theologiæ non sunt conclusiones huius scientiæ: quia hæc sunt principia Theologiæ, Deus est vnus, Deus est trinus, Deus est suum esse, & similia, quæ non sunt, nec possunt esse conclusiones etiam virtuales scientiæ Dei & Beatorum, imò sunt prima eius principia, quia non habent causam etiam virtualem, vt consideranti patet: ergo non semper principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis: & per hæc patet ad obiecta.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm scientia subalternata sit vera scientia; præsertim in eo, qui non habet subalternantem?

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur quòd scientia subalternata nullo modo est scientia. Probatur. Scientia subalternans applicat obiectum, & principia subalternantis ad materiam extraneam, nam sumit pro medio obiectum & proprietates scientiæ subalternantis; ac proinde tale obiectum & proprietates iunguntur in aliqua præmissarum cum materia extranea, & efficiunt propositionem contingentem, quod repugnat veræ demonstrationi & scientiæ: ergo scientia subalternata non est vera scientia.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd scientia subalternata non sit vera scientia in eo, qui non habet subalternantem: ita Suares, Vasques, & alij moderni. Probatur authoritate Aristotelis, & D.Th. Arist. quidem cap.2. huius libri ait: *Quia non scis non habens demonstrationem ipsorum: scire enim non per accidens ea, quorum est demonstratio, nihil aliud est sinè quàm demonstrationem habere.* D.Th. q.14. de veritate art.9. sic ait: *Quæcumque sciuntur (propriè acceptâ scientiâ) cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui: & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur, vnde impossibile est quòd de eodem sit fides & scientia.* Item in 3. d.33. q.1. art.2. quæst.4. ait: *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum aliis scientiis, neque vniuocè scientia diceretur*: Vnde ex D.Thom. ad veram rationem scientiæ necessarium est, vt ei, qui vtitur demonstratione, principia sint euidenter nota, & non solùm fide credita: sed principia scientiæ subalternatæ non sunt euidenter cognita, at solâ fide credita ei, qui non habet subalternantem: ergo scientia subalternata non est vera scientia in eo, qui non habet subalternantem.

¶ 3. Præterea, Certitudo & euidentia sunt de intrinseca ratione scientiæ: scientia quippe est habitus certus & euidens per demonstrationem acquisitus: sed in scientia subalternata non inuenitur certitudo, aut euidentia, quia non est maior certitudo, aut euidentia conclusionis, quàm principiorum: cùm illa in ista fundetur: at in scientia subalternata respectu eius, qui non habet subalternantem, principia fundantur in sola fide magistri, vt patet, quæ nec certitudinem, nec euidentiam potest face-

re: ergo scientia subalternata non est vera scientia in eo, qui non habet subalternantem.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. ac communis doctrina Thomistarum.

CONCLVSIO.

Cùm scientia subalternata habeat certitudinem, & ex natura sua exigat euidentiam; etiam in eo, qui non habet subalternantem: verè etiam in eo, est scientia.

Respondeo dicendum, quòd scientia subalternata verè est scientia. 2. etiam in eo, qui non habet subalternantem. 3. licèt non habeat perfectionem, & statum scientiæ; donec adueniat subalternans.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis hic cap. 7. vbi postquam dixit vno de genere non posse transiri in aliud: scilicet demonstratione Arithmeticâ non posse demonstrari conclusionem Geometricam, ita subiungit. *Hoc autem, vt in quibusdam fieri potest, posterius explicabitur.* Et attulit exemplum de Musica & Perspectiua, de quibus ait: *Non omnino transire de vno genere in aliud: sed aliquâ ex parte:* Ergo ex Philosopho scientia subalternata est verè & substantialiter scientia.

Secundò. Ex Aristotele hic cap. 2. tunc scire arbitramur vnamquamque rem, cùm putamus causam cognoscere, ob quam res est, illius causam esse, neque posse aliter se habere: sed quando ex principiis subalternantis demonstramus aliquam conclusionem subalternatæ, verè cognoscimus propriam causam talis conclusionis, neque posse eam aliter se habere, vt patet; & ita in scientiis subalternatis verè scimus: ergo scientia subalternata est verè & substantialiter scientia.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 1. part. quæst. 1. art. 2. vbi docet Theologiam veram esse scientiam eo modo, quo Musica & aliæ subalternatæ sunt scientiæ: constat autem quòd pro hoc statu, qui habet Theologiam non habet eius subalternantem scientiam Dei & Beatorum. Item opusc. 70. q. 2. art. 2. ad 5. & 7. affirmat in scientiis subalternatis aliquando fidem esse proximum principium scientiæ: sed clariùs q. 14. de veritate art. 9. ad 3. vbi sic ait: *Ille qui habet scientiam subalternatam non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi inquantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem: nihilominus tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit habere scientiam, sed de conclusionibus, quæ ex principiis suppositis de necessitate concluduntur; & sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quæ concluduntur ex articulis fidei:* Vnde constat ex D. Thom. quòd potest quis imperfectè habere scientiam subalternatam, etiamsi actu non habeat subalternantem, & solùm credat principia in illa demonstrata, aut aliunde manifesta.

Secundò. Ratio substantialis scientiæ per se primò solùm attenditur penes certitudinem, quâ intellectus adhæret scibili, nec requiritur quòd actu habeat euidentiam: at sufficit quòd ex natura sua illam exigat, & habeat quando erit in statu perfecto, vt constat in Theologia, quæ ex D. Th. loco citato est vera scientia, & tamen non habet euidentiam sui obiecti: & ratio est manifesta; nam perfectio substantialis intellectus & habituum eius desumitur per ordinem ad verum sub ratione veri, ac proinde consequutio ipsius veri, siue firma adhæsio intellectus ad ipsum, in qua consistit certitudo formalis, est quasi finis (quo) intellectus & habituum eius: at verò claritas & euidentia non intenduntur vltimò & principaliter ab intellectu & habitibus eius: at tantùm exiguntur, vt quid alteri deseruiens; quatenus obiectum sub claritate est meliùs dispositum, vt causet in intellectu firmiorem & certiorem assensum veritatum: ac proinde certitudo, & non euidentia pertinet per se primò ad perfectionem substantialem assensus scientifici: sed scientia subalternata etiam in eo, qui non habet subalternantem, habet certitudinem, quâ intellectus adhæret scibili, (& licet actu non habeat euidentiam, illam tamen exigit ex natura sua;) nam fides humana potest pertingere ad certitudinem, quæ excludit omnem hæsitationem, vt patet in eo qui credit Romam esse, quòd etiam contingit in nostro casu; nam Musicus credit Arithmetico, non vtcúmque, sed vt scientificus est, cum quo quodammodo continuatur mediâ tali fide, ac proinde habet sufficientem certitudinem ad eliciendum imperfectum assensum scientificum: ergo scientia subalternata est verè & substantialiter scientia etiam in eo, qui non habet subalternantem.

Tertiò. Scientia subalternata ex natura sua inclinat ad assensum euidentem, cùm ex se petat coniungi cum subalternante: ergo etiamsi pro statu separationis & imperfectionis non possit elicere talem assensum euidentem, non desinet esse verè & substantialiter scientia: nam ratio scientiæ, & cuiuscúmque virtutis non sumitur ex actu, quem habet secundùm statum imperfectionis: sed ex illo, ad quem ex natura sua inclinat. Confirmatur. Assensus scientiæ subalternatæ ex natura sua petit procedere à principiis claris & euidentibus scientiæ subalternantis, & in illa certissimis; & est per accidens quòd procedat à fide, quæ substernitur loco scientiæ subalternantis, & in virtute eius operatur: ergo licèt iste assensus ab illa fide participet certitudinem, non tamen participat per se obscuritatem illi annexam, ac proinde in tali assensu nihil est, quod rationi formali scientiæ repugnet: nam fides non substituitur loco scientiæ subalternantis, nec agit in virtute eius ratione obscuritatis, sed ratione certitudinis explicatæ, quâ mediâ quodammodo continuatur illi; ac proinde non influit in assensum obscuritatem, sed certitudinem. Tertia pars conclusionis per se satis constat.

Ad primum ergo dicendum, quòd scientia subalternata non applicat obiectum subalternantis ad quamcúmque materiam accidentalem: sed ad eam, quæ per se dependet à tali obiecto, tanquam à principio, per quod definitur: vnde sicut linea, vt est principium superficiei, ponitur in obliquo in eius definitione essentiali (superficies enim est quantitas continuata lineis) & ideo talis prædicatio reducitur ad primum modum dicendi per se, & est necessaria: sic numerus, vt est principium soni, & proportiones, vt sunt principia consonantiarum ponuntur in definitionibus earum; ac proinde non contingenter, sed necessariò prædicantur de illis: neque in similibus syllogismis propriè & simpliciter fit descensus ab vno genere in aliud, quia omnes termini, qui in recto ponuntur in eis, sunt eiusdē prædicamenti: fit tamen descensus secundùm quid & ex parte, vt ait Aristoteles cap. 7. citato, quia numerus ipse, & proportiones, quæ ponuntur in obliquo, sunt secundùm esse alterius prædicamenti.

Ad secundùm dicendum, quòd Philosophus, & D. Th. solùm intendunt, quòd sicut fides ex natura sua inclinat ad assensum obscurum, sic scientia ex natura sua inclinat ad assensum clarum, & ad resolutionem in principia euidenter cognita; & ideo addit, quòd scientia in visione rei præsentis perficitur, quod non conuenit fidei, quæ potiùs destruitur: vnde cùm in visione perficiatur, signum est ante talem visionem esse quidem scientiam, sed imperfectam. In alio autem loco concludit D. Th. tantùm quòd Theologia, & si quæ esset alia scientia, quæ non posset reducere suas conclusiones ad principia naturaliter cognita, non esset vniuocè scientia, idest, quoad statum & esse perfectum scientiæ, quamuis quoad substantiam vniuocè participet rationem scientiæ: licèt etiam possit dici Theologiam non vniuocè conuenire cum aliis, quia non est eiusdem rationis, aut generis proximi cum scientiis merè naturalibus, cùm habeat excellentiorem modum procedendi, scilicet ex altioribus principiis à Deo reuelatis, in quibus fundatur omnimoda certitudo eius assensuum, in quo longè superat alias scientias naturales.

Ad tertium dicendū sicut supra, quòd euidentia actualis & propria ex parte subiecti, non est de ratione intrinseca scientiæ, sed solùm competit scientiæ in statu perfecto: vnde prædicta definitio scientiæ in communi est vitiata: nisi per ly (euidens) intelligatur de euidentia radicali, quælibet enim scientia ex se inclinat ad euidentiam: vnde ad

rationem

rationem scientiæ sufficit certitudo actualis cum euidentia radicali: certitudo autem subalternatæ, licèt fundetur in fide principiorum, est tamen sufficiens ad assensum scientificum; nam illa fides excludit omnem hæsitationem ex eo, quòd habet quasi euidentiam in attestante: cùm autem scientia subalternata sine subalternante non tam sit habitus quàm dispositio: sic non tam dicenda est virtus intellectualis, quàm inclinatio quædam virtutis; quia licèt substantialiter sit virtus, non tamen habet statum & perfectionem virtutis; vnde non est necesse quòd sit potens elicere actum optimum, sed sufficit quòd illum ex natura sua possit elicere, & de facto eliciat, quando ad statum virtutis, siue ad coniunctionem suæ subalternantis peruenerit.

QVÆSTIO XXV.

De aliis Habitibus Intellectualibus speculatiuis.

CVM ad perfectam habitus scientifici cognitionem plurimùm conducat aliorum habituum intellectualium notitia, qui sunt habitus principiorum, sapientia, solertia, fides & opinio: ideo postquam actum est de scientia, meritò cum Arist. de prædictis speculatiuis habitibus agitur: nam prudentia, quæ est recta ratio, siue regula agibilium, & ars quæ est recta ratio, vel regula factibilium cùm sint habitus practici, non sunt præsentis instituti: vnde quæruntur septem.

¶ Primò, Vtrùm habitus principiorum distinguatur ab intellectu?

¶ Secundò, Vtrùm habitus principiorum sit inditus à natura?

¶ Tertiò, Vtrùm sapientia distinguatur à scientia?

¶ Quartò, Vtrùm solertia sit distincta à scientia?

¶ Quintò, Vtrùm fides fundetur in authoritate dicentis?

¶ Sextò, Vtrùm detur habitus opinatiuus?

¶ Septimò, Vtrùm de eodem obiecto possint esse simul scientia & opinio?

ARTICVLVS I.

Vtrùm habitus principiorum distinguatur ab intellectu?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd habitus principiorum non distinguatur ab intellectu, siue ab ipsa potentia intellectiua. Ita tenent Valentia, & Lorca 1.2. q.51. art.1. quibus ex parte fauet Durandus in 3. d. 33. q. 5. ad 2. Probatur authoritate Philosophi qui 6. Ethicorum cap.6. habitum principiorum vocat intellectum siue intelligentiam: ergo non distinguitur ab ipso intellectu.

¶ 2. Præterea, Habitus superadditur intellectui ad tollendam eius indifferentiam: sed intellectus circa prima principia non habet indifferentiam, at est naturaliter determinatus; nam explicatis terminis non potest illis dissentire, ac proinde respectu illorum non indiget habitu superaddito: ergo habitus principiorum non distinguitur ab intellectu.

¶ 3. Præterea, Sicut se habet voluntas circa finem sibi proportionatum, sic se habet intellectus circa prima principia naturaliter cognita: nam ex communi doctrina Philosophorum sicut se habet finis in practicis, ita principiũ in speculatiuis: sed ex D.Th. 1.2. q.56. art.6. & q.62. art.3. ad 1. voluntas non indiget vllo habitu ad finem sibi proportionatum: ergo nec intellectus circa prima principia.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm potentia intellectiua ex se indifferens ad verum vel falsum, determinetur per habitum principiorum ad verum in propositionibus vniuersalibus, necessariis, immediatis & speculatiuis: habitus principiorum distinguitur ab intellectu.

RESPONDEO dicendum, quòd habitus principiorum non est ipsa potentia intellectiua, sed verus habitus ipsi superadditus, & ab illa distinctus. 2. Qui versatur tam circa principia vniuersalissima, quæ ab Aristotele cap.2. huius primi libri appellantur dignitates, quàm circa principia particularia scientiarum, quæ vocantur positiones. 3. Vnde vnicus existens in specie infima, sufficit pro omnibus principiis speculatiuis, siue vniuersalibus, siue particularibus: nec sunt multiplicandi habitus principiorum iuxta numerum scientiarum non subalternatarum. 4. Et sic potest definiri, quòd sit habitus circa propositiones vniuersales, necessarias, immediatas & speculatiuas.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis & D. Th. Aristoteles quidem in hoc 2. l. cap. vltimo dicit habitum principiorum in nobis generari experimento & memoriâ, quòd non potest intelligi de potentia intellectiua. Item 6. Ethicor. cap.3. numerat ipsum inter virtutes intellectuales, quæ sunt veri habitus, & vocat ipsum, intellectum propter suam excellentiam. D. Th. ibidem lect.5. hæc habet. Accipitur intellectus hîc non pro ipsa intellectiua potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia. Item 2. contra gentes cap. 48. Docet habitum principiorum accipi ex sensibilibus, & esse effectum intellectus agentis. Item 1.2. q.62. art.3. ad 2. Dicit esse habitum naturalem superadditum potentiæ intellectiuæ.

Secundò. Potentia rationalis (qualis est intellectus & voluntas) secundùm se est indifferens, & se habet ad opposita, vt ait Philosophus 9. Metaphysicæ; nam voluntas potest ferri in bonum & malum; & intellectus potest intelligere verum & falsum: ergo debet in eo dari habitus superadditus, quo determinetur ad verum circa propositiones vniuersales, necessarias, immediatas & speculatiuas, qui proinde non se habeat ad opposita, neque indifferenter inclinet ad verum & falsum, sed infallibiliter attingat verum, vt ait Arist. hoc lib.2. cap. vlt. his verbis. *Cùm autem mentis habituum, quibus verum perspicimus, quidã veri perpetuò sint, vt intellectus, atque scientia, quidam interdum falsum suscipiant, vt opinio, &c.* Cuius affert rationem; nam tota certitudo, determinatio & necessitas assensus scientifici procedit ex certitudine, determinatione & necessitate assensus principiorum; ac proinde certiùs, firmiùs, & magis immobiliter intellectus assentitur primis principiis iuxta illud axioma, propter quod vnum quodque tale, & illud magis; & consequenter, si habitus scientiæ non est indifferens ad verum, vel falsum, sed omnino determinatus ad cognitionem veri: multò magis erit determinatus ad verum habitus principiorum: ergo habitus principiorum non est ipsa potentia intellectiua, sed verus habitus ipsi superadditus, & ab illa distinctus. Sicut enim intellectus non potest determinari ad verum circa propositiones mediatas seipso, sed indiget habitu scientiæ: sic non potest determinari seipso circa propositiones immediatas, sed indiget hoc habitu principiorum, vt constat ex paritate rationis.

Probatur secunda pars conclusionis contra Vasquem 1.2. disp.74. cap.3. Aristot. & D. Thom. loquentes de hoc habitu absolutè docent versari circa prima principia, non distinguentes illa in vniuersalia & particularia. Deinde ex Aristot. propria ratio, per quam habitus principiorum distinguitur à scientia, est; quia versatur circa propositiones immediatas, siue medio carentes, & per se notas: quod conuenit æquè principiis particularibus ac vniuersalissimis; nam vtraque sunt propositiones immediatæ. Denique quia in vtrisque est eadem necessitas ponendi hunc habitum; nam ex vtrisque deriuatur cognitio scientifica, & ad omnia requiruntur species intelligibiles; & consequenter pro vtrisque necessaria est virtus intellectualis, vt illis firmiter adhæreat intellectus, & determinetur sufficienter ad veri cognitionem; ex quo sequitur quòd eademmet propositio realiter cognoscatur habitu principiorum, prout est principium: prout verò est conclusio cognoscatur habitu scientiæ: & ita est eadem qui-

dem materialiter, ſed non formaliter: eſſe enim propoſitionem mediatam vel immediatam, mutat formalitatem. Habetur manifeſtum de hoc exemplum in concluſione Theologica, quæ vt talis non eſt de fide, & cognoſcitur habitu Theologico: vt verò aliunde determinata ab Eccleſia, cognoſcitur habitu fidei.

Probatur tertia pars concluſionis contra Ruoium, & alios. Ariſt. hoc lib. 2. cap. vlt. dicit habitum principiorum eſſe virtutem intellectualem certiorem & altiorem habitu ſcientiæ, in quem iſta reſoluitur, tanquam in principium efficiens præhabens in ſe quidquid perfectionis eſt in ſcientia: ergo vnitas eius deſumitur ex altiori & vniuerſaliori radice: & ita non debet multiplicari ad multiplicationem ſcientiarum. Deinde propria ratio formalis, ſub qua habitus iſte tendit in principia; ſcilicet immediata connexio prædicati cum ſubiecto, eſt eadem in omnibus principiis ſcientiarum, licèt pro diuerſitate materiali eorum ſit maior vel minor difficultas in explicatione terminorum: ergo idem habitus in ſpecie infima ſufficit pro omnibus principiis ſpeculatiuis, tam vniuerſalibus, quàm particularibus & propriis ſcientiarum: nam cùm habitus ſpecificentur à ratione (ſub qua,) vt dictum eſt: ſi illa ſit vnica, habitus item erit vnicus in ſpecie infima.

Quarta pars concluſionis non indiget probatione: ſatis conſtat ex dictis.

Ad primum ergo dicendum, quòd habitus principiorum vocatur ab Ariſtotele intellectus, vel intelligentia, propter ſuam excellentiam, quia per ipſum elicitur actus primarius cognitionis intellectiuæ, qui fit ſine diſcurſu.

Ad ſecundum dicendum, quòd habitus principiorum eſt neceſſarius, tum quia intellectus ſecundùm ſe eſt indifferens ad eliciendum aſſenſum, vel principiorum, vel concluſionum. Tum deinde, quia licèt explicatis principiis vniuerſaliſſimis intellectus naturaliter determinatur ad aſſentiendum illis: tamen reſpectu aliorum minùs vniuerſalium poteſt habere falſam cognitionem. Tum Denique quia intellectus in omni ſuo actu indiget ſpeciebus intelligibilibus, nec habet ex ſe ſufficientem determinationem etiam reſpectu principiorum vniuerſaliſſimorum, neque ex ſe eſt facilis ad aſſentiendum illis.

Ad tertium dicendum, quòd cùm voluntas in ſua operatione non requirat ſpecies: ſed eius operatio ſit pura inclinatio in obiectum, quod ad ſe voluntatem attrahit: ipſa voluntas eſt in ſe ſufficienter determinata ab authore naturæ, vt abſque vlla difficultate feratur in finem, in quem naturaliter inclinatur: ita D.Th. q. 1. de virtutibus art. 5. ad 3.

Articvlvs II.

Vtrùm habitus principiorum ſit inditus à natura?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd habitus principiorum ſit inditus intellectui à natura, & cum ipſo in creatione animæ comproductus. Ita tenent aliqui Thomiſtæ. Bannes 1.p.q.1. art.6. Conradus, & Medina 1.2. q.5. art.1. Sanches in Logica lib.7. q. 15. & alij. Probatur multiplici authoritate D.Th. qui multis in locis habitum principiorum vocat naturalem, ſiue à natura inditum; & alibi docet in puero reperiri etiam ante vſum rationis: licèt non poſſit eo vti propter defectum ætatis. Tandem in 3.d.23.q.3.art.2. ad 1. hæc habet: *Habitus infuſus ſimilis eſt habitui innato, quia ſicut naturalis habitus datur in creatione: ita infuſus in reparatione.* Naturalis autem, ſicut intellectus principiorum, indiget vt cognitio determinetur per ſenſum, quo acquiſitus non indiget.

¶ 2. Præterea, In homine cognitio principiorum eſt quoddam ſeminarium totius cognitionis ſequentis: ergo ſicut in aliis naturis, ſequentium operum & effectuum præexiſtunt quædam naturalia ſemina: ſic etiam cognitio principiorum debet naturaliter ineſſe homini; ac proinde & habitus principiorum, quo fit talis cognitio; maximè quia facilitas, & promptitudo in operando eſt indicium habitus præſentis: ſed explicatis terminis ita facilè, ac promptè aſſentimur, cùm primùm proponuntur prima principia, ac poſtquam habuerimus circa illa plures actus: ergo ante primum aſſenſum iam exiſtit habitus, à quo cauſatur talis facilitas, & per conſequens eſt inditus à natura.

¶ 3. Econtra; Videtur quòd habitus principiorum ſit ſimpliciter acquiſitus: ita vt ſicut per aſſenſum concluſionum acquiritur habitus ſcientiæ; ſic per aſſenſum principiorum acquiratur habitus principiorum. Ita tenent Ruuius, & aliqui moderni. Probatur. Illud ſolùm eſt naturaliter inditum, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad operandum: quæ verò ſunt tantùm neceſſaria ad melius eſſe, natura nobis reliquit acquirenda per propriam induſtriam, vt patet in virtutibus moralibus, quas ideo natura non conceſſit, quia non ſunt ſimpliciter neceſſariæ; at tantùm ad melius eſſe conducunt ad operandum bona opera: ſed habitus principiorum non eſt neceſſarius ad ſimpliciter aſſentiendum primis principiis; at tantùm ad illis aſſentiendum cum facilitate; cùm talis aſſenſus non excedat facultatem naturalem intellectus: quia eſt circa veritates naturales per ſe notas; & ideo ad aſſentiendum illis ſufficit potentia intellectiua cum ſpeciebus intelligibilibus has veritates repræſentantibus: ergo habitus principiorum non eſt à natura inditus, ſed propriâ induſtriâ, & labore acquiſitus.

Sed contra eſt authoritas D. Th. quem ſequuntur Caietanus 1.2.q.51. art.1. Ferrar. 2. contra gentes cap.78. Nazarius 1.p. q. 58. art.1. controuerſ. 1. Iauellus 2. Metaph. q.1. Maſius, noſtri Complutenſes: licèt differant in modo explicandi.

Conclvsio.

Habitus principiorum producitur immediatè per intellectum agentem in intellectu paſſibili; ſtatim ac per ſenſus acquiruntur ſpecies intelligibiles, & ponitur notitia terminorum.

Respondeo dicendum, quòd habitus principiorum ſpeculabilium nec eſt omnino acquiſitus 2. nec omnino inditus à natura 3. ſed partim eſt à natura, partim ab exteriori principio: ſiue eſt naturalis inchoatiuè tantùm; quatenus ex ipſa natura animæ intellectiuæ conuenit homini, quòd explicatis terminis ſtatim cognoſcat prima principia: completiuè verò dicitur acquiſitus, quia non poteſt cognoſcere iſta principia niſi per ſpecies acquiſitas, vt docet D. Th. 1. 2. q. 51. art. 1.

Probatur prima pars concluſionis. Si habitus principiorum acquireretur per aſſenſus, & iudicia intellectus paſſibilis, etiam per ipſorum repetitionem augeretur, & ita creſceret in nobis facilitas aſſentiendi primis principiis; & ſimiliter per ceſſationem & diſſuetudinem eorumdem aſſenſuum diminueretur talis facilitas, & poſſet ipſe habitus minui, & tandem corrumpi: nam ex D. Th. 1.2. q.53. art.2. habitus ex eadem cauſa augetur, ex qua generatur; & ex eadem diminuitur, ex qua corrumpitur: ſed habitus principiorum non poteſt augeri, nec vllâ obliuione, aut deceptione corrumpi ex eodem D.Th. 1.2. q.53. art.1. ſicut augetur & minuitur habitus ſcientiæ, & aliqui alij habitus intellectuales, quod etiam patet experientiâ: nam poſt multos aſſenſus circa aliquod primum principium non eſt maior facilitas ad aſſentiendum, nec minor facilitas poſt diuturnam ceſſationem aſſenſuum: ergo habitus principiorum ſpeculabilium non eſt omnino acquiſitus, ideſt, per proprios actus, ſicut alij habitus acquiſiti.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Sunt multa loca D. Th. paulò poſt afferenda, quæ docent iſtum habitum principiorum non eſſe omnino inditum à natura. Deinde Ariſt. in hoc 2. lib. cap. vltimo, vt explicant commentator & alij interpretes, dicit hunc habitum fieri in nobis experimento & memoriâ, atque ex ipſa cognitione ſenſitiua. Denique qui dicit iſtum habitum eſſe inditum à natura, tollit ab intellectu humano puram potentialitatem in eſſe intelligibili, quod eſt contra D. Th. 3. de anima textu 14. item 1.p.q.87. art.1. & alibi ſæpe: ergo habitus principiorum non eſt omnino inditus à natura.

Probatur & explicatur tenia pars conclusionis. Dicitur habitus principiorum partim naturalis, siue inditus à natura, & partim acquisitus; non quòd vna pars sit à natura, & alia ab exteriori principio: sed quia positâ terminorum notitiâ extrinsecùs acquisitâ mediantibus sensibus ad præsentiam specierum intelligibilium, virtute intellectus agentis resultat in intellectu passibili talis habitus, qui dicitur naturalis; quia fluit per modum naturæ positâ notitiâ terminorum; acquisitus verò quia supponit operationes sensuum, per quas acquiruntur species intelligibiles: vnde non prodocitur per iudicia, aut assensus intellectus passibilis, sed immediatè per intellectum agentem in intellectu passibili, statim ac per sensus acquiruntur species intelligibiles, & ponitur notitia terminorum. Ita explicant Caietan. Ferrar. Nazarius, nostri Complutenses. Quòd autem sit vera & legitima explicatio, probatur authoritate D. Thom. 1. 2. quæst. 53. art. 1. vbi hæc habet: *Vnde si aliquis habitus sit in intellectu passibili immediatè ab intellectu agente causatus: talis habitus est incorruptibilis, & per se, & per accidens; huiusmodi autem sunt habitus primorum principiorum tam speculabilium, quàm practicorum, quæ nullâ obliuione, vel deceptione corrumpi possunt &c.* Item 2. contra gentes cap. 78. ait: *Habitus principiorum est acceptus à sensibilibus, vt probat Aristoteles in 2. posteriorum, & sic oportet quòd sit effectus intellectus agentis.* Item in 2. d. 24. q. 2. art. 3. loquens de hoc habitu sic ait: *Est quodammodo inuatus menti nostra ex ipso lumine intellectus agentis:* Ergo ex D. Thom. habitus principiorum immediatè fluit ab intellectu agente in intellectum passibilem ante assensus & iudicia eius: quod clariùs dixit loquens de habitu principiorum practicorum q. 16. de veritate art. 1. ad 14. dicit enim quòd actus cognitionis non præexigitur ad potentiam vel habitum synderesis, sed ad actum ipsius.

Secundò. Ex hac doctrina & explicatione consonant omnia quæ tam de intellectu humano, quàm de habitu principiorum docent communiter graues Philosophi. Quia 1. non tollitur pura potentialitas intellectus passibilis in esse intelligibili. 2. nihil immediatè tribuitur ab ipsa natura, quod tantùm sit necessarium ad faciliter operandum, quod est fundamentum secundæ opinionis 3. sequitur istum habitum non posse nec per se, nec per accidens corrumpi. 4. optimè redditur ratio eius quod experimur, quare scilicet explicatis terminis ita facilè & promptè assentimur primis principiis cùm primùm proponuntur, quàm post multos assensus circa illa. 5. denique ponitur io intellectu per modum naturæ principium sufficienter firmum & immobile, vt possit esse seminarium totius cognitionis sequentis, quod est fundamentum primæ opinionis: ergo hæc sententia est præferenda aliis; & per hæc patet ad obiecta: vnde loca D. Thom. adducta in contrarium sunt iuxta hæc explicanda: quando igitur dicit habitum principiorum esse naturalem aut inditum, non vult quòd sit omnino naturalis aut congenitus; sed quòd emanet in nobis per modum naturæ ex lumine intellectus agentis, vt alibi sæpe dicit. Id quod affertur de puero non est contra conclusionem; nam conceditur ante vsum rationis posse generari habitum principiorum: quia tunc in puero possunt esse species intelligibiles aliquorum principiorum, & notitia terminorum, quibus positis statim fit talis habitus. Ad vltimum locum dicendum, quòd hic habitus dicitur dari in creatione non formaliter, sed virtualiter & causaliter: quia in creatione datur lumen intellectus agentis, ex quo ipse habitus naturaliter resultat, modo explicato. Tandem hic notandum est quòd Ruuius affert vnum locum Aristot. pro sua opinione: sed hic locus est vitiatus: nam Philosophus dicit habitum principiorum fieri à sensu, id est, à potentia sensitiua, vt habent omnes translationes, & communiter legunt D. Thom. & alij interpretes: qui locus concordat nostræ conclusioni, Ruuius autem legit habitum principiorum fieri assensu, quod facit sensum omnino contrarium.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sapientia distinguatur à scientia.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd sapientia distinguatur ex æquo à scientia: ita vt idem habitus non sit sapientia & scientia. Probatur authoritate Philosophi, qui numerans habitus intellectuales, ponit hos quinque tanquam distinctos, scilicet habitum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam & artem: ergo sapientia distinguitur ex æquo à scientia.

¶ 2. Præterea, Sapientia & scientia habent diuersas definitiones, & conditiones omninò contrarias, vt intuenti patet: ergo sapientia distinguitur ex æquo à scientia.

¶ 3. Præterea, Aristoteles 6. Ethicorum cap. 7. sic ait: *Sapientem ergo non solùm ea scire, quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet: quare sapientia intellectus est, & scientia, & vt caput habens scientia rerum earum quæ summis afficiuntur honoribus:* Quæ verba indicant sapientiam integrari tanquam ex partibus ex habitu principiorum & scientia, vt vult Scotus: vel esse habitum ab intellectu & scientia distinctum, & eminenter continentem eorum perfectiones, & sub eadem ratione formali se extendentem ad cognoscenda principia & conclusiones: ergo sapientia distinguitur à scientia.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur communiter eius discipuli Caietanus in hoc 1. libro cap. 10. Bannes 1. p. q. 1. art. 6. Soncinas 4. Metaph. q. 13. nostri Complutenses, & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm Theologia, & Metaphysica sint & sapientia & scientia: sapientia non distinguitur ex æquo à scientia.

RESPONDEO dicendum quòd sapientia & scientia non differunt tanquam duæ species oppositæ vt sic. 1. sed differunt tantùm vt perfectum ab imperfecto, 3. vnde scientia sumpta pro habitu generato per demonstrationem diuiditur in sapientiam & scientiam: ita vt sapientia sit scientia procedens per causam altissimam: scientia verò vt condistincta à sapientia, procedat per causas inferiores. 4. sapientia non est habitus perfectior habitu principiorum. 5. nec per se fertur simul circa principia & conclusiones: sed tantùm circa conclusiones. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd sapientia alia est infusa, alia acquisita; infusa diuiditur in eam quæ est donum spiritus sancti, & in eam quæ est gratia gratis data, de quibus agunt Theologi: acquisita prout pertinet ad scientias diuiditur io Theologiam & Metaphysicam. Sapientiæ plures assignantur conditiones ab Aristotele 1. Metaph. cap. 2. scilicet quòd iudicet de omnibus per altissimas causas, quòd agat de rebus difficillimis & certissimis, quòd expetatur propter seipsam, quòd doceat, & alia ordinet: sed de his fusiùs in Metaphisica.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. 2. q. 57. art. 2 ad 1. vbi sic ait: *Sapientia est quedam scientia inquantum habet id, quod est commune omnibus scientiis, vt scilicet ex principiis conclusiones demonstret: sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias inquantum scilicet de omnibus iudicat, & non solùm quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia; ideo habet rationem perfectioris virtutis quàm scientia.* Item opusculo 70. q. 2. art. 2. ad 1. *Sapientia non diuiditur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum: sed quia se habet ex addisione ad scientiam, est enim sapientia, vt dicit Philosophus 6. Ethicorum, caput omnium scientiarum, regulans omnes alias: scientia vero nomen aliis inferioribus relinquitur.* Idem docet 2. 2. q. 9. art. 2.

Secundò. Metaphisica ex Aristotele est sapientia, sicut & Theologia ex D. Thom. 1. p. q. 1. art. 6. sed tam Metaphysica quàm Theologia sunt veræ scientiæ; de Metaphysica docent omnes philosophi cum Aristotele; de Theologia docet D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. & cum eo communiter Theologi: & ratio est manifesta, nam sunt habi-

tus per demonſtrationem acquiſiti: ergo ſapientia non opponitur ſcientiæ in ſua latitudine; ſed continetur ſub illa, & addit quòd procedat per cauſam altiſſimam & nobiliſſimam, in quo diſtinguitur ab aliis ſcientiis inferioribus, quæ procedunt per cauſas inferiores:& ex his conſtat de ſecunda & tertia parte concluſionis.

Probatur quarta pars concluſionis. Perfectio & nobilitas alicuius habitus deſumitur, tum ex obiecto nobiliori, tum ex modo tendendi, vt patet ex communi conſenſu Philoſophorum: ſed obiectum habitus principiorum eſt nobilius obiecto ſapientiæ, ipſa quippe principia quæ reſpicit talis habitus, ſunt nobiliora concluſionibus, quas reſpicit ſapientia: cùm principia ſint cauſa concluſionum, quas virtute & eminenter continent; conſtat autem cauſam eſſe nobiliorem effectu; maximè ſi ſit cauſa eminentialis: deinde modus tendendi habitus principiorum eſt perfectior modo tendendi ſapientiæ: hic enim eſt per diſcurſum, ille verò per ſimplicem intuitum: propter hoc enim cognitio diuina & angelica ſunt perfectiores humanâ: ergo ſapientia non eſt habitus perfectior habitu principiorum: nec D. Thom. his contrariatur dum 1. 2. q. 57. art. 2. ad 2. dicit ſapientiam eſſe principaliſſimam inter virtutes intellectuales, quia ſub ſe continet intellectum & ſcientiam; inquantum iudicat non ſolùm de concluſionibus, ſed etiam de principiis: intelligit enim D. Thom. de perfectione ſecundùm quid & accidentali quam habet ſapientia ratione ſuæ extenſionis ad principia & concluſiones: quia tamen per accidens tantùm & indirectè fertur ad principia, vt ſtatim dicetur; ideo talis perfectio eſt accidentalis: habetur circa hoc exemplum in motu: motus localis ſæpe dicitur à D. Th. perfectior aliis: ſed debet intelligi de perfectione accidentali ſcilicet ex parte ſubiecti, quia ſupponit ſubiectum perfectius, & magis actu; nihil enim per ipſum acquirit: alij verò motus ſunt perfectiores eſſentialiter, vt alteratio, augmentatio; quia reſpiciunt terminos perfectiores, vt patet; à quibus recipiunt perfectiorem ſpeciem.

Probatur quinta pars concluſionis. Theologia eſt prima & perfectiſſima inter ſapientias acquiſitas, vt ex ſe conſtat: ſed Theologia non fertur per ſe & directè ſimul in principia & concluſiones, at tantùm in concluſiones (nam principia Theologiæ pro hoc ſtatu cognoſcuntur per habitum fidei: in patria verò per habitum luminis gloriæ, & ſolùm indirectè fertur in principia, cùm enim ſit ſuprema omnium ſcientiarum, ad ipſam pertinet probare ſua principia contra negantes, & illa explicare) & ſemper vtitur principiis fidei, cui ſubordinatur: ergo ſapientia non fertur ſimul circa principia & concluſiones per ſe: ſed ſolùm circa concluſiones: ferri enim ſimul in principia & concluſiones ſolùm competit ſapientiæ, ſiue ſcientiæ Dei, ſcientiæ infuſæ Chriſti Domini, viſioni ſiue ſcientiæ Beatificæ propter earum eminentiam & illuminationem, & ſcientiæ Angelicæ propter ſtatum Angelorum, qui non ſunt diſcurſiui: vnde in his omnibus idem eſt intellectus & ſcientia, & ſolùm virtualiter diſtinguuntur: dicitur intellectus inquantum attingit principia,ſcientia verò inquantum attingit concluſiones: habitus autem acquiſiti ob ſuam limitationem non poſſunt habere tantam perfectionem; vnde multiplicantur iuxta illud, quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus, & econtra.

Ad primum ergo dicendum, quòd ideo Philoſophus ponit ſapientiam & ſcientiam vt duos habitus: quia non omnis ſcientia eſt ſapientia; vnde ibi ſcientia non ſumitur in ſua lata ſignificatione pro habitu per demonſtrationem acquiſito: ſed ſumitur pro ſcientia quæ procedit per cauſas inferiores.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſufficit ſapientiam differre à ſcientia tanquam perfectum ab imperfecto intra idem genus, ad hoc vt habeant diuerſas accidentaliter definitiones ac conditiones.

Ad tertium dicendum, quòd ſenſus verborum Ariſtotelis eſt, quòd ſapientia; cùm ſit ſcientia ſuprema non habens aliam ſuperiorem quæ explicet, aut probet ſua principia; ipſa reflectitur ſupra illa explicando terminos, & reddendo aliquam rationem de illis, ac diſputando contra negantes; in quo vtitur diſcurſu, quod non facit habitus principiorum, & in hoc excedit ipſum, & alias ſcientias inferiores: quia ille tantùm attingit principia; iſtæ verò ſolas concluſiones; ſapientia autem vtrúmque facit modo explicato, & ideo habet ſpecialem rationem virtutis, & appellatur caput cæterarum.

Articvlvs IV.

Vtrùm ſolertia ſit diſtincta à ſcientia?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd ſolertia non ſit diſtincta à ſcientia. Probatur. Solertia ſe habet ad facilè inuenienda media in demonſtrationibus,vt ait Ariſtoteles in præſenti cap.27. ſed hoc pertinet ad ſcientiam: ipſa quippe inuenit media demonſtrationum, & conficit demonſtrationes: ergo ſolertia non eſt diſtincta à ſcientia.

§ 2. Præterea, Solertia procedit ex propoſitionibus neceſſariis, vt patet ex Philoſopho, qui afferens exemplum ſolertiæ dicit videlicet ſi quis videns lucidam illam partem Lunæ, quæ eſt verſus Solem, ſtatim perciperet id euenire ex eo quòd Luna recipiat lucem à Sole: ſed procedere ex neceſſariis,eſt proprium ſcientiæ, vt dictum eſt ſupra ex eodem Philoſopho: ergo ſolertia non eſt diſtincta à ſcientia.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis in hoc 1. lib. cap. 27. & D. Thom. ibidem quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm ſolertia ſit bona coniectatio medij in tempore admodum breui: eſt diſtincta à ſcientia.

Respondeo dicendum, quòd ſolertia eſt diſtincta à ſcientia. 2. & eſt facilis ac prompta coniectatio circa inuentionem medij: ſiue eſt quædam vis facilè & derepente inueniendi cauſam rei. 3. eſt pars Euſtochiæ: vnde poteſt deſeruire diuerſis habitibus intellectualibus tam ſpeculatiuis quàm practicis.

Probatur prima pars concluſionis. Scientia eſt habitus quo certò & infallibiliter concluſionem deductam ex principiis neceſſariis cognoſcimus, vt dictum eſt ſupra: ſolertia verò eſt cognitio quâ ſolùm coniecturaliter vnum ex alio inferimus, vt docet Ariſtoteles in hoc 1. lib. cap. 27. & D.Thom. 2. 2. q.49. art. 4. ſed coniecturalis cognitio diſtinguitur ab illo quod inclinat ad cognitionem certam & infallibilem, vt ex ſe patet: ergo ſolertia eſt diſtincta à ſcientia.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Th. loco citato: qui eam ſub ipſiſmet verbis tradit. Item authoritate Philoſophi; qui loquens de ſolertia loco citato ſic ait: *Eſt bona coniectatio medij in tempore admodum breui*: Siue vt habet antiqua tranſlatio, *Solertia eſt ſubtilitas quadam inueniendi medium in non perfecto tempore*: Ex quo patet ſolertiam eſſe actum Euſtochiæ, licèt aliquando ſumatur pro ipſo habitu.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Th. loco citato vbi ſic ait: *Ita tamen vt ſolertia accipiatur pro Euſtochia cuius eſt pars*: Nam Euſtochia eſt bene coniecturatiua de quibuſcúmque; ſolertia autem eſt facilis & prompta coniectatio circa inuentionem medij: vt dicitur 1.poſteriorum. Quod autem ſolertia poſſit deſeruire diuerſis habitibus intellectualibus, tam ſpeculatiuis, quàm practicis; conſtat ex Ariſtotele loco citato, qui loquens de ſolertia, affert exempla pertinentia ad diuerſos habitus, vt ibidem notat D. Thom.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. quòd ſolertia non ſe habet circa inuentionem medij in demonſtratiuis ſic, quòd ex illis procedat certò & infallibiliter, vt facit ſcientia: ſed tantùm coniecturaliter: licèt enim principia ex quibus procedit ſint neceſſaria, & ſi rectè applicarentur inferrent cognitionem neceſſariam:tamen

quia

quia non cognoſcuntur euidenter vt neceſſaria; ideo ſolùm inferunt cognitionem coniecturalem, in qua eſſe poteſt deceptio: propterea deficit à ſcientia, nec pertinet ad virtutem intellectualem. Et per hoc patet ad ſecundum.

Articvlvs V.

Vtrùm fides fundetur in authoritate dicentis?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd fides non fundetur in authoritate dicentis. Probatur. Eſt proprium ſcientiæ ſubalternatæ, quòd procedat ex principiis ſibi traditis à ſcientia ſubalternante, & ita fundatur in authoritate dicentis: ſed fides non eſt ſcientia ſubalternata vt conſtat: ergo fides non fundatur in authoritate dicentis.

¶ 2. Præterea, Si fides fundaretur in authoritate dicentis, ſemper eſſet obſcura, ac proinde non poſſet reperiri ſimul cum ſcientia: ſed fides reperitur ſimul de eadem re cum ſcientia; in Theologia enim demonſtrantur plures propoſitiones fide creditæ: ergo fides non fundatur in authoritate dicentis.

Sed contra eſt authoritas D.Thom.2.2.q.1.art.1. quem communiter ſequuntur omnes Philoſophi & Theologi.

Conclvsio.

Fides eſt habitus, quo aſſentimur determinate alicui propoſitioni propter authoritatem, ſiue teſtimonium dicentis.

Respondeo dicendum, quòd fides fundatur in authoritate dicentis. 2. diſtinguitur tam à ſcientia, quàm ab opinione. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd eſt duplex fides vna naturalis, alia ſupernaturalis: hæc fundatur ſupra teſtimonium diuinum; vnde eius ratio formalis aſſentiendi eſt diuina reuelatio, ſiue veritas prima vt reuelans: conditio verò requiſita neceſſariò eſt propoſitio Eccleſiæ: illa autem fundatur ſupra teſtimonium alicuius creaturæ ſiue hominis, ſiue Angeli: ad fidem autem non requiritur diſcurſus; ſed ſicut vnâ ſimplici viſione videtur color ratione luminis, & ipſum lumen: ſic eodem actu iudicij aſſentitur intellectus alicui propoſitioni propter authoritatem dicentis, tanquam propter ra ionem formalem; abſque eo quòd ſit neceſſarium aliud præcedens iudicium circa ipſam, ex quo moueatur ad talem aſſenſum.

Probatur & explicatur concluſio quoad vtrámque partem. Fides ſolùm aſſentitur alicui propoſitioni propter extrinſecum teſtimonium dicentis: opinio verò immediata quæ ſcilicet verſatur circa principia probabilia, aſſentitur talibus principiis propter connexionem extremorum: opinio autem mediata quæ ſcilicet verſatur circa concluſiones, procedit per diſcurſum ex præexiſtenti iudicio, quem non admittit fides: denique vtráque opinio eſt cum formidine: fides autem poteſt attingere ad certitudinem; moralem quidem, ſi teſtimonium ſit plurium & optimorum: quomodo certum eſt Romam eſſe: ad omnimodam verò ſi teſtimonium ſit infallibile, & ad hanc ſola fides diuina innixa teſtimonio diuino pertingit, & ſuperat etiam ipſam ſcientiam in tali certitudine. Ex alia parte ſcientia habet euidentiam ſui obiecti: hanc enim ab intrinſeco petit & actu habet ſi ſit ſcientia ſubalternans; ſi verò ſit ſubalternata, non habet quidem intra proprios limites, illam tamen petit ex natura ſua, quia petit coniungi ſuæ ſubalternanti: eſt enim in ſtatu imperfecto donec ei coniungatur, vt dictum eſt, & ex hac coniunctione habet euidentiam: fidei autem repugnat claritas & euidentia ex D.Thom. 2. 2. q. 1. art.4. & patet ex illo D.Pauli ad Hebræos ij. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium:* Ergo fides diſtinguitur tam à ſcientia, quàm ab opinione, vt quid medium inter ipſas: nam participat ineuidentiam opinionis, & certitudinem ſcientiæ.

Ex dictis ſequitur tam fidem humanam, quàm opinionem non eſſe virtutes intellectuales; de fide humana id docet D. Th. 2. 2. q. 4. art. 5. & alibi. De opinione docet Ariſtoteles 6. Ethicorum. cap. 3. D.Thom. ibidem lect. 3. & 12. Ratio autem eſt manifeſta; quia virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ac proinde virtus intellectualis eſt diſpoſitio ad optimum, quod in intellectu reperitur, quod eſt verum ſemper attingere: ſicut virtus moralis eſt quæ bonum obiectum voluntatis ſemper amplectitur: ſed fides humana & opinio non ſunt diſpoſitio ad optimum quod in intellectu reperitur, quod eſt verum ſemper attingere: cùm ipſis propter ſui imperfectionem & debile lumen, ſiue medium cui innituntur, poſſit ſubeſſe falſum: ergo non ſunt virtutes intellectuales.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſcientia ſubalternata habet annexam fidem inquantum procedit ex principiis creditis: diſtinguitur tamen à fide, quia fides verſatur ſine diſcurſo circa eius principia; ipſa vero ſcientia verſatur cum diſcurſu circa concluſiones.

Ad ſecundum dicendum, quòd cùm principia ſubalternatæ non ſint euidentia intra eius limites, ſed tantùm in ſcientia ſubalternante, & euidentia ſcientiæ pendeat totaliter à principiis: ideo eius concluſiones poſſunt ſciri etiam per fidem, ſicut conſtat in Theologia, cuius concluſiones poſſunt eſſe de fide materialiter, id eſt, ſi aliunde ſiot definitæ.

Articvlvs VI.

Vtrùm detur habitus opinionis?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd non detur habitus opinionis. Probatur. Aſſenſus imperfecti in aliqua materia reducuntur ad perfectos, iuxta illud axioma, imperfectum in aliquo genere reducitur ad id quod eſt primum & perfectum in tali genere: ac proinde aſſenſus imperfecti eliciuntur ab eodem principio, à quo eliciuntur perfecti in tali materia: ergo cùm aſſenſus perfecti eliciantur ab habitu ſcientiæ, elicientur etiam ab eodem habitu aſſenſus imperfecti, quales ſunt probabiles, & ita non datur habitus opinionis, qui ſolùm poſſet eſſe neceſſarius ad tales aſſenſus.

¶ 2. Præterea, Si daretur habitus opinionis ad hoc eſſet, vt verſaretur circa propoſitiones contingentes: ſed ad hoc non eſt neceſſarius, quia ſcientia poteſt eſſe de re contingenti: nam ſcientia Dei, vt docent Theologi, fertur etiam circa contingentia: ergo non datur habitus opinionis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in hoc 1. libro cap.26. & D. Thom. ibidem lect.44. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm dentur propoſitiones contingentes: neceſſariò datur habitus opinionis.

Respondeo dicendum, quòd datur habitus opinionis. 2. vnus quidem qui verſatur circa propoſitiones contingentes immediatas, & correſpondet habitui principiorum, vnde non multiplicatur. 3. alius verò qui verſatur circa propoſitiones contingentes mediatas, ſiue circa concluſiones, & correſpondet ſcientiæ, ac multiplicatur adinſtar ſcientiæ iuxta multiplicationem obiecti formalis. 4. vterque diſtinguitur à dubio & ſuſpicione. 5. ſicut & ab habitu principiorum & à ſcientia; cùm habeat annexam formidinem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd formido quæ conſequitur opinionem, poteſt prouenire ex duplici capite, vt ait D. Thom. lect. 44. citatâ. Primò, quando propoſitiones ſunt in ſe & ab intrinſeco contingentes; & tunc repugnat quòd cognoſcantur per ſcientiam, licèt de earum veritate non dubitemus: ratio eſt quia formido quæ ab intrinſeco conuenit opinioni, & eſt neceſſariò annexa illi, & vocatur formido radicalis, non ſumitur ex parte cognoſcentis, ſed ex parte obiecti contingentis, quod poteſt aliter eſſe ac eſt; & conſequenter aliter eſſe, ac cognoſcitur: vnde cognoſcitur cum formidine intrinſeca & radicali alterius partis. Secundò quando propoſitiones, licèt ſint neceſſariæ, accipiuntur

cipiuntur tamen ab opinante vt contingentes, quia non penetrat connexionem prædicati cum subiecto; & tunc formido non est ex parte obiecti secundùm se, sed ex parte cognoscentis illud; & hanc frequentiùs vocamus formidinem, & dicitur formido actualis, quæ consistit in quodam metu si forte altera pars sit vera, & sic potest contingere quòd per idem medium vnus habeat scientiam, & alius opinionem: quia vnus agnoscet propositionem vt necessariam, alius verò non.

Probatur prima pars conclusionis ratione Philosophi loco citato. Præter propositiones necessarias dantur etiam propositiones contingentes: sed istæ non possunt cognosci nec per habitum scientiæ, nec per habitum principiorum, cùm obiecta istorum habituum sint propositiones necessariæ, vt supra dictum est: ergo cognoscuntur per alium habitum scilicet opinionis; vnde datur habitus opinionis, qui per suum actum sic definitur ab Aristotele, *Est acceptio propositionis non necessariæ*: Et à D.Thom. 1.p.q.79. art.9. ad 4. sic: *Opinio est actus intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius.* Ex hoc enim quòd propositio circa quam fertur, est contingens, & potest aliter se habere, sequitur quòd sit formido alterius partis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi qui loco citato distinguit duplicem habitum opinionis, vnum quo cognoscantur propositiones contingentes mediatæ, & quæ habent alias priores: alterum quo cognoscantur propositiones contingentes immediatæ.

Secundò, ex necessario non potest sequi contingens, vt communiter docent Philosophi: ac proinde cùm dentur propositiones contingentes mediatæ vt experimur: debent etiam dari immediatæ, quibus sine medio intellectus assentiatur propter connexionem terminorum: ergo datur vnus habitus opinionis, qui versatur circa tales propositiones contingentes immediatas: quem Aristoteles per suum actum sic definit: est acceptio, siue existimatio, & assensus determinatus propositionis immediatæ, sed non necessariæ: qui habitus cùm correspondeat habitui principiorum, non est discursiuus, nec multiplicatur: & eodem modo fit in nobis, ac habitus principiorum: quantùm enim ad hoc, est eadem ratio vtriúsque.

Probatur tertia pars conclusionis prædicta authoritate Philosophi eiúsque ratione: Nam dantur propositiones contingentes mediatæ elicitæ per discursum: ergo ex assensu illarum acquiritur habitus opinionis, eo proportionali modo quo acquiritur habitus scientiæ per assensum propositionis necessariæ mediatæ, qui per suum actum sic potest definiri ex Philosophio: est acceptio propositionis mediatæ & non necessariæ. Potest autem hic habitus opinionis acquiri multis modis. Primò quando per medium probabile assentimur conclusioni probabili siue contingenti. Secundò quando per medium probabile assentimur conclusioni necessariæ; si nondum habeamus scientiam de illa. Tertiò quando assentimur conclusioni necessariæ per medium, quod in rei veritate est contingens, existimamus tamen esse necessarium. Quartò tandem quando assentimur conclusioni necessariæ per medium necessarium & cognitum vt necessarium, non certò & euidenter, sed tantùm probabiliter & cum formidine: in his enim casibus non potest generari scientia; quia cùm scientia habeat rationem boni, opinio verò rationem mali, illa non consurgit nisi ex integra causa: hæc autem generatur ex quocúmque defectu: ex quo sequitur quòd sicut scientiæ & habitui principiorum non potest subesse falsum; quia versantur circa propositiones necessarias, quæ non possunt aliter se habere ac sunt & cognoscuntur: sic opinioni potest subesse falsum; quia versatur circa propositiones contingentes, quæ aliter se possunt habere, vel secundùm se, vel secundùm quòd accipiuntur à cognoscente.

Probatur quarta pars conclusionis ex D. Thom. 2. 2. q.2. art. 1. Dubitans in neutram partem inclinat, sed manet anceps: suspicans verò licèt magis incliner in vnam, quàm in aliam partem; non tamen assentitur illi determinatè, quia tantùm mouetur ex leuibus indiciis: opinans autem fertur ex fortioribus indiciis: vnde vni parti determinatè adhæret, sed cum formidine alterius propter rationem dictam; ita vt verè illi assentiatur: ergo vterque habitus opinionis distinguitur à dubio & suspicione. Quinta pars conclusionis non indiget probatione, satis constat ex dictis.

Ex dictis sequitur sic esse statuendas diuisiones essentiales habitus, siue virtutis intellectualis. Diuiditur 1. in habitum qui immediatè versatur circa singularia, quique necessariò est practicus; nam singularia possunt quidem directè & propriè operari, sed non sciri; & in eum qui versatur circa vniuersalia. Sub primo genere continentur prudentia, quæ est recta ratio agibilium; & ars quæ est recta ratio factibilium. Secundum genus diuiditur in habitum principiorum, & habitum scientiæ: habitus principiorum alius est speculatiuus, qui dicitur intellectus, siue intelligentia; alius est practicus, qui dicitur synderesis; & eius actus, conscientia: de quo D.Thom. 1. p. q. 79. art. 12. scientia diuiditur in eam quæ procedit lumine diuinæ reuelationis, & est sola Theologia; & in eam quam procedit ex principiis cognitis lumine naturali. Hæc diuiditur in practicam, & speculatiuam: sub practica continetur Philosophia Moralis, & Medicina vt docet D.Thom. opusc.70. q.5. art. 1. ad 4. & alibi: speculatiua verò diuiditur in tria genera iuxta triplicem abstractionem à materia, & vnumquódque genus in species supra assignatas: quamuis autem hic assignetur practicum & speculatiuum pro differentiis diuisiuis generum non subalternatorum: non tamen sequitur talia genera diuidi iisdem differentiis, hoc enim contingit defectu nominum: cùm tales differentiæ sint in re ipsa omnino diuersæ: nam ratio practici quæ conuenit prudentiæ & arti, essentialiter petit immediatè versari circa singularia; quæ verò conuenit synderesi, essentialiter respicit principia: quæ denique competit scientiæ, petit versari circa propositiones vniuersales mediatas, quæ sunt rationes valde diuersæ, licèt eodem nomine significatæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd assensus perfecti & imperfecti intra eamdem speciem, eliciuntur ab eodem habitu: assensus autem scientificus & opinatiuus non solùm specie, sed etiam genere differunt; vnde petunt diuersos habitus, à quibus eliciantur: quando autem dicitur, quòd imperfectum in aliquo genere reducitur ad perfectum illius generis, non semper est verum in genere causæ efficientis; sufficit quòd reducatur in genere causæ exemplaris, vel finalis: & ita assensus opinatiuus reducitur & ordinatur tanquam ad finem ad assensum scientificum.

Ad secundum dicendum, quòd de re contingenti vt sic, non datur scientia: cùm scientia sit necessaria & certa; contingens autem vt sic, est incertum & indeterminatum, ac proinde nequit fundare cognitionem certam & determinatam: certitudo enim obiectiua causat certitudinem formalem, sicut incertitudo obiectiua incertitudinem formalem: quando autem dicitur, quòd scientia Dei fertur in contingentia, debet intelligi de contingentibus materialiter, non formaliter: Deus enim non cognoscit contingentia nisi vt iam determinata per decretum suæ voluntatis in vnam partem; & sic vt determinatè futura in tempore, & iam præsentia in æternitate, vt docet D. Thom. 1.p.q.14. art.13.

Articulus VII.

Vtrùm de eodem obiecto possint esse simul scientia, & opinio?

Ad septimum sic proceditur. Videtur quòd habitus scientiæ & opinionis possint esse simul in eodem intellectu de eadem propositione, & consequenter quòd possit esse simul habitus scientiæ cum actu opinionis, & econtra. Ita tenent multi recentiores extra scholam Thomisticam. Probatur authoritate D.Th. 3.p.q.9. art.3. ad 2. vbi hæc habet: *Opinio ex syllogismo Dialectico causata*, est

est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur; quà tamen acquisitâ potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum Dialecticum, quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam: quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit Dialecticus syllogismus. Item 1.2. quæst.67. art.3. docet eandem propositionem simul cognosci posse per medium probabile, & per medium demonstratiuum. Item in 3.d.31. q.2.art.1.hæc habet: *Opinio & scientia quamuis sint de eodem; non tamen secundùm idem medium, sed secundùm diuersa: & ideo possunt esse simul.* Sed fides & visio patriæ sunt de eodem, & secundùm idem medium; & ideo perfectio vnius non patitur imperfectionem alterius: ergo ex D.Th. scientia & opinio possunt esse simul in eodē intellectu de eadē propositione.

§ 2. Præterea, Illi qui habet scientiam de aliqua propositione, potest de eadem proponi argumentum probabile; sed per hoc non generabitur habitus scientiæ; quia iam est, nec augebitur idem habitus præexistens: nam habitus scientiæ sicut solùm generatur medio demonstratiuo, sic & illo solo augetur: ergo generabitur habitus opinionis; & ita scientia & opinio possunt esse simul in eodem de eadem propositione.

§ 3. Præterea, Habitus scientiæ & fidei supernaturalis possunt esse simul de eadem propositione: nam Philosophus Catholicus simul credit, & scit quòd est vnus Deus; quia de hoc habet demonstrationem, & firmiùs assentitur quàm Philosophus gentilis; ac proinde habet etiam fidem: sed non est maior difficultas quòd scientia & opinio sint simul, quàm scientia & fides: nam si scientia opponitur opinioni ratione certitudinis, opponitur etiam fidei ratione euidentiæ: ergo scientia & opinio possunt esse simul.

§ 4. Præterea, Habitus fidei potest esse cum acto claræ visionis ex D.Thom.2.2.q.175.art.3.ad 3.vbi loquens de D.Paulo hæc habet: *Quia Paulus in raptu non fuit Beatus habitualiter: sed solùm habuit actum Beatorum; consequens est vt simul tunc in eo non fuerit actus fidei: fuit tamen simul tunc in eo fidei habitus*: ergo similiter potest esse habitus opinionis cum actu scientiæ, vel econtra: non enim plus opponuntur scientia & opinio, quàm fides & clara visio.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Th. quos communiter sequuntur Thomistæ, Capreol. in 3.d.25. q.1. Caietanus 2.2.quæst.1.art.5. Conradus, & Medina 1.2.q.67.art.3. Masius, Sanches, Gallego, nostri Complutenses in præsenti, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm scientia & opinio habeant proprietates & effectus omnino repugnantes, quorum vnum includit intrinsecè priuationem alterius: non possunt esse simul.

RESPONDEO dicendum, quòd nec actus, nec habitus scientiæ & opinionis possunt esse simul in eodem intellectu de eadem propositione. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd præsens difficultas non procedit de eadem re complexa, siue de eodem subiecto secundùm diuersa prædicata, siue propositiones: nullus enim dubitat quin de eodem homine possimus scire, quòd sit risibilis, & opinari quòd sit doctus: sed hoc est tantùm dari scientiam & opinionem de eodem secundùm quid: quia licèt sint de eodem, non tamen sunt secundùm idem prædicatum: vnde solùm difficultas est, an possit dari simul scientia & opinio de eodem simpliciter subiecto, secundùm idem prædicatum in eodem intellectu. Nec dubium est quin diuersis temporibus idem possit habere priùs opinionem, & postmodum habere scientiam de eadem propositione: similiter vnus potest habere scientiam de aliqua propositione, de qua alius tantùm habet opinionem: difficultas autem non potest procedere de eadem propositione contingenti, cùm de tali propositione nullo modo possit haberi scientia, quæ solùm versatur in materia necessaria, & sic solùm procedit de propositione necessaria, quæ potest cognosci, & per demonstrationem, & per argumentum probabile, quæ sunt media diuersa: implicat enim idem argumentum in se esse demonstrationem, & argumentum tantùm probabile; ac proinde idem per idem medium non potest simul habere scientiam & opinionem: vnde, vno verbo, difficultas est verùm idem homo in eodem tempore possit habere scientiam & opinionem de eadem propositione necessaria per diuersa media.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristot. & D.Th. Philosophus quidem hîc lib.1.c.26. sic ait: *Opinio námque & scientia non omnino eiusdem est, sed vt est & vera & falsa modo quodam eiusdem opinio, &c.* Post pauca subdit: *Ex his autem emergit fieri non posse, vt simul idem opinetur quisquam, at sciat: nam simul existimationem haberet, & aliter, & non aliter idem se se haberet, quod quidem fieri nequit:* Quem locum D.Th. latè explicat secundùm conclusionem nostram. Item 14. de veritate art. 9. ad 6. sic ait: *Non videtur esse possibile quòd aliquis de eodem habeat scientiam & opinionem: quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit: & similiter non est possibile, quòd de eodem sit scientia & fides.* Item 2.2.q.1.art.5. inter multa quæ ad rem faciunt, hæc habet ad 4. *De eodem secundùm idem non potest esse simul in vno homine scientia nec cum opinione, nec cum fide: quia de ratione scientia est, quòd id quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere: de ratione autem opinionis est, quod id quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere: sed id quod fide tenetur propter fidei certitudinem, existimatur etiam impossibile aliter se habere: sed eâ ratione non potest idem simul & secundùm idem esse scitum & creditum, quia scitum est visum, & creditum, est non visum.* Ista autem loca probant ad minùs quantùm ad actus, quod est prima pars conclusionis quam examinamus.

Secundò. Probatur ratione fundamentali desumptâ ex D.Th. & Aristot. Est impossibile quòd duo actus habentes proprietates & effectus omnino repugnantes, & quorum vnus includit intrinsecè priuationem alterius, sint simul: quia quæ sic se habent sunt opposita, & vnum destruit aliud: sed assensus scientificus siue actus scientiæ, & assensus opinatiuus siue actus opinionis sunt huiusmodi: nam assensus scientificus est iudicium quo res non potest aliter se habere: opinatiuus verò indicat rem aliter se habere posse: per illum plenè & perfectè determinatur intellectus, & manet omnino conuictus de veritate propositionis, omnino certus, euidenter & firmiter adhærens conclusioni: per istum verò non conuincitur, imò indicat posse etiam præstari assensum propositioni contrariæ, formidat de illa, & est incertus & ineuidens: constat autem quòd euidentia & ineuidentia, certitudo & incertitudo, firmitas & formido, esse conuictum & non esse conuictum omninò inter se pugnant, & contradictoriè, siue priuatiuè opponuntur: ergo tales actus non possunt esse simul.

Si quis respondeat quòd istæ pugnant respectu eiusdem medij sed non respectu diuersorum. Contra 1. quia quando intellectus post assensum præmissarum assentitur conclusioni, assentitur ei absolutè sumptæ, & in seipsa consideratæ: non verò in causa, siue formaliter vt continetur in medio, quia hoc iam factum est in præmissis; imò in hoc consistit tota ars syllogistica, vt intellectus ex eo quòd videat duo extrema absolutè vniri cum quodam tertio, iudicet eadem absolutè vniri inter se: ergo semper in conclusione iudicat intellectus prædicatum absolutè conuenire subiecto: sed impossibile est quòd de eodem prædicato absolutè sumpto simul iudicet intellectus conuenire contingenter, & non conuenire contingenter eidem subiecto: ergo etiam per diuersa media non potest simul habere assensum opinatiuum & scientificum: nam affirmatio & negatio quæ includuntur in his assensibus, non feruntur in ipsa media, sed in subiectum de quo affirmatur & negatur tale prædicatum; & consequenter non obstante diuersitate mediorum verè datur ibi affirmatio & negatio eiusdem de eodem, ac proinde vera oppositio contradictoria. 2. Sequitur ex hac responsione posse simul in eodem intellectu de eodem respectu eiusdem dari assensum scientificum & erroneum per diuersa media, quod est falsum: nam opponuntur sicut lux & tenebræ, & ita posito vno destruitur alius: seque-

la autem patet; nam opinio intrinſecè eſt lux adumbrata, ſiue mixta tenebris, quod non poteſt ab ea auferri, niſi deſtruatur propria ratio opinionis: ergo adueniente aſſenſu ſcientifico verè corrúpitur opinatiuus. 3. ſequitur actum fidei & viſionis poſſe eſſe ſimul, quod eſt contra omnes, & implicat: nam eadem res eſſet viſa & non viſa: & tamen ſi eſſent ſimul, eſſent per diuerſa media, vt patet: ergo implicantia quæ in præſenti reperitur, non deſumitur ex mediis, ſed ex identitate ſubiecti circa quod feruntur.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. loca enim adducta in probationem primæ partis, & ratio ex illis deducta hanc conuincunt. Deinde quia, vt ait D. Thom. in his capitibus Ariſtoteles agit de effectu demonſtrationis, qui eſt habitus ſcientiæ: nam actus aliquo modo intrat demonſtrationem. Item quia dicit opinionem eſſe verorum & falſorum, quod non competit actui, ſed habitui. Item ſcientiam comparat ad aliquos habitus ſpeculatiuos, ſcilicet ad ſapientiam &c. Denique quia in fine ſecundi libri reaſſumens hanc doctrinam vocat ſcientiam & opinionem habitus: ergo dum dicit ſcientiam & opinionem non poſſe eſſe ſimul: intelligit etiam ſecundùm habitus.

Secundò. Habitus ſcientiæ & opinionis habent eamdem repugnantiam, ac earum actus: nam habitus habet eamdem rationem formalem attingendi obiectum, ac actus; & ita ſi actus horum habituum propter diuerſum modum attingendi obiectum inter ſe repugnant: ita etiam habitus. Deinde habitus proximè ſpecificantur per actus, ſicut actus per obiecta: ergo ſicut ex obiecto ſumitur intrinſeca oppoſitio actuum, ſic etiam ex actibus ſumitur intrinſeca oppoſitio habituum; ac proinde ſi actus ex natura ſua ſunt incompoſſibiles ſecundùm quòd verſantur circa obiectum; ita erunt naturaliter incompoſſibiles habitus: ſed actus ſcientiæ & opinionis in eodem de eadem propoſitione ſunt incompoſſibiles, vt dictum eſt: ergo & habitus.

Ad primum ergo dicendum quòd D. Thom. in 1. loco non dicit quòd acquiſitâ ſcientiâ remanet opinio: ſed quòd remaneat cognitio quæ eſt per ſyllogiſmum Dialecticum; quod concedendum eſt, ſed negandum quòd tunc illa cognitio ſit opinio; cùm non ſit cognitio formidoloſa: non enim iudicat intellectus prædicatum contingenter conuenire ſubiecto ſicut ante: ſed eſt cognitio perfectior præcedenti procedens ab habitu ſcientiæ quaſi ſecundariò: quia tamen eſt per medium probabile, non pertingit vt ſit cognitio ſcientifica. Ita Caietanus ibidem qui bene notat D. Thom. priùs aſſumpſiſſe nomen opinionis, & poſtea mutaſſe in nomen cognitionis: ſimiliter dicendum ad 2. locum D. Thom. conceditur enim ſimul poſſe cognoſci eamdem propoſitionem per medium demonſtratiuum, & per medium probabile: ſed tamen quando acquiſitâ ſcientiâ cognoſcitur talis propoſitio per medium probabile, tunc non eſt actus opinionis: ad 3. locum D. Thom. reſpondent Thomiſtæ D. Thom. mutaſſe ſententiam cuius euidens ſignum eſt, quia obiicit ſibi idem argumentum locis aſſignatis in concluſione, & reſpondet abſolutè nec fidem, nec opinionem poſſe ſimul eſſe cum ſcientia de eodem.

Ad ſecundum dicendum quòd qoando acquiſitâ ſcientiâ cognoſcitur eadem concluſio per medium probabile, tunc non generatur habitus opinionis, ſed habitus ſcientiæ iam acquiſitus quodammodo firmatur, non quòd fiat maior & intenſior, ſed quia extenditur ad indicandum de eadem concluſione per media probabilia: quia vt ait D. Th. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. *Ille qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam magis poteſt cognoſcere ſigna probabilia, quibus procedit Dialecticus ſyllogiſmus:* Ratio autem cur per aſſenſum argumenti probabilis non generetur habitus opinionis, quando iam habetur ſcientia, eſt quia ſcientia eſt fortior opinione: ſcientia enim conuincit intellectum, opinio verò non omnino firmat; & ideò cùm aliunde habeant oppoſitionem, ſcientia præexiſtens impedit generationem opinionis, & de nouo adueniens deſtruit præexiſtentem opinionem non ſucceſſiuè, ſed ſtatim; quia intellectus conuincitur vnâ demonſtratione, & ideo ſtatim & vno actu generatur ſcientia, non verò opinio, ſed generatur ſucceſſiuè, quia media probabilia non ſimpliciter firmant intellectum; & ſimiliter nec per vnum actum voluntatis generatur habitus virtutis ex. D. Th. quia ratio non poteſt omnino ſuperare appetitiuam potentiam in vno actu; nam per vnum actum non poſſunt proponi voluntati omnes rationes & motiua diligendi aliquid: ideo habitus voluntatis oppoſiti, & opiniones oppoſitæ paulatim ſe expellunt: ſcientia autem quantumcumque remiſſa excludit opinionem totaliter.

Ad Tertium dicendum cum D. Th. 2. 2. q. 1. art. 5. ad 5. quòd in Catholico, qui acquirit ſcientiam de aliqua propoſitione, formaliter non remanet fides reſpectu eiuſdem, ideſt, habitus fidei non inclinat ad aſſentiendum illi ſub ratione formali reuelationis obſcuræ, ſicut inclinat ad aſſentiendum aliis articulis: ſimiles autem propoſitiones, vt quod ſit Deus &c. non tam per ſe pertinent ad fidem, quàm præſupponuntur ad fidem: vnde licèt ille qui amittit fidem circa vnum articulum, ſi hoc faciat diſcredendo, amittat fidem ſimpliciter; non tamen illam amittit ſimpliciter, ſi aſſentiatur vni articulo per medium euidens. Fides autem ex qua parte dicit certitudinem iuuat ſcientiam, & ideo Philoſophus Chriſtianus licèt non habeat fidem de aliqua propoſitione niſi in præparatione animi, quia tamen illam ſcit pluribus mediis, ideo habet de illa maiorem certitudinem quàm ruſticus fidelis eiuſdem meriti: ſicut ille qui eamdem concluſionem ſcit per medium demonſtratiuum & probabile, certiùs ſcit cæteris paribus, quàm ille qui ſolùm ſcit per medium demonſtratiuum: & ideo ſcientia quæ dicit euidentiam, non poteſt eſſe cum fide de eodem: bene tamen poteſt eſſe Theologia cum fide, quia procedit ex principiis fidei, & dicit ineuidentiam.

Ad quartum dicendum cum Caiet. D. Paul. licèt viderit diuinam eſſentiam, tamen non vidiſſe omnes articulos fidei, & omnia ad fidem pertinentia: cùm conſtet ipſum non vidiſſe an eſſet in corpore aut extra corpus, & ideo habuit habitualiter fidem de his quæ non videbat: ratio autem huius limitationis eſt illa quam aſſignat D. Thom. quia illa viſio fuit per modum raptus, & per modum tranſeuntis, nec conceſſa eſt illi vt ſimpliciter eſſet Beatus. 2. dicendum quòd D. Paulus ſimul habebat fidem habitualem, & actum viſionis de eodem; quia ille actus fuit tranſeunter: nam aliquando oppoſitio inter aliqua non exercetur niſi in ſtatu eorum completo, vt patet in qualitatibus oppoſitis, quæ in gradibus remiſſis ſunt compoſſibiles: & ſimiliter eadem virtus ſpiritualis in ſtatu completo non poteſt recipi in re corporea, bene tamen in ſtatu incompleto, vt patet in virtute Sacramentorum. Et ideo fides & actus viſionis permanens: ſiue in ſtatu perfecto, ſunt incompoſſibiles; quamuis ſint compoſſibiles ſi viſio ſit tranſeunter.

Ex dictis patet fidem non poſſe eſſe ſimul cum ſcientia de eadem propoſitione, ſi ſcientia dicat euidentiam; quia tunc idem ſubiectum haberet euidentiam, & ineuidentiam reſpectu eiuſdem, quod implicat: nam opponuntur ex parte ſubiecti priuatiuè, & ideo ſi proponatur medium fidei alicui de propoſitione, de qua habet ſcientiam; non eliciet actum fidei, nec generabitur habitus fidei, ſed elicietur actus perfectior fide, vt dictum eſt de opinione.

QVÆSTIO XXVI.

De locis argumentandi probabilibus & apparentibus.

POSTQVAM Ariſtoteles in libris Poſteriorum egit de demonſtratione quæ eſt argumentum procedens ex neceſſariis: in libris Topicorum agit de argumento opinatiuo, quod procedit ex probabilibus, & in libris Elenchorum agit de argumento ſophiſtico, quod procedit ex apparentibus: ſed hæc perſtringemus breuibus notationibus more aliorum Philoſophorum: vnde quæruntur duo.

§ Primò;

¶ Primò, de locis argumentandi probabiliter.
¶ Secundò, de fallaciis Sophiſtarum.

ARTICVLVS I.

De locis argumentandi probabiliter.

LOCI Dialectici vocantur ſedes, vnde etoumtur argomenta. Loci veri alij ſunt interni, alij externi.

PRIMVS internus eſt à definitione, tam ad confirmandum quàm ad refeliendum, vt omne animal rationale eſt ritibile: omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt tiſibilis. Fundatur aotem iſte locus in hoc dicto: Cui competit definitio, competit & definitum. Ad iſtum teuocatur locus à definito ad definitionem, qnia vice verſà, coi competit definitum competit etiam definitio. Ad hunc eriam teuocatur locus à differentia, vt eſt particeps ratiooia: ergo eſt homo. Noo eſt particeps rationis: ergo non eſt homo. Econtta, eſt homo: ergo eſt particeps rationis; ratio eſt quia de quo dicitur differentia ſpecifica, de eo dicitor ſpecies, & econtra: hic locus poteſt etiam deſeruite argomento demooſtratiuo, ſi definitio ſit eſſentialis.

SACVNDVS locus eſt ab Ethimologia nominis: dummodo conuertatur cum ipſo nomine; vt amator ſapientiæ debet viuere ſecundùm virtutem: ſed Philoſophus eſt amator ſapientiæ: ergo debet viuere ſecundùm virtutem.

TERTIVS locus eſt à genere, ſiue à ſuperioribus attributis ad inferiora probanda, vt omne animal ſentit: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo ſentit: vel econtra a ſpecie ad genus, vt homo ambulat: ergo animal ambulat.

QVARTVS locus eſt à coniugatia: coniogata aotem ſunt quæ conſtant ex verbis eiuſdem generia, & quæ ab vno deriuata inter ſe variantur, vt iuſtitia eſt virtus: ergo ioſtus eſt virtooſus.

QVINTVS locus eſt à partibus ad totum, & econtta: vt Cœli, Elementa &c. mouentur: ergo mundus mouetur: norandum tamen, quòd omnes partes debent ſimul ſomi.

SEXTVS locus eſt à forma ad effectum: vt habet animam rationalem: ergo eſt homu; quià poſità formà ponitur effectus, & illà ſublatà aufertur effectus: vel ab effectu ad cauſam formalem, vt eſt homo: ergo habet animam rationalem: ſimiliter valet ab aliis cauſia ad effectus: à materiali, vt homo eſt compoſitus ex contrariis: ergo eſt corruptibilia: à finali, vt homo eſt creatus ad beatitudinem: ergo habet animam rationalem: ab efficiente, vt hæc ſunt à Deo: ergo ſunt bona, & ſimiliter valet ab effectibus ad cauſas: hoc poteſt deſeruire etiam demonſtrationi.

SEPTIMVS locus qui fere non differt à præcedenti eſt ab antecedentibus & conſequentibus, vt eſt admiratiuus: ergo eſt tiſibilis, & econtra: item eſt Sophiſta: ergo fallas.

PRIMVA locus externos eſt à contrariis: quæ ſunt in qnadruplici differentia. Scilicet aduerſa, cootradictoria, priuatiua & relatiua. Ab aduerſis, vt eſt nigrum: ergo non eſt album. A contradictoriis: vt iſta eſt propoſitio falſa; aliquis homo eſt arbor: ergo alia eſt vera, nullus homo eſt arbor. A priuatiuis, vt eſt cæcus: ergo non videt. A relatiois: vt in diuinis eſt filius: ergo eſt pater.

SACVNDVS locus eſt à comparatis: ſed multipliciter diuiditor; vnde vel eſt à ſimili, vel à diſſimili, vel à maioti ad minus, vel à minori ad maius, vel à pari. A ſimili: vt quud eſt oculus in corpore, id eſt intellectus in anima: ſed corpus videt uculo: ergo etiam anima videt intellectu. A diſſimili: vt inimici procurant ſibi nocere: ergo amici procurant ſibi placere. A maiori ad minus, vt iſte fert pondus decem librarum: ergo poteſt ferre poodus quinque. A minori ad maius: vt puer portat huc pondus: ergo vir robuſtus poteſt portare. A pari, vt iſte ſuſpenditur propter furtum: ergo & ille propter furtum debet ſuſpendi.

TARTIVS locus eſt à teſtimoniis. Qui locus tantam habet authoritatem, quantam veritatem habet teſtimonium dicentis: vnde ſi dicens non poſſit non dicere verum, iſte locus eſt validiſſimua: vt Deus hoc in Sacra Scriptura dicit: ergo ita eſt: teſtimonia autem humana valent iuxta authoritatem dicentis.

ARTICVLVS II.

De Fallaciis Sophiſtarum.

SILLOGISMVS Sophiſticus eſt ille qui ex his quæ videntur probabilia, nec ſunt; colligit concluſionem apparentem: fallacia aotem vel eſt in ipſa voce, & dicitur fallacia in dictione; vel eſt io re ſignificata, & dicitur fallacia extra dictionem. Fallacia in dictione eſt multiplex.

PRIMA eſt fallacia æquiuocatiunis propter vnitatem vocis cum moltiplicitate ſignificationis: vt omnis canis eſt latrabilis: quædam conſtellatio eſt canis: ergo quædam conſtellatio eſt latrabilis.

SECVNDA eſt fallacia Amphibologiæ, quæ accidit ex ambiguitate ſententiæ: vt omnes Epiſcopi ſunt ſacerdotes: iſti boues ſunt Epiſcopi: ergo iſti boues ſunt ſacerdotes. Ly (Epiſcopi) in maiori ponitur in recto, in minori autem eſt in genitiuo.

TARTIA eſt fallacia accentus quæ accidit pro varietate accentus, vt omnis ara eſt in templo: ſed ſtabulum eſt hara: ergo ſtabulum eſt io templo.

QVARTA eſt fallacia figuræ dictionis, quæ prouenit ex ſimilitudine duarum dictionum: vt digitos quos olim habēbas, nunc habes: ſed olim habebas digitos paruos: ergo nunc etiam habes digitos paruos.

QVINTA eſt fallacia diuiſionis & compoſitionis: quando ſcilicet à ſenſo diniſo procedimus ad ſenſum compoſitum, vel econtra; vt prædeſtinatorū poſſibile eſt damnari, quod eſt verum: ergo prædeſtinatum damnari eſt poſſibile, quod eſt falſum.

PRIMA fallacia extra dictionem eſt accidentis, & fit quando id quod attriboimus accidenti, attribuimus etiam ſubiecto: vt homo eſt albus albedine accidentali: ergo homo eſt accidentalis.

SACVNUA fallacia eſt à ſecundùm quid ad ſimpliciter, vel econtra, & fit quando argumentamur à termino, qui ſupponit ſecundùm qnid, ad termionm ſimpliciter, vel econtra: vt æthiops eſt albus ſecundùm deotes: ergo æthiops eſt albus.

TERTIA fallacia eſt ignorationis Elenchi. Elenchus autem eſt ſyllogiſmus contradictotius, id eſt, quando ex conceſſis colligitur contradictio. Iſta autem fallacia accidit quando videtur colligi contradictio, & teuera noo colligitur; vt Petrus heri cænauit, & hudie non cænauit; ergo cænauit, & non cænauit.

QVARTA fallacia eſt petitionis principij, qoando ſcilicet probatur concluſio per ipſammet concluſionem ſub alus verbis.

QVINTA fallacia eſt cooſequentis; quando ſcilicet argumentamnt à termino conſequenti ad terminum antecedentem; quod fit dupliciter: Primò quando ex affirmatione termini conſequentis inferimus antecedentem, vt [eſt animal: ergo eſt homo.) Secundò quando ea negatione termini antecedentis, negamus conſequentem; vt [non eſt homo: ergo non eſt aoimal.) Ceſſat autem fallacia ſi tales termini ſint ſimul mutuò antecedens & conſequens. Hæc fallacia ſæpe contingit, quando ex contradictorio antecedentis videtur colligi io argumento contradictorium conſequentis: vt ſi currit; mouetur: ergo ſi non currit; non mouetur.

SEXTA fallacia eſt non cauſæ vt cauſæ, & eſt quando falſitas conſequentis attribuitur alicui præmiſſæ, quæ teuera non eſt cauſa: vt propter ſtudium, vel pecuniam committo imperfectiones: ergo ſtudium & pecuniæ auferendæ ſunt.

SAPTIMA & vltima fallacia eſt plurium interrogationum, ad quas non poteſt teſpondeti voicà teſponſione; vt homo & lapis ſunt ne animal?



PRIMA SECVNDÆ SVMMÆ PHILOSOPHICÆ, SIVE PHYSICA IN COMMVNI.

PROLOGVS.



ERAGRATO difficili, ac horrido Logicæ deserto, peruenimus ad latos, & amœnos Physicæ campos, vbi tanquam in magnificentissimo Mundi theatro, exhibitam Naturæ totius historiam in plures actus, & in varias distinctam scenas contemplabimur. Statim à Principio Natura ipsa, & causa entis naturalis, & plurima ad ipsum attinentia, scilicet motus, tempus, ac alia repræsentata comparebunt.

Hanc Physicæ partem vocat Philosophus de Physico auditu, siue de naturali auscultatione: ex eo quòd propter sublimiorem doctrinam sub profundo ac difficili stilo reconditam, ab auditoribus maiori diligentiâ, & studio audiri audiri & auscultari; à præceptoribus verò maiori curâ debeat exponi ac explicari. Ipsam diuidit Philosophus in octo libros. In primo agit de Principiis entis naturalis. In 2. agit de Natura & Arte, de quatuor causis rerum, de Casu, Fortuna, Fato, ac Necessitate. In 3. agit de Motu, prima & principali proprietate naturæ, de Actione & Passione, de Continuo ac Infinito. In 4. de Loco, Vacuo & Tempore. In 5. De Speciebus, Vnitate & Distinctione, ac contrarietate motuum. In 6. agit de compositione continui, de modo quo incipit & desinit motus, item de terminis entis naturalis, siue de maximo & minimo. In 7. agit de aliquibus conditionibus spectantibus ad motum, & de causa efficiente illius. In 8. denique agit de æternitate Motus, temporis & Mundi, ac de primo & supremo motore omnium rerum artifice.

QVÆSTIO I.

De obiecto, & quidditate Physicæ.

QVÆLIBET scientia præsupponit suum obiectum, de quo proprias demonstrat passiones: vnde inter proœmialia statim de qualitate, ipsius obiecti, ac postea de quidditate talis scientiæ disputatur: circa quod quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm ens mobile sit obiectum Physicæ?
¶ Secundò, Vtrùm Physica sit scientia?
¶ Tertiò, Vtrùm Physica sit scientia speculatiua?
¶ Quartò, Vtrùm Physica sit vna specie infimâ?
¶ Quintò, Vtrùm Physica sit subalternata Metaphysicæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ens mobile sit obiectum Physicæ?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd ens mobile non sit obiectum Physicæ, sed corpus mobile: ita tenent Albertus tract. 1. suæ Philosophiæ, & alij. Probatur. Ratio mobilis, quæ est ratio formalis, quæ consideratur à Physica, primò & per se conuenit corpori; enti verò ratione corporis: ideo enim ens mouetur, quia corpus mouetur: sed illud est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, cui primò & per se conuenit ratio formalis talis scientiæ: ergo corpus mobile, & non, ens mobile est obiectum adæquatum Physicæ. Confirmatur. Mobilitas Physica, de qua hîc agitur, solùm conuenit corpori; nam solùm id, quod est corpus, est mobile motu physico: deinde quia obiectum, sicut & definitio meliùs exprimuntur per differentiam & genus proximum, quàm per remotum: constat autem quòd corpus est quid proximius mobilitati, quàm ens: ergo non, ens, sed corpus mobile, est obiectum Physicæ.

¶ 2. Præterea, Ratio formalis obiecti alicuius scientiæ debet quantùm fieri potest exprimi in obiecto illius: sed ratio formalis Physicæ, scilicet sensibilis & Physica mobilitas meliùs exprimitur per corpus mobile, quàm per ens mobile; quia nullum est corpus, quod non sit mobile mobilitate Physicâ; & tamen sunt multa entia, quæ sunt mobilia aliâ mobilitate quàm Physicâ, vt patet in Angelis: ergo corpus & non, ens mobile, est obiectum Physicæ. Confirmatur. Idem est obiectum subalternantis ac subalternatæ, quæ illud limitat per differentiam superadditam: sed obiectum Medicinæ, quæ est subalternata Physicæ, est corpus mobile sanabile: ergo obiectum Physicæ, quæ est eius subalternans, est corpus, & non, ens mobile. Deinde in Physica considerantur principia, & proprietates corporis, non verò entis mobilis: nam agitur in illa de materia & forma, quæ sunt principia corporis mobilis, & non entis ex Arist. 1. Physic. texto 30. item 3. de cælo. cap. 1. dicit enim quòd scientia de natura, ferre plurima videtur circa corporum magnitudines, & horum existentes passiones, & motus. Item motus qui est principalis passio considerata in Physica conuertitur cum cor-

pore ex Philosopbo 6. Pbysic. textu 3n. vbi probat omne mobile esse corpus, & omne corpus mooeri: ergo corpus mobile est obiectum Physicæ.

¶ 3. Ecootra, Videtur quod substantia naturalis, & non ens, aut corpus mobile sit obiectum Physicæ. Ita tenent Scotus & alij. Probatur ex Arist. 6. Metaph. cap. 1. vbi expresse dicit Philosophiam naturalem circa substantiam natoralem versari. Deinde sub obiecto adæquato alicuius scientiæ debent contineri omnia, quæ tractantur in tali scientia, vt per se patet; ideo enim dicitur obiectum adæquatum, quia adæquat scientiam: sed multa tractantur in Pbysica, quæ non cootinentur sub ente, aut corpore mobili; quæ tamen contioentur sub substantia naturali: nam in Physica non solùm agitur de motu, sed etiam de quiete: agitur enim de oatora, quæ est principium motus & quietis in eo in quo est: deiode agitur de primo motore, qui est omnino immobilis: substantia autem naturalis hæc omnia includit: ergo substantia naturalis est obiectum Pbysicæ; non verò ens, aut corpus mobile; maximè cùm per ly (mobile) possit intelligi, tam formale quàm radicale; & ita inuoluit æquiuocatiooem, quæ omnino debet remoueri ab obiecto scientiæ.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Tb. quos communiter sequuntur Thomistæ, nostri Complutenses hîc disp. 1. q. 1. Ferra. q. 2. Masius & alij.

CONCLVSIO.

Cùm obiectum Physicæ sit aliquid quod est principium motus, & potens moueri; & non sit satis manifestum omne aptum moueri, esse corpus; aut naturam esse principium motus: ideo obiectum Physicæ meliùs exprimitur per ens mobile, quàm per corpus mobile, aut per ens naturale, & substantiam naturalem.

Respondeo dicendum quòd si loquamor de obiecto Pbysicæ secundùm rem: tunc tam corpus mobile, vel naturale, quàm ens, aut substantia mobilis, aut naturalis sunt obiectum Physicæ. 2. aptiùs tamen & meliùs exprimitur nomine entis mobilis, quàm quolibet alio 3. vnde ratio mobilis, siue mobilitas est ratio formalis (quæ) 4. ratio verò formalis (sub qua) obiecti Pbysicæ generica, est abstractio à materia singulari tantùm, non verò à materia communi sensibili: specifica autem sunt prima principia, quibus Pbysica in suis demonstrationibus procedit. 5. homo est obiectum materiale principale. Ad quorum euidentiam sciendum est quòd ly (naturale) adiunctum enti, corpori, vel substantiæ io præsenti non sumitur vt oppositum supernaturali, ita vt comprehendat omnia entia naturalia, etiam Angelos: sed sumitur pro substantia habente in se principium motus & qoietis; quæ substantia debet esse composita ex materia & forma, quæ sunt natura, vt iofra dicetor, siue sumitur pro illa ratione differentiali præcisè sumpta, quæ dat tali substantiæ esse principium motus: & similiter ly [mobile] non sumitur in præsenti, vt importat potentiam proximam ad motum, nec etiam sumitur terminatiuè, pro eo scilicet quod potest terminare motum: sed sumitur radicaliter & subiectiuè, pro eo scilicet quod babet io se primam radicem, siue principium motus, non cuiuscúmque; aliàs comprehenderet Angelos, qui aliquo modo possunt mutari: sed motus siue mutationis propiè dictæ, quâ aliquid verè in se mutatur, siue pro illa ratione differentiali & præcisa ex qua oritur talis motus, quæ quidem non conuenit accidentibus; licèt enim aliqua accidentia possint esse terminos motus, nullum tamen eorum potest esse primum subiectum siue primum & radicale principium motos: nec conoenit omnibus substantiis; nam Angeli non sunt mobiles aliquo motu Physico, qui terminetur ad formam intrinsecam; cùm sint incorporei, & per se subsistentes formæ, vt dicetur infra in Metaphysica; nec etiam sunt mobiles motu locali propriè dicto: nam sicut æquiuocè dicuntur esse in loco cum corporibus; sic etiam æquiuocè dicuntur moueri localiter ex D. Thom. 1. part. quæst. 52. & 53. vnde ly [mobile aut naturale] prout hîc sumitur cum tali præcisione, importat differentiam constitutiuam corporis de prædicamento substantiæ, qood essentialiter componitur ex materia & forma Pbysica: nam boc solùm corpus potest esse subiectum, & principium radicale mutationis, aut motus Pbysici; quia esse naturam; ac proinde principium [quo] radicale prædicti motus, solùm conuenit materiæ & formæ in eo contentis.

Probatur prima pars conclusionis. Corpus oatorale aut mobile; ens naturale, aot mobile; substantia naturalis, aot mobilis significant eamdem rem, & pro eodem sumuntur ab Arist. & D. Th. nam Arist. 6. Metapb. cap. 1. dicit ens mobile esse obiectum Pbysicæ; ait enim, Physica speculatiua quædam profectò est, sed speculatiua circa tale ens quod possibile moueri: ibidem etiam dicit, quòd eius obiectum sit substantia naturalis; dicit enim, Physica circa quoddam entis genus scientia est, etenim circa talem substantiam est, in qua principium est motus, & status qui in ea est. In 1. autem de Cœlo cap. 1. dicit tale obiectum esse corpus mobile & naturale. Similiter D. Thom. in procemio huius operis dicit ens mobile esse subiectum Physicæ quæstione verò 14. de veritate art. 8. ad 16. & 1. part. quæst. 84. art. 1. in argumento [sed contra) dicit esse corpus mobile: tandem 6. Metapbysicæ lect. 1. dicit esse substantiam naturalem: vnde apud illos ista omnia idem significant, vt ipsemet D. Th. expresse testatur Opuscul. 42. cap. 14. his verbis: ex dictis igitur patet quòd ens mobile, quod est corpus communiter acceptum &c. aliàs essent inconstantes, & sibi contradicerent in assignando obiecto Physicæ: ergo si loquamur de obiecto Physicæ secundùm rem: tunc tam corpus mobile vel naturale, quàm ens aut substantia mobilis aut naturalis sunt obiectum Pbysicæ.

Secundò, corpus naturale idem est, ac corpus habens naturam, & consequenter babens principiom radicale motus: hæc enim est definitio naturæ: vnde est omnino idem ac corpus mobile, sumpto ly [mobile] radicaliter vt hîc sumitur: rursus hæc duo idem sunt, quòd ens, aut substantia mobilis aut naturalis: nam mobile vel naturale vt hîc sumootor secundùm præcisum conceptum, sunt differentia constitutiua corporis de prædicamento substantiæ, siue mobilis & naturalis, vt patet ex dictis: vnde limitant ens & substantiam oe accipiantur in lata significatione; & ideo hoc totum coniunctum significat idem ac corpus mobile: differentia enim inferior addita cuicúmque rationi superiori, illam limitat ad significandum tantùm illud coniunctum, cuius talis differentia est constitutiua, si secundùm se consideretur: non enim plus patet ens aut rationalis, quàm animal rationale: ergo obiectum Physicæ secondum rem est tam corpus mobile vel naturale, quàm ens aut substantia mobilis aut naturalis.

Probatur secunda pars conclosionis authoritate Aristotelis & D. Th. Aristoteles quidem 6. Metaphysicæ c. 1. sic ait: *Physica speculatiua quædam profectò est, sed speculatiua circa tale ens, quod possibile moueri:* supra quem locum D. Thom. lect. 1. sic ait: *Et sic patet quod naturalis scientia est circa determinatum subiectum, quod est ens mobile.* Idem docet in principio huius operis lect. 1. vbi hæc habet. *Hic autem est liber Physicorum, cuius subiectum est ens mobile simpliciter; non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro: nulla autem scientia probat suum subiectum, &c.* Idem repetit opusc. 42. cap. 14. ergo obiectum Physicæ aptiùs & meliùs exprimitur nomine entis mobilis, quàm quolibet alio.

Secundò. Obiectum Physicæ est aliquid quod est principium motus, & potest moueri; nam Physica per hoc distinguitur ab aliis scientiis, quia agit de rebus subiectis motui & mutationi: sed non est sufficienter manifestum, quòd omne aptum moueri sit corpus, potest enim de hoc rationabiliter dubitari, & de facto dubitatur & demonstratur 6. Physicorum textu 32. est tamen manifestum & indubitabile omne quod mouetur, debere saltem esse ens: ergo obiectum Physicæ meliùs exprimitur per ens mobile, quàm per corpus mobile. Similiter non est

sufficienter manifestum naturam esse principium motus: vnde de hoc quæritur in 2. Physicorum: ergo meliùs etiam exprimitur obiectum Physicæ per ens mobile, quàm per ens aut substantiam naturalem; per ly autem [ens mobile] non intelligitur quoddam ens per accidens, complexum & conflatum ex ente & differentia accidentali mobilis: sed quid incomplexum [licèt exprimatur nomine complexo] & significans quoddam genus entis cuius differentia essentialis est mobilitas; siue quod ab intrinseco & essentialiter petit moueri, & aptum est moueri. Confirmatur. In Physica agitur de multis, quæ directè non continentur sub corpore mobili; & omnia continentur sub ente mobili: nam licèt omnia aliqualiter ordinentur ad corpus mobile, vel vt principium motus, vel vt pars corporis &c. (quæ ordinatio sufficit vt realiter concedatur corpus mobile esse obiectum Physicæ] per illud tamen magis exprimitur obiectum sub quo alia continentur vt inferiora: Physica autem agit de quibusdam quæ mouentur saltem per accidens; vt de anima, quæ sine dubio non continetur vt inferius sub corpore mobili: bene tamen sub ente mobili: ergo obiectum Physicæ meliùs exprimitur nomine entis mobilis, quàm corporis mobilis,

Tertiò. Probatur ratione D. Thom. illud quod perfectè exprimit rationem obiecti alicuius scientiæ, non potest etiam quoad nos probari à priori intra limites talis scientiæ, siue per principia eius; quia ipsum obiectum, siue definitio eius, est primum principium, quo scientia vtitur & procedit in suis demonstrationibus, & à quo alia principia talis scientiæ dependent, & ad quod vltimò resoluuntur intra limites talis scientiæ: vnde est manifesta contradictio, quòd possit probari à priori per alia principia à se dependentia: sed vt dicit D. Thom. loco citato, Philosophus 6. Physicorum textu 32. probat omne mobile esse corpus, & omne corpus esse mobile, & hoc principiis Physicis quoad nos: nam quoad se est per se notum, sicut & illi qui perfectè scit quid sit corpus naturale: ergo non per corpus mobile, sed per ens mobile perfectè exprimitur obiectum Physicæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Illud est ratio formalis (quæ) obiecti alicuius scientiæ, quod primò & per se consideratur à tali scientia: alia verò ad scientiam pertinent, inquantum illud participant: sed ratio mobilis siue mobilitas radicalis primò & per se consideratur à Physica; alia verò omnia solùm considerantur inquantum participant mobilitatem, siue vt sunt radicaliter mobilia: non enim agit de ente mobili, vt ens est: sic enim pertinet ad Metaphysicam: at vt mobile est: ergo ratio mobilis, siue mobilitas radicalis est ratio formalis [quæ] obiecti Physicæ.

Probatur quarta pars conclusionis ex dictis in Logica in libris de demonstratione. Prima autem principia Physicæ fundantur in ratione naturæ siue mobilitatis radicalis, quod idem est, licèt congruentiùs nomine mobilitatis, quàm naturæ exprimatur.

Probatur quinta pars conclusionis. Inter substantias materiales, & entia mobilia, homo est quid nobilissimum ad quem omnia materialia creata ordinantur, tanquam ad supremum sui ordinis; etiam motus cœlorum qui ex D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 6. est propter electos: ergo homo est obiectum materiale principale Physicæ: licèt enim in Physica etiam agatur de Deo: non tamen agitur de illo tanquam de parte sui obiecti, siue tanquam de aliquo directè contento sub suo obiecto, sed tantùm agitur de illo tanquam de primo motore immoto; non verò vt de aliquo mobili.

Ad primum ergo dicendum, quòd mobile additum enti ipsum limitat, vt significet idem, quod corpus, & ita enti sic considerato non conuenit esse mobile ratione corporis, cùm idem omnino significent; & per hoc patet ad confirmationem. Ad aliud dicendum, quòd obiectum, & definitio meliùs exprimuntur per genus proximum, quàm per remotum, si cætera sint paria; quod non accidit in præsenti, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd eo ipso quòd in Physica agatur de aliquibus, quæ per se non mouentur motu Physico, sed solùm per accidens; eius obiectum meliùs exprimitur per ens, quàm per corpus mobile, vt dictum est; nec ita manifestè scitur, sed indiget probatione, motum Physicum soli corpori conuenire, vnde propter hoc etiam non ita clarè exprimitur obiectum Physicæ per corpus mobile, quàm per ens mobile. Ad confirmationem dicendum, quòd talis instantia non est contra nos: nam concedimus corpus mobile esse obiectum Physicæ; ratio autem disparitatis est obiectum Physicæ meliùs exprimitur per ens quàm per corpus: obiectum verò Medicinæ econtra meliùs exprimatur per corpus, quàm per ens; est quia obiectum meliùs exprimitur per genus proximum, quàm per remotum, si cætera sint paria, vt dictum est: in Physica cætera non sunt paria; quia non est ita manifestum, omne quod mouetur, esse corpus: sicut est manifestum, omne quod mouetur esse ens: in Medicina autem cætera sunt paria; nam æquè manifestum est omne sanabile esse corpus, sicut esse ens: nam est per se notum etiam quoad nos, omne sanabile esse materiale compositum ex contrariis; ac proinde esse corpus. Ad aliud similiter dicendum, quòd non est contra nos: concedimus enim corpus mobile esse obiectum Physicæ; non tamen ita per illud exprimitur, sicut per ens mobile, vt dictum est; quia probatur corpus esse mobile, quod assumunt contrarij in suum fauorem: nulla autem scientia probat ex suis principiis obiectum suum esse: sine probatione autem faciliùs quis assequitur illud quod mouetur, esse ens, quàm corpus.

Ad Tertium dicendum, quòd verum est substantiam naturalem esse realiter obiectum Physicæ: licèt per illam tale obiectum non ita perfectè exprimatur, ac exprimitur per ens mobile, vt dictum est. Ad aliud dicendum, quòd illud quod est mobile radicaliter (quomodo hîc accipitur) potest esse principium motus & quietis. Deinde agitur de quiete vt de opposito motus, ad eamdem enim scientiam pertinet agere de oppositis, iuxta illud, contrariorum eadem est disciplina; vnde sub mobili continetur quiescibile vt eius oppositum: de primo autem motore non agitur in Physica tanquam de aliquo contento sub Physicæ obiecto, vt intendit argumentum: sed tanquam de primo principio extrinseco motus. Ad aliud dicendum esse vsu receptum quòd per ens mobile assignatum pro obiecto Physicæ intelligatur ens mobile radicaliter; vnde nulla est æquiuocatio: deinde ad rationem obiecti sufficit vt exprimat rationem obiectiuam scientiæ, ratione cuius ipsa scientia sufficienter dignoscatur: licèt aliquid ambiguitatis afferat implicitè: aliàs essent apponendæ plures particulæ, vt exprimerentur omnia, quæ ad ipsum pertinent: nec contrarij sunt immunes huius difficultatis; nam ly (naturale) plus habet æquiuocationis quàm ly (mobile] naturale enim sumitur 1. pro essentiali. 2. vt opponitur libero. 3. vt opponitur violento. 4. vt opponitur supernaturali &c.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Physica sit scientia?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd Physica non sit scientia. Probatur. Nulla scientia agit de indiuiduis; at omnis agit de rebus, siue naturis vniuersis, circa quas versantur propositiones æternæ veritatis: sed Physica agit de indiuiduis; est vna siquidem pars Physicæ quæ agit de mundo & cœlo: ergo Physica non est scientia.

§ 2. Præterea, Omnis scientia debet agere de rebus perpetuis & necessariis: nam scientia debet esse cognitio certa & stabilis: aliàs scientiæ quotidie mutarentur: constat autem quòd certitudo & stabilitas scientiæ regulatur & dependet ab obiecto: vnde si obiectum non est necessarium, certum & stabile; sic nec cognitio talis obiecti: & ita ad variationem obiecti variaretur cognitio talis obiecti;

obiecti : & ita ad variationem obiecti variaretur cognitio talis obiecti : ſed Phyſica non agit de rebus perpetuis & neceſſariis ; cùm habeat pro obiecto ens mobile; imò agit de rebus corruptibilibus & morti ſubditis , quæ quotidie variantur : ergo Phyſica non eſt ſcientia.

San contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis , Diui Thomæ & communiter omnium Philoſophorum.

Conclvsio.

Cùm Phyſica ſit habitus per demonſtrationem acquiſitus, per quem multa cognoſcuntur cognitione à priori per cauſam : Phyſica eſt vera ſcientia.

Respondeo dicendum quòd Phyſica eſt vera ſcientia, ac proinde debet dici ſcientia entis mobilis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex Logicis ſcientiam non conſiſtere eſſentialiter in congerie plurimarum ſpecierum : licèt enim hanc importet ex parte obiecti; requiritur enim quòd in intellectu ſint plures ſpecies repræſentantes varias concluſiones deductas in aliqua ſcientia : aliàs non eſſet de illis recordatio : præter hoc tamen eſſentialiter dicit vnam ſimplicem qualitatem habitualem, quâ ſubiectum diſponitur & inclinatur ad facilè, promptè, vniformiter ac delectabiliter operandum circa ſuum obiectum; & hæc ſimplex qualitas eſt ipſa ſcientia : prædicta verò congeries ſpecierum , non eſt ſcientia , ſed ſe tenet ex parte obiecti ipſius ſcientiæ.

Probatur concluſio authoritate Ariſtotelis , qui ſæpe in his libris vocat Phyſicam ſcientiam. Item 6.Metaphyſicæ c.1.vbi hæc habet. *Cùm autem Naturalis etiam circa quoddam entis genus ſcientia ſit.* Idem docet D.Thom. opuſc.70.q.5.art.2. & alibi ſæpe.

Secundò. Scientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus circa aliquod obiectum, de quo probat à priori, ſiue per cauſam proprias paſſiones;vt communiter docent Philoſophi cum Ariſtotele primo poſteriorum c.2. ſed Phyſica eſt talis habitus per demonſtrationem acquiſitus circa ens mobile , de quo probat à priori , ſiue per cauſam proprias paſſiones : probat enim v. g. mixta eſſe corruptibilia ; quia conſtant ex contrariis , quod eſt cauſa corruptibilitatis : probat ignem ferri ſurſum , & terram deorſum ; quia hæc propter multitudinem, & denſitatem materiæ eſt grauis: ille verò propter paucitatem,& raritatem materiæ eſt leuis : conſtat autem quòd leuitas eſt cauſa motus ſurſum , ſicut grauitas eſt cauſa motus deorſum,& ſic in pluribus aliis : ergo Phyſica eſt ſcientia.

Ad primum ergo dicendum , quòd non repugnat ſcientiæ agere de indiuiduis , ſi ſint incorruptibilia , & habeant aliquas proprietates , quæ de ipſis demonſtrentur : Theologia enim eſt perfectiſſima ſcientia : & tamen habet pro obiecto Deum , qui eſt tantùm vnus : Phyſica autem agit de indiuiduis incorruptibilibus,ſicut eſt Cœlum & Mundus quoad principales eius partes , ſcilicet Cœlos & Elementa.

Ad ſecundum dicendum,quòd licèt Phyſica agat de aliquibus,quæ in ſuis indiuiduis ſunt mutabilia & corruptibilia: tamen in ſua ratione communi dicunt immutabilitatem & neceſſitatem : nam ipſa mutabilitas & corruptibilitas non minùs eſt neceſſaria rebus naturalibus conſtantibus ex materia ſublunari & forma , ac incorruptibilitas eſt neceſſaria Angelis: vnde ſicut hæc eſt quid neceſſarium & ſcibile: ſic & illa ; Phyſica autem non agit de corruptibilibus indiuiduis,ſed de ſpeciebus rerum corruptibilium.

Articvlvs III.

Vtrùm Phyſica ſit ſcientia Speculatiua?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd Phyſica non ſit ſcientia ſpeculatiua ſimpliciter;ſed prattica ſaltem quoad aliquid. Probatur .Phyſica agit de Deo vt authore naturæ, & vt primo motore : ſed ad hanc cognitionem per ſe ſequuntur actus voluntatis vt affectus erga Deum , qui actus per ſe pertinent ad praxim : ergo Phyſica non eſt ſimpliciter ſpeculatiua , ſed quoad aliquid prattica;ſicut propter eamdem rationem ſacra Theologia eſt ſimul ſpeculatiua & prattica ex D.Th.1.p.q.1.art.4.

§ 2. Præterea , Medicina eſt vera pars Phyſicæ; cùm agat de quodam ente mobili , ſcilicet ad ſanitatem : nam eius obiectum eſt ens,ſiue corpus mobile ſanabile: nec eſt ſolùm ſubalternata Phyſicæ ; cùm enim ſit intra eamdem abſtractionem , & eius principia deriuentur ex principiis Phyſicæ , neceſſariò ſunt eadem ſcientia: nam ſcientiæ ſpecificantur ex principiis,ita vt ſit vna ſola ſcientia,quando principia eius ab vno deducuntur : vel ex ſe inuicem intra eamdem abſtractionem : & propterea ſcientia ſubalternans & ſubalternata non poſſunt habere eumdem modum abſtractionis : ſed Medicina eſt ſcientia prattica ex Ariſtotele 6.Metaphyſicæ,& D.Th.opuſc.70. vbi expreſsè docet Medicinam eſſe ſimpliciter pratticam : quia habet pro fine operationem[quamuis vocetur Theorica, inquantum agit de aliquibus,quæ non ita proximè ſunt ad operationem ordinata ; licèt ſimpliciter ordinentur]omnis enim Medicinæ contemplatio proximè eſt, vel remotè , ad reſtituendam & conſeruandam ſanitatem : vnde ſi conſiderat morbos,eſt ad hoc vt curentur , &c. ergo Phyſica non eſt quoad omnes ſuas partes ſpeculatiua.

§ 3. Præterea,Obiectum Phyſicæ eſt quid operabile: nam ferè omne ens mobile eſt operabile : imò in aliquibus ipſa Phyſica dirigit & influit in operationem, vt quando fit Sphæra : ſed ſcientia quæ habet obiectum operabile eſt prattica : ergo Phyſica eſt ſcientia prattica.

San contra eſt expreſſa authoritas Philoſophi 6. Metaph.cap.1.vbi ſic ait. *Phyſica ſpeculatiua quadam profecto eſt : ſed ſpeculatiua circa tale ens , &c.* Item D.Th. opuſ. 70. q. 5. art.2. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm finis Phyſicæ ſit mera veritatis contemplatio : Phyſica eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua.

Respondeo dicendum , quòd Phyſica eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua. a. ac proinde habet vnicum finem intrinſecum , ſcilicet contemplationem ſui obiecti entis mobilis : nec vllum habet finem extrinſecum.

Probatur prima pars concluſionis. Ille ſcientiæ habitus , cuius finis eſt ſola veritatis cognitio , eſt ſimpliciter ſpeculatiuus,vt patet ex dictis in Logica : ſed finis Phyſicæ eſt ſola veritatis cognitio;nam ſiſtit in contemplatione rerum naturalium , nec earum cognitionem vltra ad opus ordinat : ergo Phyſica eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex dictis ſupra in Logica : Cùm enim Phyſica ſit purè ſpeculatiua , vt modò probatum eſt , nec deſeruiat alteri vt miniſtra ; conſequens eſt , vt nullum habeat finem extrinſecum , ſed tantùm intrinſecum ; ſcilicet contemplationem ſui obiecti entis mobilis.

Ad primum ergo dicendum , quòd licèt hi actus voluntatis ſequantur ad talem cognitionem , etiam per ſe: tamen Phyſica illos non intendit ; & ſic ſe habent per accidens reſpectu Phyſicæ , quæ agit de Deo authore naturæ , & primo motore; non vt excitet tales affectus circa ipſum , ſed vt de illo comparet notitiam.

Ad ſecundum dicendum , quòd Medicina non eſt pars Phyſicæ , ſed eſt illi ſubalternata,vt innuit D.Thom. loco citato ; & ratio eſt manifeſta, quia corpus ſanabile per artem (quod eſt obiectum Medicinæ) non poteſt eſſe pars ſubiectiua corporis naturalis vt ſic ; ſed illi addit differentiam accidentalem , vt patet : nam ars accidentaliter coniungitur ad naturam , & opera artis ad opera naturæ: nam ars eſt miniſtra naturæ , quia ſanitas proficiſcitur tanquam ex radice ex aliqua naturali virtute , auxilio & miniſterio artis : ſi autem dicatur , quòd corpus naturale eſt ſanabile, ſiue mobile ad ſanitatem ex ſe , ſiue ſolâ virtute naturali ; nam aliquando ſecluſo quocúmque miniſterio extrinſeco Medicinæ ſalutem conſequitur : & ſic eſt pars ſubiectiua corporis mobilis ; Concedimus : ſed tamen vt ſic non eſt obiectum Medicinæ,vnde licèt Phyſica quoad omnes ſuas partes ſit ſpeculatiua : tamen Medicina ei ſubalternata eſt prattica propter diuerſum finem,à quo deſumitur ratio prattici & ſpeculatiui.Ex quo ſequitur quòd non ſunt eadem ſcientia : licèt principia vnius

deriuentur

deriuentur ex principiis alterius intra eamdem abstractionem; hæc enim ratio esset vera & infallibilis, si vtraque esset speculatiua : quod non contingit in præsenti : nam Medicina est prattica, & ita distinguitur generè subalterno, & plusquam duæ speculatiuæ; quarum obiecta sint sub diuersa abstractione : nam radix huius distinctionis, non est diuersa abstractio, aut diuersa prima principia : sed est aliud magis vniuersale & genericum; scilicet finis : nàm finis vnius est contemplatio veritatis; alterius autem est praxis & opus.

Ad tertium dicendum, quòd ratio prattici & speculatiui in scientiis desumitur à fine : ita vt illa scientia sit simpliciter speculatiua, quæ habet pro fine contemplationem veritatis: illa verò prattica, quæ habet pro fine opus, quidquid sit de obiecto, maximè quando non est operabile ex directione ipsius scientiæ, vt accidit in præsenti. Ad illud autem, quod dicitur de sphæra, dicendum, quòd quando opus confectum à scientia ordinatur per se ad cognitionem obiecti talis scientiæ, sicut sphæra ordinatur ad cognitionem cælorum, non tollit à tali scientia quin sit speculatiua : videantur quæ circa hoc dicta sunt in procemialibus Logicæ.

Articvlvs IV.

Vtrùm Physica sit vna specie infimâ?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd Physica non sit vna specie infimâ. Ita tenent Caietanus Soncinas & alij. Probatur. In Physica agitur de diuersis entibus mobilibus specie : nam in libris de cælo agitur de ente mobili ad formam extrinsecam, scilicet locum; in libris autem de generatione, de anima &c. agitur de ente mobili ad formam intrinsecam, in quo etiam est diuersitas specifica: nam alia est forma substantialis, alia accidentalis : in quarum singulis sunt plures formæ specie diuersæ : sed specificatio scientiæ desumitur ab obiecto : ergo Physica nō est vna specie infimâ, sed est multiplex specie.

¶ 2. Præterea, In libris Physicæ reperitur diuersa abstractio; nam in quibusdam agitur de rebus omnino materialibus, & ita nullo modo abstractis à materia, vt in libris de cælo, de meteoris &c. in aliis verò agitur de rebus aliquantum abstractis à materia, vt in libris de anima : nulla enim est anima quæ non sit eleuata à materia, & maximè anima rationalis, quæ est spiritualis & per se subsistens. Deinde agitur etiam in Physica de Angelis, & de Deo, qui sunt omnino abstracti à materia: sed diuersa abstractio à materia causat in scientiis diuersitatem ad minus specificam: ergo Physica non est vna specie infimâ.

¶ 3. Præterea, D. Th. in lib. posterior. lect. 41. ait: *Corpus naturale & Mathematicum distinguuntur in diuersas species scibilium:* Ergo Physica habens pro obiecto corpus naturale, distinguitur in diuersas species, & ita non est vna specie infimâ.

Sed contra est communior sententia Philosophorum cum Arist. & D.Th. qui passim in his libris docent Physicam esse vnam scientiam. Ita nostri Complut. Soto, Sanches, Araujo &c.

Conclvsio.

Cùm principia Physicæ quoad omnes suas partes considerata intra eamdem abstractionem, sint eiusdem rationis: Physica quoad omnes suas partes est vna specie infimâ.

Respondeo dicendum, quòd Physica quoad omnes suas partes, scilicet vt comprehendit libros de Physico auditu, de cœlo, de generatione & corruptione, de meteoris, de anima, de paruis naturalibus, est vna specie infimâ. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc diuisionem Physicæ in prædictas partes prouenire ex diuisione obiecti Physicæ : nam vt docet Aristoteles 3. de anima textu 38. scientia diuiditur iuxta diuisionem rerum de quibus agit : corpus autem, siue ens mobile obiectum Physicæ, vel sumitur secundùm se, & in communi non descendēdo ad aliquam specialem speciem; & de hoc vt sic præcisè agunt, hi octo libri de Physico auditu : descendendo autem ad particulare, diuiditur corpus mobile in generabile, vt omnia sublunaria; & in generabile, vt cælum : de hoc agitur in libris de cœlo, de alio in libris de generatione : corpus generabile subdiuiditur in simplex & mixtum; mixtum verò in perfectum & imperfectum: denique mixtum perfectum in animatum & in inanimatum. De simplici, scilicet de elementis, agitur in secundo libro de generatione & corruptione, sicut & de mixto in communi : in particulari autem agitur de mixto imperfecto, vt niue, grandine & similibus in libris meteororum; de mixtis verò perfectis, sed inanimatis, vt de metallis agitur in tertio libro meteororum; de mixtis tandem perfectis & animatis in libris de anima : ita vt in principio agat de animatis imperfectioribus, scilicet vegitatiuis; deinde de animatis sensitiuis, quæ sunt perfectiora; & tandem de viuente rationali, scilicet homine præcipuo Physicæ obiecto. Ex dictis colligitur id quod docet D.Th. hic lect. 1. ens mobile aliter esse obiectum totius Physicæ, & alicuius partis illius v.g. horum librorum de Physico auditu : nam totius Physicæ est obiectum provt explicabile per principia & passiones tam communes quàm particulares : istius verò partis est obiectum præcisè provt est explicabile per principia communia: & ideo obiectum illius continetur sub obiecto totius scientiæ : vnde licèt in aliis partibus agatur de aliqua specie particulari motus, & mobilis; non tamen in ista sed de ipso ente mobili in communi modo explicato non descendendo ad species illius : agitur etiam in his libris de principiis entis mobilis, de motu locali, & de aliis eius passionibus per ordinem tamen ad ens mobile, cuius sunt principia & passiones.

Probatur conclusio ex dictis in Logica. Principia quibus intra eamdem abstractionem procedit Physica quoad omnes suas partes sunt eadem, nec vllo modo diuersificantur : cùm omnia sint in eodem ordine motus & mobilis : ita vt ex se inuicem deriuentur, & à primis in tali ordine : nam principia aliarum partium, quæ sunt de motu in particulari deriuantur à primis principiis de Physico auditu, vbi agitur de motu in communi : sed vnitas principiorum intra eamdem abstractionem causat vnitatem scientiæ in specie infima, sicut diuersitas principiorum diuersitatem scientiæ, vt patet ex dictis in libris posteriorum; ergo Physica quoad omnes suas partes est vna specie infimâ.

Ad primum ergo dicendum, quod ista diuersitas se habet materialiter respectu obiecti Physicæ, qui substat iisdem principiis, & abstractioni, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd intra eamdem abstractionem maior & minor remotio à materia, aut motu; non causant diuersitatem in esse scibilis : nisi quando resoluuntur in diuersa prima principia, vt in Geometria & Arithmetica; quod non est in præsenti : maximè quia Physica non agit de anima tanquam de parte subiectiua sui obiecti, sed tanquam de comparte sui obiecti partialis; sicut & de Angelis, & de Deo agit tantùm, vt sunt motores extrinseci.

Ad tertium dicendum, quòd D. Th. in hoc loco per corpus naturale non solùm intelligit ens mobile, quod est obiectum Physicæ; sed etiam alia entia naturalia, quæ sunt obiecta aliarum scientiarum, quæ subalternantur Mathematicis, vt sonorum respectu Musicæ, visuale respectu Perspectiuæ; nam istæ scientiæ continentur sub eodem genere immediato cum Physica, & habent pro obiectis entia naturalia.

Articvlvs V.

Vtrùm Physica sit subalternata Metaphysicæ?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd Physica sit propriè subalternata Metaphysicæ. Ita tenēt aliqui. Probatur. Propria subalternatio duo requirit, scilicet quòd obiectum subalternantis limitetur in subalternata per additionem alicuius differentiæ : sed obiectum Metaphysicæ

physicæ limitatur in Physica per additionem alicuius differentiæ; ens enim, quod est obiectum Metaphysicæ, limitatur per mobile, quod illi addit Physica: ergo Physica est propriè subalternata Metaphysicæ.

§ 2. Præterea, Propria subalternatio requirit quòd principia subalternatæ dependeant à principiis subalternantis, ita vt per illa demonstrentur; sed principia Physicæ dependent à principiis Metaphysicæ; maximè ab illo primo (impossibile est idem simul esse & non esse) per quod omnia alia demonstrantur: ergo Physica est propriè subalternata Metaphysicæ.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Th. in libris de posteriori analysi, quos communiter sequuntur non solùm Thomistæ, sed etiam alij.

Conclusio.

Cùm obiectum Physicæ contineatur essentialiter sub obiecto Metaphysicæ; eiúsque principia non probentur directè in Metaphysica: non est propriè illi subalternata.

Respondeo dicendum, quòd Physica non est propriè subalternata Metaphysicæ: 2. sed tantùm impropriè.

Probatur prima pars conclusionis. Ad propriam subalternationem requiritur, quòd obiectum scientiæ subalternatæ non contineatur essentialiter, at tantùm accidentaliter sub obiecto subalternantis, vt fusè probatum est supra, primâ parte: item quòd principia subalternatæ sint clara & nota in subalternante, quod aliquando contingit sine demonstratione, vt patet in Sacra Theologia respectu scientiæ Dei & Beatorum; frequentiùs tamen hoc accidit per demonstrationem à priori, siue per causam: vnde principia subalternatæ ordinariò sunt conclusiones subalternantis: sed obiectum Physicæ continetur essentialiter & non accidentaliter sub subiecto Metaphysicæ: cùm mobile, quod est obiectum formale ipsius, sit essentialiter ens: nihil enim subterfugit rationem entis, aliàs nihil esset: item principia Physicæ non probantur à priori in Metaphysica directè, at tantùm indirectè: nec aliunde sunt nota Metaphysicæ, vt constat: ergo Physica non est propriè subalternata Metaphysicæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Physica est scientia distincta à Metaphysica, non solùm specie (cùm habeat principia propria immediatè, & independentia saltem directè a principiis Metaphysicæ:) sed etiam genere propter diuersam abstractionem: Physica enim abstrahit solùm à materia singulari, Metaphysica verò ab omni, non solùm sensibili, verum etiam intelligibili: aliunde autem obiectum Physicæ continetur sub obiecto Metaphysicæ. Item principia Physicæ probantur indirectè à principiis Metaphysicæ; ac proinde dependent ab ipsis: quæ arguunt aliquam subordinationem siue subalternationem: ergo cùm Physica non subalternetur propriè Metaphysicæ, subalternatur illi impropriè.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad propriam subalternationem non sufficit, quòd subalternata addat aliquam differentiam supra obiectum subalternantis ipsum limitantem; sed requiritur quòd talis differentia non sit essentialis & intrinseca, sed merè accidentalis, & omnino extrinseca, ac proinde non sit propria passio obiecti subalternantis, cuius contrarium hîc reperitur.

Ad secundum dicendum, quòd cùm Metaphysica sit scientia generalis & suprema inter omnes; possunt ab illa demonstrari omnia principia omnium aliarum scientiarum; non quidem directè, cùm aliqua sint intra propriam latitudinem immediata & per se nota; sed tantùm indirectè & per accidens, scilicet per causam remotam, vel ducendo ad impossibile; quod non sufficit ad propriam subalternationem, sed tantùm ad impropriam.



LIBER PRIMVS
PHYSICORVM.

Summa Textus.

IN hoc primo libro tractat Aristoteles de Principiis entis naturalis in esse rei: diuiditur autem in decem capita. In 1. Tradit methodum obseruandam in Physica. In 2. Inquirit quot, & quæ sint principia naturalia. In 3. Confutat opinionem Parmenidis & Melissi dicentium omnia esse vnum, & immobilia. In 4. Soluit rationes Parmenidis & Melissi. In 5. Affert & examinat varias veterum opiniones, de rerum naturalium principiis. In 6. Ostendit Principia rei naturalis esse contraria. In 7. Concludit non posse esse vnicum principium entis naturalis, nec plura duobus, vel tribus. In 8. Determinat esse tria principia generationis; scilicet materiam, formam, & priuationem: dicit duo esse contraria, scilicet formam, & priuationem; vnum autem nempe materiam esse subiectum eorum, in quo talis contrarietas exercetur. In 9. Refert errorem antiquorum, qui de medio tollebant generationem, dicentes ex non ente nihil fieri: & explicat quomodo hoc dictum debeat intelligi. In 10. Tandem ostendit materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem: vnde res solùm fiunt, aut pereunt secundùm formam, & remanente eâdem materiâ modo sub priuatione, modo sub forma.

QVÆSTIO II.

De principiis entis naturalis in communi.

PHILOSOPHVM imitari procedimus methodo compositionis, siue ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia: vnde statim occurrit agendum de principiis entis naturalis in communi, postea agetur de singulis in particulari: quæritur igitur quatuor.

§ Primò, Vtrùm rectè definiantur ab Aristotele principia entis naturalis?

§ Secundò, Vtrùm principia entis naturalis sint tantùm tria?

§ Tertiò, Vtrùm ratio principij conueniat vniuocè his tribus?

§ Quartò, Vtrùm principia entis naturalis non solùm sint contraria, sed sint prima contraria?

Articvlvs I.

Vtrùm rectè definiantur ab Aristotele principia entis naturalis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd principia entis naturalis non rectè definiantur ab Aristotele sic (quæ non sunt ex aliis, neque ex alterutris: sed omnia

omnia fiunt ex ipsis:) Probatur. Quod conuenit prædicato communi, conuenit etiam particularibus sub illo contentis: sed principiis particularibus non conuenit, quòd omnia fiant ex ipsis; quia ex principiis particularibus aquæ, v. g. non fiunt omnia, at solâ aquâ, & sic de aliis: ergo falsum est quòd ex principiis omnia fiant.

§ 2. Præterea, Vel particula (ex) in hac definitione importat habitudinem partis intrinsecè componentis: & ita definitio non conuenit priuationi, sed soli materiæ & formæ: vel tantùm importat habitudinem termini à quo, & sic soli competit priuationi; ergo hæc definitio nullo modo competit omnibus principiis, ac proinde nec principiis vt sic, vel dicendum quòd continet multam æquiuocationem.

§ 3. Præterea, Forma est principium, & tamen si est materialis, fit ex materia; cùm educatur de potentia illius. Deinde fit ex priuatione eiusdem formæ, quæ præcessit illam in materia; aliàs principia non essent contraria, cuius oppositum docet Aristoteles: ergo principia fiunt ex alterutris; & ita non rectè definiuntur.

Sed contra est expressa authoritas D.Thom. hîc cap. 5. & communiter omnium Philosophorum admittentium hanc definitionem principiorum traditam ab Aristotele loco citato tanquam bonam.

CONCLVSIO.

Cùm principia entis naturalis hîc definita sint prima principia, nec fiant ex aliis, nec ex alterutris, sed omnia fiant ex ipsis: rectè sic definiuntur.

Respondeo dicendum, quòd tradita definitio principiorum entis naturalis ab Aristotele est optima. 2. Definitum autem huius definitionis, sunt principia entis naturalis, vt abstrahit à corruptibili & incorruptibili. Ad cuius euidentiam sciendum est Aristotelem hîc agere de principiis omnium rerum naturalium, tam corruptibilium, quàm incorruptibilium, non quòd velit tria principia ab ipso assignata conuenire omni enti naturali; sed quòd quædam quibusdam, alia verò aliis conueniant: vnde omnia tria principia scilicet materia, forma & priuatio istis inferioribus conueniunt; superioribus autem, scilicet cælis, sola materia & forma: cùm materia non possit esse priuata realiter suâ formâ, vt infra probabitur; & licèt Aristoteles capite septimo huius libri textu 48. dicat principia, de quibus egit, esse principia earum rerum, quæ oriuntur & intereunt: tamen non negat esse principia rerum, quæ non oriuntur, nec intereunt: nam agit de materia & forma, quæ sunt principia non solùm entis naturalis corruptibilis, sed etiam incorruptibilis.

Probatur prima pars conclusionis. Hæc definitio conuenit omnibus, ac solis principiis entis naturalis, vt patet inductione; nam materia ex nullo subiecto fit, cùm ipsa sit primum subiectum: omnia autem composita naturalia fiunt ex illa: similiter neque forma fit ex alio tanquam ex parte componente; licèt quandóque fiat ex materia, de cuius potentia educitur tanquam ex termino extrinseco suæ habitudinis; quod non contrariatur rationi principij: tandem priuatio non fit ex aliquo tanquam ex parte componente, cùm sit ens rationis simplex: aliunde verò cunctæ res naturales obnoxiæ generationi & corruptioni constant materiâ & formâ tanquam partibus componentibus, & fiunt ex priuatione tanquam ex termino à quo: ergo tradita definitio principiorum entis naturalis ab Aristotele est optima.

Secundò. Principia entis naturalis, de quibus loquimur, sunt prima principia, vt patet; ergo non possunt ex aliis fieri; aliàs ipsa non essent prima principia, sed illa ex quibus fierent, vt constat ex ipsis terminis; & propter eamdem rationem non possunt fieri ex se inuicem tanquam ex partibus componentibus; cùm totum præsupponat partem vt sui principium, ac proinde non potest esse primum principium; cùm supponat aliud prius: si autem omnia entia naturalia non fierent, aut constarent ex ipsis, non haberent rationem principij respectu entis naturalis vt sic: sed tantùm respectu aliquorum entium: ergo principia entis naturalis rectè definiuntur; quòd (nec fiant ex aliis, nec ex alterutris, sed omnia fiant ex ipsis.)

Hæc definitio sic explicatur. Per primam particulam excluduntur omnia composita quæ fiunt ex aliis, scilicet ex suis partibus componentibus. Per secundam exprimitur prioritas & simplicitas principij, & excluduntur elementa & plurima mixta, quæ ex alterutris transmutatis fiant. Per tertiam explicatur modus quo concurrit principium ad constitutionem rei naturalis, & excluduntur substantiæ separatæ & accidentia, quæ licèt sint quid simplex, tamen ex illis non fiunt res naturales; & ita hæc definitio est optima, cùm exprimat essentialem rationem principij.

Ex tradita definitione principij entis naturalis, potest formari definitio principij in communi, vt scilicet sit (primum ex quo aliquid est, fit, vel cognoscitur:) secundùm quam definitionem etiam Diuinæ Personæ comprehenduntur sub ratione principij, respectu Personæ procedentis: nec vlla excluditur causa, tam intrinseca, quàm extrinseca, siue propria, siue impropria à ratione principij: vnde & mane est principium diei; punctum, lineæ; &c. nec sola principia in esse rei comprehenduntur: sed etiam principia in esse scibilis siue cognitionis.

Probatur secunda pars conclusionis. Primò ex inscriptione horum librorum: nam inscribuntur etiam, De rerum omnium naturalium principiis: deinde quia ad eamdem scientiam ex Aristotele lib. 1. de demonstratione cap. 1. pertinet agere de materia subiecta principiis & proprietatibus ab ea fluentibus; in his autem libris agitur de proprietatibus communibus tam corporum corruptibilium, quàm incorruptibilium, scilicet de motu, loco, tempore &c. ergo etiam agitur de communibus illorum principiis, & ita definitum huius definitionis sunt principia entis naturalis, vt abstrahit à corruptibili & incorruptibili.

Ad primum ergo dicendum, quòd primariò definiuntur communia principia entis naturalis in communi: vnde non est necesse quòd ista definitio conueniat sic in communi principiis particularibus, quæ non definiuntur nisi secundariò: & ideo illa vltima partitula de qua procedit obiectio, sumitur secundùm distributionem accommodatam: vnde sensus est omnia in communi fieri ex principiis sumptis in communi: ex eisdem autem particulariter sumptis, & contractis ad aliquod genus vel speciem, fieri omnia quæ sunt illius generis vel speciei, vt omnes ignes ex materia & forma ignis &c. sicut fiunt omnes res naturales in communi ex materia & forma in communi.

Ad secundùm dicendum particulam (ex) sumi vt abstrahit ab habitudine partis componentis, & ab habitudine termini (à quo) vnde sic exponitur definitio: principia sunt quæ nec fiunt (vt quod) ex aliis, neque ex se inuicem, vel tanquam ex parte intrinseca, vel tanquam ex termino (à quo;) omnia tamen fiunt ex ipsis, vel tanquam ex partibus intrinsecis, vel tanquam ex termino (à quo.)

Ad tertium dicendum, quòd in hac definitione per ly (fieri) intelligitur fieri simpliciter, & sine addito, ac proinde fieri (vt quod:) nam propriè & simpliciter fit solummodo compositum, ex Aristotele 8. Metaph. cap. 1. & D. Thom. ibidem lect. 1. cuius rationem assignat. 1. p. q. 45. art. 4. quia partes non habent esse, sed tantùm compositum: sic autem alicui competit fieri, sicut & esse; & ideo partes & principia non fiunt ex aliis, nec ex alterutris: quod enim non fit simpliciter & sine addito, non potest dici simpliciter & sine addito fieri ex aliis: quia tamen partes sunt (vt quo) siue coëxistunt toti; sic possunt dici fieri (vt quo) vel comproduci cum toto; & sic conceditur formam materialem fieri (vt quo) ex materia tanquam ex subiecto, & à priuatione tanquam à termino (à quo:) sed hoc non est contra definitionem traditam, nam principia ex hoc ipso, quòd sunt prima, tantùm petunt non fieri ex aliis (vt quod.)

ARTICVLVS

Articvlvs II.

Vtrùm principia entis naturalis sint tantùm tria?

AD secvndvm sic proceditur. Videtur quòd principia entis naturalis non sint tantùm tria. Probatur. Non minùs procedit generatio à forma præexistente, quàm à priuatione formæ quæ generatur: quia cùm materia prima non possit esse sine vlla forma, transit à forma ad formam, & ita generatio fit à forma ad formam: ergo forma præcedens generationem est principium illius non minùs ac priuatio formæ generandæ: vnde non sunt tantùm tria principia entis naturalis.

¶ 2. Præterea, Vnio materiæ ad formam, & dispositiones præuiæ requiruntur in materia prima vt fiat generatio: constat enim, quòd nisi materia sit disposita, & actu vniatur cum forma, non erit generatio; ergo ipsa vnio & dispositiones præuiæ habent rationem principij, saltem in fieri entis naturalis, & sic principia entis naturalis sunt plura quàm tria.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd non sint tria principia entis naturalis: Probatur. Priuatio non potest esse eius principium, nec in fieri, nec in facto esse: cùm priuatio nihil sit, vel ad summum sit ens rationis: nihil autem, aut ens rationis non possunt esse principia entis realis, quale est ens naturale: deinde quando res generatur, euanescit, nec est ipsa priuatio formæ: cùm enim generatio fiat instantaneè, in eodem instanti, in quo est generatio, est etiam forma genita; & ita si quando est generatio, esset priuatio; materia simul esset cum forma, & cum priuatione eiusdem formæ, quod implicat: ergo non sunt tria principia entis naturalis.

¶ 4. Præterea, Si forma esset principium entis naturalis, esset maximè quia est terminus (ad quem) generationis: sed propter hoc non competit illi ratio principij; quia totum compositum est præcipuus terminus generationis, & tamen non habet rationem principij: ergo non sunt tria principia entis naturalis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm generatio sit vera mutatio, & in vera mutatione tria requirantur, scilicet terminus (à quo) terminus (ad quem) & subiectum: tria sunt principia in fieri entis naturalis producti per generationem, duo autem in facto esse; cùm terminus (à quo) in mutatione deperdatur.

Respondeo dicendum, quòd sunt tria, nec plura, nec pauciora principia intrinseca entis naturalis in fieri, scilicet materia, forma & priuatio. 2. Duo verò tantùm in facto esse, scilicet forma & materia. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd forma, quæ est terminus generationis; non ideo dicitur principium illius, quòd illam præcedat, imò subsequitur; vnde ex hac parte est terminus generationis, & non principium: sed dicitur principium, quia generatio substantialis intrinsecè ad illam tendit, vt ad finem, & est id à quo specificatur; nec nisi per ipsam definiri potest; illud autem quod est finis, licèt in executione sit terminus, & quid posterius, tamen est quid prius, & principium in intentione naturæ; priuatio autem & corruptio non intenduntur per se à natura; & ideo priuatio, siue corruptio formæ præexistentis, non habent rationem principij, licèt necessariò debeant præcedere generationem: nec etiam propriè habent rationem termini (à quo) quia terminus (à quo) & terminus (ad quem) dicunt oppositionem: priuatio autem solùm dicit oppositionem ad formam, quam priuat, vt patet; & ideo sola priuatio formæ genitæ est principium, & non priuatio formæ corruptæ; quæ priuatio non opponitur formæ genitæ, sed solùm formæ corruptæ.

Item sciendum est quòd licèt generatio vt actio dicat intrinsecum ordinem ad causa efficientem, imò & finalem, tamen vt mutatio est, non respicit formaliter loquendo agens aut immutans: sed consideratur vt quid medium inter agens & patiens, & abstrahens ab vtroque vt infra explicabitur, & docet D. Thom. 3. Physicorum lect. 4. & in 2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. vnde respectu illius sic consideratæ nec efficiens, nec finis sunt principia intrinseca: nomine autem principij generationis debet illud intelligi, quod per se & intrinsecè ab eadem respicitur: hic autem non agitur de generatione, vt actio, sed vt mutatio quædam est; ad Physicum enim pertinet agere de ente naturali, vt substat motui & mutationi, nam agit de illo vt constat naturâ; natura autem per se primò non est principium actionis in aliud, sed est principium motus eius in quo est, vt patet ex definitione ipsius.

Item sciendum est, quòd non licèt inferre formam viuentis esse principium formæ cadaueris, quia hæc ad illam necessariò sequitur; hæc enim necessaria consequentia non est simpliciter talis, sed tantùm secundùm quid, siue est infallibilis secundum ordinem naturæ: posset enim Deus introducere formam cadaueris in materiam, licèt in ea non præcessisset forma viuentis: in tali verò casu illud suppositum non diceretur mortuum, quia hæc denominatio requirit saltem tanquam connotatum, quòd præcesserit forma viuentis in eadem materia: ratio autem huius naturalis consequentiæ naturaliter loquendo, non est quia forma cadaueris per se petat fieri ex tam nobili termino, scilicet forma viuentis, sed quia dispositiones formæ viuentis tam facilè alterantur & destruuntur: vt ignis v. g. non possit sufficienter disponere materiam ad propriam formam in tam breui spatio, quod sufficit ad alterandas & destruendas dispositiones formæ viuentis; & ideo illis destructis, cùm non possit remanere forma viuentis, nec materia sit sufficienter disposita, vt in ea introducatur forma ignis; introducitur interim, & per accidens forma cadaueris omnium ignobilissima, ne materia remaneat sine vlla forma, quod est impossibile.

Probatur prima pars conclusionis, authoritate Philosophi in hoc primo libro cap. 7. D. Thomæ ibidem, & in principio opusc. 31. deinde in omni mutatione vt sic tria tantùm requiruntur; scilicet terminus (à quo,) terminus (ad quem,) & subiectum commune vtrique: nam mutatio est transitus subiecti de non esse ad esse ex D. Thom. 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. & alibi sæpe: sed generatio naturalis saltem secundùm communem ordinem naturæ est mutatio substantialis; cùm sit transitus materiæ primæ, quæ est primum subiectum substantiale, à non esse formæ huius substantialis ad esse illius, ex eodem D. Th. 1. p. q. 27. art. 2. ergo tantùm tria ad illa requiruntur; scilicet subiectum transiens à non esse ad esse, quod est materia prima: non esse formæ connotando in subiecto aptitudinem ad illam recipiendam, in quo consistit formaliter priuatio: & tandem forma substantialis quæ est terminus (ad quem) generationis, quia ad illam habendam subiectum mutatur, & per hoc generatio distinguitur à motu propriè dicto, qui versatur inter terminos positiuos & propriè contrarios.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi in hoc lib. textu 66. qui dicit principia entis naturalis esse quodammodo duo, & quodammodo tria; quia sunt tria in fieri, & duo in facto esse, & consentanè, vt exponit D. Thom. lect. 13. & communiter omnes Philosophi. Et ratio D. Thom. est manifesta. Nam illa sunt principia entis naturalis in facto esse quæ remanent in ipso transactâ generatione, & componunt illud intrinsecè: sed hæc tantùm sunt materia & forma: adueniente siquidem formâ iam non est ampliùs in materia priuatio talis formæ: ergo sunt duo tantùm principia entis naturalis in facto esse.

Ad primum ergo dicendum, quod materia prima ad hoc vt per generationem acquirat formam, non petit ex se esse sub alia forma, siue est per accidens ad generationem, quòd in materia præcedat alia forma; nam, si per impossibile posset esse fine vlla forma, tunc præcisè fieret generatio, quando de nouo acquireret formam; etiamsi alia

illa non præceſſiſſet: priuatio autem non per accidens, ſed per ſe requiritur ad generationem: non enim materia acquirit formam per veram & realem mutationem; niſi in ipſa præcedat eius priuatio: vnde forma præexiſtens non præcedit niſi ob imperfectionem materiæ, quæ non poteſt eſſe ſine aliqua forma.

Ad ſecundum dicendum, quòd non datur modus vnionis realiter diſtinctus à materia & forma, vt infra dicetur: quantùm autem ad diſpoſitiones dicendum quòd non ſunt ita neceſſariæ, vt non poſſit ſaltem diuinitus eſſe generatio ſine illis: hîc autem loquimur de principiis, ad quæ generatio dicit intrinſecam & ſimpliciter neceſſariam habitudinem. Deinde licèt neceſſariò requirerentur, tamen cùm pertineant ad genus cauſæ materialis reducuntur ad materiam, & cum illa vnicum efficiunt principium: ipſa verò priuatio licèt debeat in materia præeſſe ad hoc vt ad nouam mutetur formam, habet tamen ſpecialem modum concurrendi diſtinctum ab eo, quo materia concurrit: nam priuatio concurrit vt terminus (à quo) cui per ſe correſpondet terminus (ad quem:) homo enim fit ex non homine: ſi autem dicatur quòd diſpoſitiones concurrunt ad generationem in genere cauſæ efficientis, reſpondetur quòd hic concurſus eſt extrinſecus, ac proinde non pertinet ad principia intrinſeca entis naturalis, de quibus hîc loquimur.

Ad tertium dicendum, quòd priuatio eſt principium generationis intrinſecum, quia intrinſecè reſpicitur ab illa per modum termini (à quo;) ad hoc autem non requiritur vt ſit quid poſitiuum, ſed ſufficit quòd ſit realis carentia formæ: ſicut & ſufficit, quòd inſit materiæ immediatè ante inſtans generationis, & neceſſariò debet deſinere in ipſo inſtanti generationis, cùm ſit tantùm principium per modum termini (à quo:) conſtat autem quòd deperditur terminus (à quo) quando acquiritur terminus (ad quem) & ob id eſt principium entis naturalis in fieri & non in facto eſſe.

Ad quartum dicendum, quòd compoſitum eſt ipſum ens naturale, de cuius principiis hîc agimus: vnde terminat generationem vt principiatum, & non vt principium: forma autem ita terminat generationem, vt conſtituat intrinſecè compoſitum dando illi formaliter eſſe.

Articvlvs III.

Vtrùm ratio principij conueniat vniuocè his tribus?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd ratio principij conueniat vniuocè his tribus. Probatur. Iſta tria verè concurrunt ad generationem, & ita perfectè participant rationem principij; quòd autem inæqualiter concurrant, hoc ſe tenet ex parte modi concurrendi, qui eſt differentia reſpectu principij: concurrit enim priuatio vt terminus [à quo,] forma vt terminus [ad quem,] materia verò vt ſubiectum; conſtat autem quòd inæqualitas proueniens ex differentiis non tollit vniuocationem in ratione generica: ergo ratio principij conuenit vniuocè his tribus.

§ 2. Præterea, Ratio ſcibilis poteſt eſſe communis vniuocè reſpectu entis realis & rationis; cùm enim Logica conueniat vniuocè cum aliis ſcientiis in ratione ſcientiæ: etiam obiectum eius, quod eſt ens rationis, conuenit vniuocè cum obiectis realibus aliarum ſcientiarum; cùm non poſſit eſſe maior vnitas inter ſcientias, quàm inter ſcibilia, à quibus ſpecificantur; ergo etiam ratio principij eſt vniuoca reſpectu materiæ & formæ, quæ ſunt entia realia, ac reſpectu priuationis, quæ eſt ens rationis, vt conſtat ex paritate rationis.

§ 3. Præterea, Ratio oppoſitionis conuenit vniuocè quatuor membris, licèt in contrariis & relatiuis vtrumque extremum ſit poſitiuum, in priuatiuis autem & contradictoriis vnum tantùm extremum ſit poſitiuum, aliud autem ſit negatio vel priuatio; per hoc præcisè quòd ratio oppoſitionis ſolùm dicat incompoſſibilitatem aliquorum, in quo omnia oppoſita nullo modo differunt: ergo etiam ratio principij, cùm ſolùm importet concurſum intrinſecum ad generationem, (in quo non differunt iſta tria) vniuocè conuenit priuationi, ac materiæ & formæ: licèt hæc duo ſint entia realia, priuatio autem ens rationis.

Sed contra eſt authoritas Philoſophi in præſenti, quem communiter ſequuntur omnes; noſtri Complutenſes diſp. 5. q. vnicâ, Soto &c.

Conclvsio.

Cùm ratio principij inæqualiter participetur ab his tribus, non conuenit illis vniuocè.

Respondeo dicendum, quòd eſſentia, ſiue ratio principij non conuenit vniuocè materiæ, formæ & priuationi. 2. Sed tantùm analogicè analogiâ proportionalitatis.

Probatur prima pars concluſionis. Enti, & non enti vt ſic nihil poteſt conuenire vniuocè, vt conſtat, cùm in nullo conueniant æqualiter, & ſimpliciter differant, etiam in ratione entis; ac proinde in aliis rationibus inferioribus: ſed ratio principij, quæ eſt in priuatione, non eſt aliquid poſitiuum & reale; at merum non ens: materia autem & forma etiam in ratione principij, ſunt aliquid reale poſitiuum: nam priuatio eſt principium generationis per modum termini [à quo,] ac proinde quatenus principium, eſt tantùm quid priuatiuum: nam terminus [à quo] generationis ſubſtantialis eſt non eſſe, cùm generatio ſit tranſitus à non eſſe ad eſſe: materia autem eſt principium generationis per modum ſubiecti, in quo exercetur generatio; ac proinde vt principium eſt aliquid reale poſitiuum; ſimiliter forma eſt principium generationis per modum termini [ad quem) qui ſine dubio eſt aliquid reale; & ſic forma vt principium, eſt aliquid reale: quod totum declaratur in definitione generationis, eſt enim tranſitus ſubiecti de non eſſe ad eſſe: ergo ratio principij non conuenit vniuocè priuationi, ac materiæ, & formæ.

Secundò, Ratio principij non participatur æqualiter ab his tribus: non enim perfectè ſed ſecundùm quid tantùm participatur à priuatione. Primò quia non omnia entia naturalia fiunt ex illa realiter: nam cœleſtia & incorruptibilia, vt ait Philoſophus 1. de cœlo cap. 3. & infra probabimus, non fiunt ex priuatione, productio ſiquidem eorum non fuit generatio de priuatione formæ ad formam procedens: ſed creatio. Secundò quia nec corruptibilia, quæ ex priuatione fiunt, dependent ex illa vt à parte: ſed tantùm vt à termino extrinſeco [à quo.] Tertiò tandem quia non pendent ex illa in facto eſſe, & conſeruari: ſed tantùm in fieri: à materia verò & forma pendent omnia compoſita naturalia, ſiue corruptibilia, ſiue incorruptibilia tanquam à partibus intrinſecè componentibus, tam in fieri, quàm in facto eſſe: ergo ratio principij non conuenit vniuocè iſtis tribus. Quòd nec etiam conueniat vniuocè materiæ & formæ conſtat, nam conuenit perfectiori modo formæ; concurrit enim perfectiori modo ad compoſitionem entis naturalis, cùm ſit ipſa perfectior materiâ: dans eſſe eſſentiale ſpecificum, ad quam conſequitur exiſtentia, proprietates &c.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Ratio principij conuenit iſtis tribus verè ſimpliciter: Ariſtoteles enim, & alij Philoſophi vocant ea abſolutè principia entis naturalis: & illis conuenit definitio principij: non vniuocè, vt dictum eſt: ergo analogicè: non analogiâ attributionis; quia in his analogis ratio analoga ſolùm conuenit per ſe ſimpliciter principali analogato, aliis verò per ordinem & attributionem ad illud, quod non contingit in præſenti; cùm vnumquódque ex his tribus ſit principium in diuerſo ordine, ſiue ſecundùm diuerſam rationem: materia per modum ſubiecti; priuatio vt terminus [à quo;] forma verò vt terminus [ad quem;] ac proinde ſine dependentia vnius ab alio, & attributione vnius ad aliud: ergo analogiâ proportionalitatis: ſcilicet quòd ſicut materia ſe habet vt ſit principium entis naturalis per modum ſubiecti; ſic ſe habet priuatio vt ſit principium per modum termini [à quo;] & forma per modum termini [ad quem.]

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd quando ratio superior conuenit secundùm se inferioribus æqualiter, tunc est vniuoca: licèt differentiæ sint inæquales, vt patet in animali, quod essentialiter dicit rationem viuentis sensitiui, quæ ratio reperitur æqualiter in omnibus speciebus animalis intensiuè loquendo: licèt non reperiatur æqualiter extensiuè, vt patet; nam animalia perfectiora sunt sensitiua pluribus modis, siue per plures potentias: hæc tamen inæqualitas prouenit ex parte differentiæ specificæ: ratio autem principij non participatur æqualiter ab his tribus: imperficitur enim, aut perficitur ab ipsis modis, siue differentiis, non solùm extensiuè, sed etiam intensiuè.

Ad secundum dicendum, quòd est magna disparitas, nam ad rationem scibilis materialiter se habet in ente rationis, quòd sit non ens, cùm alius sit ordo, & ratio scibilium, & alius ordo rerum: formale enim scibilis in hoc solùm consistit, quòd habeat passiones demonstrabiles: vnde ratio scibilis, licèt admittatur esse vniuoca: non tamen est communis entis & non entis, vt est formaliter non ens: priuatio autem vt principium est, ab intrinseco petit vt quid formale, quòd sit non ens: cùm sit principium per modum termini (à quo) ac proinde formaliter dicat, quòd sit carentia entitatis, materia autem & forma secundùm proprium modum principiandi sunt aliquid reale positiuum.

Ad tertium dicendum, quòd ratio oppositionis non conuenit vniuocè, sed analogicè analogiâ proportionalitatis quatuor illis membris: sicut & ratio principij istis tribus propter eamdem rationem: nam in oppositione priuatiua & contradictoria, habet se vt formale, quod vnum extremum sit non ens.

Articvlvs IV.

Vtrùm principia entis naturalis non solùm sint contraria, sed sint prima contraria?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd principia entis naturalis non sint prima contraria, imò nec contraria. Probatur. Illa non sunt prima contraria, quibus non competit prima & propria contrarietas, vt patet ex ipsis terminis: sed principiis entis naturalis non competit prima & propria contrarietas; hæc enim solùm competit quatuor primis qualitatibus: nam contraria propriè dicta sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto se mutuò expellunt; quod non conuenit principiis entis naturalis; quæ nec possunt dici prima contraria contrarietate latè sumptâ scilicet priuatiuâ: quia hæc contrarietas multis aliis conuenit, quàm primis principiis entis naturalis; nam ex Aristot. in hoc libro textu 50. & 56. datur in quolibet genere vna prima contrarietas; ac proinde prima contraria: nam sicut contrarietas est inter contraria; sic prima contrarietas inter prima contraria: ergo principia entis naturalis non sunt simpliciter prima contraria, siue contrarietate propriâ, siue impropriâ.

§ 2. Præterea, ex Aristotele cap. de substantia: substantiæ nihil est contrarium; sed materia & forma quæ sunt duo principia entis naturalis sunt substantiæ: ergo non modo non sunt inter se contraria, sed nec ipsis est aliquid contrarium, vnde nec priuatio contrariatur formæ: & sic principia entis naturalis non sunt prima contraria.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis hîc cap. 5. & D.Thom. ibidem, quos communiter sequuntur Philosophi.

Conclvsio.

Cùm prima contraria sint prima principia: prima principia sunt prima contraria.

Respondeo dicendum, quòd principia entis naturalis in facto esse scilicet materia & forma, nec prima contraria, nec contraria sunt 2. principipia autem entis naturalis in fieri, non omnia 3. sed aliqua, scilicet forma & priuatio non solùm sunt contraria, sed sunt prima contraria. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd licèt definitio principiorum entis naturalis tradita ab Aristot. & iam examinata conueniat etiam primis contrariis, vt statim explicabitur: non tamen sequitur quòd omne, quod est primum principium entis naturalis, sit primum contrarium respectu cuiuscumque alterius primi principij eiusdem entis naturalis: sed debet esse sensus indefinitus, quòd scilicet dantur prima principia, quæ sunt prima contraria: vnde licèt ratio primi principij, & primi contrarij aliquando inter se vniantur, siue in eodem reperiantur: nunquam tamen formalissima ratio vnius est formalissima ratio alterius.

Probatur prima pars conclusionis. Contraria se mutuò expellunt, quia sunt contraria, vt patet inductione in omnibus: sed materia & forma, quæ sunt principia entis naturalis in facto esse, non se expellunt: imò materia recipit in se formam, & ita vniuntur vt fiant simpliciter vnum compositum: ergo principia entis naturalis in facto esse, nec prima contraria, nec contraria sunt prout hîc loquimur de contrariis: quamuis possint dici aliquo modo contraria inquantum habent conditiones, & proprietates contrarias: nam materia est potentia, forma verò actus, &c.

Probatur secunda pars conclusionis. Principia entis naturalis in fieri sunt materia, forma & priuatio: sed materia nec est contraria formæ, nec priuationi: cùm sit commune subiectum vtriúsque transiens de priuatione ad formam: ita vt sit modo sub priuatione, postea sub forma: constat autem quòd contraria se mutuò expellunt ab eodem subiecto; itavt non sint simul compossibilia, nec per instans, si sint priuatiua: si verò sint contraria propriâ contrarietate, & intensibilia ac remissibilia, se paulatim excludunt: nam quò magis intenditur vnum, aliud magis remittitur: si autem materia non est contraria formæ, aut priuationi; nec forma aut priuatio sunt contraria materiæ: ergo non omnia principia entis naturalis in fieri sunt materia.

Probatur tertia pars conclusionis. Prima contraria sunt prima principia, nam prima principia definiuntur, vt supra dictum est, (quæ nec fiunt ex aliis,) alioquin non essent prima (nec ex alterutris) aliàs essent simul principia & principiata, vnde non essent simpliciter principia; (sed ex ipsis omnia fiunt) cùm sint prima principia simpliciter: constat autem quòd illa quæ sunt huiusmodi sunt prima contraria; nam prima contraria simpliciter non fiunt ex aliis, nec ex alterutris: nam hoc ipso quòd sunt prima, non possunt fieri ex aliis, nec ex se inuicem: ex ipsis verò omnia fiunt: nam omnia quæ per se generantur fiunt ex suis contrariis, vt docet D.Thom. 1. p. q. 46. art. 1. ad 3. (nota hoc intelligendum quando aliquid fit primò & per se: non autem quando fit concomitanter, siue consecutiuè & per accidens; sicut quando ex homine pallido fit cadauer pallidum: tunc enim pallidum non fit ex suo contrario) nec refert quòd omnia, quæ generantur per se fiant ex suis contrariis tantùm vt à termino (à quo:) hoc enim sufficit ad rationem principij, vt dictum est: nam priuatio est verum principium, & tamen non concurrit nisi vt terminus (à quo:) quòd verò alia principia sint partes intrinsecæ entis naturalis: hoc illis non competit vt sunt principia, sed vt talia principia, scilicet per modum subiecti, & per modum termini (ad quem:) & ita patet quòd prima contraria sunt prima principia: cùm eodem modo definiantur: ergo prima principia aliqua sunt prima contraria: scilicet forma & priuatio. Patet consequentia, procedit enim per simplicem conuersionem propositionis indefinitæ: ex quo sequitur quòd licèt non omnia prima principia sint contraria: tamen prima principia contraria, sunt prima contraria.

Ad primum ergo dicendum, quòd prima principia entis naturalis non sunt contraria contrarietate propriâ: substantia enim non habet contrarium propriâ contrarietate: talis enim contrarietas solùm conuenit qualitatibus: sed sunt contraria contrarietate latè sumptâ, scili-

eet contrarietate ſiue oppoſitione priuatiuâ, quæ reperitur inter formam & eius priuationem : cùm enim ſermo ſit de primis principiis, ac primis contrariis, quæ ſunt prima primitate ſimpliciter : debet etiam intelligi de contrarietate, quæ ſit radix & origo cæterarum omnium contrarietatum, qualis eſt iſta contrarietas priuatiua inter formam & eius priuationem : quæ eſt radix & primum principium efformationis ſubſtantiæ totalis, & cùm à ſubſtantia dependeant accidentia; itavt nou poſſint eſſe ſine illa, conſequenter contrarietas accidentium ſuo modo pendet tanquam à prima radice ab hac contrarietate priuatiua ex D.Thom. ibidem lect. 10. vnde licèt ſit concedenda vna prima contrarietas in quouis genere, vt ait Ariſtoteles, & ſit vera oppoſitio priuatiua, vt ait D.Th. loco citato : quæ optimè vocatur prima contrarietas: contrarietas quidem, quia quæ ſic opponuntur, ſe interimunt inſtar illorum, quæ ſunt propriè contraria : prima verò, quia oppoſitio priuatiua in omni ſimpliciter includitur contrarietate: omnia enim contraria ſpecie diſtinguntur vna autem ſpecies excedit aliam in perfectione; vnde quæ eſt imperfectior dicit priuationem perfectioris : & ita oppoſitio priuatiua eſt communior, vniuerſalior & prior aliis : tamen illa prima contrarietas, quæ eſt in quouis genere accidentium, non eſt prima primitate ſimpliciter, ſiue primitate cauſalitatis, de qua hîc agimus; ſed ſolùm illa quæ inter formam ſubſtantialem, & eius priuationem, vt explicatum eſt. Ex dictis patet ad ſecundum.

QVÆSTIO III.

De Primo Principio entis naturalis, ſcilicet materia Prima.

EXAMINATIS iis quæ pertinent ad principia entis naturalis in communi; examinanda ſunt, quæ pertinent ad eadem principia in particulari ſumpta: & primò occurrit materia prima, quæ eſt primum principium inter alia, vtpote fundamentum aliorum, & ſubiectum, in quo aliorum contrarietas exercetur : circa ipſam autem quæruntur octo.

¶ Primò, Vtrùm materia prima ſit à parte rei, & quid ſit?

¶ Secundò, Vtrùm materia ſit omnino pura potentia?

¶ Tertiò, Vtrùm materia prima habeat ex ſe vnitatem ſpecificam & numericam?

¶ Quartò, Vtrùm materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam?

¶ Quintò, Vtùm materia prima de potentia abſoluta poſſit exiſtere ſine vlla forma?

¶ Sextò, Vtrùm materia prima ſit ingenerabilis & incorruptibilis?

¶ Septimò, Vtrùm materia prima habeat appetitum ad formas?

¶ Octauò, Vtrùm materia prima ſit radix corruptionis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm materia prima ſit à parte rei, & quid ſit?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd materia prima non ſit à parte rei. Probatur. Omne quòd eſt à parte rei continetur in aliquo prædicamento reali, ſi ſit creatum; nam prædicamenta ſunt receptacula omnium entiom : ſed materia prima non continetur in aliquo prædicamento; nam ex Ariſtotele 1. Metaphyſicæ textu 8. materia prima neque eſt quid, neque quantum, neque quale, neque aliud eorum quibus ens determinatur : ergo materia prima non eſt à parte rei.

¶ 2. Præterea, Quod eſt à parte rei eſt aliquo modo actu, cùm ſit omnino pura potentia : ergo materia prima non eſt à parte rei.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis hîc & alibi ſæpe, quem ſequuntur non ſolùm Philoſophi, ſed & ſancti Patres & Theologi cum Magiſtro in 2. d. 12. & D.Thom. 1.p. q.66. art. 4.

CONCLVSIO.

Cùm materia prima ſit ſubiectum mutationis ſubſtantialis ſiue generationis : verè eſt à parte rei.

RESPONDEO dicendum, quòd datur in rerum natura materia prima, quæ eſt verum ens reale, & vera ſubſtantia realis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt materiam primam diuerſis appellari nominibus : appellatur enim chaos, mater, matrix, turpis, malefica ſiue adultera, per ſe ignota, tenebræ, prope nihil &c. Hæc omnina appropriantur illi ob diuerſos eius effectus his nominibus expreſſos : dicitur enim chaos ab antiquis Philoſophis & à Magiſtro in 2. d. 12. quia confusè in eius potentia continentur rerum omnium formæ : dicitur mater, quia eſt principium paſſiuum generationis : dicitur matrix, quia recipit, fouet & conſeruat omnes formas : dicitur turpis ſiue incompoſita ex D.Thom. 1.p.q.66. art. 1. quia cùm ſit pura potentia, ex ſe caret omni decore : cùm omnis decor ſit per actum : dicitur malefica, ſiue adultera, quia vt fruatur aliis formis quibus caret, machinatur necem propriæ formæ quam actu poſſidet : dicitur per ſe ignota ex Ariſtotele 3. Metaph. lect. 1. apud D. Th. quia non eſt cognoſcibilis niſi per formam, cùm nullam ex ſe habeat actualitatem, ſed ſolùm per formam, & propter hoc etiam dicitur tenebræ : dicitur tandem eſſe prope nihil ex Aug. 12. confeſſionum; quia in genere ſubſtantiæ habet minimum entitatis.

Probatur concluſio breuiter ſed efficaciter. In omni mutatione datur aliquod ſubiectum quod tranſeat de non eſſe ad eſſe, ſiue quod maneat ſub vtróque termino ſcilicet priuatione & forma, aliàs ſi nihil remanet de re, quæ mutatur ſubſtantialiter v. g. quando ex ligno fit ignis, iam corruptio ligni, eſſet annihilatio, & productio ignis, creatio : vt patet; quia nihil remanet de corrupto ligno, & totus ignis producitur : & ſic nulla eſſet generatio ſubſtantialis, quæ fit ex præſuppoſito ſubiecto; quod tamen eſt contra communem conſenſum Philoſophorum admittentium generationem ſubſtantialem, quæ eſt vera mutatio ſubſtantialis, & ita in illa datur aliquod ſubiectum, quod tranſeat de non eſſe ſub forma ſubſtãtiali ad eſſe ſub illa; quod ſubiectum eſt primum non ſupponens aliud (nam deueniendum eſt ad aliquod primùm, cùm in cauſis ſubordinatis non detur proceſſus in infinitum :) ſed tale ſubiectum vocatur materia prima : ergo datur in rerum natura materia prima; quæ cùm ſit pars intrinſeca compoſiti ſubſtantialis, quod conſtituit vnita ſuæ comparti, ſcilicet formæ, eſt verum ens reale, & vera ſubſtantia realis : cùm enim totum compoſitum ſit vnum per ſe & ſubſtantia totalis; partes componentes debent eſſe ſubſtantiæ partiales.

Definitur materia prima à Philoſopho dupliciter; primò per negationem ſic : *Materia prima nec eſt ſubſtantia, nec quanta, nec qualis &c.* Per hanc autem definitionem deſcriptiuam voluit ſignificare, quàm ſit diminutum ens, & ſubſtantia. Secundò ſic definit in hoc libro : *Materia prima eſt ſubſtantia, quæ ita ſe habet ad formas ſubſtantiales, ſicut æs, vel lignum ad artificiales* : Hanc definitionem admittit D. Thom. opuſc. 31. cap. 1. nota tamen quòd ly (æs vel lignum) non comparantur materiæ, ex qua parte ſunt quid completum; ſed ex hoc quòd ſunt pura potentia ad formas artificiales. Tertiò tandem ſic definit cap. vltimo huius libri textu 82. *Materia eſt primum ſubiectum vniuſcuiúſque, ex quo aliquid fit cùm inſit non ſecundùm accidens* : Hæc definitio meliùs exprimit naturam materiæ, & admittitur à D. Thom. lect. vltimâ huius libri, & ab aliis communiter : in hac definitione ly (ſubiectum habet) locum generis; nam in eſſe ſubiecti conuenit cum materia ſecunda : per ly autem (primum) diſtinguitur ab illa; per ly autem (cùm inſit) diſtinguitur à priuatione : per ly denique (non ſecundùm accidens) oſtenditur quòd

ex

ex materia & forma vnitis fit vnum per se substantiale.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 7. Metaphysicæ lect. 2. Philosophum solùm velle quòd oportet subiectum mutationis & motus alterum esse per se loquendo ab vtróque terminorum motus : vnde cùm materia sit primum subiectum substans non solùm motibus, qui sunt secundùm qualitatem, quantitatem & alia accidentia : sed etiam mutationibus, quæ sunt secundùm substantiam : oportet quòd materia sit alia secundùm suam essentiam ab omnibus formis substantialibus, & earum priuationibus, & non solùm quòd sit aliud à quantitate, qualitate & aliis accidentibus.

Ad secundum dicendum, quòd materia dicitur ens in potentia, siue pura potentia à D. Thom. 1. p. q. 5. art. 3. ad 3, quia ex eodem D. Thom. 1. contra gentes cap. 25. & q. 1. de veritate art. 1. ens sumitur ab actu essendi, siue ab essentia : res verò à quidditate, vnde cùm materia prima non habeat actum essendi, siue existendi ex se; sed tantùm in potentia, & à forma, vt infra dicetur ex D.Th. ideo dicitur materia prima esse ens in potentia, & tamen est vera res, & vera pars essentiæ totalis compositi; & ita dicit D.Th. q.3. de veritate art. 5. ad 2. quòd etsi materia non habeat propriè essentiam, attamen est pars essentiæ : licèt autem materia prima per hoc quòd sit primum subiectum sufficienter distinguatur ab aliis : aliæ tamen particulæ addantur maioris explicationis gratiâ, quia materia ob minimam entitatem suam est valde ignota.

Articvlvs II.

Vtrùm materia prima sit omnino pura potentia?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd materia prima non sit omnino pura potentia, sed quòd habeat actualem entitatem, quæ vel sit actualitas quædam, vel saltem intrinsecè includat actualitatem aliquam, quam vocant actum entitatiuum : ita tenent Scotus in 2. d.12. q.1. Suares tom.1. Metaph. disp.13.sect.4. Fonseca lib.5. Metaph. cap.8. q.5. sect.9. Toletus & alij. Probatur. Omne ens creatum est participatum à primo ente quod est actus purissimus : sed materia prima est ens creatum : ergo participatum à primo ente, & ita est quædam participatio ipsius : ac proinde assimilatur ei aliquo modo in actualitate : vnde non est omnino pura potentia, sed cum excludat omnem actum Physicum, saltem habebit actum entitatiuum : quæ ratio est D.Thom.q.3.de veritate art.5. ad 1. vbi sic ait. *Licèt materia prima sit informis tamen inest ei imitatio primæ formæ, quantumcúmque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis.*

§ 2. Præterea, Materia prima est vera pars realis & substantialis intrinsecè componens ens naturale : vt communiter docent Philosophi : ergo est realis & actualis entitas : ac proinde includit actum entitatiuum quo constituitur formaliter in esse actualis entitatis. Deinde ex D.Thom. 3. contra gentes cap.20. materia prima est bona : sed cui conuenit actu esse bonum, conuenit etiam habere actum bonitatis : ergo & actum entitatis, siue entitatiuum : nam cùm bonum sequatur ad ens, actus bonitatis sequitur ad actum entitatis.

§ 3. Præterea, Materia prima est verè producta, ac proinde est extra potentiam, non solùm obiectiuam, sed etiam productiuam; aliàs non est à parte rei, nec aliquid reale; quod enim est tantùm in potentia causæ, non est in se, nec à parte rei : ergo est actu, ac proinde habet suum actum entitatiuum : omne enim quod est extra potentiam causæ, est in se actu; vt patet.

Sed contra est expressa authóritas Aristotelis, D.Thom. & omnium Thomistarum : & aliquorum extra scholam D.Th. vt Conimbricensium, Ruuij, &c.

Conclvsio.

Cum materia prima sit primum subiectum : est omnino pura potentia.

Respondeo dicendum, quòd materia prima est omnino pura & realis potentia; ita vt nullum secundùm se habeat actum etiam entitatiuum. 2. non ita tamen quòd non habeat propriam entitatem condistinctam ab entitate formæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, hanc difficultatem non procedere de quocúmque actu : scilicet an materia ita sit pura potentia, vt non sit actus omnino primus, qualis est formæ substantialis; aut actus subsistentiæ & existentiæ; aut actus secundus & accidentalis scilicet operatio; certum enim est quòd nullus ex his actibus potest esse essentialis materiæ primæ, vt infra dicetur : sed tantùm procedit de quodam actu quem iuniores vocant actú entitatiuum, dicentes illum esse vniuersalem & transcendentalem respectu omnium rerum, quia cuilibet rei eo ipso quòd sit à parte rei, debet conuenire realis & actualis entitas opposita potentiali & obiectiuæ.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis & D.Thom. multis locis. Aristoteles in hoc lib. textu 69. docet ita se habere materiam primam ad res naturales, sicut res naturales ex se ad artificiales : sed istæ ex se nullum includunt artificialem actum : ergo nec materia vllum actum naturalem. Item 8. Metaph. cap.1. sic ait : *Materiam eam dico, quæ non est actu hoc aliquid, sed potentiâ.* D.Th.1.p.q.7.art.2.ad 3.sic ait : *Materia prima non existit in rerum natura per seipsam, cùm non sit ens in actu, sed potentia tantùm.* Item 1.contra gentes c.43. ait : *In rebus inuenitur aliquid quod est potentia tantùm, vt materia prima, & aliquid quod est actus tantùm, vt Deus, & aliquid quod est actus & potentia, vt res cæteræ.*

Secundò, omnes definitiones materiæ primæ, quas afferunt Aristoteles & D.Th. ac communiter acceptantur, secundùm omnes suas partes exprimunt materiam primam esse puram & nudam potentiam, & nihil est quod rationem actus exprimat : vt patet ex ipsis verbis : ergo cùm definitio explicet naturam rei, materia prima secundùm se nullum dicit actum : definitio enim explicat rem secundùm id, quod in se est à parte rei, nec gradus superiores, qui in qualibet re includuntur, possunt opponi gradui vltimo, cùm sint idem à parte rei : ens enim inclusum in substantia, est substantia : in accidente verò accidens, & sic de aliis ex D.Th.q.1. de veritate art.1. & q.7. de potentia art. 3. ad 4. & ita si materia prima secundùm suum gradum vltimum, & quasi differentialem sit pura potentia, nullum dicens actum etiam entitatiuum, vt admittunt aduersarij : sic erit etiam pura potentia secundùm gradus superiores etiam transcendentales : nam sicut repugnat rationem potentiæ imbibi in aliquo gradu superiori etiam transcendentali, & non dici de vltima, & propria ratione alicuius specialis modus potentialis : sic repugnat actum includi in gradu superiori, & non dici de vltima ratione alicuius specialis modus actus : vnde cùm aduersarij fateantur materiam primam nullum includere actum secundùm suam vltimam rationem differentialem, debent etiam fateri quòd nullum dicat actum siue actualitatem secundùm gradus superiores.

Tertiò, ex Aristotele 9. Metaph. textu 1. item lib. 6. textu 4. ac D.Thom. ibidem lect.2. ens diuiditur in actum & potentiam (quæ vt concedit Suares in indice [illegible] Metaphysicæ non significant rem vt possibilem, & eandem vt actualem; nam aliàs hæc diuisio non esset diuisio entis in diuersas res aut entia, sed in diuersos status eiusdem rei :) ergo per hoc præcisè quòd aliquid sit pura potentia realis, & excludat à se omnem actum, poterit habere rationem entis realis (nam membra diuidentia debent includere diuisum, & inter se formaliter opponi :) ac proinde materia prima potest habere, & habet veram ac realem essentiam, absque eo quòd intrinsecè includat actum siue actualitatem.

Quartò, si materia prima includat actum, vel componitur ex ipso actu, quem dicit, & sua potentialitate : vel ipsa tota est actus : non primum, aliàs amitteret rationem primi subiecti : nec secundum; quia omnis actus, vel est informans, & sic supponit subiectum, & consequenter non conuenit materiæ, cùm sit primum subiectum; vel est actus per se subsistens : constat autem quòd materia prima

ma

ma non poteſt dici actus per ſe ſubſiſtens, cùm talis actus dicat maximam perfectionem, & maiorem quàm actus informans, quod non non compatitur cum imperfectione materiæ: ergo materia prima nullum dicit actum etiam entitatiuum, ac proinde eſt omnino pura potentia.

Vnde non eſt verum potentiam obiectiuam ſemper expleri per actum: aliquando enim expletur per actum, aliquando verò per realem potentiam realiter productam, ſi res illa quæ poſſibilis dicitur, fuerit ens quod ſit intrinſecè realis potentia: nam potentia obiectiua eſt tantùm quædam non repugnantia eſſendi in tota entis realis latitudine, & ſic cùm intra totam eſſendi latitudinem ratio realis potentiæ contineatur, per illam talis poſſibilitas aut potentia obiectiua poterit expleri; ſicut poſſibilitas actus per actum expletur; imò implicat vt poſſibilitas, quam habet realis potentia ad hoc vt ſit, per aliud expleatur, quàm per realem potentiam realiter productam, ſiue poſitam à parte rei: idem enim eſt id quod eſt obiectiuè, & poſſibile cum ſeipſo realiter producto: ex quo colligimus quòd illa potentia obiectiua, non eſt vera potentia: potentia verò receptiua eſt vera potentia: ipſi enim ſecundùm propriam diuerſitatem correſpondet diuerſitas actuum: nam tot modis dicitur potentia, quot actus: non autem correſpondet actus potentiæ obiectiuæ, cùm ſit ſolùm quædam non repugnantia & realis tantùm denominatio extrinſeca deſumpta à potentia actiua illius agentis, quod poteſt talem rem ponere extra cauſas.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Materia prima eſt vera pars compoſiti naturalis, quod conſtat & componitur ex materia & forma, vt fatentur omnes Phyſici: ergo materia prima habet propriam entitatem condiſtinctam ab entitate formæ ſubſtantialis ſuæ compartis.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt materia prima non ſit actus; quia tamen eſt ens & ſubſtantia, verè eſt ſimilis Deo aliquo modo ratione harum formalitatum; quamuis imperfectè: non quà ratione Deus eſt actus puriſſimus; ſed vt eſt primum ens, & prima ſubſtantia: & hoc ſignificauit D. Thom. poſtquam enim dixerat quòd materia prima erat imitatio primæ formæ, expreſſit ſub qua ratione his verbis: quantumcúmque enim debile eſſe habeat; illud tamen eſt imitatio primi entis.

Ad ſecundum dicendum ex Ariſt. 6. Metaph. textu 4. & D.Thom. ibidem lect.2. quòd aliud eſt aliquid eſſe realem entitatem, quæ ſit in actu: aliud verò eſſe reipſa realem entitatem, ad primum enim requiritur, quòd talis entitas, vel ſit actus, vel quòd includat actum; cùm ſit impoſſibile ex D.Thom. 1.p. quæſt.66. art.2. eſſe aliquid actu; quin vel ipſum totum ſit actus & forma; vel habeat actum & formam: ad hoc verò quòd aliquid ſit reipſa realis entitas, ſufficit quòd non ſit purum nihil, quidquid aliud reale ſit: ad hoc autem quòd materia prima componat vt vera pars totum Phyſicum, ſufficit, vt ſit realis entitas realiter producta, non autem quòd includat aliquam actualitatem; imò ſi includeret, non poſſet eſſe pars materialis totius, quæ debet eſſe pura potentia receptiua actus; vt ſic ex ipſa, & ex actu fiat vnum: nunquam tamen debet dici ens ſimpliciter & ſine addito: ſed ens in potentia. Ad aliud dicendum, quòd licèt materia prima ſit reipſa bona compoſito: tamen abſolutè ſecundùm ſe non eſt bona; nam eſſe actu bonum, eſt effectus formalis alicuius actus ex D.Thom. vnde eſt tantùm bona potentiâ, & eius bonitas in puræ potentiæ bonitate conſiſtit; nam eo modo, quo aliquid eſt ens, eſt etiam bonum.

Ad tertium dicendum, quòd id quod eſt in potentia obiectiua tantùm, eſt purum nihil, nec eſt à parte rei: quod autem eſt pura potentia ſubiectiua ſiue receptiua formæ, poteſt eſſe realiter aliquid extra nihil, ſaltem in ſuo toto: licèt excludat omnem actum.

Articvlvs III.

Vtrùm materia prima habeat ex ſe vnitatem ſpecificam & numericam?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd materia prima habeat ex ſe vnitatem ſpecificam & numericam poſitiuè: ita vt quælibet portio materiæ primæ habeat ſuam vnitatem numericam: ipſa autem tota materia ſublunaris ex ſe ſit vna ſpecie, non quidem completâ, ſed incompletâ, quæ vnitas & ratio ſpecifica eſt inuariabilis in ipſa: pro diuerſitate tamen formarum diuerſas habet ſpecificationes extrinſecas & aduentitias. Ita tenent Suares tom. 1. Metaph. diſp. 13. ſect. 5. alij autem vtuntur diſtinctione, dicentes quòd ſi materia prima conſideretur ſecundùm ſuum eſſe reale obiectiuum, habet ex ſe propriam ſpecificationem, licèt incompletam, & illi ſic conſideratæ eſt extrinſeca & accidentalis ſpecificatio, quam habet à forma: & in hoc conueniunt cum Suare; ſi verò ſumatur, prout illud eſſe obiectiuum eſt executioni mandabile, ſiue vt dicit ordinem ad exiſtentiam; tunc materia non habet propriam ſpecificationem, ſed tantùm illam habet à forma & compoſito. Probatur. Materia prima eſt ens eſſentialiter poſitiuè (loquimur de materia prima iam producta:) ergo eſt vna eſſentialiter poſitiuè: cùm vnum ſit proprietas entis ipſum neceſſariò conſequens: ergo vna ſpecie poſitiuè, nam vnitas eſſentialis, idem eſt, ac vnitas ſpecifica: ac proinde quælibet eius portio eſt vna numero poſitiuè.

¶ 2. Præterea, Quælibet potentia deſumit ſuam ſpeciem ab actu, vel ab obiecto adæquato, quod reſpicit: ſed omnes materiæ ſublunares reſpiciunt eumdem actum adæquatum, nam quælibet portio materiæ reſpicit formam amiſſibiliter informantem, ſaltem vagè ſumptam: nam quælibet portio eadem perſeuerans poteſt quâcúmque amiſſibili formâ informari: ergo eſt vna ſpecies totius materiæ ſublunaris: & ita conuenit genere cum materia cœleſti: quia vtráque eſt pura potentia reſpiciens actum informantem, & differt ſolùm ex parte actus quem reſpicit: nam materia ſublunaris reſpicit actum amiſſibilem; cœleſtis verò inamiſſibilem; & hæc differentia eſt ſpecifica: vnde cùm materia prima ſublunaris per ſe reſpiciat formas ſubſtantiales, vt amiſſibiles; eſt ipſi accidentale, quòd ſit talis aut talis forma: & ita ſpecificatio, quam habet à tali & tali forma eſt extrinſeca & aduentitia.

¶ 3. Præterea, Quod omnes portiones materiæ ſublunaris diſtinguantur numero; Probatur. Idem numero non poteſt eſſe in multis ſimpliciter, vt pars illorum: ſed materia prima in communi eſt in multis, vt pars illorum; componit enim actu ens naturale cum forma, & hæc materia & hæc forma componunt intrinſecè hoc ens naturale: ergo tota materia prima ſublunaris, non eſt vna numero, ſed tot habet vnitates; quot portiones. Maximè quia cuilibet portioni correſpondet proprios actus & forma: & ita ad multiplicationem actus multiplicatur potentia.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Philoſophi, D.Thom. & communiter omnium Thomiſtarum.

Conclvsio.

Cùm materia prima ſit omnino pura potentia omnem excludens actualitatem: nullam habet vnitatem ſpecificam aut numericam poſitiuam, ſed tantùm negatiuam.

Respondeo dicendum, quòd materia prima licèt conſideretur ſecundùm ſuum eſſe reale obiectiuum, ſiue ſecundùm quòd dicit ordinem ad exiſtentiam, nullam ex ſe præcisè ſumpta habet vnitatem poſitiuam ſpecificam. 2. aut numericâ. 3. ſed tantùm habet emendicatam à forma. 4. vnde ſi materia prima conſideretur, vt eſt proximè capax exiſtendi; ſpecificatio poſitiua, quam habet à forma, eſt illi omnino intrinſeca & eſſentialis 5. Si verò materia ſumatur abſolutè: licèt prædicta ſpecificatio non ſit illi eſſentialis, non tamen eſt omnino accidentalis & extranea;

extranea; sed potiùs connaturalis, 6. nihilominus tamen materia prima ex se præcisè, tum secundùm suum esse reale obiectiuum, tum vt remotè est suo modo susceptiua existentiæ, habet propriam specificationem, siue vnitatem specificam negatiuam, 7. sicut & vnitatem numericam negatiuam: ita vt non sint plures materiæ numero, sed vna & eadem numero negatiuè. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D. Thom. 1. p. q.16. art. 7. ad 2. & opusc. 31. esse duplicem vnitatem numericam, aut specificam; aliam positiuam, aliam negatiuam: dicitur aliquid esse vnum positiuè, quando habet in se aliquod principium vnde talis vnitas desumatur; quæ si sit specifica, procedit à forma tanquam à principio radicali: ipsa enim dat speciem rei; vnde autem procedat vnitas purè numerica, dicetur infra tertiâ parte, quando agetur de principio indiuiduationis; dicitur verò aliquid esse vnum negatiuè quando non habet in se aliquod principium proportionatum, per quod distinguatur ab aliis, vel specie, vel numero, quod declarat D. Thom. hoc exemplo 1. p. loco citato dicens: *Aliquid esse semper, & vbique potest intelligi dupliciter. Vno modo, quia habet in se vnde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse vbique, & semper. Alio modo, quia non habet in se, quòd determinetur ad aliquem locum, vel tempus, & per hunc modum quodlibet vniuersale dicitur esse vbique, & semper: inquantum vniuersalia abstrahunt ab hîc & nunc.*

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi 2. de anima textu 2. item 8. Metaph. cap. 1. & D. Th. ibidem. Item 1. p. q.16. art. 7. ad 2. vbi sic ait: *Materia prima dicitur esse vna, non quia habet vnam formam: sicut homo est vnus ab vnitate vnius formæ: sed per remotionem omnium formarum distinguentium.* Ex quibus patet solùm tribui materiæ à D. Thom. vnitatem per remotionem formæ; ac proinde solùm negatiuam: ergo cùm ab eodem proueniat vnitas positiua, ex cuius remotione prouenit vnitas solùm negatiua; sequitur quòd omnis vnitas positiua proueniat materiæ à forma: sicut vnitas positiua hominis prouenit ab vnitate vnius formæ.

Secundò, vt aliquid habeat vnitatem specificam positiuam, debet in se habere aliquod principium positiuum, vnde proueniat talis vnitas: sed materia prima secundùm se considerata, nullum intrinsecè habet tale principium; nam, vt dictum est in Logica, differentia, quæ est actus Metaphysicus & principium vnitatis, fundatur in entitate reali Physica, quæ vel sit actus informans, vel subsistens, & ab illo tanquam à prima radice desumitur; constat autem ex articulo præcedenti, quòd materia prima secundùm suum esse Physicum præcisè est omnino pura potentia, ac omnem excludit actualitatem, quam solùm habet à forma: ergo materia prima secundùm se nullam habet vnitatem specificam positiuam. Confirmatur. Genus & differentia sumuntur à diuersis principiis ob diuersas & oppositas rationes: genus enim, licèt sumatur à tota entitate rei, tamen sumitur ab illa, vt habet rationem contrahibilis, & tanquam à prima radice desumitur ab aliquo Physico, quòd vel sit pura potentia, vt in rebus materialibus, à materia prima, vt dictum est in Logica; vel si res fuerit immaterialis, ab aliquo, quod habet rationem veræ potentialitatis, vt in Angelis ab eorum essentia, vt est potentia ad esse; & propterea in Deo cùm sit actus purissimus, non est fundamentum ponendi rationem generis, nec vllam compositionem ex genere & differentia: ergo differentia debet sumi tanquam à prima radice ab aliquo Physico, quod habeat rationem actus, vel informantis, vel subsistentis: & sic cùm materia prima sit pura potentia, non potest habere ex se differentiam specificam, nec compositionem ex genere & differentia; ac proinde nec vnitatem specificam.

Probatur secunda pars conclusionis. Vnitas numerica & specifica cuiuscúmque rei debent inter se proportionari quantùm ad hoc quòd sint positiuæ vel negatiuæ: sed materia prima secundùm se præcisè nullam habet vnitatem specificam positiuam: ergo nec numericam positiuam; maior est certa; quia vnitas specifica positiua non potest dari separata à numerica, sicut nec ratio specifica positiua separata ab indiuiduali.

Probatur tertia pars conclusionis ex illo Philosophi 7. Metaphysicæ textu 49. *Actus est qui distinguit, & consequenter constituit: idem enim est constitutiuum, & distinctiuum:* Explicatur autem communiter Philosophus quòd loquitur de actu, qui est forma, quæ constituit simpliciter in specie rem, & consequenter illam ab aliis distinguit. Confirmatur iisdem rationibus quibus probata est prima pars conclusionis.

Probatur quarta pars conclusionis. Implicat materiam primam existere, nisi priùs habeat suam specificationem à forma, per quam fit proximè capax existendi: non enim potest existere, nisi per formam, cuius actus primarius est specificatio, & secundarius est existentia, vt communiter docent Philosophi: ergo in ordine ad existendum hæc specificatio est materiæ intrinseca & essentialis. Hæc ratio confirmat tertiam partem conclusionis: si enim materia prima non potest esse existens, & à parte rei indiuidua ex se seclusâ formâ, multò minùs poterit esse ex se seclusâ formâ vna specie positiuè; cùm cuiuslibet speciei detur aliquod indiuiduũ proportionatũ & existens, siue per propriã, siue per alienam existentiam.

Probatur quinta pars conclusionis. Talis specificatio prouenit materiæ ab actu sibi connaturalissimo, qui est prima eius actualitas: ergo talis specificatio non est materiæ omnino accidentalis & extranea, sed potiùs connaturalis. Deinde talis specificatio est omnino intrinseca & essentialis materiæ in ordine ad existendum: ergo non potest dici quòd sit omnino accidentalis & extranea respectu eiusdem absolutè sumptæ, quæ donec pertineat ad ordinem practicum, est dimidium ens, siue diminutum ens etiam per modum partis; ac proinde donec habeat prædictam specificationem: nec est inconueniens id, quod obiiciunt contrarij, scilicet materiam primam successiuè esse diuersæ speciei, prout transit ad diuersas formas specie diuersas, est autem impossibile idem esse sub diuersa specie, vel specificatione essentiali; aliàs differret à seipso; & maximè cùm materia prima sit prior formâ, debet habere ex se omnia, quæ sunt sibi intrinseca; ac proinde specificationem intrinsecam. Ad hoc enim dicendum, quòd cùm in aliis rebus, quæ sunt vnum positiuè, hoc sit impossibile; scilicet idem esse diuersæ speciei intrinsecæ, etiam successiuè: hoc tamen propter specialem rationem non repugnat materiæ primæ; quia cùm non habeat in se nisi esse vnam negatiuè; & vnitas specifica negatiua consistat in hoc quòd res quæ dicitur vna, non sit plures ex se, possit tamen plurificari, quia est vnitas puræ potentiæ; ac proinde non potentis proximè esse susceptiuam actualitatis existentiæ, nisi specificationem à forma recipiat: inde est vt eadem entitas materialis eiusdem materiæ materialiter sumpta, possit trahi ad diuersas & plures specificationes positiuas iuxta pluralitatem formarum; quia eius essentia consistit in potentialitate ad plures specificationes successiuè; licèt ex se nullam habeat; quamuis in se sit prior formâ, quia tamen est pura potentia, & vna negatiuè, ideo ab illa recipit tum specificationem intrinsecam, tum actualitatem existentiæ, quod non esset, si ex se esset actu, & vna positiuè.

Probatur sexta pars conclusionis. Tunc aliquid est vnum specie negatiuè, quando non est in se plura specie; quia non includit in se principium aliquod proportionatum, vnde talis specificatio & plurificatio sumatur, vt dictum est ex D. Th. sed materia prima non habet in se tale principium plurificationis specificæ; hoc enim principium, vt dictum est, debet esse aliquis actus, quem non includit materia prima secundùm se præcisè considerata: ergo est vna specie negatiuâ. Cùm autem materia prima non habeat etiam vnitatem genericam positiuam; quia hæc etiam desumitur ab aliquo actu, vt dictum est supra in Logica; ideo eius vnitas negatiua reducitur tum ad vnitatem genericam positiuam, quàm ad vnitatem specificam positiuam; non positiuè, quasi species posi-

tiua imperfecta ad perfectam; ſed ſicut id quod eſt vnum negatiuum, reducitur ad ſuum poſitiuum: id eſt negatiuè; propterea ſicut quia non eſt vna genericè poſitiuè, potens tamen recipere hanc vnitatem poſitiuam; reducitur ad vnitatem genericam poſitiuam, cuius eſt capax; ſic quia nullam habet vnitatem ſpecificam poſitiuam, licèt poſſit ſucceſſiuè habere omnes, reducitur ad omnes: vnde licèt non reducatur poſitiuè ad ſpeciem v. g. humanam, niſi actuata per formam hominis: bene tamen negatiuè, quatenus importat carentiam illius cum capacitate ad ipſam.

Probatur ſeptima pars concluſionis. Materia prima ex ſe præciſè non habet, vnde diſtinguatur numero: nullum enim includit actum: ergo omnis materia prima ſublunaris vbicúmque ſit, eſt vna numero materia negatiuè: vnde autem habeat ſuam vnitatem purè numericam poſitiuam, non ſecundùm ſe totam: cùm non inueniatur tota ſimul ſub vna forma, ſed ſecundùm ſuas partes & portiones: ita vt quælibet portio eius ſit vna numero poſitiuè, radicitus expendetur in Metaphyſica; & dicetur quænam ſit prima radix talis multiplicationis purè numericæ; multiplicatur autem materia poſitiuè per formas: & licèt portiones eius ſecundùm id quod dicunt de materia præciſè, non diſtinguantur niſi purè numericè; tamen ſi conſiderentur, vt ſpecificatæ intrinſecè per formas: ſi formæ ſint ſolo numero diſtinctæ: ſimiliter & ipſæ ſolo numero diſtinguuntur: ſi autem formæ ſint diuerſæ ſpeciei; ipſæ etiam ſpecie differunt, imò & eadem portio tranſit de vna ſpecie ſucceſſiuè ad aliam: materia verò ſublunaris & cœleſtis non ſolùm diſtinguuntur ea diſtinctione formarum, ſed etiam ex modo habendi illas: & ita cùm materia ſublunaris reſpiciat formam vt amiſſibiliter informantem, diſtinguitur eſſentialiter à cœleſti, quæ reſpicit formam vt inamiſſibiliter informantem; ſed hæc diſtinctio eſt negatiua.

Ad primum ergo dicendum, quòd materia prima ſicut eſt ens poſitiuum, ſic habet vnitatem poſitiuam eſſentialem ſed tranſcendentalem: vnitas enim eſſentialis latiùs patet quàm ſpecifica, imò includit genericas, & analogicam: ad vnitatem autem ſpecificam poſitiuam non ſufficit quælibet vnitas poſitiua, ſed illa debet eſſe actus, vel includere actum; vnde materia prima ex ſe eſt quidem vna poſitiuè tranſcendentaliter; quia in ſe indiuiſa: ſpecificè autem eſt tantùm vna negatiuè.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi res quæ reſpicit aliquem actum ſit pura potentia nihil actus includens intrinſecè; talis reſpectus non ſufficit ad vnitatem ſpecificam poſitiuam, ſed tantùm negatiuam: multiplicatio autem materiæ in plures portiones non conuenit ipſi ſecundùm ſe; cùm ex ſe ſit indifferens vt ſit tota ſub vna forma, vel diuidatur ſub diuerſis; quæ diuiſio ſequitur ad variam diſpoſitionem agentium naturalium: vnde falſum eſt quòd ex omnibus materiis ſecundùm ſe conſideratis, poſſit abſtrahi vna ratio materiæ omnino ac ſimpliciter vna, ſed ſolùm vna analogicè ex D. Thom. 1. p. quæſt. 66. art. 2. nam vt detur omnimoda abſtractio, & ratio abſtracta ſit vniuoca, debet in re eſſe fundamentum ad formandum duplicem conceptum, quorum vnus habet rationem differentiæ contrahentis, & alius generis contrahibilis: conſtat autem quòd materia prima, cùm nullum includat actum, non habet fundamentum, vnde deſumatur conceptus differentiæ aut generis: iſti enim conceptus deſumuntur ab aliquo actu, vt dictum eſt in Logica: vnde ſicut differentiæ, cùm ſint conceptus ſimplices, diſtinguuntur ſe totis: ita duæ materiæ ſe totis diſtinguuntur, ſi præciſè ſecundùm ſe conſiderentur: quamuis poſſint concipi ſecundùm id in quo conueniunt, non concipiendo id in quo diſtinguuntur, licèt inuoluatur implicitè ratio illa, in qua diſtinguuntur, vt dicitur de Analogis.

Ad tertium dicendum, quòd materia prima eo ipſo quòd eſt diuiſa ſub diuerſis formis, iam multiplicatur numero: ita vt vnaquæque portio, quæ eſt ſub vnaquáque forma; eſt vna numero, diſtincta numero ab alia portione, quæ eſt ſub alia forma; ſed hanc vnitatem non habet ex ſe, ſed à forma: vnde ex ſe ſolùm eſt vna negatiuè, tam ſpecie quàm numero: per ipſam verò diuiſionem ſub diuerſis formis multiplicatur poſitiuè numero: ita vt quælibet portio ſit vna poſitiuè numero, ſi formæ ſint eiuſdem ſpeciei: ſi verò ſint diuerſæ ſpeciei, etiam ipſæ diuerſæ portiones materiæ ſunt diuerſæ ſpeciei poſitiuè: ſufficit autem vnitas ſpecifica negatiuè in materia, vt prædicetur de pluribus; nam ſiue res ſit vna ſpecie poſitiuè, ſiue negatiuè, eſt plures ſecundùm rationem. Ex quo ſequitur non eſſe plures potentias materiæ primæ, niſi quatenus eſt diuiſa ſub diuerſis formis; & ideo à forma habet multiplicari poſitiuè, & de ipſis portionibus materiæ poſitiuè ſic multiplicatis prædicatur materia in communi vt vna ſpecie: nam prædicatur de portionibus materiæ ſecundùm ſe conſideratis, non ſecundùm id, quod habent à forma, quæ ſolùm ſe habet ad modum conditionis, à qua multiplicantur.

Articvlvs IV.

Vtrùm materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam. Ita tenent Scotus, Gabriel, Henricus, Suares, Fonſeca, Ruuius, Toletus, & alij extra ſcholam D. Thom. Probatur. Eſſentia realis non diſtinguitur ab exiſtentia: cùm exiſtentia ſit id quod formaliter ponit rem extra cauſas, ſiue extra nihil; quia quamdiu res eſt in cauſis, nihil in ſe eſt; eſt autem impoſſibile quòd aliqua res ponatur extra cauſas, & nihil; per aliquid quod ſit realiter à ſeipſa diſtinctum; debet enim poni per ſuam entitatem realem à ſe ipſa indiſtinctam: ſed materia prima habet ſuam eſſentiam realem, vt ſupra dictum eſt: ergo habet propriam exiſtentiam.

¶ 2. Præterea, Materia prima habet proprium fieri: fuit enim producta per creationem à principio mundi; quod fieri, licèt ſit dependens à fieri formæ, quam primò habuit: tamen eſt independens à fieri formæ, quam poſtea acquirit; nam hæc educitur de potentia materiæ: & ita ſupponit illam: ſed ad fieri ſequitur eſſe; nam actio terminatur ad eſſe: ergo materia prima habet proprium eſſe & propriam exiſtentiam.

¶ 3. Præterea, Si materia prima non habet ex ſe propriam exiſtentiam, ſed emendicatam à forma, vel toto compoſito; ſequitur quòd ipſa toties corrumpatur & generetur, quoties corrumpuntur & generantur compoſita naturalia, vel eorum formæ: nam res per hoc generatur, quia acquirit eſſe; & per hoc corrumpitur, quia amittit eſſe: ſi autem materia prima exiſtit exiſtentiâ formæ vel compoſiti; toties acquirit vel amittit eſſe ſiue exiſtentiam, quoties corrupta vel producta fuerit exiſtentia formæ vel compoſiti: ſed materia prima non generatur nec corrumpitur; cùm ex Philoſopho ſit ingenerabilis & incorruptibilis: ergo materia prima non habet exiſtentiam emendicatam à forma, vel toto compoſito, ſed habet propriam.

¶ 4 Præterea, Materia prima eſt cauſa materialis compoſiti & formæ ſubſtantialis; cùm multæ formæ, ſcilicet omnes materiales ex eius potentia educantur, & intrinſecè vt vera pars componit ipſum compoſitum: ergo eſt prior illis: vnde exiſtit ante illa; non eorum exiſtentiâ, quia non ſunt; & conſequenter propriâ: vel dicendum eſt quòd in illo priori nihil eſt, cùm non exiſtat: & ita ſequitur quòd generatio ſubſtantialis ſit ex nihilo, & forma ſubſtantialis recipitur in nihilo, & forma materialis educitur ex nihilo, quod eſt creari, quæ omnia ſunt abſurda. Confirmatur. Cauſa creata ſiue materialis, ſiue formalis non poteſt realiter cauſare niſi priùs ipſa ab agente cauſetur; quod enim non eſt, non poteſt cauſare; ſi cauſatur, ponitur extra cauſas: & ita recipit eſſe exiſtentiæ.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis. 5. Metaph. Textu 15. vbi dicit animam eſſe cauſam exiſtentiæ materiæ: illum ſequuntur Boetius opuſc. de vnitate &

vno,

vna, D. Bonauent. in 2. d. 12. D. Thom. multis locis, &c communiter omnes Thomistæ, Capreol. in 2. d. 13. q. 1. Caietan. de ente & essentia cap. 5. quæst. 8. Ferrar. 1. contra gentes cap. 4. Soncinas 7. Metaph. quæst. 17. Iauellus 5. Metaph. quæst. 5. Araujo ibidem art. 2. nostri Complutenses hic & alij.

CONCLVSIO.

Cùm ex materia prima & forma fiat vnum per se: materia prima non habet propriam existentiam.

RESPONDEO dicendum, quòd materia prima non habet propriam existentiam, sed existit per existentiam formæ vel totius compositi. 2. imò nullius est capax, & susceptiua existentiæ immediatè: licèt actu existat in toto composito, cuius est pars. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Metaphysica existentiam esse vltimam actualitatem rei, quâ res completè ponitur extra causas: debet autem proportionari ipsi essentiæ; ita vt si essentia sit substantia; ipsa sit actus quidam substantialis: si essentia sit accidens; ipsa sit actus accidentalis: sed de his infra tertiâ parte: sine existentia autem non potest res esse à parte rei simpliciter, nec operari.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. multis locis 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. sic ait: *Materia non existit in rerum natura per seipsam, cùm non sit ens in actu, sed potentiâ tantùm: vnde est magis aliquid concreatum, quàm creatum.* Item quæst. 4. de potentia art. 1. sic ait: *Quidquid in rerum natura inuenitur, actu existit; quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus eius.* Si dicatur, vt dicunt aduersarij, quòd D. Th. non negat simpliciter existentiam materiæ, sed solùm existentiam, quâ possit naturaliter existere sine forma. Contra: nam idem posset dici de forma materiali, & de toto composito, quæ non possunt existere sine materia, vt patet; quod tamen non dicit D. Thom. deinde assignat fundamentum sui dicti: quia scilicet materia non est ens in actu, sed potentiâ tantùm, cum quo non compatitur aliqua existentia quæcumque sit; nam per illam res fit ens in actu: ergo excludit omnem existentiam propriam materiæ: denique D. Thom. se ipsum clarè explicat 1. 2. q. 4. art. 5. ad 2. vbi sic ait: *Idem est esse formæ, & materiæ, & hoc idem est esse compositi.* Quod etiam dicit in 2. d. 1. q. 1. art. 4. ad 2.

Secundò si tam materia prima quàm forma in illo priori, quo toti composito præsupponuntur, nec adhuc intelliguntur vnitæ, haberent propriam existentiam; essent entia in actu: nam existentia facit esse actu, cùm sit perfectissima & vltima actualitas rei: ergo ex illis non poterit fieri vnum per se iuxta illud axioma Philosophicum: Ex pluribus entibus in actu non potest fieri vnum per se: constat autem quòd ex materia & forma fit vnum per se. Nec valet responsio aduersariorum, quòd illud axioma est intelligendum de entibus in actu completis, & habentibus existentiam completam: non verò de entibus incompletis, qualia sunt ista, quæ habent existentias incompletas: quoniam tunc vna existentia comparatur ad aliam, vt perfectibilis, & alia vt perfectiua intra idem genus. Nam contra. Nulla existentia potest se habere vt potentia respectu alterius existentiæ: ergo ex nullis existentiis potest fieri vnum ens per se in compositione Physica: patet consequentia; quia compositio Physica non potest fieri, nisi vnum extremum se habeat realiter vt potentia respectu alterius. Quod confirmatur à simili; nam compositio Logica, quæ est tantùm secundùm rationem ex genere & differentia, & fundatur supra Physicam, non potest esse, nisi vnum extremum sit per modum potentiæ: Probatur Antecedens. Licèt eadem res in diuerso genere & ordine possit esse actus & potentia: tamen in eodem ordine non potest, vt patet in multis; forma enim, quæ in ordine essentiæ est actus, in hoc ordine non potest esse potentia: quamuis possit esse potentia in ordine subsistendi & existendi: & ratio est manifesta; nam actus & potentia opponuntur: & ita in vno ordine non potest esse idem actus & potentia: sed quælibet existentia in ordine existendi est actus: ergo in illo ordine non potest esse potentia. Deinde existentia, vbicumque sit, in suo formali conceptu est vltimus terminus substantialis ex D. Thom. ex hoc enim ipso quòd res intelligitur existens, intelligitur vltimò terminata & completa generatione substantialis illius: & ita repugnat quòd existentia habeat rationem potentiæ. Denique ex Aristotele 8. Metaph. Textu 10. & D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 9. item 1. p. quæst. 50. art. 4. ad 1. repugnat in aliquo esse rationem differentialem & vltimam, quæ sit ignobilior ratione superiori eiusdem: nam ratio vltima comparatur vt actus ad superiorem: ergo existentia materiæ non potest comparari vt potentia ad existentiam formæ: alioquin potentialitas erit conceptus vltimus existentiæ materiæ: ac ita non poterit contrahere conceptum communem existentiæ, quæ intrinsecè includit actualitatem, & consequenter est perfectior ratione puræ potentialitatis; imò si vltima ratio alicuius sit potentia respectu alterius, non potest imbibi in ea ratio actualitatis, actus, & existentiæ: sicut nec ratio potentiæ vt sic potest imbibi in actu, vt actus est: ergo si existentia materiæ comparatur ad formam vt potentia, secundùm hanc rationem non potest imbibere rationem actus: ac proinde nec existentiæ, quæ essentialiter est actus. Confirmatur tota hæc doctrina authoritate D. Thom. quæst. vnicâ de anima art. 6. ad 2. vbi definiens existentiam sic ait: *Ipsum esse est actus vltimus, qui participabilis est ab omnibus; ipsum autem non participat.* Item q. 7. de potentia art. 2. ad 9. ait: *Neque intelligendum est quòd ei, quod dico esse, aliquid addatur, quod sit eo formalius ipsum determinans, sicut actus potentiam: unde non sic determinatur esse per aliud, sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam: nam & in definitione formarum ponuntur propriæ materiæ loco differentiæ; sicut cùm dicitur, quòd anima est actus corporis Physici & organici, & per hunc modum hoc esse ab illo esse distinguitur, in quantum est talis vel talis naturæ.* Idem docet 1. p. quæst. 3. art. 4. & & alibi. Confirmatur tandem. Vt docent communiter Thomistæ in Metaphysica, non dantur in vno composito plures existentiæ partiales, tum propter rationem assignatam, tum etiam quia existentia ex se habet rationem termini naturæ, & non rationem formæ: ac propterea potuit suppleri à Verbo, vt communiter docent Theologi cum D. Thom. 3. p. quæst. 4. Ergo non potest physicè esse composita & diuisibilis; ac proinde non dantur existentiæ partiales; ideo enim punctum caret diuisibilitate secundùm longitudinem; quia terminat lineam diuisibilem secundùm longitudinem; & linea caret diuisibilitate secundùm latitudinem, quia terminat superficiem diuisibilem secundùm latitudinem: ergo similiter quod terminat compositum substantiale diuisibile in partes physicas per modum actus & potentiæ se habentes, caret hac compositione & diuisibilitate, & consequenter existentia nullam dicit potentialitatem, sed est purus actus.

Tertio, existere, est rem esse extra causas completè, vt constat ex etymologia & definitione nominis; ergo priùs intelliguntur causæ exercuisse suas causalitates, siue esse in vltimo exercitij causalitatis, quàm res existat; nam res non est extra causas, nisi quia ab illis exit mediis causalitatibus; ac proinde intelliguntur exercitæ causalitates, siue esse in vltimo talis exercitij, priusquam intelligatur res esse extra causas, & existere: sed quod egreditur à causis his causalitatibus mediis, & ipsis præsuppositis modo dicto, est totum, & non partes: nam id solùm exit à causis præsuppositis causalitatibus omnium illarum, quod finitis causalitatibus tandem est; hoc autem solummodo est totum; nam illo producto quiescunt omnes causæ, & donec producatur non censentur causalitates deuenisse ad vltimum sui exercitij: ergo solummodo totum habet propriam existentiam, & non partes. Confirmatur. Dum causalitates exercentur, nec adhuc peruenerunt ad vltimum sui exercitij, semper censetur effectus vnitus causis, & consequenter nondum existens: quia ab eis in primo sui esse adhuc pendet nec extra

illas adhuc exiuit, at est in ipso exire, siue egredi: sed donec causæ attiogant totum, semper durant in exercitio caosalitatis earum, nec ad vltimum sui exercitij deneneruat: ergo nondum communicarunt ipsi effectui existentiam.

Respondent aduersarij quòd in productione entis naturalis est vna actio totalis, & plures partiales habentes se per modum actus & potentiæ: vnde sicut partes sunt priores suo toto, sic illæ causalitates partiales priùs censeotur exercitæ quàm totalis, & consequenter per eas existentia partialis priùs intelligitur producta in partibus, quàm existentia totalis toti aduentat. Sed contra, licèt gratis concedatur dari istas actiones partiales [quod tamen oon est concedendum) adhuc argumentum manet in suo robore; nam ad hoc vt existentia effectus causetur, non solùm requiritur quòd hæc, vel illa causalitas sit exercita, sed necesse est, vt omoes causalitates & dependentiæ modi ad primum esse effectus requisiti peruenians ad vltimum sui exercitij, vt patet ex ipsa definitione existentiæ, quæ est id, quo res est completè extra suas causas, & noo extra vnam tantùm; ac proinde donec omnes causalitates & mudi dependentiæ ad primum esse effectus requisiti finiantur, oportet vt sicut ipse effectus non est extra causas completè, sic nec existat: maximè quia sicut propter dependeotiam existentiæ à causa efficieute, debet effectus esse extra hanc causalitatem, vt existat; sic ex eo quòd eadem existentia non minùs ab aliis causis, saltem connaturaliter, pendet; oportet vt nisi hæ omnes causalitates & modi dependentiæ finiantur, non possit prædicta existentia esse in rerum natura: nun enim causa efficiens causat effectum, & existentiam illius per positionem suæ entitatis in illo, at per positionem aliorum quomodolibet requisitorum ad talem existentiam: sed vsque dum essentia totius compositi adsit, & actio totalis vltimum sui exercitij attigerit, non potest materia esse extra omoes causalitates, & modos dependentiæ: nam materia secundùm omnia quæ habet, imò & actio illa partialis, quæ fingitur ad eam terminari, debet pendere ab ipsa forma, & à toto composito: & consequenter ab alia actione partiali formæ productiua & ab existentia totius; alioquin sine illis posset reperiri io rerum natura oullo præsupposito miraculo; ac proinde donec omnes istæ causalitates, & modi dependentiæ intelligantur exhausti, noo potest iotelligi materia esse extra omnes causalitates, & dependentiæ modos, quus prærequirit: ergo licèt admitteretur illa actio partialis terminata ad materiam; adhuc nun posset in illo priori, in quo præsupponitur, sufficienter causare materiam, vt existat; ex quo etiam colligitur impossibilitas huius actionis partialis.

Ex dictis colligitur requiri, & sufficere ad hoc vt totum sit existens, quòd sit extra suam causam efficientem, & extra omnes caosalitates, & dependentiæ modos proprij generis: nam existentia est vltimum complementum essentiæ, & perficit illam in proprio genere: & ideo ex ea parte, quâ est complementum proprij generis, debet aduenire ante alia extranei generis, scilicet accidentia, etiam propria: ex ea verò parte, quâ est vltimum complementum, debet aduenire post alia omnia proprij generis. Maximè quia dependentia totius ab accidentibus, est dependentia ab alio vt à re inexistente; ac proinde innitente in alio, vt in re priùs & simpliciter existente, sed dependentia totius à partibus, vel materiæ à forma, & à toto in ordine ad existendum, est dependentia ab aliquo dante propriam specificationem, vel intrinsecè complente; & ideo vt totum vel materia existat, debet esse extra hos, non verò extra illos dependentiæ modos.

Probatur secunda pars conclusionis. In composito est vnica existentia, vt dictum est, per quam omnes illius partes actuantur: sed existentia totius non est, nec potest esse immediatè in materia prima: cùm enim existentia sit vltima actualitas rei, supponit iam totum compositum, imò & suppositum constitutum: & ita aduenit toti composito & supposito, tanquam vltimum complementum: ergo cùm eiusmodi indiuisibilis actus non possit esse duplex subiectum immediatum; materia prima nullius est capax & susceptiua existentiæ immediatè: licèt actu existat in toto composito, cuius est pars.

Secundò, vel illa existentia immediatè recepta in materia esset accidentalis, vel substantialis; oon primum; quia materia non est in genere accidentis: esseotia autem & existeotia [cùm debeant esse proportionata) sunt in eodem genere & ordine: oon secundum; qoia immediatum susceptiuum existentiæ substantialis est suppositum, vt dicetur in Metaphysica: sed materia prima, vt communiter conceditur, non est suppositum, nec vllam in se soppositalitatem includit; cùm sit pura potentia: ergo materia nullius est capax & susceptiua existentiæ immediatè: licèt actu existat in toto composito.

Tertiò. Si materia prima esset immediatè capax & susceptiua existentiæ, posset existere & conseruari saltem diuinitus sine forma: nam in se præcisè esset capax effectus formalis existentiæ, qui est esse in rerum natura: sed est impossibile materiam primam conseruari sine forma, vt statim articulo sequenti dicetur; ergo non est immediatè capax & susceptiua existentiæ: vnde sicut in doctrina D. Thom. 3. p. quæst. 17. art. 2. & omnium Thomistarum existentia Verbi Diuini primò terminat diuinam naturam, & personam Verbi: mediatè verò & secundariò humanitatem: sic existentia totius primò & immediatè actuat ipsum totum; secundariò autem & mediatè partes, qui ordo immutatur io homine, in quo anima rationalis creata affert propriam subsistentiam & existentiam, illámque communicat toti composito & materiæ primæ.

A u primum ergo dicendum, quòd in omnibus rebus creatis essentia actualis distinguitur realiter ab existentia, nec tamen propterea potest esse simpliciter, & conseruari in rerum natura essentia sine existentia, propter necessariam dependentiam quam habet ab illa: vt enim aliquid sit in rerum natura, debet per se esse; si sit substantia, in statu sistenti, quòd non potest habere nisi per existentiam, licèt in prioritate naturæ præsupponatur vt actu realis ipsi existentiæ: impossibile est enim duo realiter vniri, nisi vtrúmque sit realiter, saltem in prior naturæ: vnde io illo priori essentia est aliquid reale, sed non omnino completum in suo ordine; quia est in fieri, nec est extra omnes causas simpliciter: & ideo se habet medio quodam modo; oec enim omnioo est nihil, imò est essentia realis positiua: nec est aliquid simpliciter, quia nondum est completa in suo genere, & ordine. Quod vt faciliùs intelligatur, sciendum est quòd eademmet actio agentis producit totum existens, quæ actio licèt formaliter indiuisibilis; est tamen virtualiter diuisibilis; vnde priùs naturâ & causalitate terminatur ad essentiam, deinde ad subsistentiam, ex qua cum essentia coostituitur subsistens incommunicabile, & suppositum; denique ad existentiam, cuius receptiuum est suppositum, & per ipsam redditur existens, siue in statu completo, & sistenti io rerum natura: & sic res est completa in ordine substantiali: sed ista omnia fiunt in vno instanti reali, in quo etiam emanant proprietates modo infra explicando, sed de his fusè agetur in Metaphysica.

A o secundum dicendum, quòd non ad quodcúmque fieri sequitur esse, sed solùm ea, quæ per se producuntur, accipiunt proprium esse, siue existentiam ex vi suæ productionis: Materia prima autem non est per se nec sola producta; sed est comproducta ad productionem totios simul cum forma: vnde non habet propriam existentiam, sed coexistentiam in toto, & ita toties variat existentiam, quoties variatur totum per mutationem formæ.

A o tertium dicendum, quòd generari est transire de non esse simpliciter ad esse simpliciter, & corrumpi est transire de esse ad non esse simpliciter; quod oon coontingit materiæ, nam in eodem instanti, in quo amittit vnam formam, & esse illius, in eodemmet acquirit aliam formam, & esse eius: vnde ab vno esse transit ad aliud esse; & hoc maximè competit eius naturæ, quia est commune

subiectum

subiectum omnium formarum; & ideo debet transire de esse, siue existentia vnius ad esse siue existentiam alterius: contrarium tamen accidit formæ substantiali; nam eo ipso quòd alia forma de nouo aduenit materiæ, ipsa statim perit.

Ad quartum dicendum, quòd solùm agere effectiuè necessariò præsupponit existentiam: actiones enim sunt existentium & subsistentium: vt autem aliquid habeat rationem primæ causæ materialis vel formalis; non est necesse, quòd in illo priori existat, sed sufficit quòd sit extra nihil essentiæ, & in eodem instanti temporis, simul cum composito, & per illius existentiam existat. Ratio est manifesta; quia hæc causalitas est respectu fieri, & respectu entis naturalis, prout nondum est in se, & extra causarum dependentiam, sed prout habet primum esse essentiale compositum ex partialibus essentiis materiæ & formæ; id est, prout est in egredi, & fieri: & ideo non requiritur, imò pro illo priori non potest esse existentia, quæ est vltimus terminus generationis substantialis; sed sufficit quòd pro illo priori sit vera realitas, siue entitas realis essentiæ, quæ est in via ad actualem existentiam, siue sistentiam entis in se, & extra causas; deinde existentia, cùm sit vltima & perfectissima rei actualitas, in illo priori repugnat causæ materiali, quæ consistit in potentialitate: vnde dicendum quòd sufficit causis intrinsecis, vt in illo priori habeant in se suo modo, quòd in eodem priori ponunt intrinsecè in toto, quod est effectus earum: vnde cùm in illo priori tantùm ponant essentiam totius, sufficit illis pro tunc habere essentiam, licèt connotent existentiam in illo eodem instanti reali emendicatam à toto. Et similiter dicendum ad confirmationem: quòd in illo priori, in quo materia secundùm suum esse essentiæ realis causat formam & compositum, intelligitur quasi extra causam efficientem: non tamen adhuc concipitur in statu sistenti, quo eo nomen existentiæ significat, sed est in statu viali, & in egredi: sicut tunc solùm causat compositum, vt in egredi; & ideo tam ipsa, quàm compositum intelliguntur tantùm habere à causa efficiente essentiam realem, & non existentiam, per quam constituuntur in esse omnino extra causas, & in esse quasi stante & sistenti: quia sicut materia prima est tunc primùm in egredi; ita debet solùm illi communicari ab agente id, quod est io ipsa omnino primum, scilicet suum esse essentiæ realis: licèt in eodem instanti temporis, diuersò tamen & posteriori naturæ, debeat necessariò habere ab agente tam actualitatem specificationis positiuæ prouenientem à forma, quàm esse existentiæ ab eadem forma, & à toto emendicatam: & ideo licèt in illo priori secundùm totam suam putam potentialitatem essentialem sit extra agentem; tamen adhuc illi censetur vnita, nec ab eius dependentia intra proprium genus omnino absolui, donec specificationem positiuam, & coexistentiam ab illo mediante formâ & toto recipiat, per quæ constituitur in statu sistenti, & existens.

Articvlvs V.

Vtrùm materia prima de potentia absoluta, possit existere sine vlla forma?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd materia prima de potentia absoluta possit existere sine vlla forma. Ita tenent qui concedunt materiæ propriam existentiam, vt Scotus in 2.d.12.q.2. Gregor. ibidem. Gabr. q.1.art.3. Ricardus q.4. Gandauensis quodlib. 1. quæst. tō. Suares, Fonseca, Conimbricenses: ex Thomistis etiam Soto 1. Physicor. q.6. art.2. Medina, &c. non tamen eodem fundamento: dicunt enim quòd in tali casu existeret per aliquam existentiam extraneam. Probatur. Existentia non pendet à forma, vt à causa formali, nec vt à causa materiali illam intrinsecè constituente, cùm ex D.Th. existentia sit aliquid simplex: ergo solùm pendet à forma, vt à causa extrinseca: sed Deus potest suâ virtute supplere concursum causæ efficientis & extrinsecæ; cùm talis causalitas non inuoluat imperfectionem: ergo materia prima potest diuinitus existere sine forma. Maximè quia existentia ad summum est effectus secundarius formæ: nam primarius est informare & tribuere esse specificum essentiæ: constat autem quòd effectus secundarius alicuius formæ potest suppleri à Deo; imò Deus de facto supplet: nam in mysterio incarnationis materia humanitatis Christi existit per existentiam Verbi, non per existentiam animæ rationalis ex D. Thom. 3. part. quæst. 17. art. 2.

¶ 2. Præterea, Materia prima est entitas absoluta distincta realiter à forma, & prior illâ: ergo potest existere separata à forma; quod enim est prius potest esse sine posteriori, & quæ realiter distinguuntur, possunt realiter separari: Maximè quia materia prima, cùm sit ens, ac proinde intelligibilis, & realiter distincta à forma, habet in Deo ideam distinctam ab idea formæ: & sic Deus potest vti ideâ materiæ ad producendam illam non vtendo ideâ formæ; & ita produci potest sine forma, & existere sine illa.

¶ 3. Præterea, magis dependet accidens à substantia, quàm materia prima à forma: quia materia prima est substantia partialis, & propterea perfectior accidentibus; dependentia autem est signum imperfectionis: sed accidens potest existere sine subiecto; imò de facto sine illo existit in sanctissimo Sacramento secundùm fidem, vt docet D.Thom. in lectionibus Officij: ergo & materia potest diuinitus existere sine forma. Confirmatur. Magis dependet forma substantialis materialis à materia, quàm materia ab illa: forma enim dependet à materia, & in fieri, & in conseruari; nam ab eius potentia educitur: materia verò solùm dependet à forma in conseruari: sed de potentia absoluta potest existere forma materialis sine materia per existentiam ipsi communicatam: ergo multò magis poterit diuinitus existere materia sine forma.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur Thomistæ (paucis exceptis) Caietanus, Capreolus, Ferrar. & alij eitati articulo præcedenti.

Conclvsio.

Cùm implicet aliquid esse actu sine actu, & esse in rerum natura non determinatum ad aliquam speciem: implicat materiam primam existere sine forma.

Respondeo dicendum, quòd implicat contradictionem materiam primam existere quâcumque existentiâ sine forma substantiali, à qua informetur & recipiat esse specificum. Probatur conclusio authoritate D.Thom. qui illam ex professo probat 3. contra gentes cap. 4. Item 1. p. q. 66. art. 1. Item quodlibeto 3. quæst. 1. art. 1. sic autem probat. Si materia existeret sine forma, esset actu sine actu; esset quidem actu, cùm haberet actum existendi: esset autem sine actu, quia ex suppositione nullam haberet formam, quæ est actus materiæ: sed implicat aliquid esse actu sine actu, ergo implicat materiam primam existere sine forma. Rident aduersarij hoc argumentum quasi æquiuocum; nam diuersimodè, inquiunt, ibi sumitur actus; sumitur enim, tum pro actu existendi, tum pro forma substantiali in maiori, & hoc determinatè: in minori verò sumitur actus indefinitè pro quocùmque actu: constat autem quòd licèt sit impossibile aliquid esse actu, quin habeat aliquem actum: non tamen est impossibile aliquid esse actu, quin habeat omnem actum. Sed contra, & explicatur vis rationis D.Thom. In hoc quòd materia sit sine actu formali, siue sine forma substantiali virtualiter continetur quòd sit in actu existentiæ sine ipso actu existendi: nam ordo essentiæ realiter distinguitur ab ordine existendi, & ab intrinseco, ac necessariò importat esse priorem ordine existendi, & indispensabiliter ad illum præsupponi: ergo actus, qui ad ordinem essentiæ per se pertinet, prior est illo, qui pertinet ad ordinem existendi, & indispensabiliter ad illum præsupponitur: cùm enim isti duo ordines, scilicet essentiæ & existendi habeant essentialem subordinationem: ita vt, nisi ordo essentiæ præcedat, non possit subsequi ordo existentiæ; benè sequitur, vt actus talium ordinum con-

[illegible] habeant aliquam eandem essentialem subordinationem: sed forma substantialis est actus pertinens ad ordinem essentiæ, sicut existentia est actus pertinens ad ordinem existendi; nam sicut per existentiam constituitur aliquid formaliter existens; sic per formam substantialem constituitur essentia in tali specie, tanquam per proprium actum, vt docent Aristoteles, & D. Thom. 2. de anima textu 2. & 5. præcipuè quia materia prima nullum ex se habet actum etiam entitatiuum, vt dictum est; ac proinde sola forma substantialis est actus illius pertinens ad ordinem essentiæ: ergo materiam primam esse in actu per formam substantialem, necessariò debet præsupponi ad hoc, vt sit in actu existendi per existentiam: & consequenter in hoc quòd materia prima sit existens sine actu formali formæ substantialis, virtualiter continetur quòd existat sine actu existentiæ. Confirmatur. Materia prima est pura & prima potentia omnem ex se excludens actum: existentia verò est maxima omnium actualitas, & nihil in se potest participare propter maximam actualitatem & perfectionem, quam habet: ergo vt materia reddatur apta & proportionata ad recipiendam existentiam, quæ est actus vltimus, debet mediante forma substantialis, & specificatio ab illa prouenienss, quæ simul aliquid actualitatis & potentialitatis habent: quia ad maximam omnium actualitatem non potest deueniri, nisi per inferiorem, nec ad vltimum actum, nisi per intermedium & gradatim: propter hoc enim docent communiter Theologi præsertim Thomistæ, quòd implicat contradictionem, vt essentia diuina secundùm quòd habet rationem speciei intelligibilis vniatur intellectui beatorum, nisi priùs sit dispositus lumine gloriæ; quia intellectus creatus in genere intelligibili est pura potentia; & essentia diuina, vt species intelligibilis, est actus perfectissimus; & ideo vt in intellectu beati sit sufficiens proportio & aptitudo respectu talis speciei, debet disponi & proportionari lumine gloriæ, quod attingit ordinem diuinum, & habet actualitatem admixtam potentialitate: ergo similiter, cùm materia prima sit pura potentia in genere entis, non est capax perfectissimæ actualitatis existentiæ, nisi præsupponatur alia actualitas essentiæ, quæ sit via ad ipsam, & consequenter ex negatione actualitatis pertinentis ad ordinem essentiæ, benè colligitur negatio actualitatis existentiæ: sicut quia rationale dicit summam actualitatem essentialem intra latitudinem substantiæ materialis; ideo ex hoc quòd non mediant alij gradus inter ipsam & rationalitatem; benè sequitur per rationalitatem non posse contrahi.

Secundò. Est impossibile quòd sit aliquid in rerum natura sub certo genere, quod non sit sub aliqua eius specie, vt ex se patet: non enim dantur à parte rei rationes genericæ, nisi in suis speciebus: sed si materia prima existeret sine forma, esset sub genere substantiæ, & non esset sub aliqua specie; eius enim specificatio, vt dictum est supra, desumitur à forma: ergo est impossibile quòd materia existat sine forma. Respondent aduersarij verum quidem esse aliquod ens completum, & quod ex se est indiuiduum, non posse existere sub aliquo genere; quin sit sub aliqua specie: hoc autem non repugnat enti incompleto, & quod non est indiuiduum, sed pars indiuidui, qualis est materia prima: sufficit enim quòd sit sub specie subalterna corporis: non autem requiritur, quòd sit sub aliqua specie infima. Sed hæc solutio non effugit vim argumenti: potest enim impugnari ex dictis in superiori ratione: deinde si materia existeret, esset quid singulare, & pars singularis, & indiuiduum incompletum; quidquid enim est à parte rei, est singulare: rationes enim communes sunt tantùm in singularibus à parte rei: ergo non sufficit quòd reducatur ad speciem subalternam, vt existat; sed debet necessariò reduci ad aliquam speciem infimam: nam ideo repugnat aliquod indiuiduum completum poni immediatè sub aliquo genere; quia inter vtrumque mediat species: sed inter principia generis & indiuidui, necessariò mediant principia speciei, vt talis: ergo sicut propter illud non potest dari indiuiduum completum participans immediatè rationem generis; sic nec potest realiter dari incompletum, siue pars indiuidui immediatè sub genere. Suares verò, & plures alij respondent, quòd materia habet ex se suam specificationem incompletam; & hoc sufficit, vt possit existere sine alia specificatione extrinseca proueniente à forma. Sed hæc solutio supra impugnata est: vbi probatum est materiam primam nullam habere ex se vnitatem specificam positiuam: deinde admisso quòd haberet, semper tamen requireretur ad hoc, vt materia existeret, illa specificatio, (quam illi accidentalem & specificam vocant) proueniens à forma propter essentialem subordinationem inter existentiam & actum pertinentem ad ordinem essentiæ: vt dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quòd existentia materiæ primæ est effectus formalis formæ; non primarius, sed secundarius, qui ex vi primarij sequitur, vnde essentialiter præsupponit effectum primarium ipsius formæ in materia; & consequenter formam eidem vnitam: & licèt effectus secundarius possit diuinitus alienâ existentiâ suppleri; non tamen sic, si primarius, qui sine forma non potest esse, non præsupponatur: vnde patet ad confirmationem: nam in mysterio Incarnationis suppletur quidem existentia animæ rationalis per existentiam Verbi in ipsa materia; sed tamen ipsa habet effectum primarium formæ, quod non esset in casu præsenti.

Ad secundum dicendum, quòd potest esse, vt aliqua sint realiter distincta & priora; quæ tamen non possunt esse separata ab aliis, si sit inter illa essentialis dependentia, vt hoc contingit: maximè si sit talis, qualis est materiæ à forma, vt explicatum est: nec materia est simpliciter prior formâ; cùm sit posterior in ordine existendi: participat enim existentiam à forma; & ita vt existens non est prior; vnde non potest esse separata à forma; quia deberet existere sine illa. Ad confirmationem dicendum cum D.Th. 1.p.q.15.art.3.ad 3. materiam primam non habere peculiarem ideam, sed cognosci in idea compositi: & ita retractauit, vt ait Caietanus, quod docuerat q.3. de veritate art.5. & in 1.d.36.q.2.art. vltimo; & ratio est, quia sicut materia non est ex se simpliciter ens; sed ens in potentia; & intelligibilitas sit proprietas entis, & secundùm modum eius: ideo materia non est intelligibilis ex se actu, sed tantùm in potentia: vnde licèt habeat suam essentiam distinctam à forma & composito; tamen non potest cognosci nisi per formam quam habet; saltem secundùm generalem rationem formæ consideratam, vel per analogiam & comparationem ad materiam secundam, quæ includit formam ex Aristotele in hoc libro cap.7. & D.Th. ibidem lect. 13. Deinde dato quòd materia prima haberet peculiarem ideam; dicendum tamen quòd illam repræsentaret non aliter factibilem, nisi vnà cum forma; cùm aliter non sit capax existentiæ: & ideo ratione rei faciendæ non posset Deus vti tali ideâ, vel ad producendam, vel ad cognoscendam ipsam præcisè, sed deberet vti ideâ formæ; sicut non potest vti ideâ vnius relatiui ad cognoscendum illud, nisi coütatur ideâ alterius.

Ad tertium dicendum cum D.Thom. quodlib.3. art.1. quòd magis dependet materia prima à forma, quàm accidens à subiecto: quia magis dependet, vt benè asserit Caietanus de ente & essentia cap.5.q.8. pura potentia ab actu, quàm actus imperfectus ab actu perfecto: accidentia autem sunt actus & formæ in suo ordine completæ; vnde sunt determinatæ speciei, & generis directè, & sic non est mirum, si diuinitus possint existere separata à subiecto: materia autem prima ex se non est determinatæ speciei, sed illam sortitur à forma: vnde sine illa non potest existere: & ita dependentia est signum imperfectionis, & maior dependentia signum maioris imperfectionis; si cætera sint paria; quod hic non contingit; licèt enim materia sit simpliciter perfectior accidentibus; cùm sit ordinis perfectioris, scilicet substantiæ: tamen accidentia aliunde præeminent materiæ, quia sunt actus, & materia est pura potentia. Ad confirmationem dicendum, quòd materia prima tam in fieri, quàm in conseruari pendet à forma: non

enim

enim potuit creari sine forma: deinde ad nostrum intentum sufficeret quòd materia magis dependeret à forma in conseruari, quàm forma à materia. Ratio autem cur aliæ formæ materiales possint diuinitus existere sine materia, est quia in se sunt actus alicuius speciei determinatæ, licèt non completi: & ideo non repugnat illis esse actu.

Articvlvs VI.

Vtrùm materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis?

AD Sextvm sic proceditur. Videtur qoòd materia prima non sit ingenerabilis & incorruptibilis. Probatur. Quod est subiectum generationis, generatur; sicut quod est subiectum dealbationis, dealbatur; nam omne accidens vel actus denominat subiectum in quo est, vt patet in exemplo: sed materia prima est sobiectum generatioois substantialis; per hoc enim probat Philosophus dari materiam primam, quia debet dari primum subiectum generationis & corruptionis substantialis: ergo materia prima non est iogenerabilis & incorruptibilis.

§ 2. Præterea, Quod est causa generationis & corruptioois aliorum, est generabile & corruptibile in se: quia propter quod vnumquódque tale, & illud magis: sed materia prima est causa generationis & corruptionis aliorum, vt docet Philosophus in hoc 1. libro Physicorum: ergo materia prima non est ingenerabilis & incorruptibilis. Confirmatur. Materia prima mutatur de esse formis ad non esse eius, & econtra: sed generatio est mutatio de non esse ad esse: corruptio verò de esse ad non esse: ergo materia prima generatur & corrumpitur, & ita non est ingenerabilis & incorruptibilis.

§ 3. Præterea, Si materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis, sequitur quòd totum compositum sit ingenerabile & incorruptibile: non enim est maior ratio, cur sola materia sufficiat, vt totum compositum sit materiale [licèt eius forma sit spiritualis], & non sufficiat ad reddendum totum compositum incorruptibile [licèt eius forma sit corruptibilis]: ergo cùm totum compositum sit generabile & corruptibile, materia prima non potest esse ingenerabilis & incorruptibilis. Deinde materia prima esset perfectior toto composito; incorruptibile enim est perfectius corruptibili.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, quem sequuntur tum Thomistæ, tum Scotistæ, tum communiter alij Philosophi.

Conclvsio.

Cùm materia prima sit primum subiectum generationis & corruptionis substantialis totius compositi: debet ipsa in se esse ingenerabilis & incorruptibilis.

Respondeo dicendum, quòd materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd potentia & actus diuidunt ens & quod libet genus entis, ex 9. Metaph. nam omne ens, aut est ens actu, aut in potentia: & similiter omne prædicamentum habet aliquid, quod est potentia ad formas illius generis, & habet actus & formas talis generis; vt in qualitate est albedo, dulcedo &c. in subiectis verò est potentia ad tales formas: quæ potentia non est quidem qualitas, quantitas &c. sed est capacitas subiecti ad recipiendas tales formas; & reductiuè pertinet ad genus formæ quam respicit, nisi aliunde habeat vt ponatur in aliquo genere: quod autem recipit aliquid, debet in sua essentia esse denudatū ab illo; & ideo oportet aliam esse naturam recipientis, & aliam recepti: in genere substantiæ materia prima est potentia receptiua omnium formarum substantialium; si enim esset actus aut in actu, non esset vltimum in quod resoluitur corruptio rei: compositum enim includens actum resoluitur in illum, sicut & ad materiam ipsam tanquam ad partes. Cum igitur materia prima sit receptiua omnium formarum, sequitur quòd in sua essentia nullam habet formam; cùm tamen sit potentia ad omnes: & ideo secundùm suam essentiam est pura potentia, id est, potentia nullum includens actum in sua essentia.

Item sciendum est quòd aliter se habet generatio & corruptio vt sic, tam substantialis quàm accidentalis, ac aliæ mutationes: nam aliæ mutationes, quæ sunt species motus, magis denominant subiectum, quàm terminum motus: dicimus enim quòd paries dealbatur, non autem quod album dealbatur: generatio autem & corruptio magis denominant terminum motus, quàm subiectum: dicimus enim quòd Petrus generatur aut corrumpitur, non autem quòd materia Petri. Ratio huius diuersitatis est, quia generatio est mutatio de non esse simpliciter ad esse simpliciter: corruptio verò de esse simpliciter ad non esse simpliciter: esse autem est magis compositi, quàm materiæ & formæ: compositum verò est terminus generationis & corruptionis: & ideo cùm generatio terminetur ad esse, & corruptio ad non esse, magis denominant compositum, quàm subiectum in quo exercetur generatio & corruptio: aliæ autem mutationes magis denominant subiectum, quòd est susceptiuum formæ; & aliquid actuale, quod recipit ipsum esse formæ: est enim idem subiectum, & terminus; solùm enim terminus dicit supra subiectum ipsam formam, quæ est terminus [quo] motus.

Item sciendum est quatuor esse incorruptibilitatis gradus. Primus est absque aliqua dependentia ab extrinseco, & hic gradus soli Deo competit. Secundus est cum dependentia, sed à solo Deo, & hic gradus cōpetit Angelis &c. Tertius est cum dependentia à Deo & ab aliis causis, quæ tamen naturaliter impediri non possunt, quomodo dicitur lignum Sethin incorruptibile, aurum, adamas &c. Quartus tandem gradus est quando præter naturas rerum impeditur corruptio alicuius entis; vt si homo, qui ex sua natura est corruptibilis, conseruetur à Deo impediente causas corruptionis illius. Hîc autem non dubitamus an materia prima sit incorruptibilis duobus primis modis: certum enim est quòd sic non est incorruptibilis, quia vt patet ex dictis, non potest materia esse sine forma, & consequenter non solùm dependet à Deo in suo esse, & in sua incorruptibilitate: sed etiam à forma. Nec item dubitamus an sit incorruptibilis quarto modo; certum enim est quòd Deus potest perpetuò conseruare quamcùmque rem etiam ab intrinseco corruptibilem: vnde solùm restat inquirendum de tertio modo, vtrùm scilicet posito ordine causarum & rerum vt nunc sunt; ita sit materia prima incorruptibilis, vt causæ eius incorruptibilitatis naturaliter impediri non possint, quin materiam in sua incorruptibilitate conseruent: & simul an sit ingenerabilis.

Probatur conclusio authoritate Philosophi in hoc libro cap. 9. vbi loquens de materia prima hæc habet: *Incorruptibilem & ingenitam necesse est ipsam esse; si enim fiat, subiici aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat: hoc autem est ipsius natura: quare erit antequam fiat.* Idem docet 7. Metaph. cap. 7. & 8. item lib. 8. cap. 8. quod etiam docet D. Thom. locis citatis & 1. p. q. 46 art. 1. ad 1.

Secundò, materia prima est primum subiectum generationis & corruptionis substantialis, vt dictum est ex communi consensu Philosophorum: certum enim est apud omnes, & declarabitur suo loco, quòd generatio est transitus de non esse ad esse præsupposito aliquo subiecto, per quod distinguitur à creatione, quæ nullum præsupponit subiectum, sed fit ex nihilo: corruptio verò est transitus de esse ad non esse manente aliquo subiecto, per quod distinguitur ab annihilatione, quâ destruitur totum: ergo materia prima non potest generari: nam generari est produci ex præsupposito subiecto; cùm autem materia prima sit primum subiectum, quod præsupponitur omni generationi, non præsupponit aliud, ex quo producatur; alias non esset primum; sed illud aliud, quod præsupponeret: vnde si generaretur, esset antequàm generaretur. Quòd etiam sit incorruptibilis patet: nam in corruptione manet aliquid de corrupto, per quod distinguitur ab annihilatione; illud autem quod manet, est subiectum transiens de esse formæ ad non esse illius, constat autem quòd materia prima est primum illud subiectum: ergo repugnat ei esse corruptibilem.

Ad primum ergo dicendum, quòd sunt quædam accidentia

dentia

dentia & actus, qui denominant tantùm ſubiectum, in quo ſunt, & iſta tribuunt ſubiecto omnem denominationem, vt albedo: alia verò ſunt, quæ dicunt habitudinem tam ad ſubiectum, quàm ad terminum productum, & iſta dant aliquam denominationem ſubiecto, & aliquam termino: & ita generatio denominat materiam, in qua exercetur, mutatam: terminum verò genitum.

An ſecundum dicendum, quòd illud axioma tenet tantùm in his, quæ ſunt eiuſdem generis ſiue ordinis, & conueniunt cum ſuo effectu in nomine & ratione: quod hîc non contingit; materiæ enim non conuenit generari, vt dictum eſt; ſicut ob eamdem rationem licèt ſol cauſet calorem in iſtis inferioribus, non tamen eſt, aut dicitur magis calidus: quia non eſt cauſa vniuoca: deinde in cauſis materialibus non tenet. Ad confirmationem dicendum, quòd generatio eſt mutatio de non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, & econtra corruptio: non autem eſt mutatio de hoc eſſe ad illud eſſe: vel de hoc eſſe ad hoc non eſſe: materia autem licèt ſit ſine hoc eſſe v. g. ignis, nunquam tamen eſt ſine aliquo eſſe; tranſit ergo de hoc eſſe ad aliud eſſe, & nunquam de non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter; aut econtra.

An tertium dicendum, quòd bonum eſt ex integra cauſa; malum verò ex quocúmque defectu; & ideo cùm eſſe incorruptibile ſit bonum & perfectum; non ſufficit quòd materia ſit incorruptibilis, ſed requiritur vt ipſum totum ſit incorruptibile, vt denominetur tale: cùm autem eſſe materiale ſit malum & imperfectum: ideo ſola materialitas materiæ ſufficit, vt denominet, & faciat totum materiale. Ad aliud dicendum quòd incorruptibile eſt nobilius corruptibili; ſi cætera ſint paria: quod hîc non contingit; nobilitas enim ſimpliciter deſumitur ex perfectiori entitate; nobilitas verò ſecundùm quid poteſt deſumi ab aliis extrinſecis, vt à productione &c. Vnde licèt materia prima ſit nobilior compoſito quantùm ad modum productionis; quia hæc creatur, hoc generatur: hæc permanet, hoc corrumpitur (quæ nobilitas eſt ſecundùm quid): tamen compoſitum eſt ſimpliciter nobilius materiâ, quia habet perfectiorem entitatem.

Articvlvs VII.

Vtrùm materia prima habeat appetitum ad formas?

AD Septimvm ſic proceditur. Videtur quòd materia prima non habeat appetitum ad formas. Ita tenuit S. Iuſtinus Martyr in confutatione dogmatum Ariſtotelis, Auicenna lib. 1. ſuæ ſufficientiæ cap. 2. Probatur. Hic appetitus materiæ non eſt reſpectu omnium formarum: cum enim formæ generabiles & corruptibiles ſint infinitæ ſincategorematicè, quia generationes & corruptiones ea ſe ſunt perpetuæ, eſt impoſſibile quòd vna materia recipiat infinitas formas; quia infinitum non poteſt exhauriri: & ita appetitus ad illas nunquam ſatiaretur: ac proinde eſſet fruſtra, quod non poteſt dici; Deus enim & natura nihil faciunt fruſtra; vnde appetitus materiæ non eſt reſpectu omnium formarum: ergo reſpectu nullius; non enim eſt maior ratio; cur appetat potiùs materia hanc formam, quàm alias; cùm omnes formæ perficiant materiam: vnde materia prima non habet appetitum ad formas. Confirmatur. Si materia appeteret formas; appeteret etiam corruptionem ſui totius, quia ſine eius corruptione non poteſt recipere nouam formam, cùm non poſſit ſimul habere duas: ſed non poteſt dici quòd materia appetat corruptionem ſui totius; cùm omnis pars fortiùs inclinet in bonum ſui totius, quàm in proprium: ergo materia prima non habet appetitum ad formas.

¶ 2. Præterea, Ad appetitum naturalem ſequitur neceſſariò aliquis conatus ad acquirendam perfectionem, quæ appetitur: nam à natura datur talis appetitus, vt acquiratur propria perfectio: aliàs eſſet fruſtra; ſine aliquo autem conatu non poteſt acquiri: ſed materia prima cum ſit pura potẽtia, & ſe merè paſſiuè habeat ad recipiendum, quod illi imprimitur, nõ poteſt habere conatũ ad propriã perfectionem: nam conatus denotat aliquam actualitatem: ergo materia prima non habet appetitum ad formas.

¶ 3. Præterea, Si materia prima haberet appetitum ad formas, magis appeteret formam perfectiorem, quàm imperfectiorem, & habens perfectiorem non appeteret imperfectiorem: ſed materia prima appetit formam generandam, quæ ſæpè eſt imperfectior, quæ etiam non poteſt acquiri ſine amiſſione perfectioris: ergo materia prima non habet appetitum naturalem ad formas. Probatur maior in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ex D. Thom. 1. 2. q. 40. art. 3. licèt appetitus naturalis non ſequatur propriam cognitionem rei naturalis appetentis; ſequitur tamen cognitionem authoris naturæ, à quo talis rebus conceſſa eſt natura, vt in bonum ſibi conueniens non minùs bene & aptè inclinentur hoc naturali & innato appetitu; ac ſi intellectum haberẽt, & ſemel cognito bono ſibi conuenienti, elicito & ordinato appetitu ipſum appeterent: ſed nemo cognoſcens ſe habere maius & perfectius bonum appeteret ordinatè minus cum amiſſione perfectioris: ergo appetitus ille, qui hoc appeteret non eſſet appetitus naturalis; vt pote qui inordinatus eſſet, nec rationali conformis: imò hæc inordinatio in authorem naturæ refunderetur, cuius cognitionem naturalis appetitus ſequitur, & à quo hæc inclinatio naturæ indita eſt: ex quo rurſus ſequitur quòd materia prima appeteret proprium malum: nam priuari perfectiſſimâ formâ v. g. animâ rationali: & habere aliam imperfectiorem, eſt maximum malum ipſi materiæ; nam minus bonum, vt priuat maiori, habet rationem mali: conſtat autem quòd eſt contra rationem appetitus naturalis appetere proprium malum: cùm natura inclinetur ad bonum ſibi conueniens.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm forma ſit bonum materiæ primæ: materia habet appetitum ad formas.

Respondeo dicendum, quòd materia prima habet appetitum innatum ad formas. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd appetitus nihil eſt aliud, quàm inclinatio, ſiue propenſio in aliquam rem: eſt autem duplex, vt docet D. Th. 1. p. q. 87. art. 1. ad 3. item q. 19. art. 1. & 9. item q. 59. art. 1. Vnus dicitur innatus ſiue naturalis, alter dicitur elicitus: appetitus innatus eſt inclinatio, ſiue propenſio ab authore naturæ Deo optimo maximo indita, quâ vnaquæque res abſque vlla cognitione in ſuum bonum inclinatur; qualis eſt propenſio grauis in centrum terræ: leuis ad ſuperiora: omnium potentiarum ad ſua obiecta &c. appetitus verò elicitus, qui propriè habet rationem appetitus, eſt actus potentiæ appetitiuæ, qua res fertur in bonum cognitum ſub ratione boni: hic diuiditur in ſenſitiuum & rationalem: præſens difficultas non procedit de appetitu elicito; cùm ſupponat cognitionem: materia prima autem eſt expers omnis cognitionis: vnde ſolùm procedit de appetitu innato & naturali; vtrùm ſcilicet materia prima habeat appetitum innatum ſiue naturalem ad formas.

Probatur concluſio authoritate Philoſophi in hoc libro textu 81. vbi dicit materiam appetere formam, ſicut turpe pulchrum. Item D. Th. 1. p. q. 56. art. 2. vbi ſic ait: *Videmus quòd inclinatio, quæ eſt ad eſſe rei, non eſt per aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ſed per materiam, quæ appetit eſſe, antequam illud habeat; & per formam, quæ tenet rem in eſſe, poſtquam fuerit*: Nec ſibi contradicit, dum 1. p. q. 87. art. 4. aſſerit appetitum naturalem procedere à forma naturali, ſicut elicitum à forma apprehenſa: loquitur enim ibi de appetitu, qui cõſequitur ens completũ, & conſtitutũ abſolutè in ſpecie, vt eſt grauitas in lapide in ordine ad centrum.

Secundò omnia feruntur in proportionatum ſibi, & conueniens bonum, quo ex ſe carent, & ex cuius poſſeſſione accreſcit illis perfectio, appetitu innato ſiue naturali ex D. Th. 1. p. q. 5. art. 1. & q. 19. art. 1. ac alibi: & ratio eſt manifeſta, quia tale bonũ habet rationẽ finis, ad quem res ordinantur. ſiue in ordine ad quem creantur, ſiue producuntur: quælibet enim res producitur, vt acquirat debitam ſibi perfectionem; ad quam proinde naturaliter

inclinet:

inclinat: sed forma substantialis est maxima perfectio materiæ primæ, & quasi diuinum quoddam respectu illius, vt ait Aristoteles: cùm afferat secum essentiam sui, & speciem completam, ac determinatam, quam communicat materiæ, facit enim quòd sit talis speciei positiuæ, & existat in rerum natura: ergo materia prima tendit ad formas appetitu innato & naturali: imò hic appetitus est maximus; cùm materia prima sit imperfectissima carens omni perfectione: constat enim quòd maior imperfectio & maior indigentia perfectionis intendit appetitum, vt fortiùs feratur in bonũ illud, quod sibi deest & appetitur.

Hic autem appetitus, quem habet materia ad formas, est duplex: scilicet appetitus desiderij respectu formæ, quam nondum habet, & appetitus fruitionis, complacentiæ & satietatis respectu formæ, quam habet, & habuit: explicatur per comparationem ad appetitum elicitum; quicúmque actus potentiæ appetitiuæ dicitur appetitus, & cùm elicit actum respectu boni absentis, dicitur appetitus desiderij; cùm verò elicit respectu boni præsentis, vel quod iam fuit præsens, est actus appetitus eliciens per fruitionem vel complacentiam; potest enim quis sibi complacere tam de bono, quod habet, quàm de bono, quod habuit: sic similiter loquendo de appetitu innato, siue naturali; alius est, qui sit inclinatio & propensio respectu boni præsentis, siue illius quo res iam satiata est, & præteriti, per quem in tali bono complacet: alius est, qui sit quasi desiderium boni absentis, & nunquam habiti; & hoc docet D.Th. 1.p.q.19.art.1. his verbis. *Qualibet res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipsam, tendat in eam; & quando habet ipsam, quiescat in ea: & hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis:* Ex quo patet desiderium tendere in rem absentem, vt sic: fruitionem verò siue complacentiam non esse, nisi de bono præsenti vel præterito, vt aliquando fuit præsens: nam de præterito vt absens est possumus habere desiderium, sicut anima rationalis separata habet respectu sui corporis, vt docet D.Th. 1.p.q.76. art.1.ad 6. vbi sic ait: *Anima humana manet in suo esse, cùm fuerit à corpore separata, habens inclinationem naturalem ad corporis vnionem:* Nota hanc inclinationem non esse simpliciter naturalem; sed tantùm ex parte termini: supernaturalem verò & obedientialem ex parte principij: non enim est possibilis hæc vnio, nisi per potentiam obedientialem: cùm resurrectio sit supernaturalis quoad substantiam: aliquid autem dicitur vel naturale vel supernaturale simpliciter; quando est tale tum ex parte termini producti, tum ex parte principij & modi quo producitur: dicitur verò aliquid naturale vel supernaturale secundùm quid; quando aliquid horum deest. Hic appetitus materiæ non est nuda entitas materiæ, sed connotat & dicit aliquid aliud tanquam conditionem: cùm enim hic appetitus sit ad formam vel habendam, vel habitam; debet considerari secundùm vim & dispositionem agentium, quibus naturaliter subditur & disponitur materia, vt informetur: ipsa enim materia ex se non potest educere de sua potentia formam, & illã sibi vnire: cùm materia sit pura potentia hoc autem dicat aliquam actualitatem; vnde pertinet ad agens naturale: & ita materia non vtcúmque formam appetit, sed iuxta virtutem agentis; & cùm respiciat hanc agentis virtutem, & suam dispositioné ab illa prouenientem non determinatè, sed vagè, & in communi (quando nondum habet) ideò appetitu desiderij non appetit hanc, vel illam formã determinatè, sed vagè & in communi: ex quo sequitur quòd appetitus desiderij, quem materia prima habet ad formam, non importat nudam entitatem materiæ: alioquin cùm hæc entitas semper eadem maneat; appeteret eandem numero formam, quam amisit: cùm tamen illã naturaliter recipere non possit, & consequenter nec appetere: cùm appetitus naturalis non sit frustra: vnde requirit pro conditione & connotato esse naturaliter possibiles in ipsa dispositiones agentis naturalis, & actionem introductiuam formæ; & etiam connotat priuationem eiusdem formæ, ad quam sic inclinatur: appetitus verò complacentiæ, si sit formæ præsentis, requirit præsentiam eius: si verò sit formæ præteritæ, requirit præteritionem illius, saltem vt conditionem & connotatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd materia appetitu cõplacentiæ appetit formam habitam: appetitu verò desiderij, nondum habitam: nec obstat infinitas sincategorematica formarum, imò prodest; hic enim appetitus desiderij non est in ordine ad actum, per quem sit in satiato esse, sed in ordine ad formam, per quam sit in satiari: & ideo debet respicere & appetere semper aliquid recipiendum, & semper habet admixtam potentiam cum priuatione, & simul habet hoc quod est satiari successiuè varijs formis. Ad confirmationem dicendum, quòd materia per accidens est principium corruptionis formæ & totius quod actu componit: non enim habet tædium illius: sed cùm præsens forma sit amissibilis, & materia sit pars in potentia plurium aliorum compositorum; ideo appetit formas illas, quibus talia composita constituuntur: & ita ad introductionem vnius formæ, perit alia, cùm duæ sint incompossibiles in eadem materia: ratio autem cur pereat præcedens, & introducatur potiùs hæc quàm alia: petitur ex dispositionibus introductis ab agente naturali, quæ sunt contrariæ vni formæ: ac proinde perit, cùm non possit cum illis subsistere: & conformes alteri, & ideo introducitur. Adde quòd pertinet ad pulchritudinem & bonum vniuersi hæc variatio generationum & corruptionum: per se quidem variatio generationum; corruptionum autem per accidens: quia non potest esse generatio vnius sine corruptione alterius; præcipuum autem bonum ad quod ordinatur materia, est bonum vniuersi; ad ipsum enim quodlibet bonum particulare ordinatur: & ideo non est mirum si materia per accidens appetat corruptionem formæ, quam habet, & sui totius, vt causetur bonum vniuersi, quod est bonum principalius ex D.Thom. 1.p. q.60. art. 5.

Ad secundum dicendum, quòd licèt ad appetitum consequatur aliquis conatus; non tamen est necesse vt sit actiuus: sed sufficit quòd sit passiuus, qualis potest esse ex parte materiæ: materia enim influit vt causa materialis ad productionem formæ, & ad constitutionem totius.

Ad tertium dicendum, quòd non est contra naturam appetitus naturalis materiæ, appetere formã imperfectiorem, etiam dum perfectior habetur: cùm sit amissibilis; quia supposità amissibilitate præcedentis formæ, licèt perfectioris, est maius bonum de nouo habere formam imperfectiorem, quàm perfectiorem amittere sine acquisitione alterius. Deinde quia hæc variatio successiua formarum in materia conducit ad pulchritudinem vniuersi, quod est maximum bonum, & ad conseruationem rerum naturalium, & ad perfectionem secundorum agentium, vt variè iuxta suas potentias actiuas disponant materiam ad varias formas sibi similes: vnde hic appetitus est valde ordinatus, his omnibus pensatis: & sic potest appeti appetitu elicito & ordinato forma imperfectior. Ad aliud dicendum non esse inconueniens vt materia appetat per accidens malum proprium, vt subsequatur præcipuum eius bonum, scilicet eius conseruatio in esse, quod non potest semper habere per animam rationalem; cùm sit amissibilis: deinde vt sequatur bonum vniuersi, in quod ipsa vt pars illiùs fortiùs tendit, quàm in bonum proprium: & maximè quia licèt amittat hanc animam rationalem, potest per varias transmutationes acquirere alias rationales; deinde non quæcúmque priuatio, sed sola priuatio boni debiti habet rationem mali ex D.Thom. 3. contra gentes cap. 11. & tunc tantùm quando habendum est: sed ex eodem D.Thom. 1.p. q.66. art.2. non debetur hæc vel illa forma determinatè; cum materia sit in potentia, & indifferens ad omnes.

Articvlvs VIII.

Vtrùm materia prima sit radix corruptionis?

Ad octavum sic proceditur. Videtur quòd materia prima non sit radix corruptionis, sed forma substantialis. Probatur. Vnum oppositum non est causa sui oppo-

ſiti: ergo materia prima, quæ eſt incorruptibilis, non eſt cauſa corruptionis. Deinde ex illo axiomate Ariſtotelis 1. Poſter. cap. 2. propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ſequeretur quòd ſi materia prima eſſet radix corruptionis totius compoſiti, ipſa eſſet magis corruptibilis: dictum eſt autem ſupra quòd eſt incorruptibilis.

¶. Præterea, Si materia prima eſſet radix corruptionis, hoc maximè eſſet; quia dum habet vnam formam appetit aliam: nam corruptio prouenit ex hoc quòd materia tranſeat de vna formâ ad aliam: ſed hic appetitus non refunditur in ipſam materiam, ſed ad formam; nam ideo materia appetit nouam formam, quia forma quam habet, cùm ſit defectibilis, non complet totam potentialitatem, & capacitatem materiæ, nec poteſt illam perpetuò conſeruare in eſſe: & propterea materia cœleſtis, quia informatur formâ, quæ ipſam poteſt perpetuò conſeruare, & complet totam eius capacitatem, non appetit nouam formam: ergo materia prima non eſt radix corruptionis, ſed forma. Confirmatur. Si materia noſtra informaretur formâ cæli, compoſitum reſultans eſſet incorruptibile; quia materia informaretur formâ inamiſſibili, & econtra, ſi materia cœleſtis informaretur formâ corruptibili: compoſitum reſultans eſſet corruptibile; quia informaretur formâ amiſſibili: ergo forma eſt radix & cauſa adæquata corruptionis, & non materia: cùm ex Ariſtotele 1. Poſterior. cap. 10. illud ſit cauſa adæquata, quâ poſitâ ponitur effectus, & quâ ablatâ aufertur.

¶. 3. Præterea, Quotieſcúmque affirmatio eſt cauſa affirmationis; etiam negatio eſt cauſa negationis ex Philoſopho. 1. Poſterior. ſed cauſa entis in actu eſt forma, & non materia: ergo cauſa non eſſendi in actu, ſiue corruptionis eſt abſentia formæ, & non materia prima.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D.Th. quos ſequuntur Maſius hîc cap. 19. ſect. 1. q. 12. ad 3. noſtri Complutenſes diſp. 3. q. 19. Oña art. 10. Soncinas 8. Metaph. q. 29. & communiter alij.

Conclvsio.

Cùm priuatio, quæ reperitur in corruptione, ſe teneat potiùs ex parte materiæ, quàm ex parte formæ; & materia ſit cauſa, cur totum recipiat diſpoſitiones ſui corruptibiles: materia potiùs eſt dicenda radix corruptionis, quàm forma.

Respondeo dicendum, quòd licèt tam materia non ſatiata formâ, quam forma non ſatians materiam ſint principium intrinſecum corruptionis; a. tamen materia prima eſt dicenda primum omnino eius principium, ac prima radix. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd cùm duæ formæ ſubſtantiales ſint ſimul incompoſſibiles in eadem materia; & ipſa materia dum habet vnam formam appetat aliam; neceſſariò ſequitur quòd materia prima ſit aliquo modo principium corruptionis totius compoſiti, quod conſtat ex hac materia, & ex hac forma: & ſimiliter quòd ſit principium corruptionis formarum materialium, quæ non poſſunt ſubſiſtere niſi in materia, de cuius potentia educuntur: vnde difficultas præſens ſolùm procedit de primo & radicali principio intrinſeco, ſiue de prima radice intrinſeca corruptionis, & non de quocúmque principio; cùm ſint multa, quæ proximè ad illam concurrunt.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D.Th. 1.p.q.66. art.2. item 2. contra gentes cap. 55. Deinde quòd forma non ſatians materiam ſit principium corruptionis, probant argumenta facta in contrarium. Quòd etiam materia prima non ſatiata formâ ſit principium intrinſecum corruptionis, docet Ariſtoteles in hoc lib. cap. vltimo, dicens materiam primam priuatam formâ machinari maleficium, ideſt, compoſiti corruptionem. Radix autem cur materia ſublunaris non ſatiatur formâ quam habet, ſicut materia cœleſtis ſatiatur ſuâ, eſt quia forma ſublunaris dat eſſe amiſſibile & corruptibile; forma verò cœleſtis tribuit materiæ eſſe perpetuum; & hoc prouenit ab intrinſeca natura ipſarum formarum, & vtriúſque materiæ, propter quam habent vel neceſſariam, vel defectibilem connexionem: prouenit etiam hoc diſcrimen ex hoc quòd forma ſublunaris requirat ad ſui conſeruationem in materia tales diſpoſitiones, quibus aliæ ſunt contrariæ, & ideo ſi tales contrariæ adueniant, neceſſe eſt vt præſens forma pereat propter repugnantiam & incompatibilitatem, quam habet ad tales diſpoſitiones: quod non eſt in materia cœleſti, quæ eſt incapax talium diſpoſitionum, & primarum qualitatum.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Th. loco citato contra gentes. Deinde quia licèt diſpoſitiones, quibus mediantibus fit corruptio, recipiantur in toto compoſito: tamen ipſum totum non habet à forma tanquam à primo omnino principio, quòd illas accipiat ac ſubſtet illis: ſed hoc habet à materia, quæ eſt primum omnino principium paſſiuum. Denique quia priuatio, quæ requiritur & reperitur in corruptione, ſe tenet ex parte materiæ, non ex parte formæ; cùm ipſa materia ſit priuata, non verò forma, cuius carentia eſt priuatio: ergo penſatis omnibus materia prima eſt dicenda primum omnino principium ac prima radix corruptionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd vnum contrariorum vt ſic, non eſt cauſa ſui contrarij: nec materia prima eſt cauſa corruptionis, quatenus eſt incorruptibilis, ſed tantùm quatenus habet annexam priuationem formæ incompoſſibilis cum illa, quam actu habet. Ad aliud dicendum, quòd illud axioma eſt verum, quando prædicatum poteſt conuenire tam cauſæ quàm effectui; quod in præſenti non reperitur: vnde vt concluderet, deberet ſic exponi. Totum eſt corruptibile propter materiam, & materia eſt corruptibilis; ergo materia eſt magis corruptibilis: conſtat autem ex ſupra dictis, quòd ſecunda pars antecedentis ſit falſa, ac proinde totus diſcurſus nihil concludit.

Ad ſecundum dicendum, quòd tantùm probat formam eſſe principium inadæquatum corruptionis, non verò primum propter rationes adductas: nec verum eſt, quòd ille appetitus materiæ refundatur in formam, vt in principium adæquatum, ſed tantùm vt in principium partiale; inquantum non ſatiat capacitatem materiæ: refunditur etiam in materiam inquantum eſt talis naturæ, vt eius capacitas non ſit ſatiabilis per formam amiſſibilem. Ad confirmationem dicendum cum Iauello 8. Metaph. q. 24. quòd ſi vniretur materia ſublunaris cum forma cœleſti, vel materia cœleſtis cum forma ſublunari, compoſitum reſultans eſſet corruptibile: quia talis materia & talis forma non habent ab intrinſeco inter ſe commenſurationem & proportionem talem, vt vnio inter ipſas ſit indiſſolubilis.

Ad tertium dicendum, quòd licèt formaliſſima cauſa corruptionis, ac terminus ipſius, ſit non eſſe formæ: tamen radix illius non eſſe, neceſſariò eſt materia prima, quæ ſi non eſſet priuata formâ generandâ, & hoc vt fundamentum ſupponeretur, non poſſet forma abeſſe à ſubjecto.

QVÆSTIO IV.

De ſecundo principio entis naturalis, ſcilicet priuatione.



Cvm in omni motu & mutatione priùs ſit terminus à quo incipit talis motus, quàm terminus ad quem finitur: & in generatione ſubſtantiali, per quam producitur ens naturale, priuatio ſit principium per modum termini (à quo) ideo poſt conſiderationem materiæ primæ, quæ eſt ſubiectum talis mutationis; ſtatim occurrit conſiderandum de ipſa priuatione priuſquam de forma, quæ eſt terminus (ad quem.) Circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm priuatio ſit carentia formæ in ſubjecto apto?

¶ Secundò, Vtrùm priuatio ſit ens reale?

¶ Tertiò, Vtrùm priuatio, quæ eſt principium entis naturalis, ſit priuatio formæ ſpecificæ vel indiuidualis?

Articvlvs I.

Vtrùm priuatio sit carentia formæ in subiecto apto?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd priuatio non sit carentia formæ in subiecto apto; sed carentia formæ in quocúmque subiecto. Probatur. Lapis dicitur priuatus visu, & similiter talpa: sed nec lapis nec talpa sunt subiectum aptum recipiendi visum, cum nullus vnquam lapis aut talpa videat: ergo priuatio non est carentia formæ in subiecto apto.

¶ 2. Præterea, Canes ante nonum diem non sunt apti ad videndum, vt quotidie experimur, & tamen dicuntur priuati visu: ergo priuatio non est carentia formæ in subiecto apto tantùm, sed in quocúmque subiecto.

Sed contra est ipsa definitio tradita ab Aristotele, quam admittit D. Thom. & communiter omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm priuatio distinguatur ex parte subiecti tantùm à pura negatione, quæ solùm importat carentiam formæ: debet esse carentia formæ in subiecto apto.

Respondeo dicendum, quòd priuatio optimè definitur à Philosopho, quòd sit carentia formæ in subiecto apto. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd priuatio & negatio in hoc conueniunt, quòd ambo dicant carentiam formæ in subiecto: in hoc autem differunt, quòd priuatio importet talem carentiam in subiecto apto ad habendam talem formam, quam aptitudinem subiecti non requirit negatio: sumuntur autem tribus modis tam priuatio quàm negatio ex Aristotele 4. Metaphysicæ textu 4. Item lib. 5. textu 27. & ex D. Thom. ibidem, & alibi sæpe. Incipiendo à negatione, sumitur primò latè pro quocúmque non esse, & dicitur negatio simplex & pura: quia dicit meram remotionem, siue absentiam entitatis, nec prout sic determinat sibi, aut connotat aliquod subiectum; & in hoc sensu ipsum nihil, siue non esse, non homo, non sedens, dicuntur negationes. Secundò sumitur minùs latè pro remotione & carentia entitatis siue formæ in aliquo subiecto, abstrahendo quòd habeat vel non habeat aptitudinem ad talem formam: & sic comprehendit tam negationem quàm priuationem propriè dictam. Tertiò sumitur propriè & strictè pro carentia formæ in subiecto inepto ad illam habendam, vt carentia visus in lapide: in hoc sensu vna species dicit negationem alterius, & negatio vt sic opponitur priuationi propriè dictæ, quæ est carentia formæ in subiecto apto. Similiter priuatio sumitur tribus modis ex Aristotele 5. Metaph. textu 27. & D. Th. 1. p. q. 33. art. 4. ad 2. Item. in 1. d. 28. q. 1. art. 1. ad 2. Item q. 9. de potentia art. 7. ad 11. Sumitur primò quando subiectum caret formâ, quæ nata est haberi ab aliquo, quodcúmque illud sit: sed tamen tale subiectum non est aptum habere illam, vt priuatio visus in lapide; & sic opponitur negationi primo modo sumptæ, sed coincidit cum eadem secundo modo. Sumitur secundò quando subiectum caret formâ, quam licèt ipsum non possit habere: potest tamen haberi ab aliquo sui generis, vt carentia visus in talpa. Tertiò quando subiectum caret formâ, quam ipsum natum est habere, quando & vbi debet habere, vt tenebræ in aëre, & cæcitas in cane post nonum diem; & hæc est propria acceptio priuationis: & sic opponitur negationi: priuatio autem sic propriè sumpta diuiditur in illam, quæ consistit in fieri, & recipit magis & minus, vt obscuritas; & in illam quæ consistit in facto esse, & in indiuisibili, vt mors, tenebræ, cæcitas.

Probatur conclusio authoritate Philosophi. Deinde, priuatio propriè dicta distinguitur à negatione propriè dicta, vt communiter docent Philosophi: sed solùm possunt distingui in hoc, quòd negatio est carentia formæ in subiecto inepto; priuatio autem est carentia formæ in subiecto apto ad illam habendam: ergo priuatio optimè definitur à Philosopho, quòd sit carentia formæ in subiecto apto.

Ad primum ergo dicendum, quòd tam lapis, quàm talpa dicuntur impropriè priuati visu, vt dictum est: vnde cæcitas in ipsis non est priuatio propriè sumpta: sed latè sumpta in talpa, & latissimè in lapide: ac proinde est potiùs negatio.

Ad secundum dicendum, quòd cæcitas est quidem priuatio in cane: sed non propriè ante nonum diem; quia pro tunc non est aptum natum habere visum.

Articvlvs II.

Vtrùm priuatio sit ens reale?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd priuatio sit ens reale. Probatur. Omne quod est à parte rei est ens reale, per hoc enim differt ens reale ab ente rationis, quòd ens rationis habeat tantùm esse obiectiuum in intellectu, cùm nihil sit à parte rei formaliter; ens reale verò etiam nemine cogitante sit in se à parte rei, vt communiter docent Philosophi: sed priuatio verè est à parte rei: cùm realiter denominet; cæcitas enim nemine cogitante est in oculo, & realiter denominat cæcum priuatum visu: ergo priuatio est ens reale.

¶ 2. Præterea, Ex Aristotele 1. Physicorum textu 66. priuatio est accidens materiæ, & vnum numero cum illa: sed accidens est aliquid reale, cùm efficiat realiter subiectum: ergo priuatio est aliquid reale; maximè quia priuatio intenditur & remittitur, siue suscipit magis & minus, vt patet in obscuritate aëris, quæ fit maior & minor: constat autem quòd intendi & remitti sit tantùm entis realis.

¶ 3. Præterea, Terminus (ad quem) motus, siue mutationis realis debet esse aliquid reale: cùm motus identificetur cum suo termino: sed priuatio est terminus (ad quem) mutationis realis, scilicet corruptionis; per corruptionem enim inducitur priuatio formæ in materia: ergo priuatio est aliquid reale; maximè quia intenditur per se, vt patet in eo qui appetit mortem: quod autem appetitur, est bonum; cùm solum bonum sit obiectum appetitus: bonum autem est in rebus, sicut verum in intellectu; ac proinde est aliquid reale.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, quem communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm priuatio nihil sit aliud, quàm carentia formæ in subiecto apto: non est ens reale.

Respondeo dicendum, quòd licèt priuatio sit à parte rei: 2. non tamen est ens à parte rei siue ens reale. 3. sed est tantùm ens rationis, sicut & quælibet negatio vt sic. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd priuatio distinguitur realiter à materia prima eo modo, quo non ens siue ens rationis ab ente reali; ac proinde distinguitur realiter negatiuè, non positiuè; (distinctio enim realis positiua requirit extrema realia) diuerso enim modo priuatio influit, ac influit materia prima.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. in 2. d. 37. q. 1. art. 2. ad 3. & cap. 1. de ente & essentia, vbi dicit quòd licèt priuationes & negationes nón habeant à parte rei aliquam entitatem, aut essentiam: sunt tamen à parte rei remotiones, siue carentiæ entitatis, siue formæ, & ita licèt sint realiter: non tamen sunt aliquid reale. Hanc partem probant argumenta addúcta in contrarium. Confirmatur. Nemine cogitante aër priuatur luce à parte rei: ergo talis priuatio est realiter à parte rei.

Probatur secunda pars conclusionis citatâ iam authoritate D. Th. Item Aristotelis 1. Physic. textu 75. vbi dicit quòd priuatio est per se non ens, & textu 79. distinguit priuationem à materia: per hoc quòd materia est non ens secundùm accidens; priuatio verò est non ens, per se nec sibi contradicit, dum 5. Metaphysicæ textu 14. vocat priuationem ens reale: solùm enim vult, vt explicat D. Th. 1. p. q. 48. art. 2. ad 2. quòd sit fundamentum realis veritatis propositionis; non autem quòd habeat entitatem realem in se: licèt fundetur in entitate reali.

Secundò, priuatio ex Aristotele 1. Physicorum textu [illegible], nihil est aliud, quàm absentia, carentia, aut non esse formæ: & ita communiter dicitur à Philosophis: sed absentia, carentia, aut non esse formæ destruunt entitatem realem potiùs quàm ponunt, vt constat ex ipsis terminis: ergo priuatio, licèt sit à parte rei verè & realiter, non tamen est ens à parte rei, siue ens reale, sed negatio entis realis.

Probatur tertia pars conclusionis ex communi consensu Logicorum, qui diuidunt ens rationis in relationem, negationem & priuationem: ergo priuatio est ens rationis: non quòd sit à parte rei ens rationis formaliter: hoc enim repugnat enti rationis: sed tantùm fundamentaliter: inquantum intellectus potest illam apprehendere ad modum entis: in hac re videantur Caietanus 1. p. q. 48. art. 2. Capreol. in 2. d. 34. q. 1. ad 2. Ferrar. 3. contra gentes cap. 19. Priuatio autem formæ generandæ non est eadem numero cum priuatione eiusdem formæ vt corruptæ; nam indiuiduatur ad modum formæ accidentalis positiuæ: quæ requirit, vt conditionem, vnitatem temporis.

Ad primum ergo dicendum, quòd non omne quod est realiter à parte rei, est ens reale; sed solùm id, quod est ens à parte rei: quod nō est in præsenti; nam priuatio, licèt sit realiter à parte rei, non tamen est ens à parte rei: sed non ens, siue non esse alicuius formæ: & denominat subjectum vt non ens; quamuis apprehendatur ad modum entis.

Ad secundum dicendum, quòd priuatio dicitur accidens materiæ, quia accidit illi, dicitur autem vnum numero cum materia in ratione subiecti; quia materia vt priuata formâ, siue cum priuatione formæ est subiectum generationis, & susceptiuum formæ. Ad aliud dicendum quòd priuationes non intenduntur aut remittuntur per se primò; quia hoc solùm conuenit accidenti reali: sed tantùm secundariò: intenduntur enim ad remissionem formæ, & remittuntur ad intentionem eius, vt patet in obscuritate respectu lucis: intensio autem & remissio nullo modo competit priuationi, de qua agimus; quæ est principium generationis & entis naturalis.

Ad tertium dicendum, quòd motus aut mutationes reales semper aliquid faciunt realiter: quidam ponunt aliquid reale; si sint motus perfectiui: quidam verò nihil ponunt, imò tollunt, si sint motus destructiui; & talis est corruptiò, quæ solùm est de intentione naturæ vniuersalis inquantum conducit ad bonum & pulchritudinem vniuersi: non verò est de intentione naturæ particularis, sicut generatio: ad quam consequitur per accidens, quantùm ad intentionem naturæ particularis, nec est bonum reale & verum; sed solùm apprehensum & apparens: & vt sic appetitur; omnis autem motus distinguitur à suo termino.

Articulus III.

Vtrùm priuatio, quæ est principium entis naturalis, sit priuatio formæ specificæ vel indiuidualis?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd priuatio, quæ est principium entis naturalis, sit tantùm priuatio formæ specificæ, & non indiuidualis: ita tenent aliqui dicentes, quòd sit per accidens ad generationem, quòd forma, quæ est terminus eius, sit indiuidualis & numerica. Probatur. Omne generans producit sibi simile secundùm formam quâ agit: sed non producit sibi simile secundùm formam indiuiduam; genitum enim differt à generante in proprietatibus indiuidualibus, & solùm assimilatur ei in proprietatibus specificis; ac proinde secundùm formam specificam: ergo forma vt specifica, & non vt indiuidualis est terminus (ad quem) generationis; ac proinde eius priuatio est terminus (à quo.)

§ 2. Præterea, in corruptione rei naturalis forma materialis redit in potentiam materiæ; & propterea non annihilatur: vnde eadem est in potentia materiæ; quæ ante erat actu: sed non est eadem numero, quia corruptum naturaliter non potest reproduci: ergo eadem specie, & in terminus generationis & corruptionis est forma specifica præcisè: & consequenter eius priuatio est terminus [à quo.]

Sed contra est authoritas Aristotelis, quam communiter sequuntur Philosophi.

Conclusio.

Cùm terminus generationis substantialis productus (vt quo) sit forma substantialis indiuidua: priuatio quæ est principium entis naturalis, est priuatio formæ substantialis indiuiduæ.

Respondeo dicendum, quòd priuatio, quæ est principium entis naturalis, non est priuatio formæ specificæ præcisè, sed formæ specificæ indiuiduatæ; ita vt vtráque ratio per se pertineat ad formam substantialem, ad hoc vt sit terminus generationis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd priuatio aliquando dicitur principium entis naturalis per accidens: quia non est principium in facto esse, sed tantùm in fieri, respectu cuius est verum principium per se, vt dictum est supra; nam ad generationem substantialem, cùm sit mutatio, per se ista tria requiruntur; scilicet subiectum mutationis, quod est materia; terminus (à quo) qui est priuatio formæ; & terminus (ad quem) scilicet ipsa forma.

Probatur conclusio. Generatio substantialis terminatur ad formam specificam indiuiduatam: per ipsam enim producitur [vt quo] hæc forma, & [vt quod] hoc compositum talis speciei, qualis est generans; omne enim generans producit sibi simile; quod non esset, nisi produceret aliud indiuiduum suæ speciei: ergo terminus [à quo] generationis; ac proinde principium entis naturalis per modum termini [à quo] est priuatio formæ specificæ indiuiduatæ, & non formæ specificæ præcisè.

Secundò, ex Philosopho 2. Physicorum textu 39. causis generalibus respondent effectus generales, & causis singularibus effectus singulares: ergo forma singularis siue indiuidua est terminus [ad quem] generationis substantialis, prout est actio causæ singularis: & consequenter cùm terminus [à quo] sit oppositus termino [ad quem] priuatio, quæ est principium entis naturalis, & terminus [à quo] generationis, est priuatio formæ singularis & indiuiduæ: non excludendo tamen rationem eius specificam. Vnde patet quòd falsum est id, quod aliqui dicunt; scilicet priuationem formæ numericæ esse terminum [à quo] tantùm per accidens, & materialem generationis substantialis: sicut & formam numericam vt sic, esse tantùm per accidens, & materialiter terminum [ad quem] illius: inquantum forma specifica non potest produci aut conseruari nisi in indiuiduis; nam licèt solùm species sint de primaria intentione naturæ vniuersalis, & propterea indiuidua non multiplicantur, quando sunt perpetua, & incorruptibilia, vt patet in Angelis, Sole, Luna &c. quia solæ species per se primò conducunt ad pulchritudinem vniuersi: natura tamen particularis intendit per se primò indiuidua, maximè quando agens est vniuocum: debet enim producere, & intendit producere sibi simile in natura specifica; ac proinde aliud indiuiduum eiusdem naturæ: quod non dicit formam specificam tantùm, sed formam specificam indiuiduatam, & hanc materiam simul vnitas: & ita priuatio quæ est terminus (à quo) generationis, & principium entis naturalis; non est tantùm priuatio formæ specificæ, sed specificæ indiuiduatæ & singularis: ita vt vtráque ratio per se requiratur. Maximè quia materia prima est in potentia ad formas non solùm vt specificas, sed etiam vt indiuiduas: inquantum disponitur ad hanc & illam non solùm specie, sed etiam numero formam: ex qua varie dispositione prouenit quòd formæ etiam eiusdem speciei habent maiorem vel minorem perfectionem substantialem, vt infra dicetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd generans vniuocum producit quantùm est in se simile; non solùm secundùm proprietates specificas, sed etiam indiuiduales: quòd autem aliquando sit dissimile secundùm indiuiduales, prouenit ex imperfectione virtutis generatiuæ, aut ex aliquo alio accidente. Deinde sufficit quòd producat si-

mile

[illegible] in natura, ad hunc vt eius actio terminetur ad aliud indiuiduum eiusdem naturæ; ac proinde quòd forma vt indiuidua sit terminus suæ actionis: & hoc necessarium omnino est; quamuis detur quòd agens supremum tantùm intenderet naturam specificam.

Ad secundum dicendum, quòd illa forma, quæ per corruptionem redit in potentiam materiæ, est eadem numero, ac illa quæ ante corruptionem, erat in actu, & educta fuerat è tali potentia: non quidem eadem positiuè, sed negatiuè: cùm ipsamet numero possit iterum educi; nec est necesse, quòd possit iterum educi ab agente naturali.

QVÆSTIO V.

De Tertio Principio entis naturalis, scilicet forma substantiali.

VLTIMVM quod per se requiritur in omni motu, vel mutatione, est terminus (ad quem,) quo acquisito cessat motus, & mobile quiescit: dictum est autem quòd forma substantialis est terminus (ad quem) generationis substantialis: vnde postquam actum est de materia prima, quæ est eius subiectum; & de priuatione, quæ est terminus (à quo,) solùm restat agendum de forma: vt ita completè tractetur de principiis entis naturalis: non autem agimus de his principiis ordine dignitatis: certum enim est formam esse digniorem aliis, cùm sit actus realis; ac proinde nobilior materiâ, quæ est pura potentia; & priuatione, quæ non est ens reale: sed agimus ordine generationis. Circa formam autem quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm sit, & quid sit forma substantialis?

¶ Secundò, Vtrùm formæ substantiales educantur de potentia materiæ?

¶ Tertiò, Vtrùm formæ Cœlorum & Elementorum in sui prima productione fuerint eductæ de potentia materiæ?

¶ Quartò, Vtrùm omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti?

¶ Quintò, Vtrùm de potentia absoluta plures formæ substantiales possint simul informare eandem materiam, & vna forma plures materias?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit, & quid sit forma substantialis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd non sit forma substantialis; ac proinde quod nihil sit. Ita sensit, & voluit in publicis conclusionibus defendere quidam nouus in Ciuitate Parisiensi: dicebat igitur non dari materiam primam, nec vllam formam substantialem (animâ rationali exceptâ:) insuper dicebat materiam & formam substantialem esse figmenta Aristotelis, ab ipso introducta ex ignorantia, aut superbia: sed zelo cuiusdam religiosi nostri fuit illi prohibitum tales conclusiones defendere, & in posterum docere. Probatur quòd non sit forma substantialis. Si esset admittenda forma substantialis, maximè vt daret specificationem toti composito; ac proinde causaret inter indiuidua distinctionem, tam specificam, quàm numericam: sed ad hoc non est necessaria; quia ex Philosopho 8. Metaph. textu 5. omnis distinctio prouenit ex accidentibus; dicit enim quòd quædam substantiæ differunt sensibilium passionibus, quædam tempore, quædam loco, & quòd in differentiis consistit esse rei: ergo non datur forma substantialis.

¶ 2. Præterea, Si daretur forma substantialis deberet per se subsistere, cùm sit de ratione substantiæ vt sic, per se subsistere: sed nulla forma materialis per se subsistit: ergo non datur forma substantialis materialis.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, quam vnanimiter sequuntur omnes Philosophi, tam antiqui, quàm moderni.

CONCLVSIO.

Cùm secundùm fidem detur anima rationalis, quæ est vera forma hominis; & reperiatur diuersitas essentialis inter entia naturalia: verè sunt formæ substantiales.

RESPONDEO dicendum, quòd necessariò debet admitti forma substantialis, quæ sit pars entis naturalis: 1. est autem de fide dari aliquam, scilicet animam rationalem, quæ est vera forma hominis: 3. essentia formæ substantialis consistit in hoc, quòd sit actus primus corporis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd licèt tam forma substantialis, quàm accidentalis sint in subiecto: diuersimodè tamen in illo sunt: nam forma accidentalis est in illo, vt actus inhærens, & ab illo habens esse, quod repugnat rationi formali & essentiali substantiæ cuiuscunque: cùm sit ens per se, cui opponitur esse in alio per inhæsionem: forma verò substantialis, licèt sit in subiecto: non tamen est in illo vt inhærens, sed vt informans, siue vt dans esse specificum, & esse existentiæ: nec his contrariatur Aristot. dum 2. de generatione cap. 2. dicit primas qualitates, scilicet calorem, frigus, siccitatem & humiditatem esse formas substantiales elementorum: ex quo sequitur idem esse formam substantialem & accidentalem respectu diuersorum, & quod idem in vno inhæreat, in alio verò informet: dicendum est enim quòd Philosophus non sumit ibi elementa, vt sunt aliquod ens naturale: sed formaliter vt elementa sunt: nam elementum non est nomen naturæ, sed contrarietatis: & vt sic eorum formæ, siue differentiæ essentiales, aut substantiales (solet enim substantia aliquando sumi pro essentia) sunt primæ qualitates: siquidem ratio formalissima, quâ ignis & aqua immediatè contrariantur, est quia ignis est actiuus calore, & aqua frigore. Forma autem substantialis, quamuis sit actus simplex, non tamen est actus purus: nam licèt non componatur ex actu & potentia; tamen concurrit ad componendum totum Physicum vt pars illius, & se habet vt potentia ad actus Metaphysicos, scilicet subsistentiam & existentiam, quæ omnia repugnant actui puro: nec propterea forma est nobilior ipso toto; quia est causa eius; nam licèt esse ens vnum & perfectum conueniat tam formæ, quàm toti composito, non tamen eodem modo; conuenit enim formæ tantùm (vt quo:) toti verò composito (vt quod:) qui modus conueniendi est nobilior: adde quòd totum compositum continet quidquid continet forma; cùm ipsam contineat & aliquid ampliùs scilicet aliam partem, quæ suam, licèt minimam, importat perfectionem: sed de hoc infra in Metaphysica: & ita hoc dictum, quod conuenit causæ & effectui, conuenit nobiliori modo causæ; verificatur solùm quando sub eadem ratione, & eodem modo conuenit vtrique: ex quibus etiam sequitur, quòd nobilitas substantiæ non prouenit à substando, vel ab eo, quòd est pluribus subesse, sed ab actualitate: & ita cùm forma sit actus, est nobilior materiâ, quæ est potentia; licèt pluribus substet.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis, qui hîc fusè tractat de forma substantiali, tanquam de vno principio entis naturalis: idem docet D. Thom. tum in præsenti, tum opusc. 45. & alibi sæpe. Deinde omnia entia naturalia sunt certæ & determinatæ alicuius naturæ; & inter illa inuenitur essentialis diuersitas; ergo hoc illis competit ratione alicuius intrinseci & essentialis principij: accidentia enim, & alia extrinseca non possunt causare diuersitatem essentialem, cùm sint extra essentiam rei: sed hoc principium intrinsecum non potest esse materia prima: cùm eadem successiuè reperiatur in diuersis essentialiter compositis, vt in homine, & postea in cadauere: ergo hoc prouenit ab alio principio substantiali intrinseco & essentiali; quod vocamus formam substantialem.

Secundò, datur secundùm fidem anima rationalis, vt statim probabitur; quæ sit vera forma hominis; quæ etiam separatur à suo subiecto: ergo in entibus naturalibus datur aliquod subiectum substantiale, quod sit incompletum in genere substantiæ, & aptum informari

formâ ſubſtantiali; & ita petit eſſe ſemper ſub aliqua forma ſubſtantiali, cùm vt ſupra dictum eſt, ſit tam diminutæ entitatis; vt ex ſe nullam habeat ſpecificationem poſitiuam, aut exiſtentiam; imò ſit ineptum exiſtere ſine formâ: conſtat autem quòd non eſt ſemper ſub forma rationali; cùm non ſit ſubiectum proprium ſolius hominis, ſed in aliis etiam compoſitis reperiatur: ergo dicendum eſt quòd eſt ſob aliis formis ſubſtantialibus iuxta quarum diuerſitatem exorgunt diuerſa compoſita materialia.

Probatur breuiter ſecunda pars concluſionis infinitis locis Sacræ Scripturæ, in quibus fit mentio de anima rationali, vt ex illo Chriſti Domini: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem &c.* Item definitum eſt io Concilio Lateranenſi. 3. ſub Leone X. ſeſſ. 8. & in Clementina vnica de ſumma Trinitate, quòd anima rationalis ſit vera forma hominis: ergo eſt de fide dari aliquam formam ſubſtantialem.

Probatur, & explicatur tertia pars concluſionis. Cùm materia prima & forma ſubſtantialis conſtitoant totum compoſitum per modum actus & potentiæ: & materia prima ſit prima potentia: ſic forma eſt primus actus illius, & per hoc diſtinguitur realiter & eſſeotialiter à materia prima, quæ eſt pura potentia: per hoc autem quòd dicitur actus primus, oſtendirur quòd eſt actus ſubſtantialis diſtinctus à formis accidentalibus: nam ſicut ſubſtantia eſt prior naturâ & coguitiooe accidentibus; ſic actus omnino primus non poteſt non eſſe actus ſobſtantialis; per hoc etiam diſtinguitur ab aliis actibus, ſiue terminis ſubſtantialibus, ſubſiſtentia ſcilicet & exiſteotia; qui ſicut præſupponunt eſſe eſſentiæ, ita præſupponunt actum primum, ſcilicet formam ſubſtantialem, quæ pertinet ad ordinem eſſentiæ; vt illius conſtitutiuum: dicitur denique actus corporis; non quòd adueniat corpori, aut illud præſupponat, ſed quia cùm ſit pars, & conſequenter actus incompletus & informans; vnita materiæ primæ conſtituit ſubſtantiam corpoream; & per hoc diſtinguitur ab actibus completis, & per ſe ſubſiſtentibus, quales ſunt Angeli, & Deus benedictus, qui cùm ſint actus ſubſtantiales completi, & per ſe ſubſiſtentes; non conſtituunt corpus, nec poſſunt vniri materiæ, vt conſtituant vnum ens per ſe, ſicut conſtituit forma ſubſtantialis vnita materiæ: quamuis poſſint ſibi formare corpora, & apparenter efficere operationes vitales: ſed in his tantùm ſe habent, vt motores extrinſeci.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes illæ differentiæ prouenientes ab accidentibus, ſunt accidentales: & ideo requiritur aliquod principium eſſentiale, quòd cauſet differentiam eſſentialem: quæ differentia eſſeotialis, cùm ſæpe ſit nobis ignota, aſſignamus inter entia naturalia differentias accidentales deſumptas ab illorum proprietatibus nobis ordinariè notis.

Ad ſecundum dicendum, quòd eſt ſolius ſubſtantiæ completæ aut ſpiritualis per ſe ſubſiſtere: quales non ſunt omnes formæ ſubſtantiales, ſcilicet materiales: ſubſtantia autem cùm dicitur ens per ſe, ſi ly (per ſe) ſumitur vt oppoſitum ad eſſe in alio per modum inhærentis, quod conuenit accidenti; ſumitur in tota ſua latitudine, tam vt comprehendit completam quàm incompletam, & in hoc ſenſu forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia, & eſt per ſe: ſi autem ly (per ſe) idem dicat ac per ſe ſubſiſtere, ſumitur ſubſtantia ſtrictè, vt tantùm includit completam aut ſpiritualem.

Articvlvs II.

Vtrùm formæ ſubſtantiales educantur de potentia materiæ?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd formæ ſubſtantiales non educantur de potentia materiæ. Probatur. Si formæ educerentur de potentia materiæ, deberent actu contineri in materia, vt dicebant antiqui; cùm nihil poſſit extrahi ex aliqoo, niſi ſit actu in illo: ſed formæ ſubſtantiales non continentur actu in materia, aliàs ſequeretur formas incompoſſibiles eſſe in eadem materia, quod eſt impoſſibile. Item ſequeretur quòd materia eſſet valde compoſita: ergo formæ ſubſtantiales oon educuntur de potentia materiæ.

§ 2. Præterea, Si formæ ſubſtantiales educuntur de potentia materiæ, vel hoc conuenit omni formæ, vel tantùm aliquibus: oon primum, quia anima rationalis eſt vera forma ſubſtantialis, & tamen non educitur de potentia materiæ, ſed creatur, & ſimiliter formæ cælorum non educuntur de potentia materiæ: non ſecundum, cùm non ſit maior ratio cur aliquæ educantur, & nõ aliæ: ergo formæ ſubſtantiales non educuntur de potentia materiæ.

§ 3. Præterea, Formæ ſubſtantiales ſunt creaturæ: ac proinde ſunt creatæ: ſed forma quæ creatur, non educitur de potentia materiæ, vt patet in anima rationali, de qua propter hoc dicit Philoſophos, quòd aduenit de foris: & ratio eſt manifeſta; nam educi de potentia materiæ præſupponit materiam tanquam ſubiectum; creatio autem fit ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ergo formæ ſubſtantiales non educuntur de potentia materiæ.

Sed contra eſt aothoritas Ariſtotelis, & D. Th. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm formæ ſubſtãtiales materiales corruptibiles producantur dependenter à materia: educuntur de potentia illius.

Respondeo dicendum, quòd omnes formæ ſubſtantiales materiales educuntur de potentia materiæ; exceptis formis cælorum & elementorum in prima ſui productione: de quibus articulo ſequenti. 2. anima verò rationalis, quæ eſt forma ſpiritualis, non educitur de potentia materiæ, ſed creatur. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſicut illud, quod continetur in efficiente; dicitur contineri in potentia actiua illius: ſic illud, quod continetur in materia vt in cauſa, dicitur contineri in potentia illius paſſiua ſiue receptiua: quia vnaquæque cauſa debet continere ſuum effectum iuxta ſuum proprium modum cauſandi: efficiens autem, quia cauſat inquantum eſt actu: ideo continet illum ratione ſuæ actualitatis ſicut in potentia actiua; materia verò, quia cauſat per modum puræ potentiæ, illum continet ratione ſuæ potentialitatis in potentia paſſiua, ad quam continentiam requiritur, vt actus ſiue forma receptibilis ſit aliquo modo immerſa materiæ: ita vt non reperiatur in ea aliquid omnino eleuatum à materiæ conditione, & conſequenter vt non poſſit habere connaturaliter eſſe, aut operari niſi dependenter à materia; ab operatione enim, & modo illius colligimus naturam, & eſſe rei, ac modum illius. Cùm igitur materia tantùm contineat in genere cauſæ materialis, & in potentia paſſiua formas ſubſtantiales; vltra eius cauſalitatem requiritur cauſalitas, & actio agentis, ad quam pertinet actu producere res, & communicare illis eſſe actuale; quę actio præſupponit materiam iam productam per aliquam actionem priùs tempore, & illam verè tranſmutat, quia materia tranſit realiter de non eſſe ſub illa forma, quæ educitur, ad eſſe illius: ſed hæc intelligenda ſunt de actione, quæ fit vera generatio; materia enim antequam concurrat hoc modo per veram tranſmutationem, debet præſupponi realis poſita extra cauſas: & ideo iam producta per creationem ſub alia forma, & in alio toto: vnde ſequitur quòd ad hoc, vt educatur forma de potentia materiæ; non ſolùm debet per ſe loquendo interuenire tranſmutatio illius, ſed quòd etiam talis forma debeat fieri ex vi actionis, per quam effectiuè tranſmutatur materia, vt docet D.Th. 2. contra gentes cap. 86. quia cùm formæ educendæ continentur in materia vt in cauſa, nec poſſint habere eſſe niſi dependenter à materia, cui vniantur: ideo neceſſe eſt vt ex vi eiuſdem actionis, quâ educuntur, vniantur materiæ, ſine qua vnione non poteſt eis naturaliter communicari eſſe; noo poſſunt autem vniri materiæ, niſi per actionem tranſmutantem materiam, cùm materia debeat diſponi & reddi apta talis formæ: ac proinde ex vi eiuſdem actionis tranſmutantis materiam debent fieri.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi, qui in hoc primo libro & alibi docet formas substantiales educi de potentia materiæ: idem docet D. Th. pluribus locis vt q. de spiritualibus creaturis art. 2. ad 8. item 2. contra gentes cap. 86. item 1.p.q. 90. art. 2. ad 2. vbi hæc habet explicans quid sit formam educi de potentia materiæ: *Actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est, quàm aliquid fieri actu, quod priùs erat in potentia scilicet materiæ.*

Secundò. Formam educi de potentia materiæ nihil est aliud, quàm quòd forma illa priùs continetur in potentia eius, vt in causa materiali, & quòd inde educatur ad actum ex vi actionis transmutantis materiam: ita vt per illam actionem fiant dependenter à materia, vt patet ex dictis: sed omnes formæ substantiales materiales (exceptis formis cœlorum & elementorum in prima sui productione) hoc modo fiunt: nam præsupponunt materiam priùs tempore factam: deindè sunt ita imperfectæ, vt nec habeant, nec naturaliter possint habere existentiam nisi dependenter à materia: ergo continentur in illius potentialitate vt in causa materiali, & reducuntur ad actũ cum transmutatione materiæ, & ex vi talis transmutationis: quia cùm præsupponant materiam priùs tempore factam sub aliis formis, non possunt illi aduenire, nisi cum transmutatione illius; debet enim materia disponi, & reddi apta ad formas de nouo aduenientes: & quia tales formæ sunt dependentes ab illa, non possunt reduci in actum, nisi ex vi actionis vnientis illas cum materia; ac proinde transmutantis ipsam: ergo omnes formæ substantiales materiales (exceptis formis cœlorum & elementorum in prima sui productione) educuntur de potentia materiæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi, qui cùm dixisset formas substantiales educi de potentia materiæ, loquens de anima rationali dicit illam venire de foris, ac proindè creari: idem ex professo docet D. Th. 1.p. q. 90. art. 2. & idem repetit alibi sæpè.

Secundò, vt aliqua forma educatur de potentia materiæ, debet ita contineri in potentialitate illius, vt in causa, quòd non possit fieri nisi ex vi actionis transmutantis materiam, vt dictum est: sed anima rationalis non fit ex vi actionis transmutantis materiam, nec per vnitionem illius ad materiam, sed per aliam actionem priorem: cùm habeat esse naturaliter independens à materia, & transmutatione eius, & vnione cum illa, vt patet ex eius separatione; licèt respiciat materiam vt suam compartem: ergo anima rationalis non educitur de potentia materiæ, & ideo hoc est discrimen, vt ait D. Th. loco citato, inter animam rationalem, & alias formas; quòd aliæ non fiunt per se, sed quasi per accidens ad productionem totius: nam totum per se primò solùm generatur, formæ verò congenerantur & comproducuntur ex Arist. 7. Metaph. cap. 8. & D. Th. loco citato: anima verò rationalis non comproducitur, sed per creationem producitur, quæ est actio distincta à generatione totius; & ideo habet esse per se (vt quod) etiam dum est vnita materiæ: & sic vt fiat homo, præter primam productionem materiæ requiruntur aliæ duæ actiones, scilicet creatio animæ per se primò ad illam terminata, & alia quâ vnitur corpori, per quam transmutatur materia, & generatur homo; creatio autem priùs terminatur ad animam, quàm sequatur alia actio transmutatiua materiæ & vnitiua formæ: licèt ad talem creationem connaturaliter requiratur, vt occasio exigens, materia disposita per aliam actionem præuiam, sine qua dispositione, nec ipsi animæ debetur vt fiat, nec prima causa ad illius effectionem concurrit.

Ad primum ergo dicendum, quòd vt aliquid educatur de potentia alterius tanquam ex causa materiali, non requiritur vt sit in illo in actu, siue formali, siue virtuali: quia hic modus continendi est proprius causæ efficientis; sed sufficit quòd ita sit in eius potentialitate, tanquam in causa materiali; vt non possit reduci in actum, nisi per transmutationem illius: & hoc modo sunt formæ materiales in potentia materiæ, quæ ideo dicuntur educi, quia cum priùs tantùm possit concurrere ad illarum productionem, & illas recipere; ex actuali influxu materiæ actu producuntur, & in illa recipiuntur: sicut effectus dicitur esse extra potentiam agentis, dum agens illum actu producit; quia non ampliùs potest illum producere: & hoc opponitur creationi; cùm per illam res creata producatur ex nihilo, siue ex nullo præsupposito subiecto concurrente ad productionem eius, vt causa materiali verè influente: sed fit per solam actionem causæ agentis: licèt possit præsupponi aliquid per modum occasionis, vt dictum est de anima rationali.

Ad secundum dicendum, quòd per se conuenit omni formæ materiali educi de potentia materiæ; quamuis per accidens possit creari, vt dicetur de formis cœlorum & elementorum in prima sui productione: formæ verò spirituali, & per se subsistenti conuenit per se creari.

Ad tertium dicendum, quòd vt aliquid sit creatura, non requiritur quòd immediatè creetur; aliàs quæ sunt producta per generationem, non essent creaturæ: sed sufficit quòd non possit produci nisi ex præsupposito aliquo creato; quomodo producuntur formæ substantiales, cùm educuntur de potentia materiæ creatæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm formæ Cœlorum & Elementorum in sui prima productione fuerint eductæ de potentia materiæ?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd formæ cœlorum & elementorum in sui prima productione fuerint eductæ de potentia materiæ: ita tenent Vasques 1.p.q.45. art.2. Molina ibidem. Ruuius in præsenti, & alij, quos sequitur Suares quantùm ad formas elementorum 2. tom. Metaph. disp.15. sect.2. Probatur, Hæ formæ, cùm sint materiales, pendent à materia in esse & in operari, vt patet: per hoc enim distinguuntur à formis immaterialibus: ergo etiam pendent ab eadem materia in fieri; nam esse, fieri & operari inter se proportionantur, & ex modo operandi colligimus modum essendi rei, & modum quo fit: maximè cùm fieri sit via ad esse, quale est esse rei, tale est eius fieri: sed quod pendet in fieri à materia, educitur de eius potentia: non enim creatur, cùm creatio sit ex nihilo; ac proinde ex nullo præsupposito subiecto: ergo formæ cœlorum & elementorum in sui prima productione educuntur de potentia materiæ.

¶ 2. Præterea, Hæ formæ non possunt dici creatæ nec per partiales creationes terminatas ad ipsas: cùm secundùm totum suum esse pendeant à materia, vt à sustentante, nec habeant propriam subsistentiam, etiam partialem, nec existentiam ex D.Th. constat autem quòd sicut creatio totalis terminatur ad subsistens totale ex D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. sic creatio partialis ad subsistens partiale: nec possunt dici concreatæ per creationem totius; nam cœlum, aut elementa non dicuntur creata, sed sola eorum materia: creari enim est fieri ex nihilo: cœlum autem & elementa non fiunt ex nihilo, imò fiunt ex materia & forma, tanquam ex aliquibus prioribus saltem prioritate naturæ: constat autem quòd si totum non creatur, nec partes concreantur per creationem totius: ergo formæ cœlorum & elementorum in sua etiam prima productione educuntur de potentia materiæ; forma enim quæ non creatur, educitur de potentia materiæ.

¶ 3. Præterea, Hæ formæ elementorum sunt talis naturæ, vt illis repugnet fieri eadem actione, quâ fit materia ipsorum elementorum: sed necessariò debent præsupponere materiam creatam per proprium fieri, & per aliam actionem, quæ sit posterior naturâ, debent induci in materiam: nam actio, quâ fuit producta materia, adhuc perseuerat, sicut & entitas materiæ (conseruatio enim est continuata productio:) actio verò, quâ fuerunt productæ formæ elementorum, cessauit; nam ipsæ formæ & composita primò producta pereunt per varias transmu-

tranſmutationes: ergo actio, quâ fuerunt productæ hæ formæ, foit vera eductio: nam præſupponit materiã prius natura factam, & ipſæ pendent ab illa in eſſe & in fieri.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Th. quos ſequuntur communiter omnes Thomiſtæ, & plures alij, etiam Suares quantùm ad formas cœlorum.

CONCLVSIO.

Cùm cœli & elementa fuerint creata; & eorum formæ non ſint producta ex vi transſmutationis materiæ: non fuerunt eductæ de potentia materiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione non fuerunt eductæ de potentia materiæ: ſed concreatæ ad creationem totius. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt: nullam eſſe difficultatem apud authores, quin formæ elementares (quando elementa, quantùm ad partes, de nouo generantur ex mutua ad inuicem tranſmutatione per actionem corruptiuam, vt dicetur in 2. de generatione;) educantur de potentia materiæ; cùm eodem modo producantur, ac aliæ formæ compoſitorum materialium: ſed ſola difficultas eſt de ipſis formis elementaribus in prima ſui productione propter ſpecialem rationem: & in hoc ſenſu procedit præſens difficultas.

Probatur concluſio quoad vtrámque partem authoritate Ariſtotelis, qui in libris de cœlo, dicit cœlum eſſe ingenerabile. Item D. Thom. 1. p. q. 46. art. 3. & q. 65. art. 3. vbi vtitur hoc teſtimonio ſacræ Scripturæ: *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Nomine autem terræ intelligit prima corpora producta, ſcilicet omnia elementa.

Secundò, partes per ſe nec fiunt nec producuntur: ſed comproducuntur ad productionem totius, ex D. Th. q. 46. iam citatâ; quia fieri debet proportionari ad eſſe: vnde cùm partes ex ſe non ſint aut exiſtant; ſed coëxiſtant ad exiſtentiam totius: ſic nec fiunt aut producuntur ex ſe; ſed comproducuntur ad productionem totius: nam cùm fieri ordinetur ad eſſe; cuius eſt fieri, eius eſt eſſe; & cuius eſt eſſe, eius eſt fieri; & quorum tantùm eſt coëſſe ad exiſtentiam totius; illorum tantùm eſt comproduci ad productionem totius: ſed cœli ſunt verè creati: & etiam elementa in prima ſui productione; nam vt notat Monteſinus 1. 2. quæſt. 112. diſp. 31. illa authoritas ſcripturæ intelligitur à ſanctis Patribus de vera creatione: & eſt manifeſtum: nam ad ipſorum productionem nihil præſupponitur; non materia, cùm nihil materiale ante cœlum fuerit productum, ad cuius productionem fuerit comproducta (nam ſupponimus non poſſe produci niſi ſub aliqua forma, vt patet ex ſupra dictis;) nec forma ipſorum, cùm formæ materiales non producantur extra materiam: illud autem creatur, ad cuius productionem nihil eius præſupponitur: ergo formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione non fuerunt eductæ de potentia materiæ, ſed concreatæ ad creationem totius. Confirmatur. Materia cœlorum & elementorum non fuit genita, cùm ſit ingenerabilis; nec educta de potentia ſubiecti, cùm ipſa ſit primum ſubiectum: ergo fuit concreata ad creationem totius: quia ex nihilo facta eſt. Similiter dicendum eſt de formis; nam materia non poteſt produci niſi ſub aliqua forma. Deinde ſi hæ formæ educerentur de potentia materiæ, nec cœli, nec elementa poſſent dici creata: ſicut nec equus, cuius forma educitur, dicitur creatus; licèt eius materia ſit creata. Nec obſtat quòd hæ formæ pendeant à materia in eſſe; quia agens infinitæ virtutis poteſt per actionem independentem à materia efficere, id quod aliàs ab illa dependet.

Tertiò, Ad veram eductionem formæ de potentia materiæ requiritur, vt forma illa fiat cum tranſmutatione, & ex vi tranſmutationis materiæ, vt dictum eſt ſupra: non enim poteſt materia tranſire ab hoc, quod eſt habere formam in potentia, ad hoc quod eſt habere eamdem in actu, niſi tranſmutetur: & quia talis forma pendet à materia in eſſe; per eamdem actionem quâ fit, debet materiæ vniri: ſed formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione non fuerunt factæ cum tranſmutatione, & ex vi tranſmutationis materiæ; quia nunquam fuit materia cœlorum & elementorum cum priuatione formæ: quia non fuit prius producta, nec potuit produci ante formas, ſed fuit producta ſub illis, vt dictum eſt: ergo tales formæ non fuerunt eductæ de potentia materiæ. Nec ſufficit ſi reſpondeatur: quòd materia præceſſit prioritate naturæ: nam cùm loquamur de vera eductione, debet præcedere vera & realis tranſmutatio; & conſequenter vera & realis priuatio formæ; ad quam non ſufficit inſtans naturæ aut rationis: ſed requiritur ſaltem inſtans reale; nam inſtantia naturæ ſunt inſtantia (quia,) nec ad illa ſequitur vera affirmatio aut negatio realis; ſed ad ſola inſtantia realia: nec in illo priori poteſt intelligi poſitiuè materia eſſe ſine forma, ſed tantùm negatiuè, ideſt, poteſt intelligi materia non intellectâ formâ; quod non ſufficit ad veram tranſmutationem, ad quam requiritur vt materia intelligatur eſſe ſine forma, quod non poteſt eſſe; cùm eſſentialiter dependeat ab illa. Nec his obſtat quòd in generatione non eſt materia in aliquo inſtanti reali priuata formâ generandâ, poſtquam fuit corrupta forma præcedens: ſufficit enim quòd fuerit priuata illâ toto tempore, quo fuit ſub alia forma præcedenti. De formis autem accidentalibus determinabitur articulo ſequenti; quomodo poſſint educi de potentia ſubiecti in eodem inſtanti reali, in quo producuntur ipſa ſubiecta: conceditur enim hoc fieri poſſe, ſicut de facto fuit educta de potentia obedientiali Angelorum gratia in eodem inſtanti reali, quo Angeli fuerunt creati, ex D. Th. 1. p. q. 62. art. 3. iuxta illud Aug. erat Deus in illis condens naturam, & largiens gratiam: tamen in priori naturæ intelliguntur Angeli per propriam actionem perfectè & completè producti: nec iſta eductio eſt per veram tranſmutationem realem, qualis hic requiritur: cùm non poſſint dici fuiſſe priuati gratiâ niſi cum addito, ideſt, ſecundùm rationem, & in priori naturæ.

Quartò, D. Th. 1. p. q. 65. art. 3. probat Angelos non fuiſſe aſſumptos vt inſtrumenta ad primam creaturæ corporalis productionem; quia prima corpora producta ſunt per creationem; creatura autem non poteſt aſſumi vt inſtrumentum ad creandum: ergo ſi prima corpora, ſcilicet cœli & elementa, ſunt verè creata; formæ eorum non fuerunt eductæ de potentia materiæ; aliàs eſſent genita: talis enim eductio importat generationem.

AD primum ergo dicendum, quòd ſolùm probat has formas non poſſe fieri connaturaliter niſi dependenter à materia: non quòd ipſa præſupponatur, & quòd ipſæ ab illa educantur, ſed quia producuntur in materia & vnitæ cum materia: ſicut propter eamdem dependentiam materia creatur ſub forma, quia inter materiam & formam eſt mutua dependentia.

AD ſecundum dicendum, quòd tam forma, quàm materia cœlorum & elementorum concreatur ad creationem totius: quia ſubſiſtunt ad ſubſiſtentiam totius: diſcurſus autem aduerſariorum, ſi quid probaret: etiam probaret impoſſibile fuiſſe cœlum, elementa, aut quodcúmque compoſitum creari: vnde dicendum quòd creatio non excludit partes componentes aliquod totum; dummodo ſimul comproducantur ad productionem totius: ſolùm excludit aliquid fieri ex alio tanquam ex præſuppoſito realiter ſubiecto ad eius productionem, quæ prioritas realis per ſe loquendo requiritur ad eductionem formæ & generationem: hîc autem non inuenitur, imò eſt impoſſibile inueniri, cùm in nullo reali poſſit eſſe materia ſine forma: & ita ly (fieri ex aliquo) denotat cauſalitatem materialem.

AD tertium dicendum 1. quòd illa actio concreatiua materiæ, vt eſt formaliter conſeruatio illius, ſtatim ac materia elementorum mutauit formas, ceſſauit: quia non erat conſeruatiua illius niſi in toto: vnde conſeruatur per aliam actionem generatiuam compoſiti aduenientis à qua effectiuè habet quòd exiſtat: vnde conſeruari eſt perſiſtere ipſam eſſentiam in eſſe; quod habet materia: nam licèt ex ſua conditione, cùm ſit pars compoſiti, & tranſeat ſub varias formas ſucceſſiuè, tranſeat etiam ſub

varias

varias existentias: tamen cùm semper sit sub aliqua existentia, nec absolutè incipiat de nouo existere, dicitur conseruari: & ita eius conseruatio est singularis, per varias scilicet actiones successiuè. Dicendum 2. & meliùs quòd illa actio generatiua non potest dici conseruatiua materiæ: nam actio conseruatiua est talis naturæ, vt quantùm est in se, produceret id quod conseruat, nisi iam productum inueniret; quod sine dubio non habet ista actio generatiua, quæ licèt attingat existentiam, quâ existit materia; tamen non potest attingere ipsam entitatem essentiæ materiæ primæ: vnde materia conseruatur per actionem Dei immediatè, quæ attingit immediatè essentiam illius: & hoc propter indigentiam materiæ: sed necessariò & indispensabiliter habet annexam aliam actionem, quâ producitur totum compositum, & ipsi materiæ communicatur esse prædicti compositi: hoc autem est singulare in materia; illa actio conseruatiua materiæ est formaliter immanens, & virtualiter transiens.

Articvlvs IV.

Vtrùm omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd non omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti: sed tantùm connaturales: ita Soncinas 7. Metaph. q. 8. Ægidius in 2. d. 3. q. 2. Argentina ibidem, art. 3. & alij. Probatur. Vt aliqua forma educatur de potentia subiecti, debet contineri in illo tanquam in causa, vt patet: sed nec formæ supernaturales nec violentæ aut artificiales continentur in suo subiecto tanquam in causa; quia formæ supernaturales sunt superioris ordinis, & ideo improportionatæ subiecto; item subiectum nullam dicit inclinationem ad formas violentas aut artificiales: cùm non sint connaturales & debitæ: causa autem dicit connaturalem inclinationem ad effectus quos continet: ergo solæ formæ connaturales educuntur de potentia subiecti.

¶ 2. Præterea, Motus violentus, & sic de aliis formis violentis, non educitur de potentia subiecti: quia subiectum non conatur, imò resistit ad productionem ipsius; cùm non contineatur in eo, sed potiùs oppositum talis formæ & talis motus: ergo non omnes formæ accidentales educuntur de potentia subiecti.

¶ 3. Præterea, Gratia & virtutes supernaturales infunduntur à Deo, vt docet Concilium Tridentinum sess. 9. de iustificatione cap. 7. ergo non educuntur de potentia subiecti; quia quod educitur ab aliquo, debet in illo contineri: quod autem continetur in aliquo, non infunditur illi: maximè quia gratia & illæ virtutes; cùm sint eiusdem speciei cum gratia & virtutibus Beatorum, sunt incorruptibiles: ac proinde ingenerabiles: & ita non educuntur de potentia subiecti: ergo non omnes formæ accidentales educuntur de potentia subiecti.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, ac plures alij.

Conclvsio.

Cum omnes formæ accidentales (exceptis illis quæ connaturaliter emanant à subiectis, & sunt in eodem instanti cum illis) dependeant in esse & in fieri à subiecto, quod potest intelligi esse connaturaliter & absolutè sine illis: educuntur de potentia subiecti.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt formæ accidentales connaturales subiectis, quæ ab eorum emanant essentia, & sunt in eodem instanti cum illis; non tam educantur, quàm coëducantur: etiam eo modo, quo formæ educi dicuntur: 2. reliquæ tamen omnes, quæ non nectuntur per se in eodem instanti cum subiecto; licèt per accidens contingat fieri in eodem instanti cum illo, educuntur de potentia illius; etiamsi sint formæ supernaturales.

AD cuius euidentiam sciendum est, quòd infra probabitur, accidentia etiam materialia non subiectari in materia prima, sed in toto composito: dicuntur autem materialia, quia sunt in composito propter exigentiam materiæ: formæ autem accidentales sunt in multiplici differentia; quædam enim sunt connaturales subiecto, vt omnes proprietates, calor igni, frigus aquæ &c. quædam sunt violentæ, quæ scilicet reperiuntur in subiecto contra propriam eius inclinationem, vt calor in aqua, aliæ sunt artificiales, quæ fiunt ab arte, vt forma cathedræ &c. aliæ supernaturales & ordinis diuini, quia petunt fieri immediatè à Deo, vt ab agente supernaturali, vt gratia habitualis, gloria &c. Consequenter debet esse in subiecto multiplex potentia receptiua iuxta diuersitatem illarum: vnde est potentia connaturalis ad formam connaturalem; violenta ad violentam; obedientialis in ordine ad agens liberum & artificiale; alia obedientialis in ordine ad Deum, vt est agens supernaturale, & inducens formam supernaturalem supra totam capacitatem subiecti: inter formas autem accidentales reperitur differentia, quòd quædam per se petunt fieri in eodem instanti, quo fit subiectum: quia sunt illi debitæ, & fluunt ab eius essentia, aliæ verò sunt, quæ per se non petunt fieri simul, & in eadem duratione cum subiecto; quamuis contingat simul cum illo fieri.

Item sciendum est quòd licèt per se loquendo ad eductionem requiratur vera & realis transmutatio: tamen per accidens potest contingere, vt manente essentiâ eductionis non detur de facto talis transmutatio: & contingit quando forma & subiectum, licèt non habeant per se necessariam connexionem in eodem instanti, tamen per accidens fuerunt simul producta in illo, cuius oppositum desideratur ad hoc vt de facto sit ibi mutatio: colligitur hoc ex D.Th. 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. Item 2. contra gentes cap. 17. horum exempla habemus apud D. Th. nam fuit data Angelis in instanti suæ creationis gratia: vnde nunquam caruerunt illâ verâ carentiâ & priuatione, quæ ad mutationem desideratur; quæ tamen gratia fuit educta de potentia obedientiali illorum: quia tamen per se loquendo illa gratia non habet necessariam connexionem cum essentia Angeli; ideo quantùm est ex se illa eductio habet coniunctam mutationem, licèt per accidens non habeat: similiter contingit ex D. Th. 3. p. q. 77. art. 5. quando quantitas hostiæ consecratæ conuertitur in materiam primam: tunc enim agens naturale educit in primo instanti formam v. g. vermis, pro qua quantitas illa, quæ vicem materiæ gerebat, fuit disposita (& idem contingeret, licèt materia fieret per creationem): & tamen quia illa eductio & generatio vermis per se loquendo non petit fieri in eodem instanti, quo materia: licèt per accidens nectantur in illo instanti; & consequenter quia posset æquè bene fieri, quamuis materia multo tempore præcessisset sub alia forma: ideo per accidens tantùm non adest ibi mutatio; quamuis per se loquendo deberet ibidem interuenire.

Probatur prima pars conclusionis. Tales formæ non tam fiunt, etiam eo modo quo formæ fieri dicuntur, quàm confiunt, vt patet: cum emanent connaturaliter ab essentia, & producantur simul cum illa; ac proinde eadem actione; quod est simul fieri, siue confieri: ergo non educuntur, sed coëducuntur ad eductionem formarum, à quibus emanant: hoc tamen debet intelligi de illis proprietatibus, quatum essentiæ, siue formæ, à quibus emanant, educuntur: nam si fiant per creationem, vt patet in anima rationali; tunc proprietates non coëducuntur, sed concreantur: sicut in nobis intellectus & voluntas: ratio huius petitur ab illo principio: Qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam: ac proinde qui educit, aut creat formam, coëducit, aut concreat proprietates consequentes ad illam. Confirmatur. Priuatio, quæ præcessit in materia, non tam est respectu proprietatum, quàm respectu formæ constitutiuæ illius essentiæ, à qua dimanant: ergo solùm potest dici comprinata illis; ac proinde, cùm eductio correspondeat ptinationi, & coëductio compriuationi, tales proprietates sunt coëductæ: & sic istæ formæ accidentales, cùm respectu subiecti immediati nullam per se dicant priuationem,

tionum, ſed petant eſſe in eodem inſtanti cum illo : non educuntur ab illo, ſed coëducuntur ad eductionem illius.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Th. qui illam expreſsè docet q. vnicâ de virtutibus, art. 10. ad 13. Deinde formæ, quæ pendent in eſſe à ſubiecto, tanquam ab aliquo priori, prioritate (in qua;) id eſt quod poteſt intelligi eſſe connaturaliter, & abſolutè ſine illis; verè pendent in fieri ab illo : & quæ pendent in eſſe, & fieri; verè educuntur de potentia ſubiecti : ſed hæ omnes formæ accidentales pendent in eſſe à ſuis ſubiectis, tanquam ab aliquo priori, prioritate (in qua,) vel quia fiunt eſtu in alio inſtanti poſteriori, vel per ſe loquendo fieri poſſunt in illo ; cùm non ſint connaturaliter debitæ : ergo educuntur de potentia illius.

Secundò. Hæ formæ per ſe loquendo fiunt ex vi tranſmutationis ſubiecti : ſi enim fiant in alio inſtanti poſteriori eo quo fit ſubiectum, verè ſubiectum tranſmutatur : nam tranſit à priuatione ad habitum ; & cùm tales formæ accidentales pendeant à ſubiecto in eſſe, neceſſe eſt vt actio productiua illarum ſit vnitiua earumdem cum ſubiecto ; ac proinde tranſmutatiua ſubiecti : & ita fiunt ex vi talis tranſmutationis ſubiecti ; quod eſt educi de potentia illius : ſi verò accidentaliter contingat prædictas formas fieri vnà cum ſubiectis ſuis, vt contigit in B. Virgine, quæ in eodem inſtanti in quo fuit creata eius anima habuit gratiam ſanctificantem : tunc ſaltem per ſe loquendo debet eſſe ibi tranſmutatio ſubiecti ; & ex vi tranſmutationis fieri illa gratia ; licèt per accidens non ſit ibi tranſmutatio : ergo cùm ſufficiat ad eductionem, quòd per ſe loquendo actio illa ſit tranſmutatiua materiæ, ſiue ſubiecti ; conſequens eſt quòd etiam tunc prædictæ formæ educantur de illius potentia.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt requiratur ad hoc vt aliquid contineatur in alio vt in cauſa efficiente, quòd illud aliud ſit vel ſuperioris ordinis, vel ſaltem eiuſdem : tamen vt ſit in illo tanquam in cauſa materiali ratione potentiæ obedientialis tantùm, hoc non requiritur : hæc autem potentia immediatè reſpicit agens ſupernaturale, & illi ſubditur ; ac proinde immediatè eſt in ordine ad formam ſupernaturalem, & ordinis ſuperioris : hæc autem potentia licèt entitatiuè & ex parte ſubiecti ſit naturalis : tamen ex parte termini eſt ſupernaturalis : & ſic ſubiectum non eſt omnino improportionatum : hic autem reſpectus ad agens ſupernaturale, licèt non variet illam in eſſe entitatiuo ; variat tamen formaliter in eſſe potentiæ : nam ratio potentiæ paſſiuæ non conſiſtit in entitate ſubiecti abſolutè ſumpta ; ſed in ordine ad actum recipiendum, & ad agens quod producturum eſt talem actum : non deſunt tamen aliqui Thomiſtæ qui docent hanc potentiam obedientialem formaliter ſumptam eſſe ſupernaturalem, etiam ſecundùm ſubſtantiam, nec eſt neceſſe ad cauſalitatem materialem ſimpliciter & abſolutè ſumptam, quòd ſit inclinatio & appetitus ad formam ; ſed tantùm eſt inclinatio & appetitus ad formam connaturalem.

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt motus naturalis contineatur in ipſa potentia naturali ſubiecti, tanquam in cauſa materiali : motus tamen oppoſitus & violentus continetur tantùm in potentia violenta, quâ ſubiectum illud ſubditur alicui agenti creato, vt patet in graui dum proiicitur ſurſum : nam agens ita ſubdit ſibi graue ratione maioris virtutis quam habet, vt faciat illud concurrere ſecundùm potentiam prædictam in genere cauſæ materialis ad prædictum motum.

Ad tertium dicendum, quòd productio gratiæ & virtutum ſupernaturalium dicitur creatio, quia non ſit ex meritis ; & infuſio, quia non continentur in potentia naturali ſubiecti ; nec poſſunt virtute agentis creati vt à cauſa principali educi, ſed ſolùm virtute Dei vt agentis ſupernaturalis. Ad aliud dicendum quòd licèt gratia & virtutes ſupernaturales ſint eiuſdem ſpeciei in Beatis ac in Viatoribus, non tamen eodem modo participantur : quia hîc amiſſibiliter, illic verò inamiſſibiliter ratione ſtatus : & cùm corruptio formarum non ſubſiſtentium proueniat ex ſubiecto recipiente & modo recipiendi, ideo gratia & virtutes infuſæ hîc ſunt corruptibiles, licèt in Beatis ſint incorruptibiles.

Articvlvs V.

Vtrùm de potentia abſoluta plures formæ ſubſtantiales poßint ſimul informare eamdem materiam, & vna forma plures materias?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd ſupernaturaliter plures formæ completæ, ſiue tribuentes gradum ſpecificum poſſint ſimul informare eamdem materiam, & quòd vna forma poſſit informare plures materias, ita tenent Gregor. in 1. d. 12. q. 3. art. 2. Paludanus in 3. d. 15. q. 2. Fonſeca 5. Metaph. cap. 4. q. 4. Suarez tom. 1. Metaph. diſp. 15. ſect. 10. Rubius hic q. 7. & alij. Probatur. Poteſt Deus ponere duo corpora in eodem loco, vt communiter conceditur : ergo & in eadem portione materiæ duas formas ; patet ſequela ex paritate rationis : nam ſicut vnus locus eſt capax ſucceſſiuè plurium corporum, ſic materia ſucceſſiue eſt capax plurium formarum ; & ſicut naturaliter vnus locus non poteſt recipere ſimul duo corpora, quia vnum expellit aliud, ſic materia eſt incapax naturaliter plurium formarum ſimul : ergo etiam ſimiliter ſi locus vnus ſupernaturaliter poteſt recipere ſimul duo corpora, ſic materia ſupernaturaliter poteſt recipere duas formas.

¶ 2. Præterea, Non repugnat ex parte materiæ, nec ex parte formæ, nec ex parte vtriúſque : non ex parte materiæ, quia materia dum informatur vnâ formâ, habet potentiam, imo & appetitum innatum ad alias recipiendas : nec ex parte formæ, quia maior eſt incompoſſibilitas inter duo contraria propriè dicta, vt inter calorem & frigus, quàm inter duas formas, quæ ſunt impropriè & largè contraria : conſtat autem quòd calor & frigus ſupernaturaliter poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto : ergo & duæ formæ : nec iſta repugnantia poteſt eſſe ex parte vtriúſque ; non enim poteſt eſſe repugnantia ex parte vtriúſque, niſi ſit ex parte alicuius : ergo ſimpliciter eſt poſſibile duas formas eſſe in eadem materia, cùm non poſſit eſſe repugnantia niſi ex his tribus.

¶ 3. Præterea, Forma vna non habet minorem vim ad informandum, quàm materia ad recipiendum : cùm forma ſit perfectior materiâ : ergo cùm probatum ſit vnam materiam numero poſſe diuinitus recipere duas formas, etiam diuinitus vna forma numero poteſt informare duas materias.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Th. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. item Opuſc. 33. item quodlibeto 1. art. 6. vbi ſic ait, *Impoßibile eſt in vno & eodem eſſe plures formas ſubſtantiales* ; Illum ſequuntur Caietanus 1. p. loco citato, noſtri Complutenſes hîc, & communiter alij Thomiſtæ.

Conclvsio.

Cùm de ratione formæ ſubſtantialis ſit eſſe actum primum limitatum : plures formæ ſunt ſimpliciter incompoßibiles in eadem materia ; & plures materiæ ſub eadem forma.

Respondeo dicendum, quòd implicat contradictionem duas formas ſubſtantiales eſſe ſimul in eadem portione materiæ e. ſicut & eamdem formam ſubſtantialem informare ſimul duas portiones materiæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, hanc difficultatem ſolùm procedere de formis completis & tribuentibus gradum ſpecificum ; nam vtrùm in eodem dentur plures formæ, quæ communicent tantùm aliquem gradum communem, puta corporeitatis ſuo loco examinabitur ; nec dubium eſt inter Doctores, loquendo de formis ſublunaribus ; quin plures ſucceſſiuè poſſint informare, & de facto informent eamdem numero portionem materiæ, hoc enim eſt neceſſarium : cùm enim ſit impoſſibile materiam primam eſſe ſine forma, ideo debet aduenire noua, dum per corruptionem deperdit illam quam habet : quòd autem ſimul & ſemel non poſſit habere de potentia ordinaria duas for-

mas,

mas, nullus dobitat, & satis demonstrat id esse impossibile corruptio formæ præexistentis, dum aduenit noua; si enim essent compossibiles, vna non corrumperetur necessariò, cùm corruptio non sit per se intenta à natura, imò sit malum naturæ particularis: & sic tantùm per accidens intenditur; quia est necessaria ad nouam generationem: vnde emanauit hoc axioma Philosophorum, generatio vnios est corruptio alterius.

Probatur prima pars conclusionis. Formæ substantiales sunt seipsis immediatè incompossibiles: quia in actu exercito informant; & ideo adueniente vnâ perit alia, vt patet ad sensum: ergo si semel Deus velit quòd vna forma informet vnam portionem materiæ, non potest velle, & est impossibile simpliciter, quòd alia simul informet: nam licèt positis omnibus requisitis ad actum primum possit Deus impedire effectum: tamen si semel cum omnibus requisitis ad actum primum ponantur omnes causalitates necessariæ ad effectum; implicat quòd non ponatur effectus in rerum natura: nam positâ formâ & eius causalitate, implicat non poni effectum formalem; & posito efficiente & causalitate illius, implicat non poni eius effectum: ergo cùm virtus, quâ vna forma substantialis expellit aliam, sit propria entitas, & ratio actus substantialis simpliciter primi, & causalitas eius sit informatio actualis; sequitur, vt his positis implicet, talem expulsionem non sequi. Si dicatur quòd Deus non possit quidem impedire effectum primarium positis omnibus requisitis, tamen potest impedire secundarium, qualis est expulsio vnius formæ per informationem alterius, vt patet in multis exemplis. Contra. Nam licèt hoc sit possibile in effectu secundario positiuo aliquo modo: tamen est impossibile in purè priuatiuo, & valde intimo: sed expulsio vnius formæ substantialis, quando aduenit alia, est effectus secundarius priuatiuus proueniens à forma de nouo adueniente: cum nihil sit aliud, quàm non esse illius in tali subiecto; & est valde intimus: nam prouenit ex intrinseca ratione formæ substantialis: ergo est omnino indispensabilis. Confirmatur. Nam ex eo quòd forma cadaueris dat materiæ secundariò & consequenter priuationem vitæ, tanquam effectum secundarium ex speciali & intrinseca ratione talis formæ prouenientem, implicat impediri, ne subsequatur ad dictam formam: aliàs idem esset viuum & priuatum vita: & ita implicat formam cadaueris communicare primarium effectum, scilicet esse cadaueris, nisi sequatur secundarius: ergo similiter cùm in aliis formis à posteriori colligatur, quòd non communicant effectum primarium, nisi sequatur secundarius; signum est talem effectum secundarium esse omnino intimum & indispensabilem.

Secundò, si adueniente vnâ formâ substantiali, non expelleretur alia; forma adueniens non esset actus simpliciter primus materiæ, nec rationem actus simpliciter primi erga illam exerceret; & consequenter nec suum effectum primarium illi tribueret: quia actus simpliciter primus materiæ, & exercens erga illam rationem talis actus, indispensabiliter inuoluit, quòd non præsupponatur, neque sit simul cùm eo alius actus primus in materia, alioquin hic actus non esset primus, sed ille alius qui præsupponitur: sicut materia prima quia essentialiter est primum subiectum, non potest præsupponere aliud subiectum prius: hæc doctrina est D. Th. quodlibeto 1. q. 4. art. 6. vbi dicit quòd forma duo debet habere, vt exerceat rationem actus primi respectu materiæ. Primum quòd faciat vnum per se cum illa: Secundum, quòd tribuat illi primum esse, siue esse simpliciter ad differentiam formarum accidentalium, quæ non dant esse nisi secundùm quid; nec res dicitur fieri nisi secundùm quid, quando illas acquirit: constat autem quòd nisi sequatur effectus ille secundarius, scilicèt expulsio præexistentis formæ, non potest forma præstare illa duo, quæ pertinent ad effectum eius primarium adæquatum: nam materia esset iam in actu per præexistentem formam; & ita nisi illa expellatur, non potest constituere vnum cum forma de nouo adueniente: nam quod aduenit enti in actu; non aduenit per se, sed per accidens; ac proinde non potest constituere cum illo vnum ens per se: deinde materia per præexistentem formam habet esse simpliciter primum; ac proinde esse simpliciter, & sine addito: & ita non potest recipere illud à forma de nouo adueniente; nisi prior expellatur: quia si iam simpliciter est, & sine addito; non potest illi de nouo tribui quòd simpliciter sit, sed ad summum quòd habeat esse ex addito, & secundùm quid; imò forma subsequens non esset substantialis, at tantùm accidentalis, vt infert D. Th. sed forma substantialis est actus simpliciter primus materiæ: ergo adueniente vnâ expellitur alia indispensabiliter: vnde implicat contradictionem duas formas substantiales esse simul in eadem portione materiæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 3. p. q. 3. art. 1. & ex huc vsque dictis: Nam sicut materia se dat formæ per modum subiecti; sic forma dat se materiæ per modum actus: ergo sicut repugnat vnam materiam dare se simul duabus formis per modum subiecti: sic & eamdem formam communicare se simul duabus materiis per modum actus; cùm ex se sit limitata ad vnam.

Secundò, virtus quæ ex natura sua est impotens ad aliquem effectum, nisi aliquid ei addatur, est impossibile quòd illum præstet; nam si nihil ei superadditur, remaner impotens sicut erat priùs: sed forma connaturaliter loquendo est impotens ad informandam simul duplicem portionem materiæ: alias naturaliter illam informaret; & nihil potest addi, per quod reddatur potens. Non diuersæ speciei & essentiæ; cùm forma non habeat vim informandi, nisi per suam intrinsecam entitatem communicando seipsam: & ita nihil diuersæ speciei ab illa potest augere eius virtutem informatiuam in ordine ad aliam materiam. Nec illud superadditum potest esse eiusdem speciei, nam sicut prima virtus præexistens in forma non potest extendi ad duas materias simul informandas; sic nec secunda quæ superadderetur. Nec prima simul cum secunda; cùm sint eiusdem speciei; ac proinde eiusdem perfectionis essentialis: maximè quia forma substantialis non est intensibilis: & licèt per illam virtutem superadditam fieret maior, solùm colligitur quòd possit informare maiorem materiam: ergo implicat eamdem formam substantialem informare simul duas portiones materiæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd talis instantia potiùs est pro nobis: nam illa duo corpora licèt entitatiuè essent duo: tamen vnum penetraretur cum alio: & ita in esse locabili & circumscriptibili ita se haberent, ac si essent tantùm vnum: sed duæ formæ in vi informandi semper sunt duæ, neque possunt fieri vnum: maximè si sint diuersæ speciei; quia dant suis totis species diuersas.

Ad secundum dicendum, quòd repugnat ex parte vtriúsque. Ad probationem dicendum quòd materia dum est sub vna forma, habet quidem potentiam ad alias habendas non simul, sed successiuè pro alia duratione; pereunte semper illâ, quam habet. Ad probationem alterius partis dicendum quòd maior est incompossibilitas inter duas formas substantiales; quia sunt actus primi, quàm inter duas accidentales: quamuis sint contrariæ; quia nec sunt actus primi simpliciter, vnde possunt supponere alium; nec faciunt vnum per se substantialiter cum materia: & ideo non necessariò debent excludere omnem actum à materia; nec dant esse simpliciter primum, & sine addito, sed tantùm esse secundùm quid: constat autem quòd licèt repugnet idem subiectum habere duplex esse simpliciter: tamen non repugnat habere duplex esse secundùm quid.

Ad tertium dicendum, quòd vtrúmque est impossibile, vt patet ex dictis: aliàs vna forma posset informare infinitas materias, si enim non est limitata ad vnam, non est maior ratio, cur possit eius virtus augeri ad informandas duas, & non infinitas.

QVÆSTIO VI.

De ente naturali compoſito ex principiis intrinſecis.

POSTQVAM determinatum eſt de principiis entis naturalis; reſtat determinandum de ipſo ente naturali compoſito ex talibus principiis: ex hoc enim maior & perfectior notitia proueniet ipſorum principiorum: effectus enim ſuas cauſas manifeſtant circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm ens naturale conſtituatur eſſentialiter ex materia & forma?

¶ Secundò, Vtrùm materia & forma vniantur immediatè ſeipſis in conſtitutione entis naturalis?

¶ Tertiò, Vtrùm ens naturale diſtinguatur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ens naturale conſtituatur eſſentialiter ex materia & forma?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ens naturale non conſtituatur eſſentialiter ex materia & forma. Ita attribuitur Commentatori 7. Metaphyſicæ commento 21. Ianduno ibidem q.14. & aliis qui dixerunt materiam primam non eſſe de eſſentia entis naturalis, ſed ſolam formam eſſe totam eius quidditatem. Probatur ex Ariſtotele 2. Metaphyſicæ cap. 3. vbi formam appellat, ipſum quod quid erat eſſe rei: ergo eſt tota eſſentia entis naturalis.

¶ 2. Præterea, Forma ſubſtantialis eſt illud quod dat eſſe rei, vt communiter docent Philoſophi: ergo illa ſola eſt tota quidditas & eſſentia entis naturalis; quod patet à ſimilitnam eo modo ſe habet forma ſubſtantialis ad ſuam materiam; ſicut artificialis ad ſuam: conſtat autem quòd forma artificialis eſt tota quidditas artificiati: ergo forma ſubſtantialis eſt etiam tota quidditas entis naturalis; vnde materia prima ſolùm ſe habet, vt ait Ariſtoteles 7. Metaph. textu 41. tanquam habens, deferens, aut ſuſcipiens eſſentiam.

¶ 3. Præterea, Ex Philoſopho 7. Metaphyſicæ textu 41. idem eſt conſtitutiuum rei, ac diſtinctiuum: ſed ſola forma ſubſtantialis eſt diſtinctiuum eſſentiale; non enim res diſtinguuntur eſſentialiter per materiam, vt patet: cùm eadem portio materiæ modò ſit ſub forma hominis, modò ſub forma equi: ergo ſola forma eſt conſtitutiuum eſſentiale: quod manifeſtatur ex operatione: nam operari ſequitur ad eſſe, vt receptum eſt communiter: ſed ſola forma ſubſtantialis; cùm ſit actus, materia autem pura potentia; dat compoſito vim & potentiam operandi: vnumquódque enim intantum operatur, inquantum eſt actu: ergo ſola forma ſubſtantialis dat eſſe, & eſt tota quidditas entis naturalis.

¶ 4. Præterea, Si materia prima eſſet de eſſentia entis naturalis, hæc materia eſſet de eſſentia huius entis, ſcilicet Petri: nam ſicut ſe habet materia prima in communi ad ens naturale in communi; ſic materia ſingularis ad ens naturale in particulari: ſed hæc materia non eſt de eſſentia Petri; Primò quia eſſentia rei eſt fixa, materia verò per calorem naturalem paulatim conſumitur; Secundò quia cùm materia mutet formas, eadem pertineret ad diuerſas eſſentias, quod eſt impoſſibile; Tertiò quia ſequeretur, quòd in reſurrectione non reſurgeret idem homo: nam cùm accidat aliquos homines comedere carnes humanas, eadem materia pertinebit ad diuerſos: vnde Deus alicui ex iſtis ſupplebit materiam: & ſic non reſurgeret aliquis cum eadem materia; ac proinde ſi materia ſit de eſſentia, non erit idem homo; cùm mutatâ eſſentiâ mutetur ipſa res: eſt autem contra fidem dicere quòd non reſurget idem qui moritur, vt patet ex illo Symboli Athanaſij: *Omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis*: Item ex illo Iob 19. *Quem viſurus ſum ego ipſe*. Ergo materia non pertinet ad quidditatem entis naturalis: ſed ſola forma eſt tota quidditas.

SED CONTRA eſt authoritas Sanctorum Patrum Athanaſij, Auguſtini, D. Th. &c. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm per definitionem eſſentialem Phyſicam entis naturalis, tam forma, quàm materia exprimatur: ens naturale conſtituitur eſſentialiter ex materia & forma.

RESPONDEO dicendum, quòd ens naturale intrinſecè conſtituitur ex materia & forma tanquam ex partibus eſſentialibus. Probatur authoritate ſanctorum Patrum. Athanaſij in ſuo Symbolo vbi ait. *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo.* Auguſtini 19. de ciuitate Dei cap. 5. vbi ſic ait: *Homo neque eſt anima ſolùm, neque ſolùm corpus; ſed ex vtróque compoſitum*: Item Boëtij libro de duabus naturis: ac tandem D. Th. multis ſuæ doctrinæ locis vt 1. contra gentes cap. 21. item 1. p. q. 75. art. 4. & 7. Metaphyſicæ textu 33.

Secundò, ratione D. Th. Eſſentia v.g. hominis Phyſicè loquendo eſt illud, quod per definitionem Phyſicam exprimitur: aliàs non eſſet bona definitio; cùm definitio debeat exprimere totam, & ſolam rei eſſentiam: ſed per definitionem Phyſicam hominis non ſolùm exprimitur anima, quæ eſt eius forma; at etiam materia, ſiue corpus: nam homo Phyſicè definitur quòd ſit ens naturale conſtans ex anima rationali & corpore: ergo homo intrinſecè conſtituitur ex forma & materia tanquam ex partibus eſſentialibus: & ſimiliter quodlibet ens naturale.

Tertiò, ratione Theologicâ. Si ſola anima rationalis eſt tota quidditas hominis, & quælibet forma tota quidditas rei; ſequitur quòd in triduo mortis Chriſtus remanſit homo: nam in illo manſit Verbum vnitum animæ rationali, iuxta illud axioma: Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit: ac proinde tota eſſentia hominis manſit vnita; & ita remanſit homo: quod tamen non poteſt dici. Deinde ſequitur hominem eſſe immortalem, quia ſecundùm fidem anima rationalis eſt immortalis: ſi autem homines non moriantur, neque erit reſurrectio, quæ omnia ſunt abſurda: ergo forma non eſt tota quidditas rei, ſiue entis naturalis: & ita conſtituitur intrinſecè ex forma & materia tanquam ex partibus eſſentialibus.

AD primum ergo dicendum, quòd forma dicitur ab Ariſtotele, quod quid eſt rei: quia eſt nobilior pars compoſiti, & quia materia non pertinet ad illud, niſi vt habet ſpecificationem à forma: vnde ei vt origini illius ſpecificationis & actualitatis per Antonomaſiam tribuitur nomen quidditatis rei.

AD ſecundum dicendum ſimiliter, quòd ſola forma definitur; illud quod dat eſſe rei: quia ipſa ſola dat ſpecificationem poſitiuam, tum etiam quia ipſa ſola dat propriè eſſe exiſtentiæ informando materiam, quæ illud recipit (vt quo;) nam exiſtentia eſt effectus ſecundarius formæ, modo infra explicando in Metaphyſica; nam licèt ſit ab agente effectiuè: tamen eſt iuxta diuerſam exigentiam formarum, à quibus propriè deſumitur diſtinctio eſſentialis. Ad aliud dicendum cum D. Th. in diſputatis q. de anima art. 10. ad 16. quòd forma artificialis in ſuo genere eſt quid completum: vnde dicit totum; cùm ſit quid accidentale: ſicut etiam dictum eſt ſupra in Logica de accidentibus naturalibus: nam album ſignificat ſolam qualitatem; quamuis ex parte modi ſignificandi inuoluat ſubiectum: forma autem ſubſtantialis eſt quid incompletum, ſicut & materia: vnde neutra ſeorſum eſt tota eſſentia; ſed ambæ vnitæ. Ad locum Philoſophi dicendum ſicut dictum eſt ad primum.

AD tertium dicendum, quod etiam materia vt habet ſpecificationem poſitiuam à forma, concurrit ad diſtinctionem ſpecificam: dictum eſt enim ſupra in Logica, quòd genus & differentia deſumuntur à materia & forma ſimul; & ita vtráque eſt de eſſentia: licèt autem materia abſolutè & præcisè ſumpta ſit ſucceſſiuè in diuerſis indiuiduis; non tamen vt habens ſpecificationem poſitiuam,

tum, qualiter concurrit ad distinctionem [illegible]. Ad illud dicendum, quòd operari sequitur esse existentiæ, siue supponit illud; non enim potest aliquid operari, nisi existat; sequitur etiam esse essentiæ, non formaliter omnia quæ includit: sed ratione præcipui, scilicet actus & actualitatis: potentia enim passiua, quæ prouenit à materia, non est ratio agendi, sed patiendi & recipiendi: quæ tamen conuenit etiam enti naturali intrinsecè.

Ad quartum dicendum, quòd maior est vera; quamuis Durandus & Suares illam negent dicentes, indiuiduum constare ex hac anima, & quolibet corpore indifferenter; & quòd ad veram resurrectionem sufficit resurgere cum hac numero anima, & cum qualibet ex materiis sublunaribus: vnde neganda est minor, & ad probationem dicendum, quòd licèt materia Petri per nutritionem addita sit materialiter diuersa ab ea, quam antea habebat: non tamen formaliter, vt infra dicetur, & docet D.Th. 1.p. q.119. art.1. ad vltimum, vbi dicit quòd licèt continuò nutriatur ignis per appositionem ligni; remanet tamen idem ignis numero: quia semper quod additur, transit in præexistens: & similiter intelligendum de viuentibus, in quibus ex nutrimento restauratur id, quod per calorem naturalem consumitur: & ita remanet eadem materia non materialiter, sed formaliter. Ad secundam probationem dicendum sicut dictum est supra; quòd materia, cùm sit subiectum commune, potest successiuè pertinere ad diuersas essentias secundùm quòd mutat formas; non tamen est eadem positiuè, sed negatiuè. Ad tertiam probationem dicendum cum D. Th. in 4. d.44. q.1. art.2. & 4. contra gentes cap.81. quòd si eadem pars materiæ in diuersis hominibus fuerit, tunc illi tribuitur, qui eam habuit in suâ prima productione: si autem in hoc sint æquales; tunc ei tribuetur, qui priùs illam habuit: quia primum in eam ius accepit, vnde illius propria facta est: alter verò quasi mutuatam habuit, cui concedentur aliæ partes materiæ in resurrectione; vel ex his, quas per nutritionem acquisiuit; vel quæ per calorem naturalem deperditæ sunt: quamuis supposità diuinâ voluntate de resurrectione hominum, pertineat ad eius prouidentiam ita distribuere portiones materiæ in vita singulorum, vt cuilibet in resurrectione concedatur propria materia taliter, vt vnum & idem numero indiuiduum resurgat.

Articvlvs II.

Vtrùm materia & forma vniantur immediatè seipsis in constitutione entis naturalis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd materia & forma non vniantur immediatè seipsis, sed medio aliquo nexu, quem vocant modum vnionis, distinctum ab eis: qui dicitur necessarius ad constitutionem entis naturalis: sed authores huius opinionis diuisi sunt; quidam enim admittunt duos modos, vnum ex parte materiæ, & alium ex parte formæ; ita Durandus in 3. d. 15. q. 3. & alij: quidam verò admittunt vnicum modum vnionis se tenentem ex parte materiæ, quem dicunt sufficientem, vt vniat ambas partes; ita nostri Complutenses hîc disp.6. q.2. & 3. & infra de causalitate materiæ. Araujo in Metaphysica de causalitate materiæ, Suares, Vasques, & plures alij præsertim extra scholam D. Th. Non est autem nostrum referre argumenta, quibus isti authores pugnant inter se; sufficit referre in communi, quæ pugnant contra nos. Quod igitur forma & materia non vniantur immediatè seipsis, siue per suas entitates. Probatur ex D. Th. 1.p. q. 76. art. 1. ad 6. vbi comparat animam rationalem cum corpore leui; quòd sicut corpus leue, cùm est separatum à proprio loco, est cum aptitudine & inclinatione ad illum: ita anima humana manet in suo esse, cùm fuerit à corpore separata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis vnionem: ex quo sic subsumunt: sed leue non ponitur sursum nisi illi addideris [illegible], quæ est modus ab illo distinctus: ergo neque anima vnitur corpori sine aliquo modo vnionis.

§ 2. Præterea, Licèt de essentia formæ substantialis sit aptitudo ad vniendum, siue posse vniri: de nullius tamen essentia est actu vniri: ergo nisi aliquid superaddatur non vnietur, sicut ob eandem rationem nec leue erit sursum, nisi per aliquid superadditum. Confirmatur. Forma & materia ex vi suarum entitatum sunt tantùm causatiuæ, & non causantes: causalitas autem illarum consistit in actuali vnione vnius ad alteram: ergo cùm causalitas debeat aliquo modo esse distincta à causa, hæc vnio distinguitur à materia & forma: sicut causalitas causæ efficientis, scilicet actio; & causalitas causæ finalis, scilicet motio moralis distinguuntur ab ipsis; aliàs sequitur animam rationalem in illo priori, in quo creatur, manere vnitam materiæ, antequam ab agente naturali vniretur: nam creatur intra materiam: & tamen constat quòd actio vnitiua subsequitur creationem, & attingit vnionem partium.

§ 3. Præterea, Effectus formalis non potest communicari sine forma, vt patet; sed materiæ & formæ vt actu vniuntur, tribuitur effectus formalis vnionis: nam sunt & denominantur vnitæ: ergo datur in illis modus vnionis. Confirmatur. Nisi admittatur iste modus vnionis, sequitur hominem non mori; quia nec perit forma eius, nec materia: & ita nisi pereat vnio, nihil perit: similiter sequitur hominem non generari; quia nec materia eius, nec forma producuntur ab agente naturali: & ita nisi admittatur produci vnionem inter illa, nihil fit ab agente naturali. Denique sequitur resurrectionem, siue reunionem animæ cum corpore esse naturaliter possibilem: nam Angelus poterit naturaliter ponere animam rationalem iuxta & intra suum corpus: quæ tamen omnia sunt absurda.

Sed contra est expressa authoritas Philosophi, & D.Th. quos sequuntur Caietanus 3.p. q.2. art.7. & 10. ad 1. Aluarez ibidem disp. 15. & communiter recentiores Thomistæ: quamuis aliqui faciant mentionem vnionis animæ ad corpus quam dicunt attingi ab agente naturali: sed non dicunt quòd illa vnio sit iste modus; quis enim negat agens particulare vnire animam cum materia saltem ratione dispositionum, quas illi imprimis in ordine ad talem animam?

Conclvsio.

Cùm forma substantialis, & materia prima sint inter se proportionata tanquam actus & potentia per se: per se, & seipsis vniuntur immediatè.

Respondeo dicendum, quòd forma quæcúmque substantialis, & materia prima vniuntur immediatè seipsis, siue per suas entitates, nec vllus datur inter illas modus vnionis realiter distinctus, qui sit nexus, siue vinculum illarum. Probatur authoritate Philosophi 8. Metaphysicæ textu 15. & D.Th.3. contra gentes cap.7. vbi dicunt actum & potentiam sine medio vniri: idem docet in disputatis q. de anima art. 9. vbi sic ait: *Cùm forma secundùm seipsam det esse materiæ, secundùm seipsam vnitur materiæ primæ, & non per aliud aliquod ligamentum:* Item 1. p. quæst. 76. art. 7. ait, *Forma secundùm seipsam vnitur materiæ, vt actus eius; nec est aliquid aliud vniens nisi agens, quod facit materiam esse in actu:* Et paulò infra, *Anima immediatè corpori vnitur, vt forma materiæ:* Et ad 3. *Inquantum anima est forma corporis, non habet esse seorsum ab esse corporis, sed per suum esse corpori vnitur immediatè:* Item in 3. d. 2. q.2. art.1. dicit quòd in vnione humanæ naturæ ad diuinam nihil potest cadere medium formaliter vnionem causans, cui per prius humana natura coniungatur, quàm diuinæ, sicut inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quàm forma substantialis: idem repetit alibi sæpe.

Respondent contrarij ad hæc loca, D. Th. solùm excludere medium (quod) inter materiam & formam: sed non medium quo inter se vniuntur. Contra: Primò, nam licèt aliqui [illegible] hanc distinctionem:

alia tamen non admittunt: nam dicere D. Th. quòd non est aliquid aliud vniens, nisi agens; est excludere omne medium inter materiam & formam illas vniens. Secundò, si detur aliquid vniens formaliter, erit medium, quo inter se vniuntur, & non medium quod vnitur, & ita nulla est Distinctio. Deinde qui dicit aliqua immediatè vniri seipsis; excludit omne medium quodcúmque illud sit: sed D. Th. omnibus locis citatis, præsertim q. de anima art. 9. ad 18. hæc habet: *Anima est forma corporis per seipsam dans ei esse; vnde per se, & immediatè ei vnitur*: Ergo D. Th. excludit modum vnionis. Tertiò, D. Th. q. de spiritualibus creaturis art. 3. docet formam vniri materiæ eo modo, quo Deus vnitur intellectui beatorum: sed hæc vnio fit sine vllo medio, etiam (vt quo) ex communi doctrina Thomistarum 1. p. q. 12. nam licèt in intellectu beato detur lumen gloriæ: tamen est dispositio præuia ad vnionem diuinæ essentiæ in ratione intelligibilis: species autem si daretur esset medium formaliter vniens. Quartò, denique quia D. Th. tractans de proposito hanc materiam, nusquam meminit huiusmodi vnionis: ergo non datur; licèt enim argumenta negatiua vt plurimùm non probent: tamen valde probant & conuincunt, si illi authores, ex quorum authoritate negatiua quis argumentatur, ex professo egerint de tali materia, & nullam mentionem fecerint alicuius annexi necessariò.

Secundò, actus per se, & potentia per se inter se essentialiter ordinati, sunt inter se dispositi, vt vniantur per se, vt docet D. Th. locis citatis: sed forma est actus per se, & materia est potentia per se inter se essentialiter ordinati, vt communiter docent Philosophi: ergo vniuntur per se. Confirmatur. Nec forma nec materia habent maiorem proportionem cum modo vnionis, quàm inter se: quia non comparatur ad illas, vel vt actus, vel vt potentia; nulla autem est maior proportio, quàm inter actum per se, & potentiam per se in ordine ad vnionem: cùm ex illis resultet vnum per se: ergo non datur inter formam & materiam iste modus vnionis.

Tertiò, quando res sunt inter se proportionatæ, possunt inter se immediatè vniri; imò de facto contingit multa inter se vniri immediatè sine vllo medio vniente, sicut patet in mysterio incarnationis: nam D. Th. 3. p. excludit totaliter istum modum vnionis inter verbum diuinum & humanitatem, solam admittens relationem realem tantùm ex parte humanitatis, dicens gratiam vnionis esse increatam: sed si daretur modus iste vnionis, cùm esset quid productum in tempore, diceretur gratia vnionis esse creata: item inter essentiã, subsistentiam & existentiã datur vera vnio, non per istum modum ab illis distinctum: & ita intelliguntur aliqua vnita sine modo vnionis: sed forma & materia sunt non minùs inter se proportionata, quàm alia assignata: ergo seipsis immediatè vniuntur.

Dices quòd Verbum vnitur humanitati tantùm per modum termini, sicut & subsistentia & existentia ipsi essentiæ: & ideo possunt immediatè vniri: non autem forma; quia vnitur per modum actus. Sed Contra; verè vniuntur, & tamen non habent maiorem dispositionem, aptitudinem & inclinationem, vt vniantur inter se, quàm materia & forma; imò habent minorem; quia materia & forma se respiciunt vt partes eiusdem essentiæ; vt pote actus per se, & potentia per se, & efficiunt vnum per se simpliciter; essentia autem, subsistentia & existentia non sic se respiciunt; nam comparantur ad essentiam per modum accidentis: ergo nulla responsio.

Quartò, ratione D. Th. in disputatis q. de spiritualibus creaturis art. 3. sub his verbis: *Medium oportet participare cum vtróque extremorum* (Cùm in illo & ratione illius debeant conuenire:) *Sed non potest esse aliquid, quod partim sit corporale, & partim spirituale*: (Intellige de aliquo simplici, qualis deberet esse iste modus:) *Ergo non potest aliquid cadere medium inter animam rationalem, & corpus*: Vnde concludens D. Th. has affert propositiones: *Sicut non est dicere quòd sit aliquid aliud medium, quo materia habeat esse per suam formam; ita non potest dici quòd sit aliquod aliud medium vniens formam materiæ, vel subiecto*, paulò infra: *Secundùm quòd anima est forma corporis, non potest esse aliquid medium inter animam & corpus*: & ad 10. *Si aliqua duo sunt diuersa per essentiam; ita quòd vtrumque habeat materiam sua speciei completam, non possunt vniri nisi per medium aliquod ligans & vniens: anima autem & corpus non sunt huiusmodi: cùm vtrumque naturaliter sit pars hominis, sed comparantur ad inuicem vt materia & forma, quarum vnio est immediata*. Ex his colligimus quòd licet D. Th. locis citatis impugnet aliquos, qui inter animam rationalem & materiam ponebant alias formas, vel lucem quibus mediantibus vnirentur: tamen tradit doctrinam generalem, & probat manifestè nullum dari medium, quodcúmque sit, inter materiam & formam: hoc enim demonstrant eius rationes.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa authoritas D. Thom. non multùm vrget: nam 1. concedendum est esse parem aptitudinem animæ ad vnionem corporis, & leuis ad proprium locum: negandum tamen eodem modo vniri animam corpori, & leue proprio loco: quia non est æqualis proportio; non enim leue vnitur proprio loco vt actus per se suæ potentiæ ad constituendum vnum per se, sicut vnitur forma materiæ, 2. negandum est quòd leue vniatur proprio loco per vbicationem, quæ sit modus distinctus: vbi enim est sola extrinseca adiacentia loci ad corpus locatum, ad quam sequitur relatio in corpore locato, & nihil aliud intrinsecum ipsi, vt dicetur in Metaphysica.

Ad secundum dicendum, quòd vt forma fit de nouo vnita materiæ, sufficit quòd per actionem agentis, quæ dicitur vnitio, disponatur materia, vt ex illa educatur forma, & illam recipiat per modum formæ, participando eius effectus formales: scilicet actuationem, specificationem positiuam, esse existentiæ &c. si autem forma creatur, sufficit vt disponatur per illam actionem ad eius receptionem modo dicto. Ad confirmationem dicendum, quòd materia & forma tunc causant, cùm vniuntur modo dicto, forma informando & actuando materiam: materia verò recipiendo formam, & vtráque constituendo compositum: nec causalitas harum causarum distinguitur ab illis, sicut actio distinguitur ab agente, & motio moralis à fine: Ratio autem discriminis est: quia istæ causæ, cùm sint intrinsecæ, agunt siue causant per suas entitates communicando seipsas: aliæ verò causæ, cùm sint extrinsecæ, causant per aliquid à se distinctum: quamuis etiam causalitas materiæ & formæ aliquo modo distinguatur ab ipsis; nam connotat aliquid aliud: causalitas enim materiæ dicit ipsam materiam cum actione passiua: causalitas verò formæ, ipsam formam cum actione actiua. Ad aliud dicendum per hoc præcisè animam rationalem vniri materiæ ab agente naturali, quia creatur in materia disposita ab agente naturali: vnde simul creatur à Deo, & vnitur; ac propterea dicimus quòd Deus illam creando infundit, & infundendo creat.

Ad tertium dicendum, quòd materia & forma sunt, & denominantur vnitæ ab vnione, non quæ sit iste modus: sed quæ significat actionem passiuam ex parte materiæ, & actiuam ex parte formæ. Ad confirmationem dicendum, quòd in morte hominis perit totum compositum, scilicet hic homo: quia partes, ex quibus vnitis modo dicto componebatur, separantur ab inuicem: in generatione etiam producitur hic homo; quia partes eius vniuntur modo dicto: nec resurrectio est naturaliter possibilis; quia eadem materia non potest virtute naturali Angelorum disponi ad reunionem suæ formæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ens naturale distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis?

AD TERTIVM sic proceditur: Videtur quòd ens naturale distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis: ita tenent Capreolus in 3. d. 2. art. 1. Caietanus 3. p. q. 6. art. 5. ad 1. Ferrariensis 4. contra gentes. cap. 85.

cap. 85. & q. 5. huius libri, Ianellus, Aquarius, Aratrio, Scotus cum suis discipulis, Conimbricenses, & alij: huic opinioni videtur fauere D.Thom. in 3. d.2. q.1. art. 3. item in 4. d. 16. q. 1. art.1. Probatur authoritate Aristotelis 4. Metaphysicæ, cap. 14. vbi ait: *Sex non sunt bis tria, sed semel sex*: item lib. 7. cap. 17. ait syllabam BA non esse B, & A. item lib. 8. cap. 6. dicit totum esse aliquid præter partes: item 2. de anima distinguit substantiam in materiam, formam, & compositum tanquam in tres substantias: ergo ens naturale distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.

§ 2. Præterea, Partes vnitæ ordinantur ad vnitatem totius, quod constituunt: sed constituens, & constitutum realiter distinguuntur: causa enim realis distinguitur realiter à suo effectu reali: ergo totum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.

§ 3. Præterea, Multa attribuuntur toti composito, quæ non possunt attribui partibus etiam simul vnitis: & econtra; nam totum est terminus generationis, non verò partes simul vnitæ: ex toto fluunt proprietates, & non ex partibus simul vnitis: totum operatur (vt quod) non verò partes &c. ergo totum distinguitur realiter à suis partibus simul vnitis. Confirmatur. Ex opposito sequitur totum substantiale non distingui à toto per aggregationem: nam quod est plura, est totum per aggregationem: sed totum substantiale esset plura, scilicet suæ partes: ergo esset totum per aggregationem, quod est absurdum dicere.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Augustini, S.Athanasij, Aristotelis, & D.Th. quos sequuntur ex antiquis Alexander, Themistius, Philoponus, Simplicius, Durandus, Gregorius: ex modernis autem Nauarrete 1.p.q.3.art.4. controuers. 18. nostri Complutenses in præsenti q.4. Astudilla hic q. 6. Soto, & communiter omnes recentiores Thomistæ, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm ens naturale siue totum compositum præter suas partes simul vnitas nihil dicat, aut includat reale superadditum: non distinguitur realiter ab illis, sed sola ratione.

RESPONDEO dicendum, quòd ens naturale, & similiter quodcúmque aliud totum non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis: 2. distinguitur tamen ratione ratiocinatâ. Ad cuius euidentiam sciendum est nullam esse difficultatem inter authores, quòd totum realiter distinguatur à qualibet suarum partium, tanquam includens ab incluso: nam dicit illam partem, & insuper addit aliam: item nulla est difficultas, quin realiter distinguatur ab omnibus suis partibus simul sumptis, sed non vnitis: nam requiritur ad constitutionem totius, vt partes vniantur; quæ vnio superaddit, vt dictum est, actuationem passiuam ex parte materiæ, & actiuam ex parte formæ, quæ sunt quid reale; & ratione huius totum distinguitur ab omnibus suis partibus simul sumptis, sed non vnitis, distinctione reali.

Probatur conclusio authoritate Sanctorum Patrum. Augustinus 7. de Trinitate cap. 4. ait: *Homo nihil est aliud quam anima, & corpus*. Athanasius in suo symbolo: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo*. Item ex illo Pauli 1. ad Cor. 12. *Omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt*. Idem docet Philosophus 2. de anima: item 5. Metaph. textu 31. item 4. Physicorum textu 35. D. Th. multis locis idem dicit 4. contra gentes cap. 81. ad 2. vbi hæc habet de humanitate, *Non est intelligendum quòd sit quadam forma consurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab vtráque*, & addit rationem: *Quia cùm per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis*: Et paulò infra ait, quòd humanitas nihil aliud dicit, quàm principia ipsa essentialia coniuncta: item 1.2. q.13. art.1. *Homo nec est corpus solum, nec anima sola, sed vtrúmque simul*: Idem docet de toto integrali 1.p. quæst.76. art.8. & in 4. d.44. quæst.1. art.1.

Secundò, si totum distinguitur realiter à suis partibus vnitis; est per aliquid reale superadditum: & ita distinguitur vt includens ab incluso: sed hoc non potest dici: nam partes vnitæ præcisâ quacúmque entitate superadditâ sunt aliquid per se vnum, non quidem per simplicitatem, sed per compositionem: quia talis collectio materiæ & formæ, prout sunt vnitæ, constat ex pura potentia & actu substantiali primo: & propterea ex Aristotele 2. de anima cap. 1. & 8. Metaph. vltimo: homo est vnum quid per compositionem: ergo sublatâ quacúmque aliâ entitate partes vnitæ sunt totum compositum substantiale vnum per se per Physicam compositionem: imò illa tertia entitas totius, quæ fingitur distincta à partibus vnitis, intelligitur aduenire enti in actu: cùm ex potentia & actu fiat vnum per se ex Philosopho: & ita non posset constituere vnum per se, sed adueniret accidentaliter, & constitueret vnum accidentale. Confirmatur. Si totum Physicum definiatur Physicâ definitione, non ponitur in ea illa tertia entitas, quæ fingitur: sicut cùm totum Logicum definitur, solùm partes Logicæ vt vnitæ, scilicet genus & differentia ponuntur; ergo hæc tertia entitas non est de essentia totius: nam per definitionem debet tota essentia rei exprimi; vnde præcisâ hac entitate intelligitur totum, si intelligantur partes vnitæ.

Tertiò, admittatur illa tertia entitas; totum compositum non consistit in illa sola: sed debet includere partes componentes: & ita illa tertia entitas simul cum partibus vnitis constituet totum: ergo talis entitas erit etiam vera pars totius; ac proinde semper erit verum, totum nihil aliud esse, quàm partes illud componentes vnitæ: imò sequitur ex hac positione processus in infinitum: nam si ex hac tertia entitate simul cum partibus vnitis resultat totum, illud totum debet dici ab aduersariis esse distinctum à partibus componentibus: & sic est alia entitas distincta ab illis partibus; quæ rursus, cùm non sit tota entitas compositi, sed aliquid illius: ex hac cum aliis simul vnitis resultabit alia entitas, cùm resultat totum, quod dicunt distingui à partibus vnitis: & sic procedendùm erit in infinitum: ergo ens naturale non distinguitur à suis partibus simul sumptis & vnitis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis; hanc enim probant loca eius adducta ab aduersariis: quia tamen distinctio rationis habet latitudinem: dicendum quòd non est hîc tanta, qualis reperitur inter animal & rationale &c. nam hæc talia sunt, vt dicant conceptus omnino simplices, quorum vnus excludit alium: hîc autem non ita contingit, non enim potest perfectè concipi totum, quin concipiantur partes vnitæ, & econtra: vnde hæc distinctio rationis est similis illi, quæ intercedit inter definitionem & rem definitam, vt inter hominem & animal rationale: quia quidquid respondet vni conceptui, licèt correspondeat alteri: hoc tamen accidit diuersimode; nam totum, siue res definita ex se petit concipi per modum vnius & per vnum conceptum adæquatum: partes verò tam Physicæ, quàm definitionis, etiam vnitæ ex se petunt concipi per modum plurium, & per conceptus inadæquatos: hanc etiam partem probant rationes aduersariorum.

AD primum ergo dicendum, quòd tam Aristoteles, quàm D.Thom. explicandi sunt de partibus non vnitis: nam numerus senarius est vna species numeri, quæ non componitur ex duobus indiuiduis ternarij, ex sex vnitatibus, quarum vltima est forma numeri: item B & A separata non faciunt BA, imò possunt facere AB si aliter vniantur: denique compositum est quid distinctum tam à materia, quàm à forma separatim sumptis: vnde sunt tres substantiæ.

AD secundum dicendum, quòd partes vnitæ possunt dupliciter considerari. Primò diuisim, ita vt vna sumatur in recto, & altera in obliquo, vt si dicas: forma vnita materiæ & materia vnita formæ, & vt sic partes sunt causa realis totius, & vt sic distinguuntur realiter à toto: nam quælibet pars, etiam vt vnita alteri, realiter distinguitur à toto: & ad illud realiter ordinatur. Secundò possunt sumi collectiuè, ita vt sub eadem collectione vtráque pars in recto importetur, vt si dicas, forma & materia vnitæ:

&

& ſic partes vnitæ ſunt idem omnino realiter, quod totum: nec ordinantur ad totum conſtituendum: dicuntur autem partes hoc ſecundo modo ſumi collectiuè, quia totum vnicâ comparatione comparatur ad ipſas ſic ſumptas, & econtra: dictum eſt autem ſumi diuiſim primo modo, quia totum duplici comparatione comparatur ad illas ſic ſumptas: nam vnâ comparatione comparatur ad materiam, vt vnitam formæ: aliâ verò ad formam, vt vnitam materiæ: & ratio eſt quia habent diuerſum modum cauſandi, & quilibet eſt in ſuo genere adæquatus.

Ad tertium dicendum, quòd quidquid attribuitur toti, attribuitur etiam realiter partibus ſimul ſumptis, & vnitis, ſi collectiuè ſumantur, & econtra: quamuis diuerſus modus concipiendi fundans diſtinctionem rationis, aliqualiter obſcuret hanc attributionem. Ad confirmationem dicendum, in his magnum eſſe diſcrimen: nam totum Phyſicum eſt vnum per ſe quia partes eius vniuntur, vt actus & potentia ſubſtantialis: totum autem per aggregationem, cùm habeat omnes partes actuales, non eſt vnum per ſe; ipſæ enim partes vniuntur extrinſecè per ſituationem, vel per accidens.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

Summa Textus.

POSTQVAM Philoſophus in primo libro egit de principiis entis naturalis ſecundùm ſe, ſiue in eſſe rei conſideratis: in hoc agit de iiſdem in eſſe ſcibilis, ſiue ſub ea ratione, ſub qua pertinent ad Phyſicam: ſcilicet vt habent rationem naturæ, quæ ratio per ſe conſideratur in Phyſica: & ideo agit de natura, de ente naturali, ac de eius cauſis, quas diſtinguit à caſu & fortuna. Diuiditur in nouem capita. In 1. traditur diuiſio rerum in naturales, & artificiales, & diſcrimen illarum; affertur definitio naturæ, & concluditur ſolas ſubſtantias corporeas, ſcilicet compoſitas ex materia, & forma eſſe entia naturalia; accidentia verò eſſe entia ſecundùm naturam; & formam magis participare rationem naturæ, quàm materiam. In 2. ponitur diſcrimen inter Phyſicum, & primam Philoſophiam, ac Mathematicas: imò inter Mathematicas puras, & medias, háſque vocat magis naturales, quàm illas. In 3. tradit quatuor genera cauſarum, variáſque illarum diuiſiones; ipſáſque dicit ſibi inuicem eſſe cauſas, & ab illis omnibus eumdem effectum ſimul poſſe procedere. In 4. affert aliorum opiniones de caſu & fortuna. In 5. quærit an ſit fortuna & caſus, & quid ſit fortuna, & quæ ei accidunt. In 6. confert fortunam & caſum tùm inter ſe, tùm etiam cum cauſis per ſe. In 7. probat ſufficientem diuiſionem cauſæ in quatuor genera, & dicit pertinere ad Philoſophum naturalem illa omnia in rebus naturalibus ſpeculari. In 8. demonſtrat naturam agere propter finem. Tandem in 9. oſtendit quomodo ſit neceſſitas in rebus naturalibus, & explicat quæ ſit radix & origo talis neceſſitatis. Quæ omnia examinabuntur ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO VII.

De Natura & Arte.

VT ordinem imitemur, quo procedit Philoſophus, ſtatim nobis agendum eſt de natura: circa quam quærentur nouem.

¶ Primò, Vtrùm rectè tradita ſit à Philoſopho definitio naturæ?

¶ Secundò, Vtrùm definitio naturæ ſit eſſentialis?

¶ Tertiò, Vtrùm materia prima ſit natura?

¶ Quartò, Vtrùm omnis forma ſubſtantialis materialis ſit natura?

¶ Quintò, Vtrùm anima rationalis, vt rationalis, ſit natura?

¶ Sextò, Vtrùm forma totalis ſit natura?

¶ Septimò, Vtrùm ad hoc vt forma ſit natura, requiratur neceſſariò quòd ſit principium actiuum motus?

¶ Octauò, Vtrùm natura dicatur vniuocè de materia & forma?

¶ Nonò, Vtrùm natura diſtinguatur ab arte, & ars poſſit facere opera naturæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm rectè tradita ſit ab Ariſtotele definitio naturæ?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd non ſit rectè tradita ab Ariſtotele definitio naturæ: ſcilicet eſt principium & cauſa motus & quietis eius in quo eſt, primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens. Probatur. In alteratione & generatione corporum ſimplicium, motus procedit tantùm ab extrinſeco ſcilicet alterante & generante; ſed tales motus ſunt naturales & à natura: ergo natura non eſt principium motus eius in quo eſt.

¶ 2. Præterea, Natura eſt ſubſtantia: ſed ſubſtantia non eſt per ſe operatiua: ergo malè dicitur quòd ſit principium motus. Confirmatur. Motus deorſum in graui prouenit à grauitate, ſicut & motus ſurſum in leui ab eius leuitate: ergo non à natura, & ita malè dicitur quod natura ſit principium motus & quietis &c.

¶ 3. Præterea, Hæc definitio conuenit etiam arti: nam dum Medicus curat ſeipſum, mouet ſe de infirmitate ad ſanitatem: & ita in eo ars eſt principium motus eius in quo eſt: ergo non eſt rectè tradita ab Ariſtotele definitio naturæ.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis tradentis hanc definitionem, quam vt optimam recipit D. Th. & communiter omnes philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm definitio naturæ tradita ab Ariſtotele rectè explicet quid ſit, diſtinguens eam à quocùmque alio: eſt rectè tradita.

RESPONDEO dicendum, quòd definitio naturæ eſt rectè tradita ab Ariſtotele; eius bonitas ex accurata eius explicatione demonſtratur. Dicitur 1. (principium) in quo conuenit cum priuatione; ſed additur quòd ſit (cauſa motus) per quod ab eadem diſtinguitur: licèt enim motus

tus aliquo modo procedat, tam à priuatione, quàm à natura: tamen priuatio cùm sit non ens, non potest verè influere in motum, sicut natura: & quia ad veram causam requiritur iste influxus; ideo priuatio non est causa motus; sicut est causa natura: in hac autem definitione ponitur tam principium, quàm causa; vel ad maiorem claritatem: quia non omnes percipiunt discrimen inter principiũ, & causam, vt patet inter Patres Græcos, qui in Diuinis dicunt indifferenter Patrem esse principium, & causam Filij; vel quia causa non ponitur secundùm totum quod dicit; sed solùm secundùm quod superaddit principio rationem influxus in effectum; vel denique, vt hîc docet D. Th. & cum illo Ferrariensis, vt ostendatur quòd natura in aliquibus est principium passiuum motus: in aliis verò principium actiuum: nam per ly [principium] intelligitur principium passiuum, per ly verò (causam) principium actiuum, vt etiam docet D. Augustinus.

Dicitur 2. in definitione (motus, & quietis) quæ duo sunt illa, respectu quorum natura est principium, & causa: sed non ita accipienda sunt, vt docet hic D.Th.lect.1. quòd vbicúmque sit natura, debeat coniunctim esse principium motus, & quietis: hæc enim definitio esset falsa; quia sunt multa entia naturalia, quæ nunquam mouentur, sicut est Cœlum Empireum, & totus orbis terræ: & ideo in eis natura non est principium motus: & similiter sunt alia entia naturalia, quæ nunquam quiescunt, vt alij orbes cœlestes: imò probat Philosophus in libris de cœlo motum illum circularem ex natura sua esse perpetuum; & consequenter in illis natura non est principium quietis: sed debet accipi ly [motus, & quietis] quasi diuisiuè: & sic exponi quæuis quies, aut motus naturalis entium naturalium procedit à natura: ita tamen vt si aliquod ens naturale moueatur, & quiescat saltem successiuè, natura sit in illo principium, & causa talis motus, & quietis: si verò vel solùm quiescat, vel solùm moueatur: tunc illa quies, vel motus à natura procedet, tanquam à prima radice & origine: huius exemplum habemus apud Aristotelem, qui sic definit animam; *Anima est quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus*; Cuius definitionis sensus est, non quamlibet animam esse principium omnium istarum operationum; aliàs plantæ, quæ habent animam vegetatiuam, sentirent, & intelligerent; quod plusquam falsum est: & similiter bruta, quæ habent animam sensitiuam; intelligerent: sed sensus est, animam esse principium omnium istarum operationum: vbicúmque reperiantur: & sic anima tantùm vegetatiua est principium vitæ, & operationum vitalium, sensitiua autem, quia etiam est vegetatiua, est principium vitæ, & sensus, siue operationum vitalium, & sensationum: rationalis autem, quia simul est vegetatiua, & sensitiua, est principium omnium operationum expressarum in hac definitione: nec obstat quod natura dicitur esse determinata ad vnum, per quod distinguitur à causa libera; & ita non videtur posse esse simul causa motus, & quietis illi contrariæ: & maximè cùm quies nihil sit, nec fiat per se, cùm sit priuatio. Ad hoc enim dicendum cum D.Th.in 1.dist.40.quæst.4.art.2. ad 5. quod est duplex quies: vna naturalis, sicut lapidis in centro, & hæc non contrariatur motui naturali; imò est perfectio, terminus, & complementum motus naturalis: vnde fluit à natura, sicut & motus ad illum terminatus, qui non sunt contrarij effectus, sed per modum vnius: alia quies est violenta, sicut lapidis in loco superiori; & hæc est contraria motui naturali, nec procedit à natura rei, quæ naturaliter mouetur, sed causatur à principio extrinseco: adhuc quies naturalis potest sumi dupliciter vt ait D.Th.1.p.quæst.73. art.2. & 3. item in 2. dist.15.quæst.3.art.2. primò vt dicit præcisè puram carentiam motus; & sic natura dicitur impropriè principium eius. Secundò potest sumi, vt importat possessionem termini, & quietem in eo acquisitam, ad quam sequitur priuatio motus; & in hoc sensu accipitur in præsenti, & natura propriè est principium eius: sic enim est quid positiuum: nam graue v. g. esse in loco suo naturali, quòd est quies acquisita, est quid positiuum; imò natura hanc quietem anxiè appetit: motum autem propter illam, si motus naturalis ad talem quietem possit terminari.

Dicitur 3. in definitione (eius, in quo est) quod diuersimode solet explicari: quidam enim dicunt sensum eius esse, quòd natura sit principium motus, & quietis vbicúmque reperiatur, siue in habente naturam, siue in alio: & sic dicunt quòd ly [eius in quo est] non appellat supra motum, & quietem; sed supra principium, & causam: ita vt natura sit necessariò principium internum motus, sed non principium motus interni: sed hæc explicatio falsa est; nam ex illa sequitur naturam esse principium motus violenti: ignis enim ratione suæ formæ est principium motus calefactionis aquæ: falsum tamen est quòd natura sit principium motus violenti, cùm potiùs contrarietur naturæ. Secundò sequitur omnem causam agentem esse naturam: nam dum agit, est principium per aliquid sibi intrinsecum motus alterius; sed hoc non potest dici; quia ens naturale vt sic, siue ens habens naturam est ens mobile necessariò, & tantùm est permissiuè motiuum: ideo enim pro eodem reputatur ens naturale, & ens mobile, vt supra dictum est in assignando obiecto Physicæ: sed agens vt sic præcisè non est ens mobile, sed motiuum; nec mouetur, sed mouet: vnde dicendum cum D.Th.hîc lect.1. naturam esse principium, & causam motus interni, siue motus illius entis, in quo est ipsa natura: non tamen est principium [quod] sed principium [quo:] nam natura est in ipso ente, quod mouetur sicut pars in toto; & consequenter non potest esse (id quod, sed id quo): & ita est magna differentia inter naturale, prout hîc sumitur, & prout sumitur vniuersaliter: nam vniuersaliter sumptum significat; tum omne, quod non est supernaturale; tum omne, quod non est liberum; tum omne, quod non est artificiale; tum omne, quod non est violentum, & in hoc sensu potest dici quòd calefactio ignis est naturalis, & procedens à natura: quia est iuxta eius inclinationem: non autem potest dici naturalis illa calefactio, siue à natura, prout hîc secundùm Aristotelem naturam sumimus; quatenus præcisè importat principium motus interni, & constituit mobile, & non motiuum: licèt permissiuè possit constituere etiam motiuum; non tamen per hoc dicitur natura: sed quia constituit indispensabiliter mobile.

Dicitur 4. in definitione (primò:) quia natura non est quodcúmque principium; sed primum, & radicale [quo] motus: & sic excluduntur à ratione naturæ alia principia proxima, ac instrumentalia motus, vt grauitas in graui, leuitas in leui &c. quia licèt sint principium [quo] motus: tamen quia non sunt primum, & radicalia; non sunt, nec dicuntur naturæ, sed tantùm naturalia.

Dicitur 5. in definitione (per se, & non secundum accidens) per quod distinguitur natura ab arte, quæ aliquando potest esse principium motus eius, in quo est: cuius exemplum affert D. Th. his verbis: *Contingit aliquando quòd aliquis Medicus sit sibi ipsi causa sanitatis: & sic principium sanitatis est in eo: hoc tamen est per accidens; non enim sanatur inquantum Medicus, sed inquantum infirmus: & ideo principium talis sanitatis non est à natura, quæ petit esse principium per se, & non per accidens motus illius entis, in quo est tale principium; quod non conuenit Medicinæ, neque alteri arti.* Per ly autem (per se) non importatur tantùm, quòd natura sit intrinsecè, & essentialiter principium motus; sed quòd conueniat illi omnino per se, & secundùm ipsam; idest non ratione alicuius prædicati superioris, cui primò conueniat, sed ratione sui modo explicato in libris Posteriorum: igitur quia natura est principium primum, & radicale motus, in definitione ponitur (primò;) & quia hoc illi conuenit ratione sui, ponitur (per se:) & sic ista duo simul vnita denotant quòd natura debet esse principium primum & radicale; non enim potest esse principium proximum, siue immediatum: & hoc secundùm propriam, & vltimam rationem, & per hoc patet ad argumenta in contrarium.

Articvlvs II.

Vtrùm definitio naturæ sit essentialis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd definitio naturæ iam examinata non sit essentialis: ita tenet Ferrariensis hic q. 1. & aliqui alij. Probatur. Definitio, quæ datur per effectus rei definitæ, non est essentialis; quia cùm effectus supponant rem in seipsa constitutam, non possunt intrinsecè pertinere ad eius essentiam: definitio autem essentialis debet tradi per intrinseca & essentialia rei definitæ: sed hæc definitio datur per effectus naturæ, scilicet per motum & quietem: ergo non est essentialis.

§ 2. Præterea, Materiæ & formæ, quibus tantùm competit ratio naturæ; non est essentiale & intrinsecum esse principium motus: quia materia tantùm dicit essentialiter quòd sit primum subiectum, & eius essentia est per ordinem ad formam & compositum: similiter etiam forma tantùm dicit quòd sit primus actus materiæ, & eius essentia est per ordinem ad materiam & compositum: ergo definitiu, quæ traditur per principium motus, non est essentialis naturæ.

§ 3. Præterea, In natura prius est quòd sit principium essendi, quàm principium motus: sicut in ente naturali prius est habere esse, quàm moueri; ergo cùm definitur natura per principium motus, non definitur essentialiter: quia cùm principium motus non sit primum quod est in natura, non potest esse eius essentia; essentia enim est primum quod repetitur in qualibet re: vnde definitio naturæ tradita per principium motus non est essentialis.

Sed contra est authoritas D.Th. in præsenti, quem sequuntur nostri Complutenses, Masius, Soto, & alij communiter.

Conclvsio.

Cùm definitio naturæ tradatur per intima, & essentialia ipsi naturæ: est definitio essentialis.

Respondeo dicendum, quòd definitio naturæ tradita ab Aristotele, & articulo præcedenti explicata est essentialis. Ad cuius euidentiam sciendum est non solùm eam definitionem esse essentialem, quæ constat vero genere & differentia; sed sufficit quòd tradatur per aliquid intrinsecum & essentiale: & ita licèt verum sit naturam; cùm sit quid analogum, vt infra dicetur, non habere verum genus & differentiam; & consequenter non posse definiri per verum genus & differentiam: dicendum tamen eius definitionem non esse tantùm descriptiuam, sed essentialem & quidditatiuam.

Probatur. Illa definitio est essentialis, quæ traditur per intima & essentialia rei definitæ, vt per se patet: sed hæc definitio naturæ est huiusmodi; quia esse principium motus vel quietis, primum & radicale, non potest conuenire naturæ ratione alicuius accidentis: quia accidentia sunt tantùm principia proxima motus; & non prima & radicalia: vnde conuenit naturæ ratione suæ substantiæ & essentiæ: ergo hæc definitio naturæ est essentialis.

Secundò ens naturale vt sic essentialiter dicit, quòd sit principium radicale [quod] motus interni: vnde formaliter idem est ens naturale, & ens mobile: ergo id quo constituitur in esse entis naturalis, debet necessariò & essentialiter esse principium radicale [quo] motus: sed constituitur ens naturale per naturam, vt natura est: ergo natura, vt natura est, essentialiter est principium radicale [quo] motus; ac proinde definitio naturæ est essentialis.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc definitio non datur per motum & quietem tantùm, sed per esse principium radicale vtriúsque, quod est essentiale naturæ; licèt motus & quies sint eius effectus, & quid posterius & extrinsecum: substantia autem cùm possit esse relatiua secundùm dici, potest definiri per ordinem ad aliquid extrinsecum; qui tamen ordo est intrinsecus & essentialis: licèt ordo prædicamentalis sit accidens: ita D. Thom. hic lect. 5. vbi ait: *Ponitur autem in definitione naturæ principium quasi genus, & non aliquid absolutum, quia nomen naturæ importat habitudinem principij.*

Ad secundum dicendum, quòd tam materia quàm forma possunt considerari dupliciter; vel sub conceptu formæ & actus primi, & sub conceptu materiæ & primi subiecti, & vt sic dicunt quòd sint constitutiuæ (vt quo) essentiæ totalis; ac proinde dicunt tantùm ordinem ad inuicem, & ad totum compositum; vel sub alio conceptu subsequente ad illum primum, nempe quòd materia: cùm sit primum subiectum, sit etiam primum, & radicale principium passiuum motus: similiter quòd forma, cùm sit primus actus substantialis, sit etiam primum, & radicale principium actiuum motus: & vt sic dicunt essentialem ordinem ad motum: quilibet autem ex istis conceptibus inadæquatè exprimit formam & materiam: sicut totum ipsum potest considerari dupliciter; vel vt habens suam essentiam præcisè, & sic non est principium radicale (quod) motus: sed tantùm intelligitur constare materiâ & formâ tanquam partibus essentialibus: vel potest considerari vt est quædam natura totalis modo infra explicando, & constans ex naturis partialibus: & sic est principium radicale (quod) motus: hoc autem nomen materiæ & formæ significat ipsas, non vt sunt naturæ, sed vt sunt constitutiuæ essentiæ.

Ad tertium dicendum, quòd natura est realiter principium tam essendi, quàm radicale motus: vnde, vt dictum est, habet istos duos conceptus inadæquatos formaliter distinctos: & ita anima, si consideretur secundùm suam essentiam, dat esse substantiale viuentis: si consideretur verò vt natura est præcisè, est principium radicale motus: isti autem duo conceptus sunt subordinati: ita vt anima consideretur prius secundùm suam essentiam, & vt dans esse substantiale: deinde vt est natura, & vt principium radicale motus: vnde patet quòd primus & adæquatus conceptus naturæ, vt sic, est esse principium radicale motus.

Articvlvs III.

Vtrùm materia prima sit natura?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd materia prima non sit natura. Ita tenet Vallesius controuersia 11. ad tytones, cui videtur fauere Arist. 1. de partibus animalium cap. 1. & in hoc 2. lib. cap. 1. & alibi: sed tamen in rei veritate tantùm vult quòd materia non sit tam perfectè natura, sicut est forma, vel quòd non sit natura per modum principij actiui: sed imperfectè per modum principij passiui. Probatur tamen hæc opinio. Materia non est principium & causa motus: si enim esset causa, esset ad summum causa materialis, quod non potest esse: quia cùm motus sit accidens, non subiectatur in materia, sed in toto composito: ergo materia prima non est natura, cùm natura sit principium & causa motus &c. Confirmatur. In artificialibus sola forma est ars; materia enim est quid naturale: ergo & in naturalibus sola forma est natura: nam sicut se habet forma artefacti respectu illius: sic se habet forma naturalis respectu entis naturalis: quia vtráque est forma, & actus primus proprij compositi, & illud constituit in propria specie, & proportionatam communicat existentiam.

§ 2. Præterea, Illud solùm in naturalibus est natura, per quod distinguitur ab artificialibus: quia ens artificiale, vt statua, tantùm per artem distinguitur à natura; & econtra ens naturale tantùm per naturam distinguitur ab arte: sed naturale & artificiale per solam formam distinguuntur; quia conueniunt in materia: nam eadem materia prima, quæ est in ligno, remanet in statua: ergo materia prima non est natura, sed sola forma substantialis.

§ 3. Præte

§ 3. Præterea, Si materia prima est natura, sequitur quòd oullos motus sit violentus: quia materia ex se habet inclinationem ad omnea motus, nec vllus ei repugnat ratione sui, sed tantùm ratiooe formæ: & ita cùm materia æqualiter incliner ad omnes formas, haber æqualem inclinationem ad omnes motus, qui dioersas consequuntur formas: vnde videmus quòd materia, quæ prius erat sub forma alicuius corporis grauis, & conoaturale illi erat ferri deorsum: si transeat sub formam ignia, naturaliter fertur sursum: & sic nullus morns est violentus respectu materiæ: sed non potest dici quòd nullus motus sit violeotus, vt patet ex cummuni consensu Philosophorum admittentium motum violentum: ergo materia prima non est natura.

San contra est expressa anthoritas Aristotelis, & D.Th. quos commuoiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm materia prima sit principium, & causa motus, & quietis eius in quo est primò, & per se, & nou secundùm accidens: necessariò est dicenda uatura.

Raspondao dicendum, quòd materia prima verè, & simplicirer est natura. Probatur authoritate Aristotelis in hoc a.lih. eap.t. vbi sic ait: *Vno igitur modo natura sic dicitur, nimirum prima cuique rei in se motus, & mutationis principium habenti subtecta materia: alio autem modo forma, & species, qua in definitione ponitur.* Ibique laudat aliquos, qui dixerunt materiam esse naturam, & prohat solam sohstantiam, esse ens oaturale sie. Quod constat naturis est eos naturale: sola substantia constat naturis, suhiecto scilicer, & quod est in subiecto, scilicet materia, & forma; quæ sunt oaturæ: ergo sola substantia est ens naturale: idem docet D. Thom. ibidem.

Probatur vnicâ; sed fundamentali ratione. Cui competit defioitio, competit etiam definitum, vt communiter docent Logici: sed materiæ primæ competit definitio naturæ; natura eoim definitur quòd sit principium, & causa motus, & quietis eius in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens: quæ omnia cooueniunt materiæ primæ: nam motus Physicus, sicut recipitur in toto composito, vt in suhiecto totali [quod ;] ita recipitur in materia, vt in subiecto [quo :] cùm enim habeat rationem primi suhiecti; ita est prima & per se ratio recipiendi motum: imò noo est aliquod mobile motu Physico, quod noo habeat materiam primam: & sic materia est verè prima, & per se causa materialis motus illius entis, in quo est ipsa materia: & similiter quietis: ergo materia prima est natura. Confirmatur. Ens naturale, vt sic, componitur ea materia & forma tanquam ex partihus essentialihus, vt dictom est: sed ens naturale, vt sic, essentialiter debet componi ea naturis partialihus, vt patet: ergo non sola forma: sed atiam materia prima est natura.

An primum ergo dicendum cum Aristotele, & D.Th. hîc lect.2. quòd sufficit ad rationem naturæ, vt sit subiectum (quo) motus: licèt ooo sit subiectum (qood:) materia autem prima non solùm pertinet ad esse entis naturalis, sed etiam triboit illi in genera causæ materialis, quòd sit aptum subiectum motus: & ita est subiectum [quo] illius. Ad confirmationem dicendum, quòd est disparitas: nam ars esseotialiter est accidens: & ideo subiectum illius debet esse suhstantia, & ita noo potest esse ars: natura antem solùm essentialiter dicit quòd influat in motum modo dicto, scilicet per modum radicis, & consequenter est suhstantia; quæ sit vel primum suhiectum motus, vel primus actus substantialis, qui potest assimilari quantùm ad aliqua actui accidentali.

An secundum dicendum, quòd non est eadem materia naturæ, & artis: nam materia naturæ est materia prima, in qua recipitur forma suhstantialis: materia autem artis est materia secunda: & licèt materia prima maneat sub forma artis, vt suhiectum (quo;) noo tamen manet vt subiectum [quod:] vnde non remanet, oec recipit formam artis nisi effecta materia secunda, & determiuata ad certam speciem per formam.

An tertium dicendum, quòd nullus motus est violentus respectu materiæ primæ, vt sic: sed tantùm respectu formæ, quæ est principium motus contrarij, vel per efficientiam, vel per naturalem inclinationem: & quia forma est præcipua pars constitutiua compositi io specie; ideo motos dicitur violentus, qui est contra eius inclinationem naturalem; licèt etiam materiæ vt informatæ tali formâ [quæ vt sic reductiuè pertinet ad speciem formæ, & compositi; ac proinde participat iuclioationem ad bonum totius] possit dici violentus ille motus, qui est contra natutam compositi.

Articvlvs IV.

Vtrùm omnis forma substantialis materialis sit natura?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd non omnis forma suhstantialis materialis sit oatura. Ita tenent Albertus Magn.2.Physicorum tract.r.cap.1. Simplicius in prooemio librorum de anima: hi enim authores docent solas formas suhstantiales, quæ non attingunt ad gradum aoimæ, esse naturas. Prohatur ex Philosopho lib.a. Physicorum cap.7. vbi docet Deum non pertinere ad considerationem Philosophicam; quia ita mouet, vt noo moueatur: siue quia illi deest principium passiuum motus, seilicet quo possit moueri: ergo ratio naturæ solùm conuenit formæ, quæ possit esse priocipium passiuum motus tantùm: & ita solis formis, quæ non attiogunt ad gradum animæ: nam quæ sunt animæ sunt principium actiuum motus.

§ 2. Præterea, Agere & pati sunt rationes omnino oppositæ; & consequenter esse principium actiuum & passiuum: ergo cùm natura oon possit non esse principium passiuum motus, ooo poterit esse actiuum: constat autem quòd formæ materiales, quæ non sunt animæ, sunt principium passiuum motus; quæ verò sunt animæ, sunt priocipium actiuum; ac proinde non possunt esse priocipium passiuum: ergo non sunt natura, sicut sunt aliæ, quæ noo sunt animæ.

§ 3. Præterea, Narora est determinata ad vnum ex communi assensu Philosophorum: sed forma, quæ attingit ad gradum animæ, non est determinata ad vnum; habet enim multos & varios motus: scilicet sursum, deorsum & secundùm omnes differentias positioonum, & multos alios præter localem: ergo talis forma non est oatura.

San contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos communiter sequuorur ferè omnes Philosophi, tam antiqui, quàm moderni.

Conclusio.

Cùm omnis forma materialis sit principium, & causa motus eius in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens: necessariò est natura.

Responneo dicendum, qoòd omnis forma substantialia materialis; etiam illa, quæ attingit ad gradum animæ, est natura. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd sit triplex genus formarum materialium: aliæ enim sunt ita immersæ, materiæ vt nullam habeant operationem vitalem, & istæ non attingunt gradum animæ, & earum composita dicuntur inanimata: talis est forma lapidis, metallorum &c. aliæ sunt paulò eleuatiores à materia, & attingunt primum gradum vitæ, quòd est nutriri, vegetari &c. istæ dicuntur animæ vegetatiuæ: aliæ denique sunt adhuc magis nobiles, & eleuatæ à materia, quæ attingũt secundum gradũ vitæ, qui est sentire, vt formæ aoimaliũ, & dicuntur formæ sensitiuæ, & de his omnibus procedit hæc difficultas.

Probatnr cooclusio authoritate Philosophi in præsenti, & lib.1. de pattihus animaliom c.10. item lib.1. de anima, textu 1. vbi vniuersaliter de anima, & particulariter de anima sensitiua, quæ est etiam vegetatiua, docet quòd sit natura. Quòd etiam natura sit principium actiuum motus, id docet Aristoteles 8.Physicorum textu 27. & D.Th. ibidem his verbis: *Totum animal natura seipsum mouet.*

Secundò, omnes formæ materiales, etiam quæ attingunt ad gradum animæ, sunt principium & causa illorum motuum, qui sunt in illo ente naturali, quod constituunt: vegetatiua quidem motus accretionis, nutritionis & generationis, sensitiua autem motus progressiui, & omnium sensationum, quæ sunt verè motus, vt hîc sumimus; cùm sint mutationes corporeæ & Physicæ: aliæ verò formæ motus sursum, & deorsum, & quietis naturalis in propriis locis: hoc autem illis conuenit primò, & per se, & non secundùm accidens, vt consideranti patet: ergo omnes formæ materiales, etiam quæ attingunt ad gradum animæ sunt natura: cùm eis conueniat definitio naturæ.

Tertiò. Specialiter contra aduersarios probatur quòd natura possit esse principium actiuum motus. Non minus est naturale viuentibus mouere se, quàm moueri; imò videtur esse magis naturale: quia mouere se magis spectat ad actiones vitales, quàm moueri: cùm hoc sit commune tam viuentibus, quàm non viuentibus: illud autem solùm conueniat viuentibus ex Aristotele 8. Phys. c. 4. sed mouere se pertinet ad principium actiuum motus: ergo natura non tantùm est principium passiuum, sed etiam actiuum motus. Confirmatur. Principium actiuum motus immanentis est in ipso ente naturali primò, ac per se influens in talem motum: ergo cùm natura realiter pertineat ad esse entis naturalis, & ipsum in esse talis realiter constituat; sequitur quòd natura, quæ est primum quod reperitur in ente naturali, non solùm dicat principium passiuum motus, sed etiam actiuum. & hoc principaliter.

Ad primum ergo dicendum, quòd quidquid sit de non viuentibus: tamen entia naturalia viuentia debent habere vtrúmque principium motus, scilicet actiuum & passiuum: & ideo cùm Deus non habeat principium passiuum motus, scilicet materiam; bene concludit Philosophus, quòd non sit natura: imò eo ipso quòd non habet principium passiuum, nec habet principium actiuum eo modo, quo requiritur ad rationem naturæ.

Ad secundum dicendum, quòd natura non est quid vniuocum, sed tantùm analogum: vnde non dicit vnum conceptum simpliciter, sed diuersos proportionaliter se habentes: & sic per materiam patitur ens naturale, siue recipit motum: per formam verò agit, siue est principium actiuum suorum motuum.

Ad tertium dicendum, quòd hoc axioma, natura est determinata ad vnum, ab aliquibus sic explicatur, quòd per ly [natura] intelligitur totum vniuersum, quod semper eodem fere modo operatur; vt patet in variationibus temporum, hyemis, æstatis &c. quòd si applicetur ad naturas particulares, vt communiter applicatur; debet intelligi non quoad operationes, vel motus: quasi quælibet natura habeat tantùm vnam operationem, vel motum; hoc enim esset falsum, vt patet: sed quoad modum operandi; vnde licèt habeat plures operationes: tamen vt plurimùm eodem modo operantur, idest, sine libertate, indifferentia & electione.

Articvlvs V.

Vtrùm anima rationalis, vt rationalis, sit natura?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd anima rationalis, vt rationalis, non sit natura. Ita censent Auicenna lib. 1. sufficientiæ c. 5. Albertus Magnus lib. 1. Physicorum tract. 1. cap. 2. & lib. de origine animæ cap. 9. Probatur ex Aristotele qui cap. 1. huius secundi libri diuidit naturam in eam, quæ est subiectum, & in eam quæ est in subiecto: sed neutrum ex his conuenit animæ rationali, quatenus rationali: non enim est subiectum; cùm vt hîc sumimus, hoc soli materiæ conueniat: nec est in subiecto, cùm hoc tantùm competat formis materialibus, quæ in fieri, & in esse dependent à subiecto; anima autem rationalis, nec in fieri, nec in esse à subiecto dependet; cùm sit omninò immaterialis: ergo anima rationalis, vt rationalis, non est natura.

§ 2. Præterea, Forma, quæ est natura, non potest separari à materia ex Aristotele in hoc libro textu 22. & ratio est quia non potest non esse principium motus Physici & corporei; quòd non potest conuenire formæ separatæ, vt patet: solùm enim potest esse principium actionum immaterialium, quæ possunt exerceri extra materiam: sed secundùm fidem anima rationalis separatur à materia: ergo non est natura.

§ 3. Præterea, Operationes animæ rationalis, vt rationalis; non sunt naturales: cùm tales operationes sint tantùm intelligere & velle, quæ non sunt operationes Physicæ & naturales; cùm etiam conueniant Deo & Angelis, qui non sunt entia naturalia, vt hîc accipimus: ergo cùm natura debeat esse principium, & causa motus, siue operationis naturalis; anima rationalis, vt rationalis non est natura.

Sed contra est authoritas Philosophi lib. 1. de anima textu 2. vbi docet vniuersaliter animam esse naturam: item D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, & alij.

Conclvsio.

Cùm anima rationalis, vt rationalis, sit forma hominis, qui est ens naturale; & sit principium motus eius in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens: etiam vt rationalis est natura.

Respondeo dicendum, quòd anima rationalis, etiam secundùm vltimum gradum rationalitatis est verè, imò perfectissimè natura. Ad cuius euidentiam sciendum est nullam esse difficultatem; quin anima rationalis secundùm alios gradus quos continet, scilicet vegetatiui, & sensitiui sit natura; cùm rationes supra allatæ non minus probent de ipsa, quàm de aliis formis; & ita sola difficultas est de ipsa quatenus rationali præcisè: non autem requiritur in forma, ad hoc vt sit natura, quòd educatur de potentia materiæ, & ab illa dependeat in esse: cùm ista denotent imperfectionem; ac proinde solùm conueniant naturæ imperfectæ: sed sufficit quòd possit à natura, siue per agens naturale vniri materiæ: nam per hoc consequitur omne illud, quod mediâ animâ intendit adipisci: forma enim non intenditur primariò propter se, sed propter totum compositum: per hoc autem præcisè quòd anima vniatur materiæ, resultat totum, & ideo satiatur agentis naturalis desiderium, si eam vnierit.

Probatur conclusio ratione D. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. anima rationalis secundùm gradum vltimum rationalitatis est vera & naturalis forma hominis; vt definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone decimo, & in Viennensi sub Clemente quinto, & habetur in Clementina vnica de summa Trinitate & fide Catholica: & ratio est manifesta: nam anima rationalis, quà rationalis est, constituit hominem specie distinctum à cæteris animantibus, vt patet; & ita vt rationalis, est vera & naturalis forma illius, scilicet per veram informationem, & vnionem ipsius ad materiam; & non per solam assistentiam extrinsecam motoris: cùm ex illis resultet vnum per se: ergo secundùm illum vltimum gradum rationalitatis est natura: cùm Aristoteles hîc doceat naturam propriè dici de materia & forma tanquam de partibus entis naturalis ex eis compositi.

Secundò ratione D. Thom. 1. p. q. 75. art. 2. ad 2. item 1. de anima textu 4. *Anima rationalis, vt sic, est principium motus naturalis eius in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens*: quia secundùm gradum rationalis est principium admirationis, risus, fletus, locutionis &c. de quibus non est dubium quin sint motus naturales; cùm homini conueniant, vt homo est, & quin procedant ab anima rationali, vt sic, tanquam à prima radice; quia non conueniunt aliis animalibus: ergo anima rationalis, vt sic, est natura: cùm ei, quatenus rationali, conueniat definitio naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd anima rationalis vt sic, est in materia: quia verè illam informat; & licèt separetur, retinet tamen quòd sit essentialiter actus illius; & hoc sufficit, vt dicatur natura: non autem potest

dic

dici materialis; cùm forma materialis sit illa, quæ pendet in fieri, & in esse à materia, quod non conuenit animæ rationali.

Ad secundum dicendum, quòd Aristoteles solùm vult animam vt separatam, siue vt separabilem præcisè & reduplicatiuè, non esse naturam: quia vt sic non consideratur esse principium motus Physici & naturalis; & vt sic non pertinet ad Physicum, cuius captum excedit; sed ad Metaphysicum: vnde vt sic præcisè & reduplicatiuè est tantùm radix illarum mutationum, quæ tali statui conueniunt, in quibus nullum habet commercium cum materia: sed assimilatur Angelis, qui non sunt naturæ: verùm quia in illo statu adhuc conseruat quòd sit vera pars hominis; ac proinde, quantùm est in se, quòd sit primum & radicale principium naturalium motuum hominis: ideo in illo statu etiam specificatiuè est natura: idest vno verbo, in illo statu est natura, sed non habet ex illo quòd sit natura: nec refert quòd separata non possit per naturam coniungi, & consequenter exercitium talis principij sit omnino impeditum: sufficit enim vt debito tempore fuerit tale principium in actu exercito: sicut in beatis potentia nutritiua, augmentatiua &c. non desinunt esse tales, nec sunt frustra, licèt in illis nunquam sint reducendæ in actum; nam sufficit, vt tempore debito suam virtutem exercuerint.

Ad tertium dicendum, quòd licèt volitio & intellectio animæ rationalis pro hoc statu, non sint motus sensibiles secundùm suam substantiam, & in esse entis: exercentur tamen dependenter à materia sensibili, & ab operationibus sensibilibus phantasiæ, & aliorum sensuum: ita vt etiam harum mutationum anima sit radicale principium, tam quoad substantiam, quàm quia ordinat illas ad intellectionem, & volitionem à quibus saltem quantùm ad modum dependent pro hoc statu; & hoc sufficit, vt dicantur operationes naturales, & procedant ab anima, vt natura: & propterea Aristoteles in 3. de anima agit de anima rationali tanquam de præcipua parte Philosophiæ naturalis. Item anima per intellectionem & volitionem moderatur motus Physicos illos imperans, & applicans potentias ad illos exercendos, & præscribens modum quomodo & quando exercendi sunt; adhoc vt etiam in ordine Physico meliùs se habeant, & ratione huius imperij, applicationis &c. intellectio & volitio sunt operationes naturales: vnde quando dicitur naturam esse determinatam ad vnum quoad modum operandi; Ita vt operetur sine electione: debet intelligi de natura prout innoluit aliquas imperfectiones: non verò prout est in omni sua puritate, vt in anima rationali: nomen verò quasi genericum naturæ, imperfectiori naturæ applicatur, vt solet fieri: vnde concludendum est quòd anima rationalis, vt natura, attingit intellectionem & volitionem quoad substantiam, & spiritualitatem; prout vestiuntur prædicto modo dependentiæ à mutationibus sensibilibus, non tanquam à subiecto: sed vel tanquam ab obiecto iuxta illud, oportet intelligentem phantasmata speculari; vel tanquam ab excitante externo, vel tanquam à necessariò concomitante: non autem si intellectio & volitio præcisè sumantur, vt in anima separata: quia natura non habet rationem talis, nisi respectu motuum, vel operationum à materia dependentium.

Articvlvs VI.

Vtrùm forma totalis sit natura?

Ad Sextvm sic proceditur. Videtur quòd forma totalis, vt humanitas, sit natura: ita tenent aliqui: inter quos tamen est differentia: quidam enim dicunt non solùm esse naturam, sed etiam comprehendi sub definitione naturæ tradita ab Aristotele: alij verò hoc vltimum negant. Probatur. Aristoteles in hoc 2. lib. cap. 1. ostendens quibus conueniat ratio naturæ numerat materiam, formam, & speciem: sic enim ait. *Vno igitur modo natura sic dicitur, materia prima cuique rei in se motus & mutationis principium habenti subiecta materia: alio autem modo, forma & species*: Sed per speciem intelligitur forma totalis, quæ est in specie completa, vt humanitas: ergo forma totalis est natura.

§ 2. Præterea, Ex communi vsu loquendi humanitas dicitur natura humana, & ratione illius homo dicitur habens naturam, quod similiter est in aliis: ergo forma totalis est natura.

§ 3. Præterea, Humanitas est principium motus & quietis eius in quo est, & mediante illâ tanquam principio radicali homo operatur, mouet & recipit motum; cùm accidentia subiectentur in toto composito: ergo forma totalis est natura.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur nostri Complutenses, & communiter Thomistæ.

Conclvsio.

Cùm forma totalis non sit primum, & radicale principium motus & quietis eius in quo est: non potest dici natura.

Respondeo dicendum, quòd forma totalis v. g. humanitas propriè & in rigore loquendo, non est natura: nec comprehenditur sub definitione naturæ tradita ab Aristotele. 2. loquendo tamen in lata significatione de natura, forma totalis potest dici natura.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi, & D. Th. Philosophus enim in hoc 2. libro postquam dixerat cap. 1. materiam & formam esse naturam, subiungit: *Quod autem ex his est compositum: natura quidem non est, sed naturaliter est, seu natura constat*. Quem locum exponens D. Thom. lect. 2. sic ait. *Posset autem aliquis credere, quòd quia materia dicitur natura, & etiam forma; quòd compositum possit dici natura: quia substantia dicitur de forma, & de materia, & de composito*: Sed hoc excludit dicens quòd *Compositum ex materia & forma, vt homo, non est ipsa natura, sed est aliquid à natura: quia natura habet rationem principij: compositum autem habet rationem principiati*: Ergo sicut homo, quia est principiatum non est natura; sic nec humanitas propter eamdem rationem erit propriè & rigorosè loquendo natura.

Secundò. Natura, vt hic definitur ab Aristotele, debet esse primum & radicale principium motus & quietis eius in quo est, vt constat ex ipsa definitione: sed forma totalis non est huiusmodi, nam conuenit illi esse principium actiuum motus & quietis ratione formæ; & principium passiuum ratione materiæ: non verò ratione sui; alioquin alicui rei indiuisibili conuenirent opposita ratione sui: constat enim quòd agere & pati; siue esse principium actiuum & passiuum respectu eiusdem sunt opposita: est autem impossibile quòd alicui indiuisibili conueniant opposita ratione sui: omnis enim oppositio debet refundi in opposita principia: ergo forma totalis propriè & rigorosè loquendo, non est natura.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Natura aliquando sumitur in lata significatione pro quidditate & essentia rei: sicut natura humana, Angelica, vel Diuina est idem, ac essentia hominis, Angeli, vel Dei; sed forma totalis est quidditas & essentia rei: putà humanitas est quidditas & essentia hominis: materia enim & forma sunt tantùm partes huius essentiæ; quæ ex illis vnitis resultat: ergo loquendo in lata significatione de natura: forma totalis est natura.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philosophus ibi nomine speciei non intelligit essentiam specificam, siue formam totalem: cùm, vt vidimus, immediatè post neget formam totalem esse naturam: aliàs sibi contradiceret: sed intelligit ipsam formam substantialem; & ita pro eodem sumit [forma & species] & vtrúmque ad maiorem explicationem; vt manifestaret quæ forma sit natura, scilicet illa, quæ dat speciem rei; & propterea dicitur ab illa species.

Ad secundum dicendum, quòd in tali vsu loquendi natura sumitur pro quidditate & essentia, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd licèt forma totalis ſit principium motus: tamen non eſt primum & radicale, vt dictum eſt: & licèt recipiat accidentia materialia, vt motum, hoc tamen habet à materia tanquam à prima radice: ideo enim compoſitum materiale habet accidentia materialia, vel quia exiguntur à materia, vel quia eſt aptum ad illa habenda propter materiam quam habet: & propterea accidentia materialia non poſſunt, reperiri in ſubſtantiis ſeparatis à materia, vt in Angelis: ſaltem connaturaliter loquendo, vt per ſe manifeſtum eſt, & ita forma totalis non eſt propriè natura.

Articvlvs VII.

Vtrùm ad hoc vt forma ſit natura, requiratur neceſſariò quòd ſit principium actiuum motus?

AD Septimvm ſic proceditur. Videtur quòd ad hoc vt forma ſit oatura, requiratur oeceſſariò quòd ſit priocipium actiuum motus. Ita tenet Vaſques 1.2.diſp.25. c.3.& alij.Probatur.Si forma non influit in motus eius in quo eſt per modum principij actiui (quo) ſequitur quòd non influit in illum per modum primi principij.& primæ radicis; ac proinde quòd non ſit natura: nam primum principium paſſiuum & prima radia paſſiua motus eſt materia prima, cùm ipſa ſit primum ſubiectum: nam forma ratiooe materiæ habet recipere & pati: & ita forma non poteſt eſſe primum principium paſſiuum motus: ergo vt forma ſit natura, requiritur neceſſariò quòd ſit principium actiuum motus.

¶ 2. Præterea, Forma, vt forma, ſolùm influit per modum actus, & nullo modo per modum potentiæ, vt patet: nam forma dicitur forma ab informando; informare autem idem eſt, ac actuare; ergo forma debet oeceſſariò iofluere per modum principij actiui, quod competit actui; & oon per modum principij paſſiui, quod competit potentiæ.

¶ 3. Præterea, Natura eſt principium motus &c. quod eſt autem priocipium motus, debet conari & adhibere impetum in ordine ad illum: ergo repugnat formæ eſſe naturam, & tantùm eſſe priocipium paſſiuum motus; nam conari & impetum adhibere denotant agere, & actionem: vnde ad hoc vt forma ſit natura, requiritur neceſſariò quòd ſit principium actiuum motus.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Th. in præſenti, quos communiter ſequuntur non ſolùm Thomiſtæ, ſed & alij.

Conclvsio.

Cùm reperiatur motus naturalis ad quem forma ſe habet tantùm vt principium paſſiuum: non requiritur neceſſariò ad hoc vt forma ſit natura, quòd ſit principium actiuum motus.

Respondeo dicendum quòd non requiritur neceſſariò quòd forma ſit principium actiuum motus, ad hoc vt ſit natura: ſufficit enim quòd ſit priocipium paſſiuum illius.

Probatur ratione deſumptâ ex Ariſtotele in hoc 2. lib. cap.1. & D. Thom. ibid. lect. 1. Per hoc præciſè quòd formæ ſubſtantiali competit eſſe principium paſſiuum (quo) motus & quietis primò, & per ſe, & noo ſecundùm accidens; conuenit illi rigoroſè & adæquatè definitio naturæ, nam ly [principium, & cauſa motus] propriè & rigoroſè ſaluantur in principio paſſiuo: aliàs ſolùm principium actiuum eſſet verè, propriè & rigoroſè principium & cauſa: & ita diuiſio cauſæ in efficientem & materialem noo eſſet diuiſio veræ cauſæ, quod eſt falſum: ergo forma ſubſtantialis per hoc præciſè, quòd eſt principium paſſiuum motus, eſt natura: & ita non requiritur neceſſariò ad hoc vt ſit natura, quòd ſit principium actiuum illius. Confirmatur. Materia prima, vt probatum eſt ex Ariſtotele, eſt verè & rigoroſè natura; & tamen eſt tantùm principium paſſiuum motus; & adhuc vt ſic imperfectiori modo concurrit, quàm forma illa, quæ tantùm concurrit per modum principij paſſiui: ergo multò magis prædicta forma eſt natura: vnde non requiritur neceſſariò ad hoc vt forma ſit natura, quòd ſit principium actiuum motus.

Secundò. Ex Ariſtotele 1. de cœlo cap. 2. item 7. Metaph. c.2. cœli ſunt vera entia naturalia; ergo formæ cœlorum ſunt veræ oaturæ: nam ex eodem Philoſopho ens naturale conſtat & componitur ex naturis partialibus: ſed formæ cœlorum non ſunt principium actiuum, ſed tantùm paſſiuum ſui motus; nam eſſe principium actiuum motus eius in quo eſt, ſolùm conuenit formis, quæ attingunt ad gradum animæ ex Ariſtotele 8. Phyſic. c.4. vbi dicit quòd moueri effectiuè à ſe, eſt viuere: & ideo definit actiones vitales per hoc, quòd ſunt à principio actiuo coniuncto, conſtat autem quòd formæ cœlorum non ſunt viuentes, nec cœli corpora viuentia, vt efficaciter probat D.Th.1.p.q.70.art.3.contra aliquos antiquos, qui dicebant cœlum eſſe animatum: deinde Ariſtoteles io Metaphyſica dicit cœlum non moueri à ſe, ſed à ſubſtantiis ſeparatis: ergo ad hoc vt forma ſit natura, non requiritur neceſſariò quòd ſit principium actiuum motus.

Aliqui Scotiſtæ negant cœlum eſſe ens naturale, & eius motum eſſe naturalem: ſed hi manifeſtè relinquunt communem doctrinam Ariſtotelis, & D. Th. imò tenent contra ratiooem: nam cœlum eſt verum compoſitum ex materia & forma Phyſica, vt communiter docent Philoſophi cum Ariſtotele 1. de cœlo, & D.Th. ibid. lect.6. & manifeſtè colligitur: cœlum enim habet veram quantitatem, quæ io ſola ſubſtantia naturali & completa reperitur: imò vt dictum eſt ſupra, ens mobile & naturale idem eſt, ac compoſitum ex materia & forma Phyſica: & ita forma cœli eſt vera natura: cùm autẽ omne ens naturale habeat aliquem motũ ſibi connaturalẽ: nõ enim petit ab intrinſeco eſſe in perpetua quiete; ſequitur quòd motus cœli, qui in eo eſt vnicus, videlicet circularis, ſit illi connaturalis; nam fluit à principio paſſiuo eius, in quo eſt: motus autem, qui procedit à principio interno, eſt naturalis, per hoc enim diſtinguitur à motu violento. Confirmatur. Spectat ad Philoſophum naturalem agere de cœlo & eius motu: nam de illo agit Ariſtoteles ex profeſſo in quatuor libris, quos propterea vocat de cœlo: ergo cœli habent motum naturalem, & ſunt entia naturalia: cùm obiectum Phyſicæ ſit ens mobile motu naturali.

Ex dictis colligitur ſufficere ad motum naturalem, quòd ſit à principio interno naturali licèt paſſiuo: nec petit agens quòd operetur neceſſariò, & per modum naturæ: ſed ſufficit quòd operetur iuxta ordinem debitum naturis rerum; etiam ſi agat per intellectum & voluntatem: nec tamen ſequitur quòd quies cœli poſt Iudicium erit violenta: nam erit à Deo; eſt autem in quauis creatura inclinatio vniuerſalis ad obediendum Authori Naturæ, cui inclinationi vniuerſali quælibet peculiaris & naturalis inclinatio ſubordinatur: motus verò cœli non eſt motus ad locum: hoc enim ſolùm competit motui recto, ſed dicitur circa locum; cùm ſit circularis.

Ad primum ergo dicendum, quòd cùm ens naturale, cui competit eſſe ſubiectum [quod] motus, conſtituatur io ſuo eſſe à materia & forma; ſequitur quòd etiam conſtituatur in ratione ſubiecti motus; tum à materia, vt à primo ſubiecto, tum à forma, vt à dante illi actualitatem oeceſſariam ad hoc vt ſit ſubiectum [quod:] nam ens naturale, vt ſic, petit eſſe neceſſariò principium paſſiuum [quod] motus: & per hoc patet ad ſecundum.

Ad tertium dicendum, quòd omnis vera cauſa verè influit & conatur in ſuo genere, vt infra dicetur: licèt hæc duo magis videantur denotare cauſam agentem, & efficientem: ſed hoc non obſtat; cùm cauſare etiam hoc videatur denotare; & tamen propriè tribuitur cuicumque cauſæ, etiam materiali, quæ tantùm paſſiuè concurrit.

Articvlvs VIII.

Vtrùm natura dicatur vniuocè de materia & forma?

AD octavvm ſic proceditur. Videtur quòd natura dicatur vniuocè de materia & forma. Ita tenent

Scotus

Scotus hic q.2.Toletus quæst.1.ad 5.& alij.Probant.Materia & forma non differunt in ratioite principij, & causæ motus, ac quietis; & super hoc addunt suas rationes differentiales principij actiui, siue per modum actus, & principij passiui; siue per modum potentiæ: ergo natura in communi dicitur de illis vniocè: tunc enim aliquá ratio dicitur vniuocè de aliquibos, quando illa non differunt in tali ratione; sed tantùm per differentias proprias superadditas.

¶ 2. Præterea, Ratio partis sobstantialis & Physicæ potest vniocè dici de materia & forma: potest enim abstrahi ab illis ratio partis, siue componentis; abstrahendo quòd sit hoc, vel illo modo: ergo & ratio naturæ potest dici vniuocè de illis; quia quatenos partes Physicæ sunt naturæ: cùm secundùm hanc ratiooem componant & constituant ens naturale, & sint prima principia motuum illius.

¶ 3. Præterea, Sicut forma habet per suam essentiam quòd sit natura, sic materia per suam: ergo neutra habet ab alia quòd sit natura: & ita ratio naturæ dicitur de illis vniuocè: nam quaodo aliqua inferiora participant intrinsecè rationem soperiorum, & vnum non peodet ex alio: tunc possunt fundare vniuocationem: tunc enim illa ratio superior petit descendere æqualiter ad illa; ac proinde cum omnimoda vniformitate & vniuocatione.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Th. quos sequuntur nostri Complutenses, Masius, Conimbricenses, & alij in præsenti: hoc etiam docuit Auerroës hîc textu 2. Albertus hîc tractatu 1. cap. 3.

Conclusio.

Cùm materia prima non possit fundare conuenientiam vniuocam, & dependeat in ratione principij motus à forma: natura non dicitur vniuocè de materia & forma.

Respondeo dicendum, quòd ratio naturæ non dicitur vniuocè, sed tantùm analogicè de materia & forma. Probatur authoritate Aristotelis, & D.Thom. Aristoteles hîc cap. 1. sic ait loqoens de forma: *Atque hæc magis, quàm materia, est natura: vnumquódque enim tunc dicitur quod actu est, potiùs quàm cùm est potestate*: quem locum expoones D. Th. lect. 2. sic ait. *Quia vnumquódque magis dicitur secundùm quòd est actu, quàm secundùm quòd est in potentia: ideo forma secundùm quam aliquid est ens naturale in actu, magis est natura, quàm materia, secundùm quam est aliquid naturale in potentia.* Item Aristoteles 5.Metaphysicæ textu 5.dicit formam propriè appellari naturam: materiam verò non dici naturam, nisi quatenus est susceptiua formæ: vbi sic habet D.Thom. *Vnde patet quòd primò & propriè natura dicitur substantia, idest, forma rerum habentium in se principium motus inquantum huiusmodi: materia enim dicitur esse natura, quia est formæ susceptibilis.*

Secundò. Si ratio naturæ esset vniuoca ad materiam & formam; esset vtique generica: nam materia & forma sunt diuersæ essentialiter in ratione talis, vel talis naturæ: sed quod non potest esse species, nec habere actum Metaphysicum, etiam partialem ex se, non potest fundare conuenientiam vniuocam genericam, etiam in ratione aliqua partiali: nam ratio generica non abstrahitur nisi ab speciebus: constat autem quòd materia noo potest esse species, etiam partialis, nec ex se habere aliquem actum Metaphysicum: cùm actus Metaphysicus desumatur ab actu Physico, vt supra explicatum est: imò non nisi à forma habet constitui in aliqua specie positiua, & esse capacem alicuius actus Metaphysici; & ita non potest fundare conuenientiam vniuocam generis in ratione naturæ: ergo natura non dicitur vniuocè de materia & forma, sed tantùm analogicè.

Tertiò. Materia non habet quòd sit principium, & causa motus; nisi dependenter à forma: nam materia v.g. grauis non inclinat in motum deorsum, nec influit in illum; nisi quia est actuata per formam grauis: & si actuaretur per formam leuis, inclinaret, & influeret in motum sursum: nec respectu generationis influit materia nisi dependenter à forma, vt à fine, & termino formali [quo] generationis: ita vt ab ea in hoc ordine habeat suam causalitatem: & sic non habet rationem naturæ, nisi dependènter à forma: nec forma habet talem dependentiam à materia; licèt enim requirat ipsam, vt compartem, ad hoc vt causet; non tamen ab illa habet quòd causet: cùm ex se habeat suam actualitatem, quam materia non habet nisi vnita formæ, & à forma; ac proinde non causat ens naturale, nisi dependenter à forma; & consequenter nec habet rationem naturæ, nisi dependenter à forma: ergo natura non dicitur vniuocè de materia & forma.

Ad primum ergo dicendum, quòd non potest omnino abstrahi à forma & materia ratio principij influentis in motum: nam in illa ratione aliquo modo conueniunt, & simpliciter distinguuntur: quia, vt dictum est, materia non dicit duos conceptus, quorum vnus importet tantùm rationem principij, & alius rationem talis principij; quòd se habeat per modum actus Metaphysici respectu prioris conceptus: quia materia nullam habet actualitatem: vnde se tota distinguitur à forma, eo modo quo differentiæ se totis differunt: & per hoc patet ad secundum.

Ad tertium dicendum, quòd licèt materia secundùm suam essentiam sit principium, & causa motus: hoc tamen habet dependenter à forma, & ratione illius: vnde qua ratione est dependens à forma in ratione naturæ, est analogum attributionis respectu illius: quia tamen ratio naturæ reperitur intrinsecè in vtráque, sunt analoga analogiâ proportionalitatis.

Articulus IX.

Vtrùm natura distinguatur ab arte, & ars possit facere opera naturæ?

Ad nonum sic proceditur. Videtur quòd natura non distinguatur ab arte: sed quòd ars possit facere opera naturæ. Ita tenet Albertus Magnus lib. 3. de mineralibus cap. 9. Probatur. D.Thom. 2.2. q. 77. art. 2. ad 1. docet quòd per artem chimicam potest fieri verum aurum: ergo ars potest facere opera naturæ.

¶ 2. Præterea, Per artem saltandi, canendi &c. fiunt operationes naturales, scilicet saltare, & canere: ergo ars potest facere opera naturæ: & ita non distinguitur ab illa.

¶ 3. Præterea, Aristoteles 1. Politicorum cap. 3. item 1. de anima textu 44. refert statuas Dædali huc illuc ambulantes arte discurrisse, Item columbam Architæ artificiosam volasse. Item fortunæ simulachrum Romæ bis fuisse locutum, & similia: sed ambulare, volare, & loqui sunt opera naturæ: ergo ars potest facere opera naturæ.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, S. Augustini, & D. Th. quos sequuntur nostri Complutenses in præsenti, & alij communiter Philosophi.

Conclusio.

Cùm ars non sit principium motus quoad substantiam, sed tantùm quoad modum: distinguitur à natura, quæ est principium motus quoad substantiam, nec potest facere opera naturæ.

Respondeo dicendum, quòd ars distinguitur à natura. 2. nec potest per se, & per veram efficientiam facere opera naturæ. 3. Potest tamen aliqualiter ad id concurrere applicando actiua passiuis: & ita hi effectus non fiunt ab arte, sed à virtutibus naturalibus, quæ applicantur.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi: qui in hoc 2. libro comparat naturam cum arte, & distinguit ab illa: ait enim: *Vt enim dicitur ars, quod est secundùm artem, & quod est artificiosum: ita etiam dicitur natura, quod est secundum naturam, & quod est natura.* Idem docet D.Th. ibidem.

Secundò. Ars sumitur vel pro habitu interno, & intellectuali; vel pro effectu ipso artificioso ad extra producto;

producto: v. g. forma cathedræ: sed secundùm vtrúmque distinguitur à natura; quoad primum quidem, quia ille habitus est omnino spiritualis: natura autem debet esse in genere causæ formalis quid corporeum, siue formaliter, siue eminenter: deinde quia ille habitus est accidens, nec facit vnum per se: natura autem est substantia, & facit vnum per se: denique quia natura est principium & causa motus quoad substantiam: ille verò habitus vel nullo modo est principium motus, vel ad summum est principium illius quoad aliquem modum: quoad secundum etiam distinguitur, quia ille effectus artificiosus, scilicet illa forma externa est tantùm accidens, nec est principium & causa motus quantùm ad substantiam, sicut est natura, vt experientia docet: ergo ars distinguitur à natura.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi loco citato. Vbi hæc habet loquens de natura, & artificiosis: *Hæc autem, quæ dicta sunt, omnia differre videntur ab iis, quæ natura non constant: nam quæcúmque naturâ constant, videntur in seipsis habere principium motus & quietis; alia secundùm locum; alia secundùm accretionem & diminutionem; alia secundùm variationem: lectica verò, & alia quatenus ab arte sunt, nullum mutationis impetum insitum habent* &c. Idem docet D. Th. ibidem. Item 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad 1. item in 2. d. 7. q. 3. art. 1. ad 5. vbi loquens de arte chimica de qua poterat esse difficultas, hæc ait: *Quædam formæ substantiales sunt, quas nullo modo ars inducere potest, quia propria actiua, & passiua inuenire non potest: sed in his potest aliquid simile auro quantùm ad accidentia externa: sed tamen non faciunt verum aurum; quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo vtuntur Alchimistæ: sed per calorem Solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis: & ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem &c. similiter in aliis, quæ in eorum operatione fiunt.*

Secundò. Si ars efficit opera naturæ, vel efficit propriâ virtute principaliter, vel instrumentaliter: non primum; quia opera naturæ, vel sunt substantia, vel accidentia naturalia: constat autem quòd neutrum ex his continetur formaliter, aut virtualiter in arte: non secundum; quia natura non vtitur arte ad suos effectus, sed tantùm virtutibus instrumentaris naturalibus: tum quia instrumenta debent esse in eodem ordine cum causa principali, tùm quia forma instrumentaria se habet per modum proprietatis naturalis respectu substantiæ agentis per illam, vt patet in calore respectu ignis &c. quod non conuenit arti respectu naturæ: ergo ars non potest per se, & per veram efficientiam facere opera naturæ.

Probatur tertia pars conclusionis Authoritate S. Aug. 10. de Ciuitate Dei cap. 11. vbi docet dæmonum industriâ fieri plures effectus naturales aliquando præter communem cursum naturæ, quia per scientiam suam perfectissimam cognoscunt euidenter naturales virtutes eorum: & ita applicando opportunè actiua passiuis edunt in lucem tales effectus, non quidem ex vi artis tanquam causæ effectiuæ, sed ex vi virtutum naturalium, quas applicant: & sic docet serpentes illos magorum Ægypti fuisse veros serpentes, quòd approbat D. Thom. q. 6. de potentia art. 5. ad 8.

Secundò. Constat experientiâ quòd per artem Medicinæ ita benè applicantur ægris virtutes naturales lapidum, herbarum, fructuum, succorum &c. vt ex illis salutem consequantur; & hoc aliquando ita notabiliter, & repentinè, vt videatur miraculosum: similiter patet in pullis quorum generatio naturaliter fit medio calore gallinæ incubantis ouis; & tamen ex industria hominum solet fieri per applicationem quorumdam corporum calidorum ad eadem oua: ergo ars potest aliqualiter concurrere ad opera naturæ applicando actiua passiuis.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt fieret verum aurum per artem Chymicam: hoc tamen non fieret effectiuè ab arte; sed tantùm instrumentaliter applicando actiua passiuis: hoc tamen nunquam, aut rarò fit, imò ordinariè contrarium accidit; & propterea Ecclesia in Extrauaganti (Spondet) prohibet vsum huius artis, & vendere prædictum aurum, & declarat vendentes teneri ad restitutionem.

Ad secundum dicendum, quòd ars saltandi, canendi &c. non sunt principium harum actionum quoad substantiam; hæc enim procedit à natura: nam quamuis aliquis sciret optimè artem saltandi; si ei amputarentur crura, non saltaret; & qui optimè sciret canere; si amitteret vocem non caneret: vnde solus modus debetur arti: similiter globus faciliùs mouetur, quàm aliud corpus; non quòd moueri simpliciter sit ab arte: sed est à natura vel mobilis vel mouentis: modus autem motus scilicet velocitas est ab arte, vt à causa aliquo modo inquantum in corpore causauit illam figuram Sphæricam, quæ est conditio respectu talis velocitatis.

Ad tertium dicendum, quòd vel hi motus non fuerunt veri; sed interuenit aliqua illusio dæmonis: vel fuerunt facti mediâ aliquâ causâ naturali ibidem inclusâ, & per artem humanam applicatâ: vt patet in horologio, quod ex vi ponderis artificiosè applicati continuò mouetur: vel tandem quòd processerunt à dæmone, qui potest localiter mouere corpora: imò applicando actiua passiuis potest medio aliquo reali motu in aëre causare sonum similem voci articulatæ: quod etiam videmus arte humana fieri: refertur enim quòd Albertus Magnus effecerit vnum caput quod dicto modo loqueretur.

QVÆSTIO VIII.

De Causis in Communi.

Celeberrimus est hic tractatus de causis, & valde necessarius; vnde accuratissimè est pertractandus non solùm in communi, sed etiam in particulari: priùs tamen in communi; vt methodum compositionis obseruatam ab Aristotele in hoc opere, & in tradendis scientiis idoneam obseruemus: circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò. Quid sit causa?
¶ Secundò. Vtrùm sint quatuor genera causarum?
¶ Tertiò. Vtrùm omnis causa sit perfectior suo effectu?
¶ Quartò. Vtrùm omnis causa sit prior suo effectu?

ARTICVLVS I.

Quid sit Causa?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd causa sit principium per se influens in effectum. Ita definit Ruuius, & alij. Probatur, quia sic optimè explicatur essentia causæ: nam principium ponitur loco generis; cùm etiam conueniat priuationi: aliæ verò particulæ ponuntur loco differentiæ; nam per ly [influens] excluditur priuatio; per ly [per se] excluditur causa per accidens; per ly autem (in effectum) excluduntur Diuinæ Personæ in processionibus ad intra: nam licèt Pater æternus influat esse per se in Filium: non tamen tanquam in effectum; & propterea non est causa Filij: sicut nec Pater, & Filius causa Spiritus Sancti propter eamdem rationem.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd causa sit id, à quo aliquid per se pendet. Ita definit Fonseca. 1. Metaph. cap. 7. quæst. 1. sect. 3. & aliqui alij; qui dicunt hanc definitionem optimè explicare naturam causæ, ac discrimen inter purum principium, & veram causam: nam in Diuinis licèt Filius procedat à Patre verè influente; non tamen ita procedit, vt ab illo per se pendeat.

Sed contra est definitio D. Thom. quam sequuntur S. Bonauentura in 2. d. 26. art. 2. Masius, Soto, nostri Complutenses, Toletus, & alij in præsenti.

Conclvsio.

Cùm esse effectus debeat esse distinctum ab esse suæ causæ ideo causa optimè definitur quòd sit id, ad quod sequitur esse alterius.

Respondeo dicendum, quòd causa optimè definitur à D.Th. in hoc 2. lib. lect.10. *Causa est, ad quam sequitur esse alterius.* Item opusc. 31. cap. 1. circa finem, *Causa est id, ex cuius esse consequitur aliud.* Item q. 10. de potentia art.1. ad 8. *Causa est, ad quam sequitur aliud.* 2. Definitio autem Ruuij, sicut & alia Fonsecæ sunt diminutæ. Ad quorum euidentiam sciendum est quòd necessario requiritur ad rationem causæ, vt influat in rem, cuius est causa, & quòd ille influxus sit talis naturæ, vt medio illo res causata verè pendeat à sua causa per veram & rigorosam dependentiam, vt communiter conceditur: & ideo priuatio non est causa generationis, quia non influit, nec Pater æternus est causa Filij, quia Filius non pendet ab illo medio tali influxu: ad hoc autem vt talis sit influxus, vt medio illo sit prædicta dependentia, requiritur indispensabiliter, vt illud esse, quod causa per se primò influit, sit saltem distinctum numericè ab esse, quod est in eadem causa:non enim reperitur vera dependentia, nisi inter duo essentialiter distincta, siue habentia diuersas essentias saltem numero: quod non reperitur in diuinis, vbi est eadem numero essentia trium Diuinarum Personarum: & hoc docet D. Th.1. p. q. 33. art.1. ad 1. dicens: *Vnde hoc nomen (causa) videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij: in omnibus enim causæ generibus semper inuenitur distantia inter causam & id cuius est causa secundum aliquam perfectionem, aut virtutem; & hoc dicit non habere principium.* Idem docet q. 10. de potentia. art. 1. ad 8.

Probatur ex dictis, & explicatur prima pars conclusionis, siue definitio causæ tradita à D. Th. optime enim explicat naturam causæ, & modum influendi proprium veræ, & rigorosæ causæ, qui prædictam ponat in effectu dependentiam: nam per ly (sequitur) intelligitur consecutio per verum influxum: per ly autem (aliud, siue esse alterius) denotatur quod tale esse sit vel specie, vel saltem numero distinctum: nam vt docet D.Th. 1.p. q.31. art.2. ad 4. & communiter alij Theologi, aliud neutraliter sumptum dicit distinctionem in essentia: non verò alius, sic enim habet: *Neutrum genus est informe, masculinum autem est formatum & distinctum, & similiter femininum: & ideo conuenienter per neutrum genus significatur essentia communis; per masculinum autem & femininum aliquid suppositum determinatum in communi natura: vnde etiam in rebus humanis, si quæratur, quis est iste? 1. respondetur Socrates: si autem quæratur quid est iste? 2. respondetur animal rationale: & ideo quia in diuinis distinctio est secundùm personas, non autem secundùm essentiam, dicimus quòd Pater est alius à filio, sed non aliud: & è conuerso dicimus quòd sunt vnum, sed non vnus:* Hæc D. Th. Cum igitur ly (alterius) sit etiam informe, quia deseruit tam pro masculinis & femininis, quàm pro neutris, & omnia hæc includit: ideo in doctrina D. Th. per hoc quòd dicitur de causa, esse id ad quod sequitur esse alterius, vel ad quam sequitur aliud, denotatur quòd esse subsecutum per verum influxum debet saltem numero ab ea esse distinctum; ac proinde explicatur modus ille proprius influendi, quem habet, & medio quo id quod ab ea procedit, pendet ab ipsa: quod non explicatur in aliis definitionibus. Nec obstat quod aliqui obiiciunt, scilicet causam finalem esse veram causam, & tamen aliquando non distingui à suo effectu. v.g. cùm quis amat bonitatem, quæ est in actu amoris: tunc enim amor est causa finalis sui ipsius, & consequenter est suus effectus. Ad hoc enim dicendum, quòd finis (cuius gratiâ) nunquam causat, nisi vt constituit vnum, & eumdem finem cum fine (cui) finis autem ex vtróque coalescens, & secundùm se totum causans distinguitur ab effectu v. g. ab actu amoris.

Ex dictis bene intelligitur quomodo Pater æternus, licèt sit principium: tamen non est causa Filij, nec Filius effectus Patris: quia quamuis Pater influat esse in Filium, & ad illum sequatur esse Filij: tamen non sequitur esse alterius: eadem enim numero est essentia, & idem esse vtriúsque (non loquimur de esse personali communicatum à Patre Filio, quod non solùm numero, sed quasi specie distinguitur ab esse personali Patris propter oppositionem relatiuam disquiparantiæ inter vtrúmque; nam prædictum esse personale non est terminus formalis generationis diuinæ, sed esse naturæ, siue existentia,) ad veram autem dependentiam & causalitatem, requiritur vt terminus formalis communicationis sit essentialiter distinctus modo dicto ab ipsa causa: cùm à termino formali desumatur talis dependentia & causalitas.

Probatur secunda pars conclusionis quantùm ad definitionem Ruuij. Nam idem est influere in effectum, & influere vt causa, vt per se patet: cùm causa & effectus sint correlatiua; ac proinde id quod procedit à causa, est effectus; & id, à quo procedit effectus, est causa: sed hæc definitio Ruuij non explicat cur persona procedens in diuinis non procedat vt effectus, quod est esse diminutum: non enim ponit differentiam inter procedere vt à causa, & vt à principio perfectissimo per se influente, quales sunt diuinæ personæ; quæ licèt ad intra verè influant & producant: non tamen causant, sicut causant ad extra: quòd si dicatur vnam personam diuinam non procedere vt effectum, quia non procedit ab alia vt à causa; hoc esset nugatorium: est enim quod quæritur: nec tamen id declarat hæc definitio. Probatur etiam quantùm ad definitionem Fonsecæ. Talis definitio non explicat, quis sit modus influendi ab intrinseco inducens in effectum dependentiam, siue quare non sufficiat effectui, vt dependeat id quod sufficit, vt dicatur procedere: nam pendere in suo esse, non videtur esse aliud, quàm non habere esse à se, sed datum & communicatum ab alio: ita vt ab eo semper per verum influxum dari debeat, vt semper haberi possit: hoc autem modo in diuinis filius habet à patre tam esse essentiæ, quàm esse personale: ita vt semper debeat illi à patre dari, vt semper illud habeat: & tamen nec pater est causa filij, nec filius est effectus patris: ergo prædicta definitio est diminuta, per quod patet ad eorum fundamenta.

Articvlvs II.

Vtrùm sint quatuor genera causarum?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non sint quatuor genera causarum assignata ab Aristotele: ita tenuerunt aliqui antiqui. Probatur. Forma non potest esse causa: nam respectu eiusdem est impossibile, quòd idem sit causa & effectus, vt per se constat: sed forma est effectus generationis; cùm per illam educatur de potentia subiecti: ergo non potest esse causa eiusdem generationis.

¶ 2. Præterea, Omnis causa est perfectior suo effectu: sed forma non est perfectior toto composito, & multo imperfectior, quod idem dicendum de materia prima: nam totum compositum dicit perfectionem vtriúsque partis; quælibet autem pars dicit tantùm suam partialem perfectionem: ergo materia & forma, non sunt causæ: & ita non sunt quatuor genera causarum.

¶ 3. Econtra. Videtur quòd sunt plura quàm quatuor genera causarum. Ita tenuerunt alij. Probatur. Causa instrumentalis v.g. artis, est vera & realis causa: sed non est ex assignatis ab Aristotele; non materialis & formalis, cùm intrinsecè non constituat rem; sicut constituunt intrinsecè materia & forma: nec est efficiens; cùm motus non incipiat primò à causa instrumentali, sicut incipit à causa efficiente: nec denique finalis, cùm effectus non sit propter instrumentum, sed econtra: ergo datur quintum genus causarum.

¶ 4. Præterea, Causa exemplaris, siue idealis est vera causa: cùm sine ipsa artificiosa non possint fieri: sed non est causa materialis, formalis, aut finalis propter rationes adductas in præcedenti argumento: nec efficiens, cùm non sit principium alicuius motus, nec sit aliquid vitale: est

enim accidens extrinſecum ; & conſequenter non poteſt eſſe principium actionis vitalis : ergo conſtituit peculiare genus cauſæ : & ita ſunt plus quàm quatot genera cauſarum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in hoc lib. cap. 3. & D. Thom. ibidem , & Opuſculo 31. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi , tam antiqui , quàm moderni.

Conclvsio.

Cùm ad productionem entis naturalis tantùm iſta quatuor requirantur ſcilicet , materia , forma , efficiens & finis : ſunt tantùm iſta quatuor genera cauſarum.

Respondeo dicendum, quòd ſunt tantùm quatuor genera cauſarum , nec plura, nec pauciora. Probatur vnicâ ratione deſumptâ ex D.Th. Opuſc. citato. Compoſita naturalia non poſſunt fieri ex nihilo : cùm ex nihilo nihil fiat virtute naturæ : ergo fiunt ex aliquo præſuppoſito ſubiecto, quod eſt materia ; & ita datur cauſa materialis: materia autem cùm ſit pura potentia nullum in ſe habens actum , vt dictum eſt ſupra , non poteſt dare ſpeciem & complementum ſubſtantiale quod habent compoſita naturalia : ergo debet dari cauſa formalis, quæ compleat & actuet tale compoſitum : nulla autem res poteſt ſeipſam efficere, aliàs eſſet antequam eſſet, eſſet quidem quia ageret, operari enim ſequitur eſſe: non eſſet autem, quia produceretur à ſe : ergo debet admitti cauſa efficiens , quæ compoſitum naturale producat: omne verò efficiens, niſi caſu & temerè agat (qui modus agendi non poteſt attribui naturæ, cùm ſit perfectè ordinata) operatur propter aliquem finem , qui illud alliciat ad talem operationem: ergo datur etiam cauſa finalis : nec videtur aliquid aliud deſiderari , vt fiat ens naturale , quod inter omnia entia eſt maximè compoſitum , & propterea pendet à pluribus cauſis : ergo nulla alia cauſa præter quatuor prædictas poteſt aſſignari tanquam neceſſaria.

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. Opuſc. 31. quòd licèt vnum & idem non poſſit ſecundùm eamdem rationem eſſe cauſa , & effectus alicuius actionis : bene tamen poteſt ſecundùm diuerſas rationes : & ſic forma vti in actu exercito fit per generationem, eſt effectus : vt verò eſt formalis terminus generationis per ſe intentus à natura, habet rationem cauſæ finalis; vt verò conſtituit compoſitum per modum actus illius, eſt cauſa formalis.

Ad ſecundum dicendum , quòd dato , quòd quælibet cauſa ſit perfectior, vel æquè perfecta, ac ſuus effectus, ſecundùm illud eſſe quod præcisè ab illa recipit : non ſequitur quòd materia , vel forma ſint perfectiores toto compoſito ſecundùm totum eſſe quod dicit , ſed ſolùm ſecundùm illud , quod recipit á tali cauſa : & ita materia eſt æquè perfecta, ac totum ſecundùm eſſe materiale quod habet à materia , & forma æquè perfecta , ac totum ſecundùm eſſe formale quod habet à forma.

Ad tertium dicendum , quòd cauſa inſtrumentalis reducitur ad genus cauſæ efficientis ; cùm efficiens mediante inſtrumento operetur ſuum effectum : motus verò incipit à cauſa principali.

Ad quartum dicendum, quòd cauſa exemplaris poteſt pertinere vel ad genus cauſæ efficientis, vel ad genus cauſæ finalis, vel formalis extrinſecæ: & hoc per ſe , ac directè: vnde patet quòd diuiſio cauſæ non eſt diuiſio in ſpecies infimas , ſed in ſpecies ſubalternas : & propterea dicuntur quatuor genera cauſarum , quæ ſubdiuiduntur in varias ſpecies : nam efficiens ſubdiuiditur in primam & ſecundam, in vniuocam & æquiuocam &c. finalis in proximam & vltimam &c. ſimiliter formalis diuiditur in intrinſecam , quæ intrinſecè dat eſſe rei ; & in extinſecam, quæ dat eſſe extrinſecè : quamuis Ariſtoteles in hoc lib. cap. 3. textu 28. non definierit niſi cauſam formalem intrinſecam : ad cauſam verò formalem extrinſecam pertinent etiam obiecta ſcientiarum , habituum &c. quia extrinſecè illas menſurant & ſpecificant.

Articvlvs III.

Vtrùm omnis cauſa ſit perfectior ſuo effectu?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd non omnis cauſa ſit perfectior ſuo effectu. Probatur. Materia prima , & ſimiliter forma eſt cauſa totius compoſiti , ſiue entis naturalis : ſed nec materia nec forma eſt perfectior toto compoſito, vt patet : ergo omnis cauſa non eſt perfectior ſuo effectu.

§ 2. Præterea, Aſinus qui generat mulum eſt cauſa muli , & mulus eſt effectus illius : ſed aſinus non eſt perfectior mulo : ergo non omnis cauſa eſt perfectior ſuo effectu.

§ 3. Præterea , Cœlum eſt cauſa viuentium , & maximè eorum quæ ex putri materia generantur : non enim eſt aſſignabilis alia cauſa efficiens : ſed cœlum , cùm ſit inanimatum , non eſt perfectius illis viuentibus : cùm nullum ſit viuens , quod non excedat in perfectione ſubſtantiali omnia alia non viuentia , ſiue inanimata ; cùm ſit in altiori ordine entium : habet enim formam nobiliorem , vt pote magis eleuatam à materia ; & ſimiliter ſpecies intelligibilis eſt cauſa intellectionis : & tamen non eſt perfectior illâ : ergo non omnis cauſa eſt perfectior ſuo effectu.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis , & D.Th. qui ſæpe dicunt cauſam eſſe perfectiorem ſuo effectu ; illos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm effectus habeat eſſe , inquantum effectus , à ſua cauſa: omnis cauſa, inquantum cauſa ; eſt perfectior ſuo effectu, inquantum eſt effectus illius.

Respondeo dicendum, quod effectus eſt æqualis perfectionis cum cauſa materiali & formali ſimul ſumptis, & actu cauſantibus : ſi verò effectus illarum , ſcilicet totum compoſitum, ſumatur ſecundùm totum quod dicit, eſt nobilior qualibet illarum ſigillatim ſumptâ: non autem ſi ſumatur ſecundùm quòd participat ab vnaquáque , ſiue vt eſt formaliter effectus: tunc enim eſt eiuſdem perfectionis. 2. Effectus comparatus ad ſuam cauſam efficientem principalem , eſt ſemper imperfectior illâ ; aliquando in perfectione ſubſtantiali , aliquando verò in perfectione tantùm accidentali : quamuis ſit perfectior cauſâ inſtrumentali. 3. Comparatus verò ad cauſam finalem , aliquando eſt perfectior , aliquando imperfectior , aliquando æquè perfectus ac ſua cauſa. Ad quorum euidentiam ſciendum eſt difficultatem procedere de effectu inquantum eſt effectus : nam effectus poteſt excedere ſuam cauſam in aliqua perfectione , quam aliunde habebit : filius enim poteſt habere nobiliorem ſubſtantialiter animam, quàm pater : ſed tamen non eſt eius effectus ratione animæ , ſed eſt effectus Dei : & ſimiliter poterit habere meliorem diſpoſitionem organorum , ex concurſu aliarum cauſarum ſimul cum patre concurrentium , vt à proprietatibus loci natiuitatis , à Sole , à benigno aſpectu ſiderum aut ex influxu Dei. Nulli autem poteſt eſſe dubium , quin omnes cauſæ alicuius effectus ſimul ſumptæ non dicant maiorem perfectionem , quàm ipſe effectus, vt per ſe patet ; maximè quia Deus vt prima cauſa includitur in collectione cauſarum : & ita ſola eſt difficultas de ſingulis cauſis ſigillatim ſumptis.

Probatur prima pars concluſionis quantùm ad primum. Effectus totam perfectionem , quam habet, entitatiuam & intrinſecam habet ab illis, ex quibus intrinſecè & entitatiuè conſtituitur : ergo non poteſt eſſe perfectior illis: aut dicendum eſt quòd illa excederet in perfectione, abſque eo quòd in illo eſſet aliquid, vnde accreſceret talis perfectionis exceſſus. Deinde totum non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis ; ſed tantùm ratione , eo modo quo definitum à definitione: ergo non poſſunt ſe ſuperare, ſed ſe adæquant realiter in perfectione eo modo quo definitio quidditatiua & definitum: hoc tamen debet intelligi de toto ſecundùm perfe-

ctionem entitatiuam, quam habet à causis intrinsecis: non verò quoad superadditam & accidentalem.

Secundò, quantùm ad secundum. Totum compositum habet perfectionem à qualibet causa intrinseca: ergo comparatum ad vnamquámque sigillatim sumptam, est perfectius:nam præter perfectionem,quam habet ab illa, includit etiam perfectionem quam habet ab alia: vnde totum compositum secundùm totum quod dicit est nobilius materiâ & formâ sigillatim sumptis: licèt enim materia prima sit radix, & origo multarum imperfectionum; tamen aliqualem, licèt diminutam,dicit perfectionem in sua entitate substantiali: & ideo cùm tota formæ perfectio sit in toto, & prætetea addatur perfectio materiæ; sequitur quòd totum est perfectius formâ: vnde licèt forma, quæ est actus subsistens, & substantia completa, sit similior Deo, quàm compositum Physicum: non tamen forma,quæ modum essendi per se non habet, & est incompleta in genere substantiæ: nam quod est excellentissimum in actu purissimo, non est esse actum vtcúmque, sed actum talis conditionis, vt nullo modo indigeat alio,vt sit, & habeat in se omnem essendi plenitudinem & perfectionem: in hoc autem totum substantiale magis assimilatur Deo, quàm forma, nam habet completè rationem substantiæ & esse: maximè quia includit in se eamdem formam, quâ assimilatur Deo inquantum est actus, & insuper materiam, quæ est aliqua participatio, & similitudo Dei inquantum ens.

Tertiò, quantùm ad tertium. Totum compositum secundùm quod effectus formaliter, vel materiæ vel formæ; dicit tantùm vel materiam vel formam: ergo vt sic est eiusdem perfectionis cum materia vel cum forma.

Probatur secunda pars conclusionis, quæ est principale intentum huius difficultatis, quantùm ad primum. Inter causas efficientes aliquæ sunt Æquiuocæ,siue alterius rationis ab effectu: sed effectus est imperfectior suâ causâ Æquiuocâ: cùm enim talis causa sit diuersæ rationis ab effectu,debet continere eminenter effectum: vnde habet esse eminentius ac perfectius,quàm effectus in ea contentus: omnis enim causa principalis efficiens communicat effectui esse, & perfectionem quam habet: & ita debet in se talem perfectionem habere: nemo enim dat quod non habet, & intantum aliquid operatur,inquantum est actu: non autem habet talem perfectionem secundùm eamdem rationem; cùm sit diuersæ naturæ,& speciei ab effectu: & ita habet secundùm aliam rationem multò superiorem & eminentiorem ex D.Th. 1.p.q.4. art.2. ad 3. item q.6. art.2. item in 4. d. 5. q.2. art.2. ergo effectus est imperfectior suâ causâ, aliqnando in perfectione substantiali.

Secundò,quantùm ad f[illegible]um. Inter causas efficientes dantur causæ Vniuocæ, & eiusdem rationis, & speciei cum effectu; ac proinde eiusdem perfectionis essentialis & substantialis cum illo:omnia siquidem indiuidua eiusdem speciei sunt æqualis perfectionis essentialis: quòd si effectus aliunde habeat maiorem perfectionem indiuidualem quàm sua causa; hanc tamen non habet vt effectus talis causæ; nec potest negari causam principalem quamcúmque dicere supra effectum aliquam perfectionem accidentalem:nam ad minus causa habet hanc excellentiam supra effectum, quòd effectus ab illa dependeat;non autem ipsa ab effectu: & propterea S.Aug.lib. 83. quæstionum. q.2. dixit, *Omne quod fit,ei à quo fit,par esse non potest*: Ergo effectus comparatus ad suam causam efficientem principalem est semper imperfectior illâ, aliquando in perfectione accidentali tantùm.

Tertiò, quantùm ad tertium probatur authoritate D.Thom. in 4.d.t. q.1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 3. Deinde instrumentum vt sic non attingit propriâ virtute effectum: sed vt est eleuatum à principali agente per virtutem illi impressam: & ita instrumentum vt sic est imperfectius effectu; aliàs non indigeret eleuari: ergo effectus est perfectior causâ instrumentali.

Probatur tertia pars conclusionis, quantùm ad primum. Quando facimus aliquam actionem bonam moraliter & nobilissimam propter pecuniam, vel propter deteriorem alium finem, vt cùm quis dat eleemosynam vt fornicetur; tunc sine dubio talis finis est imperfectior suo effectu: ergo effectus comparatus ad suam causam finalem aliquando est perfectior ipsâ.

Secundò, quantùm ad secundum. Quando exercemus aliquam actionem bonam moraliter propter Deum: tunc Deus est causa finalis illius: constat autem quòd Deus est infinitè perfectior quocúmque alio: ergo effectus est aliquando imperfectior suâ causâ finali.

Tertiò quantùm ad terium. Aliquando finis (qui) est idem cum suo effectu,vt cùm quis contemplatur,vt contempletur: ergo effectus aliquando est æquè perfectus ac sua causa finalis.Vnde est diuersitas inter causam efficientem & finalem,ac earum causalitates: nam efficiens operatur per realem & naturalem formam, prout est simpliciter in actu, & eius causalitas est propriissimus influxus: ideoque realiter debet continere effectum, vel formaliter, vel eminenter:quia naturales formæ,siue virtutes non habent alium continendi modum: & ideo vel debent adæquare,vel superare effectum in imperfectione: causa verò finalis non causat nisi per causalitatem Metaphoricam, scilicet alliciendo appetitum ad sui amorem, desiderium & acquisitionem: & propterea non est necesse, vt in ea formaliter, vel eminenter contineatur proprius effectus secundùm esse naturale; sed sufficit quòd habeat aliquam bonitatem, vel veram, vel apparentem, ratione cuius alliciat ad assecutionem illius. Ex dictis patet ad primum.

Ad secundum dicendum, supposito quòd masculus tantùm concurrat actiuè ad generationem prolis, vt docet D.Thom.3.p.q.32. art.4.& Aristoteles 2. de generatione animalium cap. 1. quòd in tali casu Deus suo concursu supplet defectum causæ particularis: quia in similibus casibus quando non apparet causa particularis sufficiens; pertinet ad authorem naturæ tales defectus supplere: licèt alij respondeant quòd ratione perfectioris materiæ, quam subministrat equa mater, quæ aliquo modo concurrit ad perfectionem effectus, semen asini perfectiorem producat effectum, quàm aliàs produceret. In opinione verò illorum, qui docent feminam concurrere etiam actiuè, dicendum quòd ille effectus non excedit causam integram suæ generationis, quæ conflatur ex masculo & femina.

Ad tertium dicendum cum D. Thom.q. 3. de potentia art. 11.ad 12. & item 1.p.q.70. art. 3. ad 3. sub eisdem verbis, quòd corpus cœleste, cùm sit mouens motum, habet rationem instrumenti quod agit in virtute principalis agentis: & ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia vnius, potest causare vitam; ex quo patet quòd est tantùm causa instrumentalis viuentium. Ad aliud dicendum quòd non sola species intelligibilis est causa intellectionis, sed ipsa simul cum intellectu.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnis causa sit prior suo effectu?

AD QVARTVM sic proceditur. Videturquòd non omnis causa sit prior suo effectu: Ita tenet Soncinas. 5. Metaphysicæ q.7. Probatur. Relatiua sunt simul naturâ ex Aristotele: causa, & effectus sunt relatiua; nam totum esse causæ est in ordine ad effectum,quia sine illo non potest intelligi: & si est causa actu causans, non potest sine illo esse in rerum natura: ergo non omnis causa est prior suo effectu; maximè causa materialis & formalis, nam totum quod est earum effectus, est idem realiter cum ipsis simul vnitis, & actu causantibus: idem autem non potest esse prius realiter seipso.

§ 2. Præterea, quod est prius alio prioritate naturæ, potest ab eo naturaliter separari: nam prioritas naturæ, est prioritas independentiæ: quod autem non dependet ab aliquo,potest naturaliter separari ab illo: sed forma & materia non possunt separari à toto composito, & esse in rerum natura sine illo: ergo forma & materia non sunt

Bb 2 priores

priores naturâ toto compoſito, quod eſt earum effectus; ac proinde non omnis cauſa eſt prior ſuo effectu.

§ 3. Præterea, Ex Ariſtotele in Poſtprædicamentis cap. de priori, illud eſt prius naturâ, quod eſt perfectius: ſed multæ ſunt cauſæ, quæ non ſunt perfectiores ſuis effectibus, maximè cauſæ materiales & formales, vt dictum eſt: ergo non omnis cauſa eſt prior ſuo effectu.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis in hoc libro, & D. Thom. ibidem lect. 6. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm omnis effectus pendeat à ſua cauſa in eſſe: omnis cauſa eſt prior ſuo effectu.

Respondeo dicendum, quòd omnis cauſa cauſans, ſiue in actu ſecundo conſiderata eſt prior prioritate naturæ, & prioritate (à quo) ſuo effectu: 2. non tamen prioritate reali (in quo.) Ad cuius euidentiam ſciendum eſt nos hîc agere de cauſa, vt cauſa formaliter tantùm: non verò materialiter: nullus enim dubitat; quin illud, quod eſt cauſa, ſit prius ſuo effectu: maximè in cauſis efficientibus: nam effectus procedit à cauſa mediante eius operatione; operari autem ſequitur eſſe, ſiue ſupponit rem eſſe.

Probatur prima pars concluſionis. Omnis effectus pendet à ſua cauſa actu influente, ab illa enim recipit eſſe: cauſa verò non pendet à ſuo effectu, vt talis: ſed prioritas independentiæ præciſè eſt proprietas naturæ, & (à quo) vt patet ex Philoſopho in Poſtprædicamentis cap. de priori: vbi etiam dicit quòd ad ſimultatem naturæ quo requiruntur: ſcilicet quòd vnum inferat aliud, & quòd vnum non ſit cauſa alterius: ergo omnis cauſa, vt actu cauſans, eſt prior ſuo effectu prioritate naturæ & (à quo.)

Probatur ſecunda pars concluſionis. Cauſa eſt in actu per hoc quod actualiter influit: non poteſt autem influere actu niſi etiam ſit in illo inſtanti aliquid, in quod influat: ergo cùm hoc ſit effectus ab illa dimanans, ſequitur quòd cauſa in actu, & effectus debeant eſſe ſimul in eodem inſtanti reali.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt cauſa, vt formaliter relatiua prædicamentaliter, nullo modo ſit prior quàm effectus: tamen ſecundùm rationem cauſæ, quæ eſt ratio abſoluta, & ad quam conſequitur relatio; eſt prior natura effectu ob rationem iam dictam: licèt non poſſit intelligi cauſa in actu niſi per ordinem ad effectum; quia neceſſariò conſequitur ad illam relatio; vnde eſſe cauſæ eſt quid abſolutum primariò, licèt ſecundariò referatur ad effectum. Ad aliud dicendum, vt ſupra, quòd materia vt vnita formæ cauſat totum compoſitum in genere cauſæ materialis, & forma vt vnita materiæ cauſat illud in genere cauſæ formalis: materia autem vt vnita formæ, & cauſans totum, & ſimiliter forma vt vnita materiæ, & cauſans idem totum, realiter diſtinguuntur ab ipſo toto & quia totum ab illis dependet, & non ipſæ ab illo; ideo ſunt priores illo prioritate naturæ: nec influxus harum cauſarum poſtulat prioritatem realem, cùm non ſit influxus per veram actionem, ſed per communicationem propriæ ſubſtantiæ materiæ & formæ, quæ vt vnitæ, ſunt realiter ipſum totum.

Ad ſecundum dicendum, quòd illud quod eſt omnibus modis prius alio, & independens ab illo poteſt ab illo ſeparari: non autem illud, quod licèt in vno genere cauſæ habeat independentiam & prioritatem: tamen eſt quid dependens, & poſterius in alio genere: vt accidit in præſenti: nam licèt in genere cauſæ materialis & formalis, materia & forma ſint independentes à toto, & priores illo: tamen ſunt poſteriores ipſo in genere cauſæ efficientis, quia ipſæ non producuntur per ſe, ſed ad productionem totius comproducuntur, conſeruantur, & coëxiſtunt ad conſeruationem, & ad exiſtentiam ipſius: hæc autem dependentia, & prioritas in diuerſo genere eſt valde notanda: ſi enim quod eſt prius in vno genere, non eſſet poſterius in alio: iam prioritas in omni genere coincideret cum prioritate in aliquo ſolo genere: hîc autem, vt dictum eſt, ſolùm agitur de cauſa vt cauſa formaliter, & ſub hac ſolùm conſideratione; & dicimus eſſe priorem ſuo effectu: ſi autem idem, quod in hoc genere eſt cauſa, & independens; in alio ſit effectus & dependens; in tali genere erit poſterius: vnde in his reduplicationibus & formalitatibus poteſt latere maxima, & implicata æquiuocatio.

Ad tertium dicendum, quòd Philoſophus ibi loquitur de proprietate nobilitatis; non verò de prioritate cauſalitatis in omni genere, de qua hîc agitur: totum verò pendet à ſuis cauſis intrinſecis in proprio genere earum; & tamen eſt prius illis nobilitate, quia eſt perfectius.

Qvæstio IX.

De cauſis materiali & formali.

Post conſiderationem cauſarum in communi, ad ſingulas ſigillatim pertractandas accedendum eſt: de quibus non ordine nobilitatis, aut cauſalitatis agitur; deberet enim ſic primò agi de cauſa finali, & poſtea de efficienti, quæ ſunt cauſæ extrinſecæ: ſed priùs agitur de cauſis intrinſecis, ſcilicet materia & forma: quia magis ſunt connexæ enti naturali, vtpote ipſum extrinſecè conſtituentes; ac proinde maiorem dant eius cognitionem, quàm in his libris inquirimus. Circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, in quo conſiſtat cauſalitas materiæ.
¶ Secundò, in quo conſiſtat cauſalitas formæ.
¶ Tertiò, Vtrùm effectus primarius harum cauſarum, diſtinguatur ab illis?
¶ Quartò, Vtrùm cauſa exemplaris ſit propriè cauſa formalis?

Articvlvs I.

In quo conſiſtat cauſalitas materiæ.

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd cauſalitas materiæ in hoc præciſè conſiſtat, quod actu componat vt pars materialis totum compoſitum: ita vt reſpectu illius tantùm exerceat ſuam cauſalitatem: ſic tenent Auicenna, Albertus Magnus, & alij. Probatur. Materia prima eſt cauſa intrinſeca: ergo eius cauſalitas non eſt niſi reſpectu eius, quod intrinſecè componit: ſed materia ſolùm componit totum: ergo eius cauſalitas præciſè conſiſtit in hoc quòd actu componat, vt pars materialis, totum compoſitum.

¶ 2. Econtra Videtur, quòd cauſalitas materiæ conſiſtat præciſè in actuali receptione formæ; non verò in conſtitutione compoſiti: Ita Soncinas 5. Metaph. quæſt. 5. Iauellus quæſt. 2. Fonſeca & alij. Probatur. Materia cauſat vt pura potentia: ſed pura potentia reſpicit tantùm ſuum actum, ſiquidem tota eius quidditas eſt in ordine ad illum: ergo cauſalitas materiæ conſiſtit præciſè in actuali receptione formæ; non verò in conſtitutione compoſiti.

¶ 3. Econtra. Videtur quòd in materia ſit duplex cauſalitas: primaria eſt receptio formæ, & ideo forma eſt primarius eius effectus: ſecundaria verò eſt conſtituere compoſitum, quod eſt ſecundarius eius effectus: ita quidam recentiores. Probatur. Ex receptione & vnione formæ ad materiam reſultat totum: ergo receptio formæ in materia & vnio cum illa præſupponitur ad totum compoſitum: id enim, ex quo aliquid reſultat, debet præcedere illud quod reſultat ab eo: & ita receptio eſt cauſalitas primaria materiæ, & conſtituere compoſitum cauſalitas ſecundaria. Maximè quia forma per ſe primò cauſat vt dans: & ſimiliter materia cauſat per ſe primò vt recipiens; nam ſicut eſt proprium actus dare, ſic & potentiæ recipere: ſed materia non eſt recipiens totum, ſed ſolam formam: ergo cauſalitas eius primaria eſt tantummodo in ordine ad formam.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis in hoc libro, & D. Th. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ

ac plures alij, præcipuè noſtri Complutenſes hîc diſp. 9. quæſt. 2.

CONCLVSIO.

Cùm materia ordinetur ad formam, vt ad ſuum comparem; ex quarum vnione reſultat totum: eius cauſalitas in fieri eſt eſſe ſubiectum generationis; ſed in facto eſſe, eſt recipere formam, illam limitare, & conſtituere compoſitum.

RESPONDEO dicendum, quòd cauſalitas materiæ in fieri eſt eſſe ſubiectum generationis, ſiue in quo exercetur generatio. a. in facto eſſe verò conſiſtit in his tribus; ſcilicet recipere ſiue cauſare formam, & illam limitare, & conſtituere compoſitum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex communi conſenſu Philoſophorum, quòd materia prima habet vim ad cauſandum, & quòd aliquando illam exerceat: ſed difficultas eſt inter authores, per quid conſtituatur potens in actu primo ad cauſandum, & per quid actu, & in exercitio conſtituatur in eſſe cauſæ, ſiue in fieri, ſiue in facto eſſe: certum autem eſt quòd non habet vim cauſatiuam per aliquid ſibi ſuperadditum, ſed per nudam & puram entitatem ſuam ſubſtantialem vt docet Ariſtoteles, & D. Thom. libro primo Phyſicorum, item 1. p. q. 76. art. 7. & communiter tenent omnes Philoſophi: cuius rei ratio eſt manifeſta, nam materia prima cauſat per ſuam potentialitatem: eius enim cauſalitas vt ſtatim explicabitur, eſt actu recipere formam, quod importat tantùm eſſe ſubiectum, ſiue potentiam habentem vim ad recipiendum, & ſuſtinendum in ſe illam: conſtat autem quòd hæc potentia non diſtinguitur realiter à pura entitate materiæ: nam ſi eſſet quid diſtinctum, vel eſſet ſubſtantia, vel accidens; primum dici non poteſt, quia ex Ariſtotele ſubſtantia adæquatè diuiditur in formam, materiam, & compoſitum: hoc autem ſupperadditum non eſſet forma, nec compoſitum, cùm ſit potentia ad recipiendam formam, & conſtituendum compoſitum: ergo ſi eſt ſubſtantia eſt ipſa materia: ſecundum etiam dici non poteſt; nam potentia, quæ vnum per ſe componit cum actu ſubſtantiali, & primò ſubſternitur generationi ſubſtantiali, vt primum ſubiectum illius, non poteſt eſſe quid accidentale, ſed debet eſſe ſubſtantiale: actus enim & potentia proportionata ſunt in eodem ordine: & ita materia prima per ſuam puram entitatem præciſè habet completam vim ad cauſandum: vnde ex Ariſtotele lib. 1. de Generatione textu 13. & D. Th. locis citatis, quamuis diſpoſitiones præuiæ, vel ſimultaneæ concurrant in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ ad receptionem formæ: non ita tamen vt in eis immediatè recipiatur forma ſubſtantialis, ſed recipitur in nuda materia: nam diſpoſitiones præuiæ in inſtanti generationis pereunt cum compoſito, in quo ſubiectantur: ſimultaneæ autem, ſiue concomitantes recipiuntur in toto compoſito de nouo genito.

Probatur prima pars concluſionis. Illa eſt cauſalitas materiæ in fieri, per quam materia actualiter concurrit ad ſuum effectum in fieri: ſed per hoc præciſè quòd eſt ſubiectum generationis, ſiue in quo exercetur generatio, concurrit ad ſuum effectum in fieri: ergo cauſalitas materiæ in fieri eſt eſſe ſubiectum generationis.

Probatur ſecunda pars concluſionis, & explicatur. Hæ tres rationes aſſignatæ pro cauſalitate materiæ in facto eſſe, non diſtinguuntur realiter: cùm cauſalitas materiæ ſit tantùm vna entitatiuè: diſtinguuntur tamen formaliter, vel virtualiter; propter quod optimè verificari poteſt quòd materia, vt cauſat formam, non cauſat compoſitum, & quòd reperiuntur tres formaliter, ſiue virtualiter rationes in vnica illa cauſalitate, non quaſi diſparatæ, ſed cum aliquo ordine; ratione cuius vnam cauſalitatem non ſolùm entitatiuè, ſed etiam formaliter per aliqualem quaſi compoſitionem conſtituunt, ſecundùm quòd vnio materiæ ad formam, & limitatio eiuſdem formæ ſunt via ad conſtitutionem compoſiti: dicit enim D. Th. quòd vbi eſt vnum propter aliud, ibi tantùm eſt vnum: vnde poteſt dici quòd compoſitum ſit effectus adæquatus materiæ; quia tota eius cauſalitas eſt in ordine ad illud: nam quòd materia ſuſtineat in ſe receptam formam, & limitet, communicétque ſeipſam: eſt ad hunc finem à natura principaliter intentum, vt reſultet compoſitum: forma verò limitatur à materia per hoc præciſè, quia illi actu vnitur: nam vt ait D. Th. 1. part. quæſt. 7. art. 1. forma ſublunaris quantùm eſt in ſe, ſiue vt abſtracta, non magis poſtulat hanc portionem materiæ, quàm illam, nec magis petit conſtituere hoc indiuiduum, quàm illud: & ſic habet quamdam illimitationem & infinitatem; cùm autem actu recipitur in hac materia, limitatur: nam vt eſt in hac materia non poteſt vltra ſe extendere, & aliam portionem informare: hæc autem illimitatio, & infinitas formæ ante eius receptionem, non eſt infinitas, & illimitatio in genere entis: nullum enim datur tale infinitum, niſi Deus qui eſt ſuum eſſe: ſed tantùm eſt illimitatio, & infinitas in genere formæ ratione amplitudinis dictæ; & ita per receptionem non limitatur in genere entis, ſed in proprio genere formæ: nec tamen propterea per hanc receptionem, & limitationem redditur imperfectior: nam licèt receptio, & limitatio formæ, vt ſic, abſtrahendo ab hac, & ab illa, dicat imperfectionem (videmus enim quòd formæ irreceptæ, & per ſe ſubſiſtentes, vt Angeli, ſunt perfectiores) tamen in formis incompletis maior perfectio eſt recipi in materia, quàm eſſe ſine illa: cùm dicant eſſentialem ordinem ad illam, & ex tali receptione reſultet totum, ad quod eſſentialiter ordinantur vt eius pars: & ideo talis receptio eſt imperfectio tali formæ, vt forma eſt; perfectio autem, vt talis eſt.

Secundò, ex impugnatione aliarum opinionum. Prima quidem ſic impugnatur. Forma materialis per ſe pendet à materia quoad eſſe; & propterea dicitur materialis: item formæ ſpirituales, vt animæ rationales pendent etiam à materia quoad informationem: ergo materia eſt vera cauſa materialis reſpectu formæ: illud enim eſt cauſa, à quo verè pendet aliquis effectus. Secunda ſic impugnatur. Compoſitum materiale intrinſecè, & eſſentialiter conſtat ex materia: ergo eſſentialiter pendet ex illa: & ita materia eſt vera cauſa materialis illius. Impugnatur tertia. Compoſitum eſt illud quod primò intenditur à natura, nam alia ordinantur ad reſultantiam illius, & ipſum eſt finis productionis formæ: ergo eſt effectus primarius, tum agentis, tum aliarum cauſarum, ac proinde cauſalitas materiæ non poteſt dici ſecundaria reſpectu illius, ſed eſt primaria: nam primarius effectus primariò cauſatur: antecedens eſt manifeſtum: quia pars per ſe non intenditur, ſed ordinatur ad totum, cui per ſe primò petit vniri: deinde materia non aliter recipit formam, niſi vt cum illa conſtituat compoſitum: & ita concludendum eſt, quòd cauſalitas materiæ conſiſtit in receptione, & limitatione formæ, ac conſtitutione compoſiti ordine, & modo explicato.

AD primum ergo dicendum, quòd materia non dicitur cauſa intrinſeca, per hoc quòd reſpectu cuiuſcúmque ſui effectus ſit intrinſeca; ſed quia eſt intrinſeca reſpectu principalis effectus, ſcilicet compoſiti; nec iſtæ duæ rationes, cùm ſint partiales, inadæquatæ, & ad inuicem ordinatæ, faciunt quòd materia ſit duplex cauſa.

AD ſecundum dicendum, quòd potentia materiæ non ſolùm eſt in ordine ad actum ſuum; ſed etiam in ordine ad totum quod componit: imò reſpicit actum, vt cum illo conſtituat totum compoſitum.

AD tertium dicendum, quòd ſolùm concludit cauſalitatem materiæ primò, via generationis terminari ad receptionem formæ; & ſecundò ad conſtitutionem compoſiti: ſed hoc non denotat talem cauſalitatem per ordinem ad formam debere dici primariam & potiſſimam, per ordinem verò ad compoſitum ſecundariam, & minùs principalem: nam primarium, vel ſecundarium dicitur, quod eſt de primaria, vel ſecundaria intentione naturæ; patet autem quòd totum eſt primò intentum, & receptio formæ intenditur per ordinem ad illud.

ARTICVLVS II.

In quo consistat causalitas formæ.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd causalitas formæ consistat in hoc præcisè, quòd sit pars compositi. Ita tenent qui idem dixerunt de materia propter idem fundamentum, quia scilicet forma est causa intrinseca; ergo eius causalitas est solùm respectu compositi, quod intrinsecè constituit.

¶ 2. Econtra. Videtur quòd causalitas formæ in hoc præcisè consistat, quòd recipiatur, & actuet materiam. Ita tenent qui dixerunt causalitatem materiæ præcisè consistere in receptione formæ: idem est proportionaliter fundamentum, quia forma essentialiter est actus: sed actus respicit essentialiter potentiam actuandam, quæ est materia: ergo causalitas formæ est tantùm in ordine ad materiam.

¶ 3. Econtra. Videtur quòd causalitas primaria formæ sit actuare materiam: secundaria verò constituere compositum: quia hæc præsupponit aliam.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, & D. Th. in hoc libro, & communior opinio, tum Thomistarum, tum aliorum.

CONCLVSIO.

Cùm forma essentialiter ordinetur ad materiam, ex quarum vnione resultat totum, eius causalitas in his consistit scilicet quòd recipiatur vniatur & informet materiam: 2. quòd illam limitet: 3. quòd constituat compositum.

RESPONDEO dicendum, quòd causalitas formæ consistit in his tribus rationibus, quòd scilicet recipiatur, vniatur, & informet materiam: 2. quòd illam limitet: 3. & quòd constituat compositum. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd in his causis intrinsecis proportionali modo Philosophandum est propter mutuam & essentialem correspondentiam inter eas, tanquam inter actum & potentiam eiusdem generis: vnde sicut materia habet vim ad causandum, non per aliquam entitatem superadditam, sed per suammet essentiam: sic & forma ex D. Thom. 1. p. q. 76. art. 7. & ex Philosopho 8. Metaph. cap. 6. item 2. de anima cap. 11. Ratio est manifesta; quia forma per suam essentiam est actus: ergo per illam præcisè est potens actuare materiam.

Probatur, & explicatur conclusio proportionali modo, sicut articulo præcedenti explicata est causalitas materiæ: ita vt hæ tres rationes constituant vnam adæquatam causalitatem formæ hoc ordine, quòd constitutio compositi sit præcipuum, ad quod aliæ ordinantur tanquam ad finem per se intentum à natura, vt dictum est: vnde causalitas formæ adæquatè potest dici, quòd sit influxus in compositum, quod sicut ratione esse materialis, quod habet, est effectus materiæ; sic ratione esse formalis, est effectus formæ; quæ omnia satis constant ex dictis articulo præcedenti, & ex impugnatione aliarum opinionum: nam forma actuat materiam, & ita exercet causalitatem formalem respectu illius quæ consistit in actuare, vnde est falsa prima opinio. Secundò, constituit intrinsecè compositum, vt eius pars formalis: ergo exercet causalitatem causæ intrinsecæ respectu illius; & ita est falsa secunda opinio. Tertiò, tandem causalitas primaria attenditur respectu effectus primarij, siue principaliter intenti: sed totum compositum est principaliter intentum à natura; quia alia ad ipsum ordinantur tanquam partes ad suum totum: pars enim per se non intenditur: ergo falsa est tertia opinio, quæ dicit causalitatem formæ respectu compositi esse secundariam, & respectu materiæ primariam.

Nec obstat si obiiciatur quòd materia cœlestis, cùm non possit connaturaliter informari aliâ formâ, nisi illâ, quam habet; non limitatur per talem formam, sed seipsâ est limitata: & ita videtur falsum quòd causalitas formæ consistat etiam in hoc, quòd limitet materiam. Ad hoc enim dicendum, quòd forma cœli dat suæ materiæ specificationem positiuam, & sic limitat ad speciem. Dicendum 2. quòd materia cœli; licèt modò non sit capax alterius formæ; tamen in sua creatione potuit creari sub alia saltem numero: quia ex se non magis petit hanc, quàm illam.

AD argumenta ergo in contrarium proportionali modo dicendum est, sicut dictum est articulo præcedenti: nullam enim addunt peculiarem difficultatem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm effectus primarius harum causarum distinguatur ab illis?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd effectus primarius harum causarum nullo modo distinguatur ab illis realiter. Probatur. Causa intrinseca non aliter causat, quàm communicando seipsam, siue dando intrinsecè suum esse intrinsecum: sed esse intrinsecum alicuius non distinguitur ab illo: ergo effectus primarius harum causarum non distinguitur ab illis.

¶ 2. Præterea, Compositum non distinguitur à materia; nisi per esse, quod habet à forma: & similiter non distinguitur à forma; nisi per esse, quod habet à materia: & ideo non distinguitur ab illis simul vnitis: ergo præcisè secundùm esse, quod habet à materia non distinguitur ab illa, nec à forma secundùm esse ab illa participatum: sed non est effectus harum causarum, nisi præcisè secundùm esse quod ab vnaquáque participat: ergo effectus primarius harum causarum nullo modo distinguitur ab illis realiter.

¶ 3. Præterea, Forma non potest esse sine suo effectu primario, vt communiter docent Philosophi: ergo non distinguitur realiter ab ipso: quæ enim realiter distinguntur, possunt separari.

SED CONTRA est communis opinio Philosophorum, quam tenent nostri Complutenses, & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm totum compositum sit effectus primarius harum causarum, & realiter distinguatur ab ipsis: sequitur quòd effectus primarius harum causarum distinguatur realiter ab illis.

RESPONDEO dicendum, quòd si absolutè loquamur de effectu primario harum causarum, scilicet toto composito secundùm totum esse quod dicit, distinguitur realiter entitatiuè ab vnaquáque illarum distinctione reali includentis & inclusi. 2. Si autem comparetur cum vnaquáque illarum secundùm esse præcisè, quod in toto rigore Metaphysico ab illa tantùm habet, realiter modaliter, & non maiori distinctione distinguitur. Ad cuius euidentiam sciendum est effectum primarium materiæ, & formæ esse totum compositum, quod dupliciter considerari potest: vel secundùm esse, quod habet ab vtraque causa intrinseca, & sic secundùm illud totum comparari cum qualibet ipsarum: vel præcisè secundùm illud esse, quod à sola forma, vel à sola materia habet; & vt sic comparari cum materia & forma; cum materia quidem, secundùm illud esse quod ab illa habet; cum forma verò, secundùm esse ab illa participatum: non autem est necesse ad hoc, vt aliquis effectus alicui causæ tribuatur, quòd totaliter, & totum producatur ab illa: nam filius verè est effectus patris; & tamen pater nec eius materiam, nec eius animam rationalem producit, sed tantùm illas vnit: similiter totus effectus tribuitur causæ finali: quæ tamen illum tantùm causat in proprio genere. Idem dicendum est respectu causæ formalis & materialis: nam licèt totum compositum non sit totum, & totaliter à materia vel à forma; tamen potest dici effectus vniuscuiúsque: quia causalitas vtriúsque in proprio genere considerata ad ipsum totum, & totaliter tendit: idem enim videtur proportionaliter dicendum de omnibus causis.

Probatur prima pars conclusionis. Tunc aliqua distinguuntur realiter distinctione includentis & inclusi, quando

quando eorum vnum includit aliud, & addit realem entitatem, & non solùm modum super illud: sed totum non solùm dicit vnam partem, scilicet materiam, aut formam; at superaddit aliam,& includit vtrámque: ergo realiter distinguitur ab illis, vt includens ab incluso.

Probatur secunda pars conclusionis. Totum secundùm illud esse, quod præcisè habet, aut à materia, aut à forma, nihil aliud dicit, quàm eamdemmet entitatem materiæ, aut formæ vt vnitam: sed forma aut materia vt vnita, non distinguitur nisi modaliter à seipsa: non ratione modi vnionis, quem aliqui ponunt: sed quia forma, vt vnita, dicit seipsam vt communicatam & actuantem, siue informantem materiam; quod est aliquid modaliter distinctum: similiter materia, vt vnita, dicit seipsam vt sustentantem formam ipsi communicatam, & ab illa informatam; quod est aliquid ab illa nudè sumpta modaliter distinctum: ergo si totum comparatur cum materia & forma secundùm esse præcisè, quod in toto rigore Metaphysico ab illa tantùm habet, realiter modaliter, & non maiori distinctione distinguitur. Confirmatur. Relatiua inter se distinguuntur aliquo modo realiter: sed causa & effectus sunt relatiua: ergo distinguuntur aliquo modo realiter.

Ad primum ergo dicendum, quòd esse formæ, aut materiæ præcisè distinguitur realiter modaliter à seipso vt communicato, ratione ipsius communicationis.

Ad secundum dicendum similiter, quòd licèt totum, vt sumitur cum illa præcisione, non distinguatur realiter entitatiuè à materia vel à forma; distinguitur tamen modaliter: nam dicit esse materiæ aut formæ, vt communicatum.

Ad tertium dicendum, quòd hæc propositio, forma non potest reperiri sine suo effectu formali, solùm est vera in forma informante, siue communicata materiæ & toti: quia non causat nisi communicata: forma autem separata, cùm nulli communicetur, nec exerceat suam causalitatem, non habet effectum primarium.

Articvlvs IV.

Vtrùm causa exemplaris sit propriè causa formalis?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd causa exemplaris, siue idealis non sit propriè causa formalis, sed quòd tantùm pertineat ad causam efficientem. Ita tenent D. Bonauentura in 3. d. 11. q. 2. Scotus in 1. d. 2. q. 2. Herueus d. 36. q. 1. Suares 1. tom. Metaph. disp. 25. sect. 2. Ruuius 2. Physicorum tractatu 6. q. 3. & alij. Probatur. Aristoteles in hoc 2. libro solùm numerauit quatuor genera causarum: ergo qui dicunt exemplar, siue ideam esse causam formalem, addunt quintum genus causæ distinctum ab illis quatuor: nam solo nomine conuenit cum causa formali; cùm hæc sit intrinseca: idea autem solùm extrinseca: ergo causa exemplaris non est propriè causa formalis.

§ 2. Præterea, Si propter aliquid dicatur quòd causa exemplaris, siue idealis est propriè causa formalis: maximè est quia concurrit per modum obiecti cogniti: sed non sic concurrit: aliàs non concurreret effectiuè: quia non se teneret ex parte principij producentis, at tantùm ex parte termini & obiecti, specificans, & ex passiua sui imitatione determinans ad certam formam: ergo causa exemplaris non est propriè causa formalis.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, Nazarius 1. p. q. 15. art. 1. nostri Complutenses in præsenti, Caietanus qui dicit ideam non significare formam, quâ agens agit, sed quam concipit,& ad cuius similitudinem operatur, & alij.

Conclvsio.

Cùm idea per se primò concurrat per modum similitudinis determinantis ex parte termini: non verò ex parte principij: verè & propriè est causa formalis.

Respondeo dicendum, quòd exemplar, siue idea pertinet ad triplex genus causæ, scilicet efficientis, formalis & finalis. 2. Propria tamen, & essentialis eius causalitas, non est causalitas finalis, aut efficientis: sed formalis intrinseca. Ad cuius euidentiam sciendum est exemplar, siue ideam sic definiri à D. Th. q. 3. de veritate art. 1. & à S. Aug. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 25. *Est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.* Pro cuius declaratione dicimus quòd formæ sunt in triplici differentia quantùm attinet ad præsens: alia est enim forma (ex qua:) alia forma (à qua:) & alia forma (ad quam:) prima est illa, ex qua, siue per quam res constituitur in sua specie: secunda verò est illa, à qua effectus, vt ab agendi principio progreditur: tertia est illa, ad cuius similitudinem aliquid fit. In hac igitur definitione per ly (forma) accipitur forma in communi, vt abstrahit ab his tribus: per ly verò (quam aliquid imitatur) excluduntur formæ, quas aliæ non imitantur; non enim forma hominis est idea formæ equi &c. per ly autem (ex intentione agentis) excluduntur formæ, quas effectus casu exprimunt; non enim Petrus potest dici idea cum proprietate alicuius imaginis, etiam valde similis; si hæc similitudo sit casualis: per ly denique (determinantis sibi finem) excluduntur formæ productæ ab agentibus naturalibus; quæ, quia medio intellectu, & voluntate non producunt suos effectus, non dicuntur sibi finem prædeterminare: ita explicat D. Th. loco citato: idea autem sortitur rationem talis, quatenus habet rationem obiecti cogniti; est enim id, ad quod intendens artifex operatur: & propterea ad eius similititudinem format effectum: conueniunt autem communiter Philosophi & Theologi cum Aristotele, & D. Thom. in hoc libro. Item 1. part. q. 15. quòd idea, siue exemplar debet reduci ad aliquod ex quatuor generibus causarum; cuius rationem assignat D. Thom. 1. p. q. 44. art. 3. quia agens intellectuale non est determinatum ad tribuendam determinatam formam effectui; quia agit per intellectum & voluntatem, quæ potentiæ non sunt determinatæ ad vnum, sicut agens naturale: & ideo oportet quòd suo proprio, & intellectuali modo determinentur; non autem per artem aut scientiam præcisè, cùm hæc sint principium oppositorum: ad eamdem enim artem & scientiam opposita pertinent; & ideo vltra scientiam & artem est ponendum aliquid in agente per intellectum, per quod determinetur ad hunc numero effectum: & hoc est idea, siue exemplar, per quod proponit sibi quid, quale, & quando faciendum sit: & ideo, cùm ab ipso proueniat species & determinatio effectus, verè est causa.

Probatur prima pars conclusionis expressâ authoritate D. Th. q. 3. de veritate art. 1. deinde ratione 1. quantùm ad causam efficientem. Ad actionem artificis tria concurrunt, scilicet ars, voluntas, & potentia exequens: sed voluntas, vt mouens potentiam exequentem, pertinet ad genus causæ efficientis: ergo & ars vt dirigens & ordinans: sed dirigit mediante ideâ & exemplari: ergo & hæc pertinet ad idem genus. Confirmatur. Quod facit forma naturalis in agentibus naturalibus, hoc facit idea in artificialibus, siue in agentibus per intellectum: nam sicut forma naturalis determinat agens naturale ad determinatum effectum, & secundùm eam præcipuè attenditur similitudo inter vtrúmque; ita idea determinat agens per intellectum ad effectum, & facit illum similem suo modo illi: sed forma naturalis, vt principium operandi, pertinet ad causam efficientem: ergo & idea, siue exemplar. Hoc expressè docuit Aristoteles 7. Metaph. textu 23. vbi dicit sanitatem extra fieri ex sanitate, quæ est in mente. Item D. Thom. quodlibet. 7. art. 2. vbi dicit quòd similitudo rei cognitæ est in cognoscente, & vt causata à re, & vt causa rei, vt patet in artifice, qui cognoscit artefactum per illam formam, per quam ipsum facit: ergo nostræ ideæ pertinent ad genus causæ efficientis, maximè cùm sint participationes diuinarum, quas D. August. 12. de ciuitate Dei cap. 2. & S. Dionysius cap. 4. & 5. de Diuinis nominibus vocant effectrices rerum. Idem docet 1. part. quæst. 45. art. 6. vbi sic ait:

Artifex per verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuæ voluntatis ad aliquid relatum operatur: vnde & Deus Pater operatus eſt creaturam per ſuum Verbum, quod eſt Filius, & per ſuum Amorem, qui eſt Spiritus ſanctus.

Secundò, quantùm ad cauſam formalem. Probatur. Ex Atiſtotele, qui 5. Metaphyſicæ textu 2. diuidit cauſam formalem in intrinſecam, quam vucat ſpeciem; & extrinſecam, quam vucat exemplar. Idem docet ibidem D.Thom. item quæſt.3. de veritate art.1. dicit ideam eſſe formam, ad quam aſpiciens arrifex operatut: Caietanus 1. p. q. 44. art. 3. uptimè explicat qoomodu cauſalitas exemplaris diſtinguatur à cauſalitate efficientis, & formæ conſtituentis illud in actu primu; quatenus eſt principium effectiuom (quo.)

Tertiò, quantùm ad cauſam finalem. Probatur. Ex D. Thom. 3. cuntra gentes cap. 19. vbi ait. *Res omnes creata ſunt quadam imagines primi agentis, ſcilicet Dei: agens enim agit ſibi ſimile; perfectio enim imaginis eſt, vt repraſentet ſuum exemplar per ſimilitudinem ad ipſum: ad hoc enim imago conſtituitur: ſunt igitur res omnes propter diuinam ſimilitudinem conſequendam, ſicut propter vltimum finem.*

Prubatur ſecunda pars concluſionis authoritate Philoſophi, & D. Thom. lueis citatis. Deinde ratione quòd ſcilicet propria & eſſenrialis cauſalitas ideæ non ſit cauſalitas finalis; nam licèt ratio formæ intrinſecæ coincidat cum ratione finis; imò hæc fundetur in illa: tamen ſimpliciter alia eſt tatiu finis,& alia ratio formæ, vt ſatis eunſtat: ergu ſimilitet dicendum eſt de idea forma extrinſeca, quòd licèt coincidar cum fine, & fundet cauſalitatem finis: nihilominus formalitet loquendo, alia eſt cauſalitas eius, vt exemplar; & alia, vt eſt finis, vt conſtat ex paritate rationis: nam ſicur forma intrinſeca dat ſpeciem intrinſecè, & mooet (vt quo) & tanquam terminus formalis ipſum agens ad operandum: ſic idea eſt forma extrinſeca, vt patet ex eius definitione, (extrinſecè dans ſpeciem) nam ad eius imitationem fit aliud: mouet etiam agens, vt terminus formalis, inquantum eius bonitas apprehenſa ab agente, ipſum allicit ad efficiendam ipſam imitationem, ſiue ſimilitudinem exemplati ad exemplar.

Secundò, quantùm ad efficientem probatur, ſcilicet quòd propria & eſſenrialis cauſalitas ideæ, non ſit efficientis; ſed formalis extrinſecæ. 1. authoritate D. Th. 3.p. q.78. art. 2. vbi ſic ait: *Forma artificialis eſt ſimilitudo vltimi effectus, in quem fertur intentio artificis: ſicut forma artis in mente adificatoris, eſt forma domus adificata principaliter; adificationis autem per conſequens:* Deinde idea, ſiue exemplar non mouet per ſe primò, ſed ſolùm cunſequenter, & ſecundariò inclinat in motum: quod aotem eſſentialirer pertinet ad genus cauſe efficientis, primò determinat ad operationem & mutum: nam quod eſſentialiter ordinatur ad efficiendum, primò & per ſe determinat ad operandum, vt pater in potentia operatiua, quæ ab operatione, & actu ſpecificatur: ex alia verò parte idea per ſe primò cunourrit per modum ſimilitudinis determinantis ex parte termini; non verò ex parte principij, ex D.Th. 1. p. q. 15. art. 1. item q. 3. de veritate art. 1. & ob id docet ideam non eſſe ſpeciem impreſſam, ſed expreſſam: ergu eius cauſaliras eſſentialis non eſt effectiua, ſed formalis; nam proprius modus influendi canſæ efficientis, eſt influere ex parte principij. Cunfirmatur. Ars, & idea diuerſimode concurrunt ad upus: ars ſiquidem ſe tenet ex parte principij, vt pote principium actiunis artificioſæ; vnde per ſe primò pertinet ad genus cauſæ efficientis: idea autem eſſentialiter habet quòd determiner ad huc potiùs artefactum, quàm ad illud; vnde ſe tenet ex parte termini: ergo eius cauſalitas eſſentialis eſt formalis extrinſeca.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad genus cauſæ formalis pertinet, tam forma intrinſeca, quàm extrinſeca: quia conueniunt in hoc, quòd dent ſpeciem; vna intrinſecè, alia extrinſecè: & ita non coouenjunt in ſolo nomine.

Ad ſecundum dicendum, quòd idea concurrit ex parte termini, & per modum obiecti cogniti: & ideo non poteſt primò inclinate ad operationem; ac proinde non eſt eſſentialitet cauſa efficiens: licèt ſit aliquo modu, quia ſecundariò, & ex cunſequenti inclinat ad operationem: ipſa autem idea, licèt perfectè repræſentet effectum producendum: realiter tamen diſtinguitur ab eu: nam effectus in idea habet ſolùm eſſe repræſentatum & obiectiuum: nun verò poſitioum & actuale, ſicut habet in ſe: & ita habet diuerſum modum eſſendi.

QVÆSTIO X.

De cauſa efficiente.

Explicatis cauſis intrinſecis, ſequitur vt ad extrinſecas accedamus: ſcilicet ad efficientem & finalem; licèt aotem finalis ſit priot ordine intentionis; tamen eſt poſterior ordine executionis, quem utdinem nunc ſequitot: & ideo primò agimus de efficiente, quæ vel eſt principalis, vel inſtrumentalis; vel eſt cauſa per ſe, vel per accidens: de quibus omnibus cunſiderandum eſt: circa cauſam efficientem principalem quæruntur octo.

¶ Primò, Vtrùm definitiu cauſæ efficientis tradita ab Ariſtotele ſit bona?

¶ Sedundò, Vtrùm virtus principalis, quâ cauſa efficiens operatur, ſit forma eius ſubſtantialis, an ſolùm potentiæ accidentales?

¶ Tertiò, Vtrùm forma ſubſtanrialis ſit immediatum principium, & ratiu producendi?

¶ Quartò, Vtrùm accidentia non ſolùm diſpoſitiuè, ſed etlam inſtrumentaliter producant ſubſtãtiam?

¶ Quintò, Vtrùm accidens, dum producit ſubſtantiam, recipiat aliquem influxum, quo confortetur proprius eius concurſus?

¶ Sextò, Vtrùm proprietates fluant ab eſſentia, tanquam à proptio efficiente, per veram actionem mediam diſtinctam ab ea, pet quam à generante procedunr?

¶ Septimò, Vtrùm vnum accidens reſpectu alterius ſibi ſimilis poſſit eſſe cauſa principalis?

¶ Octauò, quæ ſit cauſalitas cauſæ efficientis conſtitutæ in actu primo per omnes ſuas virtutes?

ARTICVLVS I.

Vtrùm definitio cauſa efficientis tradita ab Ariſtotele ſit bona?

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd definitio cauſæ efficientis tradita ab Atiſtot. non ſit bona: ſcilicet, *Cauſa efficiens eſt id, à quo primò incipit motus.* Prubatur. Per ly (primò incipit motus,) vel intelligitut primò abſolutè, vel in ptopriu genere cauſæ: non primum, quia vt infra dicetur ex D. Th. cauſa finalis eſt ſimpliciter prima in cauſandu; quia efficiens noo cauſat, niſi mota à fine; & ſic abſulutè motus incipit à fine: ſi autem dicatur ſecundum, ſequitur quòd hæc definitiu poſſit adaptari omnibus cauſis; nam motus incipit primò à cauſa finali in genete finis;& à formali, & materiali io propriu genere: ergo hæc definitiu non eſt bona.

¶ 2. Prætetea, Cauſa efficiens ſecunda verè eſt cauſa efficiens: ſed ab illa non incipit motus in genere etiam cauſæ efficientis; quia cùm ſit ſubordinata cauſæ primæ, non mouet niſi muta & applicata ad agendum: ergo malè definitur cauſa efficiens, quòd ſit id, à quo primò incipit mutus.

¶ 3. Prætetea, Hæc definitio eſt diminuta: nun enim conuenit omni cauſæ efficienti, ſcilicet inſtrumentali, quæ verè eſt efficiens: oam de ratione inſtrumenti eſt quòd non agat niſi in virtute alterius, & conſequenter motum ab alio: & ita ab illo primò non incipit motus: contta conuenit aliis; nam natura eſt principium & cauſa

causa, motus primò & per se : siue est id, à quo incipit primò motus : constat autem quòd causa efficiens non est natura : ergo hæc definitio non est bona.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc lib. cap. 3. tradentis hanc definitionem, quam admittit D. Thom. ibidem, & communiter Philosophi, nostri Complutenses, Masius, Toletus, & alij in præsenti.

Conclusio.

Cùm facta comparatione inter causas, ac earum causalitates, motus primò incipiat ordine executionis à causa agente: optima est definitio causæ agentis tradita ab Aristotele.

Respondeo dicendum, quòd rectè definitur ab Aristotele causa efficiens, vt sit id, à quo primò incipit motus. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd dupliciter potest aliquid dici esse id, à quo incipit motus. 1. Ordine intentionis; & hoc modo causa finalis est, quæ prima influit, ex D.Thom.1.p.q.5.art.4.& art.2.ad 1. quia ex eo agens agit; quia intendit aliquid, ac consequenter quia mouetur à fine. 2. Ordine executionis, siue secundùm esse; & hoc modo à causa efficiente primò incipit motus: nam licèt quælibet causa sit in suo genere id, vnde primò est motus : quia nec materia aliam materiam, nec forma aliam formam præsupponit: tamen si causæ, & earum causalitates inuicem comparentur, causa efficiens est id, à quo absolutè primò incipit motus ordine executionis, ac secundùm suum esse exercitum : vnde hæc causalis est vera, quia efficiens agit; ideo materia recipit formam, & forma informat materiam, & subsequitur compositum, quod erat finis intentus : nam cùm materia non possit seipsam mouere ad formam; cùm nullius sit actiuitatis, nec forma possit seipsam efficere, nihil enim est causa sui, oportet quòd causa efficiens moueat materiam ad formam, & illam de potentia materiæ educat, vel saltem ipsi vniat : & sic resultet totum compositum primò intentum à natura. Ex his satis probata manet conclusio, & apparet bonitas definitionis causæ efficientis traditæ ab Aristotele : quæ explicat id, in quo potissimè causa efficiens ab aliis causis distinguitur.

Diuiditur 1. causa efficiens ab Aristotele in hoc lib. cap. 3. in causam per se, & causam per accidens: causa per se est illa, à qua secundùm quòd talis procedit effectus, vt ædificator est causa per se ædificij : causa verò per accidens est illa quæ coniungitur per accidens causæ per se: sicut Musicus est causa per accidens statuæ, quia Musica coniungitur per accidens statuario: hoc autem dupliciter contingit; Primò, ex parte ipsius causæ, vt patet in exemplo allato. Secundò, ex parte effectus, quando nimirum effectui per se alicuius causæ, per accidens coniungitur aliquid aliud, vt effodiens terram dicitur causa per accidens inuentionis thesauri : nam effossioni ipsi, quæ est effectus per se hominis fodientis terram, per accidens coniungitur inuentio thesauri: vnde licèt actiones sint suppositorum; non tamen semper per se, sed aliquando per accidens: per se quidem, si supposita agant secundùm propriam formam, & fuerint expressa nominibus denotantibus dependentiam effectuum ab eis, siue significantibus suppositum, vt habet illam formam, per quam effectus dependet: tunc enim suppositum significatur vt causa per se: sin minùs, erit causa per accidens, siue accidentaria: ita D.Thom. 1,2. quæst.85. art.5.

Diuiditur 2. causa per se in principalem & instrumentalem. Principalis est illa, quæ propria virtute operatur, vt ignis comburens, ita D.Th.3. p. q.62. art.1. item. q.4. de malo art. 1. ad 14. Instrumentalis verò est illa, quæ in virtute alterius operatur, siue eleuatur ad producendum aliquem effectum, quem secundùm suam virtutem producere non potest, vt sunt sacramenta ad producendam gratiam. Ita D. Th. 3. p. loco citato, & 1. p. q. 45. art.5. & alibi. Causa instrumentalis subdiuiditur in coniunctam cum agente principali, & separatam ab illo : & ita manus est instrumentum hominis coniunctum ad scribendum, calamus autem separatum; & humanitas Christi est instrumentum coniunctum Verbi, sacramenta verò instrumenta separata ad iustificandos homines, ad miracula patranda &c. vt communiter docent Theologi.

Diuiditur 3. causa principalis in primam & secundam; in vniuersalem & particularem; in vniuocam & æquiuocam; in totalem & partialem; in liberam & necessariam; in essentialiter subordinatam & accidentaliter tantùm subordinatam.

Causa prima est illa, à qua omnes aliæ causæ pendent; ipsa verò à nulla, siue cuius proprius effectus est ipsum ens, siue ipsum esse absolutè ex D.Th. Causa verò secunda est illa, quæ in sua causalitate pendet à prima, siue cuius proprius effectus est tale ens, siuè tale esse; ex eodem D. Thom.

Causa vniuersalis est illa, quæ plures & diuersos producit effectus, vt Sol respectu omnium sublunarium: particularis verò, quæ ad particularem determinatur effectum.

Causa vniuoca est illa, quæ producit effectum eiusdem speciei cum illa, vt ignis respectu alterius ignis: æquiuoca verò, quæ producit effectum diuersæ speciei à seipsa, vt Sol respectu auri.

Causa totalis est illa, quæ in suo genere, & ordine potest per se producere effectum : licèt pendeat à materia, forma, & ab aliis causis efficientibus superioris ordinis, vt à prima: si tamen non indigeat aliâ causâ eiusdem ordinis, siue proximâ : partialis verò est illa, quæ per se non potest producere effectum sine auxilio alterius causæ eiusdem ordinis, vt duo trahentes nauim, vel portantes vnum onus, quod neuter per se potest portare, vel trahere.

Causa libera est illa, quæ agit ex electione, siue quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari: causa verò necessaria est illa, quæ positis eisdem requisitis non potest non operari.

Causa per se, & essentialiter subordinata est illa, quæ non potest operari nisi dependenter ab actuali concursu illius causæ, cui subordinatur; sicut secunda respectu primæ: causa verò accidentaliter subordinata est illa, quæ non indiget actuali concursu alterius, vt pater & filius : nam licèt filius à patre pendeat vt habet ab illo esse; non tamen indiget concursu eius actuali, vt operetur: cùm mortuo etiam patre operetur. Sunt aliæ diuisiones causæ, sed istæ sunt præcipuæ, & magis vsitatæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd ly (primò) intelligatur absolutè, sed ordine executionis, siue secundùm esse exercitum, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd licèt motus non incipiat primò à causa efficiente proxima, si comparetur cum causa prima: dicitur tamen ab illa primò incipere motus, si comparetur cum aliis causis aliorum generum in ordine executionis & secundum esse, & hoc sufficit.

Ad tertium dicendum, quòd instrumentum non est causa efficiens secundùm se, & per se: sed tantùm dependenter, & reductiuè, vnde hæc definitio non pertinet ad ipsum: imò repugnat ei agere, nisi eleuetur, & applicetur à causa principali.

Ad aliud dicendum, quòd natura secundùm se est tantùm principium, & causa motus interni, siue eius in quo est: nec natura ex se petit, quòd ab illa primò incipiat talis motus comparatiuè ad alias causas. Deinde natura est tantùm principium (quo) motus: sed causa efficiens potest esse principium (quod) à quo primò incipit motus absolutè: in hac autem definitione definitur tantùm causa Physica, quæ concernit motum, vel mutationem Physicam: si autem per motum intelligatur productio rei, tunc etiam causa creans continetur sub hac definitione.

Articvlvs II.

Vtrum virtus principalis, quâ causa efficiens operatur sit forma eius substantialis, an solùm potentia accidentales.

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd forma substantialis nullo modo concurrat ad effectio-

nem alterius ſubſtantiæ, ſed ſola accidentia; eáque eſſe cauſam principalem in tali productione: ita tenet Benedictus Pereira 8. Phyſicorum cap. 11. 12. & 13. Probatur. Ex Ariſtotele lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. de ſapore, vbi ait ignem non agere vt ignem, ſed vt calidum: ergo ratio agendi in illo non eſt forma ſubſtantialis, per quam conſtituitur ignis; ſed calor, per quem conſtituitur calidus.

¶ 2. Præterea, Sæpe contingit ignem generari non ab alio igne, ſed à ſolo calore: nam à calore ferri candentis gignitur ignis in ſtupa: item accidentia vini conſecrati, in quo nulla eſt forma ſubſtantialis vini, poſſunt guttam aquæ in vinum conuertere: ergo non formæ ſubſtantiales, ſed tantùm accidentia ſunt rationes principales agendi.

¶ 3. Præterea, Accidentia reuera attingunt productionem ſubſtantiæ, vt communiter docetur inter Thomiſtas: ſed nullam recipiunt à ſubſtantia virtutem in ordine ad hanc productionem; non enim iſta virtus ſuperaddita poteſt eſſe ſubſtantia, cùm repugnet ſubſtantiæ recipi in accidente: ſi autem dicatur quòd hæc virtus ſit accidens, habetur intentum; nam accidens eſt principalis ratio agendi. Deinde ſubſtantia creata non eſt immediatè operatiua: ergo ab illa nulla virtus deriuatur in accidentia; nam ſi deriuaretur, eſſet per aliquam actionem; & ita accidentia virtute propriâ ſunt principales rationes agendi, & producendi ſubſtantiam. Confirmatur. Calor eſt principium agendi, vt eſt virtus ignis; ſed eſſentialiter illi conuenit quòd ſit virtus ignis: item calor vt octo virtute propriâ producit alium calorem vt octo; non enim eſt maior ratio, cur calor vt duo producat alium vt duo, quàm calor vt octo alium vt octo: ergo etiam propriâ virtute producit ſubſtantiam ignis; nam poſito calore vt octo, qui eſt vltima diſpoſitio, neceſſariò ſequitur forma ignis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis 1. de generat. textu 54. & 55. Item in hoc lib. cap. 7. D. Th. 1. p. q. 77. art. 1. ad 4. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm actiones ſint ſuppoſitorum, & ſuppoſitum conſtituatur per formam ſubſtantialem; & cauſa debeat eſſe ad minùs æquè perfecta ac eius effectus, ſi ſit cauſa principalis: forma ſubſtantialis eſt principalis ratio agendi in productione ſubſtantiæ.

Respondeo dicendum, quòd forma ſubſtantialis eſt principalis ratio agendi in productione ſubſtantiæ, ad quam accidentia non concurrunt principaliter. Probatur. Actiones ſunt ſuppoſitorum, ſiue ſubſiſtentium, ex communi axiomate Philoſophorum, & Theologorum tradito ab Ariſtotele 1. de anima cap. 4. & à D. Thom. 1. p. q. 75. art. 2. item 2. 2. q. 58. art. 2. item 3. p. q. 19. art. 1. ad 3. Et ratio eſt manifeſta, quia operari præſupponit eſſe, & conſequitur ad illud: & ita operari per ſe, ſolùm eſt illius, cuius eſt eſſe per ſe: ſolum autem ſuppoſitum, ſiue ſubſiſtens ſubſtantiale habet eſſe per ſe: ac proinde illud ſolum eſt, quod operatur vt quod: ſed forma ſubſtantialis eſt id, quo ſuppoſitum eſt tale: ipſa enim eſt prima ratio eſſendi, quæ dat rei eſſe ſpecificum, eſſe exiſtentiæ, & eſt prima ipſius actualitas: ergo etiam ipſa ſola eſt primum principium (quo) earumdem operationum: nam ex eo quòd ſuppoſitum eſt id, quod eſt, ideo eſt efficiens (vt quod) primum & principale: vnde idem neceſſariò debet eſſe prima & principalis ratio eſſendi, ac prima, & principalis ratio operandi: quia vt dictum eſt, operari ſequitur eſſe; ac propterea iſta duo conuertuntur. Nec reſponſio aduerſariorum effugit vim argumenti, dum dicunt non eſſe neceſſe, quòd ab eo, à quo prouenit eſſe, proueniat etiam operari. Nam ex D. Thom. & communi conſenſu Philoſophorum, vnumquódque agit inquantum eſt actu: ergo quod dat compoſito eſſe primò in actu; tribuit etiam illi, quòd ſit primum principium operandi: ſicut quia materia prima eſt prima potentia, & dat eſſe potentiale ſubiecto, ad quòd ſequitur quòd ſit receptiuum; neceſſariò ipſa materia eſt prima ratio recipiendi ex D. Thom. 3. contra gentes cap. 69. Deinde quia Ariſtoteles 2. de anima, definit illam (quæ ſine dubio eſt forma) ſic: *Anima eſt quâ non ſolùm ſumus, & viuimus: ſed quâ primò ſentimus, loco mouemur, & intelligimus:* Ergo forma ſubſtantialis non tantùm dat eſſe, ſed etiam dat compoſito, quòd ſit primum principium operandi.

Secundò, cauſa principalis ſemper eſt perfectior, aut æquè perfecta, ac eius effectus, vt dictum eſt: ſed accidentia ſunt imperfectiora ſimpliciter ſubſtantiâ: ergo non poſſunt attingere eius productionem, vt ratio, & cauſa principalis agendi; ſed tantùm, vt inſtrumentum: & ita forma ſubſtantialis eſt ratio principalis agendi; nam præter potentias accidentales nihil remanet in compoſito, niſi materia & forma ſubſtantialis: materia autem, vt conſtat, caret omni actiuitate. Ad hoc dupliciter reſpondet ille author. 1. Quòd licèt accidens ſit imperfectius ſubſtantiâ in ratione eſſendi, tamen eſt perfectius in ratione operandi. 2. Quòd formæ ſubſtantiales non fiunt per ſe, ſed per reſultantiam: & ideo non requiritur quòd producens ſit perfectius. Sed contra primam ſolutionem. Vt dictum eſt, cauſa principalis ad minùs eſt æquè perfecta, ac effectus eius in ratione eſſendi: quia vis producendi fundatur in entitate: ergo quod eſt imperfectius in entitate, non poteſt eſſe perfectius in ratione productiui. Deinde nemo dat quod non habet, vel formaliter, vel eminenter: & hoc in genere cauſæ efficientis eſt axioma receptum: ergo ſi accidens producit principaliter perfectionem entitatiuam ſubſtantiæ, debet illam in ſe continere in ratione entis vel formaliter, vel eminenter; & niſi admittatur hæc ratio, non poſſet probari quòd Deus eſſet perfectior omnibus creaturis; nec poterit conuinci, qui dixerit hunc mundum fuiſſe productum à formica. Contra ſecundam ſolutionem. Dato, ſed non conceſſo, quòd ſubſtantia fiat per naturalem reſultantiam, & quòd ſit ſecundarius terminus ordine executionis; tamen eſt primarius ordine intentionis: ſed virtus effectiua per naturam data debet commenſurari cum termino per ſe primo intento: ergo cauſa, quæ non continet hunc terminum, non poteſt attingere terminum primarium executionis, vt illatiuum termini primarij ſecundùm intentionem, & ſecundarij ſecundùm executionem: nam terminus primarius executionis, vt infert terminum primarium intentionis, aſſumitur à natura, vt medium ad illum: ergo ratio attingendi terminum primarium executionis ſecundùm iſtam rationem, deſumitur ex ipſo termino primario intentionis: nam quæ ſunt ad finem, deſumuntur, & regulantur ex ipſo fine; ergo qui non continet finem, vt finem, nec poteſt illum attingere; non valebit continere, aut attingere medium, vt eſt medium.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles tantùm vult ignem præcisè ex ſe non agere, ſed indigere calore vt inſtrumento, ſiue vt cauſâ diſpoſitiuâ, vt infra dicetur.

Ad ſecundum dicendum, quòd ille calor, & illa accidentia vini agunt, vt virtus ſubſtantiæ ignis & vini; & non præcisè ſecundùm ſe; & hoc ſufficit, vt tales effectus excedentes virtutem ipſorum non tribuantur illis, vt cauſis principalibus, ſed tantùm inſtrumentalibus eo modo, quo effectus productus tribuitur inſtrumentaliter tantùm ſemini hominis deciſo; ipſi verò homini principaliter: ſic ille ignis de nouo productus, & vinum ex gutta aquæ productum debent tanquam cauſæ principali tribui igni, à quo proceſſit iſte calor; & vino, cuius fuerunt accidentia: ita docent Caietanus, Capreolus, Ægidius, Scotus, Maſius, noſtri Complutenſes, & alij. Vel ſecundò dicendum de ferro candenti, quòd in illo ſunt aliquæ partes poroſæ ignitæ, quod patet indicio: nam in ferro apparent poſtea aliqui cineres, qui non generantur niſi ad deſitionem formæ ignis, & ratione harum partium producitur ignis in ſtupa. Ad aliud dicendum, quòd ex vi miraculi conuerſionis ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti, ibi quantitas habet rationem operantis (vt quod:) ex miraculo autem nō licet inferre, quòd ita ſit ordine naturali.

Ad tertium dicendum, quòd ſufficit vt talia acciden-

tia

tia sint virtutes substantiæ, vt non sint causæ principales, sed tantùm instrumentales effectuum talis substantiæ excedentium suam virtutem : nam causa principalis est, quæ operatur propriâ virtute ; instrumentalis verò, quæ operatur, vel in virtute alterius, vel vt virtus alterius. Ad confirmationem dicendum, quòd non conuenit calori vt sic, esse virtutem ignis : nam calor secundùm suam speciem in multis aliis reperitur : vt est autem virtus ignis petit, vt fluat ab essentia ignis per modum virtutis eius, & illi coniungatur coniunctione formali, aut virtuali : & ratione huius coniunctionis, & dimanationis manet ille calor virtuosior : & ideo ex diuersa coniunctione ad diuersas formas substantiales producit diuersos effectus : nam coniunctus cum substantia animalis attingit productionem carnis, & sanguinis : cum igne productionem ignis : licèt sit calor eiusdem speciei : vnde esse virtutem substantiæ addit aliquid non realiter, aut formaliter ; sed virtualiter distinctum ab eodem calore, ratione cuius habet hunc maiorem vigorem, quod quidem prouenit illi ab eadem substantia, cuius est virtus : deinde licèt concederetur calorem esse essentialiter virtutem ignis : tamen solùm sequeretur quòd essentialiter esset instrumentum ignis ad producendum alium ignem. Ad aliud dicendum, quòd calor vt octo non procedit, nisi à forma substantiali, vt à causa principali : nam tantus calor non introducitur in subiecto ante formam ignis, sed ille qui sufficit ad destructionem talis subiecti, quod comburitur, & ad disponendam materiam ad formam ignis : minor autem calor ad hoc sufficit : vnde calor vt octo resultat à forma ignis geniti ; & ideo non potest produci nisi ab eo, à quo producitur forma ignis : nam secundarius terminus, & resultans non attingitur nisi ex vi productionis termini, à quo resultat ; ac proinde vltima dispositio ad formam ignis non potest principaliter procedere à calore, tum quia ex opinione D. Th. & Thomistarum : licèt in vno genere causæ, scilicet materialis præcedat formam genitam: in alio tamen genere, scilicet efficientis illam sequitur : tum etiam quia dato quòd simpliciter præcedat ; tamen quia calor propriâ virtute non potest attingere terminum primarium intentionis naturæ, qualis est forma substantialis : nec potest producere terminum primarium executionis, qualis est vltima dispositio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm forma substantialis sit immediatum principium, & ratio producendi?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd forma substantialis sit immediatum, & vnicum principium, siue ratio producendi aliam substantiam : accidentia verò nullo modo illam productionem attingant effectiuè : sed tantùm concurrant ad illam dispositiuè. Ita tenent Scotus in 1. d. 37. q. vnicâ, item in 4. d. 12. q. 3. Durandus in 2. d. 1. q. 4. & in 4. d. 12. q. 2. & alij. Probatur. Forma substantialis est immediatum principium essendi toti composito : ergo & operandi ; nam operari sequitur, & proportionatur ad esse. Confirmatur. Materia prima, quia ex se est prima potentia, est etiam immediatum principium recipiendi : ergo & forma, cùm sit primus actus, est immediatum principium agendi ; nam sicut ad potentiam sequitur recipere ; ita ad actum sequitur agere : maximè quia forma perfectiùs concurrit ad suos effectus quàm materia. Deinde forma accidentalis est immediatum principium operandi effectus accidentales ; quia dat esse secundùm quid : ergo forma substantialis, quia dat esse simpliciter, potest esse principium immediatum producendi effectus substantiales.

§ 2. Præterea, Si quid vrgeret ad dicendum quòd forma substantialis non est immediatum principium operandi, esset ratio quam D. Th. 1. p. q. 54. art. 3. assignat : quia esse, & operari in creaturis distinguuntur realiter ; & consequenter potentia ad esse scilicet substantia, & potentia ad operari debent eodem modo distingui : cùm specificentur per actus prædictos : sed hæc ratio non valet, nam vna & eadem potentia potest ferri in duos actus distinctos realiter subordinatos, quales sunt esse & operari : nam operari sequitur esse : ergo forma substantialis est immediatum principium operandi.

§ 3. Præterea, Omne quòd producit aliud, debet illud continere vel formaliter, vel eminenter : & sic esse æquè perfectum, aut perfectius illo : sed accidentia, cùm sint simpliciter imperfectiora substantiâ, non continent illam formaliter, nec eminenter : ergo non attingunt immediatè productionem ipsius ; ac proinde forma substantialis est immediatum principium producendi substantiam : accidentia verò tantummodo dispositiuè concurrunt.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. 1. p. q. 54. art. 3. Item q. 77. art. 1. Item 3. p. q. 77. art. 3. ad 3. Item in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiunculâ 2. ad 1. Illum sequuntur communiter eius discipuli, Caietanus, Capreolus, Bannes, Zumel locis citatis, Ferrariensis, Soto, Masius, nostri Complutenses, & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm esse, & operari in creaturis realiter distinguantur ; potentia, quæ ordinatur ad esse, scilicet substantia, non potest immediatè ordinari ad operari : ac proinde forma substantialis non potest esse immediatum principium producendi.

RESPONDEO dicendum, quòd implicat substantiam esse immediatè operatiuam : vnde licèt forma substantialis sit principale, & radicale principium operandi, siue ratio agendi ; non tamen est immediatum.

Probatur ratione D. Th. In creaturis esse & operari distinguuntur realiter, vt satis constat : solus enim Deus, cùm sit actus purus, est sua operatio : ergo potentia quæ ordinatur ad esse, & potentia quæ ordinatur ad operari realiter distinguuntur ; sicut enim potentiæ specificantur per actus, ita per illos distinguuntur : sed essentia est potentia ordinata ad esse ; cùm enim esse, siue existentia sit vltima actualitas essentiæ in proprio genere, essentia ab intrinseco ordinatur ad illud tanquam potentia ad proprium actum : vnde ipsa distinguitur realiter à potentia ordinata ad operari ; ac proinde potentia ordinata ad esse, scilicet essentia, & forma substantialis constitutiua essentiæ non est immediatum principium operandi : si enim essentia distinguitur à potentia ordinata ad operari, talis potentia mediat inter essentiam, & operationem : & sic essentia non potest esse immediatum, sed tantùm primum principium operandi.

Respondent aduersarij quòd esse & operari sunt actus inadæquati : & sic eadem potentia potest illos respicere quodam ordine, scilicet esse primariò, & operari secundariò. Alij econtra dicunt quòd essentia primariò respicit operari ; esse verò secundariò tanquam quid prærequisitum ad operari propter illud Aristotelis, vnumquódque est propter suam operationem. Sed facilè ruet prima solutio si expendatur ratio. D. Th. nam ex Aristotele 9. Metaph. textu 3. Item 12. textu 26. & ex eodem D. Thom. 1. p. q. 77. art. 1. actus & potentia sunt in eodem genere vel substantiæ, vel accidentis, quando est primarius inter ipsa respectus : nam vnum est specificatiuum alterius : vnde potentia, quæ per se primò respicit esse substantiale, tanquam proprium actum, est potentia substantialis, siue in genere substantiæ : sicut potentia ad operari, siue quæ per se primò respicit operationem, quæ est accidens ; est potentia accidentalis siue in genere accidentis : sed essentia substantiæ, & consequenter forma substantialis constitutiua illius per se primò respicit esse substantiale, tanquam proprium actum, vt dicetur statim ; & potentia operatiua etiam per se primò respicit, tanquam proprium actum ipsam operationem : quia potentia operatiua specificatur ab operatione, vt fatentur omnes, & patet : nam iuxta diuersitatem formalem & specificam operationum diuersæ ponuntur potentiæ ; proprium autem specificatiuum est per se primò respectum, quia dat esse specificum : sicut autem quod primò inuenitur in re, est propria essentia, & specificatiua

ita primò reſpicit illud, à quo habet talem ſpecificationem: ergo eſſentia ſubſtantiæ, ac proinde forma ſubſtantialis conſtitutiua illius eſt potentia in genere ſubſtantiæ; & potentia operatiua eſt potentia in genere accidentis: ſed eſt impoſſibile quòd vna & eadem potentia ſit ſimul in genere ſubſtantiæ, & in genere accidentis; ſicut eſt impoſſibile quòd idem ſit ſimul ſubſtantia & accidens, ſiue ens per ſe & ens in alio, propter oppoſitas priuatiuè vtriúſque rationes: ergo etiam eſt impoſſibile quòd vna & eadem potentia reſpiciat ſimul eſſe ſubſtantiale & operari quod eſt accidens: vnde falſum eſt quòd eſſentia reſpiciat iſtos duos actus, tanquam inadæquatos, ſcilicet eſſe & operari; eſſe quidem primariò, operari autem ſecundariò: ſi enim reſpiceret vtrúmque, primariò vtrúmque reſpiceret: maximè quia reſpiceret ſub diuerſa formaliter ratione, videlicet eſſe in genere cauſæ materialis receptiuæ, ſic enim reſpicit, aut ad ſummum in genere cauſæ formalis: operationem verò in genere cauſæ efficientis: conſtat autem quòd ſi aliquid reſpiceret duos actus ſub diuerſa formaliter ratione; ab vtróque ſpecificaretur, & vtérque eſſet reſpectu eius actus primarius adæquatè ſpecificatiuus: & propterea quia charitas reſpicit amorem proximi, tanquam actum ſecundarium, ideo terminatur ad illum, non ſub diuerſa, ſed ſub eadem ratione formali bonitatis diuinæ; ac terminatur ad primarium, ſcilicet amorem Dei. Nec obſtat dictis, quòd operari ſequitur eſſe: nam etiam volitio ſequitur intellectionem, & tamen exigunt diuerſas potentias.

Minùs autem habet probabilitatis alia ſolutio: nam potentia & actus primarius ſunt in eodem genere: ergo eſſentia ſubſtantialis primariò reſpicit eſſe ſubſtantiale, & non operari quod eſt accidentale. Deinde natura principaliter intendit ſubſtantias, vt ſint in vniuerſo propter perfectionem, quam illi tribuunt, & ſecundariò intendit, vt operentur: nam operatio ipſa ordinatur ad conſeruationem ipſius eſſe, aut ſpeciei: ergo ſubſtantia primariò reſpicit eſſe. Denique eſſe pertinet ad perfectionem habentis eſſe: non verò ſemper operari; imò ordinariè tendit ad perfectionem aliorum: ſed reſpicitur primariò propria perfectio: ergo eſſentia primariò reſpicit eſſe: dicitur autem vnumquódque eſſe propter ſuam operationem, quia operatio eſt vltima perfectio rei, ſed non principalis, ad quam mediis potentiis operatiuis ordinatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſufficit vt illud quod dat eſſe toti compoſito, ſit principium radicale operandi. Ad confirmationem dicendum, quòd eſt diſparitas. nam recipere dicit imperfectionem; agere verò perfectionem: vnde non eſt mirum quòd aliquid per ſeipſum poſſit immediatè recipere; eſt autem impoſſibile quòd per ſeipſum immediatè agat; deinde materia reſpicit tantùm immediatè actum ſui ordinis, ſcilicet ſubſtantialem. Ad aliud dicendum, quòd forma accidentalis producit immediatè effectus accidentales, quia primò, & per ſe ſecundum ſuam rationem ſpecificam ordinatur ad illos: ad dandum verò eſſe ſecundùm quid, ordinatur tantùm ſecundùm rationem entis.

Ad ſecundum patet ex dictis: eſſe enim principium primum & immediatum operationis: arguit implicitè infinitam perfectionem: quia denotat eſſe & operari in tali re identificari, quod non conuenit niſi enti infinito: deinde quia quæ ex propria natura ita ſe habent, vt vnum ſit formaliter & realiter accidens, & aliud ſubſtantia; non poſſunt omnino realiter identificari niſi in actu puro, & ſimpliciter infinito: ita vt puritas actus, cui neceſſariò annexa eſt infinitas, ſit ſola & propria cauſa identitatis eorum.

Ad tertium dicendum, quòd maior eſt vera de cauſa principali, falſa verò de inſtrumentali, vt patet ex dictis ſupra: ſi enim ſit inſtrumentum quod agat in virtute cauſæ principalis, ſufficit quòd intentionaliter, ſcilicet in virtute recepta à cauſa principali, contineat perfectionem effectus; & ſic in ſua ſubſtantia ſemper eſt imperfectius effectu: ſi autem ſit inſtrumentum quod agat vt virtus alterius, ſufficit quòd vniatur vel formaliter, vel virtualiter cum cauſa principali, quæ contineat perfectionem effectus; implicantia autem, quæ aſſignata eſt, ſolùm tangit potentiam immediatam ad eſſe, & ad operari: quòd autem id quod eſt potentia immediata ad eſſe, ſit potentia mediata & remota operandi; non ſolùm non eſt impoſſibile, ſed etiam eſt neceſſe: nam operari ſequitur ad eſſe: & cùm etiam ipſum operari reſpiciat eſſe; nam illud conſeruat, perficit, manifeſtat &c. etiam remotè potentia operatiua reſpicit eſſe: vnde implicantia, vt dictum eſt, ſolùm reperitur in hoc, quòd eadem potentia immediatè reſpiciat, & eſſe & operari: cùm vtrúmque ſit primò & per ſe intentum à natura, vt pote præſtans illi maximum decorem & pulchritudinem.

Articvlvs IV.

Vtrùm accidentia non ſolùm diſpoſitiuè, ſed etiam inſtrumentaliter producant ſubſtantiam?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd accidentia ſolùm diſpoſitiuè concurrant ad productionem ſubſtantiæ: nullo autem modo attingant actiuè ipſam productionem ſubſtantiæ, etiam inſtrumentaliter: ita Scotus, & Durandus citati articulo præcedenti. Probatur. Vt accidens concurrat inſtrumentaliter ad productionem ſubſtantiæ, debet agere in virtute ſubſtantiæ: ergo hæc virtus eſt aliquid accidenti ſuperadditum; ſi enim nihil ſuperadderetur intrinſecè, ſemper remaneret impotens: hæc autem virtus vel eſt ſubſtantia, vel accidens: non primum, quia tunc non eſſet accidens quod ageret, ſed ipſa ſubſtantia: nec ſecundum poteſt dici, quia quæcúmque virtus accidentalis, ſemper eſt accidens; ac proinde ſi accidens vt ſic eſt improportionatum, & impotens ad producendam ſubſtantiam; non poteſt reddi potens per aliud accidens: quia etiam illud aliud, cùm ſit accidens, eſt improportionatum; omne enim accidens eſt imperfectius ſubſtantiâ: ergo accidentia non producunt ſubſtantiam inſtrumentaliter.

¶ 2. Præterea, Cauſa & effectus debent eſſe eiuſdem ordinis: debet enim inter ipſa reperiri proportio, & propterea Sacramenta à Deo eleuantur ad cauſandam gratiam per virtutem ſupernaturalem proportionatam ipſi gratiæ: ſed accidens eſt diuerſi ordinis à ſubſtantia, & naturaliter ſaltem non poteſt eleuari ad eumdem ordinem: ergo eſt improportionatum ad actiuè, etiam inſtrumentaliter producendam ſubſtantiam.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. locis citatis articulo præcedenti, quem ſequuntur Authores ibidem citati.

Conclvsio.

Cùm ſubſtantia non ſit immediatè operatiua, accidentia debent neceſſariò concurrere actiuè inſtrumentaliter ad productionem ſubſtantiæ.

Respondeo dicendum, quòd accidentia ſunt virtutes proximæ, immediatæ & inſtrumentariæ, quibus mediis vna ſubſtantia attingit productionem alterius. Probatur. Subſtantia non eſt immediatè operatiua, vt probatum eſt: ergo accidentia ſunt virtutes, & potentiæ immediatè operatiuæ; nam omnis ratio agendi, vel eſt ſubſtantia, vel accidens: non autem ſunt virtutes principales, vt etiam probatum eſt: ergo ſunt inſtrumentariæ.

Secundò, Eiſdem inſtrumentis expellitur vna forma ſubſtantialis, & introducitur alia: cùm corruptio vnius ſit generatio alterius: ſed forma imperfectior mediis ſuis accidentibus, vt virtutibus agendi proximis, & inſtrumentariis, expellit formam perfectiorem; aliàs ſi forma imperfectior immediatè ageret, nunquam corrumperetur perfectior: quia ex eo quòd perfectior eſt, maiorem adhiberet reſiſtentiam; quàm eſſet illa vis, & influxus, quem adhibet imperfectior ad introductionem

ſui;

sui: ergo mediantibus eisdem virtutibus accidentariis (in quarum actiuitate potest superare formam perfectiorem) vt ratione agendi proxima & immediatâ producit & introducit formam, ac producit substantiam.

Ex dictis constat esse disparitatem inter substantiam & accidentia: nam accidentia, sicut sunt entis, siue substantiæ entia: ita per se primò instituta sunt propter illam: vnde cùm substantia iam habeat ex se, & immediatè esse simpliciter; non eget illis, vt sit: atque adeo neque illa quatenus suo modo sunt secundùm quid, habent per se & primò substantiæ deseruire: & consequenter nec secundùm istam rationem sunt per se primò instituta à natura. Verùm cùm eadem substantia, etiamsi habeat suum esse simpliciter: non sit tamen adhuc immediatè operatiua; ideo talia accidentia debent eidem substantiæ per se primò deseruire, tanquam principia immediata operationum: & consequenter per se primò debent respicere operationem ex primaria intentione naturæ, & nisi hæc haberent, non possent esse principia immediata operandi, nec substantia posset mediis illis operari: quia tamen ad hoc ipsum requiritur vt habeant suum esse inexistentiæ: ideo secundariò, & consequenter hoc esse respiciunt, & petunt: vnde non petunt esse, nec dant esse substantiæ: nisi in ordine ad operationem; ac proinde operatio est formalissimus terminus & primarius, quem respiciunt accidentia operatiua, siue illa quæ sunt substantiæ ratio operandi: illud enim per se primò inspicitur, quod est de primaria intentione naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd semper instrumentum agit in virtute causæ principalis: cum hac tamen differentia, quòd aliqua tunc tantùm eleuantur, & recipiunt virtutem causæ principalis, quando actu ab ipsa applicantur ad operationem, vt instrumenta artis: alia autem, vt calor ignis, quæ potiùs agunt vt virtus substantiæ, quàm in virtute substantiæ, recipiunt aliquid tantùm virtualiter distinctum in ipso instanti suæ productionis, vt supra explicatum est, ratione cuius manent habitualiter, & suo modo permanenter eleuata ad productionem substantiæ: & ita agunt in virtute siue potiùs vt virtutes substantiæ.

Ad secundum dicendum, quòd hoc ipso quòd accidens consideratur vt virtus substantiæ; licèt maneat in ratione accidentis: tamen maximè accedit ad propriam perfectionem, & naturam talis substantiæ, sicut proprietas est maximè propinqua essentiæ: & ideo aliquo modo pertinet ad ordinem substantiarum; & sic manet eleuata ad productionem substantiæ: nam sicut ait Philosophus, supremum infimi attingit infimum supremi; vnde cùm ista virtus sit supremum infimi in tali natura, quia est excellentissimum quoddam accidens illius respectu talis effectus, ad quem disponit: idcirco attingit infimum supremi, & imperfectiori modo, scilicet instrumentaliter, producit effectum proprium substantiæ. Vel vno verbo dicendum, quòd causa principalis, non verò instrumentalis debet esse in eodem ordine, siue æquè perfecta, ac eius effectus.

Articulus V.

Vtrùm accidens, dum producit substantiam, recipiat aliquem influxum, quo confortetur proprius eius concursus?

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd accidens, dum producit substantiam, recipiat aliquem influxum, quo confortent proprius eius concursus. Ita Suares disp. 18. Metaph. sect. 2. & alij recentiores. Probatur authoritate Aristotelis, & D.Th. Aristoteles 2. de generatione textu 54. & 55. reprehendens eos, qui propriam formarum efficientiam negabant, sic ait: *Quare & isti ob id, & quia potiorem omittunt causam, haud rectè dicunt: quidditatem enim, formámque extermimant, præterea potentias, atque vires corporibus tribuunt, per quas admodum instrumentaliter generant; eam quæ à specie sumitur, causam auferentes.* D.Th. autem 3.p.q. 77. art. 3. ad. 2. sic ait: *Ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ: & ideo sicut diuinâ virtute datur speciebus sacramentalibus, vt possint esse sine substantia; ita datur eis, vt possint agere sine forma substantiali virtute Dei, à quo sicut à primo agente, dependet omnis actio formæ & substantialis & accidentalis.*

§ 2. Præterea, anima per se ipsam præstat proprium concursum immediatum ad producendos actus vitales, qui fiunt mediis potentiis vitalibus, vt apparet: nam qui nimium vacat orationi, non bene exercet alias operationes vitales; nec enim decoquit cibos: imò aliquando non videt, nec sentit: & ita signum est ibi deesse influxum animæ ad has operationes: omnes siquidem potentiæ radicantur in anima; vnde nisi requireretur iste influxus, cùm tales operationes non sint incompossibiles, conatus intensus vnius non impediret operationem alterius: sed quia requitur talis influxus, anima autem est tota occupata in illa operatione intensa: ideo aliæ potentiæ non possunt operari. Deinde si sufficeret tales potentias dimanasse ab anima, vt anima per illas dicatur operari, sequitur quòd si diuinâ virtute intellectus separaretur ab anima, & ipsa anima annihilaretur, adhuc actiones intellectus sic separati attribuerentur ipsi animæ, quod est absurdum: ergo multò magis anima, siue alia forma substantialis præstat hunc concursum accidenti, dum producit substantiam in generatione substantiali: hic enim est maior necessitas, cùm terminus actionis generatiuæ sit substantia, quæ excedit omnes potentias accidentales, vt pote superioris ordinis: terminus autem aliarum actionum vitalium, vt plurimùm est accidentalis; ac proinde proportionatus ipsis potentiis.

§ 3. Præterea, vel solus influxus, qui immediatè procedit v.g. à calore, est per se sufficiens generare ignem, vel non: si dicatur primum: ergo solus calor ignem generaret, quod est impossibile: cùm causa debeat saltem esse æquè perfecta, ac effectus; calor autem, cùm sit accidens, est imperfectior igne, qui est substantia: si secundum dicatur: ergo requiritur quòd etiam forma ignis immediatè simul cum calore influat, & illo influxu confortetur concursus caloris. Confirmatur. Cùm calor producit alium calorem, producit effectum sibi proportionatum: & sic illum producit propriâ virtute: ergo dum producit effectû se nobiliorem, & altiorem suâ virtute, scilicet formam ignis; debet eleuari, & confortari ab influxu formæ ignis.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. supra articulo 3. citata, quem communiter sequuntur eius discipuli, sed præcipuè nostri Complutenses.

Conclusio.

Cùm substantia non sit immediatè operatiua, & accidens aliquando concurrat ad productionem substantiæ sine alterius influxu: sequitur quòd accidens, dum producit substantiam, non debeat recipere aliquem influxum, quo confortetur proprius eius concursus.

Respondeo dicendum, quòd substantia neque se solâ, neque mediis accidentibus, & vnâ cum illis potest habere aliquem influxum, siue propriam actionem, quæ ab ea immediatè exeat, & quæ confortet influxum accidentium ad producendam substantiam. Ad cuius euidentiam sciendum est ex supra dictis substantiam non esse immediatè operatiuam, prout ly (immediatè) excludit consortium alterius vt instrumenti coadiuuantis ipsam: & ita in præsenti non inquirimus an prodeat aliqua virtus à substantia in accidens, quâ constituatur in actu primo completo: iam enim patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis, non dari: sed solùm inquirimus an substantia præstet aliquem influxum, qui immediatè coniungatur cum influxu accidentis; & sic coniunctus ita illum corroboret, vt possit producere substantiam: ac proinde substantia; licèt non sit immediatè operatiua solitariè & exclusiuè: sit tamen proximè operatiua socialiter & cooperatiuè.

Probatur conclusio ratione superiùs adductâ. Eadem

potentia non poteſt reſpicere duos actus per ſe primò intentos à natura, qui ſint realiter & eſſentialiter diuerſi: cùm potentiæ ſpecificentur per actus; & conſequenter diuerſi actus petant diuerſas potentias: ſed ſubſtantia reſpicit per ſe primò eſſe, quod eſſentialiter diſtinguitur à quocúmque influxu accidentali, vt patet: ergo nullus influxus poteſt immediatè procedere à ſubſtantia, nec cooperatio accidentium tollit implicantiam: ergo accidens dum producit ſubſtantiam, non recipit aliquem influxum, quo confortetur proprius eius concurſus.

Secundò, eleuatio, virtus, aut confortatio addita tam inſtrumentis rigoroſis, quàm formis inſtrumentariis non conceditur ad hoc, vt quatenus eleuata ſunt, habeant tantam perfectionem in ſe, quantam effectus, aut ad hoc vt ſecundùm iſtam rationem ſint cauſæ principales: nam ſicut inſtrumentum ſemper producit effectum nobiliorem ſe; & conſequenter ipſa eleuatio, quæ non abſtrahit ipſum à ratione inſtrumenti, non dat illi perfectionem æqualem perfectioni effectus, nec ipſum conſtituit in ordine cauſæ principalis: ſed dicta eleuatio datur ad hoc, vt tam forma inſtrumentaria, quàm influxus eius vt eleuata, ſubordinentur tanquam agenti principali cauſæ cuius eſt talis virtus: & conſequenter effectus verè & principaliter attingatur ab ipſa: ad hoc enim eleuatur, vt in tali operatione principali agenti ſubordinetur, cui talis actio, & effectus per illam productus principaliter attribuitur: at calor v. g. eo ipſo, quòd operatur vt virtus ignis in ordine ad productionem alterius ignis, ſubordinatur ei vt agenti principali; aliàs non eſſet virtus illius, nec operaretur vt talis: quod enim eſt virtus alicuius, ab intrinſeco ſubordinatur illi: ergo ad hoc vt cenſeatur eleuatus ad prædictum effectum, ſufficit quòd ſit virtus illius: vnde etiam ſufficit, vt ignis genitus attingatur, vt à cauſa principali, ab igne generante, cuius ille calor eſt virtus: abſque eo quòd ſit neceſſarius alius influxus immediatè procedens ab igne præter influxum eiuſdem caloris, vt eſt virtus ignis, & illi ſubordinatus. Confirmatur. Eo ipſo quòd tales formæ accidentariæ inſtrumentariæ datæ ſunt à natura, vt ſint virtutes, & facultates proximæ ſubſtantiæ, & oriantur ab eſſentia naturaliter; debent oriri ſecundùm vltimum confortationis, quod poteſt eis à natura illa communicari; & conſequenter non minùs confortata in ſuo ordine, ac finguntur confortari per illum influxum ſimultaneum ſubſtantiæ, qui earum actioni dicitur adiungi; ergo talis influxus non eſt neceſſarius.

Tertiò, ſæpe contingit, vt ſubſtantiæ à quibus hæ virtutes dimanarunt, non poſſint exhibere illum concurſum; & tamen generatio ſubſtantialis æquè bene fit, ac fiunt aliæ generationes ſubſtantiales, vt conſtat in generationibus viuentium: nam generans, à quo deciſum eſt ſemen, nullum immediatum, & nouum influxum præſtat in inſtanti generationis, vel quia non eſt præſens, vel quia non exiſtit; & ita bene generatur proles, ſiue pater viuat ſiue non: ergo ſignum eſt quòd talis concurſus confortans non eſt neceſſarius, ſed quòd virtutes accidentales ſubſtantiæ, ita exierunt à principio eleuatæ & confortatæ, vt mediis illis abſque noua confortatione concurrat ſufficienter ad talem productionem. Nec valet reſponſio Suares, quòd in tali caſu Deus ſupplet illum concurſum. Nam contra. Licèt hoc ſupplementum aliquando, ſed rarò admittatur; non tamen debet admitti ordinariè. Deinde in illo caſu ſolus Deus eſſet cauſa principalis, & non pater, aut alia viuentia; quia non confortarent inſtrumentum in ordine ad producendum talem effectum. Item in viuentibus generationes non eſſent vniuocæ: nam Deus, & effectus genitus non conueniunt vniuocè in natura. Item tollendæ eſſent relationes patris ac filij, quæ fundantur in actione cauſæ principalis & paſſione. Denique viuentia eſſent tantùm inſtrumenta, ſi admittatur eſſe neceſſarius iſte influxus immediatus: nam cùm in toto ordine viuentium nullum ſit, quod illum exhibeat; ſignum eſt quòd nullum ageret principaliter; quod omnino eſt falſum. Maximè cùm viuentia ex eo, quòd ſunt eſſentialiter perfectiora aliis: ita habent virtutem perfectiorem, & perfectiori modo operabuntur: iſta enim ſe conſequuntur: ergo cùm videmus quòd non exhibent illum immediatum influxum, ſignum eſt quòd non ſit neceſſarius, nec in his, nec in aliis cauſis.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa authoritas Philoſophi ſolùm pugnat contra eos, qui aſſerebant accidentia ita agere, vt negarent ſubſtantiam mediis illis principaliter operari; quod non negamus, imò dicimus quòd eo ipſo quòd accidentia fluxerunt à ſubſtantia, vt virtus ipſius, non ſiſtit ſubſtantia in hoc, quod eſt eſſe id, à quo fluxerunt: ſed ipſa eſt quæ mediis illis, vt cauſa principalis agit: non quia præſtet illum concurſum, ſed quia eo ipſo, quòd conſeruent eſſe virtutes ſubſtantiæ; manent ſufficienter eleuatæ, & ſubordinatæ eidem in ordine ad productionem alterius ſubſtantiæ, nec talis concurſus eſt per accidens, ſed per ſe: licèt non immediatus, vt immediatum excludit conſortium alterius etiam vt inſtrumenti. Ad authoritatem verò D. Th. dicendum cùm Capreolo, Caietano, Soto, Maſio, noſtris Complutenſibus &c. quòd illa accidentia vini conſecrati agunt in virtute vini, cuius ſunt virtutes: nam licèt vinum deſierit eſſe per conuerſionem ipſius in ſanguinem Chriſti; quia tamen manet in ſua virtute: ideo eſt cauſa principalis, vnde Deus ibi non ſupplet virtutem agendi; ſed tantùm modum agendi: nam ante conſecrationem illa accidentia erant tantùm actiua (vt quo) & ſubſtantia, in qua erant, agebat (vt quod:) diuinitus autem, ſicut aliquo modo habent eſſe (vt quod) poſt conſecrationem: ita & operari (vt quod) quamuis etiam ſubſtantiæ, quæ deſiit, actio principaliter attribuatur: fit autem à D. Th. diſtinctio actionis formæ ſubſtantialis & accidentalis: quia illamet actio accidentis, vt ſubordinatur ſubſtantiæ tanquam principio radicali, eſt actio illius ſubſtantiæ, ſicut etiam eſt actio accidentis vt immediatè procedit ab illo.

Ad ſecundum dicendum, quòd iſte defectus in actionibus vitalibus non procedit ex defectu talis influxus immediati animæ: ſed ex hoc quòd quando anima applicat aliquam potentiam ad operationem valde intenſam; conſumuntur ſpiritus vitales, qui ad tales operationes requiruntur; etiam ad intellectionem: quia dependet ab imaginatione: & ideo deſunt ad alias operationes vitales, vt ad decoquendos cibos &c. Ad aliud dicendum cum Monteſino 1.2. diſp.3. q.5. quòd hoc ipſo, quòd potentiæ vitales deſinunt eſſe in ſuo ſubiecto, non ſunt ampliùs vitales: quia de ratione vitæ ipſarum ſiue in actu primo ſiue in actu ſecundo eſt, quòd ſint coniunctæ cum primo principio radicali vitæ: vnde niſi actu emanent, & perſeueret hæc actualis emanatio, amittunt vitalitatem: & ſic in tali caſu ſeparationis, ſicut non remanerent vitales; ſic nec elicerent actionem vitæ: nam eſt ſpecialis modus concurrendi in accidentibus vitalibus, quòd in his actio neceſſariò ſubordinatur agenti præcipuo, vt operanti immediatè immediatione principij (quod;) atque adeo vt actu, & formaliter exiſtenti; & conſequenter vt operanti radicaliter, non ſolùm per concurſum radicalem virtualem; quoniam reliquit ſuam virtutem: ſed per influxum radicalem formalem; quatenus non poteſt exire à virtute proxima, niſi ſit actu, & formaliter radicata in ſuo principio, & non ſolùm virtualiter: quia ſcilicet ab eo exiuit: imò hoc ipſo quòd talis virtus non dimanat actu, & continuò à ſuo principio radicali, non eſt virtus illius, ſed ſtatim euaneſcit.

Ad tertium dicendum ſicut ſupra dictum eſt, quòd illa accidentia, vt ſunt virtus ſubſtantiæ, ſunt ſufficienter eleuata ad concurrendum inſtrumentaliter ad productionem ſubſtantiæ: vnde non operantur ſuâ ſolâ virtute, ſed vt ſubordinata; & conſequenter illud agens, cui ſubordinatur, elicit illam operationem, tanquam cauſa principalis, & radicalis ſimul cum illis. Ad confirmationem dicendum, quòd calor producit principaliter alium calorem; quia illum producit, vt calor eſt, ſecundùm ſuam virtutem ſibi connaturalem, vt calor eſt: producit verò inſtrumentaliter ignem; quia tunc agit, vt virtus

sus ignis,& vt illi subordinatus: & non vt calor præcisè: hoc autem conuenit omni instrumento, quòd habeat actionem principalem & instrumentalem, & quòd aliquid faciat principaliter, & aliud instrumentaliter, vt infra patebit: vtrùm autem alteratio, quæ correspondet calori principaliter, & generatio substantialis, quæ ei correspondet, vt instrumento; sint duæ actiones realiter distinctæ; dicetur infra in libris de generatione & corruptione: nam aliqui asserunt, alij verò, & meliùs, negant.

Articvlvs VI.

Vtrùm proprietates fluant ab essentia, tanquam à proprio efficiente per veram actionem mediam distinctam ab ea; per quam à generante procedunt?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd proprietates fluant ab essentia, tanquam à proprio efficiente per veram actionem mediam distinctam ab ea, per quam à generante procedunt: ita tenent Suar. disp. 18. Metaph. sect. 3. Ruuius lib. 2. de anima tract. de potentiis & alij. Probatur authoritate D.Th. 1. p. q. 77. art. 6. vbi sic ait. *Vnde actualitas forma accidentalis causatur ab actualitate subiecti; ita quòd subiectum, inquantum est in potentia, est susceptiuum forma accidentalis: inquantum autem est in actu, est eius productiuum: & hoc dico de proprio, & per se accidente.* Et inferiùs ait: *Vnde manifestum est quòd omnes potentia anima, siue subiectum earum sit anima sola, siue totum compositum, fluunt ab essentia anima, sicut à principio; quia iam dictum est, quòd accidens causatur à subiecto secundùm quòd est actu, & recipitur in eo, inquantum est in potentia.*

§ 2. Præterea, Vel naturalis resultantia proprietatum ab essentia, est vera efficientia, vel non. Si primum, habetur intentum: secundum autem non potest dici, aliàs illa resultantia non esset sequela causalis, sed tantùm illatiua consistens in hoc, quòd posito vno, & aliud ponatur propter naturale debitum: & sic in illa emanatione essentia esset quieta, & otiosa nihil omnino agens; vnde non posset dici quòd proprietates ab illa causaliter fluerent.

§ 3 Præterea, si essentia non causat verè effectiuè suas proprietates, at tantùm causantur à generante: sequitur quòd non subordinatur essentiæ tanquam causæ principali in suis operationibus, at tantùm generantis, nam instrumentum illi tantùm subordinatur vt causæ principali, quòd illud actiuè eleuat: potentiæ autem non possunt eleuari actiuè ab essentia, nisi in ipsa emanatione, vt dictum est: sed etiam supra dictum est, quòd proprietates subordinantur in suis operationibus essentiæ: ergo ab ipsa causantur verè effectiuè. Confirmantur. Sequitur ex opposito proprietates non posse separari ab essentia etiam supernaturaliter, nam fierent eadem actione, quâ fieret ipsa essentia: ergo positâ actione quâ producitur substantia, necessariò etiam producuntur proprietates: contrarium tamen constat in Eucharistia, vbi separatur quantitas ab ipsa substantia corporali, cuius est proprietas.

§ 4. Præterea, Quando aqua de calore reducit se ad pristinam frigiditatem, quæ est eius proprietas; in tali casu se habet verè actiuè respectu illius: quia talis realis effectus non potest produci sine reali actione alicuius causæ vere influentis: hîc autem non apparet alia, quàm ipsa aqua: ergo illa frigiditas per verum influxum procedit ab aqua: si autem in hoc casu ita succedit, eodem modo succedet, quando in primo instanti suæ generationis aqua emanat suam frigiditatem; nec obstat simultas temporis; cùm non tollat realem, & causalem dependentiam vnius ab alio.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, Capreolus in 1. d. 3. q. 3. art. 2. ad 6. Caietanus 1. p. q. 54. art. 3. ad secundam rationem Scoti, Ferrarien. 4. contra gentes cap. 65. nostri Complutenses hîc, & extra scholam D. Thom. Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 6. Toletus 2. de anima q. 9. Conimbricenses ibidem cap. 3. q. 3. art. 3. ad 1.

Conclvsio.

Cùm nulla substantia sit immediatè operatiua, & eiusdem actionis possit esse duplex terminus; vnus primarius & alius secundarius: proprietates non emanant ab essentia per veram actionem mediam, distinctam ab ea, per quam à generante procedunt.

Respondeo dicendum, quòd proprietates non dimanant ab essentia per aliquam actionem mediam: vnde naturalis emanatio non est vera actio distincta ab actione, quâ generans producit essentiam. Ad cuius euidentiam sciendum est proprietates naturali connexione consequi substantiam genitam in instanti generationis: nullus autem dubitat, quin producantur à generante per veram actionem iuxta illud, qui dat formam, dat etiam consequens ad formam; fiunt autem per eamdem actionem, per quam producitur ipsa substantia: nam licèt illa actio primò & per se terminetur ad substantiam, siue essentiam: extenditur tamen secundariò & consequenter ad proprietates: sicut & ipsæ ad essentiam consequuntur ex secundaria intentione generantis. Nullus etiam dubitat easdem proprietates dimanare ab essentia cuius sunt proprietates, aliquo modo effectiuè, vt docet D. Th. 1. p. q. 77. art. 6. quia non fiunt per se primò, sed simul fiunt cum substantia propter naturalem & necessariam connexionem, quam cum illa habent: & ita resultant ab illa per naturalem consequentiam.

Probatur Conclusio authoritate D.Th. 1. p. q. 77. art. 6. vbi postquam in corpore articuli docuit proprietates fluere ab essentia; statim ad 2. explicat se dicens: *Subiectum est causa proprij accidentis, & finalis, & quodammodo actiua, & etiam vt materialis.* Vbi per ly (quodammodo) quæ est particula diminuta excludit veram efficientiam, & causalitatem per veram actionem: illam enim particulam non addidit aliis duabus causalitatibus. Item ad 3. sic ait: *Emanatio propriorum accidentium à subiecto, non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultationem, sicut ex vno naturaliter aliud resultat, vt ex luce color* (Nota non in esse reali, sed in esse visibilis, vt explicant Bannes, & Complutenses:) sed lux non habet aliquam actionem veram circa colorem: ergo nec essentia circa suas proprietates. Item art. 7. ait: potentias animæ, quæ sunt priores secundùm ordinem perfectionis, & naturæ; esse principia aliarum per modum finis, & actiui principij: videmus enim quòd sensus est propter intellectum, & non è conuerso; sensus etiam est quædam deficiens participatio intellectus: explicans autem quomodo vna potentia procedat ab alia, ad 1. sic ait: *Sicut potentia anima ab essentia fluit, non per transmutationem, sed per naturalem quamdam resultationem: ita est etiam de vna potentia respectu alterius.* Idem docet opusc. 48. tract. 1. cap. 6. sed nullus dicet quòd D. Th. docuerit vnam potentiam procedere ab alia per veram actionem, efficientiam & causalitatem: ergo nec ab essentia; nam dicit quòd vna procedit ab alia, sicut procedunt omnes ab essentia.

Secundò, nulla substantia est immediatè operatiua, vt supra dictum est: sed si emanatio passionum esset vera actio, reuera substantia esset immediatè operatiua, vt ipsis terminis constat: ergo talis emanatio non est vera actio: nec resultantia proprietatum est per veram actionem. Nec valet respondere quòd in tali actione essentia non est causa principalis, sed tantùm est instrumentum generantis. Nam contra. Si esset instrumentum, esset proprium instrumentum & rigorosum: cùm non sit virtus generantis, & consequenter deberet habere præuiam, & sibi propriam actionem, respectu cuius sit causa principalis, vt infra dicetur: nam licèt scissio, vt artificiosa fiat instrumentaliter à serra; tamen, vt scissio est, fit ab ea vt à causa principali: ergo si repugnat substantiæ habere immediatè actionem sibi vt causæ principali correspondentem, repugnat etiam quòd habeat aliam instrumen-

inſtrumentalem, reſpectu cuius immediatè influat. Deinde ratio D. Th. ita cooludit de actione ioſtrumeotali, ac principali.

Tertiò, ſi emanatio proprietatum eſt vera actio, ſequitur quòd nullius actiouis naturalis poſſit dari duplex termiuus, quorum vnus ſit primarius, & alius ſecundarius: quod tamen eſt contra communem ſententiam Philoſophotum; quod ſic oſtenditur. Vel ille terminus, qui dicitur ſecundarius, emanat à primario, vel non: ſi dicitur quòd non emanat: ergo non eſt terminus ſecundarius, quia terminus ſecundarius debet ſequi, & reſultare poſt primarium: primum autem dici non poteſt, quia, quod terminat veram actionem ad ipſum ſolum terminatam, eſt terminus primarius; ac proinde non eſt terminus reſultans ex alio termino. Nec poreſt dici talem terminum eſſe ſecundarium, quia licèt fiat per propriam actionem; illa tamen actio eſt talis conditionis, vt petat neceſſariò aliam priorem, ad quam ſequatur. Nam contra. Vel influxus prioris actioois attingit terminum illum, qui dicitur ſecundarius, vel non: ſi attingit, eſt ſuperflua illa ſecunda actio, quæ fingitur, cùm per primam producatur: ſi non attingit: ergo non poteſt dici terminus illius, ſiue primarius, ſiue ſecundarius. Confirmatur. Poſitâ viſione beatificâ neceſſariò ſequitur amor beatificus, & hæc poſterior actio, ſcilicet dilectio, eſſentialiter pendet à priori, ſed hoc non obſtaure amor beatificus non poteſt dici terminus ſecundarius reſpectu prioris actionis, nam actus voluntatis eſt omnino extra ſphæram intellectus; ergo malè dicitur propter illam rationem dari terminum aliquem ſecundarium, etiamſi emanatio ſit vera actio.

Ex dictis patet, quòd eſſentia in hac emanatione non pertinet propriè & ſtrictè ad ordiuem principij actiui: aliquo tamen modo pertinet: quia vt docet D.Th. opuſc. 48. tract. 1. cap. 6. licèt in propriis paſſionibus inueniatur tam eſſe illarum quàm neceſſitas conueniendi ſemper à ſubiecto, & vtrùmque per veram actionem fiat à generante; tamen generans non attingit ſimul has duas rationes, niſi medio ipſo ſubiecto; quia ſi ſubiectum non haberet neceſſariam habitudinem ad tale proprium, quantumcúmque generans produceret ſubiectũ cum propria paſſione, non imponeret tamen paſſioni neceſſitatem prædictam: nam ſublatâ iſtâ habitudine, illud quod dicitur propria paſſio, per accidens & contingenter ſe haberet ad ſubiectum; vnde ex quo capite ſubiectum, ſiue eſſentia non elicit tunc veram actionem mediam, non eſt verè & propriè actiua: & ex quo capite eſt aliquo modo ratio reſpectu efficieutis, propter quam prædicta duo per veram actionem attingat; non ſe habet porè paſſiuè reſpectu ſuarum paſſionum, ſed dicit aliquo modo ad illas habitudinem cauſæ efficientis: nam quod eſt receptiuum tantùm alicuius formæ, non imponit ei neceſſitatem eſſendi, & conueniendi ſemper ſubiecto. Confirmatur doctrinâ D.Th. 1. p. q. 77. art. 7. vbi docet, quòd quando plura ordine quodam procedunt ab vna cauſa, id quod priùs procedit, eſt aliquo modo cauſa cæterorum in eodem genere cauſæ: quia quaſi defert cauſalitatem talis cauſæ ad reliquos effectus: non quòd nouam eliciat actionem, ſed quia cauſa illa non poteſt attingere per ſuam cauſalitatem poſteriorem effectum, niſi priùs attingat priorem: dicimus igitur quòd eſſentia primò attingitur à generante, & illâ neceſſariò mediante, vt eſt ens in actu, producuntur proprietates: & ſic aliquo modo defert actionem generantis ad ſuas proprietates: dependentia autem & reſultantia, quâ aliquid pendet ab alio tanquam à termino priori, cum quo habet neceſſariam connexionem, pertinet aliquo modo ad ordinem efficientis: nam proprium eſt efficientis agere quatenus eſt in actu per ſuam naturalem actualitatem; ergo cùm proprietates pendeant ab eſſentia, vt ab ente in actu, & quaſi à deferente actionem agentis, aliquo modo eſſentia pertinet ad ordinem efficientis reſpectu ſuarum proprietatum: quod declarat D. Thom. opuſc. citato ſic: *In genere cauſa materialis paſſiua poteſt dupliciter dici quòd aliquid patiatur; vel quia recipit aliud, vel quia diſponit ad receptionem illius: nam non ſolùm cera recipiens figuram dicitur paſſiuè ſe habere, ſed etiam mollities: quia licèt in ea non recipiatur, eſt tamen aliquo modo ratio recipiendi, quia diſponit ad illam, & ſic in aliis:* Ergo ſimiliter aliquid dupliciter pertinet ad principium actiuum & productiuum; vel quia propriè & per veram actionem concurrit; vel quia aliquo modo eſt ratio reſpectu agentis, ob quam attingat effectum; quatenus non poteſt producere effectum poſteriorem, niſi cum aliquali dependentia eiuſdem effectus ab illo, vt ab effectu, & termino priori: ita vt hic modus dependendi aliqualiter participet modum dependendi ordinis efficientis; quia eſt dependentia ab alio, vt ab ente in actu. In hoc igitur conſiſtit hæc naturalis emanatio & reſultantia; quòd licet per eamdem actionem numero, tum eſſentia, tum omnes proprietates producantur, tamen hoc neceſſariò fiat ordine quodam: ita vt non poſſit per illam actionem produci prima proprietas, niſi priùs producatur eſſentia, ſicut neque ſecunda, niſi priùs producatur prima &c. vnde hæc naturalis emanatio conſiſtit in hoc ordine exeundi proprietatum poſt eſſentiam ex vi vnius & eiuſdem actionis præciſè: taliter quòd proprietates aliquo modo exeant dependenter ab eſſentia; inquantum ipſa, vt eſt ens in actu, imponit ratione nexus iam explicati neceſſitatem agenti, ad hoc vt eâ poſitâ, & non aliter, debeat ſtatim per ſe loquendo producere proprietates ex vi eiuſdem actionis: vnde hæc emanatio quaſi actiuè ſumpta, & ſecundùm ea, quæ in recto & formaliſſimè importat, non eſt aliquid diſtinctum ab ipſa eſſentia: connotat tamen actionem agentis terminatam ad illam, vt ad terminum priorem; & ad proprietates, vt ad terminum poſteriorem verè & propriè per illam actionem productum; & remotionem omnium impedimentorum occurrentium: quia eſſentia præciſè ratione ſuæ actualitatis & exigentiæ, quâ poſtulat ſuas proprietates; neceſſitat & determinat agens, vt illas ſtatim producat, & habet quaſi deferre actionem eius ad ipſas: ſi verò hæc emanatio quaſi paſſiuè ſumatur, non eſt diſtincta ab eiſdem paſſionibus, ſed illas dicit: connotando tamen, tum eſſentiam, vt exigentem illas, tum actionem agentis primariò terminatam ad eſſentiam: vnde eſt communis ſenſus Thomiſtarum, ideo potentias fluere, produci, aut cauſari ab eſſentia: quia eadem productio, quæ primò terminatur ad eſſe ſubſtantiæ; terminatur ſecundariò ad eſſe potentiarum & proprietatum: ita ſub eiſdem verbis explicant noſtri Complutenſes. Et ex his patet ad primum, quomodo ſit intelligendus D.Th.

Ad ſecundum dicendum, quòd hæc efficientia non eſt quidem per veram actionem, ſed modo explicato: vnde falſum eſt quòd eſſentia ſit otioſa in productione ſuarum proprietatum, & nihil agat, & quòd ibi ſit tantùm ſequela illatiua.

Ad tertium dicendum, quòd eſt duplex genus ſubordinationis; primum eſt, quo vnum ſubordinatur alteri, vt purus effectus ſuæ cauſæ, à qua verè & propriè efficitur; aliud, quo ſubordinatur alteri, vt effectus dimanans, & vt virtus inſtrumentaria ſuæ radici & cauſæ principali per illam operanti; & hoc poſteriori modo proprietates ſubordinantur eſſentiæ, à qua fluunt; illo verò priori modo ſubordinantur generanti, à quo fiunt; nec generans ſatisfaceret ſuo muneri, niſi ex vi ſuæ actionis relinqueret v. g. calorem cum ſufficienti ſubordinatione ad ignem genitum per modum virtutis inſtrumentariæ illius: quia qui dat formam debet dare conſequentia ad formam. Ad confirmationem dicendum, quòd proprietates ſupernaturaliter poſſunt ſeparari ab eſſentia, quia ſunt terminus ſecundarius: nam licèt actio non poſſit impediri, quin producat terminum primarium, poteſt tamen impediri, ne attingat ſecundarium: ſicut licèt forma vnita ſuo ſubiecto non poſſit non tribuere ſuum effectum formalem primarium, poteſt tamen impediri, ne tribuat ſecundarium.

Ao quartum dicendum, quòd illa frigiditas emanat ab aqua per naturalem resultantiam, sed efficienter à generante per actionem generatiuam, quæ adhuc virtualiter manet eo ipso, quòd maneat ipsa aqua, quæ est terminus primarius: nam manet imposita sufficiens necessitas, & determinatio ad hoc, vt remotis impedimentis statim resultet talis frigiditas: vnde existentia generationis aquæ in seipsa tantùm desideratur ad ponendum terminum simpliciter primarium executionis, scilicet vltimam dispositionem ad formam aquæ: quia cùm cætera habeant necessariam connexionem cum illa, statim hac positâ, ordine quodam ex vi talis positionis resultant: nec in tali casu acquiritur simpliciter frigiditas, sed tantùm intensio illius: quia frigiditas aquæ non potest totaliter perire manente ipsâ aquâ, saltem naturaliter; cùm sit eius proprietas: de hoc habemus exemplum in relatione, quæ posito de nouo aliquo termino resultat sine noua actione; sed ex vi actionis, quâ productum fuit eius fundamentum, in quo virtualiter manet; & hæc naturalis resultantia necessariò est admittenda in multis. Deinde aduersarij, qui toties recurrunt ad causas superiores, possunt ad illas in hoc casu recurrere, dicentes, quòd Deus reducit aquam ad pristinum frigus: quia aqua necessariò exigit illud, & desunt causæ secundæ, quæ hoc faciant, & hunc defectum supplet Deus: hoc inquam meliùs esset dicere, quàm admittere aliquam substantiam esse immediatè operatiuam per veram actionem mediam, quod probatum est supra esse impossibile.

Articvlvs VII.

Vtrùm vnum accidens respectu alterius sibi similis possit esse causa principalis?

Ad Septimvm sic proceditur. Videtur quòd vnum accidens respectu alterius sibi similis non possit esse causa principalis. Ita tenent Fonsec. 5. Metaph. cap. 2. q. 6. Conimbricenses 2. Physicor. cap. 7. quæst. 18. art. 3. Probatur. Calor v. g. calefacit vt virtus ignis, quia totum esse accidentis in ratione entis considerati, est esse entis ens; & consequenter totum esse illius, vt operatiui, & vt habet virtutem ad agendum, est esse virtutem substantiæ: nam ratio virtutis operatiuæ sequitur ad esse, & fundatur in eo, ac proinde calor calefacit, vt causa instrumentalis: quod enim agit vt virtus, aut in virtute alterius, est illius instrumentum: ergo vnum accidens respectu alterius sibi similis non potest esse causa principalis.

¶ 2. Præterea, Non potest dari, saltem naturaliter, multiplex causa totalis principalis vnius & eiusdem effectus in eodem ordine: nam ideo dicitur totalis, quia præstat totum influxum: sed in productione caloris substantia ignis est causa totalis, & in ordine causarum particularium est principalis, quia ignis non solùm potest ignire, sed etiam calefacere; nam forma quæ attingit vltimum effectum ad quem dispositiones aliquæ ordinantur, necessariò debet producere tales dispositiones: ergo est impossibile, quòd calor concurrat vt causa principalis ad calefaciendum.

¶ 3. Præterea, Ignis continet eminenter calorem, siue essentia ignis est eminenter essentia caloris: ergo potest illum producere per modum causæ principalis: vnde est superflua quæcumque alia causa principalis particularis; & ita, si calor concurrat, concurret tantùm instrumentaliter.

Sed contra est authoritas D. Thom. 3. p. q. 62. art. 1. quem sequuntur communiter eius discipuli. Caietanus 1. p. q. 55. art. 3. Masius, nostri Complutenses in præsenti: ex aliis etiam Scotus in 4. d. 12. quæst. 3. Durandus in 1. d. 2. num. 16. & 17. Ruuius, & alij.

Conclvsio.

Cùm accidentia sibi similia non se excedant in perfectione: vnum accidens respectu alterius sibi similis potest esse causa principalis.

Respondeo dicendum, quòd vnum accidens concurrit per modum virtutis, & rationis agendi principalis ad productionem alterius accidentis sibi similis secundùm suam speciem considerati. Probatur. Causa instrumentalis eleuatur ad producendum effectum perfectiorem se, siue excedentem eius virtutem: quia cùm instrumentum agat vt causa deficiens, & non accedens ad ordinem causarum agentium virtute propriâ, semper influit in aliquid excedens suam virtutem: sed calor v. g. in productione alterius caloris non operatur, vt eleuatus ad effectum excedentem propriam virtutem: cùm vterque sit eiusdem speciei, & calor productus non excedat intensionem, aut virtutem producentis, vt supponitur: ergo non influit vt causa instrumentalis, sed vt causa principalis. Nec dependentia, quam habet calor ab igne, tollit hunc influxum principalem: nam licèt contingat aliquando, quòd causa eiusdem speciei cum effectu non possit propriâ virtute illum producere; quia est valde imperfecta in modo operandi; vnde effectus excedit virtutem eius: hoc tamen non accidit in præsenti; nam calor in sua operatione tantùm dependet ab igne vt à sustentante: vnde si per impossibile non esset dabilis substantia, si tamen esset possibilis calor, esset adhuc productiuus alterius caloris: & ideo nec quoad effectum, nec quoad modum operandi subordinatur alteri, tanquam causæ particulari & principali, vnde ipse influeret per modum causæ principalis: ergo etiam dum coniungitur cum igne, aut aliâ substantia, cuius est virtus, operatur saltem vt ratio agendi proxima & præcipua: patet consequentia; nam propterea negamus calorem coniunctum cum substantia Solis producere ignem propriâ virtute: quia si esset impossibilis Sol; non posset illa lux, & calor virtualiter residens in Sole producere substantiam ignis: ergo econtra, si calor produceret calorem propriâ virtute, etiamsi non esset substantia, bene colligimus eum producere aliquem calorem per modum rationis agendi principalis.

Secundò, forma substantialis ignis v. g. licèt non proximè attingat ipsam productionem, sed tantùm radicaliter: nam illam attingit mediante calore; & tamen principaliter concurrit: quia non subordinatur alteri virtuti eiusdem ordinis & rationis, & producit effectum non excedentem suam virtutem: ergo similiter, licèt calor influat per modum virtutis proximæ, quia tamen concurrit, vt quid adæquans effectum secundùm suam speciem consideratum, & solùm subordinatur alteri, vt radicali principio: nec quoad substantiam, nec quoad modum, ita exceditur ab illo, vt non concurrat per modum causæ principalis proximæ. Confirmatur. Illa virtus, cui maximè assimilatur effectus, non potest concurrere instrumentaliter ad productionem illius: quia agens intendit assimilare passum in aliqua ratione principali agenti: ergo vnum accidens respectu alterius sibi similis est causa principalis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad rationem formæ instrumentariæ non sufficit operari, vt virtus alterius vtcúmque, sed vt virtus alterius in ordine ad effectum excedentem talem virtutem: quia quando effectus non excedit illam, dicitur tantùm virtus alterius, quia per illam præcisè constituitur suppositum illud, in quo est in ratione operantis [vt quod] principalis: vnde ignis, vt calidus calefacit, tanquam causa principalis (vt quod:) licèt vt calidus non sit causa principalis igniendi: sed id habeat à sola forma ignis: & sic calor aliâ ratione est virtus ignis ad igniendum, & aliâ ad calefaciendum.

Ad secundum dicendum, quòd causa & virtus eius agendi proxima, qualis explicata est, non censentur duæ causæ, sed vna eiusdem ordinis: vnde ignis concurrit ad calefaciendum principaliter, sed radicaliter per suam formam: proximè verò per calorem; vnde per vtrúmque constituitur vna & eadem causa completa.

Ad tertium dicendum, quòd licèt ignis contineat eminenter in sua substantia calorem: quia tamen non est per suam substantiam immediatè, sed tantùm radicaliter & mediatè operatiuus, ideo necessariò indiget ca-

lore, vt ratione principali ad calefaciendum, & ratione inſtrumentaria ad igniendum: & ita calor eſt cauſa principalis [vt quo] actionis calefactiuæ, ac caloris producti: inſtrumentalis autem ignitionis, & ignis producti: vtrùm autem calefactio, & ignitio ſint duæ actiones realiter diſtinctæ, & vniuerſaliter alteratiu, & generatio? examinabitur in libris de generatione.

ARTICVLVS VIII.

Quæ ſit cauſalitas cauſæ efficientis conſtitutæ in actu primo per omnes ſuas virtutes?

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd actio ſit cauſalitas cauſæ efficientis conſtitutæ in actu primo per omnes ſuas virtutes. Ita tenent Suares diſp. 18. Metaph. ſect. 10. Conimbricenſes, Ruuius, & alij. Probatur. Illud eſt cauſalitas agentis, quod illud denominat agens, & actu conſtituit in eſſe talis: ſed huiuſmodi eſt actio; per illam enim conſtituitur cauſa actu agens: cùm ſit actus ſecundus perficiens potentiam agendi: ergo actio eſt cauſalitas cauſæ efficientis conſtitutæ in actu primo per omnes ſuas virtutes.

¶ 2. Præterea, Illud eſt cauſalitas cauſæ efficientis, quo proximè, & per ſe attingit effectum; nam cauſalitas eſt via, & tendentia ad effectum: ſed actio eſt illud, quo proximè cauſa efficiens attingit effectum, vt patet: ergo actio eſt cauſalitas cauſæ efficientis.

¶ 3. Præterea, Si aliquid aliud ab actione eſt cauſalitas cauſæ efficientis, vel eſt quid prævium ad actionem, vel ſubſequens, vel concomitans illam. Non primum; quia ſaltem requiritur actio ad cauſalitatem iſtam, nec agens cauſat, niſi dum agit, nec illud prævium pertinet ad actu cauſandum, ſed potiùs ad rationem & virtutem cauſandi. Non ſecundum; quia quod ſubſequitur actionem, vel eſt effectus, vel aliquid poſterius illo, quæ non poſſunt eſſe cauſalitas, cùm debeat eſſe prior effectu. Non tertium; quia illud concomitans ſe haberet per accidens ad actionem, & conſequenter ad cauſalitatem, quæ neceſſariò exigit actionem: ergo ipſa actio eſt cauſalitas cauſæ efficientis.

SED CONTRA eſt communis opinio Thomiſtarum, quam explicant noſtri Complutenſes in præſenti: quæ tamen non differt quantùm ad ſubſtantiam à prima opinione, ſed ſolùm procedit cum maiori proprietate.

CONCLVSIO.

Cùm agere denotet cauſam efficientem actu cauſantem, & condiſtinguat ab alüs generibus cauſarum, eſt cauſalitas illius, vt conſtituta in actu primo per omnes ſuas virtutes.

RESPONDEO dicendum, quòd propriè & rigoroſè loquendo, cauſalitas cauſæ efficientis conſiſtit in ipſo agere, ſiue in educere effectiuè rem de non eſſe ad eſſe, ſiue denique in exercere ipſam actionem, quatenus in hoc inuoluitur ipſum agens vt coniunctum actioni, & vt illam exercendo attingit effectum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd actio & agere, ſiue efficere ſe habent vt concretum & abſtractum: & ita licèt quoad rem non differant, differunt tamen quoad modum ſignificandi: vnde actio ſignificat formam quamdam, quæ ſuo modo afficit agentem, in quo ſubiectatur: agere autem ſignificat ipſam actionem elicitam, & exercitam ab agente: & ſic agere eſt habere actionem: & propterea dicit D. Thom. quæſt. 5. de veritate art. 9. ad 4. quòd agere ſecundùm propriam rationem importat hoc, quod eſt habere actionem, ſeu actionem aliquam exercere: & quæſt. 2. de potentia art. 1. docet agere nihil aliud eſſe, quàm communicare illud, per quod agens eſt actu.

Probatur concluſio. Illud eſt cauſalitas cauſæ efficientis, quo poſito ſtatim intelligitur efficiens condiſtinctum in modo cauſandi actualiter ab aliis generibus cauſarum: idem enim eſt principium conſtitutiuum rei in ſe, & diſtinctiuum eius ab aliis: ſed cauſa efficiens per agere diſtinguitur ab omnibus aliis cauſis; nam nec forma, nec materia concurrunt ad eſſe effectus agendo, at hæc concurrit materialiter, illa formaliter; nec etiam finis agit, aut efficit rem, at eſt id, cuius gratiâ res efficitur: ergo in agere, ſiue efficere rem conſiſtit cauſalitas cauſæ efficientis. Confirmatur. Illud quod vltimò ponit in actu cauſandi cauſam, debet eſſe eius cauſalitas: ſed agere, ſiue exercere actionem eſt vltimum, quod ponit in actu cauſam efficientem: nihil enim aliud poteſt excogitari: ergo agere eſt cauſalitas cauſæ efficientis.

Secundò, cauſa ipſa eſt, quæ agit mediâ actione: ſed hæc non cenſetur agere, niſi inquantum habet, aut exercet illam, ſiue per illam attingit effectum: quia ſi per impoſſibile realiter, vel per intellectum ſepararetur actio ab omni ſubiecto, tunc daretur actio, & tamen non eſſet cauſalitas cauſæ efficientis, quia nihil fieret per illam: ergo cauſalitas agentis præciſè non conſiſtit in ipſa actione, at in habere, ſiue exercere illam: vnde D. Thom. 3. Phyſicorum lect. 4. ait: motiuum dici ſecundùm potentiam, inquantum potens mouere: mouens autem in ipſo agere, id eſt, inquantum agit actu. Item 5. Phyſic. lect. 1. dicit efficiens eſſe cauſam, inquantum agit: ex quo ſequitur, quod licèt cauſalitas, vt ſic, potiùs dicat formam in abſtracto, quàm in concreto: tamen cauſalitas, vt exercita, ſecundum quòd de ea hic loquimur, neceſſariò inuoluit agens, & ſumitur in concreto, aut quaſi in concreto; ſi igitur aduerſarij loquantur de actione, vt exercita ab agente, & ſuo modo illi coniuncta, & vt per illam attingit effectum, conueniunt nobiſcum, cùm ſit idem ac agere: hoc tamen totum non explicat ſola actio: & per hæc patet ad argumenta in contrarium. Nam actio non denominat, nec conſtituit agens, nec per illam attingit proximè, & per ſe effectum, niſi ſit exercita; quæ vt ſic inuoluit agens, & meliùs exprimitur per agere: ipſum autem agere eſt poſterius ratione ipsâ actione; non vt effectus eius, ſed vt concretum ipſo abſtracto: priùs enim intelligitur actio oriri ab agente, quàm illi vniri, & eſſe id, quo agit actu, & attingit effectum.

QVÆSTIO XI.

De Dependentia cauſæ ſecundæ neceſſariæ à prima.

POSTQVAM explicatum eſt quomodo, & per quid cauſa ſecunda neceſſaria agit intra limites ſui ordinis, ſupereſt inquirendum an indigeat aliquo influxu cauſæ primæ, ad hoc quod agat; & ſimul explicabitur quomodo effectus reſpondeat cauſæ particulari, & cauſis vniuerſalibus. Circa quod quæruntur quinque.

¶ Primò, vtrùm cauſa ſecunda neceſſaria conſtituta in actu primo, per ſuas virtutes actiuas poſſit agere ſine concurſu primæ?

¶ Secundò, Vtrùm cauſa prima, non ſolùm ſimul concurrat cum cauſis ſecundis neceſſariis, ſed etiam eas præmoueat ad agendum ſecundùm doctrinam Ariſtotelis & D. Thomæ?

¶ Tertiò, Vtrùm ratione naturali demonſtretur neceſſitas talis præmotionis Phyſicæ?

¶ Quartò, Vtrùm aliæ cauſæ vniuerſales poſt primam moueant inferiores?

¶ Quintò, Vtrùm cauſæ vniuerſali reſpondeat effectus vniuerſalis, & particulari particularis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm cauſa ſecunda neceſſaria conſtituta in actu primo per ſuas virtutes actiuas, poſſit agere ſine concurſu primæ?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd cauſa ſecunda neceſſaria conſtituta in actu primo per ſuas virtutes actiuas, poſſit agere ſine concurſu primæ.

Ita

Ita tenet Durandus in 2. d. 1. q.5.& d. 37. q. 1. Mundum cum omnibus suis causis fuisse productum à Deo proximè, & immediatè; sed postquam esse, & virtutem operandi proportionatam effectibus producendis acceperunt, ipsæ per eam suos effectus producunt, absque eo quòd Deus quidquam agat nisi conseruando earum esse, & virtutem operandi. Probatur. Causa principalis attingit suum effectum propriâ virtute: per hoc enim distinguitur à causa instrumentali, quæ agit in virtute alterius: sed inter causas secundas multæ sunt principales, vt communiter docent Philosophi: ergo propriâ virtute attingunt suos effectus: & ita non indigent concursu primæ causæ.

§ 2. Præterea, Non est necessarius concursus duorum agentium ad eumdem effectum, nisi vtrúmque sit partiale, vel alterum ita imperfectum, vt non possit agere nisi alterius ope fulciatur: sed Deus non potest esse agens partiale, nec creatura; dum totus effectus ab illa procedit; & inter causas secundas multæ sunt æqualis, & aliæ maioris perfectionis, quàm effectus: ergo in sua operatione non indigent concursu primæ causæ.

§ 3. Præterea, Si prima causa concurrat cum causis secundis, vel hoc facit vnâ, & eadem actione, vel actione distinctâ. Non primum, quia plura non agunt per eamdem actionem, nisi habeant eamdem vim operandi, quod non accidit in prima, & secunda causa. Nec secundum, quia actiones non distinguuntur nisi per terminos; idem autem esset terminus, vt patet. Deinde actio Dei, cùm sit independens, esset prior actione causæ secundæ: & sic produceret totum effectum, & nihil relinqueret producendum secundæ.

Sed contra est communis omnium, tum Philosophorum, tum Theologorum consensus.

Conclusio.

Cùm prima causa sit ens per essentiam, & actio causæ secundæ, sicut & quodlibet aliud sit ens per participationem: causa secunda constituta in actu primo per suas virtutes actiuas non potest agere sine concursu primæ.

Respondeo dicendum, quòd causa secunda necessaria constituta in actu primo per suas virtutes actiuas non potest agere sine concursu primæ: & sic Deus actu, & immediatè concurrit ad singulas creaturarum actiones. Probatur. Omne ens per participationem dependet essentialiter ab ente per essentiam, tanquam à causa: sed Deus absolutè, & secluso quocúmque respectu ad causas secundas interpositas in causando, est ens per essentiam: actiones verò cuiuscúmque creaturæ sunt immediatè entia per participationem, seclusu quocúmque respectu ad causas secúdas: ergo per seipsas, & omnino immediatè depédent à Deo tanquam ab actuali causa. Confirmatur. Deus quatenus præintellectus ipsi decreto, quo statuit vt creaturæ haberent vim productiuam suorum effectuum, erat talis naturæ, vt ex ipso tanquam ex causa immediata haberet dependentiam necessariam quoduis ab illis producibile; quia Deus sub illa consideratione respiciebat æqualiter omne illud ens factibile, vt causa simpliciter, & necessariò requisita ad illius productionem: nec magis respiciebat vnum effectum, vt causa immediata, quàm alium alioquin necessitaretur Deus ad instituendum ordinem causarum secundarum respectu aliquorum effectuum supposito quòd vellet eis communicare esse: sed per huiusmodi decretum non est mutatus essendi modus in Deo; nam ex vi decreti liberi, nihil pertinens ad naturalem modum essendi Dei potest immutari, cùm Deus sit immutabilis: ergo licèt illud decretum ponatur, tamen omne ens factibile, mediis etiam causis secundis, habet per se necessariam dependentiam ab illo, non vtcúmque sed ita vt interpositio harum causarum secundarum non tollat hanc immediatam dependentiam effectus ab eo.

Ad primum ergo dicendum, quòd si maior sic intelligatur, vt causa principalis sit tantùm illa, quæ ita operatur propriâ virtute, vt non indigeat ope, & concursu causæ alterius ordinis; est falsa: hæc enim definitio sic intellecta non conuenit causæ secundæ principali, sed tantùm primæ: si verò sit sensus, quòd ita operatur virtute propriâ, vt non dependeat in tali virtute ab alia causa particulari eiusdem ordinis, quasi transeunter ipsi communicetur; est vera.

Ad secundum dicendum quòd maior est vera in causis eiusdem ordinis, & non subordinatis: non verò in causis diuersi ordinis, & essentialiter subordinatis: ratio disparitatis est, quia causa particularis, si sit æquè perfecta, ac effectus, præstat omnem concursum quem petit effectus producendus, vt à tali causa præstetur, & quem causa ipsa postulat præstare: vnde si alia causa particularis concurrit, signum est vel causam illam primam partialem esse, vel tantæ imperfectionis, vt ex propria virtute non possit attingere effectum: sed in causis subordinatis, & diuersi ordinis, licèt quælibet sit totalis, non excluditur tamen concursus alterius causæ: quia eius totalitas solùm petit, vt in suo ordine totalitatem habeat, & quia est subordinata, petit alterius concursum, & quòd illa actio ab vtráque procedat.

Ad tertium dicendum, quòd causa prima, & secunda concurrunt per eamdem actionem: quando autem instatur quod plura non agunt per eamdem actionem, nisi habeant eamdem vim operandi: dicendum hoc tantùm esse verum in illis causis, siue suppositis, quæ sunt eiusdem ordinis in ratione agendi.

Articvlvs II.

Vtrùm causa prima non solùm simul concurrat cum causis secundis necessariis, sed etiam eas præmoueat ad agendum secundùm doctrinam Aristotelis, & D. Thomæ?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quod secundùm doctrinam Aristotelis causa prima non præmoueat secúdas ad agendum. Ita tenent multi extra scholam D. Thom. Probatur authoritate ipsius Aristotelis, qui 3. Physicorum textu 18. loquens de prædictis causis, dicit, agens, vt agens non mutari: ergo Deus non præmouet ad agendum causas secundas: si enim daretur talis præmotio, mutarentur, reciperent enim aliquid intrinsecè.

§ 2. Præterea, Ex doctrina Aristot. & D. Thom. causæ naturales, & necessariæ sunt omnino determinatæ ad agendum: ergo non indigent illâ præmotione, cùm non sit necessaria nisi ad prædeterminandum causas secundas.

Sed contra est expressa authoritas ipsius Philosophi iuxta vnanimem consensum Thomistarū cum D.Th.

Conclusio.

Cùm Aristoteles & D. Thom. in hoc ponant subordinationem causarum secundarum ad primam, quòd causa secunda non moueat nisi mota à prima: secundùm eorum doctrinam causa prima præmouet secundas ad agendum.

Respondeo dicendum, quòd stando in doctrina Aristotelis & D. Thom. causa prima præmouet secundas necessarias ad agendum. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd iste influxus præuius non est in effectum productum à causa secunda: sed est in ipsam causam immediatè: sicut concursus simultaneus concomitans est immediatè in effectum eiusdem causæ secundæ: ita vt per illum Deus, & causa secunda simultaneè concurrentes producant eumdem effectum, de quo articulo præcedenti: concursus autem præuius, quo Deus præmouet causas secundas ad agendum non solùm est motio, sed præmotio, siue quid præuium ad agendum: cùm debeat præcedere actionem causæ secundæ; imò est prædeterminatio Physica, quia ex qua parte non datur ad agendum, vel non agendum, sed ad hoc vt determinatè agat, est determinatio causæ; & ex qua parte est influxus Physicus, est determinatio realis & Physica; & tandem ex qua parte præcedit determinationem, siue actionem causæ secundæ, debet esse non solùm determinatio, sed prædeterminatio illius: quod intelligendum est actiuè: siue est aliquid, quo causæ secundæ præmouentur & prædeterminantur.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis 8. Physic. textu 33. vbi agens de causa prima, & aliis, ac de earum

subordinatione sic ait: *Vtrúmque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum; illud enim mouet vltimum; sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit; illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit non mouente homine.* Idem docet 7. Physic. cap. 1. item 8. cap. 5.

Respondent aduersarij ad hunc locum tripliciter. Primò, quòd Aristoteles nec verbum vllum de huiusmodi præmotione scripsit, & maximè in dictis locis, vbi exactè tractat de subordinatione causarum secundarum ad primam, siue inferiorum mouentium ad primum mouens immobile. Secundò, quòd Aristoteles sit intelligendus de motione communiter dicta, quâ causæ secundæ necessariæ producuntur in esse, & conseruantur à prima causa. Tertiò, quòd sit intelligendus de concursu simultaneo; imò aliqui dicunt, quòd licèt Deus solùm influat per concursum simultaneum: tamen ille influxus, & actio creaturæ priùs est à Deo, quàm ab ipsa causa secunda, quæ per illam actionem, vt est à Deo, mouetur & determinatur ad eliciendam eamdem actionem, provt est ab illa.

SED CONTRA. Prima solutio est insufficiens: nam Aristoteles locis citatis præcipuè 8. Physicorum ex secundis mouentibus inuestigat primum motorem omnino immobilem, æternum, infinitum &c. vt patet ex vltimis capitibus, & vltimis verbis illius libri. Probat autem esse talem primum motorem; quia inferiora mouentia non mouent nisi priùs mota, siue præmota; & cùm non sit procedendum in infinitum in mouentibus: aliàs nunquam vltimum mouens moueret; cùm infinitum non possit pertransiri: concludit deueniendum esse ad primum motorem immobilem: & sic non agit solùm de corporibus mouentibus & mobilibus, vt aliqui dicunt.

Similiter secunda solutio non est ad mentem Philosophi; quia ibi agit de his causis secundis, inquantum dependent à prima in operando: & ideo non agit de illis quatenus sunt talia entia per participationem; sed quatenus sunt agentia mota, in quo etiam illam priorem dependentiam inclusit; ac proinde habent hoc quod est agere à primo motore: & sic inuulit dari vnum primum mouens omnino immotum, & consequenter non habens ab alio hoc quod est agere: quia in his essentialiter subordinatis implicat dari processum in infinitum, & patet in exemplo Philosophi de baculo, qui non mouet nisi moueatur à manu: sed baculus non dependet à manu in essendo at in mouendo: ergo Aristoteles loquitur de dependentia causarum secundarum à prima non in essendo, sed in mouendo & operando: quamuis hæc oriatur ex illa.

Tertia item solutio est insufficiens; quia priùs causa secunda necessaria intelligitur mota à Deo, quàm agat: quia mouetur ad agendum. Aristoteles enim 3. Physicorum textu 18. ait, quòd motus mouentis antecedit motum mobilis: ergo actio causæ secundæ, siue influxus, & concursus simultaneus primæ, non est id per quòd causa secunda mouetur ad agendum, sed sequitur ex vi alterius actionis prioris, quâ Deus præuiè agit in illam: quia nihil mouet aliud, nisi agendo in illud; sicut nullus potest trahere nauim, nisi in illam agat: patet autem quòd concursus concomitans, aut simultaneus non est influxus in causam, sed in effectum, vt ipsi fatentur aduersarij: deinde moueri, est intrinsecè mutari, & consequenter est recipere aliquid, per quod habeat se aliter nunc quàm priùs: sed per concursum simultaneum Dei etiam ex aduersariis nihil recipitur intrinsecè in causa secunda: ergo non potest dici quòd per illum moueatur.

Explicatur hæc ratio. Moueri ad agendum denotat, quòd talis motio habeat pro termino, & effectu [quo] ipsam actionem rei motæ; sicut impelli & moueri lapidem sursum hoc modo habet pro termino ipsum ascensum lapidis: sed actio provt à Deo, quæ est concursus simultaneus, non habet pro termino, & effectu seipsam provt à causa secunda: cùm non distinguantur inter se, etiam eo modo, quo animal & rationale distinguuntur: nam in quauis formalitate illius actionis intimè imbibitur, quòd sit ab vtráque causa, scilicet prima & secunda. Deinde dato quòd concursus simultaneus primæ causæ distingueretur ab actione causæ secundæ: cùm tamen sit omnimoda simultas inter ipsa, vt ipsi tenent aduersarij; actio causæ secundæ non posset esse terminus, & effectus concursus simultanei Dei.

Deinde ex hac responsione frustratur intentum Aristotelis, qui prætendit ostendere dignitatem primi motoris in mouendo: quia si Deus concurrat per solum concursum simultaneum; erit mutua dependentia in agendo: Ergo non saluatur prædicta dignitas: quia si mutuò dependent; non est maior ratio, cur vna potiùs moueat aliam, quàm moueatur ab illa: & ita vel vtráque, vel nulla mouebitur ab altera; & sic nulla earum erit excellentior in modo concurrendi: quia causam mouere immotam denotat quòd ita aliquid pendeat ab illa; vt simul ipsa non pendeat in tali motione ab alia: antecedens autem est manifestum; quia sicut actio causæ secundæ non potest esse sine concursu Dei: ita nec iste concursus ex hac suppositione sine influxu eiusdem causæ secundæ; alioquin non esset concursus simultaneus: & ideo licèt Deus posset per concursum alterius rationis illuminare v. g. sine Sole, tamen illuminationem Solis non potest efficere sine Sole: imò in actionibus vitalibus animæ vegetatiuæ, vt in nutritione, implicat quòd Deus efficiat illam sine concursu causæ secundæ viuentis: quia earum esse consistit in hoc, quòd procedant à principio illo viuente coniuncto: ergo si Deus agit per solum concursum simultaneum, est mutua inter vtrúmque dependentia.

Denique ex hac responsione sequitur Aristotelem non bene intulisse, quòd sit deueniendum ad vnum primum motorem, ex eo qòd hæ causæ secundæ non agunt nisi motæ, quod sic probatur. Ideo deueniendum esset ad vnum primum motorem, quia, vt ibidem ait Aristoteles, in his causis essentialiter subordinatis non est abire in infinitum; sed hæc ratio non viget, si Deus solùm concurrat concursu simultaneo: nam in agentibus partialibus non est inconueniens, vt sit processus in infinitum syncategorematicè, vt patet in trahentibus nauim: nam si pondus nauis crescat in infinitum, vt est possibile syncategorematicè, oportet vt etiam numerus illam trahentium eodem modo in infinitum augeatur: imò patet ex hoc exemplo concursum illum simultaneum nec mouere aliam causam simul concurrentem, nec dare excellentiam in modo concurrendi: & ita licèt Deus remotè concurreret modo excellenti; quia dat virtutem, & esse creaturis, quæ sunt causæ secundæ: tamen vt formaliter, & proximè influit, non concurreret tunc independenti modo, nec vt mouens cæteras illas causas; ac proinde non concurreret vt causa prima.

Impugnatur tandem id quod subditur in hac tertia responsione: nam prioritas, quæ in illa ponitur, non est in re, sed solùm in intellectu considerante: ergo non sufficit vt saluetur quòd Deus per suum concursum moueat has causas secundas ad agendum: nam cùm motio Dei sit causa actionis earum, debet esse inter vtrámque distinctio, & vera ac realis prioritas à parte rei; quia fundatur in dependentia causæ secundæ à prima. Deinde ex contrariis sequitur quòd causæ secundæ nihil agerent: nam prioritate naturæ præsupponeretur actio Dei in effectum; & consequenter præsupponeretur iam factus: vnde esset incapax, vt ab illis reproduceretur.

Probatur secundò authoritate D. Thom. qui infinitis pene locis docet nostram conclusionem; quorum paucas ad diuersas classes reducemus. Prima classis est eorum, in quibus dicit Deum determinare causas secundas ad agendum vt 1. 2. q. 10. art. 4. & 1. p. q. 105. art. 1. ad 3. ex quibus sic procedit ratio: Determinare siue prædeterminare causas secundas ad agendum est idem, ac præmouere: sed D. Th. docet Deum prædeterminare causas secundas ad agendum: ergo & præmouere.

Secunda Classis est eorum in quibus docet Deum mouere causas secundas ad agendum vt 1. 2. quæst. 6. art. 1.

ad 3. & 1. p. quæſt.83.art.1.ad 3.ſed hîc mouere ad agendum, idem eſt ac præmouere; nam per præmouere intelligimus mouere cauſas ſecundas antequam agant, & applicare ad agendum: ergo &c.

Tertia Claſſis eſt eorum, in quibus docet Deum applicare cauſas ſecundas ad agendum vt 1. p. quæſt.105.art.5. ad 3.& quæſt.3.de potentia art.7.ſed applicare cauſam ad agendum eſt idem ac præmouere ad agendum: ergo ex D.Th. Deus præmouet cauſas ſecundas ad agendum.

Quarta Claſſis eſt eorum, in quibus D. Thom. docet Deum inclinare cauſas ſecundas ad operandum vt 1. p. quæſt.83.art.1.ad 3. ſed inclinare ad operandum eſt idem, ac præmouere: ergo &c.

Quinta Claſſis eſt eorum, in quibus D. Thom. docet Deum imprimere aliquam entitatem, ſiue motionem in cauſam ſecundam, antequam agat vt q. 3. de potentia. art. 15. ſed hoc eſt præmouere ad agendum: ergo D.Th. docet Deum præmouere cauſas ſecundas ad agendum.

Sexta Claſſis eſt eorum, in quibus D.Th. docet creaturas, ſiue cauſas ſecundas eſſe in ſuis operationibus inſtrumenta Dei, vt 1. q. 105. art. 5. prima ſecundæ q. 21. art. 4. ad 2. ſed inſtrumenta debent præmoueri ad hoc quòd agant: ergo ex D. Th. cauſæ ſecundæ præmouentur à Deo ad agendum. Plura alia loca ſancti Doctoris poſſent adduci: nam perpetuus eſt in hac doctrina, ſed ad præſens hæc ſufficiunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd non intelligit Philoſophus de quacúmque mutatione: quia cùm dicat cauſam ſecundam non agere niſi motam; moueri autem ſit mutari; ſine dubio admittit in ipſa aliquam mutationem: ſed intelligit quòd non mutetur per ſuam actionem; cùm talis actio ordinetur ad immutandum paſſum, & non agens: quamuis aliquo modo mutetur, inquantum ſuam actionem recipit: ſed vt ſic potiùs eſt patiens, quàm agens.

Ad ſecundum dicendum, quòd cauſæ ſecundæ habent virtutem determinatam, & completam in ſuo ordine: ſed non per reſpectum ad cauſas ſuperiores, in quarum virtute debent agere, & determinari ad agendum.

Articvlvs III.

Vtrùm ratione naturali demonſtretur neceſſitas talis præmotionis Phyſicæ?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd non ſit neceſſaria præmotio Phyſica ad hoc quòd cauſæ ſecundæ neceſſariæ agant: ita tenent plurimi extra ſcholam D. Th. Probatur. Per concurſum ſimultaneum ſaluatur dependentia eſſentialis, tum cauſæ ſecundæ in agendo reſpectu primæ, tum actionis eius, tum effectus per illam cauſati: nam ex ea parte, quâ cauſa prima poteſt agere ſine concurſu ſimultaneo cauſæ ſecundæ, non verò econtra, ſaluatur dependentia eſſentialis cauſæ ſecundæ à prima in agendo: ex illa verò parte, quâ actio cauſæ ſecundæ eſt immediatè à Deo per concurſum ſimultaneum, manet etiam dependentia ipſius actionis à cauſa prima: & tandem, quia id quod in his cauſis eſt cauſa actionis, cauſat etiam immediatè effectum, qui ſequitur ad actionem; etiam ſaluatur dependentia effectus à Deo: ergo ſuperfluus eſt quicúmque alius concurſus præuius: nam talis concurſus ſolùm poſſet deſiderari ad ſaluandam aliquam dependentiam eſſentialem inter cauſam ſecundam & primam. Confirmatur. Concurſus, quo Deus concurrit cum cauſa ſecunda, debet eſſe inſeparabilis ab actione ipſius cauſæ ſecundæ; aliàs Deus per illam concurreret, & ſimul non concurreret: ſed ſolus concurſus ſimultaneus eſt inſeparabilis ab actione cauſæ ſecundæ propterea enim dicitur ſimultaneus & concomitans, quia eſt ſimul cum illa, & illam concomitatur: concurſus autem præuius, cùm ſit independens ab eadem actione, & prior naturâ, poteſt ab illa ſeparari: ergo non datur concurſus Dei præuius, ſed tantùm ſimultaneus.

¶ 2. Præterea, Inter cauſas ſecundas aliquæ ſunt principales, ex communi ſententia Philoſophorum: ſicut ignis generans reſpectu ignis geniti; cùm ſint eiuſdem virtutis & perfectionis: ergo non indiget præuiâ motione, & applicatione à ſuperiore agente: per hoc enim diſtinguuntur cauſæ principales ab inſtrumentis, quia hæc indigent tali motione præuiâ, & applicatione propter virtutem quam habent incompletam, & inferiorem in ordine ad productionem effectus principalis agentis. Confirmatur. Non apparet ad quod prædicamentum ponatur hæc præmotio: ergo non datur. Deinde hæc præmotio eſſet quid naturale: ergo vt operaretur indigeret aliâ præmotione, & hæc aliâ, & ſic in infinitum: quia ideo dicitur cauſam ſecundam indigere præmotione; quia eſt quid naturale dependens in ſua operatione à prima cauſa: vnde idem omnino deberet dici de ipſa præmotione.

¶ 3. Præterea, Si eſſet neceſſaria talis præmotio, maximè ad tollendam indifferentiam cauſæ ſecundæ, & determinandam ipſam ad operandum: propterea enim D.Th. illam requirit in cauſis ſecundis liberis, & contingenter operantibus: ſed cauſæ neceſſariæ non ſunt indifferentes ad operandum: imò ſunt naturaliter determinatæ, vt ignis ad comburendum &c. propterea quippe dicuntur cauſæ neceſſariæ: ergo hæc præmotio non eſt neceſſaria. Confirmatur. Si ſit neceſſaria, tot debent dari præmotiones in cauſa ſecunda, quot elicit actiones: non enim minùs indigeret ad vnam, quàm ad aliam: & ita ignis comburens ſex ligna, haberet ſimul ſex præmotiones, quod eſt impoſſibile; cùm ſint accidentia eiuſdem ſpeciei: duo autem accidentia eiuſdem ſpeciei ſunt ſimul incompoſſibilia in eodem ſubiecto. Deinde præmotio non perficit cauſam in ordine ad effectum, aliàs cauſa ſecunda non eſſet cauſa principalis: ergo non eſt neceſſaria.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Philoſophi, & D. Thom. quos communiter ſequuntur omnes veri Thomiſtæ.

Conclvsio.

Cùm actio cauſæ ſecundæ dependeat à prima ſecundùm omnem rationem, & formalitatem realem, quam includit; & cauſa ſecunda non ſit primum ſe mouens; nec Deus concurrat caſu cum cauſis ſecundis: eſt neceſſarium admittere præmotionem Phyſicam, ſiue concurſum præuium.

Respondeo dicendum, quòd Deus præmouet cauſas ſecundas neceſſarias ad ſuos actus influendo in illas aliquid reale Phyſicum & præuium, quo præmoneantur & prædeterminentur Phyſicè ad operandum; ac proinde non ſufficit concurſus eius merè ſimultaneus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt hanc difficultatem ſolùm procedere de cauſis neceſſariis, & non de liberis: quia tractare de cauſis liberis inuoluit multa ſupra captum Philoſophiæ; nam inuoluit auxilia diuinæ gratiæ per ordinem ad actus ſupernaturales & ſimilia: ideo remittimus ad Theologiam, vbi tractatus de auxiliis diuinæ gratiæ eſt celeberrimus & diffuſiſſimus: hæc enim, paucis comprehendi non poſſunt: meliùs eſt autem nihil omnino dicere, quàm aliqua confusè, & ſuccinctè proponere, quæ potiùs confunderent, quàm inſtruerent.

Probatur concluſio rationibus deſumptis à D. Th. Cauſa prima eſt cauſa actionis procedentis à cauſa ſecunda; non ſecundùm ſubſtantiam tantùm: at etiam ſecundùm illud modale, quod includit, ſcilicet prout à cauſa ſecunda: quia cùm illud modale ſit aliquid in rerum natura & reale, neceſſariò debet pendere à prima cauſa, ſicut ens per participationem ab ente per eſſentiam: ſed prima cauſa non poteſt eſſe cauſa talis actionis ſecundùm illud modale, ſcilicet prout procedit à cauſa ſecunda; niſi influendo in ipſam cauſam ſecundam aliquid reale, quo actu applicetur ad operandum, quod vocatur concurſus præuius: ergo datur talis concurſus, qui eſt præmotio Phyſica. Maior conſtat, quia ſicut Deus ex hoc quòd eſt primum ens, & prima cauſa, habet & eſſe, & virtutem operatiuam à ſe; & etiam hoc quod eſt eſſe principium

actuale operandi : sic creatura, ex hoc quòd est ens per participationem, habet esse, & virtutem operatiuam ab alio; ex hoc verò quòd est causa secunda, habet ab alio esse actuale principium operandi, siue esse principium actualiter applicatum, & determinatum ad agendum : hoc enim est quid reale, vt patet : nam actio non pendet actu, & in exercitio à principio habitualiter operatiuo præcisè sumpto : cum possit esse principium habituale operandi absque eo quòd sit actio : sed pendet ab illo, vt est actuale, & determinatum principium illius, siue vt actualiter applicatum ad agendum ; deinde quia si esse operativum habitualiter est aliquid reale: multò magis erit quid reale esse actuale principium operandi ; nam ab illo, vt sic saltem in sensu composito, non est separabilis actio, sed pendet ab illo actu, & in exercitio: ergo totum hoc debet actu habere causa secunda à prima. Minor verò probatur si causa prima mouet actu causam secundam ad operandum, & dat illi vt agat; oportet vt ponat in ea aliquid, quo faciat vt faciat, & quo sit actu causa illius actionis, prout ab illa: quia quod est causa Physica actionis alicuius causæ necessariæ, prout ab ipsa; ac proinde quod est illi efficaciter ratio agendi actualiter; debet esse quid Physicum, & inhærens ipsi, & præuium ad actionem : sicut quod dat illi habitualiter, & sufficienter esse operativum, est inhærenter necessariò in eadem causa secunda; vel dicendum est quòd solùm Deus concurreret remotè ad illam actionem, prout est à causa secunda, quatenus dedit esse, & potentias operatiuas permanentes, & illas conseruat : quod est incidere in opinionem Durandi quoad hanc formalitatem: nam licèt ex vi concursus simultanei illa actio sit absolutè, & secundùm suam substantiam à prima causa : non tamen secundùm illud modale, vt scilicet procedit ab illa causa secunda necessaria.

Respondent aduersarii quòd licèt illa actio causæ secundæ sit realiter à Deo primâ causâ : non tamen prout est à causa secunda ; & quòd causam secundam agere nihil importat aliud, quàm ipsam causam secundam & eius actionem ; & dicunt quòd vtrúmque dependet à Deo : actio quidem per concursum simultaneum ; causa verò per conseruationem. Sed contra. Illa dependentia actionis à causa secunda formaliter sumpta, non est purum ens rationis: sed aliquid verum & reale in rerum natura exercitum: ergo est ens participatum actu, & immediatè ab ente per essentiam ; aliàs Deus non influeret in illam actionem secundùm omnem rationem, & formalitatem entis realis, quod est falsum : maximè quia ipsa ratio entia, cùm sit vniuersalissima correspondet causæ vniuersalissimæ : ergo licèt factâ collatione inter duas causas eiusdem ordinis repugnet actionem, prout est ab vna, esse ab alia: non tamen si fiat inter causas diuersi ordinis, & essentialiter subordinatas. Confirmatur. Actiones vitales partis vegetatiuæ secundùm rationem suæ vitalitatis pendent à Deo actu, & immediatè : quia cùm hæc ratio sit valde perfecta, necessariò debet pendere à Deo, qui est vita per essentiam: sed etiam secundùm suam vitalitatem intrinsecè dependent à suo principio intrinseco vitæ ; imò in hac dependentia consistit earum vitalitas : ergo etiam à Deo pendent, prout pendent à causa secunda, & sic similiter dicendum de alijs. Nec etiam verum est quod subiungitur in eadem responsione, scilicet quòd causam secundam agere nihil importat aliud, quàm ipsam causam secundam & eius actionem : nam ignem, v. g. calefacere, siue esse principium actuale calefactionis, non dicit solam entitatem ignis & calefactionis: siquidem posset Deus conseruare tam calefactionem illam quàm ipsum ignem absque eo quòd actio ignis calefaceret: nam in hoc distinguuntur actiones vitales creatæ à non vitalibus ; quòd illæ non possunt esse, aut permanere absque eo quòd actu exeant à principio creato vitæ: secus verò istæ, quæ per solum influxum Dei possunt permanere : ergo hoc quod est ignem esse actuale principium calefactionis, est aliquid aliud præter ipsam entitatem ignis & calefactionis : scilicet est esse id, à quo actu necessariò, & inseparabiliter oritur in exercitio ipsa calefactio.

Secundò, Probatur conclusio principaliter. Si Deus non præmouet causam secundam ad operandum; sequitur, quòd prædicta causa secunda sit primum se mouens, & primum se determinans ad operationem ; quod est esse primum principium simpliciter : quia causa, quæ non mouetur ab alia ad operandum, est primum se mouens, & primum se determinans : sed admittere plura prima principia in ordine operatiuo est incidere in errorem Manichæorum : ergo Deus præmouet causam secundam ad operandum. Confirmatur. Ignem v.g. esse principium actuale operationis, & determinatum ad eam est aliquid reale distinctum, tum ab operatione, tum à principio habituali & potentiali operandi ; quod quandóque est in actu, quandóque verò cessat ab actu: vel ergo ignis habet à Deo esse tale principium actuale, vel à se : si primum; ergo mouetur, & applicatur ab illo ad operandum : si secundum ; ergo est primum principium actuale operandi ; quia hæc à se habet ; & consequenter esset primum ens : quia si tale ens, esset ens secundum ; haberet omnia sua participata à primo.

Respondent aduersarij dupliciter. Primò quòd ad rationem primi mouentis requiritur quòd habeat esse à se, quod nulli creaturæ competit. Secundò quòd sufficit ad hoc, vt non sit primum mouens, quòd non possit operari sine concursu simultaneo Dei. Sed contra. Prima solutio inuoluit contradictionem : nam esse & operari, vt patet, debent proportionari: ergo si conceditur quòd causa secunda operatur à se; debet etiam concedi quòd sit ens à se, siue quòd habeat esse à se ; & si negetur quòd sit ens à se, debet negari quòd operetur à se. Deinde illa solutio solùm euitat quòd ignis non sit primum ens simpliciter; non tamen quòd non sit primum operans respectu suarum operationum : quia ab alio non moueretur ad illas. Denique manet ratio in suo robore : nam esse actuale principium operandi est aliquid reale, quod non haberet ignis à Deo & consequenter illud reale in igne, non esset ens secundum. Nec etiam valet secunda solutio: quia licèt Deus alio concursu posset calefacere sine igne: tamen concursu simultaneo non potest; cùm ab intrinseco petat simultatem concursus ignis ; aliàs non esset simultaneus : & tamen Deus concurrit vt prima causa, & consequenter modo non derogante rationi primi se mouentis, & primi operantis: ergo ex hoc præcisè, quòd ignis indiget concursu simultaneo, non amittit rationem primi principij. Confirmatur. Deus non potest concurrere ad actionem vitalem nutriendi, nisi simul concurrat potentia vitalis creata ; & tamen concurrit ad illam modo proprio primæ causæ: ergo quòd requiratur concursus simultaneus alterius causæ non derogat modo causandi primæ causæ, vt primæ.

Tertiò, probatur conclusio principaliter. Deus concurrit simultaneè cum causa secunda : ergo & præuiè: quia quando duæ causæ simul concurrunt ad aliquam actionem, oportet vel vnam moueri ab alia, vel vtrámque ab alia tertia : alioquin omnino à casu sequetur hæc simultas concursus; licèt illæ causæ sint essentialiter subordinatæ, vt patet: non enim habetur vnde hæc simultas per se sequatur : ergo cùm non possit dici quòd Deus operetur à casu, nec applicetur à causa secunda ad agendum, nec detur alia tertia causa, quæ vtrámque applicet: debet concedi quòd Deus efficaciter præmouet causam secundam necessariam ad agendum. Confirmatur. Non potest intelligi causa secunda infallibiliter operatura, cùm ex natura sua sit impedibilis ab alijs causis efficacioribus, etiam ab ipso Deo, nisi efficaciter prædeterminetur à Deo, quòd operetur & non impediatur ab aliquo: quod decretum, quia est extrinsecum, non applicat ipsam ad operationem, nec remouet impedimenta, sed requiritur aliquid intrinsecũ executiuum talis decreti, intrinsecè applicans, & immutans causam secundam, quod sic efficaciter applicet ad operãdum: vt sic applicata infallibiliter operetur: ergo causæ secundæ indigent præmotione Dei ad agendum

dum. Nec valet recurrere ad scientiam mediam, quam reputamus impossibilem: quia cùm nihil possit esse futurum nisi Deo volente vel permittente, vt ait Aug. sic nihil potest intelligi esse futurum ante decretum Dei, vel positiuum, vel permissiuũ. & sic excluditur scientia media, quam dicunt sui authores esse de futuris antecedenter ad decretum diuinũ. Videatur nostri Salmaticenses 1.p.q.14.

Ad primum ergo dicendum, quòd per concursum simultaneum tantùm pendet directè actio causæ secundæ à prima, non verò ipsa causa secunda, sed tantùm indirectè inquantum dependet eius actio; nam licèt per hoc quòd recipit esse, & virtutes operatiuas, dependeat in essendo, & in operando habitualiter, tamen non potest dici quòd dependeat in operando actualiter, nisi applicetur, & moueatur ad agendum. Ad confirmationem dicendum quòd præmotio hæc efficax, cùm procedat ex voluntate efficaci quâ Deus decreuit quòd talis causa secunda operetur, habet infallibilem connexionem cum eius operatione, & est inseparabilis ab illa: aliàs si prædicta operatio non infallibiliter coniungeretur cum præmotione, non posset Deus efficere quod vellet: & sic non est omnino independens ab actione: vnde licèt Deus possit suspendere quodcúmque principium actionum, ne agat, non tamen si fuerit efficaciter præmotum; contrarium enim implicat in terminis.

Ad secundum dicendum, quòd causa secunda principalis non differt ab instrumento, quasi ipsa non præmoueatur: sed in hoc differt quòd ipsa præmouetur ad producendum effectum eiusdem perfectionis & speciei: instrumentum autem ad producendum effectum perfectiorem se: vnde præmotio respectu causæ principalis habet tantùm rationem applicantis, respectu verò instrumenti habet rationem applicantis, simul & eleuantis. 2. Dicendũ, quòd omnis causa secunda habet rationem instrumenti, prout in suo effectu attingit rationem entis; quæ cùm sit ratio vniuersalissima soli Deo correspondet principaliter, vt causæ vniuersalissimæ, tanquam proprius effectus: sicut & existentia, cùm sit perfectissima actualitas: & ideo causa secunda non attingit ista, nisi in virtute Dei, siue vt præmouetur ab ipso; nam ex se non habet sufficientem actualitatẽ ad illam producendam, quia existentia illius quæ sola est eiusdem actualitatis cum existentia sui effectus, non est ex se operatiua: & ideo causa secunda attingit propriâ virtute suam actionem consideratam secundùm suam speciem: secundùm autem vltimam actualitatem existentiæ illam attingit, vt instrumentum virtute diuinæ motionis: & hac etiam peculiari ratione indiget illâ. Ad confirmationem dicendum quòd præmotio non pertinet directè ad aliquod prædicamentum; cùm sit quid fluens & incompletum, sed reducitur ad prædicamentum sui termini, & quia diuagatur per multa prædicamenta, pertinet ad postprædicamentum motus: est enim motus quidam, siue motio: quod postprædicamentum ambit omnem motum, siue actiuum siue passiuum. Ad aliud dicendum, quòd hæc præmotio, cùm sit participatio actualitatis, & efficaciæ diuinæ voluntatis, & per eam deferatur efficacia imperii diuini ad hanc causam creatam iuxta naturam eius; ideo seipsâ est efficax ad præmouendum, cùm essentialiter sit ipsa præmotio; causæ verò secundæ non sunt præmotiones, sed præmouibiles: hæc autem præmotio habet pro termino illummet, quem habet causa secunda: quia sicut causa per suam actionem attingit immediatè suum effectum; ita quia eadem actio, etiam vt est à causa secunda, procedit ab hac motione (vt quo) ideo effectus illius causæ secundæ, est etiam effectus huius motionis; & sic actio causæ secundæ est terminus (quo) præmotionis: effectus verò per eam productus, si sit actio productiua, est terminus (qui) eo proportionali modo, quo comparantur ad causam secundam.

Ad tertium dicendum, quòd causæ secundæ naturales sunt determinatæ ad speciem actionis, vt ignis ad comburendum, non verò ad exercitium illius; & ita licèt ignis, si iuxta suam naturam agat, igniat & comburat: tamen nisi applicetur ad agendum à prima causa, nullam habebit actionem: vt apparuit in fornace Babilonis, vbi ignis propter substractionem diuini concursus non combussit tres pueros, sed remansit otiosus. Ad confirmationem dicendum, quòd ad quamlibet actionem distinctam requiritur peculiaris præmotio; cùm sit aliquid fluens cum ipsa actione: ignis autem comburens sex ligna, non habet sex actiones, sed vnicam terminatam ad illa sex ligna, quæ subiectatur in ipso igne: si autem sint plures actiones coordinatæ & subordinatæ, v. g. plurium potentiarum eiusdem subiecti, sufficiet vna præmotio ad applicandas omnes illas potentias: nam primâ virtute præmotionis applicabit secundam ad agendum. Ad aliud patet ex dictis, quomodo præmotio quantùm ad aliquid solùm applicat causam secundam, quantùm ad aliquid verò, & applicat & perficit, siue eleuat ad agendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm aliæ causæ vniuersales post primam moueant causas inferiores?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd aliæ causæ vniuersales post primam non moueant causas inferiores sibi subordinatas. Probatur. Quæ non dependent in esse ab aliquo, nec dependent saltem necessariò in operari; cùm enim operari consequatur esse, & qui dat esse, det quæ consequuntur ad esse; solùm ab illo pendet necessariò operari alicuius causæ, à quo pendet eius esse: sed causæ inferiores non dependent in esse à causis vniuersalibus post primam; at solùm à prima: ergo nec in operari; & ita aliæ causæ vniuersaliter post primam non mouent causas inferiores, maximè cùm sufficiat præmotio causæ primæ.

¶ 2. Præterea, Si causæ vniuersales, potà cœlum, moueant causas inferiores, vel agunt immediatione suppositi, vel immediatione virtutis: non primum, quia hæc inferiora maximè distant à cœlis: nec secundum, quia non apparet quæ sit illa virtus sic diffusa per totum orbem: ergo causæ vniuersales nõ mouent causas inferiores.

¶ 3. Præterea, Si causæ vniuersales, vt cœlum, mouent causas inferiores, hoc facient propriâ virtute: ita vt habeant rationem causæ principalis respectu actionum, & effectuum productorum à causis inferioribus: sed multæ sunt causæ inferiores perfectiores cœlo, quæ habent actiones vitales & effectus nobiliores cœlo, vt sunt omnia animata quæ proinde non possunt subordinari cœlo, tanquam causæ principali, quæ semper est maioris, vel æqualis perfectionis cum suo effectu: ergo causæ vniuersales post primam non mouent causas inferiores.

SED CONTRA est expressa authoritas Philosophi, & D. Thom. quos communiter sequuntur non solùm Thomistæ, sed etiam alij.

CONCLVSIO.

Cùm causæ inferiores essentialiter subordinentur causæ primæ mediantibus alijs causis vniuersalioribus, & in istis inferioribus reperiantur aliqui effectus, qui necessariò debent tribui causis vniuersalibus, causæ vniuersales mouent causas inferiores.

RESPONDEO dicendum quòd causæ vniuersales mouent causas inferiores ad operandum. Ad cuius euidentiam sciendum est præsentem difficultatẽ præcipuè procedere de causis istis corporeis: quamuis etiam sit certum ex D. Th. in tractatu de Angelis, quòd homines subordinantur Angelis, & inferiores Angeli superioribus, quantùm ad illuminationem; ac proinde quantùm ad operationem intellectus (sola voluntas soli Deo immediatè subordinatur quantùm ad motionem Physicam) & hæc subordinatio maximè cõducit ad perfectionem Vniuersi.

Probatur conclusio authoritate Aristot. & D.Th. Philosophus quidem in 2. Physic. cap. 12. dicit quod *Sol & homo generant hominem*. Item 8. cap. 1. dicit quòd *Motus cœlestis est vita & cor aliorum motuum*, Quæ non possunt intelligi nisi Sol influat aliquo modo in hominem generantem, & cœlum causet motus inferiores suo motu.

S. Th.

S. Th. 1. p. q. 115. art. 3. hoc probat ex profeſſo; & inter alia hæc habet: *Et ideo motus horum inferiorum corporum, qui ſunt varij & multiformes, reducuntur in motum corporis cœleſtis, ſicut in cauſam*: Idem docet in opuſculo 36. & alibi ſæpe: explicans enim hoc axioma, primum in vnoquóque genere eſt cauſa cæterorum illius generis, dicit motum cœlorum eſſe cauſam iſtorum motuum inferiorum, cùm ſit primus inter omnes motus corporeos.

Secundò, cauſæ inferiores non reducuntur ad primam, niſi mediantibus aliis ſuperioribus ea D. Th. 3. contra gentes: hoc ſiquidem requirit ſubordinatio, quæ reperitur in iſtis inferioribus reſpectu ſuperiorum: in hoc enim maximè elucet decor vniuerſi, quòd omnia ſint ordinata: ſed cauſas inferiores reduci ad primam mediantibus aliis ſuperioribus, eſt ipſas moueri à cauſa prima mediantibus aliis cauſis ſuperioribus: iſta enim ſubordinatio cauſarum ad primam, non eſt ſolùm in ordine eſſendi, at etiam in ordine operandi, qui neceſſariò exigit hanc præmotionem, ſiue influxum prævium cauſæ primæ, qui debet deferri ad cauſas inferiores mediantibus aliis ſuperioribus; ita vt immediatè in ipſis recipiatur: ergo ſic motæ virtute primæ cauſæ mouent has cauſas inferiores. Dicimus igitur quòd Deus applicat ſubſtantias ſeparatas motrices cœlorum ad mouendum cœlum, qui medio motu cœli mouent hæc inferiora.

Tertiò, apparent aliqui effectus in iſtis inferioribus, qui neceſſariò, & euidenter reducuntur ad cœlos: nam vt ait Philoſophus, generationes cauſarum inferiorum, putà arborum, tunc ſunt quando accedit Sol, & ceſſant quando recedit; item quòd magnes reſpiciat polum; quòd mare fluat & refluat: hoc enim attribuitur Lunæ; itē quòd conchilia, & oſtrea ſint pleniora in plenilunijs: ergo ſignum eſt quod cauſæ ſuperiores, vt cæli influunt in hæc inferiora, & mouent cauſas inferiores. Confirmatur ex citato axiomate Philoſophico. Primum in vnoquóque genere eſt cauſa cæterorum illius generis: ſed motus primi mobilis, eſt primus perfectione, regularitate, & duratione inter omnes motus corporeos, vt patet: ergo eſt cauſa aliorum motuum corporeorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd iſta inferiora dependent aliquo modo à ſuperioribus, putà cœlis, ad hoc vt ſint: licèt enim eſſe ſit principaliter à ſolo Deo: tamen cœli, & motores cœlorum concurrunt ad generationem homm inferiorum iuxta illud, Sol & homo generant hominem: cauſæ enim inferiores diſponuntur, roborantur, & applicantur ad agendum per influxum ſuperiorum: imò eſt aliquid in effectu, quod correſpondet principaliter ſolis cauſis ſuperioribus, vt ſtatim dicetur.

Ad ſecundum dicendum, quod cœlum agit in hæc inferiora immediatione virtutis, id eſt per ſuas influentias, quæ diffunduntur ad hæc inferiora corpora mediantibus ſuperioribus, ipſíque proximioribus: præcipuè autem influit per ſuam lucem, quæ illuminando, & calefaciendo operatur diuerſimodè in iſtis inferioribus iuxta variam diſpoſitionem ipſorum: & ita diuerſa operatur in aëre, diuerſa in mari, diuerſa in terra: hîc aurum, ibi lapides pretioſos: vnde eius influxus modificatur à cauſis ſecundis: nec vnum tantùm cœlum influit in iſta inferiora: ſed omnes, etiam empireum, vt docet D. Th. quod dicit eſſe cauſam ſtabilitatis, ſicut Sol eſt cauſa generationum &c.

Ad Tertium dicendum, quòd cœlum diuerſimodè influit in hæc inferiora: nam ad inanimata influit principaliter, cùm ſit perfectius: ad viuentia autem ſecundùm gradum viuentis & ſpecificum, influit tantùm inſtrumentaliter, inquantum eleuatur motione ſubſtantiæ motricis, quæ non ſolùm mouet, ſed eleuat mouendo: ita vt, ſicut ſerra per motionem artificis quantùm ad ſcindendum, quod correſpondet eius formæ propriæ ſcilicet dentaturæ ſolùm applicatur: eleuatus autem ad artificioſè ſcindendum; ſic cœlum ſolùm applicatur à ſubſtantia motrice quantùm ad productionem effectuum, qui eius virtutem non excedunt, quales ſunt omnia inanimata: applicatur verò, ſimul & eleuatur quantùm ad productionem effectuum nobiliorum ſe, quales ſunt omnia viuentia: vnde hæc motio eſt virtuoſa, vt docet D. Th.

Articvlvs V.

Vtrùm Cauſæ vniuerſali reſpondeat effectus vniuerſalis, & particulari particularis?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd non reſpondet cauſæ vniuerſali effectus vniuerſalis, & particulari particularis. Probatur. Docet Philoſophus 1. Metaph. cap. 1. quòd actiones ſunt circa ſingularia, & quòd generationes ſunt ſingulorum: ergo non eſt effectus vniuerſalis, qui reſpondeat cauſæ vniuerſali, ſed omnes effectus ſunt particulares.

¶ 2. Præterea quilibet effectus cuiuſcúmque cauſæ in ſe conſideratus, eſt indiuiduum, ac proinde in ſe indiuiſum, & ita non poteſt habere rationem vniuerſalis: cùm enim vniuerſale diuidatur in plura indiuidua, vt homo in Petrum & Paulum, oppoſitus indiuiduo: ergo non datur effectus vniuerſalis, qui reſpōdeat cauſæ vniuerſali.

¶ 3. Præterea, Si datur effectus vniuerſalis reſpondens cauſæ vniuerſali, ita vt Petrus inquantum homo generet Paulum inquantum hominem; ſequitur quòd Petrus generet ſeipſum; qui enim producit hominem, vt ſic, producit omnem hominem: cùm omnia indiuidua humana eſſentialiter contineantur ſub homine: ſed eſt abſurdum dicere, quòd Petrus generet ſeipſum; aliàs eſſet antequam eſſet: ergo non datur effectus vniuerſalis correſpondens cauſæ vniuerſali.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Th. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm effectus debeant proportionari ſuis cauſis: cauſæ vniuerſali reſpondet effectus vniuerſalis, & particulari particularis.

Respondeo dicendum quòd cauſæ vniuerſali reſpondet effectus vniuerſalis & particulari particularis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd licèt omnes gradus eſſentiales, tam generici, quàm ſpecificus & indiuidualis, ipſíque tranſcendentes, qui ſunt in aliquo indiuiduo, non diſtinguantur realiter, ſed ſint vna & eadem indiuiſibilis realiter entitas: tamen diſtinguuntur ratione formaliter & virtualiter: & ita ſunt diuerſæ formalitates: vnde in præſenti dicimus quòd gradus vniuerſaliores, qui ſunt in effectibus, correſpondent cauſis vniuerſalioribus: cauſæ verò proximæ, & vniuocæ correſpondet ſolus gradus ſpecificus: verum quidem eſt quòd hic homo non ſolùm generat hunc hominem, ſed etiam hoc animal, hoc viuens, hoc corpus, hanc ſubſtantiam, hoc ens: quia iſta omnia in homine realiter ſunt homo, non tamen formaliter: & ideo non poteſt dici quòd ſicut homo generat hominem, vt hic homo eſt: ſic quòd generet hominem inquantum animal, inquantum corpus, inquantum ens &c. hæc enim ſe habent per accidens in homine genito reſpectu generantis: ſed iſti gradus ſuperiores, & vniuerſales correſpondent vniuerſalibus: & quantò ſunt vniuerſaliores, cauſis proportionaliter vniuerſalioribus cuius ſignum eſt: quia actio hominis eſt limitata intra ſpeciem generationis humanæ: actio verò cauſarum ſuperiorum attingit omnes ſpecies inferiorum: gradus autem vniuerſaliſſimus, ſcilicet ens, cuius proprius actus eſt eſſe, ipſúmque eſſe correſpondet cauſæ primæ vniuerſaliſſimæ, ſcilicet Deo: cum hoc tamen ſtat, quòd cauſæ vniuerſales producant effectum non ſolùm ſecundùm gradus vniuerſales, vt cœlum producit hominem principaliter Inquantum corpus: quia eſt primum corpus & concurrit ad productionem omnium corporum ſublunarium: ſed etiam producunt quantùm ad gradus inferiores: qui ſi ſint nobiliores ipſâ cauſâ vniuerſali, cauſa concurrit ad illos tantùm vt inſtrumentum alterius cauſæ ſuperioris: ſi verò non ſint nobiliores, cauſa vniuerſalis ad illos concurrit principaliter; vt cœlum concurrit tanquam cauſa principalis ad productionem auri, non ſolùm

vt est corpus, sed etiam vt aurum: respectu autem hominis concurrit, vt causa principalis ad productionem ipsius inquantum corpus: concurrit verò, vt instrumentum Angeli mouentis, ad gradum viuentis, animalis & hominis: Deus autem, qui est causa prima, & vniuersalissima concurrit tanquam causa principalissima, & æquiuoca ad gradum primum, & vniuersalissimum entis, & ad proprium eius actum, scilicet ipsum esse; & simul ad omnes gradus inferiores: maximè quia in illis omnibus ratio entis intimè imbibitur; magis autem principaliter concurrit Deus, & proportione seruatâ causæ principales superiores, quia ipsæ mouent inferiores, quæ agunt in virtute ipsarum: causæ verò inferiores non concurrunt ad gradus superiores, nisi vt instrumenta causarum superiorum, quibus tales gradus principaliter respondent: & sic omnes causæ producunt suos effectus sub ratione entis, eisque dant esse vt vera instrumenta Dei: ex quo patet quòd causæ superiores magis influunt in effectus, quàm inferiores, & inferiores non possunt agere sine superioribus: superiores autem multa agunt sine inferioribus, & causa prima independenter potest producere quodcúmque ens, cùm sit infinitæ & illimitatæ virtutis. Nec obstat si obiiciatur, quòd homo producit alium hominem inquantum est homo: ergo etiam inquantum est corpus: cùm gradus hominis sit perfectior gradu corporis, & qui potest magis perfectum, potest & minus. Ad hoc enim dicendum quod gradus superiores dicunt maiorem perfectionem, quàm inferiores non intensiuam, sed extensiuam ratione suæ vniuersalitatis: nec semper verum est, quòd qui potest magis perfectum, potest & minus: nam homo producit alium hominem, & tamen non potest producere materiam primam, quæ est omnium rerum imperfectissima: nec formicam &c. igitur gradus hominis, animalis, viuentis, corporis, & substantiæ respondent tanquam causæ principali Angelis, siue substantiis separatis motricibus cœlorum: cœlis autem instrumentaliter: gradus corporis respondet cœlis, & Angelis motricibus substantiis tanquam causæ principali: Angeli enim non possunt influere in hæc inferiora quantùm ad generationem, nisi mediante motu cœlorum & siderum: solus gradus hominis respondet homini tanquam causæ principali: alij autem gradus solùm correspondent ei quasi instrumento: omnes verò gradus etiam vniuersalissimus entis, sicut & proprius eius actus ipsum esse, respondent Deo tanquam causæ principalissimæ: omnibus verò aliis causis, tanquam veris instrumentis Dei respondet gradus entis, & ipsum esse.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis, & D. Th. Aristoteles quidem 2. Physicorum textu 39. dicit quòd causæ generales sunt causæ generalium effectuum, & particulares particularium: D.Thom.autem 1.p.q.45. art.5. sic ait: *Oportet enim vniuersaliores effectus in vniuersaliores & priores causas reducere: inter omnes autem effectus vniuersalissimum est ipsum esse: vnde oportet quòd sit proprius effectus primæ & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus:* Vnde etiam dicitur in libris de causis quòd neque intelligentia, vel anima nobilis dat esse, nisi inquantum operatur operatione diuinâ.

Secundò, causis debent proportionaliter respondere effectus, vt docet Philosophus loco citato; hoc enim exigit subordinatio effectuum ad suas causas: vnde videmus quòd causæ in potentia respondet effectus in potentia, & causæ in actu effectus in actu: ergo causis vniuersalibus debent respondere effectus vniuersales, & causis particularibus effectus particulares.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt actiones terminentur ad singularia, tamen in ipsis singularibus sunt gradus vniuersales, qui respondent principaliter solis causis vniuersalibus, tanquam proprij effectus, vt explicatū est.

Ad secundum similiter dicendum, quòd licèt indiuiduum non sit vniuersale, in ipso tamen reperiuntur rationes, & gradus vniuersales sibi essentiales, qui respondent causis vniuersalibus.

Ad Tertium dicendum, quòd Petrus non producit hominem vt sic, sed hunc hominem, siue hominem in indiuiduo, qui non potest esse Petrus, sed est eius filius.

QVÆSTIO XII.

De causa Instrumentali.

QVIA instrumenta pertinent ad genus causæ efficientis, ideo post tractatum causæ efficientis principalis, statim sequitur causa instrumentalis: circa quam quæruntur duo.

¶ Primò, Vtrùm sit de ratione instrumenti agere, vt motum à causa principali?

¶ Secundò, Vtrùm sit de ratione instrumenti habere aliquam propriam sibi virtutem, & propriam actionem præuiam?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit de ratione instrumenti agere vt motum à causa principali?

AD PRIMVM, sic proceditur. Videtur quòd non sit de ratione instrumenti agere, vt motum à causa principali: ita tenet Suares 1.tom.Metaph.disp.17.vniuersaliter de omnibus instrumentis, & tom.r.io 3.p.disp.31. sect. 5. dicit etiam instrumenta diuinæ virtutis in ordine ad effectus supernaturales, non eleuari per aliquid intrinsecum superadditum ipsis; sed sufficere quamdam potentiam obedientialem actiuam, quam ponit innatam omnibus rebus ad cooperandum Deo in ordine ad omne id, quod non implicat contradictionem: dummodo præstetur ab ipso influxus supernaturalis, non in instrumentum, sed in effectum: illum sequuntur multi iuniores extra scholam D.Th. Probatur. Vel instrumentum cum illa motione est proportionatum cum effectu, vel non: si dicatur primum: ergo per illam motionem fit causa principalis, quæ solùm requirit, vt sit proportionata effectui: nam etiam causæ secundæ non agunt nisi motæ: & ita intellectus creatus eleuatus lumine gloriæ est causa principalis visionis beatificæ: si dicatur secundum; ergo indiget vlteriori eleuatione, vt proportionetur effectui: & sic in infinitum, cùm idem possit inquiri, & concludi de aliis motionibus: vnde sistendum est in primo, quòd scilicet non indiget eleuari per aliquid superadditum: sed sufficit quòd subordinetur principali agenti proportionato ipsi effectui, quod habet per suam entitatem naturalem: sicut calor animalis, qui propter hanc subordinationem præcisè concurrit instrumentaliter ad producendam carnem; & colores per subordinationem & coniunctionem ad lucem assistentem sine alia eleuatione producunt species intentionales perfectiores, cùm sint magis immateriales.

¶ 2. Præterea, semen est instrumentum generantis: & tamen dum operatur, non mouetur à generante; vel quia non est, vel quia non est præsens. Item in productione speciei intelligibilis phantasma concurrit, vt instrumentum intellectus agentis, & tamen non mouetur, nec aliquid ab ipso recipit. Item Sacramenta sunt instrumenta ad producendam gratiam, & tamen nihil intrinsecè recipitur; si enim reciperent aliquam virtutem, vel esset corporea, vel spiritualis: non primum, quia illa virtus non proportionaret Sacramentum cum suo effectu spirituali: nec secundum, quia subiectum corporeum est incapax accidentis spiritualis, sicut & subiectum spirituale accidentis corporei: aliàs dependeret in fieri, esse, & conseruari à subiecto corporeo, quod non potest dici.

¶ 3. Præterea, Instrumenta quæ à Deo assumuntur ad opera miraculosa & supernaturalia, non indigent motione ex D.Th.in 4.d.8.q.2.art.3. ad 4. vbi hæc habet: *Sicut creaturæ inest obedientiæ potentia vt in ea fiat quidquid Creator disposuerit, ita etiam, vt eâ mediâ fiat, quod est ratio instrumenti:* Vnde ex D. Thom. sicut creatura per potentiam obedientialem passiuam sine aliquo superaddito potest aliquid supernaturale recipere, sic & actiuè agere; cùm hæc sit æquè perfecta in suo ordine, ac

Illo : ergo nec inſtrumenta naturalia indigent illâ motione. Confirmatur. Aliæ cauſæ per ſuam potentiam obedientialem ſubordinantur Deo, nam materia cœli poteſt recipere diuinitus formam corruptibilem, & forma cœli informare materiam ſublunarem : ſed cauſa efficiens non minùs ſubordinatur Deo, quàm aliæ in ſua cauſalitate : ergo per potentiam obedientialem præcisè ſine vllo ſuperaddito poteſt inſtrumentaliter agere in effectus ſupernaturales.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, Caietanus 3.p.q.78. art.4. Capreol.in.4.d.1.q.1. Nazarius 1.p.q.45.art.5. Medina. 3.p.q.13. art.2. noſtri complutenſes hic, & plures alij extra ſcholam D. Thom.

CONCLVSIO.

Cùm inſtrumentum ex ſe inſufficiens debeat eleuari ad producendum effectum cauſa principalis, neceſſariò indiget ab ipſa moueri per aliquid in ſe receptum.

Respondeo dicendum quòd eſt de ratione inſtrumenti agere, vt motum à cauſa principali. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt inſtrumenta eſſe in triplici differentia : quædam enim ſunt naturalia, quæ ſcilicet à natura ſunt ordinata ad aliquem effectum naturalem excedentem facultatem & virtutem eorumdem, vt ſemen animalis in ordine ad generandum animal : alia ſunt ſupernaturalia, quæ à Deo ſupernaturaliter aſſumuntur in ordine ad aliquem effectum excedentem vires naturæ, vt Sacramenta reſpectu gratiæ : alia denique ſunt artificiata, quæ ad opera artis perficienda deſumuntur, vt ſerra ad faciendam cathedram &c. Licèt autem præſens difficultas principaliter procedat de inſtrumento naturali, quod propriè pertinet ad phyſicam conſiderationem, tamen proportione ſeruatâ idem dicendum eſt de omnibus: per ly autem (motum) intelligimus idem ac applicatum per receptionem alicuius virtutis intrinſecæ deriuatæ ab agente principali in ipſum inſtrumentum.

Probatur concluſio authoritate D. Th.3.p.q.62.art.1. & 4. vbi ſic ait : *Inſtrumentum non operatur niſi inquantum eſt motum à principali agente.* Item q. 27. de veritate art. 4. vbi ſic ait : *Eſt ratio inſtrumenti, inquantum eſt inſtrumentum, vt moueat motum : vnde ſicut ſe habet forma completa ad per ſe agentem, ita ſe habet motus, quo mouetur à principali agente, ad inſtrumentum, ſicut ſerra operatur ad ſcamnum.*

Secundò, Probatur ratione fundamentali. Inſtrumentum non habet ſufficientem virtutem ad producendum effectum principalis agentis, niſi inquantum per virtutem eiuſdem principalis agentis eleuatur, vt communiter docent Philoſophi : ſed inſtrumentum non poteſt eleuari, niſi recipiat in ſe aliquid ; aliàs cùm de ſe ſit impotens, ſi nihil ei ſuperaddatur, cum eadem impotentia remanebit : ergo inſtrumentum debet agere, vt motum ſiue vt recipiens in ſe aliquam virtutem, aut motionem virtuoſam, per quam confortetur & eleuetur.

Reſpondent aduerſarij dupliciter. Primò virtutem eleuantem inſtrumentum eſſe præciſam coniunctionem, & ſubordinationem eius ad cauſam principalem ſine receptione alicuius intrinſeci. Secundò reſpondent quòd cùm hæc eleuatio inſtrumenti non ſit ad eſſe, ſed ad operari, virtus eleuatiua non eſt aliquid intrinſecum, ſed eſt ipſa actio inſtrumenti, vt procedit ab agente principali, ex cuius concurſo actio illa redditur virtuoſior, quàm eſſet ex natura ſua : vnde non eſt neceſſaria mutatio intrinſeca inſtrumenti, quod etiam extendunt ad inſtrumenta à Deo aſſumpta ad opera ſupernaturalia, quibus ſufficit potentia obedientialis actiua innata, vnà cum concurſu ſupernaturali ipſius Dei in effectum præcisè, per quem redditur virtuoſior concurſus talis inſtrumenti.

Sed contra primam ſolutionem. Hæc duo ſunt incompoſſibilia quòd ſcilicet inſtrumentum maneat omnino in ſe immutatum intrinſecè, & quod intrinſecè habeat ſe aliter, quàm priùs: ergo ſi additâ coniunctione ad agens principale, non mutatur intrinſecè, manebit omnino ſicut antea erat, vnde per illam non eleuabitur, ſi antea non erat eleuatum. Confirmatur. Inſtrumentum per eleuationem fit potens, vt attingat effectum principalis agentis : aliàs ſi ex ſe ſine tali eleuatione erat potens, eſſet ſuperflua talis eleuatio, & ipſum inſtrumentum eſſet cauſa principalis: ergo talis eleuatio debet eſſe per aliquid intrinſecum & inhærens ipſi inſtrumento ; quia quælibet cauſa debet in ſuo ordine intrinſecè priùs continere effectum ; nam ſi illum non contineret intrinſecè in ſuo ordine, non poſſet illum producere, ſiue extra ſe mittere : ſed cauſa non poteſt intrinſecè continere effectum per id, quod eſt ſibi extrinſecum : ergo inſtrumentum in ipſa eleuatione recipit aliquid intrinſecè. Deinde ſi inſtrumentum non ſit intrinſecè potens ad attingendum effectum cauſæ principalis, ipſum inſtrumentum nihil efficiet in tali productione, ſed ſola cauſa principalis ad præſentiam inſtrumenti : nam v. g. ſerra licèt ex ſe habeat virtutem ad ſcindendum, non tamen ad artificiosè ſcindendum, niſi ab artifice participet aliquam virtutem continentem in ſuo ordine effectum, diſtinctam à virtute principalis agentis : cùm enim concurrant vt duo agentia, licèt inter ſe ſubordinata, debent influere per diuerſas virtutes: & propterea, quia tota Sanctiſſima Trinitas concurrit ad extra per vnam & indiuiſibilem virtutem, non ſunt plura, ſed vnicum & indiuiſible agens. Denique aſſiſtentia quâ Deus aſſiſtit ſuis inſtrumentis, non eſt aſſiſtentia generalis quâ aſſiſtit omnibus rebus, vt patet : nam per illam non conſtituit omnia in ratione principij operatiui effectus ſupernaturalis : ſed per illam generalem aſſiſtit omnibus, vt cauſa ſuo effectui, dans illis eſſe, ex D. Th. 1. p. quæſt.8. art. 1. & 2. ergo eſt peculiaris aſſiſtentia, ſiue applicatio peculiaris diuinæ virtutis ad illas ; vnde per aliquam virtutem intrinſecam illis ſuperadditam antecedenter ad earum operationem ; quia ad nouam applicationem diuinæ virtutis ad inſtrumenta debet adeſſe noua habitudo, & relatio inter illa, ac proinde mutatio intrinſeca ex parte alicuius extremi : non Dei, cùm ſit omnino immotabilis : ergo ex parte creaturæ ; quia ſi extrema eodem modo manent, non eſt poſſibilis noua habitudo inter illa : illa autem habitudo præintelligitur ante actionem creaturæ ; quia Deus aſſiſtit illi hoc peculiari modo vt agat : ergo hæc mutatio intrinſeca præcedit talem actionem, & ita fit per aliquid intrinſecum diſtinctum ab eadem actione.

Contra ſecundam ſolutionem. Eſt impoſſibile aliquid eleuari ad operandum, quin eleuetur ad eſſendum : nam eo ipſo quòd eleuatur ad operandum, eleuatur ad hoc quòd contineat in ſuo ordine effectus priùs naturâ ſaltem quàm illos attingat : & conſequenter, vt priùs conſtituatur in actu primo operatiuo, quàm in actu ſecundo, vt ſatis per ſe patet : nam cauſa debet eſſe priùs in actu primo, quàm exeat in ſecundum : ergo debet illis imprimi aliquid pertinens ad ordinem eſſendi, in quo contineant effectum principalis agentis. Secundò illud in ordine ad quod inſtrumentum indiget eleuatione, non poteſt eſſe ipſa virtus & eleuatio : ſed ad eliciendam actionem inſtrumentalem, vt talem, v. g. ſciſſionem, vt artificioſam, indiget ſerra eleuatione artificis: ergo eleuatio non poteſt eſſe ipſa actio, vt artificioſa, per quam comparatur artifex cum inſtrumento: vnde fit per aliquid intrinſecum præcedens ſaltem naturâ operationem inſtrumenti. Tertiò ſequeretur quòd inſtrumentum non produceret, aut attingeret totum effectum, ſed tantùm partem (& ſimiliter dicendum de cauſa principali) quia quoties duæ cauſæ ita ſe adiuuant, vt quæuis ſolùm influat in effectum immediatè, & neutra imprimit aliquid in alteram, vt fiat potens in ordine ad effectum, quem ex ſe poterat attingere, tunc quævis tantùm attingit partem effectus, vt patet in duobus trahentibus nauim, vbi quilibet partialiter trahit ; & ideo non ſubordinantur inter ſe per modum cauſæ principalis & inſtrumenti, ſed per modum cauſarum partialium principalium.

Impugnatur tandem potentia obedientialis actiua. Implicat actum ſecundum alicuius cauſæ, etiam inſtrumentalis

talis, non contineri in ipsa causa, vt in actu primo, quia actus secundus in quouis ordine præsupponit essentialiter actum primum; & sic repugnat causam aliquam prodire in actum secundum, nisi priùs talis actus contineatur in actu primo: ergo vel dicendum est (quod absit à Catholicis) quamlibet creaturam ex innata virtute continere in suo ordine, scilicet instrumenti, opus miraculosum & supernaturale in actu primo, proximo & proportionato, & consequenter ex se habere exigentiam supernaturalis concursus Dei; quia exigentia concursus proportionati ad actum secundum non est aliud in causa secunda, quàm ipsam ita esse in actu primo, vt ex parte actus primi proximi nihil desit illi. Vel dicendum quòd præcise per concursum simultaneum Dei, qui non pertinet ad ordinem actus primi, non potest eleuari: ac proinde requiritur virtus aliqua priùs recepta in ipsa, respectu cuius talis causa se habeat passiuè. Ex quo sequitur non dari potentiam obedientialem actiuam in rebus, quod fusiùs probabitur in fine librorum de anima, quia illi connaturaliter deberetur concursus supernaturalis ad actum secundum supernaturalem, quod est contra communem Theologorum doctrinam cum D. Th. qui 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. & q. 6. de Potentia art. 4. negat posse creaturam eleuari ad omnia opera supernaturalia instrumentaliter producenda per aliquod habituale & permanens, sed illa potentia, si daretur, esset permanens, & solùm indigeret concursu simultaneo supernaturali; sicut & illud habituale, quod excludit D. Th. propter hanc rationem: quia cùm effectus supernaturales se excedant in infinitum sincategorematicè in perfectione saltem accidentali, & debeant præcontineri simul instrumentaliter in instrumento Physico; arguit infinitam aliquam perfectionem in ipso instrumento: vnde non datur potentia obedientialis actiua.

Ad primum ergo dicendum, quòd causæ principales secundæ tantùm petunt præmoueri à prima quoad suum effectum producendum, propter generalem subordinationem & dependentiam ab ipsa: instrumenta autem eleuantur ad producendum effectum excellentiorem se; & ideo in ipsa præmotione recipiunt virtutem attingendi effectum principalis agentis: hæc autem virtus instrumentalis est proportionata cum effectu, quia tamen non habetur ab instrumento, vt propria, & per modum permanentis, sed quasi mutuata & fluenter; ideo non constituit in ratione principalis agentis sicut lumen gloriæ & alij habitus, qui habentur vt proprij, quamuis ratione subiecti aliquando hæ virtutes transeuntes possint constituere in ratione principalis agentis; quando scilicet dantur ad eliciendas actiones vitales primariò, sicut si daretur lumen gloriæ per modum cuiusdam motionis ad videndum Deum, vt accidit in D. Paulo: nam se habet per accidens respectu subiecti, quòd sit virtus fluens. Ad primam instantiam dicendum, quòd istæ virtutes permanentes instrumentariæ non habent rationem proprij & rigorosi instrumenti: nam potiùs agunt vt virtus causæ principalis, quàm in virtute eius: licèt possit dici quòd in ipsa sua emanatione receperunt aliquam virturem formaliter, & modaliter à se distinctam, ratione cuius dicuntur agere vt motæ. Ad secundam dicendum, quòd lux non concurrit effectiuè ad productionem specierum intentionaliũ, sed dispositiuè tantùm, disponẽdo medium.

Ad secundum dicendum cum D. Th. q. 3. de potentia art. 11. ad 5. sub iisdem verbis, quòd instrumentum tamdiu à principali agente moueri intelligitur, quamdiu retinet virtutem ab illo impressam: vnde sagitta tamdiu mouetur à proiiciente, quamdiu manet vis impulsus proiicientis; sicut etiam generatum tamdiu mouetur à generante, in grauibus & leuibus, quamdiu retinet formam sibi traditam à generante: vnde & semen tamdiu intelligitur moueri ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impressa ab anima, licèt corporaliter sit diuisum. Nota quod hæc virtus seminis per accidens diu manet, sed necessariò ad intentum naturæ, licèt per se, & essentialiter sit fluens & non permanens. Ad aliam instantiam, vel dicendum cum Nazario, quòd phantasma non concurrit actiuè, sed tantùm materialiter ad productionem speciei intelligibilis, quæ à solo intellectu agente producitur actiuè, vel quòd non sit rigorosè instrumentum, sed virtus instrumentaria, & sic sufficit, quòd radicetur in eadem anima cum intellectu agente, vt possit esse virtus instrumentaria illius ad talem productionem, vel tandem dicendum quòd recipit intrinsecè aliquam participationem luminis intellectus agentis, quo eleuatur. Ad vltimam instantiam dicendũ, cum D. Th. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. ad 4. item q. 27. de veritate art. 4. ad 4. item 3. p. q. 62. art. 4. ad 1. quòd Sacramenta eleuantur per motionem quamdam intrinsecam & spiritualem: vnde licèt accidens spiritale per modum formæ completæ, & permanentis non possit recipi in subiecto corporeo, bene tamen per modum intentionis transeunter & fluenter: non dicitur autem accidens fluens aut permanens quia vel diu, vel parum duret, sed ex hoc quòd per se & ab intrinseco sit accidens spirituale completum & permanens: & hoc etiam per instans non potest recipi in subiecto corporeo, vel ab intrinseco sit fluens, & incompletum per modum intentionis, & quasi via ad formam vltimam; & hoc potest recipi in subiecto corporeo etiam per multum tempus, sed per accidens; nam tunc non debet commensurari nisi cum forma illa, ad quam ab intrinseco est via, & cum agente, à quo precedit, quia hoc est essentiale viæ, & medio prædicto, non verò cum subiecto: radix huius discriminis est, quia cùm forma aliqua recipitur secundùm esse ratum, permanens & firmum, recipitur ad modum recipientis, & per commensurationem cum ipso; quando verò est fluens, & via, licèt ex quo capite est accidens inhærens corpori pendeat ab illo, tamen quia est via ad formam vltimam & spiritualem, non debet nisi illi commensurari; sicut substantia spiritualis completa, vt Angelus, non potest recipi in subiecto corporeo, bene tamen substantia spiritualis incompleta, vt anima rationalis; sicut etiam species intentionales, quia recipiuntur tantùm transeunter, & secundùm esse diminutum in aëre, sunt immaterialiores ipso; species autem, quæ permanenter actuant potentiam, non possunt esse immaterialiores ipsâ, & ideo hæc accidentia vialia, licèt reuera insint, tamen potiùs respiciunt subiectum, vt mobile, quàm vt subiectum, quia attingunt illud vt moueant ad acquirendam vlteriorem formam altiorem; & ideo commensurantur cum termino & agente, non verò cum subiecto in quo recipiuntur; recipiuntur autem secundùm potentiam obedientialem, quæ respectu huius motionis est eiusdem rationis formaliter loquendo, tam in re corporea, quàm in spirituali.

Ad tertium dicendum, quòd mirum est aduersarios non aduertere totum illum articulum esse contra illos, nec verisimile est D. Thom. sibi contrariari in hac responsione: vnde concedendum est, quòd sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, vt in ea fiat quidquid creator disposuerit, ita etiam, vt ea mediâ fiat; cum ly (ea) sit relatiuum identitatis, & referat suum antecedens, scilicet potentiam obedientialem passiuam, quæ est in creatura, vt in ea fiat quòd Deus disposuerit: sensus D. Thom. est, quòd licèt potentia obedientialis creaturæ immediatè solùm sit ad recipiendam formam, vel motionem, quam Deus illi communicare voluerit, tamen mediatè etiam deseruit, vt creatura possit producere effectus supernaturales per aliquas formas supernaturales actiuas in se receptas; sicut aqua potest calefacere, quia potest recipere calorem: vnde hæc potentia obedientialis proximè actiua non est admittenda, quamuis possit admitti radicalis modo explicato, ita tamen, vt tota virtus proximè operatiua sit entitas superaddita supernaturalis: est autem magnum discrimen inter potentiam obedientialem actiuam & passiuam, quia passiua denotat imperfectionem & indigentiam in subiecto, scilicet posse recipere, quod sibi deest, actiua autem dicit perfectionem, cùm nemo det, nisi quod habet; & nisi in creaturis esset potentia obedientialis passiua, non essent subordinatæ

Deo : ſufficit autem illa, vt ſint ſubordinatæ,etiam quantùm ad agendum : cùm per illam recipiant à Deo virtutes actiuas ſupernaturales , quibus operantur. Ad confirmationem dicendum cum noſtris Complutenſibus quòd neutrum eſt poſſibile ; quia nulla virtus poteſt extrahi extra ſuum obiectum adæquatum : ſed dato quòd ſit poſſibile , negatur paritas ; quia cauſa formalis & materialis cauſant præcisè per communicationem ſuæ entitatis : & ita ſe habent paſſiuè , vel quaſi paſſiuè in receptione ſuæ compartis : cauſa verò efficiens ſe habet verè actiuè , & ita debet eius virtus intrinſecè augeri , vt poſſit efficere, quod naturaliter non poteſt.

Articulus II.

Vtrùm ſit de ratione inſtrumenti habere aliquam propriam ſibi virtutem , & propriam actionem præuiam?

Ad secundum ſic proceditur. Videtur quòd non ſit de ratione inſtrumenti habere aliquam propriam ſibi virtutem , & propriam actionem præuiam ad actionem principalis agentis , ab illa aliquo modo distinctam. Ita tenent Scotus in 4. d. 1. quæſt. 1. Durandus in 2. d. 1. q. 4. Molina 1.p. q. 45. Suares tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſectione 8. & alij. Probatur. Omnis actio inſtrumenti conuenit illi , virtute principalis agentis : aliàs aliquam eliceret virtute propriâ ; & ſic eſſet cauſa principalis, & patet ad ſenſum , quòd quando ſerra applicatur ad ſcindendum , non ſolùm modus ille artificioſus , ſed etiam ipſa ſciſſio eſt ab artifice ; nam ſerra niſi ab illo applicaretur, non ſcinderet : ergo inſtrumentum non habet actionem præuiam ad eam , quam elicit in virtute principalis agentis. Confirmatur. Vel talis actio eſſet diſtincta ab actione principalis agentis , vel non : ſi dicatur quod non eſt diſtincta : ergo non eſt præuia ; quia nihil eſt præuium ſibi : ſi verò dicatur quòd eſt diſtincta ; ergo eſt ab artifice,ac proinde nec ab inſtrumento, quia actio inſtrumenti ſemper debet eſſe à principali agente.

§ 2. Præterea , Dantur multa inſtrumenta naturalia, quæ non habent aliquam actionem præuiam ; ſicut aër illuminatus , qui inſtrumentaliter illuminat parietem ; aqua calida , quæ inſtrumentaliter calefacit ; ſigillum, quod inſtrumentaliter imprimit figuram in cera ; & phantaſma , quod inſtrumentaliter producit ſpeciem intelligibilem : & maximè quia in aqua & aëre non apparet propria virtus , quâ agunt : ergo non eſt de ratione inſtrumenti habere propriam virtutem , vel actionem præuiam.

§ 3. Præterea , Inſtrumenta diuinæ virtutis non habent hanc propriam virtutem , & præuiam actionem. Primò, quia Deus non indiget illâ actione propriâ inſtrumenti : imò videmus quòd indifferenter vtitur quacúmque creaturâ ad quoſcúmque effectus. Secundò, quia vtitur inſtrumentis corporeis ad res ſpirituales , vt patet in Sacramentis : & tamen res corporeæ non poſſunt habere propriâ virtute actionem in res ſpirituales. Tertiò , quia ſi haberent illam actionem præuiam , eſſet ad diſponendum ſubiectum ad effectum principalis agentis : & tamen verba conſecrationis agunt in panem & vinum , quæ non attingunt : & idem dicendum eſt de voce Chriſti , quâ reſuſcitauit Lazarum , & de aliis , quæ dicuntur deferre diuinum impetum , & applicare diuinam virtutem ad ſubiectum aliquod diſtans. Quartò , quia humanitas Chriſti concurrit Phyſicè , vt inſtrumentum coniunctum diuinitatis ad producendam gratiam , quæ datur nobis per Sacramenta , & tamen non apparet quam actionem præuiam habeat. Idem dicendum eſt de actibus internis Chriſti , & de paſſione eiuſdem , & de Sacramentis, quæ conſiſtunt in vſu , ad productionem gratiæ, & de oſſibus Sancti Eliſei , quæ ſolo contactu reſuſcitauerunt mortuum : ergo non eſt de ratione inſtrumenti, vt ſic , habere aliquam propriam virtutem , & propriam actionem præuiam.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, ac plures alij.

Conclusio.

Cùm inſtrumentum cooperetur actioni principalis agentis, & ſint determinata inſtrumenta neceſſaria ad determinatos effectus: de ratione inſtrumenti eſt habere aliquam propriam virtutem , & propriam actionem præuiam.

Respondeo dicendum , quòd de ratione inſtrumenti eſt habere aliquam propriam virtutem , & propriam actionem præuiam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt , quòd licèt ad Phyſicum tantùm pertineat agere de inſtrumentis naturalibus , tamen quia, quantùm ad præſens attinet,eadem ratio occurrit de omnibus,ideo in genere agimus de inſtrumento ; vnde etiam conſequenter aliqua dicuntur de inſtrumentis diuinæ virtutis ad opera ſupernaturalia. Per ly autem (propriam virtutem) non intelligimus virtutem innatam præcisè , ſed virtutem intrinſecam & inhærentem , ſiue ſit innata, ſiue communicata ab extrinſeco,dummodo ſit diſtincta à motione, quâ agens principale eleuat actu inſtrumentum. Item ſciendum eſt , quòd duo poſſunt concurrere ad eumdem effectum dupliciter. Primò, ita vt, licèt in eſſe entis ſint duo, tamen in ratione, & virtute agendi ſint ſimpliciter vnum & nullo modo duo, quia conſtituunt vnicum & idem indiuiſibile agens ; ſicut intellectus , & lumen gloriæ in viſione beatifica ; nam intellectus eſt tantùm principium radicale & remotum : lumen gloriæ verò eſt tota ratio proxima videndi Deum , & integrant vnum principium viſionis , quod in ratione agendi eſt omnino indiuiſibile & vnicum : quia idem agens includit tam virtutem agendi radicalem,quàm proximam. Secundò, poſſunt duo concurrere ad eumdem effectum , ita vt non ſolùm in ratione entis,ſed etiam in ratione agendi ſint duo,quia vtrumque habet ſuam vim agendi, tam remotam, quàm proximam : eſt autem hoc diſcrimen inter hos duos concurrendi modos , quòd ea quæ in ratione entis ſunt duo , ſed in virtute agendi vnum , non operentur niſi per vnicam & indiuiſibilem omnino actionem , quia vni & indiuiſibili agenti vnica & indiuiſibilis actio correſpondet : ea verò quæ in ratione agendi ſunt duo ſimpliciter , & adæquatè in hoc ordine, & habent diſtinctas virtutes agendi proximas,licèt ſecundùm aliquam conſiderationem conſtituant vnicum & indiuiſibile agens , debent tamen operari per actiones aliquo modo diſtinctas : quia quælibet virtus agendi proxima, quæ conſtituit agens diſtinctum ab alio , petit ſuam propriam actionem, & talis actio debet ſapere naturam ipſius virtutis agendi proximæ.

Probatur concluſio authoritate D.Th. 1.p. q.45. art. 5. vbi ſic ait. *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris , niſi inquantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis.* Item 2. contra gentes cap. 21. arg. 6. *Omne agens inſtrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam & naturalem ſibi* : Et propterea ibidem negat poſſe aſſumi inſtrumentum ad creandum , quia non poteſt dari talis actio præuia. Item 3. p. q. 62. art. 1. ad 2. *Inſtrumentum habet duas actiones vnam inſtrumentalem , ſecundùm quam operatur, non in virtute propria , ſed in virtute principalis ; aliam autem habet actionem propriam , quæ competit ſibi ſecundùm propriam formam : non autem perficit inſtrumentalem actionem , niſi exercendo actionem propriam , ſicut ſecuris ſcindendo facit lectum.* Idem docet alibi ſæpe.

Secundò, Probatur ratione D.Thom. Cauſa inſtrumentalis non participat actionem cauſæ principalis , niſi inquantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalem illius, vt docet D.Th. loco citato 1. p. ergo repugnat eſſe inſtrumentum, & non habere actionem propriam & præuiam : patet conſequentia: quia repugnat eſſe inſtrumentum , & vt tale influere ; & non participare actionem principalis agentis : aliàs non attingeret effectum principalem , nec eſſet inſtrumentum reſpectu illius : vt autem inſtrumentum fiat particeps actionis principalis agentis , ſiue vt in virtute illius at-

tingat

tingat effectum principalem, indiget eleuatione: quia est instrumentum, & agens inferius, & improportionatum ad illum attingendum: sed non potest eleuari à principali agente, nisi habeat virtutem agendi propriam: nam sicut est impossibile causam secundam principalem subordinari primæ, nisi antequam præmoueatur à prima, habeat in se propriam virtutem in suo ordine principalem respectu effectus: quia hæc subordinatio est in ratione causæ efficientis secundæ: ita quia instrumentum comparatur cum causa principali, & eleuatione eius, vt agens inferius ad superius, & eleuatur, quia est causa actiua inferior & instrumentalis; oportet vt habeat aliquam propriam virtutem licèt inferiorem & improportionatam: aliàs non erit capax eleuationis, cuius subiectum proprium est agens inferius improportionatum, vt tale: vel non esset maior ratio cur requireretur potiùs hoc instrumentum ad hoc opus, quàm aliud: si autem instrumentum habet propriam virtutem, etiam habet propriam actionem, quæ sit iuxta conditionem huius virtutis proximæ, & sapiat naturam eius, priusquam fiat particeps illius alterius actionis agentis principalis: nam, cùm debeat instrumentum habere propriam vim actiuam, vt possit eleuari, & fieri particeps actionis agentis principalis, & talis virtus non debeat esse otiosa, sed actiua (aliàs non requireretur in instrumento in ratione virtutis actiuæ, sed in ratione entis; & consequenter instrumentum non egeret eleuatione, formaliter loquendo, quia est causa actiua inferior;) necessariò debet habere propriam actionem præuiam correspondentem illi virtuti propriæ, quæ in ipso instrumento præsupponatur: dicit enim D.Th. 3. p. q. 19. art. 1. *Vbicumque mouens, & motum habent diuersas formas, seu virtutes operatiuas, ibi oportet quòd sit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti: vnde sicut instrumentum elicit actionem excellentiorem se, quia habet virtutem altiorem se communicatam sibi à principali agente, cui talis actio correspondet; ita debet habere aliam actionem sibi proportionatam, quæ correspondeat propriæ virtuti: nam cuilibet virtuti proxima debet propria actio correspondere, quæ sapiat naturam eius; quandoquidem ab illa sola, vel saltem etiam ab illa desumit suam speciem.* Ex quo patet differentia inter instrumentum, & purum subiectum deferens actionem agentis: nam istud non petit, vt tale, quòd sit actiuum, ac proinde nec petit habere propriam actionem: instrumentum verò, quia, vt tale, est in ordine actiuorum, & consequenter est eleuabile in ratione actiui; debet habere necessariò propriam virtutem; & consequenter propriam actionem: & quia illa virtus est priùs in instrumento, quàm aliam participet à principali agente, sic eius actio est præuia actioni principalis agentis; maximè quia non exercet illam, nisi exercendo propriam, vt ait D.Th. non enim serra scindit artificiosè, nisi scindendo, & priùs est scindere, quàm scindere artificiosè.

Tertiò, Causa principalis, & instrumentum pertinent ad genus causæ efficientis: instrumentum autem non influit, vt constituens vnum & indiuisibile agens cum causa principali: & sic influunt, vt sunt simpliciter duo in ratione agentis, & habent distinctas virtutes agendi proximas, licèt virtus instrumenti subordinetur, & eleuetur à virtute principalis agentis in ordine ad actionem principalem: ergo non solùm cuilibet debet correspondere sua propria actio, & quæ sit talis iuxta conditionem suæ virtutis, sed etiam actio correspondens virtuti propriæ instrumenti, debet esse præuia ad eam, ad quam eleuatur, quæ est eadem indiuisibilis actio agentis principalis. Confirmatur. Licèt instrumentum, vt est eleuatum, eliciat eamdem omnino actionem, quam agens principale, & vt sic sint vnum & indiuisibile agens, ex D.Th. 3. p. q. 19. art. 1. ad 2. tamen quia absolutè loquendo, constituunt duos ordines causæ efficientis, scilicet instrumenti & causæ principalis, ideo non comparantur præcisè, vt faciunt vnum & indiuisibile agens, sed vt absolutè sunt duo agentia, consequenter requirunt duas actiones, & actio correspondens virtuti propriæ instrumenti, est necessariò prærequisita ad actionem principalis agentis, siue ad actionem illam, quæ eidem instrumento conuenit in virtute illius; quia agens principale vtens instrumento attingit effectum mediante illo, vt agente distincto: ergo attingit illum effectum medio instrumento, non solùm operante, sed vt aliquo modo priùs operante.

Quartò, Probatur conclusio ex inconuenientibus, quæ affert D. Th. q. 45. citatâ, si instrumentum non haberet propriam virtutem & actionem. Primò, in causis naturalibus instrumentum frustra adhiberetur. Secundò, non deberent esse à natura destinata certa & determinata instrumenta connaturalia ad determinatos effectus. Patet primum; nam cùm virtus principalis causæ sit perfectiùs in ipsa, quàm in instrumento; si instrumentum tantùm ageret per hanc virtutem, vel motionem deriuatam ab ipsa, & non per aliam virtutem proximam, & per aliam actionem, quæ sit talis iuxta conditionem huius virtutis; fieret inde quòd agens principale meliùs ageret sine instrumento, quàm cum illo; & sic frustra vteretur eo. Ex quo etiam patet secundum; nam si instrumentum ex propria virtute nihil influit, non magis deseruiret serra ad scindendum, quàm ad scribendum: nam motio instrumenti, vel subordinatio ad causam principalem potest esse eadem in quolibet instrumento, si agens sicut vult mouere vnum, vellet mouere aliud. Hæ rationes non solùm probant de instrumentis causæ finitæ, quæ illa assumit propter indigentiam, sed probant de instrumento, vt sic, à quocúmque assumatur: quia non aliter est capax recipiendi actionem principalis agentis: vnde discrimen, quod est inter instrumenta Dei, & causarum creatarum, est in hoc præcisè, quòd Deus potest vti qualibet re habente virtutem ad præuiè concurrendum: non verò creaturæ: si enim non concurreret præuiè, non ageret vt instrumentum, sed solus Deus ad præsentiam illius.

Ad primum ergo dicendum, quòd instrumentum potest comparari ad duplicem effectum, scilicet ad proprium quem agit virtute propriâ; licèt etiam ad hunc aliquando egeat motione agentis principalis, non tanquam dante rationem agendi commensuratam cum effectu, sed tanquam applicante virtutem hanc, & agendi rationem, quam supponit: nam serra licèt habeat sufficientem virtutem ad scindendum, oportet tamen quòd applicetur ab alio ad hunc effectum. Si autem comparetur ad effectum principalis agentis, respectu cuius est instrumentum, tunc influit in virtute, & per virtutem principalis agentis, scilicet per motionem virtuosam ab illo participatam, modificatam tamen ab instrumento: vnde sequitur quòd instrumentum respectu propriæ actionis, potest dici causa principalis, licèt non in toto rigore, cùm subordinetur alteri propter effectum altiorem ab illo intentum: cùm enim sit de ratione instrumenti, & quòd habeat actionem præuiam dispositiuam, & quòd exercendo hanc, eliciat etiam aliam actionem principalis agentis, & ab illo per se primò tunc solùm intentam: oportet vt non extrahatur à ratione instrumenti, quatenus habet actionem propriam propriæ virtuti correspondentem. Ad confirmationem dicendum, quòd aliquando actio instrumenti est distincta ab actione principalis agentis, aliquando verò non distinguitur nisi modaliter: & hæc distinctio sufficit, vt actio instrumenti sit semper aliquo modo prior actione principalis agentis, quod ipsum ad vtrámque præmouet: quando verò est distincta, aliquando procedit à causa principali; sed tamen est præuia ad aliam magis principaliter intentam: aliquando verò non procedit à causa principali, vt postea dicetur: nec hoc destruit rationem instrumenti, cùm sufficiat illi quòd actio eius instrumentaria, per quam attingit effectum principalis agentis formaliter sumpta sit ab vtroque.

Ad secundum dicendum, quòd nec aër, nec aqua ad tales actiones sunt propriè instrumenta, sed sunt tantùm subiecta deferentia actionem principalis agentis: sigillum autem habet aliquam virtutem, & actionem in tali impressione; putà diuidere materiam. Ad illud de phantasmate, dicendum quòd quando actio, vel terminus aliquis

vitalis alicuius actionis assumitur vt instrumentum, censetur assumi potentia, cuius est talis actio: & sic illa actio, & ille terminus sunt illud præuium, quod requiritur in instrumento: vnde instrumentum debet habere actionem præuiam, vel debet esse ipsa actio præuia, aut aliquid ipsam inuoluens.

Ad tertium dicendum, quòd licèt Deus non indigeat instrumentis ad suos effectus, tamen si velit illos producere mediante instrumento, necessariò requiritur, vt habeant suam actionem præuiam: aliàs instrumentum nihil faceret, sed Deus solus operaretur ad præsentiam instrumenti: ex hoc tamen, quòd est agens infinitæ virtutis, non indiget determinatis instrumentis, sicut agentia creata indigent, sed potest quocúmque vti, non tamen excludens eius actionem præuiam: res autem corporeæ, vt Sacramenta, licèt virtute propriâ non possint attingere res spirituales, hoc tamen possunt eleuatæ diuinâ virtute & motione: sed tamen habent semper aliquam actionem propriam & præuiam: aliàs non essent instrumenta, quia ex se nihil agerent: vnde dicit D. Aug. *Quæ tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & mentem abluat?* Hæc tamen actio præuia se habet primò, per se, & directè dispositiuè potiùs ad hoc, vt agens inferius participet actionem superioris, ac proinde adhoc vt agens superius agat, quàm ad hoc vt producat aliquid præuium in passo, quod sapiat naturam illius virtutis inferioris & propriæ: per hoc tamen disponit ad effectum, inquantum disponit ad participandam actionem principalis agentis, & illam defert, & applicat virtutem eius ad passum. Ad illud quod 3. loco affertur, dicendum, quòd licèt instrumenta causæ creatæ requirant contactum subiecti in quod agunt, hoc tamen non requirunt necessariò instrumenta Dei: nam vt ait D. Th. 2. 2. q. 178. art. 1. ad. 1. possunt operari circa vnum subiectum per solam propriam virtutem, & dispositiuè concurrere circa aliud ad effectum causæ principalis: vnde illud tantùm contingit contactu virtuali: tunc enim tantùm instrumentum requirit subiectum præsens secundùm locum, quando causa principalis non potest aliter illud attingere; Deus autem est intimè præsens in omnibus: & ideo instrumentum in eius virtute modificata in ipso instrumento, & per eius actionem attingit virtualiter subiectum distans, & in eo operatur. Ad aliud dicendum, quòd humanitas Christi concurrit ad hoc per suos actus internos, qui licèt maneant in Christo, tamen ex diuina eleuatione, possunt deseruire ad productionem gratiæ, & ad transubstantiationem panis in corpus Christi, nec est necessarium prædictos actus imperij Christi esse in se formaliter: sed sufficit reperiri quoad executionem ipsius imperij, quæ executio consistit in ipsa applicatione Sacramenti facta à ministris ex imperio, & ordinatione eius: nam hæc executio est quædam continuatio illius imperij, sicut actus exterior continuatur cum interiori: Ita vt sint vna actio completa & consummata: vnde non solùm minister baptizat vel absoluit, sed etiam Christus Dominus inquantum homo: quia illa est eius actio exterior continuata cum actione interiori, quâ vult & imperat ablutionem vel absolutionem: ita D.Th. 3. p. q.64. art. 4. Quantùm ad passionem Christi quidam dicunt quòd solùm concurrat moraliter; & sic sufficit quòd fuerit: alij verò quòd Physicè, & dicunt ipsam remanere virtute in sacris stigmatibus Christi. Ad illud de sancto Eliseo dicendum, quòd ille contactus licèt non fuerit rigorosa actio, tamen fuit per modum actionis præuiæ, quæ saltem requiritur ad rationem instrumenti: nec propterea potest dici quòd per actionem præuiam possit explicari D.Th. quòd intelligat quamcúmque entitatem.

Quæstio XIII.

De Casu, fortuna & fato.

Post considerationem causæ efficientis per se, superest considerandum de causis per accidens effectiuis, quæ sunt casus & fortuna: de fato etiam aliquid dicetur, quia pertinet ad ordinem causarum & opponitur casui & fortunæ: circa hæc quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm sint fortuna & casus, & in quibus reperiantur?

¶ Secundò, Vtrùm fortuna & casus rectè definiantur ab Aristotele?

¶ Tertiò, quænam sit prima radix contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus?

¶ Quartò, Vtrùm sit fatum?

¶ Quintò, Quid sit fatum?

Articulus I.

Vtrùm sint fortuna & casus, & in quibus reperiantur?

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd non sint fortuna & casus, nec dentur effectus fortuiti & casuales, siue contingentes. Ita tenuerunt Stoici, vt refert Aristoteles in hoc lib. cap. 4. Probatur. Nullus est effectus, qui non habeat causam per se & determinatam; nam v. g. inuentio thesauri, quæ solet dici effectus casualis, per se, & necessariò consequitur fossionem in illa parte terræ, in qua latebat talis thesaurus: ergo non datur casus & fortuna: quia si darentur, essent causæ per accidens. Confirmatur ex D. Aug. 1. retract. c. 1. vbi se corrigit, quòd fuerit vsus nominibus casus & fortunæ, quibus vtuntur Gentiles: & ita sensit, quòd non significent aliquam rem veram.

¶ 2. Præterea, Non possunt dari effectus casuales & fortuiti respectu Dei: cùm nihil eueniat præter eius intentionem & præuisionem; omnia enim fiunt sicut Deus vult & præuidet. Nec possunt dari respectu Angelorum, cùm omnis creatura corporalis administretur ab ipsis, & obediat eis ad nutum, cùm sint superioris virtutis. Nec respectu cœlorum: cùm virtus, & motus primi mobilis concurrat per se ad influxum cuiuscúmque causæ particularis: & ita non potest impediri: vnde omnia naturalia necessariò eueniunt iuxta influxum cœlorum: ergo non datur casus & fortuna, saltem respectu Dei, Angelorum & cœlorum.

¶ 3. Præterea, Si darentur effectus casuales maximè essent monstra: sed monstra, cùm sint effectus causæ naturalis, quæ necessariò agit propter finem intentum, non sunt effectus casuales: ergo non dantur effectus casuales.

Sed contra est expressa authoritas Aristot. in præsenti, D. Th. & communiter omnium Philosophorum.

Conclusio.

Cùm nihil eueniat præter intentionem Dei, multa verò fiant per accidens in operibus Angelorum, cœlorum, & omnium aliorum: non dantur effectus casuales respectu Dei, bene tamen respectu Angelorum, cœlorum, & aliorum omnium.

Respondeo dicendum, quòd dantur casus & fortuna, siue effectus casuales & fortuiti. 2. non quidem respectu Dei. 3. Sed respectu Angelorum. 4. Cœlorum, vt influunt in hæc inferiora. 5. & aliarum causarum particularium.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi, & D.Th. in præsenti. Deinde ex communi vsu loquendi: concedunt enim omnes dari effectus fortuitos & casuales. Denique ratione. Effectus fortuitus & casualis dicitur ille, qui per accidens fit ab aliqua causa, quæ aliud intendebat, & consequenter præter eius intentionem: sed dantur multi effectus huiusmodi, sicut patet in eo, qui fodiens terram, præter intentionem inuenit thesaurum; nulla enim datur causa particularis per se intendens talem inuentionem: ergo multi dantur effectus ca-

casuales

suales & fortuiti, & consequenter fortuna & casus, quæ sunt causa illorum.

Probatur secunda pars conclusionis contrario fundamento. Effectus fortuitus & casualis dicitur ille, qui per accidens fit ab aliqua causa, quæ aliud intendebat, & consequenter præter eius intentionem: sed nihil fit, nec à Deo immediatè, nec ab aliis causis præter intentionem Dei; nihil enim succedit, nisi quod ipse vult & præuidet, & eo modo quo vult & præuidet: alioquin in eo esset ignorantia & impotentia, quod sacrilegum & absurdum est dicere: ergo non dantur effectus fortuiti & casuales respectu Dei, licèt ipse cognoscat dari effectus casuales & fortuitos, qui sunt tales per ordinem ad alias causas, & singulos videt & intendit.

Probatur tertia pars conclusionis. Effectus fortuitus & casualis est ille, qui per accidens fit ab aliqua causa, quæ aliud intendebat, & consequenter præter eius intentionem: sed multa fiunt & possunt fieri in istis inferioribus præter intentionem Angelorum; sicut si Deus mitteret Angelum ad destruendam aliquam ciuitatem, de qua est discordia inter Principes, & per illam destructionem Deus intenderet illos reducere ad concordiam, & tamen id non reuelaret Angelo, non est dubium, quin Angelo destruenti ciuitatem, ille alius effectus, scilicet concordia, esset casualis & fortuitus: ergo dantur casus & fortuna, siue effectus casuales & fortuiti respectu Angelorum.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate Aristot. 2. de somno & vigilia versùs finem. Item Ptolomæi Astrologorum Principis. Item D. Th. 3. contra gentes cap. 86. Deinde multa accidunt præter intentionem, siue (quod idem est in agentibus naturalibus) præter naturalem cœlorum inclinationem, & hoc ex diuersa dispositione materiæ, vel concursu aliarum causarum inferiorum, v.g. elementorum, iuxta proprias virtutes impedientium, ne influxus cœlorum operetur effectus sibi proportionatos, quod quotidie experimur: ergo dantur effectus casuales & fortuiti respectu cœlorum, vt influunt in hæc inferiora: nam quantùm ad ea, quæ in ipsis fiunt, nihil est casuale, sed necessariò contingunt, vt diuersi motus, diuersus siderum concursus: hæc enim eueniunt ex intentione mouentium.

Quinta pars conclusionis non indiget aliâ probatione, quàm experientiâ: experimur enim, quòd aliquis fodiens terram præter intentionem inuenit thesaurum; alius pergens ad aliquem locum, occurrit amico, & sic de aliis: ergo dantur effectus casuales & fortuiti respectu causarum particularium.

Ad primum ergo dicendum, quòd falsum est omnes effectus habere causam per se, vt patet in exemplo allato: & licèt suppositâ fossione necessariò inueniatur thesaurus si ibi sit, tamen fossio & inuentio thesauri, siue terram fodi, & ibi esse thesaurum absconditum, per accidens coniunguntur, tum inter se, tum respectu fodientis terram alio fine, v.g. ad seminandum in ea triticum: quando autem dicitur illud, quod est per accidens, debere reduci ad per se tale, si intelligatur de causis particularibus, in duplici sensu est verum. Primò, ita vt quod conuenit alicui per accidens, conuenit alteri per se. Secundò, quòd omnis causa, quæ est causa per accidens respectu vnius effectus, sit causa per se respectu alterius: sicut omnis effectus per accidens productus reducitur ad illum, qui productus est per se ab eadem causa: non tamen quòd ipsemet effectus fuerit per se ab alia causa particulari productus: vnde fortuna & casus sunt causa illa, quæ præter effectum per se productum, habet alium per accidens rarò contingentem. Ad confirmationem dicendum, quòd D. Aug. tantùm vult non esse vtendum Christianis nomine fortunæ, si sub illo intelligatur aliquod numen diuinum, vt credebant Gentiles: non tamen negat, quòd sint causæ aliquæ particulares, à quibus casu & fortuitò eueniant aliqui effectus, qui proinde dicuntur casus & fortuna.

Ad secundum dicendum, quòd est verissimum quantùm ad primam partem. Quantùm ad secundam de Angelis dicendum, quòd cùm virtus Angeli, eiúsque prouidentia sit particularis, potest aliquid accidere præter eius intentionem, ac proinde fortuitò: maximè quia, vt docet D.Th. 1.p. q.110. art.2. materia corporalis non obedit ad nutum Angelis, sed tantùm quoad motum localem: & ita tam in homine, quàm in aliis corporalibus, potest aliquid accidere præter intentionem Angeli, non autem Dei, propter contrarias rationes: quia cùm sit omnipotens, omnia ad nutum ei obediunt: & cùm sit generalis prouisor, nihil subterfugit eius prouidentiam, sed qui exit ab vno ordine prouidentiæ, incidit in alium, vt docet D. Th. 1.p. q.23. Quantùm ad tertiam de cœlis dicendum, quòd virtus & influxus cœlorum potest impediri ex diuersa dispositione materiæ, ex D.Th. 1.p.q.115. art.6. ad 2. vbi sic ait. *Virtus corporis cœlestis non est infinita, vnde requirit determinatam dispositionem in materia ad inducendum suum effectum, & quantùm ad distantiam loci, & quantùm ad alias conditiones*: Et ideo sicut distantia loci impedit effectum cœlestis corporis, non enim Sol eumdem caloris effectum habet in Dacia, quem habet in Æthiopia, ita & grossities materiæ, vel frigiditas, aut caliditas, aut alia huiusmodi dispositio illius impedire potest effectum corporis cœlestis: hæc autem diuersa dispositio materiæ non semper prouenit ex diuerso influxu cœlorum, maximè in elementis, quæ cùm sint partes substantiales vniuersi, fuerunt creata cum suis propriis qualitatibus, ex quibus resultant similes in mixtis: deinde talis influxus potest impediri ab agentibus liberis iuxta illud: *Sapiens dominabitur astris*: Vel denique ex debilitate aliquorum agentium, quæ licèt recipiant influxum cœlestem ad aliquem effectum, tamen ob innatam debilitatem sæpe non operantur.

Ad tertium dicendum cum D.Th. quòd monstrum est quidem à causa naturali, sed deficiente, siue agente præter intentionem: sicut quilibet effectus fortuitus est ab intellectu agente præter intentionem: licèt agant propter aliquem finem, quem tamen non semper assequuntur ob concursum aliarum causarum impedientium: & ita monstrum deficit à fine, saltem primariò: nam agens intendit primariò producere sibi simile.

Articulus II.

Vtrùm fortuna & casus rectè definiantur ab Aristotele?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd non rectè definiantur ab Arist. fortuna & casus sic. *Fortuna est causa efficiens per accidens ex electione propter finem in his, quæ rarò contingunt: casus verò est causa efficiens per accidens propter finem in his, quæ rarò contingunt.* Probatur, quantùm ad definitionem fortunæ. Philosophus in hoc 2. lib. textu 55. dicit quòd fortuna est sine ratione: ergo non agit ex electione: cùm electio sit actus rationis. Deinde effectus fortuitus est ille, qui euenit præter intentionem: ergo fortuna non agit ex electione: quæ enim fiunt ex electione, fiunt ex intentione. Denique multa fiunt fortuitò, quæ tamen sæpe contingunt: nam multi bibentes vinum propter dulcedinem, sæpe inebriantur præter intentionem: ergo non rectè ponitur in definitione fortunæ (in his quæ rarò contingunt.)

¶ 2. Præterea, Quantùm ad definitionem casus. Philosophus in hoc 2. lib. textu 62. ait quòd, *Casus tunc dicitur quando aliquid fit frustra*: Sed quod fit frustra, non fit propter finem. Deinde casus reperitur tantùm in agentibus naturalibus: sicut fortuna in agentibus liberis: sed agentia naturalia non agunt propter finem: cùm enim non cognoscant finem, non possunt illum intendere: ergo malè ponitur in definitione casus (in his quæ agunt propter finem.)

¶ 3. Præterea, Quantùm ad vtrámque. Effectus casualis non potest esse nisi à casu, sicut effectus fortuitus non potest esse nisi à fortuna: & vice versâ, casus non potest efficere nisi effectum casualem, sicut & fortuna non potest efficere nisi effectum fortuitum: sed quando causa,

& effectus ita se mutuò respiciunt; effectus procedit per se à causa: ergo malè ponitur in definitione fortunæ & casus, quòd sint (causa efficiens per accidens.)

Sed contra est ipsa authoritas Aristotelis tradentis has definitiones, quas vt optimas admittit D. Thom. & communiter Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm per has definitiones rectè exprimatur quid sint fortuna & casus, rectè definiuntur fortuna & casus ab Aristotele.

Respondeo dicendum prædictas definitiones esse optimas, vt constat ex earum explicatione. Dicitur fortuna esse (causa) per quod distinguitur Philosophus à vulgo: vulgus enim nomina fortunæ intelligit ipsum effectum fortuitum, vt inuentionem thesauri: imò confundit cum effectu casuali, à quo aliquem fortunatum vel infortunatum appellat: Philosophus autē fortunam nominat causam ipsā, quæ est per accidens respectu talium effectuum.

Dicitur 2. (efficiens) quia tantùm pertinet ad genus causæ efficientis, vt docet D. Th. cap. 4 & 5. huius libri: & ratio est manifesta; quia proprium est solius causæ efficientis agere, & mouere se in finem: fortuna autem debet esse causa agens aliquid propter finem, & mouens se in illum, cui accidit aliquis effectus præter intentionem, respectu cuius dicitur fortuna.

Dicitur 3. (per accidens.) Ad cuius euidentiam sciendum est, causam per accidens esse in duplici differentia: nam primò, dicitur talis ratione alicuius accidentis se tenentis ex parte causæ, vt album est causa per accidens statuæ, quia accidit statuario esse album, & in hoc sensu fortuna non est causa per accidens. Secundò, dicitur talis ratione accidentis, quod coniungitur effectui producto, & per se intento; & in hoc sensu fortuna est causa per accidens, quia est causa per se respectu vnius effectus, ad quem alius ex accidenti sequitur.

Dicitur 4. (ex electione propter finem) nam causa, quæ est fortuna, debet agere liberè, & vt mouens se in finem, & consequenter ex electione: & per hoc præcisè distinguitur fortuna à casu: casus enim eodem modo definitur, ac fortuna si auferatur hæc particula: quia agens casuale non agit mouens se in finem, & ex electione: quando autem dicitur fortunam agere ex electione: non debet intelligi respectu effectus fortuiti: aliàs non esset fortuitus, at per se intentus: sed debet intelligi respectu effectus primarij, respectu cuius est causa per se, & ad quem sequitur fortuitus.

Dicitur 5. (in his quæ rarò contingunt) cùm sit manifestum non dari causam per accidens, sed causam per se respectu illorum effectuum, qui semper, vel fere semper eueniunt; ac proinde respectu illorum non datur fortuna & casus, quæ sunt causæ per accidens. Alij proponunt definitionem fortunæ sub aliis verbis: scilicet fortuna, est causa per accidens in his, quæ fiunt secundùm propositum propter finem in minori parte: sed idem est sensus: ex quibus apparet bonitas harum definitionum.

Ad primum ergo dicendum, quòd fortuna dicitur fine ratione formaliter considerata, id est, vt fortuna, siue vt causa fortuita, & respectu effectus fortuiti, qui contingit rarò, & præter rationem ac intentionem: non verò materialiter considerata, siue respectu effectus per se intenti; & similiter dicendum ad primam instantiam. Ad aliam dicendum, quòd si illa ebrietas est frequens, non est fortuita: quod enim sæpè, aut semper coniungitur cum alio, cadit sub eadem intentione: & ita qui vult vnum, vult & aliud coniunctum cum illo, vt in plurimùm.

Ad secundum dicendum, quòd causa dicitur agere frustra, quando non consequitur illud, quod intendebatur: & quia aliquando euenit id, quod non intendebatur, ideo dicitur casus, cùm aliquid sit frustra: quod autem agit frustra, semper agit propter finem. Ad aliud dicendum, quòd agentia naturalia agunt propter finem, ad quem feruntur naturali inclinatione, quam acceperunt ab authore naturæ: vnde potiùs in illum mouentur ex directione primi agentis, quàm se moueant: & ita non est necesse quòd illum agnoscant, sicut cognoscunt agentia libera, quæ se mouent in finem.

Ad tertium dicendum quòd licèt effectus fortuitus per se, & ab intrinseco petat fieri à causa per accidens, & causa per accidens ex se petat producere talem effectum: non tamen comparantur per modum causæ, & effectus per se: quia ly [per se] non cadit absolutè, & simpliciter supra rationem causæ, sed supra rationem causæ per accidens: sicut liberum & contingens est per se necessariò liberum & contingens, & tamen non sequitur quod sit necessarium.

ARTICVLVS III.

Quænam sit prima radix contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd prima radix contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus sit defectibilitas, vel indefectibilitas ipsarum in suis operationibus, & nullo modo sit recurrendum ad voluntatem & omnipotentiam Dei. Probatur ex Philosopho 1. Periherm. cap. penultimo vbi dicit, quòd radix contingentiæ in nobis, est ex eo quòd sumus consiliatiui: sed in rebus naturalibus, ex eo quòd materia est in potentia ad vtrùmque oppositorum.

¶ 2. Præterea, Effectus causæ secundæ dicitur contingens, quia est impedibilis: sed est impedibilis præcisè per ordinem ad causam secundam defectibilem, & non per ordinem ad causam primam, iuxta illud Ester. 13. *Nec est qui voluntati tuæ possit resistere*: Ergo prima radix contingentiæ, & necessitatis in rebus naturalibus est defectibilitas, vel indefectibilitas ipsarum in suis operationibus.

¶ 3. Præterea, Licèt Deus ageret ex necessitate naturæ, adhuc essent effectus contingentes, ergo Deus non est causa necessitatis, maximè quia agit liberè; & ex alia parte nullus datur effectus contingens respectu Dei, cùm nihil eueniat præter eius intentionem: ergo Deus non est causa contingentiæ: vnde prima radix contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus, est defectibilitas vel indefectibilitas ipsarū in suis operationibus: & nullo modo est recurrendum ad voluntatem & omnipotentiam Dei.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, Caietan. 1. p. q. 19. art. 8. Bannes ibidem. Zumel q. 14. art. 13. Ferrar. 1. contra gentes cap. 67. Aluares de auxilijs lib. 3. disp. 26. & alij.

CONCLVSIO.

Cùm omnia eueniant eo modo quo Deus statuit, siue necessariò, siue contingenter: diuina voluntas, & omnipotentia est prima radix contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus.

Respondeo dicendum, quòd summa efficacia & omnipotentia diuinæ voluntatis est prima radix, & prima causa efficiens contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus: quia absolutè, & efficaci decreto præconstituit, quòd ex talibus causis contingentibus sequerentur tales effectus contingentes, & ex causis necessariis effectus necessarij. 2. proxima autem, & formalis ratio contingentiæ sumitur ex causa defectibili, & impedibili per concursum alterius causæ: 3. necessitatis verò est indefectibilitas, & impedibilitas eiusdem causæ proximæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd contingens sumitur dupliciter: Primò latè pro eo omni, quod potest esse, & non esse: & in hoc sensu omnia creata sunt contingentia: quia non conuenit necessariò vlli creaturæ esse, sed ex libera Dei voluntate, à quo non necessitate naturæ, sed liberè processerunt. Secundò, accipitur propriè contingens pro eo quod potest esse, & potest non esse, quantùm est ex parte causæ secundæ: quia scilicet talis causa est indifferēs ad illum producendum, vel non producendum: & si est determinata, potest impediri per concursum aliarum causarum secundarum: inter effectus autem contingentes actus liberi tenent primum locum, ex D. Th. in 1. d. 39. q. 2. art. 2. cùm causa libera se habeat indifferenter ad opposita:

posita: ex quo patet quòd ad contingentiam propriè dictam requiritur, vel quòd virtus actiua causæ non sit determinata ad vnum, vel si sit determinata ad vnum, quòd possit impediri per concursum alterius causæ secundæ ne producat suum effectum: sicut ignis licèt naturaliter sit determinatus ad comburendum, tamen eius combustio est contingens, quia per infusionem aquæ potest impediri, ita D. Th. in hoc 2. libro lect. 8. & alibi, primus tamen modus contingentiæ est propriissimus.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 19. art. 8. vbi explicans vnde proueniat quòd aliqui effectus sint contingentes, & non omnia eueniant necessitate absolutâ, sic ait: *Hoc contingit propter efficaciam diuinæ voluntatis: cùm enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam: non tantùm secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi, vel essendi: ex debilitate enim virtutis actiuæ in semine contingit, quòd filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi.* Cùm igitur voluntas diuina sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult: vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, vt sit ordo in rebus ad complementum vniuersi: & ideo quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proueniunt: quibusdam autem aptauit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes eueniant: non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea, quia Deus voluit contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit.

Secundò, summa efficacia diuinæ voluntatis est quantùm ad exercitium causa rerum omnium, tam necessariarum, quàm contingentium; & præparat causas necessarias, vt ex illis eueniant effectus necessarij; & causas contingentes defectibiles, vt ex illis proueniant effectus contingentes proportionati suis causis, & hoc illi conuenit; quia cùm sit prima & vniuersalissima causa, continet formaliter, vel eminenter omnem modum causalitatis, qui reperitur in causis secundis: ergo est prima radix contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus, vt ex se patet: si enim effectus sint contingentes, vel necessarij, quia procedunt à causis contingentibus, vel necessariis, & Deus præparauit tales causas ad tales effectus, eius omnipotentia est prima radix eorum contingentiæ vel necessitatis; non præcisè quia creauit tales causas contingentes aut necessarias, aliàs tales effectus euenirent in particulari præter intentionem Dei, & determinationem eius voluntatis, ac proinde essent fortuiti & casuales respectu Dei, quod est impossibile, sed quia absolutè & efficaci decreto præconstituit, quòd ex talibus causis contingentibus sequerentur tales effectus contingentes, & ex causis necessariis effectus necessarij: vnde effectus necessarij & contingentes priùs sunt ordine intentionis, vt patet ex citata authoritate D. Thom. ideo enim Deus præparat causas necessarias vel contingentes, quia vult esse effectus necessarios, aut contingentes: sunt autem posteriùs ordine executionis, & hoc dicimus in præsenti.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 3. part. quæst. 14. art. 13. ad 1. & 3. contra gentes cap. 86. ratione 2. vbi docet quòd licèt causa suprema sit necessaria, effectus tamen potest esse contingens propter causam proximam contingentem: sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentẽ; licèt motus Solis, qui est causa superior sit necessarius.

Secũdò, contingentia formaliter loquendo dicit imperfectionem & defectibilitatẽ: propterea enim D. Th. 3. contra gentes loco citato probat, quòd à causis naturalibus possunt euenire effectus contingentes, quia deficere possunt propter conditionem materiæ: ergo proxima & formalis ratio contingentiæ sumitur ex causa proxima defectibili & impedibili per concursum alterius causæ secundæ. Confirmatur ex D. Th. Quia cùm Deus vult effectus contingentes, præparat eis causas contingentes defectibiles, ex quibus contingenter procedant: si enim præpararet causas necessarias, non euenirent tales effectus contingentes; ergo proxima ratio contingentiæ sumitur ex causa proxima defectibili & impedibili; sicut & proxima ratio necessitatis, ex causa proxima indefectibili, & non impedibili ab alia causa secunda: & ex hoc patet ad tertiam partem conclusionis, quæ proportionali, licèt contrario modo probatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philosophus non loquitur de prima radice contingentiæ absolutè, sed tantùm de radice in causa proxima.

Ad secundum dicendum, quòd effectus contingens est impedibilis per ordinem ad causam proximam, sed hæc impedibilitas debet reduci, tanquam ad proximam radicem, ad summam efficaciam diuinæ voluntatis, quæ tali effectui præparauit causam defectibilem: nec locus scripturæ contrariatur, imò idem affirmat, per hoc enim quòd omnia eueniunt, quæ Deus vult, & eo modo quo vult, non resistitur diuinæ voluntati, imò in omnibus impletur, quòd optimè explicat D. Th. q. 6. de malo. art. vnic. ad 3. vbi sic ait: *Deus mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas: sicut etiam in omnibus prouidentia diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingenter inquantùm Deus omnia mouet proportionabiliter vnumquodque secundùm suum modum*: Ex quo sequitur quòd concursus Dei generalis non modificatur, aut determinatur à causis secundis, sicut modificatur concursus aliarum causarum superiorum, aliàs penderet ab illis; sed ipse Deus determinat suum concursum, & modificat illum in causis secundis, & etiam determinat causas secundas ad operandum conformiter ad conditionem suæ naturæ; quia est de ratione primæ causæ simpliciter, quòd ab illa procedat omne ens per participationem, & omnis particularis modus entis creati, scilicet contingentia, libertas, & necessitas.

Ad tertium dicendum, quòd licèt Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, si tamen concurreret eodem concursu, quo nunc, & solùm esset differentia ex parte Dei in modo operandi per actum voluntatis naturalem, & non per actum voluntatis liberum, sicut modò operatur, adhuc esset contingentia in rebus; tunc enim ille concursus supponitur esse eiusdem efficaciæ ex parte termini, licèt esset alterius conditionis ex parte principij: non tamen inde sequitur, quòd non sit modò causa necessitatis in rebus; quia, vt dictum est, Deus illum modificat in causis secundis, & facit eas operari secundùm suam naturam, vel necessariò, vel contingenter. Ad aliam partem dicendum, quòd sufficit, vt effectus sint contingentes respectu causæ proximæ, & quòd Deus illam applicet ad operandum contingenter, ad hoc vt Deus dicatur esse prima radix contingentiæ ratione summæ efficaciæ, & omnipotentiæ suæ voluntatis.

Articulus IV.

Vtrùm sit fatum?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd non sit fatum. Probatur. Ait D. Gregor. in homilia de Epiphania Domini: *Absit à fidelium cordibus, vt fatum aliquid esse credatur*: Ergo non est fatum.

§ 2. Præterea, Si esset fatum, non daretur casus & fortuna, quia quæ fato aguntur, non sunt improuisa; fatum enim, vt docet Aug. l. 5. de ciuit. Dei à fando dictum esse intelligimus, vt ea à fato dicantur, quæ ab aliquo sunt ante prælocuta: constat autem quòd ea quæ sunt præuisa, non sunt fortuita, nec casualia, ista siquidem eueniunt præter intentionẽ: sed dantur casus & fortuna: ergo nõ est fatum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in hoc 2. libro, D. Aug. lib. 5. de ciuitate Dei à capite 1. vſque ad 11. D. Th. 1. p. q. 116. item 3. contra gentes c. 98. & in opuſculo 28. de hoc argumento, quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi, & Theologi.

Conclusio.

Cùm detur connexio cauſarum ex quibus infallibiliter ſequitur effectus, datur fatum.

Respondeo dicendum, quòd fatum ſincerè & debitè intellectum datur in rebus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd fatum, vt ait Aug. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 9. item lib. contra Fauſtum Manichæum cap. 5. & D. Th. in opuſculo 28. de fato, item 1. p. quæſt. 116. art. 1. habet ſuam Etymologiam à fando, ſiue à loquendo: ita vt ea fata fieri dicantur, quæ ab aliquo fuerint præfata, ſiue prælocuta.

Probatur concluſio authoritate D. Th. qui locis citatis dicit ſanctos Patres admiſiſſe fatum ſincerè & debitè explicatum, item Aug 5. de ciuitate Dei vbi ait: *Si propterea quiſquam res humanas fato Dei tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat; ſententiam teneat, & linguam corrigat*: Item Boëtij qui 4. de conſolatione Philoſophica definit fatum: ergo admittit.

Secundò, fatum ſincerè & debitè intellectum ſignificat connexionem cauſarum ad effectus producendos taliter diſpoſitam, vt ab illis effectus infallibiliter ſequantur: ſed certum eſt dari hanc cauſarum connexionem ita diſpoſitam à Deo, aliàs Dei prouidentia non eſſet infallibilis, & multa euenirent à caſu, & fortuitò reſpectu Dei; quod eſt impium aſſerere, & cuius contrarium manifeſtat mirabilis ordo vniuerſi: ergo datur fatum ſincerè & debitè intellectum.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Gregor. & alij ſancti Patres nolebant vti nomine fati, quia vſurpabatur à pluribus in alia ſignificatione erronea: nam illud ponebant in vi ſiderum, ſicut multi ethnici, & hæretici, vt Priſcillianiſtæ, qui dicebant fatum eſſe ſeriem, & connexionem cauſarum in cœleſtibus orbibus, ſub quibus vnuſquiſque natus eſt, quarum tanta ſit vis & poteſtas, vt nihil ipſas mutare poſſit; & diuidebant corporis membra in duodecim partes iuxta diuiſionem Zodiaci, ita vt quælibet Zodiaci pars alicui parti & membro dominaretur, & tantâ vi ac neceſſitate, vt nihil in corpore humano accidere poſſit, quod in huiuſmodi, aſtris & ſideribus non fuerit præordinatum: vnde fatum dicebatur ineuitabile, ineluctabile, cauſa neceſſaria, & in hac acceptione reiicit, & impugnat D. Gregorius, vt patet ex ſequentibus eius verbis: dicit enim quòd ſtellæ factæ ſunt propter hominem, & non homo propter ſtellas; & meritò reiicit; nam fatum in hac acceptione repugnat diuinæ prouidentiæ peculiari de ſingulis etiam minimis rebus. Item tollit humanam libertatem inducens abſolutam neceſſitatem in omnibus, & tandem tollit contingentiam in rebus, quæ non poteſt ſimul cohærere cum ineuitabili neceſſitate. Adde quòd iſtæ virtutes cœlorum, & influxus poſſunt impediri; cùm cœlum ſit finitæ, ac limitatæ virtutis, & ita eius cauſalitas eſt impedibilis ab aliis cauſis, maximè liberis; dicit enim Scriptura: *Sapiens dominabitur aſtris.*

Ad ſecundum dicendum, quòd aliqua poſſunt eſſe fortuita, vel caſualia in ordine ad cauſas proximas: non tamen in ordine ad diuinam prouidentiam, ad caſdem cauſas, vt ſubſtant illi, ſiue vt à Deo præordinatas: effectus enim ipſarum, vt ſic ſunt neceſſarii, non neceſſitate abſolutâ, ſed neceſſitate infallibilitatis.

Articulus VII.

Quid ſit fatum?

Ad quintum ſic proceditur. Videtur quòd fatum ſit ipſa Dei prouidentia. Probatur. Auguſt. 5. de ciuitate Dei dicit, quòd ipſa Dei voluntas, vel poteſtas fati nomine appellatur; quæ duo concurrunt ad diuinam prouidentiam: ergo fatum eſt Dei prouidentia circa hæc inferiora.

§ 2. Præterea, Fatum eſt tantùm vnum, vt patet ex communi vſu loquendi: vnde non ſe tenet ex parte rerum; aliàs deberet multiplicari ad multiplicationem ipſarum: at ſe tenet ex parte Dei, qui eſt cauſa prima, & vniuerſaliſſima, ſecundùm quòd diſponit, & ordinat hæc inferiora, quod facit per ſuam prouidentiam: ergo fatum eſt prouidentia diuina.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Boëtij 4. de conſolatione Philoſophica, & D. Thom. 1. p. q. 116. art. 2. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclusio.

Cùm fatum ſit inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, non eſt diuina prouidentia, ſed aliquid ſe tenens ex parte rerum.

Respondeo dicendum, quòd fatum definitur à Boëtio loco citato ſic. *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D. Th. 1. p. loco citato, quòd cum prouidentia diuina exequatur ſuos effectus per cauſas intermedias, poteſt ipſa ordinatio effectuum dupliciter conſiderari: vno modo ſecundùm quòd eſt in ipſo Deo: & hæc ordinatio ſecundùm hanc conſiderationem vocatur prouidentia: alio modo ſecundùm quòd eadem ordinatio conſideratur in cauſis mediis à Deo diſpoſitis ad aliquos effectus producendos, quatenus ſcilicet ex vi diſpoſitionis in mente diuina exiſtentis, diſponuntur cauſæ ſecundæ requiſitæ in ordine ad executionem ordinis ſtabiliti à Deo: & ſecundùm iſtam conſiderationem hæc ordinatio dicitur fatum: ex quo patet quòd fatum eſt in ipſis cauſis ſecundis, vt ordinatis, ſeu diſpoſitis à Deo ad talem effectum.

Ex dictis ſequitur 1. quòd ſolùm ea ſubduntur fato, quæ ſubduntur cauſis ſecundis: vnde quæ fiunt immediatè à Deo, ſicut creatio rerum, glorificatio Beatorum, & ſimilia non ſubduntur fato, ſed ſolùm Diuinæ prouidentiæ, & propterea Boëtius loco citato dicit, quòd ea, quæ ſunt primæ diuinitati propinqua, ſtabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt.

Secundò, ſequitur, quòd ea, quæ ſubduntur fato, neceſſariò eueniunt, non neceſſitate abſolutâ, quæ opponitur contingentiæ & libertati, ſed neceſſitate infallibilitatis, ſiue non neceſſitate conſequentis, ſed conſequentiæ: nec eſt ſemper verum, quòd neceſſitas, quæ eſt à priori ſit ſemper abſoluta: nam talis neceſſitas ſequitur influxum priorum: vnde cùm influxus Dei, vt dictum eſt, attemperetur ipſis cauſis, ſolùm inducit neceſſitatem in cauſis neceſſariis, & contingentibus autem ſolùm inducit infallibilitatem operandi.

Tertiò, ſequitur, quòd fatum includit aliquid abſolutum, & aliquid relatiuum, formaliſſimum tamen illius eſt relatio & ordo: ad fatum quippe duo requiruntur, ſcilicet propria cauſarum entitas; & hæc habet ſe vt materiale. Deinde ordinatio, ſiue diſpoſitio paſſiua ipſarum; & hæc habet ſe vt formale: hæc tamen diſpoſitio in vnaquáque cauſa conſiderata non habet rationem fati, niſi inquantum dicit habitudinem ad alias cauſas, cum quibus connexa eſt: vnde formaliſſimum, quod eſt in fato, eſt ipſe ordo: & ſic D. Th. 1. p. q. 116. art. 2. ad 3. ait: *Fatum dicitur diſpoſitio, non quæ eſt in genere qualitatis; ſed ſecundùm quòd diſpoſitio deſignat ordinem, qui non eſt ſubſtantia, ſed relatio.*

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. art. 4. quæſt. citatæ ad 2. quòd voluntas & poteſtas Dei dicitur fatum cauſaliter: inquantum ſeries cauſarum ſecundarum non habet rationem fati, niſi inquantum dependet à Deo: eſſentialiter autem fatum eſt ipſa diſpoſitio, ſiue ſeries, & ordo cauſarum ſecundarum, & ita fatum refertur ad diuinam voluntatem & poteſtatem, ſicut ad primum principium fati.

Ad ſecundum dicendum, quòd hic ordo cauſarum, ſi comparetur ad ſuum principium, ſcilicet diuinam prouidentiam

nidentiam, est tantùm vnus: & ideo fatum sic comparatum est vnum; si autem comparetur ad effectus, vel ad ipsas causas intermedias, est multiplex, iuxta illud Poëtæ, *Te tua fata trahunt.*

QVÆSTIO XIV.

De Causa finali.

LICET Causa finalis sit prima simpliciter in intentione, & causalitas eius præcedat causalitatem aliarum causarum; est tamen vltima in executione, & ideo vltimo loco de ipsa disserimus. Circa quam quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm definitio finis tradita ab Aristotele sit bona?

¶ Secundò, Quænam sit in fine formalis ratio, per quam constituitur in actu primo ad causandum, siue ad finalizandum?

¶ Tertiò, Vtrùm finis moueat voluntatem secundùm suum esse reale, vel secundùm esse apprehensum?

¶ Quartò, Quænam sit causalitas finis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm definitio finis tradita ab Arist. sit bona?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd definitio finis tradita ab Aristotele in hoc libro cap. 3. (finis est id, cuius gratiâ aliquid fit) non sit bona. Probatur. Finis & bonum conuertuntur: sed bonum non definitur esse id, cuius gratiâ aliquid fit; definitur enim à Philosopho quòd sit illud, quod omnia appetunt: ergo definitio finis tradita ab Aristotele non est bona.

¶ 2. Præterea, Finis (cui) est verus finis, vt ex se patet: sed tradita ab Aristotele definitio finis non competit illi, quia finis (cui) non est id, cuius gratiâ aliquid fit, at est illud, cui desideratur finis (cuius gratiâ) & ideo sanitas est finis (cuius gratiâ) respectu curationis, non verò homo, qui est finis (cui) illius: ergo hæc definitio non est bona, quia diminuta.

¶ 3. Præterea, Esse id, cuius gratiâ aliquid fit, denotat rationem vltimi, siue termini rei: ergo finis non rectè definitur esse id, cuius gratiâ aliquid fit. Primò, quia cùm finis sit vera causa, est etiam principium: cùm omnis causa sit principium, principium autem non potest esse terminus. Secundò, quia sequitur, quòd hæc definitio solùm conueniat vltimo fini, & non finibus intermediis, qui assumuntur finis vltimi gratiâ.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis tradentis hanc definitionem, quam vt optimam admittit D. Thom. & communiter omnes Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm per traditam definitionem optimè explicetur natura causæ finalis, vt distincta ab aliis causis, est optima.

RESPONDEO dicendum, quòd tradita definitio finis ab Aristotele est optima. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd finis habet duplicem rationem, scilicet motiui & terminatiui: terminatiui quidem, vt est in executione secundùm suum esse reale, sic enim est vltimum: motiui autem, vt est in intentione secundùm suum esse apprehensum, sic enim est primum quod influit, & habet rationem veræ causæ.

Probatur conclusio. Per hanc definitionem optimè explicatur natura causæ finalis, & assignatur id, in quo essentialiter distinguitur ab aliis causis; nam efficiens est id, à quo primò incipit motus quantùm ad exercitium; materia est id, ex quo aliquid fit, vt inexistente; forma est ratio ipsius quidditatis; finis verò est id, quod allicit agens ad operandum, & ad quod terminatur eius actio, quod exprimit hoc, quod est esse id, cuius gratiâ aliquid fit: ergo hæc definitio est optima.

Diuiditur finis 1. in finem (Cui & Cuius gratiâ) sed hæc diuisio non est in duos fines simpliciter, sed in duas rationes componentes vnum finem totalem, eo modo quo diuisio obiecti in materiale & formale siue in obiectum (quod) & obiectum (quo): & ratio est manifesta; quia in fine (Cui) separato à fine (Cuius) non sistit intentio agentis, sed secundùm quòd afficitur tali ratione, non enim fit curatio propter hominem, nisi vt est capax sanitatis: & similiter finis (Cuius) non terminat intentionem agentis, nisi inquantum est aliquid eius, qui diligitur, & in eius commodum cedit. Nota tamen quòd aliquid potest dupliciter amari, vel simplici quodam amore, qui non trahit voluntatem ad executionem mediorum, quibus bonum illud potest acquiri, vel amore efficaci, qui quantùm est ex se, mouet voluntatem ad adhibenda media necessaria ad illud acquirendum: licèt ergo primo amore finis (Cuius) possit per se amari præcisè, quia, vt terminat hunc amorem, non habet propriissimè loquendo rationem finis, sed tantùm obiecti amati: non tamen amore posteriori, quia sic tantùm potest diligi, vt est alicui conueniens.

Diuiditur 2. finis ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 8. in formalem & obiectiuum: siue in finem (quo) & finem (qui): finis (quo) siue formalis est operatio, quâ aliquid assequimur, vt visio beatifica, quâ vnimur Deo vltimo fini: finis verò (qui) siue obiectiuus, est res obtenta, in qua est ratio boni, quæ appetitur, vt Deus adeptus à Beatis mediâ visione beatificâ.

Diuiditur 3. finis in vltimum & proximum. Finis vltimus est, in quem omnia, ipse verò ad alium non ordinatur. Nota tamen, quòd alius est finis vltimus simpliciter, ad quem omnia simpliciter ordinantur, & est vnicus scilicet Deus: alius verò est vltimus in aliquo ordine tantùm, ad quem omnia illius ordinis ordinantur. Finis proximus est, qui ad vlteriorem finem ordinatur: vnde sicut de ratione causæ efficientis tantùm est, habere virtutem actiuam, non verò quòd illam habeat sine subordinatione ad aliam causam efficientem, quia hoc non est de ratione efficientis vt sic, sed de ratione primi efficientis tantùm; sic de ratione finis tantùm est esse propter se appetibilem, siue habere aliquam bonitatem, quæ ratione sui sit appetibilis, licèt hoc habeat cum subordinatione ad alium finem, & ad aliam bonitatem; quia esse propter se appetibile, & sine subordinatione ad vlteriorem finem & bonitatem, est proprium vltimi finis tantùm: finis autem proximus, dum ordinatur ad alium finem, licèt appetatur cum subordinatione ad illum, non tamen ita vt tota ratio appetendi sit sola bonitas finis vltimi: vnde solet dici de ratione finis tantùm esse appeti propter se positiuè, idest, propter bonitatem propriam; non autem negatiuè, idest, quòd ita appetatur propter bonitatem propriam, vt nullo modo appetatur etiam propter bonitatem alterius; & ita finis proximus aliquid participat de fine vltimo, & aliquid de medio: nam bonitas medij est omnino relatiua, siue totum suum esse, vt sic, habet quia conducit ad finem: bonitas autem finis vltimi est omnino absoluta, & nullo modo subordinata alteri fini; aliàs non esset vltimus, at ille alius, cui subordinaretur; sed bonitas finis proximi siue intermedij non est tota relatiua, nec tota absoluta, sed est absoluta, habens tamen aliquid subordinationis & relationis ad vlteriorem finem; eo modo quo causa prima est omnino absoluta; secunda verò licèt sit absoluta, tamen importat subordinationem & dependentiam ad primam causam efficientem. Ex quo patet quòd solus finis vltimus est terminus vltimus; finis autem proximus est terminus intermedius; & licèt terminus vltimus non sit ordinabilis in alium, at terminus intermedius vt talis, quamuis intrinsecè petat quòd terminet, hoc tamen est cum subordinatione ad vlteriorem terminum: vnde aliter ordinatur medium ad finem, & aliter finis proximus ad alium finem; quia medium ita ordinatur ad finem, vt non habeat aliud esse, quàm ordinari transcendentaliter: secus verò finis intermedius; & ideo licèt ordinetur ad vlteriorem finem, non tamen est secundùm illam rationem medium, quia eius esse, est sic terminare & appeti,

vt ſimul ſubordinetur vlteriori fini; ita vt hæc duo ſint inſeparabilia à fine proximo, vt talis eſt.

An primum ergo dicendum, quòd bonum & finis conuertuntur realiter, inquantum bonum, ſiue bonitas eſt ratio finaliſandi; cùm finis cuiuſlibet rei ſit eius perfectio; bonum autem & perfectio idem ſunt: diſtinguuntur autem formaliter, & ſecundùm illas diuerſas rationes formales habent diuerſas definiriones aſſignatas.

Ad ſecundum dicendum, quòd finis (cui) & finis (cuius) non ſunt duo fines, ſed duæ rationes conſtituentes vnum finem totalem, vt dictum eſt; & ita definitio ab Ariſtotele tradita ſolùm conueniet compoſito ex vtráque ratione; cùm autem aliquid appetitur propter ſeipſum, non habet rationem finis propriè, ſed obiecti potiùs amati.

An tertium dicendum, quòd finis ſecundùm ſuum eſſe eſt terminus motus, qui opponitur principio efficienti motus, non autem cuicúmque principio, ſiue cauſæ motus; non enim opponitur principio morali & Metaphorico: nam, vt dictum eſt, finis ſecundùm ſuum eſſe apprehenſum præcedit, & prout in intentione, eſt cauſa omnium prima & principium motus: ſecundùm verò eſſe exercitum, ſiue in executione eſt terminus illius. Ad aliud patet ex dictis, quomodo finis proximus ſit id, cuius gratiâ aliquid fit, licèt ordinetur etiam ad vlteriorem finem.

Articvlvs II.

Quanam ſit in fine formalis ratio, per quam conſtituatur in actu primo ad cauſandam, ſiue ad finaliſandum?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd ens vt ſic, habeat rationem finis, ac proinde quòd non tantùm bonum, ſed etiam malum ſub ratione mali poſſit habere rationem finis; & ideo non ſolùm bonitas, ſed etiam malitia poſſit eſſe virtus, ſiue formalis ratio, per quam finis finaliſet: vnde ratio adæquata finaliſandi eſt ratio entitatis ſuperior ad vtrámque. Ita Scotus in 1. d.1. q.4. & in 2. d. 43. q. 2. illum ſequuntur eius diſcipuli, & Nominales. Probatur. Damnati & qui ſe occidunt appetunt efficaciter non eſſe, cùm exequantur media ad illud obtinendum: ſed non eſſe non poteſt habere rationem boni, nec in ſe, nec reſpectu appetentis; cùm bonitas debeat fundari in entitate tanquam eius proprietas: ergo non ſola bonitas eſt fini virtus ad cauſandum.

¶ 2. Præterea, Actus fugæ & odij eſt verus actus voluntatis: ſed non fertur in bonum, vt bonum; at potiùs in malum, vt malum eſt; ex D. Th. 1. 2. q. 19. art. 1. ergo malum ſub ratione mali mouet per modum finis voluntatem ad hunc actum.

¶ 3. Præterea, ſicut ſcientia ita & potentia quælibet verſatur circa contraria, vt patet in intellectu, qui intelligit & verum & falſum: ergo etiam voluntas verſatur circa bonum & malum, quæ ſunt contraria: vnde vtrúmque ſub propria ſua ratione cauſat finaliter.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis & D. Th. in hoc lib. cap. 3. vbi dicunt idem eſſe finem & bonum. Item 1. ethicor. cap. 3. Idem docent D. Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus. Aug. 2. confeſſionum. cap. 6. quos communiter ſequuntur fere omnes Philoſophi & Theologi.

Conclvsio.

Cùm appetitus non poſſit ferri niſi in conueniens, ſola ratio boni eſt ratio formalis, per quam finis conſtituitur in actu primo ad finaliter cauſandum.

Respondeo dicendum, quòd ſola bonitas eſt virtus, per quam cauſa finalis cauſat: vnde ſolum bonum poteſt habere rationem finis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, finem eſſe veram & realem cauſam Phyſicam, vt communiter tenent omnes Philoſophi cum Ariſtotele in hoc 2. libro c. 3. & D. Thom. 5. Metaph. c. 2. & opuſc. 31. Et ratio eſt manifeſta; nam illud à quo verè & per ſe pendet effectus, eſt vera & realis cauſa illius ſi in illum verè influit: ſed finis eſt huiuſmodi; cùm ſit id, cuius gratiâ aliquid fit: conſtat enim quòd vnumquódque pendet ab illo, cuius gratiâ fieri dicitur, quæ dependentia eſt realis, ſiue à parte rei: ergo finis eſt vera cauſa realis. Deinde finis ſiue bonum mouet ad ſui amorem, & dum eſt abſens allicit ad ſui deſiderium, ſi verò poſſideatur cauſat gaudium & quietem: ſed iſti ſunt effectus reales, ipſos enim in nobis experimur: ergo finis verè eſt cauſa realis, effectus enim realis debet procedere à cauſa reali: finis autem ex proprio modo cauſandi non petit neceſſariò exiſtere à parte rei, ſed tantùm in apprehenſione, quia cauſat vt deſideratus; rei autem vt deſideratæ, ſufficit quòd ſit aliquid apprehenſum: dicitur autem ab Ariſtotele 1. de generatione cap. 7. quòd mouet metaphoricè, non quòd eius motio non ſit vera & realis, ſed quia non eſt effectiua, verùm intentionalis & animalis, quatenus per eam finis mouet excitando, & alliciendo appetitum ad ſui amorem: vnde dicitur metaphorica comparata ad cauſalitatem efficientis, quia mouere efficiendo, eſt omnino rigoroſè & ſtrictiſſimè mouere; cùm autem finis non ſemper exiſtat à parte rei, ideo non ſemper dicit relationem ad ſuum effectum, ſed tantùm dum actu exiſtit, & concurrunt aliæ conditiones; quamuis non deſint aliqui, qui negant finem realiter referri ad ſuum effectum, etiamſi exiſtat, quia in ſuo modo cauſandi eſt ſuperioris rationis; nam cauſat, vt omnino immotus, & non ordinatus ad ſuum effectum, & ita erit tantùm relatio realis ex parte effectus ad ipſum. Cùm autem finis ſit vera cauſa realis, debet habere propriam virtutem ſufficientem ad cauſandum: & de hac procedit præſens difficultas, præſertim in ordine ad voluntatem humanam; quia modus, quem circa illam habet finis in ſuis cauſalitatibus, eſt nobis notior; pari tamen modo eſt Philoſophandum de aliis.

Probatur concluſio. Non poteſt amari vel appeti, niſi illud quod proponitur appetitui, vt conueniens; cùm omnes naturaliter appetant beatitudinem, quæ conſiſtit in poſſeſſione omnium conuenientium, ſiue omnium bonorum ipſius appetitus; beatitudo enim eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: ſed malum, vt malum, non poteſt proponi vt conueniens, vt ſatis patet; nam malum, vt ſic, eſt nociuum ei cui aduenit, ac proinde diſconueniens eius naturæ: ergo malum, vt malum, non poteſt amari, vel appeti, & ita appetitus poteſt tantùm verſari circa bonum, illud proſequendo, & circa malum, odiendo & fugiendo illud: ſed eo ipſo, quòd ſic verſatur circa malum, ratio verſandi circa illud eſt bonum: nam ideo diſplicet, & odio habetur malum, quia opponitur bono, quod placet & amatur & ſic acceſſus voluntatis ad bonum, eſt ratio receſſus eiuſdem voluntatis à malo: ergo ſola bonitas eſt virtus, per quam cauſa finalis cauſat, & ita ſolum bonum poteſt habere rationem finis.

Ad primum ergo dicendum, quòd malo poteſt eſſe adiuncta ablatio alicuius miſeriæ, propter quod habeat rationem boni & appetibilis: vnde ratio boni eſt duplex, vna quæ importat bonitatem poſitiuam conuenientem, alia quæ dicit carentiam mali diſconuenientis: ſicut enim carentia boni eſt malum, ſic carentia mali, eſt bonum quoddam priuatiuum; imò ipſa ratio perfecta boni, ſiue beatitudo ex vtráque ratione ſuo modo integratur, cùm dicat poſſeſſionem omnium bonorum & carentiam omnium malorum: prima ergo ratio boni fundatur in eſſe, ſecunda verò ſæpe in non eſſe; quando ſcilicet non poteſt aliter vitari malum, quàm non eſſendo, & ſic poteſt appeti non eſſe, vt includit hanc bonitatem, ſicut appetunt Damnati, quia apprehendunt ſuam miſeriam eſſe maius malum, quàm non eſſe, [licèt in rei veritate ita non ſit] & quia vident ſe non poſſe eſſe beatos, nec poſſe vitare ſuam miſeriam, niſi deſinendo eſſe, ideo efficaciter appetunt non eſſe, vnde iuxta hanc Damnatorum diſpoſitionem dixit Chriſtus Dominus de Iuda proditore, *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet*; appetunt

petunt autem non esse, non vt est coniunctum carentiæ beatitudinis totalis, sed vt est coniunctum carentiæ miseriæ, quam volunt fugere.

Ad secundum dicendum, quòd malum non mouet ad actum fugæ aut odij nisi in virtute boni amati: nec recessus à malo, est motus in finem propriè, sed est electio, vel quasi electio medij ad obtinendum finem, scilicet bonum, cui opponitur.

Ad tertium dicendum, quòd eadem potentia versatur aliquo modo circa contraria non tamen eodem modo, sed circa vnum per se primò & directè, & tanquam circa proprium obiectum: circa aliud verò secundariò & indirectè, nec tanquam circa obiectum, sed vt oppositum suo obiecto: & hoc modo se habet voluntas in ordine ad malum, circa quod non versatur directè, aut tanquam circa obiectum, sed quia est proprio & adæquato obiecto, scilicet bono oppositum; quod idem accidit in intellectu respectu veri & falsi, sed fusiùs de his in Metaphysica.

Articvlvs III.

Vtrùm finis moueat voluntatem secundùm suum esse reale, vel secundùm esse apprehensum?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd finis moueat voluntatem secundùm suum esse apprehensum præcisè, ita vt apprehensio sit in fine formalis ratio finalisandi. Ita Auicenna 6. Metaph. cap. 5. Medina. 1. 2. quæst. 1. art. 1. Soncinas 5. Metaph. part. 3. & alij. Probatur. Finis est causa secundùm quod est prior: sed tantùm est prior, prout est in intentione, ac proinde secundùm suum esse apprehensum; nam secundùm suum esse reale est quid posterius; cùm illud habeat in executione per media: ergo mouet voluntatem tantùm secundùm esse apprehensum.

¶ 2. Præterea, Diuersitas specifica actus prouenieus à fine debet oriri ab eo, quod est in illo formalissima ratio finalisandi: sed diuersitas specifica actuum appetitus circa finem à sola apprehensione prouenit; nam licèt finis sit in se honestus, si tamen apprehendatur vt inhonestus, actus circa illum est inhonestus, & econtra si finis inhonestus inuincibiliter apprehendatur vt honestus, actus est moraliter honestus: ergo apprehensio in illo est formalis ratio finalisandi. Confirmatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 80. art. 2. vbi ait: *Appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum: sed per se ei conuenit; nam appetibile non mouet appetitum, nisi inquantum est apprehensum: vnde differentia apprehensi, sunt differentiæ appetibilis.* Vnde potentiæ appetitiuæ distinguuntur secundùm differentiam apprehensorum, sicut secundùm propria obiecta, & patet; nam idem malum apprehensum vt præsens, causat tristitiam; vt futurum, causat timorem; & idem bonum apprehensum vt absens, causat sui desiderium; vt præsens verò delectationem: ergo apprehensio, quæ est causa huius diuersitatis essentialis, est formalis ratio obiecta, finis talium actuum.

¶ 3. Præterea, Aliquando res, quæ nullam habet in se bonitatem, mouet ad agendum, si apprehendatur, vt bona; imò aliquando ens rationis, vt mons aureus, nos excitat ad sui amorem: ergo tunc non mouet bonitas rei, cùm nulla sit, sed sola apprehensio bonitatis.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem sequuntur Caietanus 1. 2. q. 1. art. 1. Ferrar. 1. contra gentes cap. 44. Iauellus 5. Metaph. q. 15. nostri Complutenses in præsenti, Suares, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm bonitas realis ipsius finis, & non eius apprehensio alliciat appetitum, & adepta ipsum quietet: finis mouet voluntatem secundùm suum esse reale.

Respondeo dicendum, quòd apprehensio non est ratio formalis motiua appetitus 2. sed hoc conuenit reali bonitati, quæ apprehenditur: 3. ipsa tamen bonitatis apprehensio est conditio, siue qua non, ad talem causalitatem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd finis, cùm non moueat nisi metaphoricè, & consequenter præsupponat intellectus cognitionem, habet duplex esse: vnum reale, ad quod per media consequendum excitatur appetitus: aliud intelligibile, vel intentionale; illud scilicet, quod habet in mente: vnde in præsenti concludimus, quòd finis mouet secundùm suum esse, & bonitatem realem: non vero secundùm esse intentionale & ita sola bonitas realis, non verò esse apprehensum, vt tale, est ratio per quam formalissimè constituitur in esse appetibilis.

Probatur prima, & secunda pars conclusionis authoritate D.Thom. 1. p. quæst. 80. art. 1. ad 2. vbi sic ait: *Id quod apprehenditur & appetitur, est idem subiecto, sed differt ratione: apprehenditur enim, vt est ens sensibile, vel intelligibile, appetitur verò, vt est conueniens, aut bonum.* Idem docet 1. contra gentes cap. 75. & alibi sæpe.

Secundò, illa est formalis ratio finalisandi, per quam finis allicit voluntatem, vt patet; cum allicere sit causalitas causæ finalis, sed hæc est bonitas realis ipsius finis, non verò cognitio, & apprehensio illius; nam infirmus v.g. non sumit potionem amaram propter sanitatem, vt cognitam, sed propter illam secundùm suum esse reale: nam aliàs frustra adhiberentur externa media ad sanitatem consequendam; cùm iam possideatur, vt cognita: ergo bonitas realis, & non eius apprehensio est ratio formalis finalisandi, siue motiua appetitus.

Tertiò, illud est ratio formalis causandi in fine, quod fine obtento satiat: nam finis causat, vt desideratus; id autem quod desideratur, si fuerit adeptum, quietat appetitum: sed finis secundùm esse intentionale non quietat appetitum; at potiùs vt sic, acuit, quàm quietet desiderium: ergo solùm secundùm esse reale constituitur formaliter in ratione causæ finalis. Nec valet respondere ipsam apprehensionem esse rationem [sub qua] formalem: prædicta autem argumenta solùm probare, quòd non sit ratio formalis [quæ:] Nam contra. Primò, quia repugnat D.Thom. quæst. 22. de veritate art. 4. ad 3. vbi apertè docet diuersitatem apprehensionum per accidens se habere ad appetitiuas vires distinguendas, nisi diuersitati apprehensionis diuersitas apprehensorum coniungeretur: sed ratio formalis [sub qua] directè, & per se distinguit potentias & habitus, vt dictum est supra in Logica: & propterea D. Thom. 1. 2. quæst. 67. artic. 6. ad 2. dicit charitatem non habere pro obiecto ipsam cognitionem, quia non esset eadem in via, & in patria; nam in via nititur cognitioni obscuræ fidei, in patria cognitioni claræ, scilicet visioni beatificæ: est verò eadem, quia habet pro obiecto ipsam rem cognitam, quæ est eadem in via, & in patria. Confirmatur. Quotiescumque ratio formalis [sub qua] est diuersa, etiam diuersificatur ab ea ratio formalis [quæ] inquantum conducit ad specificationem actus & potentiæ siue in ratione obiecti vt sic: ergo vel apprehensio non est ratio formalis [sub qua:] vel, si talis est, efficiet quòd secundùm diuersitatem apprehensionum res ipsa, quæ apprehenditur, sub diuersa ratione boni apprehendatur. Confirmatur 2. ex illa communi Philosophorum doctrina, quam approbat D.Thom. q. 22. de veritate art. 10. quòd hæc est differentia inter intellectum & voluntatem, quòd hæc fertur in res, prout sunt in seipsis: ille verò fertur in suum obiectum, vt est intelligibiliter in seipso: vnde dicitur trahere ad se suum obiectum: ergo ratio formalissima, sub qua res appetuntur, non est apprehensio, sed bonitas realis, quæ est in rebus apprehensa.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Philosophi 3. de anima cap. 1. vbi docet appetibile non mouere, nisi mente, aut imaginatione perceptum. Idem docet Diuus Thom. loco citato, & 1. part. quæst. 82. artic. 4. & 1. 2. quæst. 3. artic. 4. ad 4. Idem etiam docet Diuus Augustin. libro 10. de Trinit. cap. 1. & 2. vbi dicit, rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest:

eſtque communis doctrina inter antiquos Doctores, & etiam inter modernos, loquendo naturaliter, quamuis aliqui teneant ſupernaturaliter poſſe ferri voluntatem in incognitum.

Secundò, voluntas cùm ſit appetitus rationalis, eſt quædam inclinatio in bonum ſibi conueniens: ſed ipſa non eſt cognoſcitiua boni ſibi conuenientis: vnde dicitur potentia cæca: ergo vt tale bonum proſequi poſſit, debet ei proponi à potentia cognoſcitiua. Deinde, vt cauſa realis cauſet, indiget aliquo eſſe: ſed cauſa finalis non neceſſariò indiget eſſe realis exiſtentiæ: ergo ſaltem indiget, vt habeat eſſe intentionale, ſiue in cognitione.

Ad primum ergo dicendum, quòd non ſola apprehenſio finis, ſed ipſe finis apprehenſus ſecundùm ſuam realem bonitatem eſt prior effectu, licèt quoad eſſe reale exercitum, ſit poſterius, vt probat argumentum in contrarium.

Ad ſecundum dicendum, quòd minor eſt falſa, ſi velit quòd diuerſa apprehenſio ſecundùm ſe formaliter ſpecificet, ſi autem velit, quòd ſpecificet, & cauſet diſtinctionem ſpecificam, vt applicans diuerſum obiectum formale, eſt vera: ſed ad hoc ſufficit quòd habeat rationem conditionis neceſſariæ eo modo, quo quis applicans diuerſas cauſas efficientes, quibus diuerſa formaliter agendi principia inſunt, licèt ſit tantùm cauſa per accidens, & applicans: dicitur tamen variare rationem formalem agendi, & eſſe cauſa diuerſitatis effectus: vnde ad inſtantias dicendum quòd talis actus erit, vel honeſtus, vel inhoneſtus ex parte bonitatis ſic, vel ſic apprehenſæ; & ſimiliter ex parte malitiæ ſic apprehenſæ; non verò ex parte ipſius apprehenſionis, niſi tanquam conditionis applicantis: & pari modo bonitas apprehenſa, vt præſens, vel vt abſens; vt futura, vel adſtans, & non ipſa apprehenſio cauſat diuerſos animi motus, niſi vt conditio applicans diuerſimodè ipſam bonitatem: & ita intelligendus eſt D. Th. per hoc enim quòd bonitas apprehenditur, vel à ſenſu, vel ab intellectu, apprehenditur ſub diuerſa ratione conuenientiæ ad naturam ſenſibilem, vel rationalem.

Ad tertium dicendum, quòd voluntas, & intellectus propter naturalem ſympathiam, ita ſe habent, vt voluntas non poſſit tendere in ſuum obiectum, niſi directa ab intellectu per propoſitionem conuenientiæ, aut diſconuenientiæ, & ſic cauſalitas finis ita eſt realis, vt petat fieri intellectuali, & morali quodam modo: vnde fit quòd non eſt neceſſe, vt id quod repræſentatur ab intellectu, ſit verè & realiter bonum, ſed ſufficit, quòd ſit bonum apparens ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 8. art. 1. tunc tamen voluntas non mouetur ab ipſa falſa apprehenſione, ſed à vera & reali bonitate, quæ falsò ab intellectu tali rei applicatur: vnde deceptio non eſt in propria, & formaliſſima ratione mouendi, ſed in applicatione huius rationis formalis ad hanc, vel illam rem; & ita non eſt neceſſe, vt bonitas ſit realiter vnita rei, ad hoc vt moueat, ſed ſufficit quòd ſit vnita intelligibiliter; quia ſicut modus hic cauſandi in cauſa finali eſt aliquo modo animalis, ſeu intellectualis, ſic ſatis eſt, vt aliqua ad eius cauſalitatem requiſita, ſint intelligibiliter: vnde in fine ſufficit exiſtentia intentionalis, quæ non ſufficit in cauſa efficiente propter diuerſum illius cauſandi modum.

ARTICVLVS IV.

Quaenam ſit cauſalitas finis?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd cauſalitas finis nihil ſit aliud, quàm eademmet actio voluntatis, prout eſt à fine, ſiue prout exit dependenter ab ipſo fine. Ita tenent aliqui. Probatur authoritate D. Th. qui q. 22. de veritate art. 2. dicit quòd, *Sicut influere cauſæ efficientis, eiúſque cauſare eſt agere, ita & finalis appeti, ſeu deſiderari.* Item 1. contra gentes cap. 37. ait: *cauſalitas autem finis in hoc conſiſtit, quòd propter ipſum alia deſiderantur.*

§ 2. Præterea, Cauſalitas finis debet eſſe aliquid reale diſtinctum ab ipſo fine, & ab actu primo ipſius: nam cauſalitas eſt actus ſecundus, ſed hoc non eſt pura excitatio proueniens ab obiecto; cùm hæc nihil aliud dicat quàm obiectum debitè propoſitum voluntati, quòd pertinet ad actum primum; nec eſt aliquid reale antecedenter ab ipſo fine impreſſum voluntati, alioquin finis eſſet vera cauſa efficiens talis entitatis; imò eſſet cauſa efficiens ordinis ſuperioris reſpectu actus voluntatis; quia ipſam phyſicè applicaret ad operandum; nec poteſt eſſe aliquid ſubſequens actum voluntatis, cùm finis ſit prior in cauſando cauſâ efficiente: ergo reſtat quòd ſit ipſemet actus voluntatis, vt procedens à fine, qui eſt diſtinctus virtualiter à ſeipſo, & prior ſeipſo, vt procedit à voluntate, maximè quia cauſa finalis & efficiens ſibi mutuò correſpondent, ſicut materialis & formalis inter ſe: ergo ſicut eadem eſt realiter cauſalitas cauſæ formalis & materialis, ſcilicet modus vnionis, licèt ſit diſtincta formaliter, ſic eadem eſt cauſalitas finis, & efficientis, ſcilicet actio voluntatis.

§ 3. Præterea, Per eamdem intellectionem mouet intellectus ad ſe res, & ipſæ res mouentur ab intellectu, & moueri rerum nihil eſt aliud, quàm mouere intellectus: ergo in voluntate per eamdem volitionem, finis mouebit ad ſe voluntatem, & voluntas mouebitur à fine, & mouere finis nihil aliud erit realiter loquendo, quàm moueri voluntatis: ergo cùm voluntas per ſuam volitionem moueatur in finem, per eamdem mouebit illam ipſe finis: prima conſequentia patet ex proportionali, quamuis diuerſo modo operandi intellectus & voluntatis.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſt. & D. Th. dicentium, cauſalitatem finis eſſe quid morale & metaphoricum.

CONCLVSIO.

Cùm cauſa finalis ſit prima in cauſando, diſtincta ab effectu, eius cauſalitas conſiſtit in aliquo antecedenti actum voluntatis.

RESPONDEO dicendum, quòd cauſalitas finis non conſiſtit in hoc, quòd finis imprimat voluntati aliquid reale intentionale 2. nec eſt ipſe actus voluntatis, 3. ſed eſt mouere ad ſe moraliter & metaphoricè voluntatem, quæ motio metaphorica duo importat: primum, quòd bonitas finis debitè propoſita voluntati, vt conueniens, ipſi placeat, quod eſt excitare, & illam allicere ad ſui amorem & deſiderium: ſecundùm quòd terminet actum voluntatis, & ita cauſalitas finis ex vtróque adæquatur; ſcilicet ex motione morali, & metaphorica efficaci, ad quam infallibiliter ſequatur actus voluntatis, & ex terminatione; cùm enim bonitas finis alliciat ad ſe appetitum, neceſſariò mouet moraliter ad actum, & terminat eumdem actum: hanc enim vtrámque rationem includit finis, ſcilicet motiui & terminatiui. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, hoc eſſe peculiare cauſæ finali, quòd ſimul ſit principium & finis; ac proinde quòd eius cauſalitas quantùm ad aliquid, nempe motionem moralem præcedat actum voluntatis. & quantùm ad aliquid, nempe terminationem, ſubſequatur: priùs enim intelligitur emanare actus à potentia, quàm terminari ad obiectum, ſicut priùs exit motus à termino [à quo] quàm attingat terminum ad [quem:] de hac autem cauſalitate proportione ſeruatâ loquendum eſt, ſicut ſupra locuti ſumus de cauſalitate efficientis, & ita ſicut cauſalitas efficientis non eſt actio, ſed agere, quod inuoluit tam actionem, quàm cauſam agentem, & dicit ipſam cauſalitatem exercitam, ſic cauſalitas finis non eſt motio metaphorica, ſed eſt mouere metaphoricè propter eamdem rationem.

Probatur prima pars concluſionis. Omne reale creatum, quodcúmque ſit, etiam intentionale, & diminutum debet habere cauſam efficientem, vt patet in ſpeciebus intentionalibus: ergo ſi aliquid intentionale imprimitur à fine in voluntatem antecedenter ad ſuum actum, ac proinde voluntate ipſi paſſiuè ſe habente, non erit alia cauſa proxima, quæ effectiuè concurrat ad

ad productionem huius virtutis intentionalis, niſi ſolus finis, & ſic finis, vt finis, cauſabit efficiendo: & ita non influet vt finis, ſed vt efficiens; imò erit cauſa vniuerſalis, & ſuperioris ordinis reſpectu actus voluntatis, quia eodem modo effectiuè illam applicaret ad operandum, quo Deus illam applicat: ergo cauſalitas finis non conſiſtit in hoc, quòd finis imprimat voluntati aliquid reale intentionale.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Cauſa finalis & efficiens ſunt duæ cauſæ totales in ſuo ordine realiter distinctæ, non ſolùm vt entia, ſed etiam vt cauſæ actu influentes in diuerſo genere cauſæ: ergo etiam cauſalitates ipſarum realiter diſtinguuntur, quia non poteſt eſſe diſtinctio realis inter aliqua conſtituta, quatenus talia, quin ſit etiam diſtinctio realis inter rationes ipſorum conſtitutiuas: quidquid enim conuenit rebus conſtitutis vt ſic, hoc habent à ſuis conſtitutiuis, vt patet: & propter hoc, quia cauſa prima efficiens diſtinguitur à cauſa proxima; ideo præter actionem, ſiue præter agere cauſæ proximæ, neceſſariò debet poni alia cauſalitas correſpondens cauſæ primæ, & eſt illud intentionale, quo præmouetur, & applicatur cauſa ſecunda ad agendum, & reſpectu cuius, ipſum agere (quod eſt cauſalitas cauſæ proximæ) habet rationem effectus, quamuis lato modo poſſit dici cauſalitas etiam omnium cauſarum efficientium eſſentialiter ſubordinatarum, ſed hoc ratione prædicti influxus præuij, qui propriè habet rationem cauſalitatis ipſarum.

Secundò, Cauſa finalis eſt ſimpliciter prima in cauſando ex Ariſtotele, D.Th. & communi conſenſu Philoſophorum: vnde eius cauſalitas præcedit cauſalitatem efficientis, ſiue priùs exercetur, quàm illa: ergo non eſt ipſe actus voluntatis efficientis: impoſſibile eſt enim quòd idem præcedat ſeipſum realiter, maximè quia actus voluntatis, ſicut & cauſalitas cuiuſlibet efficientis, eſt effectus cauſalitatis cauſæ finalis; & ita debet ab illa diſtingui, & realiter ſubſequi: impoſſibile eſt enim idem eſſe cauſalitatem, & effectum eiuſdem cauſæ, & effectum non ſubſequi cauſalitatem quâ cauſatur.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D.Th. nam in aliquibus locis, vt 1. de generatione cap. 7. dicunt cauſalitatem finis conſiſtere in motione morali & metaphorica, per quod diſtinguitur à cauſa efficiente, cuius cauſalitas conſiſtit in motione verè Phyſica: alibi autem dicunt, vt quæſt. 22. de veritate, quòd ſicut influere cauſæ efficientis, eſt agere, ita & finalis appeti & deſiderari, quod dicit terminationem reſpectu actus voluntatis: ergo in vtróque conſiſtit adæquata cauſalitas finis. Nec verum eſt quòd aliqui dicunt hanc motionem moralem, ſiue excitationem ſe tenentem ex parte finis, & per modum actiui conſideratam, pertinere ad actum primum ipſius finis; eſt enim actus ſecundus, quamuis ob eius debilem, & diminutam entitatem, cùm ſit quid morale, difficile capiatur & explicetur: dicimus autem quòd conſiſtit in hoc, quòd finis debitè propoſitus voluntati (quod eſt actus primus illius) ipſi complaceat, quâ complacentiâ allicitur & excitatur ad eius amorem; & hæc excitatio, quæ eſt actus ſecundus, & cauſalitas finis, pertinet ad actum primum voluntatis efficientis. Confirmatur. Cauſalitas finis conſiſtit in aliquo reali præuio ad actum voluntatis: ſed illud non eſt aliquid intentionale Phyſicum, nec eſt ipſe actus voluntatis, vt probatum eſt: ergo eſt iſta excitatio moralis, cùm nihil aliud ſit aſſignabile.

Præter prædictam cauſalitatem in ordine ad actum voluntatis, finis habet aliam quaſi partialem, reſpectu mediorum, ratione cuius bonitatem, & amabilitatem eis tribuit; ita vt media, quæ aliàs ſecundùm ſe conſiderata reſpuerentur, tamen quatenus conducunt ad finem conſequendum, redduntur amabilia, vt patet in potione amara reſpectu ſanitatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd prædictæ authoritates D. Thom. nihil faciunt contra nos; imò ſunt pro nobis, vt patet ex dictis.

Ad ſecundum dicendum, quòd illa motio moralis eſt quid reale, cùm ſit à parte rei, quamuis diminutum; nec ſolùm pertinet ad actum primum cauſæ finalis, vt dictum eſt, ſi ſit efficax; & inferens actum voluntatis. Ad aliud dicendum, quòd non datur talis modus vnionis: & eſto, quòd detur, cauſalitas materiæ & formæ non conſiſtit præcisè in illo, quamuis in illo conueniant; cauſalitas enim materiæ eſt recipere & ſuſtentare formam, & vt ſic conſtituere compoſitum; cauſalitas verò formæ eſt actuare materiam, informando, & dando illi eſſe, & ſic conſtituere compoſitum, quæ duo ſunt realiter diſtincta, vt patet. Inſuper eſt alia ratio diſtinguendi cauſalitates finis & efficientis, his peculiares, quia cauſalitas finis debet præcedere cauſalitates efficientis, cauſalitates autem materiæ & formæ debent eſſe ſimul; in quo autem ſibi mutuò correſpondeant finis & efficiens, dicetur quæſtione ſequenti.

Ad Tertium dicendum, quòd intellectus impropriè dicitur mouere res ad ſe, cùm eius actio extrinſecè tantùm terminetur ad res, vt ſunt in ſe: dicitur autem ad ſe mouere res, inquantum format in ſeipſo ſimilitudines rerum, ratione quarum dicuntur obiecta eſſe in intellectu: vnde non eſt mirum, ſi mouere intellectus, ſit moueri rerum: in operatione autem voluntatis eſt duplex motio, vna ex parte finis, moralis quidem, ſed tamen realis, & quaſi actiua: alia ex parte voluntatis omnino Phyſica, ſed paſſiua aliquo modo, inquantum eſt effectus alterius moralis, actiua tamen ſimpliciter, cùm ſit inclinatio ipſius voluntatis, & actus illius; ſiue vno verbo, in operatione voluntaria ſunt duæ cauſalitates, vna finis, alia voluntatis efficientis: in operatione verò intellectus eſt vnica, quamuis ſimpliciter poſſit negari quòd mouere intellectus, ſit moueri rerum, & econtra: aliud enim eſt actio, & aliud paſſio, ſiue vera ſiue metaphorica, licèt paſſio conſequatur actionem.

QVÆSTIO XV.

De Cauſis ad inuicem comparatis.

Postqvam de ſingulis cauſis ſigillatim dictum eſt, ad exactam earum declarationem tantùm reſtat, vt eas ad inuicem comparemus: circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, Quæ ſit prioritas tum exiſtentiæ, tum perfectionis inter cauſas?

¶ Secundò, Vtrùm inter cauſas vna ſit prior aliâ in cauſando?

¶ Tertiò, Vtrùm duæ cauſæ totales eiuſdem ordinis poſſint ſimul producere vnum, & eumdem effectum?

¶ Quartò, Vtrùm idem effectus poſſit eſſe à pluribus cauſis totalibus diuiſim?

Articvlvs I.

Quæ ſit prioritas tum exiſtentiæ tum perfectionis inter cauſas?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd cauſæ intrinſecæ, ſcilicet materialis & formalis ſint perfectiores extrinſecis, ſcilicet efficiente & finali. Probatur. Cauſa eſt id à quo pendet effectus: ergo illa cauſa eſt perfectior, à qua magis pendet effectus: ſed effectus, ſcilicet compoſitum, magis pendet à cauſis intrinſecis, cùm illud conſtituant, quàm ab extrinſecis: ergo cauſæ intrinſecæ ſunt perfectiores extrinſecis.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd inter cauſas intrinſecas materialis ſit perfectior formali, quia cauſa eſt id, à quo pendet effectus: ergo illa cauſa, à qua magis pendet alia, eſt perfectior: ſed forma magis pendet à materia, quàm materia à forma: nam materia ſolùm pẽdet à forma quoad ſpecificationem & exiſtentiam, forma verò pendet à materia, etiam quoad eſſentiam actualem, ſi ſit forma materialis

rialis: ergo inter cauſas intrinſecas materialis eſt perfectior formali.

§ 3. Præterea, Videtur quòd inter cauſas extrinſecas efficiens ſit perfectior finali, quia cauſalitas efficientis eſt agere, ſiue mouere producendo & efficiendo; cauſalitas autem finis eſt mouere tantùm metaphoricè, ſcilicet alliciendo: conſtat autem quòd modus mouendi producendo & efficiendo, eſt perfectior modo mouendi tantùm alliciendo: ſed illa cauſa eſt perfectior, cuius cauſalitas eſt perfectior: ergo cauſa efficiens eſt perfectior cauſâ finali.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis & D. Th. in præſenti, quos communiter ſequuntur Philoſophi, vt noſtri complutenſes hîc diſp. 15. q. 1. & alij.

Conclusio.

Cauſa extrinſeca, ſcilicet efficiens & finalis ſunt perfectiores intrinſecis, ſcilicet formâ & materiâ; inter intrinſecas forma eſt perfectior materiâ; inter extrinſecas verò finalis eſt perfectior efficiente.

Respondeo dicendum, quòd loquendo de prioritate cauſarum inter ſe quantùm ad exiſtentiam cauſa efficiens eſt prima, deinde finis totalis, ſcilicet compoſitum, deinde forma, vltimò materia. 2. quantùm verò ad perfectionem, cauſæ extrinſecæ, ſcilicet efficiens & finalis excedunt perfectione intrinſecas, ſcilicet materialem & formalem. 3. inter intrinſecas forma eſt perfectior materiâ. 4. inter extrinſecas verò finalis eſt perfectior efficiente.

Probatur prima pars concluſionis ex ſupradictis. Cauſa efficiens in hoc diſtinguitur ab aliis cauſis, quòd iſtæ non requirunt in illo priori, in quo cauſant, eſſe omnino extra cauſas, & ita non cauſant quatenus realiter exiſtunt: cauſa verò efficiens agit inquantum eſt in actu, & ex eo quòd ipſa ſit, cauſat & ponit in actu cæteras cauſas, dando illis realem exiſtentiam: ergo efficiens eſt prior quantùm ad exiſtentiam cæteris cauſis. Deinde finis totalis, ſcilicet compoſitum, exiſtit per ſe, & ratione ſui, partes verò [exceptâ pro nunc animâ rationali quæ per ſe exiſtit, & communicat ſuam exiſtentiam toti compoſito & materiæ] exiſtunt ratione totius, & tandem materia exiſtit ratione formæ: ergo quantùm ad exiſtentiam cauſa efficiens eſt prima, deinde finalis, poſtea forma, vltimò materia.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Illud genus cauſæ eſt perfectius, cuius ſuprema quaſi ſpecies, eſt perfectior ſupremâ ſpecie alterius generis: ſed ſupremum efficiens & finis, ſcilicet Deus, (qui eſt primum efficiens, & vltimus finis) eſt perfectius quauis cauſâ materiali & formali, vt ſatis conſtat: ergo genus cauſæ efficientis, & finalis excedit perfectione genus cauſæ materialis, & formalis. Deinde modus cauſandi materiæ & formæ eſt incompletus, nam agunt, vt partes intrinſecæ componentes; & ideo hic modus inuoluit imperfectionem, propter quam Deus non poteſt illum immediatè per ſeipſum ſupplere; modus autem cauſandi finis & efficientis, cùm non ſit componendo, non petit fieri ab ente incompleto, vnde poteſt Deo competere, & ita eſt perfectior modo cauſandi materiæ & formæ: ſed illæ cauſæ ſunt perfectiores in ratione cauſæ, quarum modus cauſandi eſt perfectior; nam cauſalitas, cùm ſit actus ſecundus notificat actum primum, quo conſtituitur cauſa in ratione cauſæ; nam quò perfectior eſt actus primus, etiam perfectior eſt actus ſecundus: ergo cauſæ extrinſecæ ſunt perfectiores intrinſecis. Poſtremò materia & forma materialis, indigent ſuo effectu, ſcilicet toto compoſito, vt ſint non autem efficiens & finalis: nam finis ſecundùm ſuum eſſe intentionale cauſat, & tamen ſecundùm illud eſt independens à ſuo effectu, vt patet: efficiens verò præſupponitur in actu ante effectum: ergo cauſæ extrinſecæ ſunt perfectiores intrinſecis.

Probatur tertia pars concluſionis. Materia eſt pura potentia, & vt talis cauſat, forma verò eſt actus, & cauſat vt actus: ſed actus eſt perfectior potentiâ, & modus cauſandi per modum actus, eſt perfectior modo cauſandi per modum potentiæ: ergo inter cauſas intrinſecas forma eſt perfectior materiâ.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate Ariſtotelis in hoc 2. libro textu 30. item 5. Metaph. cap. 2. D. Aug. 5. de ciuitate Dei cap. 11. vbi dicit finali causâ non dari cauſam meliorem, & D. Th. hîc lectione 5. & opuſc. 31. capite 2. ait: quòd finis eſt cauſa cauſarum, quia eſt cauſa cauſalitatis in omnibus cauſis.

Secundò, probatur ratione D. Th. Omnis cauſa, vt ſic, eſt perfectior ſuo cauſato: ſed finis in ratione cauſæ conſideratus, eſt cauſa efficientis, vt cauſa eſt, ſiue eſt cauſa quòd efficiens cauſet, quia ex D. Thom. 5. Metaph. lect. 2. & opuſculo citato efficiens non eſt cauſa, niſi inquantum agit, non autem agit, niſi propter finem, & motum ab ipſo; & conſequenter efficiens à fine habet cauſare & agere: ergo finis in ratione cauſæ eſt perfectior efficiente; ſicut quia cauſa prima efficiens collata cum ſecunda, habet mouere illam ad efficiendum, & ſecunda non agit, niſi mota à prima; ideo in ratione cauſæ, & cauſæ efficientis, prima eſt perfectior ſecundâ. Confirmatur. Finis in modo cauſandi nullam aliam cauſam præſupponit, ſed cauſat immotus, & quaſi cauſa inter has ſecundas ſimpliciter prima: efficiens vero influit, vt cauſa ſecunda mota à fine; item finis non ſolùm eſt primum mouens, ſed etiam eſt vltimus terminus, quem agens intendit per ſuam operationem, & ad quod cætera alia diriguntur: ſed hæc omnia dicunt maximam perfectionem ſuper alia: ergo inter cauſas extrinſecas finalis eſt perfectior efficiente in ratione cauſæ, poteſt tamen contingere quòd efficiens ſit perfectius fine in ratione entis; imò hoc ordinariè contingit, quia efficiens ſemper habet eſſe reale & actuale, finis verò multoties tantùm habet eſſe intentionale: vnde debent iſtæ duæ rationes diſtingui in modo cauſandi: videmus enim quòd accidens in eſſe entis, eſt imperfectius materiâ primâ, quæ eſt ſubſtantia, eſt tamen perfectius in eſſe cauſæ, vt docet. D. Th. 1. p. q. 115. art. 1. ad 5. ratio autem cauſæ attenditur ſecundùm modum ſe habendi ad effectum: modus autem ſe habendi ad illum ita vt influat omnino immotus, non poteſt non eſſe perfectior in ratione modi cauſandi & conſequenter arguit nobiliorem cauſam: vnde perfectio cauſæ non fundatur in modo eſſendi vtcúmque, ſed in modo eſſendi, vt eſt fundamentum, & radix ſe habendi ad effectum; & ita poteſt accidere quòd aliquid in eſſe entis materialiter ſit perfectius, & tamen ſit imperfectius ſecundùm quòd fundat modum ſe habendi ad effectum; & ideo poteſt exiſtentia intentionalis fundare nobiliorem modum cauſandi, quia vt dictum eſt, in fine fundat modum cauſandi primum & immotum, quàm exiſtentia realis cauſet in efficiente: nam licèt cauſet, vt eſt in actu nobiliori in eſſe entis, cauſat tamen ſubordinatus ſecundùm hanc cauſalitatem actualitati finis, vt illi, qui eſt primò in actu, & à quo cætera ſunt in actu; & licèt finis non cauſet, niſi etiam cauſet efficiens, tamen finis dat efficienti, quòd cauſet, & non efficiens fini: vnde opuſculo citato ſic ait D. Thomas: *Efficiens non facit finem eſſe finem, & ideo non eſt cauſa cauſalitatis Finis*, [id eſt non facit finem eſſe cauſam finalem]: *finis verò eſt cauſa cauſalitatis efficientis, quia facit efficientem eſſe efficiens.*

Ad primum ergo dicendum, quòd tunc tantùm effectus magis pendet ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco, quando extrinſecum non cauſat prædictum effectum, & quidquid eſt intrinſecum in illo: finis autem, & efficiens ſunt cauſa tam totius compoſiti, quàm ipſius materiæ & formæ, quæ ſunt ipſi intrinſecæ, maximè ſi loquamur de primo efficiente: in aliis autem generationibus (exceptâ humanâ) efficiens eſt cauſa ipſius formæ, quæ eſt potior pars compoſiti: certum autem eſt, quòd maior dependentia attenditur ex maiori influxu, & ex modo influendi magis independenti; modus autem influendi, tam in rem, quàm in intrinſeca rei, eſt magis independens, magis completus ac proinde maior. Deinde licèt concedatur totum compoſitum magis pendere à cauſis intrinſecis in eſſe entis, non tamen magis pendet in eſſe effectus, quia ſecundùm iſtam rationem intrinſecè, &

eſſentialiter

sentialiter dependet ab omnibus suis causis: vnde si desit influxus alicuius, deerit totum in ratione effectus.

Ad secundum dicendum, quòd tantum probat materiam excedere formam quadam extensiuâ & materiali perfectione, non verò intensiuâ, quia ille modus, quo materia pendet à forma, longè est excellentior, cùm forma per modum actus det materiæ quòd sit creatæ & determinatæ speciei, & communicet ei existentiam. Deinde argumentum tantùm probat formam in ratione entis magis pendere à materia, quàm materiam à forma, cùm forma sit aliquo modo effectus materiæ; non autem probat, in ratione causæ, prout inuicem comparantur vt actus & potentia, vel in ratione concausæ per ordinem ad suum effectum, scilicet compositum.

Ad tertium dicendum, quòd licèt modus mouendi producendo, & efficiendo excedat aliquantulùm, & secundùm quid modum mouendi alliciendo & finalisando, non tamen simpliciter, quia ratio causæ, & perfectio ipsius potiùs debet attendi ex modo causandi magis independenter, quàm ex aliis circumstantiis; sed licèt causa efficiens det immediatè esse per realem & naturalem influxum, dat tamen illud motâ à fine; finis verò causat immotus, nec mouet rogando, vt quidam dicunt, sed eius motio debet explicari per modum cuiusdam imperij, licèt suauissimi; quare efficiens deseruit fini, quatenus finis mediante efficiente causat; imo & in Deo secundùm nostrum modum intelligendi, perfectius est quòd sit finis, quàm quòd sit efficiens, quia quodammodo inquantum efficiens, deseruit sibi vt est finis, dum gratiâ suæ bonitatis omnia operatur, & ab ipsa tanquam à ratione finali, licèt non tanquam à causa, agitur & mouetur.

Articvlvs II.

Vtrùm inter causas vna sit prior aliâ, in causando?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd inter causas vna non sit prior aliâ in causando. Probatur ex authoritate Philosophi in hoc lib. textu. 31. D.Th. ibidem lect. 5. & communi axiomate Philosophorum: Causæ sunt sibi inuicem causæ, ita vt quælibet in suo genere sit prima, & prior aliis in causando: ergo simpliciter loquendo inter causas vna non est prior aliâ.

¶ 2. Præterea, Licèt causa materialiter considerata possit habere rationem effectus respectu alterius, & sic esse posterior illâ, tamen formaliter considerata, vt causa, non potest esse posterior, quia quod consideratur vt posterius, consideratur vt dependens; repugnat autem causæ formaliter, vt causæ, pendere: nam ratio causæ dicit prioritatem & independentiam; implicat autem illud, quod est independens, quatenus tale, esse dependens: ergo repugnat causæ considerati vt quid posterius, ac proinde inter causas vna non est prior aliâ in causando.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. 1. p. q. 5. art. 2. ad 1. & art. 4. Item 1. 2. q. 1. art. 2. quem communiter sequuntur eius discipuli & alij.

Conclvsio.

Cùm inter causas vna prius influat, quàm alia, necessariò debet admitti, quòd vna est prior aliâ in causando.

Respondeo dicendum, quòd licèt causæ sibi inuicem sint causæ, ac proinde quælibet in suo genere sit prior in causando, 2. tamen simpliciter loquendo, vna est prior aliâ: nam prima, quæ influit, est causa finalis, secunda efficiens, tertia materialis, & vltima formalis.

Probatur prima pars conclusionis communi consensu Philosophorum: est enim axioma inter ipsos receptum & desumptum ab Aristotele in hoc lib. textu. 31. Item 5. Metaph. & ex D.Th. ibidem lect. 2. quòd causæ sibi inuicem sint causæ, quod tantùm indiget explicatione. Dicendum igitur quòd si loquamur de causis quoad esse reale & naturale ipsarum, licèt non sit mutua causalitas inter omnes causas, quia efficiens communicat aliis esse, & nihil ab ipsis recipit, cùm causet vt iam in actu, & inquantum in actu, tamen inter materiam, formam & finem potest esse hæc mutua causalitas: nam materia dat formæ materiali esse sustentatam in ipsa, quia ex eius potentia educitur; forma verò communicat materiæ esse existentiæ, & esse specificum; & similiter finis potest esse causa entitatis & existentiæ ambarum, quia agens tribuens illis quidquid in se habent, mouetur à fine ad hoc præstandum. Item materia & forma quælibet in suo genere dat esse composito, & quod est finis proximus, & effectus illarum, & ita quælibet in suo genere est prior aliâ, quia vt consideratur in suo genere, oportet vt ipsa sola consideretur vt causa: nam aliæ, licèt sint causæ, non tamen in illo genere; & ideo si solùm consideratur v.g. genus causæ materialis, tunc aliæ considerantur, vt sunt præcisè effectus materiæ, & sola materia vt causa; & consequenter ipsa sola, vt prior in illo genere, & aliæ vt posteriores.

Si autem loquamur de omnibus causis quantùm ad dependentiam earum ad inuicem in causalitate, dicendum quòd est mutua inter omnes dependentia: nam in generatione substantiali, non moueret finis, nisi agens esset, quod ageret, nec agens ageret, nisi materia reciperet, & forma informaret, & econtra; vnde eadem generatio substantialis est propter finem, causatur ab efficiente, dependet à materia & à forma, à qua specificatur. Si tamen omnino propriè & rigorosè loquamur, causa materialis & formalis solùm sunt sibi inuicem causæ quoad esse, & non quoad causalitatem, nam forma non dat materiæ, quòd recipiat, hoc enim habet à seipsa, cùm sit pura potentia; nec materia dat formæ, quòd informet, hoc enim sibi competit, quia est actus; solùm ambo requiruntur, quia cùm sint comparres, causalitas vnius est respectu alterius, & hoc indicat D.Th. 5. Metaph. lect. 2. sed à fine forma & materia non solùm habent esse, sed etiam causare: nam quòd forma informet materiam, & materia recipiat formam, hoc est propter finem, scilicet propter totum compositum constituendum.

Nec ex dictis sequitur eamdem causam esse sui causam quia est causa alterius, quæ sibi est causa: nam hoc axioma (*Quidquid est causa causæ, est causa causati*) Est tantùm verum, quando quod simul causatum est, causat aliud in eodem genere causæ, in quo ipsummet fuit causatum, non autem est verum quando id quod causatur, rursus causat in alio genere causæ diuerso ab illo, in quo causatum est. Rationem huius assignat D. Th. 1. 2. q. 79. art. 1. ad 3. Item q. 3. de malo art. 1. ad 4. nam tantùm potest esse legitimus sensus huius axiomatis; vt id, quod est causa causæ, sit etiam causa causati, quando causatum causat secundùm illud esse, secundùm quòd fuit priùs causatum: sed quando aliquid causatur, & causat in eodem genere causæ, tunc secundùm illud esse, secundùm quod causat, causatur, & ideo non est mirum, si quod est causa illius, sit etiam causa alterius ab ipso causati; quando verò hæc causalitas est in diuerso genere causæ, tunc id, quod causatur, non causat secundùm illud esse, secundùm quod causatum est, sed secundùm diuersum; & hoc potest explicari discurrendo per singulas causas: nam finis causat respectu efficientis, & rursus causatur in diuerso genere causæ, sed non secundùm idem esse, nam causatur secundùm esse reale, & naturale existentiæ; causat verò secundùm propriam bonitatem intentionaliter tantùm existentem præcisè vt causat: similiter materia causat formam, vt sustentatam, & fieri ipsius, modo supra explicato: formâ verò secundùm sua essentialia considerata causat materiam, & dat illi, non quidem illud esse essentiæ, & puræ potentialitatis secundùm quod materia fuit causa materialis, sed illi dat esse specificum positiuum, & esse existentiæ totius: vnde licèt dicatur quod materia & forma non pendeant ab inuicem, quâ ratione sunt causæ; nec ab efficiente, quia nec ab efficiente, nec à se inuicem recipiunt suas causalitates, eo rigoroso modo, quo omnes accipiunt à fine; tamen ratione alicuius præsuppositi in ipsis ad rationem causæ, secundùm quòd sunt suo modo effectus, possunt pendere ab inuicem & ab efficiente,

quia cùm ſint cauſæ creatæ, priùs eſt in ipſis eſſe effectus, quàm eſſe cauſæ, & priùs præſupponunt aliquas conditiones neceſſarias ad cauſandum, quàm actu cauſent. Nihil autem obeſt, vt ait D.Thom. 1.2.q.33. art.4. ad 2. quòd idem ſit prius & poſterius, & conſequenter notius & ignotius ſecundùm diuerſas rationes, ſicut neque quòd aliquid ſit ratio cognoſcendi aliud in vno genere, & per illudmet cognoſcatur in alio genere; imò hoc eſt neceſſarium, ſicut & quòd ſint plura & diuerſa genera cauſarum.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D. Thom. qui 1.p.q.5. art.2.ad 1. & art.4. Item 1.2. quæſt.1. art. 2. ponit prædictum ordinem cauſandi in his cauſis. Deinde finis, vt dictum eſt, mouet immotus cauſam efficientem, ac proinde cæteras cauſas: ergo eius cauſalitas, ſimpliciter loquendo, præcedit cauſalitates aliarum cauſarum; materia verò non poteſt vniri formæ, nec forma materiæ, niſi præſupponatur cauſa efficiens, & cauſalitas eius, quæ illas vniat, det illis propriam entitatem, pet quam ſint à parte rei, & reddantur potentes cauſare in ſuo ordine & genere; agens autem creatum non poteſt formam producere, niſi ex præſuppoſita materia, vnde materia, & eius cauſalitas præcedit formam: & tandem cùm ſine forma non poſſit reſultare compoſitum, neceſſe eſt qoòd adſit eius cauſalitas tanquam cauſa omnino intrinſeca: ergo vna cauſa eſt prior alia in cauſando ſecundùm ordinem prædictum.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ modo explicato, & quælibet in ſuo genere ſit prima, tamen hoc non tollit, quin ſit prædictus ordo inter ipſas in cauſando, vt patet ex dictis.

Ad ſecundum dicendum, quòd verum eſt totum, ſi conſiderentur cauſæ præciſè, vt cauſæ ſunt, & quoad eſſe, quod eiſdem, vt talibos conuenit, non verò ſi conſiderentur in ordine ad ſuum effectum, quem omnes cauſant: nam ſicut effectus pendet ab omnibus, & priùs eſt in illo dependentia ab vna, quàm ab alia; ita & ipſæ cauſæ in ordine ad talem effectum, & ratione dependentiæ ipſius effectus ab eiſdem cauſis, poſſunt inter ſe in ſua cauſalitate habere ordinem prioris & poſterioris.

Articvlvs III.

Vtrùm duæ cauſæ totales eiuſdem ordinis poßint ſimul producere vnum & eumdem effectum?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur qoòd duæ cauſæ totales eiuſdem ordinis poſſint ſimul producere vnum & eumdem effectum. Quidam tenent, vt Nominales, hoc fieri poſſe naturaliter. Alij tantùm ſupernaturaliter, vt Suares 1.tom.Metaph.diſp.26.ſect.4. Fonſeca 5. Metaph.c.2.quæſt.15. Ruuius in præſenti, & alij. Probatur pro primo modo dicendi. Si eidem medio applicetur duplex luminoſum, vt quatuor, in medietate illius ſpatij producent lumen, vt duo; tunc vel erunt duo lumina, vel non: primum non poteſt dici, cùm duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſint eſſe in eodem ſubiecto: ſi dicatur quòd non ſunt duo, ſed vnicum lumen: ergo producitur totaliter ab vtróque luminoſo, cùm non ſit maior ratio cur ab vno potiùs, quàm ab alio producatur: nec poteſt dici quòd procedat ab vtróque partialiter; nam quodlibet ſecundùm ſe eſt potens producere in illa medietate lumen, vt duo, nec apparet vnde impediatur eius actio, maximè ſi ſimul applicentur. Item ponatur parua ſtupa facile comboſtibilis in medio trium ignium, ſimul comburetur ab omnibus: ergo eadem comboſtio eſt à tribus cauſis totalibus.

¶ 2. Præterea, Vnus & idem actus poteſt habere duplicem finem totalem, ſicut poteſt quis deambulare ſimul, & ſanitatis cauſâ, & inuiſendi amici gratiâ: ergo vnus, & idem effectus poterit habere duplicem cauſam agentem eiuſdem ordinis totalem; non enim eſt maior ratio, cur poſſint eſſe duæ finales totales vnius effectus, & non duæ cauſæ efficientes totales.

¶ 3. Præterea, Pro ſecundo modo dicendi. Poſſunt ex D.Th.3. p.q.67. art.6. plures ſimul baptizare eumdem puerum, & ſimiliter omnes, qui ordinantur ſimul cum Epiſcopo conſecrant eamdem hoſtiam, ex D.Th.3.p.q.82. art. 2. ſed hæ ſunt plures cauſæ totales eiuſdem ordinis reſpectu eiuſdem effectus: ergo duæ cauſæ totales eiuſdem ordinis poſſunt ſimul producere eumdem effectum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Caietanus 3. p.q.67.art.6. Capreolus in 2.d.10.q. vnicâ art.3. Ferrar.3. contra gentes c.68. Iauellus 5.Metaph.q.7.Soncinas ibid. q.6. noſtri Complutenſes hîc, & alij.

Conclvsio.

Cùm non poßit idem effectus ſimul pendere per ſe ab aliqua cauſa, & non pendere ab illa, duæ cauſæ totales eiuſdem ordinis non poſſunt ſimul producere eumdem effectum.

Respondeo dicendum, quòd implicat contradictionem, vt idem numero effectus producatur ſimul à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, non ſolùm poſſe, ſed de facto produci eumdem effectum à duabus cauſis partialibus eiuſdem ordinis, & à duabus totalibus diuerſi ordinis ſubordinatis, & ita præſens difficultas ſolùm procedit de duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis: ſupra autem determinatum eſt quantùm ad cauſas materiales & formales; diximus enim, nec duas formas poſſe informare vnam materiam, nec duas materias informari vnâ formâ: vnde in præſenti ſolùm determinatur de duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis, tam finalibus, quàm efficientibus, eadem enim eſt ratio de vtriſque, & ita quod dicitur de efficiente, proportionaliter eſt intelligendum de finali.

Probatur concluſio ratione D.Th.1.p. quæſt.52. art.3. item in 1.d.37.q.3.art.3. Item q.3. de potentia art.7. & 19. ad 1. implicat aliquem effectum pendere per ſe ab aliqua cauſa, & non pendere per ſe ab illa, vt patet, aliàs duo contradictoria eſſent ſimul vera: ſed ſi vnus & idem effectus produceretur à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis, penderet per ſe à qualibet earum, & non penderet per ſe; penderet enim per ſe, quia vt ſupponitur, quælibet eſſet cauſa totalis totaliter illum producens, & ſic haberet totum ſuum eſſe ab illa, quod eſt per ſe pendere; deinde à nulla earum per ſe penderet, quia effectus qui poteſt independenter ab aliqua cauſa, & ſine illa produci, non habet dependentiam per ſe ab illa: conſtat autem quòd ſine quauis determinata cauſa ex illis duabus poſſet effectus ille produci: ergo implicat quòd duæ cauſæ totales eiuſdem ordinis ſimul producant vnum & eumdem effectum.

Explicatur hæc ratio. Dependere per ſe vnum ab alio, nihil eſt aliud quàm in eo, in quo dependet, non poſſe ſaltem connaturaliter dari ſine illo; & ideo anima rationalis non pendet per ſe à materia, ſicut pendent formæ materiales, quia poteſt eſſe ſine illa: eſt autem eſſentialis dependentia effectus, vt talis, à cauſa, à qua procedit: ergo ſi procedit à multis, ita dependebit ab illis vt non poſſit non eſſe ab eiſdem: ſed idem effectus non poteſt per ſe, & eſſentialiter pendere à duabus cauſis: nam vel penderet ab vtráque ex illis ſimul ſumptis, à quauis in particulari determinatè, & in ſolidum, vel ab vna, aut ab alia indiſtinctè: ſed nullum ex his poteſt dici. Non primum nec ſecundum, quia ille effectus poteſt fieri ſine quauis in particulari, & determinatè ſumpta, imò connaturalius ſic fieret. Deinde ſi penderet eſſentialiter ab vtráque, quælibet eſſet partialis, quia nunquam deſideratur neceſſariò concurſus duarum cauſarum eiuſdem ordinis, niſi quælibet ſit inſufficiens ad cauſandum effectum. Nec etiam tertium poteſt dici quòd pendeat ab vna, vel ab alia indiſtinctè & indeterminatè, quia effectus eatenus pendet à cauſa, vt exiſtenrialiter & in executione ponitur, quatenus accipit ab ea eſſe: ſed talis effectus in hac ſuppoſitione non accipit eſſe ab vna, vel ab altera cauſa totali, ſed ab vtráque: ergo nequit ab vna, vel ab

alia

alia diuisim, & indeterminatè sumpta hac exercita existentialitate pendere, sicut licèt visio in actu signato indeterminatè pendeat ab vno, vel ab alio oculo, tamen exercita, siue elicita & existens, vt hîc loquimur de effectu, non potest non ab aliquo oculo determinatè & in particulari pendere.

Nec valet recurrere ad diuersas actiones vitales, vt recurrit Suares: nam eodem modo vrget argumentum comparando effectum cum duabus causalitatibus, siue duabus actionibus totalibus quantùm ad dependentiam essentialem, sicut comparando cum duabus causis totalibus: ad maiorem tamen euidentiam sciendum est, quòd si duæ causæ totales eiusdem ordinis efficerent per diuersas actiones eumdem effectum, tum tam causæ, quàm causalitates totales respicerent totum effectum sub eadem ratione formali: hoc enim est de ratione causæ eiusdem ordinis: nam si vna earum terminaretur ad illum sub aliqua ratione magis communi & eleuatiori, iam illa causa esset superioris ordinis; & sicut effectus sub vna & indiuisibili ratione terminaret respectum vtriúsque causæ, ita sub vna & indiuisibili ratione referretur ad vtrámque, & ad actiones illarum; aliàs effectus ille in ratione respicientis non esset vnicus & indiuisibilis, quod tamen est falsum: nam per eamdemmet rationem, quâ terminat respectus causarum, refertur ad illas: hoc posito, sic procedit ratio contra solutionem Suares. Cuilibet respectui, & habitudini transcendentali executa, & existenti debet assignari aliquis terminus, & hoc necessariò cùm ab illo specificetur: sed illi respectui, quo talis effectus respiceret tam illas duas causas totales, quàm illarum actiones totales, non esset assignabilis terminus, quia nec potest esse vtráque causa, & actiones illarum simul sumptæ, nec vna, vel alia indeterminatè sumpta cum sua propria actione, nec quælibet cum sua actione in particulari in solidum & determinatè, vt patet ex discursu superiori proportionaliter hîc applicato: ergo non est possibile illum respectum actu & in exercitiu in aliquo effectu dari: vnde nec est possibilis effectus, qui per illas causas totales fiat, nam si fieret, daretur talis effectus.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa duo luminosa concurrunt partialiter, & se mutuò adiuuant quantùm ad extensionem luminis: nam cum non sit dabile corpus, quod non habeat partes, intensio luminis in qualibet parte correspondet agenti viciniori, si sint æqualis virtutis: vnde quia vnum poterat producere lumen in tanta distantia cum tanta intensione, adiutum ab alio producet idem lumen cum eadem intensione in maiorem distantiam, ita tamen, vt nunquam in eadem parte ambo producant lumen proportionatum suæ virtuti, quia naturaliter est impossibile quòd eadem pars medij æqualiter distet ab vtróque. Ad id quod dicitur de stupa, dicendum quòd illi ignes comburerent illam partialiter, licèt quilibet haberet virtutem sufficientem ad totaliter comburendum.

Ad secundum dicendum, quòd licèt illi fines separatim possint esse totales, tamen vniti respectu eiusdem actionis sunt tantùm partiales.

Ad tertium dicendum cum D. Th. 3. p. q. 82. art. 2. ad 2. nihil referre, quòd plura instrumentaliter simul concurrant, quia vniuntur in vnica virtute eiusdem agentis principalis, cui subordinantur; nec effectus eo modo pendet ab instrumento, quo pendet à causa principali. Nota circa supradicta, quòd in opinione aduersariorum, qui non distinguunt realiter actionem à fieri rei, dum dicunt eumdem effectum fieri à duabus causis totalibus eiusdem ordinis per duas actiones, inuoluunt contradictionem in dictis; impossibile est enim, si actio sit fieri rei, quòd vbi est tantùm vnum fieri rei, siue vnius effectus, ibi sint duæ actiones totales.

Articvlvs IV.

Vtrùm idem effectus possit esse à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis diuisim?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd idem effectus, non solùm supernaturaliter, sed etiam naturaliter possit esse à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis diuisim; ita tenent Scotus in 2. d. 20. quæst. 2. Suares 1. tom. Metaph. disp. 26. sect. 5. & alij, qui dicunt, quòd idem effectus, qui producitur nunc in hoc loco, & cum aliis circumstantiis, produceretur idem numero, si sub eisdem circumstantiis applicaretur alia causa. Probatur. In specie leonis, v.g. est generalis vis ad productionem cuiuslibet leonis: sed in quolibet leone est tota vis suæ speciei, sicut & tota natura & essentia: ergo quilibet leo poterit quodlibet indiuiduum suæ speciei producere.

¶ 2. Præterea, Idem effectus procedit simul, & potest procedere diuisim, tum à causa vniuoca & proxima, tum à sola æquiuoca & prima: ergo & à duabus vniuocis saltem diuisim, non enim videtur dispar ratio.

¶ 3. Præterea, Idem effectus numero, qui fieret ab vna causa, si applicaretur, fit ab alia, quæ tunc applicatur: nam idem est cadauer bouis occisi, à quocúmque occidatur. Deinde eamdem existentiam localem, quam habet hoc animal in hoc loco, haberet aliud, si ad eumdem locum moueretur. Denique lumen productum ab vno luminoso, intenditur ab alio, idem autem est lumen intensum, ac remissum: ergo idem effectus potest fieri à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis diuisim.

¶ 3. Præterea, Maior virtus requiritur in causa ad conseruandum effectum, quàm ad producendum, nam multæ producunt, quæ non conseruant: sed idem effectus potest à pluribus causis indifferenter conseruari, sicut calor productus ab vno igne in aqua, potest conseruari ab alio igne: ergo & produci.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, Capreolus, Ferrariensis, Soncinas, Iauellus, Soto, Masius, nostri Complutenses &c.

Conclvsio.

Cùm aliquis effectus non possit simul pendere per se, & non pendere ab aliqua causa, non potest idem effectus esse à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis diuisim.

Respondeo dicendum, quòd implicat contradictionem eumdem numero effectum fieri diuisim à duplici causa totali eiusdem ordinis. Probatur authoritate D. Th. locis articulo præcedenti citatis; item quodlibeto 5. articulo 8. vbi sic ait: *Impossibile est eumdem filium nasci, siue sit alius pater, siue alia mater: sicut etiam non est idem numero sigillum, siue sit alia cera, siue sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur.* Probatur etiam ratione factâ articulo præcedenti: nam effectus siue simul, siue diuisim fieret à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, penderet, & non penderet per se à quauis illarum; & posito quòd actio sit fieri rei in opinione aduersariorum, non minùs confunderentur illarum actiones, vt patet.

Secundò duæ essentiæ eiusdem speciei in duobus indiuiduis, licèt sint realiter similes, tamen sunt realiter distinctæ: ergo similiter, licèt habeant illa duo indiuidua similes potentias actiuas, tamen sunt realiter distinctæ: & ita non sunt idem, sed tantùm similia in agendo: ergo eorum effectus sunt tantùm inter se similes, & non idem realiter. Confirmatur. Differentia indiuidualis non minùs limitat, v.g. animam rationalem in ratione naturæ, quàm in ratione essentiæ, quia contrahit illam secundùm eamdem rationem: sed per hoc quòd limitatur in ratione essentiæ per hanc differentiam indiuidualem, habet quòd non possit tribuere eumdem effectum formalem, quem alia tribuit, ac proinde nec constituere

eamdem numero eſſentiam eiuſdem compoſiti, quàm alia conſtituit, at alium ſimilem: ergo per hoc quòd limitatur in ratione naturæ, ſiue potentiæ actiuæ radicalis, habet quòd non poſſit producere eumdem numero effectum, quem alia producit, at alium ſimilem. Confirmatur 2. Formaliſſima ratio potentiæ operatiuæ radicalis, & humanæ abſtracta à cunctis ſimilibus potentiis, includit omnem vim actiuam talis ſpeciei, quam ſine dubio non includit potentia ſingularis alicuius indiuidui, aliàs poſſet ſupra totam ſpeciem, & ſic poſſet producere ſeipſum: ergo ſicut in illa potentia communi eſt tantùm facultas ad efficienda omnia & ſingula indiuidua ſpeciei humanæ, ſic in particularibus potentiis indiuidualiter contractis, & partitis ſolùm continetur peculiaris virtus ad peculiaria, & æqualia cauſanda.

Nec tamen ex hoc ſequitur illud, quòd obiicit Suares: ſcilicet quòd ſi hæc ratio probaret, etiam probaret ab vna cauſa poſſe produci tantùm vnum effectum; in contrarium enim habemus experientiam, & ratio ſuadet, quia ſicut vnum indiuiduum non amittit ſuam naturam, nec operandi virtutem, per hoc quòd produxit aliud, ita eo ſemel producto poteſt aliud, & aliud producere; & ſic non ſolùm ſunt poſſibilia infinita indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſed etiam infinitæ ſeries indiuiduorum ſincategorematicè; ita tamen quòd ſingulæ ſingulis cauſis correſpondeant; quia ſicut per differentiam ſpecificam limitatur natura ad non producendum extra illam ſpeciem, ita per indiuidualem ad non efficiendum extra illam ſeriem; nec tamen indiuidua eiuſdem ſeriei inter ſe habent eſſentialem ſubordinationem, quia omnia poſſunt à Deo immediatè produci; ſed quodlibet indiuiduum tantùm petit, vt ſi ſemel efficiendum eſt ab aliqua cauſa proxima creata, quod fiat ab hac, & non ab alia; licèt autem hæc conſideratio ſit Metaphyſica, fundatur tamen in ipſis rebus Phyſicis: & propterea colligimus in tribus Diuinis Perſonis eſſe vnum, & indiuiſum operandi modum ad extra, quia in eis natura diuina non eſt partita partitione Metaphyſicâ per differentias indiuiduales, & quia indiuidua per ſe non intendunt, ſed tantùm ad conſeruationem ſpeciei; ſic debet intelligi quòd quælibet potentia actiua talis ſpeciei intendit conſeruationem ſpeciei, non in communi, ſiue per indiuidua quæcúmque, ſed tantùm per propria ſibi, ſcilicet indiuidua quæ ab illa pendent: potentia verò actiua in communi per indiuidua in communi, & non determinata: ex dictis patet ad primum.

Ad ſecundum dicendum, quòd eſt diſparitas: nam, vt quidam dicunt, ſiue Deus crearet illum effectum, ſiue educeret, ſemper concurreret, vt cauſa prima vniuerſalis & ſupremi ordinis, ſicut nunc concurrit, licèt non admitteret concurſum alterius cauſæ, quem non ex indigentia, ſed ex dignatione admittit, ſemper tamen operatur independenti modo, qui ſoli primæ cauſæ conuenit. Vel dicendum, quòd licet in illo caſu Deus eſſet cauſa particularis, quia tamen omnia continet eminenter, etiam contineret illam determinationem cauſæ ſecundæ ad talem numero effectum; & ita per ſe, & formaliter loquendo, ab vna tantùm cauſa penderet, quia terminus formalis illius dependentiæ eſt illa numero vis actiua cum his numero circumſtantiis, ſiue habeat modum eſſendi eminentem, vt in Deo, ſiue formalem, vt in cauſa creata; nec tamen idem dicendum eſt de aliis cauſis vniuerſalibus, quia non continent omnia eminenter: vnde non poteſt eſſe idem numero calor, qui producatur immediatè à Sole, & ab igne.

Ad tertium dicendum, quòd nec iugulans nec ſuffocans bouem, eſt cauſa principalis formæ cadaueris, ſed vel cœlum, vel elementum prædominans, vel Deus; & ideo pro identitate, vel diuerſitate elementi prædominantis, eſt identitas, vel diuerſitas cadauerum. Ad aliam inſtantiam dicendum, quòd exiſtentia localis non tantùm pendet à loco, ſed etiam à ſubiecto: vnde licèt diuinitus ponantur duo corpora in eodem loco, adhuc ſunt duæ exiſtentiæ locales. Ad aliud dicendum, quòd lumen intenſum diſtinguitur modaliter à ſeipſo remiſſo: vnde poteſt intendi ab alia cauſa; hæc tamen intenſio eſſet numero diſtincta ab ea, quam produceret aliud agens, quod primò prædictum lumen generauit.

Ad quartum dicendum, quod non eſt ſimpliciter verum, quòd requiratur maior virtus ad conſeruandum, quàm ad producendum effectum: nam in cauſis vniuerſalibus, vt in Deo, & in Sole, æqualis virtus ad vtrúmque requiritur: in aliis verò cauſis aliquando eſt faciliùs producere, aliquando faciliùs conſeruare, homo enim producit alium hominem, & non conſeruat, veſtis autem conſeruat, & non producit: minor autem argumenti, ſi intelligatur de conſeruatione, quæ ſit diſtincta realiter à prima rei productione, & dicitur conſeruatio per accidens, eſt quidem vera; ad illam enim poſſunt concurrere multæ cauſæ per accidens, quarum quælibet introducat proprias, & congruas qualitates: ſed tunc nulla eſt conſequentia, maior enim virtus requiritur ad producendum effectum, quàm ad ſic conſeruandum: ſi verò intelligatur de conſeruatione, quæ ſit idem cum prima rei productione, tunc falſa eſt, quia vna cauſa creata non poteſt effectum alterius conſeruare, niſi conſeruatione per accidens, vt remouens contrarium, vel inducens qualitates rei conſeruandæ congruas.

LIBER

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

Summa Textus.



GIT Philoſophus in præcedenti libro de natura, & cauſis entis naturalis; agit in hoc 3. libro de motu, prima & principali proprietate naturæ, & entis naturalis; quia verò natura eſt etiam principium actionis in aliud, conſequenter de actione & paſſione illi correſpondente agetur; & tandem quia motus fit in continuo, & eſt de genere continuorum, quibus conuenit eſſe finita vel infinita; ideo in fine de infinito diſputabitur.

Diuidit hunc librum in 13. capita. In 1. dicit ſe agere de motu, ne latente motu, lateat etiam definitio naturæ tradita per motum, & tradit aliquas diuiſiones neceſſarias ad notitiam motus, ſcilicet diuiſionem entis in actum & potentiam; item in decem genera, & concludit motum non conſtituere ſpeciale prædicamentum, ſed reduci ad prædicamentum ſui termini. In 2. agit de mouente, & eo quod mouetur, & de actu vtriúſque: quibus præſuppoſitis, in 3. concludit motum pertinere ad vtrúmque, tam ad mouens, quàm ad mobile: ait enim notiori modo definitur actus eius, quod facere, & quod pati poteſt, quatenus eſt tale. In 4. agit de infinito, & adducit veterum de eo opiniones. In 5. proponit dubitationes de infinito. In 6. diſputat contra Platonem, & Pythagoreos ponentes infinitum eſſe ſubſtantiam, & per ſe. In 7. dicit infinitum non eſſe corpus ſenſibile. In 8. oſtendit eſſe infinitum, & quomodo ſit. In 9. dicit quid ſit infinitum. In 10. quale ſit infinitum. In 11. quotuplex ſit. In 12. determinat infinitum reduci ad genus cauſæ materialis. In 13. ſoluit dubitationes propoſitas capite quinto, quibus videbatur probari infinitum actu.

QVÆSTIO XVI.

De eſſentia, & quidditate motus in communi.

AGITVR in his octo libris Phyſicorum de ente mobili in communi, ac proinde de motu prima & principali eius paſſione, in communi; in aliis autem partibus Phyſicæ, de ente mobili in particulari, & conſequenter de ſingulis ſpeciebus motus, quæ methodus compoſitionis eſt aptiſſima ad tradendas diſciplinas: circa motum autem in communi quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm definitio motus tradita ab Ariſtotele ſit bona?

¶ Secundò, Vtrùm hæc definitio conueniat ſolùm motui propriè dicto?

¶ Tertiò, Vtrùm motus diſtinguatur à ſuo termino ad quem?

¶ Quartò, Vtrùm omnis motus ſubiectetur in mobili?

ARTICVLVS I.

Vtrùm definitio motus tradita ab Ariſtot. ſit bona?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd definitio motus tradita ab Ariſtotele non ſit bona, ſcilicet, *Motus eſt actus entis in potentia, ſecundum quòd in potentia.* Probatur. Motus cùm ſit eſſentialiter via & tendentia, dicit eſſentialem habitudinem ad terminum (à quo) & ad terminum (ad quem): ſed hæc habitudo non exprimitur in hac definitione, at tantùm habitudo motus ad ſuum ſubiectum: ergo non eſt bona.

¶ 2. Præterea, Hæc definitio conuenit aliis à motu, nam forma ſubſtantialis eſt actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia, cùm ſit actus materiæ primæ, quæ eſt ens in potentia ad recipiendam talem formam, ſecundùm quòd in potentia, quia non prout in actu, ſed prout in potentia eſt ſubiectum capax illius; & hoc magis vrget in aliis formis, quæ ex ſe ſunt viæ ad alias, vt forma ſeminis & embrionis: ergo hæc definitio non eſt bona. Item calor remiſſus eſt actus aquæ in potentia ad illum, & ſecundùm quòd in potentia ad intenſionem illius: ſed calor non eſt motus, at terminus motus calefactionis: ergo hæc definitio motus non eſt bona, cùm conueniat aliis.

¶ 3. Præterea, Omnis actus facit ſubiectum eſſe actu, & excludit ab illo potentiam, ſicut albedo facit parietem eſſe actu album, & excludit ab illo potentiam ad albedinem: ergo malè dicitur quòd motus ſit actus, & quòd ſit entis in potentia, vt ſic.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtot. tradentis hanc definitionem, quam admittit D. Th. in præſenti. Item 1. p. q. 9. art. 1. item in 1. d. 8. q. 3. art. 1. item 2. contra gentes cap. 17. & communiter omnes Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm motus adueniens ſubiecto partim faciat eſſe actu, & partim relinquat in potentia, rectè definitur quòd ſit actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia.

RESPONDEO dicendum, quòd definitio motus tradita ab Ariſtotele eſt bona. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D.Th. in hoc 3. libro lect. 2. quòd aliqua res in triplici ſtatu poteſt conſiderari, ſcilicet vel in actu tantùm, vel in potentia tantùm, vel medio modo inter potentiam puram & actum purum. Quando conſideratur eſſe in potentia tantùm, nondum mouetur, quando autem eſt in actu perfecto, iam non mouetur, ſed mota eſt; ſed tunc mouetur, quando medio modo ſe habet inter potentiam & actum, quando ſcilicet partim eſt in actu, & partim in potentia.

Probatur & explicatur concluſio. Eo ipſo quòd motus relinquit ſubiectum partim in actu, & partim in potentia, non eſt potentia exiſtentis in potentia; aliàs non relinqueret ſubiectum partim in actu, non enim potentia, ſed ſolus actus facit eſſe actu, nec eſt actus exiſtentis in actu; aliàs non relinqueret ſubiectum partim in potentia: ſed ex qua parte relinquit in actu, eſt actus entis in potentia, ſiue mobilis actuati per ipſum; & ex qua parte relinquit illud in potentia, eſt actus entis prout in potentia, quatenus ex proprio modo actuandi (quia eſt via & tendentia ad terminum) ita actuat, vt relinquat ſubiectum in potentia ad eumdem terminum.

Ponitur ly (actus) loco generis, provt abſtrahit à perfecto, qui ſic actuat ſubiectum, vt ex proprio actuandi modo non relinquat illud in potentia, & fluxu ad alium actum, qui ſit terminus eius, & ab imperfecto, qui ex proprio modo actuandi relinquit ſubiectum, & eius potentialitatem inexpleram in fluxu, & ordinatam in vlteriorem, & perfectiorem actum, tanquam ad terminum, & complementum talis actus imperfecti. Quòd motus ſit actus, D.Th. cum Ariſtotele hîc lect. 2. probat his verbis. *Id, quo aliquid fit actu, priùs in potentia exiſtens, eſt actus:* Sed aliquid fit actu dum mouetur, priùs adhuc in potentia exiſtens: ergo motus eſt actus.

Dicitur (entis in potentia) quia, vt notat D. Th. cum Ariſtotele in præſenti; actus eſt eius, in quo inuenitur, ſicut lumen eſt actus diaphani: ſed motus ſemper inuenitur in ente, quod eſt in potentia: nam ſicut res agit, vt eſt actu, ſic præcisè mouetur, vt eſt in potentia: ergo motus eſt actus entis in potentia, ſiue mobilis, quà mobile eſt: quia mobile vt tale, eſt ens in potentia ad motum. Ita D.Th. hîc lect. 4.

Dicitur tandem (quatenus in potentia, ſiue ſecundùm quòd in potentia:) quia motus eſt actus mobilis ſecundùm quòd mobile intelligitur eſſe in potentia ad formam & actum perfectum, qui eſt terminus motus: nam motus eſſentialiter eſt fluxus & tendentia à termino (à quo) ad terminum (ad quem) ex D. Th. loco citato: ergo actuat mobile ſecundùm quòd habet potentiam ad terminum, & aliquo modo intelligitur eſſe priuatum illo: vnde motus eſt actus entis in potentia ſecundùm quòd in potentia, ly (ſecundùm) ſumpto ſpecificatiuè, & reduplicatiuè, ceſſat enim motus quando mobile non eſt ampliùs in potentia ad vlteriorem terminum & perfectionem; licèt enim potentia ad aliquam formam non deſtruatur, ſed potiùs perficiatur, & compleatur per aduentum talis formæ, non tamen poteſt dici, quòd illa res ſit adhuc in potentia ad talem formam, & quod iam habeat illam: ex quo tandem ſequitur quòd motus eſſentialiter ſit actus imperfectus, per modum viæ & fluxus, nam prædictus actuandi modus, eſt proprius actus eſſentialiter vialis, ex D.Th. in 4. d.1.q.1.art.4.

Ad primum ergo dicendum, quòd in hac definitione implicitè ſaltem inuoluitur habitudo ad terminum (à quo) & ad terminum (ad quem) vt conſtat ex dictis, & docet D. Thom.

Ad ſecundum dicendum, quòd aliæ formæ non ſunt actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia ad vlteriorem actum ſi loquamur de formis completis, vt patet; ſi autem loquamur de aliis ex ſe ordinatis ad alias formas, vt de forma ſeminis & embrionis, ſunt quidem actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia, ſed tantùm radicali & remota & non proxima, quia talis potentia, quæ ſubſtat in his formis, non reducitur in actũ vlterioris formæ per ipſas formas, ſed per ſuperuenientem motum; adde quòd motus, vt dicit ordinem ad vlteriorem actum, ita dicit hunc ordinem, vt eius actuatio ſit compoſſibilis, ſiue ſecundùm ſe totam, ſi fuerit mutatio inſtantanea, ſiue ſecundùm aliquid ſui, ſi fuerit ſucceſſiua, cum actualitate termini ſaltem primarij, ita vt poſſint eſſe in vno & eodem inſtanti ſimul: aliæ verò formæ, vt dicunt ordinem ad vlteriorem actum, promouent ad illum per ſui deſitionem. Ad aliud dicendum ſimiliter, quòd calor, vt duo, non actuat aquam provt in potentia, quia licèt implicaret aquam actuari vlteriori gradu, adhuc poſſet recipere calorem, vt duo, ſed ſi implicaret terminum motus actuare mobile, etiam implicaret idem mobile actuari per motum, quia eſt via & tranſitus ad terminum, & hoc eſſentialiter.

Ad tertium dicendum, quòd verum quidem eſt omnem actum excludere à ſubiecto potentiam reſpectu ſui, non verò reſpectu vlterioris actus, ad quem ordinat & promouet ſubiectum, quando prior actus eſt eſſentialiter imperfectus, & ipſa via, vt docet D.Th. in præſenti lect.2. his verbis: *Conſiderandum eſt quòd antequam aliquid moueatur, eſt in potentia ad duos actus, ſcilicet ad actum perfectum, qui eſt terminus motus, & ad actum imperfectum, qui eſt motus; ſicut aqua antequam incipiat calefieri, eſt in potentia ad calefieri, & ad calidam eſſe: cùm autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui eſt motus, nondum in actum perfectum, qui eſt terminus motus: ſed adhuc reſpectu ipſius remanet in potentia.*

Articvlvs II.

Vtrùm hæc definitio conueniat ſolùm motui propriè dicto?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd prædicta definitio motus conueniat ſolùm motui propriè dicto, ſcilicet ſucceſſiuo. Ita tenent Soto in præſenti q.1. Maſius q. 2. Conimbricenſes q. 1 art.2. & alij. Probatur. Motus hîc definitus eſt actus imperfectus, relinquens ſubiectum partim in potentia, & partim in actu, vt docet D. Th. ergo talis motus debet eſſe propriè dictus, ſcilicet continuus & ſucceſſiuus, qui ſecundùm aliquas ſui partes actuat ſubiectum, relinquens illud in potentia ad alias: mutatio autem inſtantanea in eo inſtanti, in quo eſt, inducit totam formam in ſubiecto, & ſic illud conſtituit in actu perfecto, nec relinquit vllam in eo potentiam ad terminum, cùm ſit impoſſibile in eodem inſtanti eſſe formam, & priuationem illius.

¶ 2. Præterea, Si in hac definitione comprehenditur etiam inſtantanea mutatio, ſequitur creationem fuiſſe hîc definitam ab Ariſtot. cùm ſit mutatio inſtantanea de non eſſe creaturæ, ad eſſe illius: ſed ex D. Thom. 1.p.q. 45. art. 2.ad 2.& 3. ſub hac definitione non comprehenditur creatio: ergo hæc definitio motus ſolùm conuenit motui propriè dicto.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtot. & D.Th, quos ſequuntur noſtri Complutenſes, Ferarienſis, Toletus, Ruuius, & plures alij in præſenti.

Conclvsio.

Cùm plures mutationes inſtantaneæ, ita actuent ſubiectum vt relinquant adhuc in potentia ad vlteriorem actum: definitio motus non conuenit ſolùm motui propriè dicto.

Respondeo dicendum, quòd licèt mutationes inſtantaneæ, quæ ſunt actus rei perfectæ, vt intellectiones, volitiones, & ſenſationes non comprehendantur ſub hac definitione motus. 2. Comprehenduntur tamen aliæ omnes mutationes inſtantaneæ, ſiue poſitiuæ, ſiue priuatiuæ, quæ ſunt actus rei imperfectæ. 3. Sicut & omnes motus ſucceſſiui. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd mutatio vel motus ſumitur multipliciter. Primò latiſſimè, vt ambit etiam actiones ſpirituales independentes à materia, & ſic intellectiones, & volitiones Angelicæ, imò & Diuinæ dicuntur motus à D. Th. 1. p. q. 9. art.1. ad 1. Sumitur ſecundò, non ita latè, provt ambit mutationes etiam inſtantaneas à materia dependentes, ſiue ſint poſitiuæ, vt generatio, ſiue priuatiuæ, vt corruptio ſubſtantialis, ſiue pendeant ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vt generatio ſubſtantialis, ſiue tantùm ſecundùm modum, & ex parte obiecti, vt intellectiones noſtræ pro hoc ſtatu. Tertiò tandem, ſumitur ſtrictè pro motu ſucceſſiuo, qui habet partes priores & poſteriores: præſens autem difficultas non procedit de mutatione, vel motu omnino independenti à materia, cùm non pertineat ad Philoſophum naturalem, ſed ad Metaphyſicum, vel Theologum, Phyſicus enim per ſe primò tantùm attendit ad ea, quæ concernunt materiam ſenſibilem, & ita procedit de mutatione, vel motu in ſecunda, & tertia acceptione ſumpto.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis 3. de anima textu 22. vbi ſic ait loquens de ſenſatione. *Quapropter alia quædam eſt hæc ſpecies motus: nam motus eſt actus imperfecti; at actus ſimpliciter, qui quidem eſt rei perfectæ, alius eſt omnino diuerſus ab illo:* Quem locum exponens D. Th. lect. 12. ait: *Manifeſtum eſt, quòd ſentire ſi dicatur motus, eſt alia ſpecies ab ea, de qua determinatum eſt in libris Phyſicorum, ille enim*

motus

motus est actus existentis in potentia, sed iste motus est actus perfecti. Item t.p.q.18. art. sic ait: *Illa propriè sunt viuentia, quæ seipsa secundùm aliquam speciem motus mouent, siue accipiatur motus propriè, sicut motus dicitur actus imperfecti*, Idest existentis in potentia, *Siue motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout intelligere, & sentire dicitur moueri*, Vt dicitur in 3. de anima.

Secundò probatur ratione Aristot. & D.Th. motus hîc definitus est actus imperfecti, siue existentis in potentia: sed intellectiones, & sensationes sunt actus perfecti, siue existentis in actu, cùm sint operationes sensus, vel intellectus iam facti in actu per suam speciem, in qua continet pro illo priori perfectionem sensationis specificam, & sic præintelligitur perfectus & fœcundus: ergo hæc definitio motus non conuenit mutationibus instantaneis, quæ sunt actus rei perfectæ. Ex hoc sequitur quod licèt Aristot. egerit de motu sumptâ occasione, quia positus est in definitione naturæ, non tamen hîc definit omnem, & solum illum, qui procedit à natura: nam sub hac definitione cadunt non solùm motus naturales, sed & artificiosi, & violenti; non tamen cadunt sub illa omnes motus naturales, scilicèt sensationes, intellectiones & volitiones etiam pro hoc statu; hæc cognitio motus imperfectioris sufficit ad declarandam aliqualiter naturam, maxime quia in suis locis agit postea Aristot. de motibus perfectiotibus: hæc sine dubio est mens Aristotelis, & D.Thom. hîc lect. 2. qui definiont motum per hoc, quòd sit actus imperfecti, & manifestant traditam definitionem ex motu artificiali, quod est contra Masium, & Pereiram, qui negant hîc definiri motum violentum, & artificialem; eorum fundamenta manent soluta ex dictis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Th. Nam Aristoteles post traditam definitionem motus, posuit statim exemplum in generatione & corruptione substantiali: ergo ex Aristotele comprehenduntur sub definitione motus mutationes instantaneæ, siue positiuæ, siue priuatiuæ, quæ sunt actus rei imperfectæ. Nec solutiones aduersariorum concordant cum Aristotele. Non prima (quòd scilicet Aristoteles sumpsit latè generationem, prout est idem quod alteratio:) aliàs nugaretur Aristoteles, quia iam proposuerat exemplum in alteratione: ergo in alio exemplo non sumit generationem, pro alteratione. Nec secunda (quod scilicet Aristoteles sumpsit generationem non pro motu, sed pro termino motus:) aliàs Philosophus committeret maximum vitium, nam definiens motum debet afferre pro exemplo aliquem motum, & non terminum eius: deinde debuisset potiùs ponere pro exemplo qualitatem, cùm sit primarius terminus alterationis, & non generatio: D.Th. autem hîc lect. t. explicans definitionem motus sic ait: *Accipit enim hîc motum communiter pro mutatione, non autem strictè secundùm quòd diuiditur contra generationem, & corruptionem*.

Secundò, probatur ratione D. Th. Motus est actus entis in potentia, vt per hoc quod dicitur actus, designetur ordo eius ad præcedentem potentiam; & per hoc, quod dicitur, existentis in potentia, designetur ordo eius ad vlteriorem actum: sed hoc totum conuenit mutationibus instantaneis; nam quando generatio v. g. ignis intelligitur in fieri, intelligitur subiectum in actu per generationem, & in potentia respectu termini (ad quem) cùm in illo priori non intelligatur sub forma geniti, aliàs in illo priori generatio non conciperetur in fieri, sed in facto esse, cùm tamen (licet sint simul tempore) priùs debeamus intelligere fieri, quàm factum esse, quia factum esse attingitur per ipsum fieri: ergo definitio motus conuenit mutationibus instantaneis, quæ sunt actus rei imperfectæ. Confirmatur. Subiectum generationis est in potentia, tum ad formam generandam, tum ad fieri illius, siue ad transitum ad illam, ista enim duo distinguuntur, non minus, ac calor à calefactione: sed generatio substantialis quæ est distincta à forma, non est actus perfectus, at vialis, quia totum eius esse consistit in hoc, quòd sit via ad illam, ordinans, & promouens subiectum ad eamdem: ergo est actus entis in potentia, secundùm quòd est in potentia, siue in via ad terminum; & hæ rationes proportione seruatâ possunt applicari aliis motibus instantaneis, qui sunt actus rei imperfectæ, siue sint priuatiui & negatiui, siue positiui, & ita omnes comprehenduntur sub hac definitione.

Ad primum ergo dicendum, quòd motus hîc definitus est actus imperfecti, qui partim actuat, partim verò relinquit subiectum in potentia, non ad alias sui partes (hoc enim soli motui successiuo conuenit) sed ad terminum; & licèt motus instantaneus in eodem instanti reali introducat formam, tamen illam præcedit prioritate naturæ; nam sicut fieri rei prius est, quàm factum esse, sic subiectum priùs est sub statu imperfecto, quàm sub perfecto; nam quamuis mobile, quod nunquam habuit vetam & realem priuationem in aliquo reali temporis, non possit cum fundamento in re intelligi habere illam in instanti generationis pro aliquo priori naturæ, vt supra dictum est, si tamen in aliqua reali duratione illam habuerit, vt accidit in generationibus substantialibus, quæ omnino connaturaliter fiunt, quia ratione dispositionum ad hanc numero formam introducendam materia est in potentia proxima ad illam potiùs quàm ad aliam, & sic est priuata potiùs hac formâ quàm aliâ in instanti generationis, & eo modo proportionali, quo est forma, definit esse priuatio, si forma est in fieri, eius priuatio est in corrumpi, & sic adhuc est in illo priori, in quo intelligitur generatio, & nondum forma genita, quando verò forma est in facto esse, eius priuatio est in corrupto esse.

Ad secundum dicendum cum D. Thom. t.p.q.45.art.3. Item 2. contra gentes cap. 19. Item q. 3. de potentia art. 8. quòd creatio non est vera mutatio, quia non habet subiectum reale manens sub vtroque termino, scilicet sub non esse & esse: vnde cùm non præsupponat, sed ponat subiectum, non est aliquid in ipso, quod actuet, ipsumque relinquat in potentia ad vlteriorem terminum ex modo suæ actuationis, & sic creatio nihil est reale in creatura, sed tantùm dicit actionem creatiuam in Deo creante, quæ est ipsa æterna intellectio & volitio Dei connotans effectum in tempore, vt ait D.Thom. in quo effectu producto resultat relatio realis ad Deum Creatorem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm motus distinguatur à suo termino (ad quem)?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd motus solâ ratione ratiocinatâ distinguatur à termino suo (ad quem) ita Masius in præsenti, & alij. Probatur. Forma in fieri, est formaliter ipse motus, quia, cùm sit in statu mali, est actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia: sed forma in fieri non distinguitur realiter à se ipsa in facto esse, nam ipsamet, quæ fit, est postea in facto esse: ergo motus non distinguitur realiter à suo termino (ad quem) at solâ ratione ratiocinatâ.

¶ 2. Præterea, Si motus & terminus (ad quem) realiter distinguuntur, sequitur quòd v. g. aqua, dum calefit, moueretur duplici motu, quia reciperet duplicem realitatem, scilicet motus, & termini: sed non potest dici quòd moueatur duplici motu; nam sicut est tantùm vna actio, sic & vna passio tantùm: ergo motus non distinguitur realiter à suo termino, at solâ ratione ratiocinatâ.

¶ 3. Præterea, Eo ipso qoòd intelligitur receptio caloris in aqua, intelligitur aqua moueri, cùm aliter se habeat, quàm priùs se habeat: sed receptio caloris nihil dicit præter ipsum calorem, qui est terminus motus: ergo motus & terminus non distinguuntur realiter, at solâ ratione ratiocinatâ.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Th. infra lib. 5. textu

texiu 9. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, & plures alij extra eius Scholam, ex antiquis verò Auerroës, Alexander &c.

CONCLVSIO.

Cùm motus ſecluſo intellectu ſit via ad terminum, & fieri eius, & ab illo ſeparetur, etiam realiter diſtinguitur ab illo.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt motus non diſtinguatur tanquam res à re à ſuo termino (ad quem) 2. diſtinguitur tamen diſtinctione reali ſecluſo intellectu, quam poſſumus reducere ad modalem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, neminem dubitare, quin motus realiter diſtinguatur à ſuo termino (à quo) nam ad inceptionem motus, deſinit terminus (à quo) vel ſimpliciter, vel quia neceſſariò deſeritur à mobili: ergo realiter diſtinguuntur.

Probatur prima pars concluſionis. Ex D. Th. motus, de quo hîc agimus, eſt actus imperfectiſſimus inter omnes actus, cùm ſit eſſentialiter vialis, & ita non pertingit ad hoc, vt ſit ens per modum rei, & entitatis: ſed ſolùm eſt quædam formalitas realis, aut modus ipſius termini: ergo non diſtinguitur ab illo tanquam res à re. Nec obſtat id, quod obiicit Aureolus, quòd ſcilicet motus poteſt eſſe ſine termino, nam dum res mouetur, nondum habet terminum, & ſimiliter terminus poteſt eſſe ſine motu, nam ceſſante motu, remanet terminus: ad hanc autem ſeparationem prærequiritur diſtinctio realis rei à re. Ad hoc enim dicendum, quòd licèt terminus vltimatus motus ſucceſſiui non ſit, dum incipit motus, ſemper tamen eſt ſimul cum eo aliquis terminus intermedius, vnde non poteſt à termino ſeparatus conſiſtere, & hoc ſufficit, vt non diſtinguatur ab illo tanquam res à re, ſed ſolùm modaliter, cùm aliunde ſit actus imperfectiſſimus, vt dictum eſt, nec refert quòd aliquando ſint in diuerſis ſubiectis.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Motus ſecluſo intellectu eſt via ad terminum, & fieri eius: ſi verò loquamur de vero motu, eſt quid ſucceſſiuum, terminus verò eſt acquiſitus per illum, & quid permanens: ergo realiter diſtinguuntur: nam eadem omnino res non poteſt eſſe quid ſucceſſiuum & permanens, & via realis ad ſeipſam. Deinde motus ſeparatur à ſuo termino: nam aliquando ſunt in diuerſis ſubiectis, vt patet in motu locali, qui eſt in mobili; eius verò terminus, eſt ipſi extrinſecus, ſcilicet locus, qui eſt ſuperficies ambiens (non enim admittitur in doctrina D. Th. vbi intrinſecum, vt probabitur ſuo loco): conſtat autem quòd idem accidens non poteſt eſſe in duobus ſubiectis, & licèt aliquando ſint in eodem ſubiecto, tamen terminus ſeparatur à motu, nam ceſſante motu calefactionis, manet calor eius terminus; ſed quæ ſeparantur ſic, realiter diſtinguuntur, alioquin idem maneret & non maneret, idem eſſet, & non eſſet, idem realiter ſeparetetur à ſeipſo, quæ omnia implicant contradictionem: ergo motus ſecluſo intellectu diſtinguitur à ſuo termino (ad quem) ac proinde realiter modaliter.

Reſpondent aduerſarij quòd ſufficit, vt ſint duæ formalitates, ad hoc vt iſta, quæ ſunt contraria admittantur: vnde dicunt quòd motus perit ſecundùm ſuam formalitatem, non verò ſecundùm ſuam realitatem. Sed contra. Primò, hæc diſtinctio non ſufficit, vt motus ſit reuera quid ſucceſſiuum, & realis via, terminus verò quid permanens per motum productum; nam realis via ſecluſo intellectu eſt prior naturâ ſuo termino, qui per eam acquiritur, & ſic terminus ab ea realiter pendet, & conſequenter diſtinguitur ab ea realiter: deinde realitas ſucceſſiua non habet omnes ſuas partes ſimul, ſed eſt præſens per aliquam minimam, & imperceptibilem partem ſucceſſiuè fluentem: de ratione autem realitatis permanentis eſt, quòd habeat ſimul omnes ſuas partes: non eſt autem impoſſibile eandem omnino realitatem habere actu omnes ſuas partes, & non habere. Denique vel illa formalitas motus, quæ perit manente termino, eſt aliquid reale, vel non; ſi hoc ſecundum dicatur: ergo motus formaliter nihil eſt reale; item purum nihil erat realiter identificatum cum realitate termini; item terminus dependebat à puro nihil, tanquam à vera via, ſiue fieri ſoi, quæ omnia ſunt abſurda: ſi verò dicatur primum, habetur intentum, ſcilicet quòd motus eſt aliquid reale poſitiuum, quod perit remanente termino, & ſic non poteſt realiter identificari cum illo; non enim poteſt intelligi, quòd aliquid exiſtens ſit idem realiter cum eo, quod perit; & conſequenter motus antequam deſineret non erat idem cum termino, non enim ex diſtinctione ſeparatio, ſed econtra ex præſuppoſita ſeparatione oritur diſtinctio; ſicut nec ex inſeparabilitate identitas, ſed ex identitate omnimoda inſeparabilitas.

Secundò, ex oppoſita ſententia ſequitur generationem Lazari, & eius reſuſcitationem factam à Chriſto Domino, eſſe omnino idem ex illo axiomate, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: conſtat autem quòd ſi motus non diſtinguitur à termino, tum generatio, tum reſuſcitatio Lazari eſſent idem cum Lazaro & conſequenter idem inter ſe: ſed hoc eſt abſurdum dicere; cùm ſint duæ mutationes procedentes à duabus cauſis particularibus diſtincto tempore; imò ſequitur motum, qui eſt verum accidens prædicamentale reductiuè, identificari cum ſubſtantia, quod eſt inauditum in vera & antiqua Philoſophia: ergo motus diſtinguitur realiter à ſuo termino (ad quem.)

AD primum ergo dicendum cum D. Th. 11. Metaph. lect. 9. quòd motus non eſt forma, quæ eſt in fieri: ſed ipſum fieri formæ, ſiue fluxus ad illam: fieri autem rei, non eſt ipſa res quæ fit.

AD ſecundum dicendum cum D. Thoma hîc lectione 2. quòd licèt aqua, dum caleſit, recipiat duplicem realitatem & actum, tamen vnus eorum eſt vialis, & non alius: actus autem tantùm vialis eſt motus: actus verò perfectus immutat aquam (vt quod) & imperfectus (vt quo;) & ideo eſt vnicus motus: nam ad vnum motum requirtur, tam actus imperfectus, quàm alius perfectus: motus enim eſt tranſitus (ecce actus imperfectus) ab vno in alium terminum (ecce actus perfectus.)

AD tertium dicendum, quòd ipſum recipi caloris, eſt quid diſtinctum à calore, & eſt motus calefactionis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnis motus ſubiectetur in mobili?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd motus localis non ſubiectetur in mobili, ſed in corpore locante. Ita Soncinas 5. Metaph. q. 40. ad 1. Fonſeca ibidem cap. 15. q. 10. ſect. 5. ad 3. Gregor. in 2. d. 1. q. 4. art. 1. Heruæus quodlib. 1. q. 9. Probatur authoritate Ariſtot. In hoc libro cap. vltimo dicit motum localem eſſe perfectiſſimum, quia per ipſum nulla forma acquiritur mobili intrinſeca; quod etiam docet D. Th. multis locis, vt 1. p. q. 110. art. 3. his verbis: *Inter omnes motus corporeos perfectior eſt motus localis*, Vt probatur in 8. Phyſicorum. Huius ratio eſt, quia mobile ſecundùm locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, inquantum huiuſmodi, ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum: ergo motus localis non eſt in mobili, quia cùm motus ſit quædam forma accidentalis, ſi eſſet in mobili, per motum localem acquireretur forma aliqua intrinſeca mobili, cuius contrarium docent Ariſtot. & D. Th.

¶ 2. Præterea, Debet eſſe in eodem ſubiecto motus localis & terminus eius, cùm motus localis ſit acquiſitio ſui termini; conſtat autem quòd acquiſitio & res acquiſita ſunt ſimul: ſed locus qui eſt terminus motus localis, non eſt in mobili, at in corpore locante, cùm ſit eius vltima ſuperficies: ergo etiam motus non eſt in mobili, at in corpore locante.

¶ 3. Præterea, Per motum localem non ſolùm acquiritur, ſed etiam producitur locus, quia per illum ſcinditur corpus locans, & producitur ſuperficies ambiens locatum, quæ eſt locus: ſed ibi eſt productio, vbi eſt illud

quod

quod per eam producitur: ergo motus localis est in corpore locante.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Th.quos communiter sequuntur Thomistæ, Ferrar. 4. contra gentes cap.81.Soto, Masius,nostri Complutenses hic, & etiam alij extra scholam D.Thom.Ruuius,Conimbricenses &c.

CONCLVSIO.

Cùm effectus formalis cuiuscumque motus,etiam localis, sit in mobili, omnis motus subiectatur in mobili.

RESPONDEO dicendum, quòd omnis motus, etiam localis, est subiectiuè in mobili.Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem procedere principaliter de motu quem definiuimus,& est actus imperfecti,quamuis possit applicari ad motum etiam improprium,prout comprehendit actiones, non solùm transeuntes sed etiam immanentes, secundùm quòd intelligere est quoddam moueri: vt autem separemus certa ab incertis, non est dubium actiones immanentes esse in agente, & propterea agens per illas dicitur moueri, quia, qui intelligit alio modo se habet, quàm antea se habebat, & sic aliquo modo mouetur. Idem pro nunc breuiter dicendum de actionibus, quæ vocantur transeuntes, quas subiectari in agente quæstione sequenti fusè probabitur: nam agens per hoc præcisè quod agit, se habet aliter, quàm antea, & sic mouetur, nam moueri est aliter se habere nunc quàm priùs, isti autem motus sunt actus perfecti: quoad alios autem motus, qui sunt actus imperfecti,difficultas non procedit de omnibus, nam certum & indubitatum est apud authores motum augmentationis, & alterationis esse in mobili quod augetur & alteratur; cùm enim quantitas & qualitas acquisitæ per hos motus sint in mobili, necessariò etiam motus ad eas terminati sunt in mobili: de generatione autem, & corruptione substantiali agetur suo loco; vnde in præsenti principaliter agimus de motu locali.

Probatur conclusio authoritate D. Th. qui hic lect.4. ex mente Aristotelis sic ait: *Motus est actus mobilis,prout mobile est.* Item dicit eumdem motum esse actum motiui & mobilis,motiui quidem (vt à quo,) mobilis verò (vt in quo.) Item ait: *Quia enim motus est actus existentis in potentia, inquantum huiusmodi, existens autem in potentia, inquantum huiusmodi est mobile; sequitur quod motus est actus mobilis, inquantum huiusmodi.* Idem repetit in a.d.12.art.1.ad 5.

Secundò probatur ratione Aristot. Omnis forma fine actus ibi est tanquam in subiecto, vbi est eius formalis effectus, vt patet inductione in omnibus; nam causat talem effectum informando, ac proinde in subiecto quod informat & in quo est: sed moueri localiter, quod est formalis effectus motus localis, est in ipso mobili, & non in corpore locante; imò corpus locans includit locum & locus est immobilis, vt infra dicetur, nec est necesse ipsum locans materialiter sumptum moueri, dum mobile per illud transit: ergo motus localis est in mobili,& non in corpore locante. Hanc rationem affert D.Th. hic lect. 4. his verbis: *Manifestum est quod actus cuiuslibet est in eo, cuius est actus, & sic manifestum est quod actus motus est in mobili, cum sit actus mobilis.*

AD primum ergo dicendum, quòd Arist. & D.Th. probant motum localem esse perfectissimum quia supponit subiectum perfectum,& nihil in eo per se ponitur intrinsecum mediante motu; sicut ponitur per alios motus: vnde statim subdit Aristoteles: *Vt cum quid alteratur, qualitas; dum quid augetur & decrescit, quantitas:* Vnde solùm excludit intrinsecum terminum motus localis, quem dicit non habere, sicut habent alij motus: ex quo patet quòd illi, qui ponunt vbi intrinsecum acquisitum per motum localem tanquam eius terminum,contrariantur Aristoteli & D.Th.qui tamen non excludunt motum localem esse subiectiuè in mobili; qui cùm sit minimæ entitatis, causat minimam variationem in mobili, vt ait: D.Thom.1. de cœlo lect.6.

AD secundum dicendum, quòd si maior procedit vniuersaliter, tam de motu qui est actus perfecti, quàm de illo qui est actus imperfecti, est omnino falsa: nam omnis actio subiectatur in agente, & tamen terminus illius quæ dicitur transiens, est in passo; si verò procedat de motu tantùm qui est actus imperfecti, distinguenda est: si terminus motus producatur, & motus sit produci siue fieri illius, est vera: si autem terminus, non fiat per motum, sed tantùm acquiratur, & motus sit tantùm acquiri illius, est falsa, quia aliquid extrinsecum, vt locus, potest acquiri mediante motu, quo mobile mouetur & tendit ad illud: ex quo patet differentia inter motum localem & alios, nam per alios paulatim acquiritur successiuè forma, quæ est terminus motus; ita vt ad medietatem motus, acquiratur media forma: per motum verò localem non sic, sed tantùm in fine acquiritur locus, qui est immobilis, in tota verò successione motus, nihil acquiritur de termino, sed acceditur ad illum & pertransitur medium.

AD tertium dicendum, quòd illa scissio corporis locantis, non est per se à motu, sed ab actione accidentaliter coniuncta cum motu locali; nam motus localis prouenit à potentia motiua, vel grauitate, vel leuitate: illa verò scissio prouenit à quantitate, & sic, cùm principia distinguantur, etiam distinguuntur motus & illa scissio quod patet; nam illa scissio accidit sæpe sine motu locali, vt si ponatur lapis in medio flumine. tunc per illum lapidem scinditur aqua, licèt sit immotus, per accidens tamen ad hanc scissionem requiritur aliquis motus, quia quantitas se sola non est actiua, nec agit hîc nisi resistendo, ad quam resistentiam sequitur illa actio; motus autem localis ex se non est productiuus, sed tantùm acquisitiuus termini.

QVÆSTIO XVII.

De Actione & Passione tam inter se, quàm cum motu collatis.

CVM actio & passio inter se differant, conueniant tamen in moto, qui de vtrâque prædicatur; ideo in præsenti ad perfectam motus notitiam, de illis disputamus, tam inter se, quàm cum motu collatis: circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm actio transiens subiectetur in agente?

¶ Secundò, Vtrùm sit de mente D. Thom. actionem transeuntem subiectari in agente?

¶ Tertiò, Quomodo actio & passio inter se, & à motu distinguantur?

¶ Quartò, Quomodo comparetur motus ad actionem & passionem?

ARTICVLVS I.

Vtrùm actio transiens subiectetur in agente?

AD PRIMVM, sic proceditur. Videtur quòd actio transiens non subiectetur in agente. Ita tenent multi, etiam Thomistæ, Capreolus in a. d.1. q.2. art.3. Ferrar.2. Physicor. quæst.4. Herneus quodlib.4.q.4. Masius,tum in Logica, tum in Physica, nostri Complutenses hic disp.17. q.4. & 5. extra Scholam verò D. Thom. plurimi, inter quos Ruuius dicit oppositum non esse probabile in sententia Aristotelis. Probatur authoritate Philosophi, qui hic cap.3. ait: *Actum alterius in altero esse, non est inconueniens, est enim doctio actus docentis in quodam enim, & non decisus, sed huius in hoc.* Item 2. Physic. textu 17. *Vnus est vtriusque actus, scilicet mouentis & mobilis.* Item 3.de anima textu 138.ait *Agentis nàmque, mouentisque operatio in ipso patiente suscipitur,atque inest: quocirca necesse non est id, quod motu mouet, moueri.* Item 9. Metaph. cap.9. ait: *Ædificatio nàmque in ædificato simul, & fit, & est cum domo:* Ergo ex Aristotele actio transiens non subiectatur in agente, sed transit in passum, ac in illo subiectatur.

¶ 2. Præterea, Actio paſſio, & motus ex Ariſtotele hîc cap.2.& 3. & ex D. Th. multis locis ſunt eadem entitas: ſed ſi actio eſſet in agente hoc non poſſet dici, nam vnum accidens numero non poteſt eſſe in duobus ſubiectis, paſſio autem eſt in paſſo ſecundùm omnes: ergo & actio, vel non eſt idem accidens quod paſſio.

¶ 3. Præterea, illud ſubiectum mouetur, in quo eſt motus: ergo cùm actio ſit motus, ſi illa eſſet in agente, per eamdem actionem agens ipſum moueretur per quam agit, & ſic ignis calefaciendo aquam calefieret, quod eſt abſurdum.

¶ 4. Præterea, Ex D.Thom.1.p.q.18.art.3. ad 1.actio immanens, & actio tranſiens adæquatè & immediatè diuidunt actionem vt ſic, vnde habent modos oppoſitos per quos differant: ſed non poſſunt eſſe alij, quàm quòd immanens ſit perfectio intrinſeca agentis, tranſiens verò perfectio extrinſeca ipſius: ergo actio tranſiens non ſubiectatur in agente.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Th.afferenda articulo ſequenti, quem ſequuntur plures ex eius diſcipulis ibidem referendi.

Conclvsio.

Cùm actio tranſiens ſit influxus agentis in paſſum, operatur quidem in paſſum, ſed ſubiectatur in agente.

Respondeo dicendum, quòd non ſolùm actio immanens, ſed etiam actio quæ dicitur tranſiens, ſubiectatur in agente. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt duplicem eſſe actionem,ſcilicet immanentem & tranſeuntem; quòd immanens ſubiectetur in agente, nulla eſt difficultas inter authores, eſt autem maxima, etiam inter Thomiſtas de tranſeunte.Immanens habet triplex ſubiectum immediatum, ſcilicet intellectum, voluntatem & ſenſus tam internos quàm externos, vnde alia eſt materialis, alia immaterialis. Differunt autem inter ſe actio immanens & tranſiens. Primò, quia immanens fertur in obiectum intrinſecè vnitum ipſi agenti, ſiue per ſe, ſiue per ſuam ſpeciem, actio verò tranſiens non habet materiam circa quam operetur intimè vnitam, ſed ſufficit vt illam aliquo modo attingat. Secundò, actio immanens non infert paſſionem propriè dictam,ſicut actio tranſiens; ipſum enim intelligere eſt quoddam pati, ſed non propriè, pati enim dicitur quis, quando de nouo recipit aliquid, quod non habebat, vnde cùm intellectus, dum intelligit recipiat intellectionem, dicitur pati: pati autem propriè eſt recipere aliquid de nouo cum abiectione alicuius realis intrinſeci quod antea habebat: pati autem propriiſſimè eſt recipere aliquid quod repugnat inclinationi naturali cum abiectione alterius connaturalis, ſicut aqua dum calefit, amittit frigus ſibi connaturale, & recipit calorem ſibi contrarium.Tertiò, actio immanens habet ſuum effectum in agente, non quòd per ipſam ſemper producatur aliquid, vt patet in viſione beatifica, vbi non datur verbum productum, ſed tamen per ipſam ſemper fit aliquid, vnit enim obiectum cum potentia in actu ſecundo, ſiue aſſequitur ipſum obiectum, actio verò tranſiens habet ſuum effectum extra agentem.Quartò,actio immanens dicitur perfectio agentis,quia nullo modo ordinatur ad perficiendum paſſum, ſicut ordinatur actio tranſiens, quæ propterea dicitur perfectio paſſi, quia cauſat perfectionem in paſſo. Inter actiones autem tam immanentes quàm tranſeuntes,aliæ ſunt productiuæ,aliæ tantùm vnitiuæ ſiue aſſecutiuæ. De immanentibus quòd ſint productiuæ,patet, nam per intellectionem producitur verbum; quòd verò aliquæ non ſint productiuæ, habemus exemplum ſecundùm probabiliorem ſententiam Thomiſtarum in viſione beatifica, vbi non producitur verbum, habemus etiam exemplum certum ſecundùm fidem in Diuinis, vbi Filius & Spiritus Sanctus intelligunt, & tamen non producunt Verbum, ſed producitur à ſolo Patre: vnde ſola intellectio productiua, dicitur dictio, quia profert verbum, alia dicitur viſio; etiam per actiones ſenſuum exteriorum nihil producitur ſecundùm probabiliorem opinionem & magis conformem D. Th. in quodlibetis. De actionibus tranſeuntibus quòd ſint productiuæ,patet experientiâ; quòd autem aliquæ non ſint productiuæ, ſed tantùm vnitiuæ habemus exemplum in generatione & reſurrectione humana, vbi nulla partium à generante, vel ſuſcitante,vt ſic, producitur,ſed tantùm ambæ partes aliunde productæ per actionem generantis, & ſuſcitantis vniuntur,& hoc eſt producere totũ;non enim admittimus modum ſubſtantialem vnionis, vt patet ex ſupra dictis.

Item ſciendum eſt ex Bergomenſi in tabula aurea (verbo actio) apud Ariſtotelem & D. Thom. actionem ſumi multipliciter. Primò antecedenter, & eſt forma agentis, quæ eſt proximum actionis principium, & poteſt dici actio cauſaliter & originaliter. Secundò ſumitur actio concomitanter, & eſt id quod per actionem deriuatur in paſſum, ſcilicet motus cauſatus ab agente in paſſo, & in eo receptus; actio hoc modo ſumpta eſt omnibus notiſſima, & in rebus corporeis, vt plurimùm, ſenſu percipitur,quæ prout emanat ſiue procedit effectiuè ab agente, vocatur actio, vt verò recipitur in paſſo, vocatur paſſio; quo fit vt actio & paſſio ſint realiter vnus actus & motus cum ſola rationis diuerſitate, & vnus ſit duorum actus ſub diuerſa relatione conceptus, agentis ſcilicet quatenus ab eo eſt, patientis verò quatenus in eo recipitur & eſt; hæc actio poteſt dici actio eſſentialiter Phyſica. Tertiò denique, & eſſentialiter actio eſt actualitas quædam & perfectio, quæ eſt actus ſecundus, quo formaliter & intrinſecè agens agere dicitur,vt propriâ ipſius agentis cauſalitate, & eſt quid relatiuum relatione tranſcendentali ad paſſionem inferendam in paſſo; & ideo ex propria ratione non ſignificatur, vt inhærens, ſed vt ab agente procedens & tendens in aliud,vt ait D.Th.q.8. de potentia art.2. cùm ſit propter perficiendum paſſum, & propterea dicitur perfectio paſſi, & eſſe in paſſo; cùm tamen verè ſit in agente, vt propria illius perfectio, & poteſt dici actio metaphyſica.

Probatur concluſio ratione fundamentali.Quando dicitur quòd actio tranſit de agente in paſſum, non eſt ſic intelligendum, quòd priùs ſit in agente actu, & poſtea tranſeat in paſſum;nullum enim accidens ſecundùm omnes Philoſophos tranſit de ſubiecto in ſubiectum, vnde ſecundùm aduerſarios tantùm eſt in paſſo, & nunquam fuit in agente: ergo educitur de potentia paſſiua ſubiecti merè paſſiui, ſicut & alia accidentia, quæ ab extrinſeco cauſantur in aliquo ſubiecto iam exiſtente:ſed quod educitur de potentia paſſiua ſubiecti, educitur per actionem agentis; nihil enim poteſt produci aut educi niſi per influxum actiuum ſiue actionem alicuius agentis:aliàs non requireretur applicatio cauſæ ſecundæ,aut concurſus Dei præuius ipſam applicans ad producendum motum in paſſo,qui dicitur ab aduerſariis eſſe actio,ſed ſufficeret quòd Deus conſeruaret rerum naturas & potentias actiuas, vt dicit Durandus; ſi concedatur quòd actio recepta in paſſo, educitur de eius potentia per influxum agentis, cùm talis influxus ſit actiuus & conſequenter actio, de hoc iterum poteſt inquiri, vtrùm ſit in paſſo; ſi dicatur quòd inſit paſſo, debet iterum concedi, propter rationem iam dictam, quòd educitur de potentia eius per actionem agentis, & ſic dabitur proceſſus in infinitum, cùm hæc alia, ſi ſit in paſſo,debeat educi de eius potentia per aliam actionem & ſic in infinitum:ergo debet concedi,quòd influxus actualis ſit actus ſecundus,cauſalitas,& actio agẽtis(de qua quærimus)ſubiectiuè recepta in ipſo agente,& perficiens ipſum agens. Nec poteſt dici,quòd illa entitas, quæ dicitur actio,reſultet in paſſo ad præſentiam agentis. Nam contra. Reſultantia ſequitur neceſſariò ad aliquam actionem quam præſupponit, ita vt illud quod reſultat, ſit terminus ſecundarius talis actionis, nec videtur intelligibile,quomodo reſultet illa entitas in paſſo, ſi agens nihil faciat penitus circa ipſum. Nec iterum poteſt dici, quòd actio non educitur, vt actio eſt, ſed vt eſt terminus qui per ipſam actionem educitur. Nam contra. Implicat idem eſſe educens etiam (vt quo) & eductum: ſed ex aduerſariis actio eſt idem cum termino: ergo terminus non poteſt educi per actionem ſibi identificatam,quæ ſit educens.Deinde tota illa entitas, quæ includit tam actionem

quàm

quàm eius terminum, educitur ab agente actu agente circa passum: ergo tota illa entitas, sub quacúmque ratione, habet se merè passiuè ad talem eductionem, ac proinde debet admitti aliquid, quo educatur, & hoc vocamus actionem agentis.

Nos autem qui ponimus actionem subiectari in agente, dicimus illam educi de potentia actiua agentis mediante præmotione causæ primæ (licèt impropriè sit eductio, cùm hæc denotet subiectum merè passiuum) siue dicimus elici ab agente & recipi in eodem, eo modo quo dicitur de actione immanenti, emanat autem seipsâ, quia causalitatis non est causalitas, cùm de eius ratione sit immediata habitudo ad causam, cùm sit vltima actualitas eius, vt causa est.

An primum ergo dicendum, quòd Arist. in 1. loco per ly (actus) intelligit actionem, non metaphysicè, sed physicè sumptam, vtpote magis notam, quæ est effectus (vt quo) actionis metaphysicæ, & est ipse motus mobilis, qui est & actus illius, inquantum in ipso recipitur & ipsum actuat, & etiam est actus agentis, inquantum procedit ab eo; hoc autem manifestatur exemplo Philosophi: nam doctio vel accipitur pro actu intellectus, & tunc constat quòd non est in discipulo, etiam ex aduersariis; vel pro ipsa locutione, & tunc etiam est actio immanens, & licèt esset transiens, tamen non peruenit realiter ad potentiam auditiuam, sed solùm intentionaliter per speciem, quæ non est ipsa doctio, at quid productum per doctionem. Ad alium locum similiter dicendum, quòd actus, de quo loquitur Arist. est motus mobilis, qui est actus tum agentis, quia ab illo procedit mediante eius actione, tum patientis, quia in ipso est, & dicitur actio physica: vel per actum intelligit terminum actionis, & hoc patet ex ipsis verbis, nam dicit quòd ipsius sensibilis actio in ipso est sensitiuo, sicut sonus in actu, siue sonatio in auditu: certum autem est quòd nec sonatio, nec sonus est in organo auditus realiter, sed solùm per speciem intentionalem, quæ procedit à sono. Dicitur autem quod actio non est in agente sed in passo, vel quia ipsa actio ex sua ratione respicit passum, & vt sic apprehenditur, vel quia agens, vt agens, non recipit actionem, sed tantùm elicit; inquantum enim recipit, est patiens, eo modo, quo hîc est sermo de patiente: nam sicut audire, est pati, ita quodcúmque agere, est pati: terminus autem productus per actionem, dicitur actus agentis, inquantum ab illo est, mobilis verò, inquantum illud actuat; imò est propriè & perfectè actus mobilis, quia perfectè & permanenter actuat illud, cùm motus tantùm imperfectè & transeunter actuet: & hoc declarat D. Thom. in præsenti lect. 4. eius verba sunt. *Idem est, quod mouens agendo causat, & quod motum patiendo recipit*: Si mouens causat agendo: ergo causat per actionem, & ita illud causatum receptum in passo non est actio sed eius terminus. Ad tertium locum dicendum, quòd sumit ibi operationem physicè, vel ideo dicit quòd operatio mouentis suscipitur, & inest passo, inquantum illud attingit, & in illo producit motum, & terminum motus, & ideo solùm patiens mouetur, non autem mouens. Ad vltimum locum dicendum, quòd loquitur de ædificatione passiua, quæ sine dubio est in domo quæ ædificatur, cùm omnis motus, qui est actus imperfecti, sit in mobili; præter ædificationem autem passiuam, datur actiua, quæ est principium passiuæ, & est causalitas ædificantis in ipso sistens.

An secundum dicendum, quòd Aristot. & D. Th. loquuntur de actione physicè considerata, quæ est eadem entitas cum passione & motu; vel dicendum cum D. Th. in 2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. quòd actio & passio dicuntur vnus motus, quia cùm motus abstrahat ab agente & passo, consideratur vt quid medium inter vtrúmque, in quo vniuntur actio & passio, quæ actio se tenet ex parte agentis, & passio ex parte patientis.

Ad tertium dicendum quòd cùm actio non sit motus, qui est actus imperfecti, sed motus, siue motio, quæ sit actus perfecti; ideo causat motum propriè dictum in passo quod attingit, siue circa quod operatur: per ipsam autem impropriè mouetur agens, inquantum recipitur in ipso, & aliter se habet dum agit, quàm antea; nihil autem operatur in ipso agente, aliàs idem simul esset agens, & patiens secundùm idem, & esset in actu, & in potentia respectu eiusdem, quod implicat: vnde dicendũ, quod actio productiua, licèt sit in agente, tamen nihil in eo producit, quia agens totum illud præhabet, quod potest produci per talem actionem; nam actio illa v. g. calefactio, non excedit, sed tantùm adæquat suum principium, vt si calidum sit calidum vt quatuor, eius actio erit calefactiua vt quatuor, & non ampliùs, nemo enim dat, quod non habet, & ita non poterit calefacere, nisi ea quæ nondum sunt calida, vt quatuor: agens autem, quod est principium calefactiuum, supponitur iam calidum vt quatuor: vnde actio calefactiua, vt quatuor, ipsum non calefaciet licèt in eo recipiatur, maximè quia actio transiens est ordinata ad passum ex ipsa natura, & ita solùm in eo operatur.

An quartum dicendum quòd actio immanens & transiens differunt essentialiter per hoc, quòd immanens ordinatur primò secundùm se, & secundùm suum terminum, quando habet, ad perficiendum ipsum agentem; actio verò, quæ dicitur transiens, primò & per se ordinatur ad perficiendum passum tum ratione motus tum termini ab ipsa procedentium; & ideo dicitur transiens quia non sistit in perficiendo agente, sed transit ad perficiendum passum modo explicato. Nec valet obiicere, quòd actio Dei ad extra est formaliter immanens, & tamen perficit exteriora. Ad hoc enim dicendum 1. cum D. Th. 1. p. q. 25. art. 1. ad 4. quòd potest sustineri actiones istas Dei esse formaliter transeuntes, sed quia magis Thomisticum videtur non dari in Deo potentiam executiuam distinctam ab intellectu & voluntate, & consequenter omnem eius actionem esse formaliter immanentem, cùm sit intellectus & voluntatis; ideo dicendum 2. quòd actio diuina, cùm sit infinita, & contineat vnitè omnẽ perfectionem & modũ actionis, ideo licèt sit formaliter immanens, tamen est virtualiter transiens, illa enim quæ in inferioribus sunt dispersa, imò & opposita, in superioribus sunt vnita, vt patet in multis.

Articvlvs II.

Vtrùm sit de mente D. Thom. actionem transeuntem subiectari in agente?

AD Secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non sit de mente D. Thom. actionem transeuntem subiectari in agente, imò videtur docere, quòd talis actio subiectetur in passo, ita tenent Doctores citati contra nos articulo præcedenti. Probatur. D. Th. in multis locis docet quòd actio transiens denominat agens, licèt non sit in eo: nam q. 7. de potentia art. 10. ad 8. ait quòd contingit denominari aliquid ab eo, quod non est forma, sicut agens denominatur actione, quæ ab ipso procedit.

¶ 2. Præterea, In aliis locis vt 1. part. q. 18. art. 3. ad 1. ait: quòd duplex est actio, vna quæ transit in exteriorem materiam, vt calefacere, alia quæ manet in agente, vt intelligere, sentire & velle, quarum hæc est differentia, quòd prima actio non est perfectio agentis quod mouet, sed ipsius moti; secunda autem actio est perfectio agentis: ergo actio transiens ex D. Thom. non subiectatur in agente, aliàs esset perfectio, & non transiret in exteriorem materiam.

¶ 3. Præterea, In aliis locis dicit quòd motus est in mobili, & tamen est actus agentis; item quòd est actus agentis, vt (à quo) & patientis vt (in quo) nam in præsenti cap. 3. sic ait: *Dicit Philosophus, quòd non est inconueniens actum vnius esse in altero, quia doctio est actus docentis ab eo tamen in alterum tendens continuè, & sine aliqua interruptione*: Vnde idem actus est huiusmodi, id est, agentis vt (à quo) & tamen est in patiente vt receptus in eo, esset tamen inconueniens, si actus vnius eo modo, quo est actus eius, esset in alio. Item 2. Physic. textu 17. ait: *Cùm motus sit actus mobilis, est etiam quodammodo actus motiui*. Item 1. p. q. 41. art. 1. ad 2. & q. 45.

art.2. dicit quòd actio tranſiens nihil importat præter motum & relationem agentis ad patiens; relatio autem non eſt actio; motus autem eſt in mobili: ergo actio ex D.Th. non eſt in agente.

SED CONTRA eſt expreſſa multis locis D.Th. authoritas, quam ſequuntur Caietanus 1.p.q.25. art.1. Nazatius ibidem controuerſ.vnicâ, Zumel ibidem diſp.vnicâ, Torres 1.p.q.27. dub.4. Ripa in Phyſicis de actione & paſſione, Aquarius 1.Metaph. dilucid.4. Flandr.4. Metaph.q.22. art.2. Bergomenſis in ſua tabula aurea dub.35. cui maximè credendum eſt, cùm omnia D. Th.loca, tam in fauorem quàm in contrarium examinauerit: & alij plurimi.

CONCLVSIO.

Cum D. Thom. in aliquibus locis doceat actionem tranſeuntem ineſſe agenti, ſicut accidens ſubiecto; in aliis verò inhærere agenti, licèt non conſideretur, vt inhærens & ſimilia, de mente illius eſt, actionem tranſeuntem ſubiectari in agente.

RESPONDEO dicendum, quòd eſt de mente D. Th. omnem actionem, non ſolum immanentem, ſed etiam tranſeuntem ſubiectari in agente, diſtinguit autem illas inter ſe per hoc, quòd immanens eſt ſolùm ad perficiendum agens, & ratione ſui & ratione termini producti; & proptera dicitur immanens, ſiue ſiſtens in agente; tranſiens verò principaliter ordinatur à natura ad perficiendum paſſum (quamuis etiam pertineat ad perfectionem agentis) & propterea dicitur tranſiens in paſſum, aut in exteriorem materiam, ſiue attingens illam, & agens in illam.

Probatur concluſio. D.Thom.2.contra gent.c.9. ſic ait: *Actio, quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei ſicut accidens ſubiecto, vnde & actio inter nouem prædicamenta accidentis computatur.* Loquitur autem ibi D.Th. abſolotè de actione & conſequenter de omni, cùm loquatur de actione, quæ conſtituit vnum prædicamentum, & maximè cùm actio tranſiens ſit præcipuum membrum illius prædicamenti, ex D.Th.opuſc.48.tract.5.c.7.& in 1.d.8.q.4.art.3. imò ſecundùm aliquos ex aduerſariis actio immanens non ponitur in prædicamento actionis, ſed in qualitate; ſecundùm alios verò, ponitur tantùm reductiuè: dicit autem D.Th. quòd actio, de qua loquitur, computatur inter nouem prædicamenta accidentis, quod eſt idem, ac conſtituit vnum ex nouem prædicamentis accidentium, non autem dicit quòd ponitur in prædicamento accidentis ne daretur locus explicandi de actione immanenti.

Secundò, q. 7. de potentia art.9. ad 7. ait quòd *Sicut relatio ſecundùm ſuam propriam rationem non conſideratur in ſubiecto, ſed vt tendens ad terminum; & tamen inquantum eſt accidens, inhæret ſubiecto: ſic actio ex hoc, quòd eſt actio, conſideratur, vt ab agente, inquantum verò eſt accidens, conſideratur, vt in ſubiecto agente.* Iſte locus non poteſt explicari de exiſtentia actionis in agente per ſolam conſiderationem, nec de actione immanenti tantùm, vt patet ex ſequentibus: ſubdit enim D. Th. *Et ideo nihil prohibet, quòd eſſe deſinat huiuſmodi accidens ſine mutatione eius, in quo eſt, quia ſua ratio non perficitur, prout eſt in ipſo ſubiecto* (Ergo verè & realiter eſt in ſubiecto agente:) *Sed prout tranſit in aliud* (Ecce actionem tranſeuntem,) *Quo ſublato ratio huius accidentis tollitur quidem quantùm ad actum, ſed manet quantùm ad cauſam, ſicut & ſubtractâ materiâ tollitur calefactio, licèt maneat calefactionis cauſa.* (Ecce exemplum actionis tranſeuntis.)

Tertiò, q.8. de potentia art.2. ſic ait: *Nihil prohibet aliquid eſſe inhærens, quod tamen non ſignificatur, vt inhærens, ſicut actio non ſignificatur, vt in agente.* Ecce loquitur abſolotè D.Th. de actione, ac proinde de omni actione, ſicut locutus fuerat quæſtione præcedenti.

Quartò, In 1.d.32.q.1.art.1. ſic ait: *Actio ſecundùm quòd eſt actio, ſignificatur vt ab agente; & quòd ſit in agente, hoc accidit ſibi, inquantum eſt accidens: & ſi per impoſſibile poneretur eſſe aliquam actionem, quæ non eſſet accidens, non eſſet inhærens.* Iſte locus vniuerſaliter procedit de omni actione, & ex hoc principio vniuerſali probat de actione immanenti, quòd denominat agentem, licèt non ſignificetur, vt inhærens; quod autem loquitur vniuerſaliter de actione, patet ex antecedentibus, nam immediatè ante dixerat, quædam genera ſecundùm rationem ſuam ſignificare, vt inhærens, ſicut qualitas, quantitas &c. quædam autem ſignificant ſecundùm rationem ſuam, vt ab alio ens, & non vt inhærens; ſicut præcipuè patet in actione: ergo loquitur D.Th. de actione vniuerſaliter, prout conſtituit peculiare genus, quæ eſt vel actio vt ſic, prout abſtrahit ab immanenti & tranſeunte, vel ſecundùm alios, eſt ſola actio tranſiens.

Quintò in 2.d.40.q.1.art.4.ad 1. ſic ait: *Cùm actio ſit in agente & paſſio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens, quod eſt actio, & quod eſt paſſio: cùm vnum accidens non poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis.* Hic locus eſt clariſſimus, ſed tamen quidam explicant D.Th. quòd ſit intelligendus de actione & paſſione ſecundùm eſſe morale tantùm, quæ vt ſic eſt in agente, ſed hæc explicatio eſt manifeſtè contra litteram; nam in illo articulo quærit D.Th. vtrùm idem actus & entitas numero poſſit eſſe bona & mala ſimul moraliter, obiectio autem concludit quod idem actus ſit ſimul bonus & malus moraliter, quia actio & paſſio ſunt idem actus realiter, & tamen reſpondet D. Thom. quòd actio & paſſio non ſunt idem actus, nec idem accidens entitatiuè; & hoc colligit, quia actio eſt in agente, & paſſio in patiente, quod neceſſariò debet intelligi de identitate reali: aliàs verè concluderet obiectio, quòd idem numero & entitatiuè actus realis eſſet ſimul bonus & malus moraliter, quod tamen negat ex profeſſo D. Th. in illo articulo: iſte autem locus procedit de actione tranſeunti, ſcilicet de crucifixione Iudæorum, non verò de ſola voluntate crucifigendi, vt patet: nam in tota ſolutione declarat quomodo actio & paſſio dicantur vnus motus, & tamen differunt inter ſe: conſtat autem quòd ſola actio tranſiens dicitur eſſe idem motus cum paſſione. Deinde ad maiorem claritatem adhibet aliam ſolutionem dicens, quòd meritum non conſiſtit in paſſione, vt ſic, ſed in voluntaria tolerantia paſſionis, quam tolerantiam dicit non eſſe idem cum operatione agentis; & hoc ſubiungit ad declarandum quomodo non poſſit dici, quòd idem actus realis ſit ſimul bonus & malus moraliter, & hæc ſolutio valet apud omnes, etiam illos, qui negant actionem diſtingui à paſſione: prima autem ſolutio eſt ſecundùm propriam doctrinam D.Thom. in qua ſi non loqueretur de actione & paſſione propriè ſecundùm eſſe reale, nulla eſſet obiectio & nulla reſponſio, nec ad propoſitum: iſtæ tamen duæ ſolutiones in vnam confunduntur, neſcio an in omnibus exemplaribus, per variationem, ni fallor, vocabuli (præterea) in (propterea.)

Sextò, in 1. d.40. q.1. art. 1. ad 1. ſic ait: *Quædam ſunt actiones, quæ tranſeunt in exteriorem materiam, & in talibus actio eſt recepta in eo, quod ſit per modum paſſionis, ſecundùm quòd motus eſt in moto, vt in ſubiecto, & in talibus eſt inuenire actionem in re agente, & paſſionem in re patiente:* In hoc autem loco non eſt contrarietas, dum dicit quòd actio eſt recepta in eo, quod ſit per modum paſſionis, & infra dum dicit, quòd eſt in agente; nam dicitur actio recipi per modum paſſionis, quia per actionem cauſatur paſſio, dum patiens recipit terminum actionis: Caietanus dicit D.Thom. docuiſſe hanc ſententiam mille locis.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Thom. loquitur de actione phyſica, quæ etiam denominat agens, vt ab ipſo procedit; vel loquitur de actione ſecundùm propriam rationem, ſecundùm quam ſignificatur, vt tendens & procedens in paſſum.

Ad ſecundum dicendum, quòd D.Thom. vocat actionem tranſeuntem illam, quâ aliquid ſit in exteriori materia; dicitur autem perfectio paſſi, quia ordinatur primò & per ſe ad perficiendum paſſum per terminum ab ea productum, & ſic perficit, vt actio eſt: perficit autem agens ſecundùm rationem genericam tantùm, quâ ineſt, id eſt, inquantum accidens: vnde communiter non dicitur perfectio agentis; cùm ratio vltima ſit potiſſima licèt

licèe etiam voeetur perfectio agentis à D. Thom. q. 7. de potentia art. 10. ad 1.

Ad tertium, quantùm ad primum & secundum locum, patet ex dictis articulo precedenti ad 1. quantum ad tertium locum dicendum, quòd D. Thom. loquitur de actione physicè considerata, vt poté notiori; non autem videtur intelligibile, quomodo emanet ab agente, & recipiatur in alio, nisi per causalitatem agentis producatur; vel dicendum, quòd loquitur de actione secundùm præcisam rationem actionis, vt abstrahit ab hoc, quòd sit substantia, vel accidens (loquitur enim ibi de creatione,) quæ nihil importat præter mutationem passi, & relationem passi & agentis inter se: vnde transacto motu non remanent nisi diuersæ habitudines inter agens & passum.

ARTICVLVS III.

Quomodo actio & passio inter se, & à motu distinguantur?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd motus, actio, & passio solâ ratione ratiocinatâ distinguantur. Ita Masius cap. 3. huius libri sect. 2. q. 1. Rubius hic tract. 1. q. 7. qui dicunt eumdem motum, vt egreditur ab agente, esse actionem, vt verò recipitur in passo, esse passionem. Probatur. Aristoteles & D. Thom. dicunt quòd motus est actus actiui, vt ab hoc, & passiui, vt in hoc: ergo actio, passio, & motus solâ ratione distinguuntur.

¶ 2. Præterea videtur quòd actio & passio distinguantur quidem ratione inter se, sed quòd passio solâ nominis appellatione distinguatur à motu. Ita Suares 2. tomo Metaphysicæ disp. 49. sect. 2. Eius fundamentum est, quia actus ratione distincti, respiciunt potentias etiam ratione distinctas: sed esse mutabile, & esse receptiuum, siue passibile non important potentias distinctas: ergo passio & motus non distinguuntur nisi solo nomine.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd actio, passio, & motus sint tres formalitates, formaliter quidem, & secluso intellectu distinctæ, sed in vna entitate modali identificatæ: ita multi Thomistæ, qui tenent actionem transeuntem esse in passo, quorum fundamenta manent soluta articulo præcedenti.

SED CONTRA est authoritas D. Th. & omnium eorum, qui docent actionem transeuntem subiectari in agente.

CONCLVSIO.

Cùm actio & passio differant subiecto, realiter inter se distinguuntur.

RESPONDEO dicendum, quòd actio & passio realiter distinguuntur. 2. sicut & motus qui se tenet ex parte actionis, realiter distinguitur à motu qui se tenet ex parte passionis. 3. actio distinguitur à suo effectu, siue, quod idem est, motus se tenens ex parte actionis realiter distinguitur à suo termino, sicut & motus se tenens ex parte passionis. 4. actio distinguitur realiter modaliter à motu sibi annexo, sicut & passio. 5. & non sicut res à re. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd agens & patiens semper realiter distinguuntur, nihil enim agit in seipsum secundùm eamdem partem, quia agere dicit esse actu, pati verò dicit esse in potentia.

Probatur prima pars conclusionis. Accidentia, quæ sunt in diuersis subiectis, realiter inter se distinguuntur; cùm enim accidens indiuiduetur à subiecto, idem accidens non potest esse in duobus subiectis: sed actio & passio sunt in diuersis subiectis; nam omnis actio est in agente. passio autem in passo, vt supra dictum est: ergo actio, & passio realiter distinguuntur: hanc rationem assignat D. Th. in 2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. dicens, *Cùm actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & quod est passio, cùm vnum accidens non possit esse in diuersis subiectis.*

Secundò, accidentia, quæ pertinent ad diuersa prædicamenta realiter distinguuntur, quia, quæ sunt in diuersis prædicamentis, habent diuersas essentias completas; propterea enim differunt à supremo genere vsque ad vltimam differentiam; quæ autem habent à parte rei diuersas essentias completas, ita se habent inter se, vt quodlibet habeat suam à parte rei, & secluso intellectu adæquatam; vbi autem à parte rei sunt plures essentiæ completæ & adæquatæ, ibi sunt plura vna transcendentaliter, ac proinde vnum non est aliud, & ita à parte rei est distinctio inter illa; nam vnum definitur, quòd sit in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio: sed actio & passio pertinent ad diuersa prædicamenta, imò constituunt diuersa prædicamenta: ergo realiter distinguuntur; hæc ratio desumitur ex D. Th. q. 8. de potentia art. 2. ad 1.

Probatur secunda pars conclusionis, & explicatur. Non est idem motus, actio & passio, sed sunt duo realiter distincti; aliàs actio & passio essent idem realiter inter se, nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; & sic actio & passio, si essent idem motus, essent idem inter se, cuius contrarium supra probatum est: alioquin haberemus in creatis exemplum adæquatum distinctionis Diuinarum Personarum inter se cum vnitate essentiæ, quod omnes negant: licèt autem D. Thom. hoc exemplum afferat, non tamen vt adæquatum. Deinde ex Aristotele in hoc lib. textu 18. vbi sic ait, *Motus mouentis antecedit motum mobilis*: Ecce quomodo distinguit duos motus, vnum se tenentem ex parte mouentis, qui est actus perfecti, & alium se tenentem ex parte mobilis, qui est actus imperfecti. Item ex D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 3. vbi ait: *Cùm motus quodammodo distinguatur per actionem & passionem, vtrùmque horum ab actu speciem sortitur; actio quidem ab actu, qui est principium agendi; passio verò ab actu, qui est terminus motus nostri*: Vnde calefactio actio est motus, siue motio quædam à calore dimanans, vt actus eius secundus; calefactio verò passio, est motus mobilis ad calorem, & sic actio est motus, siue motio quâ agens mouet ipsum passum, siue mobile; passio autem est motus causatus ab agente ipso passo, causantur autem duo ab agente in passo, scilicet motus, & terminus motus, & vtrúmque dicitur esse actus, tum mouentis, tum mobilis; mouentis quidem, vt (quo,) mobilis autem vt (in quo;) sic enim ait D. Th. in hoc 3. libro lect. 4. *Idem est quòd mouens agendo causat, & quòd motum patiendo recipit*; Et hoc est quod dicit (quòd mouens est actiuum mobilis) id est, causat actum mobilis, quare oportet vnum actum esse vtriúsque, scilicet mouentis & moti; idem enim est quod est à mouente vt à causa agente, & quod est in moto vt in patiente & recipiente.

Quando autem D. Th. docet actionem & passionem esse eumdem motum, vel accipit actionem physicè, & non metaphysicè consideratam, vt dictum est supra, vel est intelligendus eo modo quo ipsemet se explicat in 2. d. 40. q. 1. art. 4 ad 1. eius verba sunt: *Quia motus abstrahit ab vtroque termino, scilicet ab agente & passo, ideo motus significatur sine illa differentia, & propter hoc dicitur quòd motus est vnus*: Vnde ex mente D. Thom. actio & passio dicuntur vnus motus, quia sunt ad eumdem terminum; & motus consideratur, vt quid medium inter agens & patiens, nec se tenens magis ex parte vnius, quàm alterius: actio verò se tenet ex parte agentis, & passio ex parte patientis, & ideo sunt duo accidentia, & significantur, vt duo; motus etiã sunt duo, vnus qui se tenet ex parte actionis, & est actus perfecti, nam per se primò ordinatur ad mouendum aliud, licèt per accidens, & metaphoricè per ipsum moueatur agens, quia ipsum recipit; alius se tenet ex parte passionis, & est actus imperfecti, per ipsum enim patiens acquirit suam perfectionem: vnde licèt significentur, vt vnus, certum tamen est, quòd sicut actio & passio realiter distinguuntur, sic & isti duo motus, & similiter actio distinguitur realiter à motu, qui se tenet ex parte passionis, & passio à motu, qui se tenet ex parte actionis.

Probatur tertia pars conclusionis quantùm ad primum. Illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest sepa-

rari ab alio nemine cogitante, & à parte rei, non enim videtur intelligibile, quòd idem separetur à seipso, potest quidem vna ratio reperiri sine alia, cum qua est idem realiter, sicut animal sine rationali, at si semel reperiantur simul, non potest vna separari ab alia, sed actio potest separari realiter à suo effectu, & motus à suo termino, vt patet experientiâ: nam remanente calore cessat calefactio, & perit; imò & ipsum agens potest perire: ergo actio realiter distinguitur à suo effectu, & motus à suo termino. Nec valet responsio aduersariorum, quòd scilicet actio perit secundùm formalitatem, non verò secundùm realitatem, nam vel illa formalitas est quid reale, vel non; si non est quid reale: ergo actio formaliter non est qoid reale; si est quid reale, cùm illud sit actio, & illud separetur à termino actionis, siue ab effectu, sequitur quòd actio realiter separetur à suo effectu, & pereat illo remanente.

Secundò omnis actio creaturæ est accidens, effectus autem, siue terminus illius sæpè est substantia, vt patet in generatione substantiali, quæ est accidens, & eius terminus (quo) siue totalis formalis, ac terminus (qui) & totalis, sunt substantia: sed accidens realiter distinguitur à substantia, implicat enim quòd eadem entitas sit substantia, & accidens prædicamentale (licèt sit possibile eamdem entitatem esse substantiam, & accidens prædicabile; hoc enim nihil est aliud, quàm vnam substantiam prædicari de alia accidentaliter & non essentialiter;) nam esse per se, quod conuenit substantiæ, & esse in alio, quod conuenit accidenti, sunt rationes intrinsecè oppositæ; nam esse in alio, importat non esse per se & è contra: vnde non possunt eidem conuenire, vna enim negat aliam: ergo actio distinguitur à suo effectu &c. Idipsum docet D. Thom. quæst. 8. de potentia art. 2. ad 1. vbi sic ait: *Nulla substantia quæ est in genere, potest esse relatio, quia est definita ad vnum genus, & per consequens excluditur ab alio genere:* Quæ authoritas docet, omnia, quæ definiuntur ad vnum genus, distingui ab his, quæ sunt in alio genere.

Probatur eadem tertia pars conclusionis quantùm ad secundum. Motus mobilis distinguitur à suo termino, vt probatum est quæstione præcedenti: sed motus mobilis, est motus se tenens ex parte passionis, siue ipsa passio, terminus autem eius, est etiam terminus actionis agentis, & eius effectus, cùm sit terminus per illam productus: ergo motus se tenens ex parte passionis, distinguitur realiter à termino actionis agentis. Confirmatur. Passio est receptio termini in passo, constat autem, quòd finitâ actione calefactiuâ, finit etiam receptio caloris, tandem enim & non ampliùs patiens recipit, quamdiu agens influit, & tamen remanet calor receptus: quæ autem realiter separantur, realiter distinguuntur: si autem cum aliis dicatur, quòd passio sit actuatio passiua subiecti, adhuc passio distinguitur à termino actionis, nam actuari per calorem, importat aliquid reale supra calorem præcisè sumptum.

Probatur quarta pars conclusionis. Motus dicit aliquid modale supra actionem, cui adiungitur, & idem dicendum de passione; nam actio dicit præcisè secundùm se, quòd sit productio effectus, vel vnitio extremorum, & se tenet ex parte agentis: quòd autem transmutet subiectum, hoc illi per accidens coniungitur, imò aliquando separatur ab illa, vt patet in creatione, quæ secundùm aliquos est vera actio transiens, secundùm alios verò virtualiter transiens, & tamen constat quòd non est motus, nec mutatio, quia non supponit subiectum, quòd transmutet; similiter passio tantùm dicit essentialiter quòd sit receptio alicuius entitatis, cui superaddit motus, quòd sit cum transmutatatione subiecti: vnde si aliquid recipiatur in aliquo subiecto, absque eo quòd tale subiectum mutetur, sicut accidit Beatissimæ Virgini in primo instanti suæ conceptionis immaculatæ, & Angelis in instanti suæ creationis, nam tenera receperunt tunc gratiam, & tamen per illam receptionem non fuerunt mutati; cùm ad veram mutationem requiratur, quòd subiectum aliter se habeat nunc, quàm antea se habebat, quod non potest esse, si antea non erat: nam adhoc quòd subiectum per receptionem alicuius dicatur mutatum, debuit ante instans receptionis fuisse realiter priuatum illo: ergo motus modaliter distinguitur ab actione & passione; & sic est motus actionis & passionis, & non potest reperiri sine illis, non enim est res ob diminutam entitatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & D. Th. loquuntur de motu se tenente ex parte mobilis tantùm, qui etiam dicitur actus mouentis, in quantum ab illo procedit, & actio physica.

Ad secundum dicendum, quòd est distincta potentia, quam dicit mobile vt mobile, ab illa quam dicit vt passum: nam mobile vt mobile respicit motum, tanquam viam & transitum ad terminum, vt ad actum perfectum: & sic ratio mobilis solùm importat corpus, quod mouetur, prout est in potentia ad terminum, vt terminus est, vel prout ab vno in alium terminum transit, ita vt nihil in hac ratione exprimatur pertinens ad agens, aut ad passum, prout talia sunt: at mobile, vt passum habet potentiam ad motum, prout receptum in mobili, sed ab alio; & ideo respicit agens, vt id cui subditur; & terminum, vt habet rationem effectus: siue ratio passi denotat potentiam eiusdem corporis, non secundùm quòd per illam tendit in terminum, vt terminus est, sed secundùm quòd per eam agenti subditur, vt in ipsum agat: vnde diuersa est etiam ratio termini respectu motus & actionis, nam sub pura ratione termini motus, non importat formaliter dependentiam aut emanationem ab agente, sed tantùm esse actum completum in quem tendit mobile, & quo vltimatè acquisito quiescit: contrà verò sub ratione termini actionis, vt actio est, imò vt terminus est passionis formalissimè sumptæ, dicit rationem effectus.

Articvlvs IV.

Quomodo comparetur motus ad actionem & passionem?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd motus se habeat per modum subiecti (quo) respectu actionis & passionis, ita vt actio & passio inhæreant substantiæ mediante motu. Ita nostri Complutenses hîc disp. 17. q. 3. Suares tom. 2. Metaphysicæ disp. 46. sect. 2. Oña in præsenti & alij. Probatur authoritate Aristotelis, qui in hoc lib. cap. 3. sic ait, *Omnino autem dicere est quòd nec actio cum passione, nec doctio cum disciplina idem propriè est, sed cui insunt hæc, motus.* Deinde ex D. Th. motus secundùm se abstrahit ab agente & passo; vt autem consideratur ab agente, conuenit illi formalitas actionis; & per hoc quòd est in passo, & formalitas passionis: ergo hæ duæ formalitates actionis & passionis comparentur cum motu, vt duæ affectiones cum suo subiecto.

¶ 2. Præterea, Motus non est essentialiter superior ad actionem & passionem, & hoc sequitur ex præcedenti; cùm enim actio & passio sint vnus numero motus ex Aristotele, motus non potest esse superius essentialiter ad illas; nam multiplicato inferiori necessariò multiplicatur superius essentiale, cùm identificetur realiter cum illo: ergo se habet per modum subiecti [quo] respectu illarum.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd actio sit essentialiter superior ad passionem & motum. Ita tenent aliqui. Probatur quantùm ad primam partem. Ex D. Th. passio semper infertur ex actione: ergo includit essentialem ordinem ad agens, vt id à quo: ergo etiam rationem actionis consistentem in hac habitudine. Probatur quantùm ad secundam partem. Mouere essentialiter, & in sensu formali, est agere: ergo motus essentialiter, & in sensu formali est actio: eadem enim est ratio concreti ac abstracti in ordine ad superiora essentialia.

Sed contra est authoritas D. Th. vt constat ex tribus

bus præcedentibus articulis, quàm sequuntur authores ibidem citati pro nobis

CONCLVSIO.

Cùm actio & passio conueniant in motu tanquam in aliquo superiori inæqualiter ab ipsis participato, motus comparatur ad actionem & passionem, vt superius Analogum.

RESPONDEO dicendum, quòd motus non conuenit essentialiter, sed tantùm contingenter actioni & passioni in communi & metaphysicè consideratis: & sic comparatur ad ipsas, vt modus. 2. comparatur autem ad actionem & passionem transmutatiuas, siue physicè consideratas, non vt subiectum 3. sed vt superius essentiale Analogum 4. nullo autem modo actio est superius ad passionem & motum.

Probatur prima pars conclusionis. Actio vt sic, non dicit motum, & inuenitur sine motu; & similiter passio, vt dictum est articulo præcedenti: ergo motus non est superius essentiale ad illas; nihil enim potest esse sine suis essentialibus; & ita motus est modus illarum sub hac consideratione. Nec est vllum inconueniens motum conuenire contingenter actioni vt sic, & essentialiter actioni physicæ & transmutatiuæ; nam similiter esse accidens conuenit contingenter actioni vt sic, aliàs conueniret essentialiter omni actioni, quod patet esse falsum in actionibus diuinis, quæ sunt ipsa Dei substantia; & tamen esse accidens essentialiter conuenit actioni creatæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Subiectum non prædicatur de accidenti in abstracto, vnde hæc est falsa (albedo est quantitas): sed motus prædicatur in recto de actione & passione physicè consideratis: nam ex Aristotele hîc cap. 3. & D. Th. ibidem istæ propositiones sont veræ (actio est motus, passio est motus): ergo motus comparatur ad ipsas vt subiectum.

Probatur tertia pars conclusionis. Implicat concipi actionem physicam, sicut & passionem sine motu, qui in abstracto prædicatur de illis: ergo essentialiter conuenit illis ratio motus; nam sola essentialia includuntur necessariò in conceptu rei, & prædicantur de illa in abstracto; conuenit autem, vt quid superius; nam valent istæ consequentiæ; est actio physica: ergo est motus; est passio: ergo est motus: non autem valent contrariæ; est motus: ergo est actio; est motus: ergo est passio: constat autem, quòd illa sunt superiora, à quibus non valet status consequentiæ: non autem motus æqualiter conuenit actioni & passioni; nam motus se tenens ex parte passionis, est actus imperfecti, intrinsecus tamen mobili; motus autem se tenens ex parte actionis, est actus perfecti, qui non mouet nisi extrinsecè ipsum mobile; & licèt intrinsecè moueat ipsum agens, tamen hæc motio non est tam propria, cùm non ordinetur ad vlteriorem terminum in ipso agente recipiendum, & est valde ignota: sed notissimus est motus, qui se tenet ex parte mobilis: ergo motus est superius essentiale ad actionem & passionem: non æquiuocum, aut vniuocum, quia non æqualiter conueniunt, aut totaliter differunt in ratione motus, sed Analogum, quia in illa partim conueniunt, partim differunt. Hoc tamen debet intelligi de actione & passione verè physica, & connaturaliter tali, in qua scilicet idem subiectum substat actioni & passioni, qualis non est generatio vermium, aut alterius ex speciebus sacramentalibus.

Probatur quarta pars conclusionis. Omne superius prædicatur de suis inferioribus prædicatione formali, vt patet inductione in omnibus: sed actio non prædicatur de passione aut motu prædicatione formali: istæ enim prædicationes sunt falsæ saltem in sensu formali [passio est actio, motus est actio]: ergo nullo modo actio est superius ad passionem & motum.

AD primum ergo dicendum, quod actio & passio dicuntur inesse motui, sicut inferiora suo superiori; dicimus enim quòd homo & Angelus sunt in natura intellectuali. Ad aliud patet ex supradictis, quomodo in doctrina D. Th. actio & passio non sunt idem numero motus, sed sunt duo.

AD secundum dicendum similiter, quòd actio & passio sunt duo motus, nec tamen inde sequitur quòd mobile moueatur duplici motu intrinseco, quia actio est in agente, vnde mobile tantùm extrinsecè mouetur per actionem.

AD tertium dicendum quoad primam partem, quòd licèt passio inferatur ex actione, non tamen formaliter exprimit ordinem ad agens, vt dicatur actio, sed solùm dicit connexionem necessariam cum actione. Quoad secundam partem dicendum, quòd mouere non est formaliter agere, nam agere importat præcisè productionem effectus: mouere verò importat transmutationem subiecti, vnde non est vera propositio nisi in sensu identico; in sensu verò formali, licèt concedatur vera, tamen est indirecta, cum inferius prædicetur de superiori: concretum enim motus, vt conuenit tum actioni, tum passioni, est quid includens simul mouere & moueri.

QVÆSTIO XVIII.

De infinito.

DEINDE considerandum est de infinito, cùm motus sit de genere continui, in cuius definitione aliquando cadit infinitum, circa quod quæruntur septem.

¶ Primò, Vtrùm naturaliter possit dari infinitum in actu?

¶ Secundò, Vtrùm diuinitus possit dari aliqua creatura infinita secundùm essentiam?

¶ Tertiò, Vtrùm datâ quacùmque creaturâ possit Deus aliam & aliam perfectiorem secundùm speciem producere?

¶ Quartò, Vtrùm possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem?

¶ Quintò, Vtrùm possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm multitudinem?

¶ Sextò, Vtrùm possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem?

¶ Septimò, Vtrùm vnum infinitum possit esse maius alio?

ARTICVLVS I.

Vtrum naturaliter possit dari infinitum in actu?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd possit dari infinitum in actu naturaliter. Ita tenuerunt Anaxagoras, Anaximander, & alij, vt refert Aristoteles in præsenti. Probatur. Nulla potest dari potentia naturalis frustra; Deus enim & natura, sicut non deficiunt in necessariis, sic nec frustra operantur: ergo datur, vel potest dari infinitum in actu; cùm enim detur infinitum in potentia, hæc potentia est reducibilis in actum, aliàs esset frustra. Confirmatur. Deus vt agens naturale, siue vt agens cum natura habet potentiam actiuam infinitam: ergo vel est frustra, vel potest reduci in actum.

¶ 2. Præterea, in quolibet continuo dantur infinitæ partes actu, aliàs in eius diuisione posset perueniri ad vltimam partem, quod est contra rationem quantitatis; nam illa vltima pars, quæ assignaretur, esset quanta, cùm quantum non possit componi ex indiuisibilibus: ergo est diuisibilis in semper diuisibilia, & ita datur infinitum in actu. Nec obstat, ne continuum dicatur infinitum actu, quòd omnes eius partes existunt vnicâ existentiâ totius; quia si daretur aliquod continuum, quod haberet infinitas partes aliquotas, esset infinitum in actu secundùm omnes, & tamen eius partes non haberent proprias existentias, sed existerent existentiâ totius.

¶ 3. Præterea, Continuum quod habet partes aliquotas determinatas infinitas est infinitum in actu: sed datur tale continuum; nam datâ columnâ in rotunditate & longitudine vnius palmi, danda est necessariò in illa linea descendens ab vna extremitate ad aliam girans, &

continuans

continuans eius partes, quæ cùm ſint infinitæ: ita circulationes lineæ ſunt infinitæ; vnde talis linea habet infinitas partes aliquotas vnius palmi: ergo datur infinitum in actu.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in hoc 3. libro, quem ſequuntur omnes Philoſophi, idémque docent Theologi cum D.Th.1.p.q.7.art.2.3. & 4.

Conclvsio.

Cùm quælibet creatura habeat eſſentiam limitatam, cui debent proportionari proprietates & accidentia, non poteſt naturaliter in creatis dari infinitum in actu.

Respondeo dicendum, quòd non poteſt naturaliter in creatis dari infinitum in actu. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt difficultatem præſentem non procedere de infinito in omni genere, ſiue in genere entis: quia lumine naturali notum eſt dari tale infinitum, ſcilicet Deum Optimum Maximum, qui continet omnem perfectionem excogitabilem: ſed procedit de infinito in genere entis creati. Infinitum autem ex Ariſt. & D.Th hîc cap.6. Item 1.p.q.7.art.4.eſt duplex. Vnum infinitum in actu, & aliud in potentia. Infinitum in actu, eſt illud, quod ſecundùm id, quod actu includit, nullis terminis clauditur, quod eſt non finiri: & ideo Ariſtoteles, & D. Th. hîc cap.7. definiunt infinitum in actu ſecundùm quantitatem ſic: *Infinitum eſt cuius ſemper eſt aliquid extra*, Id eſt, licèt magis ac magis accipiamus ex partibus aliquotis, ſemper reſtat vlterior & vlterior accipienda. Infinitum verò in potentia eſt illud, quod licèt ſecundùm id, quod habet actu ſit finitum, tamen ſecundùm id, quod poteſt habere, nullum habet terminum, & finem: & hoc modo dicitur quæuis quantitas diuiſibilis in infinitum, quia quacumque diuiſione factâ poteſt vltra diuidi. Infinitum in actu dicitur etiam infinitum categorematicè, infinitum verò in potentia, dicitur infinitum ſincategorematicè, cùm autem nullus dubitet dari infinitum in potentia, ideo tantùm quæritur de infinito in actu vniuerſaliter.

Probatur concluſio ratione D. Th.1.p.q.7.art.2. Quælibet creatura habet eſſentiam finitam, vt dicetur art. ſequenti. quia per genus & differentiam limitatur ad ſpeciem determinatam; ac proinde ad naturam finitam: quælibet autem eſſentia finita, ſaltem naturaliter, habet proprietates & accidentia finita, quæ cùm ſint illius affectiones, debent illi commenſurari: ergo nullum poteſt dari infinitum in actu naturaliter. Nec ſibi contrariatur D. Th. ibidem, dum dicit: *Dato quod eſſet aliquod corpus infinitum ſecundum magnitudinem; non ideo fore infinitum ſecundum eſſentiam: quia eſſentia ſua eſſet nihilominus terminata ad aliquam ſpeciem per formam, & ad aliquod indiuiduum per materiam.* Dicendum enim quòd ex finitate eſſentiæ directè infertur finitas proprietatum & accidentium eius, cùm ipſa ſit radix, cui debent proportionari affectiones illius: & hoc intendit abſolutè D. Th. Ex infinitate verò accidentium non infertur directè infinitas eſſentiæ, cùm hæc non dependeat ab illis, ſed econtra quamuis indirectè, & arguitiuè inferatur: & ſic intelligendus eſt D. Th. vnde eius dicta concordant.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia quam habet v.g. continuum vt diuidatur, non eſt ad hoc vt tota ſimul reducatur in actum perfectum: ſed ad hoc vt ſucceſſiuè reducatur in actum admixtum potentialitate: vnde continuum eſt diuiſibile, & poteſt diuidi in ſemper diuiſibilia; & hoc modo eius potentia poteſt reduci ad actum diuiſibilitatis; ita tamen, vt nunquam ſit in completo, & ſatiato eſſe, ſed in compleri & ſatiari: & ſimiliter dicendum ad confirmationem, quòd implicat ex parte rerum, vt potentia infinita Dei tota, ſimul reducatur in actum, ſed tantùm reduci poteſt ſucceſſiuè, vnde dato quocúmque creato, poteſt Deus per totam æternitatem creare aliud, nunquam tamen poteſt poni actu totum, quod Deus poteſt.

Ad ſecundum dicendum cum D. Th. in 4.d.10.q.1. art.3. ad 4. quòd vnitas rei conſequitur eſſe ipſius: partes autem alicuius homogenei continui ante diuiſionem non habent eſſe actu, ſed potentia tantùm: & ideo nulla illarum habet vnitatem propriam in actu: vnde actu non eſt accipere ipſarum numerum, ſed potentia tantùm. Et ratio huius eſt manifeſta; quia ex D.Th. 1. contra gentes cap. 25. & in 1. d. 8. q. 1. art. 1. & q. 1. de veritate art 1. ens dicitur ab actu eſſendi, ſeu exiſtendi; & ideo quod non habet proprium eſſe, non dicitur ens actu; & ita licèt in continuo re ipsâ ſunt infinitæ partes, tamen non ſunt infinita entia in actu, quia exiſtunt vnicâ exiſtentiâ, & habent vnicum eſſe: & propterea Theologi non concedunt in diuinis tria entia ſubſtantiuè, licèt concedant tres res ex D. Th. in 1.d.25. q.1.art.4. & colligitur ex Concilio Florentino ſeſſione vltimâ: vnde ad hoc, vt ſint infinita entia, requiritur quòd ſint infinitæ res cum infinitis, & diſtinctis principiis eſſendi: ad hoc autem vt ſint infinitæ partes, hoc non requiritur, quia in vnico ente cum vnico principio eſſendi poſſunt eſſe plures partes; & ita non ſufficit partes continui eſſe diuiſibiles, vt ſit infinitum actu, ſed requiritur quòd vel ſint diuiſæ actu, vel potentiâ proximâ diuiſibiles, ita vt poſſint exiſtere omnes ſimul diuiſæ, quod repugnat partibus proportionalibus: aliàs deſtrueretur natura continui, cùm non eſſet ampliùs diuiſibile: non tamen non repugnat partibus aliquotis: & ideo ſi daretur continuum habens infinitas partes aliquotas, eſſet ſimpliciter infinitum in actu, non quia haberet infinitas partes, ſed quia illæ poſſent proximè exiſtere ſimul diuiſæ: maximè quia partes aliquotæ exiſtunt diſtinctè, cùm ſint aſſignabiles: proportionales verò exiſtunt tantùm in confuſo, quia non ſunt aſſignabiles, & propter hoc non conſtituunt infinitum in actu, ſed in potentia, & per hoc patet ad confirmationem.

Ad tertium dicendum, quòd tota illa linea non eſt actuans, quia non poteſt exiſtere ſeparata, & ideo eius partes non habent ſufficientem actualitatem etiam intra latitudinem partium aliquotarum continui, ad hoc vt conſtituant infinitum in actu; maximè quia ſuo modo exiſtunt ratione partium proportionalium; nam communicatur illis exiſtentia à toto, quia vniunt partes proportionales ſuperficiei; & ſicut hæ ſunt in actu confuſo, & in potentia, ita & partes lineæ. Deinde tota illa longitudo lineæ clauditur eiſdem terminis, quibus tota columna.

Articvlvs II.

Vtrùm diuinitus poßit dari aliqua creatura infinita ſecundùm eſſentiam?

Ad Secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd diuinitus poſſit dari aliqua creatura infinita ſecundùm eſſentiam. Probatur. Potentia Dei ad extra eſt infinita ſimpliciter & categorematicè: ergo poteſt producere effectum infinitè perfectum: nam potentia finita, quò eſt perfectior, poteſt producere effectum perfectiorem, & ita potentia infinita effectum infinitè perfectum.

¶ 2. Præterea, Deus poteſt habere hoc imperium: Fiat perfectiſſimus effectus, qui poteſt à me fieri: hoc poſito quæritur, an ille effectus ſit futurus infinitus, vel non? ſi dicatur primum, habetur intentum: ſi ſecundum, ergo dabitur creatura finitè perfecta, vltra quam non poterit Deus producere perfectiorem, quod eſt falſum, nam hoc denotat potentiam finitam & limitatam. Confirmatur. Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ, ageret ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ, cùm hoc ſit de ratione agentis naturalis: ergo effectus quem tunc produceret, eſſet infinitè perfectus; nam effectus adæquatus debet commenſurari potentiæ: ſed per hoc quòd Deus liberè agat, non eſt minoris virtutis, quàm ſi ageret ex neceſſitate naturæ: ergo poteſt producere effectum infinitum.

¶ 3. Præterea Deus cognoſcit omnes creaturas poſſibiles ſe inuicem in gradu perfectionis eſſentialis excedentes,

dentes, & consequenter debet dari inter illas vna infinitè perfecta: nam v. g. si darentur in rerum natura infinitæ species Angelorum, cùm se excedant perfectione essentiali, supremus inter illos esset infinitè perfectus: ergo nunc sub esse possibili datur talis Angelus; vel dicendum est, quòd non concipitur tota collectio possibilium: nam dato quocúmque finitæ perfectionis, potest dari aliud & aliud in infinitum perfectius: Deus enim non potest ita participari finito modo, vt non sit ampliùs, & ampliùs participabilis: sed Deus potest producere quamcúmque creaturam possibilem, ideo enim dicitur possibilis: ergo & illum Angelum infinitè perfectum.

Sed contra, est expressa authoritas Aristotelis hîc, & D. Th. 1. p. q. 7. art. 2. & alibi sæpe, quos sequuntur communiter omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm omnis creatura sit limitata ad aliquam speciem, & nulla sit suum esse, nec diuinitus potest dari aliqua creatura infinita secundùm essentiam.

Respondeo dicendum quòd implicat dari aliquam creaturam, quæ sit infinita secundùm essentiam, Probatur ratione D. Th. 1. contra gentes cap. 43. Omnis natura creata completa constat genere & differentiâ, non solùm de facto, sed etiam de possibili: nam quælibet creatura substantialis debet conuenire in ratione substantiæ cum aliis, & differre per specialem differentiam, cùm ratio substantiæ sit abstrahibilis ab omnibus substantiis completis: ergo talis natura creata est finita secundùm essentiam: nam genus & differentia sunt termini limitantes essentiam ad terminatam speciem, ita vt non habeat nisi perfectionem limitatam talis speciei; & propterea D. Th. loco citato, & D. Dionisius cap. 1. de diuinis nominibus dicunt Deum esse infinitum, secundùm essentiam, quia non continetur sub aliquo genere, & consequenter non constat ex genere & differentia; vnde sicut repugnat dari lineam infinitam, quæ habeat puncta terminatiua, sic & repugnat dari essentiam, quæ habeat terminos suos essentiales, scilicet genus & differentiam: ergo multo magis quælibet natura incompleta debet necessariò esse finita: nam si daretur aliqua natura creata infinita, sine dubio esset completa: nam tanta perfectio non potest conuenire naturæ incompletæ, si repugnat completæ: maximè quia natura incompleta pertinet ad speciem naturæ completæ, cuius est pars.

Nec valet impugnatio huius rationis facta à Vasque 1. p. disp. 22. dicente non repugnare infinitum constare ex genere & differentia, cùm hæc compositio sit tantùm per rationem; & ideo concedit Deum contineri sub genere. Nam talis doctrina est contra sanctos Patres, D. Th. loco citato, D. Dionysium cap. 1. de diuinis nominibus, Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 1. & 4. &. communiter contra Theologos cum magistro in 1. d. 8. Deinde differentia limitat genus, vt communiter docent Logici: ergo est impossibile, vt illud, quod constat genere & differentia, contineat totam perfectionem generis, & multo magis, quòd sit simpliciter infinitum in ratione entis, nam limitatio excludit infinitatem. Confirmatur. Licèt compositio ex genere & differentia sit per rationem, tamen necessariò requirit in re, saltem vt conditionem, quòd sit in illa aliqua compositio, ad minus ex esse & essentia: sic enim ait D. Thom. cap. 6. de ente & essentia, *Omne quod est in genere, oportet quòd habeat quidditatem præter esse suum:* Sed secundùm fidem in Deo non est compositio ex esse & essentia; aliàs non esset suum esse per se subsistens, nec haberet omnimodam simplicitatem. Item compositio ex genere & differentia supponit rationem differentialem esse omnino præcisam ab aliis rationibus essentialibus, quod in Deo non potest esse: nam vltima ratio constitutiua Dei debet esse infinita, cùm sit propriè constitutiua Dei in se, & distinctiua eius ab aliis: ergo debet includere omnem rationem & perfectionem essendi, & ita non potest præscindere ab aliqua ratione. Denique non potest assignari aliud per quod essentia intrinsecè finiatur, nisi per genus & differentiam, vt patet: ergo repugnat infinitum constare ex genere & differentia.

Secundò probatur ratione D. Th. 1. b. loco citato vbi loquens de essentia creata ait: *Quia habet esse, & non est suum esse, necesse est, quòd ipsum eius esse sit receptum, & contractum ad terminatam naturam, non potest esse infinitum simpliciter:* Sic declaratur hæc ratio D. Thom. Nulla creatura potest esse suum esse existentiæ per se subsistens, & irreceptum, aliàs creatura haberet omnem plenitudinem essendi, cùm ipsum esse purum ab omni potentialitate, per seipsum essentialiter subsistens & irreceptum includat omnem plenitudinem, & perfectionem essendi, quia non habet vnde limitetur; sicut si daretur humanitas separata, vt posuit Plato, contineret omnem perfectionem reperibilem in ipsa natura humana; & ita omnis creatura habet esse receptum; nam esse receptum & irreceptum immediatè opponuntur: vnde cùm nulla creatura habeat esse irreceptum, omnis creatura necessariò habet esse receptum, ac proinde finitum, & limitatum, forma enim limitatur per materiam: & sic existentia hoc ipso quòd intelligitur recepta in tali subiecto, est ibi finita, & diminutè participata: sed quod habet esse finitum & limitatum, est etiam finitum secundùm essentiam: quia quod potest habere infinitatem secundùm essentiam, potest etiam habere secundùm suum esse & existentiam cùm essentia & existentia sibi connaturalis debeant inuicem commensurari. Deinde si essentia esset infinita, & non esse, inter se distinguerentur, & sic essentia non esset infinita, quia non contineret omnem rationem essendi.

Ad primum ergo dicendum, quòd potentia infinita non petit necessariò producere effectum infinitum actu, sed sufficit quòd eadem immutata manens possit producere infinitum in potentia, idest, quòd producto quocúmque, & in quacúmque perfectione possit producere aliud & aliud, & perfectius in omni genere, & hoc in infinitum; hoc enim denotat, quòd talis potentia actu contineat omnem perfectionem omnium creaturarum se inuicem excedentium in essentiali perfectione in infinitum. Vel dicendum cum D. Thom. 1. p. q. 25. art. 2. ad 2. quòd licèt virtus agentis vniuoci debeat tota manifestari in vniuoco effectu, non tamen virtus agentis æquiuoci, sicut est Deus, quamuis etiam infinitas diuinæ potentiæ manifestetur in modo producendi, scilicet per creationem: nam ad creandum quamcúmque rem minimam requiritur virtus infinita ex D. Thom. 1. p. q. 32. art. 1. ad 2. & q. 45. art. 5. ad. 3.

Ad secundum dicendum, quòd est impossibile Deum habere hoc imperium, quia esset otiosum; non enim esset quod ei obediret: sicut si Deus diceret, fiat prima, aut vltima pars continui, non esset pars aliqua, quæ tali obediret imperio, quia nec adest prima, nec vltima continui pars, nec etiam à Deo cognosci potest, cùm hoc sit contra naturam continui. Ad confirmationem dicendum, quòd si Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, non esset Deus, nec agens infinitum, cùm hoc arguat imperfectionem, scilicet defectum libertatis & sapientiæ in operando; cum quo non potest esse virtus infinita, quæ requirit essentiam infinitam, quæ nequit esse cum defectu harum perfectionum. Deinde dicendum, quòd dato hoc impossibili, sequitur aliud, quòd scilicet produceret effectum infinitum, vt intendit obiectio; & non produceret, quia implicat produci.

Ad tertium patebit ex dicendis articulo sequenti.

Articulus III.

Vtrùm datâ quacumque creaturâ possit Deus aliam & aliam perfectiorem secundùm speciem producere?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd datâ quacumque creaturâ, non possit Deus aliam & aliam

aliam perfectiorem secundùm speciem producere. Ita tenent Henricus quodlib. 8. q. 8. Durandus in 1. d. 41. q. 2. Probatur. Si datâ quacúmque creaturâ, possit Deus producere perfectiorem, sequitur posse dari aliquam creaturam infinitæ perfectionis secundùm essentiam: quia si de facto essent in rerum natura infinitæ species Angelorum, quæ proinde se inuicem excederent in perfectione essentiali, non posset non dari inter illos Angelus infinitæ perfectionis essentialis: ergo si verè sunt possibiles, dabitur sub esse possibili vnus, qui habeat tantam perfectionem. Confirmatur. Ille Angelus supremus contineret eminenter perfectionem infinitorum inferiorum; nam species superior continet eminenter perfectiones inferiorum, vt homo vegetatiuum & sensitiuum, quod est in brutis; & ita ille Angelus haberet infinitam perfectionem, maximè quia distaret infinitè ab vltimo. Deinde ex opposito sequeretur saltem totam collectionem creaturarum possibilium esse infinitè perfectam secundùm essentiam, quia non haberet in hoc ordine terminum: sed hoc implicat, quia, cùm tota hæc latitudo & collectio sit ens creatum, necessariò debet esse quid finitum & limitatum.

¶ 2. Præterea, Datur in rerum natura substantia imperfectissima, quâ nec diuinitus potest dari imperfectior, scilicet materia prima sublunaris, vt ait Aug. 12. confess. cap. 7. ergo saltem in mente diuina poterit dari vna ita perfecta, vt non possit dari perfectior, & consequenter datâ illâ non poterit produci perfectior.

¶ 3. Præterea, Non potest Deus producere aliud vniuersum perfectius isto, vt docent Sancti Patres Aug. cap. 10. Enchiridij, Greg. Nazianzenus homiliâ de natiuitate. &c. sed perfectio huius vniuersi constat ex his corporibus & speciebus: ergo non potest in eis procedi in infinitum, nec plures esse, quàm de facto sunt.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. 2. contra gentes. cap. 26. Item 1. p. q. 25. art. 6. Item in 1. d. 44. q. 1. art. 1. ad 3. quem sequuntur communiter eius discipuli, Caietanus, Zumel 1. p. loco citato, Capreol. in 1. d. 43. q. vnic. art. 2. nostri Complutenses, & Masius in præsenti, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm creatura sit participatio diuinæ perfectionis infinitæ, ac proinde infinitis modis in infinitum participabilis, datâ quacúmque creaturâ potest Deus aliam & aliam perfectiorem secundùm speciem producere.

Respondeo dicendum, quòd datâ quacúmque creaturâ possibili potest Deus aliam, & aliam essentialiter perfectiorem producere in infinitum, vnde numerus creaturarum possibilium se inuicem in perfectione essentiali excedentium, est infinitus in potentia.

Probatur conclusio ratione D. Th. Creatura est participatio, siue communicatio passiua diuinæ perfectionis: sed diuina perfectio, cùm sit infinita omnibus modis, ac in omni genere, simpliciter & absolutè est infinitè, siue infinitis modis in infinitum semper perfectionibus participabilis, imitabilis & communicabilis: ergo datâ quacúmque creaturâ potest dari alia & alia in infinitum perfectior, quia quæcúmque detur, non potest ita participari diuina essentia ab illa, quin possit magis ac magis in infinitum ab aliis participari. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Si daretur aliqua imago infinitæ perfectionis, dato quocúmque eius exemplari ipsam limitato modo repræsentante, esset dabile aliud & aliud in infinitum illam magis repræsentans, cùm repræsentabilitas eius sit infinita, nec possit exhauriri à quocúmque exemplari finito. Ita est de essentia diuina infinitè perfecta respectu creaturarum, & hoc maximè quia ipsæ creaturæ, quæ sunt participationes diuinæ essentiæ, producuntur à Deo, in quo potentia actiua est infinita: vnde tantùm potest producere, quantùm est imitabilis: est autem imitabilis infinitè, & infinitis modis: ergo datâ quacúmque eius imitabilitate in quacúmque creatura, est dabilis alia, & alia perfectior in infinitum in aliis creaturis.

Ad primum ergo dicendum, quòd falsa est sequela, in cuius probatione est fallacia: nam licèt dato hoc impossibili, quòd si essent omnes species Angelorum possibiles actu in rerum natura, concedendum etiam esset aliud impossibile, scilicet quòd daretur Angelus infinitè perfectus, vt videtur conuincere argumentum: non enim mirum est, quòd dato primo absurdo, concedendum sit aliud, quòd scilicet talis Angelus sit creatura, & tamen sit infinitè perfectus; & similiter quòd sit numerus infinitus, & quod detur vltimum: tamen negatur sequela, nam processus in infinitum in potentia, est semper in vlterius, & nunquam in vltimum; taliter quòd vltra quodcúmque restet aliud & aliud possibile sine termino: & ex hoc manifestatur discrimen inter infinitum in actu, si per impossibile daretur, & infinitum in potentia: nam infinitum in actu dicit omnia esse actu simul, infinitum autem in potentia dicit quòd in tota illa collectione non sit dari vltimum, aliàs in eo sisteret processus, quod est contra rationem ipsius processûs in infinitum, saltem in possibilibus, de cuius conceptu est quòd nulla creatura quæcúmque illa sit, siue determinata, siue indeterminata sit ibidem, quæ sit vltima, & in qua sistatur: sicut licèt concedatur aliquod continuum esse actu diuisibile infinitis diuisionibus, non tamen concedendum est aliud, quòd scilicèt deueniendum sit ad vltimam eius partem, cùm hoc sit contra rationem continui: si dicatur quòd in repræsentatione diuina creaturæ possibiles eo modo se habent, ac si essent actu, vnde cognoscit omnes & singulas distinctè, ac proinde summam inter illas. Ad hoc respondendum est, quòd implicat ex parte ipsarum, vt distinctè cognoscantur singulæ, eo modo quo implicat cognosci distinctè omnes & singulas partes alicuius continui: nam sicut est contra rationem continui diuisibilis in infinitum, vt diuidendo finiatur, & perueniatur ad vltimam eius partem indiuisibilem, sic est contra rationem perfectionis diuinæ in infinitum, & infinitis modis imitabilis, vt cognoscatur vltimus modus eius imitabilitatis: vnde sicut Deus videt clarè quodlibet continuum esse in infinitum diuisibile, & tamen non videt sigillatim quamlibet eius partem proportionalem (ipsæ enim non sunt distinctè, sed in quadam confusione in continuo, & videt sic esse, aliàs videret aliter esse quàm sint:) sic Deus videt clarè suam diuinam essentiam infinitè perfectam, & infinitè ac infinitis modis esse participabilem in creaturis; videt etiam clarè gradus participabilitatis v.g. intellectiui, rationalis, sensitiui, & vegetatiui &c. hæc autem claritas est tam ex parte Dei videntis, quàm rei visæ; non tamen videt clarè & distinctè omnes & singulos modos participabilitatis cuiuscúmque gradus, quia cùm non sint inter se certi & determinati excessus in perfectione, sunt in quadam confusione, & Deus clarè videt sic esse procedendo in infinitum, sicut dictum est de partibus proportionalibus continui: vnde ex parte Dei est clarissima visio, quâ videt omnia sicuti sunt; ex parte creaturarum est confusa, quia ipsæ sunt in quadam confusione, & non possunt aliter videri quàm sint, aliàs Deus in sua visione deciperetur: cur autem aliqui modi participabilitatis clarè videantur & non alij, hoc prouenit ex natura ipsorum, quia aliqui sunt manifesti, alij latentes propter dictam confusionem; vnde creaturæ possibiles non sunt obiectiuè in mente diuina eo modo quo essent à parte rei si per impossibile essent, sed sunt eo modo obiectiuè quo possunt esse à parte rei; & eo modo videt, quo potest producere, vt sit proportio inter omnipotentiam, siue intellectum practicum & speculatiuum, non autem potest sigillatim singulas actu producere, sed in potentia tantùm, id est, datâ quacúmque potest aliam; & per hoc patet ad confirmationem: nam in processu in infinitis in potentia, non est deueniendum ad vltimum: illud autem quod additur, scilicet speciem superiorem continere eminenter inferiorem, est contra D. Thom. 1. p. q. 84. art. 2. ad 3. vbi sic ait: *Qualibet creatura habet esse finitum & determinatum: vnde essentia superioris creaturæ etsi habeat quamdam similitudinem inferioris creaturæ, prout communicant in aliquo genere, non tamen completè habet similitudinem illius, quâ* [illegible] *deter*

determinatur ad aliquam speciem, præter quam est species inferioris creaturæ. Idem docet 1. part. quæst. 55. art. 1. & alibi. Ad aliud dicendum, quòd solùm sequitur in tota illa collectione esse infinitatem in perfectione essentiali secundùm quid, & non simpliciter: quia tota illa collectio non est infinita in actu, sed solùm in potentia, & consequenter secundùm quid. Ita D. Th. hîc lect. 9. & in 1. d. 43. q. 1. ad 5.

Ad secundum dicendum, quòd nulla est consequentia: & ratio disparitatis est, quia creaturæ eò magis crescunt in perfectione, quò magis accedunt ad esse diuinum: constat autem, quòd dato quocúmque accessu, restat adhuc alius maior, cùm esse diuinum sit infinitum; & sic datâ quacumque creaturâ est possibilis alia perfectior: decrescunt autem creaturæ à perfectione, quò magis recedunt à diuino esse: vnde cùm sit possibilis omnimodus recessus, qualis conuenit ipsi nihilitati, quæ nec minimum accessum ad Deum habet; sic potest dari minimus accessus, saltem intra latitudinem entitatis substantialis creatæ.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 3. quòd vniuersum hoc potest considerari, vel secundùm res in eo contentas, vel secundùm ordinem earumdem: primo modo potuit esse perfectius, quàm sit, si Deus in eo creasset species rerum nobiliores: si verò secundo modo sumatur, tunc in his speciebus, quæ productæ sunt, non potuit perfectior ordo, & dispositio esse; & consequenter nec maior pulchritudo eâ, quæ ex hoc ordine consurgit.

Articvlvs IV.

Vtrùm possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem. Ita tenent Nominales & Vasquez 1. p. disp. 26. ac alij. Probatur. Non apparet implicantia quòd producatur infinita moles; nec ex parte Dei, cùm sit omnipotens, siue habens potentiam productiuam actu infinitam; nec ex parte ipsius molis, siue magnitudinis; tum quia ex se non petit determinatum terminum, tum quia omnes fatentur, quòd si daretur linea infinita, esset in prædicamento quantitatis, cùm sit eiusdem rationis, ac alia finita, & habeat essentiam finitam; & sic maior, vel minor extensio est accidens respectu quantitatis; sicut maior vel minor intensio respectu qualitatum: & sic manet illæsa essentia magnitudinis, licèt sit infinita: ergo potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem.

§ 3. Præterea, Infinitum est proprietas quantitatis ex Aristotele 1 r. Metaph. cap. 9. & constat: nam quantitas est diuisibilis in infinitum, ita vt diuidatur in semper diuisibilia: ergo non solùm potest dari supernaturaliter infinitum in actu secundùm magnitudinem, sed de facto datur.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. 1. p. q. 7. art. 3. Item quodlib. 9. art. 1. & quodlib. 12. art. 2. D. Bonauentura in 1. d. 43. q. 3. Scoti in 2. d. 1. q. 3. Durandi in 1. d. 43. q. 2. quos sequuntur Caietanus 1. p. loco citato, Ferrar. 1. contra gentes cap. 8. Soms, Toletus, Conimbricenses, & alij in præsenti cum Aristotele.

Conclvsio.

Cùm implicet dari distantiam simpliciter infinitam inter duos terminos clausam, non potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem.

Respondeo dicendum, quòd non potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem 2. licèt possit dari infinitum in potentia.

Probatur prima pars conclusionis ratione D. Th. 1. p. quæst. 7. art. 3. in argumento sed contra. Si quæ esset magnitudo, quæ posset esse infinita in actu, esset vel corpus, vel superficies, vel linea: magnitudo enim molis de qua hic agitur, soli conuenit quantitati continuæ, cuius partes communi vinculo copulantur: quantitati enim discretæ potius conuenit multitudo, quàm magnitudo: maximè quantùm ad præsentem materiam de infinito: nec infinita in actu magnitudo potest conuenire omni quantitati continuæ; cùm enim quantitas successiua essentialiter petat, quòd non sit tota simul, sed quòd vna pars succedat alteri, in successiuis non potest esse infinitum in actu secundùm magnitudinem; & ita si quæ posset esse magnitudo infinita in actu, esset quantitas, siue quantum continuum permanens, cuius species sunt tantùm linea, superficies, & corpus: locus enim, vt patebit in Metaphysica, non est species distincta à superficie: sed nullum corpus, nulla superficies, nulla linea, possunt esse infinita in actu secundùm magnitudinem: quia omne corpus ab intrinseco petit terminari, ac proinde finiri superficie; sicut & omnis superficies petit terminari lineâ, & omnis linea puncto, vt communiter docent Philosophi: cùm enim implicet quòd in continuo detur vltima pars, cùm sit indiuisibile in infinitum, necessariò debet terminari aliquo termino extrinseco, vt infra dicetur: ergo non potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm magnitudinem.

Secundò, si daretur magnitudo infinita in actu alicuius corporis, sequeretur quòd posset dari distantia similiter, & in actu infinita, quæ tamen inter duos terminos comprehenderetur, vt patet ex illo principio Geometriæ, scilicet quòd duæ lineæ ab eodem puncto ductæ, quò plus à centro protrahuntur, eò plus distant inter se: vnde si protraherentur in infinitum à tali puncto, infinitè distarent inter se: constat autem quòd datâ magnitudine infinitâ, possent ab vno illius puncto protrahi duæ lineæ in infinitum, cùm extensio illius sit infinita, & ita illæ lineæ distabunt infinitè inter se: ex alia tamen parte talis distantia clauditur & comprehenditur inter illas duas lineas, vt patet, neutram enim excedit; vnde daretur distantia actu simpliciter infinita inter duos terminos clausa: sed implicat quòd detur distantia simpliciter, & in actu infinita, quæ inter duos terminos comprehendatur: nam simul esset infinita ex suppositione; & finita: quòd enim clauditur & comprehenditur inter duos terminos est finitum: ergo non potest supernaturaliter dari infinita in actu magnitudo alicuius corporis. Hæc ratio conuincit etiam non posse dari actu infinitam superficiem, nam super ipsam possent ab eodem puncto protrahi duæ lineæ, & ita sequeretur eadem contradictio; imò nec posse dari lineam infinitam, nam datâ vnâ infinitâ protendens in vnam partem, non videtur obstare quin Deus produceret aliam protendentem in alteram partem, & ita inter illas clauderetur infinita distantia, quod inuoluit contradictionem, vt constat ex dictis. Nec solutio Vasquis effugit difficultatem, quòd scilicet distantia quæcúmque assignabilis inter illas duas lineas esset finita. Nam contra. Infinito in actu repugnat assignare vltimum, vt patet: ergo sicut verè esset magnitudo infinita illa, in qua assignatâ quacúmque extensione, restat alia, & alia in infinitum maior, sic illa distantia inter illas duas lineas esset infinita; quia recedendo à centro, assignatâ quacúmque distantiâ, est assignabilia alia & alia maior in infinitum; & si per impossibile posset deueniri ad finem linearum, distantia inter illas in superiori illa parte, esset actu infinita. Videatur D. Thom. 1. p. loco citato.

Probatur secunda pars conclusionis. Motus cœli, ac proinde tempus potest durare in æternum, vt infra dicetur, & communiter docent Philosophi: sed in tali casu talis motus & tempus essent quid infinitum: non quidem in actu, cùm successiua essentialiter petant, vt non sint secundùm totum in actu, at habeant potentiam permixtam actui, tamen essent quid infini-

tum in potentia: ergo ſupernaturaliter poteſt dari infinitum in potentia.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 1. part. quæſt. 7. art. 3. ad 2. quòd licèt infinitum non ſit contra rationem magnitudinis in communi, eſt tamen contra rationem cuiuſlibet ſpeciei eius, ſcilicet contra rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ, ſiue circularis, vel triangularis, & ſimilium: non autem eſt poſſibile in genere eſſe, quod in nulla ſpecie eſt: vnde non eſt poſſibile eſſe aliquam magnitudinem infinitam, cùm nulla ſpecies magnitudinis ſit infinita. Deinde licèt non implicet dari infinitum ſecundùm magnitudinem ex eſſentia quantitatis, implicat tamen, quia inde conſequuntur inſeparabiliter multæ contradictiones. Ad illud de linea dicendum, quòd licèt factâ ſuppoſitione, quòd daretur linea infinita, eſſet in prædicamento quantitatis: implicat tamen quòd detur: conditio enim nihil ponit in re. Circa quod adhuc ſciendum eſt, quòd cùm dicitur lineam infinitam, ſi daretur, ponendam eſſe in prædicamento, debet intelligi, directè loquendo, inquantum infinitas non eſt contra rationem magnitudinis in communi: indirectè tamen excluderetur à prædicamento, cùm non ſit poſſibile in genere eſſe, quod in nulla ſpecie eſt: & hoc conſtat ex ſolutione D. Thom.

Ad ſecundum dicendum, quòd infinitas, quæ eſt proprietas quantitatis, non eſt infinitas in actu, ſed tantùm in potentia: nam diuiſibilitas importat potentiam, & infinitæ partes, quæ ſunt in continuo, ſunt tantùm in potentia, vt infra dicetur.

Articvlvs V.

Vtrùm poßit ſupernaturaliter dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd poſſit ſupernaturaliter dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem. Ita tenent Oña hic quæſt. 2. art. 3. Vaſques 1. part. diſp. 26. & alij. Probatur. In continuo ſunt infinitæ partes proportionales, vt infra dicetur: ſed Deus poteſt illas conſeruare ſeparatas, cùm nulla ſit ibi, quæ non ſit ſeparabilis ab aliis; nec maior eſt ratio, cur poſſit eas conſeruare vnitas potius, quàm ſeparatas, cùm vniri non ſit de eſſentia ipſarum, aliàs nulla poſſet ſeparari: ergo non ſolùm ſupernaturaliter poteſt dari, ſed de facto datur infinitum in actu ſecundùm multitudinem.

§ 2. Præterea Mundus potuit creari ab æterno, vt infra dicetur, & Deus potuit quolibet anno creare vnum Angelum, aut animam rationalem: ergo ſupernaturaliter potuit dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem: ſi enim mundus fuiſſet ab æterno, iam fluxiſſent infiniti anni, vt patet: & ita cùm Angeli, & animæ rationales ſint incorruptibiles, eſſet infinita multitudo eorum: imò adhuc poteſt dari talis infinita multitudo, nam Deus in quolibet inſtanti vnius horæ poteſt creare vnum Angelum, aut hominem, cùm in quolibet inſtanti ſit in Deo infinita virtus: ſed hoc poſito in fine horæ eſſent infiniti Angeli, aut homines creati, cùm in qualibet hora ſint infinita inſtantia: ergo poteſt ſupernaturaliter dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem.

§ 3. Præterea, Omnes cogitationes & volitiones, quas habituri ſunt Beati per totam æternitatem, nunc coexiſtunt ſimul æternitati, ex D. Th. 1. p. quæſt. 10. & quæſt. 14. art. 13. ſed totales cogitationes & volitiones ſunt infinitæ in actu in tali menſura æternitatis: imò Deus, cùm omnes illas ſimul cognoſcat in ſcientia practica, poteſt omnes ſimul producere, cùm ſcientia practica ſit cauſa rerum; & ita erunt omnes ſimul in actu in propria menſura: ergo poteſt ſupernaturaliter dari infinitum in actu.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. 1. p. q. 7. art. 4. & alibi quem ſequuntur communiter eius diſcipuli Caietanus, Bannes, Nauarrete, Nazarius loco citato & alij pro nobis adducti articulo præcedenti.

Conclvsio.

Cùm impoſſibile ſit aliquid eſſe ſub certo genere quod non ſit ſub certa ſpecie, & infinitas repugnet ſpeciebus multitudinis, non poteſt ſupernaturaliter dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem.

Respondeo dicendum, quòd non poſſit ſupernaturaliter dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem. Probatur 1. de infinito ſecundùm quantitatem diſcretam. (De hoc enim præcipuè agit Ariſtoteles in præſenti.) Implicat dari infinitum actu ſecundùm magnitudinem, vt dictum eſt: ergo etiam implicat dari infinitam actu multitudinem corporum: nam ſi illa crearentur continua vel contigua, ſequeretur idem inconueniens, ſcilicet eſſe diſtantiam infinitam terminis clauſam; poſſent enim ſuper illa corpora continua vel contigua ab eodem puncto protrahi duæ lineæ, quæ, quia protenderentur in infinitum, infinitè diſtarent in ſuperiori parte: & tamen illa diſtantia clauderetur terminis, ſcilicet illis duabus lineis; ac proinde eſſet diſtantia finita ſimul & infinita. Nec ſoluitur argumentum, ſi dicatur quòd Deus crearet illa corpora extenſa quidem in ordine ad locum, ſed tamen cum mutua penetratione, quæ diuinitus eſt poſſibilis. Nam contra. Licèt Deus poſſit creare ſubiectum ſine proprietate, tamen nec diuinitus fieri poteſt vt proprietas eius ei repugnet: ergo cùm extenſio in ordine ad locum cum expulſione alterius ſit proprietas quantitatis, non poteſt illi repugnare; & ſic corpora illa infinita poſſent ita extendi in ordine ad locum, vt quodlibet aliud à ſuo loco expelleret; & ita poſſent ſe non penetrare; vnde cùm illorum productio adiunctâ tali expulſione ſit impoſſibilis, etiam eſt impoſſibilis cum mutua penetratione.

Secundò probatur ratione D. Thom. 1. part. quæſt. 7. art. 4. Omnem multitudinem oportet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis; implicat enim aliquid eſſe ſub certo genere, quòd non ſit ſub certa & determinata ſpecie; ſicut implicat eſſe aliquod animal, quod non ſit rationale vel irrationale: ſed nulla ſpecies multitudinis eſt infinita, ſiue ſit quantitatiua, ideſt, numerus rigoroſè dictus, cùm numerus quilibet eſſentialiter ſit multitudo menſurata per vnum, ita vt vltima vnitas ſit forma ſpecifica numeri: repugnat autem infinito eſſe menſuratum, & habere vltimum, vt per ſe patet: ſiue ſit rerum immaterialium, nam in talibus ſpecies multitudinis ſunt ſecundùm ſpecies numerorum: ergo non poteſt ſupernaturaliter dari infinitum in actu ſecundùm multitudinem. Confirmatur. De ratione numeri eſt, quòd eius vnitates ipſum componentes habeant inter ſe aliquem ordinem; cùm numerus, vt pote ſpecies quantitatis, debeat habere aliquam vnitatem: conſtat autem quòd nullus alius modus vnitatis conuenit illi, niſi vnitas ordinis: ſed hæc vnitas ſolùm poteſt conſiſtere in menſurabilitate ſiue numerabilitate, & hac ſublatâ nulla ſupereſt in eis vnitas ordinis: ergo de ratione numeri eſt hæc menſurabilitas, ac per conſequens quòd ſit multitudo facta, ſiue menſurata per vnum. Hæc autem ratio proportionatè debet applicari numero tranſcendentali, qui licèt non conſtituat vnum per ſe; habet tamen ſuam qualemcúmque vnitatem ordinis, quæ non poteſt cohærere cum infinitate, vt dictum eſt.

Ad primum ergo dicendum, quòd eſt impoſſibile continuum diuidi in omnem ſui partem: nam ſi ſic diuideretur, ſequerentur manifeſtè hæ duæ contradictoriæ, ſcilicet illas partes eſſe indiuiſibiles, quia omnis earum partitio ſupponitur exhauſta; & ſimul eſſe diuiſibiles, quia partes continui non minus ſunt diuiſibiles in alias partes, quàm ipſum continuum. Et ratio eſt, quia indiuiſibilia ſecundùm quòd talia non poſſunt facere vnum diuiſibile, nam ad hoc vt indiuiſibilia vniantur

tur cùm non habeant partes, debent se tangere secundùm se tota,& ita in indiuisibili, ac proinde non facient vllam extensionem. Ex quo sequitur, quòd licèt vniri cum aliis partibus non sit de essentia cuiuscumqoe partis continui præcisè sumpta, est tamen de essentia ipsius, quatenus constituit continuum.

An secundum dicendum, quòd si mundus esset ab æterno, fluxissent infiniti anni, & in quolibet diuisiuè sumpto potuisset Deus produeere vnum, imò & plures Aogelos & homines, non tamen in omnibus collectiuè, nisi destruendo priùs productos ne sequerentur dictæ contradictiones; debet tamen assignari impossibilitas ex parte creaturarum, non autem ex parte Dei, in quo semper est omnipotentia: nec desunt instantiæ, multi enim dicunt Philosophi, quòd si Deus poneret globum perfectè rotundum supra planum perfectum, nec supernaturaliter posset moueri sigillatim per illud: cùm enim solùm posset tangere in puncto, & puncta non sint sibi immediata in plano, ne dicatur quòd tangeret in parte (hoc enim manifestè repugnat contactui globi, & plani perfecti) ideò negant posse sigillatim moueri, cùm tamen perfecta rotunditas, & perfecta planities videantur conducere ad talem motum. Et similiter dicendum ad illud de instantibus vnius horæ, maximè quia cùm instantia infinita vnius horæ fluant confuso quodam & perturbato modo, non potest singulis determinatus effectus correspondere, aliàs distinctè, & determinatè fluerent. Deinde illa instantia sunt tantùm infinita in potentia, quia ratione horæ, in qua sunt inclusæ, terminantur. Denique in illis non datur primum neque vltimum; vnde implicat quòd successiuè percurrantur, & quòd in quolibet ex illis successiuè & collectiuè sumptis vnus Angelus aut homo producatur.

Ao tertium dicendum, quòd ea, quæ coëxistunt nostro tempori, sunt simpliciter simul, & in actu: & ita implicat infinitam multitudioem nostro tempori coëxistere; quæ verò coëxistunt in nunc æternitatis, non sunt simpliciter simul, sed solùm cum addito, scilicet simultate in nunc æternitatis; quia res quamtumuis essentialiter soccessiuæ, & quæ simpliciter loquendo nequeunt esse simul, possont tamen coëxistere simul in æternitate: nam cùm sit mensura superior indiuisibilis & tota simul, comprehendit omnem differentiam temporis: vnde possunt aliqua simpliciter manere infinita infinitate in potentia, & simul esse præsentia in æternitate: vnde dicendum, quòd illæ infinitæ cogitationes & volitiones Beatorum non desinunt esse infinitæ in potentia, per hoc, quòd simul coëxistant in æternitate, sicut nec futura desinunt esse in se futura, per boc quòd existant in æternitate: si autem illæ cogitationes essent simul in propria mensura, essent infinitæ in actu, & continerentur actu in specie numeri, quòd implicat: quandò autem dicitur quòd Deus potest efficere quidquid cognoscit per scientiam practicam, debet intelligi, quòd potest efficere eo modo, quo illud esse factibile cognoscit, non autem est necesse, vt efficiat secundùm eum modum, quem habent in esse obiectiuo; Deus autem non cognoscit infinitas cogitationes simul esse possibiles, vnde nec simul omnes illas potest efficere; & similiter dicendum de creaturis possibilibus, quarum multitudo est infinita in potentia tantùm.

Articvlvs VI.

Vtrùm possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem?

AD sextvm sic proceditur. Videtur quòd possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem. Probatur. Quæ non opponuntur, non se impediunt inuicem: sed gradus intensionis qualitatum non opponuntur, alioquin qualitates non possent intendi: ergo positâ quacumque intensione finitâ, possent qualitates in iofinitum vlterius intendi actu; ac proinde potest dari infinitum actu secundùm intensionem.

§ 2. Præterea, Gratia potest esse infinita secundùm intensionem: nam primò noo limitatur necessariò ex parte Dei infundentis, cùm Deus sit infinitæ virtutis; nec limitatur ex sua ratione specifica, cùm sit participatio infinitæ naturæ Dei infinitè participabilis, vnde est possibilis infinita eius participatio; nec denique limitatur ex parte subiecti, cùm illam recipiat secundùm potentiam obedientialem secundùm se infinitam, vt pote proportiooatam ipsi Deo agenti & formæ receptibili; imò ipsum subiectum, quò magis participat de gratia, est magis aptum ad vlteriorem participationem: ergo potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem.

§ 3. Præterea, Gratia Christi Domini de facto est infinita secundùm intensionem, vt constat ex illo Ioannis 3. non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio: & ratio suadet, nam talis gratia se extendit ad iustificandos infinitos homines, si essent; ex D.Thom.3.part. quæst.7. art.11. quòd autem se extendit ad effectum infinitum, est actu infinitum. Deinde est absurdum asserere gratiam puræ creaturæ posse pertingere ad perfectionem gratiæ Christi, quod indicat ipsam esse actu infinitam: ergo potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem: nam ab actu ad potentiam valet consequentia.

Sed contra est autboritas D. Thom. 3. part. quæst.7. art.11. quem communiter sequuntur eius discipuli, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm intensio conueniat qualitatibus per ordinem ad subiectum, & nullum subiectum sit capacitatis actu infinitæ, vt pote quid creatum; non potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem.

Respondeo dicendum, quòd non potest supernaturaliter dari infinitum in actu secundùm intensionem. Probatur ratione D. Thomæ loco citato tertiâ parte. Intensio conuenit qualitatibus per ordinem ad subiectum; siue fiat per additionem gradus ad gradum, vt tenent Scotus & alij; siue fiat per maiorem radicationem in subiecto, vt tenet schola Thomistica, & infra dicetur in libris de generatione: ergo non potest dari supernaturaliter qualitas infinitæ actu intensionis, quia subiectum illius debet esse substantia creata; constat autem quòd substantia creata, cùm sit finita, habet tantùm capacitatem finitam: ex alia parte, forma noo potest recipi vltra capacitatem subiecti, cùm debeant inter se proportionari actus, & potentia, siue actuatio actiua formæ, & actuatio passiua subiecti: & hæc proportio est essentialis, & indispensabilis, vt ex se patet; ac proinde qualitas debet necessariò recipi finitè & limitatè: & ita non potest esse infinitæ actu intensionis. Confirmatur & declaratur. Cùm esse accidentis sit inesse, necessariò debet commensurari & proportionari subiecto, cui inest, id est, debet recipi in subiecto secundùm illam, & non maiorem intensionem ad quam subiectum est capax, iuxta illud, omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: manifesta enim apparet implicantia in terminis, posse aliquid recipi in aliquo subiecto vltra potentiam & capacitatem receptiuam illius, cùm per illam & secundùm illam debeat recipi: sed quælibet substantia creata, quæ sola potest esse subiectum formæ intensibilis, habet capacitatem finitam & limitatam recipiendi, cùm ipsa sit finita; potentia enim, & capacitas ad aliquid reale, non excedit subiectum, cuius est: ergo omnis forma intensibilis debet recipi finitè & limitatè; ac proinde non potest esse infinita actu secundùm intensionem.

Ao primum ergo dicendum, quòd infinitas actualis secundùm intensionem opponitur qualitati: primò quia tollit ab ea rationem accidentis, vt dictum est: secundò,

quia tollit necessariam proportionem, quæ debet esse inter formam & subiectum.

A D secundum dicendum, quòd intensio infinita repugnat gratiæ ex parte ipsius, non quidem secundùm speciem suam consideratæ, sed secundùm rationem indiuidualem, siue vt respicit subiectum: nec probatio aliud concludit, quàm intensionem gratiæ esse infinitam in potentia, per hoc quòd non possit ita intendi à Deo, quin ampliùs & ampliùs sit intensibilis: sicut licèt collectio creaturarum sit participatio esse infiniti Dei, non tamen sequitur dari creaturam infinitè perfectam actu, sed tantùm sequitur, quòd quauis datâ, quæ semper erit finita, potest alia & alia perfectior dari: nec potentia obedientialis est simpliciter infinita, quamuis respiciat agens infinitæ virtutis supernaturale.

A d tertium dicendum cum D. Thom. 3.p.q.7. art.11. gratiam Christi esse finitam in ratione entis, & qualitatis, & consequenter secundùm physicam intensionem: dicitur tamen infinita in esse gratiæ, inquantùm est gratia capitis, & quantùm est in se, potens influere ad gratificandos infinitos homines, si essent, & se extendens ad omnem effectum gratiæ propter infinitam dignitatem & efficaciam, quam habet, ex hoc quòd sit gratia Christi, personæ scilicet diuinæ, ac infinitæ: illud verò testimonium Ioannis, vel intelligitur de dono, quod Deus ab æterno dedit Filio, scilicet de diuina natura, quæ est donum infinitum; vel de dono, quod in tempore concessit humanæ naturæ, scilicet in hoc quòd est vniri diuinæ personæ, quod etiam est donum infinitum, ratione personæ vnitæ; vel tandem de gratia habituali, quæ in Christo non dicitur esse ad mensuram; quia se extendit ad omnes effectus gratiæ, quod non est in aliis Sanctis ob dictam rationem: non quòd sit infinita secundùm intensionem physicam: gratia verò cuiuslibet alterius hominis comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad vniuersalem: licèt autem id, quod est minus possit peruenire per augmentum ad quantitatem maioris in his quæ habent quantitatem vnius rationis, non tamen in aliis: & ideo non est mirum, quòd gratia cuiusuis alterius hominis semper sit infra gratiam Christi; licèt tantam haberet intensionem physicam, quantam gratia Christi: hæc enim habet infinitatem moralem iam dictam.

Articvlvs VII.

Vtrùm infinitum posit esse maius alio?

AD Septimvm sic proceditur. Videtur quòd vnum infinitum non possit esse maius alio. Ita tenent aliqui, & probabile esse docent Conimbricenses in præsenti quæst. 2. art. q. ad 2. Probatur. Infinitum, vt sic, petit vt à nullo alio excedatur, aliàs ex qua parte ab alio excederetur, iam haberet terminum, & finem, quia ibi desineret, & aliud vlterius progrederetur, & sic non esset infinitum. Explicatur hoc exemplo. Detur corpus infinitæ magnitudinis, si illud ab alio corpore infinito excedatur, iam corpus excedens occupabit maius spatium, quàm illud, quod exceditur: nam hoc vltimum ibi sistit, vbi aliud incipit vlterius tendere, & maiorem occupare locum, ac proinde erit simul infinitum, & finitum: infinitum vt supponitur, & finitum, quia habet terminum suæ extensionis: ergo vnum infinitum non potest esse maius alio.

¶ 2. Præterea, Si vnum infinitum esset maius alio, vel hoc esset excessu finito, vel infinito: non primum, cùm infinitum vt sic importet infinitatem; & ita si esset maius alio, hoc non erit excessu finito: non secundum, quia si talis excessus est infinitus, sequitur quòd illud infinitum, quod exceditur, non sit infinitum, cùm desit illi id, in quo, & per quod exceditur, quod est ipsamet infinitas: ergo vnum infinitum non est maius alio.

¶ 3. Præterea, De ratione numeri infiniti, est quòd includat omnes species possibiles numerorum, v. g. quòd contineat infinitos binarios, ternarios, &c. aliàs si binarij, aut ternarij non essent infiniti, diuiso illo numero in diuersos binarios, aut ternarios finitos, tandem exhauriretur; quod est contra rationem numeri infiniti, à quo quantumcúmque demas, semper restar aliquid accipiendum ex Aristotele: sed quod vnus numerus includat omnes species possibiles numerorum, necessariò importat, quòd non excedatur ab alio simili: ergo si quilibet includit omnes species possibiles numerorum, nihil restat, per quod vnus excedatur ab alio: ergo vnum infinitum non potest esse maius alio.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. 3. p. quæst. 10. art. 3. ad 3. quem communiter sequuntur eius discipuli, Caietanus ibidem, Ferrariensis 2. contra gentes cap. 38. Soncinas, Masius, nostri Complutenses in præsenti, multi etiam extra eius scholam, Gregorius in 2. d. 42. q. 4. Gabriel ibid. dist. 2. q. 3. ad 1. Vasques 1.p.q.7. Ruuius hîc &c.

Conclvsio.

Si infinitum sumatur secundum rationem formalem infinitatis, vnum non potest esse maius alio, bene tamen si materialiter sumatur.

Respondeo dicendum, quòd si infinitum sumatur secundum rationem formalem infinitatis, vnum non potest esse maius altero. 2. Si autem sumatur materialiter, vnum infinitum secundùm multitudinem potest esse maius alio, inquantum plus materiæ continerer. 3. In quantitate verò continua, licèt vna linea, vel superficies infinita, si daretur, posset ratione materiæ esse maior, quàm alia simpliciter infinita. 4. Nullum tamen corpus infinitum potest excedi ab alio. Ad cuius euidentiam sciendum est infinitum posse sumi dupliciter. Primò materialiter, id est pro rebus, ex quibus componitur, vt vnitatibus, si sit discretum: vel quantitate, & dimensionibus eius, si sit continuum. Secundò formaliter, id est, pro ipsa ratione formali infinitatis in hoc posita, quòd carendo terminis procedat in infinitum.

Probatur prima pars conclusionis, quam communiter docent omnes Philosophi. Infinitum formaliter sumptum explicatur per negationem, quòd sit illud, quòd caret terminis: sed in hoc, quod est terminis carere, nullus potest esse excessus; quia quodlibet infinitum, vt sic, debet omnino carere terminis intrinsecis ipsum finientibus & limitantibus: ergo in ratione formali infinitatis, vnum infinitum non potest excedere aliud, siue esse maius alio. Confirmatur. Ratio formalis infinitatis consistit in indiuisibili, nec suscipit magis & minus; quia carere termino intrinseco, quod est ratio formalis infinitatis, consistit in indiuisibili; nam si minimum de termino adesset, iam non esset infinitas: sed in his quæ consistunt in indiuisibili non datur maius, aut minus, cùm hæc importent excessum, qui non reperitur, si non sit aliqua latitudo: ergo vnum infinitum non potest esse maius alio, si considerentur secundùm rationem formalem infinitatis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thomæ 3. part. quæst. 10. art. 3. ad 3. vbi sic ait. *Hoc etiam videmus in numeris accidere, nam species numerorum parium sunt infinitæ, & similiter species numerorum imparium; & tamen numeri pares & impares sunt plures, quàm pares:* Et paulò infra ait, *Per hunc igitur modum infinita sunt in potentia creaturæ; & tamen plura sunt in potentia Dei, quàm in potentia creaturæ: & similiter anima Christi scit infinita scientiâ simplicis intelligentiæ, plura tamen scit Deus secundùm hunc scientiæ modum*, Ex qua authoritate sic formatur ratio. Si daretur actu numerus infinitus compositus

ſitus ex infinitis numeris paribus & imparibus; tunc compararetur per modum totius reſpectu prædictorum numerorum parium & imparium; hi verò compararentur per modum partis reſpectu illius: ſed lumine naturali eſt euidens, quòd totum eſt maius ſuâ parte: ergo ille numerus totalis eſſet maior ex parte materiæ, quàm infiniti illi numeri pares vel impares. Confirmatur. Si actu eſſent infiniti homines, patet ad ſenſum quòd plures eſſent digiti, quàm homines, & multò plures capilli: nam quilibet homo haberet decem digitos, & multo plures ſine comparatione capillos: ergo numerus infinitus digitorum & capillorum eſſet maior materialiter, quàm numerus infinitus hominum. Nec valet reſponſio Conimbricenſium, quòd ſcilicet hoc principium, omne totum eſt maius ſuâ parte, eſt tantùm verum in rebus finitis: non autem in infinitis. Nam contra. Omne quod includit, quidquid aliud includit, & aliquid amplius; neceſſariò eſt maius illo, vt ex ſe patet: ſed omne totum, ſiue finitum, ſiue infinitum, continet quamlibet ſuam partem,& aliquid amplius, ſcilicet alias partes: ergo omne totum, ſiue finitum, ſiue infinitum eſt maius ſuâ parte.

Probatur tertia pars concluſionis. Dentur duæ lineæ protenſæ in infinitum versùs orientem & occidentem, vni ex illis poſſet fieri additio partium versùs meridiem: ſed in tali caſu, eſſet maior alia ratione materiæ. Item ſi darentur duæ ſuperficies infinitæ, vni ex his poſſet fieri additio ſecundùm profunditatem: ſed tunc plus materiæ haberet, quàm alia: ergo vna linea,vel ſuperficies infinita,ſi daretur,poſſet ratione materiæ eſſe maior, quàm alia ſimpliciter infinita.

Probatur quarta pars concluſionis. Quoduis corpus infinitum debet infinitè protendi versùs omnem dimenſionem, ſiue poſitionem, vt conſtat; aliàs cùm corpus eſſentialiter dicat has tres dimenſiones, ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, niſi infinitè protenderetur versùs omnem, non eſſet corpus ſimpliciter infinitum, ſed tantùm ſecundùm quid, id eſt, ſecundùm aliquam ex illis dimenſionibus: ergo quoduis corpus infinitum debet occupare omne excogitabile ſpatium: vnde eſt impoſſibile dari aliud corpus quod ſit maius: imò, vt optime colligit D. Thom. dato vno corpore infinito, eſt impoſſibile dari aliud, etiam finitum: nam illud infinitum, ſicut repleret omne ſpatium imaginabile, ſic haberet omnem imaginabilem quantitatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd antecedens eſt falſum, ſi procedat de infinito materialiter conſiderato: vnde ad probationem dicendum, quòd infinitum v. g. ſecundùm numerum ſolùm petit non habere terminos intrinſecos, ſcilicet primam & vltimam vnitatem, & in hoc non poteſt excedi: poteſt tamen habere terminum extrinſecum, inquantum ſcilicet non habet tantam materiam, ac aliud, & in hoc poteſt excedi, quòd tamen non præiudicat rationi infinitatis, quæ ſolùm excludit terminos intrinſecos, & hoc patet, nam cogitationes, quas habiturus eſt quilibet Beatus per totam æternitatem, ſunt futuræ infinitæ,& tamen eſt manifeſtum, quòd omnes cogitationes omnium Beatorum plures ſunt materialiter, quàm ſolæ cogitationes vnius Beati. Ad exemplum allatum patet ex dictis in quarta parte concluſionis.

Ad ſecundum dicendum, quòd talis exceſſus poteſt eſſe finitus, vel infinitus: de infinito exceſſu, patet in exemplò de cogitationibus Beatorum: de finito etiam patet, ſi darentur duo numeri infiniti Angelorum, & Deus deſtrueret centum ex vno: nec probationes vrgent, quia non eſt ibi exceſſus in ratione infinitatis, ſed ſolùm in ratione materiæ: nam vtrúmque infinitum habet infinitatem, ita vt nulli aſſignetur primum, aut vltimum, licèt vnum includat maiorem finitè, vel infinitè materiam, quàm aliud.

Ad tertium dicendum, quòd maior eſt falſa: nam numerus conſtans ex ſolis binariis infinitis, verè eſſet numerus infinitus: & ſimiliter numerus conſtans ex binariis ſimul, & ternariis infinitis, eſſet numerus infinitus, maior materialiter præcedenti: ſed minor alio, qui conſtaret non ſolùm binariis, & ternariis, ſed etiam quaternariis, quinariis, & ſenariis infinitis.

LIBER

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

Summa Textus.

POSTQVAM Aristoteles libro præcedenti egit de motu prima & potissima proprietate entis naturalis, agit in hoc de quibusdam concomitantibus motum: nam motus exercetur in loco, & mensuratur tempore: propterea hîc agit primò de loco, secundò de vacuo; tum quia est locus, licèt non repletus corpore, tum vt ostendat ipsum non posse concomitari motum. Tertiò tandem agit de tempore. Diuidit hunc librum in viginti capita. In 1. ostendit pertinere ad Physicum agere de loco. In 2. quærit an sit locus. In 3. affert quasdam dubitationes de quidditate, sea genere loci. In 4. quærit an locus sit materia & forma. In 5. inquirit an idem sit in seipso, & an locus sit in loco. In 6. ostendit quid sit locus, & affert eius definitionem, scilicet locus est terminus continentis, immobilis, primus: quæ sic communiter exponitur, locus est superficies vltima corporis continentis, immobilis, primi. In 7. multa ex dictis infert corollaria, vt quomodo conueniat vltima sphæra esse in loco. In 8. incipiens agere de inani, siue vacuo, quærit an detur in natura, refert varias Philosophorum opiniones, & earum fundamenta. In 9. definit vacuum esse locum priuatum corpore. In 10. soluit rationes aduersariorum, quibus probatur dari vacuum. In 11. ostendit vacuum non esse separatum à corporibus. In 12. autem dicit vacuum non esse occupatum aliquo corpore. In 13. probat non esse vacuum in corporibus. In 14. incipit agere de tempore, & proponit quasdam dubitationes de quæstione, an sit tempus. In 15. refert varias opiniones de natura & essentia temporis. In 16. definit tempus, quòd sit numerus motus secundùm prius & posterius. In 17. agit de momento, siue instanti. In 18. agit de diuersis temporis attributis, siue proprietatibus. In 19. ostendit quæ sint, vel non sint in tempore, & explicat aliqua aduerbia temporis, scilicet Nunc, Aliquando, Iam, Nuper, Olim, Subito; & dicit tempus potius esse causam interitus, quàm ortus, & renouationis rerum. In vltimo agit de temporis vnitate, docens vnicum esse tempus, tam specie, tum numero, quo omnes motus mensurantur, & est numerus motus primi mobilis.

QVÆSTIO XIX.

De Loco.

QVIA ens mobile obiectum Physicæ, ratione sui est in loco, mensuratur verò tempore ratione motus; ideò Philosophum recto procedentem ordine imitando, prius de loco, quàm de tempore agimus: circa locum autem quæruntur septem.

¶ Primò, Vtrùm locus sit in rerum natura?

¶ Secundò, Quid sit locus?

¶ Tertiò, Vtrùm locus includat intrinsecè immobilitatem?

¶ Quartò, Vtrùm locus naturalis addat supra rationem loci qualitatem conseruatiuam locati?

¶ Quintò, Vtrùm prima sphæra sit in loco?

¶ Sextò, Vtrùm duo corpora possint diuinitus esse in eodem loco?

¶ Septimò, Vtrùm vnum & idem corpus possit esse circumscriptiuè in duobus locis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm locus sit in rerum natura?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd locus non sit in rerum natura. Probatur. Cùm omne quod est, sit in loco; si locus sit aliquid, erit in loco, & ille locus in alio loco, & sic in infinitum, quod est ridiculum: ergo locus non est in rerum natura.

§ 2. Præterea, Si locus sit, vel est substantia corporea, vel accidens corporeum, vt constat: sed non est substantia corporea, aliàs cùm locus, & res locata debeant esse simul, sequeretur quòd duo corpora essent simul naturaliter, quod est impossibile: nec est accidens corporeum, cùm non denominet subiectum, in quo est, quod tamen conuenit omni accidenti; sed potius denominat subiectum, quod in ipso est: ergo locus non est in rerum natura.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis & D.Th. hîc lectione 5. & opusculo 52. quos sequuntur non solùm omnes Philosophi, sed & omnes homines, vt constat ex communi modo loquendi.

CONCLVSIO.

Cùm experientia, & communis modus loquendi testetur mutari corpora secundùm locum, necessariò sequitur esse locum in rerum natura.

RESPONDEO dicendum dari locum in rerum natura. Ad cuius euidentiam sciendum est Locum, & Vbi, non distingui materialiter, vt dicetur infra in Metaphysica, sed solùm formaliter ratione connotati: nam locus necessariò tantùm dicit aptitudinalem continentiam locati, Vbi verò, dicit actualem: vnde infertur, Vbi, non esse quemdam modum intrinsecum locato, acquisitum per motum localem, vt suo loco dicetur: certum enim est in sententia eorum, qui ponunt Vbi esse illum modum intrinsecum locato, Locum, & Vbi realiter distingui; nec hoc indiget multâ probatione, nam Locus est quid extrinsecum locato, vt statim patebit; Vbi autem ponitur ab illis intrinsecè in re locata. Deinde locatum est in Loco, ab illis autem econtra ponitur Vbi esse in locato.

Probatur conclusio ratione D.Th. Ex mutatione, quæ fit secundùm formas substantiales, necessariò colligitur dari vnum primum subiectum, quod omnibus illis formis subsit, & in quo prædictæ formæ sibi succedunt, quod subiectum est materia prima: ergo ex mutatione corporum secundùm locum (constat enim experientiâ, quòd vnum corpus desinit esse hîc, & est alibi; & vbi prius erat vnum, aduenit aliud) debet colligi quòd de-

tur

tur aliquod commune receptaculum corporum, quod vocatur locus, extrinsecum ipsis corporibus, vbi moueantur localiter. Confirmatur. Patet ad sensum corpora naturalia diuersis motibus moueri: ergo sunt diuersa loca; nam quodliber corpus mouetur ad suum locum naturalem, tanquam in suum finem, vt in eo recipiatur, & conseruetur: constat autem quòd diuersi motus locales postulant diuersa loca.

Ad primum ergo dicendum, quòd cùm locus sit superficies vltima corporis continentis, non est primò, & per se in alio, tanquam in loco: nam esse in loco primo & per se tantùm conuenit substantiis, & adhuc corporeis: si intelligatur de loco circumscriptiuo: vnde locus primò & per se est in alio, tanquam in subiecto; scilicet in corpore, cuius est superficies: est autem secundariò, & ratione corporis in eodem loco, in quo est tale corpus: omne autem corpus est in loco, quia circumscribitur superficie alterius corporis: sola vltima sphæra quæ est primus, & communis omnium corporalium locus, non est in loco secundùm se totam, sed solùm secundùm partes: & ita non datur processus in infinitum.

Ad secundum dicendum cum D.Th.in 2. dist. 12. quæstione vnicâ art.5.ad 2.quòd accidentia quædam denominant illud, in quo sunt, sicut albedo, & similia, quæ esse primum consequuntur, vt figura, quantitas, & huiusmodi: quædam etiam denominant illud, in quo non sunt, vt in subiecto, sicut locus, & tempus: ratio huius est, quia ista sunt mensuræ extrinsecæ; ac proinde, cùm habeant suum effectum in materia externa, quam mensurant, ideo illam denominant: quamuis etiam sub alia ratione, inquantum scilicet sunt accidentia, denominent subiectum, in quo sunt: nam locus, vt est superficies corporis, denominat corpus extensum, scilicet bicubitum, &c. Similiter tempus, non solùm numerat motus inferiores, sed etiam motum primi mobilis, in quo subiectatur, & denominat esse tantùm, v.g. vnius horæ, vnius diei, vnius mensis, anni, sæculi, &c.

ARTICVLVS II.

Quid sit Locus?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd locus sit illud spatium imaginarium, in quo quasi penetratiuè est locatum: & ita locus terræ nihil est aliud, quàm spatium illud, in quo sunt condita, siue illud interuallum, quod est inter latera aquæ continentis terram, & quod remaneret, licèt terra destrueretur. Ita aliqui antiqui, quod esse probabile tenent Toletus hic quæst.3. & Conimbricenses cap.5. q.1. art. 2. Alij autem conueniunt in principali, sed dicunt hoc spatium non esse imaginarium, sed verum & reale, & esse corpus constans tribus dimensionibus; licèt sit immateriale carens materiâ & formâ: vt sic cum omnibus penetretur. Ita tenent Stoici, multi Platonici, quod ita probabile censet Masius hic cap.4.sect.1.quæst.3.vt dicat se libenter manibus, pedibúsque ligatis in hanc sententiam abiturum, nisi ad oppositum authoritas Aristot. & D. Thom. compelleret. Probatur. Tali spatio conueniunt affectiones, siue proprietates loci, nam continet locatum, est illi æquale, habet immobilitatem, &c. vt patet consideranti: ergo tale spatium est locus: cui enim conueniunt proprietates alicuius, conuenit etiam ratio essentialis.

¶ 2. Præterea, Si daretur vacuum, posset in eo dari motus localis, vt communiter docent Philosophi, ergo ibi esset transitus de loco in locum, illum enim essentialiter importat motus localis: sed in tali casu non esset alius locus præter illud spatium imaginarium: ergo hoc spatium est locus.

¶ 3. Præterea, Si annihilaretur aqua, adhuc maneret terra in suo loco naturali, quia remaneret in eodem spatio, in quo nunc est: similiter si cœlum & terra tantùm remanerent, annihilarentur autem corpora intermedia, tantumdem distarent cœlum & terra, ac nunc distant: ergo talis distantia consisteret in loco intermedio; sed nullus alius esset præter spatium imaginarium: ergo locus est tale spatium imaginarium.

SED CONTRA est expressa authoritas Arist.in præsenti, & D.Th.lect.6. quos communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm proprietates loci tantùm conueniant superficiei vltimæ corporis ambientis, locus nihil est aliud, quàm dicta superficies.

RESPONDEO dicendum, quòd locus non est prædictum spatium, & interuallum, siue imaginarium 2. siue verum, & reale 3. sed est superficies vltima corporis continentis, siue ambientis. Ad cuius euidentiam sciendum est de ratione loci esse non quamcúmque superficiem, sed immediatam locato; quæ diuerso respectu potest dici prima, vel vltima, vt patet ex ipsa loci definitione tradita ab Aristot.& ratio est manifesta; quia hic non est sermo de loco communi, qualis est aula respectu moltorum existentium in ea, sed de loco particulari & proprio cuiusque locati: constat autem quòd locus proprius & patticularis importat superficiem immediatam, & primam ambientem illud; nam ideò superficies concaua Lunæ dicitur esse locus proprius ignis, & non aëris, quia immediatè ambit illum, & non istum: & ideo istius solùm est locus communis, quatenus ambit ignem ambientem aëre: & ita locus est superficies prima & immediata locato. Confirmatur. Ex D.Thom.locus ab intrinseco petit esse æqualem locato, ita vt æqualitas proxima sit eius proprietas: sed si non esset superficies prima & immediata, non esset sic æqualis: nam superficies, quæ mediatè continet aliud corpus, est necessariò maior, quàm locatum mediatè contentum, vt patet: ergo locus ab intrinseco dicit superficiem primam & immediatam. Ex quo infertur corpus ambiens esse maius locato; non autem superficiem immediatam, quæ tantùm ambit (vt quo) siue vt ratio continendi: si comparetur locato ratione superficiei conuexæ eius, cùm enim istæ duæ superficies, scilicet concaua locantis, & conuexa locati se tangant in indiuisibili secundùm profunditatem necessariò debent esse æquales: corpus verò locatum continetur (vt quod,) prima autem eius superficies continetur (vt quo) siue vt ratio continendi passiuè: vnde licèt continens (vt quod) sit maius contento (vt quod:) non tamen continens (vt quo) est maius contento (vt quo) omnino enim inter se commensurantur.

Probatur prima pars conclusionis. Corpora naturalia naturali inclinatione mouentur in suum locum naturalem, vt constat experientiâ in grauibus & leuibus, ista enim tendunt sursum, illa verò deorsum nisi impediantur, & quantùm possunt nituntur, vt impedimenta remoueant, quod demonstrat in eis esse naturalem inclinationem ad sua loca: ergo locus est aliquid reale; nulla enim res creata in ipsum nihil naturaliter inclinatur. Deinde locus naturalis est conseruatiuus locati, vt patet in piscibus, qui conseruantur in aqua, & moriuntur, si inde extrahantur: sed aliquid imaginarium non conducit ad conseruationem locati, cùm conseruari sit verè effectus realis, ac proinde procedens à vera causa reali; nunquam enim effectus est perfectior suâ causâ principali: ergo locus non est spatium imaginarium. Denique locatum verè continetur à loco: sed nihil verè continetur ab aliquo purè imaginario, cùm à parte rei non sit: ergo locus non est spatium imaginarium.

Probatur secunda pars conclusionis ratione desumptâ ex D. Thom. opusc. 52. & ex Aristotele in præsenti. Si daretur tale spatium reale, quod dicitur esse locus; vel esset substantia corporea, vel incorporea; vel accidens corporeum, vel spirituale separatum à substantia, vt constat ex sufficienti enumeratione entium realium: sed nullum istorum est: non substantia corporea, cùm hæc semper habeat suam quantitatem, ac proinde esset impenetrabilis cum locato, & ita illud excluderet, cuius oppositum apparet: deinde omnis substantia corporea & quanta est in loco: & sic locus esset in loco, &

& hic rurſus in alio, & ſic in infinitum: nec ſubſtantia incorporea, & ſpiritualis: cùm talis ſubſtantia non ſit realiter longa, & lata, ſicut debet eſſe locus rerum corporeatum; nec per accidens, ſiue corporeum, ſiue ſpirituale ſeparatum; cùm non poſſit dari accidens naturaliter ſeparatum à ſubiecto, eſt enim eſſentialiter entis ens. Deinde dato, ſed non conceſſo, hoc impoſſibili: ſi tale ſpatium eſſet accidens corporeum, deberet eſſe quantitas, cùm habeat trinam dimenſionem: & ſic impediret ne ibi eſſet locatum, cùm quantitas ſit naturaliter impenetrabilis; non autem poteſt eſſe accidens ſpirituale, quia accidens ſpirituale eſt omnino indiuiſibile, ſiue inextenſum: & ſic oon poteſt eſſe proportionatum ad recipiendum in ſe locatum; & ad hoc vt cum illo omnino commenſuretur; ita vt pars loci correſpondeat parti locati: ergo locus oon eſt ſpatium reale.

Probatur tertiâ pars concluſionis ratione Ariſtotelis, & D. Thom. hîc lect. 6. Locus non eſt aliquid ex ſupra aſſignatis, vt probatum eſt, nec eſt materia aot forma, aot accidens intrinſecum locato, cùm locus & locatum mutuò ſeparentur: non enim locus pendet ab boc locato, vel econtra; & hæc ſeparatio fit abſque mutatiooe Intrinſeca locati: ergo locus eſt vltima ſuperficies corporis ambientis; non enim ſupra dictis reiectis poteſt aliud aſſignari. Deinde cui conueniunt proprietates loci, conuenit & eſſentia, ſiue ratio loci, proprietates enim fluunt ab eſſentia, nec poſſunt naturaliter ſeparari ab eſſentia: ſed proprietates loci conueniunt vltimæ ſuperficiei corpotis ambientis, proprietates enim loci communiter aſſignantur, ſcilicet eſſe æqualem locato, illud circunſcribere, & vndequáque illud tangere; hæc autem omnia conueniunt ſuperficiei vltimæ corporis ambientis: nam ex qua parte eſt indiuiſibilis ſecundùm profunditatem, poteſt tangere locatum, quod noo poſſet ſi non haberet hanc indiuiſibilitatem; quia nequeunt duo corpora ſecundùm profunditatem ſe tangere, niſi ſit aliqua penetratio, quæ naturaliter eſt impoſſibilis: ex qua verò parte eſt longa, & lata, poteſt vndequáque ambire, & circumſcribere locatum: ergo locus eſt ſuperficies vltima corporis continentis, ſiue ambientis.

Ad primum ergo dicendum, quod ſi illud ſpatium eſt imaginarium, nec continet locatum, nec eſt illi æquale, nec eſt immobile, cùm nihil ſit: ſi autem eſſet ſpatium reale, potiùs escluderet, quàm contineret locatum.

Ad ſecundum dicendum, quòd corpus poſſet moueri in vacuo, ſi Deus ſuppleret infloſum cœlorum; quia licèt non eſſet In loco particulari, tamen eſſet in loco communi; & ſic moueretur ad boc, quòd eſt eſſe in vna parte loci communis, ad eſſe in alia, vt infra dicetur.

Ad tertium dicendum, quòd in tali caſo terra non haberet locum particularem: ſed tantùm contineretur loco communi, ſcilicet cœlo, & aliis duobus elementis: quia tamen non ambitent illam immediatè, iden terra non eſſet in ſuo loco naturali. Ad aliud dicendum, quòd terra: quia remaneret in loco communi per ordinem ad primum continens, poſſet habere habitudinem tantæ diſtantiæ ab illa; non quidem poſitiuæ, ſed negatiuæ: vnde ſpoſſent tot corpora creari ioter vtrúmque, quot antea erant.

Articvlvs III.

Vtrùm locus includat intrinſecè immobilitatem?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd locus non includat intrinſecè immobilitatem. Probatur. Locus vt dictum eſt, eſt ſuperficies corporis continentis, ſed talis ſuperficies non eſt immobilis, vt patet experientiâ: ergo locus non includit intrinſecè immobilitatem. Si dicatur quòd ſufficit remanere eamdem relationem diſtantiæ in variis ſuperficiebus ſibi ſuccedentibus. Contra. Illa diſtantia eſt accidens ſuperficiei: ergo eſt impoſſibile moueri ſuperficiem immotâ illâ diſtantiâ. Deinde non erit eadem numero diſtantia: aliàs idem accidens mutaret ſubiectum: ergo nec idem locus.

¶ 2. Præterea, Si locus eſſet immobilis, maximè propter eamdem diſtantiam ad polos mundi: ſed hæc non facit locum immobilem. Primò, quia ſi manente aliquo corpore fixo cum ſoperficie ambiente, Deus moueret totum cœlum verſus orientem motu recto, tunc illud corpus haberet aliam diſtantiam ad polos mundi, ſiue ad puncta fixa, & tamen maneret immotum. Secundò, quia illa puncta fixa ſunt quid imaginarium, ac proindę non poteſt ab illis deſumi vera relatio realis diſtantiæ: & ita locus non eſt immobilis ob illam relationem. Tertiò, quia ſi Deus elenaret totum globum mundi cum omnibus corporibus ſimul, tunc omnia corpora retinerent eamdem diſtantiam ad polos mundi, vt patet; & tamen mutarent locum: ergo locus non includir intrinſecè immobilitatem.

¶ 3. Ptæterea, Si locus intrinſecè includat immobilitatem, ſequitur idem accidens corruptum poſſe naturaliter reparari: nam ponatur caſus quòd Deus corrumpat aërem ambientem Romam, tunc eius locus corrumperetur: poſſet autem naturaliter extendi aër, & iterum ambire Romam, & tunc locus eius repararetur: ſed eſt contra communem doctrinam dicere, quòd idem accidens corruptum poſſit naturaliter reparari: ergo locus non includit intrinſecè immobilitatem, ſed tantùm dicit vltimam ſuperficiem corporis ambientis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Philoſophi, & D. Thom. quos communiter ſequuntur, non ſolùm Thomiſtæ, ſed & omnes alij, tum antiqui, tum moderni.

Conclvsio.

Cùm locus ſit ſuperficies corporis ambientis, provt eſt in tali diſtantia à polis mundi, & hoc intrinſecè dicat immobilitatem, ſequitur quòd includat intrinſecè immobilitatem.

Respondeo dicendum, quòd locus includit intrinſecè immobilitatem, ſiue eſſentialiter eſt immobilis. 2. Superficies autem non ſe haber in loco per modum generis. 3. Sed per modum ſobiecti, & materiæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd cùm ſit de ratione loci alia continere, oeceſſariò depender à primo continente, & ab illo regulatur: primum enim in vnoquóque genere eſt menſura cæterorum illius generis: ptimum autem continens eſt cœlum, & ita locus quicúmqoe alius dicit determinatum ordinem diſtantiæ ad cœlum: videmus enim qoòd loca inter ſe differunt ſecundùm hanc, & illam diſtantiam à cœlo; & ita dicitur locus ſurſum, quia accedit: locus deorſum, quia recedit &c. vnde vnitas & immobilitas huius loci ſumitur à determinata diſtantia, quâ ſuperficies ambiens aliquod locatum diſtat à cœlo: bæc autem ſuperficies, quæ eſt ſubiectum relationis diſtantiæ, ſumitur dupliciter, vt ait D. Thom.. opuſc. 52. primò materialiter, vt eſt ſuperficies aëris, aquæ, &c. Secundò formaliter, vt ſubeſt determinatæ diſtantiæ. Similiter diſtantia ſumitur dupliciter. Primò materialiter, vt ſcilicet eſt in hac determinata ſuperficie aëris, vel aquæ. Secundò formaliter, vt ſcilicet eſt diſtantia abſolutè, ſecundùm quam rationem ſolùm dicit banc diſtantiam, provt eſt ratio diſtandi, per tot, vel tot gradus à primo contioente, & ab vtróque eios polo: vnde quando vna ſuperficies immediatè poſt aliam adueniens non diſtat per plures, aut pauciores gradus ab vtróque polo; ac diſtabat alia præcedens, toties habet eamdem formaliter diſtantiam, licèt materialiter ſit diuerſa.

Probatur prima pars concluſionis. Locus non dicit intrinſecè hanc ſuperficiem, aut hanc diſtantiam materialiter ſumptas: aliàs ſequeretur, quòd vnum locatum eſſet

esset simul, & semel in pluribus locis; nam si ponatur vnus baculus, partim existens in aqua, & partim in aëre; est vnicum locatum, & tamen est in pluribus superficiebus: constat autem quòd vni locato secundùm numerum respondet vnus locus secundùm numerum: ac proinde locus non dicit intrinsecè hanc superficiem materialiter sumptam, sicut nec hanc distantiam materialiter sumptam: cùm varietur variatâ superficie, sicut & quodlibet accidens variato subiecto: at dicit vtrámque formaliter sumptam: sed quantumcúmque fluant, & innouentur superficies aëris, vel aquæ; semper manet eadem superficies, & eadem distantia formaliter sumpta: quia dicitur eadem formaliter superficies, prout substat eidem distantiæ formaliter sumptæ; quatenus scilicet distat per tot gradus præcisè, per quot præcedens distabat: ergo semper manet idem locus; ac proinde locus dicit intrinsecè immobilitatem. Confirmatur authoritate Aristotelis, & D. Thom. lect. 6. Sic ait Philosophus; *Est autem sicut vas locus transmutabilis, sic locus vas immobile*: Et postea sic concludit, *Quare terminus continentis immobilis primùm hic est locus*: Quæ D. Thom. sic exponit: *Vas & locus in hoc differre videntur, quod vas transmutatur, locus autem non: vnde sicut vas potest dici locus transmutabilis: ita locus potest dici vas immobile; & ideo cum aliquid mouetur in aliquo corpore, quod mouetur sicut nauis in flumine, vtitur iste in quo mouetur, magis sicut vase, quàm sicut loco continente: quia locus esse vult immobilis; ideò de natura loci est, quòd sit immobilis.* Item opusc. 52. *Locus autem non solùm est terminus corporis continentis, sed etiam est immobilis.* Deinde probatur ex inconuenientibus, quæ ex opposito sequuntur, vt ait D. Thom. opusc. citato: sequitur enim primò locum esse in loco, & naturaliter in hoc dari processum in infinitum: nam quod mouetur localiter, est in loco: & ita si hic locus est mobilis, est in alio loco, qui rursus si est mobilis, est in alio loco, & sic in infinitum. Secundò si locus sursum, & locus deorsum sint mobiles, sequitur quòd grauia & leuia non moueantur naturaliter, sed contingenter sursum & deorsum: nam posset locus leuium descendere, & locus grauium ascendere: & sic ignis posset naturaliter moueri deorsum, & terra sursum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi, & D. Thom. 5. Metaph. cap. 13. qui dicunt locum esse quantum per accidens: sed si superficies esset genus respectu illius, locus esset quantus per se, & non per accidens, eo modo quo album dicitur quantum; nam ratio generica conuenit per se suo inferiori: superficies autem est quantitas: ergo in loco superficies non habet rationem generis. Deinde locus non contrahit superficiem, ad aliquam determinatam, & specialem rationem; cùm propria ratio superficiei sit diuisibilitas, & extensio secundùm longitudinem, & latitudinem: locus autem hanc solùm dicit extensionem; & consequenter non addit peculiarem modum extensionis: & ita non contrahit superficiem ad determinatam rationem, nec illam contrahit, aut distinguit essentialiter: item ex alia parte constat quòd immobilitas se habet per accidens, & extrinsecè ad superficiem: nam ratio superficiei est extensio & diuisibilitas, cui per accidens coniungitur immobilitas: & ita immobilitas non est differentia specifica superficiei; cùm differentia specifica vniatur per se rationi genericæ ad constituendum vnum per se: ergo superficies non est genus respectu loci. Ex quo sequitur, quòd locus non est species quantitatis distincta à superficie, sed est omnino eadem secundùm essentiam: quia in ratione extensionis essentialis, quam importat quantitas, non distinguitur à superficie: sed extensio illius, est extensio superficiei: & ita quòd locus sit extensiua, & mensuratiuus hoc habet à superficie, quam pro materiali includit: cùm hac tantùm accidentali differentia, quòd superficies comparata ad corpus cui inest, est mensura intrinseca; comparata autem ad locatum, est mensura extrinseca: & ita proprietas loci, scilicet esse æqualem locato, solùm conuenit ei ratione materialis, scilicet superficiei, quam importat.

Probatur, & declaratur tertia pars conclusionis. Locus componitur ex rebus diuersorum generum: nam importat primò superficiem concauam, quæ sola est apta ad circumscribendum locatum; insuper dicit immobilitatem, & distantiam: superficies autem concaua dicit, & ipsam superficiem pertinentem ad prædicamentum quantitatis, & figuram concauitatis, quæ pertinet ad qualitatem: sed superficies respectu concauitatis, immobilitatis, & relationis distantiæ habetur rationem subiecti & materiæ: ergo superficies in loco se habet per modum subiecti & materiæ. Ex dictis constat locum non esse quid vnum per se, sed est tantùm vnum per accidens, quia componitur ex rebus diuersorum generum.

Ad primum ergo dicendum, quòd superficies non materialiter, sed formaliter considerata, vt substat tali distantiæ formaliter consideratæ (quæ est formalissimum loci) est materiale ipsius loci: sed vt sic est immobilis, vt patet ex dictis: vnde ad replicam dicendum, quòd procedit de distantia materialiter, & non formaliter considerata, quæ vt sic non est formale loci. Nec distantia indiuiduatur à materiali loci materialiter, sed formaliter accepto: quælibet autem superficies seorsum est subiectum adæquatum distantiæ, quæ est formale loci: adueniens autem de nouo superficies est formaliter eadem cum præcedenti, vt est in tali distantia, eo proportionali modo, quo multi Thomistæ probabiliter dicunt quemlibet filium esse adæquatum & formalem terminum paternitatis, & plures filios non habere magis de formalitate termini quàm vnum, & sic variatio illorum, tantùm variat materialiter, & non formaliter terminum paternitatis.

Ad secundum dicendum, quòd minor est falsa. Vnde ad primam probationem dicendum, quòd dato tali casu: quia cœlum non esset primum locans; cùm de eius ratione sit immobilitas: ideo vnitas loci petenda esset, non à polis cœli, sed à centro terræ, vel alio immobili saltem possibili, aut imaginario: & quia maneret eadem distantia ad illud immobile, maneret etiam idem locus. Ad secundam probationem dicendum, quòd cùm cœlum secundùm se totum non mutet locum, necessarium est quòd habeat aliqua puncta fixa, & immobilia, scilicet polos, & centrum ipsius, quæ ex natura sua sunt immobilia secundùm se tota: non enim habent partes: & ita non sunt imaginata. Ad tertiam probationem dicendum, quòd in tali casu cœlum non esset primum locans, cùm de eius ratione sit immobilitas secundùm totum: & sic nec in aliis corporibus esset eadem adæquata ratio loci: nam ablato primo alicuius generis, à quo alia pendent, auferuntur etiam illa, quæ ab illo pendent: vnde sola manetet in eis eadem superficies continens; ac proinde in tali casu omnia mutarent locum cum primo locante; quia recederent ab immobili, saltem imaginario, ex cuius distantia tunc desumeretur vnitas loci.

Ad tertium dicendum, quòd in tali casu non repararetur idem numero locus, sed distinctus propter interruptionem ex parte superficierum; nam ad vnitatem numericam loci, requiritur vnitas ordinis; idest, si semel transeat hæc superficies materialiter sumpta, statim succedat alia: interruptio enim numerica accidentium, sumitur à subiecto, siue à ratione materiali: tunc autem non esset materiale loci, nec materialiter nec formaliter sumptum: & consequenter nec formale ipsius loci, quod non potest reperiri sine materiali saltem formaliter sumpto: declarat autem D. Thom. quomodo mutatâ superficie, non mutetur locus, exemplo ignis: nam in igne mutatur materia simul cum forma ex mutatione combustibilium, & imperceptibiliter succedit de nouo materia & forma: & tamen est idem ignis numero, qui erat

in principio: vnde dicitur ibi tantùm fuisse mutata materia & forma materialiter, & remansisse eadem formaliter; cùm ad vnitatem indiuidui requiratur identitas materiæ & formæ: remanet autem formaliter, quia quælibet pars de nouo adueniens vnitur cum eadem numero forma & materia præexistente: si ergo hoc ita accidit in entibus habentibus maiorem vnitatem, & perfectam substantialem, multò magis in loco, qui habet vnitatem imperfectissimam, & secundùm quid: vnde si illa mutatio imperceptibilis non obest identitati in substantiis, nec etiam oberit identitati loci mutatio perceptibilis, & materialis superficierum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm locus naturalis addat supra rationem loci qualitatem conseruatiuam locati?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd locus naturalis non addat supra rationem loci qualitatem conseruatiuam locati: ita tenent aliqui. Probatur. Qualitas conseruatiua locati debet esse in locato, in eo enim habet suum effectum formalem, scilicet conseruationem locati, in eo autem est causa formalis, cui tribuit suum effectum formalem: ergo hæc qualitas non est in loco; idem enim accidens non potest esse in duplici subiecto: ac proinde locus naturalis non addit supra rationem loci qualitatem conseruatiuam locati.

§. 2. Præterea, Locus naturalis aëris est superficies concaua ignis, vt communiter conceditur: sed ignis non habet in se qualitatem conseruatiuam aëris, imò habet vim corruptiuam, nam ignis comburit partes proximiores aeris, multò magis in propria sphæra, vbi est maioris actiuitatis, quàm hic, & nullom est impediens: similiter aqua est locus naturalis terræ, & tamen humectat terram, ac proinde est potiùs destructiua illius, quàm conseruatiua, cùm humiditas opponatur eius natiuæ siccitati: ergo locus naturalis non addit supra rationem loci qualitatem conseruatiuam locati.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis & D. Thomæ, quos communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm omnia entia naturalia naturaliter intendant suam conseruationem; & naturaliter etiam tendant ad sua loca naturalia, locus naturalis addit supra rationem loci qualitatem conseruatiuam locati.

RESPONDEO dicendum, quòd locus naturalis addit supra locum, vt sic, siue supra locum mathematicum qualitatem conseruatiuam locati. Probatur authoritate Philosophi in hoc 4. lib. cap. 2. vbi sic ait: *Præterea lationes naturalium, & simplicium corporum, vt ignis, & terra, & aliorum eiusmodi, non solùm declarant locum esse aliquid, sed & habere vim quamdam: vnumquódque enim fertur in suum locum, nisi prohibeatur; aliud quidem sursum, aliud verò deorsum.* Quæ sic exponit D. Thom. lect. 2. *Motus naturalis corporum naturalium ostendit, quòd locus habeat quamdam potentiam, & virtutem: videmus enim quòd vnumquódque fertur in suum locum, quando non impeditur, graue quidem deorsum; leue autem sursum.* Ex quo patet, quòd locus habet quamdam virtutem conseruandi locata, & propter hoc locatum tendit in suum locum desiderio suæ conseruationis. Ex quibus non solùm colligitur mens Arist. & D. Thom. sed etiam efficax sequens ratio.

Secundò, quotidianâ constat experientiâ quòd omnia entia naturalia tendunt in sua locs naturalia impetu naturali, ex naturali suæ conseruationis desiderio, vincentia pro viribus omnia impedimenta, vt patet in igne, qui si comprimatur, euertit montes: in aëre, qui inclusus in visceribus terræ suscitat terræ motos &c. quando verò perueniunt ad talia loca, iam non sunt in statu violento, at ibi naturaliter conquiescunt: hoc etiam experimur in mixtis: nam pisces si extrahuntur ab aqua eorum loco naturali, statim moriuntur: ergo signum est, quòd omnia meliùs se habent in suo loco naturali; ac proinde eorum esse ibi meliùs conseruatur, quàm alibi: aliàs non potiùs ibi quiescerent, quàm alibi: sed hoc non potest esse si in loco naturali non sit aliqua virtus conseruatiua locati: ergo locus naturalis addit supra locum, vt sic, qualitatem conseruatiuam locati.

AD primum ergo dicendum, quòd illa qualitas conseruatiua in loco, habet se effectiuè ad producendam aliam qualitatem in locato, quæ formaliter conseruat: sicut calor ignis calefacientis producit aliom calorem in aqua, quæ effectiuè calefit à calore ignis: formaliter autem est calida à calore in se recepto, & producto ab igne.

AD secundum dicendum, quòd locus naturalis, vt ait D. Thom. opuscul. 52. ratione benignæ qualitatis, & influentiæ cœlestis conseruat locatum: nam sicut quia cœlum est primum locans & primum continens, ac proinde per ordinem ad illud alia omnia participant rationem loci; ita sic est primum conseruans: & its dependenter ab illo cætera habent vim conseruatiuam respectu locati, quod etiam, dum est in suo loco naturali, meliùs recipit cœlestes influentias, quibus conseruandum est: hæc autem cœlestis influentia è cœlo emanans in ignem & aërem est tantæ virtutis & efficaciæ, vt impediat ne ignis comburat aërem, sed potius facit, vt illum foneat temperans eorum inimicitias: verùm hæc influentia non communicatur à cœlo aëri, nisi in tanta distantia, scilicet prope sphæram ignis: & ideò ignis, & aër in his inferioribus rixantur, quia non communicatur hîc vtrique prædicta qualitas: nec aliud corpus, si poneretur in loco ignis, ita conseruaret aërem, sicut conseruat ignis: quia ills influentia conseruat aërem, vt modificata ab igne: nec contrariatur D. Thom. dum 2. de anima lect. 23. dicit, quòd ignis & aër in suis regionibus existentes contrariantur adinuicem, & se immutant in suis extremis: nam licèt se immutent in suis extremis per actionem & repassionem, inde tamen non sequitur, quòd ignis non foueat totum corpus aëris, qui maximè alteraretur in suis qualitatibus natiuis ab inferiori elemento aquæ, nam calor eius satis exiguus valdè remitteretur à frigore aquæ: humiditas etiam eius remissa nimis intenderetur à summa humiditate aquæ: & ita ignis suo calore fortificat calorem aëris ad resistendum frigori aquæ, & sua siccitate temperat aëris humiditatem, ne ab aduentitia humiditate aquæ nimiùm intendatur: & similiter aër fortificator à qualitatibus aquæ, ad resistendum actioni ignis in eius extremitate: nam quia valde intenditur eius humiditas, inde fit quòd maximè resistit calori ignis; nam intensa humiditas valdè resistit, ne subiectum eius ignefiat; resistit etiam siccitati: imò ratione illius aër agit in ignem, qui licèt multùm actiuus, tamen non multùm potest pati: & ideo ignis aliquas conuertit partes aëris in se, aliquando etiam partes ignis conuertuntur in aërem, & huic mutuæ actioni & reactioni confert specialiter diuina prouidentia, ad quam pro conseruatione vniuersi, pertinet conseruare hanc harmoniam elementorum: sicut & facere quòd terra humectetur ab aqua, ad productionem animalium & fructuum, quæ humectatio, licèt opponatur natiuæ siccitati terræ, inquantum est peculiare elementum: tamen non est ei violenta: imò est naturalis inquantum est pars vniuersi; nam partes naturali inclinatione magis tendunt ad bonum totius, quàm ad proprium, & sunt entia particolaria: nam ex conseruatione totius pendet illarum conseruatio, & hoc experientia constat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm prima sphæra sit in loco?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd prima sphæra verè & propriè sit in loco, quia habet Vbi, quod vocant locum intrinsecum, quamuis non habeat superficiem

superficiem continentem, quam vocant locum extrinsecum, ac proinde inferunt posse moueri: quia vbi, & non locus est terminus motus localis. Ita tenent aliqui extra scholam D. Th. Probatur ex illo Aristotelis hic textu 23. vbi sic ait: *Propter hoc enim cœlum maximè in loco esse putamus, quòd perpetuo motu agitatur*: Ergo prima sphæra est in loco.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd prima sphæra saltem secundùm suas partes sit actu in loco. Probatur. Partes cœli mouentur actu; illa enim pars, quæ priùs erat in Oriente, nunc est in Occidente, ac proinde mutant locum actu; nihil enim est mutare locum actu, quàm moueri actu; ergo prima sphæra secundùm suas partes est actu in loco, quod enim mutat locum actu, necessariò est in loco actu: maximè quia cùm prima sphæra sit nobilissimum corpus, debet illi conuenire nobilissimus modus essendi in loco, qui est esse actu in loco: nam esse tantùm in potentia, est esse imperfectè ac diminutè.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd prima sphæra nullo modo sit in loco, nec secundùm se, nec secundùm suas partes, nec actu, nec in potentia. Probatur. Si prima sphæra esset in loco secundùm suas partes, maximè esset, quia vna eius pars continet aliam: sed ad rationem loci non sufficit continere: vltra hoc enim requiritur immobilitas, quæ non reperitur in partibus cœli, cùm omnes moueantur. Deinde nec vna pars continet aliam, nam contentum debet posse separari à continente, partes autem cœli non possunt separari, aliàs cœlum esset per diuisionem corruptibile: ergo prima sphæra nullo modo est in loco, nec secundùm se, nec secundùm suas partes, nec actu, nec in potentia, maximè eius superficies conuexa, quæ non potest ab alio corpore ambiri.

Sed contra est authoritas Aristotelis & D. Thom. quos sequuntur communiter Thomistæ, Soto, Ferrariensis, Masius, nostri Complutenses, & alij extra scholam D. Thomæ.

Conclusio.

Cùm prima sphæra non circumscribatur superficie corporis ipsam continentis, non est secundùm se totam in loco, sed tantùm secundùm partes, inquantum vna continetur ab alia.

Respondeo dicendum, quòd prima sphæra cœlestis simpliciter, & per se, siue secundùm se totam non est actu in loco. 2. Sed tantùm ratione suarum partium. 3. Quæ non sunt actu in loco, sed solùm in potentia: & sic etiam primum cœlum non est actu in loco, etiam per accidens, & ratione partium, sed tantùm in potentia. Al cuius euidentiam sciendum est omnia corpora reduci ad quatuor classes. In prima collocatur tantùm prima sphæra cœlestis, quam Philosophus credidit esse primum mobile, non enim nouit cœlum Empireum sedem Beatorum, & propterea præsens difficultas examinatur iuxta hanc positionem Aristotelis, quamuis etiam procedat de prima simpliciter sphæra. In secunda classe sunt alij cœli. In tertia sunt quatuor elementa, scilicet Ignis, Aër, Aqua, Terra, quæ vocantur corpora simplicia. In quarta sunt omnia alia corpora, quæ dicuntur mixta: incipiendo ab vltimis non est dubium, quin omnia mixta sint in loco naturali, qui est deorsum propter hoc, quòd in mixtis perfectis prædominatur terra, plus enim habent de illa, quàm de cæteris elementis: nec etiam dubium est quatuor elementa, & omnes cœlos, excepto primo, esse in loco: nam terra est in aqua (attentâ eorum naturâ) aqua in aëre, aër in igne, ignis in concauo cœli Lunæ, Luna in Mercurio, Mercurius in Venere, Venus in Sole, Sol in Marte, Mars in Ioue, Iupiter in Saturno, Saturnus in Firmamento, siue in cœlo stellato, quod in opinione Aristotelis est vltimum, sed in rei veritate dantur tres alij cœli superiores, vt docet D. Thomas præcipuè 1. part. quæst. 68. art. 4. scilicet cœlum cristallinum, primum mobile, & Empireum excellentissimum omnium, perpetuò quiescens, mirâ claritate perfusum, patria Beatorum: dictum Empireum, siue igneum ob splendorem; quòd licèt ex parte concaua, quâ commensuratur primo mobili, sit rotundum: tamen ex parte conuexa, & superiori est quadratum secundùm aliquos: hæc enim figura dicitur conuenire perpetuæ firmitati & quieti talis cœli, sicut rotunditas mobilitati aliorum orbium inferiorum: ipsum autem Empireum est primum continens; & sic cœlum, quod in opinione Aristotelis est vltimum, scilicet Firmamentum, continetur à cristallino, cristallinum à primo mobili, primum mobile ab Empireo: certum est autem quòd vltima superficies corporis superioris est locus inferioris, cùm illud contineat: & sic tota difficultas in rei veritate est de cœlo Empireo, cùm sit vltimum, & de illo proportione seruatâ procedit: tamen principaliter inquiritur ex principiis Aristotelis, an cœlum stellatum, quod ipse posuit esse primum mobile, & absolutè primum cœlorum, sit in loco: & ita præsens difficultas est hypothetica procedens suppositâ opinione Aristotelis, habet autem peculiarem controuersiam ratione motus.

Item sciendum est formas substantiales, & accidentia omnium corporum non esse in loco per se, sed per accidens ratione subiecti, vt docet Aristoteles in præsenti textu 45. & D. Thom. ibidem lect. 7. vbi sic ait: *Quædam verò secundùm accidens sunt in loco, sicut anima, & omnes formæ*: Ratio huius est manifesta, quia omnia hæc sunt quanta per quantitatem totius: ergo etiam sunt in loco circumscriptiuo per quantitatem totius, ac proinde per accidens, quatenus totum, in quo sunt, est in loco ratione suæ quantitatis: sunt autem in loco, vel actu, vel potentiâ eo modo, quo corpus, in quo sunt: ipsa verò quantitas est in loco per se, sed (vt quo) cùm sit ratio ponendi corpora in loco.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis in hoc 4. libro cap. 7. vbi ait, *Illud corpus igitur est in loco, extra quod est aliquod aliud corpus, quod ipsum continet: illud verò non est in loco, extra quod non est vllum corpus*: Ex quo principio sic concludit; *Cœlum autem nusquam totum est, nec in aliquo loco, siquidem nullo corpore continetur.* Quod exponens D. Thom. lect. 7. sic ait, *Concludit ergo primò ex præmissis, quòd cùm locus sit terminus continentis, cuicunque corpori adiacet aliquod corpus continens ipsum exterius, hoc est in loco simpliciter, & per se: cui verò corpori non adiacet aliquod corpus exterius continens ipsum, nullimè est in loco; tale autem corpus in mundo non est, nisi vnum, scilicet vltima sphæra, quæcunque sit illa: vnde secundùm hanc determinationem sequitur quòd vltima sphæra non sit in loco.* Et infra, concludit quod *Corpus supremum mouetur solùm circulariter, propter hoc quòd ipsum totum non est alicubi, quia quod est alicubi, ipsum est aliquid, & habet aliquid extra se à quo contineatur.* Ex quibus sic conficitur ratio: esse in loco, est contineri superficie corporis ambientis: sed prima sphæra non continetur superficie corporis ambientis (supponitur enim nullum esse corpus supra ipsum, quòd illam ambiat:) ergo prima sphæra non est in loco.

Respondent aliqui primam sphæram esse in loco, non ratione superficiei concauæ ipsam ambientis, quia non datur, sed ratione superficiei conuexæ orbis ab illa contenti: respondent alij esse in loco præcisè ratione centri, circa quod mouetur in tanta distantia: sed hæc, vt ait D. Thom. loco citato, sunt contra suppositiones communes priùs de loco positas, scilicet quòd locus sit continens, & æqualis locato: Deinde ex primo modo dicendi sequitur idem esse locum & locatum respectu eiusdem, quod implicat: nam locus & locatum dicunt rationes oppositas, scilicet circumscribere & circumscribi, quæ sunt incompossibiles respectu eiusdem: excluditur etiam secundus modus dicendi per hoc, quòd de ratione loci est habere vim ad circumscribendum, quæ non conuenit centro respectu primæ sphæræ: vnde solùm potest dici, quòd prima sphæra sit ratione prædictorum impropriè in loco, siue quòd non sit nullibi, dicitur autem quod est in se.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th.

qui lect. 7. ſic ait : *Multò autem conuenientius eſt dicere, quòd vltima ſphara ſit in loco, propter partes ſuas intrinſecus, & magis conſonat opinioni Ariſtotelis.* Deinde probatur ratione Philoſophi. Eo modo aliquid eſt in loco, quo mouetur, & mutat locum, vt patet ex ſe, & inductione : ſed prima ſphæra non mouetur, nec mutat locum ſecundùm ſe totam, at ſecundùm partes : nam, vt patet, mouetur tantùm circulariter, & remanet in eadem diſtaoria à centro, partibus ſibi ſoccedentibus: ita vt illa, quæ nunc eſt in occidente, poſtea erit in oriente : ergo prima ſphæra cœleſtis, quæ in opinione Ariſtotelis eſt primum mobile, non eſt in loco ſecundùm ſe totam, ſed ſolùm ſecundùm partes, & ratione illarum.

Probatur tertia pars concluſionis suthoritate D. Th. qui exponens textum 44. Philoſophi ſic ait : *Oſtendit quomodo partes prima ſphara ſint in loco, & dicit quòd, ſicut ſupra dictum eſt, quadam ſunt in loco actu, quadam ſecundùm potentiam : vnde, cum aliquid ſit continuum ſimilium partium, partes eius ſunt in loco ſecundùm potentiam, ſicut eſt in vltima ſphara.* Deinde probatur quantùm ad primum. Vt aliquid ſit actu in loco, neceſſe eſt, vt ambiatur ab alio actu à ſe diuiſo : ſed omnes partes primæ ſphæræ, licèt vna ambiat aliam, non tamen actu ſunt diuiſæ, at tantùm in potentia, quia poſſunt diuidi : ergo vna non eſt locus alterius actu, ſed tantùm in potentia. Quantùm ad ſecundum. Prima ſphæra eſt tantùm io loco ratione partium, vt dictum eſt : ergo eo modo eſt in loco per ipſas, quomodo ipſæ ſunt in loco : ſed ipſæ ſunt tantùm in loco in potentis, vt etiam dictum eſt : ergo prima ſphæra non eſt actu in loco etiam per accidens, & ratione partiom, ſed tantùm in potentia.

Ad primum ergo dicendum, vel quòd Ariſtoteles non loquitur in propria ſententia : & ideo alia tranſlatio loco illius verbi (putamus) habet (opinantur ;) vel loquitur de aliis ſphæris cœleſtibus, non de prima ; vel tandem ly (maximè) denotat quòd ratio potiſſima, quâ colligimus cœlum eſſe in loco aliquo modo, ſcilicet per partes, ſit quia mouetur.

Ad ſecundum dicendum, quòd vt aliquid moueatur circulariter præcisè, non eſt neceſſe, quòd actio mutet locum, qui locus ſit in actu ; ſed ſufficit mutare locum, qui ſit locus in potentia : non quòd deſinat contineri vna pars ab alia, à qua antea continebatur ; ſed quia licèt illa pars materialiter, & in eſſe partis maneat eadem ; non tamen formaliter, & in eſſe loci in potentia : ſic enim eſt diuerſa, quatenus habet diſtinctam rationem diſtantiæ, quæ maximè attenditur in loco: vnde pars locata mutat locum formaliter. Ad aliud dicendum, quòd eſſe in loco ſolùm per partes, & in potentia, eſt nobiliſſimus modus, qui poteſt conuenire corpori : nam denotat illud eſſe primum, & indiuiſum, quia incorruptibile.

Ad tertium dicendum, quòd partes cœli mouentur materialiter, & in ratione partis ; non verò formaliter, & in ratione loci, qui habet determinatum ſitum, & ordinem in vniuerſo ad puncta fixa : & ita pars ſoccedens parti, quæ erat in oriente, ſeruat eumdem ordinem & ſitum, quem habebat pars præcedens : & ideo pars contenta ab alia, quæ de nono ſuccedit in eodem ſitu, eſt in eodem loco, in quo erat præcedens. Ad aliud dicendum, quòd ad hoc, vt partes cœli ſint locus in potentia, ſufficit quòd cœlum poſſit ſupernaturaliter diuidi, & pars continens ſeparati à parte contenta. Ad aliud dicendum, quòd ſufficir, vt partes illius ſuperficiei contineantur inadæquatè ab aliis : nam quælibet pars habet versùs vtrumque latus alias duas ſuperficiei partes ; quæ licèt non adæquatè, inadæquatè tamen illam continent : & ſic omnes eius partes ſunt etiam in loco in potentia : licèt imperfectè, qui modus eſſendi in loco, eſt maximè proprius, & accommodatus illarum.

Articvlvs VI.

Vtrùm duo corpora poſſint diuinitus eſſe in vno & eodem loco?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd duo corpora non poſſint diuinitus eſſe in vno & eodem loco. Ita tenet eſſe probabile Durandus in 4. d. 44. quæſt. 6. Probatur. Implicat aliquam formam communicari ſubiecto, abſque eo quòd ipſa communicet tali ſubiecto ſuum effectum formalem : ſed expulſio vnius corporis, ad ingreſſum alterius in eumdem locum, eſt effectus formalis quantitatis : ſicut enim quantitas eſt ſeipsâ ratio formalis occupandi locum ; ita & expellendi aliud ab eodem loco : ergo duo corpora non poſſunt diuinitus eſſe in vno & eodem loco.

§ 2. Præterea, Impenetrabilitas, quæ eſt proprietas quantitatis, non diſtinguitur realiter ab ipſa, ſicut nec diuiſibilitas : ergo eſt impoſſibile duo corpora eſſe quanta, & non eſſe impenetrabilia : nam ſicut colligimus eſſe impoſſibile, quod ſit corpus quantum, & non ſit diuiſibile, quia diuiſibilitas non diſtioguitur à quantitate : ſic neceſſariò debemus colligere eſſe impoſſibile, quòd ſit corpus quantum, & non ſit impenetrabile, quia etiam impenetrabilitas non diſtinguitur à quantitate.

§ 3. Præterea, Duæ partes eiuſdem quantitatis non ſe poſſunt inuicem penetrare, cùm ſit de eſſentia quantitatis habere partes extra partes, quas non haberet, ſi ſe penetrarent : ergo multò magis repugnat duas quantitates totales ſe penetrare. Item duæ partes eiuſdem motus, aut durationis illius, non poſſunt correſpondere vni & eidem durationi : aliàs tolleretur ſucceſſionis ordo, quem neceſſariò petunt ; nam vna non eſſet prior aliâ, ſed vtraque ſimul exiſteret, quod eſt contra rationem motus, & temporis : ergo nec duæ partes quantitatis continuæ poſſunt correſpondere vni & eidem loco, vt patet ex paritate rationis.

Sed contra eſt expreſſa anthoritas D. Th. io 4. d. 44. quæſt. 2. art. 2. & ſuper Boëtium de Trinitate q. de cauſarum pluralitate art. 3. & D. Bonauenturæ d. 49. q. 1. de dote ſubtilitatis, quos communiter ſequuntur Theologi, & omnes Philoſophi Chriſtiani.

Conclvsio.

Cùm conſtet ex ſcriptura duo corpora fuiſſe miraculosè in vno & eodem loco, neceſſariò fatendum eſt hoc poſſe fieri diuinitus.

Rasponoso dicendum, quòd licèt naturaliter duo corpora non poſſint eſſe in vno & eodem loco : 2. poſſunt tamen diuinitus.

Probatur prima pars concluſionis quotidianâ experientiâ. Experimur enim, quòd corpora non ſe mutuò penetrant : ſed ſe mutuò expellunt ab eodem loco, nec vrgent inſtantiæ quas aliqui affetunt in contrarium, ſcilicet quòd ſi vitro aquæ pleno immittatur argentum, non effluit aqua : & ſimiliter ſi dolio pleno cineribus infundatur aqua, tantumdem capiet, quantùm caperet, ſi cineres non eſſent, quod non poſſet fieri, niſi aqua penetraret argentum, & cineres ; & ita eſſet in eodem loco. Ad primam enim dicendum, quòd licèt aqua non effloat, tamen creſcit, & inſuper peruadit poros argenti. Ad aliam dicendum illos cineres ex ſe valdè raros condenſari, & partim euaporari ; nec verum eſt illud doium tantùm aqoæ poſſe capere, quantùm ſi ibi non eſſent cineres : ergo naturaliter duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Secundùm fidem conſtat duo corpora ſe inuicem fuiſſe diuinitus penetrata, ſicut quando Chriſtus Dominus natus eſt : niſi enim Sacrum eius corpuſculum penetraſſet aluum Sacratiſſimæ Virginis matris ſuæ, non potuiſſet naſci, abſque læſione integritatis Virginalis. Item Chriſtus reſurgens egreſſus eſt è monumento obſerato, quod fieri non potuiſſet, niſi penetraſſet lapidem. Item Chriſtus poſt reſurrectionem

ſurrectionem

surrectionem ingressus est ad suos discipulos ianuis clausis, quod non potuit fieri sine penetratione. Denique in die Ascensionis penetrauit cœlos, vt ait D. Paulus ad Hæbræos 4. *Habentes ergo Pontificem, qui penetrauit cælos Iesum*: Ergo duo corpora possunt diuinitus esse in vno, & eodem loco, quod est se penetrare; nam valet consequentia ab actu ad potentiam.

Conatur Durandus respondere ad hæc testimonia, & ad primum dicit quòd partes Sacratissimi vteri virginis fuerunt dilatatæ eo modo, quo successisset cæteris fœminis in statu innocentiæ, vbi fuisset partus, sine vlla corruptione, vt ait August. 14. de ciuitate Dei cap. 26. & D. Thom. 1. p. quæst. 98. art. 2. Ad secundum dicit. 1. quòd Euangelium non declarat Christum exiisse è monumento immoto lapide. 2. dicit quòd corpus gloriosum potest constringere suas dimensiones, ita vt per minimum interuallum transeat: & ita dicit Christum transiisse per interuallum, quod erat inter vtrumque lapidem. Ad tertium dicit ianuas illas subitò fuisse apertas, & iterum subitò clausas virtute diuina, vel etiam dicit fecit, & ad quartum hoc potuisse fieri transeunte Christo de extremo in extremum, absque eo quod transiret per medium; quæ solutio potest applicari etiam aliis locis. Verùm hæ omnes solutiones iudicantur communiter falsæ, & friuolæ. Prima quidem, quia partus Virginis fuit miraculosus. Deinde, quia derogat integritati sacratissimæ virginis; nam dilatatio est mutatio, saltem accidentalis, & opposita soliditati corporis; & sic non permansisset ita solidum virginale corpus in partu, ac antea erat; ac proinde fuisset diminuta eius integritas. Secunda etiam solutio adhibita secundo testimonio est contra communem sensum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, qui attribuunt hoc speciali miraculo, nec talis potestas coarctandi proprias dimensiones in corpore glorioso est ita certa, vt possit esse fundamentum in re tam graui. Tertia etiam solutio est violenta; nam cùm Euangelistæ ponderent, Christum fuisse ingressum ianuis clausis, communiter dicunt Sancti Patres hoc fuisse miraculosum: quòd non fuisset in opinione Durandi; item quando dicunt Euangelistæ Christum fuisse ingressum, & egressum denotant transiisse per medium: in Ascensione autem dicitur penetrasse cœlos, & ita intelligendum est simpliciter de vera penetratione; penetratio autem importat quòd duo corpora sint in eodem loco.

Secundò, vnum corpus quantum non expellit aliud à suo loco: nisi, vel in genere causæ efficientis, vel formalis; ita tamen, vt hæc expulsio sit tantùm effectus secundarius quantitatis: sed Deus potest impedire quemcumque ex his influxibus: de influxu causæ efficientis patet: nam nisi Deus prius, & simul influat, causa secunda non influet: & ita impediet negando concursum; de influxu etiam formali respectu effectus secundarij patet: hoc enim multoties facit Deus, sicut in misterio Incarnationis: non enim resultauit subsistentia, & existentia humana, quæ dicuntur à pluribus effectus formales secundarij formæ: item in Eucharistia quantitas corporis Christi caret extensione locali, quæ in omnium opinione est effectus formalis secundarius: ergo potest Deus facere quòd vnum corpus non expellat aliud à suo loco; & ita possunt diuinitus esse duo corpora in vno & eodem loco. Nec potest dici quòd hæc expulsio sit effectus formalis; secundarius quidem: sed tamen priuatiuus, & valde intimus; ac proinde non poterit separari. Nam contra. Est intimior quantitati extensio actualis in ordine ad locum, quàm expulsio actualis alterius corporis ab illo: nam prius est, quòd vnum corpus actualiter extendatur in loco, & repleat illum, quàm quòd expellat aliud; imò præcisâ hac extensione, naturaliter possent esse simul sine vlla penetratione, quæ supponit extensionem localem: ille autem effectus est intimior, qui est propinquior, & immediatior ipsi formæ: sed Deus potest impedire hunc effectum formalem magis intimum; imò secundùm fidem impedit in Eucharistia: ergo multò magis istum, non ita intimum, scilicet expulsionem alterius corporis: nec effectus priuatiuus dicitur esse valde intimus, & inseparabilis, nisi quando ex impeditione ipsius, impeditur effectus formalis primarius, vt supra dictum est, quòd non contingit in præsenti: nam si ex impeditione effectus formalis intimioris, scilicet extensionis localis, non sequitur impeditio effectus formalis primarij quantitatis, scilicet extensio in ordine ad se, multò minus sequitur ex impeditione huius remotioris, scilicet expulsionis alterius ab eodem loco.

Ad primum ergo dicendum, quòd effectus formalis primarius, vel secundarius priuatiuus, valde intimus non potest separari à forma: sed non est talis hæc expulsio localis, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd non aufertur impenetrabilitas aptitudinalis, sicut nec diuisibilitas, aut capacitas occupandi locum à quantitate: ab intrinseco enim petit, quòd non sit penetrabilis, indiuisibilis, aut inextensibilis localiter: sed actus ipsorum impediuntur ratione potentiæ obedientialis; & ita potest diuinitus quantitas actu penetrari, esse actu inextensa localiter, & actu indiuisa, siue potest actu repugnare diuisioni, vt patet in cœlis.

Ad tertium dicendum, quòd ex penetratione duarum partium quantitatis non sequitur, quòd vna non sit extra aliam in ordine ad se, quod est essentia quantitatis: sed tantùm sequitur quòd vna non sit extra aliam in ordine ad locum, quod solùm est proprietas quantitatis, vel ad modum proprietatis. Ad aliud dicendum, quòd est lata disparitas: nam successiua essentialiter petunt in suis partibus ordinem prioris, & posterioris; quod non est in permanentibus: nam partes horum remanent distinctæ licèt se penetrent: imò licèt careant extensione locali in ordine ad locum.

Articulus VII.

Vtrùm vnum & idem corpus possit esse circumscriptiuè in duobus locis?

Ad septimum sic proceditur. Videtur quòd vnum, & idem corpus possit diuinitus esse circumscriptiuè in duobus locis. Ita tenent Scotus in 4. d. 10. q. 3. Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 3. & 4. Ruuius, & Conimbricenses in præsenti, & plures alij recentiores extra Scholam D. Thom. cum Suare tom. 3. in 3. p. disp. 48. sect. 4. Item t. tom. Metaph. disp. 48. sect. 4. vbi postquam pro contraria sententia citauit D. Thom. & alios authores grauissimos, dicit fundamenta talis sententiæ pugnare contra fidem, & se mirari quomodo persuaserint sibi hanc opinionem, suámque opinionem esse valde consonam principiis fidei, & necessariò tenendam ad respondendum hæreticis; ac tandem postquam impugnauit fundamenta opinionis Thomisticæ dicens esse parui momenti, sic concludit: *Ante omnia obiicimus illud Augustini: Ecce quibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* Probatur. Idem corpus esse circumscriptiuè in duobus locis non repugnat ex parte ipsius quantitatis, cùm eius essentia consistat in extensione in ordine ad se, vnde sicut saluatur eius essentia sine extensione locali, vt patet in Eucharistia, sic poterit esse cum duplici extensione: nec repugnat ipsi ex modo naturali, siue circumscriptiuo essendi in loco; cùm talis modus tantùm importet quòd totum correspondeat toti loco, & partes locati partibus loci, quod potest fieri in duplici loco: imò est difficilius vnum corpus esse in duobus locis; in vno quidem connaturaliter, in alio verò indiuisibiliter, quàm esse in vtroque connaturaliter: cùm præsentiæ connaturales non opponantur, sicut opponitur præsentia connaturalis præsentiæ indiuisibili: primum de facto fit in Eucharistia; consequenter secundum potest fieri. Deinde difficilius est idem corpus esse in duobus locis absque modo naturali, quàm esse in illis connaturaliter: nam sicut est difficilius esse in vno loco absque modo naturali, quàm esse

eſſe in illo connaturaliter, vt ex ſe patet: cùm primum non fiat niſi miraculosè: ſic difficilius eſt eſſe in duobus: primum autem ſuccedit in Euchariſtia: ergo ſecundum poteſt fieri, ſcilicet quòd idem corpus ſit circumſcriptiuè in duobus locis.

¶ 2. Præterea, Si Deus conuerteret quantitatem panis in quantitatem corporis Chriſti, ſicut conuertit ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; tunc corpus Chriſti eſſet extensè in pluribus locis: ſed nulla eſt repugnantia, quin Deus hoc poſſit facere: ergo vnum & idem corpus poteſt eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis.

¶ 3. Præterea, Non repugnat vnam naturam terminari pluribus perſonalitatibus, ſiue ſubſiſtentiis, quæ ſunt termini intrinſeci naturæ: hoc enim concedit D. Thom. 3. p. quæſt. 3. art. 6. dicens tres Diuinas Perſonas poſſe aſſumere eamdem numero naturam: ergo multò minus repugnat vnum corpus extrinſecè terminari à pluribus locis.

¶ 4. Præterea, Sæpè Chriſtus Dominus poſt Aſcenſionem apparuit in terris, vt patet ex Eccleſiaſticis hiſtoriis: & licèt in aliis poſſet dici, quòd apparuit in perſona Angeli; tamen communis Eccleſiæ traditio eſt apparuiſſe perſonaliter Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo: imò ſecundùm fidem non poteſt dubitari quin apparuerit perſonaliter D. Paulo: ipſe enim 1. ad Corin. 5. refert hanc viſionem inter eas, quæ confirmant reſurrectionem Chriſti: vnde neceſſariò debuit fieri in Perſona Chriſti: aliàs non probaret eius reſurrectionem: ergo Chriſtus tunc fuit extenſus in duobus locis, ſcilicet hic vbi apparebat, & in cœlo, de quo nunquam mouetur, iuxta illud actuum 3. *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque ad tempus reſurrectionis hominum*, Et iuxta illud Aug. *Donec finiatur ſæculum ſurſum eſt Dominus*, Et D. Thom. 3. part. quæſt. 76. art. 8. dicit Chriſtum videri, & adorari ſemper in cœlis: & ſi aliquando diſcederet, priuaret lætitiâ Beatos, quam percipiunt ex eius præſentia.

¶ 5. Præterea, ſicut duo corpora petunt duplicem locum, ſic vnum corpus petit vnicum: ſed Deus poteſt facere, quòd duo corpora ſint in vnico loco: ergo etiam poteſt facere, quòd vnum ſit in pluribus: ratio huius paritatis eſt, quia ſicut vnitas loci non ſufficit ad cauſandam vnitatem corporum, quæ ibi penetrantur; ſic nec diuerſitas loci ſufficit ad cauſandam diuerſitatem locati; vnitas enim, aut diuerſitas rerum ſumitur ex principiis intrinſecis, & non ex vnitate, aut diuerſitate loci, qui eſt extrinſecus.

¶ 6. Præterea, Si quid probarent rationes D. Thom. probarent etiam Chriſtum non poſſe eſſe in Euchariſtia; nam comprehenditur à loco, quem habet in cœlo, diſtat & non diſtat à ſeipſo, poteſt eſſe in infinitis locis ſacramentaliter: ergo ſi hæc non inuoluunt contradictionem, vt debent fateri Catholici reſpectu præſentiæ Sacramentalis, ſic nec reſpectu circumſcriptiuæ: maximè, quia idem obiectum poteſt adæquatè comprehendi à pluribus habitibus numero diſtinctis: ergo & idem corpus à pluribus locis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas S. Aug. & D. Th. S. Anſelmi in monologio cap. 20. D. Bonauenturæ in 4. d. 44. quos ſequuntur Durandus in 4. d. 10. q. 4. Abulenſis, Ægidius, Henricus, Heruæus, Dyoniſius Carthuſianus, communiter diſcipuli D. Th. & alij extra eius Scholam, vt Vaſquez tom. 3. in 3. p. diſp. 189. cap. 4. & alij.

Conclvsio.

Cùm locus circumſcriptiuus vndequaque comprehendat locatum ipſi adæquatus: non poteſt etiam ſupernaturaliter vnum & idem corpus eſſe circumſcriptiuè in duobus locis.

Respondeo dicendum, quòd implicat contradictionem vnum & idem corpus eſſe circumſcriptiuè in duobus locis; ac proinde nec ſupernaturaliter fieri poteſt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd eſſe in loco circumſcriptiuè nihil aliud eſt, quàm eſſe in illo per commenſurationem, & adæquationem cum ipſo; ita vt totum locatum correſpondeat toti loco, & pars locati parti loci, quod non requiritur ad hoc, vt aliquid ſit in loco definitiuè: nam ſolùm requiritur, quòd locatum ita ſit ibi, vt non ſit alibi.

Probatur concluſio authoritate S. Aug. & D. Thom. S. Auguſtinus lib. 10. contra Fauſtum cap. 11. dicit corpus Chriſti non poſſe eſſe in Sole, & Luna extenſo modo, & in cruce ſimul: debet autem intelligi de potentia abſoluta; aliàs non probaret contra illum hæreticum D. Th. quodlibeto 3. ſic ait, *Ponere quòd vnum corpus ſit localiter in hoc loco, & tamen ſit in alio loco, eſt ponere contradictoria eſſe ſimul vera*: Vnde ſecundùm præmiſſa hoc à Deo fieri non poteſt. Idem docet in 4. d. 10. q. 1. art. 1. ad 5. 6. & 7. Idem d. 44. q. 2. art. 2. ad 4. Item 3. p. q. 76. art. 4. ad 2. vnde patet quòd verba Aug. adducta à Suare non ſunt ad propoſitum, nec contra nos: cùm ipſe Sanctus ſit eiuſdem opinionis: ſolùm arguit ibi quoſdam, qui opponebantur miſteriis fidei, quia illa capere non poterant: potiùs ſunt contra ipſum Suarem, qui tam humiliter ſentit de myſterio Euchariſtiæ, vt iudicet non poſſe ſubſiſtere niſi ſubſiſtat ſua opinio in materia tam dubia: non verò contra tot Doctores Catholicos, & Sanctos Patres, qui tam ſublimiter ſentiunt de hoc, & aliis myſteriis fidei; vt credant ſe non indigere iſtis rebus dubiis ad illa defendenda.

Secundò, de ratione loci circumſcriptiui eſt, quòd vndequàque comprehendat locatum, & ſit illi adæquatus, vt conſtat ex eius definitione: ergo implicat locatum comprehendi ab vno loco, & ſimul eſſe extra illum in alio, alioquin talis locus, vt ſupponitur, eſſet adæquatus, & non eſſet adæquatus: nam totum locatum eſſet extra illum; ſicut enim eſt impoſſibile, quòd aliquod corpus adæquetur ab aliquo loco circumſcriptiuo, & quòd nihilominus dimidium illius ſit extra talem: ita multò magis eſt impoſſibile, cum hac continentia adæquata, totum illud corpus eſſe extra talem locum. Declaratur hæc ratio D. Th. Locatum continetur à loco, non vtcumque; ſed tanquam à termino intra quem eſt, vt conſtat ex definitione loci tradita ab Ariſtot. ſcilicet quòd ſit terminus, ſiue extremitas corporis continentis: ſed id, quod continetur in aliquo, tanquam intra terminum, non poteſt eſſe extra illud: nam extremum definitur ab eodem Philoſopho 5. Met. *Quod ſit id, extra quod nihil rei poſſumus vſurpare*, Patet etiam exemplo termini vltimi motus; extra, ſiue vltra quem implicat dari motum: ergo hoc ipſum quod locatum adæquatur à loco, vt à termino, implicat quòd ipſum, aut aliquid eius ſit extra talem locum.

Tertiò, quantitas eſt ratio, per quam formaliter corpus ponitur in loco extensè & circumſcriptiuè; hoc enim fatentur omnes Philoſophi: imò ipſa quantitas ſecundùm propriam rationem quantitatis indiuiduatur à loco, ex D. Th. vt infra dicetur: ita vt ſit talis quantitas, quia eſt talis in loco; & ſit tanta quantitas, quia occupat tantum loci: ergo ſicut implicat vnam quantitatem eſſe duas, ſic implicat eſſe in duplici loco: nam multiplicato principio indiuiduationis, multiplicantur indiuidua; ac proinde eſt impoſſibile, quòd idem corpus quantum ſit in duobus locis circumſcriptiuè: non enim eſt poſſibile quòd vnum corpus habeat duplicem quantitatem.

Quartò, ſi vnum corpus per proprias dimenſiones poſſet eſſe in duobus locis circumſcriptiuè, etiam poſſet eſſe in omnibus, & vbique, ac proinde eſſet immenſum: non enim eſt maior ratio cur poſſit eſſe in duobus, & non in tribus, quatuor &c. quod autem eſt vbique, eſt immenſum; colligitur enim Deum eſſe immenſum, quia eſt vbique, & potens occupare quemcùmque locum poſſibilem: ſed implicat aliquod corpus eſſe immenſum, cùm immenſitas ſit proprietas Dei, vt docet Aug. lib. 6. contra Maximum cap. 12. & cùm D. Th. 1. p. q. 8. communiter Theologi; ac proinde incommunicabilis alicui creaturæ: ergo implicat vnum corpus eſſe extensè, & circumſcriptiuè in duobus locis. Nec ſoluunt argumentum aduerſarij dum dicunt illud corpus non fore immenſum. Primò quia ex ſe independenter ab alio, vt à prima cauſa non

haberet

haberet eſſe vbique. Secundò quia non eſſet vbique per vnam & indiuiſibilem præſentiam. Tertiò quia non eſſet in infinitis ſpatiis imaginatis, nec actu in infinitis locis. Nam contra primum. Si daretur aliqua creatura, quæ tanquam cauſa principalis, licèt dependenter à Deo, poſſet creare, vel effectus in infinitum perfectiores producere, rectè colligeretur illam eſſe, & non eſſe creaturam, habere & non habere omnipotentiam: eſſe quidem creaturam, vt ſupponitur; non eſſe verò creaturam, quia ſolius Dei eſt creare per modum cauſæ principalis: habere omnipotentiam, quia extenderetur ad infinitum effectum, etiam ex parte modi producendi; & non habere, quia proprium eſt ſolius Dei eſſe omnipotentem: ergo ex hoc quòd aliquod corpus habet à Deo, vt à cauſa efficiente; & à ſua quantitate, vt à cauſa formali, & principali virtutem replendi in actu primo omnium locorum, & actu ſit vbique; rectè infertur tale corpus eſſe, & non eſſe immenſum: nam eſſe in pluribus, & in pluribus locis vſque in infinitum, arguit virtutem locabilem infinitam; nec pluralitas præſentiarum obſtat infinitæ virtuti locabili; & conſequenter arguit illud corpus eſſe, & non eſſe immenſum: per quod patet ad ſecundam ſolutionem. Contra tertiam autem ſic arguitur. Illud corpus non deſineret eſſe in infinitis locis ex defectu ſui, cùm haberet virtutem locabilem infinitam; quæ ſe poteſt extendere ad omnem locum: ſed hoc eſſet ex defectu locorum, quia non ſunt actu infinita ſecundùm multitudinem: imò poſſet eſſe, quantùm eſt in ſe, in infinitis ſpatiis: ergo eſſet immenſum, ſicut Deus eſt immenſus; quamuis non ſit in locis poſitiuis actu infinitis, quia non eſt ex defectu eius, ſed locorum.

Quintò, ſi idem corpus eſſet in pluribus locis circumſcriptiuè, eſſet ſimul indiuiſum, & diuiſum à ſeipſo: nam ex qua parte eſt vnum, eſſet indiuiſum; ex qua parte verò eſt in hoc loco, diſtat à ſeipſo, vt eſt in alio; & conſequenter eſſet diuiſum à ſeipſo: ſed implicat idem eſſe diuiſum, & indiuiſum: ergo idem corpus non poteſt eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè. Nec valet reſponſio aduerſariorum, quòd ſcilicèt eſſet tantùm diuiſum localiter, & non entitatiuè. Nam contra. Non poteſt, vt dictum eſt, multiplicari extenſio, & præſentia localis, quin multiplicentur quantitates, ac proinde corpora; cùm hæc diſtinguantur numero, tanquam à prima radice, ex ſigillatione materiæ ad diuerſam quantitatem: ergo diuiſio localis infert diuiſionem entitatiuam. Confirmatur non poteſt multiplicari effectus formalis, etiam ſecundarius, quin multiplicetur forma; nam effectus formalis affert formam, vt communicatam ſubiecto: ſed extenſio & præſentia quantitatiua eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, vt etiam concedunt aduerſarij: ergo non poteſt multiplicari talis extenſio, & præſentia, manente immultiplicatâ quantitate, & corpore quanto; ſicut non poteſt aliqua res conſtitui in multiplici ſpecie ſine multiplicatione principiorum eſſentialium, vtrobique enim eſt paritas; nam ſicut materia & forma ſunt primæ radices conſtituendi rem in ſua eſſentia, ita quantitas eſt prima radix conſtituendi rem in ſuo loco circumſcriptiuè. Alia ſolent afferri inconuenientia, ſcilicet quòd idem corpus in vno loco poſſet ſedere, in alio ſtare; in vno eſſe frigidum, in alio calidum; in vno viuum, in alio mortuum; in vno eſſe in gratia, in alio peccare; & alia, quæ latè proſequuntur authores, ad quos remittimus breuitatis causâ.

Ad primum ergo dicendum, quòd repugnat ex vtraque parte. Ad primam probationem negatur paritas; nam eſſentia quantitatis, & eius effectus primarius poſſunt ſeparari ab effectu ſecundario propter prioritatem, & independentiam ab illo: effectus autem ſecundarius non poteſt multiplicari immultiplicatâ quantitate ob dependentiam eſſentialem, quam ab illa habet. Ad ſecundam verò probationem dicendum quòd ex hoc ipſo, quòd extenſio, & præſentia ad locum circumſcriptiuum petit neceſſariò adæquationem totius locati ad partes loci, vt ad terminum continentem, & exhaurientem totam vim locabilem quantitatis; implicat quòd ſit extra illum in alio loco: vnde falſum eſt quòd ſit difficilius vnum corpus eſſe in duobus locis; in vno quidem connaturaliter, in alio verò indiuiſibiliter; quàm eſſe in vtroque connaturaliter: nam hoc vltimum implicat contradictionem, non verò primum, quia extenſiones locales & præſentiæ quantitatiuæ ex hoc ſunt incompoſſibiles, quia vtraque eſt adæquata virtuti locali vnius quantitatis, & ita multiplicaretur, & non multiplicaretur quantitas illius corporis; extenſio autem localis, non habet incompoſſibilitatem cum præſentia Sacramentali, illa enim conuenit Corpori Chriſti ratione ſuæ quantitatis, hæc verò ratione propriæ ſubſtantiæ, non abſolutè, ſed inquantum ſubſtantia panis & vini conuerſa eſt in Corpus & Sanguinem Chriſti: vnde quælibet ex his præſentiis eſt adæquata ſuæ rationi formali, à qua oritur: prima quidem eſt diuiſibilis, quia conſequitur ad quantitatem ratione ſui eſſentialiter diuiſibilem, & ideo ad modum illius debet eſſe: alia verò eſt indiuiſibilis, nam talis præſentia conſequitur præcisè ad ſubſtantiam Corporis et Sanguinis Chriſti ratione ſui, quæ vt ſic eſt indiuiſibilis; & ita præſentia Sacramentalis debet eſſe ad modum illius indiuiſibilis, imò & quantitas Corporis Chriſti, quæ eſt ibidem ratione ſubſtantiæ, debet etiam eſſe indiuiſibiliter ad modum ſubſtantiæ, vt docet D. Thom. 3. p. q. 76. art. 4. ad 1. vnde hîc diuiſibile & indiuiſibile non opponuntur, quia referuntur ad diuerſa principia: ex quo patet, quòd non implicat eſſe in duobus locis, ſed tantùm implicat eſſe in vtroque extenſè: Corpus autem Chriſti eſt tantùm in cœlo extenſè ratione propriarum dimenſionum; eſt autem ſub ſpeciebus ratione conuerſionis ſubſtantiæ panis in ipſum: vnde ſicut multiplicatâ quantitate, & conſequenter multiplicato corpore, multiplicatur præſentia localis circumſcriptiua, ita multiplicatis conuerſionibus plurium ſubſtantiarum panis & vini in idem Corpus & Sanguinem Chriſti Domini, multiplicatur præſentia Sacramentalis, quia hæ conuerſiones non variant numericè eius ſubſtantialem vnitatem. Ad aliud ſimiliter dicendum, quòd licèt ſit difficilius aliquid eſſe in loco abſque modo naturali, quàm eſſe connaturaliter in illo: tamen implicat eſſe connaturaliter in duobus, & non implicat eſſe in illis abſque modo naturali; quia ex vno ſequitur multiplicari effectum ſecundarium formæ ſine multiplicatione talis formæ, quod eſt impoſſibile: ex alio autem ſequitur tantùm quantitatem poſſe ſeparari à ſuo effectu ſecundario, quod diuinitus eſt poſſibile, cùm non dependeat ab illo eſſentialiter.

Ad ſecundum dicendum cum D. Th. quodlib. 3. citato quòd implicat reiterata conuerſio quantitatis panis in quantitatem Corporis Chriſti, ſi talis quantitas eſſet in Sacramento extenſè in ordine ad locum: nam ſimul eſſet vnica & multiplex: vnica quidem, quia eſſet quantitas vnius tantùm Corporis: multiplex autem, quia eſſet in multiplici loco, à quo indiuiduaretur: ex quo patet quòd ad vnitatem quantitatis requiritur vnitas, tum Corporis, tum loci; ad multiplicationem verò ſufficit multiplicitas alterutrius, quia bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu.

Ad tertium dicendum hoc eſſe ſingulare in Diuinis Perſonis, quòd non ſe excludant à participatione eiuſdem naturæ: vnde quælibet ex illis inadæquatè quoad extenſionem terminat diuinam naturam: implicat autem eamdem naturam terminari à pluribus perſonis creatis ſimul & ſemel, ſicut & idem corpus terminari circumſcriptiuè à pluribus locis.

Ad quartum dicendum cum D. Thom. 3. p. q. 76. art. 8. quòd vera caro Chriſti non poteſt apparere in propria ſpecie in Euchariſtia, niſi deſinat eſſe in cœlo: vnde quando apparet aliquid, fit miraculosè mutatio in ipſis ſpeciebus: dicit autem D. Thom. 3. p. quæſt. 57. art. 6. ad 3. Chriſtum deſcendiſſe de cœlo per illam breuem motulam, quâ apparuit S. Paulo, nec hoc contradicit authoritatibus citatis: habemus exemplum in Concilio Toletano celebrato anno 1324. quod refertur apparitionem B. Virgini-

Virginis factum ad S. Alfonſum ſic ait, *Deſcendens de cœlo empyreo corporaliter viſitauit, ac donis & muneribus ſpiritualibus decorauit in ſignum ſpiritualis dilectionis, & amoris*: Licèt autem tunc Chriſtus abfuerit à cœlis, potuit ex illo loco, in quo erat, lætificare Beatos.

Ad quintum dicendum, quòd eſt magna diſparitas: nam penetratio duorum corporum in vno loco fit per ſeparationem effectus ſecundarij quantitatis ab ipſa, quod diuinitus eſt poſſibile; at eſſe circumſcriptiuè in duplici loco, arguit multiplicationem effectus ſecundarij, non multiplicatâ formâ.

Ad ſextum dicendum quantùm ad primum, quòd locus circumſcriptiuus finit & exhaurit virtutem locabilem, quam habet corpus ratione quantitatis; cùm ſit terminus extrinſecus adæquatus illius, ſecundùm iſtam rationem conſiderati: non verò virtutem, quam habet ad eſſendum in pluribus locis, aut quaſi locis ratione conuerſionis alterius ſubſtantiæ in ipſum; per ſe autem loquendo, hic modus Sacramentalis non eſt modus eſſendi in loco, ſed eſſendi ſub ſpeciebus per modum ſubſtantiæ, vt ait D.Thom.in 4. d.10.q.1.art.1.ad 5. Ad aliud dicendum tunc eſſe inconueniens, vt aliquid diſtet à ſe localiter, quando inde infertur diuiſio entitatiua eiuſdem à ſeipſo, ſicut ſuccederet, ſi eſſet in duplici loco circumſcriptiuè, vt dictum eſt; non autem per hoc, quòd ſit in pluribus Sacramentaliter. Ad aliud dicendum, quòd inde non ſequitur Corpus Chriſti eſſe immenſum, ſicut ſequeretur ex alio; quia ex vi huius conuerſionis tantùm poteſt eſſe ſub his ſpeciebus, & non ſub aliis: vnde ratio eſſendi in pluribus non eſt vnica, ſed ſunt diuerſæ illæ conuerſiones finitæ in actu, & infinitæ in potentia: vnde in illo non eſt vna & eadem formaliſſima ratio, quæ ſit infinita actu: ſi autem eſſet in pluribus locis ratione dimenſionum, tunc ratio illa locabilis eſſet vnica; & quia reſpiceret omnem locum poſſibilem, eſſet actu infinita. Ad confirmationem ſimiliter dicendum ex comprehenſione eiuſdem obiecti à pluribus numero ſcientiis, non ſequi multiplicationem rationis formalis (ſub qua) talis obiecti, & ſic eſt adæquatio inter obiectum & ſcientiam, ſi ſcientis conſideretur ſecundùm ſpeciem; comprehenſio verò à pluribus locis arguit multiplicationem eiuſdem corporis.

QVÆSTIO XX.

De vacuo.

Qvia vacuum eſt locus, non quidem repletus, & actu locans, ſed in potentia, ideo poſt conſiderationem loci, ſtatim occurrit conſiderandum de vacuo: circa quod quæruntur quatuor?

¶ Primò, Vtrùm poſſit dari vacuum in rerum natura?
¶ Secundò, Vtrùm poſſet dari motus in vacuo, ſi eſſet?
¶ Tertiò, Vtrùm motus in vacuo, fieret in inſtanti?
¶ Quartò, Vtrùm motus grauium ſurſum, & leuium deorſum, ad replendum vacuum, ſit violentus?

Articvlvs I.

Vtrùm poſſit dari vacuum in rerum natura?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd poſſit naturaliter dari vacuum in rerum natura, ita tenent aliqui Philoſophi. Probatur. Si darentur duo lapides bene politi, & vnus ſuper alium perpendiculariter caderet, neceſſariò daretur vacuum; nam cùm aër medius deberet recedere, & hic caſus non poſſit fieri in inſtanti, medium illius ſpatij, in quo erat aër, per eius receſſum remanet vacuum: ſed poſſunt dari tales lapides naturaliter: ergo poteſt dari vacuum naturaliter. Similiter ſi darentur duæ tabulæ prægrandes, ita perfectè planæ, vt ſe tangerent ſecundùm omnes partes ſuarum ſuperficierum: tunc ſi ſuperior velociter, & æqualiter per omnes partes eleuaretur, non poſſet tam citò aër intrare & replere illud ſpatium intermedium: ergo tunc daretur naturaliter vacuum.

¶ 2. Præterea, Si impleatur vas æneum aquâ calidâ, & benè clauſum ponatur intra puteum, vel in alio loco frigidiſſimo, tunc congelabitur aqua & fiet denſior, & conſequenter minus ſpatij occupabit ac antea; ac proinde remanebit aliquid ſpatij vacuum in tali vaſe, cùm non poſſit ſubintrare aër, aqua &c. ergo naturaliter poteſt dari vacuum.

¶ 3. Præterea, Non videtur impoſſibile quòd Angelus expellat totum aërem, qui eſt in vna aula, & impediat ne ingrediatur alius: cùm Angelis obediat natura quoad motum localem ex D. Thom.1. p.q.110. art.3. ſed in tali caſu daretur vacuum: ergo naturaliter poteſt dari vacuum.

¶ 4. Præterea, Quando aliquod corpus denſum rareſit, non habet plus materiæ, quàm antea, & tamen plus ſpatij occupat: ergo ſignum eſt, quòd in tali ſpatio detur aliquid vacui.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtot. in hoc 4. libro, & D. Thom. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm experientiâ conſtet, omnia corpora naturalia contra particularem eorum inclinationem concurrere magno impetu ad impediendum vacuum, quòd eſſet fruſtra ſi daretur, ſignum eſt quòd non poſſit naturaliter dari.

Respondeo dicendum, quòd licèt potuerit & poſſit dari vacuum in rerum natura per potentiam Dei ſupernaturalem: 2. tamen eſt impoſſibile dari per virtutem alicuius agentis naturalis; 3. etiam Angeli. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt vacuum ſumi dupliciter. Primò latè, prout dicit ſpatium imaginarium & inane, vt dicit D.Thom. in 2. d.1.q.1. art.5.ad 4. Secundò ſumitur propriè, prout eſt locus non repletus corpore, & de hoc procedit difficultas: locus autem, qui eſt ratio materialis vacui, ponitur pro genere, & excludit ſpatium imaginarium, quod conſiſtens in negatione & non in priuatione, nihil reale poſitiuum importat pro materiali, cuius contrarium contingit in vacuo propriè dicto, quod importat ab intrinſeco priuationem: per alias particulas diſtinguitur ab aliis, maximè à loco actu repleto corpore; & ita vacuum eſt quaſi concretum accidentale, conſtans ex loco, & priuatione corporis locati, quæ ſe habet ad modum formæ reſpectu illius.

Probatur prima pars concluſionis. Potuit Deus creare tantùm cœlos abſque eo, quòd crearet elementa: ſed tunc hoc ſpatium, quod fuiſſet inter cœlos, fuiſſet vacuum, cùm fuiſſet aptum repleri corpore: ſimiliter poteſt nunc Deus annihilare eadem elementa remanentibus cœlis; qui enim poteſt creare, poteſt & annihilare: ſed hoc poſito daretur vacuum, nam ſuperficies concaua cœli Lunæ eſſet non repleta corpore: ergo potuit, & poteſt dari vacuum in rerum natura per potentiam Dei ſupernaturalem.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Deus & natura nihil agunt fruſtra, ſicut enim arguit imperfectionem, deficere in neceſſariis, ſic & abundare in ſuperfluis: ſed vacuum, ſi daretur, eſſet fruſtra, quia non conduceret, nec ad bonum vniuerſi, nec alicuius particularis, imò afferret magnum nocumentum naturæ: nam tolleret contiguitatem inter corpora, ex Ariſtotele 1.Metaph. & ſic non omnia reciperent cœleſtes influentias, quibus conſeruantur, quia agens naturale non poteſt agere in diſtans, quin prius agat in contiguum, vt infra dicetur: ergo naturaliter, ſiue per virtutem alicuius agentis naturalis, eſt impoſſibile dari vacuum: vel dicendum eſt quòd natura ſibi eſſet contraria & nociua. Deinde hoc conſtat experientiâ: nam patet ad oculum, quòd omnia corpora, etiam contra propriam inclinationem, magno impetu & inuſitatis mediis impediunt vacuum: ſicut ſi ſit fiſtula, cuius vna extremitas attingat aquam, ſi per aliam extrahatur aër, aqua aſcendit ſurſum mota ab authore

thore naturæ, vt occupet locum, quem relinquit aër: similiter si sit ampullx, cuius os sit angustum, non decidet aqua nisi paulatim, vt detur via aëri, quà possit intrare, & replere locum, quem aqua decidens relinquit: ergo per virtutem agentis naturalis est impossibile dari vacuum in rerum natura.

Probatur tertia pars conclusionis. Solius est authoris naturæ immutare naturam, vt patet ex illo Iob. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Item ex illo ad Hebræos 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ.* Item authoritate D. Th. q. 16. de malo art. 10. ad 8. vbi loquens de dæmonibus, quorum virtus naturalis non fuit ablata vel diminuta per peccatum, sic ait: *Licèt dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur quòd possint mouere totam terram; quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, vt mutent ordinem elementorum mundi:* Sed inducere vacuum est immutare naturam, vt patet, cùm illud refugiat: imò inducere vacuum, est quid miraculosum, & supra totam naturam, ac contra eius inclinationem: constat autem quòd nullum agens naturale, etiam Angelus potest propriâ virtute facere miraculum: ergo est impossibile dari vacuum in rerum natura per virtutem etiam Angeli.

Ad primum ergo dicendum cum Aristotele. 2. de anima textu 113. quòd si darentur illi duo lapides, esset impossibile quòd vnus omnino caderet super alium, ita vt illud tangeret, sed inter vtrumque esset aliquid medium, vel aër, vel aqua &c. Ad aliud dicendum quòd vel superior tabula non posset eleuari, nisi secum traheret inferiorem, vel eleuaretur pedetentim tantùm, vt daretur locus aëri intranti: vterque tamen casus est naturaliter impossibilis, vt ait ibidem Philosophus.

Ad secundum dicendum, quòd dato illo casu, vel non congelaretur aqua, vel frangeretur vas, etiam durissimum, si aliunde non posset subintrare aliud corpus: deinde, cùm talis congelatio non fiat sine evaporatione aquæ, vapor exhalatus occuparet locum, quem relinqueret aqua.

Ad tertium dicendum, quòd licèt D. Th. dicat 1. p. q. 110. art. 5. quòd corpora obediant Angelis quoad motum localem, debet omnino intelligi cum hac limitatione, si hic motus sit ad bonum, vel ad malum alicuius particularis; non autem si sit primò, & directè ad bonum, vel malum totius vniuersi, vt accidit in præsenti, quando aliquid mouetur ad replendum vacuum; hic enim motus actiuè procedit ab vniuersali authore naturæ Deo: vnde à nulla virtute creata vinci potest, aliàs esset contra ordinem vniuersi, & esset immutare naturam, vt dictum est, quòd naturaliter fieri non potest.

Ad quartum dicendum, quòd sicut condensatio fit per exclusionem corporis subtilioris, siue sit aliquis humor, siue aër, aut quid simile; sic rarefactio fit per admissionem alicuius corporis subtilioris.

Articvlvs II.

Vtrùm posset dari motus in vacuo, si esset?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non posset dari motus in vacuo, si esset. Ita tenent Auerroës, Themistius, Simplicius, Albert. Magnus, Pereira & alij. Probatur. Motus istorum inferiorum dependet ex influentia cœli; primum enim in vnoquóque genere est causa cæterorum illius generis: & ita primus motus, qualis est cœlestis, est causa cæterorum motuum: sed in vacuo non potest recipi talis influentia, quia interrumperetur medium, & consequenter illa influentia non posset continuari, nec pertingere ad corpus existens in vacuo: ergo non posset dari motus in vacuo.

¶ 2. Præterea, Non potest dari motus, qui sit sub genere, aut quasi genere motus, & tamen non sit sub aliqua eius specie, vt patet: sed motus, qui fieret in vacuo, v. g. si Deus annihilaret quatuor elementa, non esset in aliqua eius specie, quia non daretur tunc sursum & deorsum, qui sunt termini, à quibus motus specificatur: ergo non posset dari motus in vacuo.

¶ 3. Præterea, Terminus motus localis est Vbi, siue Vbicatio: & sic si in vacuo daretur motus localis, acquireretur Vbi, siue Vbicatio, cùm non possit dari motus sine termino (ad quem:) motus enim est via ad terminum: sed in vacuo non posset acquiri Vbi, cùm Vbi sit ipse locus ambiens locatum; constat autem quòd in vacuo non acquiritur locus, licèt enim totum vacuum sit vnus locus, tamen in vacuo non sunt plura loca, quæ per motus acquirantur, cùm in vacuo nihil sit: ergo non posset dari motus in vacuo, si esset.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. hîc lect. 12. item in 4. d. 44. quæst. 2. art. 3. ad 2. quem sequuntur Scotus in 2. d. 2. quæst. 9. Soto, Masius, nostri Complutenses, Toletus, Conimbricenses, Ruuius, & alij in præsenti.

Conclusio.

Cùm corpora Physica sint ab intrinseco mobilia, & Deus possit in vacuo supplere influxum cælorum, posset dari motus in vacuo, si esset.

Respondeo dicendum, quòd posset dari motus in vacuo si esset. Probatur. Non repugnaret talis motus, nec ex parte mobilis, cùm supponatur illud esse corpus naturale, & consequenter ab intrinseco mobile; nec ex defectu influentiæ cœlestis, siue primi mobilis: nam Deus potest per suum concursum supplere influentias cœlestes, à quibus res dependent in esse & operari: ergo posset dari motus in vacuo, & ita posset aliquod corpus ibi moueri, vel à Deo immediatè, vel ab Angelo, vel à seipso: non enim videtur, vnde possit oriri repugnantia, cùm nihil aliud præter assignata requiratur ad motum ex parte mobilis: ex parte medij autem nulla esset repugnantia, cùm in medio nulla esset resistentia, quæ solet impedire aut retardare motum: ex parte etiam terminorum nulla esset, vt constabit ex solutione argumentorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus vt supremus author naturæ, potest supplere illas influentias, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd eo ipso quòd cœlum sit primum continens; per ordinem ad illud dicerentur illi motus sursum, si accederent ad illud, & deorsum si ab illo recederent.

Ad tertium dicendum, quòd ad acquirendum Vbi, siue Vbicationem, non necessariò requiritur locus particularis, sed sufficit locus communis, scilicet cœlum; per ordinem ad quem, siue per variam distantiam acquireret variam Vbicationem, nam ab vna parte loci communis transiret in aliam.

Articvlvs III.

Vtrùm motus in vacuo fieret in instanti?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd si fieret motus in vacuo, fieret in instanti. Ita tenent Auerroës in præsenti, & aliqui alij. Probatur authoritate Philosophi hîc, vbi hoc expressè dicit, & probat.

¶ 2. Præterea, Resistentia medij est causa cur motus consumat tempus; quò enim est maior resistentia, eò plus temporis insumit; & quò minor, etiam minus temporis insumit: ergo vbi nulla erit resistentia medij, nullum tempus insumetur, & sic fiet in instanti: sed in vacuo, cùm nullum sit medium, nulla potest esse resistentia medij: ergo in vacuo motus fieret in instanti; sicut illuminatio Solis fit in instanti, quia nullam inuenit resistentiam ex parte medij, scilicet aëris, qui illuminatur.

¶ 3. Præterea, Si motus in vacuo non fieret in instanti, sequeretur quòd duo corpora æqualia in requisitis ad motum, æquali velocitate mouerentur, vnum

per plenum, aliud per vacuum: nam ponatur, quòd vnum corpus ex illis intra quadrantem percurrat tantam diſtantiam in vacuo, & quòd aliud requirat dimidiam horam ad percurrendam æqualem pleni diſtantiam propter reſiſtentiam medij, ſi tale medium ſit duplo ſubtilius, in duplo minori ſpatio percurret, & ita in quadrante: ſed eſt impoſſibile quòd duo corpora æqualia in requiſitis ad motum, æquali velocitate moueantur, vnum per plenum, aliud per vacuum: ergo ſi motus fieret in vacuo, fieret in inſtanti.

§ 4. Præterea, Quantò virtus motoris eſt fortior, & minor reſiſtentia medij, tantò motus eſt velocior, & minori duratione perficitur: ergo ſi virtus motoris ſit infinita, & nulla ſit reſiſtentia medij, motus erit velociſſimus, & in minima duratione, quæ eſt inſtans, perficietur; & hoc probat Philoſophus 8. Phyſic. textu 79. nam concludit, quòd ſi potentia alicuius corporis eſſet infinita, moueret in inſtanti: ſed virtus Dei mouentis eſt infinita: ergo poteſt in vacuo, in quo nulla eſt reſiſtentia medij, mouere in inſtanti.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. hîc lect. 12. & in 4. d. 44. q. 2. art. 3. ad 2. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli & alij Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm motus ab intrinſeco petat, vt ſit ſucceſſiuus, per hoc enim differt à mutatione, quæ eſt tota ſimul, impoſſibile eſt quòd fiat in inſtanti, etiam in vacuo.

Respondeo dicendum, quòd ſi fieret motus in vacuo, fieret in tempore, & eſt impoſſibile quod fiat in inſtanti. Probatur ratione D. Thom. loco citato. Succeſſio motûs localis non ſolùm oritur ex reſiſtentia medij, ſed etiam aliunde: primò, ex finitate & limitatione potentiæ mouentis: ſecundò, ex maiori, vel minori grauitate, aut leuitate mobilis; vnde per idem medium grauiora citiùs deſcendunt, & leuiora citiùs aſcendunt: tertiò, ex contraria inclinatione mobilis, ratione cuius reſiſtit, & retardat motum, vt apparet in motibus violentis: quartò, ex diſtincto ſitu mobilis, ſiue ex diſtantia extremitatum medij percurrendi: ergo licèt motus fieret in vacuo, ſemper fieret ſucceſſiuè; ac proinde in tempore, & non inſtantaneè, ſiue in inſtanti: aliàs ſimul eſſet in termino (à quo,) & in termino (ad quem,) & in vacuitatibus intermediis, quod demonſtratur ſequenti demonſtratione Mathematicâ.

Secundò, conſtituatur columna deſcendens à cœlo in terram per vacuum, & moueatur iuxta illam corpus vnius vlnæ longitudinis, cadens è ſurſum deorſum, non poſſet in vno & eodem inſtanti ſimul eſſe iuxta omnes partes illius columnæ: primò, quia corpus exiguæ quantitatis non poteſt ſimul correſpondere corpori maximæ quantitatis, & ita ſucceſſiuè debet percurrere eius partes. Secundò, nam aliàs illud corpus eſſet ſimul in diuerſis & diſtantibus locis, quod eſt impoſſibile: ergo illud corpus eſſet prius iuxta priores, & deinde iuxta poſteriores partes columnæ, & conſequenter in illo deſcenſu verè conſumeretur tempus; & ſic motus ille non fieret, nec poſſet fieri in inſtanti. Confirmatur. In illo corpore vnius vlnæ, cùm ſit diuiſibile, aſſignentur duæ medietates, vna prior, alia poſterior, tunc de neceſſitate prior perueniret priùs in ſuo deſcenſu ad medietatem columnæ, quàm poſterior: ſed vbi eſt prius & poſterius, ibi eſt ſucceſſio & tempus: ergo motus in vacuo non fieret in inſtanti.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philoſophus ibi non loquitur in propria ſententia, ſed argumentatur ad hominem contra eos, qui dicebant ſucceſſionem motûs prouenire tantùm ex reſiſtentia medij: vnde optimè concludit contra illos, quòd in vacuo fieret in inſtanti, cùm ibi non ſit medium reſiſtens.

Ad ſecundum dicendum, quòd reſiſtentia quidem medij eſt cauſa ſucceſſionis in motu, ſed tamen non eſt cauſa adæquata: vnde licèt in vacuo motus eſſet velocior, quia nulla eſſet reſiſtentia medij, tamen eſſet ſucceſſiuus ex aliis capitibus, nec exemplum de illuminatione Solis eſt ad propoſitum; nam in productione qualitatis, ſola reſiſtentia paſſi habentis contrarium poſitiuum eſt cauſa ſucceſſionis; & ideò illuminatio aëris fit per ſe in inſtanti, quia tenebræ oppoſitæ luci non ſunt quid poſitiuum, in motu verò locali ſucceſſio prouenit ex pluribus capitibus, vt dictum eſt.

Ad tertium dicendum, quòd illud ex his duobus corporibus, quod moueretur per vacuum, ſemper eamdem diſtantiam in minori duratione percurreret, quàm aliud quod moueretur per plenum etiam ſubtiliſſimum; quia ibi aliqua, illic nulla eſſet reſiſtentia: quantò autem medium eſſet ſubtilius, citiùs percurreretur, nunquam tamen tam citò ac vacuum, cæteris paribus: quantò autem medium eſt craſſius, tantò tardius percurritur.

Ad quartum dicendum, quòd quia ſucceſſio motûs prouenit ex pluribus capitibus, vt dictum eſt, licèt virtus mouentis ſit infinita, & nulla eſſet reſiſtentia medij, tamen motus non fieret in inſtanti, quia adhuc ſubſiſtunt aliæ cauſæ ſucceſſionis illius: Philoſophus autem vel loquitur in ſententia eorum, qui ſucceſſionem motûs reducebant in limitationem virtutis mouentis, tanquam in cauſam adæquatam, vel debet intelligi, quòd moueret in inſtanti, quantùm eſt ex parte ſua.

Articvlvs IV.

Vtrùm motus grauium ſurſum, & leuium deorſum, ad replendum vacuum, ſit violentus?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd motus grauium ſurſum, & leuium deorſum ad replendum vacuum, ſit violentus. Probatur Philoſophus 4. de cœlo textu 39. dicit quòd ſi tolleretur ignis à ſuo loco, aër vi aſcenderet ad concauum Lunæ ſicut & aqua in locum aëris illo ſublato; & quòd ignis non deſcenderet deorſum amoto aëre, niſi vi: ſed talis motus eſſet ad replendum vacuum: ergo motus grauium ſurſum, & leuium deorſum ad replendum vacuum, eſt violentus.

§ 2. Præterea, Motus contrarius motui naturali eſt motus violentus, ſiue ſit contrarius quoad ſubſtantiam ſiue tantùm quoad modum, quia talis motus aduenit mobili nullam vim ad ipſum conferenti, at potiùs reſiſtenti: ſed motus naturalis grauium eſt deorſum, leuium autem ſurſum, vt experimur: ergo motus grauium ſurſum & leuium deorſum ad replendum vacuum, eſt violentus.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. multis in locis, & communis ſententia Philoſophorum.

Conclvsio.

Cùm pars naturali inclinatione feratur ad bonum ſui totius, & replere vacuum ſit bonum vniuerſi, motus grauium ſurſum & leuium deorſum ad replendum vacuum, eſt naturalis, & non violentus.

Respondeo dicendum, quòd motus grauium ſurſum, & leuium deorſum ad replendum vacuum eſt violentus, ſi conſideretur per ordinem ad naturam ipſorum particularem. 2. Sed eſt naturaliſſimus, ſi conſideretur per ordinem ad ipſa, vt ſunt partes vniuerſi. 3. Ac proinde talis motus eſt naturalis in ordine ad naturam vniuerſalem, & in ordine ad cauſas ſuperiores, ex quarum influentia procedit. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt motum naturalem, prout hîc agitur, eſſe illum qui procedit ex naturali inclinatione aut exigentia mobilis, vt motus grauium deorſum & leuium ſurſum: nam locus naturalis grauium eſt centrum terræ, & ita naturali inclinatione ad illud mouentur; locus autem naturalis leuium eſt ſurſum, & ita naturali inclinatione ad illum mouentur: motus circularis cœli, quia debetur eius figuræ ſphæricæ, eſt naturalis, motui autem naturali opponitur motus violentus, ac proinde eſt ille, qui aduenit mobili contra naturalem eius inclinationem, vnde eſt in mobili, ipſo nullam ad illum vim conferente, ſed potius illi reſiſtente: motus autem aliquando eſt violentus quoad ſubſtantiam, vt motus lapidis

pidis

pidis sursum, nam est totaliter contra naturam ipsius; aliquando verò est tantùm violentus quoad modum, & naturalis quoad substantiam, vt motus velox lapidis deorsum, quando proiicitur: nam licèt lapis naturaliter tendat deorsum ratione suæ grauitatis, tamen non petit tendere cum tanta velocitate, quæ debeatur maiori grauitati, quàm suæ: quo enim est maior grauitas, eo est velocior motus deorsum, vt quotidianâ constat experientiâ.

Probatur prima pars conclusionis. Omnia mouentur naturaliter ad sua loca naturalia, cùm in ipsis tanquam in fine debeant quiescere, & conseruari: sed locus grauium naturalis est deorsum, leuium verò sursum, vt patet: ergo grauia naturaliter mouentur deorsum & leuia sursum; vnde si grauia mouentur sursum & leuia deorsum, mouentur motu contrario suæ inclinationi naturali, ac proinde violento. Deinde experimur quòd si grauia relinquantur sibi ipsis, tendunt deorsum, leuia autem sursum: ergo motus grauium sursum, & leuium deorsum ad replendum vacuum, est ipsis violentus, si consideretur per ordinem ad naturam ipsorum particularem.

Probatur secunda pars conclusionis ratione D. Thom. Quælibet pars magis naturaliter inclinatur in bonum sui totius, quàm in suum bonum particulare, hoc enim quotidie experimur; & ratio huius est, quia pars eo ipso, quòd est pars, id quod est, alterius est: & ideò principalius, & magis inclinatur in conseruationem & bonum illius, cuius est, quàm in suum bonum particulare. Deinde, quia natura principaliùs intendit bonum, quod est maius & diuinius: sed bonum vniuersi est maius & diuinius, quàm bonum cuiuslibet particularis: ergo cùm replere vacuum sit bonum vniuersi, vt supra dictum est, motus grauium sursum, & leuium deorsum ad replendum vacuum, est naturalissimus, si consideretur per ordinem ad ipsa, vt sunt partes vniuersi: & consequenter magis naturalis ipsis, vt sic, quàm naturalis ipsorum motus, vt sunt naturæ particulares.

Probatur tertia pars conclusionis. Motus grauium sursum, & leuium deorsum ad replendum vacuum, tendit ad bonum vniuersi, cùm remoueat aliquod malum vniuersi, scilicet vacuum, vt dictum est; causæ verò superiores magis, & principaliùs intendunt bonum vniuersi, quàm bonum particularis, vtpote bonum maius, principalius & diuinius: sed motus, qui tendit ad bonum alicuius, est ipsi naturalis, vtpote conformis eius naturali inclinationi, quæ semper tendit in bonum: ergo talis motus est naturalis in ordine ad naturam vniuersalem, & in ordine ad causas superiores, ex quarum influentia procedit. Ex quo patet, quòd propriè loquendo, tantùm agens particulare causat motum violentum, non autem agens vniuersale in istis naturalibus, & maximè Deus author naturæ; cùm enim ipsi naturali iure omnia subdantur, quæcumque inclinatio ab illo impressa, & motus ipsam consequens est ipsis naturalis; qui enim condidit naturam, potest illam mutare.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philosophus, per ly (vi) vel intelligit magno impetu, qui non contrariatur, imò concomitatur motum naturalem; vel si per ly (vi) intelligit violenter, loquitur attentâ naturâ particulari elementorum; certum enim est quòd, vt sic, vnius corporis simplicis est tantùm vnus motus simplex; si autem considerentur, vt sunt partes vniuersi, tot sunt motus eorum naturales quot motus ad quos inclinantur ex impressione causarum superiorum maximè in ordine ad bonum vniuersi.

Ad secundum dicendum, quòd motus grauium sursum & leuium deorsum non est contrarius ipsorum inclinationi naturali, nisi inquantum sunt naturæ particulares, non autem vt sunt partes vniuersi: nam vt sic nullum habent motum naturalem, nisi illum, qui ordinatur ad bonum vniuersi: vnde motus ipsorum naturalis, vt sunt naturæ particularis, non est semper ipsis naturalis, vt sunt partes vniuersi, sed tantùm quando confert ad bonum vniuersi; si autem esset contra bonum vniuersi, esset violentus.

QVÆSTIO XXI.

De Tempore.

Deinde considerandum est de Tempore, quòd est mensura motûs, cuius natura difficillimè explicatur: ait enim Augustinus, *Quid est tempus? si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio*: Propter quam difficultatem multùm in eius discussione authores discordant: quæruntur igitur circa tempus septem.

¶ Primò, Vtrùm tempus sit ens reale?
¶ Secundò, Vtrùm tempus distinguatur realiter à motu?
¶ Tertiò, Vtrùm tempus sit numerus motûs secundùm prius & posterius?
¶ Quartò, Vtrùm tempus solùm existat ratione instantis?
¶ Quintò, Vtrùm sit tantùm vnum numero tempus?
¶ Sextò, Vtrùm substantiæ generabiles, & corruptibiles quoad suum esse mensurentur tempore?
¶ Septimò, Vtrùm tempus essentialiter distinguatur ab æternitate & æuo?

Articvlvs I.

Vtrùm tempus sit ens Reale?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd tempus non sit ens reale. Ita tenent aliqui dicentes quòd licèt tempus secundùm materiale, quod importat, scilicet motum, sit ens reale, tamen secundùm formale, & intrinsecum est ens rationis. Probatur authoritate. Philosophus in hoc lib. cap. vltimo docet tempus, ita pendere ab anima, vt si non esset anima, non esset tempus: quod exponens D.Th.lect.15. dicit tempus absque anima esse imperfectè ens. Item in 1.d.19.q.5.art.1.sic ait: *Et similiter est de tempore, quod habet fundamentum in motu, scilicet prius & posterius ipsius motus, sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis*: Sed ens, quod omnino pendet ab anima, non est ens reale: ergo tempus non est ens reale.

¶ 2. Præterea, Partes temporis sunt præteritum & futurum, non enim habet partes præsentes, cùm existat solùm ratione instantis: sed præteritum, cùm iam non sit, & futurum, cùm nondum sit, non sunt ens reale: ergo nec tempus conflatum ex his partibus est ens reale.

¶ 3. Præterea, In rebus continuis solùm reperitur numerus per intellectum, sicut in tela non reperiuntur quatuor palmi, nisi per intellectum distinguentem illos: sed tempus est numerus applicatus rei continuæ, scilicet motui primi mobilis, vt constat ex eius definitione: ergo tempus non est ens reale & à parte rei at tantùm per intellectum distinguentem in motu prius & posterius.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur non solùm Thomistæ sed & communiter alij Philosophi.

Conclvsio.

Cùm tempus sit vera species quantitatis continuæ, & duratio entis realis, est ens reale.

Respondeo dicendum, quòd tempus est verum ens reale. Probatur authoritate Aristotelis, qui cap. de Quantitate, docet tempus esse veram speciem quantitatis continuæ; nec per tempus intelligit motum, in quo subiectatur, cùm ex eodem Aristotele motus non ponatur directè in prædicamento, nec determinatè in vllo, sed quilibet motus reducatur ad prædicamentum sui termini: sed nihil ponitur in prædicamentis, nisi sit ens reale (ideo enim dicuntur prædicamenta entium realium:) ergo tempus est

eſt ens reale. Item D.Thom.opuſc.44.cap.1. poſt relatam opinionem aduerſariorum ſic ait : *Iſtud non poteſt habere veritatem, quia cùm tempus ſit numerus motus, & ſit numerus numeratus, ſic eſt neceſſe eſſe tempus, ſicut & motus.* Conſtat autem, quòd motus eſt in re extra : ergo & tempus eſt in re extra.

Secundò probatur ratione D.Th.1.p. q.10.art.4. Duratio entis realis, eſt ens reale; nam quidquid eſt in rerum natura, verè realiter durat, ac proinde habet durationem realem : ſed tempus eſt duratio motûs, & rerum corruptibilium realiter exiſtentium, vt communiter tenent Philoſophi : ergo tempus eſt ens reale. Confirmatur. Motus primi mobilis nemine cogitante plus durat, quàm motus lapidis : ergo habet maiorem durationem, & ſic eius duratio eſt à parte rei, & ens reale : ſed duratio motûs primi mobilis eſt tempus, de quo nullus dubitat : ergo tempus eſt à parte rei nemine cogitante, & conſequenter eſt ens reale.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philoſophus mouet ibi quæſtionem. An non exiſtente animâ, eſſet tempus. Et pro ratione dubitandi affert verba citata ab aduerſariis; vnde non ſunt expreſſiua mentis Ariſtotelis, qui poſtea propoſitam difficultatem ſic determinat; *Aut oportet dicere, quòd tempus non ſit, ſi non eſt anima, aut oportet hoc dicere verius, quòd tempus eſt vtcumque ens ſine anima &c.* Imperfectio autem quam inuoluit tempus ſine anima, propter quam dicitur ab Ariſtotele vtcumque ens, & à D. Thom. imperfectè ens, declaratur ab eodem D.Th. quia ſcilicet tempus non habet eſſe fixum in rebus, ſicut permanentia : vnde non eſt actu ſecundùm omnes ſuas partes realiter, & ſic non habet eſſe totum ſimul, niſi per animam apprehendentem ſimul omnes eius partes ſucceſſiuè fluentes : & propter hoc comparat tempus cum motu, quem ad ſenſum patet eſſe à parte rei, & ens reale. Ad alium locum D.Th. dicendum, quòd tantùm loquitur de complemento extrinſeco : vnde menſuratio radicalis, & in actu primo reſpectu motus, eſt formale temporis, & hæc eſt à parte rei independens ab anima; menſuratio autem actualis illi conuenit dependenter ab anima, inquantum apprehendit ipſum motum actu menſurari à tempore, quamuis in rei veritate menſuratio formalis, & in actu ſecundo conueniat tempori in ordine ad motum à parte rei, & ab intrinſeco, vt eius proprietas.

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt ſucceſſiua, vt tempus, non ſint tota ſimul, ſed eorum partes ſucceſſiuè fluant vna poſt aliam, tamen pars actu fluens eſt aliquid reale actuale, ſed non permanens : vnde licèt ſucceſſiua non ſint entia realia actualia ratione partium præteritarum aut futurarum, tamen ratione partis præſentis ſunt entia realia; actualis autem præſentia conuenit omnibus partibus ſucceſſiuè, nam partes præteritæ habuerunt rationem præſentis, & futuræ habebunt.

Ad tertium dicendum, quod ly (numerus) qui eſt in definitione temporis, non ſumitur propriè, ſed ſignificat menſuram, quæ explicatur per numerum, quia nobis notior eſt quantitas diſcreta quàm continua : vndè in omni re menſurata apprehendimus quantitatem diſcretam, & rem illam ſignificamus ad modum quantitatis diſcretæ, licèt ſit continua, dicimus enim hunc pannum habere tot vlnas.

Articvlvs II.

Vtrùm tempus diſtinguatur realiter à motu?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd tempus non diſtinguatur realiter à motu. Ita tenet Durandus in 2. d. 2. q. 3. & alij iuniores, alij verò vniuerſaliter tenent nullam durationem diſtingui realiter à re durante. Ita Scotus in 2.d.2.q.2. Maſius in præſenti c.12. ſect.4. Suares tom.2. Metaphyſicæ diſp.50.ſect.1. & plures alij. Probatur. Numerus numeratus non diſtinguitur realiter à rebus numeratis, ſicut ſenarius hominum numeratorum non diſtinguitur realiter ab hominibus numeratis : ſed ex Ariſtotele hîc tempus eſt numerus numeratus partium motûs : ergo tempus non diſtinguitur realiter à motu.

¶ 2. Præterea, Duratio nihil eſt aliud, quàm perſiſtentia, & continuatio rei in ſuo eſſe : ſed perſiſtentia in eſſe non diſtinguitur ab ipſo eſſe, nam ex D. Th. creatio, & conſeruatio ſunt eadem actio, & ſic debent habere eumdem terminum; creatio autem terminatur ad eſſe, conſeruatio verò ad perſiſtentiam in eſſe, vnde eſſe & eius perſiſtentia idem ſunt : ergo duratio non diſtinguitur realiter à re durante, ac proinde ſicut in permanentibus perſiſtentia nihil addit ſupra eſſe, ſic nec in ſucceſſiuis, vt in motu : ſolùm enim addit nouam partem aduenientem, & ſuccedentem prioribus.

¶ 3. Præterea, Poteſt Deus producere & conſeruare aliquam ſubſtantiam ſecluſo quocumque accidente, & extrinſeco diſtincto ab ipſa, vt ſubſiſtente, & exiſtente; cùm quælibet res ſit independens eſſentialiter ab extrinſecis : ſed tunc res illa duraret (per hoc enim quòd aliquid producitur, & conſeruatur in eſſe, durat) nec duratio eſſet quid ſuperadditum : ergo duratio non diſtinguitur realiter à re durante.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Th. & S.Aug.12.confeſſion.cap.23. & 24. quos ſequuntur Ricardus in 2. d.2. art. 1. q.2. Henricus quodlibeto 3. q.15. Soncinas 12. Metaphyſicæ quæſt.58. Iauellus, noſtri Complutenſes, Conimbricenſes, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm tempus habeat diuerſas proprietates à proprietatibus motus, & duratio creata ſit accidens adueniens rei duranti, tempus diſtinguitur realiter à motu, & duratio à re durante.

Respondeo dicendum, quòd tempus diſtinguitur actu realiter à motu. 2. Sicut & omnis duratio creata diſtinguitur realiter à re durante. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt dari tres durationes, ſcilicet Æternitatem, Æuum, & Tempus. Æternitas eſt menſura diuini eſſe, ad quam reducitur Æternitas participata, quâ menſurantur viſio Beatifica, amor illam ſubſequens, & alia huiuſmodi. Æuum eſt menſura eſſe Angelici, animæ rationalis, & aliarum ſubſtantiarum incorruptibilium, vt cœlorum; item accidentium incorruptibilium, vt intellectûs, voluntatis, &c. vnde aliud eſt Æuum ſpirituale, aliud materiale. Tempus autem, quod comprehendit tam noſtrum quàm Angelicum, eſt menſura omnis entis ſecundùm eſſe variabilis, motus Phyſici, & operationum Angelicarum corruptibilium.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſt. qui in hoc libro ex profeſſo probat tempus realiter diſtingui à motu, & arguit eos, qui dicebant tempus eſſe circulationem cœli. Item 9. Metaphyſicæ textu 29. ſic ait, *Tempus ſecundùm alios motum eſſe, re tamen verâ non niſi paſſionem eius*: Sed res quælibet diſtinguitur à ſuis veris paſſionibus : ergo ex Ariſtotele motus realiter diſtinguitur à tempore, & tempus à motu.

Secundò probatur ratione Ariſtot. & D.Th. in præſenti. Poteſt fieri, vt duo motus ſint inæquales in quantitate & multitudine partium, & tamen eorum durationes ſint realiter æquales, vt ſi vnum mobile intra durationem vnius horæ conficiat vnam leucam, & aliud intra eamdem durationem velociori motu conficiat duas leucas, conſtat motus eſſe inæquales; magnitudo enim motûs, & multitudo partium eius ſucceſſiuarum pendet ex diſtantia ſpatij, vt patet; & tamen illorum durationes ſunt æquales, cùm vtraque ſit vnius horæ: econtra poteſt etiam fieri, quòd durationes ſint inæquales, & motus æquales, vt ſi duo mobilia moueantur per ſpatium leucæ, & vnum percurrat illud ſpatium intra horam, aliud verò intra dimidiam, tunc motus ſunt æquales, cùm pertranſeant idem medium, ex cuius diſtantia menſuratur magnitudo motûs, vt dictum eſt; durationes autem ſunt inæquales, duratio enim per horam eſt maior duratione per dimidiam : ergo tempus diſtinguitur actu realiter à

motu;

motu; si enim essent idem, haberent eamdem æqualitatem, & inæqualitatem.

Tripliciter respondent aduersarij huic argumento: aliqui dicunt sufficere distinctionem rationis inter tempus & motum ad fundandam hanc æqualitatem & inæqualitatem, & afferunt instantiam: nam genus & differentia specifica sunt idem realiter solâ ratione distincta, & tamen species omnes sunt æquales in ratione generica, & inæquales in differentia specifica; alij verò respondent prædictas durationes conformari motibus, ita vt sint æquales, si motus sint etiam æquales; inæquales verò, si motus sint inæquales, licèt æqualiter vel inæqualiter coëxistant tempore: sicut duo Æua Angelorum sunt durationes æquales entitatiuè, quamuis vnus annihilaretur modò, ac proinde Æuum illius, minori coëxisteret tempori, quàm Æuum alterius, qui permaneret in esse: similiter quantitas condensata habet easdem partes, ac quando est rarefacta, licèt non correspondeat tanto spatio: alij denique respondent prædictam rationem non aliud conuincere, quàm ponendam esse in motu quamdam modalitatem, quæ sit tarditas, vel velocitas.

Sed contra primam solutionem, potest quidem fieri quòd distinctio rationis sufficiat in entitate, vt aliqua sint æqualia secundùm aliquam rationem eius formalem, & inæqualia secundùm aliam, vt patet ex instantia allata; sed non sufficit, vt eædem rationes modò sint æquales & modò inæquales; nam animalitas hominis, quæ est eius ratio generica, semper est æqualis animalitati equi, rationalitas autem semper est inæqualis hinnibilitati; ergo cùm videamus motus aliquando esse æquales cum inæquali duratione, aliquando verò inæquales cum æquali duratione; signum est quòd plusquam ratione distinguuntur motus, & eius duratio, scilicet tempus.

Contra secundam solutionem, eiúsque instantias. Ideò duo Æua Angelica sunt æqualia entitatiuè, quia in se sunt tota simul indiuisibiliter, ac proinde quantùm est in se, petunt coëxistere æquali tempori: ergo econtra, cùm durationes motûs tardi, & motûs velocis per æquale spatium non possint, quantùm est in se, coëxistere æquali tempori, rectè colligitur non habere æquales realitates, nec æquales partes; cùm tamen ipsi motus habeant æquales. Declaratur hæc ratio. In prædictis motibus est maior & minor coëxistentia actualis ad motum primi mobilis, siue ad tempus: ergo in illis est aliqua ratio, vnde proueniat ista inæqualitas: sed talis ratio non est præcisa existentia motûs, cùm sit æqualis in vtroque motu facto per æquale spatium, nec est assignabile aliud præter maiorem aut minorem durationem, siue moram intrinsecam: ergo ex se illæ durationes intrinsecæ sunt inæquales, & ita prima instantia est contra suum authorem, nec minùs secunda; nam quia partes quantitatis rarefactæ occupant maius spatium, ideo illa inæqualitas extensionis reuocatur, non ad quantitatem, quæ ex se illam non petit, sed ad formam à quantitate distinctam, scilicet raritatem, quæ est qualitas; vel ad densitatem, quæ similiter est qualitas, vt infra suo loco dicetur: ergo similiter, quia eædem partes motûs plus aut minus dilatantur quoad tempus extrinsecum, oportet quòd talis dilatatio eis conueniat per aliam formam, scilicet per maiorem durationem ab ipsis distinctam. Deinde hæc instantia non est ad rem, quia res permanentes ex se possunt condensari, quod repugnat successiuis, quæ essentialiter petunt, vt vna pars fluat, & sit post aliam.

Contra tertiam solutionem. Tarditas & velocitas non sunt durationes, sed sunt causa maioris vel minoris durationis, & ita argumentum manet in suo robore: nam ponantur illi duo motus, quorum vnus fiat per spatium leucæ, alius per spatium dimidiæ leucæ, si illi addatur dupla velocitas, habebunt æquales durationes, & tamen habebunt inæquales partes, vt patet ex dictis: ergo non sunt idem motus, & eius duratio; quia si essent idem realiter, sicut positâ velocitate in vno, & tarditate in alio haberent æqualitatem in duratione, sic etiam haberent in partibus.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. 1.part.quæst.10. art.2.vbi sic ait: *In Deo duratio propria eius non distinguitur ab illo, secus verò in creaturis*: Loquitur autem D. Thom. de distinctione reali; nam etiam in Deo æternitas distinguitur ratione ab eius essentia, & esse, cùm sit attributum; ex qua authoritate sequens deducitur ratio, quando in diuinis inuenitur distinctio virtualis inter aliqua, illa distinguuntur realiter in creaturis: fundamentum enim ponendi in diuinis distinctionem virtualem, vel rationis inter aliqua, est quia videmus illa esse distincta in creaturis: sed in diuinis æternitas, quæ est duratio diuini esse, distinguitur virtualiter ab ipso esse diuino, cùm sit perfectio attributalis ipsius; constat enim attributa distingui virtualiter ab essentia in diuinis: ergo omnis duratio creata distinguitur realiter à re durante, nec videtur maior ratio, cur in rebus corruptibilibus distinguatur, vt dictum est de tempore, quàm in aliis quibuscumque creatis.

Secundò, duratio est accidens adueniens rei existenti; prius est enim rem existere, quàm durare, cùm existentia sit intimior, ac magis intrinseca, quàm duratio; imò hæc consequitur ad illam tanquam modus, ac proinde est accidens, cùm adueniat enti in actu: ergo duratio distinguitur realiter à re durante, non enim sufficit distinctio rationis inter duo, vt vnum sit accidens, non verò aliud.

Ad primum ergo dicendum, quòd tempus dicitur numerus motûs, non quòd sit numerus propriè dictus, vt articulo sequenti dicetur, sed quia est mensura illius; mensura autem potest distingui à re mensurata, vt patet in quantitate, quæ est mensura, saltem passiua substantiæ, & distinguitur ab ea.

Ad secundum dicendum, quòd est duplex persistentia, siue permanentia in esse, vna fundamentalis, alia formalis; prima conuenit rei ratione essentiæ, vt existentis; alia ratione alicuius superadditi, quia est permanentia accidentalis: creatio autem & conseruatio terminantur ad persistentiam, non formalem & accidentalem, sed radicalem & fundamentalem; quia non solùm per creationem, sed etiam per conseruationem producitur esse ex nihilo, per quod talis res coaptatur durationi formali, & accidentali, & fundat illam.

Ad tertium dicendum circa minorem, quidquid sit de maiori, quòd sicut, si Deus auferret relationem similitudinis à duobus albis, essent solùm similia fundamentaliter, & non formaliter: sic si auferret durationem formalem, & accidentalem à rebus, non durarent formaliter, sed tantùm fundamentaliter; non enim duratio accidentalis dicit præcisè esse non interruptum, aliàs aduersarij admitterent plures æternitates in diuinis, & plures æternos substantiuè, quia in Deo admittunt plura esse non interrupta, siue tres existentias relatiuas: imò in opinione Thomistarum humanitas Christi Domini habet esse diuinum non interruptum, & tamen non durat formaliter per illud, sed per propriam durationem creatam.

Articvlvs III.

Vtrùm Tempus sit numerus motûs secundùm prius & posterius?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd tempus non sit numerus motûs secundùm prius & posterius: ita tenent Galenus, & alij. Probatur. Tempus est quantitas continua constans partibus diuisibilibus, numerus verò est quantitas discreta constans vnitatibus indiuisibilibus: sed quantitas continua non est quantitas discreta: ergo tempus non est numerus motûs, &c.

¶ 2. Præterea, Si propter aliquid tempus esset numerus motûs, maximè, quia est mensura illius: sed hæc ratio non valet, primò quia non est mensura motûs, nam mensura debet esse esse notior re mensurata; motus autem

tem eſt notiſſimus, tempus autem valde ignotum, ex Auguſt. 11. confeſſ. cap.14. Deinde ſi eſt menſura, menſurat non ſolùm motum, ſed etiam quietem priuatiuam, & etiam res corruptibiles: ergo non adæquatè definitur tempus eſſe numerus motûs ſecundùm prius & poſterius.

§ 3. Præterea, Prius & poſterius determinantur tempore, & per illud definiuntur: ergo tempus non debet per illa definiri, aliàs committeretur vitioſus circulus.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis ſic definientis tempus, quem ſequitur D. Thom. in præſenti, & communiter alij Philoſophi.

CONCLVSIO.

Rectè definitur tempus, quòd ſit numerus motûs ſecundùm prius & poſterius.

RESPONDEO dicendum aſſignatam ab Ariſtotele temporis definitionem eſſe optimam. 2. Quæ primò & per ſe conuenit tempori intrinſecè menſuranti circulationem primi mobilis. 3. Poteſt autem accommodari & deſeruire ad explicandas naturas temporis intrinſeci aliorum motuum.

Probatur prima pars concluſionis. Definitum huius definitionis, vt ſtatim dicetur, eſt tempus intrinſecè menſurans circulationem primi mobilis: ſed hoc optimè explicatur per hanc definitionem, nam proprium eſt huius temporis, vt ſit perfecta menſura omnium motuum ſecundùm prius & poſterius eorumdem: hæc autem particula (numerus motûs) idem ſignificat, quòd menſura motûs: ergo aſſignata ab Ariſtotele temporis definitio eſt optima.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex ipſomet Ariſtotele in hoc lib. textu 101. qui poſt traditam hanc definitionem ſic ait, *Dubitabis autem aliquis, & qualis motûs tempus numerus ſit*; Poſtea textu 133. propoſitæ ſic reſpondet dubitationi: *Sit igitur quoad primum menſura omnium proximorum, circulatioque regularis menſura maximè, quia numerus huiuſmodi notiſſimus eſt, alteratio quidem, & augmentatio non ſunt regulares, loci autem mutatio eſt: vnde & videtur tempus eſſe ſphæra motus, quia hoc menſurantur alij motus*: Idem dicit D.Th. exponens hunc locum, & clarè conſtabit ex infra dicendis, quando oſtendetur omnes conditiones menſuræ propriiſſimè conuenire tempori primi mobilis: ergo aſſignata definitio primò & per ſe conuenit tempori intrinſecè menſuranti circulationem primi mobilis.

Probatur tertia pars concluſionis. Quoduis tempus eſt menſura intrinſeca ſui motûs ſecundùm partes priores & poſteriores, quia cùm ſit vera ſpecies quantitatis debet eſſe menſura proprij ſubiecti (quo) ſcilicet motûs: ergo hæc definitio poteſt accommodari, & deſeruire ad explicandam naturam temporis intrinſeci aliorum motuum; nam ly (numerus) licet primò ſignificet menſuram extrinſecam, & perfectiſſimam omnium motuum, tamen etiam ſignificat quamcúmque menſuram motûs, in quo eſt prius & poſterius: conſtat autem quòd tempus, ſiue extrinſecum, ſiue intrinſecum eſt menſura motûs, & rerum ſubditarum motui, ſiue tranſmutabilium ſecundùm eſſe: ſicut æternitas eſt menſura rei omnino immutabilis, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm operari: Æuum autem menſura rerum ſecundùm eſſe quidem immutabilium, ſed mutabilium ſecundùm operari.

AD primum ergo dicendum, quòd ly (numerus) in hac definitione idem eſt, ac menſura, vt dictum eſt: ratio autem menſuræ explicatur per numerum in quantitate continua, quia quantitas diſcreta eſt nobis notior.

AD ſecundum dicendum, quòd licèt tempus ſit valde ignotum, ſi loquamur de eo in actu ſignato: nam difficillimum eſt explicare eius fluxum, exiſtentiam &c. tamen in actu exercito eſt notiſſimum; nam percipimus præteritionem, & fluxum illius, & rerum quæ tempore durant; iudicamus enim motum eſſe velociorem, aut tardiorem ex hoc, quòd durat maiori, aut minori tempore: & propter hoc dicit Aug. *Quid eſt tempus? ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio*: Hæc autem notitia in actu exercito, ſufficit, vt ſit menſura motûs: menſurat enim, vt eſt in actu exercito, nec verùm eſt quòd motus ſit notior tempore, imò maiores inuoluit difficultates. Ad aliud dicendum cum Ariſtotele in præſenti, & D.Th. 1. p. quæſt. 10. art. 5. quòd corruptibilia menſurantur tempore, quia ſunt in fluxu, & tendentia ad interitum, vel ſaltem ſunt tranſmutabilia ſecundùm eſſe; nihil enim menſuratur tempore, vt propriâ duratione intrinſecâ, niſi vel ſit motus, vel id quod eſt ſecundùm ſuum eſſe ſubiectum motui; & tandem ſecundariò, & per accidens menſuratur tempore quies priuatiua, quia nullo modo afficit ipſam, nec illi ineſt, ſicut ineſt motui: vnde non eſt mirum, ſi definitio temporis petitur à ſolo motu, cùm ipſe ſit principale menſuratum illius.

AD tertium dicendum cum D. Th. hìc lect. 17. quòd prius & poſterius ponuntur in definitione temporis ſecundùm quod cauſantur in motu ex magnitudine, & non ſecundùm quod determinantur, & menſurantur ex tempore: & propterea Ariſtoteles, vt ſatisfaceret huic obiectioni, ſupra oſtendit quòd prius & poſterius ſunt in magnitudine prius quàm in motu, & in motu prius quàm in tempore: & ita prius & poſterius, quòd eſt in definitione, reperitur in motu, qui eſt ſubiectum temporis, & menſuratur tempore, vt menſurâ intrinſecâ: prius autem & poſterius, quod determinatur, & definitur per tempus, reperitur in aliis rebus, quæ menſurantur tempore, vt menſurâ extrinſecâ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm tempus ſolùm exiſtat ratione inſtantis?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd tempus ſolùm exiſtat ratione inſtantis, ideſt, per ſua indiuiſibilia. Ita tenent ex antiquis Themiſtius, Philoponus, Simplicius, Auerroes, Albertus Magnus, ex modernis verò Soto, Maſius, noſtri Complutenſes, Toletus, & alij in præſenti. Probatur authoritate Ariſt. in præſenti ait: quòd ſi ſemel inſtans exiſtit, tempus habebit exiſtentiam, & econtra, ſi tempus exiſtit, etiam exiſtet inſtans, cuius nulla alia ratio eſſe poteſt, niſi quia exiſtentia temporis, eſt exiſtentia inſtantis: & ita hoc exiſtente, exiſtet etiam tempus ratione illius: quem locum exponens D. Th. ſic ait, *Aſſignat rationem eorum, quæ dicuntur de nunc, & primò eius quod dicitur, quòd nihil eſt temporis, niſi nunc.* Item Ariſtoteles lib. 8. cap. 1. ait, *Nihil licèt ſumere in tempore, præter momentum.* D. Thom. hìc lect. 25. comparans motum cum tempore ſic ait: *Sed motus non habet eſſe fixum in rebus, nec aliquid actu inuenitur in rebus de motu, niſi quoddam indiuiſibile motûs, quod eſt motûs diuiſio.* Item 1. p. quæſt. 46. art. 3. ad 3. *Nihil ſit, niſi ſecundùm quod eſt, nihil autem eſt temporis, niſi nunc: vnde non poteſt fieri, niſi ſecundùm aliquod nunc, non quia in ipſo primo nunc ſit tempus, ſed quia ab eo incipit tempus.* Item q. 66. art. 4. ad 5. *Tempus autem, quod non eſt permanens, concreatum eſt in ſuo principio, ſicut etiam modo nihil eſt accipere in actu de tempore, niſi nunc.* Idem repetit opuſc. 44. de tempore. Item S. Aug. 11. confeſſ. cap. 5. ſic ait, *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas vel minutiſſimas momentorum partes diuidi poſſit, id ſolùm eſt, quod præſens dicatur, quod tamen ita raptim de futuro in præteritum tranſuolat, vt nullâ morulâ extendatur; nam ſi extendatur, diuiditur in præteritum, & futurum; præſens autem nullum habet ſpatium*: Ergo tempus ſolùm exiſtit ratione inſtantis.

§ 2. Præterea, Tempus eſt numerus motûs ſecundùm prius & poſterius, ita enim definitur: ſed prius denotat præteritum, & poſterius denotat futurum: ergo cùm nihil ſit in hac definitione, quòd denotet præſens, non datur pars præſens temporis; ſi enim daretur, cùm eſſet pars principalior, potius tempus deberet dici numerus, & menſura illius, quàm aliarum; vnde tempus exiſtit ſolùm ratione inſtantis.

§ 3. Præterea, Ratione D. Th. opuſc. 44. cap. 5. vbi ait, quia quælibet pars cuiuſlibet ſucceſſiui eſt diuiſibilis

in

in diuersas partes: si ergò aliquod successiuum existeret non solùm secundùm aliquod indiuisibile sui, sed secundùm aliquam sui partem, sequitur quòd multæ partes alicuius successiui simul essent, quod est contra rationem successiuorum: nec potest dici quòd sint plures simul præsentes præsentiâ fluenti. Nam contra. Hoc est ludere verbis, si enim reuera sunt plures partes simul existentes, verè sunt simultaneè, & consequenter permanenter; nam quia instans est totum simul, suo modo existit permanenter: ergo multò magis illę partes, si essent simul.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Th. quos sequuntur plures Thomistæ recentiores, qui sua opera typis non mandarunt: extra scholam verò D. Th. Durandus in 2.d.2.q.4. Suares disp.50. suæ Metaphysicæ sect.9.num.22. Conimbricenses, Runius, & plures alij in præsenti, sequuti communem vsum loquendi; nam communiter diuiditur tempus in præteritum, præsens, & futurum tanquam in suas partes.

Conclvsio.

Cùm tempus non constet ex indiuisibilibus, sed tanquam vera species quantitatis componatur ex partibus diuisibilibus, per indiuisibilia vnitis, non existit tantùm ratione instantis.

Respondeo dicendum, quòd tempus non existit tantùm ratione instantis, sed verè existit secundùm suas partes, quas actu, sed successiuè habet fluentes. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd tempus non componitur ex solis instantibus, sed ex partibus diuisibilibus, vnitis quidem per indiuisibilia, quæ dicuntur instantia: cùm enim tempus sit vera species quantitatis continuæ, est quantum, ac extensum, ac proinde constans partibus extensis, ac diuisibilibus in infinitum; aliàs per diuisionem deueniretur ad vltimas partes indiuisibiles in vlteriores, quod est contra rationem quantitatis, cuius essentia consistit in hoc, quòd sit extensa, siue quòd habeat partes extra partes, ad quod consequitur diuisibilitas; vnde cùm quælibet pars quantitatis sit quantitas, erit diuisibilis in alias, & sic in infinitum. Deinde si tempus constaret ex indiuisibilibus, cùm hæc non possint continuari, & vniri ad constituendum aliquid, nisi se tangant & non possint se tangere nisi secundùm se tota, cùm supponatur non habere partes, sequitur quòd non facerent aliquid extensum; nam vbi esset vnum, ibi esset & totum aliud, ac proinde tempus esset quid indiuisibile, aut non esset quid vnum per se, sed esset quædam congeries successiua instantium absque vlla vnione fluentium: & ita esset vnum per aggregationem, quod est contra communem opinionem Philosophorum, dicentium cum Aristotele tempus esse veram speciem quantitatis continuæ.

Probatur conclusio authoritate Arist. & D. Th. Arist. c. de quantitate sic ait, *Præsens tempus coniungitur cum præterito, & cum futuro communi termino.* D. Thom. opusc. 36. cap. 3. sic ait: *Cùm dicitur quòd nihil est præsens de tempore, nisi nunc, non significatur aliquod instans, quod est continuans partes temporis ad inuicem, quod cum tempore labitur, nec permanet; sed hoc dicitur de nunc, quod sequitur id quod fertur* (id est mobile) *id enim manet idem secundùm essentiam in toto tempore, variatum tamen per rationem, & in ista diuersitate eius inueniuntur multa instantia, semper tamen labentia cum tempore: constat autem nullum talium instantium labentium esse causam temporis, cùm nullum ipsorum maneat in toto tempore, sed transeat cum qualibet parte temporis; ipsa enim sunt diuersæ rationes ipsius instantis, quod est idem in toto tempore, & ideo vocatur instantia.* Ex hoc loco non solùm habetur mens D. Thomæ, sed etiam solutio, siue explicatio locorum eius, quæ videntur esse contra propositam conclusionem: dum igitur dicit nihil esse de tempore, nisi nunc, vel instans, per ly (nunc) intelligit tempus præsens, per ly (instans) non intelligit instans temporis, siue indiuisibile nectens partes temporis, sed tempus instans. Idem docet 1. part. quæst. 10. art. 4. ad 2. vbi sic ait: *Nunc temporis est idem subiecto in toto tempore, sed differens ratione, eò quòd sicut tempus respondet motui, ita nunc temporis respondet mobili; mobile autem est idem subiecto in toto decursu temporis, sed differens ratione inquantum est hic, & ibi; & ista alternatio est motus: similiter fluxus ipsius nunc, secundùm quòd alternatur ratione, est tempus; Æternitas autem manet eadem, & subiecto, & ratione*: Vnde ex D. Thom. de tempore habemus nunc, quòd est in ipso mobili idem in toto decursu motûs, mensurans ipsum, & secundùm quod motus alternatur ratione partium priorum, & posteriorum ipsius mobilis sibi succedentium; alternatur etiam ipsum nunc ratione, & est tempus: nam illud nunc, vt correspondens partibus præteritis, habet rationem præteriti; vt autem correspondens partibus præsentibus, habet rationem præsentis; vt denique correspondens partibus futuris, habet rationem futuri; & secundùm istam alternationem constituit tempus, quod adintegratur ex præterito, præsenti, & futuro: constat autem quòd illud nunc non est instans indiuisibile nectens partes temporis, illud enim non potest constituere tempus, omnia enim indiuisibilia non possunt efficere vnum diuisibile; & sic nunc significat partem temporis præsentem, quæ fuit futura, & transit in præteritam: omnes autem temporis partes sibi inuicem perpetuo fluxu succedentes efficiunt tempus. Hoc ampliùs sic declaratur. Motus commensuratur partibus mobilis sibi continuo succedentibus: vnde sicut hæ partes sunt diuisibiles in infinitum, ita & motus; & sic in eo non potest dari primum mutatum esse intrinsecum ex D. Th. & communi doctrina: & similiter, quia mobile mouetur per suas partes, ita vt vna post aliam fluat, licèt in quadam confusione; & non tantùm ipsa indiuisibilia nectentiã partes: sic in motu vna pars actu fluit, aliæque partim succedentes actu fluunt, & non solùm indiuisibilia motûs: quia sicut totus motus subiectatur in toto mobili, sic partes motûs subiectantur in partibus mobilis: vnde si vna pars mobilis actu mouetur, etiam actu fluit vna pars motûs; idémque concludendum est de tempore, quod est numerus motûs primi mobilis, & extenditur ad extensionem illius motûs: vnde sicut totum tempus est subiectiuè in toto motu, sic partes temporis subiectantur in partibus motûs: ergo si actu fluit vna pars motûs, sic etiam præterit actu vna pars temporis, & sic est tempus præsens actu per suas partes actu fluentes. Hæc doctrina videtur necessario admittenda in doctrina Aristot. & D. Th. qui probant in motu non dari primam partem, quia commensuratur mobili, & medio, ac mensuratur tempore, quæ sunt in infinitum diuisibilia.

Secundò, datur in tempore pars præterita, & pars futura verè & propriè, vt concedunt omnes, qui fatentur cum Aristot. tempus esse speciem quantitatis continuæ: ergo etiam datur pars præsens: cùm ex communi doctrina præteritum & futurum non habeant veritatem, nisi per ordinem ad præsens: non enim verum esset dicere Adam fuit, vel Antichristus erit, nisi quia aliquandò verum fuit, aut erit dicere Adam est, Antichristus est: ergo similiter non est verum dicere, hæc pars temporis præteriit, aut præteribit, nisi aliquando verum sit dicere, præterit.

Tertiò, nisi admittatur tempus esse præsens, & existere secundùm suas partes, sequitur quòd nec per indiuisibilia existat, & sic esset tollere omnino tempus. Probatur sequela. Non potest dari nexus partium, nisi sint partes: sed nisi admittatur dari tempus præsens secundùm suas partes, non dantur partes temporis: quia in rei veritate præterita iam non est, futura nondum est: ergo tempus est præsens, & existit secundùm suas partes.

Quartò, vel post hoc instans immediatè sequetur aliud instans præsens, vel aliqua pars temporis præsens: primum non potest dici, aliàs tempus esset quid discretum compositum ex solis instantibus, quod est contra Aristot. & communem Philosophorum doctrinam: si dicatur secundùm, habetur intentum, quòd scilicet datur pars temporis fluenter præsens. Confirmatur. Aliqua entia, puta successiua incipiunt in tempore, alia verò in instanti: ergo

quando illa incipiunt, eſt pars temporis floenter præſens, & non tantùm inſtans, aliàs inciperent in inſtanti: inceptio enim rerum debet menſurari illâ duratione, quæ tunc eſt, quando incipiunt: in partibus autem temporis ſunt inſtantia, quæ menſuraot inceptionem rerum inſtantanearum: in ioſtantibus aotem non ſunt partes. His rationibus ſolent adhiberi ſolutiones tenera ſubtiles, ſed non quietant intellectum, vt etiam cuilibet apparet.

Ad primum ergo dicendum, qoòd talis authoritas non extat in emendatiſſima ioterpretatione edita Pariſiis anno 1629. nec habetur aliquid ſimile: ſolùm cap. 17. in quo Philoſophos agit de momento, hæc habentur: *Perſpicuum etiam eſt, ſiue tempus non ſit, momentum non fore: ſiue non ſit momentum, non fore tempus: vt enim ſimul ſunt id quod fertur, & latio; ita etiam numerus eius qnod fertur, & numerus lationis; tempus enim eſt lationis numerus, momentum verò eſt velut id quod fertur, vt vnitas numeri:* Fortè aduerſarij ex negatiuis propoſitionibus fecerunt affirmatiuas; & hæc authoritas plurimum nobis fauet, vt conſideranti patet. Deinde dato quòd talis aothoritas ſit Ariſt. dicendum eſt quòd per ly (inſtans) non intelligit inſtans temporis, ſiue indiuiſibile nectens eius partes, ſed tempus inſtans, ſiue præſens: & ita verum eſt, quòd tempus totum exiſtit per exiſtentiam eius; nihil enim exiſtit de tempore, niſi præſens: D. Th. autem per ly (nunc) intelligit tempus præſeos, quod ſolùm habetur de tempore, quia præteritum iam non eſt, futurum nondum eſt. Ad alium locum Ariſt. dicendum, quòd per momeotum intelligit partem imperceptibilem temporis præſentem, mediam inter futuram & præteritam. Ad 2. locum D.Th. dicendum, quòd S. Doctor nihil aliud vult, quàm quòd motus & tempus non ſunt quid fixom & permanens ſecundùm omnes ſoas partes, ſicut eſt lapis, ſed ſolùm eſt pars præſens, quæ reputatur vt vna, ſecundùm quòd conſtituit motum & tempus, ac proinde dicitur indiuiſibilis: vnde concludit motum & tempos pendere ab anima apprehendente partes, præteritam, præſentem & futuram, ex qoibus format numerum partium ſecundùm prius & poſterius, in quo conſiſtit eſſentia temporis; vnde docet, vt ſopra dictum eſt, tempus ſine anima eſſe imperfectè ens. Ad 3. locum dicendum ſimiliter, quòd per ly (nunc) intelligit tempus præſeos, ſiue partem præſentem temporis, ratione cuius exiſtit tempus, & non poteſt fieri niſi ſecundùm hanc partem; quia oon poteſt fieri ſecundùm præteritam; non enim poteſt intelligi præterita, niſi fuerit præſens; nec poteſt fieri ſecundùm futuram, quia quamdiu futura eſt, nondum eſt: dicit autem quòd in illo primo (nunc) non fuit tempus, ſed ab illo incepit; quia tempus, cùm ſit numerus, non eſt, niſi habeat partes præteritam, præſentem & futoram, quas in illo primo (nunc) non habuit: & ſimiliter dicendum ad alia loca: hæc autem explicatio eſt ſecundùm mentem D. Th. ſic enim ipſe ſe explicat, vt dictum eſt ſupra. Ad D. Auguſt. dicendum, quòd loquitur de diuiſione & extenſione temporis præſentis in partes aliqnotas perceptibiles, phyſicè dioiſibiles, & aliquo modo permanentes, & has negat in tempore, ſed noo negat partem eius imperceptibilem actu floentem: ſicut enim datur minima quantitas permanens indiuiſibilis phyſicè, cùm tamen mathematicè, & eſſentialiter ſit diuiſibilis, ſic proportionaliter dicendum eſt de tempore.

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt prius & poſterius accipiantur in tempore, imò poſſint applicari præterito & futuro per ordinem ad præſens, cum hac differentia, quòd pars præterita magis remota à præſenti, dicatur prior, & minus remota poſterior: econtra verò in futuro: nam pars proximior præſenti dicitur prior; remotior autem poſterior, vt hic determinat Ariſtot. tamen prius & poſterius, quæ ponuntur in definitione temporis, referuntur ad partes motûs, in quibus præterita eſt prior reſpectu præſentis, quæ reſpectu præteritæ eſt poſterior, & prior reſpectu futuræ.

Ad tertium dicendum, quòd dubitatur, an hoc opuſculum ſit D. Th. ſed admiſſo, dicendum qoòd loquitur de parte aliquota perceptibili; quia ſi hæc concedatur in motu, vel tempore, debet concedi quòd plures partes exiſtunt actu, & quaſi permanenter, quod eſt contra rationem ſucceſſiuorum: hoc aotem non accidit, ſi admittatur tantùm vna pars actu imperceptibilis, in qua licèt ſint aliæ proportionales, tameo ſunt tantùm in potentia, nec ſunt actu deſignabiles, qoia fluunt in quadam confuſiooe: vode oon exiſtunt ſimul plures, non enim exiſtit, quod eſt tantùm in potentia, & in quadam confuſione, nec eſt deſignabile, ſicut eſſet deſignabile inſtans, ſi tantùm ratione illius exiſteret tempus: vnde ſicut inſtans eſſet præſens, ſed floenter indioiſibiliter, vt dicunt adoerſarij; ſic dicimus quòd pars temporis eſt præſens, ſed fluenter diuiſibiliter, per quod diſtinguitur à rebus permanentibus, quæ ab intrinſeco important permanentiam ſimultaneam partiom; ſoeceſſiuè autem illarum ſucceſſionem, ita vt vna fluat ſucceſſiuè poſt aliam.

Articvlvs V.

Vtrùm ſit tantùm vnum numero tempus?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd ſit tantùm vnum numero tempus. Ita tenent D. Bonauentura in 2. d. 2. quæſt. 2. art. 1. Durandus ibid. q. 5. Albertus magnus hîc, Capreolus, Ferrarienſis, Iauellus, & alij. Probatur authoritate D. Thom. 1. p. quæſt. 10. art. 6. vbi ſic ait; *Eſt ergo ratio vnitatis temporis vnitas primi motus; ad alios autem motus comparatur ſolùm, vt menſura ad menſuratum: vnde ſecundùm eorum multitudinem, non multiplicatur: quia vnâ menſurâ ſeparatâ multa menſurari poſſunt:* Idemque docet proportionaliter de Æuo dicens, quòd eſt vnicum ſubiectiuè in primo Æoiterno, à quo cætera Æoiterna menſurantur: ergo eſt tantùm vnum numero tempus.

§ 2. Præterea, Si quilibet motus haberet ſuum proprium & intrinſecum tempus, ſequeretur quòd ſi aliquid moueretur diuerſis motibus, vt augmentatione, alteratione, aut latione, haberet plura tempora intrinſeca: & ſic in eodem eſſent plura accidentia ſolo numero diſtincta, quod eſt impoſſibile: ergo eſt tantùm vnum numero tempus.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. ac S. Aug. quos ſequuntur Caietanus 1. part. quæſt. 10. art. 6. Maſius, noſtri Complutenſes io præſenti, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm tempus ſit numerus motûs ſecundùm prius & poſterius, non eſt tantùm vnum numero tempus, ſed ſunt plura numericè diſtincta.

Respondeo dicendum, quòd ſi tempus ſumatur ſecundùm rationem menſuræ, certiſſimæ, vniformis ac notiſſimæ, eſt tantùm vnum numero tempus, quod intrinſecè reperitur, tanquam in ſobiecto, in motu primi mobilis. 2. ſi verò ſumatur ſecundùm rationem eſſentialem temporis præcisè, ſcilicet quòd ſit numerus motûs ſecundùm prius & poſterius, licèt tempus non multiplicetur eſſentialiter & ſpecificè, moltiplicatur tamen materialiter & numericè ad multiplicationem motuum, & ſubiectorum, io quibus eſt: 3. hæc autem tempora intrinſeca cuicumqoe motui petunt ab intrinſeco menſurari per tempus primi mobilis, quod eſt menſura extrinſeca omnium aliorum motuum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D. Thom. in 2. d. 12. quæſt. 1. art. 5. ad 3. item 1. p. quæſt. 66. art. 4. ad 3. tempus ſumi duobus modis, vel ſecundùm eſſentialia ipſius, vt præcisè dicit durationem cauſatam ex priori & poſteriori motûs, vel in ratione menſuræ omnium motuum, non vtcumqoe, ſed vt ſecundùm communem vſum facilè & ſine errore certificemur de ſucceſſione & duratione omnium motuum, & ſic debet habere has tres conditiones aſſignatas ab Ariſtotele in hoc lib. Prima eſt, vt aliquo modo ſit indiuiſibilis, quia iuxta communem

vſum

vsum cætera mensurantur per id, quod est simplicius, & minimum sui generis. Secunda est, quòd sit vniformis & inuariabilis, vt sic possimus sine errore per illam venire in cognitionem rei mensuratæ. Tertia, vt sit notior aliis sui generis, quia per id, quod est notius, facilè cognoscimus ignota: quia verò tempus ordinariè sumitur secundùm hanc rationem mensuræ extrinsecæ, ideo tantùm illud communiter, & per Anthonomasiam dicitur tempus, cui conueniunt tres assignatæ conditiones: & propter hoc D. Thom. loco citato in 2. dixit numerum cuiuscúmque successionis dici largè tempus.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis in hoc lib. cap.20. vbi sic ait; *Si igitur quod est primum, est mensura eorum omnium, quæ sunt eiusdem generis, certa conuersio æquabilis maximè est mensura, quia numerus eius est notissimus*: Ergo variatio quidem, & accretio, & generatio non sunt æquabiles, latio verò est æquabilis; ideóque tempus videtur esse motus sphæræ, quia & alios motus, & ipsum tempus hic motus metitur. Idem docet D. Thom. in præsenti lect. 23. & 1. p. q. 10. art. 6. item q.66. Deinde solus motus primi mobilis est primus inter alios motus, minimus sui generis, cùm sit velocissimus, & regularissimus, ac notissimus omnium: ergo ipsi soli conuenit habere durationem successiuam, quæ sit mensura extrinseca aliorum motuum, nam mensura prædicta debet habere has conditiones. Nec obstat quod mensuramus tempus motu horologij, hoc enim est per accidens, & respectu nostri: nam per se, & ex natura sua tempus ipsum mensurat illum motum horologij, standum autem est pro his, quæ sunt per se, & non pro his, quæ sunt per accidens.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, qui in hoc lib. textu 132. ait, tempus esse numerum cuiuscúmque motûs. Item D.Th. 1.p.q. 66. art.4. ad 3. vbi sic ait: *Motum autem non est intelligere sine tempore, cùm nihil aliud sit tempus, quàm numerus prioris & posterioris in motu.* Item S.Aug. 11.confession. cap.32. vbi sic ait; *Audiui à quodam homine docto, quod Solis, ac Lunæ, ac siderum motus sint tempora, & anni: cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? an verò si cessassent cæli lumina, & moueretur rota figuli, non esset tempus?* Deinde non solùm motus primi mobilis habet prius, & posterius, sed etiam cæteri motus, cùm sit de ratione successiuorum: ergo non solùm motus primi mobilis, sed etiam alij habent intrinsecum tempus, cùm partes temporis causentur ex partibus prioribus & posterioribus motûs: non enim ob aliud motus habet durationem successiuam & diuisibilem, nisi quia habet partes priores & posteriores. Denique, si destructo primo mobili remanerent res sublunares cum suis motibus, adhuc durarent, non per tempus extrinsecum primi mobilis, quia non esset: ergo per proprium, & intrinsecum, ac proinde nunc etiam habent: & ita multiplicatur numericè ad multiplicationem motuum & subiectorum, in quibus est: dato autem hoc casu, motus vniformior, notior &c. esset mensura intrinseca aliorum, ex D. Th. 1. p. q. 66. art. 4.

Probatur tertia pars conclusionis. Primò authoritate Philosophi, & D.Th.iam citatâ. Deinde primum in vnoquoque genere est causa & mensura cæterorum illius generis, cùm debeat esse perfectissimum, cui alia essentialiter subordinantur: sed tempus, sicut & motus primi mobilis est primum in suo genere: ergo est causa & mensura cæterorum: & ita tempora intrinseca cuicúmque motui, petunt ab intrinseco mensurari per tempus primi mobilis: duratio autem, quæ est mensura aliorum, petitur quòd secundùm se sit notior, vt pote perfectior in entitate, licèt ex parte cognoscentis æqualiter cognoscatur: sicut Deus est ex se infinitè notior aliis, & tamen æquè perfectè cognoscit alia, ac se ipsum, & ita mensura secundùm se est notior rebus mensuratis. Quòd autem dictum est de tempore intrinseco cuiuscúmque motûs in ordine ad tempus primi mobilis, debet etiam dici de aliis essentialiter subordinatis: & sic omnia Æua mensurantur Æuo primi Æuiterni; & tempora discreta, siue instantia Angelica, quæ mensurant eorum operationes (exceptâ cognitione propriâ, amoréque illam consequente, quæ mensurantur Æuo; ac visione, & amore Beatifico, quæ mensurantur Æternitate participatâ) regulantur tempore discreto illius, cuius operationes sunt magis regulares, & vniformes; non quidem per ordinem ad tempus nostrum, sed quantùm ad simplicitatem, & immutabilitatem, quod sufficit ad fundandam rationem mensuræ respectu aliarum operationum.

An primum ergo dicendum, quòd D.Thom. loquitur de tempore secundùm rationem mensuræ extrinsecæ, habentis tres prædictas conditiones, & similiter loquitur de Æuo: non enim negat cuicúmque Æuiterno suum Æuum intrinsecum, sed tantùm dicit omnia extrinsecè mensurari à primo Æuo: vnde non conclusit absolutè vnum tantùm esse Æuum, sed dixit concedimus ad præsens vnum esse Æuum tantùm.

An secundum dicendum, quòd motus est subiectum (quo) temporis mensurantis ipsum: vnde sufficit in vno mobili multiplicari motum secundùm speciem, ad hoc vt multiplicentur tempora secundùm numerum: & ita sufficit pluralitas subiectorum (quo) vt dicantur esse plura subiecta respectu accidentium, quæ in illis recipiuntur, ac proinde non essent plura tempora in eodem subiecto.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm substantiæ generabiles & corruptibiles quoad suum esse mensurentur tempore?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd substantiæ generabiles & corruptibiles quoad suum esse non mensurentur tempore. Ita tenent Scotus in 2. d. 2. q.4. Durandus ibidem q.6. Suares 2. tom. Metaph. disp. 50. sect. 7. Conimbricenses, Ruuius, & alij in præsenti. Probatur authoritate Aristotelis in hoc 4. lib. textu 118. & 119. vbi dicit corpus non esse in tempore, nec mensurari illo, vt quantum quoddam est, sed inquantum motus eius quantus est. Idem docet D. Thom. opusc. 44. cap. 3. vbi sic ait: *Mobilia verò quantùm ad id, quod sunt, sicut homo, aut lapis, non mensurantur tempore, quia essentia eorum est in quolibet nunc temporis, nec habet prius & posterius, siue successionem.*

¶ 2. Præterea, Mensura debet esse eiusdem rationis cum re mensurata, cùm mensura faciat nos venire in cognitionem rei mensuratæ: sed esse rerum corruptibilium, cùm sit permanens, & totum simul, non est eiusdem rationis cum tempore, quod est successiuum, excludens omnem permanentiam: ergo res generabiles & corruptibiles quoad esse non mensurantur tempore. Confirmatur. Eadem mensura correspondet rei, & dum incipit, & dum continuatur, cùm sit in vtróque statu omnino eadem: sed esse rerum corruptibilium, dum incipit non mensuratur tempore, quia incipit in instanti, & per primum sui esse: ergo etiam in continuatione non mensuratur tempore.

¶ 3. Præterea, In creatis actus primus & actus secundus non mensurantur eadem mensurâ, cùm sint diuersæ rationis, vt etiam patet inductione in Angelis, quorum esse mensuratur Æuo, & operationes aliâ mensurâ, vt dictum est: sed motus, qui est actus secundus, mensuratur tempore, vt fatentur omnes: ergo esse, quod est actus primus, & radix motûs, non mensuratur tempore.

¶ 4. Præterea, Si Deus auferret qualitates actiuas à creaturis, ita vt actu nulla earum transmutaretur, esse illarum non mensuraretur tempore: quia cùm tempus sit numerus motûs secundùm prius & posterius, non reperitur in his, quæ non transmutantur: sed tunc non esset diuersum esse substantialiter, at tantùm accidentaliter: ergo etiam nunc non mensuratur tempore, saltem in illo priori naturæ, quo præintelligitur ipsi transmutationi, ratione cuius subditur tempori.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Th. quos ſequuntur Caietanus 1.p. q.10. art.5. Soncinas 10. Metaphyſicæ. q.54. Albertus Magnus, Iauellus, Maſius, noſtri Complotenſes, & alij in præſenti.

Conclusio.

Cùm ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles ſint tranſmutabiles, non ſolùm ſecundùm operationem, ſed etiam ſecundùm eſſe, menſurantur quoad eſſe ipſo tempore, quod eſt menſura rei tranſmutabilis.

Respondeo dicendum, quòd ſubſtantiæ corruptibiles menſurantur tempore, non ſolùm quoad operationes, ſed etiam quoad ſuum eſſe. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ſubſtantias incorruptibiles, & accidentia incorruptibilia ordinis naturalis non menſurari tempore, ſed Æuo, vt communiter tenent Doctores, apud quos etiam certum eſt motum & quietem priuatiuam menſurari tempore, vt docet Philoſophos in præſenti: cuius ratio manifeſta eſt, quia cùm tempus ſit numerus motûs ſecundùm prius & poſterius, & quies ſit priuatio motûs; debet ſaltem per accidens menſurari eadem menſurâ. Circa autem operationes corruptibiles ſubſtantiarum ſpiritualium conueniunt Doctores, quòd ſi tales operationes ſint diſcretæ, & habentes per ſe ordinem ad inuicem, menſurantur tempore Angelico diſcreto: ſi verò ſint continuæ, vt diuturna motio alicuius corporis, menſurantur tempore Angelico continuo: earum verò termini, vt motio paſſiua, menſurantur tempore noſtro: aliæ denique operationes corruptibiles menſurantur inſtanti temporis Angelici, ſeu ſpiritualis, quòd poteſt adæquare magnam durationem noſtri temporis: & ita præſens difficultas ſolùm procedit de eſſe ſubſtantiarum corruptibilium, & proportione ſeruatâ, de eſſe accidentium corruptibilium.

Probatur concluſio authoritate Ariſtotelis in hoc 4. lib. cap.12. vbi ex profeſſo probat ſubſtantias generabiles & corruptibiles menſurari tempore quoad ſuum eſſe, dicens quòd res, quæ patiuntur tempore, neceſſe eſt ab eo menſurari: conſtat autem, quòd hæ ſubſtantiæ patiuntur tempore: nam temporis diuturnitate veteraſcunt & ſeneſcunt, & ita menſurantur tempore. Idem docet D.Thom. 1.p.q.10. art.4. ad 3. vbi ſic ait: *Eſſe ergo rerum corruptibilium, quia eſt tranſmutabile, non menſuratur Æternitate, ſed tempore: tempus enim menſurat, non ſolùm quæ tranſmutantur in actu, ſed quæ ſunt tranſmutabilia, vnde non ſolùm menſurat motum, ſed etiam quietem, quæ eſt eius, quod natum eſt moueri, & non mouetur:* Et art. 5. ſic ait, *Quædam autem ſic recedunt à permanentia eſſendi, quòd eſſe eorum eſt ſubiectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit: & huiuſmodi menſurantur tempore, ſicut omnis motus, & etiam eſſe omnium corruptibilium.*

Secundò, probatur ratione deſumptâ ex Ariſtotele. Eſſe ſubſtantiale rerum corruptibilium, eſt in continuo fluxu, via & tendentia ad interitum, propter quod dicuntur ſecundùm ſubſtantiam, veteraſcere & ſeneſcere, aliàs non eſſent ſecundùm eſſe corruptibiles: ſed quæ patiuntur à tempore, vt ait Philoſophus, menſurantur tempore: ergo eſſe ſubſtantiale rerum corruptibilium menſuratur tempore.

Tertiò, Probatur ratione D. Thom. 1. p. q.10. Hæc eſt differentia eſſentialis, vt articulo ſequenti dicetur, inter Æternitatem, Æuum, & Tempus, quòd Æternitas menſurat rem omnino intranſmutabilem, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm operari: Æuum autem menſurat rem intranſmutabilem ſecundùm eſſe, ſed tranſmutabilem ſecundùm operari: Tempus denique menſurat rem omnino tranſmutabilem, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm operari: ſed ſubſtantiæ corruptibiles ſunt tranſmutabiles, non ſolùm ſecundùm operari, ſed etiam ſecundùm eſſe, aliàs non eſſent corruptibiles: ergo quoad eſſe menſurantur tempore. Hoc autem prouenit ex ratione intrinſeca ipſarum menſurarum; nam Æternitas, cùm ſit perfectiſſima, debet menſurare perfectiſſimum ens, quod eſt ſecundùm omnia omnino intranſmutabile: Tempus verò, cùm ſit menſura imperfectiſſima, maximè diſtans ab Æternitate, debet menſurare ens imperfectiſſimum, ſcilicet tranſmutabile, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm operari: Æuum autem, vt pote medium inter Æternitatem & Tempus, menſurat ens ſecundùm eſſe intranſmutabile, tranſmutabile verò ſecundùm operari.

Confirmatur. Quia Æternitas caret principio & fine, debet menſurare ſubſtantiam carentem principio & fine: ſimiliter Æuum, quia poteſt habere principium; ſed caret fine, debet menſurare res habentes principium, ſed carentes fine: ergo Tempus, quia habet principium, & finem debet menſurare res habentes principium & finem, ſicut ſunt corruptibiles: patet conſequentia ex paritate rationis, & ex Ariſtotele citato à D.Thom. 1.p. q.10. art.1. qui dicit ea tempore menſurari, quæ principium & finem habent in tempore.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles ibi non negat ſubſtantias corruptibiles menſurari tempore, ſed tantùm vult, quòd ratio formalis, ob quam menſurantur tempore, ſit motus, ſiue mutabilitas: quia omnis menſura durationis fundatur in mutabilitate, vel immutabilitate: & ita ratio Æternitatis à priori in Deo eſt immutabilitas ſecundùm noſtrum modum concipiendi; vnde ſubſtantia ſecundùm ſe, vt abſtrahit à mutabilitate, vel immutabilitate non intelligitur durare, & ita ratione ſuæ quantitatis non menſuratur tempore. Ad locum D. Thom. reſpondet Maſius, & alij non eſſe certum quòd illud opuſculum ſit D. Thom. nam in operibus eius Romanis editis iuſſu Pij quinti fuit impreſſum minuſculis litteris, ſicut & alia, de quibus erat dubium; habet tamen magnam authoritatem, cùm contrarium non reperiatur in aliis D. Thom. operibus, ſicut hic reperitur.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſatis proportionata ſunt in ratione menſuræ & menſurabilis tempus & eſſe rerum corruptibilium, quòd continuò tranſmutatur: & ideo eſt ſucceſſiuum aliquo modo, quia licèt totum ſimul permaneat, tamen admittit in ſe hanc variationem: omne autem ſucceſſiuum, ſiue hoc modo; ſcilicet cuius partes, licèt ſimul permaneant, tamen aliquæ recedunt, aliæ ſuccedunt: ſiue ſucceſſiuum propriè, cuius nulla pars poteſt eſſe cum alia, menſurantur tempore. Ad confirmationem dicendum, quòd eſſe incipit in inſtanti, & continuatur per tempus: quia enim inceptio eſt inſtantanea, menſuratur per id, quòd ei proportionatur in tempore, ſcilicet per inſtans: quia verò continuatio eſt ſucceſſiua modo explicato, & diuiſibilis, menſuratur per tempus ſucceſſiuum & diuiſibile.

Ad tertium dicendum, quòd quando actus primus, & ſecundus conueniunt in tranſmutabilitate vel in intranſmutabilitate, menſurantur eadem duratione, vt patet in Angelis, quorum eſſe & cognitio quâ ſe per ſuam ſubſtantiam immobiliter cognoſcunt, menſurantur Æuo, & idem eſt proportionaliter in præſenti.

Ad quartum dicendum cum Caietano, quòd etiam in illo caſu, ſubſtantiæ corruptibiles menſurarentur tempore, quia ab intrinſeco remanerent tranſmutabiles, licèt ab extrinſeco non tranſmutarentur: ſicut licèt Angelus ab extrinſeco, ſcilicet per annihilationem poſſit deficere, non tamen deſinit menſurari Æuo, quia ab intrinſeco eſt intranſmutabilis: corpora autem Beatorum poſt reſurrectionem, licèt ex natura ſua ſint corruptibilia, cùm ille ſtatus ſit illis ſupernaturalis, tamen non menſurantur tempore, quia per aliquid intrinſecum redduntur intranſmutabilia, ſcilicet per animam perfectè eis dominantem. Ex dictis colligitur eſſe in qualibet ſubſtantia corruptibili tempus intrinſecum, immediatè inhærens ipſi ſubſtantiæ, quo continuò menſuratur, quia continuò durat, licèt nullo motu actualiter moueatur, diſtinctum numero ab alio tempore, quo menſuratur motus, & quod ſemper interrumpitur ad ceſſationem motûs: ſubiectantur autem in diuerſis ſubiectis, quia vnum ſubiectatur in motu, aliud autem in ſubſtantia.

Articvlvs VII.

Vtrum tempus essentialiter distinguatur ab Æternitate & Æuo?

Ad septimvm sic proceditur. Videtur quòd Tempus non distinguatur essentialiter ab Æternitate & Æuo. Probatur. Differentia, quæ est inter Tempus, Æternitatem & Æuum, in hoc consistit præcisè, quod Æternitas sit mensura carens principio & fine: Æuum careat fine, sed non principio: Tempus autem habeat principium & finem: sed hæc differentia non est essentialis, nam potuit fieri quòd tempus esset ab Æterno, & ita careret principio; & potest durare in Æternum, & ita careret fine, imò secundùm Aristotelem actu caret principio: ergo tempus essentialiter non distinguitur ab Æternitate & Æuo, cùm sit tempori accidentarium carere principio & fine.

¶ 2. Præterea, Æternitas mensurat eadem, quæ mensurat Tempus, & Tempus mensurat eadem, quæ mensurat Æuum: nam verè dicimus, quòd Angeli & cœli durant à creatione mundi, siue à principio Temporis per sex circiter millia annorum: ergo Tempus non distinguitur essentialiter ab Æternitate & Æuo: eadem enim res non potest mensurari mensuris essentialiter distinctis, cùm mensura debeat proportionari rei mensuratæ: duo autem essentialiter distincta non possunt eidem proportionari, aliàs essent inter se proportionata; quæ enim sunt eadem vni tertiò, sunt eadem inter se.

¶ 3. Præterea, Si quæ esset differentia essentialis inter Tempus, Æternitatem & Æuum, esset in hoc quòd tempus est successiuum, Æternitas autem & Æuum non sunt successiua: sed non potest concipi, quòd Æternitas & Æuum non sint successiua: aliàs cùm omnia mensurentur Æternitate, si esset tota simul, darentur multa contradictoria simul vera: nam successiuè in tempore idem esset, & non esset: in Æternitate autem esset, & non esset simul, quod est impossibile: ergo Tempus non distinguitur essentialiter ab Æternitate & Æuo.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. 1. p. q. 10. art. 4. quem sequuntur communiter eius discipuli, Caietanus, Bannes, Nauarrete, Zumel loco citato, & nostri Complutenses in præsenti.

Conclvsio.

Cùm Tempus sit mensura rei, & secundùm esse, & secundùm operari transmutabilis; Æuum autem mensura rei intransmutabilis secundùm esse, sed transmutabilis secundùm operari; Æternitas verò sit mensura rei, & secundùm esse, & secundùm operari intransmutabilis: Tempus, Æuum, & Æternitas essentialiter distinguuntur.

Respondeo dicendum, quòd Tempus, Æternitas & Æuum essentialiter distinguuntur: 1. differentiæ autem essentiales ex hoc desumuntur, quòd Tempus sit mensura rei transmutabilis secundùm esse, & secundùm operari: Æuum autem mensura rei intransmutabilis secundùm esse, sed non secundùm operari: Æternitas autem mensura rei, & secundùm esse, & secundùm operari intransmutabilis: vnde Tempus habet prius & posterius: Æuum autem non habet in se prius & posterius, sed ei coniungi possunt: Æternitas autem non habet prius, neque posterius, neque ea compatitur: 3. quòd autem Æternitas careat principio & fine; Æuum careat fine, sed non principio; Tempus autem habeat principium, & finem; sunt differentiæ accidentales. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd à dispositione rei mensuratæ, tanquam à prima radice, debet peti ratio, & propria differentia mensuræ: quia cùm duratio sit quidam modus consequens vnamquamque rem necessariò ex diuersitate intrinseca rei durantis, secundùm quam est mensurabilis duratione, diuersificantur ipsæ durationes: vnde licèt res mensurata sit extrinseca mensuræ, tamen ordo mensuræ ad ipsam, est essentialis ipsi mensuræ; ac proinde ex qualitate rei mensuratæ colligimus qualitatem mensuræ: & ita dicimus quòd essentia Æternitatis est esse mensuram ab intrinseco exigentem mensurare rem, tam secundùm substantiam, quàm secundùm accidentia immutabilem: Æuum autem esse mensuram rei secundùm substantiam immutabilis, sed mutabilis secundùm accidentia: Tempus deinque esse mensuram rei, tam secundùm substantiam, quàm secundùm accidentia mutabilis: ex hoc autem quòd Tempus est mensura rei secundùm substantiam, & secundùm accidentia mutabilis, sequitur quòd in se sit successiuum, & habeat prius & posterius: in variatione enim motûs, ac rerum subditarum motui, inuenitur diuersitas & difformitas statûs mobilis, ac proinde successio vnius statûs ad alium, & ita prius ac posterius: Æuum autem, ex qua parte mensurat rem immutabilem secundùm substantiam, non habet successionem, nec prius & posterius: hæc enim tantùm consequuntur motum, & mobile: ex qua verò parte talis res est mutabilis secundùm accidentia, sequitur quòd Æuo coniungi possit successio, siue prius & posterius, ac proinde alia mensura rei successiuæ: Æternitas denique, quia est mensura rei omnino immutabilis, tam secundùm substantiam, quàm secundùm accidentia, non habet prius & posterius, nec ea compatitur.

Probatur prima pars conclusionis. Debet esse proportio inter mensuram, & rem mensuratam in ratione mensuratiui, & mensurabilis, vt sit mensura propria, vera, & adæquata talis rei: ergo quando res mensuratæ in ratione mensurabilis essentialiter distinguuntur, etiam mensuræ, vt mensuræ, siue in ratione mensuratiui essentialiter distinguuntur: sed res mensuratæ per Tempus essentialiter distinguuntur in ratione mensurabilis à rebus mensuratis per Æuum; & hæ essentialiter etiam distinguuntur à rebus mensuratis per Æternitatem: nam res mensurabiles per Æternitatem sunt immutabiles ab intrinseco totaliter, & omnino, & immutabilitas est in eis ratio mensurabilis: ideo enim Theologi communiter concludunt Deum esse Æternum, & mensurari Æternitate, quia est immutabilis: res verò mensuratæ per Æuum sunt partim immutabiles, id est, quoad substantiam; partim mutabiles, id est, quoad accidentia; ita vt immutabilitas coniuncta cum mutabilitate sit in eis ratio mensurabilis per Æuum: res denique mensuratæ per Tempus sunt omnino mutabiles, tam secundùm substantiam & esse, quàm secundùm accidentia; ita vt hæc mutabilitas sit in eis ratio mensurabilis per Tempus: constat autem has rationes mensurabiles esse inter se essentialiter distincta, ac proinde ipsas res mensuratas, vt sic: ergo Tempus, Æternitas, & Æuum essentialiter distinguuntur.

Probatur secunda pars conclusionis. Iuxta gradus mutabilitatis, vel immutabilitatis res subduntur diuersis mensuris, ita vt omnimoda immutabilitas sit ex D. Thom. & communi sensu Theologorum, ratio à priori Æternitatis in Deo: omnimoda autem mutabilitas sit ratio durationis temporalis: immutabilitas verò substantiæ coniuncta mutabilitati accidentium sit ratio durationis Æuiternæ, vt dictum est: ergo differentiæ essentiales inter Tempus, Æternitatem, & Æuum ex hoc desumuntur, quòd Tempus sit mensura rei transmutabilis secundùm esse, & secundùm operari: Æuum autem mensura rei intransmutabilis secundùm esse, sed non secundùm operari: Æternitas denique mensura rei, & secundùm esse, & secundùm operari intransmutabilis. Confirmatur. Carere principio & fine respectu Æternitatis; carere fine, non principio respectu Æui; & habere principium & finem respectu Temporis, sunt proprietates consequentes ad hoc, quòd Tempus mensurat rem omnino transmutabilem, Æternitas rem omnino intransmutabilem, Æuum verò rem partim transmutabilem, partim intransmutabilem: nam ex hoc, quòd res est secundùm substantiam transmutabilis, postulat necessariò habere esse post non esse, quod est habere principium; & tandem postolar desinere esse, quod est habere finem: ex hoc verò quòd

res est omnino intransmutabilis, debet necessariò carere principio & fine: nam aliàs mutaretur, vel de non esse ad esse, vel de esse ad non esse: ex hoc denique quòd res est intransmutabilis secundùm substantiam, petit necessariò durationem suam non habere finem quantùm est in se, ex D. Thom. 1.part.quæst.10.art.2.& quæst.50.art.5. nam si ex se aliquando esset habitura finem, non esset ex se intransmutabilis, cùm ex se tenderet ad non esse: ex hoc autem quòd est transmutabilis secundùm operationes, aut motus, petit quantùm est in se habere principium: nam si esset connaturaliter ab Æterno, deberet necessariò esse, & persistere immutabilis quoad operationem, vel quoad cessationem ab ea: esse enim connaturalite ab Æterno, sequitur ad omnimodam immutabilitatem: vnde videmus quòd solus Deos est connaturaliter ab Æterno, quia ipse solus est omnimodè immutabilis: ergo differentiæ essentiales Temporis, Æternitatis, & Æui ex hoc desumuntur, quòd Tempus sit mensura rei transmutabilis secundùm esse, & operari: Æuum autem mensura rei intransmutabilis secundùm esse, sed non secundùm operari: Æternitas verò mensura rei, & secundùm esse, & secundùm operari intransmutabilis; illud enim, ad quod consequuntur proprietates, tanquam ad primam radicem est differentia essentialis rei, per quod etiam probatur tertia pars conclusionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd habere principium, & finem non est differentia essentialis, quâ Tempus distinguitur ab Æternitate, & Æuo, vt optimè probat obiectio, sed est quædam proprietas connaturaliter consequens ad differentiam essentialem assignatam; vnde est præter naturam Temporis intrinseci, saltem rerum mutabilium quòd sit ab Æterno, vel duret in Æternum.

Ad secundum dicendum, quòd Æternitas, cùm sit prima & eminentissima mensura, mensurat eadem, quæ mensurat Tempus & Æuum, quæ ipsi essentialiter subordinantur, tamen non est mensura propria & adæquata: non autem est impossibile idem mensurari duplici mensurâ essentialiter distinctâ, dummodo non sit vtraque propria, & adæquata, hæc enim sola debet proportionari rei mensuratæ; mensura autem superioris ordinis, cùm sit eminentior & perfectior, non proportionatur rei mensuratæ: nec Tempus mensurat Æuiterna, vt mensura intrinseca, aut propria, sed extrinsecè tantùm per quamdam adaptationem, sicut per motum horologij mensuratur Tempus, cùm tamen propriè loquendo ipse motus sit mensuratus à Tempore, & non mensurans Tempus.

Ad tertium dicendum, quòd esse successiuum in Tempore consequitur ad hoc, quòd Tempus est mensura rei transmutabilis, vt dictum est: sicut esse totum simul conuenit Æternitati, quia est mensura rei omnino intransmutabilis, & etiam Æuo, quia est mensura rei secundùm substantiam intransmutabilis, vt dictum est: nec ratio adducta probat Æternitatem esse successiuam: nam esse, & non esse in Æternitate non important contradictionem, quia non est esse simpliciter, esse enim simpliciter, aut non esse debet computari per ordinem ad propriam mensuram, & non per ordinem ad mensuram communem, quæ ratione suæ eminentiæ superexcedit, & continet plures mensuras inferiores proprias: & propterea licèt Æternitas sit tota simul, & formaliter indiuisibilis, est tamen virtualiter diuisibilis, quæ virtualis diuisibilitas etiam sufficit, vt non dicantur duo contradictoria simul esse in æternitate: sed hæc examinanda remittimus ad Theologos.



LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

Summa Textûs.

Egit iam Philosophus in tertio libro de definitione motûs, explicans eius naturam: Egit in quarto de duplici mensura extrinseca motûs, scilicet de loco, & tempore: In hoc quinto agit de Diuisione, & speciebus eius, vnde proueniat vnitas, & distinctio motuum; ac tandem agit de contrarietate motuum, quæ consequitur diuersitatem eorum specificam. Diuidit hunc librum in nouem capita. In 1. agit de Diuisione motuum, & mutationum. In 2. diuidit mutationem per se. In 3. diuidit motum per se. In 4. agit de Immobili. In 5. agit de eo, quod est simul, aut separatim, de eo quod tangit, vel est interiectum, & de eo quod est deinceps, vel coharens, vel continuum. In 6. agit de vnitate, & diuersitate motuum. In 7. de contrarietate motuum inter se. In 8. de contrarietate motûs, & quietis. Tandem in 9. applicat hanc contrarietatem motui, & quieti naturali, aut præter naturam.

QVÆSTIO XXII.

De speciebus motûs.

Motvs sumunt suam vnitatem & distinctionem specificam à termino (ad quem:) vnde antequam Philosophus agat de hac vnitate, & distinctione, prius inquirit ad quæ prædicamenta possit dari motus, vt ita appareat quotuplex sit terminus (ad quem) motûs: circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm detur per se motus ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi?

¶ Secundò, Vtrùm detur per se motus ad substantiam, & reliqua prædicamenta?

¶ Tertiò, Vtrùm motus sit in prædicamēto sui termini?

¶ Quartò, Vtrùm terminus motûs localis sit aliquid præter locum?

Articvlvs I.

Vtrùm detur per se motus ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd non detur per se motus ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Probatur de Quantitate. Motus debet versari circa contraria: sed quantitati nihil est contrarium, vt docet Aristot. & patet: nam si quid esset contrarietatis in quantitate, esset Maximè quia dicit magnum, & paruum; constat autem hæc esse relatiua, non contraria: eadem quippe quantitas respectu diuersorum est magna, & parua. Item contraria se expellunt: eadem autem quantitas, quæ erat parua fit magna: ergo non datur per se motus ad Quantitatem. Confirmatur. Quantitas produ-

citur in instanti : nutritio enim, quia terminatur ad substantiam non habentem contrarium, est instantanea, ac proinde augmentatio, quæ terminatur ad quantitatem: alioquin in aliquo instanti reali esset noua pars substantiæ, sine noua parte quantitatis, quod est impossibile. Deinde in generatione resultat in instanti quãtitas totalis, quia est proprietas substantiæ; & similiter dicendum in aggeneratione, cùm etiam quantitas partialis sit proprietas substantiæ partialis:sed cùm motus essentialiter sit successiuus, non potest terminari ad ea, quæ producuntur in instanti : ergo non datur per se motus ad quantitatem.

§ 2. Præterea, Probatur de Qualitate. Terminus per se motûs debet habere in ratione termini, ac proinde secundùm eamdem rationem, conditiones requisitas ad terminum motûs; scilicet quòd terminus (ad quem) contrarietur termino (à quo,) & habeat latitudinem successiuè percurrendam : sed vna qualitas non habet secundùm eamdem rationem contrarietatem cum alia qualitate; simul & latitudinem successiuè percurrendam : nam calor, v. g. secundùm suam rationem essentialem contrariatur frigori : habet verò latitudinem successiuè percurrendam ratione intensionis, quæ est extra eius essentiam : ergo non datur per se motus ad qualitatem. Deinde calor ignis est perfectissimus calorum, & tamen non fit per motum ad ipsum per se terminatum, nam emanat ab essentia ignis : ergo nec alij calores fiunt per motum, quod enim non conceditur perfectissimo calori, non debet concedi aliis.

§ 3. Præterea, Probatur de Vbi. Inter loca, & vbicationes non reperitur vera contrarietas, cùm habere contrarium sit proprium qualitatis ex Aristotele : ergo non datur per se motus ad Vbi. Deinde mobile motu propriè dicto debet esse partim in termino (à quo) & partim in termino (ad quem) aliàs si esset tantùm in vno, vel in alio, non moueretur, at quiesceret : sed mobile secundùm locum non est partim in termino (à quo) & partim in termino (ad quem :) cùm ipsi termini sint inter se separati, & distantes : ergo non datur per se motus ad Vbi.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Th. in præsenti lect.3. quos communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm Quantitas, Qualitas, & Vbi habeant conditiones requisitas termino per se motùs, datur per se motum ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

RESPONDEO dicendum, quòd datur per se motus ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd præsens difficultas non procedit de motu in tota sua latitudine, prout etiam comprehendit mutationes instantaneas, & dicit actum entis in potentia secundùm quòd in potentia : sed procedit de motu strictè sumpto, prout tantùm comprehendit mutationem successiuam, & versatur inter terminos positiuos: esse autem per se motum ad aliquem terminum, importat necessariò quòd talis terminus ratione sui, & non ratione alterius, terminet motum illum, vt docent Aristoteles, & D. Th. in præsenti : cuius rationem assignant, quia quòd aliquid per se moueatur, vel moueat, nihil est aliud, quàm quòd ratione sui hæc duo faciat : ideo enim album per accidens calefit, vel ambulat, quia non calefit, aut ambulat ratione sui, sed ratione alterius, cui per accidens coniungitur : econtra verò ignis per se calefacit, & mouetur sursum, quia hæc facit ratione sui : vnde quòd aliqua res sit per se terminus motûs, nihil aliud est, quàm quòd ratione sui terminet illum : ad motum autem propriè dictum tria requiruntur ex parte termini. Primum, quòd versetur inter terminos positiuos. Secundum, vt prædicti termini sint inter se contrarij. Tertium, quòd habeant latitudinem successiuè percurrendam. Ita Aristoteles, & D.Thom. in præsenti lect.2. Ratio horum patitur ex differentia, quæ reperitur inter mutationem & motum propriè dictum : nam ideò mutatio est instantanea, quia, vt ait D.Thom. lect.5. oppositio inter eas, & non est omnino immediata : vnde non est in ea inuenire medium, per quod retardetur, & ita fit in instanti : ergo motus propriè dictus, cùm sit successiuus, debet versari inter terminos positiuos, & contrariè oppositos, debent enim se mutuò expellere formaliter, qui termini debent habere latitudinem successiuè percurrendam; nam cùm mutatio successiua habeat continuitatem & latitudinem, debet illam participare à termino, ac proinde ipse terminus debet in se habere aliquam latitudinem successiuè & continuè percurrendam. Nec his contradicit Philosophus, dum libro sequenti dicit terminum (ad quem) cuiuscumque motûs consistere in indiuisibili; loquitur enim ibi de termino determinato motûs terminati, v. g. de calore terminato per gradum, vt duo, vel tria. Sic enim consistit in indiuisibili; si enim aliquid addas, vel auferas iam non erit calor, vt duo, vel tria, sed sic potius correspondet, vt terminus, mutatis esse motûs, quàm ipsi motui, vt ibidem ait Aristoteles.

Probatur conclusio. Quantitati, Qualitati, & Vbi conueniunt omnes conditiones requisitæ ad hoc vt sint per se termini motûs, nam quantitas (idem enim est de aliis) habet latitudinem successiuè percurrendam, cùm vna pars ex se possit acquiri post aliam. Deinde quantitas magna & parua habent contrarietatem requisitam in ordine ad terminandum motum, nam sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto se formaliter expellunt : cùm autem sic distent, & habeant prædictam latitudinem, potest ex quantitate minori deueniri ad maiorem per mediam, & consequenter successiuè per motum, vt ampliùs declarabitur articulo sequenti : ergo datur per se motus ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

Secundò, ex Aristotele, D.Thom. & communi sententia Philosophorum sunt tres species motûs propriè dicti, scilicet Augmentatio, Alteratio, & motus localis : sed Augmentatio terminatur ad Quantitatem, Alteratio ad Qualitatem, & motus localis ad Vbi, vt patet : ergo datur per se motus ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

AD primum ergo dicendum, quòd quantitati aliquid est contrarium, vt dictum est, non tamen proprijssima contrarietate, quæ tantùm reperitur inter qualitates, & hoc vult Aristoteles : sed hæc non necessariò requiritur ad motum propriè dictum, at sufficit alia iam explicata, quæ reperitur in quantitate : sed sciendum est ex D. Th. in 2. d.19. quæst.3. art.1. ad 2. quòd si quantitas sumatur mathematicè siue absolutè, magnum & paruum important relationem : & sic eadem respectu vnius est magna, respectu alterius parua : si autem sumatur physicè, siue vt afficit corpus naturale, idem est quantitas magna quòd quantitas perfecta, siue proportionata tali naturæ: quantitas verò parua idem quòd quantitas imperfecta, siue non idonea ad exercendas operationes proprias talis naturæ perfectæ : vnde non relatiuè ad aliam quantitatem, sed absolutè quælibet est magna, vel parua : & ita magnum, & paruum contrariè opponuntur : & vt sic sunt terminus motûs. Ad aliud dicendum, quòd quantitas magna & parua non se expellunt materialiter, nam eadem fit magna per additionem partium, & parua per diminutionem: formaliter autem se expellunt, nam quantitas minor, quæ per augmentationem fit maior, verè desinit esse secundùm rationem minoris, siue formaliter vt parua est, & econtra; secundùm autem istam rationem formalem maioris, & minoris, est terminus motûs: nam quantitas parua non est terminus (à quo) augmentationis, nisi vt subest minoritati in ordine ad quantitatem acquirendam in augmentatione ; nec quantitas magna est terminus (ad quem) augmentationis, nisi vt subest maioritati : econtra verò succedit in diminutione. Ad confirmationem dicendum cum Bannes de generatione cap.5. quæst.1. ad 2. & nostris Complutensibus in præsenti, quòd in nutritione substantia acquiritur non instantaneè, sed successiuè; quia nutritio fit ratione augmentationis, & nouæ partis quantitatis per illam productæ : & ideò fit ad modum eius, id est, successiuè : sicut in

in generatione quantitas producitur in instanti, quia fit ratione substantiæ per naturalem emanationem: substantia autem quando producitur ratione sui, fit in instanti. Ratio autem horum est, quia in prima productione præcipuè intenditur ipsum viuens, & ita fit ex non viuente: illo autem iam producto intenditur quòd sit maius, & quòd acquirat maiorem quantitatem, à qua substantia habet partes, ac idoneam ad exercendas suas operationes: vnde si natura intendit nutritionem, est ratione quantitatis; quia non potest dari augmentatio, aut noua pars quantitatis, nisi detur nutritio: vnde hæc debet proportionari augmentationi, & non econtra: nec est verum quòd quantitas partialis sit proprietas substantiæ partialis, vt partialis est: imò potius substantia, vt pars, est effectus formalis eiusdem quantitatis: licèt sit accidens connaturale eiusdem substantiæ, quæ aliàs est pars.

Ad secundum dicendum, quòd calor, & frigus non habent præcisè ex sua essentia contrarietatem requisitam ad motum: nam qualitas, dum expellitur, nihil amittit de sua essentia, siue de ratione specifica, donec totaliter expellatur: sed solùm habent prædictam contrarietatem, quatenus sunt sub propria quantitate virtutis, secundùm quam habent veram latitudinem requisitam ad motum: dicuntur autem augeri hæ qualitates secundùm essentiam, & variari, ac opponi in illa: quia maior, aut minor perfectio secundùm quantitatem virtutis, siue secundùm intensionem, & remissionem consistit in magis, aut minùs inesse subiecto: inesse autem in actu primo, est ipsa essentia accidentis. Ad aliud dicendum, quòd in præsenti solùm intenditur posse per se dari motum ad aliquas qualitates, non autem ad omnes: nec illæ, ad quas potest esse per se motus, semper producuntur per motum: nam calor in igne emanat in instanti cùm sit eius proprietas, & tamen in aqua producitur per motum.

Ad tertium dicendum, quòd loca, vt sursum, deorsum &c. ac proinde vbicationes habent sufficientem contrarietatem ratione distantiæ, quæ sufficit ad motum: licèt non sit propriissima, de qua loquitur Aristoteles, dum dicit conuenire soli qualitati. Ad aliud dicendum quòd medium inter duo extrema, inquantum habet conuenientiam, & connexionem cum vtróque, est quodammodo vtrumque extremum: distantia autem, per quam transit mobile localiter, est media inter vtrúmque terminum: & ita mobile dicitur esse partim in vtroque termino, quamdiu percurrit medium, & in illo mouetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm detur per se motus ad substantiam, & reliqua prædicamenta?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd detur per se motus ad substantiam, & reliqua prædicamenta. Probatur de substantia. Ignis successiuè introducit suam formam in lignum: sed successiua introductio est motus: ergo datur per se motus ad formam substantialem, ac proinde ad substantiam. Maximè, quia inter substantias reperitur contrarietas sufficiens ad hoc vt possint terminare motum: nam forma viuentis fit ex forma embrionis, sicut forma cadaueris fit per se ex forma viuentis: deinde nutritio cùm fiat successiuè, est motus propriè dictus: sed nutritio terminatur ad substantiam: ergo datur per se motus ad substantiam.

§ 2. Præterea, Generatio est vera actio: sed ad generationem datur per se motus, nam alteratio præcedens generationem terminatur ad ipsam: ergo datur per se motus ad actionem, & consequenter ad passionem: cùm omne, quod mouetur, ab alio moueatur.

§ 3. Præterea, Experimur, quòd nos mouemus ad sedendum, ac de vno situ mutamus nos in alium: ergo datur per se motus ad situm.

SED CONTRA est expressa anthoritas Aristotelis, & D. Thom. in præsenti lect. 3. & communis opinio Philosophorum.

CONCLVSIO.

Cùm Substantia non habeat latitudinem successiuè percurrendam, Relatio autem, Actio, Passio, Quando, Situs & Habere fiant per resultantiam, non datur per se motus ad ista prædicamenta.

RESPONDEO dicendum, quòd non datur per se motus ad substantiam. 2. Nec ad Actionem, & Passionem. 3. Nec ad Relationem, Quando, Situm & Habere.

Probatur prima pars conclusionis. Substantia per se & ratione sui non habet latitudinem successiuè percurrendam, cùm ex se sit indiuisibilis, nec habeat partes, nisi ratione quantitatis. Deinde vna substantia non contrariatur alteri, quia vna nunquam fit ex alia, sed ex priuatione sui, vt ignis per se fit ex non igne, & per accidens fit ex ligno, & ita non habet contrarietatem requisitam ad motum, quia hæc debet esse inter determinata extrema positiua: præcipuè, quia contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant; & ita in illo genere debent esse duo extrema, ita quòd ab vno non veniatur ad aliud, nisi ordinatè, & per media; sicut ad maximum calorem, vel maximam quantitatem non potest perueniri, nisi per medium, scilicet per minorem: ergo, cùm substantia non habeat conditiones requisitas ad terminandum per se motum, non datur per se motus ad substantiam.

Probatur secunda pars conclusionis. Actio & Passio physica sunt realiter motus, vt fatentur omnes: sed ad motum non datur per se motus, aliàs procederetur in infinitum: ergo non datur per se motus ad Actionem & Passionem. Deinde si ad Actionem daretur per se motus, sequeretur quòd ad Actionem daretur per se Actio: motus enim, qui est actús perfecti, est Actio: est autem inconueniens dicere quòd ad Actionem detur per se Actio, cùm Actio ex se nullo mediante emanet à potentia actiua: ergo non datur per se motus ad Actionem: nec his obstat quòd causa secunda præmouetur à prima ad agendum, quia hæc præmotio non terminatur immediatè & per se ad Actionem, quasi illam producat; sed terminatur immediatè ad potentiam, & illam applicat ad agendum, & sic solùm mediatè terminatur ad Actionem.

Probatur tertia pars conclusionis. Dari per se motum ad aliquid, supponit illud esse talis naturæ, vt per se fiat, vel possit fieri naturaliter: sed Relatio non fit per se, nec potest fieri naturaliter, sicut nec Quando, Situs & Habere: Relatio enim non fit per actionem per se & immediatè terminatam ad ipsam, sed per actionem terminatam ad eius fundamentum, ex quo ipsa resultat, posito tamen termino: Similiter Quando, quod nihil aliud importat quàm tempus extrinsecè mensurans & denominans temporalia, non producitur per se, sed resultat ex motu primi mobilis, in quo subiectatur, cùm sit numerus eius, qui motus primi mobilis secundùm partes terminatur ad locum: Item Situs resultat ex Vbi, quod est terminus motùs localis: Et denique Habere resultat ex motu locali, quo vestes applicantur corpori: ergo non datur per se motus ad Relationem, Quando, Situm & Habere.

An primum ergo dicendum, quòd talis successio in introductione formæ ignis non conuenit ignefactioni, sed alterationi præcedenti ipsam, ratione qualitatum contrariarum formæ ignis, quæ reperiuntur in ligno: nam disposità parte ligni introducitur in ea forma ignis in instanti: nec verum est formam viuentis fieri per se ex forma embrionis, aut formam cadaueris ex forma viuentis: hoc enim solùm succedit ratione ordinis naturalis, & non mutationis substantialis: quia si à Deo dispositiones necessariæ ad formam cadaueris, aut viuentis ponerentur in materia lapidis, verè ibi introduceretur immediatè forma cadaueris, aut viuentis. Deinde dato, quòd vna ex his formis fieret ex alia, adhuc inter illas non esset contrarietas requisita ad motum; ad hanc enim requiritur mutua transmutatio; ita vt id, quod in vno motu est terminus (à quo) in alio possit esse terminus (ad quem,) quod hîc non accidit; non enim est per se transitus à

forma

forma cadaueris ad formam viuentis, nec ab ista ad formam embrionis: nec dictis obstat, quòd ignis dicitur contrarius aquæ, hæc enim contrarietas est penes qualitates actiuas & passiuas, & non ratione substantiæ, vel rationis specificæ, sic enim tantùm contrariantur, vt perfectum & imperfectum; quæ contrarietas non sufficit ad motum, licèt sufficiat ad emanandas proprietates inuicem contrarias. Ad aliud dicendum, quòd nutritio per accidens est successiua, inquantum concomitantur augmentationem, ac proinde ei conformatur; sunt enim simul in eodem instanti reali, & ita est motus successiuus per accidens, & similiter substantia producitur successiuè per accidens in nutritione, ratione quantitatis, sub qua producitur: hîc autem solùm excluditur, quòd per se non detur motus ad substantiam, non autem quòd per accidens detur.

Ad secundum dicendum, quòd alteratio non terminatur per se primò ad generationem, & sic generatio non est per se terminus motûs, sed resultat ex termino primario præcedentis alterationis, propter specialem rationem quæ in ipsa est, & in forma substantiali per illam acquisita: sed hæc ampliùs examinabuntur in libris de generatione & corruptione.

Ad tertium dicendum, quòd ille motus non terminatur primariò ad sessionem, sed ad locum, in quo sedemus; & similiter quando mutamus nos de vno situ in alium; partes corporis mutant locum, parum, aut multùm, antequam habeant nouum situm: cùm enim situs sit dispositio partium locati in loco, & priùs sit esse in loco, quàm disponi in loco, necessariò situs præsupponit occupationem loci, quæ est terminus motûs localis.

QVÆSTIO XXIII.

De Vnitate motûs.

Determinato iam quòd sint plures motus, statim occurrit determinandum, vnde prouenit eorum vnitas, vel distinctio, circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm vnitas generica motûs proueniat ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur?

¶ Secundò, Vtrùm vnitas specifica motûs sumatur à termino (ad quem?)

¶ Tertiò, Vtrùm ad vnitatem numericam motûs requiratur, & sufficiat vnitas mobilis, termini, & temporis?

Articvlvs I.

Vtrùm vnitas generica motûs proueniat ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd vnitas generica motûs non proueniat ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur. Probatur. Eodem modo Philosophandum est de motu, ac de actione: tum quia actio & motus identificantur, tum etiam quia sicut motus est propter suum terminum, sic actio est propter suum effectum: sed vnitas generica actionis non prouenit ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur, cùm sint actiones genere distinctæ, quæ terminantur ad idem prædicamentum substantiæ, scilicet generatio & creatio: ergo vnitas generica motûs non prouenit ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur.

¶ 2. Præterea, Volutatio, ambulatio & natatio sunt motus genere distincti, cùm fiant per instrumenta valdè diuersa: sed hi omnes motus terminantur ad idem prædicamentum (Vbi,) sunt enim omnes motus locales: ergo vnitas generica motûs non prouenit ex vnitate prædicamenti ad quod terminatur, eadem enim est ratio de vnitate, ac de distinctione generica.

Sed contra est expressa authoritas Philosophi in hoc 5. libro cap.6.textu 51.&D.Th. ibidem lect.6. quos communiter sequuntur interpretes.

Conclusio.

Cùm motus reductiuè ponatur in prædicamento sui termini, vnitas generica motûs prouenit ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur.

Respondeo dicendum, quòd vnitas generica motûs prouenit ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur. Ad cuius euidentiam sciendum est in hoc articulo, & in 2. non intelligi de vnitate propriè & rigorosè dicta: cùm enim motus sit ens incompletum, nec pertinens directè ad prædicamenta, non est in specie propriè, sed tantùm reductiuè, vnde non habet propriè vnitatem genericam, aut specificam, sed tantùm impropriè. Quinque autem ex Arist.& D.Th.in præsenti lect.1. concomitantur motum, scilicet agens, à quo causatur; mobile, siue passum, in quo recipitur; terminus, à quo incipit; & terminus, ad quem terminatur; quibus aliud additur ab Arist. & D.Th.lect.5.scilicet distantia, siue medium, per quod mobile transit: certum autem est vnitatem genericam, aut specificam motûs non prouenire, nec ab agente, nec à passo: nam sicut supra dictum est, actio & passio non ingrediuntur rationem formalem motûs, motus enim abstrahit ab vtroque extremo, scilicet agente & passo, & ita nec ab illis accipit suam vnitatem formalem, siue genericam, siue specificam: Deinde constat experientiâ, quòd idem agens causat diuersos genere & specie motus, & idē mobile mouetur diuersis genere & specie motibus.

Probatur conclusio authoritate Arist.hic cap.6.vbi ait genere igitur vnus est motus, secundùm Categoriæ figuras: nam latio cum omni latione est vnus genere motus; variatio verò à latione differt genere. Deinde vnitas specifica motûs prouenit ab vnitate specifica termini (ad quem) considerati formaliter secundùm rationem terminandi, vt dicetur articulo sequenti: ergo vnitas generica motûs prouenit ab vnitate generica termini (ad quem) considerati formaliter secundùm rationem terminandi, vt patet ex paritate rationis: cùm enim illa, quæ sunt essentialiter respectiua, desumant suam rationem formalem ab illo, quod essentialiter respiciunt, debent ab eius vnitate specifica sumere suam vnitatem specificam, & ab eius vnitate generica sumere suam vnitatem genericam: sed prædicamenta, ad quæ per se datur motus, sunt eius termini genere distincti & diuersi: ergo vnitas generica motûs prouenit ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur.

Secundò, motus non ponitur directè in prædicamento, vnde propriè non habet vnitatem genericam, sed reducitur ad prædicamentum sui termini: ergo participat vnitatem genericam sui termini, ac proinde vnitas generica motûs prouenit ex vnitate prædicamenti, ad quod terminatur: vnde tria sunt genera motûs propriè dicti, quæ vocantur etiam species subalternæ; scilicet motus ad Quantitatem, qui non exprimitur vnico nomine, sub quo continetur augmentatio, & diminutio; motus ad Qualitatem, scilicet alteratio; & motus ad Vbi, scilicet motus Localis, siue latio: sub quolibet istorum generum sunt plures species, sed de his iterum agetur in libris de generatione.

Ad primum ergo dicendum, quòd actiones specificantur à suo principio, motus autem mobilis à suo termino: vnde non est eàdem ratio de vtroque, maximè quando actiones non sunt motus, aut mutationes, sicut accidit in præsenti, creatio enim nec est motus, nec mutatio, cùm id quod creatur, non fiat ex præexistenti subiecto, quod tamen indispensabiliter requiritur ad motum & mutationem.

Ad secundum dicendum, quòd licèt illi tres motus distinguantur specie propter diuersum modum tendendi ad terminum, non tamen distinguuntur genere.

Articvlvs II.

Vtrùm vnitas specifica motûs sumatur à termino (ad quem?)

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd vnitas specifica motûs sumatur ab his tribus, scilicet à ter-

mino (à quo,) à termino (ad quem,) & à medio, & ita motus erunt diuerſæ ſpeciei, qui habebunt aliquam diuerſitatem in aliquo ex his tribus. Ita tenent Albertus de Saxonia hic q.6. Aſtudillo q.5. Burlæus q.2. & alij. Probatur de termino (à quo) circa quem præcipuè eſt difficultas, ex Ariſt. & D.Th. in præſenti, qui dicunt intrinſecum eſſe motui inter contrarios terminos verſari. Item in 4. d.12.q.1. art.3. vbi dicit motum ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei requirere terminum (à quo,) & terminum (ad quem:) ergo ab vtroque ſpecificatur.

§ 2. Præterea, Mutatio inſtantanea ex Ariſt. hîc diſtinguitur ſpecie à ſucceſſiua: ſed hæc diſtinctio ſolùm prouenit à termino (à quo,) quia mutatio inſtantanea eſt à termino (à quo) priuatiuo, ſucceſſiua verò eſt à termino (à quo) poſitiuo; poſſunt enim terminari ad eumdem terminum (ad quem) ſicut ſi ex non calore fiat calor, vel ex frigore fiat calor: ergo terminus (à quo) concurrit ad ſpecificationem motûs.

§ 3. Præterea, Augmentatio & diminutio diſtinguuntur ſpecie, cùm eſſentialiter opponantur: ſed hæc diuerſitas præciſè prouenit à termino (à quo,) nam poteſt contingere quòd habeant eumdem terminum (ad quem,) ſicut ſi quaotitas bipalmaris augeatur vſque ad tres palmos, & quadripalmaris per diminutionem fiat tripalmaris: ergo terminus (à quo) ſpecificat motum. Confirmatur. Motus terræ in ſphæram ignis, & motus eiuſdem ignis ad ſuam ſphæram eſſentialiter opponuntur, cùm primus ſit violentus, & alter naturalis: ſimiliter ex Ariſtotele, & D.Thom. in præſenti, motus ab albo in fuſcum diſtinguitur ſpecie à motu nigri in fuſcum, & tamen in his eſt idem terminus (ad quem,) Item motus aëris à terra in medium ſuæ ſphæræ, & motus terræ à loco ignis ad idem medium ſphæræ aëris ſunt eſſentialiter diuerſi, licèt habeant eumdem terminum (ad quem:) ergo eorum vnitas & diſtinctio ſpecifica deſumitur etiam à termino (à quo.)

§ 4. Præterea, Motus ab albo in nigrum per diuerſos colores intermedios diſtinguuntur ſpecie, magis enim diſtinguuntur quàm duo, qui eſſent per eumdem colorem intermedium: ſed non diſtinguuntur penes terminum [ad quem] cùm ſit idem ſpecie: ergo ſolùm diſtinguuntur ratione medij, quod habet rationem termini [à quo] reſpectu termini [ad quem,] nam motus relinquit medium, dum acquirit terminum [ad quem.]

Sed contra eſt expreſſa authoritas Philoſophi, & D.Th. in præſenti lect.6. quos ſequuntur Ferrar. Iauellus, Sotus, noſtri Complutenſes, Maſius & communiter alij, etiam extra ſcholam D.Th.

Conclusio.

Cùm motus reſpiciat tantùm eſſentialiter terminum [ad quem] formaliter conſideratum, ideſt, vt acquirendum per tale medium, vnitas ſpecifica motûs ſumitur præciſè à termino [ad quem] formaliter conſiderato.

Respondeo dicendum, quòd terminus (à quo) non concurrit ad ſpecificationem motûs, ſiue ad eius vnitatem & diuerſitatem ſpecificam, ſed tantùm concurrunt terminus (ad quem) 2. & vnitas medij, ſiue viæ formaliter ſumptæ.

Probatur, prima pars concluſionis ratione Ariſtot, & D.Thom. Omnes dealbationes ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſimiliter omnes denigrationes, & tamen ſæpe procedunt à diuerſis terminis (à quibus) vt docet Ariſtoteles hîc textu 31. cap. 6. vbi ſic ait: *Omnis itaque dealbatio cum omni dealbatione eadem erit ſpecie, necnon omnis denigratio cum denigratione, cum dealbatione verò non item. Itaque ſpecie vnus motus eſt dealbatio cum omni dealbatione*: Quod exponens D.Thom. lect.6. ait, *Motus, qui ſunt ſecundùm colores, poſſunt eſſe diuerſi ſpecie, ſicut dealbatio & denigratio: ſed omnis dealbatio eſt eadem ſecundùm ſpeciem, ſimiliter & omnis denigratio, quia albedini non ſunt ampliùs ſpecies, in quas diuidatur &c.* Conſtat autem quòd dealbatio poteſt eſſe vel à nigro, vel à fuſco in album: & denigratio, vel ab albo, vel à fuſco in nigrum: ergo ratio, & vnitas ſpecifica motûs non deſumitur à termino [à quo] ſed à termino [ad quem:] nam à diuerſis ſpecificantibus prouenit diuerſa ſpecificatio, vt ex ſe patet. Confirmatur authoritate D. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 1. ad 3. vbi ſic ait: *Motus non accipit ſpeciem à termino (à quo) ſed à termino [ad quem] nihil enim refert quantùm ad rationem dealbationis, vtrùm ille, qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus.*

Secundò, motus ſolùm per ſe & eſſentialiter reſpicit terminum (ad quem) cùm per ſe & eſſentialiter ſit via & tendentia ad illum, vt conſtat ex eius definitione, vnde ſi motus reſpicit terminum [à quo,] non illum reſpicit per ſe & ratione ſui, ſed ratione termini [ad quem] nam receſſus ab illo, eſt propter acceſſum ad iſtum; imò vt ait hîc D.Th. lect.1. *Motus eſt deſtructio termini [à quo,] & acquiſitio termini [ad quem:]* Nam quamdiu terminus [à quo] non incipit deſtrui ex vi motûs, nondum incipit mobile moueri, & ita repugnat illi; habet autem conuenientiam cum termino (ad quem) quia properat ad illum: ergo motus ſolùm ſpecificatur à termino (ad quem:) nam cùm ſpecificatio conſtituat eſſentiam rei, illud quod ſpecificat, debet per ſe & eſſentialiter includi, ſiue reſpici à re ſpecificata; & ita non repugnat ei, ſed habet conuenientiam cum illa.

Tertiò, motus ſpecificatur ab illo, à quo ſumit ſuam denominationem, nam propria denominatio debet exprimere eſſentiam & rationem ſpecificam rei: ſed motus ſumit ſuam denominationem à termino [ad quem,] & non à termino [à quo] vt patet inductione in omnibus motibus, nam augmentatio dicitur à maiori quantitate, diminutio à minori, dealbatio ab albedine, quæ acquiritur, motus localis à præſentia locali &c. ergo motus ſpecificantur à termino [ad quem,] & non à termino [à quo.]

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſtotelis hic cap.6. vbi dicit motum non eſſe eiuſdem ſpeciei, ſi medium, & via per quam fit motus, non ſit eadem: & ideo docet motum circularem & rectum ad eumdem terminum eſſe diuerſæ ſpeciei, quia vnus procedit per lineam rectam, & alius per circularem: ſic enim ait interrogans, *An definitum eſt, diuerſum eſſe motum ſi id, in quo fit, diuerſum ſit ſpecie?* Statim autem ſic reſpondet: *Orbiculare autem à recto diuerſum eſt ſpecie.* Quod exponens D.Th. lect.6. ſic ait: *Ad hoc vt motus ſit idem in ſpecie, non ſolùm requiritur identitas termini ſecundùm ſpeciem, ſed etiam identitas eius, per quod tranſit motus, manifeſtum eſt autem quòd linea recta & circularis ſunt diuerſæ ſecundùm ſpeciem, vnde motus circularis, & rectus, & volutatio, & ambulatio non ſunt idem ſecundùm ſpeciem, quamuis ſint circa eoſdem terminos, quia via non eſt eadem ſecundùm ſpeciem: ſed ſi ſint iidem termini, & eadem via ſecundùm ſpeciem, ſunt iidem motus ſecundùm ſpeciem.* Hæc doctrina eſt manifeſta ex his, quæ dicta ſunt primâ parte de ſpecificatione ſcientiarum, dictum eſt enim ſcientiam vltimatè ſpecificari à medio, per quod acquiritur, quia ſcientia non eſt vtcumque aſſenſus, ſed aſſenſus per tale medium: ergo ſimiliter motus, cùm non ſit vtcumque acquiſitio termini, ſed per talem viam, aut per tale medium, ſiue per talem modum tendendi, etiam ſpecificatur à medio; & ita vnitas ſpecifica motûs ſumitur ab vnitate medij, ſiue viæ formaliter ſumptæ: ſciendum tamen eſt, quòd ſi medium ſit formaliter diuerſum, etiam terminus (ad quem) erit formaliter diuerſus; nam terminus poteſt conſiderari, vel materialiter in eſſe entis, vel formaliter, & in eſſe termini; vnde licèt in eſſe entis poſſit eſſe idem, quamuis acquiratur per diuerſum medium, non tamen formaliter, & in eſſe termini, quia eſſe termini importat ſeipſum vt tali, vel tali modo attingibilem; conſtat autem quòd vt eſt acquiſibilis per hoc medium, ſcilicet per lineam circularem, non eſt acquiſibilis per aliud, ſcilicet per lineam rectam, hæc tamen diuerſitas radicaliter prouenit ex diuerſitate medij, per quam terminus acquiritur: ſicut hæc propoſitio (Deus eſt) vt eſt ſcibilis per medium Metaphyſicum, eſt diuerſa in eſſe ſcibilis à ſeipſa, vt ſcita

per

per medium Theologicum, quæ diuerſitas oritur ex diuerſitate mediorum, vnde vno verbo motus ſpecificatur à termino (ad quem) formaliter ſumpto, id eſt, vt acquiſibili tali medio.

Ad primum ergo dicendum, quòd motus petit quidem ab intrinſeco verſari inter duos terminos, ſed tamen reſpicit illos diuerſimodè: nam terminum (à quo) tantùm reſpicit materialiter, vt dictum eſt, vnde non ſpecificatur ab illo, & ſic reſpondetur ad loca D. Th.

Ad ſecundum dicendum, quòd illæ duæ mutationes, licèt habeant vnum & eumdem terminum (ad quem) materialiter, non tamen formaliter; nam terminus (ad quem) vt acquiſibilis ex priuatione ſui, eſt formaliter diuerſus à ſeipſo, vt acquiſibili ex ſuo contrario; & ita diſtinguuntur ſpecie propter diuerſum modum tendendi ad ſuum terminum, id eſt, inſtantaneè & ſucceſſiuè: quamuis non deſint Thomiſtæ, qui dicant has mutationes terminatas ad eumdem terminum non diſtingui eſſentialiter, ſed tantùm modaliter, quia diuerſus modus ille tendendi prouenit ex materiali ipſius termini: nam ſucceſſio, quæ eſt in motu, prouenit ex latitudine, quam habet terminus, quæ eſt modus ſuperadditus ipſi ſecundùm ſuam ſpeciem conſiderato.

Ad tertium dicendum, quòd talis Augmentatio & diminotio habent diuerſum terminum (ad quem) formaliter, & in eſſe termini, licèt non materialiter, & in eſſe entis: nam quantitas tripalmaris terminat augmentationem, vt maior, diminutionem verò, vt minor. Ad confirmationem dicendum, quòd idem motus ſecundùm ſpeciem poteſt eſſe connaturalis vni ſubiecto, & violentus alteri: vnde naturale, & violentum non ſunt differentiæ eſſentiales motûs, ſed accidentales, & rationem affert D. Thom. quia motum eſſe violentum, vel naturalem, venit à principio, à quo procedit: motus autem non ſpecificatur à principio, nec ad illum dicit ordinem, ſed ad terminum [ad quem.] Ad aliud dicendum, illos quidem motus diſtingui ſpecie, ſed hoc non habent à termino [à quo] ſed à termino [ad quem:] nam cùm color fuſcus ſit medius inter album & nigrum, participat naturam vtriuſque, & ideo collatus cum albo, habet virtualiter ſaltem rationem nigri; & collatus cum nigro, habet rationem albi, vnde terminat ſub diuerſa ratione formali, & ita non eſt idem terminus formalis. Ad aliud ſimiliter dicendum, quòd licèt materialiter ſit idem terminus [ad quem] vtriuſque motûs, tamen eſt diuerſus formaliter, nam reſpectu motûs terræ, eſt locus deorſum, reſpectu autem motus aëris, eſt locus ſurſum.

Ad quartum dicendum, quòd quandò aliquid mouetur ab albo in nigrum per medios colores, non eſt vnus motus, ſed tot, quot ſunt colores intermedij; nam ab albo in fuſcum v. g. eſt vnus motus, & à fuſco in nigrum, alius: nec refert qualis fuerit terminus [à quo,] omnis enim dealbatio, vel denigratio eſt eiuſdem ſpeciei, à quocumque termino procedat: vel dicendum, quòd medij colores ſe habent per accidens ad hoc, vt per eos acquirantur extremi, ac proinde ſe habent per accidens ad dealbationem & denigrationem: vnde non eſt mirum, ſi non concurrant ad ſpecificationem talium motuum, ſicut concurrit modus tendendi per lineam rectam, aut circularem ad ſpecificationem motûs recti, vel circularis, cùm hic modus tendendi neceſſariò requiratur ad talem motum: ſciendum tamen eſt quòd terminus [ad quem] licèt ſub expreſſo conceptu termini, non poſſit intelligi ſine motu & ſine termino [à quo] non tamen dicit ad illum habitudinem, etiam tranſcendentalem, ſiue dependentiam, ſed tantùm habet cum illo connexionem; ſicut ſcibile cum ſcientia, & omnipotentia cum poſſibilibus; vnde terminus [ad quem] eſt quid abſolutum, licèt exprimatur aliquando nomine relatiuo, ſicut terminus augmentationis eſt quantitas maior, quæ exprimitur per relationem ad minorem, ſed tamen dicit quid abſolutum, ſcilicet quantitatem perfectam & proportionatam tali naturæ, conſequenter etiam ratio terminandi eſt abſoluta.

Articvlvs III.

Vtrùm ad vnitatem numericam motûs requiratur, & ſufficiat vnitas mobilis, termini & temporis?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd ad vnitatem numericam motûs non requiratur vnitas mobilis, termini & temporis. Probatur de vnitate mobilis. Si canis cadens ex alta turri moriatur in medio ſpatij, tunc ſunt duo mobilia, ſcilicet canis in principio, & cadauer in fine, & tamen eſt vnus motus continuus, vt patet ad ſenſum: nulla enim quies intercedit: ergo ad vnitatem numericam motûs non requiritur vnitas mobilis.

§ 2. Præterea, Probatur de vnitate termini. Cùm quis deambulat in aula per horam ſine intermiſſione, eſt vnus & idem motus continuatus, & tamen non eſt ibi idem terminus, nam in principio eſt præſens vni parti aulæ, deinde alteri, & ſic ſucceſſiuè in omnibus: ergo ad vnitatem numericam motûs non requiritur vnitas termini.

§ 3. Præterea, Probatur de vnitate temporis. Tempus, cùm ſubiectetur in motu, vt in ſubiecto [quo,] ſumit ſuam vnitatem, ſiue indiuiduatur ab illo, ſicut quodlibet accidens indiuiduatur à ſuo ſubiecto: ergo motus non ſumit ſuam vnitatem à tempore, aliàs eſſet circulus vitioſus, imò motus ſumeret ſuam vnitatem à ſipſo, quia quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.

§ 4. Econtra, Videtur quòd non ſufficiant tria prædicta, nam Ariſtoteles infra lib. 8. inſuper requirit vnitatem motoris ad vnitatem numericam motûs. Deinde motus identificatur cum actione: ſed ad vnitatem actionis requiritur vnitas agentis: ergo & ad vnitatem motûs vnitas motoris.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. in hoc lib. lect. 7. quem communiter ſequuntur alij Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm ad continuationem motûs requiratur & ſufficiat vnitas mobilis, termini & temporis, requiritur etiam & ſufficit ad eius vnitatem numericam.

Respondeo dicendum, quòd ad vnitatem numericam motûs formaliter ſumpti requiritur & ſufficit vnitas mobilis, termini & temporis. Probatur. Idem requiritur & ſufficit ad vnitatem numericam motûs, quod requiritur & ſufficit ad eius continuationem, quia motus non eſt quid vnum indiuiſibile, ſed eſt quid ſucceſſiuum & continuum, vt omnes fatentur: ſed ad continuationem motûs requiritur & ſufficit vnitas mobilis, termini & temporis, vt probatur ſigillatim De vnitate quidem mobilis, nam duo accidentia duorum ſubiectorum poſſunt quidem eſſe contigua, ſed non continua, vt patet; ac proinde ad continuationem vnius motûs requiritur vnitas ſubiecti, ſiue mobilis. De vnitate etiam termini ſatis conſtat, ſi ſit ſermo de vnitate numerica, patet ad ſenſum, quòd eodem motu non poſſumus tendere ad duos terminos, modo infra explicando. Si autem ſit ſermo de vnitate ſpecifica, manifeſtè conſtat, nam diuerſitas ſpecifica termini diuerſificat ſpecie motus, vt dictum eſt articulo præcedenti, & conſequenter diuerſificat numero, diuerſitas enim ſpecifica includit numericam, cùm idem numero non poſſit eſſe in duplici ſpecie per ſe. De vnitate denique temporis probatur. Non interrumpitur tempus vt menſurans hunc numero motum, niſi interrumpatur ipſe motus: nam licèt tempus ſit ſimpliciter vnum, vt menſurat motum primi mobilis, nec vnquam interrumpatur, vt tamen menſurat alia, dicitur vnum, vel multiplex per ordinem ad res menſuratas; ac proinde ſi interrumpitur tempus, ſignum eſt interrumpi motum, & intercedere quietem: ac ita ad vnitatem numericam motûs requiritur vnitas temporis: ergo ad vnitatem numericam motûs requiritur vnitas mobilis, termini & temporis.

Probatur secunda pars conclusionis: Si ad vnitatem numericam motûs non sufficeret vnitas mobilis, termini & temporis, & aliud requireretur, maximè esset vnitas motoris, vel agentis, vt patet: sed hæc non requiritur, quia motus formaliter sumptus abstrahit ab vtroque extremo, scilicet ab agente, & patiente, vt sic, nec formaliter includit actionem, importat tamen mobile, quia non potest abstrahi à motu, quin sit accidens, ac proinde, quin sit in subiecto: deinde quia idem motus potest causari à pluribus motoribus, nam duo ignes possunt alterare idem subiectum, duo possunt mouere eumdem lapidem: ergo ad vnitatem numericam motûs sufficit vnitas mobilis, termini & temporis. Licèt autem Aristoteles non fecerit mentionem de vnitate numerica, sed tantùm de specifica termini, ex dictis tamen infertur necessarium esse vnitatem numericam, nam cùm in omnibus motibus, excepto locali, terminus sit in mobili, & non possint esse duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto, patet quòd ad vnitatem numericam motûs requiritur vnitas numerica termini, & ideo hanc non expressit Aristoteles: cùm autem terminus motûs localis, scilicet locus, non sit in mobili, sed potiùs mobile sit in loco; & implicet idem esse simul in duplici loco modo connaturali, ad vnitatem numericam motûs localis requiritur vnitas numerica termini.

Ad primum ergo dicendum, quòd in tali casu non est vnus tantùm motus, cùm enim motus, sicut & alia accidentia materialia subiectentur immediatè in toto composito, vt infra dicetur, pereunte composito, pereunt omnia eius accidentia, cùm non possint separata existere, aut mutare subiectum: vnde in eo instanti, in quo verum est dicere, nunc non est canis, & immediatè ante erat, sic verum est dicere, nunc non est motus canis, & immedatè ante erat; & quia in eodem met instanti, in quo verum est dicere, nunc est canis, etiam affirmatur quòd sit cadauer illius, sic in eodem verè dicitur, nunc non est motus canis, & immediatè ante erat: similiter dicitur, nunc non est motus cadaueris, & immediatè post erit, & ita desinit motus canis per primum sui non esse, & incipit motus cadaueris per vltimum non esse, in illo autem nunc medio est quies negatiua: & sic non est ibi vnus motus continuus, sed sunt duo contigui.

Ad secundum dicendum, quòd est ibi vnicus motus, & vnus terminus (ad quem) in ea parte, in qua cessat à deambulatione, nisi sit aliqua interruptio, & mobile quiescat, quia tunc essent plures motus, & plures termini, vbi scilicet quiesceret: nec refert ad hoc, quòd sint variæ præsentiæ locales per totum spatium, hoc enim est proprium mobili, vt successiuè pertransiens medium, mutet has præsentias, quæ successiuè acquisibiles ordinantur ad præsentiam localem, quæ est in fine, & termino motûs.

Ad tertium dicendum, quòd vnitas motûs non desumitur, à priori, ab vnitate temporis intrinseci motui, sed solùm à posteriori, & tanquam à signo, & hoc tempus habet suam vnitatem à motu: sed tempus primi mobilis mensurans motus horum inferiorum, & continuationem illorum, non sumit suam vnitatem ab illis, sed à motu primi mobilis: potest etiam dici quòd tempus indiuiduatur à motu, vt à subiecto (quo) in genere causæ materialis; indiuiduat autem motum in genere causæ formalis, inquantum hic numero motus non potest esse nisi in hoc numero tempore, sicut quantitas, vt accidens, indiuiduatur à substantia in genere causæ materialis, indiuiduat autem ipsam in genere causæ formalis secundùm propriam rationem, siue vt tale accidens: non autem est inconueniens, quòd duo dependeant ab inuicem in diuerso genere causæ.

Ad quartum dicendum, quòd Aristoteles loco citato loquitur de motu, qui est actio, ac proinde ad vnitatem eius requirit vnitatem motoris, siue agentis, actio enim dicit ordinem ad agens; hic autem loquitur de motu formaliter considerato, qui vt sic nullum dicit ordinem ad agens, & ideo ad eius vnitatem non debuit poni vnitas agentis, etiam vt conditio, siue signum, sicut debuit poni vnitas temporis, cùm tempus conueniat motui ratione sui formaliter considerati.

QVÆSTIO XXIV.

De contrarietate motuum.

Contrarietas motuum consequitur diuersam illorum naturam & specificationem, vnde de determinatâ iam eorum specificatione determinandum est cum Aristotele de eorum contrarietate, circa quam quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm contrarietas motuum proueniat à termino (à quo?)

¶ Secundò, Vtrùm idem mobile possit simul moueri duobus motibus contrariis?

¶ Tertiò, Vtrùm quies contrarietur motui?

Articvlvs I.

Vtrùm contrarietas motuum proueniat à termino (à quo?)

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd contrarietas motuum, proueniat à termino (à quo.) Ita debent tenere, qui docent motum specificari à termino (à quo,) ab eodem enim sumitur contrarietas motuum, à quo sumitur vnitas & distinctio specifica illorum.

Probatur. Motus essentialiter includit duos terminos, scilicet (à quo, & ad quem:) ergo contrarietas motuum ab vtroque procedit, aliàs non contrariarentur essentialiter, siue secundùm ea, quæ essentialiter includunt.

¶ Præterea, Diuersimodè opponitur motus motui, & mutatio mutationi ex Aristotele, & D. Thom. hic lect. 8. sed hic diuersus modus oppositionis consistit in hoc, quòd motus opponitur motui secundùm vtrumque terminum (à quo, & ad quem) positiuum: mutatio verò opponitur mutationi secundùm vnum terminum positiuum, & alium priuatiuum, vt patet: ergo vnus motus debet opponi alteri motui secundùm vtrumque terminum, & ita motuum contrarietas etiam prouenit à termino (à quo.)

¶ 3. Præterea, Motus aëris à terra sursum in suum locum, & motus eiusdem deorsum ad eumdem terminum, sunt contrarij: sed hæc contrarietas non prouenit à termino (ad quem) cùm sit idem: ergo prouenit à termino (à quo.)

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. hic lect. 8. quos sequuntur omnes illi, qui tenent motum specificari à termino (ad quem.)

Conclvsio.

Cùm vnitas specifica, & distinctio essentialis motuum proueniat à termino (ad quem) ab eodem prouenit eorum contrarietas.

Respondeo dicendum, quòd contrarietas motuum per se primò & formaliter prouenit tantùm ex contrarietate termini (ad quem,) aut etiam medij formalis in illis motibus, qui per se illud petunt. 2. Quamuis omnimoda & perfecta motuum contrarietas aliquo modo, scilicet materialiter & consecutiuè desumatur etiam à termino (à quo.) Ad cuius euidentiam sciendum est dari motus inter se contrarios, & hoc patet ad sensum, nam frigefactio & calefactio contrariantur, cùm illis mediis producantur qualitates contrariæ, scilicet calor & frigus, similiter etiam contrariantur augmentatio & diminutio, motus sursum & motus deorsum &c.

Probatur prima pars conclusionis ratione Aristotelis, & D. Thom. loco citato. Ab illo per se primò & formaliter sumit motus suam contrarietatem, à quo sumit suam speciem, nam vnitas, distinctio, diuersitas, & oppositio consequuntur propriam specificationem rerum, vnde ab eo hæc desumuntur, à quo sumitur specificatio: sed

ſed motus, vt dictum eſt, non ſumit ſuam ſpeciem à termino (à quo) ſed ſolùm à termino (ad quem) & à medio formali: ergo contrarietas motuum per ſe primò & formaliter prouenit tantùm ex contrarietate termini (ad quem,) aut etiam medij formalis.

Probatur, & declaratur ſecunda pars concluſionis argumentis in contrarium adductis: illam enim conuincunt, & adducuntur ab Ariſtotele, & D. Thom. in præſenti ad illam probandam. Per hoc enim diuerſo modo opponuntur inter ſe duo motus, ac opponuntur duæ ſimplices mutationes, quia illi vltra contrarietatem, quam formaliter habent à termino (ad quem) afferunt materialiter neceſſariò, & conſequenter oppoſitionem poſitiuam, & contrariam inter terminos (à quibus) qnam ex ſe non afferunt duæ ſimplices mutationes. Deinde licèt terminus (à quo) non ſpecificet formaliter motum, tamen intrinſecè, licet materialiter, reſpicitur ab illo, non quidem per ſe primò, & ratione ſui: ſed ratione termini (ad quem) vt dictum eſt, ac proinde ex conſequenti; nam ideo mobile recedit à termino (à quo) quia accedit ad terminum (ad quem:) ergo contrarietas omnimoda, & vndequaque perfecta, vt includit contrarietatem materialem, & conſequenti, etiam prouenit à termino (à quo;) nam eo modo ſumitur contrarietas à terminis, quo inſpiciuntur ab ipſis motibus, & per hæc patet ad primum, & ſecundum.

Ad tertium dicendum, quòd illi motus formaliter contrariantur ex medio formali, ſiue modo tendendi: nam vnus tendit aſcendendo, alius deſcendendo: item ex parte termini (ad quem) formaliter conſiderati, nam licèt ſit idem locus materialiter, non tamen formaliter, nam reſpectu vnius motûs, eſt locus ſurſum, reſpectu alterius verò, eſt locus deorſum.

Articvlvs II.

Vtrùm idem mobile poſſit ſimul moueri duobus motibus contrariis?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd idem mobile poſſit ſimul per ſe moueri duobus motibus contrariis. Ita tenent Conimbricenſes, & alij in præſenti. Probatur. Duæ qualitates contrariæ in gradibus remiſſis poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, vt calor & frigus: ergo & duo motus tendentes ad illas in gradibus remiſſis, vt patet ex paritate rationis: imò cum motus ſumant ſuam contrarietatem à terminis (ad quos) neceſſariò ſequitur, quòd ſi ipſi termini ſunt compoſſibiles in gradibus remiſſis, multò magis motus ad ipſos.

¶ 2. Præterea, Si daretur aliquod ſubiectum, quòd non eſſet actu calidum, aut frigidum, & applicarentur ad illud duo agentia, vnum ſummè calidum, aliud ſummè frigidum, neceſſariò agerent, cùm ſint agentia naturalia, & approximata paſſo: ergo illud paſſum ſimul moueretur per ſe duobus motibus contrariis, ſcilicet calefactione & infrigidatione.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. hic cap.9. quos ſequuntur Soncinas 10. Metaph. quæſt. 22. Iauellus ibid. q. 23. Soto, noſtri Complutenſes, & alij in præſenti.

Conclvsio.

Cùm moueri duobus motibus contrariis, ſit ſimul accedere ad terminum, & recedere ab illo, non poteſt idem mobile ſimul moueri duobus motibus contrariis.

Respondeo dicendum, quòd licèt idem mobile ſimul poſſit moueri duobus motibus contrariis, ſi moueatur vtroque per accidens, vel vno per ſe, & alio per accidens 2. non poteſt tamen naturaliter idem ſimul moueri duobus motibus contrariis per ſe, non ſolùm in gradibus intenſis, ſed nec gradibus remiſſis ſecundùm eamdem partem: 3. poteſt autem ſupernaturaliter 4. & etiam naturaliter ſecundùm diuerſas partes. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd moueri per ſe, eſt moueri ratione ſui, ſiue motu per ſe primò ad ſeipſum terminato, moueri verò per accidens, eſt moueri ratione alterius, ſiue motu per ſe primò ad alterum terminato, cum quo habet talem connexionem, vt neceſſariò ſequatur motum illius & ita ſecundariò mouetur illo motu.

Probatur prima pars concluſionis. Nauta ratione ſui & per ſe poteſt moueri à prora ad puppim deambulando versùs orientem, & ſimul moueri ad motum nauis per accidens versùs occidentem: ſimiliter piſces aliquando mouentur per ſe natando contra impetum aquæ, & tamen per accidens mouentur in contrariam partem impetu aquæ. Item ſi ex alto demittatur aliqua ſcala, in qua ſit homo per illam aſcendens, ſimul aſcendit per ſe, & deſcendit per accidens ad motum ſcalæ. Et tandem Chriſtus Dominus in Euchariſtia per accidens, & ratione diuerſarum quantitatum diuerſis motibus localibus mouetur ad motum Hoſtiæ: ergo idem mobile ſimul poteſt moueri duobus motibus contrariis, ſi moueatur vtroque per accidens, vel vno per ſe, & alio per accidens.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſtotelis hic cap.9. qui ſic ait: *Ideòque magis motus motui eſt contrarius, quàm quies*: Et reddit rationem, quia duo motus contrarij, non poſſunt eſſe ſimul: ſecus verò motus & quies. Nec valet explicatio aduerſariorum, quòd ſcilicet Ariſtoteles loquitur de motibus contrariis in gradibus intenſis. Nam contra. Quies non poteſt eſſe ſimul cum motu in gradibus intenſis, non enim poteſt quis calefieri in ſummo, & ſimul quieſcere ab illo motu: ergo Ariſt. loquitur de motibus contrariis in gradibus etiam remiſſis, dum negat poſſe eſſe ſimul: nam ſecundùm illum modum negat ſimultatem motibus contrariis, ſecundùm quem concedit motui & quieti; quòd eſt tantùm in gradibus remiſſis: nam dum quis mouetur motu remiſſo, quieſcit aliquantulùm, ſcilicet à motu intenſo.

Secundò, quod calefit, recedit à frigore, & quod frigeſcit, accedit ad frigus: ſed repugnat naturaliter vnum & idem ſimul & ſemel accedere & recedere reſpectu eiuſdem, quod maximè manifeſtum eſt in motu locali, per quem non poteſt idem mobile ſimul accedere ad vnum locum, & recedere ab illo, & ita proportionaliter eſt in aliis motibus, quamuis non in eodem gradu neceſſitatis, vt ſuo loco dicetur; quia receſſus in motu locali importat per ſe primò priuationem vnius loci cum acquiſitione alterius, idem autem non poteſt eſſe in duobus locis, ſicut poteſt habere qualitates contrarias, quas ponunt motus contrarij: ergo idem mobile non poteſt per ſe ſimul moueri duobus motibus contrariis, etiam in gradibus remiſſis.

Tertiò, licèt admittatur pro nunc duos habitus & formas permanentes, vt habitus amoris & odij poſſe eſſe ſimul, nullus tamen concedit poſſe vnum & idem obiectum ſecundùm eamdem rationem amari, & odiu haberi, etiam remiſsè, quia amor etiam remiſſus inuoluit priuationem odij reſpectu eiuſdem ſecundùm eamdem rationem: ergo licèt duæ qualitates contrariæ, vt calor & frigus poſſint eſſe ſimul, non tamen duo motus contrarij, quia motus, ſiue fieri vnius formæ contrariæ, quantùm eſt ex ſe, eſt abiectio alterius, & impedimentum motûs, ſiue fieri, quo aliud contrarium fit.

Probatur tertia pars concluſionis. Duæ qualitates contrariæ, vt frigus & calor, licèt opponantur & ſe mutuò expellant ab eodem ſubiecto naturaliter, tamen in gradibus remiſſis ſimul reperiuntur: ergo Deus poteſt facere quòd idem mobile ſimul moueatur ad illa ſaltem motibus remiſſis, & facere quòd agentia non ſe impediant in ſuis actionibus: vtrùm autem ſupernaturaliter ſit poſſibile ſecundùm gradus intenſos? alibi dicetur.

Quarta pars concluſionis nullam habet difficultatem, experientiâ enim conſtat quòd idem calefit ſecundùm vnam manum, & frigeſcit ſecundùm aliam.

Ad primum ergo dicendum, quòd non eſt paritas, quia vna qualitas non neceſſariò, & ratione ſuæ eſſentiæ, ſiue ſeipſâ eſt abiectio alterius, vt ex ſe conſtat: ſicut motus etiam remiſſus ex ſe, eſt abiectio alterius contrarij,

Nn 3 &

& formæ per illum producendæ, & in hoc consistit disparitas.

An secundum dicendum, quòd in tali casu, si illa agentia essent inæqualia, tunc fortius impediret actionem debilioris, si autem essent omnino æqualia, mutuò se impedirent ad agendum, nam eo ipso, quòd calidum v.g. habet vim abiiciendi actiuè à subiecto id frigoris, quod producit agens frigidum, etiam habet vim ad impediendam actionem ipsius frigidi, vel econtra.

ARTICVLVS III.

Vtrùm quies contrarietur motui?

AD TERTIVM, sic proceditur. Videtur quòd quies non contrarietur motui. Probatur. Contraria non possunt simul esse, maximè si sit contrarietas per modum priuationis & habitûs: sed motus & quies possunt esse simul ex Philosopho hîc cap.9. ergo quies non contrariatur motui.

¶ 2. Præterea, Ex Aristotele in hoc lib. textu 55. mutationi non opponitur quies, sed non mutatio: ergo simili modo motui non opponitur qnies, sed non motus.

¶ 3. Præterea, vnum vni opponitur, ex communi doctrina Philosophorum: sed motus opponitur & contrariatur motui: ergo quies non opponitur nec contrariatur motui.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis in hoc lib. c.9. quem communiter sequuntur omnes Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm quies sit priuatio vel negatio motûs, quies contrariatur motui.

RESPONDEO dicendum, quòd quies contrariatur motui. Ad cuius euidentiam sciendum est duplicem esse quietem, scilicet priuatiuam, & negatiuam: priuatiua se tenet ex parte termini (à quo,) & est quando mobile debet moueri, & non mouetur, adhuc enim consideratur in termino (à quo:) negatiua autem se tenet ex parte termini (ad quem) & succedit quando mobile peruenit ad finem sui motûs, & ita non debet moueri, quia talis quies est finis & perfectio motûs ad illam ordinati & terminati: hæc autem quies negatiua non contrariatur motui vnum enim contrarium non est causa sui contrarij, sicut motus est causa huius quietis, vnde sola quies priuatiua contrariatur motui.

Probatur conclusio. Priuatio contrariatur siue opponitur habitui, quem priuat: sunt enim quatuor genera oppositionis ex Philosophis, scilicet contraria, contradictoria, relatiua, & priuatiua: sed quies de qua procedit difficultas, est priuatio motûs: ergo quies opponitur & contrariatur motui.

AD primum ergo dicendum, quòd quies, quæ secundùm Aristotelem potest esse simul cum motu, non est totalis quies, quæ totaliter priuet motum, sed est quies, prout importat tantùm priuationem intensioris motûs: vnde dicit quòd quies potest esse cum motu remisso.

An secundum dicendum, quòd qnies priuatiua importat durationem, & ideo benè dicit Philosophus, quòd non opponitur mutationi, quæ est instantanea, ex quo potiùs debet colligi, quòd opponitur motui.

AD tertium dicendum, quòd licèt vni contrario vnum tantùm opponatur contrariè, possunt tamen eidem plura opponi aliis generibus oppositionum, & ita vni motui contrariatur alter propriâ contrarietate, sicut calefactio infrigidationi, eidem tamen contrariatur quies priuatiuè.



LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

Summa Textûs.

POST *considerationem motûs quantùm ad partes eius subiectiuas, quæ facta est libro præcedenti, illum considerat Philosophus in præsenti quantùm ad partes integrantes, & ideo primò agit de compositione continui. Secundò de modo quo incipit & desinit motus. Tertiò de termi-nis entis naturalis, siue de maximo & minimo, de quo etiam egerat in 1. libro.*

Diuiditur hic liber in sexdecim capita. In 1. probat omne continuum constare ex partibus continuis, & diuidui siue diuisibilibus. In 2. docet momentum esse indiuiduum, siue indiuisibile, & nihil in eo moueri, vel quiescere. In 3. verò docet omne, quòd mouetur, esse diuisibile. In 4. agit de diuisione motûs. In 5. concludit eamdem esse diuisionem temporis, motûs, ipsius moueri, mobilis, & medij, in quo fit motus. In 6. dicit illud, quod mutatum est, statim ac mutatum est, esse in eo, in quod est mutatum. In quatuor sequentibus agit de principio & fine motûs, & de modo incipiendi & desinendi illius. In 11. ostendit proportionaliter connexitre finitatem, vel infinitatem istis quatuor, scilicet motui, tempori, magnitudini siue medio, & mobili. In 12. dicit quietem esse diuisibilem in infinitum, non ad modum actûs positiui, sed vt priuatio motûs: vnde loquitur de quiete priuatiua, quâ quiescit illud, quod non mouetur, quando moueri poterit: hæc autem quies non potest esse in instanti, sicut nec motus, quem priuat; vt ait in 13. In 14. soluit rationes antiquorum, quibus impugnabant dari motum. In 15. dicit id, quod partibus vacat, siue indiuisibile, non posse moueri. In vltimo concludit nullam mutationem esse infinitam, quandoquidem omnis est ex aliquo in aliquid, tam ea quæ in contradictione, quàm ea, quæ in contrariis spectatur.

QVÆSTIO XXV.

De compositione continui.

QVIA motus est de genere continui, ideo ad perfectam eius notitiam, agit Aristoteles in principio huius libri de compositione continui, circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm in continuo sint actu vera, & positiua indiuisibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua?

¶ Secundò, Vtrùm continuum componatur ex solis indiuisibilibus?

¶ Tertiò, Vtrùm partes continui habeant actu rationem formalem partium?

¶ Quartò, Vtrùm partes proportionales continui sint infinitæ?

ARTICVLVS

ARTICVLVS I.

Vtrùm in continuo ſint actu vera & poſitiua indiuiſibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd in continuo non ſiot actu vera & poſitiua indiuiſibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua. Probatur de terminatiuis. Quælibet res corporea ſeipsâ eſt fioita & terminata: ergo non indiget alio terminante, ac proinde in continuo non ſunt indiuiſibilia terminatiua. Deinde ſeparetor per intellectum à linea punctum, qood dicitur eſſe terminatiuum illius: æquè finita manet ſine illo, ac cum illo: imò nec maior, nee minor; quia indiuiſibile additum diuiſibili, non facit illud maius, nee detractum facit minus: ergo non dantur in contiooo actu vera & poſitiua indiuiſibilia terminatiua.

¶ 2. Præterea, Ptobatur de continnatiuis authotitate Pbiloſophi, qui 3. Metaph. cap. 5. dicit ſuperficiem non eſſe actu in continuo, ſed ſolùm poteſtate; quem locum explicaos D. Tbom. lect. 13. ſic ait, *Quod antem dictnm eſt de ſuperficie, intelligendum eſt in linea, puncto & vnitate: hac enim in continuo non ſunt actu, niſi ſolùm quanium ad illa, quæ terminant continuum.* Item opuſc. 36. cap. 2. ſie ait. *In hac ergo linea conſtitnta per diuerſitatem puncti, erunt puncta quadam duo actu, vt eius termini, qui cadunt in eius definitione, & infinita alia in potentia, ſecundùm quòd ipſa eſt in infinitum diuiſibilis potentialiter.*

¶ 2. Præterea, Si Deus aoferret à linea omnia indiuiſibilia continuatiua, adhuc remaneret continuum, nam illud, quòd remaneret v. g. in linea, eſſet quid indiuiſibile, vel diuiſibile; non primum, aliàs non omnia indiuiſibilia eſſent ablata: ſi ſecundum, habetur intentum: nam illud eſſet linea habens partes intrinſecè, & ſeipſis vnitas: ergo cùm indiuiſibilia continuatiua ſint ſuperflua, non debent admitti.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos ſequuotur Caietanus 3. p. quæſt. 4. art. 2. & cap. de quantitate, Capreol. in 2. d. 2. q. 1. Soncinas 10. Metaph. q. 20. Suares 2. tom. Metaph. diſp. 40. ſect. 5. Maſius & noſtri Complutenſes hîc, & communiter alij, tam antiqui, quàm moderni Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm continua eſſentialiter differant à contiguis, & duo quanta non poſſint ſe tangere, niſi in indiuiſibili, ſunt in continuo actu vera & poſitiua indiuiſibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua.

RESPONDEO dicendum, quòd verè in continuo ſunt actu indiuiſibilia, tam continuatiua 2. quàm terminatiua, quæ ſunt entia realia & poſitiua quæ in linea ſunt puncta ſecundùm omnem dimenſionem indiuiſibilia: in ſuperficie ſunt lineæ, vt indiuiſibiles ſecundùm latitudinem: in corpore verò ſunt ſuperficies, vt indiuiſibiles ſecundùm profunditatem: in tempore ſunt inſtantia, ſiue momenta: in motu ſunt mutata eſſe.

Probatur concluſio quoad vtramque partem authoritate Ariſtot. & D. Thom. ſie ait Ariſtot. cap. de quantitate. *At verò linea eſt continua, quia communem terminum ſumere licet, quo partes eius coniunguntur, nempe punctum; & ſuperficiei quoque communem terminum licet accipere lineam: quoniam plani partes communi quopiam termino coniunguntur. Itidemque in corpore potes accipere communem terminum lineam, vel ſuperficiem, qua corporis partes coniunguntur: eiuſmodi eſt etiam tempus, nam præſens tempus coniungitur cum præterito, & cum futuro.* D. Thom. opuſc. 36. cap. 2. ſie ait, *In linea tamen ſunt plures puncti, & realiter ab inuicem diuerſi, vt duo eius termini: & ſimiliter in eius continuatione.* Item quæſt. 28. de veritate art. 2. ad 10. ait, *Ante vltimum inſtans huius temporis, non eſt accipere aliud immediatè proximum, quia quodcumque inſtans accipiatur aliud ab vltimo, inter ipſum, & vltimum erunt infinita inſtantia media.* In præſenti verò lect. 8. ait, *In quauis linea eſt ſignare infinities punctum ante punctum, & in quolibet tempore infinities inſtans*: Idem docet D. Aug. libr. de quantitate animæ cap. 11. & 12. confeſſ. à cap. 14. vſque ad 18.

Secundò probatur ratione Ariſtotelis, & D. Thom. 1. de anima cap. 1. Si daretur globus perfectè rotundus, & corpus perfectè planum, tunc ſi globus ſuper planum poneretur, tangeret illud actu realiter & phyſicè: ergo tangeret aliquid actuale, reale & poſitiuum illius, actu in eo exiſtens; nam actualis, realis & phyſicus contactus non poteſt fieri in negatione, quæ nihil eſt: vnde debet fieri in aliquo actuali, poſitiuo, realiter exiſtente: ſed non tangeret illud, niſi in puncto, vt probant Ariſtoteles, & Euclides, aliàs in globo eſſet aliqua extenſio plana: nam corpora, quæ ſe tangunt, adæquantur in eo, in quo fit talis contactus: corpori autem plano non poteſt niſi planum adæquari, & ſie ille globus, ſi in aliqua extenſione tangeret planum, neceſſariò haberet in ſe planam extenſionem, ac ita non eſſet perfectè rotundus: ergo in continuo ſunt actu vera, & poſitiua indiuiſibilia. Hoc argumentum etiam proportionaliter procedit de cylindro, ſiue columna perfectè rotunda, quæ poſita ſuper perfectè plano non poteſt illud, niſi in linea tangere ob eamdem rationem; ſicut etiam duo perfectè plana noo ſe poſſunt tangere, niſi in ſuperficie, nam ſi ſe tangerent in aliqua parte, ſiue determinata, ſiue indeterminata, ſe penetrarent, quod eſt impoſſibile: ſicut ſi ſe tangerent ille globus, & illud planum, vel illa columna in aliqua parte, ſiue determinata, ſiue indeterminata, eſſet in globo aliqua extenſio, ſiue determinata, ſiue indeterminata, & ſimiliter in columna verſus latitudinem.

Probatur ſigillatim prima pars concluſionis. Continua differunt eſſentialiter à contiguis, vt docent communiter omnes cum Ariſtotele: ſed hoc non poteſt eſſe, niſi admittantur actu realia & poſitiua indiuiſibilia continuatiua; nam cùm contigua, vt talia, ſe tangant, & quodlibet eorum habeat ſuum vltimum, neceſſariò continuum debet ſuperaddere neſum poſitiuum, & conſequenter indiuiſibile aliquod, quo nectantur eius partes: alioquin duas partes vnius lapidis eſſe continuas, tantùm importaret, quòd ſint eiuſdem naturæ, & quòd non diſtent inter ſe, quod tamen eſt falſum; hoc enim dicunt duo lapides præciſè contigui, & ſe tangentes: ergo in continuo ſont actu realia & poſitiua indiuiſibilia continuatiua. Ratio aotem cur hîc requiratur iſte nexus vnitiuus partium continui, & oon requiratur inter materiam & formam, eſt quia materia & forma vniuntur per modum actus informantis, & potentiæ actuatæ, & ideo per ſe & ſeipſis vniuntur, nam actus per ſe, & potentia per ſe, vniuntur per ſe ex Ariſtotele: partes autem continui ſunt omnes actu, & eiuſdem rationis: vnde non per ſe, ſed per aliud vniuntur.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Duo quanta non ſe poſſunt tangere realiter in ipſa carentia extenſionis, cùm hæc nihil ſit; nec ſe poſſunt tangere in profunditate, quia vnum corpus non poteſt tangere profunditatem alterius, niſi vnum intromittatur in alterum ſecundùm aliquam ſui partem, & conſequenter penetret, quod naturaliter eſt impoſſibile: ergo ſolùm poſſunt ſe tangere ratione indiuiſibilium terminantium. Deinde in continuo, cùm quæuis pars ſit in infinitum diuiſibilis, non poteſt aſſignari aliqoa, quæ ſit prima, aut vltima: & ita terminatur per aliquod indiuiſibile: ergo in continuo ſunt actu indiuiſibilia terminatiua.

AD primum ergo dicendum, quòd quælibet quantitas eſt ſeipsâ finita & terminata negatiuè, quia caret vlteriori extenſione; non autem eſt terminata poſitiuè, niſi per ſua indiuiſibilia terminatiua, vnde illis ablatis non eſſet poſitiuè terminata, nec adæquatè finita, quia eius adæquata finitas dicit tam finitatem poſitiuam, quàm negatiuam: finitum autem & infinitum opponuntur

nuntur per modum habitûs, & priuationis: infinitum enim duo dicit, ſcilicet babere plures, & plures partes, & habere carentiam termini poſitiui: finitum etiam importat duo, ſcilicet carere vlteriori extenſione, & habere terminum poſitiuum: infinitum ergo inquantum dicit plures, & plures partes poſitiuas, babet rationem habitûs, & finitum habet tationem priuationis, quia dicit carentiam illarum partium: & econtra finitum habet tationem babitûs, inquantum importat terminum poſitiuum, infinitum verò, quia caret tali termino, babet rationem priuationis. Ad aliud ſimiliter dicendum, quòd ſublato illo indiuiſibili non remanet linea poſitiuè & adæquatè terminata, ſed tantùm negatiuè & inadæquatè, quia ex ſe petit poſitiuè terminati & finiri, licèt per additionem illius indiuiſibilis non fiat maior, aut per detractionem minor.

Ad ſecundum dicendum, quòd Ariſtoteles, & D.Th. loquuntur ibi de indiuiſibilibus tantùm terminatiuis, quę ſunt in potentia continui, & reſultant quoties illud diuiditur: vnde in continuo alia ſunt indiuiſibilia, quæ actu continuant, & non terminant actu: alia verò, quæ actu terminant: & ita in linea ſunt duo puncta terminatiua actu, plura verò in potentia: quia cum linea ſit diuiſibilis in infinitum, ex ipſa diuiſione reſultant duo puncta actu terminatiua: de his autem loquitur D. Thom. ſic enim concludit: *Et infinita alia in potentia, ſecundum quòd ipſa eſt in infinitum diuiſibilis potentialiter.*

Ad tertium dicendum, quòd talis caſus eſt impoſſibilis, quia ex illo ſequeretur continuum eſſe acto diuiſum in omnem ſui partem, nam ablatis omnibus continuatiuis remanerent omnes partes diſcontinuæ, & diuiſæ, quòd eſt contra rationem quantitatis, quæ èſt diuiſibilis in infinitum: deinde admiſſo illo caſu dicendum, quòd non remaneret linea, non quia ſolum conſtet ex indiuiſibilibus, ſed quia eſſentialiter pendet ab illis, cùm ſit quantitas continua; vnde his ablatis, perit quæuis alia entitas, quæ in ipſa intrinſecè repetitur.

Articvlvs II.

Vtrùm continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus?

Ad secvndvm ſic proceditor. Videtur qòòd continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus. Ita tenuerunt ex antiquis Stoici, Pithagorici, Democritus, & alij tempore Ariſtot. Probatur. Si detur globus perfectè rotundus, qui moueatur motu continuo ſuper corpus perfectè planum, ſemper tanget in puncto, vt patet: ergo illa linea ſuper quam mouetur, ſolùm componitur ex punctis: cùm enim percurrat illam, ſemper ſucceſſiuè tanget illa, ea quibus componitur, idem etiam probat de Cylindro perfecto, qui motus in ſuperficie ſemper tangeret in linea, & ita ſuperficies ſolùm conſtat ex lineis.

§ 2. Præterea, Ponatur corpus partim in aqua, partim in aëre, tunc in medietate illius corporis duæ lineæ ſe contingent, vna terminatiua aquæ, alia terminatiua aëris: ergo ex parte corporis locati correſpondent duæ alia lineæ, quæ ſe etiam immediatè contingant: nam de ratione locati circumſcripti eſt, vt totum toti loco, & pars parti, & tandem indiuiſibilia correſpondeant indiuiſibilibus: ergo corpus componitur ex ſolis ſuperficiebus, & ſuperficies ſolis lineis, &c.

§ 3. Præterea, Si continuum componitur ex partibus, illæ debent eſſe infinitæ, ac proinde non poſſent pertranſiri motu continuo: ſed hoc eſt contra experientiam, videmus enim quodcumque ſpatium motu pertranſiri: ergo continuum non componitur ex partibus, ſed ſolis conſtat indiuiſibilibus.

Sed contra eſt authoritas Concilij Conſtantienſis, Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm indiuiſibile additum alteri indiuiſibili non faciat maius, ſiue extenſius, continuum non componitur ex ſolis indiuiſibilibus.

Respondeo dicendum, quòd continuum non componitur ex ſolis indiuiſibilibus, ſed componitur ex ſuis partibus per indiuiſibilia vnitis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd indiuiſibile v. g. punctum continuatiuum lineæ, non eſt in ordine ad locum poſt partem, quam continuat, vt patet; nec eſt penetratum propriè loquendo, cum illa: quia penetratio propriè eſt inter duo quanta ſe inuicem ſecundùm partes diuiſibiles tangentia; cum hoc tamen ſtat, vt eo ipſo quòd totum punctum quaſi tangatur à parte quam continuat, oporteat ibi ſaltem inadæquatè eſſe partem, vbi punctum; ideſt, ita vt non ſecundùm ſe totam quaſi tangat punctum, ſed ſecundùm ſui medietatem, & hæc ruſus non ſecundùm ſe totam, ſed ſecundùm ſui medietatem, & ſic in infinitum; quia illuc vſque incluſiuè per partes minores, & minores accedit: vnde licèt inter contactum duorum corporum non ſit medium inter hoc quod eſt vnum, eſſe intra vel extra aliud, benè tamen inter duo indiuiſibilia, vel inter vnum indiuiſibile, & aliud diuiſibile, quia non adeſt aliquid, in quo, & per quod fiat intromiſſio, nec aliquid, per quod vtrumque poſſit eſſe extra aliud: & ideo erit ibidem vnum, vbi & aliud, & conſequenter nullam facient extenſionem: & quamuis punctum immediatè afficiat, & vniat partes continui, tamen propriè loquendo, vt notat hîc Ariſtoteles, non tangit illas, quia ea ſolùm ſe propriè tangunt ex eodem Philoſopho, quorum vltima ſunt ſimul, & conſequenter quæ habent aliquid præter vltimum, quod repugnat indiuiſibilibus.

Probatur concluſio ratione Ariſtotelis, & D. Thom. indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, aut extenſius, quia ſe tangunt ſecundùm ſe tota: nam indiuiſibilia, vt ſic, cùm non habeant partes, vel ſe tangunt ſecundùm ſe tota, vel non ſe tangunt vllo modo, vnde ſi ſe tangunt, vbi eſt vnum, ibi neceſſariò debet eſſe aliud; & ſic vnum non extenditur vltra aliud, ſicut ſi vnus lapis poſitus ſopra alium tangeret illum ſecundùm totum quod habet, intromitteretur omnino in illum, & ſic non fieret aliquid maius ex duobus, quàm ex vno: ergo punctum non extendit, ac proinde non facit lineam, cùm ſit impoſſibile dari lineam ſine aliqua extenſione: imò ſequitor quòd ſit impoſſibilis ſuperficies, aut corpus; quia ſi continuum componitur ex ſolis indiuiſibilibus, nihil eſt aliud præter plura puncta, nam profunditas eſſet multiplex ſuperficies, ſuperficies multiplex linea, linea verò multiplex punctum: & ita de primo ad vltimum, corpus nihil eſſet aliud, quam multiplex punctum. Confirmatur. Si linea ſolùm conſtat indiuiſibilibus, ſequitur quòd ſi dentur duæ lineæ, quarum vna conſtet decem punctis, & alia vndecim, hæc vltima eſſet maior aliâ: nam ex aduerſariis puncta ſe adæquatè tangentia faciunt extenſionem: ſed eſt abſurdum dicere, quòd vna linea ſit maior aliâ, qoia excedit illam vno puncto, cùm punctum nullius ſit extenſionis, & magnitudinis: omnes enim fatentur illud eſſe indiuiſibile, & eſſe id, quod non habet partes, ſic enim definitur: ergo linea non conſtat ſolis indiuiſibilibus.

Secundò, probatur authoritate Concilij Conſtantienſis ſect.15. vbi inter errores Ioannis Hus, hunc refert, & damnat: ſic autem refert. *Linea aliqua Mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut ſolùm ex punctis ſimpliciter finitis, vel tempus eſt, fuit, vel erit compoſitum ex inſtantibus immediatis. Item non eſt poſſibile quòd tempus, & linea, ſi ſint, aliter componantur*: Subdit autem cenſuram his verbis: *Prima pars eſt error in Philoſophia, ſed vltima errat circa diuinam potentiam.* Idem docet Ariſtoteles in hoc lib. cap.1. vbi ſic ait, *Quin nec punctum deinceps ſequitur punctum, aut momentum momentum, vt ex his ſit longitudo, vel tempus: deinceps enim ſunt, quibus nihil eſt interiectum eiuſdem generis, quod verò punctis eſt interiectum, ſemper eſt linea, & quod momentis, tempus.*

Tertiò, ſi continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus,

libus, sequitur quòd mobile velocissimum, vt aquila, non possit æquali tempore percurrere plus spatij, quàm mobile tardissimum vt testudo, (quod experientiâ constat esse falsum,) nam detur spatium decem indiuisibilium, & illud percurrant motu continuo aquila & testudo, tunc aquila quolibet instanti temporis acquiret vnum punctum spatij, & non ampliùs, quia minimâ duratione, qualis est instans, debet pertransiri minimum spatij, vt patet: & sic consumet decem instantia in percurrendo illo spatio: similiter testudo, si semper moueatur, quolibet instanti pertransibit aliquid, aliàs in illo quiesceret, si in instanti aliquid pertransit, non potest minus pertransire, quàm indiuisibile, non enim potest dari minus illo, & ita solùm consumet decem instantia in percurrendo illo spatio. Confirmatur quoad vtramque partem. Positis in continuo solis punctis indiuisibilibus, & negato quòd agens velocissimum singulis instantibus percurrat tantùm singula puncta, ac concesso quòd percurrat plura iuxta velocitatem motûs, tunc sic procedit quoad primam partem. Si vnum mobile velocissimum longum v.g. quinque indiuisibilibus, vno instanti perficiat decem puncta spatij, sequitur quòd simul & semel, scilicet in eodem instanti sit in duobus locis adæquatis: nam quinque puncta spatij prioris illud adæquant, & similiter quinque puncta posterioris: est autem in illis omnibus simul & semel. Quoad secundam partem. Si mobile tardum vno instanti non percurrat punctum spatij, supposito quòd moueatur, aliquid percurret, & ita dimidium puncti, quod est absurdum, nam punctum non habet dimidium, nec partes, sed est omnino indiuisibile. Nec valet quod aliqui respondent, scilicet mobilia acquisito aliquo puncto spatij, per imperceptibiles morulas quiescere, quò autem istæ morulæ sunt breuiores, eò motus est velocior, quò longiores, eò tardior. Nam contra. Detur rota constans ex materia solidissima, quæ si moueatur, omnes eius partes mouentur, & tamen constat quòd partes circumferentiæ velociùs mouentur iis, quæ sunt proximiores axi, & tamen per nullam morulam, aut saltem per æqualem quiescunt: ergo velocitas, vel tarditas motûs non prouenit ex his morulis: deinde si admittantur istæ morulæ, non erit motus continuus, nam interrumperetur: imò quilibet motus solùm duraret per instās, quia quolibet instanti interrumpetur, quòd est contra rationem motûs successiui, qui habet prius & posterius.

Ex dictis colligitur differentia inter continua & discreta, inter permanentia & successiua: nam in continuis indiuisibile non facit maius, vt dictum est, quia in illo esse maius est idem, ac esse extensiue: in discretis autem indiuisibile facit maius: nam vnitas auget numerum, quia magnitudo in illis, non est in extensione sed in pluralitate: duo autem indiuisibilia sunt simpliciter plura, quia distincta: & ideo licèt quantitas continua non possit componi ex indiuisibilibus, bene tamen discreta ex vnitatibus formaliter indiuisibilibus & materialiter extensis: similiter successiua differunt à permanentibus, nam in permanentibus indiuisibile non facit maius, aut extensius, vt dictum est: sed in successiuis non est ita, nam licèt instans non faciat maius, aut extensius tempus, quia maius tempus, cùm sit quantum, importat maiorem extensionem: indiuisibile autem vt sic, cùm non habeat partes, non potest extendere, facit tamen maius in duratione, quia duratio abstrahit ab extensione: nam sicut potest dari duratio successiua, & quantitatiua, vt tempus, ita potest dari duratio indiuisibilis, vt instans: vndè magis durationis potest prouenire ab eo, quod est omnino indiuisibile.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille globus mouetur per saltus super illud planum de puncto ad punctum, ita vt inter vtrumque paululùm eleuaretur à plano, & hoc licèt ad manum traheretur, quamuis tunc saltus essent minus perceptibiles, hoc enim experimur in pila, quæ mouetur super planum. Alij dicunt quòd non posset moueri, idem dicendum de Cylindro.

Ad secundum dicendum, quòd vtrique lineæ aëris, & aquæ solùm correspondeat vna in locato, quia cùm illæ lineæ sint indiuisibiles secundùm latitudinem, sequitur quòd vtraque simul non possit secundùm hanc rationem facere maiorem extensionem, quàm quælibet seorsum: vnde cùm talis coniunctio fiat secundùm quod sunt indiuisibiles, sufficiet vna ex parte locati assignata ad talem correspondentiam.

Ad tertium dicendum, quòd argumentum concluderet, si illæ partes essent aliquotæ, siue non communicantes, quia verè essent infinitæ actu, vt pote proximè capaces existendi separatæ, & sic efficerent infinitum secundùm multitudinem, quod non potest pertransiri, non autem sunt hoc modo partes in continuo, sed sunt tantùm in potentia, vt ait Aristoteles: non quòd ibi non habeant rationem partium actualium actu componentium totum, & quòd inter se non distinguantur, sed quia dum sunt in toto, non habent propriam existentiam, at existunt per existentiam totius: ad multiplicationem autem existentiæ res tantùm simpliciter multiplicantur, vt supra dictum est: imò nec ratione totius illæ infinitæ partes existunt signatæ & determinatæ, sed indeterminatæ & confusæ, quod est existere secundùm quid, etiam intra latitudinem modi existendi partium: & ita est quidam modus essendi in potentia, quia sunt partes proportionales, & communicantes: istæ autem partes sic se habent, quòd licèt post primum punctum non sit immediatè assignabilia aliqua determinata, & similiter ante vltimum, quæ non sit diuisibilis in medietates, & hæ in alias, & sic in infinitum, vnde semper datur alia, & alia immediatior puncto: cùm hoc tamen stat dari ibidem aliquam partem indeterminatam & confusam, quam indeterminato & confuso modo punctum illud immediatè afficiat: licèt non possimus peruenire ad signandam illam in particulari & determinatè. Idemque proportionaliter dicendum de tempore, nam post primum instans fluxit pars, sed indeterminata & ratione illius incipit, & ante vltimum instans immediatè etiam præcedit pars, sed indeterminata, & ratione illius desinit tempus: hoc enim petit natura partium proportionalium cuiuscumque continui, quæ in eo indistinctæ & indeterminatæ existunt: istæ verò partes proportionales sic se habent, vt aliæ sint maiores aliis: nam cùm vnum continuum sit maius alio, etiam eius medietas, quæ respectu totius est pars proportionalis, est maior medietate alterius, & sic deinceps comparando has medietates cum suis medietatibus: hæc autem maioritas non est certa & determinata, sed indeterminata & proportionalis, & hic excessus indeterminatus est proprius partium proportionalium. Maior igitur velocitas motûs prouenit ex eo quòd vnus motus fluat per partes proportionales, maiores maioritate tamen indeterminatâ, quàm alius: licèt hic fluxus fiat successiuè, & per partes indeterminatas, & consequenter citiùs percurrit spatium, quàm alius, qui eodem tempore fluit per partes proportionales minores, minoritate tamen indeterminatâ, & ideo ille dicitur velox, iste tardus.

Articvlvs III.

Vtrùm partes continui habeant actu rationem formalem partium?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd partes continui non habeant actu, sed tantum in potentia rationē formalem partium. Ita tenent aliqui recentiores. Probatur authoritate Aristot. qui 7. Metaph. textu 49. sic ait, *Duo namque si actu, nunquam sunt vnum actu, sicut si potestate duo fuerint, erunt vnum, vt v.g. dupla ex duobus dimidiis potestate, actus enim separat:* Vbi D. Th. lect. 13. sic ait: *Duo enim, quæ sunt in actu, nunquam sunt vnum actu; sed duo, quæ sunt in potentia, sunt vnum actu, sicut patet in partibus continui: duæ enim dimidia vnius lineæ sunt in potentia in ipsa linea dupla, quæ est vna in actu, & hoc ideo quia actus habet virtutem separandi, & diuidendi.* Item supra lib. t. lect. 9. sic ait, ponens discrimen inter partes homogeneas, & etherogeneas, *Hæc au-*

rem intelligendum est de partibus existentibus actu in toto, sicut caro, neruus, & os existunt in animali, & per hoc excluduntur partes totius continui, quæ sunt potentiâ in ipso. Item in 4.d.10.q.1.art.3.ad 1.sic ait, *Vnitas rei consequitur esse ipsius; partes autem alicuius homogenei continui ante diuisionem, non habent esse actu, sed potentiâ tantùm, & ideo nullam habent vnitatem propriam in actu: vnde actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentiâ tantùm.* Et per hoc respondet argumento, quòd intendebat probare Christum esse infinities sub eadem Hostia, quia cùm sit totus in tota, & totus in qualibet parte, si verè essent infinitæ partes actu, concluderetur ibi esse infinities.

¶ 2. Præterea, Partes continui non sunt actu inter se distinctæ, nulla enim ex illis, dum est in continuo, habet propriam vnitatem; non prædicamentalem, quia hæc tantùm consequitur totum; non transcendentalem, quia hæc consequitur esse rei: partes autem Continui non habent propriũ esse at existunt per esse totius, & ita non sunt distinctę, sed quid vnom: ergo non sunt actu partes quia quælibet pars actu debet realiter distingui ab alia.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Th. quos communiter sequuntur Thomistæ, Soncinas 5. Metaph. q.25. Soto 3. parte Philosophiæ q.3. Masios, nostri Complutenses, & alij etiam extra scholam D.Th. in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm dimidia pars continui distinguatur ab alia medietate, & proprium sit quantitatis tribuere substantia, quod habeat partes, partes continui habent actu rationem formalem partium.

Respondeo dicendum, quòd in continuo verè dantur partes actu & realiter inter se distinctæ, & habent actu veram & formalem rationem partium. Probatur authoritate Aristotelis, qui vt supra dictum est, ponit in continuo indiuisibilia continuatiua: ergo etiam debet ponere partes per illa continuatas. Item 5. Metaphis. cap. 12. sic ait, *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt:* Sed est diuisibile in partes: ergo partes insunt: sed quod inest, actu est: ergo in continuo sunt verè actu partes. Idem docet D.Thom. exponens hunc Philosophi locum lect. 15. vbi sic ait, *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt; quod quidem dicitur ad differentiam diuisionis mixtorum: nam corpus mixtum resoluitur in elementa, quæ non sunt actu in eo, sed virtute tantùm.* Item probatur ex eo, quod habet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. vbi ait, *Totus enim est integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit:* Ergo quantitas habet verè & formaliter partes.

Secundò, dimidia pars continui distinguitur realiter ab alia medietate, cùm possint abinuicem separari, & actu esse separatæ: quæ autem possunt separari, & actu esse separata, sine dubio realiter distinguuntur: sed non distinguuntur realiter tanquam totum à toto, quia non sunt tota, at vt dimidiæ partes actu constituunt totum: ergo distinguuntur tanquam pars, & pars actualis.

Tertiò, proprium est quantitatis tribuere substantiæ, quòd habeat partes, & quòd vna pars sit extra aliam, vt dictum est supra, & infra dicetur: sed si non dantur actu partes in continuo, non est verum quòd quantitas tribuat illi habere partes, nam ex aduersariis ante diuisionem non habet partem, & partem; post diuisionem autem non manet pars, & pars, at totum, & totum; & ita quantitas nunquam tribueret substantiæ habere partes actu imò nec in potentia quia hæc potentia non esset reducibilis in actum, vt patet ex modo dictis: ergo in continuo verè dantur partes actu.

Ad primum ergo dicendum, quod Aristoteles in 1. loco, & D.Th. in eius expositione nihil aliud intendunt, vt patet ex ipso contextu, quàm quòd partes continui non sint actu per proprias existentias, sed tantùm existant per vnicam existentiam totius actu, & sint in potentia ad proprias, inquantum possunt separari à toto: non autem negant in continuo esse verè partes actu realiter distinctas: ex duobus autem entibus in actu per proprias existentias, non potest fieri vnum: quia actus existentiæ separat: benè autem ex duobus entibus in actu per eamdem existentiam. Ad alium locum dicendum, quòd licèt tam partes aliquotæ, quales sunt etherogeneæ, quam proportionales existant per existentiam totius, tamen hæc est differentia, quòd proportionales existunt tantum confusæ & indeterminatæ, nec totum potest esse actu diuisum in omnes illas, & propterea dicuntur esse in potentia: aliquotæ verò, maximè si sint etherogeneæ existunt determinatæ, ita vt totum possit actu diuidi in omnes illas, & sunt proximè capaces existendi separatæ per propriam existentiam, & ideo dicuntur peculiariter esse actu in toto: & hæc est mens D.Th. Ad alium locum dicendum, quòd partes continui non sunt absolutè dicendæ infinitæ actu, nec simpliciter esse actu, quia existunt indeterminatè & confusè, licèt sint actu distinctæ, & sic dicuntur esse secundùm quid actu, & in potentia: vnde bene concluditur Christum non habere infinitas præsentias in vna Hostia, sed eas tantùm multiplicari ad diuisionem Hostiæ, quia tunc fiunt plures species actu.

Ad secundum dicendum similiter, quòd partes quantitatis, licèt sint realiter distinctæ, non tamen omnino propriè & rigorosè habent vnitatem in actu, habent tamen suam qualemcumque vnitatem partialem: vnitas autem transcendentalis in ratione entis consequitur esse, non autem in ratione partis: hæ autem partes non distinguuntur se totis, nec sunt primò diuersæ, nec specificè distinguuntur, sed distinctione reductiuà ad numericam, siue partialiter numericè.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm partes proportionales continui sint infinitæ?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd partes proportionales continui non sint infinitæ. Probatur. Si in continuo sunt infinitæ partes, continuum erit infinitè extensum: cùm enim quælibet ex his partibus sit distincta ab alia, ita vt habeat propriam entitatem, ac proinde propriam extensionem [licèt non determinatam] vna enim non penetrat aliam, necessariò simul iunctæ facient extensionem infinitam: sed non potest dari infinitum actu secundùm magnitudinem, vt dictum est supra: ergo in continuo non sunt infinitæ partes proportionales.

¶ 2. Præterea, Partes proportionales non sunt communicantes: nam intra quamlibet, & quamlibet mediat punctum, vnde quot sunt partes in continuo, tot sunt possibiles diuisiones: ergo sicut, si diuisiones illæ actu fierent, causarent multitudinem infinitam, sic partes eis correspondentes, si essent actu, causarent magnitudinem infinitam: nam quæ extensa sunt, & multitudinem discretam actu infinitam possunt facere, necessariò efficient magnitudinem infinitam, si simul vniantur.

¶ 3. Præterea, Si partes proportionales continui sunt infinitæ, sequitur quòd granum tritici tot habeat partes, quot cœlum empireum, vtrumque enim constaret infinitis partibus, vnum autem infinitum non est maius alio: sed est absurdum dicere, quòd granum tritici tot habeat partes, quot cœlũ empireum, cœlũ enim est sine comparatione maius grano tritici, ac proinde plures habet partes: ergo partes proportionales cõtinui non sunt infinitæ.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Th. in hoc lib. text. 37. item 5. Metaph. c. 13. item cap. de quantitate, quos cõmuniter sequuntur Thomistæ, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm essentia quantitatis sit habere partes extra partes, ac proinde non sit in ea assignare primam, aut vltimam: partes proportionales continui sunt infinitæ.

Respondeo dicendũ quòd licèt partes proportionales, quæ realiter sunt in cõtinuo, non sint dicẽdæ actu infinitæ 2. sunt tamen infinitæ in potentia, inquantũ non est in eis assignare primã, aut vltimam: vnde nisi obesset modus confusè & indeterminatè existendi illarũ, essent infinitæ actu.

actu. Ad cuius euidentiam sciendum est partes continui esse in duplici differentia, quædam enim dicuntur aliquotæ, quæ scilicet aliquoties repetitæ exhauriunt, & mensurant totum continuum, vna autem ex istis non continetur intra alias, sed est omnino extra illas, vnde etiam dicitur pars non communicans, id enim dicitur communicare cum alio, quod in eo includitur, & ipsum componit; aliæ dicuntur proportionales, siue communicantes, quæ in partibus aliquotis includuntur, & cum eis communicant, ita vt sint medietates medietatum, & rursus medietatis illius medietas, & sic in infinitum: ideo autem dicuntur proportionales, siue minores & minores, quia cum quadam proportione componunt totum, inquantum in maioribus includuntur minores, & in his minoribus aliæ minores, & sic in infinitum, vnde pars proportionalis, vt sic, non exigit necessariò certam & determinatam magnitudinem & extensionem. Ex quo sequitur, quòd si totum diuidatur in duas medietates, vna medietas non fit pars proportionalis alterius medietatis, sed est eius compars aliquota, vnde medietas debet iterum diuidi, & partes, in quas quælibet diuiditur, sunt illius partes proportionales, & idem dicendum de partibus, in quas est diuisibilis quælibet ex his secundis medietatibus, & sic in infinitum: & ita necessariò sunt medietates, siue partes partium, vt tamen rationem habeant partium proportionalium, per se primò debent comparari ad totum, ita quòd totum dicatur includere partes proportionales. Ex dictis facilè colligitur quomodo partes proportionales, licèt in infinitum multiplicentur, non tamen faciunt extensionem infinitam imò nec vllam extensionem maiorem, vt tales sunt: & sic possunt includi in certa, & determinata magnitudine: nam, v.g. ambæ medietates vnius digiti, non sunt maiores, quàm totus digitus, nec duplex medietas illius prioris medietatis maiorem importat extensionem, quàm prima medietas: vnde quamuis tales medietates sic crescant in infinitum, non magis extendent continuum, sed tanta solùm erit eius extensio, quanta fuerit magnitudo omnium suarum partium aliquotarum, siue æqualium.

Probatur secunda pars conclusionis (prima enim constat ex dictis.) Quælibet pars quantitatis est diuisibilis, omnes enim partes simul sumptæ componunt quantitatem diuisibilem: indiuisibilia autem non possunt facere vnum, vel minimum diuisibile, vt supra dictum est: diuidatur igitur, quæcumque sit illa pars continui, in alias partes, illæ nouæ partes propter eamdem rationem erunt diuisibiles in alias, & sic in infinitum: ergo partes proportionales continui sunt infinitæ in potentia, nec est assignabilis prima, aut vltima: hoc tamen accipiendum est mathematicè, non autem physicè; nam physicè diuidendo continuum, poterimus deuenire in partem physicè indiuisibilem à nobis.

Ad primum ergo dicendum, quòd pars proportionalis non solùm non petit certam & determinatam magnitudinem, sed etiam petit intrinsecè includi in ea parte, quam componit, & ita distinguitur solùm ab ea distinctione includentis & inclusi, licèt distinguatur distinctione reali excludentis & exclusi à quauis alia medietate incertæ magnitudinis, extra quam sit: vnde quamuis non penetretur cum aliis medietatibus, tamen cum illa medietate, cum qua communicat, siue quam componit, virtualiter penetratur, quia ratione communicationis non magis illam extendit.

Ad secundum dicendum, quòd partes continui non ita inter se ordinantur, vt inter duo puncta determinata mediet aliqua determinata pars certæ & determinatæ magnitudinis, sed ita vt pars illa sit indeterminata, & indeterminatæ magnitudinis, id est, vt non tota ipsa sit immediata puncto, sed medietas medietatis, & sic in infinitum, aliàs talis medietas non esset diuisibilis in semper diuisibilia: vnde licèt duæ partes indeterminatæ puncto vnitæ non sint inter se communicantes, tamen quælibet ex his communicat cum alia, quam componit, & cum toto, vnde simpliciter dicuntur communicantes: diuisiones autem illæ actuales sunt impossibiles, cùm sint contra rationem quantitatis: nec mirum est, si concesso hoc impossibili, quòd scilicet si omnes partes continui actu diuidereutur, causarent multitudinem infinitam, debeat concedi aliud, scilicet quòd causarent magnitudinem infinitam simul vnitæ.

Ad tertium dicendum plures partes esse possibiles in potentia, quàm infinities infinitas, nam multitudo partium infinities infinita, si bis, & pluries multiplicetur, maior est materialiter, quàm si non multiplicetur: dictum est enim supra vnum infinitum esse maius alio materialiter, licèt non formaliter: ex quo patet, quòd magnitudo continui debet pensari ex partibus aliquotis, & non ex proportionalibus.

QVÆSTIO XXVI.

De modo inceptionis & desitionis rerum.

Deinde considerandum est de modo inceptionis & desitionis rerum, tam permanentium, quàm successiuarum, circa quod quæruntur quinque.

¶ Primò, Quomodò incipiant & desinant res successiuæ, & indiuisibilia earum?

¶ Secundò, Quomodò incipiant & desinant qualitates materiales incipientes & desinentes per motum?

¶ Tertiò, Quomodò incipiant & desinant substantiæ generabiles & corruptibiles?

¶ Quartò, Quomodò incipiant & desinant res permanentes, quæ in sua inceptione & desitione motui non subduntur?

¶ Quintò, Quomodò incipiat & desinat quies?

ARTICVLVS I.

Quomodo incipiant & desinant res successiuæ & indiuisibilia earum?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd res successiuæ incipiant in instanti. Probatur. Inceptio rerum successiuarum mensuratur illâ mensurâ, quæ actu est, quando incipiunt, vt patet: sed nihil est de tempore, nisi nunc, siue instans: ergo res successiuæ incipiunt in instanti.

¶ 2. Præterea, Motus incipit, & est per sua indiuisibilia, scilicet mutata esse, sicut & alia successiua: sed indiuisibilia, cùm fiant tota simul, incipiunt in instanti: ergo etiam motus, & alia successiua incipiunt in instanti.

¶ 3. Præterea, Si mulier prægnans moueatur, & in medio motûs animetur fœtus, in instanti animationis incipit moueri fœtus: ergo motus incipit in instanti.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. in præsenti cap. 5. & 6. quos communiter sequuntur Philosophi.

Conclvsio.

Cùm res successiuæ fiant, & durent per partes, indiuisibilia verò earum fiant tota simul & indiuisibiliter durent, hæ incipiunt in instanti, & desinunt in tempore, illæ verò econtra incipiunt in tempore, & desinunt in instanti.

Respondeo dicendum, quòd res successiuæ, vt motus, tempus &c. incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore & extrinsecè, desinunt verò per primum non esse, siue in instanti ipsis extrinseco, intrinseco tamen ipsi desitioni. 2. Econtra indiuisibilia earum incipiunt per primum sui esse, siue in instanti & intrinsecè, desinunt autem per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco, intrinseco tamen ipsi desitioni. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd licèt quælibet res habeat suam durationem intrinsecam, vt dictum est, à qua mensuratur; est tamen alia mensura extrinseca, quâ etiam mensuratur (quæ est successiua, constans partibus, & instantibus) scilicet tempus primi mobilis, quod quia est nobis

nobis notiua, sic magis est accommodatum, vt respectu nostri sit mensura omnium transmutabilium; quia tamen partes eius habent maximam indeterminationem, instantia verò magis determinata sunt, ideo faciliùs concipiuntur inceptiones & desitiones rerum per ordinem ad instantia, quàm per ordinem ad partes temporis: vnde Philosophi determinarunt duo instantia respectu inceptionis, & duo respectu desitionis; & adinuenerunt sequentes quatuor terminos (scilicet incipere per primum sui esse, vel per vltimum non esse, & desinere per primum non esse, vel per vltimum sui esse:) ea incipiunt per primum sui esse, quorum prima productio coexistit illi instanti, ita vt sit verum dicere nunc primò est, & immediatè ante non erat; vnde tale instans dicitur intrinsecum respectu inceptionis, quia re vera esse, & inceptio rei est in illo: ea verò incipiunt per vltimum non esse, quorum productio non coexistit illi instanti, sed tempori immediatè sequenti, ita vt sit verum dicere, nunc vltimò non est talis res, & immediatè post, id est, tempore immediatè sequenti erit; vnde tale instans est extrinsecum, tam inceptioni, quàm rei; quantùm ad desitionem verò dicendum quòd ea desinunt per primum non esse, quorum prima destructio, saltem totalis, coëxistit instanti, & in instanti exercetur, ipsa verò fuerunt tempore immediatè præcedenti; vnde verùm est dicere, nunc primò non est talis res, immediatè ante erat; ea verò desinunt per vltimum sui esse, quorum desitio non coexistit illi instanti, aut in eo exercetur, sed in tempore immediatè sequenti; vnde verùm est dicere, nunc vltimò est talis res, immediatè post non erit: est tamen differentia inter inceptionem & desitionem, quòd per inceptionem res ponitur, vnde instans intrinsecum inceptioni, est etiam intrinsecum rei, extrinsecum verò inceptioni, est etiam extrinsecum rei; per desitionem autem res tollitur, vnde instans intrinsecum desitioni, est extrinsecum rei; & extrinsecum desitioni, est intrinsecum rei: quæ hîc dicuntur quantùm ad inceptionem & desitionem de aliis in ordine ad mensuram temporis veri possunt adaptari, ipsi verò tempori in ordine ad mensuram temporis imaginarij; nunc autem in præsenti materia nunc significat instans, quamuis aliàs sumatur pro tempore præsenti.

Probatur prima pars conclusionis. Quæ incipiunt per primum sui esse siue in instanti, & desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore, habent esse in instanti, in quo primò incipiunt, & in quo vltimò sunt: sed res successiuæ non possunt habere esse in instanti, at in tempore, cùm ab intrinseco petant habere partem post partem, hoc enim essentialiter importat successio: ergo res successiuæ, vt motus, & tempus, non incipiunt per primum sui esse siue in instanti, at per vltimum non esse, siue in tempore; ita vt sit verum dicere, nunc vltimò non est motus, immediatè post erit: nec desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore, at per primum non esse, siue in instanti ipsis extrinseco, intrinseco tamen ipsi desitioni; ita vt sit verum dicere nunc primò non est motus, immediatè ante erat: ex quo colligitur differentia, quæ est inter esse, & non esse cuiuslibet rei successiuæ; quod esse illius petit ex natura sua positiuam & successiuam continuitatem, vnde non potest totum simul, vel aliqua eius pars reperiri in instanti; non esse autem, cùm sit negatio, consistit in indiuisibili, & est totum simul, vnde primò reperitur in instanti.

Probatur secunda pars conclusionis. Hæc indiuisibilia secundùm se sumpta durant tantùm per instans, quod est mensura indiuisibilis; mensura enim, & res mensurata debent proportionari: ergo in vno & eodem instanti verum est dicere, nunc primò, & vltimò sunt, & immediatè ante non erant, nec immediatè post erunt: sed hoc est incipere per primum sui esse, siue in instanti; & desinere per vltimum sui esse, siue in tempore, quod antecedit, & sequitur nunc: ergo indiuisibilia rerum successiuarum incipiunt per primum sui esse, siue in instanti, & intrinsecè; desinunt autem per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco, intrinseco tamen desitioni; maximè quia sunt; & habent esse indiuisibiliter, & tota simul, non verò per partes; & per hoc opponuntur rebus successiuis: ergo opposito modo debent incipere & desinere; vnde ex natura ipsorum est, quòd eorum non esse, coëxistat tempori mensuranti partes continui ipsis succedentes, quarum sunt nexus.

Ad primum ergo dicendum, quòd habemus tempus per suas partes successiuè fluentes, & non tantùm instans temporis, vt supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd motus sicut & alia successiua incipiunt, & sunt per suas partes, & non tantùm per indiuisibilia.

Ad tertium dicendum, quòd in tali casu in illo instanti intrinseco animationis fœtûs, non est verum dicere, fœtus mouetur, sed incipit intrinsecè esse, non autem moueri: vnde verum est dicere, nunc primò est fœtus, & non mouetur, sed immediatè post mouebitur.

Articulus II.

Quomodo incipiant & desinant qualitates materiales incipientes & desinentes per motum?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd qualitates materiales incipientes & desinentes per motum incipiant & desinant indifferenter, siue in instanti, siue in tempore. Probatur. Qualitas materialis aliquando producitur sine intensione, per hoc enim alteratio specificè sumpta distinguitur à motu intensionis, quòd hæc habet pro termino (ad quem) qualitatem intensam, illa verò qualitatem sine intensione: ergo sicut quando producuntur qualitates intensæ, producuntur successiuè, & in tempore, sic quandò producuntur qualitates sine intensione, producuntur indiuisibiliter, & in instanti.

§ 2. Præterea, Eadem est ratio qualitatum materialium quantùm ad inceptionem & desitionem, cùm vna incipiat desinente aliâ, & ad intensionem vnius sequatur remissio alterius: ergo cùm qualitates materiales desinant in instanti, etiam incipiunt in instanti, vel si incipiant in tempore, etiam desinunt in tempore.

Sed contra est authoritas Aristot. & D.Th. in præsenti, & communis sententia Philosophorum.

Conclusio.

Cùm illa, quæ incipiunt, & desinunt per motum, debeant commensurari ipsi motui, qualitates materiales incipientes, & desinentes per motum incipiunt in tempore, & desinunt in instanti.

Respondeo dicendum, quòd si qualitates materiales, quæ fiunt cum expulsione contrarij, considerentur, prout in fieri, incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore & extrinsecè; desinunt verò per primum non esse, siue in instanti ipsis extrinseco, intrinseco tamen ipsi desitioni 2. Si autem considerentur sub determinato gradu, & in ordine ad determinatam partem subiecti, & in facto esse, incipiunt per primum sui esse, siue in instanti, & intrinsecè 3. & desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco, intrinseco tamen ipsi desitioni.

Probatur prima pars conclusionis. Qualitates materiales incipientes & desinentes per motum fiunt successiuè, quia actio, quâ fiunt, retardatur propter resistentiam contrariæ qualitatis, & sic priùs introducitur secundùm esse remissum, quàm secundùm esse intensum; item priùs introducitur in dimidio palmi, & in dimidio dimidij, quàm in toto palmo, ac proinde in sua inceptione commensurantur ipsi motui successiuo, ita vt per partem motûs acquiratur pars qualitatis, sive maior intensio illius; & cùm verum sit per motum semper aliquid acquiri, verum est etiam quòd cùm incipit motus, incipit aliquid qualitatis acquiri: quod etiam proportione seruatâ debet dici quoad desitionem: ergo cùm motus propter suam successionem incipiat per vltimum non esse, siue in tempore, & extrinsecè desinat verò per primum non esse, siue in instanti ipsi extrinseco, intrinseco tamen eius desitioni, etiam qualitates

tes materiales incipientes & desinentes per motum cum expulsione coortarij, si consideretur provt in fieri, propter eamdem successioné eodem modo incipient & desinent.

Probatur secunda pars conclusionis. Pars determinata consistit in Indiuisibili, nam quidquid addas vel demas, iam non est eadem determinata pars, vt patet, quia aliquid plus vel minus habet: ergo qualitates materiales, vt calor, Iocipientes per motum, si considerentur in facto esse, & sub gradu determinato, & in ordine ad determinatam partem subiecti, incipiunt in indiuisibili, ad modum rerum indiuisibilium, ac proinde per primum sui esse, siue in instanti, & intrinsecè.

Secundò, in motu, vel in tempore noo est assignabilis determinata pars, donec veniat instans, quia non est dabilis prima, quin sit prior, nec vltima, quin sit posterior aut vlterior: ergo etiam in re acquisita per motum non poterit assignari aliquid determinatum, nisi in instanti, cùm debeat commensurari motui, & ita eius desitio, vt talis, est primò in tempore.

Probanit tertia pars conclusionis. Qualitates materiales, in facto esse, sub gradu determinato, & in ordine ad eamdem determinatam partem subiecti, vt sic, consistunt in indiuisibili, vt dictum est: ergo in vltimo eorum esse, verum est dicere, nunc vltimò tales qualitates sunt tantæ, & immediatè post non erunt tantæ (supposità duratione motûs) similiter verum est dicere, nunc vltimò sunt in tali determinata parte subiecti, & immediatè post sic non erunt; ac proinde cùm illud immediatum post sit tempus, in quo intelligitur primò completa earum desitio, verè desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco, intrinseco tamen ipsi desitioni. Secundò, ad desitionem harum formarum, vt tantæ sunt, incipiunt necessariò aliæ, per vltimum non esse earum, siue in tempore per motum, & cum motu: ergo hæ, vt tantæ, desinere debent per vltimum sui esse, & in eodem tempore: nam simul & in eodem instanti debet esse verum dicere, nunc aqua frigida vt octo non incipit esse calida, sed immediatè post incipiet, & etiam quòd pro illo nunc sit adhuc frigida vt octo, sed immediatè post non erit sic frigida: igitur istæ qualitates, vt sic determinatæ sob hac ratione noo acquiruntur per motum in fieri, sed per motum in facto esse, id est, donec perueniatur ad aliquod determinatum motatum esse ipsius motûs, & ad determinatum instans ipsius temporis non est verum assignare determinatè talem gradum, quia partes temporis & motûs sunt confusæ & indeterminatæ: sola autem mutata esse, & instantia sunt determinata, & ideo hæc debent inter se commensurari. Ratio istorum est, quia cùm forma, quæ desinit sit certa & determinata ante suam desitionem, quidquid ab ea auferatur, siue sit pars certa & determinata, vel incerta & indeterminata, statim desinit vt tanta, sioe secundùm gradum determinatum: vnde debet proportionari modus desitionis vnius formæ, cum modo introductionis alterius, ita vt si forma, quæ introducitur, incipit per vltimum non esse, tonc alia desinat per vltimum sui esse; si verò introducitur per primum sui esse, tunc alia desinit per primum non esse, aliàs essent simul in eodem subiecto.

Ao primom ergo dicendum, quòd implicat produci qualitatem mediante motu intensibilem sine vlla intensione, cùm pars acquiratur post partem, & gradus post gradum, quod fit per maiorem radicationem in subiecto, vt infra explicabitur, vnde Mathematicè non potest dari minimus calor, licèt Physicè, & in communi vso loqoendi detur: alteratio autem specificè sumpta per hoc distinguitur à motu intensionis, quòd hæc terminatur ad qualitatem, vt formaliter intensam, illa verò respicit tantùm qualitatem primò productam, vt sic, quamuis materialiter intensam.

Ao secundum dicendum, quòd quando dicimus qoalitates materiales desinere in instanti, intelligimus de desione totali & completa, ita vt hæc non intelligatur esse nisi in instanti terminatiuo temporis mensurantis esse ipsius qualitatis, non autem intelligimus de desitione partiali & incompleta, hæc enim fit successiuè in tempore; nam certum est quòd simul, & semel dum introducitur calor, deperditur frigus successiuè, absolutè loqueodo, ita vt sit verum dicere, nunc vltimò non est calor, immediatè post incipiet introduci, & simul est verum dicere, nunc vltimò frigus non incipit desinere, immediatè post incipiet: si tamen accipiatur frigus secundùm gradum determinatum, siue vt tantum, cùm vt sic, sit indiuisibile, desinit more rei indiuisibilis per vltimum sui esse, vt dictum est, siue in tempore ipsi extrinseco: quare cùm est verum dicere, nunc non est calor, & immediatè post erit, tunc etiam est verum dicere esse frigus, vt tantum, & immediatè post non fore tantum.

Articvlvs III.

Quomodo incipiant & desinant substantia generabiles & corruptibiles?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd substantiæ generabiles & corruptibiles incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore, desinunt verò per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco. Probatur quantùm ad inceptionem. Dispositio vltima requisita ad introductionem formæ substantialis, cùm debeat esse certa & determinata, ponitur per primum sui esse, siue in instanti: ergo in eodem instanti non potest introduci forma substantialis, ac proinde nec esse substantia de nouo genita; cùm enim vltima dispositio recipiatur in composito corrumpendo, & materia non possit informari duplici formâ, forma de nouo generanda, non potest esse in eodem instanti, in quo est vltima dispositio ad ipsam; nec in instanti sequenti, cùm enim inter duo instantia mediet tempus, materia in illo tempore intermedio asset sine vlla forma. Deinda quia positâ vltimâ dispositione ad aliquam formam, statim debet introduci illa forma; nihil enim aliod requiritur, cùm sit posita vltima dispositio, ideo qoippe dicitur vltima, ac proinde introducitur tempore immediatè sequenti illud instans, io quo est vltimò disposita: ergo substantiæ generabiles incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore.

¶ 2. Præterea, Quòd desinant per vltimum sui esse, siue in tempore intrinseco desitioni completæ, ita vt sit verum dicere, ounc vltimò res est, immediatè post non erit. Probatur. Substantiæ generabiles incipiunt in tempore, vt modò probatum est, ita vt sit verum dicere nunc res vltimò non est, immediatè post erit: ergo aliæ, ad quarum corruptionem istæ generantur, desinunt per vltimom sui esse, si enim desinerent per primum non esse, esset verum dicere, nunc primò non sunt, immediatè ante erant, & ita in illo nunc, in quo istæ iam non sunt, & aliæ nondum sunt, materia esset sine forma, quod est impossibile.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, in præsenti cap. 5. Textu 43. & D.Thom. ibidem, & quodlibeto 7. art. 9. quos communiter sequuntur Thomistæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm generatio substantialis sit terminus alterationis, debet fieri in instanti, ac proinde substantia generabiles debent incipere in instanti intrinsece per primum sui esse; quia verò generatio vnius est corruptio alterius, substantia corruptibiles debent desinere in instanti ipsis extrinsece, siue per primum non esse, ne in eodem instanti sint duæ forma in eadem materia.

Respondeo dicendum, quòd substantiæ generabiles, quæ ad corruptionem aliarum generantur, debent in prima sui productione incipere per primum sui esse, siue in instanti, & intrinsecè 2. substantiæ corruptibiles viuentes connaturaliter desinunt per primum non esse, siue in instanti ipsis extrinseco, intrinseco tamen desitioni completæ. 3. sicut & non viuentes, quæ corrum-

pntur ad inceptionem aliarum : 4. niſi forma generandi ob ſpecialem aliquam rationem incipiat per vltimum non eſſe, ſiue in tempore, quia tunc iſtæ deſinent per vltimum ſui eſſe, ſiue in tempore ipſis extrinſeco, intrinſeco tamen deſitioni completæ, ita vt ſit verum dicere, nunc vltimò ſunt, immediatè poſt non erunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt omnia viuentia, à quocumque agente naturali corrumpantur, etiam ab igne, neceſſariò, & immediatè tranſire in cadauera, forma autem cadaueris propter ſpecialem ſui rationem requirit ad ſui inceptionem materiam certam & determinatam, quia eſt veluti quædam vmbra formarum viuentium, vnde incipit per primum ſui eſſe, ſiue in inſtanti. Aduertatur tamen, quòd in hac materia, dum dicitur aliquid deſinere vel in inſtanti, vel in tempore, intelligendum eſt de deſitione totali, completa, & in facto eſſe: quaſi illud inſtans, vel tempus ſint prima menſura talis deſitionis completæ, & in facto eſſe; non autem deſitionis incompletæ, & in fieri. Ex hac inaduertentia facilè decipitur imaginatio, & turbatur, dum audit res ſucceſſiuas deſinere in inſtanti, indiuiſibiles verò in tempore, cùm potiùs contrarium ipſi appareat : & ita reuera eſt, ſi conſideretur deſitio in fieri, non autem ſi conſideretur in facto eſſe : quorum igitur deſitio in fieri eſt in tempore, in facto eſſe eſt primò in inſtanti.

Probatur prima pars concluſionis. Generatio ſemper fit in fine alicuius motûs præcedentis, ratione cuius diſponitur ſubiectum ad introductionem formæ; & propterea quamdiu durat motus, non introducitur forma, quia ſubiectum non intelligitur omnino diſpoſitum, niſi in fine motûs, quando verum eſt dicere, iam non eſt motus; vnde cùm hoc tantùm verificetur in inſtanti extrinſeco motûs, in eodem etiam debet verificari, nunc primò eſt forma genita, & immediatè ante non erat; & ſic hoc inſtans extrinſecum motûs, eſt intrinſecum generationi, & formæ genitæ: ergo ſubſtantiæ generabiles, quæ ad corruptionem aliarum generantur, debent in prima ſui productione incipere per primum ſui eſſe, ſiue in inſtanti.

Secundò, forma introducitur, cùm iam eſt ſuperata tota reſiſtentia contrarij, ſiue diſpoſitionum contrariarum ipſi formæ introducendæ, quæ ſunt in ſubiecto, quod corrumpitur, nihil enim eſt aliud quod retardet introductionem formæ: ſed talis reſiſtentia, cùm ſuperetur per motum alterationis, ſuperatur in tempore: ergo ſtatim, ac proinde in inſtanti ſequenti introducitur forma, & ita ſubſtantia generata incipit per primum ſui eſſe, ſiue in inſtanti.

Tertiò, ſubſtantiæ generabiles ſunt res permanentes habentes totum ſuum eſſe ſimul, & formæ earum petunt introduci in certam & determinatam materiam, ita vt non poſſint introduci in minorem: ergo non habent vnde incipiant ſucceſſiuè, & in tempore, ſiue per vltimum non eſſe, ſed incipiunt in inſtanti per primum ſui eſſe.

Probatur ſecunda pars concluſionis ratione D. Thom. opuſc. citato. Si ſubſtantiæ viuentes non deſinant per primum non eſſe, ſiue in inſtanti ipſis extrinſeco, ſed intrinſeco deſitioni completæ, ſequitur quòd in eodem inſtanti, ſint duæ formæ ſubſtantiales in eadem materia, nam ſi homo deſinit per vltimum ſui eſſe, verum eſt dicere, nunc vltimò eſt homo, & immediatè poſt non erit: & in eodem inſtanti verum eſt etiam dicere, nunc primò eſt cadauer, & immediatè ante non erat, quia generatio cadaueris fit in inſtanti, ſicut & aliæ, vt dictum eſt: ſed implicat eſſe ſimul duas formas in eadem materia, vt ſupra probatum eſt: ergo ſubſtantiæ corruptibiles viuentes connaturaliter deſinunt per primum non eſſe, ſiue in inſtanti ipſis extrinſeco; nec poteſt dici quòd in vno inſtanti ſit vltimò forma hominis, v. g. in materia, & in alio inſtanti ſequenti ſit forma cadaueris in eadem materia; nam ſi hoc eſſet, cùm inter duo inſtantia ſit tempus, ſequeretur quòd in illo intermedio tempore materia eſſet ſine vlla forma, quod implicat; ad hoc autem vt ſubſtantia ſucceſſiuè corrumpatur in tempore, & deſitio totalis, ac non eſſe eius ſint primò in inſtanti, ſufficit, vt ait D.Thom.1.2. q.31. art.2. quòd deſinat per accidens ad introductionem ſucceſſiuam alterius formæ, ſcilicet diſpoſitionis cum ipſa incompoſſibilis, licèt talis ſubſtantia ex ſe non habeat partes, ſicut ſufficeret ad hoc vt inciperet in tempore, quòd inciperet per accidens ad inceptionem motûs; hic autem eſt ſermo de ſubſtantiis ſic deſinentibus; quamuis enim forma ſubſtantialis ex ſe ſit indiuiſibilis, informat tamen diuiſibiliter ratione quantitatis. Et per hoc probatur tertia pars concluſionis.

Probatur quarta pars concluſionis. Si forma generanda inciperet in tempore, ſiue per vltimum non eſſe, eſſet verum dicere, nunc vltimò non eſt, immediatè poſt erit; & ſi corrupta deſineret in inſtanti, ſiue per primum non eſſe, eſſet verum dicere, nunc primò non eſt, immediatè ante erat; & ita ſequitur, quòd in illo nunc, in quo forma corrupta iam non eſt, & forma generanda nondum eſt, materia prima ſit ſine forma, vt patet: ergo cùm hoc ſit impoſſibile, ſi forma generanda ob ſpecialem aliquam rationem incipiat per vltimum non eſſe, ſiue in tempore, ſubſtantiæ corruptibiles deſinent per vltimum ſui eſſe, ſiue in tempore ipſis extrinſeco, intrinſeco autem deſitioni completæ.

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. & Caietano 1. p. q.76. art.6. ad 2. quòd vltima diſpoſitio ad formam ſubſtantialem introducendam non recipitur in compoſito quod corrumpitur, ſed in compoſito quod generatur, & incipit in eodem inſtanti intrinſeco, in quo forma genita incipit, licèt in genere cauſæ materialis præcedat, & ſic eſt diſpoſitio: in genere tamen cauſæ efficientis ſubſequitur, & ſic eſt effectus: aliæ verò diſpoſitiones præcedentes receptæ in compoſito quod corrumpitur, licèt non omnino vltimò, tamen diſponunt materiam non vtcúmque, ſed immediatè ante inſtans generationis, ad hoc vt in illo inſtanti immediato introducatur forma, & ſic motus ille alterationis ex defectu ſubiecti, quod corrumpitur, quando motus vltimò terminandus erat, non habet mutatum eſſe, quo intrinſecè terminetur, vnde ſolùm extrinſecè terminatur: & ſimiliter forma, quæ per ſe primò producitur, ſcilicet diſpoſitio poteſt non habere terminum intrinſecum in eſſe quieto, ſed quando terminanda erat, tunc ex defectu ſubiecti omnino euaneſcit: & ita ſolùm extrinſecè terminatur, quatenus tunc euaneſcit, & non pertingit ad tale mutatum eſſe: vnde in illo inſtanti non eſt verum dicere, quòd motus ſit in facto eſſe, ſiue quòd detur factum eſſe intrinſecum motûs, vel quòd ſit terminus eius in eſſe quieto, ſed ſolùm quod non eſt, & quòd ad deſitionem illius, & ſubiecti, in quo erat, incipit alia noua forma ſubſtantialis, quæ eſt terminus extrinſecus præcedentis diſpoſitionis: vnde quando motus terminandus erat, & vltima diſpoſitio erat habitura eſſe quietum, certum, & in facto eſſe, tunc deſtruitur ſubiectum, ad cuius deſtructionem deſinit motus ſimul cum diſpoſitione per illum producta: cùm autem corruptio vnius compoſiti ſit generatio alterius, inde ſequitur quòd primum non eſſe vltimæ diſpoſitionis ſit primum eſſe formæ ſubſtantialis de nouo genitæ; & ſic vltima diſpoſitio requiſita ad introductionem formæ ſubſtantialis, non eſt vt tanta, ſed quæ in illo inſtanti, in quo iam non eſt, futura erat tanta, niſi deſineret ad deſitionem ſubiecti; & ita non terminatur (per maximum quod ſic, ſed ſuo modo (per minimum quod non.)

Ad ſecundum dicendum, quòd antecedens ſupponitur vt verum, & tamen eſt falſum, & negandum iuxta dicta. Ad faciliorem tamen notitiam eorum, quæ dicta ſunt in hoc articulo ſciendum eſt, quòd primum eſſe formæ genitæ, & primum non eſſe formæ corruptæ ſunt ſimul; vltimum verò non eſſe formæ generandæ (ſi contingat ita fieri) & vltimum eſſe formæ corrumpendæ ſunt etiam ſimul; aliàs vel erit aliquando materia prima ſine vlla forma, vel ſimul erunt duæ formæ in eadem materia, quorum vtrumque eſt impoſſibile, vt dictum eſt in Phyſicis.

Articvlvs IV.

Quomodo incipiant & desinant res permanentes, quæ in sua inceptione & desitione motui non subduntur?

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd res permanentes, quæ in sua inceptione & desitione motui non subduntur, incipiant per primum sui esse, siue in instanti, desinant verò per primum non esse, siue in instanti ipsis extrinseco, & hoc ita necessariò, vt oppositum implicet contradictionem. Ita Ferrariensis 3. contra gentes cap. 69. & alij in præsenti. Probatur quoad inceptionem. Ea incipiunt per primum sui esse, siue in instanti intrinseco, quæ indiuisibiliter incipiunt, quia fiunt tota simul vt dictum est: sed huiusmodi res permanentes incipiunt indiuisibiliter, cùm vel sint omnino indiuisibiles, vt Angeli, vel si sint diuisibiles, vt cœli, petunt tamen habere totum suum esse simul: ergo res permanentes, quæ in sua inceptione, & desitione motui non subduntur, incipiunt per primum sui esse, siue in instanti, & hoc necessariò.

¶ 2. Præterea, Quæ incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore, incipiunt successiuo modo, & pars post partem, nam commensurantur diuisibilitati temporis: sed res permanentes, quæ in sua inceptione & desitione motui non subduntur, non incipiunt successiuo modo, quia sunt secundùm suum esse indiuisibiles motui: ergo non incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore, sed per primum sui esse, siue in instanti.

¶ 3. Præterea, Si huiusmodi res incipiant per vltimum non esse, siue in tempore, vel incipiunt totæ in toto illo tempore, & pars ipsarum in parte temporis, vel incipiunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte temporis: non primum, cùm aliquæ ex his rebus non habeant partes, vt Angeli; aliæ etiam, cùm non subdantur motui, non possunt habere omnimodam & adæquatam correspondentiam ad tempus. Non secundum, cùm partes temporis non sint simul, sed vna post aliam fluat: ergo huiusmodi res non incipiunt per vltimum non esse, siue in tempore, sed per primum sui esse, siue in instanti.

Sed contra est communis opinio Thomistarum, & aliorum in præsenti.

Conclvsio.

Cùm res permanentes, quæ in sua inceptione & desitione motui non subduntur, mensurentur mensurâ altioris rationis à tempore, & sint vel indiuisibiles, vel saltem habeant totum suum esse simul, incipiunt quidem ad modum rerum indiuisibilium per primum sui esse, siue in instanti, & desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco. Diuinitus tamen possunt contrario modo tam incipere, quàm desinere.

Respondeo dicendum, quòd res permanentes, quæ in sua inceptione & desitione motui non subduntur, incipiunt connaturaliter per primum sui esse, siue in instanti, & desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco. Deo tamen sic disponente possunt incipere per vltimum non esse, siue in tempore, & desinere per primum non esse. Ad cuius euidentiam sciendum est huiusmodi res vel esse accidentia, vt qualitates spirituales, quæ nec fiunt, nec desinunt per motum; vel esse substantias, vt cœlos, Angelos & animas rationales secundùm se consideratas: sicut autem hæ res non mensurantur secundùm suum esse per tempus nostrum, sed per mensuram aliam altioris ordinis, vt communiter docent Thomistæ 1. part. quæst. 10. sic earum inceptio & desitio non mensurantur, vt mensurâ propriâ, tempore nostro, aut instantibus illius; sed aliâ superiori, & perfectiori mensurâ, scilicet instantibus temporis discreti, quæ sicut non dependent à nostro tempore, aut eius instantibus, sic nec petunt necessariò commensurari cum illis; possunt tamen Deo ita disponente, coëxistere, siue instantibus, siue partibus temporis: & propter hanc coëxistentiam possibilem quæritur in præsenti, an rerum, quæ nostro tempori non subduntur, inceptio sit per primum sui esse, vel per vltimum non esse; sicut & desitio per vltimum sui esse, vel per primum non esse, quamuis hic modus incipiendi & desinendi solùm propriè conueniat rebus, quarum esse mensuratur tempore.

Probatur prima pars conclusionis. Huiusmodi res sunt indiuisibiles, vel saltem habent totum suum esse simul, & non subditum motui, vt supponitur, sicut cœli, non minus ac si essent indiuisibiles: ergo connaturaliter loquendo incipiunt & desinunt ad modum ipsorum instantium indiuisibilium, & ita hic non alius incipiendi & desinendi modus erit illis connaturalis: nam rei naturali, & secundùm eamdem rationem consideratæ tantùm per se debetur vnus modus incipiendi & desinendi; vnde incipiunt per primum sui esse, siue in instanti, & desinunt per vltimum sui esse, siue in tempore ipsis extrinseco.

Probatur secunda pars conclusionis. Ea, quorum inceptio & desitio mensurantur instanti temporis discreti, possunt incipere, aut desinere, Deo sic ordinante, vel per coëxistentiam ad nostrum tempus, vel per coëxistentiam ad instans nostri temporis, cùm non dependeant nec commensurentur nostro tempori, aut instantibus illius; sed sint aliquid eminentius, propter quam etiam eminentiam res spirituales, licèt formaliter indiuisibiles, correspondent tamen rei materiali, tam indiuisibili, quàm diuisibili, vt anima rationalis, quæ indiuisibilis adæquat totum corpus, ita vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte: sed inceptio & desitio harum substantiarum mensurantur instanti temporis discreti, vt dictum est: ergo licèt connaturaliter debeant incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse, tamen Deo ita disponente possunt incipere per vltimum non esse, & desinere per primum non esse.

Ad primum ergo dicendum, quòd inceptio & desitio harum rerum semper intrinsecè mensurantur instanti temporis discreti, & ideo ab intrinseco sunt instantaneæ; quia tamen tempus nostrum, & instantia eius continentur eminenter in instanti temporis discreti, vtpote mensurâ altioris ordinis, ideo talis inceptio & desitio possunt coëxistere indifferenter, vel tempori nostro, vel eius instantibus, vt Deus disposuerit.

Ad secundum dicendum, quòd istæ res, vel in se, vel saltem quoad inceptionem & desitionem sint indiuisibiles formaliter, & ita indiuisibiliter incipiunt & desinunt; hoc tamen non est ita necessarium, quin Deus possit aliter facere; si enim naturaliter res spirituales indiuisibiles formaliter, vt anima rationalis, adæquant res diuisibiles; ipsa enim tota est in qualibet parte corporis, & hoc quia res spirituales sunt altioris ordinis; multò magis fieri supernaturaliter poterit, quòd instans temporis discreti mensurans inceptionem & desitionem harum rerum, adæquet partem temporis; & ita inceptio & desitio possint fieri indifferenter, vt Deus voluerit, siue per correspondentiam ad tempus nostrum, vel ad instans eius.

Ad tertium dicendum, quòd in tali casu istæ res producerentur totæ in toto tempore, & totæ in qualibet parte, eo proportionali modo, quo anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte: vnde in his non est standum imaginationi, sed rationi; & imaginatio est corrigenda per rationem, maximè quando quid simile communiter conceditur; vnde est latum discrimen inter successiua & permanentia; nam successiua v.g. motus, ab intrinseco petunt, quòd eius intrinseca duratio sit tempus, & ita non possunt per suas partes intrinsecè incipere, nisi per commensurationem adæquatam ad partes temporis; permanentia autem, quæ habent etiam quantùm ad inceptionem & desitionem mensuram altioris ordinis, vt propriam & intrinsecam, non petunt ab intrinseco instans, aut tempus nostrum necessariò, & ita possunt incipere & desinere indifferenter in quocumque Deus disposuerit.

Articvlvs

ARTICVLVS V.

Quomodo incipiat & deſinat quies?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd quies incipiat per primum ſui eſſe, ſiue in inſtanti, & intrinſecè; & deſinat per vltimum ſui eſſe, ſiue in tempore ipſi extrinſeco, intrinſeco tamen deſitioni totali. Ita Sotus in præſenti quantùm ad deſitionem. Probatur de inceptione. Motus deſinit per primum non eſſe, ſiue in inſtanti extrinſeco quidem motui, intrinſeco verò eius deſitioni totali, vt communiter docent Philoſophi: ergo quies incipit per primum ſui eſſe, ſiue in inſtanti intrinſeco, quia in eodem inſtanti, in quo verum eſt dicere, nunc primò non eſt motus, verum eſt etiam dicere, nunc primò eſt quies, non enim poteſt dari medium inter motum & quietem, & ita in inſtanti terminatiuo extrinſecè motûs alicuius ſubiecti, ſubiectum illud quieſcit.

¶ 2. Præterea, Probatur de deſitione. In indiuiſibili vltimo quietis, vel mobile mouetur, vel quieſcit, non primum, aliàs motus inciperet intrinſecè in inſtanti per primum ſui eſſe: ergo quieſcit: & ita quies deſinit poſt illud inſtans per vltimum ſui eſſe.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in præſenti, quem communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm quies ſit priuatio motûs, debet ad inſtar motûs incipere per vltimum non eſſe, & deſinere per primum non eſſe.

RESPONDEO dicendum, quòd quies negatiua incipit ad modum rerum indiuiſibilium per primum ſui eſſe, ſiue in inſtanti intrinſeco, & deſinit per vltimum ſui eſſe, ſiue in tempore ipſi extrinſeco, intrinſeco tamen deſitioni 2. imò poteſt durare per vnicum inſtans 3. quies verò priuatiua neceſſariò incipit per vltimum non eſſe, ſiue in tempore, deſinit verò per primum non eſſe, ſiue in inſtanti ipſi extrinſeco, intrinſeco tamen deſitioni totali. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quietem negatiuam ſolùm importare carentiam motûs propriè dicti, quietem verò priuatiuam importare etiam carentiam motûs propriè dicti, ſed in ſubiecto apto nato per hunc moueri.

Probatur prima pars concluſionis efficaciter argumentis in contrarium adductis.

Probatur ſecunda pars. Si canis cadens de turri in medio tractu moriatur, tunc ibi ſunt duo motus, vt ſupra dictum eſt; cùm enim motus, ſicut & alia accidentia materialia non ſubiectentur immediatè in materia, ſed in toto compoſito, & ibi ſint duo compoſita ſucceſſiuè, primò canis, deinde cadauer eius, neceſſariò ſunt duo motus; idem enim accidens non poteſt eſſe in duobus ſubiectis, etiam ſucceſſiuè, ſaltem naturaliter; ex alia parte motus canis deſinit per primum non eſſe, ſiue in inſtanti extrinſeco ipſi, ita vt in illo ſit verum dicere, nunc primò non eſt motus, immediatè ante erat: motus autem cadaueris incipit per vltimum non eſſe, ſiue in tempore, ita vt ſit verum dicere, nunc vltimò non eſt motus, immediatè poſt erit: & ita in illo nunc medio, & extrinſeco vtrique motui, quod importat vnicum inſtans, erit quies negatiua, vnde quies negatiua poteſt durare per vnicum inſtans.

Probatur tertia pars concluſionis. Quies priuatiua dicit carentiam motûs in ſubiecto apto nato moueri, vt patet, ideo enim dicitur priuatiua: ſed ſubiectum non eſt aptum moueri in inſtanti, at tantùm in tempore, vt etiam patet: ergo nec eſt aptum quieſcere in inſtanti, ſed tantùm in tempore, nam ſubiectum, quod non eſt capax formæ per aliquam durationem, non poteſt eſſe capax priuationis talis formæ pro eadem duratione, ſi talis priuatio ſit propriiſſima, vt hîc contingit; quantùm enim ad hoc habitus & priuatio proportionantur, & ita quies priuatiua ſuo modo eſt ſucceſſiua, ſicut & motus: vnde ſicut motus incipit per vltimum non eſſe, ſiue in tempore, deſinit verò per primum non eſſe, ſiue in inſtanti ipſi extrinſeco, intrinſeco tamen deſitioni completæ, ſic & quies priuatiua.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in illo inſtanti extrinſecè terminatiuo motûs, eſt quidem quies, ſed negatiua, & ita in illo ſubiectum quieſcit quiete negatiuâ, & non priuatiuâ: vnde datur medium inter motum, & quietem priuatiuam, ſcilicet quies negatiua: & quando dicitur quòd alterum oppoſitorum debet neceſſariò conuenire ſubiecto, hoc non eſt intelligendum in oppoſitis priuatiuè abſolutè, ſed ſolùm pro illa duratione, in qua ſubiectum eſt capax formæ, vt accidit in catulo, qui ante nouem dies nec eſt cæcus, nec videns, ſed eſt non videns; quia vt multi dicunt non eſt capax videndi niſi finitis illis diebus.

AD SECVNDVM dicendum ſimiliter, quòd in inſtanti extrinſecè terminatiuo quietis priuatiuæ quieſcit mobile, ſed quiete negatiuâ, quæ talis eſt conditionis, vt det quieti priuatiuæ, quòd ſit in eſſe quieto, & in facto eſſe: nam ſicut motus habet ſua indiuiſibilia realia poſitiua, quibus continuetur, & terminetur: ſic quies proportionaliter habet ſua indiuiſibilia, non quidem poſitiua, ad ſui quaſi continuationem, & terminationem: vnde ſicut motus in vltimo mutato eſſe eſt in facto eſſe, ſic proportionaliter quies in vltimo quieto eſſe, eſt in facto eſſe.

QVÆSTIO XXVII.

De termino rerum naturalium.

DEINDE conſiderandum eſt de termino rerum naturalium, ſiue de maximo, & minimo: poſtquam enim res incipit aliquando creſcendo peruenit ad maximam quantitatem, aliquando etiam decreſcendo peruenit ad minimam, ſub qua eſſe poſſit, circa hoc quæruntur duo.

¶ Primò, Vtrùm tam viuentia, quàm non viuentia habeant terminum ſuæ magnitudinis?

¶ Secundò, Vtrùm tam viuentia, quàm non viuentia habeant terminum ſuæ paruitatis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm tam viuentia, quàm non viuentia habeant terminum ſuæ magnitudinis?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd tam viuentia, quàm non viuentia habeant ab intrinſeco terminum ſuæ magnitudinis. Ita tenent Caietanus 1. part. quæſt. 7. art. 3. Nazarius ibidem, noſtri Complutenſes in præſenti, & alij. Probatur authoritate Ariſtotelis 2. de anima textu 43. vbi ſic ait, *Eorum omnium, quæ naturâ conſtant, eſt finis tam magnitudinis, quàm accretionis.* Idem docet D. Thom. ibidem lect. 8. & alibi ſæpe: ſed tam viuentia, quàm non viuentia conſtant naturâ: ergo tam viuentia, quàm non viuentia habent terminum ſuæ magnitudinis.

¶ 2. Præterea, Quælibet forma ſubſtantialis eſt finitæ & limitatæ perfectionis, vt ex ſe patet: ergo quidquid ab ipſa procedit, eſt etiam finitum & limitatum: ſed quantitas, ſiue magnitudo ab ipſa procedit; ergo quælibet magnitudo eſt finita, ac proinde tam viuentia, quàm non viuentia habent terminum ſuæ magnitudinis.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos ſequuntur Maſius in præſenti quæſt. 3. & alij Thomiſtæ; extra ſcholam verò D. Thom. plurimi, Conimbricenſes, & Toletus 1. Phyſic. q. 8. Scotus in 2. d. 2. quæſt. 9. Albertus Magnus 2. de anima, tract. 2. cap. 4.

CONCLVSIO.

Cùm experientiâ conſtet ignem ſemper magis & magis creſcere ad appoſitionem combuſtibilium, ſignum eſt non viuentia non habere ab intrinſeco terminum ſuæ magnitudinis.

RESPONDEO dicendum, quòd viuentia habent intrinſecum terminum ſuæ magnitudinis: vnde terminantur per maximum quod ſic. 2. ſimiliter omnia non viuentia habent terminum ſuæ magnitudinis 3. non quidem ex ſuâ

naturæ suæ, sed ab extrinseco 4. quædam ex præcisa ordinatione diuina 5. alia verò propter causas ad id concurrentes. Ad cuius euidentiam sciendum est duplicem esse terminum magnitudinis, vnum intrinsecum, alium extrinsecum; intrinsecus est ille, sub quo res esse potest, & sub maiori esse non potest; extrinsecus verò est ille, sub quo res esse non potest, bene tamen sub minori: ad hæc autem exprimenda introductæ sunt hæ propositiones [maximum quod sic, & minimum quod non] prima significat terminum intrinsecum magnitudinis, cùm sit maxima quantitas, sub qua res esse & conseruari potest; secunda autem significat terminum extrinsecum magnitudinis, cùm sit minima quantitas omnium, sub quibus res secundùm magnitudinem esse non potest: hæc autem vt docet D.Thom.1. Physic. lect.9. debent sumi Physicè, & non mathematicè, nam licèt corpus Mathematicum sit diuisibile in infinitum, non tamen corpus naturale, ita vt sub quacumque quantitate esse possit, quia forma substantialis requirit determinatam quantitatem, sicut & alia accidentia, vt introduci, vel conseruari possit, vt patet: excessus autem quem importat [minimum quod non] est in quantitate, vel parte eius incerta & indeterminata, non verò in aliqua certa & determinata.

Probatur prima pars conclusionis ratione Philosophi, & D.Th. Viuentia augentur per intussusceptionem, idest, per conuersionem alimenti in suam substantiam virtute caloris naturalis, qui quotidie fit remissior, & ideo cùm viuens peruenit ad certum terminum per nutritionem, deficiente calore non ampliùs crescit, nec potest crescere, vt quotidianâ constat experientiâ: ergo viuentia habent intrinsecum terminum suæ magnitudinis.

Secundò probatur ratione D.Thom.1.p.quæst.7. art.3. Omnis forma viuentium est determinatæ perfectionis, vt patet, ac proinde petit determinata accidentia sui conseruatiua: sed quantitas est vnum ex illis: ergo est determinata secundùm magnitudinem: aliàs effectus excederet virtutem suæ causæ; vnde quilibet homo crescit magis, vel minus secundùm conditionem potentiæ nutritiuæ, & caloris naturalis, ac aliorum concurrentium: est tamen certus terminus, vltra quem nullus homo excedit, licèt determinatè nesciatur.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Philosophi adductâ in primo argumento in contrarium: quam exponens D. Thom. lect.8. sic ait, *Manifestum est autem quòd in omnibus, quæ secundùm naturam, est certus terminus & determinata ratio magnitudinis & augmenti, sicut enim cuilibet speciei debentur aliqua accidentia propria, ita & propria quantitas.* Item 1.part.quæst.7. art. 3. ait: *Omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, & in maius, & in minus*; Et rursus, *Necesse est quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia, inter quæ est quantitas.* Hæ autem authoritates supponunt formam cuiuscumque rei naturalis esse actu determinatam, vel ab intrinseco, quia non potest informare, nisi tantam materiam; vel ab extrinseco, quia est impossibile, quòd ei adiungatur infinita materia: prioris generis sunt formæ viuentium, posterioris sunt formæ non viuentium: vnde optimè infertur omnes formas habere determinatam quantitatem actu: nam sicut ab illis profluunt proprietates limitatæ, quæ ipsas secundùm se consequuntur, sic ex limitata materia, quam informant, profluit determinata quantitas, quantitas enim proportionatur materiæ, ita vt hæc portio materiæ petat tantam quantitatem, & hoc quia quantitas est quasi proprietas consequens materiam informatam: licèt autem formæ non viuentium sint actu determinatæ, quia semper actu informant determinatam materiam, tamen in potentia sunt indeterminatæ, quia ex se possunt crescere in infinitum in maiori & maiori materia, quia augentur per iuxtapositionem, & sic eorum quantitas, licèt actu sit determinata, tamen in potentia est indeterminata.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Arist. 2. de anima cap.4. vbi ait: *Nam cùm ignis augescere in infinitum possit, quamdiu aliquid subest, quod comburatur:* Quem locum exponens D.Thom. lect.8. ait, causam huius magnitudinis, & augmenti non posse esse ignem, quia manifestum est, quòd ignis augmentum non est vsque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia combustibilis inueniatur. Nec valet dicere, quòd ignis crescit per accidens per aggregationem diuersorum ignium. Nam contra. Ex omnibus vnitis fit vnus numero, sicut totus ignis in sua sphæra est vnus numero: & discrimen inter viuentia, & non viuentia est, quòd illa augentur per intussusceptionem; & cùm virtus nutritiua sit finita, determinatè augentur: non viuentia autem augentur per iuxtapositionem, ad quod sufficiunt qualitates actiuæ, vel agentium exteriorum, vt cœlorum in productione auri, quæ non minuuntur, & ita semper possunt augere aurum; vel internæ, vt caloris in igne, quæ cùm sint proprietates non minuuntur, & ita non viuentia, quantùm in se est, possunt semper augeri, immò quò ignis est maior, est actiuior, quia extendit suam virtutem in maiorem sphæram, & ideo magis potest comburere, & excrescere iuxta illud prouerbior. 3. *Ignis nunquam dicit, sufficit*: Ergo non viuentia non habent ex se, sed ab extrinseco, terminum suæ magnitudinis.

Probatur, & explicatur quarta pars conclusionis. Elementa fuerunt immediatè creata à Deo in debita magnitudine, & in illa perseuerant ex ordinatione diuina, ita vt non crescant continuò, sicut posset crescere ignis, si attendatur iuxta suam naturam, quamuis ad hoc aliqualiter concurrant influentiæ cœlestes, quæ tamen ex speciali ordinatione Dei ad hoc deseruiunt: ergo quædam non viuentia habent terminum suæ magnitudinis ex præcisa ordinatione diuina.

Probatur, & explicatur quinta pars conclusionis. Quod Adamas & alij lapilli determinatè crescant, prouenit ex influentia cœlesti, quæ non potest inducere similes formas in maiori materia, quia in illam non poterit inducere dispositiones ad illas conuenientes & necessarias: & similiter aurum & argentum &c. non possunt produci nisi in his, & illis locis: ergo aliqua non viuentia habent terminum suæ magnitudinis propter causas ad id concurrentes.

Ad primum ergo dicendum, quòd tam Aristoteles, quàm D.Th. nihil aliud volunt, quàm quòd omnia naturalia actu habeant terminum magnitudinis & accretionis, quod potest esse, vel ab intrinseco, ita exigente eorum formâ; vel ab intrinseco. Quando autem D.Th. ait, quòd sicut cuilibet speciei debentur aliqua accidentia propria, ita & propria quantitas, loquitur de illis speciebus, quibus debetur quantitas mediis illis accidentibus, scilicet per se primò ordinatis ad augmentum, siue ad acquirendam quantitatem, & huiusmodi sunt omnia viuentia, in quibus natura posuit virtutem augmentatiuam, & alia ipsi subordinata primariò ad hoc, vt acquirerent debitam quantitatem, quia non possent conseruari debito modo, nisi in illa: at non viuentia non habent has virtutes, quia possunt æquè conseruari in parua materia, ac in magna, & ita licèt ignis augeatur per calorem comburendo, calor tamen non est ipsi datus primariò à natura ad tale augmentum, sed ad calefaciendum, aut ad producendū alios ignes.

Ad secundum dicendum, quòd formæ substantiales, etiam non viuentium sunt quidem determinatæ secundùm perfectionem essentialem, quia sunt in determinata specie; omnis autem species est limitata, eius enim limites sunt genus & differentia: non autem sunt determinatæ secundùm extensionem, & informationem, cùm enim sint diuisibiles, ad extensionem materiæ extenduntur, vt dicetur suo loco. Nec tamen potest inferri ignem habere virtutem informatiuam intensiuè infinitam actu, est enim tantùm infinita in potentia: ad hoc autem, vt esset infinita actu, deberet habere formam tantæ virtutis, vt manens inuariata posset informare quamcumque materiam, quod hîc non dicitur: immò dicitur similes formas augeri, quoties informant nouam portionem materiæ, auctâ verò formâ augetur eius quantitas.

Articvlvs II.

Vtrùm tam viuentia, quàm non viuentia habeant terminum suæ paruitatis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd non viuentia non habeant terminum suæ paruitatis. Ita tenet Scotus in 2. d. 2. q. 2. & alij dicentes non viuentia posse sub minori & minori quantitate consistere. Probatur. Si detur minimum ignis, erit diuisibile in duas partes, & quælibet illarum in duas partes, & sic in infinitum, cùm sit de ratione quanti posse diuidi: ergo non erit minimum ignis, aliàs dabitur minus minimo, quod est impossibile, ac proinde non viuentia non habent terminum suæ paruitatis.

¶ 2. Præterea, Agens naturale priùs agit in proximum quàm in distans, imò & fortiùs, & consequenter ignis applicatus ligno priùs aget in partem proximam, quàm in remotam, & priùs in illam introducet formam ignis: ergo cùm non sit pars proxima minima, sed quæcumque assignabilis sit diuisibilis in alias, & alias medietates, sequitur quòd forma ignis non introducatur in minima determinata, sed datâ illâ quacumque, detur alia minor.

¶ 3. Præterea, Eo modo, quo fit nutritio & conuersio alimenti in substantiam aliti, fit etiam destructio formæ substantialis alimenti: sed nutritio fit successiuè: ergo & destructio formæ alimenti: sed in his, quæ corrumpuntur successiuè, non est assignabile minimum, cùm continuum sit diuisibile in infinitum: ergo dato quocumque minimo, sub minori conseruatur forma alimenti, & ita non viueotia non habeot terminum paruitatis.

Sed contra est authoritas Aristotelis & D. Thom. quos sequuntur Caietanus 1. p. q. 7. art. 3. Soncinas 5. Metaph. q. 3. Iauellus 1. de anima q. 17. Ferrariensis, Masius, & nostri Complutenses in præsenti, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm qualibet forma substantialis debeat exercere aliquas operationes, & introducatur in instanti, necessariò requirit determinatam materiam, ac proinde omnia tam viuentia, quàm non viuentia habent terminum suæ paruitatis.

Respondeo dicendum, quòd tam viuentia, quàm non viuentia habent terminum intrinsecum suæ paruitatis. Ad cuius euidentiam sciendum est duplicem esse terminum paruitatis, vnum intrinsecum, alium extrinsecum: intrinsecus est ille, sub quo res esse potest, & nullo modo sub minori; extrinsecus verò, sub quo res esse non potest, ob maximam paruitatem, benè tamen sub quocumque maiori: ad hæc exprimenda inductæ sunt duæ voces, scilicet (minimum quod sic, & maximum quod non:) prima significat terminum intrinsecum paruitatis, cùm sit quantitas minima, sub qua res secundùm paruitatem esse possit: secunda significat terminum extrinsecum paruitatis, cùm inter quantitates paruas, sub quibus res propter paruitatem esse non potest, sit omniom maxima: hæc autem, vt supra dictum est ex D. Thom. debent accipi Physicè, & non Mathematicè: nam licèt corpus Mathematicum sit diuisibile in infinitum, non tamen corpus naturale, ita vt sub quacumque minima quantitate esse possit; & hoc ratione formæ, quæ ad suas operationes requirit determinatam quantitatem; & ita non potest esse caro, nisi in aliqua determinata quantitate: excessus autem, quem importat [minimum quod noo] est in quantitate, vel parte eius incerta & indeterminata, non verò in aliqua certa & determinata.

Probatur conclusio authoritate D. Th. in 2. d. 14. q. 1. art. 1. ad 4. vbi ait, *In omnibus constantibus naturâ est terminus magnitudinis, & paruitatis: & ideo est inuenire minimam carnem, & minimam aquam.* Item in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ait, *Substantia panis potest corrumpi ex parte qualitatis, vt alteratione; & ex parte quantitatis; quia cum vnaquaque res naturalis habeat quantitatem determinatam, in tantum poterit fieri diuisio, quòd non remanebit species*: Vnde concludit 3. p. q. 77. art. 4. quòd licet in Eucharistia non sit substantia panis & vini, tamen Corpus Christi, ita est sub speciebus, vt tamdiu conseruetur, quamdiu conseruaretur substantia panis & vini, vnde desinit esse Corpus & Sanguis Christi, primo quando, ita alterantur accidentia, quòd fuisset corrupta substantia panis & vini si ibi fuisset, secundò si ita puluerizetur quantitas panis & vini, ac in tam minimas partes diuidatur, vt iam non remaneret in eis species, siue substantia panis & vini, si esset.

Secundò, forma substantialis non introducitur nisi in materiam, in qua potest exercere suas operationes, saltem loquendo naturaliter: cùm vnumquodque sit propter suam operationem, ex Aristotele 2. de cœlo capit. 3. & 1. ethic. c. 7. sed quælibet actio, cum sit definita habens tantam efficaciam intrinsecam, petit determinatam quantitatem, ita vt non possit exerceri in minori, vt patet: ergo quælibet res naturalis habet terminum intrinsecum paruitatis.

Tertiò probatur specialiter de viuentibus. Homo verbi gratiâ, & sic de aliis viuentibus, incipit per primum sui esse siue in instanti, vt supra dictum est: ergo incipit & generatur secundùm aliquam partem determinatam intrinsecè; nam si non sit verum dicere, sub hac parte materiæ potest generari homo, sed debeat dici, sub hac non potest, at sub quacumque maiori potest, cùm augmentatio sit motus continuus, & fiat in tempore, consequenter in tempore immediatè futuro erit maior hæc pars, & ita tunc generabitur homo, & non in instanti.

Quartò probatur specialiter de non viuentibus [supposito quòd partes ethetogeneæ totius, verbi gratiâ caro, os, neruus &c. licèt inuicem comparatæ sint ethetogeneæ, tamen quælibet constat partibus homogeneis.] Si non viuentia carerent terminis paruitatis, maximè esset quia sunt homogenea, hoc enim est fundamentum aduersariorum: sed hæc ratio nulla est; nam si valeret, sequeretur quòd forma viuentis posset conseruari sub minori & minori parte ossis, nerui &c. aut sub quantitate tantùm extrinsecè terminata: nam caro & neruus sunt homogenea, cùm partes sint eiusdem rationis cum toto, non minus ac pars aquæ cum tota aqua; sed forma viuentis non potest sic conseruari; nam quod constat ex minori & minori parte ossis, nerui &c. non est aliquid certum & determinatum, at est minus & minus, sicut & id, quod constaret ex partibus non terminatis intrinsecè; aduersarij autem fatentur viuentia constare terminis intrinsecis paruitatis: ergo etiam debent fateri de non viuentibus.

Ad primum ergo dicendum, quòd dato illo minimo ignis, si diuidatur, non remanebit sub partibus diuisis forma ignis, sed introducetur alia forma, quæ non requiret tantam quantitatem, quantam ignis. Alij dicunt quòd ad talem diuisionem potest per accidens desinere materia, licèt enim continuum sit in infinitum diuisibile, hoc tamen debet intelligi Mathematicè, non Physicè, diuidendo enim Physicè perueniretur tandem ad vltimam partem Physicè indiuisibilem.

Ad secundum dicendum, quòd non introducitur forma ignis, donec disponatur totum minimum [scilicet pars determinata] per calorem, quod est necessarium ad introductionem formæ ignis, & tunc introducitur forma.

Ad tertium dicendum, quòd quando alimentum peruenit ad aliquod minimum determinatum, tunc corrumpitur: quamuis alij dicant, quòd viâ corruptionis possit aliqua forma esse sub minori quantitate, quàm sit illa minima, quàm petit in via naturalis conseruationis. Viuentia autem, quando augentur, possunt in minori & minori parte introducere suam formam, quia partes illæ vniuntur præexistentibus, ac proinde non est prima productio alicuius suppositi.

LIBER

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

Summa Textûs.

TRACTAT *Aristoteles in hoc libro de aliquibus conditionibus spectantibus ad motum & de causa efficiente illius. Diuidit librum in sex capita. In primo docet quidquid mouetur, ab aliquo moueri. Ex hoc concludit in secundo esse aliquod primum mouens, quod ab alio non mouetur. In tertio dicit mouens, & motum simul esse debere. In quarto ostendit omnem variationem pertinere ad tertiam speciem qualitatis, scilicet ad patibiles qualitates. In quinto agit de motuum comparatione. Et in sexto de illorum proportione.*

QVÆSTIO XXVIII.

De distinctione & approximatione requisita inter mouens & mobile.

LICET Philosophus agat in hoc libro de primo motu, tamen quia in Metaphysica ex via motûs demonstratur dari vnum primum motorem, qui sit primum ens, & Deus benedictus; ne eadem repetamus, hic prætertimus: quamuis per transennam non nihil dicetur in fine sequentis libri, pro conclusione operis: vnde in præsenti solùm agimus cum Philosopho de hac duplici conditione requisita ad motum, circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm idem secundùm idem realiter possit seipsum mouere per se primò?

¶ Secundò, Vtrùm indiuisibile per se moueri possit?

¶ Tertiò, Vtrùm grauia & leuia moueantur à se ipsis?

¶ Quartò, Vtrùm causa efficiens possit agere in distans, quin prius agat in propinquum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm idem secundùm idem realiter possit seipsum mouere per se primò?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd idem secundùm idem, realiter possit seipsum mouere per se primò. Ita Scotus 9. Metaph.q.14.& alij.Probatur. Multa sunt, quæ seipsa intendunt, vt calor ventriculi in hyeme, teste Hypocrate, Aphorismo 15. & ideo tunc fit melior digestio. Item aquæ puteorum æstate sunt frigidiores, nec apparet causa exterior, quæ hæc intendat: ergo idem secundùm idem realiter potest seipsum mouere per se primò.

¶ 2. Præterea, Viuentia seipsa mouent actiuè, nam ex Aristotele lib.sequenti textu 29. officium vitæ est moueri à se: item grauia & leuia mouent seipsa in proprium locum, grauia deorsum per propriam grauitatem, & leuia sursum per leuitatem, vt constat experientiâ: ergo non solùm in viuentibus, sed absolutè idem secundùm idem realiter potest seipsum mouere per se primò.

¶ 3. Præterea, Idem potest esse mouens & motum in motu, qui est actus perfecti; eadem quippe anima est mouens, inquantum elicit intellectionem per intellectum, & volitionem per voluntatem; est autem mota, inquantum recipit eamdem intellectionem & volitionem in intellectu & voluntate: sed eadem est ratio de vtroque motu: ergo in quocumque motu idem potest esse per se primò mouens & motum.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis hîc & lib. sequenti textu 29. & D.Th. quos communiter sequuntur Thomistæ, Ferrar. 1. contra gentes cap. 13. Masius, nostri Complutenses, & alij in præsenti.

CONCLVSIO.

Cùm idem secundùm idem non possit esse in actu & in potentia non potest idem secundùm idem realiter seipsum mouere per se primò.

RESPONDEO dicendum, quòd non potest idem secundùm idem realiter seipsum mouere per se primò, sed necessariò debet esse realis distinctio inter mouens & mobile. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem principaliter procedere de motu, qui est actus imperfecti, scilicet actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia, & ex consequenti tantùm de motu, qui est actus perfecti, vt est sensatio, intellectio, & volitio: nam, vt ait D. Thom. hîc lect.1. Aristoteles agit in præsenti tantùm de primo motu, dum dixit, omne quod mouetur, ab alio moueri.

Probatur conclusio authoritate simul, & ratione D.Thom.1. contra gentes cap.13. vbi sic ait, *Nihil idem est simul in actu & in potentia respectu eiusdem: sed omne quod mouetur, inquantum huiusmodi, est in potentia quia motus est actus existentis in potentia secundùm quod huiusmodi; omne autem quod mouetur, est in actu inquantum huiusmodi,quia nihil agit,nisi inquantum est in actu: ergo nihil est respectu eiusdem actu mouens & motum: & sic nihil mouet seipsum.* Si dicatur cum Scoto & aliis, idem posse esse in actu virtuali, & potentia formali respectu eiusdem, quia non repugnant hic actus & hæc potentia, sicut repugnant actus formalis & potentia formalis, & ita mouens se, erit in actu virtuali & potentia formali respectu motûs. Contra. Si hoc esset possibile, Aristoteles, & D. Thom. locis citatis non recurrerent in motibus grauium & leuium ad generans, in motibus viuentium, ad partem per se mouentem, distinctam à parte per se mota, & in motibus cœlorum, ad motorem extrinsecum: & per hoc etiam excluditur responsio aliorum dicentium, idem esse mouens ratione formæ, & motum ratione materiæ primæ. Deinde, ideo repugnat idem simul esse in actu & in potentia respectu eiusdem, quia in ordine ad idem, simul esset perfectum, & imperfectum, quod implicat: sed actus virtualis maiorem dicit imperfectionem, quàm actus formalis, vt patet inductione in omnibus, & docent communiter Philosophi, dicentes actum virtualem, esse formalem actum superioris ordinis, qui propter suam perfectionem & eminentiam æquiualet actibus inferioris ordinis, ad quos collatus dicitur actus virtualis, quia facit eminentiori modo, quod illi faciunt, & ampliùs: ergo si actus formalis, & potentia formalis sunt incompossibiles simul in eodem respectu eiusdem, quia opponuntur priuatiuè, vt perfectum, & imperfectum: magis erunt incompossibiles actus virtualis, & potentia formalis, quia magis opponuntur in ratione perfecti, & imperfecti. Denique

nique videmus quòd illa,quæ ſunt in actu virtuali, licèt alia reducant in actum formalem,nunquam tamen ſeipſa: vnde licèt Sol,piper &c.quia ſunt in actu virtuali caloris, poſſint calefacere,& reducere in actum formalem caloris alia,in quibus agunt , non tamen ſeipſa poſſunt calefacere; vnde ſi piper calefiat actu formaliter, debet calefieri ab alio : ergo eſt impoſſibile, quòd idem ſit in actu virtuali, & potentia formali reſpectu eiuſdem, ita vt ſe poſſit reducere in actum formalem:& hoc maximè,quia agendia naturalia neceſſariò agunt, & ita ſi aliquid cum actu virtuali poſſet ſe reducere in actum formalem,neceſſariò ſe in illum reduceret, cuius contrarium ſemper experimur. Nec hanc doctrinam reſtrinxit Ariſtoteles ad ſola agentia vniuoca, quia ſubiunxit (ſimiliter in aliis agentibus vniuocis,) nam vt notat D.Th. attulit Philoſophus exempla in vniuocis, quia in illis manifeſtiùs apparet, quod ipſe intendebat, ſcilicet nihil poſſe eſſe ſimul ſecundùm idem in actu & in potentia : vnde non negat idem eſſe dicendum in æquiuocis, imò neceſſariò debet concedere,cùm intendat deuenire ad primum motorem ex eo,quòd nihil poteſt mouere ſeipſum.

Secundò, omne quod ita mouetur, vt ad quietem alterius quieſcat, non mouetur per ſe primò à ſe, quia quod mouetur omnino & per ſe primò à ſe, non dependet in ſuo motu ab alio, aliàs dicendum eſt, quòd mouetur ab illo alio, à quo dependet, & non à ſe primò : ſi autem non dependet, licèt illud aliud quieſcat à motu, hoc tamen non debet quieſcere : ſed omne quòd mouetur motu Phyſico, ita mouetur, vt quieſcat ad quietem alterius:nam videmus quòd ex quiete vnius partis, ceſſat motus totius ſecundùm ſe totum : ergo non poteſt eſſe per ſe primò mouens ſeipſum, ſed neceſſariò debet moueri ab alio. Confirmatur. Illud cui primò conuenit motus,non debet in ſuo mouere & moueri, pendere à motu alterius, alioquin illi alteri,& non ſibi primò conueniret motus, cùm ratione illius moueretur : ſed omne mobile motu Phyſico, cùm ſit diuiſibile, pendet in eſſe totius à partibus, & in motu ſuo à motibus partium,vnde ſi vna quieſcat, non mouetur ſecundùm ſe totum : ergo non poteſt eſſe per ſe primò ſibi ipſi cauſa motûs. Ex quo patet quòd totum, quia mouetur ſecundùm ſuas partes, & ratione illarum, mouetur quidem per ſe, vt ly (per ſe) dicit, non per accidens; non autem vt ly (per ſe) dicit, non per aliud:moueri verò per ſe primò excludit vtrumque, & moueri per accidens, & moueri per aliud : & ideo totum non poteſt ſe mouere per ſe primò, quia vel mouetur ab extrinſeco, vel ratione ſuæ partis integralis, & ita per aliud. Conſtat autem ex primo poſteriorum, illud quod alicui primò conuenit,non per aliud ipſi conuenire, imò aliis conuenit per ipſum; nec ab ipſo remouetur, quia remouetur ab alio; nec tandem poteſt ab aliquo intrinſeco oriri impedimentum ad habendum illud : vnde motus totius pendet in genere cauſæ materialis à motu partium, quatenus tam pars, quàm motus eius, ſemper cenſetur eſſe materia totius, & motus illius : & hæc prioritas ſufficit ad hoc, vt abſolutè dicatur quòd totum ſecundùm ſe mouetur ab alio, vel per aliud : cum hoc tamen ſtat motum partium integralium pendere in genere cauſæ formalis à toto, inquantum ratione totius, ſiue in ordine ad illud, habent determinatam materiam, & ſpecificationem, ratione cuius ſunt capaces motûs:imò habent à toto, tanquam à termino primario, & totali efficientis, quòd coëxiſtant, & ita poſſint moueri : licèt, vt dictum eſt, totum pendeat à ſuis partibus,tam in eſſe,quàm in moueri in genere cauſæ materialis. Et per hæc patet ad aliqua, quæ obiicit Suares contra hanc rationem D.Thom.

Ad primum ergo dicendum, quòd calor ventriculi & ſtomachi eſt intenſior hyeme per accidens, & per Antiperiſtaſim, quia frigus circumſtans conſtringit poros cutis, & impedit, ne calor dilatetur, virtus autem vnita fortior. Alij dicunt, quòd conſtrictis poris non erumpunt foras ſpiritus vitales, qui ſunt calidiſſimi : ſimiliter dicendum de frigiditate aquæ putealis in æſtate, quòd ab aëre calido circumſtante impeditur frigus, ne exeat, ſiue impeditur aqua, ne ſpiret vapores frigidos.

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt viuentia ab intrinſeco ſe moueant, non tamen per ſe primò : nam in illis eſt vna prima pars, quæ mouet alias, hæc autem eſt cor, quod mouetur duplici motu,ſcilicet eo,quo reliquæ partes ratione illius, & ipſum totum mouetur; deinde motu dilatationis & conſtrictionis : primo motu mouetur per accidens, ſecundo mouetur per ſe, ſed à principio extrinſeco,ſcilicet generante,vt ait D.Thom.opuſcul. de motu cordis, quia talis motus per modum proprietatis ad animal conſequitur, vnde ad generans ſpectat illum efficere, quia, qui dat formam, dat etiam quæ conſequuntur ad formam. Similiter dicendum quòd grauia & leuia mouentur à generante ob eamdem rationem, vt poſtea dicetur.

Ad tertium dicendum, quòd intellectus non ſe mouet ad quamcumque intellectionem, ſed mouetur ab alio, ſcilicet ab authore naturæ, ad intellectionem primorum principiorum, ſiue ad intellectionem,quæ eſt principium totius diſcurſûs : & ſic factus in actu per talem intellectionem, quæ habet rationem partis mouentis, ſe mouet ad intellectionem concluſionum, vel ad aliam conſequentem, quæ habet rationem partis per ſe motæ : ſicut cognitio Angeli, qua ſe per propriam ſubſtantiam cognoſcit, eſt ab authore naturæ, ex D.Th.1. part. quæſt.63. art.5.& per illam eſt in actu ad cognoſcenda alia, & ideo ſe mouet ad illa cognoſcenda : quantùm verò ad voluntatem, dicendum cum D. Thom. 1.2. quæſt.8. 9. & 10. quòd voluntas quoad intentionem finis mouetur peculiariter ab authore naturæ : & ſic facta in actu per hanc volitionem, ſe mouet ad electionem mediorum : & ſic vna volitio habet rationem partis mouentis, & alia rationem partis motæ : quòd ſi hæc ita ſe habent in iſtis, multò magis in corporeis eſt diſtinctio mouentis & moti, quia requirunt realem diſtinctionem partium, & ſunt magis in potentia : & ideo ſimpliciter eorum motus debet eſſe, vel totaliter ab alio ſuppoſito, vel debet incipere ab alio, quatenus vna pars mouetur ab illo, hæc autem mouet alias.

ARTICVLVS II.

Vtrùm indiuiſibile per ſe moueri poſſit?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd indiuiſibile per ſe moueri poſſit. Probatur.Angeli ſunt indiuiſibiles, cùm ſint ſubſtantiæ ſpirituales : ſed Angeli per ſe mouentur, vt patet ex Scriptura, & communi conſenſu Theologorum,qui cum D.Thom.1.part.quæſt. 53. agunt ex profeſſo de motu Angelorum : ergo indiuiſibile per ſe moueri poteſt.

¶ 2. Præterea,Licèt motus augmentationis tendat ad maius extenſiuè, non tamen motus alterationis, hic enim tantùm tendit ad maius intenſiuè, vnde non neceſſariò debet fieri in ſubiecto diuiſibili. Similiter ſi crearetur punctum ſeparatum ab omni continuo, poſſet moueri per ſaltus ſupra corpus perfectè planum. Denique ſunt aliqui motus, qui fiunt indiuiſibiliter, fiunt enim in inſtanti, ſcilicet generatio & corruptio : ergo indiuiſibile poteſt moueri illis motibus, vt pote eis proportionatum.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Philoſophi, quem communiter ſequuntur omnes eius expoſitores.

CONCLVSIO.

Cùm motus propriè dictus importet diuiſibilitatem, non poteſt indiuiſibile per ſe moueri.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt indiuiſibile poſſit per accidens moueri, ad motum continui, in quo eſt, 2. Non tamen per ſe. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd moueri per accidens, eſt moueri non per ſe primò, ſed ad motum alterius : & hoc modo homo dormiens in naui per accidens mouetur, ſi nauis iter agat:moueri autem per ſe, eſt econtra, ſcilicet moueri per

per ſe primò & ratione ſui, ſicut qui incedit, &c.

Probatur concluſio quantùm ad primam partem. In corpore continuo ſunt indiuiſibilia, ſcilicet puncta & ſuperficies, vt communiter docent Philoſophi: ſed quando mouetur totum continuum, omnia, quæ ſunt in continuo, mouentur, vt patet ad ſenſum: cùm enim globus percutit aliquod ſpatium, in fine motûs eſt in alio loco, ac erat in principio, ibique habet omnia, quæ in principio babebat; tum quia per motum localem tantùm ex vi eius mutatur extrinſecè, tum quia non poteſt conſiſtere ſine ſuis indiuiſibilibus partes ipſius vnientibus: ergo indiuiſibile poteſt per accidens moueri ad motum continui, in quo eſt.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, qui libro ſexto probat ex profeſſo indiuiſibile non poſſe moueri; textu enim 90. dicit æquè eſſe impoſſibile, quòd indiuiſibile moueatur, ac quòd motus fiat in inſtanti: & affert tres rationes ad hoc probandum: ergo indiuiſibile non poteſt per ſe moueri.

Secundò, tres ſunt motus propriè dicti, ſcilicet motus localis, alteratio & augmentatio: ſed indiuiſibile nullo ex his poteſt per ſe moueri. Non augmentatione, ac proinde nec diminutione; hi enim motus faciunt maius & minus, vt conſtat: indiuiſibile autem, cùm non habeat partes, nec eſt maius, nec minus, iam enim eſſet diuiſibile, acquirens, aut deperdens partes, & ita non poteſt moueri per ſe motu augmentationis & diminutionis. Nec motu alterationis, quia hic tantùm verſatur circa qualitates tertiæ ſpeciei, quæ quia ſunt materiales, non poſſunt recipi, ſaltem naturaliter loquendo, niſi in ſubiecto materiali, & quanto, ac proinde diuiſibili, & ita indiuiſibile non poteſt per ſe moueri motu alterationis. Nec denique motu locali, tum quia terminus motûs localis eſt locus, qui cùm ſit ſuperficies eſt diuiſibilis, & ita non poteſt reſpondere indiuiſibili ſecundùm omnem dimenſionem, ſcilicet puncto (de hoc enim loquimur;) tum etiam quia ad motum localem pertinet continuitas, ita vt debeat percurrere medium ſucceſſiuè, id eſt, hanc partem poſt aliam; conſtat autem quòd indiuiſibile non poteſt percurrere partes diuiſibiles, cùm non poſſit illis correſpondere: ergo indiuiſibile nullo motu poteſt per ſe moueri.

An primum ergo dicendum, quòd hic in Phyſica agitur tantùm de indiuiſibili quantitatiuo, & de hoc tantùm procedunt rationes Philoſophi, non autem de indiuiſibili ſpirituali, quod pertinet ad Theologiam, de quo pro nunc dicimus proportionaliter quòd non poteſt moueri motu augmentationis, aut diminutionis, hi enim terminantur ad quantitatem, quæ quia conſequitur materiam, non reperitur in Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales, & omnino ſeparatæ à materia; nec motu alterationis, ſaltem naturaliter, hic enim motus terminatur ad qualitates tertiæ ſpeciei, quæ naturaliter loquendo non poſſunt recipi, niſi in ſubiecto materiali, & quanto; mouentur autem motu locali, ſed æquiuocè, id eſt, non eodem modo, ac res materiales: cùm enim non ſint propriè, ſed tantùm metaphoricè in loco per operationem, ſic nec propriè, ſed tantùm metaphoricè mouentur, per applicationem ſcilicet ſuæ operationis ad diuerſas partes loci.

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt motus alterationis eſſentialiter & primariò tantùm tendat ad maius intenſiuè, habet tamen annexam extenſionem, vt dictum eſt. Ad aliud dicendum, quòd punctum ſeparatum, ſi daretur, & ſic per ſaltus percurreret medium, non poſſet dici propriè quòd moueretur, quia cùm motus ſit ſucceſſiuus, indiſpenſabiliter petit, quòd fiat per medium continuum, & ita quòd partes eius ſucceſſiuè percurrantur, vna poſt aliam, quod non faceret illud punctum, & ita potius ederet ſaltus diſcretos, quàm moueretur motu continuo. Ad aliud dicendum, quòd corruptio & generatio præſupponunt alterationem, & ſunt eius termini, & ita non poſſunt eſſe, niſi circa ſubiectum capax alterationis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm grauia & leuia moueantur à ſeipſis?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd grauia, & leuia moueantur à ſeipſis. Ita tenent Scotus in 1. d.2.q.10. Gregor.d.6.q.1.art.3. & alij. Probatur. Grauia & leuia non mouentur à generante, nam dum mouentur, ſæpe non eſt generans; & ſi ſit, diſtat ab illis: conſtat autem quòd cauſa efficiens debet eſſe actu, & indiſtans: ergo mouentur à ſeipſis. Confirmatur. Graue in ſuperioribus generatum, vt pluuia, vel grando, quò magis diſtat à generante, & appropinquat centro, eò velociùs mouetur, vt patet experientiâ: ergo non mouetur ab illo, nam mouens eò velociùs mouet quò res mota minus diſtat ab illo, vt patet in lapide proiecto: ergo non mouetur à generante.

¶ 2. Præterea, Motus grauium & leuium procedit à grauitate & leuitate actiuè, vt docet Ariſtoteles 4. Phyſic. textu 85. vbi ait denſum & rarum quatenus grauitate & leuitate prædita ſunt, lationis eſſe efficientia: ergo cùm hic motus non excedat virtutem harum qualitatum, fiet principaliter ab illis, & non à generante.

¶ 3. Præterea, Si propter aliquam rationem grauia & leuia mouerentur à generante, eſſet maximè quia ad grauitatem & leuitatem naturaliter ſequitur motus ſurſum & deorſum, ſecluſo impedimento: ſed hæc ratio nulla eſt, quia etiam naturaliter ad calorem ignis ſequitur calefactio, ſecluſo impedimento, & tamen calefactio non attribuitur generanti. Deinde ſi per hoc motus grauium & leuium attribuitur generanti, quia generans dedit illis grauitatem & leuitatem, quæ ſunt principium talis motûs, ſequitur pari ratione, quòd Deus poſſit dici primum mouens reſpectu omnium, per hoc præcisè quòd omnibus dedit eſſe & virtutes operatiuas, quòd tamen repugnat doctrinæ Thomiſticæ: ergo grauia & leuia mouentur à ſeipſis.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Platonis, Ariſtot. & D.Thom. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, & plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm moueri ad locum naturalem ſit quid neceſſariò conſequens formam ſubſtantialem, grauia & leuia non mouentur.

RESPONDEO dicendum, quòd grauia & leuia per ſe mouentur à generante. 2. per accidens verò à remouente prohibens. 3. & nullo modo à ſeipſis. Probatur generaliter concluſio authoritate Platonis lib. 10. de legibus, vel de Republica, & in Phædro, vbi ſic ait. *Cui forinſecus eſt moueri, id omne inanimatum eſt, cui verò intrinſecus ſibi ex ſe, animatum.* Item Ariſtoteles lib. ſequenti textu 33. vbi ait, *Quæcumque à ſeipſis mouentur, ab aliquo mouentur, & quæ non à ſeipſis, vt leuia, & grauia (aut enim à generante, & faciente leue, & graue, aut ab eo, quod impedientia, & prohibentia prohibet.)* Dixerat autem ſupra quòd remouens prohibens tantùm monet per accidens, generans verò per ſe, & hoc oſtendit exemplo pilæ repercuſſæ, quæ per ſe mouetur à proiiciente, per accidens verò à pariete. Item D.Thom. 1. p. q.18.art.1. ad 2. vbi ait: *Corpora grauia & leuia mouentur à motore extrinſeco; vel generante, qui dat formam; vel remouente prohibens, vt dicitur 8. Phyſic. & ita non mouent ſeipſa, vt corpora viuentia;* Et 1. contra gentes.c.17. ait: *Illa ſola per ſe mouentur, quæ mouent ſeipſa compoſita ex motore, & moto, ſicut animata: vnde hæc ſola propriè viuere dicimus, alia verò omnia ab aliquo exteriori mouentur, vel generante, vel remouente prohibens, vel impellente.*

Secundò, pertinet ad generans tribuere genito in inſtanti generationis eſſe, & quidquid pertinet pro illo inſtanti ad naturalem eius diſpoſitionem, tanquam eſſentiæ corollarium, & complementum generationis, iuxta illud, qui dat eſſe, dat & quæ conſequuntur ad eſſe; ſed

ad

ad naturalem diſpoſitionem grauium & leuium, eiſque debitam tam in inſtanti generationis, quàm reliquo tempore, pertinet eſſe in loco naturali: cùm in illo conſeruentur, & ſint in illo connaturaliter, extra verò violenter: ergo hoc à generante debet eis tribui, & conſequenter motus, quo poſtea ſublato impedimento acquirunt primò ſuum locum naturalem, vel deperditum iterum recuperant, nam ab eodem principio, à quo oritur exigentia alicuius termini, debet eſſe motus ad illum, & recuperatio eiuſdem, aliàs generans deficeret in neceſſariis: nam cui incumbit tribuere aliquid debitum in inſtanti generationis, etiam incumbit, ſi fuerit impedimentum, præſtare id, quod eſt via ad acquirendum, & recuperandum illud, ſublato impedimento, talis autem via eſt motus naturalis, vt patet: ergo grauia, & leuia per ſe mouentur à generante. Confirmatur. Emanatio proprietatum tribuitur generanti, ſiue fiat in inſtanti generationis, ſiue poſtea ſublato impedimento, ex eo quòd ſunt debitæ genito in inſtanti generationis: ergo etiam motus grauium & leuium ad locum naturalem erit ſemper à generante, quia locus naturalis debetur graui, & leui in inſtanti generationis, & propterea etiam motus dilatationis, & conſtrictionis cordis tribuitur generanti, cùm ſit omnino primus, & ideo non poteſt eſſe ab ipſo corde; alij verò motus & actiones animalis, vt reſpiratio, nutritio &c. non tribuuntur generanti, quia iam eſt in animali principium illorum, ſcilicet motus cordis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſatis eſt manere virtutem generantis, licèt ipſe perierit, ſiue concurrat inſtrumentaliter hæc virtus ad illum motum, ſiue tantùm ſit id, à quo talis motus emanat, & per hanc eſt indiſtans à paſſo. Ad confirmationem dicendum, quòd licèt motus violentus grauis, quò magis elongatur à proiiciente, eò eſt remiſſior, quia minus remanet de virtute, ſiue impulſu violenter impreſſo, tamen graue quò magis appropinquat centro, eò eſt in meliori diſpoſitione, vt recipiat motum à generante: nam cùm inter corpora, & loca naturalia eorum ſit quædam affinitas & proportio, quantò corpus eſt propinquius ſuo loco, tanto minus habet de impedimento, & eſt magis diſpoſitum, vt à ſuo generante moueatur, vt ait D.Thom. 1. de cœlo lect. 17. his verbis: *Et ideo dicendum eſt cum Ariſtotele, quòd cauſa huius accidentis eſt, quod quantò corpus graue magis deſcendit, tantò magis confortatur grauitas eius propter propinquitatem ad proprium locum.*

Ad ſecundum dicendum, vel cum Capreolo, Ferrar. Maſio, & aliis, grauitatem & leuitatem eſſe virtutes verè actiuas inſtrumentaliter, vt docet ſæpe D.Thom. earum autem actio præuia, eſt ſciſſio aëris, aut medij, non autem habent cauſare motum, niſi vt ſubordinantur generanti, licèt in eſſe entis ſint quid perfectius motu naturali, & vbicatione in proprio loco. Vel dicendum cum Soto, Iauello, Soncinatè & aliis, grauitatem & leuitatem non eſſe principium rigoroſè actiuum motûs, ſed ſolùm generans eſſe cauſam immediatam, & rigoroſè effectiuam illius, has verò qualitates concurrere per modum principij paſſiui diſponentis mobile, vt meliùs moueatur à generante, vt expreſsè videtur docere D.Thom. 2. de Cœlo textu 9. & 2. Phiſic. lect. 1. Cum hoc tamen ſtat illum motum dimanare remotè à forma ſubſtantiali grauis, aut leuis, & à grauitate & leuitate proximè per naturalem ſequelam, qui modus emanationis, licèt non ſit vera actio, vt ſupra dictum eſt, reducitur tamen ad genus cauſæ efficientis. Quamdiu autem manet forma, ad quam naturalis ſequitur motus, tamdiu virtualiter manet virtus generantis, vt actio eius generatina in illa forma, nam illâ poſitâ ſtatim ſeclusis impedimentis naturali neceſſitate ſequuntur cætera omnia; & ita hic motûs oritur à generante, vt à principali agente: id autem, à quo aliud emanat, habet ſe aliquo modo, vt inſtrumentum generantis, quia adhuc per emanationem non attingit illud, niſi vt ſubordinatum illi, tanquam agenti principali, & proprio: & per hæc concordant loca Ariſtotelis, & D.Thom. vnde quando dicunt grauitatem & leuitatem habere ſe actiuè, vt virtutes inſtrumentales ad motum grauium & leuium, debent intelligi non rigoroſè, ſed per modum emanationis, quæ reducitur ad genus cauſæ effectiuæ: quando autem dicunt quòd ſunt principium paſſiuum non concurrentes actiuè, debent intelligi de rigoroſa actiuitate.

Ad tertium dicendum, quòd eſt latum diſcrimen: nam ad calorem genitum non ſequitur productio alterius caloris, tanquam acquiſitio diſpoſitionis naturalis debitæ in illo inſtanti generationis, ad hoc vt completè habeat rationem effectus reſpectu generantis, quia vnus calor non pertinet ad naturalem diſpoſitionem alterius, ſed recuperatio loci naturalis eſt acquiſitio diſpoſitionis debitæ in inſtanti generationis, vnde hæc tribuitur generanti, non verò calefactio illa, quâ calor genitus generat alium. Ad aliud ſimiliter dicendum, quòd non poteſt tribui generanti, niſi primus motus debitus in inſtanti generationis, & ideo Deus non eſſet cauſa prima aliorum motuum, aut primum mouens, niſi præmoueret ad omnes motus & actiones: licèt tribuerit virtutes actiuas, ſolùm per hoc haber rationem primi entis, & primæ ſubſtantiæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm cauſa efficiens poſſit agere in diſtans, quin prius agat in propinquum?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd cauſa efficiens poſſit agere in diſtans, abſque eo quòd prius agat in propinquum. Ita tenent Auicenna lib. de anima ſect. 4. cap. 4. Scotus in 1. d. 37. & alij. Probatur. Si agens in diſtans prius agit in medium, & per medium, ſequitur quòd omne agens poſſit agere in quamcumque diſtantiam ſi non ſit reſiſtentia medij; ſi enim ignis agit in hanc medij partem, & hæc in aliam ſucceſſiuè, poteſt calefacere quamcumque rem diſtantem: ſed hoc eſt falſum, cùm omne agens naturale habeat determinatam Sphæram ſuæ actiuitatis: ergo cauſa efficiens poteſt agere in diſtans, non prius agendo in propinquum.

¶ 2. Præterea, Agens perfectiùs agit in paſſum ſibi ex directo oppoſitum, quàm in illud, quod eſt ad latus, licèt hoc ſit magis propinquum, vt patet multis experientiis: ergo etiam abſolutè poterit agere in diſtans non agens in propinquum.

¶ 3. Præterea, Multæ aſſignantur inſtantiæ, quòd agens fortiùs agat in diſtans, quàm in propinquum: ignis enim comburit ſtupam aliquantùm diſtantem, & non aërem propinquum. 2. ignis magis calefacit aquam, quàm lebetem immediatum, nam aliquando feruet intus aqua, & fundum lebetis eſt frigidum. 3. lucerna plus calefacit oleum poſitum ſupra papirum, quàm ipſam papirum. 4. Sol maiorem calorem imprimit parieti diſtanti, quàm aëri proximo. Imò ſunt aliæ inſtantiæ, quòd agens agat in diſtans, & nullo modo in propinquum: magnes attrahit ferrum diſtans, & non aërem propinquum. 2. piſcis Torpedo ſtupefacit manum piſcatoris diſtantem, & non arundinem proximam. 3. aliquæ mulieres faſcinant pueros diſtantes, & non viros proximiores. 4. Baſiliſcus ſolo viſu interficit hominem, & tamen non immutat aërem intermedium. 5. Echeneis piſcis, qui & Remora, remoratur nauim prætereuntem, & non aquam proximiorem: ergo poteſt aliquid agere in diſtans, non agendo in propinquum.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. quos communiter ſequuntur, non ſolùm Thomiſtæ, ſed & alij Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm omnis cauſa agens debeat attingere paſſum, vel contactu quantitatiuo, vel virtuali, non poteſt agere in diſtans, quin agat prius in propinquum.

RESPONDEO dicendum, quòd ſi cauſa efficiens agere per diffuſionem ſuæ virtutis, licèt non debeat attingere paſſum

passum contactu quantitatiuo, siue immediatè attingere immediatione suppositi, tamen debet illum attingere contactu virtutis, aut virtuali, siue immediatè immediatione virtutis. Si verò agat per virtutem in eo existentem, & non diffusibilem per medium, debet necessariò, naturaliter loquendo, immediatè attingere passum immediatione suppositi, ita vt nunquam sufficiat contactus alterius suppositi ad hoc, vt ista agentia aliquid imprimant in passo.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis in hoc lib. cap.3. vbi sic ait, *Quod autem primum mouet, non vt id, cuius gratiâ, sed vnde principium motûs, simul est cum eo, quod mouetur: simul autem dico, quia nihil est his interiectum: hoc enim commune est omni rei, quæ mouetur, & quæ mouet:* Quem locum sic exponit D.Th. lect.3. *Intelligit autem hic de immediate mouente, & ideo dixit primum mouens, vt per primum significetur immediatum mobili, non autem id, quod est primum in ordine mouentium, & dictum est communiter quòd mouens, & motum sunt simul; & non specialiter de motu locali: quia hoc est commune in omni specie motûs, quòd mouens, & motum sunt simul modo exposito.*

Probatur prima pars conclusionis inductione. Experimur quòd Sol agit in toto Mundo, etiam in visceribus terræ per lucem ab ipso toto orbe diffusam, vel per calorem ab ipso causatum, & sic attingit passum per suam virtutem. Item generans attingit genitum per semen, quod est virtus eius. Item in nutritione & augmentatione priùs debet coniungi cibus ei, qui augetur, quàm conuertatur in eius substantiam. Item apparet in motu locali, tam violento, quàm naturali, ille enim fit per impulsum impressum mobili à proiiciente, hic verò per aliquam virtutem communicatam mobili à generante: ergo agens per virtutem à se diffusam debet attingere passum contactu virtuali, ita vt nunquam agat in distans, quin agat prius in propinquum. Confirmatur 1. Si inter Solem, & aërem ponatur corpus opacum, non illuminabitur aër ex eo præcisè, quòd corpus opacum non illuminatur: ergo agens non potest agere in distans, quin agat in propinquum, & mediante illo in distans. Confirmatur 2. Per medium densius agens agit in minorem distantiam, & per rarius in maiorem: ergo signum est, quòd agit per medium in distans, quod etiam apparet in diffusione specierum intentionalium per medium.

Probatur secunda pars conclusionis. Agens debet aliquo modo attingere passum, vt in eo aliquid operetur: quia actio cùm sit causalitas agentis, debet esse coniuncta virtuti actiuæ agentis, ipsa enim agit (vt quo:) ergo non poterit agere, nisi vbi est ipsa virtus: sed supponitur ipsam non diffundi, sed existere in agente: ergo non poterit causare effectum, nisi vbi erit immediatè agens immediatione suppositi.

Ad primum ergo dicendum, quòd potest esse ita exigua & remissa forma accidentalis, vt non possit agere, maximè si sit resistentia in passo: vnde ignis maxime calefacit partem aëris propinquam, & hæc calefacta, cùm non sit tantæ virtutis, ac ignis, minùs calefacit aliam ob dispositiones contrarias, & hæc minus aliam ob eamdem rationem, & sic tandem ita remittitur calor, vt non possit vlterius agere ob resistentiam passi, eius virtuti præualentem.

Ad secundum dicendum, quòd licèt quodlibet agens cæteris paribus, priùs agat in propinquum, quàm in distans, tamen etiam cæteris paribus fortiùs influit in rem sibi ex directo oppositam, quàm in eam, quæ est ad latus.

Ad tertium dicendum, quòd licèt agens fortiùs agat in propinquum, quàm in distans, tamen propter incapacitatem propinquioris, per accidens non causatur in eo effectus, qui causatur in remotiori: & ita stupa siccior, licèt aliquantùm distans, concipit ignem, non autem aër propinquus humidus; & per hoc patet ad primam instantiam. Ad secundam dicendum quòd initio calefactionis detinetur calor in fundo lebetis ob resistentiam aquæ frigidæ, & ideo est calidius, quando autem per calefactionem superatur resistentia aquæ, respirat calor, & euaporat exhalationes calidas in partes superiores, & ita calor lebetis minuitur: maximè quia ascendentibus partibus calidioribus, descendunt frigidiores, vt pote grauiores & densiores, quæ temperant fundum lebetis. Ad tertiam dicendum quòd oleum, quia pingue & humidum, resistit igni, ne comburat papyrum, nam quò magis calefit, eò magis partes rariores ascendunt, & descendunt crassiores. Ad quartam dicendum, vel quòd propter reflexionem radiorum causatur maior calor, tunc enim paries est magis propinquus radiis reflexis; vel quòd non est maior calor in pariete, quàm in aëre, sed propter densitatem materiæ apparet in eo maior, sicut ferrum calefactum magis comburit, quàm aër ignitus. Ad alias instantias dicendum, ad primam cum D. Thom. in præsenti quòd magnes diffundit per aërem aliquam qualitatem, quæ non est attractiua aëris, aut aliorum ob incapacitatem, sed tantùm ferri: proportione seruatâ dicendum est ad 2. Dicendum est autem ad 3. cùm D. Thom. 1. p. q. 117. art. 3. ad 2. item 3. contra gentes cap. 103. fascinationem non prouenire ab actu videndi, vt à principio, quo illa alteratio fiat, sed ab aliqua qualitate maligna existente in oculo, aut in aliis humoribus, quæ communicatur spiritibus, qui imaginatione, & attentione animæ commouentur, & ad oculos perueniunt, & illis venenatis spiritibus inficitur aër proximus vsque ad certam distantiam: illa autem qualitas maligna plus nocet infantulis ob maximam corporis teneritudinem: & proportionaliter dicendum ad 4. instantiam. Ad 5. verò dicendum est, cum proportione tamen, sicut ad primam, & secundam.

LIBER

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

Summma Textûs.

AGIT Philosophus in hoc vltimo libro de æternitate motûs, temporis & Mundi; & denique de primo, ac supremo motore, omnium rerum artifice: & ideo ex parte materiæ est omnium præstantissimus; vltimo tamen loco pertractandus: quia in tradenda doctrina procedendum est instar naturæ ab imperfectioribus ad perfectiora: & ita ex cognitione motûs ad aliqualem primi motoris cognitionem deueniemus.

Diuiditur hic liber in quindecim capita. In 1. probat motum semper fuisse, ac semper fore. In 2. soluit obiectiones factas contra æternitatem motûs. In 3. ostendit aliqua modò moueri, modò quiescere. In 4. iterum demonstrat, quidquid mouetur, ab alio moueri. In 5. concludit primum mouens ab externo non moueri. In 6. docet primum mouens esse immobile. In 7. autem dicit esse æternum & vnum. In 8. probat ne quidem ex accidenti primum mouens moueri. In 9. denuo probat primum mobile esse æternum. In 10. ostendit lationem esse primum motum. In 11. dicit nullam motionem, vel mutationem esse continuam præter lationem. In 12. verò declarat hanc lationem continuam non esse infinitam, nisi sit circularis, & hanc vocat conuersionem. Quam in 13. dicit esse lationum primam. In 14. confirmat plura, quæ supra tradita fuerant. In vltimo tandem concludit primum motorem partibus & magnitudine carere, ac residere in suprema Mundi parte, & sic finem imponit his libris de Physico auditu.

QVÆSTIO XXIX.

De Æternitate Mundi, & de primo illius opifice ac motore.

SVPEREST tantùm ad complementum huius operis, aliquid agere de æternitate Mundi & motûs, ac tandem de primo Mundi opifice & motore: vnde quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm Mundus fuerit conditus ab æterno?

¶ Secundò, Vtrùm Mundus, vt nunc est, possit durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario?

¶ Tertiò, Vtrùm aliqua creatura permanens potuerit esse ab æterno?

¶ Quartò, Vtrùm motus & tempus potuerint diuinitus esse ab æterno?

¶ Quintò, Vtrùm generationes & corruptiones substantiales huius Vniuersi potuerint diuinitus esse ab æterno?

¶ Sextò, Vtrùm ex motu deueniatur in cognitionem primi motoris?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Mundus fuerit conditus ab æterno?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd Mundus fuerit conditus ab æterno. Ita docuit Aristot. in hoc libro, illum sequuti sunt antiquiores eius interpretes, Simplicius, Auicenna, Auerroës & alij. Probatur. Positâ causâ omnino completâ ad agendum, statim necessariò sequitur effectus, maximè si eius actio sit eius substantia: sed Deus est ab æterno causa omnino completa ad agendum, & eius actio creatiua est eius substantia, cùm Deus sit ens absolutè necessarium & simplicissimum: ergo Mundus fuit à Deo conditus ab æterno: aliàs in tempore aduenisset Deo noua voluntas condendi Mundum, quod eius immutabilitati repugnat.

¶ 2. Præterea, Motus non habuit principium: nam dato quocumque motu, debuit ad illum præsupponi mobile, vt patet; quodcumque autem mobile fit per motum: & sic ante quemcumque motum debuit præcessisse alius, & alius in infinitum: & sic motus fuit ab æterno: ergo & Mundus, cùm motus non potuerit exerceri nisi in aliquo reali creato. Confirmatur. Tempus est ab æterno, nam si incepit, verum erat dicere, quòd antea non erat, in illo autem (antea) significatur tempus: & sic processus est in infinitum à parte ante in tempore: ergo etiam motus est ab æterno, cùm sit subiectum temporis, & consequenter etiam Mundus est ab æterno.

¶ 3. Præterea, Bonum ex Dionysio est sui diffusiuum: & sic de ratione eius est se aliis communicare: ergo de ratione summi boni est, se summè communicare creaturis, ac proinde Mundum ab æterno produxit, cùm communicatio ab æterno sit maior, quàm temporalis.

SED CONTRA est authoritas fidei, Genesis 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Prouerb. 8. *Antequam faceret quidquam à principio.*

CONCLVSIO.

Cùm fuerit conueniens Mundum creari in tempore, non fuit conditus ab æterno.

RESPONDEO dicendum, quòd Mundus non fuit conditus ab æterno, sed in tempore. Ad cuius euidentiam sciendum est, non posse demonstrari ratione naturali, quòd Mundus non sit ab æterno, vt docet D. Th. 1. p. q. 46. art. 2. sicut nec alia, quæ pendent ex mera Dei voluntate: non enim potest probari ex impossibilitate, quia postea ostendetur potuisse creari ab æterno: vnde solùm possunt assignari congruentiæ, cur non ab æterno, sed fuerit conditus in tempore.

Probatur conclusio. Fuit congruum, quòd creaturæ non essent æquales suo creatori in duratione, fuissent autem æquales si Mundus fuisset conditus ab æterno. Item fuit congruum vt ostenderetur creatorem nullo modo indigere creaturis, sed illas cum summa libertate produxisse, & conseruare, iuxta illud Psal. 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et similiter vt ostenderetur diuina potentia, quæ non solùm produxit omnia ex nihilo, sed etiam tempore sibi placito: hæc autem non ita paterent, si Mundus fuisset conditus ab æterno. Tandem fuit congruum, ne quis dubitaret creaturas esse entia necessaria, & seipsis subsistere independenter à Deo: sed si Mundus esset ab æterno, daretur locus huic dubitationi: ergo Mundus non fuit conditus ab æterno. Deus enim agit quando est conueniens & congruũ agere.

Ad primum ergo dicendum, quòd tantùm probat in causa necessaria, & non in causa libera, qualis est Deus. Ad aliud dicendum quòd actio Dei, cùm sit infinita in genere actionis, sicut licèt formaliter sit immanens, potest attingere effectum ad extra, vnde dicitur virtualiter transiens, sic licèt sit æterna, potest tamen illum attingere eo tempore, quo Deus disposuerit, maximè quia semper est, cùm sit realiter ipsa Dei substantia; & sic potest esse causa noui effectûs, quod non posset, si aliquando desineret: nam sicut voluntas noua non potest esse causa antiqui effectûs, sic nec voluntas antiqua, si desinat, noui effectûs, nam operari præsupponit esse.

Ad secundum dicendum, quòd non omne mobile factum est per motum, sed aliqua, vt Mundus cum suis partibus principalibus facta sunt per creationem, quæ non inuoluit motum, cùm sit ex nullo præsupposito subiecto. Ad confirmationem dicendum, quòd in illo (antea) in quo verum erat dicere, tempus non est, non debet assignari tempus positiuum, sed sufficit quòd assignetur æternitas, aut tempus imaginarium, in quo non fuerit verum, & reale tempus.

Ad tertium dicendum, quòd licèt sit de ratione summi boni esse summè & omnibus modis possibilibus communicatiuum sui, non tamen se actu ita communicare: quia cùm liberè agat, potest suâ sapientiâ, & libertate eligere eos communicationis modos, qui sibi placuerint, vt conuenientiores, & ita potuit eligere communicationem sui temporaneam ob congruentias dictas, & alias quas ipse nouit, aliàs concludendum esset, quòd debuit hypostaticè omnibus communicari creaturis, cùm hæc sit summa communicatio.

Articvlvs II.

Vtrùm Mundus, vt nunc est, possit durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario?

Ad secvndvm, sic proceditur. Videtur quòd Mundus, vt nunc est, non possit durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario. Ita tenet Plato in Timæo: asserit quidem Mundum, vt nunc est, duraturum in æternum, fatetur tamen oppositum ex natura sua petere. Probatur. Mundus habuit initium: ergo si relinquatur naturæ suæ, habebit finem: nam sicut, quæ carent principio, vt Deus, petunt ex se non habere finem, sic quæ habent principium, ex se petunt habere finem: aliàs Mundus ex se haberet infinitam virtutem persistendi, & vincendi omnia, quæ possunt eum destruere.

§ 2. Præterea, Omne compositum ex contrariis est ex se corruptibile, vt patet, hæc enim est causa corruptibilitatis in mixtis: sed Mundus constat ex contrariis, scilicet Elementis: ergo ex se est corruptibilis, ac proinde sibi relictus non potest durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario.

§ 3. Præterea, Quotidie deficiunt vires humanæ, vt patet, nam in principio Mundi diutissimè viuebant homines, nunc autem parum, & quò magis durabit Mundus, viuent minùs: item erant robustiores & grandiores, vt testatur August. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 9. & alij: ergo tempore succedente ita fient parui, & ita diminuentur vires omnes, vt tandem non possint generare, & sic deficient, quod etiam verum est de aliis proportionaliter, ac proinde Mundus, vt nunc est, non potest durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario.

Sed contra est authoritas Aristotelis in præsenti, & communis opinio Philosophorum.

Conclvsio.

Cùm Cœli sint incorruptibiles, ex quorum influentia Elementa concordant, quæ componunt mixta genita virtute Cœlorum, & constet per tot sæcula nullam speciem perfectiorum viuentium interiisse, Mundus, vt nunc est, potest durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario.

Respondeo dicendum, quòd Mundus sibi relictus cum solo Dei concursu ordinario, vt nunc est, potest durare in æternum. Ad cuius euidentiam sciendum est, non esse dubium, quin de potentia Dei absoluta hoc possit fieri. Similiter non est dubium quædam esse in æternum duratura, scilicet Cœlos, Elementa, & inter mixta solum hominem, cùm hæc sint partes principaliores vniuersi. Cœlum, cùm sit incorruptibile, hoc petit ex natura sua. Elementa verò ita temperabuntur, sicut & corpora humana, vt habeant ab intrinseco incorruptibilitatem, quam ex sua natura non habent: imò Cœli, & Elementa remanebunt cum maiori perfectione accidentali, nam magna luce perfundentur: lux vero Cœlorum pro cuiusque dignitate intendetur, iuxta illud Isaiæ 3. quod literaliter intelligit Hieronymus, *Erit enim lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter maior*. Certum est etiam motum Cœli, & tempus in fine cessatura, vt patet ex 66. Isaiæ, & Apoc. 10. similiter omnia mixta excepto homine peribunt, quia cùm sint facta propter hominem, vt sæpe testatur scriptura, ideo omnibus hominibus, vel ad Cœlos ascendentibus, vel ad inferos descendentibus cuncta hæc cessabunt, vnde præsens difficultas solùm procedit de possibili, id est, vtrùm Mundus, prout nunc est, cum suis successiuis generationibus & corruptionibus possit naturaliter in æternum durare, ex eo quòd pereuntibus quibusdam indiuiduis in qualibet specie, alia & alia in infinitum succedant exhibente Deo concursum, quem nunc exhibet.

Probatur conclusio sigillatim quoad omnes partes vniuersi. Cœli ex natura sua sunt incorruptibiles. Item Elementa, vt constat experientiâ tot sæculorum, remanent in eadem mole, & situ, licèt inter se contrarientur, & succedit ex eo quòd maximè agentia, siue actiua parùm resistunt, & minus actiua magis resistunt: & similiter succedit ex influentia cœlesti, vt supra dictum est: ergo signum est tam Cœlos, quàm Elementa, vt nunc sunt, posse in æternum durare cum eodem concursu Dei ordinario, quo nunc durant.

Secundò quoad mixta tam inanimata, quàm animata imperfecta. Hæc generantur ex Elementis per influentias cœlestes: sed patet quòd Elementa possunt durare in æternum, & Cœlum potest ex se præbere easdem influentias: nisi ex dispositione diuina cessaret eius motus: ergo hæc possunt in æternum generari.

Tertiò quoad alia viuentia perfecta. Constat experientiâ tot sæculorum, quòd hæc à principio Mundi continuò propagantur, & nulla species illorum ex toto defecerit, imò sæpe filij ob peculiares Cœlorum influentias, & aliarum causarum naturalium virtutes euadunt robustiores, & proceriores parentibus: ergo poterunt naturaliter hominum species in perpetuum propagari. Maximè quia iuxta communem Theologorum sententiam quælibet species animalium habet præpositum sibi Angelum, quod multùm conducit ad conseruationem, & propagationem illorum: ergo Mundus ex his enumeratis compositus potest durare in æternum cum solo concursu Dei ordinario.

Ad primum ergo dicendum, quòd non omne, quod habet principium, petit ex se habere finem, vt patet in Angelis, &c. vnde neganda est paritas probationis, quia non habere principium ab intrinseco, & non habere finem, sunt necessariò coniuncta; cùm primum non conueniat nisi enti omnino immutabili, quod non potest desinere: sed habere principium, & habere finem, non sunt necessariò coniuncta, cùm illud, quod producitur in tempore, possit esse incorruptibile: nec sequitur propterea Mundum habere virtutem infinitam, nam durare in perpetuum potest prouenire, vel ex defectu contrariarum qualitatum, vt in Angelis, Cœlis &c. vel ex continua successione vnius indiuidui post aliud.

Ad secundum dicendum, quòd licèt Elementa sint contraria, tamen contemperantur per influentias cœlestes, & quod vnum deperdit in vna occasione, reparat in alia, quod non est in mixtis: nam alterantur secundùm se tota, & ideo corrumpuntur.

Ad tertium dicendum, quòd non ita diminuitur virtus humana, vt in dies fiat debilior, nam à tempore Dauid, non videtur fuisse debilitata, plurimi enim attingunt ad septuagesimum & octogesimum annum, qui tunc etiam erat periodus vitæ, vt patet ex illo psalmi 89.

Si amplius in potentatibus octoginta anni: Imò videmus filios sæpe nasci robustiores parentibus ex influxu aliarum causarum. Ratio autem cur in principio Mundi diu viuebant homines, fuit multiplex: scilicet vel optima complexio primorum parentum, qui immediatè à Deo conditi sunt; vel magna peritia Medicinæ & Astrologiæ in illis hominibus per traditionem, quâ sciebant vtilia quærere, & nociua fugere, vel fœcunditas terræ, & benignior astrorum aspectus in principio Mundi; vel tandem peculiaris Dei prouidentia, qui in illo principio diu homines conseruabat, quia pauci erant; vt possent propagare genus humanum, quæ causæ nunc ex parte cessarunt, & ideo non ita diu viuimus; nec statura illa gigantea, & prodigiosa fuit communis in superioribus temporibus, sed tantùm fuit in aliquibus gigantibus ob singulares causas: non tamen quotidie decrescit statura humana, cùm sint corpora sanctorum incorrupta, qui vixerunt multis sæculis ante nos, quæ tamen non sunt maiora nostris.

Articvlvs III.

Vtrùm aliqua creatura permanens potuerit esse ab æterno?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd nulla creatura permanens potuerit esse ab æterno. Ita tenent Albertus magnus in Paraphrasi huius libri cap. 1. D. Bonauentura in 2. d. 1. quæst. 2. Toletus, & alij in præsenti. Probatur authoritate D. Th. opusc. 27. vbi sic ait, *Non ergo est, quod ex non esse deducitur coæternum esse ei, qui sine principio est & semper est.* Item Aug. 8. super genesim ad litteram vbi ait: *Quia omnino immutabilis est illa natura Trinitatis: ob hoc enim ita est æterna, vt ei aliquid coæternum esse non possit.* Item Ambrosius, Basilius, & alij disputantes contra Arrium asserentem Filium Dei esse creaturam, dicunt esse blasphemiam dicere aliquam creaturam esse ab æterno, sicut est Filius Dei: ergo nulla creatura permanens potuit esse ab æterno.

§ 2. Præterea, De ratione creaturæ est, quòd transeat de non esse, ad esse, vt docet Aug. lib. contra Felicianum cap. 7. vbi ait: *Creatura namque est, ex eo quòd adhuc non est, aut aliquando non fuit:* Sed quod est ab æterno, non potest transisse de non esse ad esse, quia nunquam caruit esse: ergo repugnat creaturæ esse ab æterno. Confirmatur. Non potest annihilatio esse ab æterno, quia cùm sit ab esse ad non esse totius rei, præsupponit rem priùs esse: æterno autem nihil est priùs: ergo nec potest esse creatio ab æterno: cùm enim hæc præsupponat rem non esse, est paritas rationis.

§ 3. Præterea, Sequitur si Deus crearet ab æterno aliquam creaturam, quòd illam crearet necessariò, quia dum actu creat, ex necessitate necessariò creat, iuxta illud axioma, omne quod est, dum est, necessarium est esse: nec habuit antecedenter libertatem, quia nulla duratio præcessit: sed est absurdum dicere, quod Deus creat necessariò, hoc enim tollit à Deo libertatem ad extra, quæ est maxima perfectio: ergo non potuit Deus aliquid creare ab æterno. Maximè quia causa debet præcedere effectum: nam debet esse antequam operetur, iuxta illud, operari sequitur esse, effectus verò consequitur actionem, quâ producitur.

§ 4. Præterea ex inconuenienti. Si crearetur Angelus, aut homo ab æterno, posset creari cum gratia: & sic continuò mereri, ac proinde eius meritum esset infinitum, & sic deberetur ei gloria infinita, quod est impossibile: ergo nihil potest creari ab æterno.

Sed contra est expressa authoritas Arist. qui de facto ponit Mundum esse ab æterno. Item D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, Caietanus, Barnes, Nazarius 1. p. q. 46. art. 2. Capreol. in 2. d. 1. q. 2. Soncinas 12. Metaph. q. 31. Ferrar. Soto, nostri Complutenses, Masius hîc: extra scolam D. Th. Durandus, Suares, Ruuius, & plurimi alij.

Conclvsio.

Cùm non implicet, nec ex parte Dei, nec ex parte actionis productiuæ, nec ex parte creaturæ: potest creatura permanens esse ab æterno.

Respondeo dicendum, quòd creatura permanens potuit diuinitus esse ab æterno. Probatur authoritate D. Th. & August. D. Thom. quidem 2. contra gentes cap. 38. & 1. p. quæst. 46. art. 2. ad 1. & in 2. d. 1. quæst. 1. art. 5. docet Mundum potuisse esse ab æterno, licèt de facto fuerit conditus in tempore. Item q. 3. de potentia art. 14. probat ex professo non repugnare nec ex parte Dei, nec ex parte creaturarum esse eas ab æterno, sed tantùm ex suppositione diuini decreti, quo statuit Deus eas producere in tempore. Item opusc. 27. id ipsum docet: ait enim *Sic ergo patet quod in hoc, quod dicitur aliquid factum esse à Deo, & nunquam non fuisse, non est in intellectu aliqua repugnantia, si enim esset aliqua repugnantia, mirum est quomodo August. eam non vidit, quia hæc efficacissima via esset ad improbandam Mundi æternitatem, cum tamen ipse multis rationibus impugnet æternitatem Mundi in 11. & 12. de ciuitate Dei; hanc autem unde omnino prætermittit: quin imò innuere videtur, quod non sit ibi repugnantia intellectuum: mirum est etiam quomodo nobilissimi Philosophi hanc repugnantiam non viderunt*, Et concludit: *Ergo illi qui tam subtiliter eam percipiunt soli sunt homines, & cum eis oritur sapientia. Idem docet August. 12. de ciuitate Dei cap. 31. ostendit enim quomodo effectus possit coexistere suæ causæ ab æterno, hoc exemplo dicens, quòd si pes semper ex æternitate esset in puluere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium ex calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset; quamuis alterum ab altero factum esset.*

Secundò, non repugnat creaturam permanentem produci ab æterno, nec ex parte causæ producentis, cùm Deus ab æterno habeat omnipotentiam, quam nunc habet, nec de ratione causæ est, quòd præcedat duratione suum effectum, nam ex August. si sol esset ab æterno, etiam lux eius effectus esset ab æterno, & si pes esset ab æterno in puluere, etiam & vestigium: & hoc accidit quandò causa semper est perfecta secundùm virtutem operatiuam, semper enim est in actu operandi, nisi adsit aliquod impedimentum, & talis est Deus, qui si ageret necessariò, & non ex consilio voluntatis suæ, ageret ab æterno, sicut etiam si elegisset agere ab æterno: quandò autem operatio est instantanea, effectus simul & in eodem instanti est cum operatione: huius habemus exemplum in diuinis: nam Deus Pater ab æterno producit Filium, & & Pater, ac Filius Spiritum sanctum: & licèt ibi non sit vera causa, nec vera causalitas, tamen est verum principium producens, & vera productio, ita vt Filius non sit à se, sed à Patre productus. Nec repugnat ex parte creaturæ producendæ, vt patebit ex solutione argumentorum in contrarium, non enim per hoc, quòd non haberet durationis principium, communicaretur ei attributum æternitatis, hæc enim solùm conuenit enti omnino immutabili, & secundùm esse, & secundùm operari, quod nunquam haberet creaturæ, licèt produceretur ab æterno, sed solùm haberet quòd posset coëxistere à parte ante infinito tempori, saltem imaginario: sicut nec communicatur Angelo æternitas per hoc, quòd possit à parte post coëxistere infinito tempori. Nec repugnat ex parte productionis creatiuæ, nam produci aliquid ex nihilo tantùm importat, quòd non fiat ex aliquo tanquam ex præsupposito subiecto: sed licèt res aliqua fieret ab æterno, posset fieri independenter ab alio, tanquam à causa materiali suæ effectionis, vt patet. Nec tandem repugnat libertati Dei, quòd ab æterno operetur: nam Deus habuit ab æterno actum liberum producendi creaturas in tempore, & similiter potuit illum habere producendi eas ab æterno: ergo creatura permanens potuit produci ab æterno.

Ad primum ergo dicendum, quòd illæ authoritates S. August. ac similes intelligendæ sunt, vt ait D. Th. de æternitate, prout significat durationem, nec secundùm se totam, nec secundùm aliquid sui, nec actu, nec potentia terminabilem: nam sic est attributum Dei incommunicabile creaturis: non verò de æternitate lato modo sumpta, prout significat durationem actu quidem interminatam, sed tamen terminabilem, & defectibilem, & sic potest communicari

communicari creaturis. Alij verò sancti Patres optimè dicunt esse blasphemiam dicere, quòd aliqua creatura sit ab æterno de facto, cùm hoc repugnet Scripturæ,& per hoc efficaciter impugnant Arrium, qui dicebat Christum Dominum esse creaturam, & tamen fatebatur quòd erat Filius Dei ab æterno.

Ad secundum dicendum, quòd non est necesse creaturam transire de non esse ad esse, ita vt aliquando non fuerit, sed solùm petit, quòd non esse eius præcedat esse, non duratione,sed naturâ,non quòd tes simul sit sub esse, & sub non esse, hoc enim implicat:sed quòd,si ipsa sibi relinqueretur, nihil esset, esse autem habeat ab alio, nam quod est natum inesse alicui, ex se ipso naturaliter prius competit,aut competeret ei,quàm id,quod non est illi natum inesse,nisi ab alio: vnde creatura solùm petit habere principium productionis ex nihilo, non principium durationis: nec locus Aug. est contra nos, vult enim tantùm optimè colligi aliquid esse creaturam, quia aliquando non est, aut aliquando non fuit: quòd si vrgeant quòd August. velit esse de ratione creaturæ, quòd aliquando non fit, esto id velit, debet tamen explicari quoad potentiam, non quoad actum, id est,quòd ex se possit aliquando non esse. Ad confirmationem dicendum quòd annihilatio necessariò est ab esse ad non esse, quia quod prius non est, non potest desinere esse, & ideo non potest esse ab æterno, cùm præsupponat aliquid prius, creatio autem tantùm petit non esse ex præsupposito subiecto,& in hoc est disparitas, quòd hæc nihil præsupponit, sicut illa præsupponit.

Ad tertium dicendum ex D.Thom. opusc. citato satis esse ad libertatem Dei, quòd prius naturâ, quàm agat, possit non agere: licet ex suppositione, quòd agit, non possit in sensu composito non agere, quod necessariò debet admitti ab aduersariis: nam Deus liberè voluit ab æterno productionem Mundi in determinato tempore futuram, & tamen factâ suppositione talis volitionis, non potest in sensu composito non velle illam. Notandum tamen,quòd res, quæ crearetur ab æterno, non mensuraretur æternitate, vt mensurâ propriâ: cùm hæc sit mensura propria solius Dei omnino immutabilis; sed mensuraretur illa mensurâ inferiori iuxta qualitatem sui esse,ita vt, si esset res transmutabilis secundum esse, mensuraretur tempore successiuo, quod tamen non habuisset in sua duratione principium; & æternitate tantùm mensuraretur, vt mensurâ communi. Ad aliud dicendum, quòd talis creatura esset coæterna suo creatori modo explicato,sicut Filius Dei genitus est coæternus Patri generanti, nam generans, aut quæuis alia causa agens instantaneè, si semper habet virtutem agendi completam, non præsupponitur suo effectui prioritate durationis realis, sed tantùm prioritate naturæ, & originis: vnde nullum est assignabile nunc reale durationis, in quo non sit Filius Dei, & non esset talis creatura, quia vt ita loquamur,incipit cùm ipsa æternitate nostro modo concipiendi, licèt reuera non incipiat,& ita solùm præsupponitur prioritate naturæ causa ad effectum, non prioritate durationis.

Ad quartum dicendum 1. quòd solùm probat talem creaturam non posse produci ab æterno: ita vt tunc incipiat mereri, sed non probat quòd non possit absolutè produci. 2. dicendum, quòd illud meritum non esset infinitum intensiuè, sed solùm in duratione, & ita gloria æterna in duratione ei proportionaretur, licèt finita in intensione. 3. dicendum, quòd licèt daretur meritum infinitum intensiuè, non tamen consequeretur gloriam infinitam intensiuè, cùm hæc sit impossibilis in creatura: nec istud est conueniens, cùm Christus infinitè meruerit, & tamen non est consequutus præmium infinitum.4.tandem dicendum, quòd merito cathegorematicè infinito sufficit quòd correspondeat gloria sincathegorematicè infinita, id est, quòd Deus per totam æternitatem communicaret illi maiorem & maiorem gloriam in infinitum, quod est possibile Deo, quamuis non sit connaturale ipsi gloriæ, quæ ex se petit esse tota simul.

Articvlvs IV.

Vtrùm motus & tempus potuerint diuinitus esse ab æterno?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd motus & tempus non potuerint diuinitus esse ab æterno. Ita Durandus in 2.d.1.q.3. Suares 2.tom. Metaph.disp.20. sect.6. Soto, Conimbricenses, Ruuius, & alij in præsenti. Probatur authoritate D. Thom. opusc. 27. vbi concedit non repugnare dari ab æterno aliquam creaturam instantaneè productam, & addit; *Repugnaret autem in causis producentibus suos effectus per motum: quia oportet quod principium motus præcedat finem eius.* Item August. 12. de ciuitate Dei c.15. ait, *Tempus quoniam mutabiliter transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum.* Declaratur ratio D.August. Motus propriè dictus,& tempus essentialiter includunt prius & posterius, ita vt posterior pars non sit, nisi desierit prior: ergo non possunt esse ab æterno: non enim potest intelligi aliquid esse ab æterno: non enim potest intelligi aliquid esse ab æterno, quod consequitur ad corruptionem alterius: imò nec ipsa corruptio potest esse ab æterno,cùm præsupponat esse.Confirmatur. Si tempus fuisset ab æterno, iam transiissent infiniti anni, vt patet: sed implicat pertransiisse, quia anni supponunt menses,menses autem dies,& dies horas:quod autem præsupponit aliud, non potest esse ab æterno. Deinde infinito non potest fieri additio, constat autem,quòd annis præteritis potest fieri additio. Denique infinitum non potest pertransiri, saltem successiuè, est autem manifestum quòd si tempus fuisset ab æterno,iam pertransissent infiniti anni, quia quod est præteritum, est pertransitum.

§ 2. Præterea, Si Sol, verbi gratiâ cum suo motu ab æterno esset creatus, hoc esset in determinato loco, cùm sit corpus determinatum; sed quod est in determinato loco, quiescit: ergo Sol non potuit moueri ab æterno, cùm talis motus præsupponeret quietem,vel simul moneretur, & quiesceret, quod est impossibile. Confirmatur. In hoc casu prima circulatio consumeret infinitum tempus, quia supponitur esse ab æterno, quod tamen dicere est absurdum, cùm pertranseat spatium finitum.

§ 3. Præterea, Motus localis est posterior mobili: nam mobile cùm sit substantia permanens,incipit intrinsecè in aliquo instanti,in quo tamen non potest incipere motus, motus enim incipit indispensabiliter in tempore: sed quod præsupponit aliud non potest esse ab æterno. Confirmatur.Si tempus fuisset ab æterno,iam transiissent anni infiniti:sed quolibet anno potuit Deus creare vnum Angelum, vt patet: ergo essent nunc infiniti Angeli, quod implicat.

§ 4. Præterea, Probatur specialiter de motu augmentationis & alterationis. Si ab æterno esset possibilis augmentatio aut alteratio, esset concedendum quòd potuit produci infinita quantitas, aut qualitas: nam sicut augmentatio, & alteratio essent infinitæ, sic termini per ipsas producti: sed non potest dari infinitum secundùm magnitudinem, nec secundùm intensionem. Nec potest dici, quòd non esset vnica augmentatio & alteratio, sed plures successiuè in infinitum; & quòd ad desitionem ipsarum etiam desinerent termini. Nam contra, vel desinerent infiniti termini, vel finiti; si primum: ergo extiterunt infiniti termini actu; si secundum: ergo remanent infiniti termini actu: quia si ab infinito tollatur finitum, id quod remanet est infinitum; alioquin antea non esset infinitum, nam constaret ex partibus finitis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur Caietanus 1. p. q. 46. art. 2. Nazarius ibidem asserens omnes Thomistas idem sentire debere: extra scholam D.Thom. sequuntur Vasques 1.p. loco citato, & plures alij; quam vt probabilem defendit Scotus in 2. d. 1. q. 3.

Conclvsio.

Cùm nulla appareat in contrarium contradictio, vt patebit ex solutione obiectionum, motus & tempus potuerunt diuinitus esse ab æterno.

Respondeo dicendum, quòd non implicat motum

localem, ſiue rectum, ſiue circularem, & tempus eſſe ab æterno. 2. ſicut nec motum augmentationis & alterationis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, non eſſe intentum dicere, quòd in omnibus ſpeciebus motûs, poſſit vnus & idem per ſe vnus & continuus eſſe ab æterno, ſed quòd in omnibus illis poteſt dari ab æterno motus, qui ſit ſaltem per aggregationem vnus, ſcilicet quòd tot poſſunt alterationes multiplicari, vt ante quamlibet fuerit alia & alia in infinitum, & conſequenter illa collectio omnium alterationum ſit ſucceſſiuè ab æterno, motus verò circularis per ſe vnus, & continuus potuit eſſe ab æterno, imò motus rectus inter duos terminos per continuam reflexionem continuus potuit etiam eſſe ab æterno.

Probatur concluſio quoad vtramque partem authoritate D. Thom. opuſc. 27. de æternitate Mundi probat creationem Mundi fuiſſe poſſibilem ab æterno quoad omnes eius ſpecies, & earum mutationes, vnâ tantùm ſpecie humanâ exceptâ. De motu circulari expreſsè docet q. 3. de potentia art. 17. vbi ſic ait: *Dicendum quòd illa ratio non probat, quòd motus ſemper fuerit, ſed quòd motus circularis poſſit eſſe ſemper*, Et art. 14. ad 9. dicit, quòd ſi tempus eſſet ab æterno, maneret tamen in eo ſucceſſio, per quam diſtinguerettur ab æternitate, licèt tunc non diſtingueretur ab illa, per hoc quòd eſſet actu carere principio.

Secundò non implicat contradictionem motum & tempus eſſe ab æterno ex parte Dei creantis, cùm ab æterno ſit æquè omnipotens, ac nunc eſt. Nec ex parte actionis eius, cû enim ſit creatio, fit ſiue dilatione, & mora. Nec ex parte ipſius motûs, & temporis, vt oſtendetur ex ſolutione argumentorum in contrarium: ergo motus & tempus potuerunt diuinitus eſſe ab æterno.

Probatur ſpecialiter prima pars concluſionis. Non repugnat Cœlum eſſe ab æterno, vt dictum eſt articulo præcedenti: ergo nec motum eius: nam Cœlum ab æterno productum, vel moueretur ab æterno, & ſic haberetur intentum; vel quieſceret quiete priuatiuâ; cùm enim ſit connaturale Cœlu ſemper moueri, ita vt motus ei ob figuram ſphæricam debeatur velut proprietas, vt communiter docent Philoſophi, ſi non mouetur, quieſeit quiete priuatiuâ: ergo tunc poſſet moueri, quia poteſt eſſe motus pro ea duratione, in qua eſt quies priuatiua, propterea dicitur priuatiua, & non purè negatiua. Confirmatur. Cum fundamento in re concipimus tempus imaginarium ſine principio fluxiſſe, & ſine fine fluxurum: ergo ſicut tempus verum poteſt correſpondere limitatè in ſua inceptione huic tempori imaginario, & ſimiliter non repugnat toti ipſius latitudini à parte poſt, ita potuit correſpondere toti eius latitudini à parte ante; nam fluxum temporis veri poſſumus concipere cum fundamento in re ad modum temporis imaginarij, & econtra: nec tamen inde ſequitur motum, aut tempus, ſi eſſent ab æterno, eſſe infinita actu ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, & in potentia, quia non ſunt ſecundùm ſe tota ſimul in actu, ſed habent admixtam potentialitatem.

Secundò, non implicat dari ab æterno motum circularem, imò dari de facto tenuit Ariſtoteles, potuit enim Cœlum creari cum motu, ita vt in nunc æternitatis ſit verum dicere, nunc primò eſt, & mouetur Cœlum: & licèt Cœlum ipſum, ac eius motus petant diuerſas inceptiones ſibi proprias, hic diuiſibilem, illud Indiuiſibilem; tamen nunc æternitatis, cùm ſit menſura ſuperioris ordinis, vtriuſque inceptionem poteſt menſurare, nam eminenter vtramque menſuram diuiſibilem & indiuiſibilem continet. Deinde quia in motu circulari non eſt principium nec finis, ſicut nec in corpore circulari, quod mouetur, nec in linea circulari, ſupra quam fit motus, eſt accipere principium & finem, niſi fortè per deſignationem: ergo nec repugnat dari ab æterno alios motus locales; quia ſicut in linea circulari poteſt idem corpus deuolui in infinitum, ſic in linea recta, non quidem per vnum & eumdem motum, ſed per diuerſos, quatenus vnus motus inde incipit, vbi alius deſinit: & illic reflectitur, vnde alius incipit: & ſic in infinitum à parte ante.

Ad primum ergo dicendum quantùm ad authoritatem D. Th. quod non dicit motum non poſſe eſſe ab æterno, ſed loquitur de creatura producta per motum, & ita reſpondebitur articulo ſequenti. Ad illud Aug. dicendum cum D. Th. quòd intelligendus eſt, vt ipſa verba ſonant, tempus non eſſe coæternum æternitati, quia hæc eſt tota ſimul, tempus verò admittit ſucceſſionem, & variationem: vnde loquitur de coæterno ſtrictè & non latè ſumpto, nam latè ſumptum excludit ſolummodo principium durationis. Vnde ad rationem dicendum, quòd licèt motus & tempus eſſent ab æterno, non tamen eſſent ſecundùm ſe tota, ſed ſucceſſiuè fluerent ſicut nunc, & periret vna pars, & adueniret alia, ita tamen vt nunquam poſſet perueniri vſque ad primam à parte ante, ſed datâ quacumque, iam alia & alia in infinitum fluxiſſet: ſicut ſi eſſet infinitum à parte poſt, nunquam eſſet perueniendum ad vltimam, ſed datâ quacumque, alia eſſet futura poſterior, & alia in infinitum: & ſicut non eſſet aſſignabilis prima pars, ita nec corruptio primæ partis: vnde licèt corruptio, ſiue annihilatio alicuius determinati non poſſit eſſe ab æterno, quia conſequitur ad aliquod determinatum, tamen in indeterminatis non repugnat, vnde ab æterno fluerent, & corrumperentur partes temporis & motûs: & licèt ad quamlibet corruptionem determinatam præcedat duratione generatio determinata, tamen ad omnes corruptiones ſimul ſumptas, non præcederet prioritate temporis aliqua generatio determinata, quia ante quamcumque determinatam præceſſerunt aliæ & aliæ generationes & corruptiones vſque in infinitum, quia non valet argumentari à diuiſis ad coniuncta: quod declaratur tum in tempore imaginario, quod concipimus ab æterno cum his generationibus & corruptionibus ſucceſſiuis vſque in infinitum, tum etiam in tempore vero, ſi eſſet duraturum vſque in æternum, quia corruptio partis eſt poſterior generatione eius, & tamen non valet inde inferre, quòd generationes partium temporis non eſſent in æternum futuræ. Ad confirmationem dicendum, quòd in illo caſu eſſent infiniti anni, infiniti menſes, infiniti dies &c. licèt autem determinatè loquendo, hæc hora ſit prior hac die, hæc dies prior hoc menſe, & hic menſis prior hoc anno, tamen quia in hoc caſu non ſunt determinati anni, nec menſes, nec dies, ideo ante quemcumque annum eſt aſſignabilis alius & alius in infinitum, & ſic de menſibus, ac diebus: & ita eſt fallacia à diuiſis ad coniuncta. Ad aliud dicendum, quòd infinito poteſt fieri additio materialis, vt ſupra dictum eſt. Deinde tempus, aut anni non eſſent infiniti à parte poſt, ſed tantùm à parte ante: non autem repugnat fieri additionem infinito ex ea parte, quâ finitum eſt, ex D. Th. 2. contra gentes cap. 38. Ad aliud dicendum cum D. Th. ibidem ad 4. quòd tempus præteritum in illo caſu eſſet ex parte anteriori infinitum, & ex poſteriori finitum, tempus autem futurum econtrario: vnicuique autem, ex qua parte eſt finitum, poteſt poni terminus & principium, vel finis, non verò ex qua parte eſt infinitum: vnde non mirum, quòd ſi tempus ſolùm habeat eſſe ab æterno, poſſit dari illius finis à parte poſt, ac proinde, & præterito, & quòd ab hoc inſtanti vſque in æternum non poſſit deueniri ad finem, quia proceditur ab ea parte, à qua tempus habet finem, ad eam ſecundùm quam non habet finem: & ſimiliter ſi tempus futurum ſit infinitum, non poterit ab hoc inſtanti vſque in æternum à parte poſt deueniri, ſeu præteriti, aliàs ex illa parte tempus illud non eſſet infinitum.

Ad ſecundum dicendum cum D. Th. 4 Phyſic. & opuſc. 3. quòd ſicut motui repugnat prima pars proportionalis, ſic mobili inquantum huiuſmodi: vnde Soli ab æterno vnà cum motu creato non deberetur primus locus determinatus, ſed ante quemcumque eſſet aſſignabilis alius prior, quamuis poſſit eidem ſoli aſſignari determinatus locus ſecundùm ſubſtantiam, ſuper quem continuò reuoluatur. Ad confirmationem dicendum in caſu ſupponi falſum, quòd ſcilicet eſſet determinata prima circulatio, ſed ante quamcumque eſſet dabilis alia in infinitum, tamen quæcumque circulatio, etiam prima indeterminata, finito tempore fuiſſet perfecta.

Ad tertium patet ex ſolutione ad primum. Ad confirmationem

firmationem dicendum in hoc casu potuisse Deum creare, non solùm vnum Angelum, sed plurimos quolibet anno: pertinuisset tamen ad eius prouidentiam, vel illos non creare, vel ereatos annihilare ad tollendum hoc inconueniens, & impossibile, scilicet quòd non detur infinita multitudo actu: hoc argumentum æquè instat & vrget in tempore imaginario, vnde ab omnibus, qui negant posse dari infinitam multitudinem actu, eodem modo soluendum est.

Au quartum dicendum, qnòd non potuisset esse ab æterno vna augmentatio, aut altetatio continua, vt ptobat argumentum: nam aliàs esset concedenda quantitas, vel qualitas infinita, cùm ad vnitatem motûs requitatur vnitas termini: sed dicitur quòd ante quamcumque præcessisset alia vsque in infinitum, & sic fuissent prætetitæ infinitæ quantitates, aut qualitates successiuè, vnde nunquam simul extitissent, sicut dicitur de partibus motûs, & hoc ideo, quia naturâ suâ sunt corruptibiles: dari autem infinitam multitudinem hoc modo, cùm sit tantùm in potentia, & non actu, non est impossibile.

Articvlvs V.

Vtrùm generationes & corruptiones substantiales huius Vniuersi potuerint diuinitus esse ab æterno?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtor quòd generationes, & corruptiones substantiales huius Vniuersi non potuerint diuinitus esse ab æterno. Ita tenent omnes illi, qui negant motum & tempus potuisse esse ab æterno. Probatur. Si generationes, v. g. in specie leonis, essent ab æterno, multitudo illarum simul esset finita & infinita; finita qoidem, nam clauderetur inter duos terminos, scilicet inter hunc leonem nunc vltimò productum, & leonem, ac leænam immediatè à Deo ereatos; siue inter generationem primam, quâ primus ille leo genuit secundum, & generationem, quâ genitus est bic vltimos: infinita verò, quia alioquin non posset consumere illam infinitam durationem, quæ est ab æterno vsque ad hoc instans: sed implicat aliquid simul esse finitum & infinitum, vt patet, cùm opponantur contradictoriè: ergo generationes & cotruptiones substantiales huius Vniuersi non potuerunt diuinitus esse ab æterno.

§ 2. Præterea, Quod necessariò præsupponit aliud, non potest esse ab æterno, quia illud aliud esset prius, æterno antem nihil est prius: sed generationes necessariò præsupponunt alterationes, connaturaliter loquendo, cùm sint termini earum secundarij: ergo generationes non possint esse ab æterno, & multò minus corruptiones, quæ subsequuntur generationes, & propterea D.Thom. vt dictum, est art. præcedenti dicit implicare, quòd Mundus sit ab æterno: si fiat per motum, qui in fine sui esse producit: & ratio eius est, quia oppotet principium præcedere finem. Confirmatur. D.Thom.1.p.q.7.art.3. in argumento sed contra, probat non posse dari corpus infinitum, quia de ratione corporis est, quòd terminetur superficie: ergo cùm de ratione generationis sit terminari alterationem à parte ante, non poterit esse ab æterno.

§ 3. Præterea, In causis efficientibus non potest dari processus in infinitum, vt sæpe docet Aristoteles; aliàs ruerent omnes demonstrationes, quibus ex motu, causis mouentibus, & mobilibus colligit dari primum motorem: sed si generationes essent ab eterno præcessissent infiniti leones generantes: vt patet, & ita esset processus in infinitum in causis efficientibus: ergo generationes non possimt esse ab æterno.

Sed contra est expressa authoritas Arist. qui hoc non solùm de possibili, sed de facto admittit in hoc libro. Item D. Thom. locis articulo præcedenti citatis, quos communiter sequuntur Thomistæ, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm alterationes ab æterno sint possibiles diuinitus, etiam generationes & corruptiones substantiales potuerunt diuinitus esse ab æterno.

Respondeo dicendum, quòd generationes & corruptiones substantiales huius vniuersi potuerunt diuinitus esse ab æterno 2. humanâ solummodo exceptâ per continuam successionem.

Probatur prima pars conclosionis. Potoerunt diuinitus esse ab æterno alterationes, vt dictum est articulo præcedenti: ergo etiam generationes & corruptiones substantiales; nam quælibet alteratio potest sufficienter disponere materiam ad introductionem vnius formæ, & expulsionem altérius: sicut si concederetur alterationes posse durare in æternum à parte post, deberet etiam concedi generationihus & corruptionibus substantialibus.

Probarur secunda pars conclusionis expressâ authoritate D.Th. opusc. 27. Deinde si ab æterno esset humana generatio, ita vt iam præcessissent infinitæ in indiuiduo generationes, & infiniti fuissent homines geniti, daretur infinita actu multitudo animatum rationalium, cùm sint spirituales, ac per se subsistentes, ac proinde ex natura sua incorruptibiles: sed implicat dari infinitum actu secundùm multitudinem, vt supra dictum est: ergo generatio humana non potuit esse ab æterno per continuam successionem: vnde si homo fuisset creatus ab æterno, licèt habuisset ex tunc potentiam ad generandum pro tunc, tamen pertinuisset ad diuinam prouidentiam impedire tunc talem generationem, vel interrumpere continuam successionem generationum, ne daretur hoc impossibile, scilicet infinitum actu in multitudine.

Ad primum ergo dicendum, quòd illæ generationes leonum processissent à parte ante infinitæ, quia non esset assignabilis leo primò genitus ab illis immediatè creatis à Deo quin esset primò assignabilis alius, & alius prior in infinitum, & similiter de generationibus: vnde licèt primus leo à Deo productus, & leæna præcederent duratione quamlibet generationem ex illis determinatam, non tamen omnem collectionem illarum, vnde solùm essent primi prioritate negatinâ, quia nullus alius leo eos præcessisset, & ideo essent tantùm terminus extrinsecus totius multitudinis generationum, & reliquorum leonum, quia essent extra illam multitudinem genitam, & ita manerent quodammodo extra sortem infinitatis, & eam nullo modo tollerent, & licèt hic leo, & leæna immediatè generarent alium, non tamen esset assignábilis alius immediatè genitus determinatè, quin alij & alij in infinitum essent prius geniti.

Ad secundum dicendum, quòd tantùm probat quamlibet generationem & corruptionem determinatam mediâ alteratione, & in fine illius factam, non posse esse ab æterno, non tamen ante quamlibet non posse dari aliam, & aliam in infinitum, ita vt tota illa collectio posset consumete infinitam illam durationem, quæ esset ab hoc instanti vsque in æternum à parte ante: sicut quamuis determinatam alterationem consequatur generatio & corruptio, tamen conceditur communiter posse alterationes durare in æternum à parte post: & iuxta hæc intelligendus est D. Thom. scilicet quòd non potuit hic mundus cum bis, & his determinatis indiuiduis produci ab æterno per motum, quia quod est determinatum, præsupponens prius aliud determinatum, non potest esse ab æterno, & similiter dicendum ad confirmationem, cùm enim illud corpus esset actu qnid determinatum, deberet terminari soperficie determinatâ.

Ad tertium dicendum, quòd maior est vera in causis efficientibus per se subordinatis, quia omnes illæ simul actu influunt, & ita si essent infinitæ huismodi causæ, infinita illarum multitudo esset actu in tempore; deinde qnia ordinatè influunt, id est, proxima & immediata agit in virtute secundæ ascendendo, & hæc in vitiute tertiæ, & quia infinitum est imperttansibile, ideo virtus causæ primæ non pertingeret ad vltimam, sine qua tamen, nec mediæ, nec vltima possunt agere. Est autem falsa in causis per accidens subordinatis, cùm in illis cessent hæ rationes: demonstrationes autem Aristotelis innituntur in impossibilitate procesśus in infinitum in causis per se subordinatis, constat autem quòd est per accidens respecto huius leonis vltimò producti, quòd præcessefint alij infiniti, licèt sit per se, quòd procedat ab hoc

determinato leone, & ita ſi hic datur, non minùs bene procederet ab eo, quàm ſi nullus alius præceſſiſſet.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ex motu deueniatur in cognitionem primi motoris?

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd ex motu non deueniatur in cognitionem primi motoris. Probatur. Requiritur ſimilitudo inter aliqua ad hoc, vt ex vno deueniatur in cognitionem alterius: ſed nulla eſt ſimilitudo inter motum & primum motorem, cùm debeat eſſe omnino immobilis, vt communiter docent Philoſophi: ergo ex motu non deuenitur in cognitionem primi motoris.

¶ 2. Præterea, Si ex motu haberetur aliqua cognitio primi motoris, maximè quantùm ad eius exiſtentiam, cùm enim omne, quod mouetur, ab alio moueatur, & non ſit procedendum in infinitum, ſequitur dari vnum primum motorem: ſed eſt falſum quòd omne, quod mouetur, ab alio moueatur: viuentia enim mouent ſe ipſa: ergo ex motu non deuenitur in cognitionem primi motoris.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. hic, & alibi ſæpe, quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi & Theologi.

CONCLVSIO.

Cùm omne, quòd mouetur, ab alio mouatur, rectè ex motu colligitur eſſe vnicum primum motorem, æternum, ſimpliciſſimum, infinitè perfectum, habentem infinitam virtutem agendi, qui ſit vbique, ſitque intelligens & volens.

RESPONDEO dicendum, quòd ex motu optimè colligitur eſſe vnicum primum motorem, omnino immobilem, 2. qui ſit ab æterno ſemper, & neceſſariò, 3. infinitè perfectus, & habens infinitam virtutem agendi. 4. vbique exiſtens. 5. intelligens, & volens.

Probatur prima concluſionis ratione Ariſtotelis, & D. Thom. Omne quod mouetur, ab alio mouetur, vt ſupra probatum eſt: ſed in cauſis mouentibus, & mobilibus per ſe ſubordinatis non poteſt procedi in infinitum, vt patet etiam ex dictis: ergo deueniendum eſt ad vnicum primum motorem, qui ita alia moueat, vt ſit omnino immobilis; non enim poteſt moueri ab alio, cùm ſit primus motor, nec à ſe, cùm nihil poſſit ſeipſum primò mouere, aliàs eſſet ſimul in actu, & in potentia: maximè cùm repugnet primo enti habere partes, quarum vna ſit mouens, alia verò mota: deinde omnis motus procedit ab aliquo immobili ſecundùm talem ſpeciem motûs, ſicut omnes alterationes & generationes procedunt à Cœlis, quaſi à prima radice, qui tamen ſunt inalterabiles & ingenerabiles, ſicut & incorruptibiles: & ita omnes motus abſolutè procedunt ab aliquo primo motore omnino immobili ſecundùm omnes ſpecies motûs. Quòd autem debeat eſſe vnicus probatur. Si eſſent duo, eſſent duæ cauſæ eiuſdem ordinis, vt patet: & ſic omnia mobilia per ſe penderent ab vtraque: omnia enim mobilia debent per ſe pendere à primo motore; & non penderent per ſe, quia ſine quocumque ex illis poſſent moueri. Deinde quia ſaltem numericè diſtinguerentur, & ſic cuilibet deeſſet illa perfectio indiuidualis, per quam diſtinguerentur, quod repugnat primo motori, qui debet eſſe infinitæ perfectionis, & ita nulla poteſt ei perfectio deeſſe

Probatur ſecunda pars concluſionis. Primus motor non poteſt non eſſe, quia ſi aliquando non fuiſſet, fuiſſet in potentia ad eſſe, & ſic debuiſſet reduci in actum per aliud, cùm nihil poſſit ſibi dare eſſe, aliàs eſſet inquantum daret eſſe, & ageret; & ſimul non eſſet, quia ſupponitur quòd de nouo recipiat eſſe: implicat autem aliquid ſimul eſſe, & non eſſe: ergo primus motor eſt ab æterno, & neceſſariò, & perſeuerat ſemper in eſſe, cùm ſit omnino immobilis, immobilitas autem eſt cauſa æternitatis: vel fatendum erit, ſi habet eſſe ab alio contingenter, quòd non ſit primus motor, & prima cauſa, ſed illa alia à qua habet eſſe. Ex quo ſequitur quòd primus motor debet carere omni compoſitione, ita vt omnes eius perfectiones ſint ſecundùm rem vna, & ſimpliciſſima perfectio, quia in omni compoſitione ſunt partes componentes, componentia autem ſunt naturaliter priora compoſito, primus autem motor debet eſſe primum ens. Deinde in compoſitione eſt actus & potentia, quod autem eſt in potentia, poteſt moueri in actum, dictum eſt autem quòd primus motor debet eſſe omnino immobilis.

Probatur tertia pars concluſionis. Primus motor eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, cùm eius eſſentia ſit eſſe: ergo continet omnem perfectionem eſſendi, cùm eſſe irreceptum ſit illimitatum, & ita infinitum. Denique ſi eſt primus motor debet continere omnem perfectionem, ad quam poteſt mouere, nemo enim dat quod non habet: ſed datâ quacumque perfectione poteſt mouere ad aliam & aliam maiorem in infinitum: ergo habet actu infinitam perfectionem, nam ſi detur aliquid totum actu adæquans actu aliquid infinitum in potentia ſecundùm gradus determinatos, eſt actu infinitum. Ex quo ſequitur quòd habet infinitam virtutem agendi, nam virtus agendi conſequitur eſſentiam rei, & ei proportionatur: ergo cùm primus motor habeat eſſentiam infinitè perfectam, etiam habet virtutem agendi infinitam. Deinde agere conſequitur actualitatem, ſicut pati potentialitatem: ſed primus motor eſt ſummè actu, cùm ſit actus puriſſimus: ergo habet ſummam & infinitam virtutem agendi.

Probatur quarta pars concluſionis. Mouens & motum, ſiue motor & mobile debent eſſe ſimul, & maximè ſi moueat immediatè immediatione ſuppoſiti, qualiter debet mouere primus motor, cùm immediatè communicet eſſe omnibus per creationem, & continuam conſeruationem: ſed omnia mouentur à primo motore: ergo eſt in omnibus, & vbique exiſtit.

Probatur quinta pars concluſionis. Primus motor debet omnia mouere in ſuos fines per media proportionata, vt patet: ſed hoc non poteſt fieri niſi præintelligat, & velit tales fines, & media. Deinde cùm ſit infinitè perfectus non debet carere tantâ perfectione. Denique purus actus excludit omnem materiam: ſed immaterialitas eſt cauſa intellectionis, ad quam conſequitur volitio, maximè ſi ſit omnimoda immaterialitas; experientiâ enim conſtat quòd res, quò magis recedunt à materia, eò ſunt magis aptæ, vt intelligant, & intelligantur: imò ſequitur quòd primus motor ſit ſua intellectio, & volitio, & nulla in eo innouatio, aut ſucceſſio in intelligendo, & volendo: nam aliàs per receptionem intellectionis, & volitionis de nouo mutaretur: primus autem motor eſt omnino immobilis. Cognoſcit autem ſe per ſuam eſſentiam, & etiam alia: ſe quidem tanquam primarium obiectum ſuæ cognitionis, nam eſſentia primò & per ſe, ſe ipſam repræſentat, creaturæ autem ſunt obiectum ſecundarium repræſentatæ in illa eſſentia, quæ vt cauſa exemplaris continet ſaltem eminenter perfectiones omnium illarum: amat etiam ſeipſum neceſſariò, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, tanquam obiectum ſuum formale adæquatum, cùm ſit ſummum bonum, alia autem, cùm ſint bona limitata, nec connexa neceſſariò cùm ſummo bono, nam ſine illis æquè bene poteſt eſſe, amat liberè.

AD primum ergo dicendum, quòd eſt aliqua ſimilitudo analoga inter cauſam, & effectum quemcumque: & ita ex illo ſaltem arguitiuè deuenimus in cognitionem cauſæ, quòd ſit, & aliquo modo etiam quid ſit.

AD ſecundum dicendum, quòd omne quod mouetur, ab alio mouetur, vt ſupra probatum eſt, & etiam viuentia, quæ quantùm ad primum motum, qui in ipſis reperitur, ſcilicet cordis, dependent ab alio, qui motus eſt cauſa omnium aliorum motuum, ad quos ab intrinſeco ſe mouent, ſed iam conſtituta in actum per primum illum motum, & per hoc diſtinguuntur à non viuentibus, quæ ad omnes motus mouentur ſolùm ab extrinſeco. Hæc ſupra dicta, & plura alia cognoſcimus per motum de primo motore: quę hîc leuiter attigimus exactum illorum examen pro Theologia reſeruantes, & vtinam ad illum perueniamus, cùm ſit noſtra felicitas, quies, ac perenne gaudium.

SECVNDA



SECVNDA SECVNDÆ SVMMÆ PHILOSOPHICÆ, SIVE PHYSICA IN PARTICVLARI.

PROLOGVS.



POSTQVAM Philosophus in libris de Physico auditu egit de ente mobili in communi, de eius inceptione, & desitione, de motu in communi primo eius proprietate, ac aliis ad ipsum attinentibus, in reliquis Physicæ partibus descendit ad particularia entia mobilia, & ad particulares motus.

Tractatus de Cælo & Mundo, continet quatuor libros, in duobus prioribus agit de Mundo, eiúsque partibus, Cælo videlicet & Elementis, & specialiter de Cælo, eiúsque motu, in duobus sequentibus agit de situ & motu Elementorum.

Tractatus de Generatione & Corruptione continet duos libros, in quorum primo disputat de omnibus motibus, siue mutationibus ad formam intrinsecam, vt de Generatione, Corruptione, Alteratione, Nutritione, Aggeneratione, Augmentatione, Diminutione, Rarefactione, Condensatione, Mixtione, &c. In secundo agit de Elementis, ac eorum generatione & corruptione.

Tractatus de Meteoris continet quatuor libros: in quibus agit in particulari de entibus mobilibus ad formam intrinsecam, incipiendo ab imperfectioribus.

Tractatus de Anima continet tres libros, in primo impugnat Philosophus antiquorum opiniones circa animam. In secundo tradit definitiones animæ, dicit tres esse animas, Vegetatiuam, Sensitiuam & Rationalem, agit de Potentiis animæ in communi, & in particulari de potentiis vegetatiuis, & sensitiuis externis, ac earum obiectis. In tertio tandem agit de Sensibus internis, de Intellectu agente, & passibili, de Voluntate, de Potentia loco motiua & progressiua, ac aliis.

QVÆSTIO I.

De Obiectis harum partium Physicæ.



VT euidentiùs appareat ordo & connexio horum tractatuum Physicæ cum præcedenti, inquirendum est quomodo eorum obiecta contineantur sub obiecto totali Physicæ: quia verò non est peculiaris difficultas de obiecto librorum de Meteoris, facilè enim ex dicendis circa alia colligitur, ideo in præsenti quæruntur tria.

§ Primò, Vtrùm ens mobile secundùm locum sit obiectum librorum de Cœlo, & mundo?

§ Secundò, Vtrùm obiectum librorum de Generatione, sit ens mobile ad formam intrinsecam?

§ Tertiò, Quodnam sit obiectum librorum de Anima?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ens mobile secundùm locum sit obiectum librorum de cælo, & Mundo?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd Cœlum secundùm se sit obiectum horum librorum. Ita tenent Iamblicus, & alij. Probatur. Quia apud Græcos inscribuntur libri de Cælo, & de ipso per se hîc solùm agitur, de aliis verò per accidens, vt subordinatis illi: ergo Cœlum secundùm se est obiectum horum librorum.

§ 2. Econtra, Videtur quòd corpus simplex sit obiectum horum librorum. Ita simplicius, & alij. Probatur. Tam corpora simplicia, quàm mixta pertinent ad considerationem Physicam: ergo cùm Aristoteles in sequentibus libris agat de mixtis, in his debet agere de simplicibus, maximé quia nulla fit hîc mentio, nisi de corporibus simplicibus, videlicet Cœlo & Elementis.

§ 3. Econtra, Videtur quòd Mundus, siue vniuersum sit obiectum horum librorum. Ita Ruuius, & alij. Probatur. Tum ex inscriptione, tum quia si hîc agitur de Cœlo & Elementis, agitur de illis, vt sunt partes vniuersi; tum quia Aristoteles in principio operis promittit se acturum de Mundo, & de facto agit de eius proprietatibus, an sit vnus, an finitus, an perfectus, an ingenerabilis; tum denique quia libro. 1. cap. 2. dicit se acturum de corporibus simplicibus, inquantum sunt partes vniuersi.

SED CONTRA est authoritas D. Th. quem sequuntur nostri Complutenses, Conimbricenses, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm obiectum partis debeat contineri sub obiecto totius, & obiectum Physicæ sit ens mobile, obiectum horum librorum est corpus simplex mobile secundùm locum.

RESPONDEO dicendum, quòd obiectum adæquatum & formale horum librorum est corpus simplex mobile secundùm situm, siue secundùm locum, vt. siue ipsum vniuersum, vt mobile secundùm omnes suas partes tali motu.

Probatur conclusio authoritate D. Th. in proœmio huius operis, vbi sic ait: *Nam primò determinantur communia*

munia naturæ in libro Physicor. in quo agitur de corpore mobili, inquantum est mobile, unde restat in aliis libris scientiæ naturalis, huiusmodi communia applicare ad propria subiecta: Et in fine ait, *Rationabilius dicendum, quod subiectum huius libri sit ipsum vniuersum, quod dicitur Cœlum, vel Mundus; & quod de simplicibus corporibus determinatur secundum quod sunt partes vniuersi constitutiua secundum ordinem situs: & hoc consonat ei, quod consueuit apud Latinos dici, quod in hoc libro agitur de corpore mobili secundum situm, siue secundum locum, qui quidem motus communis est omnibus partibus vniuersi*.

Secundò, probatur duplici ratione D. Thom. ibidem adducta. Obiectum partis debet contineri directè sub obiecto totius quantum est possibile: ergo cùm obiectum Physicæ sit ens mobile, obiectum huius partis erunt corpora simplicia, vt mobilia secundùm locum, vel ad proprium situm, secundùm quem situ ordinem, habent constituere vniuersum: mixta enim non ratione sui, sed ratione Elementi prædominantis habent situm in vniuerso. Deinde in his libris non agitur de corporibus simplicibus secundum alias qualitates, sed præcisè secundum grauitatem & leuitatem, quæ sunt principia motus, & ex quibus determinatur eis situs in vniuerso: ergo agitur de illis, vt sunt mobilia secundum locum.

AD primum ergo dicendum, quòd Cœlum aliquando sumitur pro toto vniuerso ex D. Th. vel quod inscriptio aliquando sumitur ab obiecto tantùm principaliori, quale est Cœlum in his libris.

AD secundum dicendum, quòd corpora simplicia sunt quidem obiectum horum librorum, non absolutè, sed vt mobilia secundùm locum, & situm, vt dictum est.

AD tertium dicendum, quòd vniuersum, vt mobile secundùm omnes suas partes, est obiectum horum librorum, & ita ab illo inscribuntur, & sub hac consideratione promisit Aristoteles se acturum, eiúsque explicat proprietates, & tandem promittit se acturum de corporibus simplicibus, inquantum sunt partes vniuersi: quia ex hoc ipso quòd sunt partes vniuersi, debetur eis situs in vniuerso, vnde sunt mobilia secundùm situm, & locum, vt se in illum restituant, si abstrahantur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm obiectum librorum de generatione, sit ens mobile ad formam intrinsecam?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd obiectum adæquatum horum librorum, non sit ens mobile ad formam intrinsecam, sed generatio & corruptio substantialis. Ita tenuerunt Boëtius, & alij antiqui; quam sententiam vt probabilem tradit Bañez in præsenti. Probatur. Inscriptio alicuius operis debet sumi ab obiecto eius adæquato, nam inscriptio operis est quasi index ipsius, dans notitiam eorum, quæ in opere pertractantur: sed hi libri inscribuntur de generatione & corruptione, vel de ortu & interitu, quod idem est: ergo obiectum adæquatum horum librorum est generatio & corruptio substantialis.

§ 2. Præterea, Illud est obiectum adæquatum alicuius, quod ab eo respicitur ratione sui, alia verò, ratione ipsius, vt constat ex communi doctrina Philosophorum: sed ex D. Thom. in procemio Physicorum, & horum librorum, agitur in his libris primò, per se, ac ratione sui de generatione & corruptione substantiali, de aliis verò ratione ipsarum; ait enim D. Thom. loco citato, *Inter quos primatum obtinet generatio, & corruptio: alteratio enim ordinatur ad generationem, sicut ad finem; augmentum etiam consequenter se habet ad generationem: & ideo necessarium est, vt quia hi motus consequenter se habent ad generationem, simul cum eis de generatione & corruptione tractetur*: Quod adhuc magis explicatur. Nam alteratio est præuia, & per se ordinata ad generationem & corruptionem substantialem, augmentatio consequitur ad generationem, nutritio est quædam partialis generatio: & ita hi motus ordinantur ad generationem. Deinde agitur de Elementis, prout sunt principia & causæ generationis & corruptionis. Item agitur de mixtione ipsorum, & aliis, quæ omnia constat hic pertractari per ordinem ad generationem & corruptionem substantialem: ergo generatio & corruptio substantialis sunt obiectum adæquatum horum librorum.

§ 3. Econtra, Videtur quòd obiectum adæquatum horum librorum sit materia prima, vt est mobilis motu generationis substantialis. Ita tenent aliqui recentiores. Probatur. Obiectum horum librorum debet esse ens mobile motu generationis substantialis, cùm iste tractatus sit pars subiectiua totius Physicæ, quæ agit de ente mobili in communi, & sic iste tractatus debet agere de ente mobili aliquo motu particulari, qui sine dubio est generationis: sed sola materia prima est ens mobile motu generationis, cùm in ipsa sola exerceatur generatio: maximè quia hic præcipuè agitur de generatione, & corruptione, non vt actiones, sed vt sunt mutationes: & similiter de alteratione, augmentatione &c. agitur præcisè sub ratione mutationis: constat autem quòd generatio & corruptio vt sunt mutationes, afficiunt solam materiam primam, cùm ipsa sola sit subiectum harum mutationum, manens successiuè sub vtraque, & ipsa sola dicitur mota, quamuis compositum denominetur genitum & corruptum: ergo obiectum horũ librorum est materia prima, vt mobilis motu generationis substantialis.

§ 4. Præterea, Obiectum adæquatum totius Physicæ non est ens mobile terminatiuè, quod scilicet sit per motum & motationem, at est ens mobile subiectiuè, quod scilicet recipit in se motum, & per illum transmutatur: ergo ex paritate rationis obiectum horum librorum, non est ens mobile motu generationis terminatiuè, scilicet quod generatur, at subiectiuè, quod scilicet est subiectum generationis: sed hoc est materia prima: ergo obiectum horum librorum est materia prima, vt mobilis motu generationis substantialis.

§ 5. Econtra, Videtur quòd obiectum horum librorum sit corpus simplex, siue Elementum, vt mobile ad formam substantialem. Ita Auerroës, & alij. Probatur. Aristoteles libro 1. de sensu & sensibili cap. 4. vocat hunc tractatum commentationem de Elementis. Deinde in 2. libro agitur solùm de Elementis, in 1. autem agitur de eorum mixtione, ad quam explicandam fuit necessarium agere de generatione, alteratione & aliis: sed hoc est obiectum alicuius scientiæ, ad quod alia omnia quæ tractantur in tali scientia ordinantur: ergo Elementum, vt mobile ad formam substantialem, est obiectum horum librorum.

§ 6. Econtra, Videtur quòd obiectum horum librorum sit corpus, siue simplex, siue mixtum, vt substantialiter generabile. Ita tenent multi ex recentioribus. Probatur. Obiectum totius Physicæ est corpus mobile: ergo obiecta partium Physicæ erunt corpus mobile aliquo motu determinato, & sic huius partis erit corpus mobile motu generationis & corruptionis, sicot obiectum librorum de Cœlo est corpus mobile motu locali: maximè quia corpus substantialiter generabile est scibile, & omnia, quæ in his libris pertractantur, ad illud ordinantur: ergo obiectum horum librorum est corpus substantialiter generabile.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis in hoc tractatu 1. & D. Thom. tum in procemio horum librorum, tum in procemio Physicæ, quos sequuntur nostri Complutenses, & alij Thomistæ iuniores, & extra scholam D. Thom. Ruuius, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm obiectum Physicæ sit ens mobile radicaliter sumptum; & motus omnes, de quibus hic agitur, tendant ad formam intrinsecam, obiectum horum librorum adæquatum est ens mobile ad formam intrinsecam mobili, siue substantialem, siue accidentalem.

RESPONDEO dicendum, quòd obiectum horum librorum non est generatio & corruptio substantialis. 2. Nec materia prima, vt mobilis motu generationis substantialis. 3. Nec Elementum, vt mobile ad formam substantialem.

tialem. 4. nec corpus vt ſubſtantialiter generabile. 5. Sed eſt ens mobile ad formam intrinſecam mobili, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic tractatus eſt tertius Phyſicæ, & meritò ſubſequitur tractatum de Cœlo ex diſpoſitione Ariſtotelis, nam motus localis eſt primus inter omnes motus, eſt etiam communior, & vniuerſalior aliis, quia conuenit omnibus pene entibus naturalibus. Denique motus localis, nempè Cœlorum eſt aliquo modo cauſa cæterorum motuum, & ideo quia Ariſtoteles in ſuis operibus obſeruauit methodum compoſitionis, vt docet D. Thom. tradendo ſcilicet prius ea, quæ ſunt magis communia, poſtquam in libris Phyſicorum egit de ente mobili, vt ſic in communi, vnde prima pars Phyſicæ correſpondet enti mobili communiſſimè accepto, ſtatim in libris de Cœlo agit de ente mobili ſecundùm locum, quia mobilitas ſecundùm locum, & motus localis, qui eſt perpetuus & regularis in Cœlo, eſt vniuerſalior (etiam vniuerſalitate cauſalitatis) aliis motibus. Deinde in hac tertia parte Phyſicæ agit de aliis motibus, ſiue de ente mobili per alios motus: hic autem modus procedendi eſt aptiſſimus ad tradendas ſcientias, illúmque ſeruat ipſa natura in ſuis operibus: vnde non approbamus rationem Capreoli in 2.d. 14. & Soncin. 5. Metaphyſicæ q.25. dicentium, ideo Ariſtotelem egiſſe de motu locali in libris de Cœlo prius quàm de aliis motibus, quia motus localis eſt nobilior aliis motibus: hoc enim eſt contra Ariſtotelem & D. Thom. qui ſæpe docent alios motus eſſe nobiliores motu locali, ſimpliciter loquendo: & ratio eſt, quia motus ſpecificatur à ſuo termino (ad quem) vt dictum eſt ſupra 5. Phyſicorum: conſtat autem quòd terminus ad quem aliorum motuum, vt patet inductione, eſt nobilior termino (ad quem) motus localis: & ita alij motus habent nobiliorem ſpecificationem, & ſimpliciter ſunt nobiliores motu locali: cùm hoc tamen ſtat motum localem eſſe ſecundùm quid, & quodammodo nobiliorem aliis motibus, ſcilicet ex parte ſubiecti, quia ſupponit ſubiectum minus in potentia, & magis in actu, cùm per illum nihil intrinſecum acquiratur. Deinde quia motus localis Cœli aliquo modo influit in hos inferiores motus, ſcilicet per modum applicationis cauſæ, licèt non vt cauſa, & etiam eſt menſura aliorum, quia notior, vniformior, & perpetuus: ſecundùm hanc diſtinctionem intelligendi ſunt Ariſtoteles 8. Phyſicorum textu 60. & D. Thom. 3. contra gentes cap. 82. & 1. q. 110. art. 3.

Probatur prima & ſecunda pars concluſionis. Obiectum formale, & adæquatum partis alicuius ſcientiæ debet contineri per ſe & directè ſub obiecto totalis ſcientiæ, & continere omnia, quæ in illa parte pertractantur, ſaltem ſi inueniatur aliquid tale, potiùs dicetur eſſe obiectum, quàm aliud quod non habet has conditiones: ſed generatio & corruptio ſubſtantialis, ſicut & materia prima, non continetur per ſe, & directè ſub ente mobili, quod eſt obiectum totalis Phyſicæ: nam generatio & corruptio non ſunt entia mobilia, at ſunt mutationes: materia prima autem licèt ſit ſubiectum generationis & corruptionis, in quo ſcilicet exercentur iſtæ mutationes, non tamen eſt ens generabile & corruptibile, ac proinde non eſt ens mobile: deinde nec generatio & corruptio, nec materia prima, vt mobilis motu generationis ſubſtantialis, continent omnia, quæ hîc pertractantur, licèt aliquo modo poſſint ad hæc omnia ordinari: ergo cùm ens mobile ad formam intrinſecam habeat has conditiones, vt ſtatim dicetur, obiectum formale, & adæquatum horum librorum non eſt generatio & corruptio ſubſtantialis, nec materia prima, vt mobilis motu generationis ſubſtantialis.

Probatur tertia pars concluſionis. Elementa non adæquant omnia, de quibus hîc agitur, nam agitur de generatione, & de aliis motibus, prout conueniunt cunctis corruptibilibus, eſt enim per accidens iſtis motibus, quòd reperiantur in Elementis, cùm ex ſua ratione poſſint reperiri in omnibus corporibus ſublunaribus: ergo Elementum, vt mobile ad formam ſubſtantialem, non eſt obiectum formale adæquatum horum librorum.

Probatur quarta pars concluſionis. Obiectum totius Phyſicæ eſt ens mobile ſubiectiuè, vt patet: ſed corpus, vt ſubſtantialiter generabile non dicit aliquod ens mobile ſubiectiuè, ſed tantùm terminatiuè, ac proinde non continetur per ſe, & directè ſub obiecto totius Phyſicæ: ergo corpus, vt ſubſtantialiter generabile, non eſt obiectum formale adæquatum horum librorum, tale enim obiectum debet contineri per ſe & directè ſub obiecto totius Phyſicæ.

Probatur quinta pars concluſionis authoritate D.Th. qui poſtquam in proœmio horum librorum dixit, quòd ſecundùm differentiam motuum & mobilium diſtinguuntur partes Philoſophiæ naturalis, addidit hunc tractatum verſari in explicatione generationis ſubſtantialis, alterationis, augmentationis, & aliorum motuum, qui per ſe terminantur ad formam intrinſecam. Item in proœmio Phyſicorum, poſtquam dixit quòd ad illos libros ſequuntur alij ſcientiæ naturalis, in quibus agitur de ſpeciebus mobilium, ſcilicet in libris de Cœlo, de mobili ſecundùm locum, in libro autem de generatione, de motu ad formam intrinſecam.

Secundò, partes Phyſicæ debent diuidi ſecundùm differentiam motuum, & mobilium, ſiue iuxta differentiam mobilium, vt ſunt radices diuerſorum motuum; nam obiecta partium Phyſicæ debent eſſe partes obiecti totalis Phyſicæ, quod eſt ens mobile: ergo cùm obiectum Phyſicæ totalis ſit ens mobile, vt ſic radicaliter & vniuerſaliter ſumptum, ſicut ſupra dictum eſt; & motus de quibus per ſe agitur in hoc tractatu, ſint generatio ſubſtantialis, alteratio, augmentatio, & alij qui tendunt ad formam intrinſecam, neceſſariò ens mobile, vt habens in ſe principium radicale horum motuum, debet eſſe obiectum diſtinctiuum illius, ac proinde adæquatum: ſicut quia principaliter, & per ſe in libris de Cœlo agitur de motu locali, ideo eos, ſiue corpus prout habet principium radicale talis motûs, eſt obiectum adæquatum illorum.

Tertiò, illud eſt obiectum formale adæquatum tractatûs alicius ſcientiæ, quod continet omnia, quæ in illo pertractantur, & per ſe continetur ſub obiecto totali integræ ſcientiæ: ſaltem ſi ſit aliquid, quod contineat omnia quæ pertractantur, & directè contineatur ſub obiecto integræ ſcientiæ, potius erit obiectum, quàm illud quod ſolùm indirectè, vt proprietas, vel alio titulo continetur: ſed vtraque conditio conuenit enti mobili ad formam intrinſecam ſibi, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem: nam ens mobile poteſt moueri omnibus motibus, de quibus hîc agitur, vt patet inductione: deinde ſub ente mobili ad quamcumque formam Phyſicam per ſe & directè continetur ens mobile ad formam intrinſecam: ergo obiectum formale & adæquatum horum librorum eſt ens mobile ad formam intrinſecam mobili, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, maximè quia de tali ente mobili non agitur in alio Phyſicæ tractatu.

Non tamen ſic intelligendum eſt, quòd ens mobile ad formam intrinſecam ſit totum quoddam potentiale ambiens ſub ſe obiecta librorum de Animalibus, de Meteoris, & de anima, ſed eſt totum actuale importans ſolùm generationem ſubſtantialem, & alios motus in communi, non deſcendendo ad aliquam particularem ſpeciem: & ideo prædicti libri non ſunt partes huius tractatûs, quamuis ſint ipſi ſubordinati, quatenus licèt obiecta ipſorum in eſſe ſcibilis ſint diuerſa materialiter ab iſto, tamen in eſſe rei ſub illo continentur, ſiue ipſi ſubordinantur: hæc tamen diuerſitas obiectorum in eſſe ſcibilis non cauſat diuerſitatem eſſentialem, ſpecificam, & formalem inter omnes hos libros, qui ſunt partes Phyſicæ, nam quamuis hæc obiecta ſint adæquata reſpectu vniuſcuiuſque tractatus, tamen ſunt inadæquata ſimpliciter, & habent ſubordinationem inter ſe, quia ſunt partes totalis obiecti Phyſicæ, cui ſubordinantur quodam ordine, immediatiùs quidem, quæ minus ad particularia deſcen-

dunt: maximè quia omnes isti libri procedunt in suis demonstrationibus ex iisdem principiis motûs; & ideo iuxta dicta in Logicis, vnus & idem habitus Physicæ absque distinctione essentiali extenditur ad hæc omnia obiecta.

Ad primum ergo dicendum, quòd inscriptio alicuius operis debet sumi, vel ex obiecto eius adæquato, vel ex obiecto principali, vel ex præcipua affectione, quæ in eo explicatur, sic enim sufficienter innotescunt cætera: maximè quando aliæ affectiones habent connexionem cum præcipua affectione, vel actu illius, vt hic contingit: nam generatio & corruptio substantialis sunt præcipuæ affectiones entis mobilis ad formam intrinsecam, & aliæ affectiones, siue motus habent connexionem & ordinem ad illas, vnde optimè inscriptio huius operis est de generatione & corruptione.

Ad secundum dicendum, quòd non agitur in his libris de generatione ratione sui, nec de aliis motibus solùm ratione generationis, sed agitur de his omnibus motibus inquantum sunt affectiones entis mobilis ad formam intrinsecam: vnde agitur de quolibet istorum motuum ratione sui, quia quilibet est affectio inadæquata entis mobilis, licèt generatio sit principalior, ad quam alij motus ordinantur: sed non qualibet ordinatio ad aliud facit quòd illud sit obiectum adæquatum, aliàs non esset distinctio inter obiectum principale, & obiectum adæquatum, quod tamen est falsum: vnde conceditur generationem radicaliter sumptam esse obiectum principale horum librorum, sed non adæquatum.

Ad tertium dicendum, quòd non agitur in his libris de solo motu, vel mutatione generationis, sed de ente mobili ad formam intrinsecam, sic absolutè, siue vt habet in se principium motûs ad formam intrinsecam. Ad aliud dicendum, quòd ad summum potest concedi generationem & corruptionem substantialem esse præcipuas mutationes, de quibus hic agitur, & ita ens mobile habens in se principium harum mutationum, erit obiectum principale: negandum est tamen illud esse materiam primam; nam licèt dictæ mutationes conueniant materiæ primæ, vt principio potentiali per modum puræ potentiæ, non tamen, vt enti totali & completo includenti in se tale principium, quale debet esse obiectum huius tractatûs: sicut enim nomine entis mobilis, vt sic, quod est obiectum totius Physicæ, solùm intelligitur ens mobile completum, scilicet totum substantiale constans materiâ & formâ, ita nomine peculiaris entis mobilis, quod est obiectum huius tractatûs, & quod per se, ac directè continetur sub obiecto Physicæ, non debet intelligi ens mobile incompletum, & purè potentiale, sed completum, ac proinde vt includens in se, tanquam partem sui, principium potentiale generationis & corruptionis substantialis, vt mutationes sunt: ex quo sequitur quòd obiectum Physicæ est ens mobile, prout abstrahit ab hoc quod est esse principium (quod) recipiens in se motum, vt accidit in aliis motibus, vel esse id quod includit in se principium, quod sit radix motûs, & subiectum illius, vt accidit in generatione & corruptione substantiali, quæ ideo denominant materiam mutatam. Per quod patet ad quartum.

Ad quintum dicendum, quòd Aristoteles vocat hoc opus commentationem de Elementis, quia magnam illius partem in tractatu eorum consumpsit, & sic Elementum est tantùm obiectum partiale. Ad aliud dicendum, quòd non agitur hic de generatione, & aliis motibus per ordinem ad Elementa, sed agitur de illis, prout competunt corpori, vt abstrahit à simplici, siue elementali, & à mixto modo explicato.

Ad sextum dicendum, quòd ens mobile, & corpus mobile hic pro eodem sumuntur, quamuis obiectum horum librorum meliùs exprimatur per ens mobile ad formam intrinsecam, quàm per corpus mobile, vt dictum est in principio Physicæ: dicimus tamen quòd siue sit ens, siue corpus mobile, non est solùm mobile motu generationis, hoc enim est obiectum tantummodò partiale, sed est ens mobile quocumque motu ad formam intrinsecam: in his quippe libris per se & ratione sui agitur de omnibus motibus ad formam intrinsecam, quamuis alij ordinentur ad generationem, sed hoc est per accidens respectu obiecti, nam æquè ageret de illis, licèt non ordinatentur.

Articvlvs III.

Quodnam sit obiectum librorum de Anima?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd obiectum formale librorum de Anima, sit ipsa Anima. Ita tenent Ruuius, Toletus, & alij in præsenti. Probatur authoritate Aristotelis, qui in proœmio librorum de anima sic ait: *Quærimus autem contemplari, & cognoscere naturam ipsius, scilicet animæ, & substantiam, postea quæcumque accidunt circa ipsam*: Imò inscripsit hoc opus de anima: ergo obiectum formale librorum de anima, est ipsa anima.

¶ 2. Præterea, In libris de anima præcipuè inuestigatur definitio animæ, & agitur de eius proprietatibus, scilicet potentiis, cui conuenire demonstrantur, tanquam primo & radicali principio, (quo:) imò si loquamur de potentiis animæ rationalis, ei primò conueniunt, & tanquam principio (quo,) & tanquam principio (quod) cùm ex se sit existens, & subsistens (vt quod:) sed illud est obiectum formale alicuius scientiæ, cuius definitio in illa inquiritur, & de quo proprietates demonstrantur: ergo obiectum formale librorum de Anima, est ipsa anima.

¶ 3. Præterea, Quamuis anima quoad esse ordinetur, vt pars ad corpus animatum, tamen in cognosci non dependet ab illo, imò econtra, nam cognitâ naturâ animæ & eius potentiis facile intelligitur quid sit corpus animatum: ergo non corpus animatum, sed anima ipsa est obiectum formale librorum de Anima, cùm ad rationem obiecti formalis potiùs attendatur dependentia in cognosci, quàm in esse.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur communiter eius Discipuli, nostri Complutenses, & alij.

Conclvsio.

Cùm obiectum partialis scientiæ debeat directè contineri sub obiecto totalis scientiæ, & obiectum totalis Physicæ sit ens, vel corpus mobile, obiectum librorum de anima debet esse aliquod corpus mobile, scilicet animatum.

Respondeo dicendum, quòd anima est obiectum formale (quo,) in esse rei librorum de Anima. 2. Corpus verò animatum est obiectum formale (quod) in esse rei.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. qui eam expressè docent in proœmio librorum de Anima. Deinde, obiectum formale (quo) in esse rei alicuius tractatûs, est illud quod constituit illius obiectum formale (quod) in esse rei, vt ex se patet: sed hoc competit animæ, nam vt statim dicetur, obiectum formale (quod) in esse rei huius tractatûs, est corpus animatum, quod constituitur tale, scilicet animatum per animam, vt constat: ergo anima est obiectum formale (quo) in esse rei librorum de Anima.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. in Physicis lect.1. vbi assignat corpus mobile pro obiecto totius Physicæ: ipsum verò prout dicit determinatam mobilitatem, distribuit in obiectum partium Physicæ: assignat enim pro obiecto librorum de Cœlo corpus mobile secundùm locum: librorum verò de Generatione, corpus mobile ad formam intrinsecam: postea subdit; de animatis verò mixtis in libro de Anima, & consequentibus ad ipsum.

Secundò, ex dictis supra in proœmialibus Physicæ, obiectum formale (quod) totius Physicæ est corpus mobile, vt dicit compositum ex materia, & forma substantiali, directè pertinens ad prædicamentum substantiæ: ergo obiectum formale (quod) librorum de anima, est peculiaris quædam species corporis, directè contenta sub corpore mobili, vt sic: nam obiectum formale (quod) adæquatum alicuius scientiæ debet esse abstractum ab obiectis formalibus (quæ) inadæquatis, quæ in diuersis partibus, aut quasi partibus illius per se inspiciuntur: aliàs obiectum

obiectum formale (quod) totius Physicæ esset quid abstrahens à corpore mobili, & eius partibus actualibus; non verò totum ipsum corpus, vt est quid completum pertinens directè ad prædicamentum substantiæ. Ratio huius est, quia licèt obiecta materialia, vel principia obiecti formalis possint non contineri per se directè sub obiecto formali (quod) & adæquato totius scientiæ, secus tamen obiecta formalia inadæquata respectu talis scientiæ, & adæquata respectu alicuius tractatûs eiusdem scientiæ: vnde cùm anima non contineatur per se & directè sub obiecto totius Physicæ, scilicet sub composito substantiali ex materia & forma constituto, non potest esse obiectum formale (quod) adæquatum tractatûs de Anima, sed debet esse corpus animatum, siue mobile ad formam, quæ attingit gradum animæ.

Tertiò, tractatus de Anima est vnum, & idem opus cum alio, qui inscribitur (de paruis naturalibus) eo modo, quo octo libri Physicorum constituunt vnum opus vt docet D.Th.lect.1. citatâ: ergo idem est obiectum huius tractatus, ac illius, vt patet sicut idem est obiectum octo librorum Physicorum: sed in tractatu de (paruis naturalibus) agitur tantùm de corpore animato, tanquam de obiecto, vt communiter fatentur philosophi, in illo quippe non de anima, sed de corpore animato, & eius speciebus disseritur: ergo etiam obiectum adæquatum librorum de Anima, est corpus animatum, ita vt in his libris agatur de Anima, tanquam de principio formali corporis animati, & per ordinem ad illud, in sequentibus autem (de paruis naturalibus) qui vnum cum his efficiunt tractatum, agatur de ipso corpore animato.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles solùm vult animam esse obiectum formale (quo,) in esse rei librorum de Anima, vt dictum est, inscriptio autem alicuius operis non semper desumitur ab obiecto formali (quod) adæquato: sed vel à principio, vel à formali (quo,) vel ab aliqua proprietate, vt dictum est; hic autem sumitur ab obiecto formali (quo.)

Ad secundum dicendum, quòd in libris de Anima non agitur de ipsa anima, & eius potentiis, nisi inquantum sunt aliquid corporis animati, ad quod ordinantur.

Ad tertium dicendum, quòd est mutua dependentia in cognosci inter animam & corpus animatum, nam solùm cognoscitur totum, si cognoscantur eius partes, & principia intrinseca: rursus non cognoscuntur partes, vt tales, nisi cognoscatur earum totum: tamen quia in cognitione philosophica non intenditur cognitio partis nisi propter cognitionem totius, propterea cùm ens mobile, vt dicit compositum ex materia & forma, sit obiectum formale Physicæ, sequitur quòd non anima, sed corpus animatum sit obiectum formale librorum de Anima, quandoquidem eius cognitio est per se priùs intenta, quod conuenit obiecto formali adæquato, quamuis talis cognitio dependeat à cognitione animæ, sicut dependet cognitio totius à cognitione suarum partium.



LIBER PRIMVS DE COELO ET MVNDO.

Summa Textûs.

Nobilissimvs est hic Physicæ tractatus post tractatum de Anima, in quo agitur de Cælo nobilissimo corporum, vtpote incorruptibili, lucidissimo, è cuius influentia dependent sublunaria, & de eius motu locali inter omnes actualissimo. Diuiditur in quatuor libros. In hoc primo agit de Mundo, eiusque partibus, Cælo videlicet, & Elementis, ipsas inter se comparando: continet duodecim capita. In quorum primo differit de ipso Mundo, siue vniuerso secundùm se. In sequentibus, de Cælo principalissima eius parte.

QVÆSTIO II.

De Mundo.

Via intentum Aristotelis est in hoc tractatu agere de ente mobili secundùm situm, siue secundùm locum, ac proinde de motu locali, qui per se congruit Cœlo, & Elementis, mixtis autem ratione Elementi in ipsis prædominantis; Cœlo quidem motus circularis; Elementis verò motus rectus à medio, vel ad medium: propterea ordine compositionis valde idoneè ad tradendas scientias, agendum primò fuit de Mundo secundùm se: deinde de Cœlo, & Elementis primariis eius partibus: circa Mundum quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm Mundus sit à Deo creatus in tempore?

¶ Secundò, Vtrùm Mundus sit necessariò creatus?

¶ Tertiò, Vtrùm sit tantùm vnus Mundus?

¶ Quartò, Vtrùm possint plures, & semper perfectiores Mundi creari?

¶ Quintò, Vtrùm Mundus hic potuerit creari perfectior quàm sit?

Articvlvs I.

Vtrùm Mundus sit à Deo creatus in tempore?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd Mundus non sit à Deo creatus. Ita tenent impij Athei, qui Deum negant: vnde dicunt Mundum collectiuè sumptum esse ens à se necessarium. Probatur. Non est possibilis creatio, cùm sit productio totius ex nihilo, constat autem ex communi proloquio Philosophorum ex nihilo nihil fieri: ergo Mundus non est à Deo creatus absolutè.

¶ 2. Præterea, Si Mundus sit à Deo creatus, est ab æterno, quia actio Dei creatiua est eius substantia, cùm Deus sit simplicissimus nullam admittens compositionem; ac ita cum substantia Dei, vtpote ens à se, necessarium sit ab æterno, etiam eius actio creatiua: positâ autem actione efficaci, & non impeditâ, ponitur etiam effectus: ergo Mundus non est creatus in tempore, sed ab æterno.

¶ 3. Præterea, Si Mundus sit creatus in tempore, debuit eius creationem præcessisse infinita duratio: cùm enim Æternitas careat principio, sicut & fine, quodlibet determinatum temporis à parte ante præcessit infinita duratio, & subsequetur à parte post: ergo cùm infinitum non possit pertransiri, non potuit ab æterno deueniri ad tempus, in quo Mundus dicitur esse creatus, & consequenter non est creatus in tempore.

Sed contra eſt fides Catholica, & communis conſenſus ſanctorum Patrum, & Christianorum, quantùm ad vtrumque, ſcilicet creationem Mundi factam à Deo, & in tempore: conſentiunt etiam Philoſophi gentiles quantùm ad creationem abſolutè.

Conclusio.

Cùm mundus non includat infinitam perfectionem, imò multas imperfectiones, non poteſt eſſe ens à ſe, ſed eſt ab alio principio ſcilicet Deo, creatus in tempore, vt ipſemet reuelauit.

Respondeo dicendum, quòd certum eſt ſecundùm fidem Mundum fuiſſe à Deo creatum. 2. & etiam eſt manifeſtum lumine naturali. 3. eius autem creatio contigit verno tempore in æquinoctio Martij 4. & completa fuit ſex diebus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt Mundum non aliter potuiſſe produci, quàm per creationem: cùm enim eius productionem nihil materiale præceſſerit (ſub nomine enim Mundi omnia producta comprehenduntur;) ideò ex nihilo tanquam ex materia formari potuit: vnde debuit ex nihilo fieri, ac proinde produci per creationem: ad creandum autem requiritur virtus infinita, propterea creatio eſt actio propria Dei, nulli creaturæ communicabilis etiam per modum inſtrumenti, vt dicetur in fine tertiæ partis.

Probatur prima pars concluſionis. Infinitis prope locis Sacræ Scripturæ, qui paſſim in ea reperiuntur: ſufficiat adducere caput primum Geneſis, in quo non ſolùm aſſeritur hæc creatio, ſed ſigillatim quoad omnia creata deſcribitur: ſic enim incipit: *In principio creauit Deus Cælum, & Terram, &c.* Deinde hoc habetur determinatum in multis Conciliis: imò inſertum eſt in Simbolis fidei: ſic enim incipit Simbolum Apoſtolorum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ:* Nicenum verò incipit: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium.* Sed quæ continentur expreſsè in Sacris Scripturis, determinantur à Conciliis, & habentur in Simbolo, ſunt de fide, hæc enim ſunt reuelata à Deo formaliter, aut virtualiter, vnde innitantur veritati Diuinæ infallibili, & conſequenter cadunt ſub fide Diuina: ergo certum eſt ſecundùm fidem Mundum fuiſſe à Deo creatum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Lumine naturali eſt manifeſtum, quod tantùm datur vnum ens per eſſentiam, quod proinde ſit neceſſarium, & à ſe, ac contineat omnem perfectionem eſſendi excogitabilem, & conſequenter excludat omnem imperfectionem, ac veſtigium imperfectionis, quæ conditiones non conueniunt huic Mundo viſibili, in quo tot reperiuntur imperfectiones; nec alicui eius parti, cùm careat perfectione aliarum; & ita non eſt ens à ſe, & per eſſentiam, ſed ens per participationem, & ab alio principio productum, cui conueniunt prædictæ conditiones, quódque vocamus Deum: ergo etiam lumine naturali eſt manifeſtum Mundum fuiſſe à Deo creatum, ſed de hoc ex profeſſo in Metaphyſica, dum agetur de exiſtentia Dei.

Probatur tertia pars concluſionis multis congruentiis. Prima quidem, quia continuâ immemorabili ſucceſſione Mathematici annos à creatione Mundi numerantes ſemper incœperunt à Martio; etiam apud Iudæos principium anni fuit in Martio, cùm enim obſeruarent annos Lunares, Luna menſis Martij erat prima, vt patet ex Scriptura. Secunda eſt, quia talis eſt communis ſententia ſanctorum Patrum, Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, D.Thomæ, & aliorum. Tertia, quia tempore verno circa æquinoctium Martij fuit Mundus renouatus, fuit autem conueniens, vt eodem tempore renouaretur, quo fuerat conditus. Quarta tandem, quia decuit vt omnia crearentur perfecta, ac proinde eo tempore, quo germinare poſſent, vt habetur Geneſis 1. conſtat autem quòd vernum tempus eſt magis idoneum ad germinandum, tunc enim omnia vigorem reſumunt: ergo creatio Mundi contigit verno tempore in æquinoctio Martij.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate Sacræ Scripturæ Geneſis 2. vbi ſic habetur. *Igitur perfecti ſunt Cæli, & Terra, & omnis ornatus eorum; compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat, &c.* Capite autem primo narrat ſigillatim quid per ſingulos dies fecerit Deus. Primo igitur die creauit Cœlum & Terram: ſub nomine Cœli intelliguntur tum Cœlum ipſum, tum Angeli Cœlorum incolæ: ſub nomine verò Terræ intelliguntur Terra, & alia Elementa. Secundo creauit Firmamentum. Tertio ſeparauit Aquas à Terra: locus enim earum naturalis eſt eſſe ſuper terram, eámque intra ſe comprehendere, eadem die ex imperio Dei Terra protulit omne lignum pomiferum, & herbas. Die quarto dicuntur producta duo luminaria magna, videlicet Sol & Luna, ſimiliter etiam Stellæ. Die quinto produxit volucres in aëre, & piſces in aquis. Sexto tandem produxit animalia terreſtria, & creando hominem opus ſuum terminauit. Hæc non carent ſuis difficultatibus, quæ potiùs ad expoſitores Sacræ Scripturæ pertinent, quàm ad Philoſophos, vnde ad eos remittimus. De operibus ſex dierum ſcripſerunt SS. Baſilius, Ambroſius, & D.Thomas 1.part.à quæſt.65. Incœpit autem creatio à die noſtra Dominica, vt conſtat, tum ex hymno cani ſolito tali die in Eccleſia (*Primo dierum omnium, quo Mundus extat conditus:*) Et ratio eſt manifeſta, quia ſi per ſex dies durauit creatio, & terminata fuit extrinſecè in Sabbatho; debuit incœpiſſe Dominicâ, ab incluſa enim Dominica vſque ad Sabbathum excluſiuè ſunt ſex dies. A cratione fluxerunt anni 6844.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex nihilo nihil fit ab agente finitæ & limitatæ virtutis, bene tamen poteſt ex nihilo fieri aliquid, imò infinita ſincategorematicè ab agente infinitæ & illimitatæ virtutis, qualis eſt Deus.

Ad ſecundum dicendum, quòd ex ſumma & infinita efficacitate actionis diuinæ debet inferri quòd quidquid ab ea procedit, dependeat ab ipſa non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam, ſed etiam quantùm ad circumſtantias omnes: ita vt producat quod voluerit, quantùm voluerit, quâ intentione, quo loco, & tempore voluerit: vnde non ſequitur quòd ſi actio diuina eſt ab æterno, etiam eius effectus debeat eſſe ab æterno: impeditur enim talis actio, vt ita dicamus, ab intrinſeco, ſcilicet à voluntate diuina, ne pro tunc ſortiatur effectum, quæ eligit tempus determinatum, in quo vult poni effectum; & hoc prouenit ex ſumma actualitate diuinæ actionis, quæ quia nullo modo dependet ab effectu creato, poteſt eſſe non poſito effectu, quod non eſt in actione productiua creata: cùm enim intrinſecè ordinetur, & dependeat à ſuo termino, inde eſt quòd poſitâ actione, & non impeditâ, debet poni effectus, nec poteſt ſtare ſine illo.

Ad tertium dicendum, quòd ſi hoc argumentum aliquid conuinceret, conuinceret etiam Mundum non eſſe, nec potuiſſe eſſe ab æterno, quia præſens tempus præceſſiſſet infinita duratio: vnde dicendum, quòd nulla duratio diuiſibilis actu, & formaliter præceſſit creationem Mundi: quia ante Mundum conditum nulla intelligitur duratio, niſi æternitas quæ eſt tota ſimul, vnde nihil eius tranſit, licèt correſpondeat tempori infinito, tam à parte ante, quàm à parte poſt, vnde imaginamur tempus infinitum præceſſiſſe creationem Mundi, & etiam infinitum ſubſecuturum: nec vllum eſt in hoc inconueniens, quia cùm aſſignatur aliquod infinitum ex vna parte, ex alia verò finitum, poteſt quâ parte eſt finitum terminari, & ita ab æterno poteſt deueniri ad tempus determinatum, quia ex hac parte duratio eſt finita & limitata: per regreſſionem autem non poteſt ab hoc tempore retrocedi ad æternum, quia ex illa parte duratio eſt infinita: ſicut propter eamdem rationem non poteſt à parte poſt deueniri ad finem æternitatis, vnde non eſt eadem diſtantia formaliter, & eodem modo ab æterno ad hoc tempus, quæ eſt ab hoc tempore ad æternum; tam à parte ante, quàm à parte poſt.

Articvlvs II.

Vtrùm Mundus sit necessariò creatus?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd Mundus sit necessariò creatus. Ita tenuit Aristot. & alij qui alij, qui propterea posuerunt ipsum ab æterno productum. Probatur. Actio diuina, quâ Mundus creatus est, omnino est necessaria, cùm sit ipsamet Dei substantia: sed positâ actione necessariâ sequitur necessariò effectus, sicut positâ actione contingente, contingenter euenit effectus: ergo Mundus est necessariò creatus.

§ 2. Præterea, Bonum naturaliter ac proinde necessariò est sui diffusiuum & communicatiuum: ergo cùm Deus sit summum bonum, naturaliter & ita necessariò se summè diffundit & communicat in creatione Mundi, & sic Mundus est necessariò creatus.

§ 3. Præterea, Necessarium est omnino, quòd diuina attributa manifestentur, vt communiter & passim docent Theologi: ergo necessariò Mundus est creatus, quia sine creatione Mundi diuina attributa non potuerunt manifestari, illo autem creato mirabiliter omnia manifestantur, vt discurrenti patet.

Sed contra est fides Catholica, vt multis patet Scripturæ locis, vt ex illo psalmi 93. *Deus vltionum libere egit.* Ad Eph. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Conclvsio.

Cùm Mundus sit bonum limitatum, à quo bonum diuinum est omnino independens, & inceperit in tempore, non est necessariò creatus.

Respondeo dicendum, quòd non solùm lumine fidei, sed etiam lumine naturali demonstratur Mundum non fuisse necessariò creatum. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd duplex est necessitas: absoluta, de qua hic loquimur, quando scilicet aliquid non potest simpliciter & absolutè aliter se habere: & ex suppositione, quandò scilicet aliquid absolutè potest aliter se habere, sed factâ aliquâ suppositione, non potest aliter se habere: hanc non negamus in actuali creatione Mundi, cùm enim Deus sit omnino immutabilis, posito quòd decreuerit Mundum creare, necessariò ex suppositione postea creauit, non autem necessariò absolutè, quia potuit non decernere creare, ac ita non creare.

Probatur conclusio. Quamuis sit maxima perfectio amare necessariò bonum infinitum, quia id exigit natura talis boni, & esset imperfectio amare liberè: est tamen maxima imperfectio amare necessariò bonum finitum, & perfectio amare liberè, quia ob suam limitationem habet aliquam rationem mali, scilicet carentiam maioris bonitatis, vnde in se habet quod possit respui, secus autem bonum infinitum, quod illimitatè continet omnem rationem boni: sed Mundus hic creatus, & quodlibet aliud creabile est bonum finitum & limitatum, vt ex se patet; cùm enim habeat esse receptum, ac proinde non sit suum esse per se subsistens, non potest continere omnem rationem & perfectionem essendi: ergo non potest à Deo amari necessariò ratione sui, cùm in Deo nulla sit imperfectio: nec etiam potest amari necessariò ratione ipsius Dei, cùm bonitas & perfectio diuina sit omnino independens à quacumque re creata, iuxta illud psalmi 15. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: Et consequenter non est necessariò creatus.

Secundò probatur à posteriori. Si Mundus esset necessariò creatus, esset ab æterno creatus: cùm enim actio diuina sit efficacissima, ac infinitæ virtutis, nullúmque possit habere impedimentum, & aliunde sit ab æterno, si necessariò aliquid produceret, ab æterno illud produceret: sed secundùm fidem Mundus non est ab æterno creatus, quamuis ab æterno creari potuerit: ergo non est necessariò creatus.

Tertiò probatur à D.Thom. 1.p. q.19. art.4. agens per naturam, & necessariò non producit nisi vnum effectum, quia natura vno & eodem modo operatur, nisi impediatur: & hoc ideo quia secundùm quòd est tale agit, vndquamdiu est tale, non facit nisi tale: omne enim agens per naturam habet esse determinatum: ergo cùm esse diuinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, vel produceret effectum infinitum, vel non potest esse quòd agat per necessitatem naturæ: sed effectus determinari ab infinita ipsius perfectione procedunt secundùm determinationem voluntaris & intellectus ipsius: alias ibidem affert rationes.

Ad primum ergo dicendum, quòd actio diuina ad extra quamuis sit necessaria omnino quantùm ad entitatem, cùm sit ipsa Dei substantia, superaddit tamen terminationem liberam ad tale obiectum, quæ terminatio absolutè ita est, vt tamen potuerit non esse, inquantum potuit Deus decreuisse non creare, quæ creauit: posito tamen decreto de creatione rerum, non potuit non esse creatio: sed hæc necessitas non tollit libertatem & contingentiam: igitur ratio liberi in Deo non superaddit aliquid reale se tenens ex parte actûs, sed superaddit tantùm terminum connotatum, ad quem ex vi propria nullo addito propter summam eminentiam terminatur in exercitio tempore determinato.

Ad secundum dicendum, quòd Deus se summè communicauit ad intra in processione Diuinarum Personarum, eas naturaliter & necessariò producendo, vnde ex hoc in Deo saluatur ratio summi boni: hanc autem communicationem necessariam non potest habere ad extra, cùm repugnet eius summæ perfectioni, vt dictum est; non tamen conuenit bono vt sic se communicare per modum efficientis, sufficit enim quòd se communicet in genere causæ finalis, vt patet ex eius definitione, bonum enim definitur esse illud, quod omnia appetunt: quamuis Deo vterque modus communicationis conueniat, sed liberè ad extra, est enim prima causa, & vltimus finis: hæc autem duo debent omnino proportionari, ita vt omne quod ad ipsum ordinatur vt ad vltimum finem, debeat ab illo vt à prima causa procedere, & econtra quidquid ab illo vt à prima causa procedit, debeat ad illum vt ad vltimum finem ordinari.

Ad tertium dicendum, quòd non est simpliciter necessarium, sed tantùm ex quadam congruentia, quòd diuina attributa manifestentur, quia Deus optimus maximus ad sui perfectionem, & Beatitudinem est sibi sufficientissimus, nec indiget consortio creaturarum, quamuis ex superabundantia suæ bonitatis illud elegerit.

Articvlvs III.

Vtrùm sit tantùm vnus Mundus?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd non sit tantùm vnus Mundus: ita tenuerunt antiqui Philosophi, inter quos quidam admittebant infinitos Mundos, alij autem finitos, sed plures, vt Talmudistæ. Probatur. Virtus infinita Dei debet splendere in suo effectu: ex effectu enim debet colligi virtus, & perfectio causæ: sed si esset vnicus Mundus hic, in quo sumus, non splenderet virtus infinita Dei in suo effectu, cùm hic Mundus sit finitæ & limitatæ perfectionis, vt satis patet: ex effectu autem finito & limitato, ac proinde producibili virtute finitâ, non potest colligi virtus infinita & illimitata: ergo non est tantùm vnus Mundus.

§ 2. Præterea, Natura facit quod maius est, & multò magis Deus author naturæ: sed melius esset esse plures Mundos, quàm vnum, quia plura bona paucioribus meliora sunt: ergo non est tantùm vnus Mundus.

§ 3. Præterea, vel potuit Deus plures Mundos creare, vel non: secundum dici non potest, quia virtus diuina est infinita, ac proinde potest dato quocumque effectu finito, qualis est hic Mundus, semper alium perfectiorem in infinitum producere: si primum dicatur non potest assignari rationabilis causa, cur hunc tantùm Mundum Deus creauerit, maximè cùm

potuerit creare perfectiores : ergo non eſt tantùm vnus Mundus.

Sed contra eſt authoritas Sacræ Scripturæ, quam ſequuntur D.Thom. 1.p. q.47. art.3. & communiter Catholici : quod etiam docuerunt nobiliores antiqui Philoſophi. Plato in Tymæo, Ariſtoteles in hoc libro, vbi id ex profeſſo probat, & alij.

Conclvsio.

Cùm in Dei potentia, & arbitrio ſit quòd ſint plures, vel vnus tantùm Mundus, & diuina voluntas nobis ſolùm per Sacram Scripturam innoteſcat : ad minus temerarium nunc, & periculoſum eſt aſſerere plures eſſe Mundos, cùm Sacra Scriptura de vno tantùm mentionem faciat.

Respondeo dicendum, quòd licèt nullâ ratione Philoſophicâ demonſtrari poſſit non eſſe plures Mundos. 2. Valde tamen conforme eſt fidei aſſerere vnum tantùm eſſe Mundum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt hunc Mundum conſtare, tanquam partibus principalioribus, corporibus ſimplicibus, videlicet Cœlis, & quatuor Elementis : non quòd viuentia non ſint perfectiora, & maximè homo, ad quem omnia alia ordinantur, vt ad finem proximum, ſed quia concurrunt ad primam eius conſtitutionem, quia conſtituitur hoc vniuerſum corporeum ex ſuis partibus ſecundùm ordinem ſitûs : conſtat autem quòd ſola corpora ſimplicia primò & per ſe habent ordinem ſitûs in vniuerſo : alia verò corpora ſcilicet mixta, vt lapides, plantæ, & animalia non habent ſitum in vniuerſo ſecundùm ſe, ſed ſecundùm corpora ſimplicia, in quibus ſunt : vnde in hac conſideratione ſunt partes ſecundariæ, & minus principales vniuerſi : propterea in præſenti nulla de eis fit mentio, ſed in ſubſequentibus libris : pertinent tamen ad perfectionem vniuerſi, per ſe quidem ſpecies mixtorum, per accidens autem indiuidua : Mundus igitur hic perfectus coaleſcit ex Cœlis, quatuor Elementis, mixtis quæ in his reperiuntur, aliiſque quæ habent aliquam coordinationem in hoc Mundo, vt Angelis, qui mouentes Cœlum, aut aliquam virtutem eis imprimentes influunt in hæc inferiora, vnde etiam ſunt partes, & nobiliſſimæ vniuerſi, Deus autem eſt ſupra totum vniuerſum, nec eſt pars, ſed eius author.

Probatur prima pars concluſionis. Poteſt Deus plures & in infinitum perfectiores producere Mundos propter infinitam ſuam virtutem, vt dicetur articulo ſequenti, vnde eſt ipſi liberum eligere productionem vnius tantùm, vel etiam plurium : ſed ea quæ ſunt purè contingentia & libera, non poſſunt demonſtrari ratione Philoſophicâ, cùm demonſtratio procedat ex neceſſariis : ergo nullâ ratione Philoſophicâ demonſtrari poteſt, non eſſe plures Mundos, vnde rationes quibus Philoſophi probant vnicum eſſe Mundum, ſunt tantùm congruentiæ probabiles.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Sacra Scriptura quoties loquitur de Mundo, loquitur in ſingulari, & nunquam in plurali, vt Ioannis 1. *Mundus per ipſum factus eſt.* Geneſis 1. Poſtquam deſcripta fuit creatio huius Mundi, dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Et cap.2. ſubditur *Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat :* Ex quo duplici loco colligitur manifeſtè omnia à Deo facta comprehendi in hoc Mundo, quo creato iuxta modum ibidem relatum, nihil vltra creauit, præter animas rationales in inſtanti generationis : & in hoc conueniunt communiter ſancti Patres, quorum communi ſententiæ contraire parum eſt rutum in fide, quare S. Auguſt. libro de hæreſibus, hæreſi 77. numerat inter errores contra fidem ponere plures Mundos : ergo eſt valdè conforme fidei aſſerere vnum tantùm eſſe Mundum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi Mundus fuiſſet neceſſariò productus, ita vt eſſet effectus adæquatus Dei, in eo adæquatè ſplenderet Diuina virtus, ſed quia fuit à Deo productus liberè, & iuxta menſuram perfectionis ab ipſo taxatam, ideo non adæquatè in ipſo diuina virtus ſplendet, ſi attendatur res producta : ſi autem attendatur modus producendi per creationem, ſplendet virtus infinita Dei in productione huius mundi, ad creandum enim requiritur virtus infinita.

Ad ſecundum dicendum, quòd natura, ſi non deficiat in ſua operatione, ſemper facit quod melius eſt, quia neceſſariò operatur : Deus autem, quia eſt liber in ſua operatione, non ſemper producit quod melius eſt ſi attendatur ſubſtantia rei productæ, ſed producit quod eſt conuenientius ſuæ bonitati iuxta conſilium ſapientiæ ſuæ.

Ad tertium dicendum, quòd Deus potuit plures & perfectiores in infinitum Mundos producere, cur autem hunc tantùm, & non alios produxerit, ipſe ſolus ſcit qui produxit ; quis enim conſiliarius eius fuit ? Credendum tamen eſt quòd hoc ex maxima ſapientia, & conuenientia fecit, imò ſic faciendo dedit conuenientiam.

Articvlvs. IV.

Vtrùm poſſint plures & ſemper perfectiores Mundi creari ?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd non poſſint plures & ſemper perfectiores Mundi creari. Ita Vuicleſum, & Abailardum tenuiſſe refert noſter Thomas Vualdenſis cap. 10. doctrinalis antiquæ fidei : quod etiam probat Ariſtoteles hîc cap.9. ſequenti ratione, non poteſt aliud Mundus fieri ſine noua materia : ſed hic Mundus continet omnem materiam poſſibilem, comprehendit enim omnia corpora cœleſtia, Elementaria, & mixta : ergo non ſunt poſſibiles plures Mundi.

¶ 2. Præterea, D.Th. 1.p.q.47.art.3. probat vnum eſſe Mundum, quia omnia debent eſſe ordinata vno ordine, & ad vnum : vnde concludit quòd illi potuerunt ponere plures Mundos, qui cauſam Mundi non poſuerunt aliquam ſapientiam ordinantem, ſed caſum vt Democritus : conſtat autem quòd hæc ratio probat etiam de poſſibili : ergo non ſunt poſſibiles plures Mundi.

¶ 3. Præterea, Vel hi Mundi, qui dicuntur poſſibiles conſtarent iiſdem partibus ac iſte, vel non. Si primum dicatur, ſequitur quòd terra v.g. alterius concurreret naturaliter ad locum terræ iſtius, quod pariter dicendum eſt de aliis partibus, & ita ſe Mundi confunderent in vnum, quam rationem affert Ariſt. & D.Th. loco citato ad 3. ait enim, *Mundus conſtat ex ſua tota materia, non enim eſt poſſibile eſſe aliam terram, quàm iſtam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium vbicumque eſſet : & eadem ratio eſt de aliis corporibus, quæ ſunt partes Mundi :* Secundum autem dici non poteſt : quia Mundus ab intrinſeco petit conſtare partibus ſimilibus iis, quibus iſte conſtat : ergo non poſſunt plures Mundi creari.

¶ 4. Præterea, Hic Mundus perfectè imitatur exemplar, quod eſt in mente diuina : ergo non eſt poſſibilis alius ; hæc ratio eſt Platonis in Tymæo.

Sed contra eſt authoritas D.Th. in 1.d.44.q.1.art.2. & communis conſenſus ſanctorum Patrum, ac Scholaſticorum.

Conclvsio.

Cùm virtus Dei ſit ſimpliciter infinita, poſſunt ab eo plures & ſemper perfectiores Mundi creari.

Respondeo dicendum, quòd poſſunt à Deo creari plures numero, imò ſpecie, ac proinde ſemper in infinitum perfectiores Mundi.

Probatur concluſio authoritate, & ratione D.Thom. 1.p.q.25.art.5. vbi ſic ait, *Quando finis eſt proportionatus rebus propter finem factis, ſapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem : ſed diuina bonitas eſt finis improportionabiliter excedens res creatas ; vnde diuina ſapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, vt non poſſit alius curſus rerum effluere :* Vnde dicendum eſt ſimpliciter quòd Deus poteſt alia facere, quàm quæ fecit :

fecit: quæ ratio conuincit tam de aliis in hoc Mundo, quàm de aliis Mundis, vt patet.

Secundò, quòd producantur plures & semper perfectiores Mundi, non repugnat ex parte Dei, quia virtus eius est infinita, & est omnipotentia, idest, omnia potens, quæ non implicant contradictionem, vnde ex parte eius nulla potest esse repugnantia. Nec repugnat ex parte rerum, nam si Mundi debeant esse solo numero distincti, non apparet cur Deus non possit producere similes Cœlos, similia Elementa, & similes corporum mixturum species, ac eodem modo inter se coordinare, vt sunt coordinata in hoc Mundo, vt magis constabit ex responsione argumentorum, & ita non repugnat dari plures Mundos numero distinctos, si attendantur principales eius partes, quamuis si omnes eius partes, scilicet omnes species attendantur, sit impossibile plures Mundos solo numero distinctos produci, quia vt dicetur in Metaphysica, implicat produci plures Angelos eiusdem speciei. Si autem Mundi debeant esse specie diuersi, séque in perfectione essentiali excedere, non apparet cur Deus non possit producere Cœlos diuersæ speciei perfectiores, qui enim hos diuersæ speciei inter se creauit, potest & alios, vel eius virtus est limitata, quod est impium asserere. Similiter non apparet cur non possit producere alia corpora simplicia diuersæ speciei, siue alia Elementa prædita aliis virtutibus, cœlestibus corporibus, eorúmque influentiis nobilioribus subiecta, & subordinata. Deinde plures, & perfectiores Angelorum species, animalium, plantarum, lapidum, metallorum, & similium: si speciem humanam excipias, non enim videtur possibilis perfectior species animalis specie humanâ: ergo possunt à Deo creari plures numero, imò specie, ac proinde in infinitum perfectiores Mundi, in quibus poterunt reperiri ordo gratiæ & gloriæ, ac ordo hypostaticus: non quidem perfectiores intensiuè, siue quantùm ab substantiam (non enim est possibilis perfectior essentialiter gratia, aut gloria, aut vnio hypostatica) sed tantùm extensiuè & accidentaliter: potest enim plus gratiæ, & gloriæ, ac pluribus tribui: sicut & vnio hypostatica potest pluribus naturis, etiam specie distinctis communicari, imò possent tres Diuinæ Personæ hypostaticè se communicare; hæ tamen perfectiones, quamuis sint præcipuum huius Mundi ornamentum, quia tamen sunt quid supernaturale, non pertinent ad constitutionem naturalem Mundi: quòd autem Deus posset hos omnes mundos regere, nulli dubium esse potest, qui infinitam & illimitatam eius sapientiam & omnipotentiam confitetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd sunt possibilia Deo plura corpora cœlestia, Elementaria, & mixta, vt dictum est, cùm sit virtus infinita Dei, & nulla implicantia ex parte corporum.

Ad secundum dicendum, quòd D.Thom. assumit hanc rationem tantùm vt probabilem, & vt congruentiam: quod constat, nam eadem 1.p.q.25.art.5.ad 3. docet, quòd Deus potuit alias res creare, & alium eis imponere ordinem; sic enim ait: *Licèt iste cursus rerum sit determinatus istis rebus, quæ nunc sunt, non tamen ad hunc cursum limitatur diuina sapientia, & potestas, vnde licèt istis rebus, quæ nunc fiunt, nullus alius cursus esset bonus, & conueniens, tamen Deus posset alias res facere, & alium eis imponere ordinem.*

Ad tertium dicendum, quòd Mundi possibiles possent ab isto distingui, tum specie, tum numero, si solo numero distinguerentur, Deus daret aliam inclinationem, & imponeret alium ordinem suis partibus, ita vt terra haberet suum centrum, & alia Elementa sua haberent loca connaturalia distincta ab istis, ad quæ naturaliter tenderent, qui enim hanc terram fundauit super stabilitatem suam, & aliam posset fundare: quia quælibet res eam habet inclinationem, quam recipit ab authore naturæ: vnde Diuus Thomas solùm affert illam rationem vt probabilem, vel loquitur de partibus illis, si eis propria inclinatio non daretur ad sua loca. Ad aliud dicendum, quòd Mundus absolutè loquendo, non petit ab intrinseco constare iisdem, aut similibus partibus omnino, quibus iste constat.

Ad quartum dicendum, quòd hic Mundus perfectè quidem imitatur ideam, siue exemplar sui in mente diuina existens, sed potuerunt esse perfectiora exemplaria, siue exemplaria rerum perfectiorum, quia diuina perfectio, vt pote infinita, est in infinitum perfectiori semper modo imitabilis.

Articvlvs V.

Vtrùm Mundus hic potuerit creari perfectior, quàm sit?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd Mundus hic non potuerit creari perfectior, quàm sit. Probatur. Mundus hic est opus potentiæ, & sapientiæ infinitæ: ergo est opus infinitè perfectum, ac proinde non potuit creari perfectior, quàm sit, vnde propterea Genesis 1. dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Et Aug. in Enchiridio cap.10. ait, *Bona sunt singula, quæ Deus fecit, sed simul vniuersa valde bona, quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo.*

¶ 2. Præterea, S.Aug. libro 3. contra Maximinum cap.7. dicit, quod si Deus potuit, & noluit gignere Filium sibi æqualem, inuidus fuit: eadem ratione potest sic argui, si Deus potuit, & noluit hunc Mundum creare perfectiorem, quàm sit, inuidus fuit: ergo cùm sine blasphemia non possit Deo attribui inuidia, dicendum quòd Mundus hic non potuit creari perfectior, quàm sit.

¶ 3. Præterea, Plura sunt in hoc mundo, quibus nihil perfectius dari potest, vt homo Christus plenus gratiâ & veritate, & spiritum habens non ad mensuram, Beatitudo etiam creata, quæ est summum bonum, Beatissima Virgo Maria Dei genitrix perfectissima creaturarum: ergo Mundus hic non potuit creari perfectior quàm sit.

Sed contra est authoritas D.Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, ac plures alij, vt Conimbricenses, & Ruuius in præsenti.

Conclvsio.

Cùm hic Mundus processerit à Deo, qui est infinitæ virtutis, potuit creari perfectior, quàm sit.

Respondeo dicendum, quòd hic Mundus non potuit creari perfectior, quàm sit ex parte principij à quo processit, & ex parte finis ad quem ordinatur. 2. benè tamen ex parte rerum, siue partium eius, aut specierum in eo productarum. 3. quas etiam perfectiores accidentaliter potuit Deus producere, & non essentialiter, supposito quòd has voluerit producere, & non alias. 4. quantùm verò attinet ad ordinem partium Mundi inter se, & ad finem, potuit hic duplex ordo esse perfectior accidentaliter, non essentialiter.

Probatur prima pars conclusionis. Principium à quo processit hic Mundus, est Deus optimus maximus, agens ex infinita sapientia, & potentia, finis autem, ad quem ordinatur, est ipsemet Deus summè bonus, omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus, id est, ad ostensionem suarum perfectionum: sed non potest dari principium nobilius aut finis perfectior: ergo non potuit hic Mundus creari perfectior, quàm sit ex parte principij, à quo processit, & ex parte finis, ad quem ordinatur, & hoc asserit D. Thom. 1. part. quæst.25. art.6. ad 1.

Probatur, & explicatur secunda pars conclusionis. Constat ex dictis supra, Deum posse producere in hoc Mundo species multò perfectiores iis, quæ in illo sunt; potuit etiam loco Terræ, vel Aquæ, & sic de aliis, producere aliquod nobilius Elementum, quo posito fuisset idem Mundus, supposito quòd remanerent aliæ partes integrantes; ex mutatione enim, imò ex carentia vnius partis integrantis, putà manûs in homine, non destruitur ipsum totum: ergo Mundus hic potuit creari perfectior, quàm sit ex parte rerum, siue partium eius, aut

specierum

ſpecierum in eo productarum: & hoc dicit D.Thom.1.p. q.45.art.6.vbi ſic ait: *Simpliciter autem loquendo, qualibet re à ſe factâ poteſt Deus facere aliam meliorem*: Quod etiam repetit ad 1.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate, & ratione D.Thom. ibidem vbi ſic ait. *Bonitas alicuius rei eſt duplex, vna quidem quæ eſt de eſſentia rei, ſicut eſſe rationale eſt de eſſentia hominis, & quantùm ad hoc bonum, Deus non poteſt facere aliquam rem meliorem, quàm ipſa ſit, licèt poſſit facere aliquam aliam eâ meliorem: ſicut etiam non poteſt facere quaternarium maiorem, quia ſi eſſet maior, iam non eſſet quaternarius, ſed alius numerus: ſic enim ſe habet additio differentiæ ſubſtantialis in definitionibus, ſicut additio vnitatis in numeris, vt dicitur in 8. Metaph. Alia bonitas eſt, quæ eſt extra eſſentiam rei, ſicut bonum hominis eſt eſſe virtuoſum, vel ſapientem: & ſecundùm tale bonum poteſt Deus res à ſe factas facere meliores*: Et in reſponſione ad 1. ait, *Poteſt Deus dare rebus à ſe factis meliorem modum eſſendi quantùm ad accidentalia, licèt non quantùm ad eſſentialia*: Ergo partes Mundi, & ſpecies rerum in eo productas potuit Deus producere perfectiores accidentaliter & non eſſentialiter; ſuppoſito quòd has voluerit producere & non alias.

Probatur & explicatur quarta pars concluſionis in qua dicitur quòd ordo, qui eſt in partibus vniuerſi, non potuit eſſe perfectior eſſentialiter, tam inter ſe quàm ad finem: benè tamen accidentaliter, id eſt, non potuerunt alio modo aptiori, & perfectiori inter ſe diſponi partes huius Mundi, quàm eo quo diſpoſitæ ſunt, ita vt Terra ſit in infimo loco, vt pote grauior aliis, & ignobilior, poſtea Aqua, deinde Aer, & Ignis iuxta maiorem nobilitatem magis accedant ad Cœlos, qui vt corpora nobiliſſima ſupremum tenent locum: & hic ordo dicitur eſſentialis partium Mundi inter ſe; & ſic inter ſe ordinatæ, ad diuinam etiam bonitatem ſic perfectiſſimè ordinantur: quòd autem in hoc ordine potuerit addi aliquid perfectionis accidentalis, non videtur negandum, cùm enim ipſæ partes potuerint eſſe perfectiores accidentaliter, etiam ordo inter ipſas potuit eſſe perfectior accidentaliter, quòd declaratur in ſpeciebus. Nam v.g. potuit perſeuerare ſtatus innocentiæ, in quo omnia homini ſubdebantur, vnde tunc erat perfectiſſimus ordo, ſed nunc propter peccatum hominis interruptus: & ſimiliter homo potuit creari cum maiori perfectione ſopernaturali, vnde perfectiori modo, ſed accidentali ad Deum ordinaretur. Ita D.Thom.loco citato ad 3.vbi ſic ait, *Vniuerſum ſuppoſitis iſtis rebus non poteſt eſſe melius propter decentiſſimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum vniuerſi conſiſtit, quorum ſi vnum aliquod eſſet melius corrumperetur proportio ordinis, ſicut ſi vna chorda plus debito intenderetur, corrumperetur cithara melodia: poſſet tamen Deus alias res facere, vel alias addere iſtis rebus factis, & ſic eſſet illud vniuerſum melius.*

Ad primum ergo dicendum, quòd infinita Dei ſapientia, & potentia eluceut in perfectiſſimo ordine partium creatarum huius Mundi, ratione cuius inter ſe diſpoſita omnia creata dicuntur valde bona: quia tamen Deus non agit ex neceſſitate, ſed ex electione, ideo nihil creatum in ſe poteſt eſſe infinitè perfectum, ſed iuxta diuinum beneplacitum habet limitatam perfectionem.

Ad ſecundom dicendum ex D.Thom.loco citato, quòd de ratione Filij eſt, quòd æquetur Patri, cùm ad perfectum venerit, non eſt autem de ratione creaturæ alicuius, quòd ſit melior, quàm à Deo facta eſt, vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt vnita Deo, & Beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei, & Beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei; habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo: potuit tamen hic Mundus creari perfectior quantùm ad alia.

QVÆSTIO III.

De numero & ſtatu Cœlorum.

Cvm obiectum horum librorum ſit ens mobile ſecundùm locum, & motus localis Cœlorum ſit notiſſimus & regulariſſimus: poſt conſiderationem ipſius Mondi, quàm præmiſit Philoſophus (de toto enim prius agendum erat quàm de partibus) ſtatim ad conſiderationem Cœli accedit, vt poſtea de motu eius agatur. Quia verò ex hac quæſtione de numero & conſtitutione Cœlorum pene omnia, quæ de ipſis dicenda ſunt dependent, ideo primo loco proponitur: circa quam quæruntur ſex.

¶ Primò, Vtrùm ſint plures Cœli?
¶ Secundò, Vtrùm quodlibet Cœlum ſit vna ſimplex Sphæra?
¶ Tertiò, Vtrùm Cœli ſint contigui, & quo ordine?
¶ Quartò, Vtrùm Stellæ, & Planetæ ſint partes Cœlorum, quibus inſunt?
¶ Quintò, Vtrùm Stellæ, & Planetæ lucem mutuentur à Sole?
¶ Sextò, Vnde proueniant maculæ, quæ apparent in Luna?

Articvlvs I.

Vtrùm ſint plures Cœli?

Ad Primvm ſic proceditur. Videtur quòd ſit tantùm vnum Cœlum. Ita tenet S.Chryſoſtomus homilia 4. in Geneſim, vbi ait eos qui multos eſſe Cœlos dicere audent, diuinæ ſcripturæ authoritati contradicere. Probatur. Geneſis 1. habetur. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*: Sed ex hoc loco affirmamus vnam tantùm eſſe Terram: ergo & vnum tantùm eſſe Cœlum; & hoc dicit Philoſophus in hoc libro textu 91. ait enim, quòd neceſſe eſt vnum eſſe Cœlum.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd ſint duo tantùm Cœli. Ita tenent Theodoretus q. 11. in Geneſim. Vbi ſic ait, *Qui non credit ſecundum Cœlum eſſe, rectam ſemitam tranſgreditur; qui verò plures nominare conatur, adhæret fabulis poſtpoſita diuini Spiritus doctrinâ*: Et probat ſubiungens, *Nam Moyſes duos tantum Cœlos numerat, alterum factum ante lucem, alterum factum poſt lucem ex natura aquarum.* Item S. Damaſcenus 2. libro Orthodoxæ fidei cap. 6. & alij.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd ſint tantùm tres Cœli. Ita videtur tenere S. Ambroſius libro 2. Hexameron cap.2. & omnes qui dicunt ſidera moueri in Cœlo, ſicut aues in aëre, & piſces in aqua: Probant authoritate D.Pauli 2. Corinth. 12. *Scio hominem raptum vſque ad tertium Cœlum*, Et D.Thom. 2.2. q.175. art.3. vbi ſic ait, *Et ſic tertium Cœlum dicitur Empireum, quod dicitur tertium reſpectu Cœli aerij, & Cœli ſiderei, vel potius reſpectu Cœli ſiderei, & reſpectu Cœli aquei, ſiue Chryſtallini.*

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. ac omnium pene Aſtronomorum, & Philoſophorum aſſerentium plures eſſe Cœlos.

Conclvsio.

Cùm Cœli non ſint liquidi, & plures diuerſique appareant motus in Cœlis contrarij, & incompoſſibiles, neceſſariò admittendi ſunt plures Cœli.

Respondeo dicendum, quòd circa numerum Cœlorum quatuor celebres extant opiniones ſigillatim referendæ. Ad quarum euidentiam ſciendum eſt, quòd apud omnes tam Philoſophos, quàm Aſtronomos antiquos conceſſa ſunt hæc tria, videlicet Cœlos eſſe ſolidos, moueri, & tandem eidem Cœlo non poſſe eſſe connaturales duos motus, ſed cuilibet ſuum; alios verò, ſi quos haberet, eſſe ipſi violentos, & ab alio ſuperiori Cœlo cauſatos; ab intelligentia quippe ſua non habent moueri,

moueri, nisi motu connaturali: hæc tria fuerunt quasi Axiomata, & prima principia apud ipsos, de quibus infra agetur.

Prima opinio fuit omnium pene Ægyptiorum, & Chaldæorum, Platonis libro 10. de Republica, & Aristotelis 12. Metaph. cap. 8. quòd essent octo Cœli: scilicet septem, in quibus singulis essent singuli Planetæ, & octauum, in quo essent stellæ fixæ. Et hoc manifestâ experientiâ deprehendebant & demonstrabant: cùm enim viderent septem Planetas habere peculiares motus sibi inuicem contrarios, ipsique motui stellarum fixarum vniformi; nam cùm ipsæ stellæ fixæ sint semper in eadem inter se distantia, Planetæ hinc inde errantes modò recedunt ab inuicem, sicut & à constellationibus diuersis Firmamenti, siue Cœli stelliferi, modò accedunt ad se inuicem, & ad easdem constellationes, infallibili consequentia collegerunt esse septem Cœlos, in quibus singulis essent affixi septem Planetæ; & octauum, in quo essent omnes stellæ fixæ: & quia ex concursu Planetarum collegerunt quinam sub aliis essent inferiores, quinam superiores, ideo hoc ordine Cœlos collocabant ascendendo, primum Lunæ, secundum Planetæ Mercurij; tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, sextum Iouis, septimum Saturni, octauum tandem Cœlum Stelliferum, quod vocamus Firmamentum, illi vocabant primum mobile.

Secunda opinio fuit Arsatilis, & Timocharis, qui trecentis, & triginta annis Christum præcesserunt; item Abrachis, siue Hipparchi post ducentos circiter annos Milei Agriæ, ac tandem Ptolomæi Astrologorum principis anno Domini centesimo trigesimo, quòd essent nouem Cœli: nam cum in Cœlo sidereo, siue Firmamento duplicem aduertissent motum, vnum ab Oriente in Occidentem omnibus notissimum, alium ab Occidente in Orientem, tardissimum quidem, perceptibilem tamen: & ex alia parte certissimè tenerent eidem corpori simplici repugnare duplicem motum contrarium ipsi connaturalem, concluserunt supra Firmamentum esse aliud Cœlum, à quo vt à primo mobili violenter mouebatur ipsum Firmamentum ab Oriente in Occidentem, cùm tamen connaturaliter moueatur ab Occidente in Orientem; hanc opinionem sequitur Ioannes de Sacro Bosco in sua Sphæra, & D.Thom. quodlib. 6. vt pote communem suo sæculo 1.p.q.68.art.4.

Tertia opinio fuit Thebitij, & Alphonsi Regis Hispaniarum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, deinde Georgij Purbachij, & Ioannis de Monte Regio, quòd essent decem Cœli mobiles, quæ opinio fuit in scholis receptissima, & pene communis: fundamentum autem statuendi decimum Cœlum mobile, fuit quia dicti Astrologi deprehenderunt Firmamentum moueri triplici motu: nam præter duos iam dictos percipitur motus accessûs, & recessûs, qui est ab vno polo Mundi ad alium, quem alij vocant trepidationis, siue titubationis, & asserunt esse connaturalem Firmamento, alios verò duos esse violentos, ac proinde ipsi impressos à duobus Cœlis superioribus, quorum vnum vocant Chrystallinum, siue aqueum, & dicunt moueri motu proprio ab Occidente in Orientem, eodémque motu alios inferiores Cœlos ab Occidente in Orientem rapere: aliud vocant primum mobile, quod ab Oriente in Occidentem spatio viginti quatuor horarum connaturaliter mouetur, huic denario numero Theologi addunt Cœlum Empyreum, ipsum aliqui asserunt in parte quidem inferiori, quâ subiectos alios Cœlos contingit, sphæricum, in superiori autem quadratum, quæ figura conuenit perpetuæ eius stabilitati, idque colligunt aliqui ex illo Apocalypsis 21. *Ciuitas in quadro posita est*: Estque miri ac delectabilis splendoris, maximè in parte interiori, vbi Beatorum corpora per totam requiescent æternitatem.

Quarta opinio est Ioannis Antonij Magini, Clauij, & aliorum, quòd sint vndecim Cœli mobiles: ita vt supra Firmamentum, quod est octauum, constituunt duos Chrystallinos, primum mobile, & tandem duodecimum Empyreum. Horum fundamentum est, quia deprehensum asserunt diligentissimâ obseruatione quadruplicem motum in Firmamento, quo admisso omnes apparitiones, siue Phenomæna saluantur: vnde cùm cuilibet corpori simplici vnicus conueniat motus, vnum ex prædictis quatuor motibus connaturalem Firmamento dicunt, alios verò tres à tribus superioribus Cœlis communicatos: dicunt igitur in Firmamento esse quatuor motus, duos perfectos, & completos, duos verò incompletos, & imperfectos, quos propterea librationes vocant: primus motus perfectus cunctis notissimus est ab Oriente in Occidentem, quem spatio viginti quatuor horarum perficit, illúmque participat à primo mobili. Secundus motus perfectus, est ab Occidente in Orientem, quem non absoluit iuxta aliquos, nisi spatio viginti quinque millium septingentorum nonaginta octo annorum, & dierum centum viginti: hi authores hunc motum proprium esse dicunt Firmamenti. Primus motus imperfectus, siue prima libratio est à polo ad polum, siue à meridie ad Septentrionem, & à Septentrione ad Meridiem: hic autem motus libratio dicitur, quia non est perfecta giratio, & circumuolutio, sed est solùm agitatio per modicum spatium, scilicet per viginti quatuor tantùm minuta vnius gradus, quam librationem tam in accessu, quam in recessu complet spatio annorum ter millium quadringentorum triginta vnius, ac dierum ducentorum triginta nouem: hunc motum Firmamento impressum dicunt à primo Cœlo Chrystallino, siue à decima sphæra, cui est connaturalis. Secundus motus imperfectus, siue secunda libratio, quæ etiam non est perfecta circumuolutio, sed est agitatio per duos tantùm gradus cum triente ab Oriente in Occidentem, & rursus ab Occidente in Orientem, & completur spatio annorum mille septingentorum quindecim, ac dierum trecentorum & duorum: hunc motum dicunt esse proprium nonæ sphæræ, siue secundi Chrystallini, ab eóque ipsi Firmamento communicari: hæ autem librationes non sunt vniformes, sed motu inæquabili procedunt: ex prima libratione procedit vt maxima Solis declinatio nunc augeatur, nunc minuatur: ex secunda verò procedit, vt anni magnitudo appareat inæqualis.

Supradictæ quatuor opiniones sunt omnes probabiles. Prima quidem de octonario numero Cœlorum mobilium (Empireum siquidem, quia immobile naturaliter deprehendi non potest) facilis est; nec multùm vrgere videntur, quæ contra eam obijciuntur: nam admissis obseruationibus Astrologorum, quòd scilicet Firmamentum triplici motu relato in tertia opinione videatur moueri (quartus enim, scilicet libratio ab ortu in occasum, nondum est tam certus) hæc tamen omnia possunt saluari si dicatur quòd Firmamentum mouetur ab Oriente in Occidentem per lineam gyratiuam, nunc accedendo ad vnum polum, & recedendo à contrario, & vice versâ: quia tamen spatio viginti quatuor horarum non omnino complet circulationem; hæc retardatio videtur regressio, siue motus ab Occidente in Orientem; ita censent aliqui Philosophi, vt Ruuius libro 2. de Cœlo cap. 5. q. 2. & hæc dicta sint in gratiam Aristotelis, sine præiudicio tamen aliarum opinionum. Pro nunc sequemur tertiam, non tam vt propriam, quàm vt communiorem inter Philosophos, & Astrologos: quarta enim nondum bene firmata est, recentiores quippe diuisi sunt. Nec propterea discedimus ab Aristotele, & D.Thom. hanc receptissimam sequentes opinionem: imò eorum sequimur consilium, qui in his materiis credendum dicunt Astrologis, vt ipsimet credunt tenentes in his ea quæ ipsorum sæculo magis certa, & recepta erant: & patet quàm indifferenter & dubitanter in hac re D.Thom. loquatur: ad hoc autem facilè inducimur, quia ex hac opinione, præter augmentum vnius Cœli, nihil variatur in doctrina D.Thom. imò omnia conueniunt.

An primum ergo dicendum, quòd terra comparatur ad Cœlum, vt centrum Mundi ad circumferentiam: vnum autem debet esse tantummodo centrum. Plures autem

autem poſſunt eſſe circumferentiæ : & ita plures Cœli : Philoſophus autem in hoc loco nomine Cœli intelligit Mundum.

Ad ſecundum dicendum, quòd illi ſancti Patres fuêre fortè in hac opinione, quòd ſint tantùm duo Cœli : quamuis etiam poſſit dici quòd reprobant, non plures Cœlos huius Mundi, ſed alios Cœlos, & Mundos confictos à quibuſdam hæreticis : plures autem ſunt ſancti Patres, præcipuè D. Thom. qui multos admittunt orbes cœleſtes.

Ad tertium dicendum, quòd anthoritas adducta D.Thom. explicat Apoſtolum, nam nomine primi Cœli intelligit aërem, nomine ſecundi, omnes orbes cœleſtes tam ferentes ſidera, quàm alios, ſiue nomine primi Cœli intelligit Cœlum ſidereum, nomine ſecundi, Cœlum aqueum, nomine tertij, Empyreum.

Articvlvs II.

Vtrùm quodlibet Cœlum ſit vna ſimplex ſphæra?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd quodlibet Cœlum ſit vna ſimplex ſphæra, ita vt non conſtet pluribus orbibus, quorum aliqui ſint & dicantur Concentrici, alij Excentrici, nec vlli ſint Epicicli. Probatur. Solus motus circularis conuenit Cœlis ex Ariſtotele, motus autem à medio, & ad medium conuenit Elementis, & mixtis : ſed ſi darentur Excentrici, & Epicicli aliqua corpora cœleſtia mouerentur à medio, & ad medium, cùm eorum vna pars magis ad Terram accederet, & altera minùs : ergo non dantur orbes Excentrici, nec Epicicli.

¶ 2. Præterea, Ariſtoteles 2. de Cœlo dicit omnes apparentias Planetarum poſſe ſaluari per pluralitatem motuum, & alibi docet corpora cœleſtia eſſe perfectè ſphærica : ſed Excentrici ſecundùm quid, non ſunt perfectè ſphærici, vt patet : ergo non dantur Excentrici, nec Epicicli.

¶ 3. Præterea, Si darentur Excentrici ſecundùm quid, non poſſent moueri ſine penetratione, & ſciſſione Cœlorum, dum pars craſſior ſubintrat locum tenuioris, & ſimiliter daretur vacuum, aut rarefactio dum ſubtilior ſubintrat locum craſſioris, non enim poteſt replere totum eius ſpatium, quæ omnia ſunt impoſſibilia : ergo non dantur Excentrici ſecundùm quid.

¶ 4. Præterea, Si daretur Excentricus Solis, cuius vnum punctum ſcilicet augis maximè à terra diſtaret ; & aliud ſcilicet oppoſitum augis, minùs diſtaret, apparerent inæquales declinationes Solis : ſed hoc aduerſatur experientiæ, quæ deprehendit omnes Solis declinationes, ſiue ſit in ſignis Borealibus, ſiue in Auſtralibus, eſſe æquales : ergo in Cœlo Solis non dantur Excentrici.

¶ 5. Præterea, Si in Cœlo Lunæ eſſet Epiciclus, in quo corpus Lunare circumuolueretur, non ſemper Luna appareret eodem modo, nec eodem aſpectu, cuius contrarium quotidianâ deprehenditur experientiâ, eius quippe maculæ in eodem ſemper ſitu videntur : ergo non datur Epiciclus in Cœlo Lunari.

Sed contra eſt anthoritas Ptolomæi principis Aſtrologorum, quem ſecuti ſunt omnes antiqui poſt ipſum Aſtrologi, & moderni omnes, qui Cœlos tenent eſſe ſolidos.

Conclvsio.

Cùm omnes Planetæ modò magis diſtent à terra, modò minùs, & plura alia appareant, quæ ſine Excentricis, & Epiciclis ſaluari non poſſunt cum ſoliditate Cœlorum, neceſſariò admittendi ſunt Excentrici, & Epicicli.

Respondeo dicendum, quòd quodlibet Cœlum Planetarum non eſt vna ſimplex ſphæra, ſed componitur ex pluribus Cœlis, vel orbibus partialibus, quorum aliqui ſunt concentrici ſecundùm quid, alij excentrici ; vel ſimpliciter, vt deferens ; vel ſecundùm quid 2. Alij dicuntur Epicicli, & hi reperiuntur in omnibus Cœlis Planetarum excepto Sole. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quodlibet Cœlum totale eſſe perfectè ſphæricum, & concentricum terræ, ſi loquamur de Cœlis mobilibus, quod indicant hæ authoritates ſacræ Scripturæ, *Gyrum Cœli circuiui ſola.* Item Eccleſiaſtes 1. *Gyrans per Meridiem.* Deinde hoc demonſtrat circularis cum æquali diſtantia à terra motus Stellarum, & ſucceſſiua Lunæ illuminatio cauſata à Sole : dicitur autem concentricum ſimpliciter Terræ, ſiue Mundo, quia tam ſecundùm ſuperficiem conuexam, quàm ſecundùm concauam habet pro centro centrum Mundi : vnde vice verſâ orbis partialis deferens, dicitur ſimpliciter excentricus, quia eius ſuperficies tam conuexa, quàm concaua habet diuerſum centrum à centro totius Cœli, ſiue Mundi : alij verò duo orbes partiales dicuntur, tam concentrici, quàm excentrici ſecundùm quid, quia ſuperior eorum, & maior ſecundùm ſuperficiem conuexam habet pro centro centrum Mundi, ſecundùm concauam verò habet aliud centrum. Inferior autem, ſiue minor vice verſâ ſecundùm ſuperficiem conuexam habet aliud centrum à centro Mundi, ſecundùm concauam autem habet pro centro centrum Mundi, quæ omnia in ſequenti figura demonſtrantur, quæ licèt ſit Cœli totalis Lunæ tantùm, in ea tamen ponuntur alij Planetæ, vt appareat quomodo quilibet ſit in ſuo Cœlo huic ſimili.

Probatur concluſio. Sol, Luna, aliique planetæ ſinguli, vt diligenti Aſtronomorum obſeruatione conſtat, quibus in hac parte credendum eſt, modò apparent maiores, modò minores : ſicut Sol maior apparet in ſignis Auſtralibus, minor in Septentrionalibus, & hoc regulariter, quod indicat ipſum modò eſſe propinquiorem terræ, modò remotiorem à terra, quò enim aliquid eſt propinquius, apparet maius, quò remotius, apparet minus, vt quotidianâ conſtat experientiâ : ſed hæc contingere non poſſent, ſi quodlibet Cœlum Planetarum eſſet vna ſimplex ſphæra, cui affixus eſſet planeta (poſitâ ſoliditate Cœlorum, quam infra probabimus) vt conſideranti patet : ergo quodlibet Cœlum totale Planetarum non eſt vna ſimplex ſphæra, ſed conſtat ſuis orbibus partialibus concentricis, & excentricis : nec iſtæ apparentiæ poſſunt prouenire, aut ab exhalationibus interiectis, aut ex refractione radiorum planetæ ad partes denſiores Cœli, vbi ponitur oppoſitum augis : nam contra, quia tales apparentiæ videntur regulariter, etiam Cœlo valde ſereno, & ita non cauſantur ab exhalationibus. Deinde ſtellæ fixæ in Zodiaco exiſtentes in æquali ſemper magnitudine apparent, & tamen deberent apparere maiores, dum illis ſubiacent illæ partes denſiores in orbibus Planetarum, & ita illæ apparentiæ non cauſantur ex illa refractione radiorum, maximè quia Planetæ, dum apparent maiores, videntur clari & ſplendidi.

Secundò probatur ex Eclipſi tam Solis, quàm Lunæ.

Nam

Nam aliquando plus durant, aliquando minùs. Item aliquando contingit maior obscuritas, aliquando minor, & per maiorem ac minorem distantiam locorum existente Sole & lunâ in eodem situ, positâque eâdem dispositione aëris: quæ euenire non possunt, nisi admittatur inæqualis distantia inter Solem & lunam, ac vtriusque à Terra: quæ inæqualitas distantiæ saluari non potest sine excentricis. Quod sigillatim sic explicatur, incipiendo ab Eclipsi Solis: anno Domini 1559. contigit vna valde celebris Conimbricæ in Lusitania circa Meridiem, tam obscura, vt essent tenebræ maiores, quàm nocturnæ, vnde nec homines incedere valebant, aues ex aëre decidebant, Stellæ in Cælo clarissimè apparebant, vnde manifestè colligitur quòd Luna totum Solem tegebat: anno verò 1567. etiam circa meridiem Romæ contigit alia, in qua Luna non tegebat totum Solem, sed circumquaque Lunam exiguus apparebat Solis circulus: has duas Solis Eclipses refert Clauius testis ocularus: hæc diuersitas non potest contingere, si dicatur quòd Sol & Luna sunt semper in æquali distantia inter se, & à nobis, vt patet experientiis Mathematicis, & dicendum quòd Luna quò magis recedit à Sole, & accedit ad nos, eò plus spatij in parte superiori nobis tegit, & maiorem, ac obscuriorem causat Solis Eclipsim: & econtra quò magis recedit à nobis, & accedit ad Solem; eò minùs spatij tegit, vnde minorem, ac minùs obscuram causat Eclipsim. Similiter Eclipsis Lunæ aliquando durat per tres horas, aliquando minùs, vt ipse vidi: & aliquando ad maius spatium cernitur: quod contingere non potest, nisi ex diuersitate vmbræ Terræ interpositæ inter Solem & Lunam, quò enim minorem Terræ partem Sol illuminat, eò Terra habet maiorem vmbram, ac ita causat maiorem Eclipsim: Sol autem quò propinquior Terræ, eò minorem Terræ partem, & quò remotior, eò maiorem partem illuminat, vt demonstrant Mathematici: quia verò Sol est multò maior Terræ globo, ideo eius vmbra paulatim in processu attenuatur, ac tandem definit: vnde quò Luna est Terræ proximior, maiorem eius participat vmbram, minorem autem, quò remotior, constat autem ex dictis quòd sine Excentricis, hæc maior distantia, vel proximitas saluari non potest: ergo quodliber Cœlum Planetarum constat Excentricis.

Tertiò, in Cœlis Planetarum aduertimus omnes motus proprios Cœlorum superiorum, scilicet diurnum primi mobilis ab ortu in occasum spatio viginti quatuor horarum aut circiter. Item motum Cœli Chrystallini ab occasu in ortum spatio 49000 annorum secundùm Alphonsum, vel 36000 secundùm Ptolomæum. Tandem motum trepidationis, siue accessus, & recessus Firmamenti, vt constat ex maxima declinatione Solis, aliorúmque Planetarum: & hoc ideo quia propter naturalem subordinationem, & coordinationem Cœlorum, superiores mouent inferiores: ergo cum videamus Planetas inferiores nihil participare de motu superiorum Planetarum, vt docent Astronomi, necessariò concludendum est interuenire aliquod impedimentum, scilicet diuersitas centrorum respectu orbium deferentium Planetas: & ita debent esse Excentrici: alias omitto demonstrationes ex irregularitate, & inæqualitate motûs Solis, aliorúmque Planetarum, ac ex diuerso eorum aspectu petitas.

Probatur secunda pars conclusionis. Quòd scilicet in Cœlis planetarum sint Epicicli, excepto Sole (nomine autem Epiciclorum intelliguntur orbes paruoli comparatiuè, immersi in orbibus deferentibus Planetas: vnde corpus cuiuslibet Planetæ est immediatè infixum ipsi Epiciclo, qui Epiciclus & mouetur suo peculiari & naturali motu, & simul rapitur motu orbis Excentrici deferentis) Planetæ, excepto Sole, existentes in auge Excentrici, siue in puncto Excentrici à terra remotissimo, nūc maiores, ac proinde proximiores, nunc verò minores, & consequenter remotiores apparent, vt peritissimi concorditer testantur Astronomi: sed hæc non possunt fieri sine Epicilis, quia punctum augis est semper in æquali distantia à terra: vnde nisi in orbe deferente ponantur Epicicli, qui sursum & deorsum respectu nostri circulariter moueantur; ita vt corpus Planetæ modò sursum eleuetur, modò deorsum deprimatur; non potest dari ratio harum apparentiarum, suppositâ Cœli soliditate: ergo in Cœlis Planetarum, excepto Sole, sunt Epicicli.

Secundò, præter communem tarditatem motûs omnium Planetarum in auge, reperiuntur quædam irregularitates in motu aliorum, excepto Sole: nam Luna aliquando deprehensa est moueri tardiùs, aliquando velociùs: ita vt vno die in Zodiaco percurrat fere quindecim gradus, alio verò die tantùm vndecim: sed hæ apparentiæ non possunt saluari cum solis Excentricis; alioquin hæ irregularitates apparent in motu Solis, quod tamen est falsum, nam eadem semper tarditate mouetur in auge, & eadem celeritate in opposito augis: ergo præter Excentricos dantur Epicicli in Cœlis omnium Planetarum excepto Sole: hoc autem maximè apparet in aliis Planetis, exceptâ Lunâ, nam aliquando eorum motus est velocior, aliquando tardior; & sic apparet: velocior quidem est, & apparet, quando Planetæ constituti in superiori parte Epicicli tendunt ad eam partem, ad quam etiam tendit orbis Excentricus deferens Epiciclum, tardior verò quando Planetæ in inferiori constituti parte Epicicli tendunt motu proprio Epicicli ad contrariam partem eius, ad quam tendit orbis Excentricus deferens, & ex hac diuersitate proueniunt progressiones, stationes, & retrogradationes.

Tertiò, deprehenditur quòd Eclipsis Lunæ plus aliquando duret, aliquando minùs, Sole & Lunâ in eodem situ positis, ita vt sit æqualis inter ipsos distantia, eorúmque à Terra, ac proinde Eclipsis maior aut minor duratio non prouenit à maiori aut minori vmbra Terræ, quia cùm ponatur æqualis distantia Solis & Lunæ à Terra, æqualis causatur vmbra à Sole, & æqualis pertingit ad Lunam: sed prouenit ex hoc quòd Luna plus, aut minùs manet sub æquali vmbra, hæc autem maior, aut minor mansio, siue statio non potest attribui Excentrico, qui æquali semper velocitate mouetur: ergo debet attribui Epiciclo, inquantum motu eius Luna tendit, vel ad eamdem partem, ad quam tendit Excentricus deferens, vnde citiùs pertransit vmbram terræ; vel tendit ad contrariam partem, & ita diutiùs sub vmbra Terræ perseuerat. Plures aliæ afferuntur apparentiæ, quibus demonstrantur Epicicli, vt diuersitas aspectûs Planetarum existentium in eodem puncto Excentricorum & similes quas Astronomis remittimus, ad quos pertinet considerare mirabilem Cœlorum constitutionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd orbes Excentrici, & Epicicli mouentur motu circulari, non quidem circa centrum Mundi, hunc enim motum non petunt singuli orbes partiales, sed mouentur circa centra propria, nec contradixisset Aristoteles, si in Cœlis fuisset deprehensa tanta diuersitas motuum, cùm ipse 12. Metaph. dicat Astronomos in rebus Astronomiæ esse consulendos: hic autem motus Planetarum Excentricus Mundo non debet dici à medio, aut ad medium, qualis est Elementorum, quia non fit per lineam rectam, quamuis Planetæ accedant ad medium Mundi, & ab illo recedant.

Ad secundum dicendum, quòd Aristoteles secutus est Astronomos sui temporis, Eudoxum videlicet & Calippum, qui asserebant per pluralitatem motuum Concentricorum orbium posse saluari omnes apparentias, quas ipsi viderant: sed quia Ptolomæus Astronomorum Princeps alias aduertit, quæ necessariò exigunt orbes Excentricos, & Epiciclos, propterea illos admittimus, & sine dubio Aristoteles admisisset. Ad aliud dicendum, quòd omnes orbes, etiam excentrici secundùm quid, & Epicicli sunt perfectè sphærici respectu proprij centri; quia superficies connexa eorum æqualiter distat secundùm omnes partes à suo centro, quamuis illi orbes secundùm vnam partem sint crassiores, secundùm aliam subtiliores.

Ad tertium dicendum, quod orbes Excentrici secundùm quid ita æquo motu feruntur, vt semper pars crassior inferioris subsit, & correspondeat parti tenuiori superioris

perioris, & pars tenuior crassiori: vnde nec penetratio, nec scissio, nec refractio, aut vacuum sequuntur: sequerentur autem, si Excentrici secundùm quid inæqualiter mouerentur.

Ad quartum dicendum cum Clauio quòd centrum Solis in auge existentis describit motu diurno in suo orbe parallelum magis distantem ab æquatore, quàm dum in opposito augis existit, quia hic minùs distantem describit: sed quia vterque parallelus propter nimiam Solis distantiam à Terra videtur describi à punctis, quæ in primu mobili terminant rectæ lineæ à centro per augem, & oppositum augis emissæ, fit vt æqualiter iudicentur declinare ab æquatore quoad sensum.

Ad quintum dicendum cum Fernelio, quòd Luna in Epicielo circa proprium centrum, proprium habet motum, proportionatum in velocitate motui sui Epicicli: quamuis tendat in contrariam partem, & propterea Luna eamdem semper maculatam faciem, & eodem situ nobis ostendit: hæc autem tam mirabilis Cœlorum constructio necessaria fuit, tum ad pulchritudinem vniuersi, tum ad debitum Astrorum influxum in hæc inferiora, non dubium quin etiam mirabilior sit, quàm appareat.

Articvlvs III.

Vtrùm Cœli sint contigui, & quo ordine?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd Cœli non sunt contigui. Ita tenent omnes illi, qui supra Cœlum Siderum, & Stellarum, siue Firmamentum ponunt aquas Elementares, has enim medias constituunt inter Firmamentum, & Cœlum Empireum, ac ita Cœli omnes non sunt contigui: inter hos authores est Molina 1. p. disp. 10. De opere sex dierum. Probatur authoritate sacræ Scripturæ, Psalmo 103. *Extendens Cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius*, Et Psalmo 148. *Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ omnes quæ super Cœlos sunt*, Danielis 3. *Benedicite aquæ omnes quæ super Cœlos sunt Domino*: Denique Genesis. 1. *Fiat Firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*: Sed hæ aquæ non sunt supra Cœlum Empyreum, vt indicat hic vltimus locus, qui eas ponit immediatè supra Firmamentum, maximè quia supra Empyreum ob maximam eius nobilitatem nullum est corpus aliud: ergo inter Firmamentum, & Empyreum; vnde Cœli omnes non sunt contigui.

¶ 2. Præterea, Sanctus Augustinus 2. super Genesim ad litteram sic habet, *Quomodo autem, & quales aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitamus: maior est quippe huius Scripturæ authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.* Idem asserunt SS. Ambrosius, Basilius, Chrisostomus, Theodoretus, & alij: constat autem quòd Sacra Scriptura ad litteram intelligenda est quando ex tali intelligentia non sequitur aliquod inconueniens, vt hic non sequitur: vnde sunt veræ aquæ supra Cœlos mobiles, ac proinde non sunt contigui Empyreo.

Sed contra est authoritas D. Thom. in 2. d. 14. q. 1. & 1. p. q. 68. art. 2. S. Bonauenturæ ibidem in 2. art. 1. quos sequuntur communiter Scholastici, & Expositores in cap. 1. Genesis.

Conclvsio.

Cùm decentissimus sit ordo vniuersi, & perfectissimus non potest admitti aliquod corpus Elementare supra Cœlos, & ita Cœli sunt contigui.

Respondeo dicendum, quòd omnes Cœli sunt contigui, ita vt inter illos nihil mediet. 2. Hoc autem ordine ascendendo se consequuntur: Primum ambiens Elementa est Cœlum Lunæ. Secundum Mercurij. Tertium Veneris. Quartum Solis. Quintum Martis. Sextum Iouis. Septimum Saturni. Octauum Firmamentum, siue Cœlum Stellarum. Nonum Chrystallinum. Decimum primum mobile. Vndecimum Empyreum. Alij duos ponunt Chrystallinos, ita vt primum mobile sit vndecimum, & Empyreum duodecimum.

Probatur prima pars conclusionis. Ordo vniuersi est perfectissimus, vt supra dictum est, & fatentur omnes, vt pote qui processit in infinita Dei sapientia: sed perfectissimus ordo vniuersi exigit, vt Cœli omnes sint contigui, si quid enim mediaret, deberet esse corpus aliquod Elementare, nihil enim aliud materiale admittitur præter Cœlos, corpora Elementaria, & mixta ex eis composita, corpora autem Elementaria connaturalem suum habent situm infra Cœlum Lunæ, nec potest dici quòd sit vacuum inter Cœlos, omnes enim fatentur quòd non datur vacuum in rerum natura: ergo omnes Cœli sunt contigui.

Secundò, si inter Cœlos admitteretur aqua, multa sequerentur inconuenientia. Primum quòd sit ibi violenter, cùm sit extra connaturalem locum, si ponatur esse aqua eiusdem speciei, ac nostra. Secundùm quòd intra Cœlos possit esse aliqua corruptio & generatio, aqua enim illa posset alterari luce Solis, & aliorum siderum, cùm etiam ibi esset eiusdem naturæ, ac nostra: in constitutione autem vniuersi non est recurrendum ad miracula, vt docet August. libro 2. super Genesim dicens, quòd nunc quemadmodum Deus instituit naturas rerum conuenit quærere: non quid in eis ad miraculum suæ potentiæ velit operari, & D. Thom. 1. p. quæst. 68. art. 2. ad 1. ait, dicendum quòd quibusdam videtur ratio illa soluenda per hoc, quòd aquæ quamuis sint naturaliter graues virtute tamen diuinâ super Cœlos continentur: sed hanc solutionem Aug. excludit: ergo Cœli sunt contigui.

Probatur secunda pars conclusionis vnanimi Philosophorum omnium, & Astronomorum consensu, qui hunc ordinem in Cœlis constituunt, eùmque deprehenderunt apparentiis Astronomicis: maximè ex motu Planetarum, quos sub Stellis fixis moueri viderunt, vnde eorum Cœlos sub Firmamento collocarunt, eósque aliis inferiores collegerunt, quos sub aliis moueri infallibili experientiâ deprehenderunt: nec verum est quod aliqui dicunt Martem fuisse visum sub Sole, facilè enim potest visus propter maximam distantiam in his aliquando decipi, vnde demonstrationibus potiùs Astronomicis infallibilibus standum est, quarum prima est; illud Cœlum est superius, cuius Stellæ vel Planetæ habent maiorem diuersitatem aspectûs: sed Stellæ fixæ habent maiorem diuersitatem aspectûs, quàm Planetæ: inter Planetas verò Saturnus, postea Iupiter, deinde Mars, exinde Sol, tandem Venus, & Mercurius: Luna verò haber minorem: ergo Firmamentum est supra Cœlos Planetarum: Planetarum verò Cœli se habent ordine assignato, ita vt Cœlum Lunæ sit infimum.

Secundò, illud Cœlum est inferius, cuius Planeta eclipsat alios: eclipsis enim causata à Planetis prouenit ex hoc, quòd vnus Planeta interponitur inter visum nostrum, & alium Planetam, qui autem interponitur sic, est inferior alio: sed Luna eclipsat omnes Planetas Mercurius autem eclipsat Venerem, venus aliqualiter Solem, Sol Martem, Mars Iouem, Iupiter Saturnum, & hi omnes Stellas fixas, vt experientiâ Astronomicâ constat: ergo Cœlum Lunæ est infimum, alij verò se consequuntur ordine prædicto.

Tertiò, illud Cœlum est inferius, ac magis distans à primo mobili ex Aristotele, & D. Thom. lib. 2. de Cœlo lect. 15. cuius Astrum velocius mouetur proprio motu: quia cùm omnes Cœli inferiores rapiantur à primo mobili ab ortu in occasum (Cœlum enim continens mouet inferiores contentos) cui motui contrariatur motus proprius Planetarum, infallibiliter colligitur illud Cœlum magis distare à primo mobili, in quod motus primi mobilis non habet tantam efficaciam, quia virtus eius paulatim debilitatur, vnde in magis distantibus apparet debilior: constat autem quod illa virtus est debilior in illo Cœlo, cuius Astrum velocius mouetur motu proprio, cùm enim isti motus sint contrarij,

contrarij, quò vnus est debilior, alius est velocior; & econtra: sed Luna mouetur velocissimè motu proprio, nam spatio viginti nouem dierum conficit suum cursum: Sol, Venus, & Mercurius spatio ferè vnius anni Solaris: citiùs tamen aliquantulum Mercurius Venere, & Venus Sole, Mars spatio duorum annotum, Iupiter spatio duodecim, Saturnus spatio triginta, Firmamentum denique per multa millia: ergo Cœlum Lunæ est infimum, alij inferiores ordine præfixo.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 1. part. quæst. 68. art. 3. ad 1. quòd si per Firmamentum intelligatur Cœlum sidereum, & per Cœlos intelligantur veri Cœli, aquæ superiores non sunt eiusdem speciei cum inferioribus: Cœlum quippe Christallinum, vt pote valde Diaphanum, vocatur aqueum, sicut Empyreum vocatur igneum, propter maximum splendorem: si autem per Firmamentum, vel Cœlum intelligatur nubilosus aër, tunc vtræque aquæ sunt eiusdem speciei, & deputantur tunc duo loca aquis, non eadem ratione, sed locus superior est locus generationis aquarum, locus autem inferior est locus quietis earum, in sacra autem Scriptura nomine Cœli intelligitur aër, vnde dicuntur volucres Cœli.

Ad secundum dicendum, quòd si aliqui sancti Patres tenent esse aquas verè Elementares supra Cœlos alij, & plures tenent non esse propter assignata inconuenientia, quæ eos obligarunt ad benignè interpretandam sacram Scripturam: quantùm aotem ad S. Aug. dicendum quòd non determinatè dicit ibi esse aquas Elementares, vt constat ex eius verbis; ait enim; *Quomodò autem, & quales aquæ ibi sint*: Et ita iotelligi potest de cœlo aqueo.

Articvlvs IV.

Vtrùm Stellæ & Planetæ sint partes Cœlorum, quibus insunt?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur qoòd Stellæ & Planetæ sint Partes Cœlorum, quibus insunt; ita vt sint continui, non cootigui, ita quòd sint eiusdem speciei. Ita tenent Conimbricenses 2. de Cœlo, cap. 5. quæst. 2. art. 2. Nazarius q. 1. de Angelis art. 3. controuersia 1. Probatur. Non est admittenda discretio, & multitudo corporum cœlestium, nisi necessitas eorum, quæ in iis obseruantur, cogat: hanc regulam sequuntur Astronomi fundati in principio Philosophico, quòd non sunt multiplicanda entia sine necessitate: quia sicut natura, eiúsque parens & author Deus non deficit in necessariis, sic nihil superfluum operatur, vtrumque enim dicit imperfectionem: sed quæ apparent in Stellis & Planetis, maxime in Sole non cogunt vllo modo dicere, quòd sint quid completum, distinctum numero, multò minùs specie à Cœlis, quibus insunt: ergo Stellæ, & Planetæ sunt partes Cœlorum, quibus insunt.

¶ 2. Præterea, Stellæ & Planetæ non distinguuntur à Cœlis, quibus insunt, nisi penes maiorem vel minorem claritatem, & lucem: sed hæc maior, & minor intensio lucis potest saluari absque distinctione numerica, & multò minus specifica Stellarum, & Planetarum à Cœlis, quibus insunt, si dicatur quòd Stellæ & Planetæ sunt partes Cœlorum densiores, quæ proinde intensiùs possunt illuminari, & lucere, quàm aliæ partes rariores: ergo Stellæ & Planetæ sunt partes Cœlorum, quibus insunt.

¶ 3. Præterea, Est incredibile omnes Stellas Firmamenti distingui specie inter se cùm tot reperiantur: sed si non essent partes Firmamenti, ita vt ab illo specie distinguerentur, etiam inter se distinguerentur: nam cùm Stellæ producant valde diuersos effectus, arguitur diuersa eorum natura: nisi dicatur quòd sunt partes eiusdem Cœli: idem autem potest diuersa operari per diuersas potentias, vt constat in anima, quæ diuersis organis diuersas operatur: ergo Stellæ & Planetæ sunt partes Cœlorũ, quibus insunt.

Sed contra est authoritas D. Thom. quem sequuntur Soocinas 1. Metaph. quæst. 10. nostri Salmanticenses 1. part. quæst. 50. art. 4. dub. 1. ac plures alij ex eius discipulis, & ex aliis Fonseca tom. 2. Metaph. quæst. 1. ad 3. Molina 1. part. tract. de operib. sex dierum disp. 15. Ruuius hîc lib. 2. cap. 7. quæst. 1.

Conclvsio.

Cùm multiplicatio specifica maximè conducat ad perfectionem vniuersi, & Sol, perfectissimum omnium siderum, sit collocatus in Cœlo non ita perfecto, Stellæ & Planetæ non sunt partes Cœlorum quibus insunt.

Respondeo dicendum, quòd quamuis sit probabile Stellas & planetas esse partes Cœlorum, quibus insunt; densiores tamen, & continuas ad instar nodorum cum aliqua tabula 2. probabilius tamen est, maximè in schola D. Thom. quòd distinguantur specie, tum inter se, tum à Cœlis, quibus insunt contigui, ad instar lapillorum cum lamina aurea.

Probatur secunda pars conclosionis authoritate D. Th. quæst. 2. de Cœlo. lect. 10. vbi sic ait: *Cùm in corpore cœlesti appareat diuersitas inter Stellas, & reliquas partes Sphærarum, videtur quòd non sint simplicia corpora, sed dicendum est quod intantum dicuntur simplicia corpora, inquantum non sunt composita ex contrariis naturis: est tamen in eis aliqua diuersitas secundum naturam speciei, licèt conueniant in natura generis, sicut conueniunt in communi ratione motûs, quia circulariter mouentur*: Et quæst. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 12. vbi satisfaciens seqoenti obiectioni: *Sicut inferiora Elementa sunt ornata plantis, & animalibus, & Cœlum sidereum Stellis, Sole, & Lunâ, ita etiam Cœlum Empyreum ornatum est Angelis: Sed in plantis, & animalibus inueniuntur multa eiusdem speciei, similiter etiam videtur quòd omnes Stellæ sint vnius speciei, quia communicant in vna forma nobilissima, quæ est lux*: Respoodet dicendum, quòd *Ornamenta Terræ, & Aquæ, quia corruptibilia sunt, requirunt multitudinem in eadem specie, corpora autem cœlestia etiam sunt diuersarum specierum, lux enim non est forma substantialis eorum, cùm sit qualitas per se sensibilis, quod de nulla forma substantiali dici potest: & præterea non est eiusdem rationis lux in omnibus, quod patet ex hoc quòd diuersorum corporum superiorum radij diuersos habent effectus*: In hac autem authoritate tria expendenda sunt. Primum, quòd per corpora cœlestia non intelligit solùm orbes cœlestes, sed corpora omnia, quæ in Cœlis reperiuntur, constantia ex materia & forma cœlesti, & maximè Stellas ac Planetas, de bis enim procedebat obiectio tanquam de ornamentis Cœlorum. Secundum, quòd non intelligit solos Planetas, vt vult Nazarius, sed etiam intelligit Stellas, nam satisfacit obiectioni procedenti, tam de Stellis Firmamenti, quàm de planetis, vt patet. Tertium, quòd quando dicit, non est eiusdem rationis lux in omnibus, non vult quòd sit diuersæ rationis specificæ, sed diuersæ rationis, & perfectionis indiuidualis, quod colligitur ex diuersitate effectuum causata ex diuersitate specifica corporum lucidorum, licèt in eis sit lux eiusdem speciei: sicut licèt calor ignis, & calor naturalis sint eiusdem speciei, modaliter tamen, & indioidualiter distinguuntur ratione principij à quo emanant per modum proprietatis, & ex hoc habent causare diuersos effectus, calor naturalis carnem viuam, non autem calor ignis.

Secundò, hoc vniuersum est valde perfectum, & vt tale iudicandum: quia hoc redundat ad gloriam sui conditoris: ergo cùm moltiplicatio specifica afferat maiorem perfectionem vniuerso, quàm sola numerica, vt constat: specifica enim dicit perfectionem formalem: numerica verò tantùm materialem: dicendum est quòd Stellæ omnes & Planetæ, qoi principaliter pertinent ad hoc vniuersum, vt patet ex eorum influxu; specie distinguuntur: quod confirmatur primò, quia conceditur oon solùm cuilibet Planetæ, sed etiam cuilibet Stellæ, peculiaris, & diuersus influxus, qui denotat diuersam vniuscuiusque essentiam. Deinde vt infra dice-

tur, Cœli inter se specie distinguuntur, quia hoc maximè conducit ad decorem vniuersi: ergo etiam debet concedi, quòd Planetæ & Stellæ distinguantur, tum inter se, tum à suo Cœlo: & hoc maximè, quia licèt parui appareant, sunt tamen ingentia corpora, nec vlla est Stella apparens, quæ non sit multò maior globo Terræ.

Tertiò, Sol est omnium siderum perfectissimum, vt constat ex perfectissima naturali eius luce, & ex vniuersali perfectissimóque eius influxu: sed Sol non est in Cœlo omnium perfectissimo: quia ordo vniuersi exigit, quòd Cœli superiores sint perfectiores inferioribus; ita vt Empyreum sit perfectissimum; alij verò eò perfectiores, quò magis ad illud accedunt: ergo Sol distinguitur specie à suo Cœlo; ac idem dicendum de aliis Planetis, & Stellis: & ita non sunt partes Cœlorum, quibus insunt. Quandò autem Aristoteles lib. 2. cap. 7. dicit Stellas eamdem naturam sortiri cum suis orbibus, intelligit eamdem genere distinctam à sublunaribus: non eamdem specie.

Ad primum ergo dicendum, quòd maior pulchritudo vniuersi, diuersitas lucis, & influxûs Stellarum, ac Planetarum satis probabiliter suadent distinctionem eorum specificam à suis Cœlis.

Ad secundum dicendum, quòd si differentia Stellarum & planetarum à suis Cœlis consisteret precisè in maiori & minori luce, probaret argumentum, sed cum hac diuersitate lucis est diuersitas influxûs, ex quo colligitur lucem esse diuersæ rationis, & perfectionis indiuidualis, arguentis diuersitatem specificam in corporibus lucidis, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd non solùm non est incredibile, imò valde probabile omnes Stellas Firmamenti distingui specie propter rationes dictas: quamuis autem aliqua forma, quæ attingit ad gradum animæ, & constituit compositum etherogeneum, possit diuersa operari per diuersa organa, propter eius perfectionem: hoc tamen non conuenit formæ infra gradum animæ, qualis est forma cœlestium corporum, cui non conuenit habere organa, sed constituit compositum homogeneum.

Articvlvs V.

Vtrùm Stellæ & Planetæ lucem mutuentur à Sole?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd Stellæ & Planetæ non mutuentur lucem à Sole. Probatur. Si Stellæ ac Planetæ mutuarentur suam lucem à Sole, sequeretur quòd omnes tam Planetæ, quàm Stellæ possent pati eclipsim, dum Terra mediat inter ipsos, & Solem: sicut propter eamdem rationem Luna patitur eclipsim: sed experientiâ constat, quòd nullus planeta præter Lunam, nullàque Stella patitur eclipsim: ergo Stellæ & Planetæ non mutuantur lucem à Sole, exceptâ Lunâ.

§ 2. Præterea, Stellæ & Planetæ connaturalem habent suam lucem, vt manifestâ patet experientiâ in Venere, & Mercurio; si enim non haberent ex se, & in se lucem, dum occurrunt directè inter Solem & nos, obscurarent ipsum Solem, siue causarent eius eclipsim, cuius contrarium experimur: ergo Stellæ & Planetæ non mutuantur lucem à Sole.

Sed contra est authoritas D. Th. & communis consensus Philosophorum, qui Solem vocant lampadem huius vniuersi, à quo omnia illuminantur.

Conclvsio.

Cùm Planetæ Soli propinquiores, vt Mars, & Venus magis lucidi quàm cæteri appareant, & Luna dum vmbrâ Terræ priuatur aspectu Solis, eclipsim patiatur: certum est Stellas, & Planetas lucem mutuari à Sole.

Respondeo dicendum, quòd tam Stellæ fixæ, quàm Planetæ lucem mutuantur à Sole. 2. ita tamen, vt aliquid lucis ex se habeant.

Probatur prima pars conclusionis duplici experientiâ. Prima est Lunæ, quæ secundùm quòd magis & minus opponitur Soli, eò magis & minùs illuminatur: quando verò Terra mediat inter ipsam, & Solem, ita vt vmbra Terræ impediat, ne radij Solares ad ipsam pertingant; lumine priuatur: ergo manifestum est ipsam mutuari lucem à Sole. Secunda est, quia quò Planetæ sunt propinquiores Soli, eò sunt lucidiores, cæteris paribus, vt apparet in Marte, qui est immediatè supra; & in Venere, quæ est immediatè infra: sed huius non potest esse alia ratio, nisi quia magis illuminantur à Sole: ergo Stellæ & Planetæ lucem mutuantur à Sole: & propterea est in medio cœlestium corporum, vt omnia tanquam fons luminis illuminare possit.

Secundò, omnes Stellæ, & Planetæ, & omnia corpora cœlestia sunt perspicua, & diaphana: Sol autem circulariter mouetur, ita vt radij eius circumquaque diffundantur: ergo tam Cœli, quàm Stellæ, & Planetæ illuminantur à Sole: quamuis lux Solis non reflectatur ad nos, nisi per Stellas, & Planetas densiores: aliæ enim partes Cœli sunt rariores, & subtiliores.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 2. de Cœlo lect. 10. vbi sic ait, *Quia hæc qualitas, scilicet lumen, magis abundat in Sole; inde est quòd est maximè potens ad calefaciendum: reliqua autem cœlestium corporum inquantum participant de lumine, quæ est vniuersalis virtus actiua cœlestium corporum, habent virtutem calefaciendi, intantum quòd etiam lumen Lunæ est calefactiuum.* Vis rationis D. Th. in hoc consistit quòd omnia cœlestia corpora sunt actiua, & influunt in hæc inferiora; ac proinde debent habere aliquid lucis sibi proprium, quæ sit virtus eorum actiua connaturalis: lux enim est valde accommodata ad influendum.

Secundò, si alicui Planetæ non conueniret lux propria, maximè Lunæ: ecclipsis enim Lunæ ex subtractione luminis Solaris causata præbuit fundamentum aduersariis negandi lumen proprium Planetis & Stellis: sed falsum est quòd Lunæ non conueniat aliqua lux propria, quamuis exigua; cùm sit infimus Planetarum: nam etiam in eclipsi, dum priuatur lumine Solis, apparet nobis, & rubra videtur: quod sine luce fieri non potest: ergo Stellæ, & Planetæ aliquid lucis ex se habent: quod dicendum pariter est de omnibus Cœlis: de Empireo certissimum est, vocatur enim Empireum à maximo splendore natiuo: de aliis conueniens est asserere, si enim lux perfectissima inter qualitates corporeas, conuenit aliquibus sublunaribus ab intrinseco: multò magis corporibus cœlestibus perfectissimè diaphanis: quæ tamen non ita apparet propter maiorem lucem Stellarum, & Planetarum noctu, & Solis interdiu: maior enim lux offuscat minorem.

Ad primum ergo dicendum, quòd sola Luna patitur eclipsim, non verò alij Planetæ, quia vmbra Terræ, qua sobtrahitur lux Solis, non pertingit nisi ad Lunam, quæ est Terræ proximior aliis Planetis: cùm enim Sol sit multò maior Terrâ, causat vmbram, quæ paulatim in piramidem desinens tandem euanescit: nam demonstratione Mathematicâ ostenditur, quòd quando corpus luminosum est maius corpore opaco opposito, causat vmbram; quæ quò magis recedit à corpore opaco, eò magis attenuatur, ac tandem deficit: sicut econtra si corpus opacum sit maius corpore luminoso, quò vmbra magis recedit, eò magis augetur: quòd autem Luna diuersimodè illuminetur à Sole, prouenit ex diuerso aspectu, quem habet ad Solem, causato ex maiori concauitate Cœli eius, cùm sit minus aliis: alij verò Planetæ propter maiorem aspectum causatum ex maiori amplitudine Cœlorum, æqualiter à Sole irradiantur; quòd tandem Luna causet eclipsim Solis, non autem Mercurius, & Venus Sole inferiores; prouenit tum ex minimo lumine natiuo Lunæ, ac proinde corpus Lunare magis impedit radios Solares; tum quia Luna, vt pote nobis proximior, totum nobis obtegit Solem: quæ duæ rationes cessant in Venere, & Mercurio quia sunt lucidiores, & vt magis à Terra distantes vix centesimam Solis partem obtegunt: quando tamen interponuntur inter

ter Solem & nos, apparent vt quædam maculæ Solis.

An secundum dicendum, quòd quamuis Stellæ & Planetæ habeant aliquam locem sibi connaturalem, tamen etiam aliquid lucis participant à Sole, qua lux eorum propria intenditur.

ARTICVLVS VI.

Vnde prouenient maculæ, quæ apparent in Luna?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd maculæ, quæ apparent in Luna, prouenient ex hoc quòd in Luna sint partes magis terreæ, vel quædam antra profunda, quæ propterea magis obscuræ apparent, quàm aliæ partes, quæ sunt vel montes, vel maria. Probatur. In Luna eclipsata obseruatæ sunt quædam asperitates, monticuli, & eleuationes: ergo maculæ, quæ apparent in Luna proueniunt ex istis.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd istæ maculæ nihil aliud sint, quàm imagines, siue species intentionales emissæ à globo Terræ in Lunam, & ad nos reflexæ; ita vt species vallium, & nemorum sint obscuriores, montium autem, & maris sint lucidiores. Probatur. Omnia corpora emittunt species intentionales sol, & quæ maiora, eò emittunt in maiorem distantiam, vt ipsâ constat experientiâ: ergo globus Terræ, qui est maximus, emittet suam speciem totalem vsque ad Lunam in qua partes quædam erunt obscuriores, aliæ autem clariores, quæ propter diaphaneitatem in Luna recipientur, & propter densitatem ad nos reflectentur.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd istæ maculæ sint veræ maculæ causatæ ex sordibus terræ. Probatur. Sidera pascuntur humore terreno, quem attrahont: ergo cùm in illo bomore sint partes crassiores, & sordidæ, ex earum contactu maculabitur Luna.

SED CONTRA est communis sententia tum Astronomorum, tum Philosophorum cum D.Thom.2.libro huius operis lect.12.

CONCLVSIO.

Cùm in corpore Lunari sint partes rariores, ideo sunt minus lucida, ac ita quasi maculæ apparent.

RESPONDEO dicendum, quòd maculæ, quæ apparent in Luna, efformantes figuram hominis, vt aliqui volunt; vel leonis caudam versus ortum, & caput versus occasum habentis, vt ait Albertus, nihil aliud sunt, quàm partes rariores corporis Lunaris permittentes Solis radios vlteriùs transire eo modo, quo aliæ Cœli partes, quæ à nobis non videntur.

Probatur conclusio. Experientiâ patet quòd corpora Diaphana, quò rariora, eò minùs reflectunt lumen, quod ab extrinseco recipiunt, quia faciliùs lumen illa penetrat, ac pertransit: vnde minus illuminata apparent: Econtra verò, quæ sunt perfectè Diaphana, & simul solida, ac densa lumen ab extrinseco receptum perfectè reflectunt, quia penetrare illa, & pertransire non potest, ac proinde valde lucida apparent: ergo cùm maculæ, quæ apparent in Luna, nihil aliud sint, quàm partes eius minùs lucidæ: dicendum est quòd sunt partes rariores corporis Lunaris permittentes Solis radios vlteriùs pertransire, cùm aliæ sint densiores, non tantam autem habent raritatem, quantam aliæ Cœlorum partes: quia omnino non viderentur sicut illæ non videntur si essent eiusdem raritatis.

AD primum ergo dicendum, quòd diuersitas raritatis, & densitatis ac inæqualitas partium Lunæ, est causa inæqualitatis asperitatum, & eleuationum, quæ apparent in Luna.

AD secundum dicendum, quòd terra non potest emittere speciem intentionalem ad tantam distantiam, maximè quia noctu, dum Luna lucet, terra non sufficienter illuminatur ad hoc, vt possit producere sui speciem tam longè, multò minùs tam distinctam, quòd repræsentet clarè valles, nemora, montes, & maria. Deinde dato hoc esse possibile, adhuc dici non potest, quòd maculæ Lunæ inde causentur, quia illæ maculæ semper, & vbique terrarum experientiâ teste appareant eodem modo, cùm tamen terræ Globus non habeat eamdem vbique dispositionem montium, vallium, &c. vt possit eamdem inuariatam speciem sui emittere in Lunam.

AD tertium dicendum, quòd humores terreni, aut aquei non possunt pertingere ad concauum Lunæ: quia ignis Elementaris medius illos dissolueret, nec Astra incorruptibilia pascuntur.

QVÆSTIO IV.

De Natura, & Proprietatibus Cœlorum.

DETERMINATA Cœlorum pluralitate, ac constitutione, statim de eorum natura, proprietatibus, ac proinde distinctione determinandum est: circa quæ quæruntur decem.

- ¶ Primò, Vtrùm Cœli sint compositi ex materia, & forma?
- ¶ Secundò, Vtrùm materiæ Cœlorum differant inter se, & à sublunari?
- ¶ Tertiò, Vtrùm Cœli differant genere à sublunaribus?
- ¶ Quartò, Vtrùm Cœli sint nobiliores quolibet sublonari?
- ¶ Quintò, Vtrùm Cœli, quo superiores, eo nobiliores sint?
- ¶ Sextò, Vtrùm omnes Cœli sint diuersæ speciei?
- ¶ Septimò, Vtrùm Cœli sint solidi?
- ¶ Octauò, Vtrùm Cœli sint animati?
- ¶ Nonò, Vtrùm Cœli sint incorruptibiles?
- ¶ Decimò, Vtrùm accidentia communia Cœlis, & sublunaribus sint eiusdem speciei?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Cœli sint compositi ex materia, & forma?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd Cœli non sint compositi ex materia, & forma, sed sint formæ corporeæ per se subsistentes, & completæ, sicut Angeli sunt formæ spirituales completæ per se subsistentes. Ita tenet Auerroes hîc libro 1. texto 20. quem sequuntur aliqui. Probatur. Ad pulchritudinem vniuersi requiritur quòd sicut in genere formarum spiritualium dantur formæ completæ, vt Angeli, & incompletæ, vt animæ rationales, ita in genere formarum corporearum sint aliquæ incompletæ, quales sunt omnes sublunares, & etiam completæ, scilicet Cœli, qui propterea erunt corpora simplicia, non solùm excludentia mixtionem, vt Elementa, verùm etiam compositionem: ergo Cœli non sunt compositi ex materia, & forma.

¶ 2. Præterea, Materia propria est principium generationis & corruptionis; imò Philosophi illam esse colligunt ex transmutatione, siue generatione & corruptione: sed Cœli ab omnibus conceduntur ingenerabiles, & incorruptibiles: ergo non sunt compositi ex materia, & forma, quam rationem adducit Aristoteles 9. Metaph. textu 17. his verbis: *Nihil igitur simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est: secundum aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi; actu ergo omnia.* Et 8. textu 14. dicit quòd materia est pars rei tantùm generabilis & corruptibilis.

¶ 3. Præterea, Philosophus hîc textu 20. dicit quòd materia est subiectum contrariorum, & 12.Metaph.textu 30.probat intelligentias esse substantias penitus separatas à materia, quia sunt substantiæ sempiternæ: ergo cùm Cœli non habeant contrarium, aliàs possent corrumpi, & sint substantiæ sempiternæ, id est, semper duraturæ, non sunt compositi ex materia.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, in his libris, & D.Thom.1. p. q.66. art.2. ac antiquiorum Philosophorum,

rum, vt refert D.Thom. ibidem, quos communiter sequuntur, tam sancti Patres, quàm alij Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm Cœli sint corpora mobilia; habentia accidentia materialia, visuque percipiantur: sunt compositi ex materia, & forma.

RESPONDEO dicendum, quòd Cœli sunt compositi ex materia, & forma. Probatur. Cœli sunt corpora Physica, vt communiter fatentur Philosophi, quia mouentur motu Physico, qui propriè non conuenit, nisi corpori Physico, siue naturali, constanti scilicet naturis partialibus: sed omne corpus Physicum, siue naturale est compositum ex materia, & forma, hæ siquidem sunt naturæ partiales, vt docent cùm Aristotele 5. Physicorum communiter Philosophi: ergo Cœli sunt compositi ex materia, & forma.

Secundò, omne corpus, in quo sunt accidentia materialia, est compositum ex materia, & forma: dicuntur enim accidentia materialia illa, quæ connaturaliter insunt rebus materialibus, siue constantibus ex materia: sed in Cœlis sunt accidentia materialia, vt quantitas, quæ est quasi proprietas materiæ, densitas, & raritas, ac tandem lux, & de hoc nullus dubitat: ergo Cœli sunt compositi ex materia & forma.

Tertiò, omne quòd cadit sub sensum est materiale, siue est compositum ex materia, & forma: cùm enim omnes sensus sint potentiæ organicæ, ac proinde materiales, & aliunde obiectum omne debeat esse proportionatum, & commensuratum potentiæ: cùm potentia dicat ordinem intrinsecum, & essentialem ad illud, tanquam ad suum specificatiuum: sequitur quòd omne quod cadit sub sensum, siue quod apprehenditur potentiâ sensitiuâ, sit materiale: sed Cœli cadunt sub sensum visûs, vt quotidianâ constat experientiâ, & maximè de Stellis, & Planetis: ergo Cœli sunt materiales, siue compositi ex materia & forma.

AD primum ergo dicendum, quòd formæ spirituales, vt pote per se subsistentes ratione perfectionis propriæ, possunt aliquæ esse completæ, aliæ incompletæ, non autem formæ corporeæ; omnes siquidem debent esse incompletæ, & dependere à toto composito, vt subsistant: & hoc ideo quia ordo corporeus est imperfectior ordine spirituali: vnde formæ Cœlestes corporeæ sunt incompletæ, & vnitæ materiæ componunt Cœlos, qui dicuntur corpora simplicia: non quòd excludant compositionem ex materia & forma: sed quia vt dicit D.Thom. 2. de Cœlo lect. 10. non sunt composita ex contrariis naturis, sicut sunt corpora mixta.

AD secundum dicendum, quòd non omnis materia prima est principium generationis & corruptionis: sed sola sublunaris, quæ non perfectè satiatur actu, quem habet; vnde habet appetitum ad omnes: & talis non est materia Cœlestis vt postea dicetur: nec ex sola generatione, & corruptione colligitur esse materia prima: nam etiam colligitur ex alteratione sensibili, aliisque motibus Physicis: vnde Aristoteles solùm excludit ab incorruptibilibus materiam, quæ sit potentia appetens nouam formam substantialem: in alio autem loco comparat totum compositum cum sua forma, & dicit quòd sicut forma non est generabilis & corruptibilis ratione sui, sed ratione totius compositi, quod per se generatur, & corrumpitur: sic materia, quæ est principium generationis & corruptionis, non est pars formæ, sed rei generabilis, & corruptibilis, id est totius compositi, loquitur autem de materia sublunari.

AD tertium dicendum, quòd licèt in Cœlis non sit contrarietas, quæ sit principium corruptionis, tamen est aliqua contrarietas secundùm maiorem, vel minorem illuminationem, secundùm diuersos motus, & secundùm densitatem & raritatem, cuius contrarietatis materia est subiectum, & hoc intendit Aristoteles: in alio autem loco probat tantùm intelligentias esse substantias separatas à materia, quæ sit potentia ad esse, per hoc quòd sint æternæ, quamuis etenim sint substantiæ omnino immateriales, vt probat ibidem Aristoteles, ex hoc quòd mouent Cœlos.

ARTICVLVS II.

Vtrùm materia Cœlorum differant inter se, & à sublunari?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd materia Cœlorum, sicut non differunt inter se, sic nec à sublunari: ita tenuerunt communiter antiqui Philosophi, qui præcesserunt Aristotelem. Probatur authoritate Aristotelis, qui 1. Physicor. vnam tantùm ponit materiam omnium mobilium, & 3. Metaph. textu 10. dicit quòd illa, quæ sunt vnum in genere, sunt etiam vnum in materia: sed Cœli conueniunt in motu, & in genere cum sublunaribus: ergo vna est materia Cœlorum, & sublunarium, maxime quia Philosophus in hoc libro textu 91. numerat Cœlum inter Elementa, & vocat primum Elementorum.

§ 2. Præterea, Materia prima est pura potentia, ac prope nihil, vt ait Aug. ergo est vna omnium corporalium, quia omnis distinctio essentialis, vt specifica fit per formas. Deinde quia si cœlestis distingueretur specie à sublunari, vna esset perfectior aliâ: inter species enim non datur æqualitas, hæc autem maior perfectio non potest compati cum summa imperfectione, & debilitate materiæ. Denique quia eadem actus materiæ cœlestis, & sublunaris, scilicet corporeitas.

§ 3. Præterea, Potest forma sublunaris vniri materiæ cœlesti, ita vt fiat vnum, tanquam ex actu per se, & potentia per se: ergo materia cœlestis est eiusdem rationis cum sublunari, quòd etiam indicat actio Cœlorum in hæc inferiora: agens enim, & patiens debent communicari in materia eiusdem rationis.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis in hoc primo libro; & D.Thom. ibidem, & prima p. q.66. art.2. quos nunc communiter sequuntur Philosophi, tam Thomistæ, quàm alij.

CONCLVSIO.

Cùm corpora cœlestia, & sublunaria non sint transmutabilia ad inuicem, non conueniunt in materia, & ita materia cœlestis est diuersæ rationis, & speciei à sublunari.

RESPONDEO dicendum, quòd materia cœlestis est diuersæ rationis à sublunari, ita vt plus differant inter se, quàm duæ portiones materiæ sublunaris: 2. portiones verò materiæ cœlestis, quæ in diuersis Cœlis reperiuntur, conueniunt & distinguuntur eo modo inter se, quo portiones materiæ sublunaris vnitæ formis diuersæ speciei.

Probatur prima pars conclusionis authoritate, & ratione D.Thom. loco citato, quam sic proponit: *Supposito autem quòd nulla forma, quæ sit in corpore incorruptibili, remaneat vt substrata generationi & corruptioni, vt in libris de generatione dicetur, sequitur de necessitate, quòd non sit eadem materia corporum corruptibilium, & incorruptibilium; materia enim secundùm id quod est, est in potentia ad formam* (Id est, essentia materiæ in hoc consistit, quòd sit potentia ab intrinseco, & essentialiter respiciens formam) *Oportet ergo quòd materia secundùm se considerata sit in potentia ad formam omnium illorum, quorum est materia communis. Per vnam autem formam non fit in actu nisi quantùm ad illam formam, remanet ergo in potentia quantùm ad omnes alias formas, nec hoc excluditur, si vna illarum formarum sit perfectior, & continens in se virtute alias, quia potentia quantùm est de se, indifferenter se habet ad perfectum, & imperfectum, vnde sicut quando est sub forma imperfecta, est in potentia ad formam perfectam, ita è conuerso. Sic ergo materia secundùm quod est sub forma incorruptibilis corporis, erit adhuc in potentia ad formam corruptibilis corporis, & cùm non habeat eam in actu, erit simul sub forma, & priuatione, quia carentia formæ, in eo quod est in potentia*

potentia ad formam, est priuatio. Hæc autem dispositio est corruptibilis corporis. Impossibile ergo est quòd corporis corruptibilis, & incorruptibilis per naturam sit vna materia: Hæc D. Thom. cuius rationis vis in hoc consistit, quòd cum materia sit essentialiter potentia ad formam, eius ratio & specificatio desumitur ex transcendentali eius respectu ad formam, non in esse rei tantùm, sed maximè in esse formæ & actùs consideratam, siue secundùm proprium & connaturalem modum eius informandi & actuandi: ergo cùm materia cœlestis respiciat formam inamissibiliter informantem & actuantem: materia verò sublunaris respiciat formam amissibiliter actuantem, materia cœlestis est diuersæ rationis à materia sublunari, ita vt plus differant inter se, quàm duæ portiones materiæ sublunaris.

Probatur secunda pars conclusionis. Cœli distinguuntur specie inter se, ac proinde formæ Cœlorum, vt infra dicetur: ergo cùm materia sumat suam vnitatem, & distinctionem à forma, quam respicit vt actuantem, sequitur quòd portiones materiæ cœlestis, quæ in diuersis cœlis reperiuntur, conueniunt, & distinguuntur inter se eo modo, quo portiones materiæ sublunaris vnitæ formis diuersæ speciei. Videantur, quæ in principio Physicorum dicta sunt de specificatione materiæ primæ, ex quibus colligitur materiam cœlestem differre genere positiuo à sublunari, eius vero portiones, quæ substant diuersis speciei formis, differre inter se specie positiuâ.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philosophus nomine mobilium intelligit mobile motu generationis, & corruptionis, quo motu Cœli non sunt mobiles. Ita D.Thom. in 2. d.12.q.1.art.1. ad 5. Ad alium locum respondet idem S. Doctor, 1. p. q. 66. art. 2. ad 2. quòd si genus consideretur Physicè, corruptibilia & incorruptibilia non sunt in eodem genere, propter diuersum modum potentiæ in eis, vt dicitur 10. Metaph. secundùm autem Logicam considerationem est vnum genus omnium corporum, propter vnam rationem corporeitatis. Ad alium locum dicendum, quòd Philosophus nomine Elementi intelligit corpora simplicia componentia hoc vniuersum, inter quæ Cœlum ab aliis genere distinctum, est præcipuum.

Ad secundum dicendum cum D. Thom. 1.p.q. 66.art. 2. ad 4. quòd cùm potentia dicatur ad actum, eius potentia est diuersum ex hoc ipso, quòd ordinatur ad diuersum actum, sicut visus ad colorem, & auditus ad sonum: vnde ex hoc ipso materia cœlestis corporis est alia à materia Elementi, quia non est in potentia ad formam Elementi. Ad aliud dicendum, quòd licèt materia prima, vt ambit cœlestem & sublunarem, sit quid imperfectissimum inter omnia entia, tamen cœlestis est perfectior sublunari, quia respicit perfectiorem actum formaliter in ratione actûs, quia perfectiori modo, id est, inamissibiliter actuat: quamuis sublunaris habeat aliquando perfectiorem actum in esse rei, & materialiter, quando scilicet actuatur animâ, quæ tamen formaliter in esse actûs est imperfectior, actuat enim amissibiliter: in his autem debet attendi id quod se habet per se, & de formali, non autem quod per accidens, & de materiali. Ad aliud dicendum, quòd forma corporeitatis non est vna in omnibus corporibus, cùm non sit alia à formis, quibus corpora distinguuntur.

Ad tertium dicendum, quòd est impossibile formam sublunarem vniri materiæ cœlesti, vel econtra, ita vt ex eis sic vnitis resurgat vnum compositum per se propter essentialem improportionem inter se. Ad aliud dicendum, quòd si Cœlum, sicut est agens, sic esset patiens respectu sublunarium, communicaret in eadem materia, quę communicatio non est necessaria ad hoc, vt sit tantùm agens: imo res omnino immateriales agunt in materialia.

Articvlvs III

Vtrùm Cœli differant genere à sublunaribus?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd Cœli non differant genere à sublunaribus, sed sint eiusdem prorsus naturæ: ita tenuerunt omnes Philosophi Aristotele antiquiores quos secuti sunt alij posteriores. Probatur. Supra Cœlos sunt veræ aquæ, vt constat ex Scriptura, eiusdem rationis cum his sublunaribus, quos Deus ab his diuisit creato Firmamento: ergo Cœli, qui sont locus naturalis ipsarum, debent esse eiusdem rationis, & naturæ cum sublunaribus, quæ sunt locus etiam naturalis aquarum: locus enim naturalis debet esse proportionatus rei locatæ.

§ 2. Præterea, Ex accidentibus iudicamus de rerum naturis: cùm enim omnis nostra cognitio ortum ducat à sensibus, à quibus naturæ ipsæ percipi non possunt, ad earum notitiam ex accidentibus ab ipsis dimanatis, & à sensibus perceptis deuenimus: ergo cùm manifestè constet Cœlos, & sublunaria conuenire in accidentibus, puta quantitate, raritate, densitate, luce, & aliis pluribus, dicendum est quòd sint eiusdem naturæ: & ita Cœli non differunt genere a sublunaribus.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos nunc sequuntur communiter omnes Theologi & Philosophi.

Conclvsio.

Cùm Cœli sint incorruptibiles, circulariter moueantur, & tam diuersam, ac vniuersalem habeant influentiam in hæc inferiora, necessariò ab illis genere differunt.

Respondeo dicendum, quòd Cœli sunt corpora simplicia, 2. diuersæ naturæ à sublunaribus, tam Elementaribus, quàm mixtis: vnde vt quinta essentia ab illis genere distinguuntur 3. suntque multò perfectiora inanimatis.

Probatur prima pars conclusionis. Illud est corpus simplex, quod non constat ex aliis componentibus diuersæ naturæ, ex quorum mixtione resultet: propterea Elementa dicuntur corpora simplicia, & econtra omnia alia sublunaria dicuntur mixta, quia constant ex quatuor elementis diuersitate naturæ distinctis: sed Cœli non constat ex componentibus diuersæ naturæ, ex quorum mixtione resultent, cùm sint immediatè creati, sicut & Elementa, vt constat ex illo Genesis 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram:* Ergo Cœli sunt corpora simplicia.

Probatur secunda pars conclusionis. Corruptibile & incorruptibile genere differunt ex D.Thom. 1.p.q. 66.art. 2.ad.2. sed Cœli sunt incorruptibiles, vt postea dicetur, omnia verò sublunaria, corruptibilia: vt experientiâ constat: ergo Cœli differunt genere à sublunaribus.

Secundò, motus est proprietas corporis naturalis, vt dictum est in Physicis; vbi autem est distinctio generica in proprietatibus, etiam est talis distinctio in naturis, quibus proprietates proportionantur: sed motus circularis corporibus cœlestibus connaturalis, distinguitur genere à motu recto connaturali sublunaribus: sicut enim differunt, quàm duo recti, vt patet, qui tamen specie distinguuntur, vt motus sursum, & motus deorsum, ac i circularis, & rectus debent distingui genere: ergo & Cœli differunt genere à sublunaribus.

Tertiò, Cœli habent connaturalem virtutem influendi vniuersaliter in hæc inferiora, quæ virtus nulli sublunari competit, ergo natura Cœlorum, cui talis virtus competit, genere differt à sublunaribus, virtus enim indicat naturam.

Probatur tertia pars conclusionis. Corpora sublunaria inanimata, vel sunt Elementa, vel mixta, vt patet; sed corpora cœlestia sunt multò perfectiora Elementis, & mixtis inanimatis: Elementis quidem, quia cùm hoc vniuersum sit ratione ordinis perfectissimum, partes nobiliores, & perfectiores debuerunt collocari in no-

biliori & superiori loco : vnde cùm videamus Cœlos collocatos in superiori loco, Elementa verò, quæ sunt aliæ partes principaliores vniuersi, ratione situs, quò perfectiora, eò magis accedunt ad Cœlum, & quò imperfectiora, eò magis recedunt ; dicendum est corpora cœlestia esse perfectiora Elementis. Mixtis autem, quia causa principalis æquiuoca est multò perfectior : sed Cœli sunt causa principalis æquiuoca omnium sublunarium inanimatorum : ergo corpora cœlestia sunt multò perfectiora inanimatis : sed de his iterum agetur infra art. sequenti.

Ad primum ergo dicendum sicut supra, quòd aliquando aër nubilosus vocatur Cœlum, supra aerem autem sunt veræ aquæ : vel quòd per aquas intelligitur Cœlum Chrystallinum, quod est naturæ aqueæ.

Ad secundum dicendum, quòd sunt aliqua accidentia vniuersalia communia omnibus corporibus, vt quantitas, densitas, raritas, lux, & similia, quæ non indicant diuersam naturam corporum, nisi fortè in modo essendi illam indicent vt lumen in Sole : alia sunt accidentia specialiora, quæ hanc diuersitatem indicant, vt veri colores, qualitates tangibiles, grauitas, leuitas & similia, quæ non sunt communia Cœlis, & sublunaribus, vnde differunt in natura.

Articvlvs IV.

Vtrùm Cœli sint nobiliores quolibet sublunari?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli sint nobiliores quolibet sublunari. Ita tenent aliqui vniuersaliter, alij limitant ad inanimata & plantas, aut etiam ad animalia imperfecta, quæ ex putri materia generantur. Probatur authoritate Aristotelis qui 6. Ethicor. cap. 7. præfert corpora cœlestia, non solùm aliis animalibus, sed etiam ipsi homini : vnde alibi infert eorum vel minimam notitiam præferendam esse perfectissimæ scientiæ horum sublunarium : ergo Cœli sunt nobiliores quolibet sublunari.

§ 2. Præterea, Corpus diuiditur tanquam in species subalternas, in corruptibile, & incorruptibile, ita vt incorruptibile sit species perfectior, & nobilior corruptibili : sed Cœli sunt corpora incorruptibilia, quodlibet autem sublunare est corruptibile, vt constat : ergo Cœli sunt nobiliores quolibet sublunari, maximè quia sunt corpora simplicia, & habent accidentia nobiliora, vt motum circularem, suntque in digniori loco, quæ indicant substantiam perfectiorem.

§ 3. Præterea, Tam materia, quàm forma Cœlorum est perfectior, quàm materia, & forma cuiuscumque sublunaris : materia quidem, vt fatentur omnes : forma autem, quia cùm ratio formæ sit actuare, illa est perfectior, quæ perfectiori modo actuat : constat autem quòd forma Cœlorum perfectiori modo actuat, quàm forma quæcumque sublunaris, hæc quippe amissibiliter, illa verò inamissibiliter actuat : ergo Cœli sunt nobiliores quocumque sublunari, quando enim partes alicuius compositi sunt nobiliores partibus alterius, ipsum etiam compositum est nobilius altero.

§ 4. Præterea, Omnis causa, maximè æquiuoca est nobilior suo effectu : sed Cœli sunt causa æquiuoca omnium sublunarium, iuxta illud, (Sol & homo generant hominem,) quòd si Sol est causa hominis, multò magis aliorum : ergo Cœli sunt nobiliores quolibet sublunari.

Sed contra est expressa authoritas. S. August. & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm gradus viuentium sit nobilior non viuentibus, Cœli non sunt nobiliores quolibet sublunari.

Respondeo dicendum, quòd Cœli sunt simpliciter nobiliores sublunaribus inanimatis, 2. ignobiliores verò simpliciter sublunaribus animatis. 3. & secundùm quid tantùm nobiliores.

Probatur prima pars conclusionis hoc argumento in contrarium adducto. Omnis causa est nobilior suo effectu ; (si sit causa principalis :) vniuoca quidem secundùm quid, scilicet quantùm ad actum, quo agit, quia effectus aliquid recipit à causa, vnde est in potentia : illa verò, quia communicat, est in actu : actus autem est perfectior potentiâ receptiuâ : non tamen causa vniuoca est nobilior suo effectu simpliciter, idest, in perfectione essentiali : cùm sint eiusdem rationis, & naturæ, vt constat ex definitione causæ vniuocæ : causa verò æquiuoca, cùm producat effectum diuersæ rationis, & naturæ, debet necessariò esse nobilior simpliciter illo, quia cùm omnis causa debeat præhabere in se perfectionem, quam suo effectui communicat ; iuxta hæc axiomata, (Omne agens agit inquantum est actu : & nemo dat quod non habet :) cùm non præhabeat eamdem perfectionem formaliter, aliàs esset causa vniuoca, præhabet eminenter, id est, in aliqua ratione eminentiori, & perfectiori : vnde est simpliciter nobilior effectu : sed vt communiter fatentur Philosophi, Cœli sunt causa principalis æquiuoca omnium sublunarium inanimatorum : ergo Cœli sunt simpliciter nobiliores sublunaribus inanimatis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate sancti Augustini, & D. Thom. S. August. cap. 29. libri de vera religione ait : *Non enim qualiscumque moles, quanquam istâ visibili luce praefulgeat, si vita careat, magni æstimanda est : quælibet namque viua substantia cuilibet non viuâ substantia naturæ lege præponitur*, Et libro 11. de ciuitate Dei cap. 16. ait, *In creaturis, quæ quoque modo sunt, præponuntur viuentia non viuentibus, & in his quæ viuunt, sentientia non sentientibus ; & in his quæ sentiunt, intelligentia non intelligentibus ; & in his quæ intelligunt, immortalia mortalibus, nempe Angeli hominibus, idque naturæ ordine : est autem alius pro sue cuiusque vsu æstimationis modus, quo fit, vt quædam sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus. Quis enim non domi suæ panem habere, quàm mures ; nummos, quàm pulices malit ? Cùm plerumque carius comparetur equus, quàm seruus ; gemma, quàm famula.* D. Thom. 1. q. q. 70. art. 3. ad 2. sic ait : *Nihil prohibet aliquid esse nobilius simpliciter, quod tamen non est nobilius quantùm ad aliquid :* Forma ergo cœlestis corporis, etsi non sit simpliciter nobilior animâ animalis, est tamen nobilior quantùm ad rationem formæ, perficit enim totaliter suam materiam, vt non sit in potentia ad aliam formam, quod anima non facit : quantùm etiam ad motum, mouentur corpora cœlestia à nobilioribus motoribus.

Secundò, nobilitas, & perfectio rerum simpliciter talis desumitur ab earum formis : quia sunt præcipua pars compositi, dans ei suam speciem, ac proinde suam perfectionem essentialem : sed forma Cœlorum est ignobilior formis animatorum, hæ quippe attingunt ad gradum animæ, secus verò illæ : constat autem quòd formæ, quæ sunt animæ, sunt nobiliores aliis : quod colligitur ex illarum operationibus, nam animæ habent operationes magis eleuatas à materia, quas non habent aliæ formæ, scilicet operationes vitæ, quæ, propter suam perfectionem exigunt ad sui exercitium peculiaria organa, & perfectius corpus : ergo cùm operari sequatur esse, eique proportionetur, viuentia, & animata sunt nobiliora non viuentibus, & inanimatis : ac proinde Cœli inanimati, vt infra dicetur, sunt simplicitet ignobiliores sublunaribus animatis, vt plantis, & quibuscumque animalibus.

Probatur tertia pars conclusionis, tum adductâ authoritate D. Thom. tum etiam tribus primis argumentis in contrarium adductis.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 6. Ethicor. lect. 6. quòd ibi Philosophus non loquitur de Cœlis præcisè sumptis, sed de illis simul cum motoribus intelligentiis, vt sunt quid vnum principaliter, & vniuersaliter influens in hæc inferiora ; vt sic autem sunt nobiliores, etiam hominibus, & eorum scientia nobilissima.

Ad secundum dicendum, quòd potest fieri vt aliquid sit nobilius alio in aliqua ratione superiori generica, & ignobilius

ignobilius in ratione specifica, vt contingit in præsenti, & constat in accidenti supernaturali comparato substantiæ naturali: quia verò perfectio simpliciter desumitur à ratione specifica, vt dictum est, ideo Cœli sunt simpliciter ignobiliores sublunaribus animatis, & secundùm quid nobiliores.

Ao tertium dicendum, quòd probat formam Cœlorum esse nobiliorem formis sublunarium secundùm rationem genericam formæ, quæ est actuare, non autem secundùm rationem specificam.

Ao quartum dicendum, quòd licèt Cœli sint causa æquiuoca principalis non viuentium, sunt tamen causa solummodo instrumentalis viuentium, vt docet D. Th. 1. p. q. 70. art. 3. ad 3. vbi sic ait, *Corpus cæleste, cùm sit mouens motum habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis: & ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia viuens, potest causare vitam:* Vnde sequitur quòd motio Cœlis impressa ab Angelis, applicat tantùm Cœlum ad effectus non excedentes eorum virtutem: applicat verò, & simul eleuat ad producendos effectus excedentes.

Articvlvs V.

Vtrùm Cœls, quò superiores, eò nobiliores sint?

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli eò non sint nobiliores, quò superiores. Ita tenet Richardus, & probabilius reputant Conimbricenses. Probatur. Cœli non distinguuntur specie inter se: ergo sunt æqualis nobilitatis, ac proinde superiores non sunt nobiliores inferioribus.

§ 2. Præterea, Certissimum est Solem esse nobilissimum, ac Regem omnium Astrorum: ergo etiam Cœlum Solis, quod est quartum in ordine ascensûs, est nobilius aliis: nam si Sol est illi continuus, ita vt sit pars eius, Sol & Cœlum erunt æqualis nobilitatis, vnde omnes alios Cœlos excedet, sicut Sol excedit nobilitate alia Astra: si autem Sol sit tantùm contiguus, adhuc eius Cœlum, saltem deferens, debet esse nobilissimum inter alios: nam cùm Cœli ex Aristotele 12. Metaph. cap. 81. facti sint propter sidera, quæ deferunt, debent eis proportionari, ita vt qui deferunt sidera nobiliora, sint nobiliores: & consequenter Cœli non sunt nobiliores, quò superiores.

Sed contra est authoritas Aristotelis,& D.Th. quos sequuntur communiter Thomistæ, ac plures alij, vt Ruuius lib. 2. de Cœlo cap. 5. q. 4.

Conclvsio.

Cùm ordo vniuersi sit perfectissimus, & ordo perfectus exigat, vt superiora sint perfectiora, sequitur quòd Cœli eò sint nobiliores, quò superiores.

Respondeo dicendum, quòd Cœli quoad omnes suas partes, aut orbes partiales, quibus constant, eò sunt nobiliores, quò superiores: vnde inter ipsos est idem ordo sitûs, qui nobilitatis. 2. non tamen inter Astra: Sol quippe in quarto Cœlo collocatus multò excedit reliqua nobilitate.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate Aristotelis 4. Physic. textu 49. D. Thom. 12. Metaph. ad textum 44. tum sequenti ratione. Mundi ordo est perfectissimus, nec potest esse essentialiter perfectior, vt dictum est supra ex D. Thom. sed ordo perfectus petit, vt superiora sint nobiliora: hoc enim ratio dictat, & deprehendimus in Mundis partialibus: nam Mundus Angelicus, qui est supremus, hunc habet ordinem ex S. Dionysio cap. 6. Cœlestis Hierarchiæ, quòd Hierarchiæ, & chori quò superiores, eò nobiliores. Similiter Mundus Elementaris, qui est infimus, ita ordinatur, vt gradatim Elementa quò superiora, eò nobiliora: ergo idem ordo debet reperiri in Mundo cœlesti, qui est medius, vt patet ex paritate rationis: ita quòd Cœli eò sint nobiliores, quò superiores.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate Scripturæ Sacræ, ac sanctorum Patrum, qui Solem miris extollunt encomiis, ipsique tanquam nobilissimæ creaturæ visibili Deum comparant: tum ratione, quia ab ipso tanquam à fonte cætera Astra lumen emendicant, & ipse habet vniuersalem in hæc inferiora causalitatem, & influxum, vt experimur, qui non tribuitur aliis Astris: vnde in quarto Cœlo, quasi in medio collocatus est, vt inde gyrans in superiores simul, & in inferiores orbes, ac in omnia sublunaria suum præbeter influxum: ergo inter Astra non est idem ordo sitûs, qui nobilitatis.

Ao primum ergo dicendum, quòd Cœli omnes differunt specie, vt dicetur articulo sequenti.

Ao secundum dicendum Solem esse tantùm contiguum suo Cœlo, specie enim ab illo distinguitur, quod idem dicendum de aliis Astris: propter necessitatem autem vniuersi Sol collocatus fuit in quarto Cœlo, quamuis non ita nobili.

Articvlvs VI.

Vtrùm omnes Cœli sint diuersæ speciei?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd omnes Cœli non sunt diuersæ speciei inter se. Ita tenuerunt aliqui antiqui Philosophi, & Durandus in 2. d. 14. q. 2. Probatur authoritate Aristotelis, qui in hoc 1. libro cap. 2. dicit, præter quatuor corpora simplicia Elementorum dari aliam quintam substantiam simplicem: sed si omnes Cœli essent diuersæ speciei, non diceret Philosophus in singulari dari aliam substantiam simplicem, at diceret dari alias substantias simplices: ergo Cœli non sunt diuersæ speciei.

§ 2. Præterea, Omnes Cœli conueniunt in iisdem specie accidentibus, scilicet in luce, diaphaneitate, figura, quantitate, motu circulari: ergo etiam conueniunt in eadem specie natura, quia distinctio, & vnitas specifica accidentium indicat distinctionem, & vnitatem specificam naturæ.

§ 3. Præterea, Si quid suaderet Cœlos omnes esse diuersæ speciei inter se, maximè esset diuersitas effectuum à singulis eorum procedentium: sed hæc diuersitas potest procedere ab eodem principio, non solùm specifico, verùm etiam numerico, videmus enim ab vno Sole tantam diuersitatem effectuum dimanare: ergo omnes Cœli non sunt diuersæ speciei.

Sed contra est authoritas D. Thom. 2. contra gentes cap. 92. & libro 2. de Cœlo lect. 16. quem communiter sequuntur eius discipuli, Ferrarien. loco citato, Caietanus 1. p. q. 66. art. 2. & alij extra scholam etiam D. Thom.

Conclvsio.

Cùm Cœli omnes sint incorruptibiles, loco differant, ac singulis singulares, & diuersi correspondeant effectus, omnes sunt diuersæ speciei.

Respondeo dicendum, quòd omnes Cœli sunt diuersæ speciei inter se. Probatur authoritate D. Thom. hic lib. 2. lect. 18. vbi ait: *Corpora cœlestia sunt vnius naturæ secundùm genus, diuersarum autem naturarum secundùm speciem, figura autem spharica sequitur in eis naturam generis, sicut & motus circularis.* Deinde multiplicatio specierum est de primaria intentione naturæ, quia quælibet species affert vniuerso peculiarem gradum entis, & perfectionem essentialem distinctam: multiplicatio verò purè numerica, siue indiuiduorum sub eadem specie est tantùm de secundaria intentione naturæ: cùm enim omnia eiusdem speciei indiuidua conueniant in vna indiuisibili perfectione essentiali, & solùm differant in modo habendi talem perfectionem, ex illorum multiplicatione non accrescit noua perfectio essentialis in vniuerso: vnde non intenduntur à natura ratione sui, sed solùm ratione speciei, vt in continuata successione suorum indiuiduorum conseruetur: cùm etiam sint corruptibilia, in vno diu conseruari nequit: ergo cùm omnes Cœli sint incorruptibiles, non sunt multiplicati numero sub eadem specie, sed omnes sunt diuersæ speciei.

Secundò, longâ Astronomorum obseruatione deprehensum est singulos Cœlos, eorúmque sydera habere singulares, & diuersas ab aliis influentias: nam Luna causat æstum maris reciprocum, alij Planetæ habent influentias calidas & siccas, alij calidas & humidas, alij frigidas; quæ influentiæ diuersæ, cùm sint propriæ, & ab intrinseco conuenientes ipsis syderibus, eorúmque Cœlis, indicant diuersas ab intrinseco eorum naturas: ergo omnes Cœli sunt diuersæ speciei.

Tertiò, locus naturalis est proportionatus locato: vnde nisi contrarium manifestè appareat, quæ naturaliter exigunt nobiliorem & superiorem locum, nobiliora iudicamus: vnde eamdem graduationem perfectionis essentialis, quam sitûs ponimus in Elementis, ita vt Ignis sit nobilissimus, quia est connaturaliter in supremo loco, quem in dignitate, & loco sequitur Aër, deinde Aqua, postremò Terra omnium imperfectissima, quia petit esse in infimo loco: ergo cùm Cœli omnes sint ita ratione loci & sitûs coordinati, vt Cœlum Lunæ sit connaturaliter in infimo loco, Empireum in supremo, alij verò intermedij petant hunc, & non alium situm siue locum in vniuerso, sunt inter se diuersæ speciei.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles solùm ibi probat dari vnam quintam substantiam simplicem, distinctam ab Elementis, non autem determinat ibi an sit vna genere, vel specie.

Ad secundum dicendum, quòd illa accidentia sont communia, & generica, non autem propria, & specifica, vnde conueniunt pluribus specie differentibus: accidentia autem propria, & specifica singulorum Cœlorum, quibus ab inuicem distinguuntur, non sunt nobis nota.

Ad tertium dicendum, quòd non omnis diuersitas effectuum potest reduci ad idem principium, etiam specificum: tunc reducitur, quando procedit ex diuersa dispositione materiæ, principio eodem modo influente, vt dicitur de Sole: non potest autem reduci, quando procedit ex diuerso influxu qui eidem principio conuenire non potest, vt accidit in præsenti.

Articvlvs VII.

Vtrùm Cœli sint solidi?

Ad septimvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli non sint solidi, sed liquidi. Ita tenent aliqui moderni, dicentes Astra moueri in suis Cœlis, sicut pisces natant in aqua, & aues volant in aëre, quodam motu, quem vocant spiralem, quo tendunt circulariter in varias partes, ac sursum & deorsum per lineam rectam. Probatur. Corpora simplicia quò perfectiora, & superiora, eò magis leuia, rara, ac fluida, vt apparet in quatuor Elementis: sed Cœli sunt corpora simplicia perfectissima, & suprema: ergo sunt leuissima, rarissima, ac valde fluida: & ita Cœli non sunt solidi.

§ 2. Præterea, Cometæ, qui generantur ex Terræ exhalationibus, visi sunt ascendere supra Lunam, alióśque duos inferiores Planetas, vt testantur plures Astronomi: maximè de illo, qui apparuit anno Christi Domini 1618. ergo Cœli non sunt solidi: soliditas enim eorum impediret talem ascensum, aliàs naturaliter penetratio corporum esset possibilis.

§ 3. Præterea, Multa deprehenduntur in Astris diligenti Astronomorum obseruatione, quæ saluari non possunt cum soliditate Cœlorum: nam quibusdam conspicillis ad longinquam pertingentibus videntur in Sole, dum patitur Eclipsim, aliquæ maculæ, quæ aliunde prouenire non possunt, nisi quia sunt aliqua Astra, quæ circa Solem vagantur, & dum mediant inter Solem, & aspectum nostrum, quasi maculæ in Sole apparent: similiter instrumentis Mathematicis Planetæ Martis, Veneris, & Mercurij modò supra, modò infra Solem perspiciuntur: ergo Cœli non sunt solidi.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. in his libris, & 1. p. q. 68. art. 2. & continuata ad hæc vsque fere tempora communis Philosophorum sententia.

Conclvsio.

Cùm Cœli sint incorruptibiles, ac naturaliter impenetrabiles ab aliquo corpore, necessariò dicendum est quòd sint solidi.

Respondeo dicendum, quòd Cœli sunt solidi. Ita docet Scriptura Sacra Iob 37. vbi ait: *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt:* Nec valet responsio dicentium, quòd hoc dictum fuit ex vno amicorum Iob, qui in fine libri reprehenduntur à Deo, quasi malè locuti fuerunt, & sic in his, quæ dixerant, non habent infallibilem authoritatem. Nam contra, quia non tam reprehenduntur de his, quæ dixerunt, quàm de eorum intentione, inquantum ex principiis veris volebant concludere Iob commisisse magnum aliquod scelus, propter cuius expiationem sic affligebatur: deinde esto in aliis errauerint, non tamen in hac propositione, cùm eam vt veram vnanimiter sancti Patres recipiant: verba autem Sacræ Scripturæ cum vnanimi sanctorum Patrum consensu maximæ sunt authoritatis.

Secondò, Christus Dominus in sua Ascensione Cœlos penetrauit, vt docet S. Paulus, & hæc penetratio Cœlorum communi Theologorum sententiâ fuit miraculosa, & adducitur in exemplum, vt ostendatur quòd diuinitus penetratio corporum est possibilis, & asserunt Sanctum Paulum intelligendum esse de vera penetratione, & in hoc consentiunt sancti Patres: ergo Cœli sunt solidi: aliàs si essent liquidi, in Ascensione vt patet, non fuisset vera penetratio, & multò minùs miraculosa.

Tertiò, Cœli sunt incorruptibiles, vt infra dicetur, & hanc incorruptibilitatem simpliciter talem habent ab intrinseco: ergo sunt solidi, & non liquidi, nullóque modo diuisibiles: omne enim diuisibile est corruptibile: si enim partes separentur per diuisionem, totum ipsum destruetur. Potest etiam confirmari ex hoc, quòd ex aduersariis sequitur Astra moueri sursum, & deorsum, ac in gyrum, vnde motus tam rectus, quàm circularis esset eis connaturalis; cùm tamen cuilibet corpori simplici non conueniat naturaliter, nisi vnus motus. Deinde videtur difficile cum hoc motu spirali concordare tantam regularitatem in motu syderum, vt eorum coniunctiones pluribus ante annis præuideantur tam certò, & eueniant infallibiliter.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia Cœli differunt genere ab Elementis, ideo comparatio ab ipsis ad Cœlos applicata, non semper valet, vt in præsenti: vnde Cœli non habent leuitatem, aut grauitatem: bene tamen densitatem, & raritatem proportionatam suæ naturæ, vt docet D. Thom. lib. 2. de Cœlo lect. 10.

Ad secundum dicendum, quòd facilè visus decipitur in tanta distantia, ad hanc enim deceptionem minima medij alteratio sufficit, vt quotidie experimur, quòd si verè aliqui Cometæ intra Cœlos apparuerint, dicendum non fuisse eiusdem rationis, ac ordinarios, & diuinitus ibi extitisse ad aliquid mortalibus prænuntiandum.

Ad tertium dicendum, quòd est valde incertum, an sint verè tales maculæ, maximè quia Astronomi de his non concordant, & fortè primi earum inuentores ex occurrentia aliquarum exhalationum in aëre decepti sunt, si tamen veræ sint, debent saluari admittendo Epicyclum Solis, vel circa Solem, in quo voluantur. Ad aliud dicendum quòd est facilè visum decipi in tanta distantia, est autem impossibilis hic ascensus, & descensus Planetarum, tum quia esset eis connaturalis duplex motus, circularis, & rectus, tum quia Venus, & Mercurius supra Solem vix apparerent, & Mars infra appareret maximus.

Articvlvs VIII.

Vtrum Cœli sint Animati?

Ad octavvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli sint animati. Ita tenuisse videntur aliqui Philosophi

ſophi antiqui, imò & aliqui Patres, vt Origenes, & S.Hieronymus, vt docet D.Thom.1.p.q.70.art.3.D.Aug. autem 2. ſuper Geneſim ad litteram hanc pertractans difficultatem, ſub dubio relinquit; idémque aſſerunt omnes illi, qui dicunt totum hunc Mundum eſſe animatum, Deúmque eſſe animam eius. Probatur authoritate Scripturæ Sacræ Pſalmo 135. habetur: *Qui fecit Cœlos in intellectu:* Id eſt, intellectu præditos. Eccleſiaſt.1. *In circuitu pergit Spiritus, & in circulos ſuos reuertitur:* Sed quod habet intellectum & Spiritum, eſt animatum: ergo Cœli ſunt animati.

§ 2. Præterea, Ariſtoteles 2. de Cœlo textu 12. dicit apertè quòd Cœlum eſt animatum. Item 8. Phyſicorum textu 34. dicit quòd in genere mobilium primum eſt mouens ſeipſum, ac proinde ab intrinſeco, quòd ſolis viuentibus conuenit: conſtat autem quòd Cœlum eſt primum in genere mobilium. Item 1. de Cœlo textu 7. dicit motus Cœli, & cœleſtium corporum eſſe naturales, ac proinde ab intrinſeco. Et denique 4. Phyſicorum dicit motores orbium inferiorum moueri per accidens, non autem motor ſuperioris orbis, quòd dici non poſſet ſi non eſſent vniti corporibus Cœleſtibus, vt eorum animæ: ergo Cœli ſunt animati.

§ 3. Præterea, Nobiliori corpori debetur nobilior forma, cùm enim corpus, & eius forma vniantur inter ſe, vt actus & potentia, debent inter ſe commenſurari, & proportionari: ſed Cœli, cùm ſint incorruptibiles, ſunt corpora nobiliſſima: ergo debetur eis forma perfectiſſima, & conſequenter, quæ ſit anima: quia ex Auguſt. libro de vera Religione cap.29. quælibet ſubſtantia viuens naturæ ordine præfertur ſubſtantiæ non viuenti, vnde Cœli ſunt animati, maximè cùm ſint cauſa viuentium, & cauſa debeat eſſe nobilior effectu.

§ 4. Præterea, Cuilibet rei inanimatæ conuenit vnus tantùm motus, vt inductione patet: ergo cùm in ſingulis Cœlis appareant diuerſi motus, dicendum quòd ſunt animati, & quòd mouent ſe ab intrinſeco. Nec poteſt moueri tam ingens moles ab aliqua intelligentia, cùm enim eius virtus ſit finita, defatigaretur diuturnitatè mouendi.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in his libris, & D.Thom. pluribus locis, vt 1. p. q. 70. art. 3. Sanctorum Baſilij Homilia 3. in Exameron, Damaſc. lib.2.cap.6. Aug. lib.1. retract.cap.7. noſtri Cyrilli 2.libro contra Iulianum, quos nunc communiter ſequuntur omnes Philoſophi, & Theologi.

Conclusio.

Cùm in Cœlis non ſint operationes vitales, nec ſint corpora organica, non poteſt dici quod Cœli ſint animati.

Respondeo dicendum, quòd nec totus Mundus. 2. nec Cœli, propriè loquendo, ſunt animati: 3. impropriè tamen animati dici poſſunt.

Probatur prima pars concluſionis. Si totus Mundus eſſet animatus, vtique ſolus Deus eſſet anima illius: hoc quippe aſſerebant dicentes Mundum animatum, non enim aliquid creatum poteſt tantam molem informare: ſed Deus non poteſt in compoſitionem alicuius venire, nec ſicut principium formale, nec ſicut principium materiale, vt probat D.Thom. 1.p. q.3. art.8. tribus rationibus, quibus addi poteſt, quòd omnis pars importat imperfectionem, ſcilicet limitationem, eſt enim diſtincta à ſua comparte: ergo totus Mundus non eſt animatus, propriè loquendo: vnde cùm aliqui docent Deum eſſe animam Mundi, vel errant, vel exponendi ſunt quòd ſolùm velint Deum agere effectiuè in toto Mundo id omne, quod agit anima in ſuo corpore.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Angelicus Doctor hanc expreſsè probat 1. p. quæſt. 70. art. 3. Philoſophus autem 1. de Cœlo textu 50. diſtinguit corpora cœleſtia ab animalibus, & 3. de anima dicit nullum corpus ſimplex poſſe eſſe animatum, in hoc autem libro probat Cœlum eſſe corpus ſimplex: ergo Cœli propriè loquendo, non ſunt animati.

Secundò probatur ratione D.Thom. loco citato. Vnio animæ, & corporis non eſt propter corpus, ſed propter animam: non enim forma eſt propter materiam, ſed è conuerſo, quia anima eſt nobilior materiâ, nobilius autem non eſt propter ignobilius, ſed econtra: natura autem, & virtus animæ deprehenditur ex eius operatione, quæ etiam quodammodo eſt finis eius: ſed in Cœlis nullæ ſunt operationes vitales, ſiue animæ: nam vel eſſent vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ, vel rationales, in hæc enim tria membra adæquatè diuiduntur, conſtat autem quòd in Cœlis non ſunt operationes vegetatiuæ, ſcilicet nutrire, augere, & generare, hæ ſiquidem repugnant corpori incorruptibili per naturam, quales ſunt Cœli, nec ſenſitiuæ, quia omnes ſenſus fundantur ſupra tactum, qui eſt apprehenſiuus qualitatum Elementorum, omnia etiam organa potentiarum ſenſitiuarum requirunt determinatam proportionem ſecundùm commixtionem aliquam Elementorum, à quorum natura corpora cœleſtia ponuntur remota. Nec tandem operationes animæ rationalis, ſiue intellectiuæ, ſcilicet velle, & intelligere: nam velle ſequitur, & præſupponit intelligere, intelligere autem non exercetur in corpore, niſi inquantum per ſenſus miniſtrantur Phantaſmata: & ita ſecluſis operationibus ſenſitiuis à Cœlis, non poteſt eis conuenire operatio intellectiua: ergo cœli propriè loquendo, non ſunt animati; quòd enim moueantur, prouenit eis ab extrinſeco, ſcilicet ab intelligentiis vnitis, non per modum formæ, ſed per modum motorum præcisè.

Probatur tertia pars concluſionis. Intelligentiæ vniuntur Cœlis, vt motores mobilibus per contactum virtutis: ſed ex hac vnione poſſunt dici Cœli impropriè animati; nam per hanc opinionem ita Cœlos mouent intelligentiæ, ac ſi eſſent eorum forma: ergo Cœli impropriè animati dici poſſunt: & ita D. Thom. loco citato ſic ait, *Vnde inter ponentes ea eſſe animata, & ponentes ea inanimata, parua, vel nulla differentia inuenitur in re; ſed in voce tantùm:* Præmiſerat autem: *Sic igitur patet quòd corpora cœleſtia non ſunt animata, eo modo, quo planta, & animalia, ſed æquiuocè.*

Ad primum ergo dicendum, quòd primo Sacræ Scripturæ loco ſolùm habetur Deum in intellectu, id eſt ſumma ſui intellectus ſapientia Cœlos feciſſe, vnde ly (in intellectu) ſe tenet ex parte Dei facientis, non Cœlorum factorum. Quod ſi quis contendat ſe tenere ex parte Cœlorum, dicendum ſic debere exponi: Deus ordinem tam mirum in Cœlis, eorúmque motibus indidit, vt quaſi intellectu præditi moueri videantur; vel fecit Cœlos intellectu, ſiue intelligentiâ motrice præditos. In ſecundo autem nomine Spiritus intelligitur Sol, vt vnitus ſuæ intelligentiæ motrici; vocatur autem Spiritus ab effectu, quia cauſat ſpiritum in rebus viuentibus, id eſt vitam, alias habet expoſitiones D. Thom, opuſc.10.

Ad ſecundum dicendum, quòd Philoſophus primo loco vult Cœlum eſſe animatum, non animâ dante eſſe, ſed intelligentiâ motrice, inquantum ab ea per contactum virtutis mouetur. Ad alium locum reſpondet D.Thom. 1. part. loco citato ad 5. quòd Cœlum dicitur mouere ſeipſum, inquantum componitur ex motore, & mobili, non ſicut ex forma, & materia, ſed ſecundùm contactum virtutis, & hoc etiam modo poteſt dici, quòd eius motor eſt principium intrinſecum, vt ſic etiam motus Cœli poſſit dici naturalis ex parte principij actiui: & per hoc patet ad tertium locum, quamuis poſſet dici ex D.Thom. ibidem ad 4. motus corporis cœleſtis eſſe naturales, non propter principium actiuum, ſed propter principium paſſiuum: quia ſcilicet habet in ſua natura aptitudinem, vt tali motu ab intellectu, ſiue intelligentia moueatur. Ad alium locum reſpondet D.Thom. quæſt. de ſpiritualibus creaturis art.6. ad 9. quòd moueri per accidens attribuitur motori inferioris orbis, non ratione ſui ipſius, ſed ratione mobilis, in quantum ſcilicet inferior orbis mouetur per accidens, vt delatus motu ſuperioris, motor autem ſuperioris orbis non mouetur per

accidens hoc etiam modo, quia orbis eius non defertur, sed alios defert.

Ad tertium dicendum, cum D. Thom. articulo citato ad 2. quòd nihil prohibet aliquid esse nobilius simpliciter, quod tamen non est nobilius quantùm ad aliquid, forma ergo corporis cœlestis, etsi non sit simpliciter nobilior animâ animalis, est tamen nobilior quantùm ad rationem formæ: perficit enim totaliter suam materiam, vt non sit in potentia ad aliam formam, quod anima non facit, quantùm etiam ad motum mouentur corpora cœlestia à nobilioribus motoribus, cùm quibus vnita possint dici causa principalis viuentium sublunarium, quamuis propriè & secundùm se sint tantùm causa instrumentalis.

Ad quintum dicendum, quòd cuilibet Cœlo vnus tantùm per se conuenit motus, ille scilicet, quo mouetur à propria intelligentia, alij verò conueniunt per accidens ratione superiorum orbium, à quibus mouentur. Ad aliud dicendum cum D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 6. ad 8. quòd Angeli mouent imperio Cœlos: quamuis enim materia corporalis non obediat spiritui creato ad nutum quantùm ad transmutationem formalem, obedit tamen quantùm ad transmutationem localem, si tamen vltra imperium requiritur impetus virtutis, non propter hoc sequitur fatigatio ex finitate virtutis; quælibet enim virtus superioris ordinis, licèt sit finita in se & respectu sui superioris, est tamen infinita respectu suorum inferiorum.

Articvlvs IX.

Vtrùm Cœli sint incorruptibiles?

Ad nonvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli non sint incorruptibiles. Ita tenent, qui negant soliditatem Cœlorum, & tenuerunt aliqui ex antiquis Philosophis, & ex sanctis Patribus. Probatur multiplici auauthoritate Sacræ Scripturæ. Psalmo 102. *Opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Ecclesiastici 17. *Quid lucidius Sole, & hic deficiet.* Lucæ 21. *Cœlum, & Terra transibunt.* 2. Petri 3. *Cœli magno impetu transibunt, Elementa verò calore soluentur.* Apocal. 21. *Vidi Cœlum nouum, & terram nouam, prius enim Cœlum, & prior Terra iam abiit:* Sed quod perit, veterascit, mutatur, deficit, transit, & abeundo desinit esse, non est incorruptibile, vt patet: ergo Cœli non sunt incorruptibiles.

§ 2. Præterea, Cœli sunt alterabiles, vt patet in Luna, quæ modò recipit lumen, modò deperdit, constat autem quòd omne alterabile est corruptibile. Deinde Cœli mouentur motibus contrariis, nam primum mobile mouetur ab Oriente in Occidentem, alius inferior ipsum contingens mouetur ab Occidente in Orientem, vnde cùm se contingant, ipso motu contrario paulatim se atterent, & sic tandem corrumpentur: ergo non sunt Incorruptibiles, maximè quia habent virtutem finitam, vnde non potest se extendere ad durationem infinitam.

§ 3. Præterea, Constat toto orbi anno Domini 1572. apparuisse in Cassiopea nouam Stellam, quæ post biennium disparuit, in principio maior, & clarior erat Planeta Veneris, deinde post aliquot menses apparebat vt Stella tertiæ magnitudinis. Similiter refertur quòd Stella Veneris mutauit figuram, magnitudinem, & cursum: sed hæc non contigissent, vt patet, si Cœli essent incorruptibiles: ergo Cœli non sunt incorruptibiles.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in hoc 1. lib. cap. 3. & lib. 2. cap. 1. D. Thom. hîc lect. 6. & alibi, quos communiter sequuntur Philosophi.

Conclvsio.

Cùm nulla apparuerit in Cœlis corruptio tot sæculorum spatio, sintque primi in genere mobilium, dicendum est quòd ab intrinseco sunt incorruptibiles.

Respondeo dicendum, quòd Cœli ab intrinseco sunt incorruptibiles, & indefectibiles, quia eorum materia non est transmutabilis de vna forma in aliam 2. sunt tamen defectibiles ab extrinseco, sicut & omnis creatura.

Probatur prima para conclusionis. De facto nulla in Cœlis apparuit corruptio tot sæculorum spatio, quam tamen, & maximam contigisse necessarium fuisset præsertim in Cœlo Lunæ vicino igni Elementari actiuissimo, & etiam virtute Solis, qua hæc omnia sublunaria alterantur, ac tandem corrumpuntur, nisi Cœli essent incorruptibiles. Deinde Cœli sunt primi in genere mobilium, & propinquissimi rebus immobilibus, ac proinde minimum habent de motu: ergo solùm sunt mobiles motu locali, qui nihil variat intrinsecum rei, & adhuc motu circulari, qui minimum variationis habet, non enim per illum mutant locum secundùm se totos, sed secundùm suas partes. Denique ex hac varietate, quòd aliqua corpora sint corruptibilia, & alia incorruptibilia, accrescit perfectio vniuersi, quæ negari non debet huic vniuerso perfectissimo: ergo cùm omnia corpora sublunaria sint corruptibilia, cœlestia erunt incorruptibilia.

Probatur secunda pars conclusionis. Cœli, & omnes aliæ creaturæ indigent actione Dei conseruantis, vt perseuerent in esse, imò conseruatio est continuata creatio: ita vt omnino deficerent, & in nihilum redirent si Deus per vnum instans subtraheret suum influxum, & concursum, vt fatentur omnes Philosophi, ac Theologi, & ratio ipsa suadet: ergo Cœli ab extrinseco sunt corruptibiles, & defectibiles, non tamen dicuntur tales ab intrinseco, vt dictum est, quia materia eorum, cùm sit satiata propriâ formâ, non est potentia tendens ad non esse: plures autem sancti Patres, Plato, & alij dum dicunt Cœlos corruptibiles, intelligunt ab extrinseco, aliqui etiam vocant hanc defectibilitatem connaturalem creaturæ esse ab intrinseco.

Ad primum ergo dicendum, quòd Cœli dicuntur defecturi, transituri, perituri, & mutandi, non quantùm ad substantiam, sed quantùm ad statum, quia post diem iudicij magis illuminabuntur, sicut & Terra perficietur, vnde quasi noui Cœli, & noua Terra apparebunt.

Ad secundum dicendum, quòd Cœli sunt alterabiles alteratione perfectiuâ, non corruptiuâ, nec suo motu possunt se alterare propter incorruptibilitatem, nec tandem requiritur virtus infinita ad durationem infinitam, sufficit enim, quòd esse rei non sit subiectum varietati temporis.

Ad tertium dicendum, quòd illa Stella, eiúsque mutatio, sicut & illa quæ contigit in Planeta Veneris, fuit miraculosa, vt portenderet aliquid toti orbi, quod adhuc ignoramus. Nec mirum si Deus author Mundi plura faciat præter, & supra cursum naturæ, tam in hoc inferiori orbe, quàm in superiori, vt ostendat omnia suis legibus subdita, sicut contigit dum Sol tempore Iosue stetit, tempore Isaiæ retrocessit, tempore Passionis Christi Domini obscuratus est, & similia.

Articvlvs X.

Vtrùm accidentia communia Cœlis, & sublunaribus sint eiusdem speciei?

Ad decimvm sic proceditur. Videtur quòd accidentia communia Cœlis, & sublunaribus non sint eiusdem speciei. Probatur. Quantitas est vnum ex illis accidentibus: sed quantitas Cœlorum non est einsdem speciei cum quantitate sublunarium, quia cùm sit proprietas materiæ, sequitur eius vnitatem, & distinctionem; vnde cùm materia cœlestis non sit einsdem speciei cum sublunari, nec ipsa quantitas, quod etiam apparet, nam quantitas cœlestis non est receptiua plurium accidentium, quæ sublunaris recipit.

§ 2. Præterea, Densitas, & raritas Cœlorum non afferunt grauitatem, & leuitatem, quia si Cœli essent graues, naturaliter tenderent deorsum, si leues tenderent sursum: sed densitas, & raritas sublunarium afferunt

funt grauitatem & leuitatem: ergo non funt eiufdem fpeciei.

§ 3. Præterea, Lux cœleftium corporum habet mirabiles effectus, quos non habet lux fublunarium, principalis enim influxus Cœlorum fit per lucem: ergo lux cœleftis eft diuerfæ fpeciei à fublunari, imò D.Thom. dicit lucem Cœlorum & Siderum non effe eiufdem rationis.

Sed contra eft authoritas D.Thom. in 4. d.44. q.2. art.4. quantùm ad lucem, quantùm ad alia videtur eadem ratio, quem fequuntur communiter eius difcipuli, Soncinas 8.Metaph.q.13.ad 4. & alij, vt Conimbr.hic lib.2.c.7. q.3.Rouius hoc lib.c.2.q.9. quantùm ad quantitatem.

Conclusio.

Cùm accidentia communia Cœlis, & fublunaribus habeant eofdem effectus formales, funt eiufdem fpeciei.

Respondeo dicendum, quòd accidentia communia Cœlis, & fublunaribus funt eiufdem fpeciei, vt figillatim probatur de his, de quibus procedunt argumenta in contrarium adducta. Ex effectu formali colligitur natura formæ, quia forma non aliter caufat talem effectum, quàm communicando fe fubiecto: vnde effectus eft omnino proportionatus formæ: fed effectus formales quantitatis, denfitatis, & raritatis, ac tandem lucis cœleftis funt eiufdem rationis, & fpeciei cum fublunaribus: fcilicet extenfio partium in fubiecto. Maior, vel minor quantitas fub maioribus, vel minoribus dimenfionibus. Facere locidum: ergo fignum eft talia accidentia, & alia communia Cœlis, & fublunaribus effe eiufdem fpeciei.

Ad primum ergo dicendum, quòd quantitas non eft rigorosè proprietas materiæ folius: fed corporis, emanat enim à forma fecundùm quòd tribuit gradum corporis præcisè, abftrahendo à differentiis, vnde eft eiufdem rationis, & fpeciei in omnibus corporibus, ficut proportione feruatâ potentiæ fenfitiuæ in omnibus animalibus: quia confequuntur gradum fenfitiui, vt fic, accedit autem quantitati ratione fubiecti, quòd fit fufceptiua horum, & non aliarum accidentium.

Ad fecundum dicendum ita effe, quòd denfitas, & raritas non afferunt Cœlis grauitatem, & leuitatem, vt docet D.Thom. lib.2. de Cœlo lect. 10. fed aliquid eminentius, hoc tamen fe habet per accidens denfitati, & raritati, quòd coniungantur, vel non coniungantur cum grauitate, & leuitate, vtrumque enim eis accidit ratione corporum, in quibus reperiuntur.

Ad tertium dicendum, quòd hi effectus procedunt à luce cœlefti ratione modi, quo habetur à Cœlis, & quo applicatur, fcilicet per motum: vtrumque autem eft luci accidentarium: & fic eft eiufdem fpeciei cum loce fublunari: propter hanc autem diuerfitatem accidentalem dicitur à D.Thom. effe diuerfæ rationis in diuerfis Cœlis, & Aftris: quòd autem diuerfitas effectuum non arguat diuerfitatem fpecificam in luce, conftat exemplo caloris, nam calor naturalis eft eiufdem fpeciei cum alio calore, ab illo enim intenditur, & tamen calor naturalis propter coniunctionem cum animali generat carnem, non verò alius calor.



LIBER SECVNDVS
DE COELO ET MVNDO.

Summa Textûs.



N hoc fecundo libro, quem quatuordecim abfoluit capitibus, agit Philofophus de Cœlo ipfo: de Aftrorum Natura, Motu, & Figura, ac tandem de Terra, non fecundùm fe, aut ratione fui, fed in quantum eft centrum Mundi, circa quod Cœli, & Aftra mouentur: quia verò hic repetit de natura, & proprietatibus Cœli, quæ primo libro iam ex parte difcufferat, propterea cùm de his determinatum fit libro præcedenti, folummodo de motu Cœlorum, eiufque efficientia in præfenti fupereft determinandum.

QVÆSTIO V.

De motu Cœlorum.



Xplicata naturâ Cœlorum, de eorum motu multiplici, ac mirabili differendum eft, circa quem quæruntur feptem.

- Primò, Vtrùm Cœli moueantur?
- Secundò, Vtrùm motus circularis Cœlorum fit eis naturalis?
- Tertiò, Vtrùm Cœli moueantur à feipfis?
- Quartò, Vtrùm cuilibet Cœlo fit connaturalis vnus tantùm motus?
- Quintò, Vtrùm Cœli inferiores moueantur à fuperioribus?
- Sextò, Vtrùm Cœlum Empyreum moueatur?
- Septimò, Vtrùm motus cœleftium corporum aliquando deficiet?

Articvlvs I.

Vtrùm Cœli moueantur?

Ad primvm fic proceditur. Videtur quòd Cœli non moueantur. Ita nuper docuit Nicolaus Copernicus, quem fequuti funt aliqui alij dicentes non Cœlos, fed Terram moueri. Probatur. Cœlum octauum, feu fydereum vocatur in Scriptura Firmamentum, quod idem eft, ac Cœlum firmum, & ftabile: ergo non mouetur, & idem dicendum de aliis Cœlis.

§ 2. Præterea, Si quid fuaderet motum Cœlorum, effet maximè proceffus quotidianus Solis ab ortu in occafum: fed hic motus non eft verus, at tantùm apparens, quia Sol eft immobilis, cùm fit centrum Mundi, vt colligitur ex pluribus, tum quia eft caufa vniuerfalis, & diffufiua luminis, vnde debet effe in medio Mundi, tum etiam quia immobilitas eft perfectior mobilitate: vnde potius attribuenda eft Soli perfectiffimo, quàm Terræ, tum denique quia fic melius faluantur apparentiæ fyderum: ergo Cœli non mouentur.

§ 3. Præterea, Si Cœli mouerentur circa Terram, tanquam centrum, Planetæ femper effent, & apparerent in æquali diftantia à Terra, quia circulariter mouerentur: fed conftat manifeftè de contrario, tum in Sole & Luna, qui aliquando maiores, aliquando minores apparent, vnde debent nunc magis, nunc minus diftare à Terra, tum in aliis vt Ioue, & Marte, qui in ortu vefpertino funt viciniores Terræ, nam maiores apparent, in ortu verò matutino, & occafu vefpertino funt magis diftantes, nam minores apparent: ergo Cœli non mouentur.

Sed

Sed contra est authoritas sacræ Scripturæ, communis huc vsque sententia Philosophorum, & vniuersalis consensus hominum.

CONCLVSIO.

Cùm Terra non moueatur, necessariò sequitur quòd Cœli moueantur.

RESPONDEO dicendum, quòd Cœli mouentur, non Terra. Probatur ex Scriptura Ecclesiastæ 1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem.* Iosue 10 *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon, steteruntque Sol, & Luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis: Nonne scriptum est hoc in libro Iudicum, stetit itaque Sol in medio Cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei: non fuit antea, nec postea tam longa dies obediente Deo voci hominis,* &c. Iob 9. *Præcipit Soli & non oritur.* Ecclesiastici 43. *Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi,* &c. *Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter:* Sed Sacra Scriptura debet litteraliter intelligi, modo non repugnet morum honestati, vel fidei veritati, vt docet Aug. & maximè quando adest communis consensus sanctorum Patrum, vt in præsenti: ergo Cœli verè mouentur, & non secundum apparentiam tantùm, vt volunt aduersarij: propter quod fuerunt condemnati in Inquisitione Romana.

Secundò, Sol, Luna, & alia Sidera non mouentur in Cœlis, vt aues in aëre, aut Pisces in aqua, quia Cœli sunt solidi, vt supra ostensum est, vnde si mouentur, mouentur ad motum Cœlorum, quibus insunt, nec Terra mouetur circulariter, vt infra dicetur: ergo necessariò dicendum est quòd Cœli mouentur: si enim Cœlum & Terra immobiliter starent, Sol, Luna, & alia Sidera essent semper in eodem situ, & loco, cuius contrarium experimur quotidiano eorum ortu, & occasu.

Ad primum ergo dicendum, quòd octauum Cœlum siue sidereum dicitur Firmamentum, non quòd immobile sit in suo loco, sed in suo esse, inquantum est solidum, & incorruptibile, ac proinde firmum, & stabile, sic docet Aug. 2. super Genes. ad litt. cap. 10. ait: *Nec nomen Firmamenti cogit, vt stare Cœlum putemus, Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorum aquarum intelligere licet.*

Ad secundum dicendum, quòd motus Solis est verus, non enim Sol est centrum Mundi, sed Terra, circa quam Sol mouetur. Nec est necesse quòd Sol sit in centro, siue medio Mundi, vt vndequaque diffundat suum lumen, & causalitatem meliùs & efficaciùs diffundet, si ponatur esse in medio Planetarum, & circulariter moueri, nam circum, supra, & infra in æqualem pene distantiam aget, nimis autem distaret à superioribus, si esset omnino in centro Mundi. Ad aliud dicendum, quòd immobilitas secundùm esse, est perfectior mobilitate sibi opposita, non autem semper mobilitas secundùm locum. Ad aliud dicendum falsum esse, quòd ex supposita mobilitate Terræ meliùs saluentur apparentiæ Siderum, vt infra dicetur.

Ad tertium dicendum, quòd inæqualis distantia Planetarum à Terra prouenit ex Excentricis, & Epicicliis, vt supra dictum est. Ad aliud de Ioue, & Marte dicendum, quòd corpus, quò magis luminosum, & intensiùs illuminat, eò magis apparet propinquum, quia citiùs & efficaciùs terminat visum: quò autem remissiùs, eò apparet longinquiùs, quia difficiliùs, & tardiùs terminat, quod quotidie experimur: cùm igitur Planetæ vesperi oriuntur, intensiùs illuminant recedente Sole, cuius luce obscurantur, vnde maiores, & viciniores apparent, quando autem oriuntur mane, & occumbunt vesperi, remissiùs illuminant crescente, vel existente luce Solis, vnde minores, & remotiores videntur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm motus circularis Cœlorum sit eis naturalis?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd motus circularis Cœlorum non sit eis naturalis. Probatur. Motus naturalis est inditus à natura corporibus, vt tendant ad proprium & naturalem locum, in quo conseruari debent, vnde eo acquisito statim cessat motus, & naturaliter quiescunt: sed Cœli non sunt extra proprium locum, imò in eo mouentur: ergo motus circularis Cœlorum non est eis naturalis.

¶ 2. Præterea, Natura non inclinat in motum propter ipsum motum, at propter perfectionem aliquam acquirendam ex ipso motu, vt constat ex ipsa definitione motûs, qui est actus entis in potentia (ad ipsum motum) quatenus in potentia, scilicet ad terminum motûs: sed Cœli ex suo motu circulari nullam acquirunt perfectionem, cùm indifferenter se habeant vt sint in hoc, vel alio situ: ergo motus circularis Cœlorum non est eis naturalis.

¶ 3. Præterea, Si motus circularis Cœlorum est eis naturalis, quies opposita erit eis violenta, quod tamen est falsum, quia nullum violentum est perpetuum, Cœli autem post iudicium perpetuo quiescent: ergo motus circularis Cœlorum non est eis naturalis.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis lib. 1. de Cœlo textu 7. & 8. dicentis, quòd motus Cœli est naturalis, & D. Thom. quos communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm Cœli sint figura sphærica, habent aptitudinem ad motum circularem, vnde talis motus est eis naturalis.

RESPONDEO dicendum, quòd motus circularis Cœlorum est eis naturalis ex parte principij passiui. 2. non autem simpliciter ex parte principij actiui. 3. sed tantùm secundùm quid. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd motus ille dicitur naturalis, cuius principium est natura, natura autem dupliciter dicitur, scilicet de forma, quæ est principium actiuum, & de materia, quæ est principium passiuum, vnde motus naturalis est duplex, vnus ex parte principij actiui, consequens scilicet ipsam formam, alius ex parte principij passiui, consequens ipsam materiam, siue dispositionem ipsius naturalem, per quam est mobile ab aliquo mouente: dummodo ex parte formæ non sit inclinatio ad contrarium motum, tunc enim ille motus ab extrinseco esset simpliciter violentus, quia forma est præcipua pars compositi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D.Thom. 1.p.q.70. art.3. ad 4. vbi sic ait: *Motus corporis cœlestis est naturalis, non propter principium actiuum, sed propter principium passiuum, quia scilicet habet in sua natura aptitudinem, vt tali motu ab intellectu moueatur.* Idem docet alibi sæpe: cuius ratio est, quia licèt corpora Cœlestia moueantur à substantia separata, tamen ex parte Cœli est aptitudo naturalis ad recipiendum talem motum à tali mouente, scilicet figura eius sphærica apta ad motum circularem, hæc autem aptitudo dicitur naturalis, quia se tenet ex parte materiæ, quæ est natura, vnde est principium passiuum siue receptiuum naturale talis motûs: ergo motus circularis Cœlorum est eis naturalis ex parte principij passiui.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate addicta D.Thom. tum eius ratione sequenti: Vna forma naturalis non inclinat nisi ad vnum, ratio autem motûs repugnat vnitati, quia de ratione motûs est, quòd aliquid aliter se habeat nunc, & prius, vnde non inclinat forma naturalis ad motum propter ipsum motum, sed propter esse in aliquo vbi, quo adepto quiescit motus, & sic accideret in motu cœlesti, si consequeretur aliquam formam naturalem, quomodo consequitur motus in Elementis: ergo cùm sola forma sit principium actiuum intrinsecum motûs, vt patet, & motus circularis Cœlorum non sit eis naturalis ex parte formæ, quia illam non consequitur,

sequitur, non est simpliciter naturalis ex parte principij actiui.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate, & ratione D.Thom. 1.p.q.70.art.3. ad 5. vbi sic ait: *Cælum dicitur mouere seipsum, inquantum compositur ex motore, & mobili: non sicut ex forma, & materia, sed secundum contactum virtutis: & hoc etiam modo potest dici, quod eius motor est principium intrinsecum, & sic etiam motus Cœli posset dici naturalis ex parte principij actiui; sicut motus voluntarius dicitur esse naturalis animali, inquantum est animal, vt dicitur in 8. Physicorum.* Idem docet quæst.5. de poten. art.5. ait enim, *Etiam dici potest quòd motus Cœli sit naturalis aliquo modo ex parte principij actiui: quia sicut habet naturalem aptitudinem, vt tali motu moueatur, ita substantia spiritualis, quæ mouet Cœlum, habet virtutem naturalem determinatam ad talis corporis motum*: Ergo motus circularis Cœlorum est eis naturalis secundum quid ex parte principij actiui.

Ad primum ergo dicendum, quòd maior est vera tantùm de motu recto indito corporibus mobilibus, quæ mutant locum secundùm totum, non solùm ratione, sed & subiecto: corpus autem quod mouetur circulariter, totum quidem non mutat locum subiecto, sed ratione tantùm, vnde nunquam exit extra suum vbi.

Ad secundum dicendum, quòd solummodo probat motum circularem Cœlorum non esse eis naturalem ex parte principij actiui, scilicet formæ, quia talis motus semper inclinat ad perfectionem mobilis, nullam autem perfectionem acquirunt sibi Cœli ex suo motu: est tamen naturalis ex parte principij passiui, & receptiui, scilicet materiæ, & est propter perfectionem sublunarium.

Ad tertium dicendum, cum D.Thom.q.5.de potentia art.5.ad 12.quòd quia motus circularis Cœlorum non est naturalis propter actiuam inclinationem formalis principij in corpore cœlesti ad talem motum, sicut est in elementis, sequitur quòd si Cœli quiescent, eorum quies non sit futura violenta.

Articulus III.

Vtrùm Cœli moueantur à seipsis?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd Cœli moueantur à seipsis, siue à propria forma substantiali effectiuè. Ita tenuerunt omnes, qui dixerunt Cœlos esse animatos. Probatur. Motus Cœlorum est necessarius, vt docet Aristoteles in hoc 2. libro textu 27. sed motus necessarius non dependet à voluntate creaturæ mutabili, sicut dependeret motus Cœlorum, si non esset effectiuè à propria forma substantiali, at ab intelligentia motrice: ergo Cœli mouentur à seipsis.

§ 2. Præterea, Motus Cœlorum est naturalis, vt docetur communiter Philosophi cum Arist. & D.Th. sed motus ille tantùm dicitur naturalis, cuius principium est forma corporis naturalis: ergo motus Cœlorum est effectiuè à forma eorum substantiali, siue Cœli mouentur à seipsis.

§ 3. Præterea, Formæ Cœlorum sunt multò perfectiores formis Elementorum: sed Elementa mouentur à seipsis; leuia quidem sursum, siue à medio; grauia autem deorsum, siue ad medium: ergo cùm Cœli non sint graues, nec leues, mouentur à seipsis; non quidem motu recto, sed circulari.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in his libris & 12.Metaph. ac D.Th. 1.p. q.70. art.3. Item 3. contra gentes cap.23. & alibi sæpe, quos nunc communiter sequuntur Philosophi.

Conclusio.

Cùm nullum corpus moueatur à seipso, nisi ad determinatum Vbi, siue ad locum naturalem, quo adepto naturaliter quiescit, Cœli autem continuò moueantur in proprio loco, sequitur quòd non mouentur à seipsis.

Respondeo dicendum, quòd Cœli non mouentur à

seipsis, siue à propria forma substantiali vllo modo effectiuè. 2. sed à motore extrinseco immediatè, qui non est Deus: ipse enim, vtpote primum ens, prima causa, & primum mouens vtitur causis secundis, & motoribus mediis. 3. videlicet Angelis secundæ Hierarchiæ ex ordine virtutum. 4. ita vt cuilibet orbi partiali, etiam Epiciclo, imò & corpori Lunari adsit specialis motor. 5. quorum potentia, & virtus motiua est intellectus applicatus voluntate.

Probatur prima pars conclusionis. Motus potest esse effectiuè à forma substantiali dupliciter: vel ita quòd ab ipsa immediatè procedat, tanquam à principio actiuo: vel ita quòd forma exigat talem motum: sed nullo ex his modis Cœli mouentur à seipsis, siue à propria forma effectiuè: non primo, quia moueri sic ab intrinseco conuenit solùm viuentibus, vt communiter docent Philosophi: imò talis motus est maximum vitæ indicium, ostensum est autem supra, quòd Cœli non viuunt: nec secundo, quia vt probat D.Thom. motus naturalis ex parte principij actiui, siue ad exigentiam formæ, est ad vnam partem tantùm, & perficitur quiete naturali, ac est corporis existentis extra locum naturalem, quo acquisito quiescit; quæ omnia apparent in motu Elementorum eis naturali ex parte formæ exigentis: sunt autem aliena à motu Cœlorum, qui continuò in proprio loco mouentur: ergo Cœli non mouentur à seipsis, siue à propria forma substantiali vllo modo effectiuè. Maximè quia esset eis violenta quies perpetua, quam habituri sunt post iudicium, cùm esset contra inclinationem formæ: quod tamen nullus dixit, nullum enim violentum potest esse perpetuum, tam perfecto corpori: licèt autem consideretur motum Cœlorum esse naturalem hoc secundo modo, adhuc indigerent motore extrinseco, quia vt docet D.Thom. in motu corporum simplicium, quamuis forma naturalis sit principium motûs, non tamen est motor: sed essentialis motor est generans, quod dedit formam, & accidentalis est remouens prohibens, vt dictum est in Physicis.

Probatur secunda pars conclusionis, authoritate D.Th. quæst. de motore Orbis opusc.10. 1.p.q.112.art.2. & alibi, eiúsque rationibus quarum prima est: quia hoc magis congruit Diuinæ Sapientiæ, quæ inferiora regit, & mouet per superiora, & media per prima: corpora verò Cœlestia media sunt inter superiora, & inferiora. Secunda, quia magis congruit dignitati naturæ Angelicæ; cùm enim seruire Deo regnare sit, dignius obsequium esse non potest, quantùm ad obsequentis naturam, cooperari Deo in regimine suæ prouidentiæ, quod fit mouendo Cœlos, ex quorum motu generantur omnia inferiora. Idem docent SS. Patres Aug.5. de Trinitate, & Gregorius 4. Dialogorum, vbi dicit quòd in hoc Mundo visibili nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest: nec aduersatur illud Iob 35. *Quem constituit alium super Terram, aut alium super Orbem quem fabricatus est?* Respondet enim idem S. Greg. illis verbis tantùm significari, quòd Deus habet prouidentiam, primámque directionem totius orbis: quantùm ad Aristotelem aliqui dicunt ipsum docuisse Deum mouere immediatè primum mobile, sed D. Thom. illum intelligit de motione per modum finis, cùm sit finis talis motûs, vel per quandam appropriationem, & primariam influentiæ susceptionem.

Probatur tertia pars conclusionis. Quòd motores Cœlorum sint Angeli constat ex dictis, quòd sint secundæ Hierarchiæ ex ordine virtutum docet D. Th. opusc. 10. cap.17. cuius ratio est, quia seruire Deo in executione Diuinæ prouidentiæ in maiori, & minori Mundo, maius est quàm seruire Deo in executione alicuius ministerij inferioris: propterea valde probabiliter quidam dicunt, quòd motores orbium sunt de media Hierarchia, & de medio ordine, putà virtutes, vt dicit Dionysius cap. 8. cœlestis Hierarchiæ: ait enim, virtutum nomen diuinam quandam, & inconcussam vim ad cœlestes operationes obeundas præ se ferre: quod colligit ibidem D. Thom. ex illo Matthæi 24. *Virtutes Cœlorum mouebuntur,*

Vv Et

Et ex Præfatione (*Cœli, Cœlorúmque virtutes:*) vnde S. Dionyſius, & D. Thom. aliique Sancti ſic diuidunt Hierarchias cœleſtes, vt prima conſtans tribus ordinibus, Seraphim, Cherubim, & Thronis intimiùs Deo adhæreat contemplando & amando, à quo illuminata & edoċta illuminet. Secunda conſtans aliis tribus ordinibus, ſcilicet Dominationibus, Virtutibus & Poteſtatibus occupetur in vniuerſalioribus, quæ ad gubernationem huius vniuerſi, & maximè hominis pertinent, qualis eſt motus Cœlorum, qui eſt propter electos, eſt enim propter multiplicationem hominum. Tertia tandem Hierarchia occupetur à ſecunda in miniſteriis particularibus, vt ad cuſtodiam hominum, alióſque caſus particulares: ad ſuprema autem miniſteria, etiam particularia, vt ad annuntiandam Incarnationem, ſummi ex prima Hierarchia mittuntur, vt Gabriel, Michaël, quamuis Archangeli vocentur ratione officij, & legationis, quam tunc obeunt.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate Ariſtotelis 12. Metaph. cap. 8. & communi pene conſenſu Philoſophorum, & Aſtronomorum. Cuius ratio eſt, quia Angelus non agit in diſtans, ſed debet eſſe, vbi operatur: vnde debet contingere cœleſte corpus, quod mouet, non quidem ſecundùm omnes partes, ſed ſecundùm aliquem ſitum: vnde motores Cœlorum ponuntur in parte Orientali, ita quòd impellant continuò Cœlos applicando ſuam virtutem partibus tali ſitui correſpondentibus: cùm igitur Cœli partiales diuerſis, & propriis motibus moueantur, nec ſint continui, ſed contigui, vt dictum eſt, & infra explicabitur, impoſſibile eſt quòd moto vno ex vi talis motûs alij moueantur diuerſis motibus: ad ſummum poſſunt rapi eodem motu; & ita cuilibet debet aſſiſtere propria intelligentia motrix: quæ ratio conuincit de Epiciclis etiam, & de corpore Lunari, quæ habent proprios motus diuerſos à motibus cœleſtium corporum, quibus inſunt: conuincit etiam de Excentricis ſecundùm quid, licèt enim pari & proportionato motu moueantur, quia tamen mediat Excentricus ſimpliciter, ideo virtus impreſſa ſuperiori non poteſt continuari cum inferiori: hanc rationem indicat D. Thom. quodlib. 6. art. 2. ad 1. vbi ait: *Actio voluntatis Angelica radicatur in eſſentia eius, à qua procedit eius virtus, & operatio: oportet autem mouens eſſe ſimul cum mobili, quod ab eo mouetur, vt habetur in 7. Phyſicor. textu 12. & ideò oportet ſubſtantiam Angeli aliqualiter coniungi rebus, quas mouet:* Nullus autem eſt Angelus tantæ perfectionis, & virtutis, cuius ſubſtantia poſſit immediatè coniungi omnibus Cœlis partialibus eiuſdem totalis, nec immediatione ſuppoſiti propter limitationem, nec immediatione virtutis, vt dictum eſt.

Probatur quinta pars concluſionis authoritate D. Th. multis locis ſuæ doctrinæ vt quodlib. 6. q. 2. art. 2. & alibi quem communiter ſequuntur eius Diſcipuli. Cuius ratio eſt, quia naturæ intellectualis ſimplicis, qualis eſt Angelica, nulla eſt alia potentia, quàm intellectus, & voluntas, quod in nobis deprehendimus: nullam enim aliam præter duas potentias aſſignatas participamus ex gradu intellectuali; quòd ſi alias habemus, eas participamus ex gradu ſenſitiuo, & vegetatiuo, qui non eſt in Angelis: ergo cùm Angeli moueant Cœlos aliquâ potentiâ, talis potentia eſt intellectus applicatus voluntate: & hoc docet S. Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus, vbi dicit quòd Angeli habent ſubſtantias, & virtutes, & operationes intellectuales: vnde ſequitur quòd intellectus Angelicus eſt multò perfectior humano; cùm per imperium agat ad extra, quod imperium dicitur voluntatis; non quòd ſit immediatè actus elicitus à voluntate, imperium enim ex D. Thom. eſt actus intellectûs, ſed quia voluntas applicat ad talem actum: & ſic intellectus Angelicus æquiualet pluribus noſtris virtutibus: quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus: quia verò virtus & operatio cuiuſlibet rei proportionatur eſſentiæ eius, ideò ſuperioris Angeli, cuius eſſentia eſt nobilior, eſt etiam virtus efficacior ſicut ad intelligendum, ita & ad agendum in res exteriores: & ſecundùm hoc actio Angeli limitatur ad aliquem effectum, quia nec virtutem, nec eſſentiam habet infinitam.

Nec his obſtant, quæ obiicit Ruuius: Primum, authoritas D. Thom. q. 6. de potentia art. 7. ad 12. dicentis quòd imperium Angeli requirit executionem virtutis, vnde oportet quòd ſit quidam tactus ſpiritualis ad corpus, quod mouet, & quodlib. 9. art. 10. ad 2. quòd Angelus agit in hæc corpora mouendo ea localiter per imperium: ſed imperium non dicitur hîc ſine virtute actiua. Secundum, quia ſequeretur Angelum ex quacumque diſtantia poſſe mouere Cœlum: nam intellectus & voluntas attingunt obiecta diſtantia. Tertium, quod mouere eſt extra obiectum intellectûs & voluntatis. Ad primum enim dicendum, quòd ſanctus Doctor ſolùm vult illud imperium non eſſe tantùm immanens formaliter, ſed etiam tranſiens virtualiter, ac proinde executiuum & actiuum ad extra: non autem diſtinguit duplicem potentiam, imperantem & exequentem. Ad ſecundum reſpondet D. Thom. quodlib. 6. art. 2. ad 1. quòd quia mouens debet eſſe ſimul cum mobili, ad hoc vt imperium illud ſit operatiuum ad extra, oportet ſubſtantiam Angeli aliqualiter coniungi rebus, quas mouet. Ad tertium dicendum, quòd mouere continetur ſub vero, & bono factibili: vnde intellectus operatiuus ad extra poterit mouere, quia talis actio non petit elici à determinatis organis, ſicut actiones ſenſuum: quia autem actio intellectûs & voluntatis ad extra limitatur ſecundùm modum eſſentiæ, non oportet quòd Angelus poſſit agere omnia, quæ velle & intelligere poteſt.

An primum ergo dicendum, quòd licèt voluntas Angelorum ſit per naturam vertibilis, immobiliter tamen exequuntur imperium diuinum, vnde ex tali imperio mouerunt, mouent, & mouebunt Cœlos modo ſibi præſcripto, donec ſit perfecta ſuperna ciuitas, ad quam conſummandam ordinatur finaliter Angelica miniſtratio.

An ſecundum dicendum vt ſupra, quòd motus Cœlorum non eſt ſimpliciter naturalis ex parte principij actiui, ſed tantùm ex parte principij paſſiui, vnde non eſt eis ab eorum forma ſubſtantiali communicatus.

An tertium dicendum, quòd quia grauitas & leuitas ſunt proprietates formarum Elementarium, ideo motus ſurſum conſequens leuitatem, & motus deorſum conſequens grauitatem, licèt effectiuè ſint à generante, ſunt tamen ad exigentiam formæ, quando talia corpora ſunt extra proprium locum, & propterea illi motus dicuntur naturales ex parte formæ: quia verò in Cœlis nihil eſt, niſi ſola figura proportionata motui circulari, & figura ſe tenet ex parte materiæ, ideo talis motus eſt omnino ab extrinſeco: perfectio autem formarum cœleſtium ſuper Elementares in aliis elucet, vt in modo informandi inamiſſibiliter & influendi vniuerſaliter: imò hic motus Elementorum fundatur in quadam eorum Imperfectione, quòd ſcilicet poſſint eſſe extra proprium locum, quæ imperfectio non eſt in Cœlis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm cuilibet Cœlo ſit connaturalis vnus tantùm motus?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd cuilibet Cœlo plures motus ſint connaturales, & non vnus tantùm. Ita tenent aliqui. Probatur. Duo motus circulares non ſunt contrarij, imò nec ſpecie diſtincti, quia ad idem punctum, & eodem modo tendendi terminantur: ergo poſſunt duo motus, aut plures eſſe connaturales cuilibet Cœlo, & non tantùm vnus.

§ 2. Præterea, Motus Cœli non ſunt ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco principio, & experientia docet idem Cœlum moueri pluribus motibus: ergo cùm omnes illi motus non poſſint dici Violenti, ſunt omnes connaturales, cùm par ratio ſit de omnibus.

§ 3. Præterea, Si qui motus non eſſent connaturales Cœlis, illi eſſent, quos Cœli inferiores participant à ſuperioribus,

perioribus, & dicuntur motus raptus: sed hi motus raptus sunt connaturales, nam sicut subordinatio Cœlorum inferiorum ad superiores est naturalis, sic est connaturale Cœlis inferioribus, quòd moueantur à superioribus.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D.Thom. sæpe in his libris, quos communiter sequuntur Philosophi & Astronomi, qui ex pluralitate motuum colligunt pluralitatem Cœlorum.

Conclusio.

Cùm vni & eidem corpori simplici sit naturalis vnus tantùm specie motus, cuilibet Cœlo vnus tantum motus est connaturalis.

Respondeo dicendum, quòd cuilibet Cœlo vnus tantùm motus est connaturalis, ille scilicet, quem à propria habet intelligentia. 2. alij quos participat à Cœlis superioribus, sunt ei præternaturales. Ad cuius evidentiam sciendum est, quòd motus localis diuiditur ab Aristotele in rectum, circularem, & mixtum ex vtroque. Motus rectus dicitur ille qui fit super lineam rectam, quæ scilicet ab vno puncto ad aliud quàm breuissimè pertingit: circularis, qui fit super lineam circularem, cuius scilicet omnes partes ab aliquo vno puncto æquè distant: mixtus autem, qui fit super lineam ex recta & circulari mixtam, quæ videlicet inter duo puncta non omnino breuissimè extenditur.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione Philosophi, & D.Thom. in his libris. Vni & eidem corpori simplici vnus tantùm specie motus per se conuenit, vt inductione patet in omnibus Elementis: nam Igni & Aëri conuenit per se motus à medio, & centro Mundi, siue motus sursum; Igni quidem simpliciter, Aëri verò secundùm quid, & è contra Terræ, & Aquæ conuenit motus ad medium & centrum Mundi siue motus deorsum; Terræ simpliciter, Aquæ secundùm quid: sed Cœli sunt corpora simplicia, vt communiter docent Philosophi cum Aristotele: ergo cuilibet Cœlo est connaturalis vnus tantùm motus, ille scilicet, quem habet à sua intelligentia, quia vt dictum est ex Cœlo, & intelligentia fit vnum, tanquam ex proprio motore & proprio mobili, vnde si talis motus sit ab Occasu ad Ortum, & alium participet à Cœlo superiori motum ab Ortu ad Occasum, hic vltimus motus non conuenier ei per se & naturaliter, sed per accidens & præternaturaliter, qui motus licèt non distinguantur specie ex parte termini, ex parte tamen medij formaliter, quia per contrariam partem ab eodem puncto ad idem tendunt, æquè contrariantur, & æquè sunt incompossibiles connaturaliter, ac motus sursum, & motus deorsum. Et ex his manifesta est secunda pars conclusionis. Igitur primum mobile connaturaliter mouetur ab Ortu ad Occasum, Chrystallinum ab Occasu in Ortum, Firmamentum à polo ad polum, omnes alij inferiores ab Occasu in Ortum, Epicicli autem sex Planetarum mouentur intra proprium Cœlum deferens, sicut & corpus Lunare intra proprium Epiciclum: quantùm ad alios motus præternaturales dicetur articulo sequenti.

Ad primum ergo dicendum, quòd motus circulares tendentes per contrariam partem, æquè sunt incompossibiles connaturaliter, ac duo alij specie distincti ex parte termini, aut modi tendendi, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd licèt omnes motus Cœlorum sint ab extrinseco, tamen quia vnus est à propria intelligentia, dicitur connaturalis, non verò alij, qui tamen non sunt violenti, quia figura Cœlorum est indifferens ad omnes: ex parte verò formæ substantialis, sicut non est inclinatio ad motum aliquem determinatum, sic nec resistentia, quæ requiritur ad violentiam: vnde dicuntur præternaturales.

Ad tertium dicendum, quòd Cœli, & qualibet alia possunt considerari, vel iuxta propriam naturam, vel vt partes vniuersi. Primo modo motus raptus non sunt connaturales Cœlis, sicut nec sursum moueri est connaturale corpori graui. Secundo autem modo tales motus sunt connaturales Cœlis, sicut sursum moueri ad replendum vacuum est connaturale corpori graui, vt est pars vniuersi, pars enim naturaliter inclinatur ad bonum sui totius: hic autem loquimur de connaturali primo modo.

Articvlvs V.

Vtrùm Cœli inferiores moueantur à superioribus?

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd Cœli inferiores non moueantur à superioribus, ita quòd duplici motu moueantur, vel pluribus. Ita tenent aliqui, præcipuè Ruuius in hoc libro cap. 5. quæst. 5. vbi adducit pro se D.Thom. sed immeritò. Probatur. Illi plures motus, qui attribuuntur eidem Cœlo, sunt contrarij, & solo numero distinguuntur, vnus quippe est ab Ortu ad Occasum, alius ab Occasu ad Ortum, & inter motus circulares non est distinctio specifica: sed ex hoc duplici capite hi motus sunt incompossibiles in eodem subiecto, nam idem ex Philosopho non potest moueri motibus contrariis, & duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto: ergo Cœli inferiores non mouentur à superioribus, maximè quia hæc contrarietas motuum non videtur consona Cœlis carentibus omni aliâ contrarietate.

¶ 2. Præterea, Motus localis est acquisitio loci, vel præsentiæ localis, aut diuersi modi præsentiæ localis: ergo si Cœli moueantur simul duplici motu locali, simul acquirent duo loca, siue duas præsentias locales, aut duos diuersos modos præsentiæ localis, quod tamen ab omnibus Philosophis iudicatur saltem naturaliter impossibile.

¶ 3. Præterea, Si quid suaderet ponendos esse plures motus in Cœlis, esset maximè quia præter motum diurnum, Stellæ, & Planetæ apparent retrocedere, & simul ad Polos accedere, & ab ipsis recedere: sed hæc saluari possunt absque pluralitate motuum, si dicatur quòd intelligentiæ Cœlorum inferiorum mouent suos Cœlos ab Ortu ad Occasum, sicut mouetur à sua Intelligentia primum: ita tamen vt attemperent illum motum quòd non fiat integra circulatio spatio viginti quatuor horarum, vnde hæc retardatio, retrocessio apparet, & quia hoc fit per lineam gyratiuam, videtur nouus motus accessus & recessus: ergo Cœli inferiores non mouentur à superioribus.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. in hoc 2. libro. lect. 15. quos sequuntur plures Philosophi, & nobiliores Astronomi, vt Clauius in cap. 1. Sphæræ.

Conclusio.

Cùm sit possibile idem simul moueri motibus contrariis, & ordo vniuersi exigat quòd inferiora moueantur à superioribus, dicendum quòd Cœli inferiores præter suum motum naturalem, participant alium à superioribus.

Respondeo dicendum, quòd quamuis sit probabile omnes Cœlos vnico motu moueri, scilicet ab Ortu ad Occasum, per lineam tamen gyratiuam, excepto primo mobili. 2. tamen longè probabilius est, maximè in doctrina Aristotelis, & D.Thom. Cœlos omnes moueri pluribus motibus, & contrariis excepto primo mobili, qui vnico motu mouetur 3. vnde Cœli inferiores præter motum connaturalem, quo à propria mouentur Intelligentia, mouentur aliis à superioribus.

Probatur secunda pars conclusionis (primam enim concedimus tertio argumento in contrarium adducto) authoritate Aristotelis, & D.Thom. loco citato. Aristoteles sic habet; [Quoniam enim supponitur extremam Cœli circulationem simplicem esse, & velocissimam, aliorum autem tardiores, & plures (vnumquodque enim contra fertur Cœlo secundùm sui ipsius circulum) rationabile iam propinquissimo quidem simplici, & primæ circulationi in plurimo tempore pertransire sui ipsius circulum: maximè autem distanti in minimo

aliorum autem ſemper in pluri, diſtantius autem in minori. Propinquiſſimo enim maximè præualeat, diſtanti autem maximè omnium minimè propter diſtantiam, in media autem ſecundùm rationem iam diſtantiæ, ſicut etiam oſtendunt Mathematici. Quod exponens D. Thom. ſic ait: Supponimus enim tanquam ſenſu apparens quòd ſuprema Cœli circulatio ſit ſimplex, id eſt, non compoſita pluribus motibus, quia in ea nulla irregularitas apparet, & etiam velociſſima vtpote quæ in breuiſſimo tempore, ſcilicet ſpatio vnius diei circuit maximum circulum continentem totum, circulationes autem Planetarum ſunt tardiores, & plures, non ſolùm quia diuerſorum Planetarum diuerſi ſunt motus, ſed etiam quia motus vniuſcuiuſque Planetæ ex diuerſis motibus conſtituitur, vnuſquiſque enim Planetarum ſecundùm proprium motum in ſuo circulo fertur in contrarium motûs primi Cœli, largè accipiendo contrarietatem, non enim in motibus circularibus eſt propriè contrarietas, ſicut in primo habitum eſt, quando enim motus primi Cœli fit ab Oriente in Occidentem, motus Planetarum in propriis circulis fiunt ab Occidente in Orientem: vnde rationabile eſt quòd Planeta, qui eſt propinquiſſimus ſimplici, & primæ circulationi, contra quam fertur in ſuo circulo, in plurimo tempore pertranſeat proprium circulum.]

Secundò, idem corpus poteſt ſimul moueri duplici motu contrario, vno quidem per ſe, alio verò per accidens, vt in multis apparet, nam vnus homo poteſt deambulare in naui à prora ad pupim, quæ deambulatio erit ab Ortu verbi gratia ad Occaſum, & tamen ad motum nauis tendentis ab Occaſu ad Ortum mouebitur per accidens in contrariam partem. Similiter ſi aliquis homo ſit in infimo gradu alicuius ſcalæ, quæ ab alta turri paulatim demittatur, ſi homo tunc per gradus eius aſcendat, ſimul mouebitur per ſe ſurſum, & per accidens ad motum ſcalæ deorſum. Ex alio capite cuilibet Cœlo debetur aliquis motus proprius, cùm ſint corpora mobilia; ac tandem inferiora mouentur à ſuperioribus, hoc enim exigit ſubordinatio naturalis: ergo cùm in Cœlis inferioribus deprehendatur, quòd non efficiunt quotidie integrum circulum, dicendum quòd hoc prouenit ratione motûs proprij tendentis in contrariam partem, ſi enim à primo mobili moueantur ab Ortu in Occaſum (qui motus in illis eſt neceſſariò admittendus, cùm etiam appareat in aëre ſuperiori, videmus enim ibi moueri Cometas ad motum aëris ab Ortu in Occaſum, non tamen ita celeriter, tum propter maximam diſtantiam, tum propter liquiditatem, ratione cuius impulſus Cœli non ita præualet. Propterea D. Thom. hoc libro lect. 16. dicit ignem & ſupremam partem aëris moueri circulariter ad motum Cœli: primum enim mobile, quia primum in genere mobilium, habet impulſum efficaciſſimum) & ſi etiam proprio motu tendant ab Ortu in Occaſum, mouebuntur citiùs primo mobili maximè Cœli proximiores, tum quia duplici motu verſùs eamdem partem mouentur, tum quia habent multò minorem circulationem faciendam: ergo cùm manifeſtè appareat contrarium, ſequitur quòd Cœli inferiores mouentur pluribus motibus.

Probatur tertia pars concluſionis ex modo dictis, & explicantur omnes motus Cœlorum. Primum mobile tanquam nobiliſſimæ naturæ inter corpora habet ſolum primum motum velociſſimum: nam circulatio eius eſt omnium maxima, ac valde regularis & vniformis ex continua & vniformi impreſſione impulſûs ab intelligentia: hic motus, quia primus, eſt efficaciſſimus, & omnes Cœlos inferiores rapit, ac ignem, & ſupremam aëris partem, ac habet maximam efficaciam in his ſublunaribus. Cœlum Chryſtallinum mouetur duplici motu, ſcilicet ab Ortu in Occaſum ad motum primi mobilis, & ab Occaſu in Ortum motu proprio, qui motus deprehenditur in Firmamento: Cœlum enim Chryſtallinum, quia nullum habet aſtrum, non videtur à nobis. Firmamentum, ſiue Cœlum ſydereum mouetur triplici motu, ſcilicet ab Ortu in Occaſum ad motum primi mobilis, ab Occaſu in Ortum ad motum Cœli Chryſtallini, & motu proprio acceſſûs & receſſûs ad polos, & à polis Mundi, qui cùm non ſit vniformis, dicitur motus titubationis, vel trepidationis: prouenit autem hæc diſformitas ab eius intelligentia ſic mouente, quia ita conuenit pulchritudini, & vtilitati vniuerſi. Sicut quòd Cœli Planetarum propriis motibus tardiùs, vel celeriùs moueantur, licet enim ſit verum Cœlos tardiùs moueri propriis motibus, quò propinquiores primo mobili (à quo fortiùs rapiuntur) & velociùs, quò remotiores: non tamen hoc eſt cum omnimoda æqualitate, quia Sol, Venus, & Mercurius penè vniformiter mouentur, ſcilicet per annum. Cœlum Saturni mouetur triplici motu, ab Ortu ſcilicet ad Occaſum ad motum primi mobilis, ab Occaſu ad Ortum, tum motu proprio, tum ad motum Chryſtallini ſpatio triginta annorum circiter, & tandem ad motum Firmamenti mouetur motu acceſſûs, & receſſûs; & hi motus ſunt Cœli totalis, cui adiunguntur motus Excentrici ſimpliciter deferentis Planetam, & Epicicli, in quo eſt Planeta. Cœlum Iouis motu etiam triplici mouetur, ſcilicet ab Ortu ad Occaſum ad motum primi mobilis, ab Occaſu ad Ortum motu proprio, tum adiutus motu Cœli Chryſtallini & etiam motu Cœli totalis Saturni: propterea eſt velocior motu proprio Cœli Saturni, nam ſpatio duodecim annorum circiter perficitur: hanc igitur velocitatem habet ex duplici capite, tum quia magis diſtat à primo mobili, tum quia à pluribus adiuuatur: mouetur etiam motu acceſſûs, & receſſûs ad motum Firmamenti. Habet etiam peculiares motus Excentrici deferentis, & Epicicli: Cœli autem inferiores ſicut eorum Excentrici, & Epiciclici non participant motus Excentricorum, aut Epiciclorum, qui ſunt in Cœlis ſuperioribus: quia Cœli ſuperiores non poſſunt mouere inferiores, niſi ſint Concentrici. Triplici etiam dicto motu mouentur alij Cœli inferiores: propriis tamen vniuſcuiuſque ab Occaſu ad Ortum eſt velocior, tum ob maiorem diſtantiam à primo mobili, tum quia à pluribus ſuperioribus adiuuatur, quibus adiunguntur motus propriorum Excentricorum deferentium, & Epiciclorum; & in Cœlo Lunæ motus peculiaris corporis Lunaris in ſuo Epiciclo.

Ad primum ergo dicendum, quòd idem poteſt moueri per accidens duobus motibus contrariis, vt dictum eſt: duo autem accidentia ſolo numero diſtincta, ſi ſint completa, & in ſtatu naturali perfecto, non poſſunt quidem eſſe ſimul in eodem ſubiecto, bene tamen ſi ſint incompleta, & vialia, vt motus, ſicut dicetur in Metaphyſica. Nec iſta contrarietas motuum diſconuenit naturæ Cœlorum incorruptibili, ſicut aliæ contrarietates inducentes corruptionem.

Ad ſecundum dicendum, quòd duplici motu poteſt acquiri idem locus, ſiue eadem præſentia localis, vt patet ex inſtantiis adductis.

Ad tertium dicendum, quòd habet ſuam probabilitatem, ſed tamen magis conſonum rationi eſt, quòd Cœli inferiores moueantur pluribus motibus, & illud quòd dicitur retardatio, ſit vera retroceſſio.

Articvlvs VI.

Vtrùm Cœlum Empyreum moueatur?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd Cœlum Empyreum moueatur. Probatur authoritate Ariſtotelis in hoc 2. libro textu 36. vbi dicit, quòd prima cauſa, ſcilicet Deus mouet cauſatum primum: ſed cauſatum primum, tum creatione, tum dignitate eſt Cœlum Empyreum: ergo Cœlum Empyreum mouetur à Deo.

¶ 2. Præterea, Ex D. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. ad 2. Cœlum Empyreum influit in hæc inferiora: ſed omnis influxus Cœlorum fit medio motu, tanquam conditione ſine qua non: ergo Cœlum Empyreum mouetur.

¶ 3. Præterea, Cœlum Empyreum eſt eiuſdem figuræ rotundæ,

rotundæ, ac alij Cœli: propterea hoc vniuersum dicitur Orbis, quia est vnus globus. Maximè quia figura rotunda, vtpote perfectissima, & magis accommodata ad æqualiter influendum huic Mundo inferiori, debet attribui perfectissimo corpori, quale est Cœlum Empyreum: sed figuræ rotundæ est connaturalis motus circularis, vt probat Philosophus: ergo Cœlum Empyreum mouetur.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur Christiani Philosophi.

Conclusio.

Cùm Cœlum Empyreum sit ex propria natura sedes Beatorum, est naturaliter immobile.

Respondeo dicendum, quòd Cœlum Empyreum, nec actu mouetur 1. nec est naturaliter mobile ab vlla creatura.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 66. art. 3. ad 2. vbi ait: *Probabilius tamen videtur dicendum, quòd sicut supremi Angeli, qui assistunt, habent influentiam super medios, & vltimos qui mittuntur: quamuis ipsi non mittantur secundùm Dyonisium: ita Cœlum Empyreum habet influentiam super corpora, quæ mouentur, licèt ipsum non moueatur.* Deinde Cœlum Empyreum fuit creatum à Deo, vt esset sedes, & fœlicissimum Beatorum domicilium: ergo cùm fuerit creatum cum tot aliis perfectionibus, & maximè cum claritate gloriæ, quæ non est conformis claritati naturali, vnde est perfectissimum omnium corporum, etiam debuit creari cum immobilitate, quæ decet statum, & æternitatem cœlestis curiæ: motus enim redolet tempus.

Probatur secunda pars conclusionis. Nulla creatura, quæcumque illa sit, potest naturaliter immutare naturam, siue ordinem vniuersi: propterea negatur communiter, quòd Angeli possint naturaliter inducere vacuum in natura, vel mouere integrum aliquod Elementum, aut corpus cœleste à proprio loco, quia hæc solius sunt Dei: ad eum quippe solùm pertinet immutare naturam, qui eam condidit: sed si moueretur Cœlum Empyreum, immutaretur notabiliter ordo vniuersi, fieret quippe mutatio in perfectissima eius parte: ergo Cœlum Empyreum non est mobile naturaliter ab vlla creatura.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, quippe qui gentilis, non nouit Cœlum Empyreum, gentilitas enim tenebat animas beatas remanere in terra in campis Elysiis: vnde nomine primi causati intelligit primum mobile, quod moueri dicitur à Deo causante per modum finis: vel efficienter per quamdam appropriationem, & primariam influentiæ susceptionem ex D.Thom. 12. Metaph. lect. 7.

Ad secundum dicendum, quòd D.Thom. ibidem subiungit, quòd Cœlum Empyreum non mouetur: vnde ad omnem Cœlorum influentiam non est necessarius motus, etiam vt conditio.

Ad tertium dicendum, quòd circa figuram Cœli Empyrei dissentiunt authores: quidam dicunt esse rotundum secundùm vtramque superficiem propter rationes adductas, & ad obiectionem respondent, quòd motus circularis est connaturalis Cœlis ratione figuræ, si moueantur aliquo motu: tamen possunt non moueri, vt in fine mundi continget omnibus Cœlis: absque eo quòd sint in statu violento: quia motus non est eis connaturalis ex parte formæ substantialis eorum. Alij dicunt esse quidem rotundum secundùm superficiem concauam, sed quadratum secundùm conuexam: & colligunt ex illo Apocal. 21. *Ciuitas in quadro posita est*: Quia figura quadrata est magis proportionata stabilitati perpetuæ Cœli Empyrei: vnde perfectionem vtriusque figuræ ei attribuunt, & æqualem influentiam ratione superficiei concauæ. Ad aliud dicunt quòd vniuersum vocatur Orbis, quia omnes eius partes sensibus manifestæ sunt rotundæ: imo sub nomine Orbis intelligitur Terra, & Aqua tantùm: vnde solet dici orbis terrarum.

Articulus VII.

Vtrùm motus cœlestium corporum aliquando deficiet?

Ad septimum sic proceditur. Videtur quòd motus cœlestium corporum nunquam deficiet. Ita tenuerunt illi gentiles Philosophi, qui tenuerunt Mundum esse ab æterno, dixerunt enim motum Cœlorum ipsis esse coæternum à parte ante, & in æternum duraturum. Probatur. Motus Cœlorum est ipsis naturalis, & intelligentiæ motrices sunt incorruptibiles, & infatigabiles: ergo talis motus nunquam deficiet.

¶ 2. Præterea, Omne quod est, est propter suam operationem ex Philosopho, & ad eam tanquam ad suum finem inclinat, vt sic assimiletur Deo in causando: ergo cùm Cœli sint incorruptibiles, semper influent in hæc sublunaria, ne sint in statu violento: & cùm talis influentia fiat per motum, motus cœlestium corporum nunquam deficiet.

¶ 3. Præterea, Quod æqualiter se habet ad duo, aut vtrique adhæret, aut neutri: sed omnes Planetæ, & Stellæ æqualiter se habent, quantùm est in eorum natura, ad quodlibet Vbi Cœlorum: ergo vel erunt in quolibet, aut in nullo: sed non possunt esse in nullo, quia omne corpus sensibile alicubi est, & ita erunt in quolibet per motûs successionem, ac proinde motus cœlestium corporum nunquam deficiet.

Sed contra est authoritas sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, præcipuè D.Thom. q. 5. de potentia, art. 5. asserentis id esse de fide.

Conclusio.

Cùm multiplicatio electorum sit finis motûs cœlestium corporum, completo electorum numero hic motus deficiet.

Respondeo dicendum, quòd motus cœlestium corporum aliquando deficiet. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd cœlestia corpora non mouentur præcisè propter ipsum motum, aut operationem transeuntem; quasi motus ipse, & operatio sit finis sui, nec propter aliquid vtilius: nec tandem finis intentus per motum cœlestium corporum potest esse aliquid infinitum. Ratio primi est, quia motus ex natura sua est in aliud tendens, vt patet ex eius definitione: & ita ei repugnat ratio finis, & si ei conuenit ratio viæ ad finem; & maximè quia est actus imperfectus ex 3. Physic. finis autem est vltima perfectio rei: nec operatio transiens, (cùm sit operatio habens operatum, & tendens in aliud) potest esse finis: huiusmodi enim operationibus meliora sunt operata, vt dicitur in principio Ethicor. & hoc maximè quando talis operatio est efficienter à principio extrinseco. Ratio secundi est, quia licèt terminus productus per operationem possit esse vilior operante, non tamen finis: quia cùm finis sit, vnde ratio sumitur, oportet finem præeminere his, quæ sunt ad finem. Ratio tertij est, quia vt dicitur 2. Metaph. qui ponit infinitum in causa finali, destruit finem, & naturam boni: pertingere enim, quod infinitum est, impossibile est. Nihil autem mouetur ad id, quod est impossibile ipsum consequi, vt dicitur 1. Cœli: vnde dici non potest quòd finis motûs Cœli sit, vt consequatur actu aliquod infinitum, cùm non sit in potentia ad illud.

Probatur conclusio authoritate Scripturæ. Apocal. 10. habetur quòd Angelus leuauit manum suam ad Cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius: ex quo loco colligunt sancti Patres motum Cœlorum, in quo subiectatur tempus, cessaturum: vnde dicit D. Thom. loco citato: *Respondeo dicendum, quòd secundùm doctrinam Sanctorum ponimus motum Cœli quandóque cessaturum, quamuis hoc magis fide teneatur, quam ratione demonstrari possit.*

Secundò probatur ratione D.Thom. Cœlum non mouetur propter ipsum motum, aut operationem transeuntem prouenientem à tali motu, vt dictum est: nec propter

 aliquod

aliquod vile operatum, quaſi ſit finis talis motûs; nobilitas enim corporis Cœleſtis exigit habere finem nobiliſſimum ſui motûs; vnde conuenienter aſſignatur multiplicatio animarum rationalium, ſiue hominum propter implendum numerum electorum: ergo completo tali numero, qui eſt finitus, tanquam acquiſito proprio fine deficiet motus cœleſtium corporum. Maximè quia omnis motus terminatur ad quietem, vt apparet in his inferioribus: quies enim eſt nobilior motu; quia ſecundùm hoc quod res ſunt immobiles, Deo aſſimilantur, in quo eſt ſumma immobilitas: ergo motus cœleſtium corporum multò nobilior his inferioribus naturaliter ad quietem terminabitur.

AD primum ergo dicendum, quòd motus Cœli non eſt naturalis propter actiuam inclinationem formalis principij in corpore cœleſti ad talem motum, ſicut eſt in Elementis: vnde non ſequitur, ſi Cœlum quieſcit, quòd eius quies ſit violenta: & licet intelligentiæ motrices ſint incorruptibiles, & infatigabiles, non tamen eſt neceſſarium quòd ſemper moueant, ſed ſecundùm quod exigit ratio finis principalis proximi, qui eſt complementum numeri electorum.

AD ſecundum dicendum, quòd operatio, quæ eſt perfectio operantis, eſt finis eius, non autem operatio, quæ ordinatur ad perficiendum aliud, ſicut eſt motus, & influentia Cœlorum motum conſequens.

AD tertium dicendum, quòd quamuis Cœlum, Stellæ, & Planetæ æqualiter ſe habeant ad quemlibet ſitum ſibi poſſibilem, non tamen motus eſt propter acquiſitionem ſitûs, ſed propter aliud: vnde in quocumque ſitu remaneant, impleto eo, ad quod ille motus erat, nihil intereſt.

QVÆSTIO VI.

De influentia, & cauſalitate Cœlorum.

VIA Cœli per motum influunt in hæc inferiora, & medijs influentiis cauſant, poſt conſiderationem motûs Cœlorum, conſiderandum eſt de eorum influentia, & cauſalitate, circa quod quæruntur octo.

¶ Primò, Vtrùm Cœli influant in hæc ſublunaria?
¶ Secundò, Vtrùm Cœli influant tantùm per motum, & lumen?
¶ Tertiò, Vtrùm Cœli influant, vt cauſa principalis?
¶ Quartò, Vtrùm Cœli etiam influant in actus humanos?
¶ Quintò, Vtrùm Cœli imponant neceſſitatem iis, quæ ſubduntur eorum influentiis?
¶ Sextò, Vtrum ceſſante motu Cœlorum ceſſet omnis motus, & actio ſublimarium?
¶ Septimò, Vtrùm Cœlum Empyreum etiam influat?
¶ Octauò, Vtrùm poſſint certò præuideri futuri euentus ex influentia Cœlorum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Cœli influant in hæc ſublunaria?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd Cœli non influant in hæc ſublunaria. Probatur authoritate S. Damaſceni in lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 6. vbi ait: *Nos autem dicimus quoniam ipſa corpora cœleſtia non ſunt cauſa alicuius eorum, quæ fiunt, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur: ſigna autem ſunt magis, imbrium, & aëris transmutationis*: Ergo Cœli non influunt in hæc ſublunaria.

¶ 2. Præterea, Cauſa omnis producit ſibi ſimile, & ſi ſit neceſſaria, producit neceſſariò, nec agit in diſtans: ſed Cœli nihil ſibi ſimile producunt in his ſublunaribus, non ſolùm in ſubſtantia, ſed nec in accidentibus: Cœli quippe non habent quatuor primas qualitates, quæ tamen reperiuntur in omnibus ſublunaribus, nec producunt aliquid neceſſariò, vt experientiâ conſtat: quia effectus, qui Cœlis attribuuntur, modò eueniunt, modò deficiunt; randem Cœli plurimùm diſtant à Terra: ergo Cœli non influunt in hæc ſublunaria.

¶ 3. Præterea, In his ſublunaribus inuenitur principium tam actiuum, quàm paſſiuum generationum & corruptionum, ſcilicet quatuor primæ qualitates calor, frigus, humiditas, & ſiccitas, quibus experimur hæc omnia inferiora alterari, corrumpi, & generari: materia prima ſublunaris eſt principium paſſiuum: ergo ſuperfluus eſſet Cœlorum influxus; vnde cùm nihil ſit ſuperfluum in rerum natura, Cœli non influunt in hæc ſublunaria.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. paſſim in eorum libris, ac communis conſenſus, tum Philoſophorum, tum Aſtronomorum.

CONCLVSIO.

Cùm Cœli ſint primi in genere mobilium, & magis immobiles, influunt in omnes motus ſublunarium.

RESPONDEO dicendum, quòd Cœli influunt in hæc inferiora, ita vt omnes motus, alterationes, corruptiones, & generationes horum ſublunarium ab illis dependeant. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt multos fuiſſe errores circa cauſam generationum & corruptionum in iſtis inferioribus, quos refert & impugnat D.Thom. q. 5. de veritate art. 9. Primus fuit quorumdam reducentium ad Elementa, & Elementorum qualitates hanc cauſalitatem: ſed hoc ſtare non poteſt, quia illæ qualitates in actionibus rerum naturalium ſunt tantùm inſtrumentalia principia, quod patet ex hoc quod diuerſos habent effectus ſecundùm quòd regulantur, & applicantur à diuerſis principiis: calor enim naturalis in animali producit carnem, in aliis alios effectus: actio autem principalis agentis non reducitur ſicut in principium, in actionem inſtrumenti, ſed potius è conuerſo, ſicut effectus artis non debet attribui ſeræ, ſed artifici: vnde effectus naturales non poſſunt reduci in qualitates Elementares, ſicut in prima principia. Secundus error fuit Platonicorum reducentium hanc cauſalitatem in formas ſimplices, & ſeparatas tanquam in prima principia. Sed contra, quia tales formæ ponebantur ab illis omnino immobiles, à cauſa autem eodem modo ſe habente idem procedit effectus, & ita generationes ſemper vniformiter contingerent, cuius contrarium experimur: fortè Plato, quem aliqui Platonici malè intellexerunt, per illas formas ſeparatas, quas ideas vocabat, intellexit ideas diuinas, quæ ſunt omnium rerum prima ſimpliciter principia: vel intellexit intelligentias motrices Cœlorum, & nobiſcum conuenit. Tertius error fuit aliorum reducentium generationes & corruptiones horum ſublunarium in Cœlos, tanquam in primas ſimpliciter cauſas: inter quos aliqui non ſolùm ipſos motus, ſed etiam ſubſtantiam ipſam Cœlis attribuebant: ſed hi turpius errarunt, nam Deus eſt primum ens, & prima cauſa, à qua per creationem omnia immediatè fluxerunt, & ad quam omnis motus, & actio vltimò reſoluitur.

Probatur concluſio authoritate D. Thom. qui hanc difficultatem pertractat ex profeſſo, tum loco citato, tum 1. p. q. 115. art. 3. Item Ariſtotelis 2. de generatione, vbi dicit quòd latio Solis in circulo decliui eſt cauſa generationis & corruptionis in his inferioribus, & in libro de animalibus dicit, quòd omnes diuerſitates, quæ ſunt in conceptionibus, ſunt ex corporibus cœleſtibus quod ipſâ quotidianâ comprobatur experientiâ: experimur enim quòd ad coniunctiones quorumdam Aſtrorum cauſantur ſterilitates, abundantiæ, tranquillitates, tempeſtates: ad ortum & occaſum Solis & Lunæ oriuntur vel deficiunt venti, intenduntur, remittuntur: fluxus, & refluxus Maris ſequitur periodos Lunæ: denique tam certæ ſunt hæ Cœlorum influentiæ, vt Medici ad Aſtrorum congreſſiones, & aſpectus, maximè verò Lunæ in ſuis curationibus attendant: Agricolæ etiam ad ſerendum, Lunæ incrementum determinatum obſeruant: omnia Sole accedente pullulant, recedente langueſcunt: ergo Cœli influunt in hæc ſublunaria.

Secundò

Secundò probatur ratione D. Thom. loco citato primæ partis. Cùm omnis multitudo ab vnitate procedat, quod autem immobile est, vno modo se habet, quod autem mouetur, multipliciter, considerandum est in tota natura, quòd omnis motus ab immobili procedit: & ideo quantò aliqua magis sunt immobilia, tantò sunt magis causa eorum, quæ sunt magis mobilia: corpora autem cœlestia sunt inter alia corpora magis immobilia; non enim mouentur nisi motu locali: ergo motus horum inferiorum corporum, qui sunt varij & multiformes, reducuntur in motum corporis cœlestis, sicut in causam.

Tertiò probatur aliâ ratione eiusdem D. Thom. q. citatâ de veritate, & Aristotelis 2. Metaph. *Quod est primum in aliquo genere, est causa illorum, quæ sunt post in illo genere*. Vt inductione patet in omnibus: sed corpora cœlestia sunt prima in genere corporum, & motus eorum sunt primi inter motus alios corporales: ergo influunt, vt causa ad omnia corporalia, quæ fiunt in his inferioribus. Huius rationis fundamentum est, quia hoc vniuersum est vnum coordinatione partium subordinatarum, ita vt sicut partes inferiores subordinantur superioribus quantùm ad substantiam, ita etiam quantùm ad motus & operationes.

Ad primum ergo dicendum, cum D. Thom. quòd dictum Damasceni intelligendum est, quòd corpora cœlestia non sunt primò causa generationis & corruptionis eorum, quæ hic fiunt, sicut dicebant illi, qui ponebant corpora cœlestia esse Deos; vel sanctus Damascenus tantùm intendit excludere à corporibus cœlestibus respectu horum inferiorum causalitatem primam & inducentem necessitatem: cùm ex diuersa dispositione materiæ diuersitas in effectibus appareat, vt quòd simul concipiatur mas, & fœmina.

Ad secunum dicendum, quòd Cœli quia non sunt causæ vniuocæ horum inferiorum, sed æquiuocæ, non sunt similes in natura specifica, sed inquantum suâ vniuersali virtute continent in se, quidquid in inferioribus generatur: causa verò necessaria potest impediri ne producat effectum ex concursu aliarum causarum:& ita contingit respectu Cœlorum, quorum virtus impeditur sæpe à causis inferioribus habentibus naturales dispositiones contrarias, non causatas ex prima institutione à corpore cœlesti, sed ex diuina operatione, vt ab igne calido, ab aqua frigida &c. nec Cœli dicuntur agere in distans, per hoc quòd agant in hæc sublunaria, cùm sint intrà sphæram actiuitatis eorum: vnde prius agunt in medium, quàm in terminum: quamuis non idem in vtroque operentur, sed secundùm quòd exigit dispositio vtriusque: sicut virtus magnetis attrahentis ferrum defertur ad ferrum per medium aërem, qui non attrahitur: vnde virtutes superiorum Stellarum priùs recipiuntur in mediis orbibus, quàm in inferioribus corporibus: quamuis eosdem effectus vtrobique non habeant: non enim alterant medios orbes, sicut hæc inferiora.

Ad tertium dicendum, quòd licèt in his inferioribus inueniatur, tam principium actiuum, quàm passiuum generationum & corruptionum, scilicet agentia particularia cum virtute, tam radicali, quàm proxima agendi; & materia prima: quia tamen hoc vniuersum est perfectè ordinatum, & perfectus ordo petit, vt omnis motus corporalis reducatur in primum mouens in ordine corporalium, quod est Cœlum, ideo agentia particularia corporalia non agunt, nisi ex influentia Cœli: vnde quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret, nisi per motionem corporis cœlestis, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 1.

Articvlvs II.

Vtrùm Cœli influant tantùm per motum, & lumen?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli influant tantùm per motum & lumen. Ita tenent Picus Mirandulanus lib. 3. contra Astrologos, & alij. Probatur. Aristoteles in his libris, & in libris Meteororum, & vbicumque facit mentionem influentiæ cœlestis, illam reducit ad motum & lucem, nec alterius meminit: ergo Cœli influunt tantùm per motum & lucem: maximè quia alia qualitas actiua in Cœlis non est assignabilis.

§ 2. Præterea, Quò agentia sunt superiora & nobiliora, eò paucioribus indigent ad agendum: quæ enim sunt dispersa & multiplicata in inferioribus, sunt vnita & identificata in superioribus: ergo cùm Cœli sint agentia suprema & nobilissima in ordine materialium, paucioribus indigebunt, & ita influent tantùm per motum, & lucem.

§ 3. Præterea, Si quid suaderet ponendas esse alias virtutes actiuas in Cœlis præter lucem motu applicatam, esset maximè quia sunt aliqui effectus in his inferioribus, qui debent attribui Cœlis, & tamen non videntur posse procedere à luce, vt quatuor primæ qualitates: sed hoc est falsum, nam lux eminenter continet quatuor primas qualitates, & alias, cùm sit perfectissima omnium qualitatum materialium: & quamuis lux eiusdem sideris hoc non habeter, tamen secundùm quòd est diuersorum siderum, hoc habet. Nam lux Saturni causat frigiditatem, & siccitatem. Lux Iouis efficit temperiem quatuor primarum qualitatum. Lux Martis, & Solis calorem, & siccitatem magnam. Veneris autem, & Mercurij moderatum calorem. Lunæ verò humiditatem. Tandem lux per accessum causahit calorem, & siccitatem: per recessum autem frigus, & humiditatem: ergo Cœli influunt tantùm per motum & lucem.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. in hoc 2. libro lect. 10. quem communiter sequuntur, tum eius discipoli, tum alij Philosophi, vt Ruuius, & Conimbricenses in præsenti.

Conclvsio.

Cum plures sint effectus à Cœlis causati, qui luci tanquam virtuti agendi & motui tantum attribui non possint, Cœli non influunt tantùm per motum, & lucem.

Respondeo dicendum, quòd quamuis lux sit in Cœlis virtus agendi efficacior & vniuersalior 2. & motus, quo diuersimodè applicatur, sit conditio agendi. 3. tamen etiam sunt aliæ virtutes agendi, quibus influunt in hæc inferiora.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate Aristotelis in his libris & alibi sæpe, ac D. Thom. maximè loco citato, tum quotidianâ, & multiplici experientiâ: nam lux Solis causat calorem, quo mediante Terrâ germinat, arbores fructificant, &c. vnde iuxta accessum, & recessum Solis (in quo magis causalitas elucescit: quamuis idem de aliis proportione seruatâ dicendum sit) causantur quatuor temporum stationes, prout radios lucis directè, vel obliquè in nos dirigit: & ex hac varietate procedit varietas generationom & corruptionum: quia verò hic accessus & recessus, diuersaque lucis applicatio fit per motum Solis in Zodiaco, ideo lux est in Cœlis virtus agendi efficacior & vniuersalior, & motus, quo diuersimodè applicatur, est conditio agendi. Hanc rationem experientiæ affert D. Th. loco citato, his verbis: *Secunda causa calefactionis corporum inferiorum ab Astris, & præcipuè à Sole, est lumen: quod quidem habet virtutem calefaciendi, inquantum est qualitas actiua primi alterantis, scilicet Cœli, & directè causat qualitatem primam inferiorum corporum, quæ est calor:* Et quia hæc qualitas, scilicet lumen, magis abundat in Sole, inde est quòd est maximè potens ad calefaciendum. Reliqua autem Cœlestium corporum inquantum participant de lumine, quæ est vniuersalis virtus actiua cœlestium corporum, habent virtutem calefaciendi: in tantùm quòd etiam lumen Lunæ est calefactiuum, secundùm id quod Philosophus dicit in libro de partibus animalium, quod noctes plenilunij sunt calidiores: & ex his manet probata secunda pars conclusionis: quamuis motus Cœli respectu motûs circularis ignis, & superioris aëris, ac similium sit Cœlo virtus agendi, & non tantùm conditio.

Probatur

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. loco citato, vbi sic ait: *Dicendum est ergo quòd omnia corpora cœlestia secundùm communem virtutem luminis habent calefacere, sed secundùm alias proprias virtutes singulis corporibus attributas, habent non solùm calefacere & infrigidare, sed etiam omnes alios effectus corporales efficere in istis inferioribus.*

Deinde plures sunt effectus causati à Cœlis, qui non possunt attribui luci, vt frigiditas, humiditas, & siccitas; quæ sunt qualitates adinstar proprietatum, consequentes formas substantiales aliquorum corporum, maximè Elementorum: ac proinde per se debent causari à Cœlis, sicut & eorum formæ substantiales iuxta illud axioma; qui dat formam, dat etiam quæ consequuntur ad formam. Item generatio auri, & aliorum mineralium in visceribus Terræ, ad quæ non penetrat lumen, nec calor à lumine causatus ob nimiam distantiam, & frigus natiuum Terræ. Item mirabilis attractio ferri ad magnetem confricati à polis. Item æstus Maris mediâ motu à Luna causatus, & similes infiniti: ergo in Cœlis præter lucem sunt aliæ virtutes agendi, quibus influunt in hæc inferiora: imò sub polis, vbi nec lux, nec calor est, multa procreantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles reducit influxum Cœlorum ad lucem, non quia sit in Cœlis vnica virtus agendi, sed quia est efficacior, vniuersalior, & notior.

Ad secundum dicendum, quòd maior non est vniuersaliter vera, maximè quando res, siue agentia sunt eiusdem ordinis,quales sunt Cœli cum his inferioribus: nam in homine perfectissimo omnium animalium sunt plures potentiæ, quàm in aliis animalibus.

Ad tertium dicendum, quòd lux non continet eminenter quatuor primas qualitates, sed solùm calorem; non enim omne perfectius continet eminenter imperfectiora, sed solùm illa, quæ potest causare, & ita à posteriori colligitur: lux autem, tum sublunaris, tum cœlestis, quæ sunt eiusdem speciei vt dictum est, tantùm causant calorem. Ad aliud dicendum, quòd diuersi Planetæ causant diuersos illos effectus, non ratione lucis: imò eumdem ratione lucis causant, scilicet calorem, vt dictum est ex Philosopho de Luna, sed ratione aliarum virtutum. Ad aliud dicendum, quòd illæ qualitates, si solùm essent à Cœlo propter recessum lucis, non procederent per se à Cœlis, sed tantùm per accidens, quod dici non potest: quia omnis effectus in hoc inferiori Mundo productus, per se procedit à Cœlis, vt à causis super oribus, si non sit fortuitus, & rarò contingens.

Articvlvs III.

Vtrùm Cœli influant, vt causa principalis?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd Cœli influant in hæc omnia sublunaria, vt causa principalis. Ita tenent illi, qui docent Cœlos esse nobiliores omnibus sublunaribus. Probatur duplici authoritate D.Thom. 1.p.q.45.art.8. ad 3. sic habet: *Ad generationem animalium imperfectorum sufficit agens vniuersale quod est virtus cœlestis, cui assimilantur, non secundùm speciem, sed secundùm analogiam quamdam, neque oportet dicere quòd eorum forma creentur ab agente separato: ad generationem verò animalium perfectorum non sufficit agens vniuersale, sed requiritur agens proprium, quod est generans vniuocum*, Et q.91. art.2. ad 2. ait, *Sufficit autem virtus cœlestium corporum ad generanda quadam animalia imperfectiora ex materia disposita:* Ergo Cœli influunt in hæc sublunaria, vt causa principalis.

¶ 2. Præterea, Virtus qua Cœli influunt in hæc inferiora, est ipsis propria scilicet lux; nulla enim alia virtus assignatur ab Aristotele, aliisue Philosophis:sed quod influit per virtutem propriam, est causa principalis; in hoc enim differt ab instrumento, quòd agit per virtutem sibi ab alio communicatam: ergo Cœli influunt in hæc sublunaria, vt causa principalis.

¶ 3. Præterea, Si Cœli non influerent, vt causa principalis in hæc sublunaria, agerent tantùm vt instrumenta: sed hoc dici non potest, quia si essent instrumenta, vel essent Dei, vel intelligentiæ motricis: non Dei quia tantum agit, vt causa prima medias ad agendum applicans: nec intelligentiæ, quia Cœli nihil recipiunt ab intelligentia motrice præter motum, qui Cœlis non est virtus agendi, sed tantùm conditio præsupponens in Cœlis virtutem completam influendi; constat autem quòd instrumentum recipit virtutem agendi à causa principali: ergo Cœli influunt, vt causa principalis.

Sed contra est authoritas expressa D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli.

Conclvsio.

Cùm Cœli non sint animati, non influunt vt causa principalis ad productionem sublunarium inanimatorum, bene tamen aliorum.

Respondeo dicendum, quòd quamuis Cœli præcisè sumpti à sua intelligentia motrice, influant vt causa principalis ad productionem rerum sublunarium inanimatarum. 2. ad productionem tamen viuentium, siue vitâ vegetatiuâ, siue sensitiuâ, siue rationali, influunt tantùm vt instrumentum intelligentiæ motricis. Ad cuius euidentiam, sciendum est hanc difficultatem procedere de effectibus, qui per se causantur à Cœlo, & sunt illi qui in his inferioribus ordinatè eueniunt: sunt autem aliqui qui dicuntur fortuiti,& casuales, quique causalitatem Cœli effugiunt, non tamen Dei: illi scilicet qui non dependent à solo cursu & ordine Cœlorum, vnde ex concursu aliarum causarum,vel ex diuersa dispositione materiæ impediti possunt, vt docet D. Thom. 3. contra gentes cap.86. cuius rationem affert, quia à causa vniuersali, & remota quantumuis necessaria, non sequitur necessariò effectus: nisi etiam causæ mediæ, & proxima sint necessariæ, nec impedibiles: constat autem quòd Cœli sunt causæ vniuersales, & remotæ: vnde eorum effectus aliquando impeditur, & soli illi sunt omnino necessarij, qui à solo cursu & ordine Cœlorum dependent, vt dies, nox, annua temporum varietas: casuales sunt vt productio maris & fœminæ simul in eodem vtero: hæc enim diuersitas accidit fortuitò, cùm sit vna & eadem influentia Cœlorum.

Probatur prima pars conclusionis communi pene consensu Philosophorum: cuius ratio est quia cœlestia corpora sunt nobilissima inter inanimata, vt eorum incorruptibilitas, & vniuersalis, quem experimur, influxus suadent: ergo non apparet,cur negari debeat illa influere, vt causas principales ad productionem rerum sublunarium inanimatarum; siue fiant in visceribus Terræ, vt metalla,lapides, & similia, virtus enim Cœlorum illuc pertingit; siue fiant in superficie Terræ, & in aliis Elementis: ac proinde Cœli continent eminenter, vt causæ æquiuocæ perfectionem omnium sublunarium inanimatorum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. 1. p. q. 70. art.3. ad 3. vbi sic ait: *Corpus cœleste, cùm sit mouens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis: & ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia viuens, potest causare vitam:* Idem docet alibi; & ratio est manifesta ex supradictis: quia ex vna parte Cœli concurrunt ad generationem omnium sublunarium, etiam viuentium, iuxta illud Philosophi communiter receptum (Sol & homo generant hominem) circa plantas quotidie experimur, quomodo ex influxu Cœlorum, & maximè Solis germinent: ex aliâ verò parte constat ex supra dictis Cœlos esse imperfectiores quolibet viuente:ergo Cœli non influunt,vt causa principalis ad productionem viuentium: quia causa principalis vniuoca debet esse eiusdem perfectionis specificæ cum suo effectu: æquiuoca verò,qualis essent Cœli, est multò perfectior effectu: quia omnis causa debet præhabere perfectionem, quam communicat,iuxta illud (nemo dat quod non habet,) vniuoca quidem præhabet formaliter, æquiuoca verò eminenter, id est in aliquo multò

multò perfectiori: & ita influunt tantùm, vt instrumentum intelligentiæ motricis, quæ mouendo imprimit virtutem quamdam intentionalem corpori cœlesti, qua eleuatur ad instar aliorum instrumentorum ad producendos effectus excedentes propriam & natiuam ipsius virtutem: vnde oon oportet recurrere ad Deum tanquam ad causam proximam & particularem viuentium, quæ generantur ex putri materia: est enim omnium causa prima, & vniuersalis omnium, quæ hic generantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. in illis locis per virtutem cœlestem intelligit virtutem Cœlis communicatam à propria intelligentia motrice, qua ad productionem viuentium imperfectorum influunt: quæ virtus non sufficit ad productionem animalium perfectorum, quæ non possunt generari, nisi medio semine: cuius rationem subdit D. Thom. ibidem his paucis verbis, [manifestum est enim quòd plura requiruntur ad productionem rei perfectæ.]

Ad secundum dicendum, quòd virtus, qua Cœli influunt ad generationem viuentium, non est sola lux, hæc enim solùm disponit, sed aliquid eminentius Cœlis à propria intelligentia impressum: hoc enim exigit ordo vniuersi, quòd cùm sit vnum vnitate ordinis, corporalia regantur per spiritualia, & inferiora corpora per superiora, vt docet Aug. 3. de Trinitate, & D. Thom. 1. p. q. 61 art. 4. ex hoc principio sic concludit, *Ex creaturis corporalibus, & spiritualibus vnum vniuersum constituitur: vnde sic creata sunt spirituales creatura, quòd ad creaturam corporalem aliquem ordinem habeut, & toti creatura corporali præsident: vnde conueniens fuit, quod Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti natura corporea præsidentes*: Et explicans quid sit hæc præsidentia. ad 1. sic habet: *Angeli non sunt creati in loco corporeo, quasi dependentes à corpore secundùm suum esse, sed ad ostendendum ordinem eorum ad naturam corpoream, & quòd suâ virtute corpora contingunt*: Et in 1. d. 37. q. 3. art. 1. ait: *Substantia enim spiritualis potest alicui conferre, non quidem esse, sed aliquid ad esse superadditum: & sic Angelus est in loco inquantum operatur circu aliquod corpus locatum, vel motum, vel aliud huiusmodi, cui tamen esse non confert: vnde virtus causatiua Cœlorum, quantumcumque perfecta in suo ordine, debet perfici ex influxu Angelorum, quo eleuatur ad productionem viuentium, & per hoc patet ad tertium.*

Articvlvs IV.

Vtrùm Cœli etiam influant in actus humanos?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd Cœli etiam iofluant in actus humanos. Ita tenuêre qui admittebant fatum. Probatur. Angeli possunt influere in intellectum & voluntatem hominis illuminando & mouendo: ergo mediantibus Cœlis tanquam instrumentis possunt influere, maximè quia actus humani sunt varij, ac multiformes, & ita debent reduci in vniformes motus Cœlorũ

§ 2. Præterea, Experientiâ constat homines ex diuersa natiuitate, id est, secundùm quòd nascuntur sob dioersis constellationibus, sunt diuersimodè dispositi ad has, vel illas scientias aut artes addiscendas & exercendas, quod non esset, nisi Cœli influerent in animas in instanti natiuitatis, & postea in intellectum & voluntatem, ac proinde in actus humanos: ergo Cœli influunt in actus humanos, & propterea Astrologi enuntiant futuros euentus, vt bella & similia quæ dependent à voluntate humana.

§ 3. Præterea, Si quid obstaret, cur Cœli non influerent in actus humanos, esset quia sunt corpora, & actus humani procedunt à potentiis spiritualibus, videlicet intellectu & voluntate: sed hoc non obstat, nam corpora multò ignobiliora Cœlis agunt in spiritus puros, & multò nobiliores animâ rationali; nam experientiâ constat incantationibus, lapidibus, aliisque rebus materialibus dæmones alligari; imò subiiciuntur actioni ignis infernalis, quæ alligatio, & subiectio fieri non potest, nisi hæc corporalia influant in demones: ergo Cœli influunt etiam in actus humanos.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. multis locis suæ doctrinæ, maximè 1. p. q. 155. art. 2. vbi hoc tractat ex professo, quem communiter sequuntur Philosophi & Theologi.

Conclusio.

Cùm intellectus & voluntas humana principia humanarum actuum, sint potentiæ spirituales, dependentes tamen ab organis corporalibus, Cœli non influunt per se, directè & immediatè in actus humanos, sed per accidens, indirectè & mediatè.

Respondeo dicendum, quòd Cœli per se & directè influunt in corpora. 2. in vires autem animæ, quæ suot actus organorum, non directè, sed per accidens. 3. in intellectum, & voluntatem nec per se, nec immediatè, nec directè: 4. at per accidens, indirectè & mediatè. 5. adhuc magis indirectè & remotè in voluntatem, quàm in intellectum. Ad cuius evidentiam sciendum est, quòd voluntas est proxima causa humanorum actuum: actus enim humani propriè dicuntur illi, qui sunt ex libertate arbitrij procedentes, ex hoc quòd voluntarij sunt, & in potestate nostra: vnde differentia est inter actus hominis, & actus humanos: humani sont actus prædicti, hominis verò quicumque ab homine fiunt: cùm autem propria rei operatio sequatur naturam ipsius, illud tantùm causa operationis, siue actûs secundi esse potest, quod aliquo modo naturam in esse producit.

Prima pars conclosionis patet ex dictis supra in hac quæstione: secunda sic breuiter probatur. Actus harum virium, siue potentiarum animæ exercentur mediis organis, quibus inhærent ipsæ potentiæ: ergo possunt impediri secundùm impedimenta organorum: vnde experimur, quòd oculus turbatus non bene videt, & gustus cholerâ infectus omoia percipit amara: hoc autem est Cœlos influere per accideos in tales potentias, id est, ratione alterius, siue organi, non autem directè.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. loco citato, tum doplici eius ratione, quarum prima sit. Cùm propria rei operatio sequatur naturam ipsius, illud tantùm causa operationis esse potest, quod aliquo modo naturam in esse producit: sed secundùm fidem solus Deus immediatè producit per creationem intellectum & voluntatem hominis simul cum anima rationali, in qua radicantur: ergo solus Deus influit per se, immediatè & directè in intellectum & voluntatem, non verò Cœli. Secunda est ex inconuenienti, quia illud quod fit in istis inferioribus ex impressioue corporum cœlestium, naturaliter agitur, & ita sequeretur quòd homo non esset liberi arbitrij, sed naturali instinctu ageretur ad suas actiones, sicut cætera animalia, & haberet actiones determinatas, sicot & cæteræ res naturales, quæ manifestè sunt falsa, & conuersationi humanæ contraria: ergo Cœli non influunt in intellectum & voluntatem, nec per se, nec immediatè, nec directè.

Probatur, & explicatur quarta pars conclusionis ex D. Thom. ibidem. Impressiones corporum cœlestium in exteriora corpora sunt nobis causa alicuius electionis, sicut cùm per corpora cœlestia disponitur Aër ad frigus intensum, eligimus calefieri ad ignem, vel aliqua huiusmodi facere, quæ congruunt tempori. Deinde tam intellectus quàm voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus accipiunt, quæ organis corporeis alligantur: ergo per accidens & indirectè ac mediatè impressiones corporum cœlestium ad intellectum & voluntatem pertingere possunt.

Probatur quinta pars conclùsionis ratione D. Thom. quam his verbis tradit loco citato: *Intellectus ex necessitate accipit ab inferioribus viribus apprehensiuis, vnde turbata vi imaginatiuâ, vel cogitatiuâ, vel memoratiuâ ex necessitate turbatur actio intellectûs: sed voluntas non ex necessitate sequitur inclinationem appetitûs inferioris, licèt enim passiones, quæ sunt in irascibili,*

& concupiſcibili habeant quamdam vim ad inclinandam voluntatem, tamen in poteſtate voluntatis remanet ſequi paſſiones, vel eas refutare: & ideo impreſſio cœleſtium corporum, ſecundùm quam immutari poſſunt inferiores vires, minùs pertingit ad voluntatem, quæ eſt proxima cauſa humanorum actuum, quàm ad intellectum, ac proinde magis indirectè & remotè.

Ad primum ergo dicendum, quòd Angeli mouentes cœleſtia corpora, in corporalia quidem agunt mediantibus cœleſtibus corporibus, ſed in intellectum humanum agunt immediatè, illuminando, quod non fit per immediatam impreſſionem alicuius luminis, aut alterius Phyſici in intellectum, ſed ſolùm per ordinationem Phantaſmatum, ex quibus intellectus agens abſtrahit ſpeciem intelligibilem: & hoc eſt illuminare immediatè ex parte obiecti, voluntatem autem immutare non poſſunt.

Ad ſecundum dicendum, quòd aliqua diſpoſitio in corpore humano relinquitur à corpore cœleſti, ex quo contingit, vt anima ei coniuncta inclinetur ad has, vel illas ſcientias, aut artes: quia verò plures hominum ſequuntur paſſiones, quæ ſunt motus ſenſitiui appetitûs ad quas cooperari poſſunt corpora cœleſtia, pauci autem ſunt ſapientes, qui huiuſmodi paſſionibus reſiſtant, ideo Aſtrologi, vt in pluribus, vera poſſunt prædicere, & maximè in communi, non autem in ſpeciali, quia nihil prohibet aliquem hominem per liberum arbitrium paſſionibus reſiſtere: vnde & ipſi Aſtrologi dicunt, quòd ſapiens homo dominatur Aſtris, inquantum ſcilicet dominatur ſuis paſſionibus. Ita D.Th. loco citato ad 3.

Ad tertium dicendum, quòd demones non alligantur iſtis ſenſibilibus, quaſi aliquid Phyſicè in eos agant: ſed quia ex pacto cum maleficis inito hæc aſſumuntur vt ſigna, ratione quorum accedunt, vel recedunt: ignis verò inferni, licet in demones Phyſicè agat, hoc tamen accidit virtute diuinâ, qua ille ignis, vt inſtrumentum Diuinæ Iuſtitiæ eleuatur, hîc autem agitur de naturali influxu Cœlorum.

Articulus V.

Vtrùm Cœli imponant neceſſitatem iis, quæ ſubduntur eorum influentiis?

Ad Quintum ſic proceditur. Videtur quòd Cœli imponant neceſſitatem iis, quæ ſubduntur eorum influentiis. Ita tenuerunt aliqui, quos refutat Ariſtoteles 6. Metaph. Probatur authoritate D.Th. 1.p.q.19. art.6. vbi ſic ait: *Poteſt enim impediri, quòd aliqua Stella non inducat ſuum effectum, ſed tamen quicumque effectus ex cauſa corporea impediente in rebus corporalibus conſequatur, oportet quòd reducatur per aliquas cauſas medias in vniuerſalem virtutem primi Cœli:* Vtitur autem D. Thom. hoc exemplo ad manifeſtandum, quomodo omnia etiam caſualia, ſint effectus Diuinæ voluntatis: ergo Cœli imponunt neceſſitatem iis quæ ſubduntur eorum influentiis.

¶ 2. Præterea, Si propter aliquid non euenirent neceſſariò ea, quæ ſubduntur Cœlorum influentiis, eſſet maximè quia cùm cauſa prima non excludat medias, effectus cauſæ primæ poteſt impediri per defectum cauſæ ſecundæ: ſed hæc ratio nulla eſt, tum quia hoc impedimentum debet reduci in Cœlorum influentias, quæ ſunt cauſa omnium quæ hîc fiunt, tum etiam quia ſimili modo effectus diuinæ voluntatis poſſet impediri propter defectum ſecundarum cauſarum, quod tamen eſt falſum: ergo Cœli imponunt neceſſitatem iis, quæ ſubduntur eorum influentiis.

¶ 3. Præterea, Cœli influunt neceſſariò & continuò, eorúmque influentiæ ſunt efficaciſſimæ: ergo omnes effectus, in quos influunt, neceſſariò eueniunt: & ita Cœli imponunt neceſſitatem iis, quæ ſubduntur eorum influentiis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis 6. Metaph. textu 5. & D. Th. 1.p.q.115. art.6. quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, & alij vt Conimbricenſes, & Rubius in præſenti.

Conclusio.

Cùm ſint plures effectus per accidens contingentes in iis, quæ ſubduntur Cœlorum influentiis, Cœli non imponunt neceſſitatem omnibus ſibi ſubiectis.

Respondeo dicendum, quòd Cœli non imponunt neceſſitatem iis, quæ ſubiiciuntur eorum influentiis, quia multi effectus per accidens, caſu & fortuitò eueniunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D. Th. 1.p.q.115.art.6. quòd omne quod eſt per ſe, habet cauſam: quod autem eſt per accidens, non habet cauſam, quia non eſt verè ens, cùm non ſit verè vnum: album enim cauſam habet, ſimiliter & muſicum: ſed album muſicum non habet cauſam, quia non eſt verè ens, neque verè vnum: manifeſtum eſt autem quòd cauſa impediens actionem alicuius cauſæ ordinatæ ad ſuum effectum, vt in pluribus, concurrit ei interdum per accidens: vnde talis concurſus non habet cauſam inquantum eſt per accidens: & propter hoc id, quod ex tali concurſu ſequitur, non reducitur in aliquam cauſam præexiſtentem, ex qua ex neceſſitate ſequatur: ſicut quod aliquod corpus tereſtre ignitum in ſuperiori parte aëris generetur, & deorſum cadat, habet cauſam aliquam virtutem cœleſtem: & ſimiliter etiam quòd in ſuperficie Terræ ſit aliqua materia combuſtibilis, poteſt reduci in aliquod cœleſte principium: ſed quod ignis cadens huic materiæ occurrat, & comburat eam, non habet cauſam aliquod cœleſte corpus, ſed eſt per accidens.

Probatur concluſio. Sunt plures effectus per accidens contingentes in iis quæ ſubduntur Cœlorum influentiis, vt conſtat ex modò dictis, & hoc prouenit, vel ex concurſu diuerſarum cauſarum inferiorum modificantium vel impedientium omnino, ne influentiæ cœleſtes producant id, quod ex ſe poterant: & licèt hic concurſus poſſit reduci ad Cœlum, inquantum ſecundùm diuerſas partes, putà diuerſos Planetas diuerſimodè influit, tamen eſt per accidens, quia quilibet Planeta influit in aliquod determinatum proportionatum ſuæ naturæ, vt in imbres, calorem, frigus &c. quidquid verò aliud eueniat, eſt præter intentionem, vndè eſt effectus caſualis, & per accidens: vel etiam eueniunt tales effectus ex diuerſa diſpoſitione materiæ, etiamſi aliàs à Cœlo procedat, vt quòd ignis cœleſtis cadens comburat aliquid ſiccum, & aliud humidum non comburat: ergo Cœli non imponunt neceſſitatem iis, quæ ſubiiciuntur eorum influentiis.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. loco citato ad 3. quòd licèt cauſa impediens effectum alterius cauſæ, reducatur in aliquod cœleſte corpus, ſicut in cauſam, tamen concurſus duarum cauſarum, cùm ſit per accidens, non reducitur in cauſam cœleſtem. Quamuis autem ordinariè quicumque effectus ex cauſa corporea impediente in rebus corporalibus conſecutus, reducatur per alias cauſas medias in vniuerſalem virtutem primi Cœli, propter quod vtitur hoc exemplo D.Thom. tamen non eſt vniuerſaliter verum, quia aliquando conſequitur præciſè ex diuerſis naturis rerum, vt dictum eſt: vnde exemplum eſt defectibile.

Ad ſecundum dicendum, quòd ratio aſſignata eſt bona. Ad primam impugnationem dicendum, quòd hoc impedimentum non ſemper reducitur in Cœlum, aliquando enim prouenit ex diuerſis naturis rerum ſublunarium: & licèt omnis diſpoſitio impediens reduceretur in Cœlum, tamen concurſus cauſarum ſe habet per accidens reſpectu Cœli. Ad ſecundam dicendum cum D. Th. 1.p.q.19.art.6.ad 3. quòd cauſa prima tunc poteſt impediri à ſuo effectu per defectum cauſæ ſecundæ, quando non eſt vniuerſaliter prima, ſub ſe omnes cauſas comprehendens, quia ſic effectus nullo modo poſſet ſuum ordinem euadere, & ſic eſt de voluntate Dei.

Ad tertium dicendum, quòd Cœli ſunt cauſa inferiorum effectuum mediantibus cauſis particularibus inferioribus, quæ deficere poſſunt in minori parte: & quamuis Cœlorum influentiæ ſint efficaciſſimæ, quia tamen ſunt virtutis finitæ, requirunt determinatam diſpoſitio-

nem

oem in materia ad inducendum ſuum effectum, & quantùm ad diſtantiam loci, & quantùm ad alias conditiones: & ideo ſicut diſtantia loci impedit effectum cœleſtis corporis (non enim Sol eumdem caloris effectum habet iu Dacia, quem habet in Æthiopia) ita & craſſities materiæ, vel frigiditas, aut caliditas, aut alia huiuſmodi diſpoſitio impedire poteſt effectum corporis cœleſtis. Ita D.Thom. 1.p. q.115. art.6. ad 1. & 2.

Articvlvs VI.

Vtrùm ceſſante motu Cœlorum ceſſet omnis motus & actio ſublunarium?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtor quòd ceſſante motu Cœlorum, non ceſſet omnis motus & actio ſublunarium. Ita tenent Conimbricenſes, Ruuius, & alij Moderni in præſenti, qui citant Scotum in 2. d. 14. q.3. Durandum d.15.q.vltimâ,& alios. Probatur. Cœlum Empyreum influit in hæc inferiora,& tamen eſt immotum: ſimiliter quando tempore Ioſue ſtetit Sol, ceſſauit motus Cœlorum, & tamen tunc fuerunt actiones & motos in ſublunaribus, nam præliabantur Hebræi, animalia currebant, &c. ergo ceſſante motu Cœlorum non ceſſabit omnis motus & actio ſublunarium: maximè quia magneti & aliis conuenit, vt immota influant, quæ tamen ſunt multò imperfectiora Cœlis.

¶ 2. Præterea, ceſſante motu Cœlorum remanebit virtus comboſtiua & calefactiua in igne, & ſic de aliis agentibus naturalibus, quæ ex ſe & independenter à Cœlis habent propriam virtutem operatiuam, ſicut enim non dependent ab illis in eſſe & conſeruari, ſic nec in operari: ex alia parte remanet appetitus in materia ſublunari ad alias formas: ergo ceſſante motu Cœlorum non ceſſabit omnis motus, & actio ſublunarium: vnde ignis poſſet tunc comburere ſtupam.

¶ 3. Præterea, Ceſſante motu Cœlorum remanebit lux Solis, Lunæ, & aliorum Aſtrorum, imò ſecundùm ſacram Scripturam augebitur: ergo ſi nunc poteſt calefacere, & alterare iſta ſublunaria, etiam tunc: maximè quia motus non eſt virtus actiua, vnde nec ipſis Cœlis, nec iſtis inferioribus poteſt eſſe ratio agendi.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Thom. tum in hoc libro, tum alibi ſæpe, maximè q.5. de potentia art.8. quem ſequuntur omnes eius diſcipuli.

Conclvsio.

Cùm primum in vnoquoque genere ſit cauſa cæterorum illius generis, & motus Cœlorum, quibus omnia ſublunaria eſſentialiter ſubordinantur, ſit primus omnium motuum Phyſicorum, illo ceſſante ceſſabit omnis motus, & actio ſublunarium, per quam tranſmutatur materia.

Respondeo dicendom, quòd quamuis ceſſante motu Cœlorum non ceſſet in iſtis inferioribus actio illuminationis & immutationis medij à ſenſibilibus. 2. ceſſabit tamen in eis omnis motus & actio per quam tranſmutatur materia, & ad quam ſequitur generatio & corruptio. 3. vtraque autem actio cauſatur in hoc Mundo inferiori ex corporibus cœleſtibus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D. Thom. loco citato, quòd cùm omne agens agat ſecundùm quòd eſt in actu, oportet ſecundùm hoc accipere ordinem cauſarum agentium, ſecundùm quòd eſt ordo eorum in actualitate: corpora autem inferiora minus habent de actualitate, quàm corpora cœleſtia, nam in corporibus inferioribus non eſt tota potentialitas completa per actum, eo quòd materia ſubſtans vni formæ, remanet in potentia ad formam aliam: quod non eſt in corporibus cœleſtibus, nam materia corporis cœleſtis non eſt in potentia ad aliam formam, vnde ſua potentialitas tota eſt terminata per formam, quam habet: ſubſtantiæ verò ſeparatæ ſunt perfectiores in actualitate, quàm etiam corpora cœleſtia, quia non ſunt compoſitæ ex materia & forma, ſed ſunt formæ quædam ſubſiſtentes, quæ tamen deficiunt ab actualitate Dei, qui eſt ſuum eſſe: Elementa ergo agunt in virtute corporum cœleſtium, & corpora cœleſtia agunt in virtute ſubſtantiarum ſeparatarum: vnde ceſſante actione ſubſtantiæ ſeparatæ, oportet quòd ceſſet actio corporis cœleſtis, & eâ ceſſante oportet quòd ceſſet actio corporis Elementaris.

Probatur prima pars concluſionis. Actio illuminationis & immutationis medij à ſenſibilibus in Mundo ſublunari, non pendet à motu Cœlorum: ſed ab aliis Cœlorum influentiis, cùm ſit actio non admixta motui, ſed valde eleuata: ergo ceſſante motu Cœlorum, continuatis tamen influentiis in perpetuum, vt infra dicetur, non ceſſabit.

Probatur ſecunda pars concluſionis ratione D. Th. loco citat. Hoc vniuerſum eſt quid vnum perfectiſſimum ordine partium eſſentialiter ſubordinatarum, hoc autem petit ordo perfectus, & ſubordinatio eſſentialis, quòd inferiora moueantur & regantur à ſuperioribus, ita vt infima moueantur à mediis, & media à ſupremo, & primo illius ordinis, ac ceſſante mouere primo, ceſſet motus mediorum & infimorum: ergo cùm Cœli ſint prima corpora mobilia, & motus eorum ſit ſimpliciter primus, erit cauſa omnium motuum inferiorum, ac actionum tranſmutatiuarum materiæ, ac proinde illo ceſſante ceſſabit omnis motus, & actio per quam tranſmutatur materia, & ad quam ſequitur generatio & corruptio.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Th. loco citato vbi poſtquam enumerauit hoc duplex genus actionum ſic ait: *Vterque autem modus actionis in iſtis inferioribus cauſatur ex corporibus cœleſtibus, nam & ignis ſuo calore tranſmutat materiam ex virtute corporis cœleſtis, & corpora viſibilia multiplicant ſuas ſpecies in medio virtute luminis, cuius fons eſt in cœleſti corpore. Vnde ſi actio vtraque corporis cœleſtis ceſſaret, nulla iſtis in iſtis inferioribus remaneret.* Nec reſponſio aliquorum ſatisfacit, qui dicunt primum in aliquo genere eſſe cauſam reliquorum, ſi in aliquo genere cauſalitatis primum ſit, quo pacto primum efficiens eſt cauſa omnium efficientium, & vltimus finis eſt cauſa prima omnium aliorum motuum, motus autem Cœlorum non eſt primum in aliquo genere cauſalitatis. Nam hæc ſolutio eſt petitio principij, quia quod eſt primum non ſolùm abſolute, ſed etiam in aliquo genere, eſt primum principium cauſalitatis in tali genere: quia quod eſt primum in perfectione, eſt etiam primum in actualitate, ac proinde in cauſalitate, vt dictum eſt ex D.Thom. in eſſentialiter ſubordinatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Cœli ceſſante motu influent in hæc inferiora; ſed non motum, ſicut Empyreum immotum influit perpetuitatem, & permanſionem in inferioribus corporibus. Ad aliud dicendum quòd non conſtat ex ſcriptura motus omnium Cœlorum ceſſaſſe, at tantùm Solis & Lunæ: deinde eſto motus omnium Cœlorum ceſſaſſent, adhuc tamen in virtute motûs immediatè præcedentis erant motus in iſtis inferioribus, ſed cito ceſſaſſent, niſi iterum motus Cœlorum incepiſſet.

Ad ſecundum dicendum, quòd proprium quidem eſt ignis calefacere, & in eo remanebit virtus calefactiua, & combuſtiua ceſſante motu Cœlorum, ſed non aget niſi motu Cœli præſuppoſito, in cuius virtute agunt omnes inferiores actiuæ potentiæ, dependent enim in operari, ſicut & in fieri & conſeruari: nec ſufficit appetitus materiæ, quæ eſt principium paſſiuum, niſi adſit principium actiuum applicatum, vnde tunc ignis non combureret ſtupam: quod à poſteriori colligimus, quia nullum producetur mixtum poſt finem mundi, & tamen poſſent produci, ſicut & nunc.

Ad tertium dicendum, quòd lux Solis, & Lunæ remanebit intenſior & illuminabit, ſed non alterabit, nec calefaciet ex defectu motûs Cœlorum, qui requiritur ſaltem vt conditio (ſiue qua non) ad hos omnes motus: vt enim procedit ab Intelligentia motrice, eſt miræ virtutis: lux autem ex ſua præcisè ſpecie non continet virtualiter qualitates alteratiuas.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Cœlum Empyreum etiam influat?

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quòd Cœlum Empyreum non influat. Ita tenuit D. Thom. in 2. d.2. q.2. art.3. & alij. Probatur. Ex Philoſopho nullum corpus mouet non motum, propterea motus ab aliquibus aſſignatur eſſe virtus agendi, ab aliis ſaltem conditio ſine qua non Cœlum in hæc inferiora influit: ſed Cœlum Empyreum non mouetur ex D.Thom. ergo Cœlum Empyreum non influit.

¶ 2. Præterea, Cœlum Empyreum eo fine conditum eſt à Deo, vt eſſet curia, & ſedes Beatorum, propterea eſt ſtabile: ergo non influit in hæc ſublunaria.

¶ 3. Præterea, Non eſt aſſignabile qoid Cœlum Empyreum in hoc inferiori Mundo operetur, omnium quippe effectuum naturalium reperitur ſufficiens principium in aliis Cœlis: ergo non influit, cùm cuilibet influxui debeat correſpondere proprios effectus.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas D.Th. 1.p. q. 66. art. 3. ad 2. & quodlibeto 6. art. 19. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, & ex aliis Durandus in 2. d. 2. q. 2. Conimbricenſes, & Ruuius in præſenti, ac alij.

CONCLVSIO.

Cùm Cœlum Empyreum ſit ens naturale, & pars principalis Vniuerſi, habet peculiarem influxum in Vniuerſo.

RESPONDEO dicendum, quòd Cœlum Empyteum habet peculiarem influxum in hoc vniuerſo, ſicut & alij Cœli. Probatur authoritate, & ratione D.Th. 1. p. loco citato vbi ſic habet, *Probabilius videtur quòd ſicut ſupremi Angeli, qui aſſiſtunt, habent influentiam ſuper medios, & vltimos, qui mittuntur, quamuis ipſi non mittantur, ita Cœlum Empyreum habet influentiam ſuper corpora, quæ mouentur, licèt ipſum non moueatur: & propter hoc poteſt dici quòd influit in primum Cœlum, quod mouetur, non aliquid tranſiens, & adueniens per motum, ſed aliquid fixum, & ſtabile puta virtutem continendi & cauſandi, vel aliquid huiuſmodi ad dignitatem pertinens.* Et quodlibeto citato mirabili diſcurſu influxum huius Cœli, & aliorum ſic deſcribit: *Si Cœlum Empyreum non influeret in corpora inferiora, Cœlum Empyreum non contineretur ſub vnitate vniuerſi, quod eſt inconueniens: videtur autem proprius effectus eius eſſe perpetuitas, & permanſio in inferioribus corporibus: nam ſecundum Philoſophum in 11. Metaph. in Cælo ſunt principaliter duo motus, quorum vnus eſt ab Oriente in Occidentem, qui vocatur diurnus, & eſt ſuper polos Æquinoctialis; & quia iſte eſt vniformis, cauſat perpetuitatem in inferioribus motibus. Alius autem motus eſt ab Occidente in Orientem, quo mouentur Sol, & alij Planetæ, qui eſt ſuper polos Zodiaci, per quem Planetæ accedunt, & recedant a nobis: vnde iſte motus propriè cauſat differentiam generationis & corruptionis, & cæterorum motuum in iſtis inferioribus: & ſic continuatur generatio & corruptio horum inferiorum, quouſque Deus vult: quæ quidem quantùm ad continuitatem cauſatur à primo motu; quantùm autem ad contrarietatem, à ſecundo: ſicut autem vniformitas motùs præcedit difformitatem; ita etiam vnitas quietis præcedit vniformitatem motùs, quia moueri eſt ſe aliter habere nunc quàm priùs, quieſcere autem eſt eo modo ſe habere nunc, vt priùs, & ſic quies habet puram vnitatem: vniformitas autem motùs habet vnitatem cum diuerſitate; & ideo primum Cœlum ſcilicet Empyreum ſingulariter per ſuam quietem influit. Secundum autem Cœlum, quod dicitur aqueum, per ſuum motum vniformem. Tertium autem Cœlum, ſcilicet Sydereum per ſuum motum difformem. Hoc autem eſt proprium huic corpori quòd influat abſque motu, inquantum eſt ſupremum, attingens quodammodo ordinem ſubſtantiarum ſpiritualium, prout Dionyſius dicit 2. de diuinis nominibus, quòd diuina Sapientia coniungit principia ſecundorum finibus primorum.* Hæc D. Thom.

Secundò probatur ratione D.Thom. indicatâ in prælegata authoritate. Cœlum Empyreum eſt pars principalis huius vniuerſi, quod eſt vnum vnitate ordinis: quæ vnitas in hoc conſiſtit, vt inferiora corpora regantur & adminiſtrentur à ſuperioribus, & hæc à ſubſtantiis ſeparatis: quòd fieri non poteſt, niſi per influxum: ergo Cœlum Empyreum influit, maximè quia influere importat perfectionem, propter quod vnumquodque dicitur eſſe propter ſuam operationem, quæ perfectio cùm attribuatur Cœlis inferioribus & ſublunaribus, non videtur deneganda perfectiſſimo omnium corporum Cœlo Empyreo.

AD PRIMUM ergo dicendum, quòd vt corpus moueat, non eſt neceſſe quòd actu moueatur eadem ſpecie motûs, ſed ſufficit quòd ſit motum alio motu, ſicut magnes immotus localiter mouet ferrum motu locali attrahendo: mouetur tamen magnes ab influxu cœleſti, quo virtus eius attractiua applicatur ad attrahendum: ſic Cœlum Empyreum recipit virtutem influendi ab Angelis: motus autem Cœlorum requiritur ſaltem, vt conditio, ad veros motus, & actiones tranſmutatiuas, & alterationes corruptiuas, non verò ad alias, nam ceſſante tali motu erit illuminatio, quæ eſt alteratio perfectiua, & ſine ipſo poteſt eſſe influxus perfectiuus Cœli Empyrei.

AD SECUNDUM dicendum, quòd Cœlum Empyreum, vt pars vniuerſi, habet influere in alias, vt verò principalis pars inter corporeas, habet quòd ſit curia & ſedes Beatorum: perfectius autem eſt quòd ſimul recipiat in ſe omnes Beatos, & cooperetur ad multiplicationem hominum Electorum, quàm ſi ſolùm reciperet, vnde eſt miræ virtutis ſimul & pulchritudinis.

AD TERTIUM dicendum, quòd diuerſi diuerſa aſſignant pro effectu Cœli Empyrei. Aliqui dicunt quòd influit in diſpoſitionem nobiliſſimi corporis ſublunaris, ſcilicet homani, ad introductionem animæ rationalis. D. Thom. loco ſupra citato aſſignat pro eius effectu ſtabilitatem & permanentiam corporum inferiorum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm poſſint certò præuideri futuri euentus ex influentia Cælorum?

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd ex influentia Cœlorum poſſint certò præuideri omnes futuri euentus. Ita tenent quidem exercentes artem Aſtrologiæ iudiciariæ & diuinationis. Probatur. Ex influentia Syderum, ſiue Conſtellationum, ſub quibus naſcuntur homines proueniunt diuerſæ diſpoſitiones, ita vt qui ſub Martis aſpectu, ſint iracundi, qui ſub Saturni, ſint Melancholici: ergo cùm homines operentur iuxta ſuam naturalem diſpoſitionem, ex influentia Cœlorum poſſunt certò præuideri futuri euentus.

¶ 2. Præterea, Dæmones, imò & Aſtrologi ex perfecta notitia cœleſtis influentiæ, & complexionis alicuius prædicunt futuros euentus, qui verè iuxta prædictionem eueniunt, vt quotidiana docet experientia: ergo tales euentus poſſunt certò præuideri ex influentia Cœlorum.

¶ 3. Præterea, Interdum in ſomniis aliqui præuident, & prædicunt futuros euentus, quod fieri non poteſt niſi ex influentia Cœlorum: ergo qui perfectè illam nouerit, poterit certò præuidere & prænuntiare futuros euentus.

SED CONTRA eſt authoritas Sacræ Scripturæ, ſummorum Pontificum, ſanctorum Patrum, & communis conſenſus Theologorum.

CONCLVSIO.

Quamuis ex influentia Cælorum poſſint coniecturaliter præuideri futuri euentus, non tamen certò, maximè qui ex libertate humana pendent.

RESPONDEO dicendum, quòd certò quidem poſſunt præuideri illi futuri euentus, qui ex ſolo motu, & ordine Cœlorum pendent 2. alij verò, non certò, ſed tantùm coniecturaliter ex Cœlorum influentia poſſunt præuideri. 3. qui verò ex humana voluntate pendent, difficiliùs, & minùs certò præuidentur, maximè in particulari.

Probatur

Probatur prima pars conclusionis. Motus Cœli sunt valde regulares, & hæc regularitas potest cognosci longâ experientiâ: ergo illi futuri euentus, qui ex solo motu, & ordine Cœlorum pendent, videlicet Ortus, Occasus, & aspectus Syderum, initium & finis ac duratio diei & noctis, anoua temporum varietas, Eclipses Solis & Lunæ, earúmque duratio aliáque similia possunt multò ante præuideri, & certò prædici, vt de facto contingit prædici ab Astrologis, certitudine tamen tantùm Physicâ, non autem Metaphysicâ: nam Deus author naturæ leges eius potest immutare, & de facto aliquando, sed rarò immutauit, tria habentur exempla in Sacra Scriptura. Primum contigit sub Iosue, quando Sol & Luna steterunt multo tempore immobiles. Secundum sub Ezechia 4. Reg. 20. quando Sol retrocessit decem gradibus. Tertium tempore Passionis Christi Domini, quando contigit Eclipsis Solis, & tam insitata.

Probatur secunda pars conclusionis. Alij effectus ab enumeratis, putà frigus, calor, siccitates, fames, morbi, tempestates, hominum inclinationes, & similia ita pendent à Cœlorum influentia, vt possint impediri à causis inferioribus, quòd sæpe contingit, maximè ex temperie locorum, vnde experimur prædictiones Astrologorum incertas, & non rarò defectuosas: ergo similes futuri euentus non certò, sed tantùm coniecturaliter ex Cœlorum influentia præuideri possunt.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum. Isaiæ 41. habetur: *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia Dij estis vos.* Item 46. *Nec est similis mei: annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt.* Item 47. *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & saluent te Augures Cœli, qui contemplabantur Sydera, & supputabant menses: vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* Ecce quomodò sacra Scriptura in his, & aliis locis irridet Astrologos, qui futuros euentus in particulari, putà quòd aliquis sit futurus fœlix, aut miser, Rex, aut Imperator, aut Pontifex, &c. certò præuidere se credunt, asseuerantes hanc præuisionem esse signum Diuinitatis. Idem docent sancti Patres Aug. lib. 4. de Trinitate cap. 17. Hieron. super cap. 28. Hieremiæ. Ioannes Chrysostomus homilia 18. super cap. 1. Ioannis, Damasc. lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 29. Isidorus libro de Summo bono cap. 10. D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 1. & alibi sæpe propterea communiter Theologi cum D. Thom. 1. part. quæst. 57. art. 3. docent Angelos non cognoscere certò futura contingentia, qui tamen multò meliùs norunt Cœlorum motus, ordines & influentias, ac complexiones hominum, quàm Astrologi: vnde Sixtus Quintus expressâ Bullâ damnat exercentes Astrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcumque diuinationum genera, librósque de his legentes, ac tenentes.

Secundò, quotidianâ constat experientiâ plures sub iisdem constellationibus natos diuersum habere exitum: & econtra plures sub diuersis constellationibus natos eumdem habere exitum, eumdem viuendi modum: ergò futuri euentus, qui ex humana voluntate pendent, difficiliùs & minùs certò præuidentur, maximè in particulari: quia Cœli, vt dictum est, non influunt directè in nostram voluntatem: vnde posito quocumque influxu remanet intacta eius libertas, iuxta illud Hierem. 10. *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vana sunt.*

Tertiò probatur ratione D. Thom. vt aliqui euentus cognoscantur certò futuri, debet eorum determinata futuritio cognosci, vel in ipsis, vel in eorum causis, vt patet: sed futuri euentus, maximè qui pendent à voluntate humana, non possunt cognosci in seipsis, quia in propria mensura non sunt, at tantùm in æternitate; nec in eorum causis, cùm sint causæ contingentes, aut liberæ, quæ proinde non necessariò, nec infallibiliter determinantur ex Cœlorum influentia: ergo Astrologi, Genethliaci, & similiter Chiromantici non possunt certò præuidere futuros euentus, qui pendent à voluntate humana, maximè in particulari.

Ad primum ergo dicendum, quòd influentia Cœlorum non est adæquata causa complexionis, multa alia ad eam concurrunt, vt dispositio materiæ, &c. experimur enim quòd sæpe nati sub iisdem constellationibus sunt diuersæ complexionis: deinde homines sæpe agunt contra suam complexionem & inclinationem naturalem.

Ad secundum dicendum, quòd D. Th. 1. p. q. 115. art. 4. ad 3. quòd plures homines sequuntur passiones, quæ sunt motus sensitiui appetitûs, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia, pauci autem sunt sapientes, qui huiusmodi passionibus resistant, & ideo Astrologi vt in pluribus vera possunt prædicere, & maximè in communi, non autem in speciali, quia nihil prohibet aliquem hominem per liberum arbitrium passionibus resistere: vnde & ipsi Astrologi dicunt, quòd sapiens homo dominabitur astris, inquantum scilicet dominatur suis passionibus: & idem, dicendum de dæmonibus, à quibus sæpe instruuntur Astrologi ex D. Aug. libro 5. de Ciuitate Dei cap. 7. vbi damnat Horoscopiam.

Ad tertium dicendum, quòd hæc præuisio in somniis, vel fit à bonis Angelis, & tunc est omnino certa reuelatio, vel à malis, vel ex impressione etiam Cœlorum, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 86. art. 4. ad 2. quæ propter noctis tranquillitatem, & dormientis quietem est efficacior ad suscitanda phantasmata proportionata effectibus producendis à Cœlo: sed hæc præuisio non est certa, imò sæpe deficit, propterea communiter dicitur non esse credendum somniis.

LIBER TERTIVS
DE COELO ET MVNDO.

Summma Textûs.

QVIA in his libris agit Aristoteles de corpore mobili secundùm locum, postquam in duobus praecedentibus egit de Cœlo, quod est primum corpus simplex, in quo maximè regularis est motus localis, in duobus sequentibus agit de aliis corporibus simplicibus, scilicet Elementis, vt sunt partes Vniuersi, & vt mobilia secundùm locum per grauitatem & leuitatem: nam vt mobilia sunt secundùm alios motus, alterationis, generationis & corruptionis pertinent ad secundum librum de Generatione.

QVÆSTIO VII.

De quatuor Elementis, vt sunt partes Mundi.

PLVRA possent inquiri de Elementis, putà de eorum definitione, numero, & similibus, sed quia de his agitur in secundo de Generatione, propterea his prætermissis, in præsenti agitur tantùm de Elementis, vt sunt partes vniuersi, circa quod quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm Elementa, quò altiora, eò sint nobiliora?

¶ Secundò, Vtrùm Elementa, eò maiora sint, quò altiora?

¶ Tertiò, Vtrum singula Elementa sint figuræ rotundæ?

¶ Quartò, Vtrùm ex Terra, & Aqua fiat vnus globus?

¶ Quintò, Vtrùm Terra sit depressior Aquâ?

¶ Sextò, Vtrùm Terra sit centrum Mundi?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Elementa quò altiora eò sint nobiliora?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd in Elementis non sit idem ordo dignitatis, qui sitûs, ita vt quò altiora, eò non sint nobiliora. Probatur quòd Terra sit nobilissimum Elementum. Immobilitas est nobilior mobilitate, Terra autem est omnino immobilis, alia verò Elementa sunt mobilia, imò continuò mouentur, ignis quidem circulariter ad motum Cœli, sicut & suprema pars Aëris, reliquæ verò partes, sicut & Aqua diuersis motibus mouentur. Deinde Terra maximam habet similitudinem ad corpus humanum, componitur enim ex partibus Eterogeneis, abundat fluuiis & riuulis tanquam venis. Denique nullum affert damnum homini, sicut alia Elementa, sed plura commoda: ergo Terra est nobilissimum Elementum.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd Aqua sit nobilissimum Elementum. Probatur. Tum ex fœcunditate, tum ex multiplici vtilitate, quam homini præstat, tum denique quia obtinet nobiliorem locum inter Elementa, cùm sit supra Firmamentum, aliósque Cœlos, vt constat ex Scriptura.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd Aër sit nobilissimus inter Elementa. Probatur. Tum ex omnimoda eius necessitate ad vitam humanam, quæ sine Aëris respiratione stare non potest, tum ex mira eius subtilitate, tum denique ex eius Diaphaneitate, ratione cuius est subiectum lucis nobilissimæ qualitatis.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Th.1.p.q.67. art.3.ad 1. quem communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm ignis sit inter omnia Elementa leuissimus, & habeat in proprietatem nobilissimam qualitatem Elementorum, scilicet Calorem, est omnium nobilissimus, & ita quò altiora Elementa, eò nobiliora.

RESPONDEO dicendum, quòd Elementa eumdem habent ordinem nobilitatis, quem sitûs, ita vt quò altiora, eò nobiliora. 2. vnde ignis est nobilissimus. Deinde Aër, postea Aqua, & tandem Terra vltimum tenet locum dignitatis & sitûs.

Probatur prima pars conclusionis. Ordo vniuersi est perfectissimus, vtpote procedens ab infinita Dei sapientia, & demonstrant mirabiles huius ordinis effectus: sed ordo perfectus exigit, quòd inter partes præcipuas nobiliores sint aliis altiores & superiores, vt inductione in omnibus patet: ideo enim Cœli iudicantur communiter nobiliores Elementis, quia superiorem illis habent situm in vniuerso, & inter Cœlos, superiores sunt nobiliores, vt dictum est; & Angeli sunt creati in supremo Cœlo, cui etiam præsident, in quo homines Beati residebunt: ergo Elementa eumdem habent ordinem nobilitatis, quem sitûs, ita vt quò altiora, eò nobiliora: quod etiam indicat ipsa continentia, nam altiora continent inferiora.

Probatur secunda pars conclusionis, specialiter de Igne authoritate D.Th. loco citato, vbi sic ait: *Augustinus accipit lucem pro corpore lucido in actu, scilicet pro igne, quod inter quatuor Elementa nobilissimum est.* Deinde ignis habet calorem in summo in proprietatem, qui est nobilissima qualitas Elementaris, perfectio autem proprietatum indicat perfectionem essentiæ. Denique leuitas est perfectior grauitate, ignis autem est leuissimus, postea Aër; Aqua verò minùs grauis Terrâ, quæ est grauissima: ergo inter Elementa ignis est nobilissimus, deinde Aër, postea Aqua, & tandem Terra vltimum tenent locum dignitatis & sitûs.

An primum ergo dicendum, quòd mobilitas aliorum Elementorum non suadet Terram esse eis nobiliorem, cùm Cœli multò nobiliores Terrâ, etiam moueantur: hunc enim motum Cœlorum & aliorum Elementorum, ac Terræ stabilitatem exigit multiplicatio electorum. Alia adducta probant Terram esse valde nobilem, sed non supra reliqua Elementa: nobilitas enim eorum debet attendi ex comparatione ad inuicem, & non ad alia.

An secundum dicendum similiter quantùm ad primam, & secundam probationem. Quantùm ad tertiam dictum est supra, quòd vel nomine Cœli, & Firmamenti intelligitur Aër, vel nomine aquarum, intelligitur Cœlum aqueum, siue Chrystallinum, quod est supra Firmamentum.

An tertium patet ex dictis quantùm ad primam probationem. Quantùm ad secundam dicendum, quòd ignis in propria sphæra, vbi non indiget materiâ, quâ conseruetur,

struetur, est subtilior aëre, & magis diaphanus, & fortè ab intrinseco lucidus, & non solùm ab extrinseco, vt Aër.

Articvlvs II.

Vtrùm Elementa, eò maiora sint, quò altiora?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd Elementa eò maiora sint, quò altiora. Probatur. Corpora cœlestia, eò maiora sunt, quò altiora, quia sic exigit ordo & pulchritudo vniuersi, quæ magis relucet, si corpora altiora, ac proinde perfectiora, sint maiora: ergo cùm sit etiam perfectus ordo vniuersi, siue Mundi inferioris, Elementa eò erunt maiora, quò altiora.

§ 2. Præterea, Aristoteles 2. de Generatione cap. 6. docet eamdem habere proportionem tantum aliquod Elementum ad aliud, quam habet pars eius ad partem alterius, quæ ex ea generatur: sed constat quòd si pars Terræ conuertatur in Aquam, vel Aquæ in Aërem, vel Aëris in Ignem, post conuersionem decuplo maior erit illa pars: ergo etiam quodlibet Elementum superius est decies maius inferiori.

Sed contra est communis consensus Mathematicorum, quibus in hac parte, tanquam Magistris in propria scientia credendum est.

Conclvsio.

Elementum Terræ est maius Elementis Aquæ & Aëris, licèt excedatur ab Elemento Ignis.

Respondeo dicendum, quòd quamuis Elementa, quò altiora, eò sint maioris circumferentiæ. 2. non tamen maioris molis & profunditatis.

Probatur prima pars conclusionis. Hic Mundus est Globus quidam perfectus, propterea dicitur Orbis, compositus ex pluribus partibus figuræ sphæricæ, vt articulo sequenti demonstrabitur, scilicet ex corporibus cœlestibus & elementaribus, quorum superiora & altiora ambiunt vndequaque, & circumplectuntur inferiora: sed manifestum est circumferentiam siue superficiem maximè concauam corporis ambientis esse maiorem, quàm superficiem aut circumferentiam corporis contenti: ergo Elementa, quò altiora, eò sunt maioris circumferentiæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Mathematicorum, quibus in hac parte, tanquam Magistris in propria scientia credendum est: hi euidentibus demonstrationibus probant Terræ molem esse maximam, ita vt profunditas, siue diameter excedat sex millia septuaginta milliaria: constat autem experientiâ nauticâ profunditatem Oceani maximam vix ad tria milliaria pertingere, cùm ex alia parte æqualis circiter portio Terræ extet super Aquas, & lateat sub Aquis. Deinde Mathematici Aëris altitudinem ad quinquaginta circiter & duo milliaria extendunt, & demonstrant ex ascensu exhalationum, ex quibus pene in suprema parte Aëris generantur Cometæ. Ignis autem locum, incipiendo vbi apparent Cometæ vsque ad concauum Lunæ, in profunditate dicunt continere circiter milliaria centum viginti mille, quingenta, septuaginta octo: ergo Elementa, quò altiora, non sunt maioris molis, & profunditatis: sed Terræ Elementum est maius Elementis Aquæ & Aëris, licèt excedatur ab Elemento Ignis.

Ad primum ergo dicendum, quòd falsum est antecedens, nam Cœlum, in quo est Sol, est minoris profunditatis, quàm alij inferiores, vt docent Mathematici, & infra dicetur: vnde in istis partibus principalioribus Vniuersi solùm attenditur eorum dignitas maior vel minor ex superioritate sitûs: maior verò vel minor moles debet colligi aliunde, scilicet ex hoc quòd Cœli debent influere in Terram, quæ debuit esse maxima propter debitam multiplicationem Electorum, & eorum quæ Electis deseruiunt: alia verò Elementa in ea mole & profunditate debuerunt creari, vt influxus cœlestis debitè per illa ad Terram perueniret.

Ad secundum dicendum, quòd Philosophus non vult quòd totum Elementum superius, eam actu habeat proportionem in mole cum inferiori, quam habet pars inferioris cum parte superioris, in quam conuertitur: sed quòd eamdem haberet, si totum Elementum inferius conuerteretur in superius: ita vt sicut ex vna portione Terræ fiunt decem portiones Aquæ, & ex vna Aquæ decem Aëris, & ex vna Aëris decem Ignis, propter maiorem raritatem Elementi superioris, & densitatem inferioris: sic si tota Terra conuerteretur in Aquam, Aqua in quam conuerteretur, esset decies maior Terrâ, quæ conuerteretur, & sic de aliis.

Articvlvs III.

Vtrùm singula Elementa sint figuræ rotundæ?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd singula Elementa non sint figuræ rotundæ: ita tenuit Plato in Timæo. Probatur. Corpori naturali sphærico debetur motus circularis & non rectus, propterea Cœlis est connaturalis solus motus circularis: sed Elementis non conuenit naturaliter motus circularis, sed rectus ad medium, vel à medio, ex Aristotele, & experientia: ergo Elementa non sunt figuræ rotundæ.

§ 2. Præterea, Ignis Elementum est profundius sub Æquinoctiali, quàm sub Polis: & econtra Aër sub Polis est profundior, quàm sub Æquinoctiali: quia Ignis sub Æquinoctiali adiuuatur calore vehementi Solis, vt plus Aëris in se conuertat, quod non habet sub Polis, à quibus Sol multùm distat: ergo hæc Elementa non sunt figuræ rotundæ.

§ 3. Præterea, Si Elementa essent figuræ rotundæ, in principio debuisset Aqua creari supra faciem vniuersæ Terræ, quod tamen negat S. August. supra Genesim. Deinde Terra habet montes & valles, sub Mari est valde depressa, & alibi valde eleuata, quæ omnia repugnant figuræ rotundæ: ergo hæc etiam Elementa non sunt figuræ rotundæ.

Sed contra est communis consensus & recepta sententia omnium Philosophorum & Mathematicorum.

Conclvsio.

Cùm vndequaque omnia grauia tendant ad medium Terræ, quod est centrum Mundi, & successiuè fiat in diuersis Terræ partibus Ortus, Occasus, ac illuminatio Syderum, Terra, ac proinde alia Elementa sunt figuræ rotundæ.

Respondeo dicendum, quòd totus Mundus dicitur Orbis, quia tam Cœli saltem mobiles, quàm Elementa sunt figuræ rotundæ. 2. non tamen perfectè & mathematicè loquendo. Ad cuius euidentiam sciendum est, locum proprium Aquæ esse supra Terræ superficiem, sicque creatam fuisse in principio Mundi censent aliqui (quamuis propter multiplicationem hominum maximè Electorum, ad quos omnia materialia ordinantur, fuerit congregata in vnum, & depressa ibi Terra, ita vt ex vtroque Elemento fieret vnus Globus, vt dicetur:) quamuis S. Augustinus aliter censeat, & probabilius iudicet D.Th.1.p. q.69.art.1.ad 2. creditur etiam in fine Mundi suum naturalem locum habitura.

Probatur prima pars conclusionis multis demonstrationibus Mathematicis, quas adducit Ioannes da Sacrobosco in sua sphæra cap. 1. Clauius ibidem, quarum aliquas, & efficaciores seligemus. Sit prima: Experimur quòd Ortus & Occasus Solis aliorúmque Syderum, ac illorum illuminatio fit successiuè pro diuersitate locorum, magis vel minus Orientalium aut Occidentalium, quod ita certum est, vt si fiat circuitus Terræ & Maris à duobus, sic tamen quòd vnus tendat versùs Orientem, alius versùs Occidentem, inuenietur, dum sibi occurrent, quòd ille qui perrexit ad Orientem, numerabit, v.g. diem Dominicum, alius verò qui perrexit ad Occidentem, numerabit tantùm diem Sabbathi, quia pergenti ad Orientem citiùs oritur Sol, pergenti verò ad Occidentem tardiùs

diùs occidit: vnde pergens ad Orientem, quia facit dimidium Terræ, auget dimidium diem: (integrum autem augerent, vel diminuerent, si facerent ambo integrum circulum) hæc autem diminutio dimidij diei, & augmentum alterius dimidij causat differentiam vnius diei: & ita de facto contingit, nam Hispani in Philipinis numerant tantùm diem Sabbathi, quia illuc peruenerunt nauigantes versùs Occidentem: Lusitani verò eumdem numerant diem Dominicum in Regno Chinensi, quod est è regione Insularum Philippinarum, quia illuc peruenerunt nauigantes versùs Orientem: vnde constat Terram esse rotundam versùs Orientem & Occidentem: quia si esset plana, Sidera simul toti Terræ orirentur & occiderent, simúlque totam illuminarent: quod etiam fit rotunda à Septentrione ad Austrum, patet etiam ex eleuatione Siderum: nam Polus Arcticus à nobis videtur, & non Antarcticus, quia sumus magis Septentrionales: nauigantibus autem, vel existentibus ad Austrum apparet Antarcticus, & non Arcticus, vt quotidie experiuntur Lusitani nauigantes ad Indias Orientales: vbi Solem mensibus Maio & Augusto perpendicularem vidi: eadem autem ratio est de Terra, ac de aliis Elementis: ergo Elementa sunt figuræ rotundæ.

Secunda, Eclipsis Lunæ, quæ procedit ex interpositione Terræ inter ipsam Lunam & Solem, fit successiuè, ita vt paulatim secundùm partes eius lumen decrescat, deinde remanet tota sine lumine, & denique paulatim secundùm partes de nouo lumen recipit: sed hoc fieri non posset, nisi Terra esset figuræ rotundæ: quia Eclipsis contingit modò in hac, modò in alia parte lineæ Eclipticæ in toto circuitu Cœli; & maximè quia decretio & accretio lucis fit in Luna ad instar arcûs; & si à nobis videatur, v. g. primâ horâ noctis, in aliis regionibus magis Orientalibus conspicitur eadem Eclipsis multò tardiùs iuxta maiorem vel minorem distantiam, vt certis constat obseruationibus & relationibus, quod indicat ibi prius noctescere: ergo Terra aliæque Elementa sunt figuræ rotundæ.

Tertia, Euidenti constat experientiâ, quòd omnia grauia naturaliter tendunt ad medium Terræ, quod est centrum Mundi, & quò magis ad illud accedunt, magis etiam ad se inuicem accedunt: ita vt si ab altissima turri pendeant in duabus cordis duo pondera, superiores extremitates cordarum magis distabunt, quàm inferiores: & si construatur ad amussim altissima turris, erit latior in superiori parte, quàm in inferiori: ergo Terra est figuræ rotundæ, quia sola figura rotunda hoc habet, quod vndique ex circumferentia æqualiter appropinquatur ad Centrum. Quod idem patet de aliis Elementis: nam Aqua licèt non faciat integrum Globum, tamen in superficie conuexa est sphærica, quod manifestè patet in nauigatione: nam nauis post aliquod spatium disparet, & non videtur ab existentibus in humili loco littoris, ab existentibus verò in superiori loco in eadem distantia videtur, & vice versâ ab existentibus in corpore nauis non videtur littus, bene tamen ab existentibus supra Antennam quod non potest procedere, nisi ex rotunditate Aquæ. Deinde posito quòd ex Aqua, & Terra fiat vnus Globus, vt demonstrabitur articulo sequenti, necessariò Aër secundùm superficiem concauam est rotundus. Denique Ignis secundùm superficiem conuexam ex sphærica superficie concaua Cœli Lunæ in figuram rotundam formatur.

Probatur secunda pars conclusionis, duobus vltimis argumentis in contrarium adductis.

Ad primum ergo dicendum, quòd corpori sphærico est naturalis motus circularis, non quidem ex parte principij actiui, sed ex parte principij passiui, vt dictum est: vnde hîc motus est tantùm ab extrinseco, & etiam à Cœlis communicatur Elementis vicinioribus; docet enim D. Thomas supra lib. 2. lect. 10. quòd Ignis & superior pars Aëris mouentur circulariter ad motum Cœlorum, vt constat ex motu Cometarum: motus autem rectus à medio, & ad medium est connaturalis Elementis ex parte principij actiui, scilicet formæ, cui conuenit grauitas vel leuitas principia talis motûs recti.

Ad secundum dicendum, quòd si hoc si verum, solùm probat Ignem secundùm superficiem concauam, & Aërem secundùm conuexam non esse figuræ perfectè sphæricæ, sed tamen semper essent figuræ oualis, quæ est rotunda aliqualiter: potest tamen de hoc dubitari, quia vt dicetur infra ex D. Thoma, influentiæ Cœlorum attemperant virtutes Elementorum, ne se inuicem corrumpant.

Ad tertium dicendum, quòd Aqua ex natura sua petit esse supra faciem vniuersæ Terræ, siue sic fuerit creata, vt aliqui tenent, siue fuerit creata eo modo, quo nunc est, vt tenet Sanctus Augustinus, & probabilius iudicat D. Thom. quia debuit Terra esse discooperta ab Aquis, vt possent in ea fieri generationes hominum, maximè Electorum, propter quos hic Mundus creatus fuit. Ad aliud de Terra dicendum, quòd probat secundam partem conclusionis.

Articvlvs IV.

Vtrùm ex Terra & Aqua fiat vnus Globus?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd ex Terra & Aqua non fiat vnus Globus. Probatur. Terra & Aqua sunt diuersæ grauitatis in specie, sicut Aër & Ignis diuersæ leuitatis: ergo sicut ex Igne & Aëre non fit idem Globus, sed sunt duo Globi distincti, sic ex Terra & Aqua non fit vnus Globus.

¶ 2. Præterea, Si ex Terra & Aqua fieret vnus Globus, Terra & Aqua haberent idem centrum, vt patet: sed non habent idem centrum, quia cùm omnia naturaliter tendant ad suum centrum, vt ad locum naturalem, si centrum Aquæ esset idem, quòd centrum Terræ, Aqua vtpote subtilior penetraret Terram, & penetraret ad Centrum, ipsúmque possideret, quod tamen est falsum: ergo ex Terra & Aqua non fit vnus Globus.

¶ 3. Præterea, Si quis ex loco eminenti respiciat mare aut Terram, videt omnino plana esse, & non curua. Deinde montes qui sunt in vniuersa Terra, manifestè probant eius superficiem non esse vniformem, ac ita non constituere vnum Globum cum Aqua, cuius superficies est vniformis. Denique, si ex Terra & Aqua fieret vnus Globus, cùm omnis Terra debeat esse habitata, essent Antipodes, quod videtur impossibile, nam haberent pedes sursum, & caput deorsum, imò deberent cadere in subiectam partem Cœli: ergo ex Terra & Aqua non fit vnus Globus.

Sed contra est communis sententia, tum Philosophorum, tum Mathematicorum, vt Ioannis de Sacro Bosco, & Clauij in cap. 1. Sphæræ.

Conclvsio.

Cùm idem sit Centrum Terra & Aqua, successiuus æqualiter fit Ortus & Occasus siderum in mari, & in Terra, ac vmbra Terræ simul & Aquæ sit rotunda, ex Terrâ & Aqua fit vnus Globus.

Respondeo dicendum, quòd ex Terra & Aqua fit vnus Globus, ita vt superficies conuexa Aquæ continuetur superficiei conuexæ Terræ 2. vnde idem est Centrum vtriusque, tam magnitudinis, quàm grauitatis 3. hic tamen Globus non est Geometricè perfectus.

Probatur prima pars conclusionis. Idem est Centrum commune Terræ & Aquæ, quod experientiâ patet: nam per eamdem omnino lineam Terra & Aqua non impeditæ descendunt: ergo ex Terra & Aqua fit vnus Globus: nam Centrum magnitudinis est illud, à quo partes conuexæ circumquaque distant æqualiter: non autem partes conuexæ Terræ & Aquæ distarent æqualiter à Centro, nisi ex Terra & Aqua fieret vnus & idem Globus.

Secundò, Ortus, Occasus, & illuminatio siderum, quod maximè apparet in Sole, fit paulatim & successiuè tam in

in Terra, quàm in mari: in Terra omnes eius habitatores experiuntur, in mari verò nauigantes: ergo ex vtroque Elemento fit vnus Globus, ita vt amborum superficies conuexæ sint vniformiter continuæ: si enim Aqua eleuaretur, partes eius remotæ sic eleuatæ priùs illuminarentur, quàm proximæ depressiores, vt contingit in Terra respectu montium, cuius tamen contrarium experiuntur nauigantes ab Ortu ad Occasum.

Tertiò, vmbra Terræ simul & Aquæ est rotunda, vt manifestè apparet in Eclipsi Lunari, in quacumque parte Cœli contingat, quod colligitur ex successiuo, & circulari eius deliquio: nam partes adhuc illuminatæ efficiunt dimidium circulum, qui paulatim decrescit, & postea etiam per oppositas partes circulariter crescit: ergo ex Terra & Aqua fit vnus Globus, nam qualis est figura vmbræ, talis est figura corporis, cuius est talis vmbra.

Probatur secunda pars conclusionis, quòd idem sit Centrum vtriusque, scilicet Terræ & Aquæ, tam magnitudinis, quàm grauitatis, contra aliquos qui dicunt (in principio Mundi quando discooperta fuit Terra ab Aquis, factáque congregatio Aquarum) Aquam eleuatam in tumorem, ex vna parte efficere vnum Globum distinctum à Terræ, ipsi tamen contiguum, habentem Centrum distinctum à Terræ Centro. Probatur, inquam, tum ex dictis, tum manifestissimâ experientiâ: nam aliqui nauigantes circuierunt totum Oceanum & Mundum, & eodem constat regulari modo processisse flante eodem vento, cùm tamen esset impossibile, vt nauis cùm sit corpus graue ascenderet, saltem æquè facilè, ac descenderet, ascenderet autem recedens à portu, & accedens ad portum descenderet. Deinde Mundus antiquus & nouus multæque insulæ discontinnant Oceanum, quorum omnium idem est Centrum: ergo & Oceani, ac proinde idem est Centrum, tam magnitudinis, quàm grauitatis respectu Terræ & Aquæ. Denique ad perpetuum oportet recurrere miraculum, quo Aqua sic in tumorem consistat, quam naturaliter ad Centrum, siue medium Terræ experimur tendere.

Probatur tertia pars conclusionis, Globus Geometricè perfectus est ille, cuius superficiei partes æqualiter distant à Centro: sed hoc non reperitur in præsenti, quamuis enim superficies Oceani, siue aquæ sit vniformiter sphærica, vt demonstrat regularis nauigatio circa Centrum Mundi, superficies tamen Terræ est difformiter sphærica, vt manifestè ostendunt eius montes plurimi, ac valles: ergo Globus ex Terra & Aqua non est Geometricè perfectus, sed Physicè, nam comparatione maximæ distantiæ superficiei eius à Centro, hæc inæqualitas superficiei, quasi nihil reputatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd si Terra & Aqua fuissent conditæ, vel relictæ iuxta exigentiam suæ naturæ, constituissent duos Globos distinctos, sicut Ignis, & Aër: sed quia Deus fecit concauitates in Terra, præter eius naturam Aquæ in illis receptæ continentur: vnde ex Terra & Aqua fit idem Globus.

Ad secundum dicendum, quòd quia Terra est grauior, quàm Aqua, ideo debetur illi ob summam illam grauitatem, quòd sit Centrum Mundi: quia verò aliunde eius partes maximè in imis penetralibus cohærent inter se, ideo Aqua non penetrat vsque ad Centrum Terræ & Mundi.

Ad tertium dicendum, quòd licèt primo intuitu mare videatur planum, tamen ex nauigatione nauis, quæ paulatim abscondit ex Aquæ tumore, deprehenditur esse sphæricum. Ad aliud dicendum, quòd probat tantùm hunc Globum non esse Geometricè perfectum. Ad aliud dicendum dari Antipodas: fallitur autem imaginatio, dum apprehendit eorum casus tam omne corpus graue, in quacumque parte circomferentiæ ponatur, tendit naturaliter ad Centrum Terræ & Mundi.

Articvlvs V.

Vtrùm Terra sit depressior Aquâ?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd Terra non sit depressior Aquâ, sed quòd ita ex vtroque Elemento fit vnus Globus, vt quodlibet habeat in medio sui proprium Centrum, & Centrum Mundi sit in medio duorum. Ita tenent aliqui, quos suppresso nomine citat Clauius in cap. 1. Sphæræ. Probatur. Centrum alicuius Globi est in medio partium, cùm æqualiter debeat distare à tota circumferentia: sed ex Aqua & Terra vt partibus fit vnus Globus: ergo Centrum Mundi est in medio Aquæ & Terræ, & consequenter Terra non est depressior Aquâ.

¶ 2. Præterea, Psalmo 135. habetur: *Qui firmauit Terram super Aquas.* Item Psalmo 106. *Qui descendunt mare in nauibus.* Item Psalmo 32. *Congregans sicut in vtre Aquas maris:* Quæ loca indicant Terram esse altiorem Aquâ, & Aquam depressiorem Terrâ, quòd etiam indicat altitudo montium, & eminentia littoris supra mare.

¶ 3. Præterea, Aqua naturali pondere tendit ad Centrum Mundi, vt ipsâ constat experientiâ: ergo nisi esset depressior ipsâ Terrâ, esset extra proprium locum, ac ita in continuo statu violento: ergo Terra non est depressior Aquâ.

Sed contra est authoritas, & communis sententia Philosophorum.

Conclvsio.

Cùm Terra sit multò grauior Aquâ, est etiam depressior.

Respondeo dicendum, quòd Terra connaturaliter ad suam naturam petit totaliter esse sub Aqua: sic creatam aliqui credunt, & futuram in fine Mundi 2. & est de facto simpliciter depressior Aquâ 3. quamuis secundùm superficiem superiorem emineat ipsi Aquæ.

Probatur prima pars conclusionis sequenti demonstratione. Terra est grauior Aquâ, quòd ipsa experientia docet: nam plus ponderat, & ad ima Aquæ descendit: imò Aqua tantò redditur grauior, quantò plus Terræ habet admixtum: ergo Terra connaturaliter petit totaliter esse sub Aqua, quia sicut Elementa eò sunt superiora, quò leuiora, sic eò sunt inferiora, quò grauiora.

Probatur secunda pars conclusionis. Medium Terræ est Centrum Mundi, experimur enim omnia grauia illuc tendere. Deinde sub aquis etiam in alto mari Terra reperitur, vt experiuntur nautæ: quamuis autem alicubi mare sit profundissimum, eius tamen profunditas paucis milliaribus concluditur, quæ nihil pene sunt, si fiat comparatio cum profunditate Terræ, vt dictum est supra: ergo Terra est de facto simpliciter depressior Aquâ.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritatibus Scripturæ adductis in secundo Argumento in contrarium, tum quia sensu patet montes & littora eminere ipsi Aquæ: ergo Terra secundùm superficiem superiorem eminet ipsi Aquæ, non vniuersaliter, sed vt in plurimum: quia alicubi mare est altius Terra, vt ait D.Thom. 1. p. q. 69. art. 1. ad 2. id est, in aliquibus locis, & experimento compertum est in mari rubro, vt Basilius dicit.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt ex Terra, & Aqua fiat vnus Globus Physicè perfectus, tamen quia maior est moles Terræ, quàm Aquæ, vt supra dictum est, Centrum Mundi non est in medio ipsorum, sed in medio Terræ Physicè loquendo.

Ad secundum dicendum, quòd illa loca probant tertiam partem conclusionis, & non ampliùs.

Ad tertium dicendum, quòd verum est aquam naturali pondere ferri ad Centrum Mundi, ad quod tendunt omnia grauia, & nisi esset impedimentum ad illud peruenitet: quia tamen ordo naturalis hoc petit, vt grauiora sint inferiora, propterea Terra, vtpote grauissima, est omnino in centro, imò Centrum Terræ est Centrum Mundi: alia verò grauia accedunt quantùm possunt ad illud, nec possunt dici esse in loco violento,

quando inter corpora grauia seruatur proportio, ita vt vnumquodque magis, vel minùs ad illud accedat iuxta maiorem, vel minorem suam grauitatem.

Articvlvs VI.

Vtrùm Terra sit Centrum Mundi?

AD sextvm sic proceditur. Videtur quòd Terra non sit Centrum Mundi, ita tenuit Nicolaus Copernicus, qui Solem posuit immobilem, & Centrum Mundi: Terram verò, reliquos Planetas, aliáque sidera circulariter circa Solem moueri: Tyco Brahe verò quamuis Terram constituat in medio Mundi, tanquam Centrum Firmamenti, Solis, ac Lunæ, negat tamen esse Centrum aliorum quinque Planetarum, quorum Centrum dicit ipsum Solem. Probatur vniuersaliter quòd Terra non sit Centrum Mundi, authoritate antiquorum Philosophorum, vt Philolali Pythagorici, cuius tanta fuit authoritas, vt ad eum videndum Plato Italiam petierit: item Aristarchi Samij antiquioris Ptolomæo quadringentis annis, qui Terram extra Centrum Mundi mobilem posuerunt: ergo Terra non est Centrum Mundi.

§ 2. Præterea, Esse Centrum Mundi, & consequenter esse quid immobile, dicunt maximam perfectionem: quæ propterea potiùs Soli omnium visibilium perfectissimo, quàm Terræ omnium corporum imperfectissimæ debent conuenire: ergo Terra non est Centrum Mundi.

§ 3. Præterea, Planetæ aliquando propinquiores Terræ, aliquando verò remotiores apparent, vt diligenti Astronomorum obseruatione compertum est: ergo Terra non est Centrum Mundi, saltem Planetarum: si enim esset illorum Centrum, regulariter, & in æquali semper distantia circa illam mouerentur.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis supra libro 2. cap. 13. & 14. vbi hanc difficultatem ex professo pertractat, & D. Thom. ibidem, quos communiter sequuntur Philosophi.

Conclvsio.

Cùm Terra sit omnium corporum grauissimum, ac proinde infra omnia Elementa, quæ à Cælis includuntur, est Centrum Mundi.

Respondeo dicendum, quòd Terra est Centrum Mundi 2. vnde idem est Centrum Terræ, ac Centrum Mundi 3. quamuis ab ipso non æqualiter Geometricè distent omnes partes superficiei eius, 4. locus naturalis Terræ deberet esse superficies concaua Aquæ & fortè erit in fine Mundi: nunc autem, quia ex Aqua & Terra fit vnus Globus, illius locus est superficies concaua Aëris; huius verò locus est superficies concaua ignis, cuius locus est concauum Cœli Lunæ, Superiores autem Cœli sunt locus inferiorum, quorum supremum secundùm se totum non habet locum.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. qui 1. de Cœlo lect. 16. ait, quòd licèt sit idem Centrum realiter Mundi & Terræ, corpora tamen grauia mouentur ad medium, seu Centrum; non quatenus est Centrum Terræ, sed Mundi: idem docet ibi Aristoteles. Deinde illud est Centrum Mundi, quod est in medio eius, siue quod æqualiter distat à cœlestibus corporibus versùs omnem partem, quia Cœli sunt circumferentia Mundi: sed illud est Terra; tum quia propter maximam materialitatem ac imperfectionem debet esse, iuxta perfectum ordinem vniuersi, maximè elongata à Cœlis, qui sunt corpora perfectissima, ad quæ Elementa magis, vel minùs accedunt iuxta Maiorem, vel Minorem eorum perfectionem; tum quia colligitur ex Eclipsi Lunari, quæ contingit Sole & Lunâ existentibus in oppositis omnino punctis, modo hic, modo illic propter interpositionem Terræ: constat autem quòd est impossibilis hæc interpositio, nisi esset in medio Mundi, siue æqualiter distans à corporibus cœlestibus. Denique quia Terra est grauissima omnium corporum, ad cuius Centrum ex quacumque parte tendunt per lineam rectam omnia grauia: corpora autem, quò magis grauia, eò magis remota sunt à Cœlo; quò magis leuia, eò magis proxima: ergo Terra est Centrum Mundi, & idem est Centrum Terræ, ac centrum Mundi: quæ ratio est efficacissima supposità immobilitate Terræ, quæ infra demonstrabitur; & per hoc probatur secunda pars conclusionis.

Probatur tertia pars conclusionis. Superficies Terræ est inæqualis, nam assurgit in montes, & deprimitur in valles, maximéque est depressa, qua parte substat mari, vnde ex ipsa Terra, & Aqua fit vnus Globus, vt dictum est: ergo à centro Terræ non æqualiter Geometricè distant omnes partes superficiei eius.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Thom. libro 1. de Cœlo lect. 18. & alibi, vbi sic probat. *Locus est superficies corporis ambientis, siue continentis: sed Terra petit ambiri superficie concauâ Aquæ, Terra autem & Aqua nunc continentur superficie concaua Aeris, Aer verò superficie concauâ Ignis, hic autem concauo Lunæ, licèt enim non videatur à nobis, demonstratur tamen ibi esse ex naturali illuc tendentia Ignis, quodlibet enim naturaliter tendit ad suum locum naturalem, vt in omnibus experimur.* Quantùm ad Cœlos autem manifestum est quòd inferiores continentur à superioribus, supremum autem nihil habet supra, quo contineatur: ergo locus naturalis Terræ deberet esse superficies concaua Aquæ, & nunc vtriusque locus est superficies concaua Aëris, huius verò locus est superficies concaua Ignis, cuius locus est concauum Cœli Lunæ, Superiores autem Cœli sunt locus inferiorum, quorum supremum secundùm se totum non habet locum: superficies autem corporis continentis dicitur locus, non secundùm quòd est superficies talis corporis, sed secundùm ordinem sitûs quem habet in toto vniuerso immobili, seu ad primum continens, seu locans, putà Cœlum.

Ad primum ergo dicendum, quòd si illi Philosophi tenuerunt Terram non esse centrum Mundi, & esse mobilem, alij multò nobiliores, ipsorúmque Princeps Aristoteles, nobiliores etiam Astronomi, maximè Ptolomæus contrarium docuerunt, eorúmque authoritas, & rationes præualent.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis Terra non moueatur, potest tamen moueri, & Cœli qui mouentur, possunt quiescere, & de facto quiescent aliquando: vnde in hoc Terra non excedit perfectione, nec esse Centrum Mundi importat perfectionem supra circumferentiam, imò potiùs imperfectionem, quia vt ait D. Thom. oportet quòd Cœlum, quod propter suam impassibilitatem est conseruans non conseruatum, sit non in medio, sed in extremo positum, quasi continens, cuius motus est vt vita & quædam natura existentibus omnibus.

Ad tertium dicendum vt supra, quòd de facto Planetæ aliquando sunt proximiores Terræ, aliquando ab illa remotiores, sed hoc prouenit ratione Excentricorum, & Epiciclorum, hoc tamen non tollit, quin Terra sit Centrum Mundi.

LIBER QVARTVS DE COELO ET MVNDO.

Summma Textûs.

IN hoc quarto libro, quem sex capitibus absoluit, prosequitur Philosophus agere de Elementis secundùm quòd sunt mobilia ad locum naturalem sursum, vel deorsum: & consequenter agit de eorum virtute motiua, scilicet grauitate, & leuitate, aliisque ad eorum motum pertinentibus.

QVÆSTIO VIII.

De motu quatuor Elementorum.

QVia in 1. Physicorum determinatum est grauia & leuia non à seipsis, sed à generante moueri, quod maximè Elementis adaptari debet, & alibi plura dicta sunt ad motum Elementorum pertinentia, ideo his prætermissis in præsenti quæruntur tantùm sex.

¶ Primò, Vtrùm sint duo Elementa leuia, & duo grauia, vnum summè leue, aliud summè graue?

¶ Secundò, Vtrùm leuitas & grauitas qualitates motiuæ Elementorum specie differant?

¶ Tertiò, Vtrum Elementa in propriis locis habeant grauitatem aut leuitatem?

¶ Quartò, Vtrùm motus naturalis Elementorum sit velocior in fine?

¶ Quintò, Vtrùm Elementa, præter motum rectum naturalem, moueantur circulariter ad motum Cœlorum?

¶ Sextò, Vtrùm Terra moueatur naturaliter motu circulari ab Occasu ad Ortum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sint duo Elementa leuia, & duo grauia, vnum summè leue, aliud summè graue?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd non sint duo Elementa leuia, & duo grauia, vnum summè leue, aliud summè graue. Probatur authoritate Aristotelis in hoc libro text. 29. & 30. vbi dicit quòd omnia Elementa habent grauitatem præter Ignem, etiam Aer; & textu 39. dicit quòd si submoueatur Aëri Aqua, Aër naturaliter ferretur deorsum, submoto verò igne non feretur sursum, nisi violenter: & probat experientia hanc Aëris grauitatem, quia vter subtilis Aëre plenus plus ponderat, & velociùs cadit deorsum, quàm vacuus: ergo non sunt duo Elementa leuia, sed vnum tantùm, & tria grauia, maximè quia Aër est grauior igne, comparatiuum autem supponit positiuum.

¶ 2. Præterea, Ascendere sursum est signum, & effectus leuitatis: sed Aqua multoties ascendit sursum, vt patet ex pluuiis, & in fontibus, qui sunt in summitate montium: ergo econtra sunt tria Elementa leuia, & vnum tantùm graue, scilicet Terra.

¶ 3. Præterea, Ignis aliquando ex æætherea regione desilit in Aërem, vt ait Arist. 1. Meteor. cap. 4. imò experimur quòd aliquando descendit Ignis cœlestis vsque ad terram, quod non faceret, si esset summè leuis, nam leue tendit sursum. Econtra metalla sunt grauiora Terra, & similiter dicuntur esse aliquæ insulæ, quæ fluitant super aquas, quæ duo indicant Terram non esse grauissimam: ergo inter Elementa non datur vnum summè leue, quia si daretur, esset Ignis; nec aliud summè graue, quia si daretur, esset Terra.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. sæpe in his libris, & communis consensus Philosophorum.

CONCLVSIO.

Sunt duo Elementa leuia, Ignis scilicet, & Aër, similiter duo grauia, scilicet Terra, & Aqua, inter quæ Ignis est leuissimus, Terra grauissima.

RESPONDEO dicendum, quòd ex Elementis duo sunt leuia, & duo grauia: leuia sunt Ignis, & Aër, grauia sunt Terra & Aqua 2. Ignis est leuissimus, 3. Terra grauissima, 4. alia verò duo sunt media, ita vt Aër sit quidem leuis, sed minùs Igne: Aqua verò grauis, sed minùs quàm Terra. Tota hæc conclusio est Aristotelis, & D. Thom. in hoc, & præcedenti libro.

Probatur prima pars conclusionis. Corpus leue mouetur naturaliter à medio ad extremum, siue sursum, econtra verò corpus graue mouetur naturaliter ab extremo ad medium, siue deorsum, quod experimur: sed Ignis & Aër mouentur sursum naturaliter, vt etiam experimur: si enim Aër intra viscera Terræ detineatur, ipsam concutit, donec aditum inueniat, Ignis verò etiam montes euertit: econtra Terra & Aqua mouentur naturaliter deorsum, vt patet ad oculum: ergo sunt duo Elementa leuia, Ignis & Aer, duo etiam grauia Terra, & Aqua.

Probatur secunda pars conclusionis. Ignis naturaliter mouetur ad extremum simpliciter locum, tanquam proprium, siue omnino sursum: nam videmus quod supereminet, & superfertur omnibus, etiam ipsi Aëri; nam positus in Aëre, sursum fertur ipso Aëre quiescente: ergo cùm locus sursum debeatur corpori leui, locus simpliciter sursum debetur corpori simpliciter leui, siue leuissimo, & consequenter Ignis est leuissimus.

Probatur tertia pars conclusionis. Corpus illud est grauissimum, quod substat omnibus, quæ deorsum feruntur, quod debet esse vnum tantùm: nam si plura essent, nullum eorum substaret omnibus sicut econtra leuissimum est, quod supereminet omnibus, quæ sursum feruntur, quod similiter est tantùm vnum ob eamdem rationem: sed ad sensum videmus quòd Terra substat omnibus corporibus, quæ feruntur deorsum: ergo Terra est grauissima.

Probatur quarta pars conclusionis. Aër & Aqua mediant inter Ignem & Terram, ita tamen vt Aër sursum tendat, sed quiescat sub Igne, Aqua verò moueatur deorsum, sed super Terram quiescat: ergo cùm locus sursum debeatur corpori leui, & locus deorsum corpori graui, Aër est leuis, sed minùs igne; Aqua verò grauis, sed minùs quàm Terra.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quia solus Ignis est leuissimus, ideo Aër vocatur à Philosopho grauis comparatiuè ad Ignem, id est, minùs leuis. Ad aliud dicendum, quòd loquitur de Aëre, non secundùm connaturalem eius dispositionem, sic enim nullam habet grauitatem, & quiescit in proprio loco sursum; sed secundùm præternaturalem dispositionem, inquantum ingrossatur & infrigidatur; sic enim induit naturam

Aquæ & Terræ, ex quarum propinquitate habet hanc dispositionem, vnde fit grauis, & propterea vter illo plenus plus ponderat, quàm vacuus. Ad aliud dicendum quòd comparatiuum verum supponit positiuum, non autem si fit abusiuum, sicut in præsenti, nam Aër dicitur grauior Igne, non verè, sed abusiuè, id est, minùs leuis.

Ad secundum dicendum, quòd Aqua non ascendit sursum naturaliter, sed euaporata, ac reddita leuis virtute Solis, ac influentiâ cœlesti, qua etiam eleuatur ad orificium fontis in summitate montium, ascendit tamen naturaliter inquantum pars vniuersi ad replendum vacuum, non autem vt talis est naturæ.

Ad tertium dicendum, quòd quando Ignis descendit, hoc habet ex aliqua impressione cœlesti, aut ratione materiæ ignitæ, qua deprimitur. Ad aliud dicendum, quòd nostra Terra non est pura, pura enim Terra esset grauior omnibus metallis: quantùm ad insulas illas fluitantes, aliqui fabulosum putant, si tamen ita sit, dicendum quòd intra Terram illam est aliquid valde spongiosum & porosum, in quo multum Aëris continetur, ratione cuius hinc inde fluitat super aquas, vt etiam accidit in quibusdam lapidibus.

Articvlvs II.

Vtrùm leuitas & grauitas qualitates motiuæ Elementorum specie differant?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd leuitas & grauitas specie subalternâ differant, leuitas verò Ignis, & leuitas Aëris specie infimâ, sicut & grauitas Terræ, & grauitas Aquæ. Ita tenent aliqui. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Thom. libro 1. huius operis lect. 3. vbi motus Aëris & Aquæ vocant mixtos, Terræ verò & Ignis vocant simplices, quod idem est de qualitatibus principiis horum motuum: constat autem quòd qualitas simplex distinguitur specie à qualitate mixta, & lect. 5. dicit quòd Aër & Aqua habent simul leuitatem & grauitatem, scilicet aliquam qualitatem ex vtraque mixtam: ergo leuitas Ignis & leuitas Aëris, sicut grauitas Terræ & grauitas Aquæ specie differunt.

¶ 2. Præterea, Qualitates motiuæ, sicut & eorum actus scilicet motus specificantur à termino (ad quem:) sed non est idem specie terminus motûs Ignis, & motûs Aëris, nam motus Ignis est ad extremum simpliciter locum, scilicet concauum Lunæ; motus verò Aëris est ad locum, qui subditur Igni, quod ita connaturale est ei, vt Philosophus in hoc libro textu 39. dicat quòd si tollatur Ignis, Aër non nisi vi feretur sursum. Similiter motus Terræ est ad medium, siue centrum Mundi; motus verò Aquæ est ad locum, qui supereminet Terræ: ergo leuitas Ignis & leuitas Aëris, sicut & grauitas Terræ & grauitas Aquæ specie differunt.

¶ 3. Præterea, Leuitas Aëris & leuitas Ignis procedunt à diuersis essentialiter principiis, scilicet ex diuersa primarum qualitatum combinatione & temperie: scilicet leuitas Ignis ex combinatione summi caloris, & summæ siccitatis: leuitas verò Aëris ex combinatione remissi caloris, & remissæ humiditatis: similiter grauitas Terræ procedit ex combinatione summi frigoris, & remissæ siccitatis: grauitas verò Aquæ ex combinatione summæ humiditatis, & remissi frigoris: ergo specie inter se differunt.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos plures sequuntur Philosophi, vt Ruuius in præsenti.

Conclvsio.

Cùm qualitates, à quibus procedunt leuitas Ignis, & leuitas Aëris, similiter grauitas Terræ, & grauitas Aquæ, sint eiusdem speciei, sicut & motus, quorum sunt principia, ipsæ leuitates & grauitates non differunt specie.

Respondeo dicendum, quòd grauitas & leuitas Elementorum sunt qualitates specie infimâ distinctæ 1. vnde leuitas Ignis & leuitas Aëris, sicut grauitas Terræ & grauitas Aquæ non specie essentiali, sed accidentali tantùm differunt 3. imò grauitas aut leuitas mixtorum non distinguuntur specie à grauitate & leuitate Elementorum.

Probatur prima pars conclusionis, quòd scilicet grauitas & leuitas Elementorum sint qualitates specie distinctæ. (Quòd autem solâ specie infimâ, patebit ex secunda parte.) Motus sursum, qui procedit à leuitate, & motus deorsum, qui procedit à grauitate, sunt motus specie distincti, vt communiter docent Philosophi: quia specificantur à termino (ad quem,) constat autem, quòd locus sursum, & locus deorsum sunt specie distincti: ergo etiam grauitas & leuitas principia horum motuum sunt qualitates specie distinctæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. supra libro 1. lect. 4. vbi supponunt leuitatem, tam Ignis, quàm Aëris, & grauitatem tam Terræ, quàm Aquæ esse qualitates simplices, ex quo colligitur esse eiusdem speciei. Deinde leuitas tam Ignis, quàm Aëris procedit à calore, quamuis alteri primæ qualitati associato, à qua quasi modificatur, vnde procedit maior, vel minor leuitas: ita tamen vt per se solùm procedat à calore, cuius signum est, quia in Igne associatur calori siccitas, in Aëre verò humiditas, quæ cùm sint contrariæ qualitates, non possunt per se actiuè concurrere ad eumdem effectum: similiter grauitas tam Terræ, quàm Aquæ procedit à frigore, quamuis alteri primæ qualitati associato, ita tamen vt per se solùm procedat à frigore, quia associatur contrariis qualitatibus in Terra siccitati, in Aqua humiditati, quæ contrariæ qualitates non possunt per se actiuè concurrere ad eumdem effectum: sed calor Ignis & Aëris, est eiusdem speciei: sicut & frigus Terræ & Aquæ, vt docent communiter Philosophi, & patet, quia calor Ignis intendit calorem Aëris, & frigus Terræ intendit frigus Aquæ, quod non fieret, nisi essent eiusdem speciei: ergo & leuitas Ignis, & leuitas Aëris sunt eiusdem speciei: sicut & grauitas Terræ, & grauitas aquæ. Denique tam ignis, quàm Aër ratione leuitatis mouentur eodem modo, scilicet per lineam rectam, à medio siue sursum, ita vt non solùm Ignis petat tendere ad extremum locum, sed etiam Aër quantùm est possibile, vnde nisi ignis ratione maioris leuitatis illum occuparet, non quiesceret Aër, donec illuc perueniret: & similiter tam Terra, quàm Aqua ratione grauitatis mouentur eodem modo, id est, per lineam rectam ad medium, & centrum Mundi, siue deorsum, de Terra fatentur omnes, de Aqua experimur, quia semper in ima tendit: vnde nisi occuparetur centrum à Terra, illuc perueniret: & sic idem est specie motus vtriusque: sicut & motus Ignis & Aëris, cùm sit idem terminus (ad quem) & idem modus tendendi: ergo & qualitates principia horum motuum sunt eiusdem speciei essentialis, & differunt solùm accidentali, & communiter dictâ, vt duo vina.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Grauitas & leuitas mixtorum, licèt procedant ex mixtione primarum qualitatum, ipsæ tamen sunt simplices qualitates, ita vt si quando reperiantur simul, non constituant vnam tertiam qualitatem, sicut nec calor & frigus, sed remanent ambo in gradibus remissis: ergo grauitas & leuitas mixtorum non distinguuntur specie à grauitate & leuitate Elementorum, sicut nec calor, & aliæ primæ qualitates mixtorum à primis qualitatibus Elementorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles & D. Thom. primo loco vocant motus Aëris & Aquæ mixtos, quia licèt Aër iuxta suam naturam tendat sursum, tamen ingrossatus ex propinquitate Aquæ tendit deorsum: sed hoc est illi præter naturam: sicut econtra Aqua naturaliter tendit deorsum, sed attenuata tendit sursum: Ignis autem semper tendit sursum, & Terra deorsum, neque contrarium in se habent vnquam dispositionem, qua Ignis tendat deorsum, & Terra sursum; sed hoc solùm habent ex impulsu. In secundo autem loco solùm intelligunt quòd Aër non sit summè leuis, & ita

ita comparatus Igni videtur habere grauitatem, quamuis tamen nullam habeat: & similiter quòd Aqua non sit summè grauis, & ita comparata Terræ videtur habere leuitatem, quamuis nullam habeat.

Ad secundum dicendum, quòd Ignis & Aër ex vna parte tendunt ad eumdem locum, & eodem modo, sicut etiam ex alia parte Terra & Aqua, vt dictum est. Ad locum Philosophi respondet D. Thom. quòd intelligit de Aëre incrassato, nam ibidem dicit quòd tendit deorsum: non tamen Aër & Aqua sunt violenter, quia non perueniunt ad locum, ad quem possent peruenire, sufficit quòd accedant quantùm possunt, quia ordo naturæ petit, quòd grauissimum sit omnino in medio, & leuissimum omnino in extremo: vnde posito leuissimo & grauissimo, media tantùm loca debentur mediis Elementis.

Ad tertium dicendum, quòd leuitas per se solùm procedit à calore, & grauitas à frigore, vt dictum est: idem est autem in specie calor, & idem frigus, in quocumque Elemento reperiantur.

Articvlvs III.

Vtrùm Elementa in propriis locis habeant grauitatem aut leuitatem?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd quamuis Elementa extrema, scilicet Ignis, & Terra non habeant grauitatem & leuitatem in propriis locis, illam tamen habeant Elementa media, Aer & Aqua. Probatur authoritate Philosophi 3. de Cœlo. Textu 28. vbi dicit, quòd Aër & Aqua sunt necessaria in motu proiectorum, quia habent naturam grauis & leuis, per quam possunt deorsum & sursum faciliter moueri: ergo hæc Elementa in propriis locis retinent grauitatem & leuitatem.

§ 2. Præterea, Grauitas & leuitas sunt ad instar proprietatis Elementorum, consequuntur enim ad eorum naturalem dispositionem, quæ cùm perseueret, imò perficiatur in proprio loco, etiam grauitas & leuitas: ergo habent ibi etiam proprium actum inclinandi sursum & deorsum, alioquin essent frustra.

§ 3. Præterea, Elementa media habent appetitum innatum ad loca extremorum, vt ipsâ constat experientia: videmus enim quòd effossâ Terrâ semper Aqua descendit, ac proinde sunt in statu violento in locis mediis sibi propriis: ergo ibi habent grauitatem & leuitatem.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. in hoc libro, quos communiter sequuntur Philosophi, vt Conimbricéses, Ruuius, & alij in præsenti.

Conclvsio.

Cùm omnia in suo naturali loco quiescant, & videamus quòd Aqua cedat Terra descendenti, & Aer Igni ascendenti, dicendum quòd Elementa in propriis locis non habent grauitatem & leuitatem.

Respondeo dicendum, quòd omnia Elementa habent quidem in propriis locis habitualem suam grauitatem & leuitatem. 2. non tamen Elementa extrema ibi grauitant & leuitant, siue non habent actum & exercitium grauitatis & leuitatis. 3. media verò si non subsideat grauius, aut supereminineat leuius, grauitant & leuitant. 4. non autem si subsideat grauius, aut supereminneat leuius.

Probatur prima pars conclusionis. Grauitas & leuitas sunt quasi proprietates Elementorum consequentes ad eorum naturalem dispositionem, siue ad combinationem primarum qualitatum: ergo debent perseuerare dum Elementa sunt in propriis locis, maximè quia non sunt perfectè connaturaliter, nisi in proprio loco. Deinde eadem virtute aliquid quiescit in loco naturali, qua ad illum mouetur: constat autem quòd Elementa per grauitatem & leuitatem mouentur ad sua loca naturalia: ergo per easdem in iis locis quiescunt. Denique possunt extrahi à propriis locis: ergo debent habere in illis grauitatem & leuitatem, quibus ad eadem loca se restituant, aliàs natura deficeret in necessariis.

Probatur secunda pars conclusionis. Ignis non habet quò vltra ascendat, nec Terra quò vltra descendat, cùm fuerint in propriis locis: sed Ignis & Terra sunt Elementa extrema: ergo Elementa extrema non grauitant aut leuitant in propriis locis, siue non habent actum & exercitium grauitatis & leuitatis, alioquin talis actus esset superfluus.

Probatur tertia pars conclusionis euidenti & quotidianâ experientiâ: nam si subtrahatur terra, aqua statim descendit, & descenderet vsque ad Centrum, si illuc vsque Terra submoueretur, quod proportionaliter dicendum de ascensu puri Aëris submoto Igne: ergo media Elementa, si non subsideat grauius, aut supereminneat leuius, grauitant & leuitant.

Probatur quarta pars conclusionis. Elementa media, si subsideat grauius, aut supereemineat leuius, sunt in propriis locis: nam ordo naturalis exigit, quòd grauiora sint inferiora in vniuerso, & leuiora sint superiora: sed quodlibet naturaliter quiescit in proprio loco, nec petit exire: ergo media Elementa non grauitant & leuitant, si subsideat grauius, aut supereemineat leuius. Deinde videmus, quòd Terræ descendenti cedit Aqua, & Igni ascendenti, Aër: ergo signum est quòd non mouentur ad superiorem, aut inferiorem locum, sed quiescunt in suis, si subsideat grauius, aut supereemineat leuius. Denique vt refert D. Thom. ex Ptolomæo, experimur quòd etiamsi immergamur ad summam profunditatem Aquæ, non sentimus eius grauitatem: ergo signum est quòd Aqua non grauitat, dum habet Terram sub se grauiorem.

Ad primum ergo dicendum, quòd verum est Aquam habere naturam grauis, & Aërem naturam leuis, quia verò vtrumque habet grauitatem ut leuitatem moderatam, dicuntur habere simul grauitatem & leuitatem, non tamen grauitant aut leuitant: quia verò hanc grauitatem aut leuitatem moderatam consequitur subtilitas & raritas, quæ sunt necessariæ ad motum, propterea Philosophus dixit quòd Aër & Aqua sunt necessaria in motu proiectorum, quia habent naturam grauis & leuis, id est, subtilis & rari, per quam proiecta possunt sursum & deorsum moueri.

Ad secundum dicendum, quòd grauitas & leuitas non solùm sunt id, quo grauia & leuia tendunt ad sua loca, sed etiam, quo in iisdem sunt & quiescunt, vnde non sunt frustra, maximè quia deseruiunt ad acquirendum de nouo locum, si ab eo extraherentur.

Ad tertium dicendum, quòd Elementa media non habent simpliciter appetitum ad medium locum, siue Centrum, & ad extremum, sed accedendi ad illa quantùm est possibile, vnde non sunt in statu violento, licèt non pertingant: alioquin etiam Terræ partes, quæ non sunt immediatè in Centro, & partes inferiores Ignis Elementaris essent in statu violento.

Articvlvs IV.

Vtrùm motus naturalis Elementorum sit velocior in fine?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd motus naturalis Elementorum non sit velocior in fine. Probatur. Omnis motus, qui est ab extrinseco, est velocior in principio, quàm in fine, vt docet Philosophus 2. de Cœlo, textu 35. & constat in lapide proiecto: sed motus naturalis grauium & leuium est ab extrinseco, scilicet à generante: ergo est velocior in principio, quàm in fine.

§ 2. Præterea, Non est assignabilis ratio huius maioris velocitatis motûs Elementorum in fine, non ex parte principij, cùm sit eadem grauitas & leuitas, nec ex parte termini, cùm se habeat solùm vt recipiens, & non vt attrahens: ergo motus naturalis Elementorum non est velocior in fine.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis & D. Thom. quos communiter sequuntur Philosophi, ipsáque docet experientia.

CONCLVSIO.

Cum ex propinquitate ad proprium locum confortetur grauitas & leuitas Elementorum, eorum motus naturalis est velocior in fine.

RESPONDEO dicendum, quòd motus naturalis Elementorum est velocior in fine. Ita Aristoteles, & D.Th. libro 1. de Cœlo lect. 17. vbi sic ait, *Terra quantò magis appropinquat ad medium, velociùs fertur: & eadem ratio est de Igne, quòd motus tùm intantum est velocior, quantò magis appropinquat ad locum sursum: & hoc docet experientia, maximè de Terra: videmus enim quòd maiori conatu fertur in fine, nam ibi magis impellit, imò effringit quod in principio non impelleret, si occurreret.*

Probatur duplici ratione D. Thom. & Aristotelis, quarum prima sic habetur loco citato. Quantò corpus graue magis descendit, tantò magis confortatur grauitas eius, propter propinquitatem ad proprium locum: & ideo augmentatur. quod via contraria potest appropriari corpori leui: cuius ratio est, quia locus naturalis habet qualitates conseruatiuas, & confortatiuas locati; vnde quò locatum ad illum magis appropinquat, magis confortatur & conseruatur: sed quò magis confortatur & augetur grauitas & leuitas, eò fit velocior motus sursum & deorsum: ergo motus naturalis Elementorum est velocior in fine.

Secunda est. Cùm Aër prope terram existens, ab Aquæ & Terræ frigiditate incrassatus sit grauis, naturaliter descendit deorsum, & per consequens auget grauitatem corporis grauis descendentis, & eò magis, quo plus Aëris descendit post corpus graue ad impediendum vacuum, quod suo transitu per medium causaret: quod contingit, quando graue magis ab eminenti loco descendit: sed aucta grauitate motus deorsum est velocior: ergo motus naturalis Elementorum est velocior in fine: quæ ratio proportione seruata potest applicari motui leuium, nam Aër subsequens ad impediendum vacuum impellit, & sic magis ac magis augetur impulsus, & intenditur motus.

AD primum ergo dicendum, quòd Philosophus loquitur de motu qui est omnino ab extrinseco, qualis est motus violentus proiectorum, qui immediatè imprimitur à proiiciente sic autem non est motus naturalis Elementorum, quia licèt sit à generante, non tamen immediatè, sed in quantum causat in illis intrinsecum principium motûs, scilicet grauitatem aut leuitatem.

AD secundum patet ex dictis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Elementa, præter motum rectum naturalem, moueantur circulariter ad motum Cœlorum?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd Elementa, præter motum rectum naturalem, non moueantur circulariter ad motum Cœlorum. Probatur. Idem corpus simplex non potest moueri pluribus motibus, vt docet Aristoteles: ergo cùm Elementa habeant motum rectum sibi naturalem, non mouentur circulariter ad motum Cœlorum.

§ 2. Præterea, Vel omnia Elementa mouentur circulariter ad motum Cœlorum, vel tantùm Cœlis proximiora: non omnia, quia constat Terram in suo loco esse omnino immobilem: non Cœlis proximiora, scilicet Ignis & Aër, quia cùm fiot naturæ fluidæ, non possunt recipere motionem cœlestem: ergo Elementa præter motum rectum naturalem, non mouentur circulariter ad motum Cœlorum.

§ 3. Præterea, Vel mouentur oppositis motibus omnium Cœlorum, vel motu solùm alicuius Cœli, putà primi mobilis: non primum, quia est impossibile idem moueri tot motibus contrariis: nec secundum, cùm non sit maior ratio cur vno potiùs motu moueantur, quàm aliis: ergo Elementa non mouentur circulariter ad motum Cœlorum.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur communiter Philosophi, & comprobat experientia.

CONCLVSIO.

Cùm in corporibus essentialiter subordinatis inferiora regantur, & moueantur à superioribus, Elementa præter motum rectum naturalem, mouentur circulariter ad motum Cœlorum.

RESPONDEO dicendum, quòd quamuis Terra sit omnino immota 1. alia tamen Elementa mouentur ad motum Cœlorum: Ignis quidem, & suprema pars Aëris perfectè circulariter ab Orto ad Occasum 3. Aqua verò mouetur huc illuc iuxta diuersos siderum aspectus, & influentias.

Probatur secunda pars conclusionis (prima enim probabitur articulo sequenti) authoritate D.Thom. supra lib. 2. lect. 10. vbi sic ait: *Corpora propinquiora Cœlo, scilicet Ignis, & superior Aëris pars, quæ circumferuntur secundùm motum Cœli, sunt calidiora.* Idem docet in 2. d.14. q. 1. artic. 5. ad 4. probans ratione sic, corpora inferiora præter motus proprios, sequuntur quodammodo motum superiorum; & quantò corpus inferius est perfectius, tantò magis consequitur de motu superiorum; quod patet ex hoc, quòd in corporibus cœlestibus Orbis inferior præter motum proprium, retinet motum superioris Orbis, quo defertur: ita etiam est in Elementis, quòd ex motu corporum cœlestium aliquid consequuntur de motu circulari, præter motus proprios naturales, quod euidentissimè apparet in refluxu maris, qui sequitur motum Lunæ: non tamen hoc fit per motum violentum, quia dicit Commentator in 4. Cœli, quòd motus quibus Elementa sequuntur impressiones corporum cœlestium, non sunt violenti, cùm sint secundùm naturalem ordinem corporum, quòd inferiora superiorum impressionem sequantur, & tantò plus, quantò perfectius fuerit in natura corpus inferius. Deinde videmus quòd Cometæ geniti in suprema regione Aëris mouentur circulariter: ergo signum est quòd mouetur illa suprema pars Aëris circulariter ad motum Cœlorum, cùm ad motum Aëris moueantur Cometæ, ac proinde etiam Ignis propinquior Cœlo. Tertia pars conclusionis satis patet ex prædicta authoritate D.Thom. quam nullus negat.

AD primum ergo dicendum, quòd idem corpus simplex non potest moueri pluribus motibus per se, bene tamen vno per se, aliis verò per accidens, vt contingit in præsenti, nam Elementa per se solùm mouentur motu recto, per accidens verò, siue ratione alterius, motu circulari.

AD secundum dicendum, quòd fluiditas Elementorum non impedit, quòd absolutè non moueantur à Cœlo, bene tamen, quòd non tam celeriter, & vtrumque apparet in motu Cometarum.

AD tertium dicendum, quòd Elementa participant aliquid de omnibus motibus Cœlorum Concentricorum, magis tamen de motu primi mobilis, cùm sit efficacior, quia primus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Terra moueatur naturaliter motu circulari ab Occasu ad Ortum?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd Terra moueatur naturaliter motu circulari ab Occasu ad Ortum. Ita tenuerunt aliqui antiqui Philosophi, & de nouo Nicolaus Copernicus, & alij Mathematici. Probatur. Cœlum vel Terra mouetur, vt demonstrat successiua præsentia & absentia Solis, aliorúmque siderum: ergo cùm moueri sit quid imperfectius, stare autem perfectius, stare conuenict Cœlo perfectiori, moueri autem Terræ imperfectiori.

§ 2. Præterea, Experientiâ constat Terram continuè & sensim sub mare tendere, nam Columnæ Herculis, quæ alio tempore erant solùm in littore maris, nunc sunt intra

aa mare per multa milliaria : ergo Terra mouetur naturaliter motu circulari.

§ 3. Præterea, Multæ apparentiæ in Astris non possunt saluari sine motu circulari Terræ, vt quòd aliqui Planetæ modò maiores, modò minores videantur : hoc enim prouenit ex maiori, vel minori eorum distantia à Terra, quæ saluatur cum motu Terræ, non verò sine tali motu : ergo Terra mouetur naturaliter motu circulari ab Occasu ad Ortum : cùm enim Astra videantur moueri ab Orto ad Occasum, sequitur quòd Terra in contrariam partem moueatur.

Sed contra est authoritas sacræ Scripturæ, declaratio Pauli V. summi Pontificis, sententia Aristotelis, & communis fere omnium Philosophorum consensus.

CONCLVSIO.

Terra non mouetur motu circulari ab Occasu de Ortum.

Respondeo dicendum, quòd nunc absque aliqua censura dici non potest, quòd Terra moueatur naturaliter motu circulari ab Occasu ad Ortum 2. nec tota mouetur motu recto 3. imò nec est mobilis ab alio, quàm à Deo, vel virtute diuina.

Probatur prima pars conclusionis authoritate sacræ Scripturæ. Ecclesiastæ 1. *Terra autem in æternum stat* Paralip. *Deus fundauit Orbem* (id est Terræ) *immobilem.* Psalmo 74. *Ego confirmaui columnas eius* (id est Terra) Psalmo 92. *Firmauit Orbem Terræ, qui non commouebitur.* Psalmo 103. *Qui fundasti Terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi:* Quæ loca excludunt omnem motum à tota Terra, & intelligenda esse, vt sonant, declarauit Paulus V. damnans contrariam opinionem tanquam Scripturis repugnantem ; & magis confirmatur ex aliis locis supra adductis, quæ dicunt Cœlum moueri.

Secundò, probatur multiplici ratione. Vni corpori simplici vnus tantùm conuenit motus : sed Terra est corpus simplex, & conuenit ei motus rectus ad medium, si per impossibile ab illo abstraheretur ab aliquo agente naturali ; idem enim est motus partis, & totius : constat autem partes Terræ moueri ad medium. Deinde, si Terra circulariter moueretur, non autem Cœli, perpetuò inter Astra idem situs, ordo, & distantia videretur, vt patet, ipsa enim immota permanerent, sicut & Cœli, cuius tamen contrarium quotidie experimur, Planetæ namque inter se, & correspondenter ad Astra fixa variant situm, ordinem, ac distantiam, quod etiam rusticis patet in Sole, & Luna. Denique, si Terra circulariter moueretur ab Occasu ad Ortum, vel raperet suo moto Aërem inferiorem, ita vt eodem motu moueretur, vel non : si dicatur primum, sequeretur quòd aues volantes ad Occasum retardarentur, & vim paterentur ab Aëre moto, sicut de facto videmus retardari, & vim pati, dum flat ventus, & impellit Aërem in contrarium : videmus tamen quòd aues æquè celeriter, & liberè volant ad Occasum, ac ad Ortum, imò nos tendentes versùs Occasum sentiremus, ac experiremur hunc Aëris motum, vt pote velocissimum, ac rapidissimum, vnde cum illo, & ab illo raperemur : experimur tamen contrarium, nam æquè celeriter tendimus ad Occidentem, ac ad Orientem. Si dicatur secundum, sequeretur quòd dum proiicitur lapis sursum, caderet multis leucis longè à proiiciente, nam tempore quo lapis ascendit & descendit, Terra conficit multas leucas, cùm ex aduersariis vno die naturali faciat integrum circuitum, cuius contrarium experimur : ergo Terra non mouetur motu circulari. Videantur aliæ rationes apud Mathematicos.

Probatur secunda pars conclusionis, tum prædictis authoritatibus sacræ Scripturæ, quæ omnem motum à Terra secundùm se totam excludunt, tum specialiter duplici loco, Psalmo 74. *Ego confirmaui columnas eius* (id est Terræ.) Iob 38. *Vbi eras quando ponebam fundamenta Terræ? indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?* Deinde nullum corpus mouetur, dum est in suo loco naturali, imò mouetur donec illum acquirat, & illo acquisito quiescit, quia omnis res naturaliter appetit sui conseruationem, in loco autem naturali habet qualitates conseruatiuas, quas alibi non habet: ergo cùm Terra ab ipsa sua creatione sit in suo loco naturali, videlicet in centro Mundi, vt pote corpus grauissimum, non mouetur tota motu recto, maximè quia non habet quò tenderet, nisi recederet à medio, quod est contra eius naturam.

Probatur tertia pars conclusionis. Nulla creatura potest notabiliter immutare ordinem vniuersi, hoc enim pertinet ad authorem, qui ex eo quòd eam condidit, reseruauit sibi dominium eam immutandi, & præter, supra, imò contra eius leges agendi : sed si moueretur Terra tota aliquo ex prædictis motibus, notabiliter immutaretur Ordo Vniuersi, vt patet : ergo tota Terra non est mobilis ab alio, quàm à Deo, vel virtute diuina : licèt enim Angeli habeant virtutem, qua Terram mouere possint, cùm moueant Cœlos multò maiores, non tamen aliquid possunt sine concursu Dei, quem non communicat contra ordinem vniuersi, si sermo sit de concursu generali.

Ad primum ergo dicendum, vt supra, quòd quamuis Terra non moueatur, potest tamen moueri, & Cœli qui mouentur, possunt quiescere, & de facto aliquando quiescent : vnde in hoc Terra non excedit perfectione Cœlos.

Ad secundum dicendum, quòd falsum est Terram sensim, & continuò sub mare tendere, sed potiùs mare recedit ab aliquibus Terris, & alias inundat.

Ad tertium dicendum, vt supra, quòd illa maior, vel minor distantia Planetarum à Terra, non prouenit ex motu circulari Terræ, sed ex eorum eleuatione & depressione in Excentricis & Epiciclis.

Mundus in præsenti figura delineatus constat tanquam principalioribus partibus, Cœlis, & Elementis : Elementa sunt quatuor, videlicet Terra, Aqua, Aër, Ignis : Cœli secundùm Aristotelem sunt tantùm octo, scilicet septem Planetarum, & Firmamentum, quod vocat primum mobile; secundùm Ptolomeum sunt nouem; nam supra Firmamentum posuit aliud, quod vocat primum mobile ; hanc opinionem, superaddito tamen Cœlo Empyreo sequitur D. Thom. vt pote communiorem suo sæculo : secundùm Alphonsum sunt decem Cœli mobiles, nam supra Firmamentum, & infra primum mobile ponit Cœlum Aqueum, siue Chrystallinum ; vt Christianus autem admittit vndecimum immobile, scilicet Empyreum : secundùm recentiores aliquos sunt vndecim mobiles, ponunt enim duos Chrystallinos contiguos inter primum mobile & Firmamentum.

Elementa & Cœli sunt figuræ rotundæ, sola est difficultas de Cœlo Empyreo quantùm ad superficiem conuexam, quam aliqui dicunt esse quadratam, vt in figura exprimitur, alij ponunt etiam rotundam, vt ita totus Mundus sit perfectus Orbis.

Quodlibet

Quodlibet Cœlum totale, ſiue orbis quilibet Planetarum continet plures partiales, nam ſunt duo extremi, quorum maior, & exterior ſecundùm ſuperficiem conuexam eſt Concentricus Terræ, Excentricus ſecundùm concauam: minor autem, & interior eſt Concentricus Terræ ſecundùm ſuperficiem concauam, Excentricus ſecundùm conuexam: & ita Cœlum totale eſt Concentricum Terræ, quia duæ ſuperficies ipſius extremæ ſunt illi Concentricæ: et etiam orbis partialis dictus deferens, quia affixum ſibi Aſtrum defert, & eſt medius inter extremos, ſimpliciter Excentricus Terræ, id eſt, ſecundùm vtramque ſuperficiem. Præter hos orbes partiales in aliis Cœlis Planetarum (excepto Sole) ſont Epicicli affixi orbibus deferentibus, in quibus eſt ipſum Aſtrum: orbes autem, ſiue Cœli partiales Excentrici Terræ, proprium habent Centrum.

Ex Terra, & Aqua fit vnus Globus, cuius ambitus continet milliaria ex Ariſtotele —— 50000
Ex Ptolomeo —— 22500
Ex Recentioribus —— 19080
Diameter verò ex Ariſtotele —— 15909 $\frac{1}{11}$
Ex Ptolomeo —— 7159 $\frac{1}{11}$
Ex Recentioribus —— 6070 $\frac{1}{11}$
Profunditas Aëris à loco, vbi generantur Cometæ vſque ad ſuperficiem Terræ continet circiter milliaria —— 52
Superficies conuexa Aëris, & concaua Ignis continet circumſerentiæ milliaria —— 22823 [illegible]
Profunditas Ignis à concauo Lunæ vſque ad locum Cometarum continet milliaria —— 12578
Ambitus concaui Lunæ continet milliaria —— 58250
Ambitus conuexi Lunæ, & concaui Mercurij — 443750
Ambitus conuexi Mercurij, & concaui Veneris — 3772500
Ambitus conuexi Veneris, & concaui Solis — 25230375
Ambitus conuexi Solis, & concaui Martis — 27361875
Ambitus conuexi Martis, & concaui Iouis — 199209375
Ambitus conuexi Iouis, & concaui Saturni — 323512500
Ambitus conuexi Saturni, & concaui Firmamenti 508781250
Ambitus conuexi Firmamenti —— 1017562500

Spiſſitas, ſiue craſſitudo Cœlorum.

Cœli Lunæ continet milliaria —— 109056 $\frac{6}{11}$
Cœli Mercurij —— 370479 $\frac{11}{14}$
Cœli Veneris —— 3413755 $\frac{19}{66}$
Cœli Solis —— 339102 $\frac{1}{4}$
Cœli Martis —— 27339375
Cœli Iouis —— 19775497 $\frac{9}{14}$
Cœli Saturni —— 29474573 $\frac{19}{22}$
Firmamenti —— 80942471 $\frac{27}{50}$

Superiorum Cœlorum neſcitur ambitus, Craſſitudo, & diſtantia à Terra, quia carent Aſtris, ex quibus iſta colliguntur.

Diſtantia Cœlorum à ſuperficie Terræ facilè colligetur, ſi aſſumatur profunditas Aëris, & Ignis, ac craſſitudo inferiorum Cœlorum: vnde diſtantia Cœli Lunæ à Terra pertingit ad milliaria 120630. & ſic de aliis.

Omnes Stellæ viſibiles Firmamenti ſunt —— 1022
Primæ magnitudinis —— 15
Secundæ magnitudinis —— 45
Tertiæ magnitudinis —— 208
Quartæ magnitudinis —— 474
Quintæ magnitudinis —— 217
Sextæ magnitudinis —— 49
Obſcuriores incertæ magnitudinis —— 9
Nubiloſæ incertæ magnitudinis —— 5
Quæuis Stella primæ magnitudinis continet magnitudinem Terræ vicibus —— 107 $\frac{1}{4}$
Quæuis Stella ſecundæ magnitudinis continet magnitudinem Terræ vicibus —— 90 $\frac{1}{8}$
Quæuis Stella Tertiæ magnitudinis continet magnitudinem Terræ vicibus —— 72 $\frac{8}{11}$
Quæuis Stella quartæ magnitudinis continet magnitudinem Terræ vicibus —— 54 $\frac{1}{2}$
Quæuis Stella quintæ magnitudinis continet magnitudinem Terræ vicibus —— 36 $\frac{1}{8}$
Quæuis Stella ſextæ magnitudinis continet magnitudinem Terræ vicibus —— 18 $\frac{1}{6}$
Planeta Saturni continet magnitudinem Terræ vicibus —— 91 $\frac{1}{2}$
Planeta Iouis continet vicibus —— 95 $\frac{1}{2}$
Planeta Martis continet vicibus —— 1 $\frac{1}{2}$
Sol continet magnitudinem Terræ vicibus —— 166 $\frac{3}{8}$
Terra continet magnitudinem Planetæ Veneris vicibus —— 73 $\frac{5}{17}$
Terra continet magnitudinem Planetæ Mercurij vicibus —— 21952
Terra continet magnitudinem Lunæ vicibus —— 39 $\frac{6}{8}$

Secundùm veteres, conſtellationes ſunt 48. Duodecim in Zodiaco. 21. verſùs Boream. 15. verſùs Auſtrum: exprimuntur verò his verſibus.

Inſunt Signifero bis ſex cœleſtia ſigna,
Súntque Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Ab Boream verò ter ſeptem conſpiciuntur,
Vrſa Minor, Maior, cuſtos, Draco, Gemma, Genúque
Prolapſus, Lyra, Olor, Cepheus, & Caſſiopeia,
Perſeus, Andromede, Deltotum, Auriga, Caballus,
Rictus equi, Delphin, Telum, hioc Aquila, Anguifer, Anguis.

Deinde conuerti ter quinque notantur ad Auſtrum:
Cetus, & Eridanus, Lepos, & nimboſos Orion,
Sirius, & Proeyon, Argo ratis, Hydráque, Crater,
Coruus, Centaurus, Lupus, Ara, Coronáque, Piſcis.

Quia verò his temporibus nauigando verſùs Auſtrum detectæ ſunt nouæ Stellæ, iam recentiores per duodecim Conſtellationes diſtinxerunt illas, & ſunt

Phœnix, Crux, Indus, Xiphias, Pauo, Anſer, & Hydrus,
Paſſer, Apus, Triquetrum, Muſca, Chaméque, Leon.

LIBER

LIBER PRIMVS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

Summma Textûs.

DIVIDIT Philoſophus hunc Tractatum in duos libros. In quorum primo contiñentur ſex præcipua partes: agitur enim de generatione & corruptione. De alteratione. De nutritione. De augmentatione & diminutione. De actione, reactione, & contactu corporum, quæ ad prædictos motus requiruntur: & tandem de mixtione. Continet hic liber decem capita: in quinque primis oſtendit dari generationem ſubſtantialem, qua mediante res naturales ſecundùm ſubſtantiam de nouo producuntur, explicat quæ ſit quidditas illius, & in quo ab alteratione, & aliis motibus differat: vnde in 1. capite refert Ariſtoteles antiquorum ſententias de generatione & alteratione, quæ opiniones ſunt illæ, quæ referuntur in Phyſicis circa principia rerum naturalium. In 2. has opiniones conuincit falſitatis, & ſubdit Platonis propoſitionem Democriti poſitione minùs eſſe idoneam. In 3. quærit an detur generatio ſimpliciter, ſiue ſubſtantialis: reſpondet affirmatiuè oſtendendo perpetuitatem generationis oriri, ex eo quòd generatio vnius eſt corruptio alterius. In 4. explicans naturam generationis & corruptionis concludit eſſe tranſmutationes diuerſas. In 5. agit de augmentatione & diminutione, oſtendens quomodo ab aliis motibus diſtinguantur. In quinque aliis capitibus, vt oſtendat quæ ſit natura alterationis corruptiua, de qua hîc præcipuè agitur, differit de agente & patiente prædictam mutationem, & de aliis conditionibus ad id requiſitis: vnde in 6. capite oſtendit quomodo debeant eſſe ſimul. In 7. dicit agens & patiens nec eſſe omnino ſimilia, nec omnino diſſimilia, ſed ſecundùm genus, & commune ſubiectum, circa quod inter ſe pugnant, habere ſimilitudinem, ſecundùm formas autem ſpecificas diſſimilitudinem, & tandem exponit quomodo agens agendo repatiatur. In 8. reiecit opinionibus antiquorum circa modum agendi & patiendi corporum naturalium, explicat illum ex propria ſententia. In 9. affert conditiones requiſitas ad agens & paſſum. Prima eſt quòd agens vt ſic eſt in actu, & paſſum vt ſic in potentia. Secunda, agens & paſſum mediatè, vel immediatè debent ſe tangere. Tertia agens & paſſum vt ſic non ſunt continua. Quarta, debent eſſe in debita diſtantia, ſcilicet paſſum intra ſphæram actiuitatis agentis. Tandem in vltimo capite agit de mixtione, quæ eſt quædam generatio, & ex notitia illius meliùs deuenitur in cognitionem generationis, de qua eſt hîc principalis cura.

QVÆSTIO IX.

De generatione ſubſtantiali.

QVIA Generatio ſimpliciter, ſiue ſubſtantialis eſt principalis mutatio, de qua hîc agitur, & ad quam aliæ ordinantur, ideo de illa primo loco agendum eſt, circa quam quæruntur ſeptem.

¶ Primò, Vtrùm generatio ſubſtantialis ſit poſſibilis?

¶ Secundò, Vtrùm generatio ſubſtantialis ſit actio diſtincta à tota alteratione præcedente?

¶ Tertiò, Vtrùm generatio ſubſtantialis ſit eſſentialiter mutatio?

¶ Quartò, Quid ſit terminus generationis ſubſtantialis?

¶ Quintò, Quodnam ſit ſubiectum generationis ſubſtantialis?

¶ Sextò, Vtrùm materia prima denudata omni accidente ſit immediatum ſubiectum generationis ſubſtantialis?

¶ Septimò, Vtrùm accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti diſponant materiam ad generationem?

ARTICVLVS I.

Vtrùm generatio ſubſtantialis ſit poſſibilis?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd generatio ſubſtantialis non ſit poſſibilis. Ita tenuerunt quidam antiqui Philoſophi, quos cap. 3. citat Ariſtoteles. Probatur. Si generatio ſubſtantialis eſſet poſſibilis, deberet fieri ex non ente, quia quodlibet ſit ex ſuo contrario; per generationem verò ſubſtantialem fieret ens ſimpliciter, & ſic ex non ente: ſed ex non ente, ſiue ex nihilo nihil ſit naturaliter: ergo generatio ſubſtantialis non eſt poſſibilis: maximè quia id, ex quo generatur aliud, poteſt dici illud, quod ex eo generatum eſt: ſicut poteſt dici quòd lignum ex quo ſit arca, eſt arca: ſic ſi ex non ente generaretur ſimpliciter ens, poſſet dici quòd non ens eſt ens, quod implicat.

¶ 2. Præterea, Si ſit poſſibilis generatio ſubſtantialis ſequitur quòd genitum, & corruptum eſſent ſubſtantialiter idem numero, nam cùm generatio ſubſtantialis ſit tranſmutatio, debet habere idem ſubiectum numero manens ſub vtroque termino, ſcilicet ſub forma geniti, & corrupti, ac proinde hæc duo eſſent idem numero: nam quæ habent eamdem numero materiam, ſunt idem numero: ſed eſt impoſſibile quòd genitum, & corruptum

ſint

sint substantialiter idem numero, vt patet: ergo generatio substantialis non est possibilis.

§ 3. Præterea, Si est possibilis generatio substantialis, sequitur quòd eadem numero materia prima, modò sit vnius speciei, modò alterius: nam cùm debeat specificari à forma, si est possibilis generatio substantialis, mutaret formas, ac proinde specificationes: sed est impossibile quod aliquid modò sit vnius, modò alterius speciei: ergo generatio substantialis non est possibilis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis hîc cap. 3. & D. Thom. quos sequuntur omnes Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm omne viuens perfectum habeat appetitum naturalem ad generandum sibi simile, & detur alteratio corruptiua, generatio substantialis est possibilis.

Respondeo dicendum, quòd generatio substantialis est possibilis 2. quæ est generatio simpliciter 3. quædam tamen est perfecta, alia verò imperfecta.

Probatur prima pars conclusionis ex his, quæ dicta sunt in Physicis, tum de principiis entis naturalis, tum de eductione formæ substantialis è potentia materiæ, quæ eductio est vera generatio: imò omnia quæ dicta sunt in 1. Physicorum, hoc efficaciter probant. Deinde, omne viuens perfectum habet naturalem appetitum ad generandum sibi simile, quia naturaliter appetit perpetuitatem in suo esse, quam cùm non possit habere in se, cùm sit corruptibile, appetit eam consequi in suo simili, & quod est pars sui, vt ita se conseruet meliori quo potest modo: ergo generatio substantialis est possibilis, alias appetitus naturalis esset frustra, quia non posset acquiri, quòd appetit, hoc enim frustra dicitur, quod finem suum non potest obtinere, saltem in aliquo indiuiduo: constat autem quòd appetitus naturalis, siue consequens naturam non potest esse frustra, cùm sit ab authore naturæ ad conseruationem eiusdem naturæ: sicut enim non deficit in simpliciter necessariis, sic nec agit superfluè, aut frustra, hæc enim arguunt imperfectionem: si enim vir sapiens in dedecus reputet, frustra & in vanum operari, quantò magis Deus sapientia ipsa, qui est author naturæ. Hæc ratio est Aristotelis, & D. Th. 2. de anima textu 34. quæ confirmatur experientiâ: nam videmus viuentia perfecta ita ferri ad producendum sibi simile, vt generatio iudicetur naturalissima inter omnes operationes ipsorum.

Secundò, quotidie experimur aliqua corrumpi & generari, imò hæc omnia sublunaria sunt obnoxia ortui & interitui, vt videmus & palpamus ex ipsis proprietatibus & operationibus in homine moriente: videmus enim quòd exercet operationes vitales, & quòd habet aliquas proprietates, quæ statim desinunt & pereunt, ac loco ipsarum aduertimus nouas proprietates in cadauere: ergo cùm proprietates manifestent essentiam, vt pote in illa radicatæ, & ei proportionatæ, necessariò fatendum est ibi esse diuersam essentiam, & sic priorem esse corruptam, & posteriorem genitam: quod fit per desitionem præcedentis formæ substantialis à materia, & introductionem subsequentis.

Tertiò, est possibilis alteratio, vt constat experientiâ: videmus enim aquam alterari per calefactionem ignis: ergo etiam est possibilis generatio substantialis: nam cùm alteratio corruptiua per se ordinetur ad generationem substantialem, tanquam ad finem connaturalem, non erit ipsa possibilis, si generatio substantialis sit impossibilis: nam quoties finis repugnat, toties media ad illum per se ordinata sunt impossibilia, aliàs essent frustra, vt patet; & ideò hæc valent: si finis est impossibilis, media ad illum sunt impossibilia: si media sunt possibilia, finis quoque est possibilis, saltem quando, vbi, & in quo debet acquiri. Circa hanc tamen rationem aduertendum est, quòd procedit de alteratione non perfectiua, qualis est illuminatio, & diffusio specierum intentionalium, quæ cùm procedat à corpore, prout attingit ordinem substantiarum separatarum, & participet aliquid de modo ipsarum, cùm infimum supremi attingatur à supremo infimi, ideo vt ait D. Th. q. 5. de potentia art. 8. non infert transmutationem substantialem materiæ ex vi sua, sed procedit de alteratione Physica & corruptiua, saltem si fiat per primas qualitates immediatè: nam per hanc alterationem corrumpuntur dispositiones conseruantes formam substantialem, illis autem pereuntibus hæc perit, cùm forma non possit esse sine propriis dispositionibus: & ideo mediante tali alteratione generatur noua forma proportionata dispositionibus introductis per alterationem, quia dispositiones disponunt, inclinant, & determinant materiã ad talem formam, & sic talis alteratio per se tendit ad generationem substantialem, vt in finem.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate, & ratione D. Th. q. 21. de veritate art. 5. & in præsenti lect. 9. generatio est via ad esse: ergo illa generatio tantùm est generatio absolutè, & simpliciter, per quam acquiritur esse absolutè, & simplicer, scilicet esse substantiale, siue per quam producitur substantia: & econtra, quia accidentia non sunt simpliciter & absolutè entia, sed tantùm secundùm quid, cùm sint entis entia, sic non habent esse simpliciter, sed secundùm quid, scilicet accidentale: vnde generatio illorum non est generatio simpliciter, sed secundùm quid. Nec his contrariatur Philosophus, dum hîc cap. 3. ait generationem ignis esse generationem simpliciter, generationem verò terræ esse generationem secundùm quid, cùm tamen vtraque terminetur ab substantiam completam. Nec etiam contrariatur, dum dicit quòd accidens perfectius generatur & corrumpitur simpliciter, imperfectius autem secundùm quid. Nam vt docet D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 10. ad 2. & 3. p. q. 50. art. 5. nihil prohibet speciem aliquam substantialem, ac completam esse absolutè & simplicer, ac sine addito ens, & tamen collatam cum alia specie perfectiori eiusdem generis, dici ens secundùm quid: quia vt ait in præsenti idem D. Thom. lect. 9. species imperfectior vocatur priuatio respectu perfectioris, & perfectior vocatur habitus respectu imperfectioris: & sic imperfectior comparata perfectiori, inquantum caret illâ perfectione, est ens diminutum & secundùm quid; ac proinde terra collata igni, cùm sit imperfectior intra idem genus, dicitur generari secundùm quid, licèt eius generatio absolutè & simpliciter considerata, sit generatio simpliciter, vt ibidem docet D. Thom. & econtra, licèt accidens simpliciter loquendo sit tantùm ens secundùm quid: quia tamen ex D. Thom. q. 7. de veritate art. 5. ad 3. id quod non est absolutè & simpliciter tale, potest dici simpliciter tale cum aliquo addito, ideo accidens perfectius cum hoc addito (comparatione alterius imperfectioris eiusdem generis) potest dici simpliciter ens, & vt sic generatio illius generatio simpliciter: generatio verò accidentis imperfectioris propter rationem oppositam, & cum prædicto addito, scilicet (intra ordinem generationis accidentalis) potest dici generatio secundùm quid: quia accidens imperfectius dicit priuationem perfectioris intra idem genus contenti: quæ omnia docet D. Thom. hic lect. 9. Hæc autem omnia fundantur in quadam doctrina D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 10. ad 2. quòd scilicet aliquid dicitur simpliciter tale duobus modis. Primò prout simpliciter idem significat, ac omnibus modis, sic Deus dicitur simpliciter ens, & virtutes simpliciter bonæ: quod autem est simpliciter tale, nunquam potest dici tale secundùm quid. Secundò prout simpliciter significat idem, ac sine addito, secundùm suam naturam, & vt sic quælibet substantia est simpliciter ens, & diuitiæ simpliciter bonæ: sed quod est simpliciter tale hoc modo, potest dici secundùm quid tale comparatum ad aliud perfectius intra eundem ordinem.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionis. Generatio, ortus, & natiuitas, quamuis in viuentibus sint idem, absolutè tamen considerata differunt: discrimen autem in hoc est, quòd generatio dicit precisè processionem vnius ab alio, cùm sit mutatio de non esse ad esse, & ita ignis dicitur generare alium ignem, in viuentibus autem est propria generatio, & viuens dicitur

propriè

propriè generari, aut gigni, quia procedit ab alio viuente peculiari modo, scilicet per decisionem seminis, quod est sufficiens principium ad generationem, tam per modum principij actiui, quàm passiui, siue ab vno & eodem generante decidatur, vt in plantis, siue quoad principium actiuum decidatur à masculo, & quoad passiuum à fœmina, vt in animalibus. Deinde generatio humana, & aliorum viuentium dicitur ortus, & res genita dicitur oriri: nam talis generatio est peculiariter, propriè, & rigorosè per modum cuiusdam exitus à generante, quod non reperitur in generatione non viuentium propriè loquendo, quia ad hanc non requiritur, vt principium aliquod substantiale decidatur à generante, vt in generatione viuentium accidit, sed per se loquendo tantùm requiritur, vt ab illo tanquam à causa exeat aliquod præuium, scilicet dispositiones accidentales, quibus materia vltimatè disponatur ad formam substantialem, & quòd forma introducatur. Denique generatio viuentium dicitur natiuitas, & res genita dicitur nasci, quia cùm nomen naturæ à nascendo sumatur, dicitur enim natura quasi nascitura, & illa dicantur esse per naturam, quorum principium est intus in ipsis, inde fit quòd illa dicantur nasci, & illorum generatio sit natiuitas, quæ à principio coniuncto procedunt: manifestum est autem quòd in generatione viuentium genitum exiens à generante, adhæret ei, éstque illi coniunctum, saltem in principio generationis, siue coniuncti sint tantùm per contactum, vt in embrione qui sic adhæret matrici, siue per consolidationem, vt fructibus plantæ, qui cum illa colligantur: vnde patet quòd ista tria, generatio, ortus, & natiuitas solùm coincidant, & supponant pro eodem in viuentibus: licèt per additionem se habeant inquantum procedunt ex diuersis conditionibus, quæ debent reperiri in generatione viuentium, quæ sola est perfecta: aliæ verò sunt imperfectæ: generatio autem viuentium, & perfecta, siue proprie dicta sic adæquatè definitur, vt sit origo, siue processio viuentis à viuente coniuncto (saltem in principio) in similitudinem naturæ, ex vi talis processionis: ita D. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. & in 3. d. 8. q. 1. art. 2. quæ coniunctio geniti cum generante non reperitur in generatione communiter dicta, & imperfecta: quamuis autem hæc vltima verba (ex vi talis processionis) non exprimantur à D. Thom. subintelliguntur tamen, & colliguntur ex aliis.

Defectu primæ partis, statua non est filia statuarij, nec imago filia pictoris, quia earum productio non est processio viuentis. Defectu secundæ, pulices, vermes, &c. procedentes à corpore viuente, non dicuntur generari, quia non procedunt in similitudinem naturæ, quæ similitudo debet esse specifica, aut ad minus generica sub genere quodam proximo, & sic mulus verè generatur ab equo: quia ex Aristotele 7. Metaph. textu 58. datur genus ad mulum, asinum, & equum &c. inferius animali, quod potest dici brutum: quamuis non desint, qui vocent generationem muli monstruosam, quia similitudo naturæ debet esse completa: propterea capilli, aut fructus arboris non dicuntur filij, nec in toto rigore geniti. Defectu tertiæ, Eua non fuit filia Adæ, quia non processit ab illo per actionem ordinatam à natura ad producendum simile: fœtus autem dicitur à principio coniunctus generanti, inquantum coniunctus est fœminæ, quæ propter semen susceptum à mare, censetur vna caro, & vnum principium cum illo: & sic etiam virtualiter coniungitur mari, id est, secundùm seminalem virtutem.

Vt autem ex his materialibus ad spiritualia, imò diuina cognitionem nostram eleuemus, inuenimus in processionibus diuinarum personarum discrimen, quod intercedit inter propriam generationem, & processionem communiter dictam: & ex illo colligimus, cur secunda persona sit, & dicatur verè, ac propriè filius, genitus & natus: prima verò respectu eius sit verè pater, generans, & genitor: quæ non possunt dici respectu tertiæ personæ, scilicet Spiritûs sancti: & ratio est manifesta ex dictis, quia licèt eius processio sit origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ: tamen hæc similitudo non est ex vi eius originis, & processionis, sicut contingit in filio. Quod sic breuiter declaratur, intellectus, quantùm est in se, petit omnino producere verbum simile rei intellectæ, vnde quòd intellectus creatus in hoc deficiat producendo verbum accidentale, & simile tantùm in repræsentando, procedit ex hoc quòd est accidens, ac proinde imperfectus: si autem esset substantia per se subsistens, ac omnino immaterialis, produceret verbum simile omnino in natura, siue in esse entitatiuo, & non solùm in esse intentionali: videmus enim quòd quantò est perfectior, tantò perfectius, & similius rei intellectæ producit verbum: ac proinde si esset infinitè perfectus, sicut est intellectus diuinus, produceret verbum omnino simile in natura rei intellectæ, sicut producit intellectus diuinus: & ita cùm Verbum Diuinum ex vi suæ processionis procedat à Patre simile ei in natura, ideo verè & propriè est filius, genitus & natus à Patre: vnde licèt per impossibile, omnè quod est in Deo, non esset Deus, adhuc Verbum Diuinum procederet simile in naturæ, quia procedit simile in natura ex vi suæ processionis: non quatenus præcisè est processio diuina, sed quatenus est intellectualis perfectissima, & omnino immaterialis, quod per se requiritur, ac formaliter: quòd autem sit diuina, est per accidens, & de materiali: nam vt dictum est, si esset alius intellectus omnino perfectus, idem faceret: vnde resoluendo omnia in sua principia, Verbum Diuinum est simile in natura Patri per se, & ex vi suæ processionis, quia procedit per intellectum omnino perfectum, qui ideo producit Verbum omnino simile rei intellectæ: & quia res intellecta est Deus, Pater enim Æternus producit suum Verbum ex cognitione sui, Diuinæ Naturæ, diuinarúmque perfectionum, &c. ideo Verbum productum, est Deus: quòd autem Verbum sit simile Patri in natura numerica, non obstat perfectioni generationis, sed potiùs eam perficit: cùm sit maior similitudo, quàm illa quæ fundatur in natura specifica: & insuper Verbum semper manet coniunctum producenti, procedit enim per actionem immanentem, de cuius ratione est, quòd terminus per eam productus manet in producente. Hæc autem omnia non reperiuntur in processione Spiritûs sancti, ac proinde non est generatio, nec Spiritus sanctus genitus & natus: cùm enim procedat per voluntatem, & voluntas ex se non petat producere simile rei amatæ, producit enim solùm quamdam motionem, qua inclinat in obiectum, quæ motio dicitur amor, sicut & actus quo procedit, ideo non procedit similis ex vi suæ processionis, quamuis voluntas Diuina producat simile in natura: cùm necessariò omne quod est in Deo, sit Deus, hoc autem se habet per accidens, & de materiali respectu voluntatis secundùm sua intrinseca præcisè considerata: vnde si per impossibile omne, quod est in Deo, non esset Deus, Spiritus sanctus non procederet similis in natura, quia ex vi suæ processionis non procedit similis, sed procedit vt amor.

Animalia, quæ fiunt ex putri materia, dicuntur à D. Th. propriè generari; sicut & plantæ: ait enim in 4. d. 8. q. 1. art. 1. ad 7. *Quòd virtus Solis & aliorum corporum cælestium supplet vicem virtutis formatiuæ, quæ est in semine in generatione eorum, quæ ex semine nascuntur: & quia huiusmodi virtutes corporum cælestium sunt per omnia inferiora corpora diffusa, ideo dicit Philosophus 17. de generatione animalium cap. 10. quòd omnia plena sunt virtutibus animæ: & ideo sicut animalia, quæ generantur ex semine, se habent ad fœminam, ita ista, quæ sine semine generantur, se habent ad Terram: & sicut illa se habent ad Patrem, ita ista se habent ad corpora cælestia: propter quod quidam Philosophus dixit, quòd Sol est Pater plantarum, Terra verò Mater: vnde patet quòd huiusmodi, quæ sine semine generantur, siue sint plantæ, siue sint animalia, propriè dicuntur nasci, gigni, & oriri:* Hæc D. Thom. circa quæ duo notanda sunt: primum quòd D. Thom. non vult Cœlum esse causam principalem horum viuentium: cùm enim sint nobiliora Cœlo,

non poſſint ab illo pendere, vt à cauſa principali, ſed tantùm vt ab inſtrumentali: intelligentiæ verò mouentes Cœlos, & tali motione imprimentes illis virtutem ad hæc producenda, ſunt cauſa principalis. Secundum quòd licèt ex D. Thom. hæc generatio ſit propria, non tamen eſt propriiſſima & perfectiſſima, quæ terminatur ad filiationem, quæ ex D. Thom. 3. p. q. 32. art. 3. ſolùm reperitur in perfectiſſima generatione, qualis tantùm inuenitur in animalibus perfectis, & ideo vna planta non dicitur propriè mater, aut filia alterius.

Ad primum ergo dicendum cum Ariſtotele, & D. Th. in præſenti lect. 6. totum compoſitum eſſe id, quod producitur per generationem ſubſtantialem, quod cùm habeat eſſe ſubſtantiale ſimpliciter in actu, ſit ex non ente actu, ſiue ex ente in potentia, ſcilicet materia prima, tanquam ex ſubiecto, ex quo forma ipſius educitur, vel in quo recipitur; & ex priuatione ſui, tanquam ex termino (à quo:) vnde generatio non ſit ex nihilo, aliàs idem eſſet, quod creatio, ſed ſit ex materia prima, tanquam ex ſubiecto, quæ non eſt purum nihil, nec ens ſimpliciter, ſed quid medium, ſcilicet ens in potentia: & ita generatio ſit ex non ente in actu, ſed ex ente in potentia, quod eſt non ens ſimpliciter: quia vt dictum eſt in Phyſicis, ens dicitur ab actu eſſendi, quo priuatur ſecundùm ſe materia prima, & tantùm illum participat à forma, vnde meritò, & ſine addito vocatur ens potentiâ, & non ens ſimpliciter: licèt ſit vera pars compoſiti ſubſtantialis, & proinde non ſit purum nihil. Ad aliud dicendum cum Ariſtotele, & D. Thom. 7. Metaphyſicæ textu 25. antecedens eſſe verum, quando id, ex quo aliquid ſit, ſumitur in concreto, ita tamen vt prædicatio non ſiat per terminum ſignificantem ipſam priuationem: aliàs habenti formam tribueretur eius priuatio, quod implicat, & hoc accideret in præſenti: vnde materia poteſt prædicari de igne in concreto, non ſub hoc termino (non ens) ſed ſub hoc termino (materiale) vt ignis eſt materialis.

Ad ſecundùm dicendum, quòd genitum & corruptum habent eamdem materiam numero negatiuè & materialiter ſumptam, non verò poſitiuè & formaliter, quia non habent illam, vt ſigillatam ad eamdem numero formam, vt dictum eſt 1. Phyſicorum.

Ad tertium dicendum, ſicut etiam dictum eſt in Phyſicis, quòd nullum eſt inconueniens materiam primam mutare ſpeciem poſitiuam: nam licèt aliæ res, quæ ex ſe ſunt poſitiuè vnæ, non poſſint ſucceſſiuè eſſe diuerſæ ſpecici intrinſecæ, bene tamen materia prima, quia ex ſe non habet niſi eſſe vnum ſpecie negatiuè: & vnitas ſpecifica negatiuè in hoc conſiſtit, quòd res quæ ſic dicitur vna, non ſit ex ſe plures, poſſit tamen aliunde pluriſicari: & ſic eadem aotitas materialis eiuſdem materiæ materialiter ſumptæ, poteſt trahi ad plures, & diuerſas ſpecificationes poſitiuas, iuxta pluralitatem formarum; quia eius eſſentia conſiſtit in potentialitate ad plures ſpecificationes ſucceſſiuè, licèt ex ſe nullam habeat.

Articvlvs II.

Vtrùm generatio ſubſtantialis ſit actio diſtincta à tota alteratione præcedenti?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd generatio ſobſtantialis ſit actio quædam ex parte termini ſobſtantialis diſtincta realiter à tota alteratione præcedenti, per quam materia prima diſpoſita fuit ad nouam formam. Ita tenent Scotus in 2. d. 2. q. 9. Alenſis 3. p. q. 7. membro 6. Suares tom. 1. Metaph. diſp. 18. ſect. 2. & plures alij extra ſcholam D. Th. & ex antiquis Auerroës 4. Phyſic. comm. Simplicius lib. 3. textu 8. Probatur authoritate Ariſtotelis, qui in hoc primo libro diſtinguit generationem ab alteratione. Item 5. Phyſicor. docet ad ſubſtantiam non dari per ſe motum, ſed mutationem, & diſtinguit principia generationſs à principiis aliorum motuum, dicens eſſe materiam, formam, & priuationem. Item D. Thom. 3. contra Gentes cap. 69. ſic ait, *Si formæ accidentales, quæ ſunt in rebus corporalibus, habent aliquas actiones, multò magis forma ſubſtantialis habet aliquam propriam actionem; non eſt autem huiuſmodi actio, diſponere materiam, quia hoc ſit per alterationem, ad quam ſufficiunt formæ accidentales: igitur forma generantis eſt principium actionis, vt forma ſubſtantialis introducatur*: Ergo ex Ariſtotele, & D. Thom. generatio ſubſtantialis eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti.

¶ 2. Præterea, Ex D. Thom. & communi doctrina Thomiſtarum non manent in genito accidentia, quæ præceſſerunt in corrupto: ergo non poteſt dici quòd forma ſubſtantialis reſultet ex alteratione præcedenti: nam forma non dicitur reſultare ex actione, niſi quatenus reſultat ex termino eius, cùm ipſa actio formaliter pereat, & virtualiter maneat in ſuo termino, in quo ſiſtit: vnde ſi in inſtanti generationis non ſolùm perit alteratio, ſed etiam terminus eius, non poteſt ex alteratione reſultare forma ſubſtantialis. Deinde omnis reſultatio Phyſica eſt vera actio, cùm dicat veram efficientiam, & per hoc diſtinguitur à reſultantia tantùm illatiua, quæ in hoc præcisè conſiſtit, vt poſito vno ſtatim aliud ponatur propter neceſſariam connexionem, aut aliàs dicendum eſſet quòd ex forma corrupta Phyſicè reſultaret forma genita, quia naturaliter ex corruptione illius ſequitur generatio iſtius: ergo generatio ſubſtantialis eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti.

¶ 3. Præterea, Generatio ſubſtantialis eſt eductio formæ ſubſtantialis, ſiue eſt eſſentialiter egreſſio cum motu formæ ſubſtantialis ab agente, ſiue etiam eſt via, & fieri formæ ſubſtantialis, & hæc importat generatio vt condiſtincta ab alteratione: ſed vera eductio, ſiue egreſſus formæ cum motu, ſiue via, & fieri eius ſunt vera actio, cùm actio definiatur ab Ariſtotele, & D. Thom. quòd ſit motus vt egreſſus ab agente: ergo generatio ſobſtantialis eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti. Deinde ſi quid obſtaret ad talem diſtinctionem, maximè quia generatio conſequitur ad alterationem: ſed hoc non obſtat, quia ad geſtationem candelæ ſequitur illuminatio, ad creationem animæ conſequitur ſtatim vnio illius, ad viſionem beatificam neceſſariò & connaturaliter ſequitur dilectio beatifica, & tamen iſta omnia ſunt actiones realiter diſtinctæ ab illis, quas conſequuntur: ergo talis conſequentia non obſtat, quin generatio ſubſtantialis ſit actio diſtincta à tota alteratione præcedenti.

¶ 4. Præterea, Quodlibet agens naturale intendit primò & per ſe communicationem ſuæ naturæ, non verò alterationem, & diſpoſitiones ad hoc requiſitas, quas tantùm intendit ſecundariò: ergo generatio eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti: nam ſicut id quod ſecundariò intenditur, ſit ſecundariò, & per actionem ad aliud priùs terminatam: ita quod per ſe primò intenditur, debet fieri per diuerſam, & ſibi propriam actionem per ſe primò ad ſeipſum terminatam.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem ſequuntur Caietanus 1. p. q. 14. art. 3. Soto 3. Phyſic. q. 1. Zanardus 7. Metaph. q. 6. ad 3. noſtri Complutenſes in præſenti, & communiter iuniores Thomiſtæ: extra ſcholam verò D. Thom. Fonſeca. 5. Metaph. cap. 2. q. 6.

Conclvsio.

Cùm nulla ſubſtantia creata ſit ſeipsâ immediatè operatiua, generatio ſubſtantialis non eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti.

Respondeo dicendum, quòd generatio ſubſtantialis non eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti, & terminata immediatè ad ſubſtantiam. 2. Vnde ex parte cauſæ agentis generatio actiua ſolam importat alterationem virtuoſam, & vltimò diſponentem ad reſultantiam formæ ſubſtantialis ex materia prima. 3. Generatio verò ſubſtantialis paſſiuè conſiderata conſiſtit in pura quadam naturali reſultantia formæ ſubſtantialis ex materia prima cui vnitur, quæ vnio, ſiue inductio eſt præcisè eſſentialis, vt patet in generatione humana. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd tam generatio, quàm

alteratio

alteratio alia eſt actiua, alia paſſiua: quia eſt cauſa generans & alterans: ac ſubiectum alteratum, & genitum: vnde generatio & alteratio actiua important actionem, ſiue vltimam actualitatem cauſæ alterantis & generantis: generatio verò & alteratio paſſiua important paſſionem ſe tenentem ex parte ſubiecti alterati & geniti: vnde ex principiis traditis ſupra in Phyſica dicimus quòd alteratio actiua & paſſiua realiter diſtinguuntur, & ſubiectantur in diuerſis ſubiectis, hæc in alterato, illa in alterante: ſimiliter generatio actiua diſtinguitur à generatione paſſiua, & ſubiectantur in diuerſis ſubiectis, hæc in pura materia prima, illa in generante: generatio actiua, & alteratio actiua diſtinguuntur actu, vt dictum eſt, ſed tantùm virtualiter: generatio verò paſſiua diſtinguitur realiter ab alteratione paſſiua, quia hæc ſubiectatur in ſubiecto alterato, quod tendit ad corruptionem, illa verò ſubiectatur in materia prima: generatio denique tam actiua, quàm paſſiua dicitur ſubſtantialis, quia terminatur ad ſubſtantiam, quamuis ſit tam hæc quàm illa verum accidens, hæc ad prædicamentum paſſionis, illa ad prædicamentum actionis pertinens.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. opuſc.32. vbi ſæpe docet formam ſubſtantialem, & eius generationem eſſe terminum præcedentis alterationis & ideo debent per illam attingi: ſic enim ait in fine cap. 2. *Sciendum eſt ergo quòd in termino cuiuſlibet motûs, nihil eſt in ipſo de eo, quod per motum derelinquitur: ſicut in termino motûs localis nihil eſt de loco, à quo incipit motus localis; & in termino dealbationis nihil eſt de nigro, à quo incipit dealbatio: cùm ergo alteratio ab actu formæ ſubſtantialis incipiat, & ipſum compoſitum alteretur alteratione materiæ ad denudandam ipſam ab omni actu, quem priùs habebat, vt dictum eſt; in termino eius neceſſariò denudabitur ab actu primo, quem habebat: primum enim in conſtitutione, eſt vltimum in reſolutione: hoc autem eſt actus formæ ſubſtantialis.* Ecce quomodo D.Thom. docet alterationem non ſolùm eſſe ab vna in aliam qualitatem, ſed ab vna etiam in aliam formam ſubſtantialem, & quòd in fine motûs eſt non eſſe formæ ſubſtantialis, quæ antea erat, ac proinde eſſe formæ de nouo genitæ: quæ ſine dubio non eſſent vera, ſi ſola qualitas eſſet terminus alterationis, & forma ſubſtantialis produceretur per aliam actionem. Idem docet quæſt. vnicâ de anima art. 2. his verbis, *Agens naturale in generatione agit tranſmutando materiam ad formam, quod quidem fit ſecundùm quòd materia prima diſponitur ad formam, & tandem conſequitur formam, ſecundùm quòd generatio eſt terminus alterationis.* Et ſubdit, *Quod ſi eſt aliquod agens, cuius actio immediatè, & directe terminetur ad ſubſtantiam; quòd huiuſmodi agens agit per ſuam eſſentiam: & ſic non erit in eo aliud potentia actiua, & eius eſſentia:* Ergo cùm implicet ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operatiuam, vt dictum eſt in Phyſicis, ſic eſt impoſſibile in doctrina D.Thom. quòd ab illa exeat vllo modo actio aliqua, cuius terminus immediatus, & omnino directus ſit ſubſtantia. Item 1.p.q.118.art.2.ad 4.ait; *Homo generat ſibi ſimile inquantum per virtutem ſeminis eius diſponitur materia ad ſuſceptionem talis formæ.* Item in tractatu de natura materiæ ait: *Quia in termino cuiuſlibet motûs eſt quies quædam ſecundùm naturam illius motûs: ideo in fine alterationis, quies eſt inductio formæ ſubſtantialis: alteratio igitur, per quam ſpoliatur materia à forma priori, in ſe requirit ſubiectum actu exiſtens: quia ipſa eſt motus, in ſuo verò termino non requirit ſubiectum actu exiſtens: terminus autem eius eſt generatio: vnde generatio non requirit ſubiectum, niſi in potentia tantùm: vnde igitur manifeſtum eſt quòd generatio non eſt motus, ſed mutatio.*

Secundò, idem habet calefactio in actu ſecundo, quod habet calor in actu primo, vt patet ex paritate rationis quantùm ad hoc: nam calor, qui eſt actus primus, reſpicit calefactionem vt actum ſecundum ſibi adæquatum: ergo cùm calor, vt calor eſt, poſſit virtute propriâ producere calorem ſecundùm ſuam ſpeciem conſideratum, & vt virtus ignis, illique ſubordinatus producere ſubſtantiam ignis, ſic etiam calefactio ſecundùm ſibi propria eſt actualis productio caloris: vt verò procedit ab eodem calore, quatenus eſt virtus ignis, illique ſubordinatus tanquam agenti primo, & radicali, eſt actualis productio ſubſtantiæ ignis geniti: & hoc maximè, quia alteratio producit in virtute ignis calorem, non vtcumque, ſed vt diſpoſitionem ſufficientem ad expellendam aliam diſpoſitionem neceſſariam pro conſeruanda forma, quæ corrumpitur: vnde ex vi illius actionis debet ſubſequi per naturalem reſultantiam corruptio illius formæ, & generatio formæ ignis: nam poſitâ diſpoſitione ſufficienti ad expulſionem formæ ſtatim per naturalem reſultantiam abſque noua actione ſubſequitur alia forma ſubſtantialis, ad quam tranſit materia, quia actio corruptiua vnius formæ, eſt introductiua alterius.

Tertiò, ſi generatio ſubſtantialis eſſet actio diſtincta ab alteratione præcedenti, ſubſtantia creata eliciens illam eſſet immediatè operatiua: nam terminus immediatus & per ſe primus alicuius actionis, ipſa actio, & potentia operatiua debent intrinſecè pertinere ad eumdem ordinem, vel ſubſtantiæ, vel accidentis: quia vnumquodque agit ſecundùm quòd eſt actu, illud ipſum, quod immediatè ab eo, & per ſe primò producitur: ignis enim non calefacit, vt lucidus, ſed vt calidus: ac proinde ſi datur actio ſubſtantialis diſtincta à tota alteratione præcedenti, quæ immediatè, & per ſe primò terminetur ad ſubſtantiam, iam virtus operatiua, ſiue principium operandi proximum erit ſubſtantia: vnde ſubſtantia erit immediatè operatiua: ſed ſubſtantia creata non poteſt eſſe immediatè operatiua, vt dictum eſt in Phyſicis: ergo generatio ſubſtantialis non eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti.

Si dicatur quòd ſufficit, vt terminus primò productus, & potentia operatiua conueniant in ratione entis, vt conſtat: nam Deus, qui eſt ſubſtantia, producit accidens, & cauſa æquiuoca producit aliud diuerſum in ſpecie. Contra, ex D.Thom. 1. p. q.33. art.2. ad 4.& q.41.art.5. omne generans producit ſibi ſimile ſecundùm formam qua agit, quæ eſt potentia generatiua, ſiue operatiua: ergo hæc conuenientia debet eſſe inter potentiam operatiuam, & terminum per ſe primò productum ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam formaliter terminat: vnde cùm nulla res creata poſſit terminare actionem cauſæ ſecundæ ſecundùm rationem entis præcisè, ſed ſecundùm aliam inferiorem, & magis contractam, quia nulla creatura poteſt producere ens inquantum ens, inde ſequitur quòd talis conuenientia non poſſit eſſe præcisè in ratione entis, ſed ad minus in ratione ſubſtantiæ, vel accidentis. Nec inſtantiæ aliquid valent pro aduerſariis, imò pro nobis faciunt: prima quidem, quia accidens non terminat actionem Dei, niſi inquantum ens, vel vt rationem entis participat: nam cùm vniuerſaliſſimæ cauſæ debeat correſpondere vniuerſaliſſimus effectus, ideo actio Dei, qui eſt vniuerſaliſſimum agens, formaliter terminatur ad ens producibile ſub ratione vniuerſaliſſima entis, vel ad inferiora illius, vt participant hanc rationem, & ita ſufficit quòd conueniant in ratione entis cum Deo, & econtra, quia omnis creatura eſt agens particulare comparata cum Deo, ideo non poteſt producere vniuerſaliſſimum effectum, ſcilicet aliquid ſub ratione entis, ſed neceſſariò producit illud ſub contractiori ratione: & ita non ſufficit quòd aſſimiletur ei in ratione entis: & per hoc etiam patet ad ſecundam inſtantiam, quæ eſt diminuta, cùm ſit ſolùm in agentibus æquiuocis, nec habet locum in vniuocis.

Si dicatur ſecundò, quòd à calore v. g. eliciatur vtraque actio, calefactio quidem in propria virtute, ignitio verò in virtute ignis. Contra, vel à ſubſtantia ignis deriuatur aliqua virtus in calorem, quo eleuatur, quoties elicit illam actionem altiorem terminatam ad ſubſtantiam ignis, vel ſufficit quòd habeat permanenter eſſe virtutem ignis. Si dicatur primum: ergo ſubſtantia eſt immediatè operatiua, quia ſeipsâ cauſat illam nouam vir-

tutem eleuantem, quod implicat. Si ſecundùm: ergo non eſt neceſſaria illa noua & excellentior actio, ſed ſufficit alteratio quatenus procedit à calore, vt eſt virtus ignis, & ab ipſo igne vt à cauſa præcipua, & radicali, vt dictum eſt: quotieſcumque enim aliquid operatur vltra ſuam virtutem naturalem, ita vt eliciat actionem eleuatiorem, debet confortari per aliquam virtutem ſuperadditam, vt conſtat in aqua baptiſmali, quæ ad cauſandam gratiam eleuatur, & confortatur virtute aliqua ſpirituali ſupernaturali: & conſequenter cùm calor non eleuetur per aliquam virtutem ſibi communicatam ab igne generante, cùm non ſit immediatè operatiuus, non habet illam actionem eminentiorem, quæ ſit ignitio, diſtincta ab alteratione realiter, ſed ſolam habet calefactionem, quæ habet pro termino primario executionis calorem, deinde plures alios ſecundarios, videlicet ſigillationem materiæ, mutationem ſubſtantialem, qua materia tranſit ab vna in aliam formam, & hoc ordinariè, ipſam formam ſubſtantialem, totum compoſitum, ſcilicet ignem genitum: & hoc eſt terminus (vt quod) alia præcedentia ſunt termini (vt quo,) denique accidentia reſultantia ex igne: dicuntur autem iſta termini ſecundarij in executione, quia fiunt poſt primarium: vnius autem actionis poſſunt eſſe plures termini, dummodo habeant inter ſe ordinem primarij & ſecundarij. Idem verò calor, qui eſt terminus primarius in executione, eſt ſecundarius in intentione. & forma ignis, ac ignis genitus, qui ſunt termini ſecundarij in executione, ſunt terminus primarius in intentione, hic terminus (qui,) illa terminus (quo.)

Probatur, & explicatur ſecunda pars concluſionis. Dictum eſt quòd generatio ſubſtantialis non eſt actio diſtincta à tota alteratione præcedenti: ergo ex parte cauſæ agentis ſolùm importat alterationem, non vtcumque, ſed virtuoſam, ſiue vt actionem procedentem à calore v.g. agente, quatenus eſt virtus ignis, & vt ſic diſponente materiam primam ad reſultantiam formæ ſubſtantialis.

Probatur, & explicatur tertia pars concluſionis. Generatio ſubſtantialis paſſiuè ſumpta hæc tria importat ordinariè, ſcilicet eductionem formæ ſubſtantialis de potentia, materiæ: ſed quia hæc eductio non fit per ſe primò per propriam actionem, ſiue per actionem primò ad ſe terminatam, ſed eſt terminus ſecundarius, ideo dicitur pura quædam naturalis reſultantia formæ ſubſtantialis, ſiue ad formam ſubſtantialem terminata. Deinde inductionem formæ in materiam, & receptionem talis formæ ex parte materiæ. Denique conſtitutionem compoſiti reſultantis ex materia, & forma ſimul vnitis: hæc autem tria munera generationis paſſiuæ prædicto ordine in executione ſe conſequuntur: materia verò prima verè patitur ex hoc, quòd forma educatur de eius potentia, eámque in ſe recipiat: vnde paſſio incipit ab eductione, & completur in inductione, ſiue receptione formæ: quamuis totum hoc fiat in inſtanti reali, generatio humana non importat eductionem formæ, ſed ſolam inductionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd nec loca Ariſtotelis, nec D.Th. probant generationem eſſe nouam actionem diſtinctam ab alteratione præcedenti: ſed quia forma ſubſtantialis eſt terminus ſecundarius præcedentis alterationis, ideo noua illa eductio, quæ fit in inſtanti generationis formæ ſubſtantialis, eſt tantùm noua reſultantia illius, non verò noua actio eductiua, quæ eſſentialiter requirit nouum terminum primarium: nec talis reſultantia actiua, ſiue ſe tenens ex parte cauſæ, eſt vera & rigoroſa efficientia, ſed tantùm ſecundùm quid, & aliquo modo ſpectans ad ordinem cauſæ efficientis: & hoc ſolàm volunt. Ariſtoteles, & D.Th. imò D.Th. in illo loco intendit probare, quòd non ſolus Deus, ſed etiam cauſæ ſecundæ habeant aliquam actionem, vt eſt generare: nam alteratio eſt actio caloris, vt ipſi ſecundùm propriam virtutem ſubordinatur, & ſic eſt diſpoſitiua, eſt etiam actio formæ ſubſtantialis, prout eſt ipſi ſubordinata tanquam principio radicali, & virtualiter continenti effectum ſubſtantialem: imò vt ſubordinata ipſi calori, vt eſt virtus talis formæ in ordine ad effectum nobiliorem eodem calore: & vt ſic eſt actio attingens ipſam ſubſtantiam.

Ad ſecundum dicendum, quòd tam alteratio præcedens, quàm terminus eius primarius manent virtualiter in ſigillatione materiæ primæ ad certam & determinatam formam, quæ ſigillatio paulatim & ſucceſſiuè fit in materia per antecedentes diſpoſitiones, & ratione illarum, & adhuc permanet in inſtanti generationis: nam cùm materia prima ex ſe ſit indifferens ad plures & diuerſas formas, oportet ad hoc vt hanc potiùs, quàm illam recipiat, quòd maneat ſigillata & determinata ad illam certam & determinatam formam: quid autem ſit hæc ſigillatio dicetur inferiùs. Ad aliud dicendum, quòd hæc reſultantia Phyſica pertinet aliquo modo ad genus efficientiæ, & per hoc diſtinguitur à reſultantia purè illatiua.

Ad tertium dicendum, quòd eductio paſſiua formæ ſubſtantialis, ſiue egreſſio, & fieri eius ſunt terminus ſecundarius in executione præcedentis actionis, ſcilicet alterationis, non verò terminus primarius actionis per ſe primò ad hæc terminata: nec ipſa generatio paſſiua, vt diſtincta ab alteratione paſſiua, includit motum, ſed tantùm ordinatiè, & connaturaliter includit mutationem. Ad aliud dicendum, quòd ad naturalem reſultantiam non ſatis eſt quòd vnum ſit vtcumque poſt aliud, ſed quòd hæc ſubſecutio ſit per ſe, & conſequenter quòd actio illa per ſe ordinetur ad id, quod ex primario termino ſubſequitur, ſicut ordinatur actio calefactiua per ſe, & ex natura ſua ad productionem ignis: quod tamen non inuenitur in inſtantiis propoſitis.

Ad quartum dicendum, quòd licèt antecedens ſit verum de intentione operantis, ſiue naturæ, non tamen eſt verum de intentione operis: conſequentia verò ad ſummum probat generationem eſſe diſtinctam ab alteratione præcedenti per modum naturalis reſultantiæ ex illa, & ex termino eius primario ſubſequutæ: nam illud ſolummodo petit nouam actionem, quod eſt terminus primarius executionis, ſiue intentionis operis: vnde tam illud quod ſecundariò intenditur reſpectu intentionis operantis, & operis ſimul, vt ſunt proprietates, quàm illud quod ſecundariò intenditur intentione operis, vel actionis, licèt per ſe primò intendatur intentione operantis, & naturæ, vt contingit in generatione paſſiua, non fit per propriam actionem, ſed per naturalem reſultantiam.

Articvlvs III.

Vtrùm generatio ſubſtantialis ſit eſſentialiter mutatio?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd generatio ſubſtantialis ſit eſſentialiter mutatio terminata ad eſſe ſubſtantiale. Ita Conimbricenſes, & alij iuniores in præſenti. Probatur. Ariſtoteles in triplici definitione generationis, quam tradidit, hoc docet: Prima habetur 8. Phyſicorum cap. 7. his verbis. *Generatio eſt mutatio de non ente ad ens, ſiue de non eſſe ad eſſe.* Secunda habetur in hoc libro cap. 4. ſic: *Generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili permanente.* Tertia habetur ſic cap. 5. textu 25. *Generatio eſt mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu,* Idem docet 5. Phyſicor. textu 7. his verbis: *Quæ igitur ex non ſubiecto eſt in ſubiecto mutatio ſecundùm contradictionem, hoc eſt de non eſſe ad eſſe, generatio eſt.* Quod exponens D. Th. ſic ait: *Cùm enim generatio ſit mutatio de non eſſe in eſſe, ſecundùm illum modum dicitur aliquid generari, quo ex non eſſe in eſſe mutatur:* Ergo generatio ſubſtantialis eſt eſſentialiter mutatio, & realiter diſtincta ab alteratione, cùm habeat terminum realiter diſtinctum.

§ 2. Præterea, ad generationem requiruntur hæc tria

tria principia, scilicet materia prima, vt subiectum; forma, vt terminus (ad quem;) & eius priuatio, vt terminus (à quo,) & hoc necessariò vt patet ex dictis 1. Physicorum: ergo generatio substantialis est essentialiter mutatio, quia ad mutationem tantùm illa tria requiruntur. Si dicatur, quòd tunc tantùm priuatio est principium generationis, quando materia præcessit sub priuatione formæ: Contra, ex hoc sequitur, quòd generatio non requirat per se, sed tantum per accidens priuationem pro principio, cùm aliquando possit esse sine illa: nam quod conuenit alicui per se, debet conuenire omni sub illo contento: sed hoc est falsum, nam ex Aristotele, & D.Thom. vnumquodque per se fit à suo contrario, vt homo ex non homine. Deinde non alio modo priuatio esset principium generationis, ac est forma corrumpenda: nam cùm materia prima non possit esse sine forma, à forma vna transit in aliam: & tamen communiter docent Philosophi, quòd forma quæ corrumpitur, non est principium generationis, sicut est principium priuatio formæ generandæ, quia hæc per se requiritur, illa verò per accidens: ergo priuatio per se requiritur ad generationem.

§ 3. Præterea, Generatio substantialis non consistit præcisè in eductione formæ de potentia materiæ, & in vnione cum illa: nam formæ Cœlorum verè fuerunt eductæ de potentia materiæ, & vnitæ cum illa: & tamen Cœli non sunt geniti, sed creati: ergo generatio substantialis essentialiter vltra hoc requirit, quòd materia præcesserit sub priuatione formæ, & consequenter quòd mutetur transeundo de priuatione ad habitum, & ita generatio substantialis est essentialiter mutatio.

Sed contra est authoritas D.Thom. 3.part.quæst.77. artic. 5. quem communiter sequuntur eius discipuli, vt Caietanus, Nunnus loco citato, nostri Complutenses, & alij in præsenti: extra scholam eius Fonseca 5.Metaph. cap.2. quæst. 6. Hurtado disp. 1. de gener. sect. 1. ac plures alij.

Conclusio.

Cùm generatio vermis, vel ignis, &c. ex hostia consecrata non sit mutatio, quia non præcessit materia cum priuatione talis formæ, generatio substantialis non est essentialiter mutatio.

Respondeo dicendum, quòd licèt ordinariè, & connaturaliter generatio substantialis sit mutatio 1. non tamen essentialiter. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd loquimur hic non de generatione substantiali actiuè, sed passiuè sumpta, prout præcisè dicit resultantiam formæ de nouo genitæ.

Probatur prima pars conclusionis efficaciter argumentis in contrarium adductis, vnde non indiget maiori probatione.

Probatur secunda pars conclusionis ratione D. Thom., loco citato. Quando comburuntur species Sacramentales, aut ex illis generantur vermes, &c. tunc in instanti generationis, & ex vi præcedentis miraculi conuertitur quantitas hostiæ consecratæ in materiam primam, & in ea per conuersionem producta virtute agentis naturalis generantur ignis, aut vermes (quod idem fieret, licèt illa materia per creationem produceretur;) & tunc est vera generatio: nam talis ignis, aut vermes non creantur, eo quòd non fiant ex nihilo, sed ex præsupposito subiecto, nec incipiunt esse per conuersionem totalem, cùm fiant virtute agentis naturalis, & sic est vera generatio, cùm non sit alius modus producendi præter assignatos: sed talis generatio non est mutatio, cùm non præsupponat materiam primam priuatam formâ substantiali, nam producitur in eodem instanti reali, ac ipsa forma ignis, ac vermis, & sub aliqua earum: realis autem mutatio requirit necessariò transitum à priuatione ad habitum: & ita datur generatio aliqua substantialis, quæ non est actu mutatio: ergo generatio substantialis, vt sic, non est essentialiter mutatio: nam quod est essentiale alicui communi, conuenit omni essentialiter contento sub illo.

Respondent aliqui iuniores quòd in tali casu productio materiæ præcedit prioritate naturæ ipsam formam, quod sufficit ad veram mutationem. Sed hoc impugnatum fuit 1. Physicorum. Respondent alij, vt Ruuius talem ignem, aut vermes non fieri per generationem, sed per puram eductionem. Sed irrationabiliter, non enim apparet cur hæc productio non sit generatio, cùm fit ab agente naturali ex præsupposito subiecto, scilicet ex speciebus consecratis eo prorsus modo, ac fieret si illæ species non essent consecratæ. Si dicatur quòd non est generatio, quia non præcedit priuatio, quæ est principium entis naturalis. Contra, nam generatio non respicit priuationem tanquam terminum specificantem: nam, vt dictum est supra in Physicis, solus terminus (ad quem) & non terminus (a quo,) qualis est priuatio, specificat motum aut mutationem: ergo satis est ad rationem generationis, vt per se petat priuationem, quamuis per accidens aliquando non reperiatur, quia terminus inspectus, & non specificans solùm connaturaliter, non verò essentialiter debet adesse, nisi aliunde adsit necessitas, quæ in præsenti non est.

Ad primum ergo dicendum, quòd istæ definitiones generationis sunt optimæ, quia generatio per se te ordinariè, & connaturaliter loquendo, quòd sit mutatio: licèt hoc non sit illi essentiale, sicut optimè definiretur homo per risibilitatem, quia ordinariè, & connaturaliter est risibilis, & tamen potest ab eo separari risibilitas: & per hoc etiam patet ad alia loca Aristotelis, & D.Thom.

Ad secundum dicendum, quòd ideo priuatio est per se principium intrinsecum generationis, quia per se loquendo semper illam petit, quamuis per accidens, & præsupposito aliquo miraculo possit esse sine ipsa. Vel intelligendus est Arist. quando assignat hæc tria principia, de priuatione formæ generandæ, non connotando subiectum, & vt sic priuatio est intrinseca simpliciter omni generationi: si autem connotet subiectum, tunc priuatio est principium generationis, quando generatio est mutatio: est autem disparitas inter formam corrumpendam, & priuationem, quia priuatio formæ generandæ requiritur ad generationem ex vi ipsius generationis, cùm vnumquodque per se loquendo, & ex vi sua fiat ex suo contrario, vt homo ex non homine, vt ait Aristoteles, & D.Thom. forma verò corrumpenda non petitur ex vi generationis, sed ratione ipsius materiæ, quæ non potest esse sine forma, & ita non potest transire à priuatione vnius formæ ad aliam, nisi transeat etiam à forma præcedente.

Ad tertium dicendum, quòd antecedens est falsum: ad probationem autem patet ex dictis supra in Physica, quomodo formæ Cœlorum non fiunt eductæ de potentia materiæ, sed concreatæ, imò non sunt generabiles, quia ex se non petunt dari in materia priuationem sui: formæ autem generabiles, per se loquendo, & secluso omni miraculo, petunt in materia priuationem sui, vt dictum est in Physicis.

Articvlvs IV.

Quid sit terminus generationis substantialis?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd totum compositum ex materia & forma præcisè sit terminus (qui) generationis adæquatus, principalis, ac primus in ordine intentionis: forma verò substantialis cum sua vnione sit terminus (quo) primarius simpliciter ordine executionis, & etiam primarius intentionis in suo ordine. Ita Ruuius, & alij Iuniores in præsenti, quibus subscribunt Conimbricenses quoad illas formas, quæ ex vi generationis producuntur. Probatur authoritate D.Thom.3.part.quæst.35.art.1.vbi sic ait: *Natiuitas potest alicui attribui dupliciter, vno modo sicut subiecto, alio modo sicut termino: sicut subiecto quidem attribuitur ei, quod nascitur, hoc autem propriè est hipostasis, non natura, &c. sed sicut termino attribuitur natiuitas natura,* terminatur,

terminatur enim intentio natura ad formam, ſeu naturam ſpeciei.

¶ 2. Præterea, Hoc compoſitum cùm ſit ſubſtantia totalis, habet eſſe: ergo eſt terminus (qui) adæquatus, & principalis generationis, ac primarius in intentione, cùm communicare eſſe ſit proprius effectus, ac munus generationis ſubſtantialis: maximè quia ſuppoſitum conſtans naturâ exiſtente, ac ſuppoſitalitate eſt terminus remotus generationis: nam cùm ſubſiſtentia ſit reſpectu naturæ modus peculiariter exiſtendi, ſcilicet exiſtendi per ſe, ſupponit ipſam naturam ſimpliciter exiſtentem: modus enim ſupponit rem, cuius eſt modus, & ex illa reſultat; ac proinde ipſa natura exiſtens, eſt terminus (qui) primarius, adæquatus, & principalis generationis, cùm ex hoc reſultent alij termini.

¶ 3 Præterea, Beatiſſima Virgo verè genuit Deum, vnde ſecundùm fidem eſt vera Dei genitrix: ergo in generatione Chriſti Domini attigit id, quod verè eſt terminus (qui) primarius, adæquatus, & principalis generationis, vt cauſa principalis: ſed non attigit vnionem humanitatis cum ſuppoſitalitate Verbi, ſaltem vt cauſa principalis, vt docent communiter Theologi, ſed tantùm naturam humanam: ergo hæc præciſè eſt terminus (qui) primarius, adæquatus, & principalis generationis: ac proinde cùm forma ſubſtantialis conſtituat naturam totalem, eſt terminus formalis (quo,) & quia eius productio præcedit compoſitum, vt pars totum, ideo eſt prior in executione.

¶ 4. Econtra, Videtur quòd terminus (quo) formalis generationis non ſit forma ſubſtantialis, ſed eius vnio ad materiam. Ita tenet Hurtado diſp.11. Phyſicor. ſect.6. & alij, quibus ſubſcribunt Conimbricenſes quoad illas generationes, in quibus forma non producitur ex vi ipſarum, ſed tantùm vnitur materiæ, vt patet in generatione humana. Probatur. Terminus (quo) formalis generationis debet eſſe (vt quo) genitus, & productus, ſicut terminus (qui,) debet eſſe genitus (vt quod:) ſed in generatione humana anima rationalis non generatur etiam (vt quo,) at creatur: ergo non eſt terminus (quo) generationis, ſed eius vnio ad materiam.

¶ 5. Præterea, Si anima equi, v. g. produceretur à Deo ſeparata, & ab agente naturali vniretur materiæ, hoc agens verè generaret equum, vt patet in ſimili de homine: & econtra ſi anima equi produceretur ſeparata ab agente naturali, & non vniretur materiæ, tale agens non generaret equum: ergo non ipſa forma, ſed eius vnio eſt terminus formalis (quo) generationis.

¶ 6. Præterea, Generatio ſubſtantialis nihil eſt aliud, quàm vnitio formæ ſubſtantialis cum materia: ergo vnio eſt terminus formalis (quo:) nam terminus formalis (quo,) dat ſpeciem: vnitio autem ſpecificatur, & denominatur ab vnione, vt patet; maximè quia variatâ vnione, licèt non varientur extrema vnita, variatur productio rei, vt conſtat in generatione, & reſurrectione hominis eiuſdem: & ita vnio ſpecificat productionem, ac proinde eſt terminus formalis (quo.)

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Thom. quem communiter ſequuntur omnes eius diſcipuli.

Conclusio.

Cùm ſuppoſitum habeat eſſe (vt quod,) natura verò totalis (vt quo) illud eſt terminus (qui) generationis ſubſtantialis, hæc verò terminus formalis (quo.)

Respondeo dicendum, quòd compoſitum ex ſuppoſito, & eſſe, ſiue exiſtentia, quod eſt totum exiſtens ſubſtantiale, eſt terminus (qui) generationis ſubſtantialis, ſimpliciter primarius in intentione. 2. Terminus verò (qui) primarius in executione generationis, ac illius ſpecificatiuum (vt quod,) eſt ſuppoſitum conſtans ex natura totali, & ſubſiſtentia, non verò ipſa natura totalis, ſiue compoſitum ex materia & forma præciſè. 3. ſed natura totalis eſt terminus formalis (quo) totalis generationis, primarius in intentione. 4. forma verò ſubſtantialis eſt terminus formalis (quo) partialis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd in præſenti non agitur de generatione actiua, ſiue vt eſt actio, quia vt ſic terminatur per ſe primò quoad executionem, non ad aliquid ſubſtantiale, ſed tantùm ad diſponendum ſubiectum in ordine ad formam ſubſtantialem, & ad totum compoſitum generandum, vt dictum eſt; ſed agitur de generatione paſſiua, vt eſt naturalis reſultantia conſequens talem actionem diſpoſitiuam, cuius terminus primarius eſt terminus etiam primarius intentionis naturæ, prout mediâ prædictâ actione operatur: termini autem generationis ſunt 1. forma ſubſtantialis, v. g. equi educta de potentia materiæ primæ. 2. natura totalis equi ex materia, & prædicta forma conſtituta, quæ dicitur equinitas. 3. ſuppoſitum ex natura totali, & ſubſiſtentia coaleſcens. 4. denique compoſitum ex ſuppoſito, & exiſtentia vltima actualitate rei adueniente naturæ iam ſubſiſtenti, vt docet D. Thom. pluribus locis ſuæ doctrinæ: ſed de hoc in Metaphyſica. Terminus autem generationis, ex eodem D.Thom. in 1.d.5.quæſt.3. art.1. eſt duplex, vnus dicitur terminus (qui,) alius verò terminus (quo:) primus eſt ille, qui fit (vt quod,) ſecundus fit (vt quo,) vnde non tam produci, quàm comproduci dicitur: terminus (quo) dicitur etiam terminus formalis, quia per illum terminus (qui) conſtituitur: rurſus terminus (quo) ſiue formalis eſt duplex, vnus partialis, ſcilicet forma ſubſtantialis; alius totalis, ſcilicet ipſa natura integra, vt dictum eſt.

Probatur prima pars concluſionis, tum authoritate D.Thom. q. vnicâ de anima art.6. ad 8. item 1.p.q.3.art.4. & aliis locis poſtea citandis, tum einſdem D.Thom. ratione. Quod in aliquo ordine eſt vltimum in executione, debet eſſe primum in intentione, vt communiter docent Philoſophi, & Theologi: ſed ſupppoſitum exiſtens, eſt vltimum in executione, nam exiſtentia eſt vltima actualitas in ordine ſubſtantiali, vt probabitur in Metaphyſica: ergo ſuppoſitum exiſtens, ſiue compoſitum ex ſuppoſito, & eſſe, eſt terminus (qui) generationis ſubſtantialis ſimpliciter primarius in intentione.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Th. 1.p. q.45. art.4. vbi ſic ait, *Fieri ordinatur ad eſſe: vnde illis propriè conuenit fieri, quibus conuenit eſſe; quod quidem conuenit propriè ſubſiſtentibus, ſiue ſint ſimplicia, ſicut ſubſtantia materiales: illi enim propriè conuenit eſſe, quod habet eſſe. & quod eſt ſubſiſtens in ſuo eſſe*, Idem habet q.65. art.4. Item 3.p. q.35. art.1. & in 1.d.5. q.3.art.1. ergo ſubſiſtens, ſiue ſuppoſitum conſtans ex natura totali, & ſubſiſtentia eſt terminus (qui) primarius in executione generationis, ac illius ſpecificatiuum (vt quod,) nam mutatio ſubſtantialis debet ſpecificari à ſuo termino (ad quem) completo, & ſi ſit poſitiua qualis eſt generatio, à termino producto, quem conſtat eſſe ſuppoſitum ex hac D.Thom. authoritate.

Secundò, forma totalis, vt humanitas, non eſt (vt quod) ſed (vt quo aliud eſt,) ſuppoſitum verò habet eſſe (vt quod) dicit enim D.Thom. 3.p.q.17.art.2. ſic: *Eſſe autem pertinet ad naturam, & ad hypoſtaſim: ad hypoſtaſim quidem ſicut ad id. quod habet eſſe: ad naturam autem, ſicut ad id, quo aliquid habet eſſe*: ergo natura totalis non (vt quod,) nam cùm fieri ſit via ad eſſe, non poteſt fieri (vt quod,) cui non competit eſſe (vt quod:) & econtra ſuppoſitum fit (vt quod) quia habet eſſe, (vt quod.)

Tertiò, natura totalis non generat (vt quod) ſed ſuppoſitum, vt eſt de fide in materia Trinitatis: ergo nec generatur (vt quod) ſed ſuppoſitum: ſicut enim actiones, ſic paſſiones ſunt ſuppoſitorum. Deinde vnumquodque generat ſibi ſimile, natura autem totalis non aſſimilatur ſuppoſito generanti, ſed ſuppoſitum genitum. Denique quia ex communi conſenſu Theologorum humanitas Chriſti Domini, nec eſt, nec dicitur filia, aut prædeſtinata; ac proinde ſignum eſt, quòd non eſt naturæ, ſed ſuppoſiti generari, aut dirigi in finem (vt quod:) & ſic Chriſtus dicitur prædeſtinatus, Filius Dei: quatenus vt ſubſiſtens in natura humana prædeſtinatur ad hoc, vt per eamdem ſubſiſtentiam ſubſiſtat in Natura Diuina.

Quartò,

Quartò, ideo forma substantialis non potest esse terminos (qoi) generationis, quia est forma constituens totum compositum: sed etiam natura totalis & integra est forma constituens ipsum suppositum, vt patet: ergo natura totalis non potest esse terminus (qui) generationis, sed est ipsum suppositum. Hanc rationem affert Aristoteles 7. Metaphysicæ: sic enim ait, *Palam ergo quod neque species fiat, nec quodcumque oportet vocare in sensibile formam, nec eius est generatio, nec quod quid erat esse huic:* Quod exponens D.Thom. lect.7. sic ait, *Palam igitur est, quod non fit species rei generata, nec aliquid aliud quodcumque fit, quod oporteat vocarè formam in rebus sensibilibus: & quia generatio est eius, quod fit, palam est quod nec generatio est forma, sed compositi; nec iterum quod quid erat esse rei generata generatur, nisi per accidens.*

Nec mirum est quod suppositum constans ex natura, & suppositalitate, non verò suppositum vt existens, sit specificatiuum generationis, quamuis non sit vltimum, sd quod terminatur generatio, sicut est existens: ratio huius est quia specificatiuum (vt quod) est illud quod immediatè & proximè, noo verò quod per modum finis vltimi inspicitur, vt coostat in actibus & habitibus: suppositum autem ex natura & suppositalirate est termioos per se primus generationis in executione, in ordine terminorum (qui:) licèt præsupponat in alio ordine, scilicet terminorum (quo) & formam substantialem, & naturam totalem. Hæc tamen omnia in sua productione dicunt mutuam dependentiam in diuerso genere & ordine. Proportionaliter ad ista loquendum est de generatione accidentali, in hac enim compositum ex sobiecto & accidente, non verò sola forma accidentalis, est terminus (qui) generationis: ad quam sufficit, quòd rerminus formalis (quo) illius sit per se vnus: licèt termious totalis tantùm sit vnus per accidens: quia sicut Generatio substantialis terminatur ad voum simpliciter, quia est Generstio simpliciter, & terminatur ad ens simpliciter: sic sufficit quòd Generatio aceidentalis terminetur ad vnum per accidens, quia terminatur ad ens per accidens, & est Generatio secundùm quid tantùm.

Probatur tertia, & quarta pars conclusionis, tum authoritate Aristotelis, & D.Thom. supra addoctâ, tom ratiooe sequenti. Tam forma substantialis, qoàm natura totalis constituunt terminum (qui) generationis, illa vt pars naturæ, hæc verò vt forma totalis, vt patet: ergo illa est terminus formalis (quo) partialis generatioois, hæc verò terminos (quo) totalis: maximè quia generatio vtramque attingit, vt docet Aristoteles 2. Physicorum cap. 1. quem locum exponens D.Thom. 3.p. quæst. 35. art. 1. ait: *Terminus enim generationis, & cuiuslibet natiuitatis est forma, natura autem per modum forma designatur:* vnde oatiuitas dicitur via in oaturam, vt patet per Philosophum 2. Physicor. terminatur enim intentio naturæ ad formam, seu naturam speciei. Supposito autem quòd natura totalis sit terminus (quo) sine dubio est primarius in intentione, qoia ad ipsam constituendam ordinatur forma sobstantialis, quæ proinde dicitur terminus formalis (qoo) partialis, quia eum sua comparte, scilicet materia prima constituit naturam totalem, cum hac differentia qoòd materia prima est ingenerabilis, forma verò est genita tanquam terminus partialis (quo.)

Ad primum ergo dicendum, quod D.Thom. ibi per terminom natiuitatis, intelligit terminum formalem (quo,) & non terminum (qui:) nam idem est respectu generationis subiectum denominationis, siue denominatum genitum (vt quod,) de quo etiam loquitur D.Th. ibidem, ac terminus (qui:) quia solus iste terminus absolutè & simpliciter denominatur genitus: vnde in hac authoritate D.Thom. est pro nobis.

Ad secundum dicendum, qoòd natura totalis præcisè non existit, aut habet esse (vt quod) sed tantùm (vt quo) vnde nec fit (vt quod) sed tantùm (vt quo) nec est quid completum in ordine substantiæ, donec terminetur subsistentia, non enim humanitas, sed homo directè ponitur in prædicamento. Ad aliud dicendum quòd suppositum est terminus (qui) proximus generationis, quia ante illud nihil est capax existendi (vt quod:) subsistentia autem resultat à natura vt à termino (quo) non verò vt à termino (qui,) nec supponit existentiam, sed antecedit; vt dicetur in Metaphys. Nec est modus peculiariter, sioe per se existendi, non enim pertinet ad ordinem essendi participaliter, sed nominaliter, id est, non pertinet ad ordinem existendi, sed ad ordinem essentiæ substantialis per modum termini illius: & ideo io creaturis debet præcedere existentiam.

Ad tertium dicendum, quòd potiùs est pro nobis: nam quomodo Beatissima Virgo esset Dei genitrix, si tantùm attigisset humanitatem Christi Domini: vnde dicimus, quòd attigit personam Diuinam Christi, non quidem attingentiâ effectiuâ, sed materiali: nam reuera præparauit materiam, & eam ministrauit, vt virtute actiuâ Spiritûs sancti formaretur Corpus Christi, & eius humanitas assumeretur à Verbo: & hoc sufficit vt dicatur absolutè attigisse generationem Christi: fœmina quippe concurrit tantùm passiuè ad generatiooem prolis, vt docet Aristoteles, & D.Thom. in libris de anima: & sic generatio Christi fuit eiosdem speciei cum aliis generationibus homanis: licèt subsistentia Diuina Verbi supplens munus subsistentiæ humanæ, quæ nisi impedita fuisset, emanatura erat, termioet dictam generationem: & propterea mnoos, quod Beata Virgo in conceptione Christi exercuit, non fuit completum, & terminatum in facto esse priùs tempore, imò nec priùs natura, quàm quòd Verbum Diuinum vniretur humanitati, aliàs noo esset vera Mater Dei, vnde Augustinus libro de fide ad Petrum cap. 18. sic ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites Carnem Christi non fuisse conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo:* Ex quo patet qoòd B. Virgo attigit aliquo modo suppositum Christi, vt ait D.Thom. 3.p.q.31.art.5. & q.32.art.4. & q.33.art.3. Ex dictis patet ad probationem secundæ partis.

Ad quartum dicendum, quòd in generatione sufficit terminum (qoo) communicari, licèt oec per generationem, nec per vllam actionem producatur: nam vt patet ex communi doctrina Theologorum cum D.Thom. 1. p. q.39.art.5. & in 1.d.5.q.3.art.1. Essentia Diuina est terminus formalis (quo) generationis Filij, & tamen nec est genita per se, nec per accidens, cùm sit eadem in Patre genetante, & in Filio genito: sicut etiam in generatione hominis totus homo generatur, licèt anima non generetur, sed creetur: vnde quia forma ex se tantùm habet, vt communicetur, ideo sufficit quòd sit quomodocumque, siue non producta, siue ante producta, siue in generatione comproducta: terminus verò (qui) quis per se acquirit esse (vt qood,) ideo per se petit in generstione, & per generationem produci.

Ad quintum dicendum, quòd ipsa forma secundùm se specificat, & terminat (vt quo) generationem, quamuis vnio ipsius cum materia sit exercitiom talis specificationis, & terminationis: & inde est qoòd si agens naturale posset producere formam, & oon eam vnire subiecto, deesset ibi vera ratio generationis, non quidem ex defecto termini formalis (qno) in actu primo considerati, sed ex defectu exercitij eiusdem termioi: anima verò rationalis, licèt vt factibilis ex nihilo sit terminus creationis, tamen vt communicabilis materiæ, & toti composito mediâ transmutatiooe eiusdem materiæ; est terminus generationis, ita vt communicabilitas, quæ est de essentia animæ, sit ratio formalis specificatiua, communicatio autem sit exercitium talis communicabilitatis.

Ad sextum dicendum, quòd licèt generatio substantialis sit idem ac vnitio, non tamen vtramque hanc denominationem à termino formali sumit, sed solam denominationem generationis, denominationem verò vnitionis sumit ab exercitio sui termini formalis. Ad aliud dicendum, quòd quoties variatur specificè vnio, variatur etiam specie forma, non quidem in esse rei, sed

in esse termini formalis, & vt sic specificat & distinguit specie productiones: nam anima rationalis est terminus formalis generationis, vt est communicabilis & vnibilis materiæ secundum connaturalem habitudinem: est autem terminus resurrectioois, vt est reunibilis materiæ secundùm soam potentiam obedientialem; quæ duo licèt in esse rei sint idem, distinguuntur tamen specie in esse termini.

Articvlvs V.

Quodnam sit subiectum generationis substantialis?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd subiectum generationis substantialis sit corpus, siue materia prima vt infonnata formâ corporeitatis eidem materiæ coæua. Ita tenuerunt Auicembron, vt refert D.Thom. hîc lect.9. Auicenna libro 1. sufficientiæ cap.1. Ocham,& alij,qoibus consentit Scotus in 4.d.11.q.3.art.2. quantùm ad generationem viuentium. Probatur. Ante generationem materia prima præsupponitur informata formâ corporeitatis: nam agens & passum debent esse similia in ratione corporis,quia corpus non agit nisi in corpus: ergo generatio substantialis subiectatur in corpore, siue in materia informata formâ corporeitatis: quia quod præsupponitur ad generationem, est subiectum illius, & formæ per ipsam productæ. Maximè quia generatio solùm tendit ad assimilandum passum agenti in his,in quibus erant dissimilia: sed non erant dissimilia in esse corporeo: ergo per generationem non introducitur forma corporeitatis, sed ad illam præsupponitur.

¶ 2. Præterea, Illud in quod resoluitur corruptio, siue quod manet transactâ corruptione, est subiectum generationis,vt communiter docent Philosophi:nam generatio & corruptio versantur circa idem subiectum; ex illo subiecto quod manet, corruptâ formâ antea existente, generator noua forma, & sic in illo talis generatio recipitur: sed corruptio resoluitur in compositum ex materia prima & forma corporeitatis, quod constat in Corpore Christi Domini: nam idem fuit in triduo mortis, ac antea; aliàs non fuisset verum dicere,hoc Corpos natum est de Virgine: identitas autem corporis necessariò reqoirit identitatem formæ corporeitatis, & hoc doce D.Th. in 1. dict. 8. quæst.5. art. 2. vbi dicit, quòd prima forma, quæ suscipitur in materia, est corporeitas, à qua nunquam denudatur: ergo subiectum generationis substantialis est corpus, siue materia prima informata formâ corporeitatis. Quod sic declaratur. Si eadem forma tribuit esse corpus, & ignem, ratio corporis, & ratio ignis sunt omnino idem, & sic corpus vt corpus, esset ignis, quod est absurdum. Deinde cuilibet gradui essentiali debet assignari forma, quæ illom communicet,nam Aristoteles 2.Metaphysicæ cap.2. dicit, quòd in causis formalibus non est processus in infinitum,quia iste processus non potest dari in prædicatis quidditatiuis: hæc autem illatio nulla esset, si vnica forma tribueret omnia prædicata essentialia, vt patet. Denique Aristoteles 7. Metaphysicæ cap.10. ait definitionem hominis habere partes, qoibus correspondent partes rei, qood non potest intelligi, nisi admittantut in composito plures formæ, quatum singulæ singula prædicata quidditatiua communicent, ita vt vna det esse rationale, alia det esse animal, alia viuens, alia corpus.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd subiectum generationis snbstantialis sit totum compositum de nouo genitum. Ita Bannes lib.1.de generatione cap.4.q.11. Probatur. Ibi est generatio substantialis tanquam in snbiecto, cui suam denominationem intrinsecam tribuit, hoc enim est commune omni formæ: sed generatio tribuit composito de nouo genito snam denominationem, scilicet esse genitum, non verò materiæ primæ, cùm sit ingenerabilis & incorruptibilis: ergo generatio substantialis est tanquam in subiecto in composito de nouo genito.

¶ 4. Præterea, Generatio substantialis est verè accidens, licèt extrinsecè denominetur substantialis, ex eo quòd attingat substantiam: quia ex D.Thom. 1. p. q.77. actus directè correspondens alicui potentiæ, & potentia sunt in eodem quasi genere substantiæ, vel accidentis: constat autem potentiam generatiuam esse accidens; ac proinde & ipsa generatio est accidens: ergo eius subiectum est compositum de nouo genitum,& noo materia prima, quia hæc vt infra dicetur, priùs respicit actum substantialem, quàm accidentalem, cùm ipsa sit potentia substantialis: quælibet aotem potentia priùs respicie actum proprij generis, cùm quo habet maiorem commensurationem, quàm actum alterius generis, qoia non ab isto, sed ab illo specificatur, illum autem actum primò recipit, quem primò respicit.

¶ 5. Præterea, Materia prima ex se nullam habet subsistentiam,aut existentiam, oec est (vt qnod) sed tantùm (vt quo:) & ita non potest recipere generationem substantialem(vt quod:) ex alia verò parte non repugnat, vt id qnod est terminus alicuius, sit eius subiectum; nam ad ratiooem subiecti solùm requiritur prioritas in genere causæ materialis,ad rationem verò termini tantùm requiritur posterioritas in genere causæ efficientis respectu suæ prodnctionis: constat autem quòd prioritas & posterioritas in diuerso genere causæ se compatiuntur: ergo subiectum generationis substantialis est compositum de nouo genitum, & non materia prima: quod patet in simili, nam Corpus Christi Domini est terminus conuersionis substantialis panis in ipsum,& simul est subiectum: hæc enim conuersio, siue transubstantiatio non potest subiectari in pane, cum deficiat per ipsam.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur Capreolus in 2. d.1. q. 2. art.1. Caietanus 3. p. q. 35. art.5. Flandria 7. Metaph. q.1.art.4. Soncinas, Ferrar.nostri Complutenses,& alij etiam extra scholam D.Thom.

Conclvsio.

Cùm materia prima sit subiectum commune vtrique termino mutationis, ac ex ipsa educatur forma genita, in ipsáque recipiatur, etiam est subiectum generationis substantialis, quæ est talis mutatio, ac eductio passiua, siue receptio formæ.

Respondeo dicendum, quòd subiectum generationis substantialis oon est materia prima informata formâ corporeitatis, siue Corpus. 2. Nec totum compositum de nouo genitum 3. Sed sola materia prima. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd nomine materiæ primæ solius, non intelligitur materia prima, quæ io aliquo instanti reali sit absque omni forma, cùm hoc sit impossibile, vt constat ex Physicis: sed prout in aliquo priori naturæ præsupponitur ad illam actu receptam,& ad constitutionem compositi: nomine autem generationis, non intelligitur generatio actiua, quæ est actio, sed generatio passiua, quæ est mutatio.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Arist. & D.Thom. hanc docet Aristoteles Physicorum 5. cap.1. item 1. de anima cap.3. & in præsenti textu 24. D.Thom. etiam docet illam multis locis 1.part.quæst.76.art.4.& 2. contra gentes cap.58. item hîc lect.10. vbi sic ait: *Patet falsam esse opinionem, quam tradidit Auicembron in libro Fontis vitæ, quòd in materia est ordo formarum: ita quòd primò aduenit materiæ forma, secundùm quam est substantia, & postea alia secundum quam est corpus, & postea alia secundùm quam est animatum, corpus, & sic de aliis.*

Secundò, generatio substantialis per se tendit ad producendum ens, quod sit vnum per se, cùm sit generatio simpliciter: sicut generatio accidentalis, cùm sit generatio secundùm quid, tendit ad producendum ens, & vnum secundùm quid: & ex se constat quòd compositum substantiale, quod est terminus generationis sobstantialis, est ens & vnum per se: ergo essentialiter petit, quòd materia prima non sit informata formâ substantiali corporeitatis realiter distinctâ à forma specifica: quia si materia prima præexisteret informata tali formâ, non

posset

poſſet fieri per generationem vnum per ſe : nam ex pluribus entibus in actu in eodem ordine non poteſt fieri vnum per ſe : quælibet autem forma, cùm ſit actus, conſtituit ens in actu : ac proinde ſubiectum generationis ſubſtantialis non eſt materia prima informata formâ corporeitatis. Nec valet ſolutio Scoti : quòd ſcilicet quælibet ex his formis eſt incompleta intra ordinem formæ, prima enim eſt vialis ad ſecundam, pluribus autem entibus in actu incompletis poteſt fieri per ſe vnum. Nam contra, vt dictum eſt in Logica, genus, & ſpecies, ac proinde ratio corporis, & ratio differentialis vt conſtituunt vnum per ſe, non diſtinguuntur niſi ratione: ergo non procedunt à diſtinctis realiter formis, idem quippe effectus formalis numero non poteſt procedere à duabus formis realiter. Deinde vel quælibet ex his formis affert ſuam exiſtentiam, vel non. Primum non poteſt dici, quia vt dicetur in Metaphyſica, eſt impoſſibile quòd in eodem compoſito ſint plures exiſtentiæ partiales, aut totales. Nec ſecundum poteſt dici, quia cuilibet formæ debetur eſſe, & ita ſi ſint plures formæ, erunt etiam plura eſſe, & plures exiſtentiæ, & ſi ſufficit vnica exiſtentia in vno compoſito, ſufficiet etiam vnica forma : nam ſicut exiſtentia eſt vltima actualitas in ratione terminandi, ſic forma eſt vltima actualitas in ordine eſſendi : & ita vna ſimpliciſſima ſufficiet ad eſſentialiter conſtituendos omnes gradus eſſentiales. Denique forma corporeitatis, ſi datur, eſt completa, nam conſtituit corpus, quod directè ponitur in prædicamento ſubſtantiæ : non ponuntur autem directè in prædicamentis, niſi completa : imò talis forma, ſi daretur, cùm eſſet à parte rei, eſſet ſingularis, & ſic conſtitueret indiuiduum.

Tertiò, forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, & per hoc differt à forma accidentali : ergo ſi in materia prima præſopponitur forma corporeitatis, forma ſpecifica adueniens non dabit eſſe ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & accidentale : omne enim quod aduenit enti conſtituto in eſſe, & in actu, ſimpliciter eſt accidens, vt docet communis doctrina Philoſophorum. Nec valet ſolutio aduerſariorum, quòd ſcilicet forma corporeitatis dat eſſe ſimpliciter, prout eſſe ſimpliciter opponitur eſſe accidentali, non autem dat eſſe ſimpliciter, prout eſſe ſimpliciter dicit eſſe completum : quia quælibet forma dat eſſe ſimpliciter, ſed partiale, hæc genericum : ſpecifica verò ſpecificum. Nam contra, forma ignis, v.g. per hoc quòd vnitur materiæ primæ, conſtituit ſeipſa realiter compoſitum ignis ſubſtantiale, & materiale : nam compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali materiali, neceſſariò eſt ſubſtantiale, & materiale : ergo tale compoſitum eo ipſo, & abſque alio eſſentialiter includet eſſe corpus, idem enim eſt compoſitum eſſe ſubſtantiale materiale, ac eſſe corpus: cùm enim per hoc quod ſit materiale præciſè, diſtinguatur à ſubſtantiis immaterialibus, ſiue ſpiritualibus completis, neceſſariò debet eſſe ſubſtantia corporea. Deinde, forma corporeitatis, ſi datur, eſt à parte rei, ac proinde indiuidua, & ſingularis, & realiter diſtincta ab omnibus aliis formis, cum quibus non conuenit in eſſentia, ita vt ſit incapax, vt aliqua alia differentia eſſentialis ei ſuperaddatur, quod enim aduenit enti in actu, eſt extra eius conceptum eſſentialem, nam ſpecificatio eſſentialis neceſſariò præcedit indiuiduationem, & ita forma corporeitatis eſt conſtituta in ſpecie atoma præciſo quocumque alio, & conſequenter non ſolùm tribueret gradum genericum, ſed etiam ſpecificum, & atomum. Denique Angeli, qui ſunt formæ ſimplices per ſe ſubſiſtentes, vt communiter docent Theologi & Metaphyſici, per eamdem formam habent eſſe genericum & ſpecificum, ſcilicet ſubſtantiæ, ſpiritûs, & talis ſpiritûs : ergo ſimiliter forma rationalis, quæ homini dat eſſe ſpecificum, dabit etiam eſſe genericum corporis, &c. nec hoc difficilè eſt concipere, ſi conſideremus quòd formæ ſubſtantiales ſe excedunt, ſicut perfectius, & imperfectius intra idem genus: & ita perfectior debet communicare omne eſſe, quod communicat imperfectior, & aliquid excellentius, & ſic eadem quæ tribuit gradum ſpecificum perfectiorem, tribuet etiam genericum imperfectiorem : maximè cùm admittant aduerſarij, quòd vna forma, ſiue ſit corporeitatis, ſiue ſpecifica, det non ſolum proprium gradum, ſed etiam gradum entis & ſubſtantiæ, vnde etiam poterit dare alios.

Probatur ſecunda & tertia pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D.Th. Philoſophus quidem in præſenti cap.4. ſic ait : *Porro ſubiectum ortûs & interitûs ſuſceptiuum maximè quidem, ac propriè materies eſt.* Quod exponens D.Thom. lect.10. dicit, quòd *Hyle, id eſt, prima materia eſt maximè proprium ſubiectum ſuſceptibile generationis & corruptionis.* Item Ariſtot. 8. Metaphyſicæ textu 5. ait : *Similiter & in ſubſtantia id, quod nunc generationi, nunc corruptioni ſubiicitur, & nunc quidem ſubiectum eſt, vt hoc aliquid : rurſus autem ſubiectum, vt ſub priuatione :* Supra quem locum D.Thom. lect. 1. ſic ait : *Dicit quòd neceſſe eſt in ſubſtantiis ſenſibilibus ponere materiam quaſi ſubſtantiam, & ſubiectum, nam cùm ſit quadam mutatio ſecundùm ſubſtantiam, ſcilicet generatio & corruptio, oportet eſſe aliquod commune ſubiectum, quod ſubiiciatur contrariis mutationibus ſecundùm generationem & corruptionem, & hoc poſitis terminis, qui ſunt forma & priuatio, ita ſcilicet vt quandóque ſit actu per formam, & quandóque ſit ſubiectum priuationis illius formæ.* Idem docet 1.part. quæſt.45. art.2. ad 2. vbi ſic ait : *De ratione mutationis eſt, quòd aliquid idem ſe habeat aliter nunc, & priùs : nam quandóque eſt idem ens actu aliter ſe habens nunc, & priùs : ſicut in motibus ſecundùm quantitatem & qualitatem : quandóque verò eſt idem ens in potentia tantùm, ſicut in mutatione ſecundùm ſubſtantiam cuius ſubiectum eſt materia.* Item quæſt.3. de potentia art.3. ad 4. *Dicendum quòd in generatione eſt & mutatio & relatio, quâ refertur genitum ad generans : ratione ergo mutationis non habet pro ſubiecto ipſum generatum, ſed eius materiam : ſed ratione relationis habet ſubiectum ipſum generatum.*

Nec ſatisfacit ſolutio Bannis dicentis, quòd Ariſtoteles, & D.Th. loquuntur tantùm de ſubiecto, circa quod exercetur generatio, & non de ſubiecto inhæſionis, ac informationis. Nam contra, vt conſtat ex primo teſtimonio dicunt materiam eſſe maximè ſubiectum generationis, & ſuſceptiuum illius, quod non poteſt intelligi, niſi de ſubiecto inhæſionis. In 2. verò teſtimonio dicunt materiam ſubiici non ſolùm generationi, ſed etiam vtrique termino illius, ſcilicet formæ & priuationi, quod non poteſt verificari, niſi ſit ſubiectum inhæſionis, ſiue informationis, vt ex mox dicendis patebit. In 3. D.Th. dicit materiam aliter ſe habere nunc, quàm priùs per generationem, quod probat exemplo aliorum motuum : ſed tantùm ſubiectum inhæſionis, vel informationis eſt illud, quod aliter ſe habet nunc, quàm priùs, ex illo Ariſt. 5. Phyſicor. textu 12. quoniam cui ineſt, illud mutatur. Denique in 4. loco comparat D.Thom. generationem, & relationem per ordinem ad ſubiectum, & ita debet accipere ſubiectum in eodem ſenſu reſpectu vtriuſque, aliàs eſſet æquiuocatio : ſed certum eſt quod generatum eſt ſubiectum inhæſionis reſpectu relationis : ergo & materia reſpectu generationis.

Secundò, forma ſubſtantialis recipitur in ſola materia prima, tanquam in ſubiecto informationis, vt patet ex communi conſenſu Philoſophorum : ergo & generatio paſſiua, cùm ſit inſtantanea acquiſitio & receptio eiuſdem formæ, recipietur (vt quo) in ſola materia prima, vt in ſubiecto inhæſionis, nam ibi debet eſſe intrinſecè via, & acquiſitio formæ, vbi eſt ipſa forma, aliàs forma eſſet, vbi non acquireretur : hæc autem acquiſitio importat receptionem formæ, & reuera eſt paſſio, quamuis ſignificetur per modum actionis.

Tertiò, forma, quæ in generatione educitur, non educitur de potentia compoſiti, ſed de potentia materiæ primæ, vt omnes fatentur : ergo ipſa eductio, quæ eſt generatio, non recipitur, aut ſubiectatur intrinſecè in compoſito, ſed in ſola materia prima : nam implicat eductionem eſſe intrinſecè in ſubiecto, ex quo forma non educitur, vel non eſſe in illo, ex quo educenda eſt, vt ex ſe

patet : hæc eductio importat concurſum materiæ in productione formæ, qui eſt paſſiuus.

Quartò, generatio paſſiua, quæ eſt mutatio, neceſſariò eſt in eo tanquam in ſubiecto informationis, ſiue inhæſionis, quod eſt ſubiectum commune vtrique termino mutationis, vt patet inductione in omnibus aliis motibus : nam in motu locali illud eſt ſubiectum inhæſionis illius, quod nunc eſt hîc, nunc alibi : in augmentatione eſt illud, quod nunc habet hanc quantitatem, poſtea maiorem : in alteratione eſt illud, quod nunc eſt calidum, poſtea frigidum : ſed materia prima eſt ſubiectum vtriuſque termini generationis, ſcilicet formæ ſubſtantialis, & priuationis illius, non verò totum compoſitum : ergo ſubiectum generationis ſubſtantialis non eſt totum compoſitum de nouo genitum, ſed ſola materia prima.

Ad primum ergo dicendum, quòd forma ſpecifica præcedens in corrupto dabat materiæ gradum corporeitatis, & ſic eſt ſimilitudo inter agens & paſſum. Ad aliud dicendum quòd agens non poteſt ſibi aſſimilare paſſum in gradu ſpecifico, quod primariò intendit, niſi etiam aſſimilet in gradibus ſuperioribus, cùm ſibi aſſimilet communicando formam, quæ hos omnes gradus ſolâ ratione diſtinctos communicat ; vnde hoc eſt ſaltem de ſecunda intentione ; ac proinde forma ſpecifica, quæ corrumpitur relinquit materiam puram, & forma de nouo adueniens communicat ei, tam gradum ſpecificum, quàm omnes alios ſuperiores.

Ad ſecundum dicendum, quòd falſa eſt minor : ad probationem dicendum quòd Corpus Chriſti Domini mortuum & viuum fuit idem triplici identitate, ſcilicet materiæ primæ, ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ : & ſimpliciter dicendum eſt idem, quia ad multiplicationem nominis ſubſtantiui requiritur multiplicatio, & diuerſitas tam illius quod de formali, quam quod de materiali importat : vnde ſic ait D.Thom. 3.p. q.50. art.5. *Corpus Chriſti mortuum, & viuum ſimpliciter fuit idem numero : dicitur enim aliquid eſſe idem numero ſimpliciter, quia eſt ſuppoſito idem : Corpus autem Chriſti viuum, & mortuum fuit ſuppoſito idem, quia non habuit aliam hypoſtaſim viuum, & mortuum, præter hypoſtaſim Verbi.* Ad authoritatem D.Thom. dicendum. Quòd ſolùm vult, vt quælibet forma ſpecifica priùs naturâ communicet materiæ eſſe corporeum, quàm eſſe ſpecificum, & ſic nunquam denudatur illo. Ad aliud dicendum quòd licèt forma ſubſtantialis ſit quid vnum ſimplex formaliter, virtualiter tamen eſt multiplex : & ita communicat multos gradus, qui ſunt idem realiter, non autem virtualiter ; & ita formaliſſimè loquendo, corpus vt corpus non eſt ignis. Ad aliud dicendum, quòd cùm quælibet forma ad minus debeat communicare vnum prædicatum eſſentiale, optimè infert Ariſtoteles quòd ſi iſta prædicata non ſunt infinita, nec etiam formæ, & hoc ſolùm intendit Philoſophus. Ad aliud tandem dicendum, quòd vel Ariſtoteles intelligendus eſt de definitione Phyſica, qualis eſt iſta, homo eſt animal compoſitum ex anima rationali, & corpore, & ſic huic definitioni reſpondent partes rei realiter diſtinctæ. Vel intelligendus eſt de definitione Logica, qualis eſt, homo eſt animal rationale, & huic definitioni reſpondent etiam partes rei, ſed non realiter diſtinctæ.

Ad tertium dicendum, quòd maior vera eſt, ſi intelligatur de denominatione in genere cauſæ formalis, eſt autem falſa, ſi intelligatur de denominatione in genere cauſæ efficientis, ſicut accidit in præſenti : generatio ſiquidem tribuit multas denominationes, nam in genere cauſæ formalis intrinſecæ denominat materiam primam intrinſecè mutatam, & acquiſiuiſſe formam, & ideo ſubiectatur in illa : in genere verò cauſæ efficientis denominat compoſitum de nouo genitum eſſe genitum : quod denominatur formaliter, denominatione ſcilicet in genere cauſæ formalis, genitum à propria entitate, & a formâ, connotando ipſam generationem.

Ad quartum dicendum, quòd licèt materia prima per ſe primò reſpiciat formam ſubſtantialem, tanquam actum receptibilem (vt quod :) actus enim ſic receptibilis, & potentia receptiua debent eſſe in eodem genere : & ſic intelligendus eſt D. Thom. tamen etiam per ſe primò reſpicit generationem paſſiuam, tanquam actum receptibilem (vt quo,) cùm ſit ipſa actualis receptio formæ : eodem quippe reſpectu reſpicitur forma receptibilis, eiúſque receptio, nec iſta duo quantùm ad hoc ponunt in numero, & ita ſunt ſimul in materia in eodem inſtanti reali, imò & in eodem inſtanti naturæ, ſi conſideretur forma in educi, & in recipi, quamuis ſi conſideretur in facto, & in recepto eſſe, præcedat in materia ipſa receptio prioritate naturæ, cùm ſit mutatio, qua materia tranſit ad formam, ſicut ad rem receptam (vt quod :) vnde licèt materia non poſſit per ſe primò reſpicere, aut recipere alia accidentia, ſed actum ſubſtantialem tantùm, à quo ſpecificatur, tamen etiam primò, & per ſe reſpicit, & recipit generationem (vt quo) propter rationem dictam.

Ad quintum dicendum, quòd ſicut materia prima non requirit exiſtentiam, aut ſubſiſtentiam ad hoc, vt recipiat formam, ſed ſufficit propria entitas potentialis in illo priori naturæ, connotando tamen in eodem inſtanti reali, ſed in poſteriori naturæ exiſtentiam, vt dictum eſt in Phyſicis : ſic dicendum eſt in præſenti reſpectu generationis, maximè quia, vt dictum eſt, generatio & forma genita non ponunt in numero, cùm generatio ſit receptio formæ, & ita vnum non tollit immediationem reſpectu alterius : ſolùm generatio communicat ſuum eſſe diminutum materiæ primæ priùs naturâ, quàm forma communicet eſſe perfectum, hoc enim neceſſariò requiritur. Nec contrariatur D. Thom. dum dicit, quòd materia priùs habet eſſe ſimpliciter, quam eſſe ſecundùm quid. Nam per eſſe ſecundùm quid, intelligit eſſe accidentale ſimpliciter datum ab accidentibus completis, & non à vialibus : generatio autem, quamuis ſecundùm ſua eſſentialia ſit verum accidens completum, pertinens ad prædicamentum paſſionis, cùm ſit receptio formæ : tamen ratione mutationis annexæ, quæ eſt quidam modus ipſius, eſt quid incompletum, & viale. Ad aliam partem argumenti, admiſſo antecedente, negatur conſequentia : nam cùm generatio naturaliter loquendo, ſit mutatio Phyſica, exigit neceſſariò ſubiectum realiter manens ſub vtroque termino, ita vt priùs prioritate reali (in quo) ſit ſub priuatione formæ, & poſtea ſub forma, quæ vt patet non poſſunt conuenire compoſito de nouo genito : in tranſubſtantiatione autem hæc non contingunt, cùm ſit per actionem altiorem, eminentiorem, ac alterius rationis, vnde licèt concedatur ſubiectari in corpore Chriſti, nihil contra nos.

Articvlvs VI.

Vtrùm materia prima denudata omni accidente ſit immediatum ſubiectum generationis ſubſtantialis?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd materia prima immediatè affecta quantitate, & aliis diſpoſitionibus accidentalibus ſit ſubiectum generationis ſubſtantialis. Ita cenuerunt multi ex antiquis, alij attribuunt ſed immeritò Ariſt. & D.Th. Probatur authoritate eiuſdem Philoſophi, & D. Thom. Philoſophus quidem 7. Metaphyſicæ textu 8. id expreſsè docet. Item 3. Phyſic. dicit quantitatem eſſe proprietatem materiæ. Item 2. de Generat. textu 27. aſſerit accidentia, in quibus res genita conuenit cum corrupta, manere eadem : ac proinde ſubiectantur in materia. D. Thom. autem ſæpe aſſerit quantitatem priùs aduenire materiæ, quàm alias formas : ergo materia prima immediatè affecta quantitate, & aliis diſpoſitionibus accidentalibus eſt ſubiectum generationis ſubſtantialis.

§ 2. Præterea, Generatio eſt quid corporeum, & extenſum

tensum, proportionatur enim potentiæ generatiuæ corporeæ, & extensæ: ergo præsupponit materiam extensam: cùm omne quod recipitur, ad modum recipientis recipiatur: constat autem quòd materia prima non est extensa, nisi per quantitatem, cùm extensio sit effectus formalis quantitatis: & ita ante generationem est quantitas in materia. Deinde vt materia sit subiectum generationis, debet esse hæc, & indiuidua, indiuiduatur autem per quantitatem. Denique vt fiant variæ generationes, materia debet esse diuisa in varias partes: hæc autem diuisio non fit nisi per quantitatem: ergo materia prima affecta quantitate est subiectum generationis.

§ 3. Præterea, Quantitas, & aliæ dispositiones disponunt materiam non verò totum compositum, in ordine ad receptionem formæ substantialis, cùm forma immediatè recipiatur in materia disposita: ergo quantitas, & aliæ dispositiones immediatè subiectantur in materia, nam dispositiones debent esse in subiecto, quod per eas disponitur. Deinde vel dispositiones antecedentes instans generationis pereunt, vel non: si non pereant, habetur intentum: si pereant, ergo materia in instanti generationis non remanet disposita, & determinata ad receptionem talis formæ, quod est absurdum.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis & D.Thom. hic textu 14. lect.10. & 8. Metaphysicæ lect.4. quos communiter sequuntur omnes discipuli D. Thom. & plures extra eius Scholam, vt Durandus in 1.d.8.q.4. Fonseca 5. Metaphysic. cap.28. quæst.20. Ruuius in præsenti, & alij.

Conclusio.

Cùm materia prima per se primò respiciat formam substantialem, nec sit immediatum subiectum quantitatis, ipsa denudata omni accidente, est immediatum subiectum generationis substantialis.

Respondeo dicendum, quòd materia prima denudata omni accidente est immediatum subiectum generationis substantialis.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. qui hanc sæpe & expressè docet 1. part. quæst.76. art.6. sic ait: *Si anima vnitur corpori, sicut iam supra dictum est, impossibile est quòd aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus, & animam, vel inter quamcumque formam substantialem, & materiam suam.* Idem docet quæst. de anima art. 9. item cap. 7. de ente & essentia, & alibi sæpe.

Secundò, quantitas non subiectatur immediatè in materia prima: aliàs dicendum est quòd per argumentationem non producatur maior quantitas, sed solùm quòd quantitas, quæ est in materia alimenti, vniatur quantitati aliti, quod est falsum: cùm enim augmentatio sit motus successiuus, & continuus, ac diuisibilis, debet per ipsam produci aliquid continuum, & diuisibile, scilicet maior quantitas, motui enim diuisibili debet respondere terminus diuisibilis, toti quidem motui totus terminus, parti motûs pars termini: ergo ante introductionem formæ non præexistit quantitas in materia, nec alia accidentia corporea, quæ recipiuntur mediâ quantitate: ac proinde materia denudata omni accidente est immediatum subiectum generationis substantialis.

Tertiò, quando aliqua potentia respicit plures formas ordine quodam, primò illam recipit, quam primò respicit, deinde recipit alias: sed materia prima primò respicit formam substantialem, deinde accidentales, cùm specificetur à forma substantiali, & non ab aliis. Deinde quia forma substantialis, & materia sunt in eodem ordine, & genere substantiæ: vnde hæc est prima potentia, illa verò primus actus. Denique quia materia per formam substantialem recipit esse simpliciter, per accidentales autem recipit tantùm esse secundùm quid: vnde sicut esse secundùm quid præsupponit esse simpliciter, sic potentia priùs respicit formam, quæ dat esse simpliciter, sic potentia priùs respicit formam, quæ dat esse simpliciter, quàm illam quæ dat esse secundùm quid: ergo & recipit; ac proinde materia prima priùs recipit formam substantialem, quàm accidentales: & ita denudata omni accidente est immediatum subiectum generationis substantialis.

Respondet Suares, quòd forma substantialis eo ipso, quòd primò respicitur à materia, solùm habet esse priorem ordine intentionis, & consequenter posteriorem ordine executionis, iuxta commune axioma. Sed contra, quia hoc axioma (quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione) non valet, nisi in bis,in quibus id, quod est posterius in intentione, est aliqualiter medium ad consequendum finem priùs intentum, quod in præsenti non contingit: imò econtra, nam esse secundùm quid essentialiter pendet ab esse simpliciter, & sic illud præsupponit ordine executionis, sicut accidens dependet à substantia, & illam præsupponit. Deinde potentia ad formam, & esse secundùm quid, debet esse potentia secundùm quid, & consequenter non pura potentia, sed admixta cum actualitate simpliciter: ergo materia prima non potest priùs recipere actum, aut esse secundùm quid, scilicet accidentale, nisi priùs recipiat formam, & esse simpliciter, scilicet substantiale, per quod sit admixta cum actualitate simpliciter: hæc consequentia est manifesta: probatur antecedens: quia potentia & actus debent inter se habere proportionem. Denique quia quò actus minùs affert actualitatis, eò minorem potentialitatem præsupponit in subiecto.

Quartò, solum compositum est subiectum (quod) accidentium materialium, quia solum ipsum existit (vt quod:) esse autem subiectum præsupponit esse, & eodem modo aliquid est subiectum, quo est: ergo materia prima denudata omni accidente est immediatum subiectum generationis substantialis: si enim in ipsa immediatè non subiectentur accidentia, ipsa nuda omni accidente recipiet formam substantialem, & sic erit subiectum generationis. Hic autem discursus procedit de subiecto (quod) accidentium, quale esset materia prima, si in ea immediatè reciperentur accidentia materialia, & remanerent in ea etiam pereunte formâ substantiali: potest autem dici subiectum (quo) non quòd in ea recipiantur, sed quia est ratio, cur debeantur toti composito, & propterea dicuntur materialia.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles 1. illo loco non docet hoc ex propria sententia, sed proponit vt obiectionem antiquorum, vt ibidem notat D.Thom.qui antiqui non agnoscebant formas substantiales, at tantùm accidentales: & totum compositum, vt Aërem, vocabant materiam primam, cui non adueniunt formæ aliæ accidentales, nisi vt afficitur quantitate. In 2. loco nihil aliud vult, quàm quantitatem conuenire toti composito ratione materiæ. In 3. loco intelligendus est de eisdem accidentibus specie, non numero: sic ibidem respondet D.Thom. Idem autem Sanctus Doctor solùm vult, vt intuenti patet, quòd quantitas priùs adueniat materiæ, quàm aliæ formæ accidentales, quæ sicut & quantitas recipiuntur in toto composito, vt in subiecto (quod) & immediatè, in materia verò vt in subiecto (quo) & mediatè.

Ad secundum dicendum, quòd Generatio est quid materiale, & extensum, sed per quantitatem compositi (e nouo geniti in eodem instanti, in priori verò naturæ, in quo præsupponitur ad formam, non est extensa, sed intelligitur vt via naturalis ad esse simpliciter, & tamen materialis inquantum dependet à materia. Nec Generatio ipsa passiua est actus per se primò, & immediatè correspondens potentiæ generatiuæ, sed resultat ex eius primario actu, scilicet alteratione, vt dictum est. Ad aliud dicendum, quòd materia prima non indiuiduatur per quantitatem actualem, sed per virtualem, scilicet per respectum, quem dicit ad tantam quantitatem ex vi dispositionum præcedentium. Ad aliud etiam dicendum, quòd materia prima per quantitatem, sub qua fuit in diuersis compositis tempore antecedenti remanet diuisa in instanti generationis.

Ad tertium dicendum, quòd ſofficit vt materia prima recipiat mediatè, & (vt quo) accidentia diſponentia ad formam ſobſtantialem, vt ex vi illorum meneat diſpoſita pto receptione formæ, vnde talia accidentia recipiuntur immediatè,& (vt quod) in ſubiecto corrumpendo. Ad aliud dicendum, quòd in inſtanti generationis pereunt formaliter diſpoſitiones præuiæ, ſioe antecedentes, ſed virtualiter remanent inquantum remanet earum effectus, ſcilicet ſigillatio & determinatio materiæ ad hanc determinatam formam, & ita virtute illarum introducitur forma. Hæc autem ſigillatio in recto dicit nudam entitatem materiæ primæ, vt recipientem hanc formam potiùs, quàm aliam, & vt præhabentem radicaliter hanc potiùs quantitatem, quàm aliam:& hoc ratione connotati, ſcilicet diſpoſitionum præcedentium à tali agente introductarum: & ſic pto diuerſitate præcedentium diſpoſitioonum eſt diuerſa ſigillatio. Vnde alteratio præcedens,vt ſubordinatur igni generanti, eſt vera & propria actio generatiua compoſiti ſubſtantialis de nouo geniti, quæ per ſe primò terminatur ad vltimam diſpoſitionem, & per ſe ſecundò ad formam ignis: & ſic inter vltimam diſpoſitionem & formam eſt ordo & ſucceſſio per ſe vnius poſt aliud ex natoris rerum petitus, quia inter ſe ſunt ſimul incompoſſibiles, vt dictum eſt: ac proinde non eſt neceſſe quòd iſtæ diſpoſitiones ſint formaliter, dum producitur forma, ſed ſufficit quòd immediatè ante præceſſerint.

Articvlvs ·VII.

Vtrùm accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti, diſponant materiam ad generationem?

Ad septimvm ſic proceditur. Videtur quòd accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de oouo geniti, non diſponant materiam ad generationem. Ita tenent multi extra ſeholam D.Thom. Probatur. Hæc accidentia præſupponunt formam, à qua dimanant, iam receptam in materia, imò præſupponunt ſuppoſitum conſtitutum per formam, ac ita factam generationem: ergo non diſponunt ad generationem, quæ terminatur ad formam:aliàs eſſent cauſa ſuæ cauſæ efficientis: imò ipſa forma attingeret effectiuè ſeipſam, cùm ab ipſa emanent ipſæ diſpoſitiones, quæ dieuntur diſponere ad productionem ipſius.

¶ 2. Prætetea, Ex hac oppoſitione ſequuntur hæc duo inconoenieotia. Primum, quòd iſtæ diſpoſitiones priùs cauſarent, quàm eſſent: cauſarent quidem, quia diſponerent ad productionem formæ, quæ tunc nondom eſt: non eſſent verò, quia debent dimanare ab illa forma, cùm erit. Secundum, quòd forma & totum compoſitum non præſupponitur cum exiſtentia ad ſua accideotia: illud enim eſt exiſteus ſolummodo, quod eſt omnino extra cauſas, & omnes dependentiæ modos, qoi ad eſſe illios deſiderantur:non eſſet autem extra cauſam materialem, ſaltem diſpoſitiuam, ſi dependeret ab iſtis accidentibus à ſe dimanantibus, tanquam à cauſis diſpoſitiuis: ergo accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti, non diſpouunt materiam ad generationem.

¶ 3. Præterea,eſt impoſſibile qoòd idem ſit prius,& poſterius ſimul io eodem genere cauſæ, vt patet: ſed ſi accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti, diſponant materiam ad generationem, ſeqoitur quòd tam forma, quàm illæ diſpoſitiones ſe habeant vt prius, & poſterius ſimul io eodem genere cauſæ materialis: nam ex vna parte diſpoſitiones recipiuntur in forma, ex alia verò diſpoount ad eamdem formam, quod totum pertinet ad genus cauſæ materialis: ergo accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti, non diſponunt materiam ad generationem.

Sed contra eſt authoritas expreſſa D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Caietanus, & Medina 1.2. quæſt.113.arti.8. Aluares lib.7.de auxiliis dip.66. Ferrar.3. contra gentes cap. 153. noſtri Complutenſes in præſenti, & etiam aliqui alij extra eius ſcholam, vt Vaſquez 1.2.diſp.211.

Conclvsio.

Cùm cauſa ſint ſibi inuicem cauſa, & forma ad ſui introductionem requirat in materia, tanquam diſpoſitiones, accidentia ab ipſa dimanantia, talia accidentia diſponunt materiam ad generationem.

Respondeo dicendum, quòd accidentia recepta in toto compoſito, & dimanantia à forma ſubſtantiali in genere cauſæ efficientis,diſponunt materiam ad generationem, pro introductione ſcilicet, & receptione eiuſdem formæ: vnde licèt ſint poſteriora in genere cauſæ efficientis, ſunt tamen priora in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ: hæc autem prioritas & poſterioritas ſunt tantùm in inſtanti naturæ: nam in eodem inſtanti reali generationis hæc omnia ſimul ſunt: oec eſt difficile intellectu quòd ſecundùm diuerſas dependentias inter formam, & eius accidentia, in diuerſo genere cauſæ ratio adinueniat prioritatem & poſterioritatem inter ipſa: quamuis prioritas in genere cauſæ efficientis ſit potior, quia maior eſt dependentia à cauſa efficiente, quàm à materiali diſpoſitiua.

Probatur conelufio authoritate D.Thom.in 4.d.17.q.1. artic. 4. dicit quòd motus liberi arbitrij ſunt priores gratiâ iuſtificante in genete cauſæ materialis, ſicut omnis diſpoſitio eſt in hoe genere prior formâ, ad quàm diſponit: gratiam verò eſſe in genere cauſæ formalis, efficientis, & finalis ptiorem ipſis, ſicut quæuis forma naturalis eſt in his generibus prior diſpoſitionibus iotroductionem illius concomitantibus. Item q. 28. de veritate artic. 8. ſic ait: *In rebus naturalibus diſpoſitio, quæ eſt neceſſitas ad formam, quodammodo præcedit formam ſubſtantialem, ſcilicet ſecundùm rationem cauſa materialis: diſpoſitio enim materialis ex parte materia ſe tenet, ſed alio modo, ſcilicet ex parte cauſa formalis, forma ſubſtantialis eſt prior, inquantum perficit, & materiam, & accidentia materialia.* Idem repetit 1.2. q. 13. art.8. Item 1.p.q.76. ad 1. Item 3. p.q.9. art.3. ad 2. Item q. de anima art. 9. & alibi ſæpe.

Secundò, quoties forma aliqua ad ſui receptionem & inttoductionem in ſubiecto per ſe pendet ab accidentibus, toties illa accidentia comparantur per modum cauſæ diſpoſitiuæ, & materialis reſpectu illius, vt patet: ſed receptio & introductio connaturalis formæ ſubſtantialis in materia per ſe & neceſſariò petit eamdem materiam affici, ſaltem remotè, mediatè, & in ſuo toto prædictis accidentibus, ita vt eſſet præternaturalis & miraculoſa introductio & receptio illa formæ, ſi aliter fieret: propterea, verbi gratiâ, calor,vt octo, dicitur diſpoſitio connaturaliter concomitans formam ignis: & hoc maximè quia diſpoſitiones præuiæ pereunt in ioſtanti generationis: ex alia verò parte hæ diſpoſitiones efficienter procedunt à forma: ergo accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti, diſponunt materiam ad generationem.

Tertiò, ex communi axiomate Philoſophorum deſumpto ab Ariſtotele 5. Metaphyſicæ & 2. Phyſicorum textu 31. Cauſæ ſunt ſibi inuicem caoſæ. Quod declarat D. Thom. exemplo Aëris intrantis per feneſtram aliàs clauſam, cuius ingreſſus actiuè concutrit ad eam apperiendam, & tamen apertio eiuſdem feneſtræ concurrit in genere cauſæ materialis ad prædictum ingreſſum: ergo accidentia dimanantia à forma ſubſtantiali compoſiti de nouo geniti, diſponunt materiam ad generationem. Modus autem, quo cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, conſiſtit in hoc, non quòd vna ſit omnibus modis prior, ſed in hoc quòd vna det alteri in aliquo genere, quòd cauſet, vel det illi, aut eius cauſalitati in eodem genere propriam entitatem, quamuis recipiat ab eadem in alio genere, vt dictum eſt 2.Phyſicorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd tam forma, quàm illæ diſpoſitiones ab illa procedentes ſiunt in eodem inſtanti

stanti reali, in quo tamen noster intellectus cum fundamento in re distinguit quatuor instantia rationis, iuxta quadruplex genus causæ, & hac fundamentum est mutua dependentia causarum ab inuicem: hæc autem mutua prioritas non est prioritas (in qua) sed prioritas (à quo) siue quia. Nec ista instantia sunt instantia essendi, siue in quibus vnum sit sine alio, sed intelligendi, in quibus vnum potest intelligi non intellecto alio: & ita licèt absolutè forma intelligatur prior istis accidentibus, quia genus causæ efficientis est prius, quàm genus causæ materialis, tamen secundùm quid priùs intelliguntur ista accidentia, quàm forma, quia non potest intelligi connaturalis receptio formæ sine illis, licèt possit intelligi secundùm essentialia receptionis: nec verum est vniuersaliter quòd illud sit causa formæ, quod est causa vltimæ dispositionis, sed limitatè solùm est verum, scilicet si sit distinctum ab ipsa forma, & si sit causa per veram efficientiam, & non tantùm per modum naturalis sequelæ, vt contingit in præsenti.

Ad secundum dicendum, quòd solùm sequitur illa accidentia causare in eodem instanti reali, in quo sunt, non autem antequam sint: quia, vt dictum est, genus causæ efficientis, est prius genere causæ materialis: ac proinde hæc accidentia priùs intelliguntur esse, quàm disponere, quamuis non priùs sint, quàm disponant, quia hoc totum sit in instanti reali: similiter forma, & totum simul in eodem instanti reali existunt cum suis accidentibus, quamuis præintelligantur existentia propter prioritatem generis causæ efficientis.

Ad tertium dicendum, quòd disponere reducitur quidem ad genus causæ materialis, sed est valde diuersum ab eo, quod est recipere: vnde prioritas & posterioritas, quæ in istis fundatur, non debet dici in eodem genere causæ simpliciter: maximè quia forma non recipit proximè, & immediatè ista accidentia, sed est totum constitutum per formam. Vel dicendum est cum D. Th. quæst. de anima art. 9. & 1. p. quæst. 76. art. 6. ad 1. quòd forma perfectiur virtute continet quidquid est inferiorum formarum: & ideo vna & eadem existens perficit materiam secundùm diuersos perfectionis gradus: verè enim, & eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu, per quam est corpus, per quam est viuens, per quam est animal, & per quam est homo: manifestum est autem quòd vnumquodque genus consequuntur propria accidentia. Sicut ergo materia præintelligitur perfecta secundùm esse ante intellectum corporeitatis, & sic de aliis, ita præintelliguntur accidentia, quæ sunt propria entis ante corporeitatem: & sic præintelliguntur dispositiones in materia ante formam, non quantùm ad omnem eius effectum, sed quantùm ad posteriorem.

QVÆSTIO X.

De corruptione substantiali.

Qvia generatio & corruptio se consequuntur, generatio enim vnius est corruptio alterius, ideo postquam actum est de generatione, statim occurrit agendum de corruptione, circa quam quæruntur sex.

¶ Primò, quid sit corruptio substantialis?

¶ Secundò, Vtrùm corruptio substantialis sit mutatio naturalis?

¶ Tertiò, Vtrùm corruptio substantialis sit per se intenta à natura?

¶ Quartò, Vtrùm generatio vnius sit corruptio alterius?

¶ Quintò, Vtrùm generatio & corruptio habeant inter se mutuum ordinem prioris & posterioris in diuerso genere causæ?

¶ Sextò, Vtrùm in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam?

Articvlvs I.

Quid sit corruptio substantialis?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd corruptio substantialis nihil sit. Probatur. Corruptio actiuè considerata non est vera actio, nec distincta ab alteratione præcedenti, nec identificata cum illa: quia si esset distincta, deberet elici à principio distincto, ac proinde à substantia immediatè, quod est impossibile, vt dictum est: deinde omnis vera actio est productiua, & effectiua alicuius, cuius contrarium conuenit corruptioni: nec est identificata, quia cùm generatio vt actio identificetur cum alteratione, si corruptio etiam identificaretur cum eadem alteratione, identificaretur etiam cum generatione, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quod tamen est absurdum dicere: ergo etiam corruptio passiuè considerata nihil est, passiuum enim, & actiuum in aliquo ordine debent proportionari.

¶ 2. Præterea, Non est assignabile subiectum corruptionis: non quidem subiectum corrumpendum, quia in eo instanti, in quo est verum dicere, iam est corruptio, tunc illud subiectum non est, cum sit corruptum: nec etiam materia, quia ipsa non corrumpitur, cùm ex Philosopho sit ingenerabilis & incorruptibilis: ergo nihil est; si enim esset, esset accidens, ac proinde in subiecto.

¶ 3. Præterea, Omnis motus & mutatio identificatur cum suo termino (ad quem:) sed terminus (ad quem) corruptionis est non esse, & consequenter nihil: definitur enim quòd sit transitus de esse ad non esse: ergo corruptio substantialis nihil est.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Th. hîc cap. 3. dicentium quòd corruptio est transitus materiæ ab esse formæ substantialis ad non esse illius in ipsa materia, quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm generatio & corruptio opponantur, & generatio sit transitus de non esse ad esse formæ in materia, corruptio est transitus de esse ad non esse einsdem formæ in materia.

Respondeo dicendum, quòd verè datur corruptio substantialis in rerum natura, tum actiua, tum passiua 2. actiua est actio secundùm substantiam eadem cum alteratione præcedenti, & cum generatione, formaliter tamen, & virtualiter distincta ab vtraque ex parte obiectorum 3. passiua est transitus materiæ ab esse formæ substantialis ad non esse illius in ipsa materia 4. cuius terminus (qui) est non esse compositi præexistentis, terminus verò formalis (quo) totalis, est non esse naturæ totalis illius, formalis autem (quo) partialis est non esse formæ in materia.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis & D. Thom. qui præsertim in his libris sæpissimè hanc docent. Et ratio est manifesta, quia cùm detur generatio substantialis, vt supra dictum est, necessariò etiam debet dari & corruptio substantialis: nam cùm materia sublunaris non possit recipere plures formas, vt constat ex dictis 1. Physicorum, necessariò ad ingressum vnius formæ, & generationem noui compositi, expellitur alia forma, ac proinde compositum præexistens corrumpitur. Deinde datur corruptio substantialis, quando forma substantialis separatur à materia, tunc enim corrumpitur compositum: sed vt experientia docet, datur hæc separatio, in hoc enim differt materia sublunaris à cœlesti, quòd sublunaris respicit, & recipit formam amissibiliter, cœlestis autem inamissibiliter: ergo datur corruptio substantialis in rerum natura, tum actiua, tum passiua: quia actiua infert passiuam, & passiua consequitur actiuam.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 1. 2. quæst. 113. art. 6. ad 2. vbi illam quoad vtrumque docet: quantùm ad primum ratio est manifesta ex supra dictis: nam dictum est quòd generatio substantialis non distinguitur realiter à tota alteratione præcedenti: ergo nec

nec corruptio, quæ intelligitur mediare inter alterationem & generationem: v. g. inter calefactionem & ignitionem: prius enim intelligitur ignis suâ calefactione corrumpere lignum, quàm generare alium ignem: cùm igitur extrema plus distent inter se, quàm à medio, si generatio & alteratio sint eadem actio, erunt etiam eadem actio cum corruptione secundùm substantiam. Probatur quantùm ad secundam. Generatio & corruptio passiua sunt duæ mutationes, habentes diuersos terminos (ad quos & à quibus) vt patet: ergo actio, per quam causantur, habet duplicem formalitatem: maximè cùm vtraque mutatio sit quid reale à parte rei, licèt corruptio sit priuatiua, quia destruit subiectum: quæ ratio etiam probat alterationem distingui formaliter, & virtualiter à generatione & corruptione actiua. Deinde non solùm producere hominem est agere, sed etiam corrumpere illum, sicut hominem corrumpi est verè pati: ergo generatio & corruptio sunt duæ actiones formaliter, & virtualiter distinctæ: maximè quia corruptio est de intentione naturæ vniuersalis, licèt per accidens se habeat ad intentionem causæ particularis: ex quo sequitur, quòd quamuis omnis actio transiens sit vera efficientia, non tamen est vera productio: nam inter actiones aliæ sunt productiuæ, aliæ vnitiuæ, aliæ destructiuæ &c. per corruptionem autem verè fit aliquid, nam corrumpitur subiectum, non autem producitur aliquid: vnde corruptio passiua in hoc differt ab annihilatione, quòd annihilatio fit solùm, & non potest fieri aliter, quàm per suspensionem concursûs, vel actionis Dei conseruantis, nec per se vnitur alicui actioni: corruptio autem fit per veram influentiam, & vnitur per se alicui actioni.

Probatur tertia pars conclusionis ratione D. Thom. quæst. 5. de potentia art. 3. generatio & corruptio passiuè consideratæ sunt oppositæ mutationes: & ita sicut in generatione res reducuntur de potentia in actum, sic econtrario in corruptione reducuntur de actu in potentiam, quia totum compositum resoluitur in materiam primam, quæ est pura potentia: ergo sicut generatio est transitus materiæ à non esse formæ ad esse illius in ipsa materia, sic corruptio est transitus materiæ ab esse sub forma ad non esse sub illa, siue ad non esse illius in eadem materia.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Th. in 4. d. 19. art. 1. ad 2. item in 3. d. 20. quæst. 1. art. 3. ad 5. Deinde ratione. Corrumpi est amittere esse, sicut generari est illud acquirere: ergo solùm corrumpitur (vt quod) illud quod habet esse (vt quod) scilicet suppositum: sicut ob hanc rationem solùm suppositum generatur (vt quod.) Deinde cùm tam forma partialis, quàm forma totalis habeant esse (vt quo,) necessariò corrumpuntur (vt quo:) illa quidem per modum formæ partialis, hæc verò per modum formæ totalis: ac proinde terminus (qui) corruptionis est non esse compositi præexistentis, terminus verò formalis (quo) totalis, est non esse naturæ totalis illius, formalis autem (quo) partialis, est non esse formæ in materia. Ex quo sequitur quòd sicut transitus de non esse formæ ad esse illius, qui est generatio, importat hæc tria, scilicet eductionem formæ de potentia materiæ; & hoc ordinatiè: (in generatione quippe humana non reperitur, sed eius loco est inductio siue infusio formæ rationalis creatæ) receptionem eiusdem formæ, ac constitutionem totius compositi: sic transitus de esse formæ ad non esse illius, qui est corruptio importat hæc tria opposita, scilicet expulsionem formæ; quæ est reductio eiusdem formæ in potentiam materiæ: præterquam in corruptione humana, amissionem illius formæ, ac tandem destructionem totius compositi.

Ad primum ergo dicendum, quòd alteratio, corruptio & generatio sunt eadem actio realiter & materialiter, distinguuntur tamen formaliter & virtualiter, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd corruptio, cùm non sit mutatio realis positiua, sed tantùm priuatiua, est in materia per modum remotionis formæ, mediatè quidem, & (vt quo:) quod sufficit vt dicatur mutata, immediatè autem, & (vt quod) in toto composito corrumpendo, & hoc de corruptione in fieri, nam in facto esse solùm importat priuationem formæ corruptæ in materia, quæ priuatio est realiter, licèt non sit quid reale in materia.

Ad tertium ergo dicendum, quòd falsum est motus, & mutationes identificari cum suo termino (ad quem) licèt ab eo specificentur, vt dictum est in Physicis.

Articvlvs II.

Vtrùm corruptio substantialis sit mutatio naturalis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd corruptio substantialis non sit mutatio naturalis. Ita tenent aliqui iuniores. Probatur. Appetitus naturalis materiæ solùm inclinat ad introductionem & conseruationem formarum, nam materia prima solùm respicit per se formas, vt possidendas, & ideo solùm per ordinem ad illas definitur: ergo eius appetitus non tendit ad corruptionem, ac proinde corruptio non est mutatio naturalis.

§ 2. Præterea, Appetitus naturalis solùm tendit in bonum, nam vt communiter docent Philosophi, bonum & appetibile conuertuntur: sed corruptio non est bonum, imò est malum naturæ: ergo appetitus naturalis non tendit ad corruptionem, vnde non est mutatio naturalis.

§ 3. Præterea, Si materia prima appeteret naturaliter corruptionem formæ, appeteret suum non esse, cùm tantùm habeat esse ab ipsa forma actu informante, vt dictum est in Physicis: sed nihil potest naturaliter appetere suum non esse, imò omnia entia naturalia naturali appetitu inclinantur ad conseruationem sui esse, quod ipsa constat experientiâ: ergo materia prima non appetit naturaliter corruptionem formæ, & consequenter corruptio non est mutatio naturalis.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur eius discipuli, Bannes, & nostri Complutenses in præsenti, & plures alij extra eius scholam, vt Conimbricenses.

Conclvsio.

Cùm materia prima sublunaris respiciat plures, & diuersas formas amissibiles, ac simul incompossibiles, corruptio est mutatio naturalis.

Respondeo dicendum, quòd corruptio substantialis est mutatio naturalis respectu materiæ primæ, ita vt ipsa secundariò inclinatur in illam. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd hîc non sumitur naturale, prout contra distinguitur à supernaturali, artificiali, violento, ac eo quod ex principiis naturæ non oritur: certum enim est corruptionem substantialem induci ab agente naturali, nec prouenit ab arte: & ideo nec est supernaturalis, nec artificialis: oritur autem ex materia prima non satiata formâ, ac ex forma non satiante materiam, vt ait D.Thom. 1.2. quæst. 164. art. 1. ad 1. & sic oritur ex principiis naturæ, vnde non est violenta, sed iuxta naturam rei corruptibilis: sicut enim est secundùm naturam rei generabilis, quòd generetur, sic est secundùm naturam entis corruptibilis, quòd corrumpatur: vnde licèt corruptio sit contra naturam rei corrumpendæ, inquantum per ipsam destruitur esse rei, tamen est naturalis, quia suo modo est actus correspondens corruptibilitati rei, cùm sit iuxta naturam entis corruptibilis, quod corrumpatur: & sic præsens difficultas procedit solùm de naturali mutatione, pro vt ly (naturale) importat terminum naturalis appetitûs, siue inclinationis.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. 1. 2. q. 85. art. 6. vbi sic ait: *Corruptiones & defectus rerum sunt naturales, non quidem secundùm inclinationem formæ qua est principium essendi & perfectionis, sed secundùm inclinationem materiæ.*

Secundò,

Secundò, vt dictum est in Physicis ex Aristotele, & D.Th. essentia materiæ primæ sublunaris consistit in pura potentialitate in ordine ad plures & diuersas formas amissibiles, & simul incompossibiles, & per hoc distinguitur à materia cœlesti, quæ respicit vnicam formam inamissibilem: vnde compositum cœleste est incorruptibile, secus verò sublunare: ergo sicut forma sublunaris per se primò inclinatur in illas formas, ita secundariò inclinatur in amissionem & corruptionem eius, quam possidet, quia quod respicit plura, quæ non possunt simul haberi, sed successiuè vnum post aliud, respicit secundariò successionem vnius ad aliud, ac proinde quod ad ingressum vnius aliud destruatur, alioquin non respiceret illa plura, vt incompossibilia simul.

Ad primum ergo dicendum, quòd solùm probat materiam primam non inclinari per se primò in corruptionem alicuius formæ, secus tamen secundariò, cùm talis corruptio sit necessaria ad acquisitionem aliarum, quas appetit, & sic vt conducens ad talem acquisitionem habet cadere sub appetitu.

Ad secundum dicendum, quòd corruptio habet suo modo rationem boni, quatenus conducit ad acquisitionem alterius formæ, quam materia prima appetit, vnde secundariò potest appeti, nam sicut quod per se est bonum, & appetibile, potest per se primò appeti, sic quod est appetibile ratione alterius, potest secundariò appeti.

Ad tertium dicendum, quòd materia prima non appetit immediatè & directè non esse formæ, quam habet, sed quia hæc non potest illi communicare esse perfectum, & fixum, ideo appetit aliam & aliam, vt perpetuetur in esse: sed quia plures formæ substantiales sunt simul incompossibiles in eadem materia, propterea appetit secundariò non esse formæ, quam habet, vt acquirat esse per aliam & aliam successiuè, quas non habet.

Articvlvs III.

Vtrùm corruptio substantialis sit per se intenta à natura?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd corruptio substantialis nullo modo sit per se intenta à natura, siue ab aliqua causa efficiente, quod idem est quoad præsens. Ita tenent Conimbricenses, & alij. Probatur authoritate D.Thom. 1.p. quæst. 19. art. 9. vbi sic ait: *Malum appetitur per accidens, inquantum consequitur ad aliquod bonum, & hoc apparet in quolibet appetitu, non enim agens naturale intendit priuationem, vel corruptionem, sed formam, cui coniungitur priuatio alterius formæ, & generationem vnius quæ est corruptio alterius, leo enim occidens ceruum intendit cibum, cui coniungitur occisio animalis*: Ergo ex D. Thom. corruptio substantialis non est per se intenta à natura.

§ 2. Præterea, Natura per se intendit esse rerum naturalium, tanquam naturale bonum: ergo non potest per se intendere corruptionem, quæ tendit ad non esse, & est malum naturæ: nemo enim respiciens ad malum operatur, quia malum, vt ait D. Thom. loco citato ad 1. non ordinatur ad bonum per se, sed tantùm per accidens: & ita cùm corruptio non possit per se, nec proinde ex intentione agentis in bonum ordinari, si agens naturale per se intendens bonum, intenderet etiam per se corruptionem, simul per se tenderet in opposita, quod est impossibile.

§ 3. Econtra, Videtur quòd corruptio substantialis, vt malum, sit de intentione saltem secundaria naturæ. Ita tenet Ruuius hìc. Probatur authoritate D. Thom. in 4. d. 36. quæst. 1. art. 1. ad 2. vbi sic ait: *Nihil prohibet esse aliquid contra naturam quantùm ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam quantùm ad secundam eius intentionem: sicut omnis corruptio & defectus, & senium est contra naturam, vt dicitur in 2. Cœli & Mundi, quia natura intendit esse, & perfectionem: non tamen est contra secundam intentionem naturæ, quia ex quo natura non potest conseruare esse in vno, conseruat in altero, quod generatur corruptione alterius: & quando natura non potest perducere ad maiorem perfectionem, inducit ad minorem, sicut quando natura non potest facere masculum, facit fœminam.*

§ 4. Præterea, Materia prima secundariò inclinat in corruptionem vnius formæ, vt acquirat aliam, cùm corruptio sit mutatio naturalis: ergo datur aliquod agens, quod eodem modo intendat corruptionem eamdem: nam potentiæ passiuæ naturali propensæ in aliquem actum correspondet actiua naturalis propensa in eumdem actum.

Sed contra est authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli. Ferrar. 3. contra gentes cap. 94. Flandria 5. Metaph. q. 4. art. 2. ad 5. Bannes, nostri Complutenses in præsenti, & alij.

Conclvsio.

Cùm corruptio substantialis pertineat ad bonum totius vniuersi, & sit contra bonum partis, est per se intenta secundariò à natura vniuersali, & nullo modo est per se intenta à natura particulari.

Respondeo dicendum, quòd corruptio substantialis nullo modo est per se intenta à natura, siue ab agente particulari 2. sed est per se intenta secundariò à natura, siue ab agente vniuersali 3. non tamen per se primò. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D.Thom. 1. 2. quæst. 85. articulo 6. & alibi quòd est duplex natura: vna dicitur vniuersalis, & est virtus actiua in aliquo vniuersali principio, vt Cœlo &c. quæ respicit bonum vniuersale: alia particularis, & est propria virtus actiua agentis particularis, quæ respicit bonum particulare: hic autem respectus, siue inclinatio dicitur intentio: quamuis enim intentio propriè reperiatur tantùm in creaturis intellectualibus, cùm sit actus voluntatis tendentis in finem, tamen quia hæc intentio voluntatis est eius inclinatio in finem, propterea nomen intentionis vsurpatur ad significandam inclinationem, vel formæ naturalis, vel virtutis actiuæ in aliquid: & ita contingit in præsenti: vnde quærere, an corruptio substantialis sit per se intenta à natura? idem est ac quærere, an sit secundùm inclinationem alicuius formæ, vel virtutis actiuæ, ita vt virtus, & influxus illius per se inclinet in illam?

Probatur conclusio quoad omnes partes authoritate D.Thom. 1. part. quæst. 22. art. 2. ad 2. sic ait: *Corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem: sed tamen sunt de intentione naturæ vniuersalis, inquantum defectus vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi.* In hoc testimonio habetur expressa prima & secunda pars conclusionis: tertia facilè colligitur, quia quòd per se primò intenditur, intenditur ratione sui, & non ratione alterius: corruptio autem intenditur à natura vniuersali, vt ait D. Thom. propter bonum vniuersi, siue propter generationem alterius, & ratione eius: vnde non per se primò intenditur. Idem docet 3. contra gentes cap. 94. vbi sic ait. *Ad aliud igitur tendit intentio particularis agentis, & vniuersalis, nam particulare agens tendit ad bonum partis absolutè, & facit eam quanto meliorem potest: vniuersale autem agens tendit ad bonum totius; vnde aliquis defectus est præter intentionem particularis agentis, qui est secundùm intentionem agentis vniuersalis, & eodem modo corruptio, & diminutio est de intentione naturæ vniuersalis, non verò naturæ particularis.*

Probatur prima, & secunda pars conclusionis ratione D.Th. Natura vniuersalis per se intendit bonum vniuersale, siue totius vniuersi, natura verò particularis per se tantùm intendit bonum partis, cùm debeat esse proportio inter naturam, & bonum ab ea intentum: sed corruptio substantialis pertinet per se ad bonum vniuersi, nam melius est vniuerso; quòd sit in eo distinctio, & inæqualitas partium, scilicet quòd quædam sint generabilia & corruptibilia, alia ingenerabilia & incorruptibilia, quàm quòd omnia sint in æquali gradu perfectionis, nam ordo & pulchritudo vniuersi constat ex hac varietate: non

autem corruptio substantialis pertinet per se ad bonum naturæ particularis, sed tantùm per accidens ei coniungitur, licèt enim ordinariè coniungatur generationi, hoc tamen non prouenit ex vi generationis, nec intra propriam lineam generationis petitur, vt dictum est in Physicis, sic enim tantùm petuntur principia generationis: ac ita licèt nulla præcederet forma in materia (vt contingit quando generantur vermes, aut aliud ex speciebus Sacramentalibus) fieret tamen generatio substantialis sine corruptione formæ substantialis præexistentis: & ita solùm coniungitur ratione materiæ primæ, quæ non potest esse sine forma, nec simul habere duas, & consequenter ad introductionem vnius debet corrumpi præexistens: ergo corruptio substantialis nullo modo est per se intenta à natura, siue ab agente particulari, sed est per se intenta à natura, siue ab agente vniuersali, nou primariò, vt statim dicetur, sed secundariò.

Probatur tertia pars conclusionis ratione D. Thom. 1. p. q. 19. art. 9. ad 2. Aliter pertinent ad bonum & decorem vniuersi generationes & species rerum, ac pertinent corruptiones, licèt per se pertineant: nam generationes & species rerum pertinent, vt per se bona & entia, corruptiones verò, cùm ex se non sint entia & bona, tantùm pertinent tanquam ea, ex quorum comparatione bona magis elucescunt, & sic ratione alterius: ergo cùm sint quid imperfectum in ratione appetibilis, & non appetantur ratione sui, non pertinent ad primariam intentionem naturæ vniuersalis: quod enim per se primò intenditur, intenditur ratione sui, & non ratione alterius: & ita corruptio substantialis non est per se primò intenta à natura, siue ab agente vniuersali.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. vel loquitur de malo sub ratione mali, vt patet ex verbis immediatè antecedentibus: ait enim: *Cùm ratio boni sit appetibilis, impossibile est quòd aliquod malum inquantum huiusmodi appetatur nec appetitu naturali, nec animali, neque intellectuali, qui est voluntas.* Vel quòd loquitur respectu naturæ, & agentis particularis. Vel tandem quòd si intelligatur respectu naturæ vniuersalis, ly (per accidens) non sumitur strictè, vt excludit omnino per se, sed largè, vt significat per aliud, siue ratione alterius.

Ad secundum dicendum, quòd corruptio vnius formæ ordinatur ad generationem alterius, & non esse vnius ad esse alterius, & ita non sunt opposita; sicut si generatio & corruptio, esse & non esse essent respectu eiusdem. Vnde dicit D. Thom. quæst. 1. de malo, art. 3. ad 18. *Corruptio dicitur mutatio naturalis secundum naturam vniuersalem, quæ mouet ad generationem vel corruptionem: ad generationem quidem propter se, ad corruptionem autem inquantum generatio sine corruptione esse non potest:* Vnde quando D. Thom. ait, quòd malum non ordinatur ad bonum per se, sed tantùm per accidens, loquitur de malo culpæ, non de malo naturæ, quale est corruptio.

Ad tertium dicendum, quòd ibi D. Thom. non docet absolutè quòd omnis corruptio & defectus sit de intentione secundaria naturæ particularis, sed loquitur tum de natura vniuersali, tum de particulari, ita vt velit quòd defectus, qui est pura priuatio, qualis est corruptio substantialis, sit de intentione naturæ vniuersalis, secundaria tamen: alij verò defectus, qui sunt aliquid positiuum deficiens à maiori perfectione, qui ideo non sunt pura priuatio, sint de intentione secundaria naturæ particularis.

Ad quartum dicendum, quòd materia prima potest considerari, vel vt causa vniuersalis, inquantum secundùm se sumpta non magis respicit hanc, quàm illam formam, & sic correspondet naturæ, & agenti vniuersali, vnde secundariò per se inclinat in corruptionem: vel vt causa particularis, inquantum scilicet est sigillata & determinata, aut incipit determinari ad hanc formam particularem: & sic correspondet naturæ, & agenti particulari, nec vllo modo respicit corruptionem.

Articvlvs IV.

Vtrùm generatio vnius sit corruptio alterius?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd generatio vnius & corruptio alterius sint eadem omnino mutatio realiter. Probatur authoritate D. Thom. in 2. d. 34. art. 2. ad 5. vbi concludit generationem & corruptionem distingui ratione, ac proinde non realiter: ergo generatio vnius & corruptio alterius sunt eadem omnino mutatio realiter.

¶ 2. Præterea, Generatio vnius & corruptio alterius sunt eadem actio realiter, & solùm formaliter, & virtualiter distinguuntur: ergo etiam sunt eadem mutatio realiter: nam sicut generatio & corruptio actiua sunt actio, sic generatio & corruptio passiua, siue vt dicunt mutationem, sunt passio: actio autem & passio sunt idem realiter.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd generatio vnius nullo modo sit corruptio alterius, tum quia realiter distinguuntur, vtpote duæ mutationes, tum quia nec se consequuntur, vt patet in sequentibus instantiis: nam in nutritione est corruptio alimenti, & tamen non est generatio formæ, aut suppositi: & econtra, dum ex speciebus Sacramentalibus generantur vermes, ibi est vera generatio substantialis, & tamen nulla præcessit corruptio substantialis, quia priùs immediatè erat corpus Christi Domini, quod constat non corrumpi: ergo generatio vnius non est corruptio alterius.

Sed contra est authoritas Philosophi dicentis, quòd generatio vnius est corruptio alterius, quem communiter sequuntur omnes eius interpretes.

Conclvsio.

Cùm generatio sit mutatio positiua, & corruptio sit mutatio priuatiua, ac exerceantur in materia prima, quæ simul non potest habere duas formas, licet generatio vnius non sit realiter eadem mutatio, ac corruptio alterius, consecutione tamen naturali generatio vnius est corruptio alterius.

Respondeo dicendum, quòd generatio vnius non est corruptio alterius identicè: 2. multò minùs formaliter 3. sed tantùm concomitanter 4. non absolutè, at tantùm connaturaliter 5. in accidentibus idem proportionaliter dicendum. Ad cuius euidentiam sciendum est præsentem difficultatem non procedere de generatione & corruptione actiua, siue vt sunt actio, quia vt dictum est, solùm formaliter distinguuntur, eadem enim generantis actio (quam diximus esse alterationem) & corrumpit vnum subiectum, & generat aliud, siue introducit vnam formam in materia, & expellit aliam: & ita difficultas procedit de generatione & corruptione passiua, prout sunt mutationes substantiales.

Probatur prima & secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. quæst. 28. de veritate art. 1. vbi sic ait: *Generatio est mutatio de non subiecto in subiectum, corruptio verò est mutatio de subiecto in non subiectum, & ideo in abiectione vnius affirmati, & adeptione alterius oportet duas mutationes intelligere, quarum vna sit generatio, alia corruptio, vel simpliciter, vel secundùm quid: sic ergo si in transitu, qui est de albedine in nigredinem, consideretur ipse motus, idem motus figuratur per ablationem vnius, & introductionem alterius: non autem significatur eadem mutatio, sed diuerse, tamen se inuicem concomitantes: quia generatio vnius non est sine corruptione alterius.* Nec D. Thom. potest explicari de sola diuersitate rationis, quia art. 6. sequenti docet prædictas mutationes esse realiter diuersas, sicut negationem & affirmationem, quas constat non identificari inter se.

Secundò, generatio & corruptio substantialis habent terminos (ad quos) formaliter & realiter diuersos, nam generatio terminatur ad esse, corruptio autem ad non esse, quæ vt constat, non solùm formaliter, sed etiam realiter distinguuntur: ergo generatio & corruptio substantialis,

stantialis, non solùm formaliter, sed etiam realiter sunt duæ mutationes: nam vt dictum est in Physicis, mutationes specificantur à terminis adæquatis, & penes illos distinguuntur, & ideo quæ habent diuersos formaliter & realiter terminos (ad quos,) etiam formaliter & realiter distinguuntur.

Tertiò, ex D. Thom. loco citato, simplex mutatio, prout distinguitur à motu, solùm includit duos terminos, & per hoc distinguitur à motu, motus enim, cùm sit de subiecto in subiectum, siue inter duos terminos positiuos, includit quatuor terminos: verbi gratiâ calefactio tendit à frigore, ad non esse frigoris, & à non esse caloris, ad calorem: simplex autem mutatio tantùm est de non subiecto in subiectum, aut econtra, id est, à priuatione ad habitum, vel econtra, vt de non lucido in lucidum: & ideo ad illam solùm requiruntur duo termini, scilicet priuatio, vel negatio, & habitus, siue forma opposita: sed in generatione & corruptione sunt quatuor inter se realiter distincti termini, scilicet forma præcedens, non esse illius, non esse formæ genitæ, & ipsa forma: ergo generatio & corruptio non sunt vna, sed plures realiter & formaliter mutationes.

Quartò, Corruptio est mutatio priuatiua, generatio autem est mutatio positiua: sed priuatio, cùm nihil sit, non potest esse formaliter, aut identicè idem cum eo, quod est verum ens reale, aliàs ens, & non ens essent idem, quod est impossibile: ergo nec priuatiua mutatio, quæ terminatur ad priuationem, potest esse idem formaliter, aut realiter cum positiua mutatione, quæ terminatur ad ens. Ex quo patet quòd motus non est vnum ens, aut quid simplex, cùm coalescat ex duabus mutationibus, vna priuatiua, alia positiua.

Probatur tertia para conclusionis authoritate Aristot. hic textu 17. vbi sic ait: *Interitus huius, alterius est ortus, & econtra ortus huius, alterius interitus*: Quod exponens D. Thom. ait: *Vno corrupto generatur aliud, & vno generato aliud corrumpitur, & sic consideratur quidam circulus in generatione & corruptione.* Idem docet loco supra citato, sic enim loquens de generatione & corruptione concludit: *Non autem significatur eadem mutatio, sed diuersa, tamen se inuicem concomitantes, quia generatio vnius, non est sine corruptione alterius.*

Secundò, materia prima non potest esse denudata ab omni forma, nec potest simul habere plures, vt dictum est in Physicis: ergo necessariò ad introductionem vnius expellitur alia, & ad expulsionem vnius introducitur alia, & sic generatio connaturaliter contingens, & corruptio se mutuò concomitantur.

Probatur quarta pars conclusionis. Generatio substantialis non est essentialiter, sed tantùm connaturaliter mutatio, vt dictum est supra, & probatum hac instantia, quando scilicet ex speciebus Sacramentalibus generantur vermes, aut quid aliud: ergo supernaturaliter potest esse sine corruptione substantiali, nihil enim substantiale corrumpitur in instantia allata, & ita non absolutè, sed tantùm connaturaliter generatio vnius est corruptio alterius concomitanter.

Probatur & explicatur quinta pars conclusionis quantùm ad accidentia opposita, de quibus tantùm procedit. Cùm talia accidentia sint opposita, ac propriè contraria, se mutuò expellunt ab eodem subiecto, ac proinde dum introducitur, & generatur calor, v. g. expellitur & corrumpitur frigus. Sed tamen sciendum est ex D.Th. q.28. de veritate art.6. quòd in oppositis aliquando vtrumque est positiuum, vt album & nigrum, & tunc inter illa sunt diuersæ realiter mutationes, quamuis sit vnus motus: aliquando verò vnum tantùm oppositum est positiuum, aliud verò negatiuum, vt patet in oppositis secundùm affirmationem & negationem, siue secundùm priuationem & habitum, vt album & non album, & tunc inter illa est solùm vna realis mutatio: vnde secundùm rem idem est generatio albi, & corruptio non albi, sicut non esse tenebræ est idem ac ipsa lux, nam forma, per quam expellitur tenebra, est ipsa lux, & hoc iuxta axioma Dialecticorum, qui dicunt duas negationes affirmare, & idem esse aërem non esse tenebrosum, ac esse lucidum, quod debet intelligi de subiecto capaci, tam formæ, quàm priuationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd priuatio potest sumi dupliciter, vel vt est remotio entis, & sic suo modo est à parte rei, & in hoc sensu non accipit D.Th. corruptionem, quia sic distinguitur distinctione reali negatiuâ à quouis ente, vel sumitur per modum entis ab intellectu confícti, & vt sic, cùm sit tantùm per rationem, solâ ratione dicitur distingui ab alio ente, & in hoc sensu loquitur D. Thom. de corruptione.

Ad secundum dicendum, quòd eadem numero actio potest habere plures effectus, maximè quia subiectatur in agente, effectus verò sunt extra: vnde eadem calefactio actiua ignis non solùm producit plures calores, & plures calefactiones passiuas, sed etiam causat, & corruptionem ligni, & generationem alterius ignis.

Ad tertium dicendum, quòd generatio vnius est corruptio alterius, non formaliter & identicè, sed concomitanter, vt dictum est. Ad primam instantiam dicendum, quòd sufficit vt in nutritione sit noua aggeneratio, quæ est partialis generatio, vt infra dicetur. Ad secundam dicendum, quòd illa generatio vermium non est omnino naturalis, nam præsuppositiuè est miraculosa: quando autem dicitur quòd generatio vnius est corruptio alterius, hoc intelligitur quando tam generatio, quàm corruptio contingit omnino connaturaliter, Aristotel. quippe hanc solùm agnouit, vnde absolutè pronuntiauit hoc axioma.

Articulus V.

Vtrùm generatio & corruptio habeant inter se mutuum ordinem prioris & posterioris in diuerso genere causæ?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd generatio & corruptio non habeant mutuum ordinem inter se prioris & posterioris in diuerso genere causæ. Ita tenent Suares disp. 27. Metaph. sect. 11. & alij, qui dicunt corruptionem nullo modo esse priorem respectu generationis, sed omnino posteriorem naturâ, & in eodem instanti eam coomitari. Probatur generalibus argumentis, quibus probatur esse impossibilis hæc prioritas & posterioritas in diuerso genere causæ. Deinde forma corrumpenda non expellitur, nisi quia alia forma introducitur, nam vna forma expellit aliam ratione incompossibilitatis, quam habet cum illa in eodem subiecto: ergo nullo modo potest intelligi illam expelli, priusquam hæc introducatur, & consequenter corruptio nullo modo est prior generatione.

§ 2. Præterea, Effectus secundarius formæ nullo modo potest esse prior suâ causâ formali, quia si est secundarius ex eo quòd subsequitur primarium, multò magis subsequitur ipsam formam, quæ præcedit effectum primarium: sed corruptio formæ præexistentis est effectus secundarius generationis, nam per generationem introducitur forma genita, quæ est eius effectus primarius, & mediante illa expellitur præcedens, ac ita est effectus secundarius: ergo corruptio nullo modo potest esse prior generatione.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis citata articulo vltimo quæstionis præcedentis, & D.Th. quos communiter sequuntur Thomistæ, & alij ibidem citati.

CONCLVSIO.

Cùm causæ sint sibi inuicem causæ, & corruptio se teneat ex parte causæ materialis, generatio verò ex parte causæ efficientis, finalis, & formalis, generatio & corruptio habent inter se mutuum ordinem prioris & posterioris in diuerso genere causæ.

RESPONDEO dicendum, quòd generatio est prior corruptione in ordine intentionis, ac ex parte agentis,

vnde est prior in genere causæ finalis, efficientis, & formalis. 2. corruptio autem est prior generatione in ordine executionis, & ex parte materiæ, ac proinde in genere causæ materialis, non propriæ, sed reductiuæ, cùm sit mutatio priuatiua, & eius terminus priuatio formæ præexistentis. 3. hæc autem mutua prioritas & posterioritas est tantùm rationis, quia corruptio sumitur in facto esse, si enim sumeretur in fieri, prioritas corruptionis in ordine executionis, & ex parte materiæ esset prioritas durationis realis.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. in 4. d. 17. q. 1. art. 4. vbi sic ait: *Omnis prioritas secundùm ordinem naturæ aliquo modo reducitur ad ordinem causæ, & causati &c. ex parte autem causæ materialis se tenet secundùm quamdam reductionem omne illud, per quod materia efficitur propria huius formæ, sicut sunt dispositiones & emotiones impedimentorum; & ideo in generatione naturali, quando corruptio vnius est generatio alterius, & per hoc quòd forma vna inducitur, alia expellitur, remotio formæ præexistentis se tenet ex parte causæ materialis; & ideo secundùm ordinem causæ materialis præcedit naturaliter introductionem alterius formæ: sed secundùm ordinem causæ formalis est econuerso, & quia forma, & finis, & agens incidunt in idem numero, vel specie: ideo & in ordine causæ efficientis introductio formæ prior est, quia forma introducta est similitudo formæ agentis, per quam agens agit: & similiter in ordine causæ finalis, quia natura principaliter intendit introductionem formæ, & ad hanc ordinat expulsionem omnis eius, cum quo stare non potest forma introductio.* Item 1.2. q. 113. art. 8. ad 1. docet quòd illuminare ex parte Solis agentis est prius, quàm expellere tenebras, tamen ex parte Aëris prius est purgari à tenebris, quàm consequi lumen ordine naturæ: licèt vtrumque sit simul tempore.

Probatur ratione prima pars conclusionis. Generatio per se primò, siue ratione sui intenditur, tum ex parte naturæ vniuersalis, tum ex parte agentis particularis, corruptio autem, cùm non sit in se bona, ideo solùm est de secundaria intentione: sed quod est de primaria intentione est prius in ordine intentionis, ac ex parte agentis, eo quod est tantùm de secundaria intentione, vt ex ipsis constat terminis: ergo generatio est prior corruptione in ordine intentionis, ac ex parte agentis, ac proinde est prior in genere causæ finalis, quia expulsio formæ, quæ est corruptio, ordinatur à natura ad introductionem nouæ formæ, quæ est generatio, tanquam ad suum finem: in genere causæ efficientis, quia id, quo mediante causa efficiens aliquid agit, reducitur ad genus causæ efficientis, & est prius in hoc genere eo, quod ad illud subsequitur, constat autem quòd causa efficiens ex intentione quàm habet generandi, dum agit causat corruptionem: in genere causæ formalis, non quòd ipsa formalis generatio in executione, siue introductio formæ priùs sit, quàm expulsio præexistentis, quæ est corruptio, sed quia ipsa alteratio, quæ est inchoata generatio, inquantum ad generationem ordinatur ex primaria intentione, præcedat corruptionem.

Probatur secunda pars conclusionis, tum generali illo principio: Quod est prius in intentione, est posterius in executione, & econtra, quod est posterius in intentione, est prius in executione: ergo cùm corruptio sit posterior generatione in ordine intentionis, est prior in ordine executionis: tum quia materia prima quamdiu habet vnam formam substantialem, est impedita ad hoc, vt aliam recipiat, quia vna forma substantialis est incompossibilis simul cum alia in eadem materia, ac proinde introductio vnius pendet ab expulsione alterius: ergo corruptio est prior in ordine executionis, & ex parte materiæ, ac proinde in genere causæ materialis: constat autem quòd id, quod se tenet ex parte materiæ, vel per modum dispositionis, vel per modum purgationis ab impedientibus introductionem & receptionem formæ, reducitur ad genus causæ materialis, & est prius in hoc genere causæ tali introductione & receptione, vt patet in exemplo expulsionis tenebrarum, & illuminationis Aëris adducto à D.Thom. & in alio ab antiquis recepto, scilicet de apertione passiua fenestræ continuò causata ex vi venti continuò ingredientis, nam & expulsio tenebrarum, & apertio passiua fenestræ præcedunt in genere causæ materialis, sed illuminatio & ingressus venti sunt priores in genere causæ efficientis.

Probatur tertia pars conclusionis. Cùm generatio fiat per primum sui esse, siue in instanti intrinseco, ita vt sit verum dicere, nunc primò res est, sicut & eius generatio immediatè ante non erat: & corruptio in facto esse sit per primum non esse rei, ita vt sit verum dicere, nunc primò res non est, immediatè ante erat: quod idem est ac dicere, nunc primò est ipsius rei corruptio totalis & in facto esse: nam eo ipso quòd res non est, ipsa corruptio rei est, sequitur quòd in eodem nunc, siue instanti reali sint generatio & corruptio in facto esse: si autem corruptio sumatur in fieri, cùm vt sic commensuretur in duratione ipsi rei corrumpendæ, & res duret toto tempore præcedenti instans subsequentis generationis, corruptio in fieri præcedit talem generationem duratione reali.

Ad primum ergo dicendum, quòd antecedens est verum, si ly (quia) importet genus causæ efficientis, formalis, & finalis: nam cùm prioritas & dependentia causarum tantùm petat esse prioritas (à quo) non verò semper realis (in quo) optimè explicatur per ly (quia:) vnde distinguendum est consequens: si ly (prius) intelligatur in eodem genere causæ efficientis, formalis, & finalis concedenda est consequentia: neganda verò si intelligatur in genere causæ materialis.

Ad secundum dicendum, quòd generatio præcisè sumpta, sicut & corruptio non sunt actiones distinctæ ab alteratione præcedenti, sed sunt termini secundarij, vt explicatum est supra, ita tamen vt corruptio antecedat duratione generationem, vnde absolutè corruptio non est effectus formalis secundarius generationis, vt condistinctæ ab alteratione, sed est effectus alterationis, formalis & secundarius. Deinde dato hoc, argumentum tamen non conuincit, maior enim est tantùm vera de effectu secundario, vt sic reduplicatiuè sumpto, non autem absolutè: quia licet in vno genere sit effectus, in alio genere potest esse causa, & prior: cùm enim causæ sint sibi inuicem causæ, habent mutuum ordinem prioris & posterioris in diuerso genere, duratione autem sunt simul.

Articulus VI.

Vtrùm in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam?

Ad sextum sic proceditur. Videtur quòd in corruptione substantiali non fiat resolutio vsque ad materiam primam. Ita Scotus, & plures alij extra scholam D.Thom. Probatur authoritate eiusdem S.Doctoris, & Aristotelis. Philosophus quidem in hoc lib. cap.4. dicit quòd quando ex Aëre fit Aqua, manet eadem diaphaneitas D. Thom. autem 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 2. ait quòd calor, qui disponit materiam ad recipiendam formam ignis, adueniente formâ remanet, quasi quidam effectus talis formæ. Item 4. contra gentes cap. 81. & alibi dicit, quòd materia manet sub eisdem dimensionibus, ex quibus habeat, vt esset materia indiuiduabilis. Item Auerroës in libro de substantia orbis cap.1 dicit non solùm dimensiones interminatas, quas simplices vocat, remanere easdem in genito, sed vniuersaliter qualitates omnes communes genito & corrupto: ergo in corruptione substantiali non fit resolutio vsque ad materiam primam.

¶ 2. Præterea, Videmus in homine mortuo eamdem figuram, eamdem cicatricem, & sentimus eumdem calorem, quem habebat dum viueret. Deinde experimur in

fructibus,

fructibus, & herbis ficcis, ac mortuis eumdem saporem, odorem, virtutem medicinalem, & similia, quæ habebant dum viuerent; sensus autem non falluntur circa sensibilia propria. Denique si canis sursum proiectus moriatur in medio tractu, nihilominus remanet idem impulsus & motus, vt visu ipso constat: ergo eadem accidentia remanent in genito, quæ erant in corrupto: nec potest dici quòd sint similia, & non eadem, quia non est assignabilis causa à qua producantur hæc noua accidentia, vt constat inductione: ac proinde in corruptione substantiali non fit resolutio vsque ad materiam primam.

§ 3. Præterea, Si fieret resolutio vsque ad materiam primam in corruptione substantiali, sequentia absurda deberent concedi. 1. Quòd calor destruat calorem, v.g. si calor, qui erat in ligno, pereat adueniente formâ ignis: cùm tamen omnes fateantur quòd calor conseruet calorem. 2. Quòd non esset facilior transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola: si enim debent in generatione destrui dispositiones vtriusque, non est maior ratio de vno, quàm de alio. 3. Quòd natura operatur frustra, v. g. si in instanti generationis pereat omnis organisatio præcedens; imò non esset possibilis generatio, quæ tantùm fit positâ organisatione & dispositionibus, quæ nisi adsint materiæ primæ in instanti generationis, non apparet quomodo possit fieri generatio, nec à quo producatur noua organisatio. 4. Tandem si materia denudatur in corruptione omnibus qualitatibus, non est maior ratio, cur magis proficiant cibi pretiosi, quàm viliores, cùm sit materia eiusdem rationis in omnibus: ergo in corruptione substantiali non fit resolutio vsque ad materiam primam.

§ 4. Præterea, In homine saltem quantitas subiectatur in sola materia prima, cùm enim anima rationalis sit spiritualis & indiuisibilis, non potest in se recipere etiam partialiter accidens corporeum & diuisibile, aliàs coextenderetur ab illo, necessariò enim participaret eius effectum formalem: ergo in corruptione substantiali remanet eadem quantitas, cùm proprium remanet subiectum, & sic non fit resolutio vsque ad materiam primam.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in præsenti, & D.Thom. quos communiter sequuntur antiqui Philosophi, & omnes discipuli D.Thom.

Conclusio.

Cùm generatio substantialis fiat in materia prima nuda, tam ab omni forma substantiali, quàm accidentali, in corruptione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam.

Respondeo dicendum, quòd in corruptione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam, siue quod idem est, non remanent eadem accidentia numero in genito, quæ erant in corrupto. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd in præsenti non inquirimus vtrùm in corruptione remaneat materia nuda, nam vt constat ex Physicis, implicat materiam primam esse sine forma, & sic recedente vnâ aduenit alia: nec etiam quærimus vtrùm in corruptione substantiali fiat resolutio quoad formas substantiales vsque ad materiam primam, quia vt dictum est, non dantur plures formæ substantiales in eodem composito, & sic difficultas solùm procedit quoad formas accidentales.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis, & D.Th. Philosophus hîc textu 23. sic ait: *Quando autem totum transmutatur, non manente aliquo sensibili, vt subiecto eodem, sed quasi ex semine toto sanguis, aut ex aqua aer: generatio iam hoc tale, huius autem corruptio.* Quod sic exponit D.Thom. lect.10. *Dicit ergo primò quòd quando est transmutatio, non solùm secundùm passiones, sed etiam secundùm totam rei substantiam: inquantum scilicet materia accipit aliam formam substantialem, ita scilicet quòd non maneat aliquod sensibile, quasi sit idem subiecto numero ens actu: putà quando ex toto semine generatur totus sanguis, talis transmutatio est vnius generatio, & alterius corruptio.* Nec valet responsio Suaris quòd Aristoteles per subiectum sensibile intelligit compositum, & non materiam primam habentem accidentia sensibilia. Nam contra. Ipsum compositum ratione sui non est sensibile, sed tantùm per accidentia, vnde si ipsa inhærent in materia, & materia remanet cum illis; reuera remanet subiectum sensibile in generatione, quod est contra Philosophum. Deinde hæc solutio est contra D.Thom. vt patet ex his, quæ paulò post in eadem lect. subdit: ait enim: *Sed dubitatur vtrùm eadem passio numero, quæ sit altera pars contrarietatis, possit esse in genito & corrupto, &c. dicendum ergo, quòd non manet idem numero accidens, sed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti recedente formâ, quæ prius erat talis accidentis, & aduenit simile accidens consequens formam de nouo aduenientem.*

Secundò, Aristoteles cap. de substantia, postquam probauit omnia prædicata, tam substantialia, quàm accidentalia esse realiter in primis substantiis, quæ sunt singularia, & indiuidua: sic ait: *Non ergo existentibus primis substantiis, impossibile est aliquid aliorum esse:* Quem locum referens, & exponens D.Thom. opusc.48. tract.2.cap.2. hæc habet: *Sciendum tamen est quod esse essentia per prius conuenit speciebus, quia sola species definitur, & definitio significat esse essentiæ, & per posterius dicitur de indiuiduo, seu conuenit ei: esse autem existentia per prius conuenit indiuiduis (ablato enim esse indiuiduorum impossibile est aliquid aliud remanere, vt Philosophus dicit in libro prædicamentorum) posterius autem conuenit ipsis speciebus.* Nec valet duplex solutio, quam adhibet Suares: prima quidem quòd Philosophus non dixit, quòd non remaneant accidentia destructa primâ substantiâ, sed dixit in plurali, non existentibus primis substantiis, id est, si vnâ corruptâ non adueniret alia, sed omnes destruerentur. Secunda autem quòd Philosophus intelligit de destructione totali primæ substantiæ, id est, & quantùm ad materiam, & quantùm ad formam. Nam contra. Prima solutio est contraria textui, nam Philosophus exemplificat in prima substantia particulari. Deinde Aristoteles non existimauit posse fieri quòd corruptâ vnâ primâ substantiâ, non succedat alia, cùm econtra asseueret quòd corruptio vnius sit generatio alterius, & ita non intelligit de destructione omnium primarum substantiarum. Secunda etiam solutio est contra eumdem Philosophum, quia non nouit desitionem substantiæ primæ, & quoad formam, & quoad materiam simul, hæc enim naturaliter non est possibilis. Tandem est contra D.Thom. loco citato.

Tertiò, generatio substantialis recipitur in materia prima denudata, tum ab omni forma substantiali, tum accidentali, vt supra dictum est, ita vt forma de nouo genita recipiatur in materia nuda: ergo in corruptione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam, si enim quid remaneret in ipsa forma, non reciperetur in ipsa denudata ab omnibus.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & D.Thom. in primo loco debent intelligi quòd remanet eadem diaphaneitas, & idem calor, non numero, sed specie: ita se, & Aristotelem explicat D.Thom. loco postea citando. In illo verò contra gentes respondet argumentis infidelium negantium resurrectionem, & ideo ex concessis ipsorum, qui dicebant formam remanere, & etiam materiam sub eisdem dimensionibus, ostendit possibilitatem resurrectionis, quod est argumentari ad hominem; deinde verò soluit eadem argumenta ex veris fundamentis: dicit enim quòd corporeitas, prout dicit tres dimensiones quæ corporis rationem constituunt, in nihilum cedit corpore humano corrupto: ita communiter explicant Thomistæ, & ita D.Thom. est pro nobis: probat tamen quòd idem numero resurget, quia remanet corporeitas, prout in homine non est aliud, quàm anima rationalis tribuens esse corporeum, ex quo sequitur quantitas: vnde quando dicit materiam primam subesse dimensionibus interminatis, priusquam formæ, vel intelligit in prioritate naturæ in vno genere causæ materialis,

vel intelligit de forma præcisè secundùm gradum specificum, vel loquitur non in propria, sed in sententia commentatoris, quem sæpe refert in his libris, qui commentator in hoc errauit.

Ad secundum dicendum, quòd in cadauere non est eadem figura, cicatrix, aut calor numero, sicut nec idem sapor, odor, & virtus in fructibus, & herbis siccis: nec etiam idem impulsus, aut motus in cane mortuo, sed sunt similia accidentia iis, quæ erant in subiectis viuis, producta à generante cadauera, quòd generans se habet per modum causæ æquiuocæ, quæ ex determinatione subiecti producit potiùs hunc effectum, quàm illum: hæc autem accidentia non consequuntur ratione formæ cadaueris secundùm se sumptæ, imò ei sæpe repugnant, nam propter illa tendit in corruptionem, sed consequuntur ratione materiæ primæ sic determinatæ per dispositiones antecedentes, quæ fuerunt in corpore viuo: & hoc ita aduenit, quia forma cadaueris non est per se intenta à natura, sed per accidens, & aliquantulùm suppleat vicem formæ viuentis: quia cùm corruptio viuentis sit subitanea, non potest introduci in materia alia forma diu permanens, quæ peculiares exigit dispositiones, non tam citò introducibiles: & ideo cùm forma cadaueris substituatur pro forma viua, vt eius similitudo, & vmbra, requirit saltem in principio easdem dispositiones, quæ in fine erant in viuente: easdem, inquam, in specie dum omnino et non repugnant, licèt aliqualiter repugnent, sensus autem in hoc est corrigendus per rationem: quia licèt non erret circa sensibile proprium, errat tamen circa sensibile commune: identitas autem, vel diuersitas numerica ad summum est sensibile commune: vnde si oculus respiceret vnum subiectum album vsque ad hoc instans exclusiuè, & in eodem instanti Deus destrueret illam albedinem, & produceret aliam similem, oculus minimè perciperet corruptionem vnius & generationem alterius.

Ad tertium dicendum, quòd ex nostra positione nullum sequitur absurdum, nam calor non destruit in illo casu calorem directè & per se, sed per accidens & consecutiuè corrumpendo subiectum, quod non est absurdum: aliquid autem quatuor modis corrumpitur, vt docet D.Thom. q.2. de virtutibus art.12. vel per absentiam causæ conseruantis, vel per destructionem subiecti, vel actionem contrarij, vel ad desitionem termini in relatiuis. Ad aliud dicendum cum D.Thom. 7. Metaph. textu 8. quòd non remanet in tali transmutatione eadem qualitas numero, sed specie, vnde licèt oporteat ambas qualitates corrumpi, tamen quia qualitas symbola minùs resistit, imò nullo modo, contraria verò resistit, ideo faciliot est transitus: hæc D.Thom. Ad aliud dicendum quòd hæc organisatio præcedens non inducitur frustra, quia determinat materiam ad aliam organisationem nobiliorem, & connaturalem, v.g. animæ rationali, sed cum ipsa incompossibilem, sicut incompossibiles ipsæ formæ, ad quas consequuntur: & propterea tam organisatio, quàm aliæ dispositiones sunt causa generationis, quia mediantibus illis manet materia sigillata ad formam illam, ad quam organisatio, & dispositiones ordinabantur: quando autem hæc accidentia corrumpuntur ad corruptionem subiecti, simul & semel cum subiecto corrumpuntur, & ipsa corrumpunt aliquando subiectum, quando scilicet pertingunt ad intensionem incompossibilem formæ subiecti, & etiam per accidens concurrunt ad corruptionem propriam. Ad aliud tandem dicendum quòd viliores & crassiores cibi, dum manent sub propria specie in stomacho, possunt nocere, quia habent qualitates nociuas saluti hominis, cibi verò pretiosi habent qualitates benignas & attemperatas, & sic manentes sub propria specie in stomacho prosunt.

Ad quartum dicendum, quòd subiectum primò receptiuum, (& quod) quantitatis, est totum compositum: tam materia autem, quàm anima rationalis sunt subiectum (quo) inquantum anima dat esse corporeum materiæ, ad quod consequitur quantitas: non est autem necesse, quòd subiectum (quo) hoc modo coextendatur per quantitatem, quantitas enim non extendit nisi ea, quæ sunt sibi proportionata & commensurata vt materiam primam, quæ est radix ipsius, & formas valde immersas materiæ, non autem alias eleuatas ab ipsa, vt sunt formæ perfectorum animalium, & maximè anima rationalis, quæ habet esse spirituale (vt quod:) nec valet argumentari à coniunctis ad diuisa, vt si dicatur, totus homo nihil est quàm materia & forma: ergo si totus homo est diuisibilis, siue extensus, etiam materia & forma sunt diuisibiles & extensæ.

QVÆSTIO XI.

De Alteratione.

Post considerationem generationis & corruptionis substantialis, statim sequitur agendum de alteratione, quæ prædictas motiones per se primò his in libris inspectas causas, & alios motus, putà nutritionem, augmentationem, &c. de quibus hic agitur, præcedit: circa alterationem autem quæruntur septem.

- Primò, Vtrùm alteratio rectè definiatur ab Aristotele?
- Secundò, Vtrùm alteratio adæquatè diuidatur in intensionem & remissionem?
- Tertiò, Vtrùm ad aliud prædicamentum quàm ad qualitatem possit terminari motus intensionis & remissionis?
- Quartò, Vtrùm omnes qualitates possint intendi & remitti?
- Quintò, Vtrùm intensio & remissio qualitatis fiat per maiorem vel minorem radicationem in subiecto?
- Sextò, Vtrùm motus alterationis sit continuus?
- Septimò, Vtrùm qualitas extendatur per additionem qualitatis ad qualitatem?

Articvlvs I.

Vtrùm alteratio rectè definiatur ab Aristotele?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd alteratio non rectè definitur ab Aristotele sic textu 23. *Alteratio quidem est, quando manente subiecto sensibili existente transmutatur in eius passionibus, aut contrariis entibus, aut mediis.* Probatur. Philosophus post traditam hanc definitionem, affert exemplum in corpore, quod transmutatur in sanitatem, vel infirmitatem, quæ sunt qualitates primæ speciei. Item in metallo, quod transmutatur in varias figuras, vt rotundam, & angularem, quæ sunt qualitates quartæ speciei, vt ibidem asserit D.Thom. ergo malè definit, quòd alteratio sit transmutatio in passionibus, &c. quæ pertinent ad tertiam speciem qualitatis.

¶ 2. Præterea, Datur per se motus intensionis & remissionis, ac proinde alterationis ad habitus, putà iustitiæ & erroris, nam isti habitus habent alios contrarios, scilicet iustitiæ & veritatis, & insuper habent latitudinem, quæ duo sufficiunt ad talem motum: habitus autem sunt qualitates primæ speciei: ergo non rectè definitur alteratio, quòd sit transmutatio in passionibus, &c. quæ pertinent ad tertiam speciem qualitatis.

Sed contra est authoritas Aristotelis sic definientis, quam definitionem admittit D. Thom. vt legitimam & communiter eius discipuli.

Conclvsio.

Cùm hæc definitio tradatur per subiectum alterationis, & explicet naturam illius, est legitima.

Respondeo dicendum, quòd rectè definitur alteratio ab Aristotele prædicta definitione: quam sic exponit D.Thom. lect. 10. dicens: *Subiungit quòd alteratio est, quando manet idem subiectum sensibile, scilicet quando nullâ*

nullâ transmutatione in eius substantia factâ, fit transmutatio in passionibus eius, scilicet qualitatibus ipsis: neque est differentia quantùm ad hoc, vtrùm fiat transmutatio secundùm contraria extrema, vel secundùm media, putà vtrùm de albo in nigrum, vel de rubeo in pallidum. Ad cuius euidentiam sciendum est alterationem sumi quatuor modis. Primò latissimè pro qualibet mutatione accidentali, quia per quamlibet res alteratur, siue fit altera: nam sicut differentia essentialis facit aliud & diuersum in essentia, sic accidentalis facit alterum, siue alteratum: per quamlibet autem mutationem accidentalem introducitur forma dans talem differentiam accidentalem. Secundò sumitur non ita latè pro mutatione terminata ad solam qualitatem, quia qualitas peculiariter facit alterum, vel alteratum, vt communiter docent Philosophi. Tertiò sumitur strictiùs pro omni, & sola mutatione Physica quæ sit actus imperfecti, & per quam qualitas eidem proportionata producitur. Quartò denique sumitur propriè pro mutatione accidentali quæ sit actus imperfecti, & habeat contrarietatem requisitam ad verum, & rigorosum motum, quæ contrarietas cum latitudine requisita solùm reperitur in qualitatibus tertiæ speciei ex D.Thom. 1. 2. quæst. 50. art. 1. ad 3. hîc autem non agitur de alteratione secundùm primam acceptionem, cùm vt sic sit valde impropria, & comprehendat etiam augmentationem, quæ terminatur ad quantitatem formam accidentalem. Nec etiam iuxta secundam acceptionem, cùm vt sic comprehendat mutationes purè spirituales, & quoad modum, & quoad substantiam, & ideo excedunt limites Physicæ. Sed agitur, in tertia acceptione, prout includit alterationem, & successiuam, & instantaneam, quæ sit actus imperfecti eo modo, quo in Physicis agitur de motu: & multò magis hîc agitur de alteratione in quarta acceptione propria, & maximè prout deseruit generationi introducens dispositiones necessarias ad illam: alteratio enim propriè sumpta dicit etiam passionem propriè dictam, vt docet D.Thom. & consequenter importat introductionem vnius qualitatis disconuenientis in subiecto, & expulsionem alterius illi conuenientis: nam per introductionem qualitatis congruæ, & conuenientis subiecto non dicitur propriè & rigorosè pati aut alterari, sed potiùs perfici & in suo esse confirmari: præsens tamen definitio solùm conuenit alterationi sumptæ quarto modo.

Probatur conclusio. Definitio accidentis vltra hoc quòd explicet naturam eius, debet, vt sit recta, tradi per subiectum vt dictum est in Logica, ex D.Thom. de sensu, & sensato lect. 6. cum hac differentia, quòd si definiatur in concreto, subiectum ponatur loco generis, si verò definiatur in abstracto, subiectum ponatur loco differentiæ, id autem quod pertinet ad genus accidentis, ponitur loco generis, vt contingit in hac definitione alterationis in abstracto: ergo hæc definitio est legitima.

Potest autem ex illa sic formari alia definitio clarior: alteratio est motus substantiæ completæ mobilis ab vna in aliam passionem, vel passibilem qualitatem, habentem latitudinem cum contrarietate: quæ definitio est tantùm descriptiua, & non rigorosa, quia motus, qui ponitur loco generis, non est genus, sed est post prædicamentum. In hac definitione ponitur ly (substantiæ completæ) per quod differt alteratio à generatione, cuius subiectum est substantia incompleta, scilicet materia. Ponitur autem ly (mobilis ab vna in aliam passionem, vel passibilem qualitatem) quia solùm ad qualitates tertiæ speciei datur alteratio, vt ait D.Thom. loco citato, & infra patebit. Ponitur vltimo ly (habentem latitudinem cum contrarietate) quia licèt solæ qualitates tertiæ speciei terminent per se motum alterationis, non tamen in omnibus sunt conditiones requisitæ ad terminandum, sed solùm in illis, quæ debitam latitudinem habent cum contrarietate, scilicet quæ se mutuò ab eodem subiecto expellunt, ita quòd ad introductionem vnius per se loquendo deperdatur alia, ac proinde vna per se fiat ex alia, tanquam ex suo contrario, aliàs quoad hoc, quod est terminare motum, perinde se haberent, ac si non essent contrariæ.

AD primum ergo dicendum cum D.Thom. quòd licèt per se primò tantùm detur alteratio ad tertiam speciem qualitatis, tamen per accidens mediantibus aliquibus qualitatibus, & ex consequenti fit alteratio in aliis speciebus: nam per alterationem calidi & frigidi mutatur homo de sanitate ad ægritudinem, vel econtra: & per alterationem mollis, vel duri perducitur corpus ad aliquam figuram: & ita actio sanatiua est vera alteratio, quia primò per se tendit ad primas qualitates, ex quarum temperie resultat sanitas, quæ proinde primò & per se non terminat alterationem, sed resultat ex termino primario.

AD secundum dicendum cum eodem D.Thom. lib. 2. de anima lect. 11. quòd mutatio, quæ fit de vitio io virtutem, vel de errore in scientiam, non est alteratio, quia nec virtus fit ex vitio, nec scientia ex errore, sed per accidens præcedunt in eodem subiecto. Verba D.Thom. sunt: *Dicendum, quòd cùm aliquis ab errore reducitur ad scientiam veritatis, est ibi quadam similitudo alterationis, quia est de contrario ad contrarium, non tamen verè est ibi talis alteratio, nam alterationi, quæ est de contrario in contrarium, vtrumque per se & essentialiter competit, scilicet quòd fit à contrario, & quòd fit in contrarium, &c. sed in acquisitione scientiæ accidit, quòd ille qui acquirit scientiam veritatis, priùs fuerit in errore, absque hoc enim potest adduci ad scientiam veritatis, vnde non est verè alteratio de contrario in contrarium.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm alteratio adæquatè diuidatur in intensionem & remissionem?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd alteratio adæquatè diuidatur in intensionem & remissionem. Probatur. Latitudo qualitatis est sola intensibilitas & remissibilitas, quia qualitas solùm augetur, vel diminuitur per intensionem & remissionem: ergo alteratio ad qualitatem terminata adæquatè diuiditur in intensionem & remissionem, quia iuxta diuersam latitudinem termini tantùm est diuersitas motûs, vt patet in quantitate, nam ex eo quòd latitudo eius est maior vel minor quantitas, ideo motus ad illam terminatus adæquatè diuiditur in augmentationem & diminutionem.

§ 2. Præterea, Non est assignabile aliud membrum, præter intensionem & remissionem, in quod diuidatur motus alterationis: nam si esset, maximè ipsa simplex alteratio præcisè terminata ad qualitatem secundùm se absque latitudine: sed hæc alteratio, licèt esset possibilis, non potest esse motus, cùm motus necessariò requirat latitudinem in suo termino, vt dictum est in Physicis: ergo alteratio adæquatè diuiditur in intensionem & remissionem.

§ 3. Præterea, Qualitas naturaliter produci non potest, nisi vnita & communicata subiecto: ergo necessariò debet produci sub esse intenso, vel remisso, quia non potest esse vnita subiecto absque eo, quòd sit vel parum, vel multùm radicata: ac proinde cùm maior, vel minor radicatio dicant intensionem vel remissionem, omnis alteratio, quæ est motus ad qualitatem terminatus, est intensio vel remissio: & ita alteratio adæquatè diuiditur in intensionem & remissionem.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur Caietanus 2. 2. q. 24. Montesinus 1. 2. disp. 33. Bannes, & nostri Complutenses in præsenti, ac communiter alij Thomistæ.

CONCLVSIO.

Cùm motus specificetur, & distinguatur penes terminum (ad quem,) & triplex sit terminus (ad quem) alterationis communiter dicta, scilicet qualitas producta secundùm suum esse, ipsa vt maior, ipsaque vt minor: propterea sunt tres species alterationis, vnde non diuiditur adæquatè in intensionem & remissionem.

RESPONDEO

Respondeo dicendum, quòd alteratio communiter dicta, siue motus terminatus ad qualitatem diuiditur primò & adæquatè in alterationem specialiter dictam, intensionem & remissionem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd sæpe euenit in Philosophia, vt genus, & aliqua eius species habeant idem nomen, & hoc propter inopiam vocum: sicut dispositio generice sumpta diuiditur in dispositionem & habitum, tanquam in proprias species, sic in præsenti alteratio communiter dicta, quæ est quasi genus, & dicit motum terminatum ad qualitatem quomodocumque, diuiditur quasi in species in alterationem, intensionem & remissionem: nomine autem alterationis, quæ est quasi species prima huius diuisionis, intelligimus motum terminatum ad qualitatem producendo, & conseruando illam successiuè secundùm totum suum esse, & latitudinem, siue incrementum non interruptum, quod habet quamdiu durat illa actio, per quam prædicta qualitas educitur de potentia subiecti: intensio autem, quæ est secunda quasi species, non terminatur ad primam productionem qualitatis, supponit enim productam, sed ad nouum modum essendi ipsius qualitatis in eodem subiecto, secundùm quòd in illo magis radicatur, remissio tandem, quæ est quasi tertia species tendit ad esse remissum eiusdem qualitatis.

Probatur conclusio ratione Aristotelis, & D. Thom. Motus alterationis, sicut & alij, specificatur à termino (ad quem) vt dictum est in Physicis: sed terminus (ad quem) alterationis communiter dictæ est triplex, scilicet qualitas secundùm suum esse cum latitudine explicata in prima sui productione, esse intensum, & esse remissum illius, vt discurrenti patet: ergo est triplex motus ad qualitatem, siue tres quasi species alterationis communiter dictæ. Explicatur hæc ratio. Quando calor primò producitur ex frigore, tunc est verus motus alterationis, calor enim fit ex suo contrario, & calefactio illa incipit per vltimum non esse, & tamen hæc alteratio non est intensio aut remissio, quia non præsupponit qualitatem productam, sed potiùs illam producit, intensio verò & remissio præsupponunt productam, & hæc illam remittit, illa verò intendit: ergo sunt tres assignatæ quasi species alterationis, quia respiciunt terminos (ad quos) formaliter in esse termini distinctos: nam intensio respicit præcisè qualitatem, vt formaliter maiorem, & non tantùm materialiter: similiter remissio respicit qualitatem præcisè, vt formaliter minorem, & non tantùm materialiter: alteratio autem specialiter dicta respicit qualitatem, non vt formaliter maiorem aut minorem, per accidens enim illi est, quòd sit perfecta, vel imperfecta, sed respicit ipsam, vt primò productam quamuis materialiter sit maior aut minor: quod confirmatur exemplo augmentationis, diminutionis, ac primæ generationis, siue resultantiæ quantitatis: ait enim Arist. in hoc libro textu 31. sic: *Amplius autem talis transmutatio non augmentationis propria, sed generationis: augmentatio enim est inexistentis magnitudinis additamentum, diminutio autem minoramentum: ideo oportet habere aliquam magnitudinem id, quod augetur: quapropter non ex materia sine magnitudine oportet esse augmentationem in actum magnitudinis: generatio enim vtique erit magis corporis, non augmentatio.* Quæ verba D. Thom. ibidem lect. 13. exponens sic ait: *Ostendit propositum ratione sumptâ ex parte augmenti, & dicit quod talis transmutatio, qua scilicet fieret ex eo quòd solùm esset in potentia ad magnitudinem, non propriè pertineret ad augmentum, sed magis ad generationem, quia de ratione augmenti est, quod fiat additio ad præexistentem magnitudinem, dicitur enim aliquid augeri, ex eo quòd fiat maius, quod non esset, nisi aliquid prius esset magnum: & per oppositum de ratione diminutionis est, quod fiat quadam minoratio magnitudinis præexistentis. Vnde patet quòd oportet id, quod augetur, habere aliquam magnitudinem, & sic oportet quòd augmentatio fiat: non quidem quòd materia, quæ erat sine magnitudine in actu, perueniat ad hoc, quod habeat magnitudinem in actu, hoc enim non esset augmentatio corporis, sed generatio: enim rationis est quod fiat aliquid in actu, quod priùs fuit in potentia.* Hæc D. Thom. Sic proportione seruatâ alteratio correspondet generationi, siue resultantiæ primæ quantitatis, intensio augmentationi, & remissio diminutioni.

Ad primum ergo dicendum, quòd antecedens est verum, si intelligatur de intensibilitate & remissibilitate, prout ambit totam radicationem, quæ conuenit qualitati, tam in prima & non interrupta productione, quàm transactâ illâ: negatur tamen consequentia, quia talis intensibilitas & remissibilitas, vt terminat primam actionem productiuam qualitatis, est terminus alterationis, quasi specificæ: vt autem præsupponit qualitatem productam, est terminus intensionis & remissionis: & sic alteratio non terminatur ad qualitatem vtcumque, sed vt primò productam cum latitudine. Ad illud quod dicitur de motu terminato ad quantitatem, negatur paritas, quia quantitas in sui prima productione non producitur per motum, sed resoltat ad generationem substantiæ, nec vnquam ab illa separatur naturaliter, vt possit primò produci per motum, & ideò motus ad quantitatem adæquatè diuiditur in augmentationem & diminutionem. Si autem quantitas esset primò producibilis per motum, terminaret in sui prima productione motum distinctum ab augmentatione & diminutione, quia habet latitudinem distinctam à seipsa formaliter, vt terminat alios motus: tamen non est primò producibilis per motum, tum propter rationem dictam, tum quia non habet contrarium, nisi vt maior, aut minor formaliter, secundùm quas rationes terminat augmentationem & diminutionem.

Ad secundum dicendum, quòd tertium membrum est alteratio, quæ terminatur ad qualitatem, non vt excludit latitudinem, imò vt necessariò illam includit: sed essentialiter dicit quòd terminetur ad qualitatem primò productam, quæ sine dubio est intensa vel remissa, quamuis non respiciat illam determinatè sub esse intenso & remisso: sicut sic respiciunt determinatè intensio & remissio, & insuper illam necessariò præsupponunt productam: vnde alteratio respicit qualitatem primò productam cum aliqua latitudine, siue imperfecta, quam dicit remissio, siue perfecta, quam dicit intensio.

Ad tertium dicendum, quòd licèt non possit esse qualitas, nisi cum aliqua intensione, in hoc tamen differunt hi motus, quòd alteratio tendit ad qualitatem, vt ad terminum formalem: ad latitudinem verò, siue radicationem per illam productam, vt ad actualem terminationem, & modum intrinsecum talis termini: at verò motus intensionis tendit formaliter ad maiorem intensionem, non autem ad qualitatem, vt ad aliquid per illam productum: denique motus remissionis tendit formaliter ad remissionem qualitatis, & non ad qualitatem ipsam, quam præponit. Vnde ad rationem formalem terminatiuam motûs non requiritur necessariò, vt ipsamet latitudo sit id, quod specificat, & formaliter terminat motum, sed sufficit quòd ratio specificatiua afferat prædictam latitudinem, vt modum intrinsecum indispensabiliter desideratum ad talem terminationem: & sic prima productio caloris, quamdiu non interrumpitur, licèt sit successiua, & calor productus sit intensus, est tantùm alteratio, quæ simul habet rationem productiui respectu caloris, & conseruatiui eiusdem, secundùm quòd intendens conseruat productum: si autem calor iam productus per aliam actionem intendatur, siue si actio, qua primò producitur, interrumpatur, postea iterum agat, tunc non est alteratio, sed intensio, & proportionaliter dicendum de remissione.

Articvlvs

Articvlvs III.

Vtrùm ad omnia prædicamenta possit terminari motus intensionis & remissionis?

AD tertivm sic proceditur. Videtur quòd ad omnia prædicamenta possit terminari motus intensionis & remissionis. Probatur sigillatim, & primò de substantia. Inde colligimus qualitates esse intensas, quia nunc fortiùs agunt, quàm antea, vt constat in calore, & quia crescunt in propria perfectione, saluâ manente vnitate specificâ & numericâ, ac tandem quia magis actuant subiectum: sed hæc tria conueniunt substantiæ, nam eadem substantia nunc fortiùs agit per modum causæ principalis, quàm antea: deinde eadem crescit in perfectione substantiali, saluâ manente ratione specificâ & indiuiduali, nam D. Thom. 1. p. quæst. 89. art. 2. ad 1. docet animam coniunctam corpori esse perfectiorem seipsâ separatâ: & denique ipsa forma substantialis magis vel minùs actuat materiam: & propterea D. Thom. lect. 3. super 8. Metaphysicæ, quòd materia fortè suscipit magis & minùs: ergo substantia est intensibilis & remissibilis: ac proinde motus intensionis & remissionis potest terminari ad substantiam.

¶ 2. Præterea. De quantitate. Quantitas magis inest substantiæ, quàm alia accidentia, alia quippe accidentia insunt ratione quantitatis. propter quod autem vnum quodque tale, & illud magis: ergo quantitas est magis capax intentionis: nam ex D. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 5. catenus qualitas dicitur intendi, quatenus magis inest substantiæ. Deinde charitas vnius dicitur intensior charitate alterius, quia vnus plus habet de charitate, quàm alter: ergo similiter cùm vnum quantum plus habeat de quantitate, quàm aliud, dicetur intensius, & aliud remissius, & consequenter motus intensionis & remissionis potest terminari ad quantitatem.

¶ 3. Præterea, De relatione. Duo similia possunt fieri magis vel minùs similia, vt constat experientiâ: ergo signum est quòd similitudo, quæ est relatio, potest intendi & remitti, & sic motus intensionis & remissionis potest terminari ad relationem.

¶ 4. Præterea, De actione & passione, motúque eis annexo. Calefactio vt septem, siue vt actio, siue vt passio est fortior & intensior, quàm calefactio vt quatuor: nam imprimit intensiorem calorem, & in eadem parte subiecti crescit, ac fit perfectior: sed hoc est rei intensibilis & remissibilis: ergo motus intensionis & remissionis potest terminari ad actionem & passionem. Nec valet refundere hoc incrementum ad calorem terminum calefactionis, nam Aristoteles cap. 9. de prædicamentis agens de calefactione & frigefactione, vt sunt actiones & passiones sic ait: *Gradus enim suscipiunt, vt magis, atque minùs dicantur, fit enim, vt magis quidpiam, minúsue calefaciat.* Deinde ideo calor est intensior, quia fit per modum calefactionis fortiorem, ac magis intensum, vnde calor vt septem non potest fieri, nisi per calefactionem habentem latitudinem vt septem, & totidem intensionis gradus: ac proinde intensio priùs inuenitur in calefactione, quàm in calore, nec calefactio est intensibilis ratione caloris, sed econtra.

¶ 5. Præterea, Situs & habitus suscipiunt magis & minùs vt docet Aristoteles, & est manifestum, nam aliquis magis vel minùs sedet &c. magis vel minùs est vestitus: sed magis & minùs important intensionem & remissionem: ergo motus intensionis & remissionis, potest terminari ad situm & ad habitum.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. dicentium quòd motus alterationis, sub quo continetur intensio & remissio, solùm terminatur ad qualitates tertiæ speciei, vt dictum est art. 1. huius quæstionis, hos communiter sequuntur Thomistæ, & alij.

Conclvsio.

Cùm sola qualitas suscipiat magis & minùs, ad nullum aliud prædicamentum, quàm ad qualitatem potest terminari motus intensionis & remissionis.

Respondeo dicendum, quòd substantia non est intensibilis & remissibilis, ac proinde ad ipsam non potest terminari motus intensionis & remissionis 2. sicut nec ad quantitatem, siue continuam, siue discretam 3. nec ad relationem 4. nec ad actionem & passionem, aut motum eis coniunctum 5. nec ad vbi, Quando, situm & habitum 6. sed ad solam qualitatem, vnde ipsa sola suscipit propriè magis & minùs, intenditur & remittitur.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles cap. de substantia sic ait: *Substantia, non dicitur magis & minùs, neque cæterorum quidquam omnino, quæ substantiæ subeunt rationem*: D. Th. 1. p. q. 76. art. 4. dicit, esse substantiale cuiuslibet rei in indiuisibili consistit, & omnis additio & substractio variat speciem sicut in numeris, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, vnde impossibile est quòd forma substantialis quæcumque recipiat magis & minùs. Item q. 93. art. 3. ad 3. sic ait: *Vnum & idem indiuiduum non participat suam speciem quandóque magis, quandóque minùs, neque etiam à diuersis indiuiduis participatur species substantiæ secundùm magis & minùs*: Vnde aliud est, vt ait Aristoteles cap. de substantia, quòd vna substantia sit perfectior aliâ, aliud verò quòd suscipiat magis & minùs, siue quòd intendatur & remittatur: ad illud enim sufficit quòd eadem indiuisibilis essentia habeat perfectius esse in vno, quàm in alio, siue quòd inæqualiter participetur ratione inæqualium differentiarum, siue essentialium, siue indiuidualium: ad istud autem ex D. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. & alibi requiritur, quòd in ipsa essentia etiam indiuiduali sit latitudo quædam gradualis, ratione cuius possit secundùm seipsam augeri, vel minui: siue magis, aut minùs imprimi subiecto, quod repugnat substantiæ, vt docet D. Thom. 1. parte quæst. 93. art. 3. ad 3. & colligit Caietanus optimo signo: nam licèt vna substantia sit perfectior aliâ, eadem tamen non perficitur secundùm essentiam, Petrus enim non est magis homo nunc, quàm antea: qualitates verò non solùm ita se habent, vt vna sit perfectior aliâ, etiam indiuidualiter: sed eademmet, & in eadem parte subiecti perficitur, & recipit magis ac minùs.

Secundò, si daretur talis intensio & remissio substantiæ, essent modi simul substantiales & accidentales, substantiales quidem, quia sicut intensio & remissio accidentis, sunt modi accidentales, sic etiam intensio & remissio substantiæ, essent modi substantiales, vt constat ex paritate rationis: essent autem accidentales, quia supponerent esse simpliciter substantiæ, sicut intensio & remissio qualitatis supponunt esse qualitatis, quidquid autem aduenit enti, quod habet esse simpliciter, est accidentale, vt patet ex communi axiomate: sed est impossibile aliquid simul esse substantiale & accidentale intrinsecè: ergo est impossibile quòd substantia intendatur & remittatur, siue quòd terminet motum intensionis & remissionis.

Probatur secunda pars conclusionis quantùm ad quantitatem continuam, authoritate D. Thom. opusc. 48. tractatu. 3. Item 1. 2. quæst. 52. articulo 1. vbi sic ait: *Omnis forma, quæ substantialiter participatur in subiecto, caret intensione & remissione: vnde in genere substantiæ nihil dicitur secundùm magis & minùs: & quia quantitas propinqua est substantiæ, & figura etiam consequitur quantitatem, inde est quòd neque etiam in istis dicitur aliquid secundùm magis & minùs.* Vis autem huius rationis D. Thom. in hoc consistit, quòd quantitas habet propinquitatem cum substantia in ratione subiecti omnium accidentium materialium, quia est subiectum (quo) omnium illorum: quod autem est huiusmodi, debet cum substantia participare incapacitatem ad hoc, vt sit intensibile & remissibile, quia eo ipso eius essentia consistit in hoc, quòd habeat partes extra

partes: ideo enim substantia indiget quantitate tanquam subiecto, quo recipiat accidentia materialia, vt per illam extendatur, quod requiritur ad talem receptionem: huic autem quod est habere partem extra partem repugnat intensio & remissio, quia intensio petit quòd plures partes, aut quasi partes eiusdem formæ, sint in eadem parte subiecti, quod repugnat extensioni earumdem partium: & ita quantitas continua non est intensibilis & remissibilis.

Secundò, probatur quantùm ad quantitatem discretam authoritate Aristotelis in prædicamentis, & D. Thom. opusculo 48. & 1.2. quæst. 52. articulo 1. vbi sic ait: *Species numeri non dicuntur secundùm magis & minùs, quia vnaquæque species in eis constituitur per indiuisibilem vnitatem.* Cuius rationem affert D. Thom. his fere verbis: *Formæ de quarum ratione est indiuisibilitas, non suscipiunt magis & minùs, vt patet: sed de ratione quantitatis discretæ est indiuisibilitas, nam numerus verbi gratià ternarius petit tres vnitates, ita vt si addas, vel auferas, tollatur talis numerus: ergo nequit suscipere magis & minùs:* Quæ probatio potest etiam applicari ad orationem.

Probatur tertia pars conclusionis. Si quæ relatio susciperet magis & minùs, siue intenderetur ac remitteretur, maximè relatio similitudinis, qua duo sunt magis, vel minùs similia: sed hæc relatio non suscipit magis & minùs, nec intenditur aut remittitur: nam contra naturam formæ intensibilis est, quòd intendatur sine motu, seu absque actione intensiua ad ipsam saltem secundariò terminata: hîc autem non reperitur, nam idem manens idem fit similius per solam mutationem fundamenti similitudinis in termino verbi gratià albedinis, imò aliquando maior similitudo consurgit ex remissione eiusdem fundamenti, siue in relatiuo, siue in correlatiuo, vt si vnum simile esset album vt sex, & aliud album vt quatuor, tunc fiunt similiora, si albedo vnius remittatur, vel alterius intendatur: ergo motus intensionis & remissionis non terminatur per se ad relationem, sed tantùm aliquando ad eius fundamentum.

Probatur quarta pars conclusionis, tum authoritate Aristotelis, & D. Thom. 5. Physicorum, vbi dicunt quòd non datur motus per se terminatus ad actionem, passionem, & motum: ac proinde motus intensionis & remissionis non potest ad ipsa terminari; tum eorum ratione. Calefactio ideo suscipit magis & minùs, quia terminus aut principium eius, scilicet calor, suscipit magis & minùs, calefactio quippe actiua, quæ est actio, eò fit maior, quò calor eius principium crescit, & calefactio passiua, quæ est passio, eò etiam fit maior, quò maior euadit calor productus: ergo motus intensionis & remissionis non potest per se terminari ad actionem, passionem, & motum: quod enim conuenit alicui ratione alterius, non conuenit ei omnino per se, & secundùm se. Pro quo notandum est, quòd aliquid potest esse secundùm se tale dupliciter; primò, ita vt talis ratio illi conueniat ex vi alicuius intrinseci in eo existentis, ita tamen vt totum hoc ducat originem ab aliquo extrinseco, in quo formaliter per prius inuenitur, & quod est huiusmodi, quamuis secundùm se sit tale, non tamen est omnino secundùm se tale, & hoc modo intendi & remitti, siue suscipere magis & minùs conuenit per se actioni, passioni, motui &c. quæ specificantur ab intrinseca habitudine ad aliquid extrinsecum, non enim potest non conuenire per se, quod conuenit ab specificatiuo, cùm illi conueniat ex habitudine intrinseca & essentiali ad illud, hoc tamen non dicitur conuenire omnino secundùm se. Secundò, ita vt talis ratio ei radicaliter conueniat omnino per se, & secundùm ipsam, id est, non ratione alterius, tanquam radicis saltem extrinsecæ, cui formaliter prius conueniat, & hoc modo motus non est intensibilis & remissibilis secundùm se omnino, quia hoc illi conuenit à termino, à quo specificatur, scilicet conuenit calefactioni à calore: & similiter dicendum de calefactione, vt est passio: habet enim quòd sit maior vel minor secundùm intensionem vel remissionem caloris, qui recipitur: & deniq; idem dicendum de calefactione actiua, quæ est actio, habet enim quòd sit maior vel minor à calore, qui est principium eius, à quo specificatur, & ita intelligendus est D. Th. 1.2. quando dicit quòd motus secundùm se est intensior & remissior, nam loquitur ibi de motu terminato ad qualitatem intensibilem & remissibilem.

Probatur quinta pars conclusionis. Vnum corpus non dicitur esse nunc magis aut minùs in loco, quam antea, nec esse magis aut minùs in tempore nunc quàm postea, & similiter de situ & habitu: nam cùm motus per se primò terminetur ad occupationem loci, & ad applicationem rei habitæ, situs & habitus non recipiunt magis & minùs ratione sui, siue per se primò.

Probatur sexta pars conclusionis ex dictis articulo primo, & dicendis articulo sequenti, vnde de ea nihil in præsenti.

Ad primum ergo dicendum, quòd substantia non agit nisi mediis accidentibus, & ita fortior modus agendi ipsarum refunditur in maiorem intensionem accidentium, & non substantiæ ipsius, illámque denotat. Ad aliud dicendum quòd valde diuersum est, quòd scilicet vnum sit perfectius alio, & quòd suscipiat magis & minùs: primum conuenit omnibus, etiam substantiæ, non secundùm: illa tamen perfectio animæ maior vel minor conuenit illi, non secundùm se, sed ratione status, & ita conuenit ei ab extrinseco, nam substantialiter est eadem: perficitur autem extrinsecè, quia actuat materiam, & est in toto. Ad aliud dicendum quòd licèt vna forma possit magis actuare materiam, quàm alia inquantum dabit illi esse perfectius: tamen eademmet non magis actuat nunc, postea minùs: quasi det nunc perfectius esse, quàm postea: qualitates verò eædem numero nunc dant esse perfectius, quàm antea secundùm diuersam intensionem aut remissionem. Ad aliud tandem dicendum quòd D. Thom. loquitur de dispositionibus materialibus, ita scilicet quòd materia suscipiat magis & minùs de dispositionibus materialibus: ita se explicat 1. 2. q. 52. art. 1. ait enim: *Philosophus dicit in 8. Metaph. quod sicut numerus non habet magis & minùs, sic neque substantia, quæ est secundùm speciem, id est, quantùm ad participationem formæ specificæ, sed siquidem cum materia, id est, secundùm materiales dispositiones inuenitur magis & minùs in substantia.*

Ad secundum dicendum, quòd intensio non desumitur ex hoc quòd vnum accidens magis inhæreat subiecto, taliter quòd aliis sit ratio inhærendi, sed ex eo quòd habet modum maioris radicationis in subiecto: illud autem axioma valet, quando aliqua forma potest conuenire vtrique, quod hîc non contingit. Ad aliud dicendum quòd charitas non dicitur intensior, quia habet plures partes, sed quia magis radicatur: habere autem plus de quantitate denotat extensionem, & non intensionem, quia essentia quantitatis consistit in habere extensionem partium, intensio autem respicit eamdem partem subiecti. Ad tria vltima patet ex dictis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnes qualitates possint intendi & remitti?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd omnes qualitates possint intendi & remitti, siue recipere magis & minùs. Probatur sigillatim quoad omnes species. Prima species qualitatis est habitus & dispositio: sed habitus & dispositiones possunt intendi & remitti: eadem quippe scientia fit maior, non solùm extensiuè, quando plura attingit in obiecto, sed etiam intensiuè, quia magis radicatur in subiecto, & redditur immobilior: & similiter dispositiones, vt sanitas & morbus crescunt & minuuntur: ergo qualitates primæ speciei possunt intendi ac remitti.

¶ 2. Præterea, Secunda species qualitatis est potentia & impotentia: sed potentia & impotentia intendun-

tur

-tur & remittuntur: nam in diuerſis ſubiectis inueniuntur magis & minùs intenſæ, vt conſtat in intellectu, voluntate, & potentiis ſenſitiuis, ac aliis naturalibus, vt colligitur ex intenſiori vel remiſſiori operatione ipſarum: ergo qualitates ſecundę ſpeciei poſſunt intendi & remitti.

§ 3. Præterea, Tertia ſpecies qualitatis eſt paſſio & patibilis qualitas: ſed paſſio & patibilis qualitas intenduntur & remittuntur, vt patet ad ſenſum: nam rubor ſiue naturalis, ſiue ex verecundia ortus, item albedo, frigus, calor, &c. creſcunt & minuuntur in intenſione: ergo qualitates tertiæ ſpeciei poſſunt intendi & remitti.

§ 4. Præterea, Quarta ſpecies qualitatis eſt forma & figura: ſed forma & figura intenduntur & remittuntur, nam forma eſt qualitas prouenìens ex diſpoſitione partium quantitatis inter ſe, ſecundùm quam aliquid naturale, aut artificiatum dicitur formoſum: hæc autem ſuſcipit magis, & minùs: ac ſimiliter figura, quæ poteſt fieri magis & minùs rotunda & quadra: ergo qualitates quartæ ſpeciei poſſunt intendi & remitti.

Sed contra eſt authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Bannes, & noſtri Complutenſes in præſenti, Capreol. in 2. 17. Flandria 8. Metaph. q. 4. art. 4. & alij plures.

Conclvsio.

Ex qualitatibus quædam poſſunt intendi & remitti, aliæ verò non poſſunt.

Respondeo dicendum, quòd eſt duplex intenſio qualitatis, vna ex parte ipſius, alia ex parte ſubiecti. 2. Qualitates abſolutæ, quæ ſcilicet non ſpecificantur ab extrinſeco, non poſſunt intendi & remitti ex parte ſui, ſed tantùm ex parte ſubiecti, nec tamen omnes. 3. Aliæ verò relatiuæ, quæ ſpecificantur ab extrinſeco, quod variabiliter reſpiciunt, intenduntur & remittuntur tum ex parte ſui, tum ex parte ſubiecti. 4. Aliæ verò ex eiſdem relatiuis ratione ſuæ indiuiſibilitatis non intenduntur, nec remittuntur ex parte ſui, ac proinde nec ex parte ſubiecti. 5. Hæc autem intenſio & remiſſio ex parte ſubiecti in qualitatibus tertiæ ſpeciei fit per verum motum Phyſicum, in aliis autem, maximè in qualitatibus ſpiritualibus fit per mutationem inſtantaneam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd datur ſignum manifeſtum, vt intelligamus aliquam qualitatem eſſe intenſibilem ſecundùm ſuam eſſentiam, ſiue ex parte ſui ſpecificatiui, & eſt quando talis intenſio conuenit illi in abſtracto, & non tantùm in concreto, quod enim conuenit alicui in abſtracto, conuenit illi ſecundùm ſeipſum, intenſio verò ex parte ſubiecti tantùm requirit qualitatem in concreto, quod enim conuenit qualitati in concreto, non dicitur conuenire ei ſecundùm ſeipſam: ita D. Th. 1. 2. q. 52. art. 1. & q. 53. art. 2. ad 3. vbi ſic ait: *Accidens ſignificatum in abſtracto importat habitudinem ad ſubiectum, quæ incipit ab accidente, & terminatur ad ſubiectum: nam albedo dicitur, qua aliquid eſt album: & ideo in definitione accidentis abſtracti non ponitur ſubiectum, quaſi prima pars definitionis, quæ eſt genus, ſed quaſi ſecunda, quæ eſt differentia. dicimus enim quòd ſimitas eſt curuitas naſi: ſed in concretis incipit habitudo à ſubiecto, & terminatur ad accidens: dicitur enim album quod habet albedinem, propter quod in definitione huiuſmodi accidentis ponitur ſubiectum, tanquam genus, quod eſt prima pars definitionis: dicimus enim quòd ſimus eſt naſus curuus:* Et poſtea D. Thom. concludit: *Sic igitur quod conuenit accidentibus ex parte ſubiecti non autem ex ipſa ratione accidentis, non attribuitur accidenti in abſtracto, ſed in concreto: & huiuſmodi eſt intenſio & remiſſio in quibuſdam accidentibus, vnde albedo non dicitur magis & minùs, ſed album.*

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. 1. 2. q. 52. art. 1. & q. 66. art. 1. item q. de virtutibus art. 11. vbi dicit quòd intenſio dupliciter poteſt conuenire formis. Primò ſecundùm eſſentiam ipſius formæ, ita vt talis intenſio adæquatè oriatur, tanquam à prima radice, ab ipſa forma ſecundùm ſe, & ab eius ſpecificatiuo. Alio modo ſecundùm quòd ſubiectum participat illam, & ita intenſio oritur, tanquam à prima radice, à participatione ipſius ſubiecti. Primus modus intenſionis poteſt etiam vocari intenſio formæ, ſiue qualitatis ex parte obiecti ſpecificatiui proueniens: & ſic eam vocant iuniores fundati in D. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. vbi ſic ait: *Secundùm perfectionem, quæ conuenit formæ ſecundùm ipſam formam dicitur parua vel magna, ſecundùm verò eam, quæ conuenit illi ſecundùm participationem ſubiecti, dicitur magis vel minùs, vt magis vel minùs album: conſtat autem quòd paruum & magnum potiùs denotant extenſionem, quam intenſionem: ſicut magis & minùs potiùs intenſionem, quàm extenſionem: prædicta tamen latitudo dicitur intenſiua ad diſtinctionem extenſionis, quam prædicta forma habet in ſubiecto à quantitate.*

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Nomine qualitatis abſolutæ non intelligitur quòd ſit aliqua qualitas omnino abſoluta, nam omnis qualitas ſecundùm rationem communem accidentis reſpicit ſubiectum, à quo dependet: ſed hoc intelligitur ſecundùm rationem atomam: vnde illa dicuntur abſoluta, quæ non ſpecificantur ab extrinſeco, ac proinde, quæ ab illo non recipiunt ſuam rationem atomam, & ſpecificam: & hæc non intenduntur ex parte ſui, ſed tantùm ex parte ſubiecti. Probatur quantùm ad primum authoritate D. Th. 1. 2. q. 52. art. 1. vbi ſic ait: *Si igitur aliqua forma, vel quæcumque res ſecundùm ſe ipſam, vel ſecundùm aliquid ſuî ſortiatur rationem ſpeciei, neceſſe eſt quod ſecundùm ſe conſiderata habeat determinatam rationem, quæ neque in plus excedere, neque in minùs deficere poſſit, & huiuſmodi ſunt calor, & albedo, & alia huiuſmodi qualitates, quæ non dicuntur in ordine ad aliud.* Ratio huius eſt manifeſta, nam qualitates ex parte ſui, ſiue ſecundùm ſuam naturam ſpecificam id ſolùm habent, quod à ſuo ſpecificatiuo adæquato participant, vt patet: ſed qualitates abſolutæ, ſiue quæ non ſpecificantur ab extrinſeco, at ab intrinſeco, & à ſeipſis, non habent à ſuo ſpecificatiuo latitudinem hanc intenſionis & remiſſionis, quia tale ſpecificatiuum, ſcillicet propria differentia intrinſeca conſiſtit in indiuiſibili, ac proinde non poteſt communicare hanc latitudinem, cùm eam in ſe non habeat: ergo qualitates abſolutæ non intenduntur, aut remittuntur ex parte ſui.

Secundò probatur quantùm ad ſecundum authoritate D. Th. loco citato ex 1. 2. vbi dicit, quòd ſi conſideremus qualitatem, vel formam ſecundùm participationem ſubiecti, ſic etiam inueniuntur quædam qualitates & formæ recipere magis & minùs, & quædam non: & ſubdit eas ſecundùm prædictam participationem magis & minùs recipere, de quarum ratione non eſt indiuiſibilitas, ſiue indiuiſibiter à ſubiecto participari: ex quo ſic procedit ratio. Hoc ipſo quòd de ratione qualitatis eſt indiuiſibilitas, non poſſunt participari à ſubiecto, niſi indiuiſibili modo, vt patet in figuris trianguli &c. aliàs ſecundùm propriam earum rationem non participarentur: & econtra hoc ipſo quòd de ratione earum non ſit indiuiſibilitas, poterunt diuiſibili modo participari: ergo illæ non ſolùm non habent in ſua ſpecie, vnde diuidantur, ſed etiam diuiſibilitas repugnat propriæ rationi ſpecificanti: vnde nec per accidens ex participatione ſubiecti poſſunt diuidi, ſiue magis & minùs ſuſcipere, ex eo quòd ſubiectum habet eamdem denominationem, ac ipſa forma indiuiſibilis, à qua denominatur: ſicut figura quæ eſt triangulus, dicitur hoc modo indiuiſibilis, ex eo quòd ſubiectum illius etiam denominatur triangulus: vnde ſi reciperet magis & minùs, iam ratio trianguli hoc haberet: & econtra iſtæ poſſunt diuiſibiliter participari à ſubiecto, ſiue intendi & remitti, aut recipere magis & minùs ex parte ſubiecti.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Th. loco citato vbi ſic ait: *Illa verò quæ recipiunt ſpeciem ex aliquo, ad quod ordinantur, poſſunt ſecundùm ſe ipſa diuerſificari in plus, vel minùs: & nihilominus ſunt eadem ſpecie propter vnitatem eius, ad quod ordinantur:* Et ratio eſt quam iam adduximus, quia qualitates habent ex parte ſui, ſiue ſecundùm ſuam naturam ſpecifi-

cam id ſolum, quod à ſuo ſpecificatiuo adæquato participant: ſed illæ quæ ſpecificantur ab extrinſeco, participant à ſuo ſpecificatiuo adæquato aliquam latitudinem: cùm enim illud ſpecificatiuum extrinſecum habeat talem latitudinem, hanc communicabit ſuo ſpecificato, ſecundùm quòd magis vel minùs ad illud accedit, vt patet in ſcientiis per ordinem ad ſuum obiectum: ergo qualitates relatiuæ, quæ ſpecificantur ab extrinſeco, quod variabiliter reſpiciunt intenduntur & remittuntur ratione ſui. Quòd etiam ratione ſubiecti, patet ex dictis, quia cùm indiuiſibilitas non ſit de eorum ratione, poterunt diuiſibiliter participari à ſubiecto, ac proinde ſecundùm magis & minùs, quod eſt intendi & remitti ex parte ſubiecti: & ita ſicut intenduntur ratione ſui per hoc, quòd magis accedunt ad ſuum ſpecificatiuum, ſic intenduntur ratione ſubiecti, quia magis ad illud accedunt per maiorem radicationem.

Probatur quarta pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione adducta pro ſecunda parte concluſionis, & confirmatur. Ideo numerus & ſpecies quantitatis continuæ, quæ accipiuntur ſecundùm numeros, non poſſunt diuiſibili modo participari, nec ex participatione ſubiecti ſuſcipere magis & minùs, quia de eorum ratione eſt indiuiſibilitas, nam ſi addatur, vel auferatur aliqua vnitas ternario, deſinit eſſe hic numerus: ergo idem dicendum eſt de qualitatibus, de quarum ratione eſt indiuiſibilitas.

Probatur quinta pars concluſionis. Illud quod fit per verum motum Phyſicum, neceſſariò hæc duo requirit, ſcilicet quod fiat ſucceſſiuè, ac proinde quod habeat latitudinem, ſiue diuiſibilitatem gradualem, & quòd per ſe fiat à ſuo contrario, vt patet ex communi doctrina Philoſophorum: ſed hæc ſecunda conditio ſolùm conuenit qualitatibus tertiæ ſpeciei, vt dictum eſt ſupra articulo primo: ergo intenſio & remiſſio ex parte ſubiecti in qualitatibus tertiæ ſpeciei fit per verum motum phyſicum, in aliis autem, maximè in qualitatibus ſpiritualibus, fit per mutationem inſtantaneam. Charitas autem & alij habitus à Deo infuſi, etiam à ſolo Deo intenduntur, & etiam poſſent minui quantùm eſt ex vi ſuæ naturæ & latitudinis, defectu tamen cauſæ potentis illos minuere & impedire influxum Dei conſeruantis, nunquam remittuntur, ſed connaturaliter loquendo, vel omnino deperduntur, vel in acquiſita intenſione perſeuerant.

Ad primum ergo dicendum, quòd habitus & diſpoſitio poſſunt intendi & remitti modo dicto ſed, non per motum phyſicum: licet aliquæ diſpoſitiones, non vt tales, ſed vt ſunt paſſiones, & patibiles qualitates, verè per motum phyſicum intendantur & remittantur: ſed hoc accidit illis inquantum ſunt diſpoſitiones, quia ſic non petunt per ſe fieri à ſuo contrario. Morbus autem & ſanitas ſuſcipiunt magis & minùs non ratione ſui, ſed primarum qualitatum, ad quarum temperiem vel alterationem conſequuntur.

Ad ſecundum dicendum, quòd potentiæ naturales ac proinde & impotentiæ, cùm emanent à natura vt proprietates, habent determinatam perfectionem, & proportionem ad ſuas eſſentias, & ita conſiſtunt in indiuiſibili, ſicut eſſentiæ, nec intenduntur & remittuntur, ad intenſionem enim & remiſſionem propriam non ſufficit, vt vnum intra eamdem ſpeciem ſit perfectius & maius alio, vt dicitur de intellectibus, ſed requiritur quòd idem numero ſuſcipiat magis & minùs, & nunc ſit perfectius, quàm antea.

Ad tertium dicendum, quòd qualitates tertiæ ſpeciei propriè intenduntur & remittuntur ex parte ſubiecti per verum motum Phyſicum, vt dictum eſt.

Ad quartum dicendum, quòd forma & figura, vt docet Ariſtot. in prædicamento qualitatis, & D. Th. 1. 2. q. 52. art. 1. non intenduntur, nec ex parte ſui, quia conſiſtunt in indiuiſibili, & ita variata quocumque modo, iam non eſt eadem figura, v. g. Triangulus talis, ſed eſt alia diuerſæ ſpeciei, quæ eodem nomine generico nominatur: nec ex parte ſubiecti cùm enim figura ſit in vltima ſuperficie continui, non poteſt intendi, & quaſi penetrare continuum, ſed tantùm extendi.

ARTICVLVS V.

Vtrùm intenſio & remiſſio qualitatis fiat per maiorem vel minorem radicationem in ſubiectio?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd intenſio & remiſſio qualitatis fiat per depurationem eius à ſuo contrario, vel ab aliis diſpoſitionibus illi repugnantibus. Ita videtur docere Ægidius quodlib. 2. quæſt. 14. Item 1. de generatione quæſt. 18. & 23. Probatur. Qualitas ſemotis impedimentis agit quantùm poteſt, agit enim ad modum agentis naturalis: ergo ſemotis eiſdem impedimentis & qualitatibus contrariis informat ſubiectum, & ſe illi communicat quantùm poteſt, ac proinde ſi ſit qualitas intenſibilis, communicabit ſe ſecundùm omnem intenſionem poſſibilem, & ita maior vel minor intenſio qualitatis attenditur penes maiorem vel Minorem depurationem ſiue remotionem contrariorum.

¶ 2. E contra, Videtur quòd intenſio & remiſſio qualitatis fiat per deſtructionem imperfectioris qualitatis, & aduentum perfectioris. Ita Durandus in 1. d. 17. q. 7. & alij. Probatur. In vero motu acquiſito termino (ad quem) deperditur terminus (à quo) vt patet in motu locali: ſed intenſio eſt verus motus: ergo in illa deperditur terminus (à quo) ſcilicet qualitas imperfecta, dum acquiritur terminus (ad quem) ſcilicet qualitas perfecta: & idem ſed viâ contrariâ dicendum de remiſſione, maximè quia intenſio & prima productio qualitatis actiuè conſideratæ ſunt actiones diſtinctæ realiter, ac proinde habent effectus realiter diſtinctos, cum actiones ſpecificentur & diſtinguantur penes terminos: vnde per intenſionem debet abiici qualitas imperfecta primò producta, & produci noua perfectior.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd intenſio qualitatis fiat per additionem gradûs ad gradum. Ita Scotus in 1. d. 17. quæſt. vltimâ D. Bonauentura in 2. parte diſt. quæſt. 5. art. 1. ad 3. Nominales, Scotiſtæ, Suares, Vaſques, & communiter recentiores extra ſcholam D. Thom. Probatur authoritate Ariſtotelis, & Thom. Philoſophus quidem 4. Phyſicor. textu 85. ſic ait: *Sicut ex frigido fit calidum, & ex calido frigidum, quia eadem eſt, quæ erat in potentia, ſic ex calido magis calidum.* D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. ar. 4. ad 3. ſic ait: *Quidam dixerunt charitatem non augeri ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſolùm ſecundùm radicationem in ſubiecto, ſed hi propriam vocem ignorauerunt.* Item 3. part. quæſt. 7. art 12. hæc habet: *Aer non poteſt creſcere in caliditate, quando pertingit ad vltimum gradum caloris, qui poteſt ſaluari in natura aeris, & calor ignis non poteſt augeri, quia non poteſt eſſe perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis:* ergo intenſio qualitatis fit per additionem gradûs ad gradum.

¶ 4. Præterea, Eodem modo fit augmentum virtuale qualitatum, quo corporale alicuius quanti, cum ex Thom. 1. 2. quæſt. 52. artic. 1. ad 1. nomen augmenti & magnitudinis per ſe primò conueniat quantitati, & deinde deriuetur ad alia: ſed augmentum corporale fit per additionem partis quantitatis ad priores partes: ergo & augmentum virtuale qualitatum, ſcilicet intenſio fiet per additionem partis, ſiue gradûs ad gradum. Quod experimur in lumine, nam ſi eidem medio apponantur duo luminaria, lumen medij fit intenſius, hæc autem intenſio prouenit ex eo, quòd ibi ſint plura lumina partialia: nam videmus quòd poſito inter vtrumque luminare corpore opaco, reſultant duæ vmbræ, ſi autem eſſet vnicum lumen, reſultaret vnica vmbra.

¶ 5. Præterea, Poteſt Deus ſeparare albedinem à niue & à lacte: ſed dato illo caſo albedo, quæ fuit in niue, erit intenſior albedine, quæ fuit in lacte, non per maiorem

iorem radicationem in subiecto, cùm sint ab illo separatæ: ergo per hoc quòd continet plures gradus albedinis, nec potest dici, quòd remaneat intensior ex habitudine ad subiectum, nam saltem illa habitudo cùm sit indiuisibilis & non crescat, non potest esse rat o intensionis qualitatis, si fieret in statu separationis. Deinde gratia & lumen gloriæ debent intendi per additionem gradûs ad gradum, nam maior gratia est obiectum maioris dilectionis Dei, & maius lumen gloriæ dat maiorem virtutem intellectui Beatorum: ergo hæc intensio importat nouam partem gratiæ, & luminis gloriæ.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur in rei veritate omnes Thomistæ, quamuis verbis differant.

CONCLVSIO.

Cum intensio qualitatis attendatur in ordine ad subiectum, sicut extensio in ordine ad obiectum, & talis extensio fit per hoc, quod magis accedat ad obiectum, sic intensio fit per hoc, quod magis accedit ad subiectum, siue per hoc quòd magis in illo radicatur.

RESPONDEO dicendum, quòd intensio qualitatis non fit per depurationem eius à suo contrario, 2. nec per aduentum nouæ perfectionis qualitatis eiusdem speciei destructa præexistenti, 3. nec per additionem gradûs ad gradum, siue partis ad partem, 4. sed per additionem modi maioris radicationis in subiecto: sicut econtra fit remissio per additionem modi minoris radicationis. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem procedere de intensione qualitatis propriè dicta, scilicet per ordinem ad subiectum, non de illa, quæ est per ordinem ad obiectum, quæ potiùs extensio, quàm intensio dicenda est: in qualitate autem inter alia reperiuntur quatuor sequentia, scilicet essentia, existentia, inhærentia in subiecto, & modus maioris vel minoris radicationis, siue participationis eiusdem qualitatis in subiecto, qui modus distinguitur, tum ab essentia, tum ab existentia, tum ab inhærentia qualitatis, quia hæc omnia possunt reperiri, imò de facto reperiuntur in qualitate sine intensione vel remissione. Modus autem maioris radicationis addit supra qualitatem inhærentem actualitatem quamdam maiorem intra propriam lineam, ratione cuius meliori & perfectiori modo se habet, & consequenter potest perfectiorem, & meliorem effectum præstare, siue in genere causæ formalis, siue in genere causæ efficientis: nam verbi gratiâ calor intensior facit subiectum magis calidum, & producit maiorem calorem, quàm faceret, si non esset ita intensus, quia cùm causa formalis causet per communicationem propter entitatis, nisi sit perfectior, vel secundùm ipsam entitatem, vel secundùm modum illius intra propriam lineam, non poterit causare effectum perfectiorem. Essentia igitur modi huius, cùm perficiat calorem non solùm intra genus qualitatis, sed etiam intra propriam lineam caloris (est enim ipsum magis, siue ipsa quantitas virtutis eiusdem caloris, quæ ad eamdem lineam reducitur) consistit in hoc quòd tribuat calori, vt intra lineam caloris, inuariatâ semper manente eius essentiâ, sit magis perfectus, ac proinde maior calor, ac se facit subiectum magis calidum, & quòd habeat maiorem efficaciam ad producendum magis calidum, vnde modus radicationis vt sex, æquiualet totidem gradibus, si darentur: explicatur autem à Thomistis variis circumlocutionibus, imo & à D. Thom. Nam in 1. d. 17. quæst. 2. artic. 2. ad 3. explicatur per hoc quòd est subiectum magis subdi qualitati, & quòd qualitas habet maiorem victoriam super illud. Alibi explicatur per hoc quod subiectum magis ac magis terminatur actu qualitatis 1. 2. quæst. 52. artic. 2. per hoc quòd subiectum magis vel minùs perfectè participet vnam & eamdem formam, quæst. 1. de virtutibus art. 11. per hoc quod subiectum reddatur magis in actum ipsius qualitatis. Alibi per hoc quod eadem qualitas semel educta educatur de imperfecto ad perfectum, 1. 2. quæst. 52. artic. 2. ad 1. per hoc quod eadem qualitas magis accedat ad suam causam: & tandem 2. 2. quæst. 24. artic. 4. ad 3. per hoc quod qualitas magis insit in subiecto, magisque illi radicetur: hi autem varij modi loquendi idem significant: vtimur autem in præsenti potiùs nomine maioris radicationis, quia sæpius eo vtitur D. Thom. & quia est valde accommodatum ad rem explicandam, nam sicut essentia caloris optimè explicatur per suum subiectum, & modum essendi in eo, sic maior perfectio ipsius in ratione caloris valde accommodatè exponitur per maiorem radicationem in eodem subiecto.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. in 1. d. quæst. 2. artic. 2. ad 3. vbi sic ait: *Dicendum quod non est de ratione intensionis alicuius qualitatis, quod fit per remotionem à contrario, sed hoc accidit qualitati secundùm quod inest in subiecto participante contrarium.* Deinde sæpe qualitas intenditur sine depuratione à contrario, vt patet in luce, quæ non habet contrarium positiuum, & in gratia & charitate Beatissimæ Virginis, quæ augebatur, & tamen nunquam fuit permixta contrario, scilicet peccato etiam veniali: similiter fides & spes augentur ex illo Lucæ 17. *Adauge nobis fidem*, & tamen nunquam permiscentur suis contrariis, non enim potest esse fides cum infidelitate, aut spes cum desperatione. Denique expulsio contrarij, vel repugnantis dispositioni fit per eamdem actionem, per quam intenditur forma, nam ignis intendendo calorem remittit frigus: ergo illa actio præter expulsionem contrarij habet tanquam primum terminum aliquid positiuum, scilicet maiorem intensionem, siue perfectionem qualitatis: ac proinde intensio non consistit in illa expulsione, siue depuratione à contrario, quia actio positiua, qualis est intensio actiua, non tendit per se primò ad non esse, siue ad expulsionem, quæ dicunt quid priuatiuum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Tho. 2. 2. quæst. 24. art. 1. vbi ait: *Alij dixerunt quod charitas essentialiter non augetur, sed adueniente maiori charitate, minor charitas, quæ inerat, destruitur, hoc autem stare non potest*: Et addit rationem: *Quia nulla forma absoluta destruitur, nisi vel ex contrario agente, vel per accidens ad corruptionem subiecti, vel propter absentiam causæ conseruantis: sicut lux quæ corrumpitur per absentiam Solis*: Ergo in intensione caloris non intercedit destructio caloris præcedentis, & aduentus alterius perfectioris, quia ibi non est agens contrarium, nec corrumpitur subiectum, & adest ignis conseruans. Deinde charitas viæ imperfecta intenditur in patria, & tamen non deperditur illa, quæ erat in via, iuxta illud D. Pauli: *Charitas nunquam excidit*: Similiter accidentia Eucharistiæ sæpe intenduntur, vt constat experientiâ, & remittuntur, & tamen non corrumpuntur; aliàs desineret ibi esse corpus Christi: ergo intensio qualitatis non fit per aduentum nouæ perfectionis qualitatis eiusdem speciei destructâ præexistenti. Nec valet dicere quòd calidum vt sex contrariatur calido vt quatuor, & ita poterit calorem vt quatuor corrumpere. Nam contra, ista duo calida tantùm contrariantur quoad magis & minùs, non verò quoad entitatem ipsam calidi, vel caloris, quia tantùm sunt dissimilia in maioritate vel minoritate: ergo calidum vt sex non destruet calidum vt quatuor quoad entitatem calidi, vt talis, sed tantùm quoad minus caloris, quod habet, siue quoad aliquem modum minoritatis superadditum, qui modus maioritatis vel minoritatis, siue intensionis & remissionis distinguitur ab ipsa entitate, etiam indiuiduali caloris: sicut esse ampliùs, vel minùs extensum distinguitur ab ipsa entitate indiuiduali quantitatis extensæ, quia agens solùm destruit in passo id, secundùm quod est ei contrarium, sine dissimile; & per hoc euertitur id, quod alij dicunt, scilicet per intensionem destrui vnionem, vel existentiam qualitatis imperfectioris, quia non potest destrui, saltem naturaliter loquendo, vnio accidentis ad subiectum, vel existentia eius, quin pereat eius essentia, non enim potest naturaliter accidens esse separatum, aut sine existentia, & ita si intensio non potest fieri per destructio-

nem accidentis quoad suam essentiam, & entitatem sic nec per destructionem prædictæ rationis vel existentiæ.

Secundò, qualitas per intensionem perficitur quoad suam essentiam, quia cùm sit accidens, ac proinde entis ens, non potest non perfici per intensionem, per quam meliùs, & perfectiùs se habet in ordine ad subiectum, cuius est affectio: deinde quia incrementum rei tendit potiùs ad perficiendam rem, quàm ad destruendam, aliàs non esset incrementum illius: ergo qualitas non destruitur per intensionem, nihil enim potest simul destrui & perfici ab eodem, & sic intensio non fit per aduentum nouæ perfectionis qualitatis destructâ præexistente.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Philosophus quidem 4. Phisicor. textu 84. sic ait: *Ex calido fit magis calidum nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minus calidum.* Hoc autem testimonium habetur in antiqua translatione, vnde Vasques immeritò arguit D. Thom. quòd non fideliter citauerit hoc testimonium, quia ipse non inuenit illud in translatione Argyropoli. D. Thom. autem quæst. 1. de virtutibus art. 11. sic ait. *Quidam existimauerunt quod charitas, siue qualibet virtus infusa augeatur per additionem charitatis ad charitatem, vel virtutis ad virtutem, aut albedinis ad albedinem: quod omnino stare non potest.* Idem docet 1. 2. q. 52. art. 2. *Augmentum habituum, & aliarum formarum non fit per additionem formæ ad formam.* Idem docet 2. 2. q. 24. art. 5. Item in 1. d. 17. q. 2. art. 2. loquens de hac opinione ait, *Primam autem positionem non possum intelligere*, Et subdit: *Ista positio prouenit ex falsa imaginatione quia augmentum charitatis imaginati sunt ad modum augmenti corporalis, in quo fit additio quantitatis ad quantitatem.*

Secundò, si intensio qualitatis fiat per additionem gradûs ad gradum, hi gradus debent à parte rei distingui, vel specie, vel saltem numero, quia non potest esse realis additio sine reali dualitate, siue distinctione extremorum, omnis autem distinctio realis debet ad minùs esse, vel numerica, vel specifica, siue essentialis: sed hi gradus, nec specie, nec numero possunt distingui: non specie, quia si specie differrent, non possent constituere vnum calorem in specie: non numero, quia plura accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, vt dicetur infra in Metaphysica: ergo intensio qualitatis non fit per additionem realem gradûs ad gradum, siue caloris ad calorem.

Tertiò, illi gradus distincti, si darentur, non possent vniri ad componendum vnum & eundem calorem magis intensum, nisi vel per modum actûs & potentiæ, vel per continuationem. Non primum, quia duo indiuidua eiusdem speciei, qualia deberent esse isti gradus, non comparantur per modum actûs & potentiæ inter se: nam quod ab intrinseco est potentia, essentialiter distinguitur ab eo, quod est actus in eodem ordine, vt patet in materia & forma. Non etiam secundum, quia cùm nihil habeat partes, nisi dependenter à quantitate, vt dictum est supra, non possunt isti gradus extendi & continuari, nisi quia occupant diuersas partes quantitatis: hoc autem repugnat intensioni, quæ dicit augmentum in eadem parte. Deinde quia sequeretur, quòd qualitas quò magis intensa, eò esset magis composita, & consequenter magis imperfecta, quod falsum est: ergo intensio qualitatis non fit per additionem gradûs ad gradum, siue partis ad partem: his rationibus adhibentur aliquæ solutiones, sed non soluunt neuera, vt consideranti patebit, vnde ab earum impugnatione abstineo.

Probatur quarta pars conclusionis authoritatibus adductis D. Thom. Deinde intensio qualitatis solùm potest fieri, vel per destructionem præexistentis qualitatis imperfectioris, & aduentum perfectioris, vel per depurationem eiusdem à suo contrario, vel per additionem gradûs ad gradum, vel tandem per maiorem radicationem in subiecto, solùm enim hi modi assignari sunt hactenus: sed vt dictum est, non fit tribus prioribus modis: ergo fit hoc vltimo.

Secundo, calor non potest crescere, nisi per additionem entitatis, vel alicuius modi ipsum perficientis: sed talis additio entitatis non est possibilis: si enim solo numero sit distincta, est incompossibilis in eodem subiecto: si autem sit specie distincta, non perficiet calorem in ratione caloris, sed tantùm in propria ratione: ergo debet fieri per additionem modi, cuius totum suum esse sit propter entitatem, quam perficit, quíque pertinet ad lineam caloris in ratione caloris, ex eo quòd licèt non sit calor, est tamen ipsum magis caloris, & ita licèt non possit facere calidum absolutè, facit tamen vnà cum calore magis calidum.

Tertiò, ratione D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 5. Sicut augmentum extensiuum qualitatis fit per comparationem ad obiectum, sic augmentum intensiuum illius vt per comparationem ad subiectum, nam extensio respicit plures partes obiectiuas, intensio verò eamdem partem subiecti: ergo sicut qualitas v. g. scientia magis extenditur, quò magis ad suum obiectum accedit plures de illo veritates cognoscendo, sic magis intenditur, quò magis ad suum subiectum accedit, hic autem accessus consistit in maiori inhæsione, siue radicatione. Quod confirmatur. Nam essentia qualitatis importat inhæsionem: ergo perfectio eiusdem qualitatis importabit maiorem inhæsionem, ac proinde intensio qualitatis fit per additionem modi maioris radicationis in subiecto, & econtra fit remissio per additionem modi minoris radicationis. Isti autem modi ita se habent, vt adueniente vno pereat alius, propter incompossibilitatem in eodem subiecto, siue distinguantur solo numero, vt volunt aliqui, siue maiori distinctione, quæ colligitur ex hoc quòd perfectior virtualiter & eminenter contineat alios inferiores: & licèt omnes successiuè per eamdem actionem, siue motum producantur, non tamen per eamdem partem motûs: & quia vt dictum est, realiter distinguuntur, & sunt indiuisibiles (infiniti enim syncategorematicè per vnum motum producuntur) ideo perfectior non componitur ex pluribus imperfectis, tanquam partibus, propterea adueniente perfectiore, realiter pereunt alij, quia eminenter continentur in illo perfectiori: productio autem talium modorum est maior, ac maior eductio caloris de potentia subiecti. Hoc autem non succedit in augmento quantitatis, nam minor quantitas est pars maioris, & augmentum eius fit per additionem partium ad partes, cùm essentia quantitatis sit habere partes extra partes, & ideo adueniente maiori quantitate, non perit realiter minor, sed tantùm formaliter, id est, desinit esse minor.

Ad primum ergo dicendum, quòd intensio est quid distinctum ab essentia & existentia qualitatis, & ideo præcisè modo maioris radicationis in subiecto, non habet formaliter, & proximè esse intensam, ac proinde licèt informet quantùm potest, non communicabit nisi totam suam essentiam & existentiam, non verò esse intensum.

Ad secundum dicendum, quòd qualitas ipsa secundùm suam entitatem est terminus (vel à quo, vel ad quem) alterationis specificè sumptæ: terminus verò (à quo) motûs intensionis est remissus modus radicationis qualitatis in subiecto, qui modus remissus perit realiter adueniente alio perfectiore, qui fit terminus (ad quem) talis intensionis, & proportionaliter dicendum est respectu remissionis. Ad aliud dicendum, quòd prima productio qualitatis, & eius intensio habent diuersos effectus, & terminos: nam prima productio respicit qualitatem secundùm suam entitatem gradualem, vt primò productam, intensio autem respicit modum perfectiorem maioris radicationis, qui modus necessariò coniungitur cum entitate qualitatis, nam magis calidum necessariò inuoluit calidum, & ita per intensionem non producitur calor, sed maior calor.

Ad tertium dicendum, quòd Philosophus tantùm vult quòd sicut ex frigido fit calidum, sic ex calido fit magis calidum, quod est verissimum, sed malè concluditur, quòd vtrumque fiat eodem modo, scilicet quòd sicut calidum fit

fit per additionem caloris, sic magis calidum fiat per additionem alicuius partis caloris. Quantùm ad D.Th. dicendum, quòd in prima authoritate arguit eos, qui dicebant charitatem augeri secundùm radicationem in subiecto, non autem secundùm suam essentiam, ex eo quòd hæc duo in idem coincidunt, vt dictum est, & ita si concedunt vnum, debent concedere & aliud. In secunda autem aothoritate non accipit D.Thom. hos gradus, sicut accipiuntur à contrariis, non enim sunt gradus formales, sed tantùm virtuales, siue secundùm quamdam designationem, nam quò plus calor radicatur, eò plures gradus dicitur habere.

Ad quartum dicendum, vt supra, quòd augmentum corporale est extensiuum io ordine ad dioersas partes subiecti, & ideo potest fieri per additionem partis ad partem, quantitatis ad quantitatem: augmentum autem quantitatis virtotis, siue iotensiuum est in ordine ad eamdem partem subiecti, & propterea non potest fieri per additionem gradûs ad gradum, siue qualitatis ad qoalitatem. Ad illud de lumine dicendum, quòd in tali caso quodlibet lominosum producit suum lumen in tota intensiooe, quam habet, sed in dioersa parte aëris, & ideo vnum non intendit lumen alterius, sed qoodlibet producit lumen in partibus proximioribus, cæteris paribus, & cum respectu illarum sit agens fortius, impedit ne aliud intendat prædictum lumen, ac proinde duo lominosa faciuot lumen extensius, & non iotensius, quamuis intensius appareat, ex eo qoòd occupet maius spatium: & licèt vtrumque lominosum directè tendat, tamen hæc tendentia fit per diuersas partes corporis illuminati, quia respiciuntur per diuersas lineas, & ideo non est mirum si interposito corpore opaco resultent duæ vmbræ, quia ibi sunt duo lomina realiter distincta, sed in dioersa parte subiecti.

Ad quintum dicendum, quòd in tali casu illæ albedines non essent magis, vel minùs intensæ, quia qualitas separata, licèt possit habere maiorem vel minorem intensionem in ordine ad obiectum, non tamen maiorem vel minorem intensiooem propriè dictam, qoæ attenditur in ordine ad subiectum, pro vt actu participat talem qualitatem: hoc enim docet D.Th.1.2. q.53. art.2. ad 3. his verbis: *Sic igitur id, quod conuenit accidentibus ex parte subiecti, non autem ex ipsa ratione accidentis, non attribuitur accidenti in abstracto, sed in concreto, & huiusmodi est intensio & remissio in quibusdam accidentibus, vnde albedo non dicitur magis & minùs sed album.* Item 6.Physicor. lect.7. ait: *Si albedo esset separata, non diceretur secundùm magis & minùs*: Et affert rationem huius q.1. de virtutibus, quia qualitates in abstracto habent modum substantiæ, substantia autem non intenditur, nec remittitor. Ad aliud dicendom quòd gratia & lumen gloriæ intenduntur per maiorem radicationem in subiecto, qui modus coniunctus cum entitate gratiæ reddit subiectum magis gratum, & dignum maiori dilectione, coniunctus autem cum entitate luminis gloriæ, qood est qualitas actiua, reddit subiectum magis in acto, vt eliciat perfectiorem visionem: sicut aotem motus intensioois distinguitur quasi specie ab alteratione specifica, sic iste modus maioris radicationis distinguitur specie modali ab ipsa entitate qualitatis: licèt aotem vterque motus vocetur v.g. calefactio, sunt tamen motus diuersæ rationis.

Articvlvs VI.

Vtrùm motus alterationis sit continuus?

AD sextvm sic proceditor. Videtur quòd motus alterationis genericè sumptæ, pro vt includit alterationem specificam, intensionem, & remissionem, non sit continuus, quamois sit soccessiuus. Ita teoent Capreolos in 1.d.7. q.2. art.2. Soncinas 8. Metaphysicæ q.12. Iauellus, & Ferrar. 8. Physicorum q.7. Dicunt igitur hi authores, quòd in aliquo instanti producitur minimus gradus caloris, & in tempore immediatè sequenti quiescit calefactioum à calefactione, & calefactibile à receptione caloris: in alio verò iostanti sequenti producitur alius minimus gradus caloris, siue minimus modus intensionis illius, & sic successiuè: vnde totus ille motus intensionis constat ex pluribus mutationibus indiuisibilibus, & discretis. Probatur authoritate Aristotelis, & D.Th. Philosophus quidem 8. Metaphysicæ texto 23. sic ait: *Dicere alterationem fieri continuè, est aduersari valde manifestis.* Item 6. Physic. textu 58. docet motus, qui versantur inter terminos contrarios, non posse continuari. D. Th. autem in 1.d.8. q.3. a.3. ad 3. sic ait: sicut Commentator probat io 8. Physicor. *Nullus alius motus est simpliciter continuus, nisi motus localis*: Ergo motus alterationis non est continuus.

¶ 2. Præterea, Ad continuationem motûs requiritur vnitas numerica termini, nam esse motum continuum, & esse vnum numero, idem est: constat autem ex Physicis, quòd ad vnitatem numericam motûs reqoiritur vnitas numerica termioi: sed io termino motûs alterationis non inuenitor vnitas numerica, qoia talis terminus constituitur ex variis modis maioris & mioorìs radicationis, qui cùm distinguantur specie, non possunt facere vnum numero, imò nec vnum continuum, nam isti modi successiuè producti non continuaotur inter se, cùm adueniente perfectiori pereat imperfectior; & in hoc differt res permanens à successiua, quòd successiua constat ex partibus fluentibos, permanens autem, qualis debet esse terminus motûs, ex actu permanentibus: constat autem quòd terminus motûs continui debet esse continous, siue habere latitudinem percurrendam, vt dictum est in Physicis: ergo motus alterationis non est continuus.

¶ 3. Præterea, Modus iotensionis, siue maioris radicationis in subiecto est formaliter indiuisibilis, vt dictum est: ergo non potest terminare motum continuum: nam sicut motus est diuisibilis habeos partes post partes, sic terminus eius debet habere diuisibilitatem & latitudinem percurrendam, cùm pars termini debeat acquiri per partem motûs: ergo motos alterationis noo est continuus, maximè quia ex opposito seqoeretur in fine dimidiæ horæ, v.g. esse productum infinitum calorem, quod est absurdum: nam si continuè fiat maior & maior calor cùm io illa dimidia sint infinitæ partes, in fine motûs etiam erunt prodoctæ infinitæ partes caloris, siue maior & maior in infinitum intensio.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur communiter Thomistæ, Bannes, nostri Complutenses in præsenti, Masius, Soto 5. Physicorum, & multi extra Scholam D.Thom. Suares 2.Metaph. disp.46. sect.3. Fonseca 5. Metaphysicæ, Rubius hîc, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm motus alterationis sit vnus procedens ab agente naturali debitè applicato capaci, & non impedito subiecto, est etiam continuus.

Respondeo dicendum, quòd motus intensionis vel alterationis propriè dictus est motus continuos. Probatur authoritate Arist. & D.Th. Philosophus quidem postquam docuerat 5. Physicæ texto 18. tres tantùm esse species motûs propriè dicti, scilicet alterationem, augmentum, & lationem: textu 39. sic ait: *Cùm autem omnis motus continuus sit, si omnis est diuisibilis, eum, qui simpliciter vnus est, & continuum esse necesse est: & si continuus est, vnus est*: D. Th. autem exponens hunc locum lect.7. sic concludit: *Vnde relinquitur quod hoc modo dicatur vnus, sicut continuus: & quòd hoc sit motui esse vnum simpliciter, quod est ei esse continuum, & ipsa continuitas motùs sufficiat ad eius vnitatem.* Item in hoc libro sect. 24. sic ait: *Motus continuus non est, nisi in tribus generibus, scilicet quantitate, qualitate, & vbi.* Item io 2. d.5. q.2. art. 1. ait: *Quia alteratio est motus continuus, ideo principium alterationis, & medium, quo materia disponitur ad formam substantialem, tempore præcedunt introductionem formæ substantialis.*

Secundò, motus non poteſt eſſe vnus numero, niſi ſit continuus, vt patet: ſed intenſio, ſiue alteratio, quæ fit ſine interruptione temporis, eſt vnus motus numero, vt dictum eſt in 5. Phyſicorum, cùm enim ſit idem mouens, idem mobile, & idem tempus, neceſſariò eſt idem numero motus: ergo alteratio eſt motus continuus.

Tertiò, agens naturale debitè applicatum paſſo capaci, & non impedito agit continuè in illud, vt conſtat communi ſententiâ Philoſophorum, qui hoc tanquam axioma pluries repetitum ab Ariſtotele admittunt: ſed poteſt ignis, agens naturale, eſſe applicatus per aliquod tempus alicui ſubiecto capaci, & non impedito, v. g. ligno ſicco: ergo per illud tempus agit continuè in illud, ac ita talis alteratio eſt continua. Si dicatur quòd ignis tantùm producit minimum caloris in primo inſtanti, & tempore ſequenti diſponit ſubiectum ad vlteriorem calorem, inducens raritatem, aut quid ſimile. Eſto hoc ita ſit, adhuc tamen habetur intentum, nam motus ad raritatem, qui conceditur fieri in tempore, ac proinde continuè, eſt vera alteratio, cùm raritas eius terminus ſit qualitas habens latitudinem, & contrarium poſitiuum, ſcilicet denſitatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtot. & D.Th. ſolùm negant alterationem eſſe continuam, prout continuum ſignificat idem, ac ſemper durans, ſicut eſt motus Cœli, & in hoc ſenſu optimè dicit D.Thom. ſolùm motum localem, ſcilicet Cœli, eſſe continuum: non autem negant eſſe continuum, prout continuum opponitur diſcreto, quando enim alij motus ſunt, verè habent ſuam continuitatem.

Ad ſecundum dicendum, quòd terminus (ad quem) motûs alterationis, non ſunt iſti modi maioris & minoris radicationis præcisè, ſed eſt qualitas ipſa, vt ſubeſt iſtis modis, quæ qualitas remanet vna & eadem numero toto tempore motûs: & quia talis qualitas continuò tranſit ex vno in alium modum ſine interruptione, ideo habet latitudinem gradualem, & continuitatem in ſui acquiſitione.

Ad tertium dicendum, quòd iſti modi, licèt ſint formaliter indiuiſibiles, ſunt tamen virtualiter diuiſibiles, inquantum quilibet æquiualet latitudini formali, quæ ibi ab aliquibus ponitur, ex eo quòd modus radicationis eſt quantitas quædam virtutis, & ipſam magis, & minùs qualitatis: & ſic qualitas, vt eo actuata, habet latitudinem virtualem, & intenſiuam, ſecus verò ſine illo. Igitur quilibet ex his modis radicationis acquiritur per partem motûs indeterminatam, cui vt proportionetur, ſufficit illi diuiſibilitas, & latitudo virtualis, & indeterminata, quam habet: nam aliquid virtualiter diuiſibile, quamuis formaliter indiuiſibile, poteſt adæquare aliud formaliter diuiſibile, vt patet in anima noſtra, & etiam in animalibus aliorum perfectorum animalium reſpectu ſuorum corporum, licèt ſint materiales. Ad aliud dicendum, quòd ſicut in dimidia hora non ſunt infinitæ partes actu, ſed tantùm in potentia, & ſincategorematicè, ſic calor productus non habet infinitas partes, ſiue gradus actu, ſed tantùm in potentia, & ſincategorematicè.

Articulus VII.

Vtrùm qualitas extendatur per additionem qualitatis ad qualitatem?

Ad septimum ſic proceditur. Videtur quòd extenſio, quæ conuenit aliquibus qualitatibus ex parte ſui ſpecificatiui, ſiue obiecti (de hac enim loquimur in præſenti, non de illa, quæ conuenit ex parte ſubiecti, vt apparet in albedine quæ eſt in continuo, quæ fit per extenſionem partium ſibi communicatam à quantitate, cui coëxtenditur) fiat per additionem qualitatis ad qualitatem, ac proinde quòd extenſio ſcientiæ fiat per additionem habitûs ad habitum, ita vt habitus ſcientiæ ſit quoddam aggregatum ex pluribus habitibus partialibus, quorum vnus reſpiciat hanc partem obiecti, alius aliam. Ita tenent Sonc. 6. Metaph. q.9. Scot. in 2. d. 3. q. 15. Suar. Molina, & alij. Probatur authoritate D.Thom. 1.2. q.52. art. 2. vbi ſic ait: *Sed quia quædam accidentia augentur ſecundum ſeipſa, vt ſupra dictum eſt, in quibuſdam eorum fieri poteſt augmentum per additionẽ, &c.* Similiter etiam, & ſcientia poteſt augeri ſecundùm ſeipſam per additionem, ſicut cùm aliquis plures concluſiones Geometriæ addiſcit, non autem poteſt dici, quòd fiat per additionem alicuius modi, aliàs enim nulla eſſet differentia inter intenſionem & extenſionem, cuius contrarium docet ibidem D. Thom. dicit enim extenſionem fieri per additionem, non verò intenſionem: ergo qualitas extenditur per additionem qualitatis ad qualitatem.

¶ 2. Præterea, Intra latitudinem eiuſdem ſcientiæ, plures & diuerſæ ſunt difficultates: ergo requirunt plures habitus. Deinde in eadem ſcientia eliciuntur actus ſpecie diuerſi, quia tendunt ad materias ſpecie differentes: ergo generabunt habitus ſpecie diuerſos. Item poteſt intendi ſcientia circa vnam concluſionem, & remitti, imò corrumpi circa aliam, cùm quis obliuiſcitur illius: ergo ſignum eſt eſſe plures habitus in vna ſcientia: idem quippe habitus non poteſt ſimul intendi & remitti. Denique qui habet ſcientiam de vna concluſione, poteſt habere errorem circa aliam, quod non poſſet eſſe, ſi idem habitus reſpiceret omnes concluſiones: ergo qualitas extenditur per additionem qualitatis ad qualitatem.

Sed contra eſt capreſſa authoritas D.Th. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, ac plures extra ſcholam ipſius, vt Vaſques 1.p.diſp.1.n.8. Valentia 1. 2. diſp. 4. q. 6. & alij.

Conclvsio.

Cùm plures habitus ſolo numero diſtincti non poſſint eſſe in eodem ſubiecto, & plures ſpecie diuerſi non poſſint vniri ad conſtituendã vnam ſcientiã, nec ſcientia, nec alia qualitas extenditur per additionem qualitatis ad qualitatẽ.

Respondeo dicendum, quòd qualitas non extenditur per additionem qualitatis ad qualitatem, vnde quælibet ſcientia ſpecifica eſt vnus ſimplex habitus. 2. Hæc autem extenſio fit per additionem noui cuiuſdam modi maioris actualitatis & perfectionis.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D.Th. qui 1.2.q.54.art.4. ſic ait: *Habitus eſt qualitas ſimplex non conſtituta ex pluribus habitibus, etiamſi ad multa ſe extendat,* Et ad 3. *Ille, qui in aliqua ſcientia acquirit per demonſtrationem ſcientiam vnius concluſionis, habet quidem habitum, ſed imperfectè, cùm verò acquirit per aliquam demonſtrationem ſcientiam alterius concluſionis, non aggeneratur ei alius habitus;* Idem docet alibi ſæpe.

Secundò, vel hi habitus partiales ſolo numero diſtinguuntur, vel etiam diſtinguuntur ſpecie: ſed neutrum dici poteſt. Non primum, quia vt probabitur in Metaphyſica, duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. Nec ſecundum, quia ſi hi habitus diſtinguuntur ſpecie, non poſſunt vniri; nec per continuationem, quia hæc vnio ſolùm conuenit quantis; nec per modum actûs & potentiæ, quia non eſt aſſignabilis ratio cur vnus ex illis ſit potentia, & non actus, vel econtra, & ſic de aliis, nec per coordinationem, aut ſubotdinationem obiectiuam, per reſpectum ſcilicet ad idem obiectum totale, nam ſi omnia illa obiecta partialia conſtituunt vnum & idem obiectum in eſſe ſcibilis, poterit idem ſimplex habitus ad ea terminari; ſi verò illud non conſtituunt, non poteſt in ordine ad ipſa collectio hæc habituum vnam & eandem ſcientiam conſtituere: ergo quælibet ſcientia ſpecifica eſt vnus ſimplex habitus, & ita qualitas non extenditur per additionẽ qualitatis ad qualitatem.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Th. 1.2.q.54.art.4. vbi ſic ait: *Sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, vt pote ad plura ſe extendens.* Item q.52. art.1. ait, quòd habitus ſecundùm ſe conſideratus eſt forma ſimplex, & ſecundùm hoc non accidit ei diminutio, ſed ſecundùm diuerſum modum participandi, qui prouenit ex indeterminatione potentiæ ipſius participantis,

tis, quæ scilicet diuersimodè potest vnam formam participare, vel quæ potest ad plura, vel ad pauciora extendi.

Secundò, quando habitus scientificus extenditur ad nouam conclusionem, intrinsecè est perfectior & actualior, nec est in statu omnino perfecto, donec extendatur ad omnes : sed hanc maiorem perfectionem non habet per additionem aliquarum qualitatum, vel habituum, vt dictum est:ergo per additionem alicuius modi: nihil enim aliud superest, per quod reddatur intrinsecè actualior ad dictam extensionem sicut dictum est,quòd sufficit nouus modus ad perficiendam qualitatem quantùm ad intensionem : par enim est ratio vtriusque , nam sicut per hanc respicit sobiectum,sic per illam respicit obiectum : vnde dicimus quòd actus scientifici , qui respiciunt idem obiectum in esse scibilis , non possunt producere diuersos habitus , qui necessariò tendunt ad diuersa scibilia , sed omnes illi actus respiciunt eumdem habitum : & quia non potest pluries produci , solus actus primus illum producit , alij autem nihil producunt , quia nihil est per ipsos producibile : quia tamen obiecta materialiter distinguuntur, & ipsi actus etiam materialiter sunt diuersi,ideo dant diuersos modos extensionis ipsi habitui , qui modi non possunt addi ipsi potentiæ , cùm emanet , vt proprietas inuariabilis ab essentia.

Ad primum ergo dicendum , quòd hoc augmentum fit per additionem,vt dicit D.Th.non quidem qualitatis, sed alterius modi , qui differt in hoc à modo intensionis, quòd adueniente modo maioris radicationis, petit modus minoris radicationis, quia perfectior eminenter continet alios , & ideo alij sunt incompossibiles : hi autem modi extensionis se compatiuntur , habent enim suam perfectionem singularem,& independentem ab inuicem ; & propterea extensio dicitur fieri per additionem modi, intensio autem per variationem modorum.

Ad secundum dicendum , quòd omnes difficultates eiusdem scientiæ , licèt materialiter sint diuersæ , tamen pertinent ad eamdem rationem formalem, & sic ad omnes illas sufficit vnus habitus , secus verò si orirentur ex diuersa ratione formali. Ad aliud dicendum quòd sicut illa obiecta tantùm materialiter, & in esse rei distinguuntur specie , in esse verò scibilis sunt eiusdem speciei atomæ : sic & ipsi actus,licèt materialiter sint diuersæ speciei, & in esse rei , tamen simpliciter in esse scibilis sunt eiusdem speciei , vnde omnes possunt elici ab eodem habitu specifico,nec ipsi possunt producere diuersos habitus. Ad aliud dicendum , quòd non corrumpitur ipse habitus secundùm suam entitatem, quando quis obliuiscitur alicuius conclusionis , sed tantùm secundùm illum modum extensionis , & similiter intenditur secundùm alium modum per ordinem ad alias conclusiones. Ad vltimum dicendum quòd error non opponitur habitui scientifico, nisi sit in statu omnino perfecto , vel circa eamdem conclusionem , siue obiectum materiale.

QVÆSTIO XII.

De nutritione.

QVia Philosophus agit de nutritione & augmentatione , statim post tractatum de generatione & alteratione, quia subsequuntur rem genitam, ideo de his agendum est , sed priùs de nutritione , quæ prioritate naturæ præcedit augmentationem : plura tamen ad nutritionem attinentia remittuntur ad libros de anima, tanquam ad proprium locum vnde nunc quæruntur quatuor.

¶ Primò , Vtrùm nutritio sit transitus materiæ alimenti in substantiam viuam aliti?

¶ Secundò, Vtrùm nutritio realiter distinguatur ab augmentatione?

¶ Tertiò , Quid sit terminus nutritionis?

¶ Quartò, Vtrùm nutritio sit mutatio successiua & continua ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm nutritio sit transitus materiæ alimenti in substantiam viuam aliti?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd nutritio non sit transitus materiæ alimenti in substantiam viuam aliti, Probatur. Nutritio conuenit non solùm viuentibus sed etiam aliis , nam ignis verè nutritur , nam conuertit combustibilia in propriam substantiam, & augetur, vt sensibus patet, & tamen ignis non viuit. Deinde lapides nutriuntur,& crescunt in ipsis quippe apparent quidam meatus,quibus suscipiunt alimentum,& magneti apponuntur particulæ calibis, aut ferri,quas consumit, & tamen lapides non viuunt : ergo nutritio non est transitus materiæ alimenti in substantiam viuam aliti.

¶ 2. Præterea , Aggeneratio viuentium distinguitur ab eorum nutritione : sed aggeneratio importat hunc transitum , siue conuersionem materiæ alimenti in substantiam viuam aliti : ergo hoc non dicit nutritio.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis in præsenti, & D.Thom. ac communis sententia Philosophorum.

CONCLVSIO.

Cùm nutritio sit quædam partialis generatio viuentium, consistit in transitu materiæ alimenti in substantiam viuam aliti.

RESPONDEO dicendum, quòd datur nutritio,quæ propriè tantùm reperitur in viuentibus. 2. nutritio actiua, siue prout est actio,consistit in alteratione illa, per quam alimentum virtute potentiæ nutritiuæ , & animæ disponitur vltimò ad hoc, vt conuertatur in substantiam viuam aliti 3. passiua autem nutritio , siue vt mutatio , est transitus materiæ eiusdem alimenti in substantiam viuam aliti. Ad cuius euidentiam sciendum est hunc modum & ordinem institutum esse à natura ad nutritionem, quem quàm breuiter potero exponam.Alimentum masticatum in ore beneficio dentium , & linguæ humectantis per guttur demittitur in stomachum,vbi calore naturali à corde , iecore , & felle communicato decoquitur : decoctum transit in intestina , ex quibus per multas venas simul in vnam, quam portam vocant, conuenientes subtiliores partes alimenti decocti attrahuntur ad iecur,crassioribus excrementis ad secessum tendentibus. In iecore alimentum iam depuratum, & in materiam candidam, & liquidam, quam chilum vocant,conuersum,iterum decoquitur & purgatur : quia verò in illo reperiuntur quatuor humores, sanguis scilicet adhuc imperfectus,pituita,atra & flaua bilis, ideo quilibet ex iecore ad proprium decurrit locum , plurima pars flauæ bilis attrahitur ad vesicam fellis, atræ bilis ad splenem, pituitæ, vel resoluitur in sudores, vel in vesicam vrinæ defluit , sanguis autem adhuc permixtus prædictis humoribus per totum corpus , vt commune nutrimentum iam præparatum per venas diffunditur , & conuertitur in substantiam aliti , postquam fuerit omnino depuratus , excrementa huius depurationis deseruiunt ad nutrimentum pilorum, barbæ, capillorum , &c. pars tamen eiusdem sanguinis tendit ad cor, vbi perfectissimè decoctus & depuratus conuertitur in spiritus vitales , qui per venas arteriales totum corpus decurrunt , viuificant , calefaciunt : aliqua pars ad cerebrum ascendit , vbi in spiritus animales conuertitur, qui per neruos toto corpore diffusi, & sensum, & motum ei tribuunt, hæc paucis dixisse sufficiat.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi in hoc libro cap.5. Item 2. de anima textu 43. Item D. Aug. libro de vera religione cap. 40. vbi sic ait : *Alimenta carnis corrupta , id est , amittentia formam suam in membrorum fabricam migrant:* Item D.Thom.1.p.q.119. art.1. vbi sic ait : *Et ideo dicendum est quòd alimentum verè conuertitur in veritatem humanæ naturæ , inquantum verè accipit speciem carnis & ossis, & huiusmodi partium:* Et hoc est quod dicit Philosophus 2. de anima, quòd alimentum nutrit , inquantum est potentia caro. Deinde videmus quòd homo, v.g.per continuam actionem calo-

ris naturalis deperdit partem substantiæ, quod maximè apparet dum in grauem morbum incidit, sumpto verò alimento restaurat hoc damnum, acquirens nouas partes substantiæ: ergo signum est, quòd aliquid alimenti conuertitur in substantiam aliti, quod est nutriri, non tamen sequitur, quòd homo possit semper viuere restaurans continuò, quod deperditur: nam vt ibidem docet D. Th. virtus nutritiua in principio, quia fortior, plus conuertit, quàm deperdatur per calorem naturalem, & ideo crescit animal. Deinde debilitatur, vnde non plus conuertit, quàm deperdatur, & tunc nec crescit, nec minuitur animal. Deinde paulatim magis debilitatur, & parum conuertit, vnde diminuitur animal. Tandem totaliter deficit, & moritur animal. Quando autem Medici dicunt quòd non potest reparari humidum radicale, debent intelligi, vt intelligit D. Th. loco citato ad 3. vbi sic ait: *Ad humidum radicale intelligitur pertinere totum id, in quo fundatur virtus speciei: vnde si subtrahatur, restitui non potest, sicut si amputetur manus, aut pes, vel aliquid huiusmodi: sed humidum nutrimentale est quod nondum peruenit ad suscipiendum perfecte naturam speciei, sed est in via ad hoc, sicut est sanguis, &c. vnde talia si subtrahantur, remanet adhuc virtus speciei in radice, qua non tollitur.*

Quòd nutritio propriè tantùm reperiatur in viuentibus probatur authoritate Aristotelis 2. de anima, textu 46. vbi sic ait: *Quoniam autem nihil alitur, nisi participans vitam, animatum vtique erit corpus, quod alitur, inquantum animatum*: Quod exponens D. Th. sic ait, *Dicit ergo primò quòd nihil nutritur, quod non participat vitam, omne autem participans vitam, est animatum: sequitur ergo quòd corpus, quod alitur, est animatum.* Postea subdit: *Considerandum est autem quòd nihil propriè nutritur, nisi animatum.* Idem docet in hoc libro lect. 17.

Probatur secunda pars conclusionis. Sicut anima est principium generandi sibi simile secundùm speciem per potentiam generatiuam, sic est principium nutriendi animal conuertendo alimentum in propriam substantiam viuam per potentiam nutritiuam, & consequenter generandi aliquo modo sibi simile secundùm vnitatem numericam: ergo sicut generatio actiua, siue vt actio, consistit in alteratione illa, per quam vltimatè disponitur materia ad recipiendam formam specificam, sic nutritio actiua, siue vt actio conuersiua alimenti, consistit in alteratione, qua vltimatè disponitur alimentum in ordine ad receptionem formæ aliti.

Probatur tertia pars conclusionis. Nutritio est quædam partialis generatio, vt dictum est: ergo sicut generatio totalis passiua consistit in transitu illo materiæ dispositæ à priuatione formæ viuentis ad eamdem formam, sic partialis generatio passiua, scilicet nutritio, vt mutatio, est transitus materiæ alimenti à priuatione formæ aliti ad eamdem formam, ac proinde in substantiam viuam aliti.

Ad primum ergo dicendum, quòd actio combustiua ignis per accidens tantùm terminatur ad conuersionem combustibibis in eamdem numero substantiam cum igne generante, nam per se terminatur ad generandum alium ignem, qui solùm sit idem secundùm speciem: nutritio autem propriè & in rigore per se tendit ad conuertentendum alimentum in eamdem numero substantiam cum eo, quod nutritur, & adhuc per intussusceptionem, in quo deficiunt lapides, qui crescunt tantùm per iuxtapositionem actione agentium vniuersalium: illi autem meatus, & pori casu in eis reperiuntur, quia in paucioribus, quod denotat non fieri per illos incrementum: signum autem est quòd lapides, & similia non nutriuntur, quia incrementum ipsorum non perficit ipsum indiuiduum, nam lapis paruus æquè est perfectus, ac magnus: illa verò, quæ nutriuntur, ipso incremento perficiuntur, vt constat in plantis, & aliis viuentibus. De magnete aliqui dixerunt, quod viuat, tum quia videtur nutriri, tum quia si fortiter percutiatur, amittit suam virtutem attractiuam, vnde dicunt illâ percussione occidi, sed tenuta in eo non apparent signa vitæ: quòd consumat particulas ferri, hoc non est nutriri, nec eas intus suscipit, vt crescat secundùm omnes partes, quod requiritur ad verum nutrimentum, illa autem deperditio virtutis per fortem percussionem, non est signum mortis, sed fit per hoc, quòd illâ percussione pereat illa qualitas, quæ est virtus attractiua, quia totus lapis alteratur.

Ad secundum dicendum, quòd nutritio est quid vniuersalius, quàm aggeneratio, nam nutritio significat quamlibet conuersionem alimenti in substantiam aliti, siue sit maior, siue minor, siue æqualis, nam tenera toto tempore vitæ durat nutritio: aggeneratio autem significat tantùm maiorem conuersionem substantiæ alimenti in substantiam aliti, & sic solùm inuenitur in his, qui crescunt, & in hoc nutritio, & aggeneratio differunt, iuxta illud Aristotelis hîc textu 41. vbi sic ait: *Quamdiu saluum manet animal, etiamsi decretionem subeat, alitur, sed non semper accrescit*: Aliquando tamen nutritio sumitur tantùm pro maiori conuersione substantiæ alimenti in substantiam aliti, & in hac acceptione coincidunt, & idem significant nutritio & aggeneratio.

Articulus II.

Vtrùm nutritio realiter distinguatur ab augmentatione?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd nutritio non distinguatur realiter ab augmentatione. Probatur authoritate Aristotelis, qui in hoc libro cap. 5. textu 41. sic ait: *Etenim sic differunt nutrimentum & augmentum ratione*: Iuxta verò translationem Vatabli ait: *Nutritio idem, quod accretio existit: ratio tamen est diuersa*: Ergo ex Philosopho nutritio non distinguitur realiter ab augmentatione.

§ 2. Præterea, Eadem actio, quæ terminatur ad substantiam partialem primò & per se, extenditur secundariò ad quantitatem partialem, per quam substantia ipsa augetur: nam quantitas illa partialis habet se, vt proprietas talis substantiæ partialis, sicut quia quantitas totalis est proprietas substantiæ totalis, eadem actione producitur, qua ipsa substantia: ergo nutritio & augmentatio non sunt duæ actiones, ac proinde nec duæ mutationes realiter distinctæ.

Sed contra est authoritas Aristot. & D. Th. 5. Physic. vbi dicunt augmentationem esse verum motum, distinctum à quacumque alteratione, etiam productiua substantiæ, qualis est nutritio. Item in præsenti lect. 16. & 2. de anima lect. 9. quos sequuntur communiter Philosophi.

Conclusio.

Cùm nutritio & augmentatio terminentur ad distinctos realiter, ac genere terminos, hæc ad quantitatem, illa ad substantiam, & subiectentur in distinctis subiectis, sunt duæ mutationes realiter distinctæ.

Respondeo dicendum, quòd nutritio & augmentatio actiuæ non sunt duæ actiones realiter distinctæ, sed tantùm virtualiter. 2. passiuæ verò sunt duæ mutationes realiter distinctæ. Ad cuius euidentiam sciendum est nos in præsenti loqui de nutritione & augmentatione, prout simul fiunt, & se concomitantur, in hoc enim sensu tantùm potest esse difficultas: tam nutritio autem, quàm augmentatio sunt de primaria intentione naturæ, & sic tam maior quantitas, quàm noua pars substantię terminant per se motum in eodem reali tempore: quamuis prioritate naturæ substantia, vt proximè capax maioris quantitatis, debeat in executione produci absolutè & simpliciter priusquam quantitas maior; vtpote subiectum illius quantitatis.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Nutritio est partialis generatio, vnde & aggeneratio dicitur, ac proinde debemus de illa loqui cum quadam analogia ad generationem totalem: sed supra probatum est, quòd generatio actiua, siue vt actio, non distinguitur realiter à tota alteratione præcedenti, at est eadem actio, quæ in executione habet pro primario termino alterare subiectũ imprimendo illi qualitates destructiuas, ex quo termino resultant alij, scilicet corruptio eiusdem subiecti, generatio-

tatio alterius, & quidquid illam per se consequuntur in illo instanti, & ita alteratio, corruptio, generatio, productio quantitatis, &c. sunt vnica actio realis, quæ se extendit ad hos omnes terminos, & solùm virtualiter distinguuntur, quæ actio subiectatur in causa alterante, vt dictum est in Physicis: ergo etiam in præsenti proportionaliter dicendum est, quòd nutritio & augmentatio, vt actio, non distinguuntur realiter, sed tantùm virtualiter, & identificantur cum alteratione actiua, quæ est actio corruptiua alimenti: hæc igitur actio, quæ est potentiæ nutritiuæ mediante calore naturali, & in ipsa subiectatur, habet pro termino primario in executione alterare alimentum, ad quem consequuntur alij, scilicet corruptio eiusdem alimenti, conuersio eius in substantiam aliti, per hoc quòd forma viuens aliti de nouo informet illam materiam denudatam formâ alimenti, & tandem productio nouæ quantitatis receptæ in substantia illa partiali: cum hac tamen differentia, quòd licèt alteratio præcedens generationem totalem sit motus verè successiuus, tamen generatio & prima productio quantitatis sunt mutationes instantaneæ, quia ad primam productionem rei requiritur determinata portio materiæ, & quantitas certa: quia res, maximè viuentes, habent terminos paruitatis, vltra quos non possunt consistere: in præsenti verò tam alteratio, quàm nutritio & augmentatio sunt veri motus successiui, quia sicut alimentum paulatim alteratur, sic paulatim & successiuè conuertitur in substantiam aliti, cui etiam substantiæ de nouo conuersæ paulatim & successiuè aduenit quantitas.

Probatur secunda pars conclusionis. Illæ mutationes siue motus realiter distinguuntur, qui habent subiecta realiter distincta, vel terminos primarios realiter distinctos, vt communiter docent Philosophi, & ex se patet: sed nutritio, & augmentatio passiuæ, siue vt mutationes, habent diuersa subiecta, nam nutritio recipitur in materia prima, cùm sit transitus materiæ alimenti in substantiam viuam aliti, siue ad esse sub forma aliti, augmentatio autem recipitur in toto composito, quod augetur. Deinde etiam habent terminos primarios realiter distinctos, imò & genere: nam terminus nutritionis primarius & immediatus est substantia partialis de nouo producta, vt vnita viuenti præexistenti, & actuata eius formâ substantiali: terminus autem augmentationis primarius, & immediatus est maior quantitas viuentis: nam semel producto viuente intenditur per se primò à natura, quòd fiat maius, & habeat maiorem quantitatem, à qua formaliter communicentur substantiæ partes, & esse maiorem, vt ita possit exercere debitè suas operationes: ergo nutritio & augmentatio passiuæ sunt duæ mutationes, siue duo motus ex duplici capite realiter distincti: nec mirum quòd actiuè considerata idem sint realiter, non verò passiuè: ratio est, quia actio non specificatur per se à termino, sed à principio immediatè elicitiuo illius, vt docet D.Th. 1. 2. q. 1. art. 3. & t. p. q. 14. art. 5. ad 3 & cùm in præsenti principium immediatè operatiuum sit vnicum, scilicet calor naturalis vt virtus animæ subordinata potentiæ nutritiuæ, ideo actio nutritiua est vnica realiter, quamuis virtualiter multiplex: econtra verò motus specificatur à termino primario, ac proinde, cùm in præsenti sint plures termini primarij, etiam sunt plures mutationes & motus.

Ad primum ergo dicendum cum D.Thom. in præsenti lect. 17. quòd Aristoteles non loquitur de nutritione & augmentatione per ordinem ad terminos (ad quos) nec per ordinem ad subiectum inhæsionis, quia sic realiter distinguuntur, vt patet ex ipsomet textu, sed loquitur de ipsis ex parte subiecti circa quod, siue materiæ circa quam, & vt sic tantùm ratione distinguuntur: nam eadem materia est in potentia, vt sit quanta caro, & vt sit caro, inquantum enim est in potentia caro, est subiectum nutritionis, vt quanta verò, est subiectum augmentationis.

Ad secundum dicendum, quòd nutritio & augmentatio vt actiones non distinguuntur, vt dictum est, sed tantùm vt mutationes: est autem disparitas in instantia allata, nam quantitas partialis non est proprietas substantiæ, vt partialis, sed potiùs ipsa substantia, vt partialis, est effectus formalis eiusdem quantitatis, licèt sit accidens connaturale eiusdem substantiæ, quæ aliàs est pars, & conueniens illi ratione materiæ: hæc tamen accidentia quando per se primò intenduntur à natura, & habent omnes conditiones ad terminandum motum, vt hic contingit, possunt fieri per illum: quantitas autem totalis est proprietas substantiæ, & sic in instanti generationis fit per resultantiam, nam tunc per se primò intenditur substantia, hic autem per se primò intenditur augmentum & maior quantitas.

Articulus III.

Quid sit Terminus nutritionis?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd terminus formalis (quo) nutritionis sit substantia viuentis de nouo producta, vt partialis formaliter, & reduplicatiuè intra propriam lineam, & genus substantiæ: ita tenent omnes, qui docent substantiam ex se habere partes entitatiuas independenter à quantitate, tanquam à causa formali. Probatur authoritate D.Th. 1. 2. q. 17. art. 4. sic ait: *Totum in genere substantia compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est vnum simpliciter: nam totum est ens, & substantia simpliciter: partes verò sunt entia, & substantia in toto.* Item 3. p. q. 76. art. 1. ad 2. hæc habet; *Dicendum quòd ex vi Sacramenti sub hoc Sacramento continetur quantùm ad species panis, non solùm caro, sed totum Corpus Christi, scilicet ossa, nerui, & alia huiusmodi:* Certum est autem, vt ibidem docet D.Thom. art. 4. quòd in Sacramento ex vi Sacramenti tantùm continetur substantia Corporis Christi, non autem quantitas, siue dimensiones. Denique in d. 30. q. 2. art. 5. arguit quosdam, qui imaginabantur indiuisibilitatem materiæ carentis omni quantitate ad modum puncti, & simul dicebant quamlibet materiam, licèt indiuisibilem, posse recipere quamlibet quantitatem: dicere autem quòd substantia ex se non habet partes entitatiuas, est id ipsum asserere.

§ 2. Præterea, Prius naturâ datur nutritio, quàm augmentatio, vt communiter docent Philosophi, nam augmentatio terminatur ad quantitatem maiorem, nutritio verò ad substantiam in qua talis quantitas est recipienda, productio autem subiecti præcedit saltem prioritate naturæ productionem accidentia in eo recipiendi: ergo cùm nutritio terminetur ad substantiam partialem, necesse est, vt esse partialem conueniat illi intra propriam lineam, & non à quantitate, vt à causa formali intrinseca, quia in illo priori nondum intelligitur quantitas, ac proinde nec effectus eius formalis intrinsecus. Deinde ex eo quòd videamus duas substantias respicere duas quantitates totales, infertimus eos distingui numero, vt duas substantias totales: ergo ex eo quòd vna & eadem substantia respiciat in vnica quantitate totali plures & diuersas partes quantitatiuas, debemus inferre in dicta substantia distinctas partes substantiales & entitatiuas.

§ 3. Præterea, Si Deus continuaret duas virgas antea discontinuas, ita vt fierent vna, tunc illa substantia haberet ex se partes, nam retinet eamdem entitatem, quam priùs habebat, constat autem quòd ante vnionem erant duæ entitates distinctæ. Similiter si quis Sacerdos consecret partem hostiæ à se designandam, non consecrando aliam partem, tunc verè illa pars consecrabitur, & non alia: ergo signum est quòd substantia habet partes, & ita terminus nutritionis est substantia partialis, vt sic formaliter.

§ 4. Præterea, Ex opposito sequuntur ista duo inconuenientia: Primum, quòd idem esset terminus primarius consecrationis panis, & consecrationis vini: si enim substantia ex se non habet partes, substantia Corporis & Sanguinis Christi ex materia & forma eiusdem Christi Domini esset vna & eadem absque distinctione partium,

& ita Sanguis eſſet Caro. Secundum, quòd tota ſubſtantia lapidis eſſet ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte illius, quod enim eſt indiuiſibile, debet eſſe ſecundùm ſe totum vbicumque eſt, conſtat autem hoc eſſe falſum: nam vt docet D.Thom.1.p.q.76.art.8.anima rationalis, & aliæ perfectorum animalium ſunt indiuiſibiles, non verò aliæ, multò minùs materia prima: ergo terminus nutritionis eſt ſubſtantia partialis, vt ſic formaliter, & reduplicatiuè.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, & alij plurimi extra Scholam D.Thom. vt Durandus in 1.d.34. quæſt.1. Vaſques 3.p. & omnes illi qui docent ſubſtantiam materialem non habere à ſe diſtinctionem, aut pluralitatem partium entitatiuarum, nec extenſionem, ſed eam habere ab actuali quantitate, tanquam à cauſa formali intrinſeca.

Conclvsio.

Cum ſubſtantia ex ſe nullas habeat partes entitatiuas, non poteſt eſſe terminus nutritionis, vt partialis formaliter & reduplicatiuè.

Respondeo dicendum, quòd terminus (qui) nutritionis eſt ſuppoſitum nutritum. 2. Terminus verò formalis (quo) eſt ſubſtantia viua per calorem naturalem, & potentiam nutritiuam ex materia alimenti producta, & vnita cum toto, 3. non quatenus pars formaliter, 4. ſed ſecundùm illud ſubſtantiale, quod ex ſe dicit, ratione cuius totum eſt capax nouæ partis quantitatis, imò quòd eſt pars ſubſtantiæ ſub ipſa noua parte quantitatis.

Probatur prima pars concluſionis. Ideo ſuppoſitum eſt terminus (qui) generationis, quia per generationem recipit eſſe: ergo etiam eſt terminus (qui) nutritionis, quia per nutritionem recipit partem ſubſtantiæ, vt patet ex paritate rationis; maximè quia ſicut ſuppoſitum denominatur genitum, ſic etiam denominatur nutritum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Illud eſt terminus formalis (quo) nutritionis, quod mediâ nutritione producitur (vt quo:) ſiue ratione cuius terminus (qui) dicitur nutriri, hoc enim conuenit termino formali (quo) cuiuſcumque motûs, & mutationis productiuæ eſſe illius, ratione cuius terminus (qui) dicitur fieri: ſed illud eſt ſubſtantia viua per calorem naturalem, & potentiam nutritiuam ex materia alimenti producta, & vnita cum toto, hæc enim ſubſtantia mediâ nutritione producitur, & ſuppoſitum dicitur nutriri, quia de nouo illam acquirit: ergo eſt terminus formalis (quo) nutritionis.

Probatur tertia pars concluſionis. Subſtantia ex ſe, & præciſâ quantitate, vt præſcindit in illo priori naturæ, in quo terminat nutritionem, non habet diuiſibilitatem, ac proinde non habet partes, nec eſt pars, vt docent Ariſtoteles, & D.Thom.1. Phyſicorum textu 15.lect.3. Item 4.contra gentes. c.65.vbi ait, *Remotâ quantitate ſubſtantia omnis indiuiſibilis eſt*, Vt patet per Philoſophum. 1. Phyſicorum. Item 1.p.q.50.art.2. vbi ait, *Materiam autem diuidi in partes non conuenit, niſi ſecundùm quòd intelligitur ſub quantitate, qua remotâ remanet ſubſtantia indiuiſibilis*, Vt dicitur 1. Phyſicor. Item quodlib.9.q.4. art.1. ait, *Impoſſibile eſt, quòd vna materia contrarias & diſparatas formas recipiat, niſi ſecundùm diuerſas partes, diuerſitas autem partium non poteſt intelligi in materia, non intellectâ diuiſione, neque diuiſio non intellectâ dimenſione, quia ſubſtantia quantitate ſublatâ remanet indiuiſibilis*: Idem reperit multis aliis locis: & ratio eſt manifeſta, nam materia prima ex ſe non habet partes entitatiuas, ac proinde nec forma ſubſtantialis, nec totum compoſitum: quia ſi forma & compoſitum ſunt diuiſibilia, hoc habent à materia, quòd autem materia non habet partes, conſtat ex dictis in Phyſica, dictum eſt enim ipſam nullam habere vnitatem poſitiuam, nec numericam, nec ſpecificam: ſi autem ex ſe haberet partes entitatiuas eiuſdem rationis, verè multiplicaretur poſitiuè, imò eſſet prima radix & principium indiuiduationis, nam propterea quantitas eſt principium indiuiduationis, quia habet partes eiuſdem rationis, non ſpecie ſed ſolo diſtinctas numero, ex D.Thom. 4. contra gentes cap. 65. & alibi: ſi autem materia illas haberet, multò magis eſſet principium indiuiduationis, cùm ſit principium ſubſtantiale, à quo dimanat ipſa quantitas: ergo terminus formalis (quo) nutritionis, eſt ſubſtantia partialis, non quatenus pars formaliter & reduplicatiuè: ſi enim in illo priori, quo terminat nutritionem, non eſt pars, non poteſt terminare vt pars formaliter, & reduplicatiuè.

Probatur & explicatur quarta pars concluſionis. Non intendimus dicere, vt dicunt aliqui, quòd ſubſtantia materialis etiam adueniente quantitate remanet indiuiſibilis, hoc enim non tenent Thomiſtæ, nec vnquam docuit D.Thom.licèt enim citetur in contrarium 4. contra gentes cap. 67. tamen ibi loquitur de ſubſtantia non quanta, vt intuenti patet, nam ibidem dicit quòd ſubſtantia quanta, quæ eſt in aliquo, eſt tota in toto, & pars in parte, vnde concludit, quòd Corpus Chriſti ſit totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte, quia non eſt ibi ratione ſuæ quantitatis, ſed ratione ſubſtantiæ, & ideo quantitas habet ſequi conditiones ſubſtantiæ, ſcilicet indiuiſibilitatem. Dicendum igitur, quòd in qualibet parte aquæ, v. g. eſt tota ſubſtantia aquæ, prout dicit totam rationem ſpecificam ipſius, non autem prout dicit totam entitatem aquæ, nam ſicut verè materia prima partitur per quantitatem, ſic tota ipſa ſubſtantia verè extenditur à quantitate, & verè habet partes à quantitate: quia forma communicata ſubiecto tribuit ei ſuum effectum formalem, ſicut ergo albedo facit ſubſtantiam albam, ita proportionaliter quantitas, (licèt dicatur quanta & extenſa, quia aſſimilatur ſubſtantiæ, & habet modum illius, quod non conuenit aliis accidentibus) tamen eſt ipſa quantitas & extenſio per eſſentiam, & habet per effectu formali extendere partes extra partes, & proptereà communicata ſubſtantiæ materiali communicabit quoque ſuum effectum; vnde ſubſtantia materialis participando quantitatem neceſſariò habet extenſionem partium, ſiue partes extra partes, itaquòd vna ſubſtantialiter non ſit alia, tamen omnes conſtituunt vnum per ſe, ratione vnius & eiuſdem formæ. Quia igitur nutritio & augmentatio ſe concomitantur, & ſiunt in eodem tempore, inde eſt quod illud materiæ, quæ erat ſub alimento, & per nutritionem tranſit in ſubſtantiam aliti, per hoc quòd de nouo informetur eius formâ, remanet extenſum, & pars ratione quantitatis ſimul & ſemel productæ ex vi augmentationis naturaliter concomitantis, & ſine qua non poteſt eſſe nutritio ſaltem naturaliter: vnde nutritio ex propria ratione ſolùm reſpicit illud ſubſtantiale, ratione cuius debetur noua pars quantitatis ipſi alito, & quod ſub ipſa noua parte quantitatis, & ratione eius eſt pars ſubſtantialis ipſius aliti.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Thom. in duobus primis teſtimoniis tantùm dicit, quod ſubſtantia habet partes entitatiuas, & hoc concedimus,ſed non dicit quòd illas habeat à ſe, ſed alibi docet, quòd eas habeat à quantitate: & licèt ſub Sacramento, ex vi verborum non ſit quantitas, eſt tamen per concomitantiam, & ita extendit Corpus Chriſti in ordine ad ſe, & dat illi habere partes, ſcilicet carnem, oſſa, neruos, &c. Quantùm ad tertium teſtimonium dicimus cum D. Th. quòd illa duo inter ſe pugnant,quòd ſcilicet materia ſit indiuiſibilis ad modum puncti, & quòd poſſit recipere quamlibet quantitatem: vnde dicimus quòd materia ratione ſui præciſè non reſpicit hanc, vel illam quantitatem, ſed hoc habet inquantum ſigillatur & diſponitur per antecedentes diſpoſitiones ad hanc vel illam formam, cui debetur hæc vel illa quantitas.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſimul & ſemel, ſiue in eodem tempore fit nutritio & augmentatio: illa autem prioritas non eſt durationis, ſed naturæ: & ſic per nutritionem producitur ſubſtantia, quæ fit pars per quantitatem in eodem tempore productam per augmentationem, nec enim eſt vllum inſtans reale, in quo illa ſub-

ſtantia

stantia sit sine quantitate. Ad aliud dicendum, quòd sicut duæ substantiæ totales non possunt distingui solo numero, nisi per quantitatem totalem, sic nec in eadem substantia possunt distingui plures partes, nisi per quantitates partiales.

Ad tertium dicendum, quòd illa virga verè habet extensionem & partes, non quidem à se, sed à quantitate. Ad aliud similiter dicendum, quòd panis in Hostia nondum consecrata haber partes, & sic vna pars potest consecrari non consecratâ aliâ, si designetur, sed has partes habet à quantitate, non autem à se.

Ad quartum dicendum, quòd substantia Corporis Christi est alia partialiter à substantia Sanguinis: sed hoc habet à quantitate: nam licèt quantitas Corporis Christi Domini non tribuat suum effectum formalem secundarium, scilicet extensionem partium in ordine ad locum, tribuit tamen primarium, scilicet extensionem in ordine ad se, siue ad totum, vnde caput est extra collum, collum extra humeros, &c. hoc autem sufficit, vt vna pars, v. g. caro, non sit alia, scilicet sanguis. Ad aliud dicendum, quòd solùm sequitur totam substantiam lapidis esse sub qualibet parte quantitatis, si substantia sumatur pro tota essentia, siue ratione specifica, nam in his homogeneis quælibet pars habet essentiam totius, secus verò in ethrogeneis: non autem si tota substantia sumatur pro tota entitate, nam ipsa entitas substantiæ, licèt secundùm se sit indiuisibilis, fit tamen diuisibilis per aduentum quantitatis, sicut & ipsæ formæ substantiales, quæ sunt valde immersæ in materia, participant ab ipsa eamdem diuisibilitatem, quam ipsa primariò habet à quantitate: aliæ verò formæ, quæ sunt eleuatæ à materia, vt rationalis, & perfectorum animalium, non subiacent huic imperfectioni diuisibilitatis.

Articvlvs IV.

Vtrùm nutritio sit mutatio successiua & continua?

Ad qvartvm, sic proceditur. Videtur quòd nutritio non sit mutatio successiua & continua, ita tenent Toletus, & alij in præsenti, qui dicunt alimentum per aliquod tempus disponi à calore naturali, & in instanti terminatiuo eiusdem temporis conuerti in substantiam aliti partem illam, quæ fuerit perfectè disposita, & rursus tempore sequenti disponi aliam partem, & in instanti terminatiuo conuerti: vnde tota nutritio constat ex pluribus mutationibus instantaneis, & discretis. Probatur. Substantia est in se indiuisibilis: ergo non potest terminare mutationem continuam & successiuam, nam ad terminandam talem mutationem requiritur signate in termino partem & partem, quarum vna correspondeat priori parti mutationis successiuæ, & alia posteriori, repugnat autem in re indiuisibili assignare partes: & consequenter nutritio, quæ est mutatio terminata ad substantiam, non est successiua & continua.

¶ 2. Præterea, Alimentum per partes corrumpitur per calorem naturalem in instanti, ita vt sit verum dicere, nunc non est alimentum, immediatè ante erat: nam corruptio est terminus alterationis præcedentis, quæ cùm fiat in tempore, eius terminus extrinsecus debet esse in instanti terminatiuo illius temporis: ergo etiam in eodem instanti verum erit dicere, nunc est mutatio, & immediatè ante non erat: aliàs in illo instanti erit materia sine vlla forma, quod est impossibile: ac proinde nutritio non est successiua & continua mutatio, sed fit discretè in variis instantibus.

¶ 3. Præterea, Si nutritio fiat continuè & successiuè, incipiet in instanti extrinseco, vt patet ex dictis in Physica, ita vt sit verum dicere, nunc non est, immediatè post erit: hoc posito, vel in illo nunc, materia alimenti est vltimatè disposita, vel non: si primum: ergo in illo instanti iam informatur formâ aliti, quia vltima dispositio, & forma sunt in eodem instanti: si secundum: ergo falsò dicitur quòd in tempore immediatè sequenti recipiet formam: nam si in instanti antecedenti non est disposita, restat illi vlterior dispositio in tempore immediatè sequenti, forma autem non recipitur, nisi postquam talis dispositio vltimatè introducta est: & ita nutritio non fit continuè & successiuè.

¶ 4. Præterea, Si nutritio est continua & successiua, tunc ipsa & noua pars substantiæ per illam producta incipient in tempore, & per vltimum non esse: nam mutatio successiua incipit ad modum motus: forma verò alimenti desinit per primum non esse, quia cùm generatio vnius sit corruptio alterius, & se inuicem concomitentur, tunc debet fieri corruptio, quando fit generatio: vnde si in tempore generatur noua pars substantiæ aliti, etiam in tempore corrumpitur aliqua pars alimenti, quæ conuertatur in substantiam aliti: sed hoc est impossibile, nam in illo instanti, in quo verum est dicere, iam non est alimentum, & immediatè ante erat; item nunc non est nutritio, immediatè post erit, sequitur quòd materia remaneat sine forma, quod est impossibile: ergo nutritio non est mutatio continua & successiua.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc lib. cap. 5. Item 5. Physic. cap. 2. & D. Th. in præsenti lect. 11. & 16. Item 3. p. q. 33. art. 1. quos communiter sequuntur, non solùm Thomistæ, sed & alij Philosophi.

Conclvsio.

Cùm ad nutritionem non requiratur determinata materia, & calor naturalis fortiùs agat in partes propinquiores, quàm in remotas, nutritio est mutatio continua & successiua.

Respondeo dicendum, quòd nutritio est motatio successiua & continua, non quòd durer toto tempore vitæ, quia licèt non possit diu durare animal, si non nutriatur, tamen multoties ipsa nutritio interrumpitur, vel ex infirmitate alicuius potentiæ concurrentis ad illam, vel aliunde: sed est continua & successiua, quia quamdiu fit, fit continuè & successiuè.

Probatur conclusio. Nutritio & augmentatio sæpe sunt simul, quando scilicet producitur maior substantia, quàm fuerit deperdita, & debent ad inuicem proportionari, siue eodem modo fieri, ne detur materialis substantia sine quantitate, quod est impossibile: sed augmentatio fit continuè & successiuè. vt dicetur quæstione sequenti: ergo & nutritio. Hoc argumentum habet etiam vim, licèt non sit augmentatio coniuncta nutritioni, sufficit enim quòd habeat adiunctam aliquam mutationem terminatam ad quantitatem, hæc enim necessariò debet fieri successiuè & continuè ratione sui termini.

Secundò, ideo prima generatio viuentium fit in instanti, quia ad eam requiritur certa & determinata materia & quantitas, vt dictum est in Physicis: quia cùm requiratur certa materia, ita vt in minori non possit forma introduci, oportet vt in tota illa simul & semel introducatur, ac proinde in instanti: sed ad nutritionem non requiritur certa & determinata materia, aut quantitas: quia cùm viuens per generationem totalem sui habeat certa organa & partes requisitas, ad hoc vt anima informet corpus, non desideratur certa & determinata materia ac quantitas in alimento, vt eadem anima extendatur ad informandum illud: ergo nutritio non fit in instanti, sed in tempore, ac proinde est mutatio continua & successiua.

Tertiò, calor naturalis, qui cum potentia nutritiua est instrumentum animæ ad nutritionem, fortiùs agit in partes propinquiores alimenti, quàm in remotiores, & priùs introducit vltimam dispositionem ad formam viuam in illis, quàm in istis, vt constat ex communi axiomate: ergo priùs & per nutritionem successiuam conuertentur partes proximiores alimenti in substantiam aliti, quàm remotiores: nam quoties vltima dispositio introducitur in partibus minoribus & minoribus, ita vt non desideretur certa & determinata quantitas, toties absolutè & simpliciter forma introducitur diuisibiliter, successiuè & continuè.

Ad primum ergo dicendum, quòd substantia materia-

lis secundùm se habet diuisibilitatem virtualem, vt autem subest quantitati alimenti, formaliter & actu est diuisibilis: disponitur autem secundùm quòd substat quantitari, & conuertitur in substantiam aliti, nam eo ipso quòd disponitur, vt est in alimentu per partes successiuè, sic successiuè conuertitur & remanet secundùm easdem partes extensas sub noua quantitate, quam acquirit vt subest formæ aliti.

Ad secundum dicendum, quòd forma alimenti desinit per vltimum sui esse, siue in instanti extrinseco desitioni, & in tempore immediatè sequenti est nutritiu, vnde non reperitur inconueniens assignatum.

Ad tertium dicendum, quòd in illu nunc extrinseco materia alimenti est vltimò disposita, si vltimò dispositum dicat dispositiones præuias & antecedentes, non autem si dicat simultaneas & concomitantes: non autem est verum quòd vbi est vltima dispositiu antecedens, ibi sit forma, sed tantùm est verum quòd immediatè pust erit.

Ad quartum dicendum, quòd generatio & corruptio non sunt simul, ita vt vtraque fiat, vel in eodem instanti, vel in eodem tempore: sed se concomitantur, ita vt si vna fiat in instanti, alia fiat in tempore immediatè sequenti: vnde corruptio alimenti fit in instanti, nutritio verò fit in tempore immediatè sequenti: & sic forma alimenti desinit per vltimum sui esse, forma verò aliti incipit informare talem materiam per vltimum sui non esse.

QVÆSTIO XIII.

De Augmentatione.

Avgmentatio cuncumitatur nutritionem, & est posterior naturâ, ac proinde pust nutritiunem statim occurrit de illa agendum, vnde quæruntur quinque.

- ¶ Primò, Vtrùm augmentatio sit mutatiu continua & successiua?
- ¶ Secundò, Vtrùm augmentatio propriè & rigorosè tantùm conueniat viuentibus?
- ¶ Tertiò, Vtrùm augmentatiu duret tuto tempore vitæ?
- ¶ Quartò, Vtrùm in augmentatione quælibet pars viuentis augeatur?
- ¶ Quintò, Vtrùm viuens maneat idem numeru tuto tempore augmenti?

Articvlvs I.

Vtrùm augmentatio sit mutatio continua & successiua?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quod augmentatio non sit mutatiu continua & successiua. Probatur authoritate Philosophi 8. Physicorum textu 23. vbi sic ait: *Neque enim augeri, nec minui possibile est continuè, sed est & medium.* Quem locum sic exponit D.Thom. lect. 5. *Dicit ergo Aristoteles, quòd non est possibile continuè aliquid augeri, vel minui, ita scilicet quod quantitas aucta diuidatur secundùm tempus, ita quòd in qualibet parte aliquid eius augeatur, sed interponitur medium tempus post augmentum vnius partis, in quo nihil augetur, sed fit dispositio ad augmentum sequentis partis:* Ergo augmentatiu nõ est mutatio continua & successiua.

¶ 2. Præterea, Si augmentatiu esset cuntinua & successiua, maximè ratione quantitatis, ad quam terminatur, quæ cùm habeat latitudinem partium continuarum, successiuè & continuò pruducitur & acquiritur: sed quantitas ipsa potest acquiri & produci in instanti, vt constat in generatione rerum, quæ fit in instanti cum sua quantitate: ergo augmentatio non est mutatio cuntinua & successiua.

Sed contra est expressa authuritas Aristotelis in hue libru cap. 5. & D. Thom. ibidem lect. 11. Item 3. p. quæst. 33. art. 1. quos communiter sequuntur omnes Philusuphi.

Conclvsio.

Cùm augmentatio sit verus motus, & sit transmutatio quadam secundùm locum, verè est mutatio continua & successiua.

Respondeu dicendum, quòd datur augmentatio,
2. quæ non sulùm est mutatiu continua & successiua,
3. sed etiam est talis peculiari aliquo titulo. Ad cuius euidentiam sciendùm est quòd augmentatio tunc est, quando viuens tendit à minori ad maiorem quantitatem: est enim augmentatio inexistentis magnitudinis additamentum, vt ait Aristoteles in præsenti textu 31. & D.Thum. sic enim ait: *De ratione augmenti est, quòd fiat additio ad praexistentem magnitudinem, dicitur enim aliquid augeri, ex eo quòd fiat maius:* Hoc autem ipsâ experientiâ palpamus, videmus enim hominem v. g. in ætate virili esse maioris magnitudinis, quàm in puerili: constat autem quòd huc augmentum non prouenit ex rarefactione, cùm membra corporis in viris sint densiora & solidiura post augmentationem, quàm in pueris, & consequenter huc augmentum prouenit ex acquisitione nouæ & maioris quantitatis: vnde sicut diminutio est mutatio de maiori ad minurem quantitatem, sic augmentatio est mutatio de minori ad maiorem quantitatem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis in hoc libro cap. 5. & D. Thom. ibidem lect. 11. ac communi consensu Philusophorum fundato in euidentissima sensuum demonstratione: videmus enim & palpamus aliquid de minori fieri maius acquirendo maiorem quantitatem: sed illa mutatiu de minori ad maiorem quantitatem dicitur, & est augmentatio: ergo datur augmentatio.

Probatur secunda pars cunclusionis. Motus est de genere successiuorum & cuntinnorum, vt dictum est in Physicis: sed augmentatiu est mutatio, quæ est verus motus, vt etiam patet ex 5. Physicorum, vbi cum Aristotele, & communi sententia Philosophorum dictum est, ad tria tantùm prædicamenta, scilicet quantitatem, qualitatem, & Vbi, dari propriè & per se motum, qui motus ad quantitatem, est vel augmentatiu, vel diminutio: ergo augmentatiu est mutatio continoa & successiua, non quòd semper duret, & nunquam interrumpatur, sed quòd quando fit, non fiat discretè, & in instanti, verùm iu tempore & continuè.

Probatur tertia pars conclusionis. Io hoc differt augmentatio à generatione, siue tutali siue partiali, scilicet nutritione, & ab alteratione, quòd illud quod alteratur, aut generatur, non mutat necessariò locum, secus verò illud quod augetur: hoc enim Philosophus loco citato dicit his verbis; *Nam neque id, quod alterationem subit, neque id quod generatur, necessario mutari loco cernitur: quod autem accrescit, aut decrescit, cernitur:* Quæ verba sic exponit D. Thum. *in hoc enim differt modus prædictarum transmutationum, quia id quod alteratur, non ex necessitate transmutatur secundùm locum, similiter etiam neque quod generatur, vel quod nutritur, sed necesse est id quod augmentatur, aut diminuitur, secundùm locum transmutari:* Quod ibidem prubat his verbis: *Locus commensuratur locato, & hoc secundùm magnitudinem, non autem secundùm qualitatem, aut substantiam: & ideo necesse est, quòd quando mutatur magnitudo locati, quòd etiam fiat transmutatio secundùm locum, non autem quando transmutatur aliquid secundùm substantiam, vel secundùm qualitatem:* Ergo augmentatio ob hanc specialem rationem debet necessariò esse mutatio continua & successiua, quia repugnat mutationem aliquam esse simul & concomitanter cum motu locali, ipsique correspondere, quin sit mutatio continua & successiua: nam si fieret in instanti, non posset motui correspondere, ipsúmque concumitari: ac proinde cum augmentatio sit peculiari modu correspondens, & coniuncta motui locali, vt dictum est, peculiari etiam modo, & titulo est mutatiu continua & successiua. Vnde in augmentatione

non

non solùm est acquisitio loci quomodocunque, sed reperitur aumento verus motus localis; nam cùm id quod augetur, augeatur secundùm omnes partes, oportet vt quælibet pars transeat aliquo modo ad locum quem antea non occupabat, alioquin non posset secundùm omnes partes augeri, & occupare maiorem locum: absque eo quòd esset ibi aliqua penetratio, quæ naturaliter est impossibilis.

Ad primum ergo dicendum cum Bannes hîc cap. 5. q.2. ad 1. & nostris Complutensibus, quòd Aristoteles in illo loco agit contra Heraclitum, qui dicebat augmentationem durantem v. g. per horam, sic horæ commensurari, vt sicut ipsa tota toti horæ, sic medietas illius medietati horæ correspondeat, vnde dicebat augmentationem esse continuam continuitate regulari & vniformi: sicut est ipsa hora, & hoc excludit Philosophus: & ita prædictis verbis non negat continuationem simpliciter augmentationis, sed tantùm continuitatem regularem, & vniformem: nam vt docet D.Thom. 2. contra gentes cap. 89. continuum aliquando sumitur pro eo, quod est vniforme & regulare, imò hoc maximè dicitur continuum, & propterea idem sanctus Doctor 6. Physicorum lect.5. dicit continuitatem per se, primò, & propriè inueniri in motu locali tantùm, non autem negat quòd in aliis motibus sit continuitas, prout dicit non interruptionem eo tempore, quo durant licèt non habeant hanc regularitatem & vniformitatem, & sic etiam explicandus est D. Thom.

Ad secundum dicendum, quòd in instanti generationis per se primò tantùm intenditur substantia genita, in qua cùm requiratur certa & determinata materia, fit in instanti, & ad eius productionem resultat etiam in instanti quantitas per modum proprietatis, aliàs esset substantia materialis sine quantitate, quod naturaliter est impossibile: in augmentatione autem per se primò intenditur maior quantitas, vnde non mirum, si acquiratur iuxta modum suum, idest, continuè & successiuè, cùm habeat latitudinem partium continuarum.

Articvlvs II.

Vtrùm augmentatio propriè & rigorosè tantùm conueniat viuentibus?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd augmentatio non conueniat tantùm viuentibus propriè & rigorosè. Probatur authoritate D.Thom. 2. de anima lect. 8. vbi sic ait: *Ignis præexistens ad sui conseruationem, & augmentum videtur in se humorem conuertere, & ideo in Elementis videtur solùm ignis nutriri, & sola aqua esse eius nutrimentum, secundùm quòd ad aquam pertinent omnes humores, & liquores:* Sed ignis non viuit, vt conceditur ab omnibus: ergo augmentatio non tantùm conuenit viuentibus propriè & rigorosè.

¶ 2. Præterea, Si quæ ratio obstaret, cur inanimata propriè non augerentur, esset quia non augentur per intussusceptionem, at per iuxtapositionem: sed hæc ratio non obstat, quia alteratio, & motus localis propriè sunt motus, siue sint ab intrinseco, siue ab extrinseco: ergo & augmentatio erit propriè augmentatio, siue fiat per intussusceptionem, siue per iuxtapositionem: deinde sunt aliqua inanimata vt lapides, qui per poros attrahunt humorem, & sic crescunt per intussusceptionem.

¶ 3. Præterea, Hæ tantùm conditiones requiruntur ad propriam & rigorosam augmentationem, scilicet alimentum extrinsecùs adueniens, quo quælibet pars eius, quod augetur, augeatur, & identitas numerica rei auctæ, vt docet Aristoteles hîc cap.5. & D.Th. lect. 14. sed hæc omnia reperiuntur in igne: nam si flamma ignis vndique aspergatur olei guttis, vel puluere sulphureo, aut tormentario, tunc augetur extrinseco alimento secundùm omnes partes, & per virtutem intrinsecam, scilicet natiuum calorem, & idem numero perseuerat. Maximè quia ignis propriè nutritur, nam deficientibus combustibilibus deficit, quæ autem propriè nutriuntur, etiam propriè augentur ex Philosopho hîc cap. 5. Deinde etiam si vino parum aquæ misceatur, crescens alimento extrinseco secundùm omnes partes manet idem numero: ergo augmentatio non tantùm conuenit propriè & rigorosè viuentibus.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis 2. de anima texto 40. & D. Th. multis locis, quos sequuntur, Bannes, nostri Complutenses in præsenti, & communiter omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm augeri propriè, sit moueri ab intrinseco, quod fit per intussusceptionem à virtute naturali ad hoc destinata, vt perficiat illud, quod augetur, propriè & rigorosè tantùm conuenit augmentatio viuentibus.

Respondeo dicendum, quòd augmentatio propriè & rigorosè tantùm conuenit viuentibus. Probatur authoritate D. Th. 2. de anima lect. 17. vbi ait: Quòd corpora animata verè nutriuntur, quod est alimentum conseruatur vita in illa parte eadem, quæ priùs fuit, & propter hoc etiam sola animata verè augentur, quia quælibet pars eorum, & nutritur, & augetur, quod non conuenit rebus inanimatis, quæ videntur per additionem crescere. Idem docet hîc lect.17. & q.vnicâ de anima art. 13. ad 15. ac alibi.

Secundò, augmentum propriè & rigorosè non fit per iuxtapositionem, at per intussusceptionem, quando enim augmentum fit per iuxtapositionem, res propriè non dicitur augeri, sed alia res ipsi eodem prorsus modo, ac priùs existenti additur, quando autem alimentum intussuscipitur, & per virtutem aliquam naturalem deducitur ad omnes partes, ac conuertitur in substantiam aliti, ita vt secundùm omnes partes nutriatur & augeatur, non videtur, possibile quòd non sit ibi propriè augmentum: sed sola viuentia augentur per intussusceptionem modo explicato: non viuentia autem augentur tantùm per iuxtapositionem: nam experimur quòd non viuentia augentur per quamcumque partem apponatur eis alimentum, quod non est in viuentibus, nam habent partem determinatam, per quam illud suscipiunt, vt animal habet os, plantæ radices, & insuper habent virtutem internam, siue potentias per quas illud conuertunt, & sic causant augmentum: ergo augmentatio propriè & rigorosè tantùm conuenit viuentibus.

Tertiò, inanimata producuntur à principio in debita perfectione, ita vt possint elicere perfectissimam operationem, scilicet generare sibi simile, vt patet in igne, quod non accidit in viuentibus: non enim à principio possunt generare sibi simile, sed paulatim perueniunt ad hanc perfectionem: & consequenter præter potentiam generatiuam debuerunt recipere potentias naturales, quibus augeantur & nutriantur, ac perueniant ad dictam perfectionem: secus verò non viuentia, quæ non exigunt determinatam magnitudinem, in qua produeantur vel conseruentur, licèt per accidens ratione contrariorum meliùs in maiori magnitudine conseruentur, vel saltem vnita cum similibus: ergo augmentatio propriè tantùm conuenit viuentibus.

Quartò, augeri per intussusceptionem, est moueri ab intrinseco, & consequenter est actio vitalis, siue officium vitæ, vt docent Aristot. & D.Th.8. Physicorum: ergo non conuenit inanimatis, siue non viuentibus: nec potest dici quòd moueantur hoc motu à generante: nam illa solùm possunt attribui generanti, quæ debentur rei genitæ in instanti generationis, vt dictum est. 7. Physicorum: constat autem quòd augmentum non est debitum in instanti generationis, aliàs in omnibus viuentibus natura deficeret in necessariis, non tribuens illis augmentum quando debet, ac proinde augmentatio non potest tribui à generante rei inanimatæ, sed ab ipsa oriretur, vt à causa principali, si ei conueniret.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th. non asserit absolutè ignem nutriri & augmentari, sed tantùm dicit quòd videtur nutriri propter maiorem similitudinem, quam

quam habet in modo augmenti cum nutritione & augmentatione viuentium : vnde in medio eiuſdem lectionis poſtqoam negauit ignem propriè nutriti & augeri, ſic ait: *Ideo autem ſimilitudo augmenti & nutrimenti præcipuè apparet in igne, quia ignis habet plus de forma, quàm alia elementa, & eſt potentior in virtute actiua: vnde propter hoc, quòd manifeſtè alia conuertit in ſe, videtur nutriri & augeri.*

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt generaliter loquendo motus non ſpecificetur à cauſa efficiente, ſiue à principio, ſed tantùm à termino, tamen ſunt aliqui motus peculiares, qui ab intrinſeco petunt procedere à determinata cauſa, vel principio vitali, & hic modus procedendi etiam refunditur in ipſum terminum: & ſic licèt augmentatio ſpecificetur à maiori quantitate, ad quam tendit, connotat tamen neceſſariò, quod fiat à principio intrinſeco & vitali per intuſſoſceptionem, tum quia fit per actionem vitalem, tum qoia ſimul eſt cum nortitione, vnde debet ab eodem ſuppoſito procedere: nutritio autem eſt ad conſetuationem eiuſdem ſoppoſiti, à qao procedit. Ad aliud dicendum quòd quamuis illi lapides habeant poros, non tamen per virtutem intrinſecam alimentum diſpoount & conuertunt in proptiam ſubſtantiam, nec proprium cauſant augmeotum, ſed hoc ſolùm habent ab influentia cœleſti agente extrinſecè & per iuxtapoſitionem tantùm augentur.

Ad tertium dicendum, quòd ignis non augetur per virtutem intrinſecam ad hoc per ſe ſpecialiter deputatam à natura: vnde potentia conuerſiua ligni in ſubſtantiam ignis, eſt ipſamet potentia generatiua illios: ac ita per illam combuſtionem per ſe tendit ad generandum ſibi ſimile ſecondùm ſpeciem: quia iam habet in ſe debitam quantitatem, per accidens autem ſibi vnit, vel identificat combuſtibile, quia ſcilicet eſt indiſtans ab ipſo. Deinde ignis non creſcit ſecundùm omnes ſoas partes, & licèt poſſet propter aſſignatam materiæ applicationem ſecundùm omnes partes creſcere, tamen hæc applicatio non contigit per ſe, nec ab intrinſeco, ſed per accidens & ab extrinſeco, quæ tamen applicatio per ſe & ab intrinſeco requiritur ad verum augmentum: cùm hoc tamen ſtat qoòd augmentum ignis valde aſſimilatur aogmento viuentium, quamuis per ſe non indigeat pabulo, ſed per accidens extra eios ſphæram propter contraria corrumpentia, ignis quippe elementaris in ſuo naturali loco exiſtens, eo non indiget. Ad illod de vino dicendum, quòd non augetur ſecundùm omnes partes, licèt omnes debilitentur, qoia illæ, à quibus aqua verſa eſt in vlnum, debilitant alias ratione diuerſæ diſpoſitionis, & hæ alias ſucceſſiuè, & ita totum vinum redditur debile: aliàs dicendum eſſet, quòd eſſet perfecta mixtio inter aquam & vinum, ac proinde neutrom ex illis augeretur, ſed vtrumque deſineret eſſe, & reſultaret aliud compoſitum. Deinde illod vinum noo augetur per virtutem intrinſecam ad tale augmentum per ſe ordinatam, quia nutritio & augmentatio ordinantur ad hoc à natura, vt res meliùs ſe habeat, conſtat autem quòd vinum per immixtionem aquæ ſe deteriùs habet.

Articvlvs III.

Vtrùm augmentatio duret toto tempore vitæ?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur qoòd augmentatio duret toto tempore vitæ. Probatur. Vt detur augmentatio ſufficit quòd acquiratur maior qoantitas eâ, quæ fuit in termino (à qoo): ſed hoc contingit toto tempore vitæ, quia, vt dictum eſt, toto tempore vitæ durat nutritio, cui neceſſariò coniungitor aogmentatio, ne ſubſtantia partialia per notritionem producta ſit ſine quantitate: & ſic producitur maior quantitas eâ, quæ fuit in termino (à quo): ergo augmentatio durat toto tempore vitæ.

§ 2. Præterea, quò calor naturalis magis creſcit, eò viuens plus augetur, cùm augmentum fiat mediante illo calote: ſed calor naturalis creſcit toto tempore vitæ per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, ſicut calor ignis plos creſcit, quò plura ligna conoertit in ſubſtantiam eiuſdem iguis: ergo augmentatio durat toto tempore vitæ.

§ 3. Præterea, Poteſt contingere quòd aliquis io ſenectute comedat alimenta faciliora ad digeſtionem: ergo tunc augebitur, qoia augmentum fit per hoc, quòd cibus facilè concoquatur, & plus conuertatur in ſobſtantiam aliti, quàm calor naturalis conſumpſerit de prædicta ſubſtantia, & ita augmentatio duraret toto tempore vitæ.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Th. ac commonis conſenſus Philoſophorum fundatus in ipſa experientia.

Conclvsio.

Cùm augmentatio ſit ordinata à natura, ad hoc vt viuens acquirat quantitatem proportionatam, vt ſit in ſtatu perfecto, & eliciat ſuas operationes, non durat toto tempore vitæ.

Respondeo dicendum, quòd augmentatio non durat toto tempore vitæ, ſed tantùm vſque ad determinatum tempus, eſt autem difficilè aſſignare in plantis & aliis animantibus, quamdiu duret augmentum, quamdiu ſtatus & diminutio: quædam enim parum viount, ideo breui tempore terminatur eorum augmentum, alia verò diutiùs viuunt & creſcunt: loquendo autem de homine D.Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2. Dicit quòd regulariter tempus augmenti eius eſt, vſque ad finem tertij ſeptennij, ſiue vſque ad vigeſimum primum annom completum: alij verò extendunt vſque ad vigeſimum quintum: docet autem Ariſtoteles 1. de generatione animalium cap. 18. quòd homo in anno quinto ſuæ ætatis ſolet obtinere dimidium ſtaturæ, quam habiturus eſt. Tempus verò ſtatûs, ſiue conſeruationis eſt à vigeſimo primo vſque ad quadrageſimum ſecundum, vel ſecundùm alios vſque ad quinquageſimum. Tempus tandem decretionis eſt ab hoc tempore aſſignato vſque ad finem vitæ: & ita in illo plus homo perdit de ſubſtantia, quam acquirat, dooec ad mortem perueniat. De augmento autem loquimur ſecundùm magnitudinem, quod propriè eſt aogmentum, nam ſecundùm latitudinem videmus multos vltra tempora aſſignata creſcere, dum pingueſcunt.

Probatur concluſio authoritate Ariſtotelis, & D. Th. Philoſophus quidem 3. de anima textu 59. diſtinguens tres ſtatus, ſic ait: *Neceſſe eſt enim, id quod generatur, augmentum habere, & ſtatum, ac decrementum, hoc autem ſine alimento eſſet impoſſibile*: Quæ verba ſic exponit D. Th. *Neceſſe eſt quòd omne viuens, quod generatur habeat augmentum, & ſtatum, & decrementum: ſed hæc non poſſunt accidere ſine alimento: quia tempore augmenti oportet, quòd plus de alimento conuertatur, quàm ſufficiat ad conſeruationem præexiſtentis magnitudinis: tempore autem ſtatûs æqualiter: ſed tempore diminutionis minùs.* Item Philoſophus in hoc libro textu 49. ait, *Quocirca quamdiu ſaluum manet animal, etiamſi decretionem ſubeat, alitur, ſed non ſemper accreſcit*: Quod ſic exponit D. Thom. *Infert quoddam corollarium ex eo, quod dictum eſt, ſcilicet, quòd aliquis nutritur, quamdiu conſeruatur in vita: non autem ſemper animal augetur, ſed quamdiu cibus conuerſus in carnem poteſt extendi in maiorem quantitatem.*

Secundò, augmentatio ordinatur ad hoc à natura, vt viuens acquirat debitam quantitatem, vt ſit in ſtatu perfecto, & proportionatam ad exercendas ſuas operationes, ſicut nutritio ordinatur ad reparandum id, quod de ſubſtaotia viuentis conſumit calor naturalis: ergo cum hæc conſumptio duret toto tempore vitæ, & econtra tempore determinato viuens perueniat ad illam quantitatem, augmentatio non durat toto tempore vitæ, ſicut durat nutritio.

Tertiò vita corporis viuentis, & conſequenter eius operationes, & potentiæ vitales fundantur in calido & humido rectè attemperatis, vt docent Ariſtoteles 3. problem.

blem. & D.Th. q. de anima, art. 8. ad 11. hoc enim temperamentum est optimum: sed prædictum temperamentum paulatim deficit, tum ex reactione continua alimenti, quod antequam conuertatur est dissimile & contrarium viuenti, tum quia calor naturalis consumit proprium humidum radicale, vnde videmus quòd in senectute abundat frigus & siccitas: ergo etiam vita & virtus eius conuersiua alimenti in substantiam aliti paulatim deficiet, & tunc non poterit plus alimenti conuertere, quam deperditum sit de propria substantia, & sic non erit augmentatio.

Quartò, substantia, quæ in generatione datur, est perfectissima, & magis attemperata ex humido & calido; quàm illa, quæ acquiritur per nutritionem, quæ est debilior, imperfectior, & quasi extranea ipsi formæ, vt docent Aristoteles, & D.Th. libro de senectute, & iuuentute lect. 4. & 5. item in hoc lib. lect. 17. vnde animal, quò plus deperdit de prima substantia, licèt acquirat aliam, erit debilius, & similiter eius potentiæ & operationes vitales: ergo animal paulatim deficiet: maximè quia anima quò se magis diffundit in maiorem materiam, magis debilitatur eius virtus, nam virtus vnita est fortior seipsâ dispersâ, vt est axioma Philosophicum, & Aristoteles lib. 13. de partibus animalium docet quòd illa animalia, quæ habent magnum cor, sunt naturaliter timida. Ex his colligitur solutio cuiusdam difficultatis, cur scilicet in iuuenibus calor naturalis, cùm sit valde intensus, non æquè consumat de substantia, ac conuertit de alimento, in sene vero, cùm sit remissus, plus consumat, quàm conuertat: ratio ex dictis patet, quia in iuuenibus corpus non est ita immutatum, ac in senibus: nam in ipsis remanet maior pars illius substantiæ, quam receperunt in sua generatione, quæ est meliùs attemperata ex humido & calido, ac propterea multùm resistit calori corrumpenti: in senibus verò, quia totam fere substantiam, quam habent, acquisiuerunt per nutritionem, & ideo est imperfectior, & minùs attemperata ex humido & calido, ac propterea non ita resistit calori naturali, licèt remissiori. Calor autem naturalis paulatim crescit vsque ad determinatum tempus ob consolidationem organi, in quo est: videmus enim quòd calor in densiori materia fortiùs operatur, tamen postea propter illam immutationem substantiæ decrescit, quia non habet tantam connexionem & proportionem cum illa materia quasi extranea, quam continuò per nutritionem acquirit, sicut cum illa, quæ fuit communicata in instanti generationis: & hoc maximè prouenit ex directione naturæ, ad quam pertinet conseruare illum calorem per totum tempus determinatum ad augmentum, & ita ex propria natura caloris viuifici & sobordinati viuenti habetur hæc diuersitas, quòd plus, vel æqualiter, aut minùs conuertat de alimento: illi autem plus resistit humiditas, quæ superabundat in iuuenibus, ne propriam substantiam consumat, quàm frigus, quod abundat in senibus, licèt directè opponatur calori: difficiliùs enim vincitur à calore humiditas, quàm frigus, vt experientiâ constat.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt per nutritionem producatur noua pars substantiæ, & consequenter noua pars quantitatis per augmentationem, & quòd tunc fit maior quantitas, quàm erat dum incepit talis productio, tempore tamen antecedenti calor naturalis consumpsit plures partes substantiæ & quantitatis, quàm per nutritionem reparentur, nam talis consumptio est continua, reparatio autem moderata, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd tempore decretionis calor naturalis continuò debilitatur, vnde est dispar ratio inter ipsum, & calorem ignis, nam calor ignis, cùm sit eius proprietas, resultat naturaliter in omni eo, in quo introducitur forma ignis, intensissimos vt octo, à qua intensione parum potest remitti: calor autem naturalis non est debitus homini in intensione determinata.

Ad tertium dicendum, quòd licèt posset in senibus prouenire augmentum ex qua parte comedunt alimenta facilia ad digestionem, ex alia tamen parte, scilicet ex debilitate potentiarum vitalium, & caloris naturalis impeditur tale augmentum: & ita hæc alimenti bonitas, & facilitas ad conuersionem plurimùm concurrit ad senium conseruationem, sed non ad augmentum.

Articvlvs IV.

Vtrùm in augmentatione qualibet pars viuentis augeatur?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd in augmentatione quælibet pars viuentis non augeatur. Probatur. Vt fiat tale augmentum secundùm omnes partes, debet omnibus illis alimentum applicari debitè, vt ex se patet: sed alimentum non potest debitè omnibus partibus applicari absque penetratione naturali: quia intra viuens non datur vllum vacuum, nec adueniente alimento fit aliqua diuisio, aut ruptio partium: constat autem quòd penetratio naturalis est impossibilis: ergo in augmentatione quælibet pars viuentis non augetur: nec potest dici quòd hæc applicatio fiat mediantibus poris, nam Aristoteles in hoc lib. textu. 80. & 81. refutat Philosophos admittentes poros, vt mediis illis fieret actio, passio, & augmentatio, dicens quòd augmentatio sic facta, esset iuxtapositio. Deinde admissis illis poris, adhuc est impossibilis talis applicatio sine penetratione: nam pars alimenti est maior corpusculo, quod occupat poros, vel non. Si non est maior, non erit augmentum. Si est maior, erit penetratio, quæ tamen naturaliter est impossibilis. Denique inter porum & porum est pars, & ita licèt poris applicetur alimentum, tamen illis partibus saltem quoad medietates centrales non applicabitur, ac proinde non erit augmentum quoad omnes. Maximè quia illi pori in primo augmento replentur, ac sic non remanent vlteriùs pori aperti.

§ 2. Præterea, Vngues & capilli augentur non autem aliis partibus, & econtra palpebræ parùm, aut nihil crescunt: deinde spadones ampliùs crescunt secundùm brachia & crura, quàm secundùm caput, vt constat experientiâ in omnibus, vnde signum est non augeri quamlibet partem: ergo in augmentatione quælibet pars viuentis non augetur.

§ 3. Præterea, Si homo v.g. cresceret secundùm omnes partes, etiam cresceret secundùm omnes dimensiones, cùm habeat partes secundùm omnes dimensiones: sed hoc est falsum, imò contrarium apparet, nam tempore, quo crescit homo, est macilentior: ergo in augmentatione quælibet pars viuentis non augetur.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur omnes pene Philosophi, tam antiqui, quàm moderni.

Conclvsio.

Cùm viuens per se & ratione sui moueatur motu augmentationis, & nutriatur secundùm omnes partes, in augmentatione qualibet pars viuentis augetur.

Respondeo dicendum, quòd augmentatio fit secundùm omnes partes rei, quæ augetur, vnde in augmentatione qualibet pars viuentis augetur. Probatur authoritate Arist. & D.Th. Philosophus hic cap. 5. assignat tres conditiones pro augmento. Prima est, quòd augmentum fiat adueniente aliquo. Secunda est, vt eius quod augetur, quælibet pars augeatur. Tertia, vt res aucta eadem permaneat. Item textu 33. sic ait: *Nam seruare oportet, quæ ei, quod accrescit, decrescit've, ratione competunt: hæc autem tria sunt, quorum primum est magnitudinis, quæ accrescit, partem quamlibet maiorem effici, v.g. si caro, carnis, &c.* Quod sic exponit D. Thom. lect. 14. *Oportet enim ad hoc, quòd aliquid dicatur augeri, quòd saluentur ea, quæ sunt de ratione eius, quod augetur & diminuitur: quæ quidem sunt tria, quorum primum est, quòd qualibet pars magnitudinis, quæ augetur, fiat maior: puta si caro augetur, quòd qualibet pars carnis fit maior.* Item in 1. d. 17. q. 2. art. 1. ait: *Quando per se quantitas est terminus motus, oportet quòd sit ibi additio*

ad totum, & quòd ad quamlibet partem, vt totum augeatur, & qualibet pars eius, ficut eft in animali, & in planta, & tunc propriè eft motus augmenti.

Secundò, Probatur ratione Ariftot. 5. *Phyficorum*, & D. Thom. hic lect. 14. Vt aliquid moueatur per fe & ratione fui, non verò ratione partium, oportet quamlibet eius partem moueri: fed viuens per fe & ratione fui fimpliciter, non verò ratione fuarum partium mouetur motu augmentationis, vt patet, cùm hæc fit operatio vitalis, quæ primò & per fe conuenit ipfi fuppofito viuenti: ergo qualibet pars eius mouetur prædicto motu, & fic eo aucto qualibet eius pars augetur.

Tertiò, ratione D. Th. hic cap. 5. & quæft. de anima art. 9. & 10. Qualibet pars viuentis nutritur, dum viuens habet nutriri, nam eo viuente qualibet eius pars viuit, & ita habet operationem animæ vegetatiuæ, fcilicet nutritionem: maximè quia vita fpecialiter confiftit in calido & humido, calor autem viuentis eft proprium inftrumentum nutritiuæ, ac proinde ficut qualibet pars viuit, & habet fuum calorem naturalem, ita qualibet nutritur: aliàs per talem calorem confumeret humidum radicale, & fe deftrueret, nec repararet, quod deperdit: ergo qualibet pars augetur, dum totum augetur: quia augmentum fequitur ad nutritionem, per quam plus alimenti conuertitur, quàm fuerat deperditum de fubftantia aliti: & fic dum abundat calor naturalis, & fit maior illa conuerfio, qualibet pars viuentis illo aucto augetur.

Hæc ratio conuincit non folùm partes fenfibiles, fed etiam proportionales augeri, non per iuxtapofitionem, fed per intuffufceptionem, inquantum augmentatio per fe primò terminatur ad partes fenfibiles: quia fecundùm fuas extremitates applicatur eis alimentum, vt ei quod ratione fui habet porum, intra quem illud fufcipiat: vnde quòd aliquo modo mediat pars proportionalis, vt eft quafi extremitas eius, nihil refert: nam vt tolleret prædictam immediationem & primitatem, oportebat vt mediaret tanquam pars ratione fui habens poros & fufcipiens intra fe alimentum, & confequenter augmentatio tantùm fecundariò, & ex confequenti terminatur ad partes proportionales inclufas in fenfibilibus: ad hunc autem modum recipiendi alimentum per intuffufceptionem, & crefcendi fecundariò non requiritur, quod habeant proprios fibi poros, fed quòd fint partes viuæ inclufæ in alia parte fenfibili, quæ eos habeat: vnde partes proportionales augentur ratione partium fenfibilium: nam earum natura hoc & non ampliùs petit: quia exiftunt confusè & indiftinctè: & ratio huius eft, quia augmentatio eft motus fenfibilis, ac proinde per fe primò conuenit partibus fenfibilibus ratione fui, non autem illis, quæ ratione fui non fint fenfibiles, & hoc docent Ariftoteles hic textu 33. & D. Thom. lect. 15. vbi fic ait: *Tertium eft, quòd quodlibet fignum fenfatum, id eft, qualibet pars fenfibilis eius fiat maior in augmento & minor in diminutione*: Et fubdit huius rationem: *Quia eius per fe primò eft moueri, cuius eft effe, fiue exiftere*: Sed partes proportionales, vt tales, non petunt exiftere, fiue coëxiftere etiam intra lineam partiom abfoluté & fimpliciter, ficut partes fenfibiles exiftunt, fed tantum fecundùm quid, indiftinctè, indeterminatè, & confusè: ergo per fe primò non augentur: maximè quia non habent fuos poros, aliàs tot pori forent concedendi, quot partes proportionales, quod eft manifeftè falfum. Ex quo fequitur quòd partes huius motûs augmentationis non omnimodè commenfurantur partibus mobilis, fecundùm quòd hoc motu mouentur ob incapacitatem partium proportionalium, vt per fe primò moueantur defectu pororum: vnde motus augmentationis fluens per fuas partes minores & minores priufquam per aliquotas, non attingit primò partes viuentis minores & minores, fed aliquotas ob rationem dictam: in aliis autem motibus, quia non reperitur hoc impedimentum, partes motûs minores & minores omnimodè commenfurantur partibus mobilis minoribus & minoribus.

Ad primum ergo dicendum, quòd applicatio alimenti fit mediantibus poris, nec Arift. arguit hos Philofophos, quia admittebant poros, fed quia dicebant quòd corpufcula ingredientia poros non continuabantur, nec conuertebantur in fubftantiam aliti, quod eft deftruere augmentationem, folùm quippe effet iuxtapofitio. Ad aliud dicendum, quòd pori ex fe funt conftricti, aliquando aperti, fed pleni vento, vel humore: & ita adueniente alimento, vel dilatantur, vel cedit humor, & alimentum intrans conuertitur in fubftantiam aliti. Imò ipfi pori, cùm fiant virtute caloris naturalis, vt etiam deferuiant ad receptionem excrementorum, & vaporum, qui manent, deperditis partibus viuentis, inde fit, vt fint maiores, quàm partes refolutæ: maximè in iuuenibus, in quibus calor abundat, & ita plus capiunt alimenti, quàm fit deperditum de fubftantia. Ad aliud patet ex dictis. Ad vltimum dicendum, quòd licèt pori repleantur alimento, tamen calor naturalis refolutus, & confumens interiores partes corporis, mediâ hac refolutione, & confumptione, facit nouos poros in qualibet parte fenfibili, plenos vapore refoluto, vel excremento, qui licèt aliquando fint conftricti, tamen adueniente alimento dilatantur.

Ad fecundum dicendum, quòd capilli & vngues tamdiu crefcunt, donec perueniant ad terminum fuæ magnitudinis, ad quem non finuntur peruenire, quia fcinduntur, palpebræ verò ex fe non petunt ampliùs crefcere. Spadones autem minùs crefcunt fecundùm caput, propter defectum caloris, quia cerebrum eft frigidiffimum, crefcunt verò improportionatè fecundùm alias partes per accidens, quia fuperfluum alimentum, quod in aliis conuertitur in femen, in illis conuertitur in offa & carnes.

Ad tertium dicendum, quòd virtus nutritiua & augmentatiua, dum viuentium membra versùs omnem partem porrigunt, fequuntur, & imitantur virtutem formatricem corporis, & ideo illud augent & nutriunt, prout à natura formante eis prædeterminatum eft, & iuxta rationem, quantitatem, & terminum pro qualibet parte, & decore eius ab eadem natura præfixum.

Articulus V.

Vtrùm viuens maneat idem numero toto tempore augmenti?

Ad quintum fic proceditur. Videtur quòd viuens non maneat idem numero toto tempore augmenti. Probatur authoritate Ariftotelis, & D. Th. Philofophus quidem in hoc libro textu 35. dicit, quòd in augmentatione manent partes formales viuentis, non verò materiales, & ita non augetur fecundùm has, fed fecundùm illas: conftat autem quòd tam partes materiales, quàm formales pertinent ad vnitatem numericam viuentis, ac proinde viuens non remanet idem numero toto tempore augmenti: fimiliter D. Thom. ibidem lect. 15. fic ait: *Non qualibet pars fecundùm materiam confiderata augetur: dictum eft enim, quòd id, quod augetur, oportet permanere, non autem permanet qualibet pars fecundùm materiam confiderata, fed folùm fecundùm fpeciem*: Ergo cum vnitas indiuidualis prouenit ex identitate materiæ fecundùm D. Thom. & toto tempore augmenti non permaneat eadem materia, fubfequitur quòd viuens non maneat idem numero toto tempore augmenti.

¶ 2. Præterea, Entitas totius nihil eft aliud, quàm entitas partium, vt dicitur in Phyficis: fed viuens toto tempore augmenti poteft variari fecundùm omnes partes, nam cùm calor naturalis agat continuò in fubftantiam, continuò deperduntur partes fubftantiæ habitæ in generatione, & acquiruntur aliæ, quod maximè verificatur in his, quorum formæ funt diuifibiles & extenfæ: cum enim tales formæ, ita dependent à materia, vt non folùm in fieri, fed etiam in conferuari, ac coëxtendantur ipfi materiæ, fequitur quòd deperditâ hac parte materiæ, pereat

pereat etiam pars formæ illi correspondens, & quia vt dictum est toto tempore augmenti tota fere materia deperditur, & aduenit alia noua, sequitur necessariò quòd non remaneat idem numero, imò sufficeret quòd maior pars substantiæ eius deperdatur: non enim potest dici simpliciter idem, cuius sunt plures partes variatæ, quàm illæ, quæ permanent.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Th. quos communiter sequuntur omnes tam antiqui, quàm iuniores Philosophi, vt nostri Complutenses, Bannes, Ruuius, Conimbricenses, Toletus, & alij.

Conclusio.

Cùm augmentatio distinguatur à generatione & corruptione, sitque coniuncta nutritioni, quæ ordinatur ad conseruationem rei, ac tandem fiat propter perfectionem viuentis, sequitur quòd viuens manet idem numero toto tempore augmenti.

Respondeo dicendum, quòd viuens manet idem numero toto tempore augmenti, imò toto tempore vitæ. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Thom. Philosophus quidem hic textu 33. sic ait: *Nam cùm quidpiam simpliciter, absoluteque gignitur, aut interit, non permanet: at cùm alteratur, aut crescit, decrescitue, quod alteratur, aut incrementa suscipit, id permanet*: Quod sic exponit D. Thom. lect. 14. *Tertium autem est, quod nunc ponitur de nouo, scilicet id, quod augetur, conseruetur, & permaneat in suo esse, quia cùm simpliciter aliquid generatur, vel corrumpitur, non permanet eius substantia, & cùm aliquid alteratur, seu augetur, vel diminuitur, manet idem numero secundum substantiam.*

Secundò, nutritio & augmentatio distinguuntur specie à generatione & corruptione substantiali, vt communiter docent Philosophi, cùm habeant terminos specie distinctos: ergo cùm illud, quod per generationem & corruptionem substantialem absolutè & simpliciter dictam generatur & corrumpitur, non maneat idem substantialiter, ac antea, sequitur quòd illud, quod nutritur & augetur vel diminuitur, manet idem numero, aliàs nutritio & augmentatio vel diminutio non distinguerentur à generatione & corruptione substantiali simpliciter dicta: nam illæ mutationes, per quas corrumpitur totum substantiale præexistens, & generatur aliud distinctum substantialiter, habent rationem generationis & corruptionis substantialis simpliciter dictæ, cùm per illas producatur esse substantiale & totale, quod est esse simpliciter & absolutè.

Tertiò, illud quod nutritur, manet idem toto tempore vitæ, nutritio quippe ex natura sua ordinatur ad conseruandum viuens in suo esse: ergo etiam illud, quod augetur, remanet idem toto tempore augmenti, nam augmentatio semper concomitatur nutritionem illam, per quam acquiritur plus de substantia, quàm fuerit deperditum per calorem naturalem.

Quartò, nulla substantia destruitur per id, per quod perficitur, vt ex se patet: sed substantia cuiuslibet viuentis perficitur per augmentationem, nam per illam attingit ad perfectionem & quantitatem sibi debitam, qua mediante possit perfectè exercere sibi debitas operationes: ergo per augmentationem substantia viuens non destruitur, & consequenter manet eadem numero toto tempore augmenti.

Ad primum ergo dicendum cum D.Thom. 1. p. q. 119. art. 1. ad 2. quòd eædem partes sub diuersa consideratione dicuntur materiales & formales: materiales quidem inquantum considerantur materialiter, vt hæc pars carnis, hæc ossa &c. formales verò secundùm quòd considerantur formaliter, vt cor, os, caro; &c. dicit igitur Aristoteles quòd partes materiales deperduntur, non verò formales, quia tenera hæc pars carnis, hæc pars cordis, vel ossis perit, tamen remanet idem os, caro, cor, &c. secundùm quòd imperceptibiliter vnâ parte transeunte, vel deperditâ succedit alia continuâ successione, & ita remanent eædem partes materiales, non materialiter, sed formaliter consideratæ, quod sufficit ad identitatem & vnitatem numericam indiuidui, non quidem adeo perfectam, sicut reperitur in incorruptibilibus, sed tamen simpliciter & absolutè dictam, & ita etiam intelligendus est D. Thom.

Ad secundum dicendum, quòd viuens potest variari secundùm plures partes, & etiam si concederetur quòd secundùm omnes, non quidem formaliter, sed tantùm materialiter consideratas, manet tamen idem numero, vnde partes de nouo aduenientes, & imperceptibiliter succedentes aliis deperditis, sunt idem formaliter cum illis, nam materialiter, & per accidens se habet, quòd sit hæc, vel illa pars quantitatis, formaliter autem, & per se, quòd per imperceptibilem successionem, vel augmentationem vniatur cum præexistentibus: hæc autem identitas potest explicari, vel ex his, quæ dicta sunt in Physicis de identitate loci, vel exemplis, quæ hic lect. 15. affert D.Thom. de identitate populi & fluuij: nam licèt homines posteriores sint diuersi à prioribus materialiter, sicut & aquæ succedentes à præcedentibus, non tamen formaliter, quantùm ad id, quod per se pertinet ad vnitatem & identitatem populi vel fluuij. Hæc autem omnia, quæ dicta sunt de augmentatione, possunt proportione seruatâ, sed viâ contrariâ applicari ad diminutionem viuentium, quæ sola propriè & rigorosè est diminutio: eadem quippe est ratio contrariorum.

QVÆSTIO XIV.

De condensatione, & rarefactione.

Condensatio & rarefactio valde assimilantur augmentationi & diminutioni, vnde ad perfectam earum notitiam ac distinctionem de ipsis agendum est, quæruntur autem tria.

¶ Primò, Vtrùm condensatio & rarefactio terminentur ad maiorem vel minorem extensionem localem?

¶ Secundò, Vtrùm maior & minor quantitas, sint termini condensationis & rarefactionis?

¶ Tertiò, Vtrùm condensatio & rarefactio per se primò terminentur ad qualitatem?

Articvlvs I.

Vtrùm condensatio & rarefactio terminentur ad maiorem vel minorem extensionem localem?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd condensatio & rarefactio consistant in actione & mutatione per se primò terminata ad minorem vel maiorem extensionem, siue præsentiam localem. Ita tenent quidam iuniores. Probatur. Hoc ipso quòd aliquod corpus rarefit, acquirit maiorem extensionem, aut præsentiam localem absque eo, quòd aliquid ei superaddatur, & econtra, quando condensatur reducitur ad minorem extensionem absque eo, quòd aliquid detrahatur, vt ipsâ constat experientiâ in aqua, & in aliis: ergo condensatio & rarefactio consistunt in actione & mutatione per se primò terminata ad minorem vel maiorem extensionem, siue præsentiam localem.

¶ 2. Præterea, Idem est corpus esse rarum, aut densum, ac habere quamdam positionem & extensionem partium in ordine ad locum ex Aristotele in prædicamento qualitatis, vbi sic ait: *Rarum verò, & spissum, & asperum, & lene quamdam positionem magis videntur partium vtrumque monstrare*, Et D.Th. 1. de generatione lect. 2. vbi ait: *Rarum autem & densum sunt positio partium materia secundùm propinquum in denso, & secundùm remotum in raro*: Ergo cùm condensatio & rarefactio terminentur ad densum & rarum, terminantur per se primò ad maiorem vel minorem extensionem siue præsentiam localem.

Sed contra est authoritas Aristotel. & D. Th. quos sequuntur authores articulis sequentibus citandi.

CONCLVSIO.

Cùm possit dari corpus rarum & densum sine extensione actuali, aut præsentia locali, vt patet in corpore Christi sub speciebus Sacramentalibus, & similiter possint dari duo corpora aequaliter extensa, quorum vnum sit rarum, aliud densum, condensatio & rarefactio non terminantur per se primò ad maiorem vel minorem extensionem localem.

RESPONDEO dicendum, quòd datur condensatio & rarefactio tum actiua, tum passiua, 2. condensatio actiua est actio, quæ facit densum, & rarefactio est actio, quæ facit rarum: 3. condensatio verò passiua est motus, siue mutatio per se primò terminata ad densum, siue qua fit densum: sicut & rarefactio passiua est mutatio, qua fit rarum: 4. vnde per se primò non terminantur ad maiorem vel minorem extensionem, aut præsentiam localem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd rarum est illud, quod sub magnis dimensionibus parum continet materiæ: densum verò quod sub paruis dimensionibus multùm continet materiæ. Ita docet Aristoteles 4. Physicorum texto 84. & D. Th. quas definitiones tradit Aristoteles sub aliis verbis 3. de Cœlo c. 1. vbi sic ait: *Est autem ipsum à raro differens, eo quòd in aequali mole, id est, sub iisdem dimensionibus plura existant, quia plus habet de materia.*

Probatur prima pars conclusionis authoritate Philosophi, & D. Th. qui in hoc libro c. 5. Item 4. Physicorum à textu 84. vsque ad 89. agunt de condensatione & rarefactione. Deinde constat ipsa experientia, videmus enim aquam condensari frigore, & rarefieri calore: vnde est condensatio & rarefactio passiua se tenens ex parte aquæ: & quia potentiæ passiuæ naturali debet correspondere virtus actiua, ideo etiam datur condensatio & rarefactio actiua se tenens ex parte condensantis & rarefacientis.

Probatur secunda pars conclusionis breuiter, cùm sit satis euidens & certa apud omnes. Condensare est facere densum, & rarefacere est facere rarum, & hæc important actiones in concreto: ergo condensatio & rarefactio actiua in abstracto important actiones, quæ faciunt densum & rarum.

Probatur tertia pars conclusionis ratione D. Thom. 5. Physicorum. Raritas & densitas sunt qualitates contrariæ, habentes gradualem latitudinem, vt infra dicetur, ac proinde debent fieri per veram transmutationem, siue motum: sed hic non potest esse nisi rarefactio & condensatio, vt constat ex ipsis terminis: ergo condensatio passiua est motus, siue mutatio, qua fit densum: sicut & rarefactio est mutatio, qua fit rarum: cùm enim raritas & densitas, vtpote accidentia, non possint fieri, nec esse in abstracto, fiunt & sunt in concreto: & ita fieri raritatem aut densitatem, est fieri densum & rarum (vt quod,) ipsæ verò fiunt (vt quo.)

Probatur quarta pars conclusionis tum ex dictis: si enim condensatio & rarefactio per se primò terminantur ad densitatem & raritatem, quæ sunt qualitates, non per se primò terminantur ad maiorem & minorem extensionem, aut præsentiam localem: eadem quippe mutatio non potest habere duplicem terminum primarium, cùm enim mutatio specificetur à termino primario, duplex terminus primarius necessariò requirit duplicem mutationem. Deinde potest dari vnum corpus rarius, quàm aliud absque eo, quòd habeat maiorem extensionem, aut præsentiam localem, putà si dentur duo vasa aequalia, quorum vnum sit plenum aquâ condensatâ, & aliud aquâ rarefactâ, tunc aquæ illæ non habent diuersam extensionem, & tamen vna est rarior, quàm alia, vt supponitur: imo potest dari vnum corpus rarum aut densum absque eo, quòd habeat vllam extensionem, aut præsentiam localem, vt constat in corpore Christi Domini sub speciebus Sacramentalibus: cum enim sit corpus organicum, & corpus organicum pro diuersitate partium requirat densitatem aut raritatem (ossa enim sunt duriora, caro autem & venæ rariores) est rarum & densum secundùm diuersas partes: aliunde autem nullam habet extensionem, aut præsentiam localem, vt certum est: ergo cùm per condensationem & rarefactionem fiat densum & rarum, condensatio & rarefactio non terminantur per se primò ad maiorem & minorem extensionem, aut præsentiam localem.

AD primum ergo dicendum, quòd corpus, dum rarefit, acquirit raritatem, quæ est quædam qualitas, ad quam secundariò naturaliter consequitur maior extensio localis: & similiter dum condensatur, acquirit densitatem, quæ est qualitas, ad quam secundariò consequitur minor extensio localis: & ita per rarefactionem & condensationem nihil substantiæ vel quantitatis acquiritur aut deperditur.

AD secundum dicendum, quòd ibi Aristoteles, & D. Thom. non loquuntur de raritate & densitate secundùm se, prout sic qualificant & modificant quantitatem, vt requirat hanc vel illam extensionem, tum in ordine ad se, quod est effectus primarius, tum in ordine ad locum, quod est effectus secundarius: sed solùm de ipsis loquuntur ratione huius effectûs secundarij, quam connotant tanquam quid manifestius, & per quod ipsæ manifestantur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm maior & minor quantitas sint termini condensationis & rarefactionis?

AD SECVNDVM, sic proceditur. Videtur quòd maior & minor quantitas sint termini condensationis & rarefactionis, ita vt condensatio per se primò terminetur ad minorem quantitatem, & rarefactio ad maiorem. Ita tenent Scotus in 4. d. 12. q. 4. Marsilius in præsenti quæst. 15. Herueus quodlib. 2. quæst. 15. Toletus 4. Physicor. quæst. 11. & alij. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Th. Philosophus quidem in prædicamentis definiens rarum & densum sic ait: *Rarum est, quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus, densum verò, quod habet multum materiæ sub paruis dimensionibus.* Item 4. Physicorum textu 84. docet rarefactionem fieri per hoc, quòd magna dimensio, quæ priùs erat in potentia, fiat in actu: quod exponens D. Th. ibidem lect. 14. sic ait: *Condensatio & rarefactio fit per hoc, quòd materia earumdem partium accipit, nunc maiorem, nunc minorem quantitatem:* Vt sic rarefieri nihil aliud sit, quàm materiam recipere maiores dimensiones per reductionem de potentia in actum: condensari autem econtra: ergo termini condensationis & rarefactionis sunt maior & minor quantitas, siue maiores & minores dimensiones.

§ 2. Præterea, Per rarefactionem producuntur noua puncta, si enim detur vas rarum, cuius medietas sit plena cerâ condensatâ, tunc omnia & singula puncta extremitatis ceræ correspondent omnibus & singulis punctis superficiei concauæ medietatis vasis, cùm cera sit in illo vase, tanquam in suo loco circumscriptiuo, ac proinde per omnimodam commensurationem partium, & punctorum eius ad partes & puncta vasis: si verò cera liquefiat, tunc puncta eius correspondent infinitis punctis alterius medietatis: hoc autem fieri non potest, nisi adueniant illi ceræ noua puncta, aliàs eadem puncta correspondèrent diuersis punctis vasis inter se distantibus, quod est impossibile: ergo eidem ceræ aduenit maior, siue noua quantitas: non enim possunt dari noua puncta, quin dentur nouæ partes, ac proinde maior quantitas: & ita hæc est terminus eius per se primus. Deinde partes proportionales ceræ plus distant post rarefactionem, quàm ante, vt patet ipsâ experientiâ, cùm sint in locis magis distantibus: sed non possunt magis distare, nisi producantur nouæ partes proportionales, nihil enim mediat inter ipsas, nisi punctum, quod cùm sit indiuisibile, non potest causare distantiam: ergo per rarefactionem aduenit noua quantitas, & sic erit eius terminus.

§ 3. Præterea, Per rarefactionem corpus acquirit maiorem extensionem localem, vt patet: ergo priùs acquirit maiorem extensionem quantitatiuam in ordine ad se, extensio enim localis est proprietas consequens

extensionem

extensionem quantitatiuam in ordine ad se, & consequenter hæc extensio quantitatiua est terminus per se primus rarefactionis.

§ 4. Præterea, Ex opposito sequuntur hæc tria inconuenientia. Primum, eamdem quantitatem simul esse in duobus locis circumscriptiuè: nam cera, quæ condensata erat tantùm in vna medietate vasis, rarefacta est simul in altera medietate. Secundum, duas quantitates partiales penetrari, nam si cera rarefacta condensetur, occupat duplò minorem locum, & sic vna medietas occupabat totum locum, quem ambæ medietates nunc occupant, quod non potest esse, nisi se penetrent. Tertium, quantitatem esse intensibilem & remissibilem, nam eadem susciperet magis & minùs, ac fieret subiectum magis ac minùs intensum: ergo maior & minor quantitas sunt termini condensationis & rarefactionis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, S.Aug.cap.12. Categor. in 1. tomo, S.Damasceni cap.12. suæ Physicæ, ac D.Thom. quos sequuntur Capreolus in 2. d.19.quæst.1.art.3. Bannes, nostri Complotenses, Ruuius, Conimbricenses, ac fere omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm condensatio & rarefactio essentialiter distinguantur ab augmentatione & diminutione, idémque corpus possit esse densius aut rarius absque eo, quod acquirat vel deperdat quantitatem, maior & minor quantitas non sunt termini condensationis & rarefactionis.

Respondeo dicendum, quòd terminus rarefactionis non est maior quantitas, nec minor quantitas est terminus condensationis. Probatur authoritate Aristotelis, & D.Thom. Aristoteles 4. Physicorum textu 84. sic ait: *Magnitudo & paruitas sensibilis corporis, non accipiente aliquid materia, extenditur, sed quia potentia est materia vtriusque, itaque idemmet rarum & densum, & vna materia ipsorum*: Quæ verba ibidem sic exponit D.Thom. *Magnitudo & paruitas sensibilis corporis non extenditur vel ampliatur rarefactione vel condensatione per hoc, quòd materia aliquid superadditum accipiat: sed quia materia, quæ priùs erat in potentia magnum & paruum, transmutatur de vno ad alterum, & ideo rarum, & densum non fit per additionem partium subintrantium, vel per subtractionem earumdem, sed per hoc quòd vna est materia rari & densi, &c.*

Secundò, vnum corpus potest esse rarius, quàm aliud, absque eo quòd habeat maiorem quantitatem, & aliud erit densius, absque eo quòd habeat minorem quantitatem: vt cùm ex materia Aëris sine aduentu alterius materiæ generatur ignis, qui est rarior Aëre: tunc ignis genitus non habet maiorem quantitatem, ac erat illa, quam habebat Aër, quia supponitur non habere plus materiæ, & consequenter nec plus quantitatis, alioquin plures partes quantitatis reciperentur simul in eadem parte subiecti, nam per quantitatem, quæ priùs erat in Aëre, reddebatur tota illa materia quanta & extensa, ac proinde illud quantitatis, quod superadditur, reciperetur in eadem materia simul cum præexistente quantitate, & sic esset vera penetratio quantitatum inter se: ergo maior & minor quantitas non sunt termini condensationis & rarefactionis, quia rarefactio per se tendit ad rarum, quod vt sic non dicit maiorem quantitatem, & condensatio tendit ad densum, quod vt sic non dicit minorem quantitatem.

Tertiò, rarefactio essentialiter distinguitur ab augmentatione, vt patet, nam augmentatio semper est coniuncta cum nutritione & productione partiali nouæ substantiæ, ac corruptione partiali alterius, quod non requiritur ad rarefactionem: & similiter condensatio distinguitur essentialiter à diminutione, nam diminutio importat deperditionem partialis substantiæ quantæ, quod etiam experientiâ constat non reperiri in condensatione: ergo cùm maior quantitas sit proprius terminus per se augmentationis, & minor quantitas terminus diminutionis, non possunt esse termini rarefactionis & condensationis, quæ sunt mutationes essentialiter condistinctæ: cùm enim terminus (ad quem) det speciem mutationi, si sit idem terminus per se primus, non potest terminare duas mutationes specie distinctas.

Ad primum ergo dicendum, quòd nomine magnarum dimensionum aliquando intelligitur ipsa quantitas, aliquando verò, & hoc frequentiùs intelligitur magna extensio localis, quæ est modus quidam ipsius, reductiuè pertinens ad prædicamentum quantitatis: & iuxta hanc accepti nem dimensionum debent intelligi definitiones rari & densi traditæ ab Aristotele: hæc sutem ratio mensuræ solùm conuenit quantitati, quia est extensa in ordine ad locum, sic per ordinem ad talem extensionem potuit desumi hoc nomen, dimensio, quæ dimensio, quamuis vt dicit præcisè quantitatem, debeat omnino esse commensurata materiæ, non tamen vt dicit hanc extensionem, nam quæ habent minùs materiæ, possunt esse magis extensa, quàm alia, quæ plus habent materiæ, vt patet in stupa duorum digitorum, & ferro vnius digiti. Ad alia autem loca Aristot. & D.Thom. dicendum, quòd loquuntur de rarefactione & condensatione per ordinem ad earum effectum formalem secundarium, scilicet dimensionem aut extensionem localem, quam D.Thom. vocat maiorem & minorem quantitatem, sed hoc tantùm quantùm ad apparentiam, qui effectus secundarius est nobis magis notus: vel ibi nomine extensionis non intelligunt actualem, sed radicalem, & ita se explicat hîc D.Thom. lect.13. vbi dicit, quòd hæc variatio quantitatis secundùm extensionem localem se habet ex consequenti sicut variatio sitûs ad motum localem.

Ad secundum dicendum, quòd licèt puncta ceræ condensatæ determinata correspondeant punctis determinatis vasis rari, non tamen omnia puncta, quæ sunt in cera, indeterminato & confuso modo: nam eo ipso, quòd est densior vase, habet plures partes, & plura puncta: nec est commensuratio omnimoda inter locum & locatum, nisi fiat in eadem raritate aut densitate, & ideo non est mirum si talis cera per rarefactionem habeat puncta sufficientia ad correspondendum aliis punctis alterius medietatis vasis, absque eo quòd vnum & idem punctum ceræ correspondeat pluribus punctis vasis inter se distantibus, quod potest manifestari hoc exemplo: nam sicut motus velocissimus primi mobilis & eius tempus correspondent motui tardo secundùm indiuisibilia & instantia determinata, non tamen secundùm indiuisibilia, confusa & indeterminata, quia pluta sunt in motu velocissimo, quàm in tardo: sicut & partes plures sunt: sic dicendum est in præsenti. Ad aliud dicendum quòd licèt partes proportionales, quæ immediatè vniuntur, non possint magis distare ratione puncti, quo vniuntur, & non est capax rarefactionis: illæ tamen, quæ mediatè vniuntur, possint magis distare nunc, quàm antea per rarefactionem partium intermediarum, quæ rarefactio æquiualet additioni plurium partium quantitatiuarum: hæc autem rarefactio primò fit in partibus sensibilibus, siue aliquotis, & secundariò in proportionalibus eo modo, quo sunt, scilicet confusè & indeterminatè.

Ad tertium dicendum, quòd ex maiori extensione locali non infertur necessariò maior extensio quantitatiua in ordine ad se, per additionem partium quantitatis, sed sufficit adesse dilatationem partium eiusdem quantitatis: nam maior extensio localis consequitur, vt proprietas, tum maiorem quantitatem, tum eamdem quantitatem modificatam per raritatem: vnde raritas sic habet modificare substantiam, siue quantitatem, vt petat minorem extensionem localem, tanquam effectum formalem secundarium.

Ad quartum dicendum, quòd nullum inconueniens ex assignatis sequitur. Non primum, quia sicut si tali ceræ adderentur nouæ partes, non esset, nec diceretur esse in duobus locis circumscriptiuè, sed in maiori loco: sic similiter per rarefactionem, quæ inducit dilatationem partium, & est quasi additio virtualis partium, non debet dici quòd sit in duobus locis, sed in maiori loco. Nec secundum, quia condensatio æquiualet diminutioni:

vnde ſicut per diminutionem partes reducuntur ad minorem locum ſine penetratione, ſic per condenſationem magis conſtrictæ ſe recipiunt in minorem locum, & ita non penetrantur, ſed conſtringuntur magis. Nec tertium, quia raritas non magis intendit quantitatem, ſed tantùm extendit: vnde non ſuſcipit magis & minùs, nec facit ſubiectum eſſe magis & minùs quantum, ſed tantùm illi tribuit maiorem extenſionem & dilatationem, ac ita non importat magis & minùs, ſed maius & paruius, vt ita dicamus, ex D.Thom.1.2.q.52.art.2.ad 1.

ARTICVLVS III.

Vtrùm condenſatio & rarefactio per ſe primò terminentur ad qualitatem?

AD TERTIVM, ſic proceditur. Videtur quòd condenſatio & rarefactio non terminentur per ſe primò ad qualitatem. Ita tenent, qui docent has mutationes per ſe primò terminari, vel ad maiorem & minorem quantitatem, vel ad maiorem & minorem extenſionem localem. Probatur authoritate Ariſtotelis, & D.Thom. Philoſophus quidem in prædicamento qualitatis ſic ait: *Raram verò & ſpiſſum, aſperum, & Lene putabuntur quidem qualequid ſignificare, ſed aliena huiuſmodi putantur eſſe à diuiſione, quæ circa quale eſt*: D.Thom. autem 2.de generatione lect. 2. ſic ait: *Rarum autem & denſum, vt in 4.Phyſicor.dicitur, non ſunt qualitates Phyſicæ*: Ergo cùm rarefactio per ſe primò terminetur ad rarum, & condenſatio ad denſum, ſi rarum & denſum non ſunt qualitates, hæ mutationes non terminantur per ſe primò ad qualitates.

¶ 2. Præterea, Qualitates ſecundùm ſe non habent diſtinctionem, aut extenſionem partium, ſed illam participant à quantitate, vt dictum eſt: cùm ipſa quantitas ſit ex ſe primum diuiſibile & extenſum: vnde qualitates, quæ recipiuntur in quantitate, vt in ſubiecto (quo) recipiuntur in illa, vt habet tantam extenſionem, aut dilatationem: ac proinde illam extenſionem & dilatationem præſupponunt, & non cauſant: ſed raritas & denſitas cauſant maiorem & minorem extenſionem ſiue dilatationem quantitatis, vt intuenti patet: ergo non ſunt qualitates: & ita cùm rarefactio terminetur ad rarum, & condenſatio ad denſum, non terminantur per ſe primò ad qualitatem.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, & alij authores citati articulo præcedenti.

CONCLVSIO.

Cùm rarefactio & condenſatio per ſe primò terminentur ad rarum & denſum, quæ ſunt qualitates tangibiles, per ſe primò terminantur ad qualitatem.

RESPONDEO dicendum, quòd rarefactio eſt alteratio per ſe primò terminata ad raritatem, quæ eſt vera qualitas, & ſimiliter condenſatio eſt alteratio terminata ad denſitatem, quæ etiam eſt qualitas. Probatur authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles 4. Phyſicorum textu 84. Item 7. Phyſicorum cap.2. enumerans qualitates tangibiles, inter eas ponit raritatem & denſitatem: D.Thom. autem in hoc libro lect.14. ſic ait: *Si aer rarefiat, vel condenſetur, talis transmutatio non poteſt propriè dici augmentum, ſed alteratio: fit enim ſecundùm transmutationem paſſibiliam qualitatum, ſcilicet rari & denſi.* Item 3. part. quæſt.77. art.2. ad 3. ait: *Rarum & denſum ſunt quædam qualitates conſequentes corpora ex hoc, quòd habent multùm, vel parum de materia ſub dimenſionibus: ſicut etiam omnia alia accidentia conſequuntur ex principiis ſubſtantiæ: & ideo ſicut ſubtractâ ſubſtantiâ, diuinâ virtute conſeruantur accidentia alia, ita ſubtractâ materiâ virtute diuinâ conſeruantur qualitates materiam conſequentes, ſicut rarum & denſum.* Idem alibi repetit.

Secundò, rarefactio per ſe primò terminatur ad raritatem ſiue ad rarum, & condenſatio ad denſitatem ſiue ad denſum, vt communiter docent Philoſophi; nam per hoc quòd aliquid rarefiat, acquirit raritatem, & fit rarum, ſicut per hoc quòd condenſetur, acquirit denſitatem, & fit denſum: ſed raritas & denſitas, cùm ſint per ſe primò tangibiles, ſicut aſperum & lene, frigidum & calidum (poteſt enim per ſe diſcerni à tactu, & ratione ſui ſi aliquid ſit rarum aut denſum, non minùs ac ſi ſit frigidum, aut calidum,) ſunt qualitates tertiæ ſpeciei: omnia quippe accidentia, quæ per ſe primò cauſant paſſionem in ſenſu, ad hanc ſpeciem qualitatis pertinent, vt etiam eſt commune apud Philoſophos: ergo rarefactio & condenſatio per ſe primò terminantur ad qualitatem: cùm autem ex alia parte denſitas & raritas ſint contrariæ qualitates, & habeant latitudinem ſucceſſiuè percurrendam, terminant verum motum continuum & ſucceſſiuum, qui non poteſt eſſe motus localis, qui tantum terminatur ad locum extenſum, qui tamen poteſt ſeparari à raritate & denſitate, vt conſtat in Corpore Chriſti exiſtente ſub ſpeciebus Sacramentalibus. Nec eſt augmentatio & diminutio, quia iſti motus per ſe primò terminantur ad maiorem & minorem quantitatem, ad quam tamen non terminantur condenſatio & rarefactio: ac proinde reſtat, quòd ſint motus alterationis, nullus enim eſt aſſignabilis alius motus, vt dictum eſt in Phyſicis: hi autem motus rarefactionis & condenſationis habent annexum motum localem, vt dictum eſt ſupra in augmentatione: nam quando aliquid rarefit, eius partes acquirunt maiorem locum, & quando condenſatur, acquirunt minorem.

AD primum ergo dicendum, quòd Ariſt. & D.Th. non loquuntur ibi de raro & denſo formaliter ſumptis, ſic enim verè ſunt qualitates, vt ipſimet docent locis ſupra citatis: ſed loquuntur de ipſis ratione connotati, vt ſic enim important, tum peculiarem poſitionem & ſitum partium, tum dilatationem, aut reſtrictionem, ac diſtantiam earumdem: & in hoc ſenſu ſæpe de ipſis loquuntur, maximè in Logicis, vt ſe explicat D.Thom.

AD ſecundum dicendum, quòd effectus primarius raritatis non eſt ipſa maior dilatatio, & diſtantia partium quantitatis, ſed eſt ita quantitatem & ſubſtantiam afficere, vt petat, & neceſſariò afferat talem dilatationem, & diſtantiam in ordine ad ſe: & ſic non eſt inconueniens, vt quamuis qualitas ex ſe non habeat partes, nec dilatationem earum, tamen poſſit modo dicto eſſe cauſa prædictæ dilatationis partium quantitatis, quæ eſt eius effectus formalis ſecundarius: vnde quantitas, ratione eius, quod eſſentialiter dicit, eſt ſubiectum (quo,) qualitatum, & ſecundùm hoc præſupponitur earum receptioni: hæc autem dilatatio non eſt illi eſſentialis, cùm ſit ab ea ſeparabilis, & ideo ſolùm petit eſſe in eodem inſtanti reali, in quo recipit hanc qualitatem.

QVÆSTIO XV.

De Actione, & Reactione.

QVIA acturus erat Ariſtoteles de mixtione, quæ procedit ex actione & reactione miſcibilium, ideo priùs de his egit, & plura diſcutit, Vtrùm videlicet poſſit aliquid agere in ſeipſum? Vtrùm poſſit agere in diſtans, quin agat in propinquum? Vtrùm requiratur contactus inter agens & paſſum, & ſimilia? Sed quia de his in Phyſicis dictum eſt, ideo in præſenti tantùm quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm agens poſſit agere in paſſum ſimile ſibi, tam in virtute agendi, quàm in intenſione eius?

¶ Secundò, Vtrùm ad hoc, quòd agens agat in paſſum omnino ſimile in virtute agendi, ſufficiat diſſimilitudo in raritate vel denſitate?

¶ Tertiò, Vtrùm ad hoc, quòd agens agat, debeat eſſe maior actiuitas illius, quàm reſiſtentia paſſi?

¶ Quartò, Vtrùm omne agens in agendo repatiatur?

ARTICVLVS

Articvlvs I.

Vtrùm agens poßit agere in passum simile sibi, tam in virtute agendi, quàm in intensione eius?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd agens possit agere in passum simile sibi, tam in virtute agendi, quàm in intensione eius. Probatur. Resistentia passi multùm impedit actionem agentis, vnde quò minor erit resistentia, agens fortiùs aget: sed simile in virtute agendi, & in intensione eius nullo modo resistit agenti, cùm resistentia proueniat solummodo ex contrarietate qualitatum: ergo agens potest agere in passum simile sibi tam in virtute agendi, quàm in intensione eius.

§ 2. Præterea, Si ambæ manus sint æqualiter calidæ, & se mutuò contingant, mutuò se calefaciunt, vt ipsâ constat experientiâ: ergo agens potest agere in passum simile sibi, tam in virtute agendi, quàm in intensione eius.

§ 3. Præterea, Idem agit in seipsum, vt patet in calore naturali tempore hyemis, qui vt ait Hippocrates Aphorismo 15. intenditur, sicut & aqua putealis æstate fit frigidior: hæc autem intensio fit ab ipso calore, & ab ipsa aqua, non enim apparet vnde ab extrinseco possit prouenire: ergo vnum simile potest agere in aliud sibi simile, nihil enim tam simile, quàm idem sibi.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D. Th. quos sequuntur vniuersaliter omnes Philosophi, tam Thomistæ, quàm alij etiam antiqui.

Conclvsio.

Cùm omne agens naturale intendat sibi assimilare passum, quod ab ipso non potest recipere, nisi illud, ad quod est in potentia, agens non potest agere in passum simile sibi, tam in virtute agendi, quàm in intensione eius.

Respondeo dicendum, quòd simile potest agere in simile sibi in virtute agendi, dummodo agens habeat illam virtutem in intensiori gradu: Si autem sint similia, etiam in intensione, vnum non poterit agere in aliud.

Probatur prima pars conclusionis multiplici experientiâ, experimur enim, quòd calidum aut frigidum vt sex, intendunt calorem, aut frigus in calido, aut frigido vt quatuor, vnde est ibi vera actio calefactiua, aut frigefactiua, & sic in multis aliis: ergo simile potest agere in simile sibi virtute agendi, dummodo agens habeat illam virtutem in intensiori gradu.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis hîc cap. 7. vbi sic ait: *Contraria verò inter se vicissim agunt, patiunturque, quare & agens & patiens partim eadem sint, partim diuersa, atque dissimilia, necesse est:* Quod ibidem docet D. Thom. lect. 20. & alibi: ergo si agens & patiens sint similia in virtute agendi, debent saltem esse dissimilia in intensione eius.

Secundò, si dentur duo calida vt quinque, vtrumque erit in actu respectu talis & tanti caloris, siue intensionis caloris vt quinque: erit verò in potentia respectu maioris caloris, & non minoris: ergo neutrum poterit agere & producere in aliud calorem magis intensum, imò nec alium quemcumque calorem, vel pati ab alio: nam agens agit, inquantum est actu, & patiens patitur inquantum est in potentia: sed nullum ex his calidis est in actu respectu maioris intensionis, nec in potentia respectu minoris, vt patet: ergo neutrum potest agere in aliud: maximè quia actio fundatur in victoria agentis supra passum, cùm agendo illud sibi subiicit, ac proinde inter omnino æqualia non potest esse actio & passio, quia non est maior ratio, cur vnum potiùs subiiciat aliud, quàm subiiciatur ab alio.

Tertiò, omne agens naturale, dum agit intendit sibi assimilare passum, vt patet ex communi consensu Philosophorum, & experientiâ, calidum enim agit in frigidum, vt expellendo frigus, & inducendo calorem, faciat illud calidum; ergo si præsupponitur omnino ei simile, non poterit in illud agere, nam habito fine & termino cessat actio & motus: imò ex contrario sequuntur multa inconuenientia, vt optimè notat D. Th. scilicet quòd idem posset agere in seipsum. Item, quòd nullus esset finis actionum, sed post perfectam pugnam, partâque victoriâ supra contrarium, & assimilato passo, tunc denuò inchoaretur actio.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad agendum vltra non resistentiam positiuam passi, requiritur quòd simul ex parte agentis sit virtus actiua formaliter, vel eminenter continens effectum producendum, quod non est in præsenti. Deinde dicendum, quòd in hoc casu est resistentia negatiua passi, ratione incapacitatis ad recipiendum aliquid ab omnino simili, licèt non sit resistentia positiua, siue actiua, quæ prouenit à contrarietate qualitatum.

Ad secundum dicendum, quòd calor iste manuum procedit à corde, & facilè remittitur ab aëra frigido circumstante, & ideo si iungantur ambæ manus calidæ, non intenditur calor, sed conseruatur, impeditur enim aër frigidus, ne ita agat, cùm sit maior resistentia, maximè in illa parte, in qua se contingunt.

Ad tertium dicendum, quòd est impossibile, vt idem agat in seipsum primò, & per se: sicut dictum est 7. Physicorum: vnde ad instantias adductas dicendum, quòd calor naturalis & frigus aquæ putealis intenduntur propter antiperistasim, quia se magis vnit, tum virtus caloris naturalis, tum virtus frigoris aquæ ad resistendum contrario, quia virtus vnita fortior, non autem quòd ipsa se intendant, ita Aristoteles 1. Meteororum, vbi sic ait: *Sed quoniam videmus quòd fit antiperistasis calido, & frigido inuicem: propter quod in æstiuis frigida inferiora terra, & calida in gelu:* Quod sic exponit D. Thom. lect. 15. dicens: *Dicit ergo primò, quòd per experimentum videmus, quòd calidum & frigidum suâ contrarietate circumstant se inuicem, & aggregant, & hoc manifestum est in terra: nam in æstu interiora terra sunt frigida, propter hoc quòd caliditas aëris frigiditatem terra circumstat: vnde congregatur interiùs: econuerso autem tempore frigoris interiora terra sunt calida, propter hoc quòd frigus concludit interiùs calorem, qui erat in terra, & inde est quòd aqua fontium in æstate est frigida, & in hyeme calida.*

Articvlvs II.

Vtrùm ad hoc, quòd agens agat in passum omnino simile in virtute agendi, sufficiat dissimilitudo in raritate vel densitate?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd sufficiat dissimilitudo in raritate vel densitate ad hoc, quòd agens agat in passum omnino simile in virtute agendi, ac in intensione eius: v. g. ferrum calidum vt sex poterit intendere calorem stupæ calidæ vt sex, quia plus habet materiæ & densitatis. Ita tenent Marsilius, Niphus, & Toletus in præsenti ac alij. Probatur authoritate Aristotelis 8. Physicor. cap. 5. vbi dicit, quòd si vnum elementum esset infinitæ molis, conuerteret alia elementa in se: ergo quantitas materiæ & molis conducit ad agendum, & ita sufficit dissimilitudo in raritate vel densitate ad hoc, quòd agens agat in passum omnino simile in virtute agendi.

§ 2. Præterea, calidum vt sex in materia densiori plus habet de materia & de calore, quàm calidum vt sex in materia rariori: in hoc enim distinguitur densum à raro, quòd sub iisdem dimensionibus plus habet de materia & forma: ergo etiam habet plus actiuitatis, cùm actiuitas proueniat à forma: ac proinde poterit agere in aliud simile in virtute agendi, sed in rariori materia: quod fundatur in hoc axiomate Philosophico, virtus vnita fortior seipsâ dispersâ, constat autem quòd est magis vnita in subiecto denso, quàm in raro.

§ 3. Præ

§ 3. Præterea, multis constat experientiis, quòd agens agat in passum omnino simile in virtute agendi, dummodo sit dissimilitudo in raritate vel densitate. Nam primò radius Solaris transiens per speculum generat ignem ratione densitatis speculi, & tamen tunc non est intensior. Secundò, lumen aëris solet intendi per reflexionem speculi, cùm tamen lumen non sit intensius in speculo, sed solùm propter densitatem speculi. Tertiò, ferrum calidum vt septem ignefacit stupam, vnde in ipsam producit calorem vt octo. Quartò denique lapis grauior & densior velociùs mouetur deorsum, quàm rarior & leuior: ergo ad hoc, quòd agens agat in passum omnino simile in virtute agendi, sufficit dissimilitudo in raritate vel densitate.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Thom. citata articulo præcedenti, qui absolutè, & nullâ factâ limitatione docent agens non posse agere in passum omnino simile in virtute agendi, quos sequuntur communiter Philosophi.

Conclusio.

Cùm multitudo materiæ, quæ est in densitate, non intendat, sed tantùm extendat virtutem agendi in subiecto, non sufficit dissimilitudo in raritate vel densitate, ad hoc quod agens agat in passum omnino simile in virtute agendi.

Respondeo dicendum, quòd non sufficit dissimilitudo in raritate vel densitate ad hoc, quòd agens agat in passum omnino simile in virtute agendi, & in intensione eius. 2. Vnde densitas solùm conducit ad hoc, quòd agens fortiùs & extensiùs agat ac citiùs.

Probatur prima pars conclusionis. Multitudo materiæ & formæ, quæ connotatur in subiecto denso, non auget virtutem agendi intensiuè, sed tantùm extensiuè: non enim tribuit subiecto, quòd sit v. g. magis calidum, sed solùm quòd habeat plures partes caloris: vnde calidum vt sex, licèt densius, non continet formaliter calorem vt septem, cùm sit in potentia formali ad illum habendum: idem autem non potest simul esse in actu, & in potentia respectu eiusdem. Nec etiam continet eminenter, cùm illud quod per se & ratione sui continet eminentiori modo effectum, siue formam aliquam, non est in potentia formali per se & rationi sui ad illam percipiendam secundùm suum esse formale, vt patet in Sole respectu caloris, quem eminenter continet: ergo vnum simile non potest agere in aliud omnino simile in virtute agendi, & intensione eius, quamuis sit in materia densiori, & aliud in rariori: alioquin aliquid in genere causæ efficientis, & principalis produceret id, quod nec formaliter, nec eminenter continet, quod est impossibile.

Secundò, ex opposito sequitur quòd si darentur duo corpora calida vt quatuor, quorum vnum esset rarum, & aliud densum, possent se intendere in calore vsque ad septem, quod est contra rationem & experientiam. Patet sequela, nam ferrum calidum vt quatuor, quia est densius, posset intendere calorem ligni vt quatuor calidi vsque ad quintum gradum, quia lignum est rarius: & hoc dicunt aduersarij: & econtra lignum iam factum calidum vt quinque, posset agere in ferrum tantùm calidum vt quatuor, & sic intendere eius calorem vsque ad quintum gradum, & ita alternatim posset fieri vlterior & maior intensio ex parte ferri ratione densitatis, ex parte verò ligni ratione maioris caloris iam recepti: ergo simile non potest agere in omnino simile in virtute agendi, & intensione eius, quamuis sit in materia magis densa.

Probatur secunda pars conclusionis multis experientiis. Experimur enim quòd ferrum æqualiter calidum, fortiùs extensiùs, & citiùs calefaciat, quàm stupa, & sic de aliis: ratio autem est, quia forma actiua applicata subiecto denso fortiùs & tenaciùs inhæret ipsi. Deinde multitudo formæ, quæ est in densitate, facit quòd agens habeat maiorem virtutem agendi extensiuè & magis vnitam: ergo cùm virtus vnita sit fortior seipsâ dispersâ, fortiùs aget, & cùm sit extensior, extensiùs aget, & cùm sit tenaciùs in subiecto, citiùs aget, ac proinde densitas conducit ad hoc, quòd agens fortiùs, extensiùs, & citiùs agat, & habeat maiorem efficacitatem ad se communicandum, intra latitudinem tamen propriæ intensionis, & non vltra, aliis prædictâ intensione carentibus.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc ideo dicitur ab Aristotele, quia si non repugnaret moles infinita, nec etiam repugnaret intensio infinita in virtute agendi, & ita vnum Elementum conuerteret alia omnia.

Ad secundum dicendum, quòd multitudo formæ actiuæ non tribuit vim ad intensiorem effectum producendum, vt dictum est, sed tantùm ad extensiorem: & etiam ad hoc, vt intra latitudinem suæ intensionis fortiùs, & citiùs operetur agens, ac magis resistat contrariis obsistentibus: intensio enim hoc importat, quòd sit in agente magis de virtute actiua, non verò plus: nam magis denotat intensionem, plus autem extensionem.

Ad tertium dicendum, quòd radius solaris ex se, vt pote virtus Solis, est sufficiens ad producendum ignem: & ita multiplicatis, & magis vnitis in speculo, ibique melius receptis pluribus radiis, fortiùs & citiùs producitur ignis: ad hoc enim conducit multitudo formæ, & densitas subiecti, cùm hoc sit ex alia parte intra latitudinem virtutis radij Solaris. Ad aliud dicendum quòd ibi non est propriè intensio, sed multiplicatio luminis in aëre secundùm diuersas partes eiusdem aëris ratione reflexionis: in aëre enim sunt corpuscula opaca & partes crassiores, quæ non possunt versùs omnem partem perfectè illuminari per actionem directam, & ita adueniente reflexione vndequaque illuminantur, & sic est extensio, non intensio luminis. Ad aliud dicendum, quòd in ferro sic calido sunt aliquæ partes ignitæ intra eius poros. Ad aliud iam dictum est, quòd multitudo formæ, & densitas materiæ conducit, vt citiùs & velociùs producatur effectus.

Articulus III.

Vtrùm ad hoc quòd agens agat, debeat esse maior actiuitas illius, quàm resistentia passi?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd ad hoc, vt agens agat, non debet esse maior actiuitas illius quàm resistentia passi: Ita Burleus 3. Physicor. ad textum 16. Toletus hìc q. 13. & alij. Probatur. Ignis dum agit in aquam, patitur ab aqua, quia aqua etiam agit in ipsum: ergo non requiritur ad agendum maior actiuitas in agente, quàm sit resistentia in passo: nam ignis cùm sit maioris actiuitatis, quàm aqua, etiam est maioris resistentiæ, quàm aqua sit actiuitatis, resistit enim agendo & debilitando vires eius, & tamen aqua agit in ignem.

§ 2. Præterea, Gutta cadens excauat lapidem, & formica mota super lapidem aliquid extrahit ab eo: sed est maior resistentia lapidis, cùm sit durus, quàm actiuitas guttæ, vel formicæ: ergo ad hoc, quòd agens agat, non debet esse maior actiuitas illius, quàm resistentia passi.

§ 3. Præterea, Maior est resistentia terræ, quæ fundatur in siccitate prima inter qualitates restitiuas, quàm sit actiuitas aquæ, quæ fundatur in frigiditate, quæ non est prima inter qualitates actiuas, calor enim est magis actiuus, & tamen aqua destruit terram, vt experientiâ constat: ergo non requiritur maior actiuitas in agente ad hoc, quòd agat, quàm resistentia in passo.

Sed contra est authoritas D.Thom. in 4. d. 11. quæst. 1. art. 3. quem communiter sequuntur omnes fere Philosophi.

Conclusio.

Ad hoc quòd agens agat, debet esse maior actiuitas illius, quàm resistentia passiua & formalis ipsius passi, non autem quàm resistentia actiua.

Respondeo dicendum, quòd ad hoc, vt agens agat, debet esse maior actiuitas, siue virtus actiua illius, quàm resistentia passiua & formalis ipsius passi, & sic actio semper fit à proportione maioris inæqualitatis 2. non

autem

autem sic est de resistentia actiua, potest enim agens agere in aliud, vt est passum respectu illius, quamuis resistentia vnius sit maior, quam virtus actiua, & influxus alterius, & tunc actio fit à proportione minoris inæqualitatis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd duplex est resistentia, quantùm ad præsens attinet: vna scilicet actiua, alia passiua: actiua consistit in actione, qua vnum agens contrarium agit in aliud debilitando eius vires, & sic ignis resistit aquæ agendo in illam, & diminuendo frigiditatem illius: passiua verò consistit in dispositione contraria passi, qua redditur incapax, vel difficilè recipiendi effectum ab agente, & sic lapis ingens resistit mouenti, quæ resistentia vocatur etiam formalis, quia est in passo, vt dictum est, ratione alicuius formæ, vel dispositionis, quam habet, non verò mediâ aliquâ actione. De hac vtraque resistentia meminit D.Thom. in 4. d. 5. quæst. 1. art. 3. ad 4. vbi sic ait: *Contrarium ex quo fit generatio, non impedit actionem agentis, nisi dupliciter, vno modo debilitando virtutem agentis, quod etiam non est vniuersaliter verum, sed in his tantùm, in quibus est mutua actio & passio, alio modo per se loquendo elongando potentiam passiuam patientis per indispositionem a receptione effectus agentis.* Idem docet d. 11. quæst. 2. art. 3. ad 2. sic: *Dicendum quòd potest esse resistentia dupliciter: vno modo ex parte agentis, quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur, alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impeditur effectus.*

Probatur prima pars conclusionis ratione D.Th. loco proximè citato. Si agens agit in passum, etiam resistens ratione dispositionis aliquo modo contrariæ, non potest non introduci effectus contra impetum & resistentiam passiuam ac formalem eiusdem passi renuentis ratione talis dispositionis recipere talem effectum: supponitur enim quòd illa actio sit introductio effectûs: ergo eo ipso est maior actiuitas & influxus agentis, quàm resistentia passi. Sicut si quis moueat aliquem magnum lapidem, sine dubio maior erit eius virtus actiua & motiua, quàm grauitas & resistentia lapidis, aliàs non moueret ipsum. Quod sic magis explicatur. Eo ipso quòd passum patitur ab agente, licèt ipsi resistat, subditur tamen virtuti actiuæ, & influxui illius, & consequenter cùm talis subiectio dicat inferioritatem, necessariò sequitur, quòd eius resistentia sit inferior ad prædictam virtutem & influxum, ac proinde virtus agentis est superior & maior, quàm sit resistentia eiusdem passi, aliàs non posset assignari ratio, cur quælibet virtus actiua, etiam minima non posset mouere quemlibet lapidem, etiam ingentem, si non requiritur excessus virtutis supra resistentiam lapidis.

Probatur secunda pars conclusionis. Ignis v.g. calidus vt octo & aqua frigida vt septem agunt & reagunt adinuicem, vt dicetur articulo sequenti, ita vt aqua introducat aliquem gradum frigiditatis in ignem, & tamen maior est resistentia actiua ignis: quam virtus actiua aquæ, illam enim supponimus esse intensam vt octo, scilicet calorem, hanc verò tantùm vt septem, scilicet frigiditatem: ergo potest agens agere in aliud, vt est passum respectu illius, quamuis resistentia actiua vnius sit maior, quàm virtus actiua & influxus alterius: vnde licèt ignis vincat in agendo aquam ratione maioris actiuitatis, ita vt potiùs habeat rationem agentis, quàm patientis, cùm hoc tamen stat, vt infra dicetur, quòd ab illa recipiat aliquid de frigiditate, propter quod vt sic habet rationem passi, & ita deperdit aliquid de suo calore, qui fit aliquantulum remissior.

Ad primum ergo dicendum, quòd procedit de resistentia actiua, vnde non procedit contra conclusionem, sed potiùs probat secundam eius partem.

Ad secundum dicendum, quòd gutta illa vltima excauans lapidem est maioris actiuitatis, quàm resistentia lapidis; nam agit, vt ita dicamus, in virtute omnium guttarum præcedentium, quatenus illæ paulatim humectando lapidem ex duro fecerunt mollem, & sic paruæ ac quasi nullius resistentiæ, ac proinde est minor, quàm sit actiuitas vltimæ guttæ: & similiter dicendum de formica, quòd paulatim suâ vi, pondere, & motu, licèt modico, concutit lapidem, & ita tunc est minoris resistentiæ, quàm sit actiuitas formicæ.

Ad tertium dicendum, quòd maior est resistentia siccitatis, quàm actiuitas frigiditatis, si cætera sint paria: quia tamen possunt cætera esse imparia, potest aqua destruere terram, si illam vincat in multitudine materiæ.

Articvlvs IV.

Vtrùm omne agens in agendo repatiatur?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd non omne agens in agendo repatiatur. Ita tenent aliqui ex Nominalibus. Probatur authoritate Philosophi qui 2. de partibus animalium cap. 2. dicit, quòd ignis non potest esse frigidus: ergo ignis cùm calefacit aquam non repatitur ab ea: si enim aliquid repateretur, deberet recipere aliquid frigiditatis: imò ex opposito sequitur, quòd ignis non combureret, quia agendo repateretur, repatiendo amitteret aliquid de suo calore, ac reciperet aliquid de frigiditate, constat autem quòd ad comburendum requiritur calor vt octo: & similiter sequeretur, quòd, v. g. calidum vt sex, non posset producere in alio calorem vt sex, nam si agendo repatiatur, diminuitur eius calor vsque ad quinque, & sic non poterit producere calorem vt sex, aliàs effectus excederet causam.

¶ 2. Præterea, Vel agens & patiens habent æqualem virtutem vel inæqualem. Si æqualem, neutrum aget in alterum, quia vt docent Philosophi à proportione æqualitatis non fit actio. Si inæqualem, tunc illud, quod habet maiorem virtutem, aget, & non aliud: nam à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, & consequenter non erit repassio: ergo omne agens in agendo non repatitur.

¶ 3. Præterea, Si omne agens in agendo repatiatur, sequitur quòd aër intermedius inter ignem & aquam moueretur per se duplici motu contrario, nam ignis agens in aquam, priùs calefacit aërem intermedium, & similiter si ignis repatiatur ab aqua, ita vt aqua agat in ignem, priùs infrigidat eumdem aërem, ac proinde idem aër simul & semel calefieret & frigefieret, quod est simul moueri duplici motu contrario: sed hoc est impossibile, vt constat ex 5. Physicorum: ergo non omne agens in agendo repatitur.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. hîc cap. 7. ac Galeni 3. Symptomatum cap. 2. Item 3. de temperamentis cap. 3. quos communiter sequuntur Philosophi, & Medici.

Conclvsio.

Cùm vnumquodque agat, inquantum est in actu, & patiatur inquantum est in potentia, & nullum sit agens sublunare, quòd non sit simul in actu, & in potentia, omne agens in agendo repatitur.

Respondeo dicendum, quòd agens, quod communicat in materia transmutabili cum passo, dum agit per actionem Physicam & corruptiuam, repatitur ab illo, si sint contraria, siue si habeant oppositas conditiones, vnde inter illa est mutua actio, & passio, dummodo vtrumque sit intra sphæram actiuitatis alterius, quod non esset, si vnum ageret in maiorem sphæram, quàm aliud. 2. Si autem agens & passum non communicant in materia, tunc non habent ad inuicem mutuam actionem, & reactionem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. Aristoteles hîc cap. 7. sic ait: *Quæcumque igitur actiua in materia formam non habent, ea pati nequeunt: quæcumque habent, queunt: nos enim similiter prope dixerim omnes oppositorum vtriusuis eamdem esse materiam:* Quæ verba ibidem lect. 20. sic exponit D.Thom. *Assignat causam quare quoddam agens est, quod agendo patitur, quoddam autem non: est ista, quia quædam*

non habent eamdem materiam, & talia agentia faciunt, vel agunt ipſis non patientibus ab his in quæ agunt: quæcumque igitur agentia non habent eamdem formam in materia, quæ ſit eiuſdem rationis cum paſſibilibus, hæc cùm ſint de numero agentium, ſiue actiuorum, ſunt impaſſibilia: quæcumque autem habent formam in materia eiuſdem rationis, agendo patiuntur: Idem docet Ariſtoteles 4. de generatione animalium cap. 3. vbi ſic ait: *Omne agens patitur, etiam à patienti, vt quod ſecat, hebetatur ab eo, quod ſecatur; quod calefacit, refrigeratur*: Idem reperit alibi, ſicut & D.Thom. in 4. d.11. quæſt.1. art.3.

Secundò, vnumquodque agit, inquantum eſt in actu: patitur verò, inquantum eſt in potentia, vt dictum eſt in 3. Phyſicorum: ſed nullum eſt agens ſublunare, ſiue conſtans materiâ tranſmutabili, quod non ſit ſimul in actu, ſupponitur enim eſſe agens, ac proinde conſtitutum in actu primo ad agendum; & etiam in potentia paſſiua, cùm enim materia, qua conſtat ſit tranſmutabilis de vna forma in aliam, ipſum poteſt recipere diſpoſitiones debitas cuicumque formæ introducendæ, quod multis conſtat experientiis: nam ferrum ignitum immerſum in aqua illam calefacit, & ſimul infrigidatur ab illa. Item glacies poſita in manu liquefit à manu, & ſimul ipſam infrigidat, &c. ergo omne agens in agendo repatitur.

Tertiò, ſi inter agentia contraria non eſſet mutua actio & paſſio, eſſet impoſſibile quòd fieret mixtio, nam mixtio fit ex multis agentibus alteratis, & ad concordiam redactis, hæc autem alteratio non fieret, niſi inter ipſa eſſet mutua actio & paſſio: ſed eſt poſſibilis mixtio, vt dicetur quæſtione ſequenti: ergo eſt mutua actio & paſſio inter agentia contraria, & ſic omne agens in agendo repatitur.

Probatur ſecunda pars concluſionis, tum prædictis authoritatibus Ariſtotelis, & D.Thom. tum inductione, nam Angeli agunt in hæc inferiora, & tamen in agendo non repatiuntur, quia non communicant in materia cum his inferioribus: ſimiliter Cœli, quamuis habeant materiam, tamen cùm ſit diuerſæ rationis à materia ſublunari (hæc enim eſt tranſmutabilis, illa intranſmutabilis) propterea non dicuntur communicare in materia cum iſtis inferioribus, agendo autem in hæc inferiora non repatiuntur, cùm ſint incorruptibiles: ergo agens & paſſum, quæ non communicant in materia, non habent ad inuicem mutuam actionem & paſſionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles ſolùm ibi vult ignem non ita poſſe frigefieri, quin ſemper excedat multùm in calore, & ſic à qualitate excedente denominabitur ſemper calidus, non autem vult quòd non poſſit recipere parum frigiditatis, à qua tamen non denominatur frigidus. Ad aliud dicendum quòd ignis ceſſante actione paſſi poſt victoriam ſtatim reducitur ad priſtinam intenſionem caloris, quia calor eſt ipſi connaturalis, & procedens ab eius eſſentia, tanquam ei debitus in inſtanti generationis: ſic autem reductus à generante, in tota illa intenſione agit, comburit, & aſſimilat ſibi paſſum. Ad aliud dicendum quòd ratio conuincit in his, quæ agunt medio calore non connaturali, & non dimanante ab eorum eſſentiis: ſed nihil contra nos: de aliis autem idem proportionaliter dicendum, ac de igne.

Au ſecundum dicendum, quòd licèt calidum v.g. excedat frigidum in calore, tamen ab illo exceditur in frigiditate, & ſic erit actio actio & paſſio ex vtraque parte, ac proinde ſemper fiet actio à proportione maioris inæqualitatis: ſed hæc actio & reactio eſt tantùm in principio, nam poſtquam agens maioris virtutis vicit aliud, ita vt introduxerit qualitatem contrariam in maiori intenſione, quàm ſit eius qualitas contraria, tunc nihil patitur ab illo.

Au tertium dicendum, quòd in illo caſu, in quo agunt in ſe mutuò duo agentia contraria, primùm, quod faciunt, eſt agere vnumquodque in partem aëris ſibi proximiorem, iuxta differentiam tamen actiuitatis, nam agens fortius, habet maiorem partem aëris intermedij, in quam agat, ipſæ verò partes, vt vnitæ ipſis agentibus, mutuò adinuicem agunt, donec illa, quæ eſt ex parte agentis fortioris, totaliter vincat aliam, & ſic illa iam etiam vnita agenti fortiori, agit in ipſum contrarium, quòd in ipſam priùs agebat, & ex cuius parte erat. Igitur in principio actionis quodlibet agens agit in partem ſibi correſpondentem, quæ partes diuerſis agentibus correſpondentes intromittunt ſe vna in aliam, donec in ipſum contrarium perueniant, in quod etiam agant: vnde eadem pars nunquam mouetur duobus motibus contrariis, illa verò pars, quæ correſpondet huic agenti, tamdiu ab illo patitur, quamdiu in ipſam non agit alia pars correſpondens alteri agenti: ceſſat enim prima actio illius agentis, quando incipit actio partis contrariæ, quæ cùm ſit fortior, impedit aliam actionem agentis contrarij, propter incompoſſibilitatem motuum contrariorum ſimul in eodem ſubiecto exiſtentium, vt dictum eſt Phyſicis, & ſic ſolùm patitur à parte medij correſpondente agenti contrario, in quam etiam agit, donec ſit victoria ex vna parte.

QVÆSTIO XVI.

De mixtione.

TANDEM reſtat agendum cum Philoſopho de mixtione, quæ conſequitur ad actionem & reactionem miſcibilium, circa ipſam autem quæruntur ſex.

- Primò, Vtrùm mixtio ſit naturaliter poſſibilis?
- Secundò, Vtrùm inter liquores ſit vera mixtio?
- Tertiò, Vtrùm definitio mixtionis tradita ab Ariſtotele ſit bona?
- Quartò, Vtrùm miſcibilia maneant in mixto?
- Quintò, Vtrùm mixtio diſtinguatur eſſentialiter à generatione?
- Sextò, quænam ſit cauſa mixtionis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm mixtio ſit naturaliter poſſibilis?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd mixtio non ſit naturaliter poſſibilis. Ita tenuerunt aliqui antiqui, quos citat hic cap. 10. Ariſtoteles. Probatur. Quando miſcibilia veniunt ad mixtionem, aut manent ſicut priùs in forma & ſpecie, aut non manent, ſed corrumpuntur ambo, vel alterum: ſi ambo manent in forma & ſpecie ſicut priùs & non alterantur, tunc non ſunt magis mixta quàm priùs: ſi autem alterum corrumpatur, nec etiam tunc erit mixtio, ſed corruptio vnius, & conſeruatio alterius non corrupti: ſi autem ambo inuicem corrumpuntur, tunc etiam nec erit mixtio, quia non poſſunt eſſe mixta, quæ nullo modo ſunt entia: ergo mixtio non eſt poſſibilis naturaliter.

§ 2. Præterea, Non poſſunt ita applicari elementa, quin vnum eorum priùs corrumpatur, quàm alia, cùm enim ſint differentis actiuitatis, quod erit maioris, corrumpet priùs aliud minoris: ergo non eſt poſſibilis naturaliter mixtio ex illis, nam vt fiat mixtio, oportet vt materia omnium illorum ſimul informetur formâ mixti. Deinde vel miſcibilia ſunt æqualis virtutis, vel inæqualis. Si æqualis, tunc neutrum aget in aliud, nam à proportione æqualitatis non fit actio, & ſic non erit mixtio. Si inæqualis, quod erit fortius, deſtruet alia, & conuertet in ſuam naturam, & ſic non erit mixtio, ſed conuerſio vnius in aliud, nam in mixtione reſultat forma diſtincta à formis miſcibilium.

§ 3. Præterea, Aqua & vinum non poſſunt miſceri: nam vt docent Alchimiſtæ per immiſſionem medullæ iunci, vel per ſpongiam oleo imbutam attrahitur ex vino

vino & aqua mixtis, puta aqua, quod denotat non fuisse veram mixtionem, cùm in hac quodliber miscibile corrumpatur: ergo nec alij liquores poterunt misceri, vt patet ex paritate rationis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis & D.Thom. hic cap.10.lect.24.quos communiter sequuntur fere omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm omnia Elementa possint naturaliter coniungi, & se per mutuam actionem & reactionem ita frangere, vt amittatur dispositio requisita ad formam Elementarem, & acquiratur dispositio ad formam mixti, est naturaliter possibilis mixtio.

Respondeo dicendum, quòd mixtio est naturaliter possibilis, tum ex quatuor Elementis, 2. tum ex pluribus aliis miscibilibus. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Aristotele hic cap.10. & D.Thom. ibidem, ac in 2. d.17. q.3. art.1. quòd duplex est mixtio. Prima est, qua plura corpora, vel plures illorum partes coniunguntur per approximationem localem confusâ quadam ratione, ita tamen vt eorum substantia maneat inuariata, sed hæc impropriè dicitur mixtio, est enim potiùs quædam confusio. Secunda est, qua plura corpora, vel particulæ eorum ita coniunguntur, vt ex eis mediâ eorumdem alteratione & corruptione resultet aliquid vnum substantiale, distinctum ab omnibus illis, & hæc est propria mixtio, de qua hic agitur.

Probatur prima pars conclusionis ratione Aristotelis, & D.Thom.hic,& 1. Meteororum. Mixtio est naturaliter possibilis ex quatuor Elementis, si possint omnia quatuor Elementa naturaliter coniungi, & se ita per actionem & reactionem inuicem frangere, vt dispositio ad formam Elementarem requisita amittatur, & acquiratur dispositio ad formam mixti: mixtum quippe postulat primas qualitates magis refractas, & ad temperiem redactas: sed hoc est naturaliter possibile, nam Aër, Aqua, & Terra non solùm possunt coniungi, sed etiam de facto sunt coniuncta, vt patet ad oculum: Ignis etiam potest naturaliter descendere ad locum mixtionis, vt patet ex Aristotele hic cap.10. & D.Thom. ibidem lect.24. vbi sic ait: *Quòd autem ignis sit in aere patet per Philosophum in 1. Meteororum, dicit enim quòd ambitus ignis per aërem frequenter spargitur motu, id est, per virtutem cælestis motus, & fertur violentiâ deorsum: & ideo sunt aliqua partes ignis, & in rore, & in vaporibus pluuialibus descendentes, quas vapores accipiunt in regione aëris calefacta, & ideo aqua pluuiales sunt vaporosæ, & calida: & hæc etiam est causa quòd nine descendente non est tanta intensio frigoris, sicut in aliis hyemalibus temporibus: sic ergo cum pluuia, & rore, & aliis huiusmodi descendunt partes ignita ad locum mixtionis.* Deinde Cœli mouent omnia Elementa peculiaribus motibus, vt ibidem docet D.Thom. his verbis: *Sphæra Solis, in qua est effectus caloris, est nata mouere ignem, & sphæra Lunæ est nata mouere aquam, sicut ad sensum patet: alia autem sphæra v.g. Planetarum nata sunt mouere aërem, & ideo aer tot diuersis motibus mouetur, est enim in aere frigus congelatiuum ex sphæra Saturni, & æstus ex sphæra Martis, & temperies in calido ex sphæra Iouis, & temperies in frigido ex sphæra Veneris, commiscibilitas & passibilitas facilis ex sphæra Mercurij: & consequenter poterunt specialiter mouere ignem, ita vt aliqua illius partes descendant ad locum mixtionis, nec descensus iste ignis est absolutè violentus, cùm sit ex inclinatione illius, vt est pars vniuersi, cui propria subordinatur inclinatio:* Vnde subdit D.Thom. loco citato, *Ex his patet quòd ad mixtionem non mouet violentia, sed natura; & ideo mixtio non est violenta, sed naturalis.* Denique licèt virtus Solis non sufficiat ad hanc propriam mixtionem, potest tamen causare ignem ex dispositione materiæ, qui licèt non sit ita purus: tamen est Elementaris, & ita poterit cum aliis Elementis coniungi, & concurrere ad mixtionem: ergo mixtio ex quatuor Elementis est naturaliter possibilis.

Probatur secunda pars conclusionis eadem ratione. Nam pluribus miscibilibus eodem modo approximatis poterit per mutuam actionem & reactionem deperdi debita dispositio ad propriam formam, & subsequi alia ad formam alterius mixti desiderata, nam iuxta varias combinationes maioris & minoris intensionis primarum qualitatum, dantur diuersæ dispositiones in ordine ad diuersas formas mixtorum: ergo est possibilis naturaliter mixtio ex pluribus aliis miscibilibus, quàm ex quatuor Elementis.

Ad primum ergo dicendum ex Aristot.& D.Thom.loco citato, quòd licèt miscibilia corrumpantur secundùm proprias entitates, manent tamen virtualiter in mixto, modo infra explicando.

Ad secundum dicendum, quòd ratione maioris resistentiæ Elementum minùs actiuum potest conseruari, vsque dum Elementum maioris actiuitatis simul cum illo corrumpatur, est enim eadem latitudo intensionis in qualitatibus Elementorum, vnde quod est magis actiuum, est minùs resistiuum,& econtra: & per hoc patet responsio ad aliud: nam quod vni Elemento deest ex parte actiuitatis, alij deest ex parte resistentiæ: quando autem Aristoteles hic cap.10. ait, quòd est æqualitas in potentiis transmutatiuis miscibilium, non debet intelligi, ait D.Thom. de omnimoda æqualitate, sed de æqualitate proportionis, ita vt miscibilia habeant actiuitatem in ea proportionis æqualitate, quæ requiritur, vt producant dispositionem proportionalem in ordine ad formam mixti.

Ad tertium dicendum cum Aristotele,& D.Thom. hic lect. 25. illam experientiam solùm posse contingere in principio,quando nondum facta est perfecta mixtio. Deinde, vt ait D.Thom. ex vino & aqua mixtis, potest elici liquor quidam ipsius vini nondum perfectè decocti & aquæ similis, & fortè hoc tantùm dicunt Alchimistæ.

Articvlvs II.

Vtrùm inter liquores sit vera mixtio?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd inter liquores non sit vera mixtio. Ita tenent aliqui absolutè, alij verò id restringunt ad liquores eiusdem speciei, dicunt enim quòd inter istos non potest reperiri vera & propriè dicta mixtio,licèt habeant qualitates actiuas contrarias & dissimiles. Ita Durandus in 4.d.12.quæst.13. Suares tom.3.in 3.p.disp.57.sect.4. Probatur. Mixtio vera & propriè dicta prouenit ex corruptione miscibilium: sed miscibilia in eadem specie specialissima non se corrumpunt, quia agens naturale intendit producere sibi simile in natura specifica, & consequenter si passum sit iam simile agenti in specie, non potest agere corrumpendo illud: ergo inter liquores eiusdem speciei non est propria mixtio.

¶ 2. Præterea, Ex opposito sequitur quòd si duo vina consecrata misceantur, nullum eorum remaneret consecratum, cum tamdiu duret Sanguis Christi Domini sub speciebus, quamdiu duraret substantia vini, si ibi adesset: vnde sicut si duo vina miscerentur, fieret mixtio & corruptio vtriusque, ac resultaret aliud tertium, sic affertendum est in casu consecrationis, & ita ex illis duobus vinis consecratis fieret aliud tertium, ac proinde non esset ibi Sanguis Christi, qui tamdiu tantùm durat sub speciebus, quamdiu & ipsæ species: hoc autem non potest dici, imò definitum est in cap.de celebratione Missarum, quòd si post consecrationem Calicis mittatur aliud vinum in Calicem, non transit vinum in Sanguinem, nec Sanguini commiscetur: ergo inter liquores eiusdem speciei non est vera mixtio.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd mixtio propria sit possibilis inter liquores, etiam eiusdem speciei, quamuis non habeant qualitates contrarias, dummodo misceantur in tanta quantitate, vt vnus peruadat alterum, & illum intersecet. Ita Capreolus in 4.d.13.q.1. & alij. Probatur

batur authoritate D.Thom.3.p.q.77.art.8. vbi ſic ait : *Si enim permiſceatur aliquis liquor in tanta quantitate, quòd poſſet diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum: quod autem eſt commixtum ex duobus neutrum miſcibilium eſt, ſed vtrumque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum:* Ergo inter quoſlibet liquores poteſt eſſe vera mixtio, ſi ſint in notabili quantitate.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in præſenti, & D.Thom. quos ſequuntur Ferrarienſis 2.contra gentes cap.56. & 4. cap.35.num.3.p.q.77.art.8. noſtri Complutenſes hîc, & communiter alij Thomiſtæ, ac plures alij, vt Ruuius.

Conclvsio.

Cùm inter liquores etiam eiuſdem ſpeciei poſſint eſſe qualitates actiuæ contrariæ, poteſt inter ipſos fieri vera mixtio.

Respondeo dicendum, quòd non poteſt fieri vera & propria mixtio inter liquores non habentes qualitates contrarias, ſecundùm quas poſſint agere & reagere ad inuicem 2. liquores verò, ſiue diuerſæ, ſiue eiuſdem ſpeciei habentes qualitates contrarias, ratione quarum poſſint adinuicem agere & reagere, poſſunt ſecundùm ſe totos verè & propriè miſceri.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles hîc cap.10. ſic ait : *Sunt itaque (vt diximus) entium hæc quidem actiua: hæc autem paſſiua ab his: hæc quidem igitur conuertuntur quarum eadem materia eſt, & actiua adinuicem:* Quæ verba ſic exponit D.Thom.lect.25. *Manifeſtum eſt ergo quòd hæc ſunt miſcibilia, quæcumque ſunt de numero facientium, ſiue agentium, & habent contrarietatem: quia hæc ſunt adinuicem paſſiua, & hoc eſt primum, quòd requiritur in miſcibilibus.* Item 4. contra gentes cap.35. ait : *Mixtio non eſt, niſi eorum, quæ communicant in materia, & quæ agere & pati adinuicem nata ſunt :* Idem alibi expreſsè docet.

Secundò, mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, vt infra dicetur ex Ariſtotele, ita quòd ipſa corrumpantur, & reſultet aliud compoſitum : ſed ad hoc requiritur actio & reactio, quæ non poteſt eſſe, niſi miſcibilia habeant qualitates actiuas contrarias, quæ ſint principia huius actionis & reactionis, vt ex ſe patet : ergo non poteſt fieri vera & propria mixtio inter liquores non habentes qualitates contrarias, ſecundùm quas poſſint agere & reagere adinuicem.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Dicimus igitur quòd ſi liquores ſint in tanta quantitate, vt vnus poſſit diffundi per totum alium, & ſint conditiones iam dictæ, erit propria mixtio, & ſic corrumpentur illi liquores præexiſtentes, & reſultabit quidam tertius, vel ſpecie diſtinctus ab illis, ſi ipſi ſpecie diſtinguebantur, vel ſolo numero, ſi prædicti liquores numero tantùm erant diſtincti. Si autem liquor, qui infunditur, eſſet tam paruæ quantitatis, vt non poſſit totum alium penetrare, tunc non eſſet mixtio in toto liquore præexiſtente, ſed tantùm ſecundùm illas partes, ſecundùm quas ſe intimè peruadunt & interſecantur, ſi adſint aliæ conditiones. Quod ſic probatur. Tunc fit vera mixtio, quando miſcibilia ſunt inuicem actiua, & habent qualitates contrarias, ita debitè applicatas, vt poſſint adinuicem deſtruere diſpoſitiones requiſitas pro conſeruatione cuiuſlibet, vt infra magis patebit : ſed hoc multoties poteſt conuenire liquoribus, ſiue ſint eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei : de liquoribus quippe diuerſæ ſpeciei eſt ſatis manifeſtum : de liquoribus autem eiuſdem ſpeciei etiam patet, nam duo vina, quorum vnum ſit album, & aliud rubrum, poſſunt habere contrarias qualitates, ita proportionatas, vt deſtruant diſpoſitiones conſeruatiuas vtriuſque, & ſic generabitur aliud tertium, ne materia maneat ſine forma : ergo tunc poterit eſſe inter illos vera mixtio.

Ad primum ergo dicendum, quòd inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſi habeant qualitates contrarias, poteſt eſſe mutua actio & paſſio, & conſequenter corruptio, ſi per hanc mutuam actionem deſtruuntur diſpoſitiones requiſitæ ad conſeruationem vniuſcuiuſque : vnde natura non ſolùm intendit aſſimilare in ſpecie, ſed etiam in perfectionibus indiuidualibus : imò quò perfectiùs agit, eò magis in illis aſſimilat effectum cauſæ, vt patet in patre generante filium, qui ſi habet virtutem optimè diſpoſitam, generat omnino ſimilem : ad hanc autem aſſimilationem indiuidualem poteſt ſequi quaſi per accidens corruptio naturæ ſpecificæ, vt dictum eſt : deinde hæc corruptio poteſt attribui cauſis ſuperioribus, à quibus cauſatur mixtio, tanquam cauſis principalibus, ipſis verò liquoribus, tanquam inſtrumentis.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi vina illa habeant qualitates contrarias actiuas, miſcebuntur, & ita corrumpentur, ac generabitur tertium : hoc tamen mixtum debet religiosè pertractari, quia non ſcitur certò factam fuiſſe mixtionem ſecundùm omnes partes, quamdiu manent accidentia vini : vnde factâ mixtione non remanet ibi Sanguis Chriſti : ſi autem habeant illa duo vina qualitates ſimiles, non ſe corrumpunt ſecundùm ſuas entitates materialiter ſumptas, licèt ſe peruadant ſecundùm partes minores minimis, & vniantur, ac ita manet Sanguis Chriſti ſub illis conſecratis. Ita D.Thom. 3.p.q.77. Ad illam autem determinationem reſpondet D.Thom. ibidem ad 3. verum eſſe, quòd vinum infuſum in ſpeciebus conſecratis nunquam miſcetur Sanguini Chriſti, cùm ſit inalterabilis, tamen commiſcetur ſpeciebus Sacramentalibus proprie, ſi adſint conditiones requiſitæ : & ita deſinit eſſe Sanguis Chriſti ſub omnibus partibus ſpecierum, ſi mixtio fiat ſecundùm omnes.

Ad tertium dicendum, quòd D.Thom. requiſiuit, non vt cauſam adæquatam, ſed tamen vt neceſſariam hanc penetrationem, & interſectionem liquorum ſecundùm omnes partes, vt virtus vnius poſſit perfectè applicari alteri ad mutuam actionem & paſſionem, ac proinde ad mutuam corruptionem, quæ requiritur ad mixtionem, ibi quippe facit mentionem qualitatum contrariarum, & adducit exemplum de duobus vinis habentibus contrarias qualitates.

Articvlvs III.

Vtrùm definitio mixtionis tradita ab Ariſtotele ſit bona?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd hæc definitio mixtionis, ſcilicet (mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio) tradita ab Ariſtotele non ſit bona. Probatur. Mixtio eſt quædam ſubſtantialis generatio terminata ad formam mixti : ergo meliùs definiretur, quòd ſit tranſitus ſubiecti à non eſſe ſub forma ſubſtantiali mixti, ad eſſe ſub illa.

¶ 2. Præterea, Miſcibilia corrumpuntur per mixtionem, & tertium aliquod reſultat, ſcilicet mixtum : ergo mixtio non bene definitur, quòd ſit miſcibilium alteratorum vnio, non enim poſſunt dici aliqua vniri per id, per quod corrumpuntur.

¶ 3. Præterea, Non omnis mixtio fit ex miſcibilibus, nam Scriptura docet in principio mundi quædam animalia fuiſſe facta ex terra, quædam ex aqua, &c. vnde cùm fuerint mixta, debuerunt fieri per mixtionem, & tamen non ex miſcibilibus : ergo non bene definitur mixtio, quòd ſit miſcibilium alteratorum vnio.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis tradentis hanc definitionem, quam admittit, vt bonam & legitimam D.Thom. in præſenti, lect.25. & cùm eo communiter omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm per hanc definitionem exprimantur omnes conditiones requiſitæ ad veram mixtionem, eſt bona definitio.

Respondeo dicendum, quòd optimè definitur mixtio ab Ariſtotele, quòd ſit miſcibilium alteratorum vnio. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ad veram & propriam mixtionem requiri plures conditiones, Prima aſſignatur ab

ab Arist. hic c. 10. & à D. Th. ibidem lect. 24. quòd scilicet id quod miscetur sit separatum ante mixtionem. Secunda, quòd ex miscibilibus generetur aliud compositum substantiale, scilicet mixtum, miscibilia autem ipsa corrumpantur secundùm suas formas, ita tamen vt aliquo modo maneant in mixto, id est, quantùm ad virtutem: sic ait Aristot. loco citato textu vltimo, & D. Thom. lect. vltimâ: & hoc propter duplicem rationem, tum quia si non corrumpantur miscibilia secundùm suas formas, & generetur mixtum, mixtio nihil esset aliud, quàm aggregatio & compositio ex miscibilibus, tanquam ex partibus, & sic Cœlum ac Elementa essent mixta: si autem non remanerent secundùm suam virtutem, non esset mixtio, sed pura & nuda corruptio: tum etiam quia, vt patet, quælibet pars mixti non esset mixta. Tertia conditio est, quòd miscibilia sint mutuò actiua & passiua: ita tamen vt vnum non nimis prædominetur alteri, sed in proportione & excessu, qui petatur à forma, ad quam mixtio illa ordinatur, & quæ sufficiat ad corrumpendum vtrumque miscibile: ita Aristoteles cap. citato textu 89. & D. Th. lect. 25. cuius rationem afferunt, quia si vnum omnino prædominaretur alteri, conuerteret illud in suam substantiam, & sic non esset mixtio, sed nuda corruptio vnius, & accretio alterius: vnde vna gutta vini non miscetur in mille millibus amphoris aquæ, soluitur enim species eius, & transmutatur in aquam. Quarta tandem conditio est, quòd miscibilia sint adinuicem diuisibilia, vt vtrumque possit peruadere partes alterius, & eas intersecare: ita Aristoteles hic textu vltimo, & D. Th. ibidem, & 2. contra gentes c. 55. ratio est, quia cùm miscibilia debeant mutuò agere & pati, ita vt ex eis fiat mixtio, & quælibet pars sit mixta, ac proinde in ea maneant virtualiter miscibilia, oportet vt priùs misceantur mixtione impropriè & vulgariter dictâ, per hoc quòd vtrumque peruadat, & intersecet partes alterius, ac ita omnino confundantur inuicem.

Probatur & explicatur conclusio sic à D. Th. in fine huius libri. Patet etiam quòd mixtio est miscibilium alteratorum vnio, quæ quidem alteratio solùm est intelligenda in virtutibus, siue qualitatibus eorum: sed si etiam alteratio sumatur impropriè, mixtio est miscibilium alteratorum, id est, corruptorum secundùm formas vnio. Vtraque autem alteratio in rigorosa mixtione debet intercedere, & ideo vtraque in hac definitione exprimitur: igitur mixtio est vnio materiæ miscibilium, priùs verè & propriè secundùm suas qualitates & virtutes alteratorum, deinde verò secundùm formas substantiales corruptorum, sub vna & eadem forma substantiali tertij alterius mixti inde resultantis, ita tamen, vt etiam secundùm suas virtutes vniantur, quatenus illæ, quæ à diuersis essentiis & principiis fluebant, tunc in vno & eodem principio & subiecto vniantur: quæ conclusio sic explicata probatur. Per hanc definitionem mixtionis traditam ab Aristotele exprimuntur, vel saltem inuoluuntur omnes conditiones requisitæ ad propriam & rigorosam mixtionem, supra enumeratæ, vt discurrenti per omnes patet. Deinde per hanc definitionem optimè discernitur mixtio ab omnibus aliis motibus & mutationibus, vt etiam patet inductione per singula: sed definitio, quæ exprimit naturam rei, eámque discernit ab aliis, est optima: ergo hæc definitio mixtionis tradita ab Aristotele est bona & optima, ne autem esset obscura, cùm tradatur per miscibile, priùs definit Philosophus, quid sit miscibile.

Ad primum ergo dicendum, quòd mixtio propriè sumpta non est generatio vtcumque, sed cum conditionibus assignatis, & ideo saltem materialiter differt à pura generatione, ratione harum conditionum, quas saltem pro materiali connotat, vt infra dicetur: & ideo hoc totum debuit exprimi, aut saltem implicitè contineri in eius definitione, vt continetur in hac tradita ab Arist. non autem in alia assignata, communi omni generationi.

Ad secundum dicendum, quòd solùm conuincit miscibilia non vniri secundùm suas formas substantiales: non autem quòd non vniantur secundùm suas materias sub vnica forma mixti, & secundùm suas virtutes, non quòd eædem numero maneant in mixto, quæ erant in miscibilibus, sed tantùm eædem specie.

Ad tertium dicendum, quòd aliqua animalia dicuntur in Scriptura facta ex aqua vel ex terra, quia fuerunt producta ex materia horum Elementorum principaliter: vel quia habent maiorem conuenientiam cum his Elementis, vt ait D. Thom. in 2. d. 15. quæst. 2. art. 1. certum est autem in omnibus animalibus dominari Terram & Aquam secundùm quantitatem & materiam, quia nimirum in eis est multùm de materia & quantitate. Secundùm virtutes autem, & qualitates magis dominantur in eis alia Elementa, nempe Ignis & Aër, quia illorum Elementorum virtutes sunt calor & humiditas: vita autem animalis consistit in calido, & humido. Si autem illa animalia non fuerunt producta ex omnibus Elementis, non fuerunt facta per veram mixtionem, sed per puram generationem: dicuntur tamen mixta, quia constant formâ substantiali petente hanc temperiem primarum qualitatum: & quia potuerint fieri per veram mixtionem, ac sunt similia aliis mixtis in pluribus, non tamen essent propriè mixta.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm miscibilia maneant in mixto?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd Elementa (& proportionaliter alia miscibilia) ideo maneant virtualiter in mixto, quia forma substantialis mixti continet virtualiter & eminenter formas Elementorum, ad eum modum quo anima rationalis continet virtualiter sensitiuam ac vegetatiuam. Ita tenent Scotus in 2. d. 15. q. vnicâ, & alij. Probatur. In illo priori, antequam intelligatur mixtum habere primas qualitates, verè est mixtum, est enim substantia resultans ex mixtione Elementorum: ergo ratione suæ formæ substantialis est mixtum, quæ proinde debet continere formas miscibilium virtualiter, & non ratione primarum qualitatum: maximè quia tales qualitates ad corruptionem Elementorum corruptæ sunt, & quia ex opposito sequeretur aquam calefactam esse mixtum, quia continet quatuor primas qualitates.

§ 2. Præterea, Econtra, Videtur quòd Elementa maneant virtualiter in mixto ratione cuiusdam qualitatis deriuatæ ex Elementis, quæ non sit composita ex quatuor primis qualitatibus attemperatis, ita vt formaliter eas contineat, sed quæ sit simplex formaliter, licèt virtualiter multiplex, ac virtualiter continens qualitates Elementorum. Ita Durandus in 4. d. 12. q. 3. Soncinas 10. Metaph. q. 27. Iauellus 8. Metaph. q. 4. & alij. Probatur authoritate Aristot. hic textu 48. vbi per mixtionem calidi & frigidi, humidi & sicci ait generari mixtum, quòd quasi medium est inter eadem extrema, neutrum tamen extremorum: ergo sentit quòd mixtum non est formaliter calidum, aut frigidum, humidum, aut siccum, sed quod habet temperamentum medium, scilicet qualitatem superiorem, virtualiter continentem calorem, frigus &c.

§ 3. Præterea, Corruptis formis substantialibus Elementorum succedit in mixto vnica & simplex forma substantialis, æquiualens formis Elementorum: ergo etiam corruptis qualitatibus Elementorum debet in mixto succedere alia simplex qualitas, illis æquiualens, sed ab eis distincta, vt constat ex paritate rationis.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristot. hic cap. 10. textu 84. & vltimo ac. D. Th. ibidem, quos communiter sequuntur Thomistæ, ac plures alij, vt Ruuius, Toletus &c.

CONCLVSIO.

Cùm quatuor primæ qualitates sint virtutes Elementorum, Elementa manent virtualiter in mixto, quia in eo sunt quatuor primæ qualitates.

RESPONDEO dicendum, quòd Elementa manent virtualiter in mixto, non per hoc quòd forma mixti con-

tineat virtualiter & eminenter formas Elementorum 2. nec quia in mixto ſit illa qualitas ſimplex deriuata ab Elementis,continens virtualiter qualitates Elementorum 3. ſed quia in mixto manent quatuor primæ qualitates ad mediocritatem redactæ, ſcilicet calor, frigus, humiditas & ſiccitas, quæ ſunt propriæ virtutes Elementorum.

Probatur prima pars concluſionis. Forma continens virtualiter & eminenter formam inferioris rationis, poteſt eſſe principium exercendi operationes illius perfectiori & excellentiori modo, quàm illa exerceat, vt patet exemplo ab aduerſariis addocto de anima rationali, quæ perfectiſſimè exercet operationes ſenſitiuas & vegetatiuas : imò ex operatione colligimus hanc continentiam eminentialem, nec ad illam ſufficit quæcunque ſuperioritas : aliàs ſequeretur, quòd ſupremus Angelus contineret eminenter perfectiones omnium aliarum creaturarum, quod non eſt dicendum : ſed forma mixti non poteſt eſſe principium exercendi operationes Elementorum perfectiori modo,vt patet experientiâ,nullum enim mixtum ita ex ſe calefacit, ac ignis,& ſic de aliis : ergo Elementa non manent virtualiter in mixto, per hoc quòd forma mixti contineat virtualiter & eminenter formas Elementorum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Primò quia eſt contra Ariſtotelem,& D.Th. mille locis dicere,quòd primæ quatuor qualitates non ſint formaliter in mixto. Deinde, quia ſequeretur quòd mixtum non ſit ex ſe actiuè & paſſiuè corruptibile, ſiue quod non poſſet corrumpere & corrumpi, quia non conſtaret quatuor primis qualitatibus contrariis, quæ ſunt principium corruptionis. Denique, non poteſt dici aliquid remanere virtualiter in alio, niſi per aliquid, quod eſt ei proprium, vt ex ſe patet : ſed aſſignata qualitas non eſt propria Elementorum, nec ſufficit quòd reſultet ex primis : nam hoc admiſſo, adhuc certum eſt, quòd non reſultat ex illis, vt ſubordinantur Elementis, ſed vt ſubordinantur mixto, & ideo ad mixtum, & non ad Elementa debet reduci, ſicut & plures aliæ, vt albedo, nigredo, quæ reſultant ex primis qualitatibus ad mediocritatem redactia, & ita non eſſet propria Elementorum : ergo Elementa non manent virtualiter in mixto, per hoc qòd in mixto ſit illa qualitas ſimplex deriuata ab Elementis, continens virtualiter qualitates Elementorum.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D.Th, loco citato. Item 1.p.q.76. art.4. ad 4. vbi ſic ait : *Et ideo dicendum eſt ſecundùm Philoſophum de generatione, quòd forma Elementorum manent in mixto, non actu, ſed virtute: manent enim qualitates propria Elementorum, licèt remiſſe, in quibus eſt virtus formarum Elementarium.* Idem docet in fine opuſc. 33. & alibi ſæpe : quæ ratio D. Th. ſic explicatur. Qualitatea Elementorum in eis reſidentes, & aliæ qualibet ab eis deriuatæ, ſed eiuſdem ſpeciei cum illis, ſunt virtutes propriæ ipſorum, per quas operantur vbicumque fuerint tales qualitates : vbicumque enim fuerit calor ab igne deriuatus, tribuetur igni calefactio procedens à tali calore,tanquam cauſæ principali per illum operanti, quod enim eſt tale per participationem, operatur in virtute eius, quod eſt tale per eſſentiam, ſiue ab intrinſeco, & exigente naturâ, ignis autem eſt formaliter calidus per naturam, cùm calor ſit eius proprietas, alia verò calida ab igne deriuata, ſunt calida ab eodem igne : & conſequenter cùm hæ qualitates, quæ ſunt virtutes Elementorum, maneant formaliter in mixto, ipſa Elementa manent in illo virtualiter : nam remanere aliquid virtualiter in aliquo, denotat inter alia, quòd remaneat ſecundùm propriam ſuam virtutem, per quam operatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad rationem mixti ſufficit, quòd in illo priori petat connaturaliter habere qualitates Elementorum ad mediocritatem redactas, ita vt licèt ſint poſteriores in genere cauſæ efficientis, ſint tamen priores in genere cauſæ materialis, & ſimul in eodem inſtanti reali, Ad aliud dicendum, quòd licèt ſint qualitates diſtinctæ ab iis, quæ erant in Elementis, ſunt tamen virtutes Elementorum, inquantum deriuantur ab illis : & ideo licèt calefactio, vt imperfecta & refracta, ſit connaturalia mixto,vt cauſæ principali, abſolutè tamen, ſiue ſecundùm rationem ſuperiorem conuenit tantùm igni, ſiue conuenit igni per ſe primò, mixto autem per ſe ſecundò, & per participationem, & propterea mixtum ad calefactionem ſe habet potiùs vt vtens connaturale ipſius, quàm vt cauſa principalis. Ad aliud dicendum, quòd ad rationem mixti non ſufficit, quòd habeat plures qualitates, ſed requiritur vnio illarum virtutum Elementarium in vno & eodem communi principio, à quo aliquo modo connaturaliter fluant.

Ad ſecundum dicendum cum D.Th.quòd Ariſt.ſolùm vult quòd mixtioni ſit ſimul calidum & frigidum, humidum & ſiccum in debita proportione, non verò calidum & frigidum ſolummodo : vnde eſt medium inter extrema, quia eſt ſimul calidum, frigidum, humidum, & ſiccum,quod complexum eſt diſtinctum à ſingulis extremis, & ideo bene dicitur, quòd nullum eſt mixtis.

Ad tertium dicendum nullam eſſe conſequentiam, & in hoc conſiſtit diſparitas, qoòd cùm mixtum ſit vnicum in ſpecie, ſolùm poteſt habere vnicam formam,quæ ſuccedat formis Elementorum,& eorum materias informet: poteſt autem habete plures qualitates, maximè quia illa aſſignata non eſt alicuius Elementi, vt ratione illius maneat virtualiter, vt dictum eſt.

Articvlvs V.

Vtrùm mixtio diſtinguatur eſſentialiter à generatione?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd mixtio non diſtinguatur vllo modo eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter à generatione. Ita Ruuius in præſenti. Probatur primò authoritate Ariſt. 5.Phyſic.c.2. vbi omnes mutationes poſitiuas reducit ad quatuor quaſi genera,ſcilicet generationem,augmentationem,alterationem & lationem, ſiue motum localem : ergo cum mixtio ſit mutatio poſitiua, & non contineatur ſub aliis tribus generibus, vt patet, debet contineri ſub generatione, ac proinde non diſtinguitur eſſentialiter ab illa.

§ 2. Præterea, Ratio eſſentialis mixtionis ſumitur à termino (ad quem) hoc enim eſt commune omni mutationi : ſed poteſt eſſe idem terminus mixtionis, & puræ generationis, putà quando mus generatur per ſemen, vel producitur ex putri materia ex mixtione Elementorum: ergo mixtio non diſtinguitur eſſentialiter à generatione.

§ 3. Præterea, Si mixtio diſtinguitur eſſentialiter à generatione pura, qua producitur mixtum eiuſdem ſpeciei, maximè propter diuerſum modum tendendi vtriuſque, quia mixtio tendit per commixtionem Elementorum, quam non requirit pura generatio : ſed hic diuerſus modus tendendi ſe habet de materiali, & ſe tenet ex parte materiæ, quòd ſcilicet mixtum fiat ex hac, vel ex illa materia ſublunari : ergo eſt tantùm diuerſus modus accidentaliter, ac proinde mixtio non diſtinguitur eſſentialiter à generatione.

Sed contra eſt authoritas Ariſtot. & D. Th. qui diuerſimodè definiunt mixtionem à pura generatione, eique aſſignant conditiones ab intrinſeco petitas, hos ſequuntur plures authores, non ſolùm ex Thomiſtis, ſed etiam ex aliis, vt Conimbricenſes in præſenti.

Conclvsio.

Cùm mixtio ex ſua ratione, & ab intrinſeco petat diuerſum modum tendendi in terminum ab illo quem petit generatio pura, diſtinguitur ab illa eſſentialiter.

Respondeo dicendum, quòd mixtio non diſtinguitur quidem eſſentialiter adæquatè à pura generatione, quia continentur ſub eodem quaſi genere generationis abſolutè, & in tota ſua latitudine ſumptæ 2. diſtinguitur tamen inadæquatè eſſentialiter, tanquam vna quaſi ſpecies ab alia, ratione eſſentialis differentiæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd generatio latè ſumpta eſt quid

quid superius, continens plures quasi species: vnde primò diuiditur in puram generationem, & mixtionem: quæ diuisio prouenit non ex termino (ad quem,) sed ex modo tendendi in ipsum. Mixtio subdiuiditur iuxta diuersitatem termini resultantis: nam ad distinguendum essentialiter mutationem sufficit distinctio termini, ad identificandum autem essentialiter, non sufficit vnitas termini; & hoc quia vnio est bonum, ac proinde exurgit ex integra causa, distinctio autem est malum, vnde prouenit ex quocunque defectu. Pura autem generatio subdiuiditur in eam, quæ est corporis simplicis, & in eam, quæ est corporis mixti, tanquam in species subalternas, cùm corpus simplex, & mixtum. genere differant: vtraque autem subdiuiditur iterum iuxta diuersitatem termini.

Probatur prima pars conclusionis. Tam mixtio, quàm pura generatio sunt verè generatio, vtraque enim terminatur ad formam productam, & habet annexam corruptionem: sed quæ conueniunt in aliquo gradu superiori essentiali, non distinguuntur essentialiter adæquatè, vt ex se patet: ergo mixtio non distinguitur essentialiter adæquatè à pura generatione.

Probatur secunda pars conclusionis. Mixtio ab intrinseco petit conditiones distinctas à pura generatione, supra enumeratas, ita vt sine illis non possit esse mixtio, & ratione illarum diuerso modo tendit ad terminum ex parte sui: sed diuersus modus tendendi ab intrinseco petitus distinguit essentialiter motus & mutationes, ex eo quòd sint tendentiæ ad terminum, vt constat in motu locali recto & circulari, qui ex hac diuersa tendentia, licèt sint ad eumdem terminum, essentialiter distinguuntur: ergo mixtio essentialiter distinguitur à pura generatione, tanquam vna species ab alia, quod videtur concludendum ex diuersa vtriusque definitione tradita ab Aristotele.

Secundò, quando aliquæ mutationes ita sunt affectæ, vt licèt ad eumdem terminum tendant, tamen vna petit fieri à causa particulari, alia verò propter peculiarem sui rationem petit procedere ab aliqua causa vniuersali proximè & immediatè, infertur eas differre essentialiter, vt constat in generatione & resurrectione humana, quæ licèt terminentur ad eumdem, non solùm specie, sed etiam numero terminum, tamen essentialiter differunt, vt fatentur omnes, quia sunt talis naturæ, vt vna petat fieri à causa particulari, alia verò immediatè à prima causa principaliter: sed generatio pura & mixtio sunt huiusmodi, nam generatio habet causam proximam ipsum generans, mixtio verò procedit à causis vniuersalibus, vt dicetur articulo sequenti: ergo generatio pura & mixtio essentialiter distinguuntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd mixtio continetur sub generatione latè sumpta, quæ ambit tam generationem puram, quàm alias, ac proinde verè est generatio: tamen distinguitur vt alia species à generatione pura, ac proinde essentialiter.

Ad secundum dicendum, quòd ratio essentialis mutationis sumitur, non à termino (ad quem) materialiter, sed formaliter considerato: est autem diuersus formaliter terminus à seipso, prout terminat diuersum modum tendendi, & ita contingit in præsenti: potest enim esse idem in specie terminus mixtionis, & puræ generationis, vt patet in exemplo dato, tamen est diuersus formaliter in ratione termini, quia terminat diuersum modum tendendi: vnde mus productus per decisionem seminis non differt in esse rei, & in esse entitatiuo specifice ab alio producto ex putri materia, differt tamen in esse termini formalis, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd diuersus ille modus tendendi se tenet ex parte ipsarum mutationum, cùm ipsæ mutationes ex se sint tendentiæ, vt dictum est.

Articvlvs VI.

Quænam sit causa mixtionis?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd causa mixtionis sint ipsa miscibilia. Ita tenent aliqui recentiores vt refert Ruuius. Probatur, Quilibet effectus particularis & determinatus habet causam particularem & determinatam, nec est recurrendum ad causas vniuersales: sed mixta sunt effectus particulares & determinati procedentes per concursum & mixtionem Elementorum inter se: ergo particulares habent causas, scilicet ipsa miscibilia, cùm alia non sit assignabilis.

§ 2. Præterea, Si quid obstaret, quominus miscibilia ipsa non sint causa mixtionis, esset maximè quia mixtum productum est perfectius miscibilibus; sed hæc ratio nulla est, tum quia effectus potest esse perfectior suâ causâ, nam viuentia, quæ fiunt ex putri materia, licèt non dicantur effectus miscibilium, tamen debent attribui ipsi Cœlo, quo sunt nobiliora: tum etiam quia dato, quòd effectus non sit perfectior suâ causâ, adhuc habetur intentum, nam mixtum est quidem perfectius singulis miscibilibus, non tamen omnibus simul sumptis: ergo ipsa miscibilia sunt causa mixtionis.

Sed contra est authoritas D.Th. in præsenti cap. 10. quem sequuntur communiter Philosophi, nostri Complutenses, Ruuius, Toletus, & alij.

Conclvsio.

Cùm agens naturale particulare intèdat sibi assimilare passum, & effectus non possit esse perfectior sua causa, causa mixtionis non sunt ipsa miscibilia, sed causæ superiores.

Respondeo dicendum, quòd miscibilia non sunt causa mixtionis: 2. sed ipsæ causæ superiores, cum hac differentia, quòd si mixta sint non viuentia, Sol, Cœli, aliáque Astra sint causa principalis & mixtionis & mixtorum. 3. si autem mixta sint viuentia, Sol, aliáque Astra sit tantùm causa instrumentalis, intelligentiæ verò mouentes Cœlos, ipsáque motione virtuali ipsos eleuantes, sint causa principalis, & maximè Deus.

Probatur prima pars conclusionis. Omne agens naturale particulare intendit assimilare sibi passum, & producere sibi simile, vt Ignis ignem, Aër aërem, &c. ac proinde non est principium, & causa per se, nisi actionis & mutationis sibi correspondentis, vt Ignis calefactionis ignisfactiuæ: sed mixtio, sicut & mixtum non sunt eiusdē rationis cū miscibilibus, cùm distinguantur in multis gradibus superioribus, vt patet in Elementis, & mixtis viuētibus, quæ tantū conueniunt in corpore & substantia, differunt verò in omnibus aliis: ergo miscibilia nō sunt causa mixtionis.

Secundò, omnis causa, vel est æquiuoca, vel vniuoca, si æquiuoca est perfectior suo effectu, cùm illum contineat in superiori & eminentiori quadam ratione: si vniuoca est æquè perfecta secundùm substantiam, cùm producat effectum eiusdem rationis, & perfectior in actualitate aliqua accidentali, iuxta hæc axiomata (nemo dat quod non habet, & vnumquodque agit inquantum est actu:) sed mixtum est perfectius miscibilibus, quod maximè apparet, si mixtum productum sit viuens, cùm habeat formam perfectiorem attingentem ad gradum animæ, cùm sit magis eleuata à materia, vt colligitur ex eius operationibus: ergo miscibilia non sunt causa, nec vniuoca, nec æquiuoca mixtionis, aut mixtorum.

Probatur secunda pars conclusionis. Quandò desunt causæ particulares aliquorum effectuum recurrendum est ad superiores & vniuersales, omne enim productum habet aliquam causam suæ productionis, nihil enim potest seipsum producere, vt dicetur in Metaphysica: ac proinde si desit causa particularis talis productionis, recurrendum est ad superiores & vniuersales, sic dictas, quia concurrunt ad productiones sublunarium omnium, & quia supplent defectum causarum inferiorum: sed non datur causa particularis mixtionis, vt dictum est: ergo ipsæ causæ superiores sunt causa eius principalis: si mixta producta sint non viuentia recurrendū est ad Cœlum, Solē, aliáque Astra, excedunt enim simpliciter in perfectione non viuētia, & consequēter possunt esse causa principalis illorum.

Probatur tertia pars conclusionis. Omnis causa principalis debet esse æquè perfecta substantialiter, ac eius effectus, si sit vniuoca; & perfectior, si sit æquiuoca, vt dictum est: sed Cœlum, Sol, aliáque astra non solùm non sunt perfectiora viuentibus (& tamen deberent esse perfectiora, quia si essent causa principalis eorum, essent

vtique causa æquiuoca, vt patet: cùm sint diuersæ rationis) imò non sunt æquè perfecta, perfectio enim maximè prouenit à forma, constat autem, quòd formæ viuentium sunt perfectiores formis non viuentium, quia sunt magis eleuatæ à materia, vt patet ex earum operationibus vitalibus, propterea attingunt ad gradum animæ: ergo Cœli, Sol, aliáque astra non sunt causa principalis mixtionis & mixtorum, sed tantùm causa instrumentalis, intelligentiæ verò mouentes Cœlos, ipsaque virtuali motione ipsos eleuantes, ac mediis illis in hæc inferiora influentes sunt causa principalis: & per hæc patet responsio ad obiecta, notando quòd mixtum, maximè si sit viuens, est perfectius omnibus miscibilibus, etiam simul sumptis, vt apparet ex operationibus.



LIBER SECVNDVS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

Summa Textus.

CVM vt ait D. Thom. in proœmio huius operis, qui considerat genus, debeat etiam considerare causas totius generis, nam scientia per causas habetur, & ideo quia in Metaphysica agitur de ente vt sic, etiam agitur de primo ente, quod est causa totius generis entis: propterea in hoc secundo libro de Generatione & Corruptione agitur de Elementis, quæ sunt prima principia & causæ Generationis, Alterationis, ac Corruptionis in omnibus aliis corporibus, & ipsis componuntur omnia corpora generabilia & corruptibilia, quæ ideo dicuntur mixta.

Diuiditur hic liber vndecim capita. In 1. incipit agere de Generatione & Corruptione Elementorum, ac de materiali principio illorum, circa quod varias affert antiquorum opiniones. In 2. agit de principio formali Elementorum, inquantum sunt tangibilia actiua, atque passiua, enumerat varias contrarietates qualitatum tangibilium, & explicat quæ sint actiuæ, quæve passiuæ. In 3. ponit numerum Elementorum, & proprias vnicuique assignat qualitates. In 4. ostendit quomodo Elementa, quæ habent, vel non habent qualitates symbolicas, generentur adinuicem. In 5. ostendit subiectum generationis & corruptionis Elementorum non esse aliquod corpus actu existens, quodcumque illud sit. In 6. impugnat Empedoclem, eo quòd diceret Elementa nunquam ad inuicem transmutari. In 7. & 8. agit de Generatione compositorum ex Elementis, & ostendit Elementa concurrere ad generationem omnium mixtorum. In 9. agit de causis Generationis & Corruptionis, ac ostendit tres esse necessariò concedendas, scilicet materialem, formalem, & efficientem. In 10. specialiter agit de causa efficienti generationum & corruptionum, docens illam esse principaliter motum Solis per Zodiacum. In vltimo tandem ostendit Generationes & Corruptiones esse perpetuas, non secundùm lineam rectam, sed reflexam, & circularem, ita scilicet vt ab eodem procedant, & in illud idem reuertantur, vt patet in generatione nubium, & pluuiarum, nam nubes generantur ex pluuiis, & pluuia ex nubibus.

Meritò autem, postquam egit Philosophus in primo libro de Generatione & Corruptione corporum in communi, & de aliis motibus annexis, in hoc secundo agit de Generatione & Corruptione in particulari Elementorum, sunt enim prima corpora generabilia & corruptibilia, ex quibus fiunt mixta, in quæ etiam postea resoluuntur: ac proinde debuit prius agi de Generatione & Corruptione horum corporum, cùm sint prima & simplicia, quàm de Generatione & Corruptione aliorum corporum, vt fit in libris Meteororum, &c.

IN subiecta figura simul apparent compendiaria omnia, quæ de Elementis in hoc libro aguntur, videlicet numerus ipsorum quaternarius, mutua contrarietas, vel totalis, vel partialis, propriæ vniuscuiusque qualitates, & quænam ex ipsis sint symbolæ, quænam dissymbolæ; & tandem in qua intensione ipsis elementis conueniant.

QVÆSTIO XVII.

De natura & numero Elementorum.

PRIMVM, quod inquirendum occurrit circa Elementa, est, quid sint, & quot sint: nam dari Elementa est in confesso apud omnes: vnde prætermittitur quæstio an sit: maximè quia facilè determinatur, determinata iam quæstione, quid sit: vnde quæruntur duo.

§ Primò, Vtrùm sit bona definitio Elementi tradita ab Aristotele?

§ Secundò, Vtrùm sint, nec plura, nec pauciora, quàm quatuor Elementa?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit bona definitio Elementi tradita ab Aristotele?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd non sit bona definitio Elementi tradita ab Arist. 3. de Cœlo cap. 3. sub his verbis: *Sit igitur Elementum corpus, ad quod alia corpora diuiduntur, intus existens potentiâ, aut actu, ipsum autem est indiuisibile in altera specie.* Probatur. Elementa non sunt actu in mixto, sed tantùm virtualiter,

naliter, aliàs plures essent formæ substantiales in eodem, scilicet forma mixti, & formæ Elementares, quod est impossibile: ergo cùm in hac definitione dicatur, quòd Elementum est actu in mixto, non est bona.

§ 2. Præterea, Hæc definitio conuenit partibus totius substantialis homogenei, putà aquæ vel igni, nam pars ligni est corpus, ex quo componitur lignum, & non est diuisibilis in partes diuersas secundùm speciem, cùm quælibet medietas partis ligni sit lignum: ergo hæc definitio elementi non est bona, cùm inter alias leges bonæ definitionis sit hæc, quòd non conueniat alteri, si enim alteri conuenit, non bene explicat naturam rei.

Sed contra est authoritas Aristotelis tradentis loco citato hanc definitionem, & D.Thom. illam admittentis ibidem & 5. Metaph. lect. 4. quam communiter amplectuntur omnes Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm hac definitio Elementi bene intellecta optimè explicet naturam eius, est optima.

Respondeo dicendum, quòd hæc definitio Elementi est bona, & sic exponi debet, supposito quòd per illam non definitur Elementum sumptum in generali quadam significatione, prout significat quodcumque principium rei, sed magis strictè, prout includit quatuor Mundi Elementa, communiter sic dicta, scilicet Ignem, Aërem, Aquam, & Terram.

In hac definitione ponitur primò ly (Corpus) loco generis, per quod excluduntur à ratione Elementi materia, forma, priuatio, & quæuis alia principia cuiuscumque rei, siue naturalis, siue artificialis, quæ non sunt corpus de prædicamento substantiæ, de quo solo hic agitur, siue de illo quod componitur ex materia & forma: sic enim ibidem ait D.Thom: *Vniuersalia Elementa sunt materia & forma, vt patet in 1. Physicorum: quæ tamen non sunt corpora*: Hic intendit Philosophus de Elementis, quæ sunt corpora. Per ly tamen (corpus) Elementum conuenit cum aliis corporibus.

Ponitur secundò (ad quod alia corpora diuiduntur) quod idem est, ac resoluuntur, vt explicat D. Thom. quia plurima mixta immediatè resoluuntur in Elementa, in fine autem Mundi omnia resoluentur excepto corpore humano.

Ponitur tertiò (intus existens potentiâ, aut actu) quia vt dicit D.Thom. 5. Metaphysicæ lect. 4. de ratione Elementi est, quòd sit existens, siue intrinsecum, per quod differt Elementum ab omni eo ex quo sit aliquid sicut ex transeunte, siue sit priuatio, aut contrarium: Elementa enim oportet manere in his, quorum sunt Elementa.

Ponitur vltimo (ipsum autem est indiuisibile in altera specie) siue est indiuisibile & irresolubile in diuersa secundùm speciem, nam cùm Elementa sint corpora simplicia, ex quibus tanquam ex primis corporibus componitur mixtum, non possunt resolui in alia corpora, sicut mixtum, quòd quia componitur ex quatuor Elementis specie distinctis, est diuisibile in altera specie, siue resolubile in quatuor diuersæ speciei, vt docet D.Thom. loco citato ex 5. Metaphysicæ, dicit enim quòd elementa non diuiduntur in alia corpora specie differentia, sed in partes consimiles, sicut quælibet pars aquæ est aqua.

Probatur conclusio ratione Aristotelis, & D. Th. loco citato, à pari, siue ab Elemento litterarum. Ideo litteræ, siue characteres dicuntur prima Elementa, quia ex ipsis componuntur voces, & in ipsa resoluuntur, & tandem ipsa sunt indiuisibilia, vt satis constat: ergo propter eamdem rationem debent hæc Mundi Elementa, corpora simplicia esse huiusmodi conditionis, quòd scilicet omnia alia corpora ex ipsis componantur, & in ipsa resoluantur, ipsa verò non sint resolubilia in alia secundùm speciem diuersa, ac proinde cùm definitio ab Aristotele tradita hoc exprimat, est bona.

An primum ergo dicendum, quòd quando Aristoteles 3. de Cœlo definiit Elementum, nondum discusserat, nec determinauerat, an Elementa sint actu, aut tantùm in potentia, & virtualiter in mixto, & sic ibi sub dubitatione reliquit, quod tamen postea determinat in his libris, scilicet esse tantùm in potentia.

Ad secundum dicendum cum D. Thom. 5. Metaphysicæ lect. 4. quòd cùm in definitione Elementi ponatur (quod non diuiditur in diuersa secundùm speciem) non est intelligendum de partibus, in quas aliquid diuiditur diuisione quantitatis, sic enim lignum esset Elementum, quia quælibet pars ligni est lignum, sed de diuisione, quæ fit secundùm alterationem, sicut corpora mixta resoluuntur in simplicia, vnde cùm lignum, & quælibet eius pars per alterationem possit corrumpi ac diuidi, siue resolui in Elementa, quæ sunt corpora secundùm speciem diuersa, prædicta definitio eis non competit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sint, nec plura, nec pauciora, quàm quatuor Elementa?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd sint plura, quàm quatuor Elementa. Probatur authoritate Aristotelis, qui libro de Mundo cap. 2. & 3. asserit esse quinque Elementa. Deinde tot sunt Elementa, quot combinationes primarum qualitatum, vt docet Aristot. sed plures sunt combinationes primarum qualitatum, quàm quatuor communiter receptæ, tum quia plures sunt primæ qualitates, quàm quatuor: nam in magnete, auro, gemmis, herbis, &c. sunt virtutes, quæ non deriuantur à calore, frigore, humiditate, & siccitate, aliàs essent in omnibus mixtis, in quibus reperiuntur prædictæ quatuor, tum etiam quia dato, quòd non sint plures primæ qualitates, quàm quatuor assignatæ, tamen possunt inter illas esse plures, quàm quatuor combinationes, sicut enim datur calor & humiditas simul citra summum, sic potest dari calor & humiditas in summo, & ita hæc combinatio constituet aliud Elementum distinctum, tum ab Aëre, in quo combinantur calor & humiditas citra summum, tum ab aliis tribus, vt patet discurrenti: ergo sunt plura quàm quatuor Elementa.

§ 2. Econtra, Videtur quòd sint pauciora, quàm quatuor Elementa. Probatur authoritate Aristotelis, qui 4. de Cœlo ponit tantùm duas differentias Elementorum, scilicet graue & leue. Item 1. Meteorum cap. 3. negat dari Elementum Ignis: ait enim, *Circa quæ illa quoque sunt, quæ hisce hærent, Aer scilicet, atque id, quod quamuis Ignem assueuimus appellare, Ignis tamen haudquaquam est.* Deinde si daretur Elementum Ignis, esset supra Aërem, & infra Cœlum, ac proinde posset videri à nobis, cùm enim videatur Cœlum, quod est supra, multò magis videretur Ignis intermedius, si esset: maximè cum sit lucidus & rubeus, vt constat in nostro Igne: ergo cùm non videatur, signum est quòd non sit, ac proinde sunt tantùm tria Elementa.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D. Th. in hoc 2. lib. cap. 3. quos sequuntur communiter omnes, tam antiqui, quàm moderni, tam docti, quàm indocti.

CONCLVSIO.

Cùm sint possibiles quatuor combinationes primarum qualitatum & non plures, sunt quatuor tantùm Elementa.

Respondeo dicendum, quòd sunt quatuor Elementa, & non plura. Probatur ratione Aristotelis, & D.Th. cap. 3. tot sunt Elementa, quot sunt possibiles combinationes primarum qualitatum, nam quæuis connaturalis illarum combinatio petit aliquod corpus primum, seu simplex, cui sit connaturalis: sed sunt tantùm possibiles quatuor combinationes primarum qualitatum. Prima est calidi & sicci. Secunda calidi & humidi. Tertia frigidi & humidi. Quarta frigidi & sicci, vt patet: nam calidum & frigidum, humidum & siccum non possunt esse connaturales alicui corpori simplici: ergo sunt tantùm quatuor Elementa, scilicet Ignis calidus & siccus, Aër calidus & humidus, Aqua frigida & humida, ac tandem Terra frigida & sicca.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles ſæpe vocat Cœlum Elementum, quia eſt corpus ſimplex, ſicut alia Elementa, quamuis non habeat veram rationem Elementi definiti articulo præcedenti, & ſic explicandus eſt Philoſophus in illo loco. Ad rationem dicendum, quòd primæ qualitates, ex quarum combinatione conſtituuntur Elementa, ſunt primæ, non vtcumque, ſed inter ſenſibiles corruptibilium corporum, ſiotque ordinatæ ad generationem, perfectionem & ornatum eorum, vt talia ſunt: & hæ ſunt tantùm quatuor aſſignatæ, à quibus diuerſo modo attemperatis in mixto procedunt aliæ ſecundæ in multiplici differentia pro diuerſitate ſubiecti, & ita illæ qualitates magnetis, auri &c. ſunt qualitates ſecundæ, diuerſæ inter ſe, quia reſultant ex diuerſa temperie quatuor primarum. Ad aliud dicendum, quòd illæ aliæ combinationes, quæ finguntur vltra quatuor aſſignatas ab Ariſtotele, vel non ſunt naturaliter poſſibiles, vel non petunt Elementum ſpecie diſtinctum, vel ex eis generabitur aliquod mixtum imperfectum, maximè ſi ipſæ qualitates ſint contrariæ: ſed iſta magis patebunt ex dicendis quæſtione ſequenti, quando propria cuilibet Elemento aſſignabitur combinatio primarum qualitatum.

Ad ſecundum dicendum, quòd Ariſtoteles aſſignando duas tantùm differentias Elementorum, non propterea vult, quòd ſint tantùm duo Elementa, illæ ſiquidem differentiæ ſunt ſubalternæ, nam ſub graui continetur graue ſimpliciter, ſcilicet Terra, & graue reſpectiuè, ſcilicet Aqua: ſimiliter etiam ſub leui continetur leue ſimpliciter, ſcilicet Ignis, & leue reſpectiuè ſcilicet Aër. Ad aliud teſtimonium dicendum cum D. Thom. lect. 3. quòd Ariſtoteles non negat abſolutè Elementum Ignis, ſed negat tantùm dari Ignem ſupra Aërem, qui ſit materiæ concretus, qualis eſt Ignis apud nos, quique non eſt purum Elementum, ſed ſimilis puro Elemento, vt ibidem docet Ariſtoteles. Ad rationem dicendum, quòd Ignis in propria ſphæra habet lucem admodum claram, ac tranſparentem propter raritatem ſuæ materiæ, eſt enim rarior Aëre, ac proinde non impedit viſionem Cœli, ſicut nec Aër, ac etiam non videtur à nobis, ſicut nec propriè videtur Aër, & in hoc differt à noſtro Igne, qui ob admixtionem ea terreo denſo habet lucem rubeam & opacam: vnde impedit viſionem aliorum. Ita D. Thom. 2. de anima lect. 14. Ignis autem ſolùm extra ſphæram indiget materiâ, cui affigatur, qua nutriatur, & defendatur contra corrumpens, quia ibi eſt violenter, & vndique patens contrariorum iniuriis, quæ ceſſant in propria eius ſphæra.

QVÆSTIO XVIII.

De qualitatibus Elementorum.

Deinde conſiderandum eſt de qualitatibus Elementorum, circa quas quæruntur ſeptem.

¶ Primò, Vtrùm conueniant ab intrinſeco duæ primæ qualitates cuilibet Elemento?

¶ Secundò, Vtrùm Ignis ſit in ſummo calidus & ſiccus?

¶ Tertiò, Vtrùm Aër ſit citra ſummum calidus & humidus?

¶ Quartò, Vtrùm Aqua ſit in ſummo humida & citra ſummum frigida?

¶ Quintò, Vtrùm Terra ſit in ſummo frigida & citra ſummum ſicca?

¶ Sextò, Vtrùm qualitas Elementi minùs intenſa habeat permixtionem ſuæ contrariæ?

¶ Septimò, Vtrùm qualitates ſymbolæ Elementorum ſint eiuſdem ſpeciei?

Articvlvs I.

Vtrùm conueniant ab intrinſeco duæ primæ qualitates cuilibet Elemento?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd non conueniant ab intrinſeco duæ primæ qualitates cuilibet Elemento. Probatur quòd aeri ſola conueniat humiditas ab intrinſeco. Sola illa prima qualitas eſt connaturalis Elemento, quæ non facilè ab illo ſeparatur: ſi enim fluit ab intrinſeco, & eſt connaturalis, ei conuenit ad modum proprietatis; ac proinde, ſi non omnino eſt inſeparabilis, ſaltem non facilè ſeparatur: ſed ſola humiditas non ſeparatur ab aëre, calor verò ſeparatur facilè, ut ipsâ conſtat experientiâ, nam recedente Sole frigeſcit, non ſolùm in hyeme, ſed etiam noctu in æſtate: ergo Aëri ſola conuenit humiditas ab intrinſeco, calor verò tantum ab extrinſeco.

¶ 2. Præterea, Qualitas, quæ conuenit Elemento ab intrinſeco, debet in eo reperiri in ſuo medio, ſiue Centro, tum quia Elementum eſt ibi magis purum in ſua naturali diſpoſitione, tum quia eſt ibi magis remotum à ſuis contrariis, à quibus poſſet alterari: ſed ſola humiditas reperitur in Aëre in ſuo medio, ſiue Centro, quod eſt eius media regio, nec vllus eſt ibi calor, imò eſt frigus valde intenſum, cùm ibi propterea hyeme generentur niues, æſtate verò grandines: ergo ſola humiditas conuenit Aëri ab intrinſeco, calor verò tantùm ab extrinſeco.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Th. in hoc libro lect. 3. vbi cuilibet Elemento duas aſſignant primas qualitates, tanquam connaturales, quos communiter ſequuntur pene omnes Philoſophi, tam antiqui, quàm moderni.

Conclvsio.

Cùm Elementa debeant eſſe contraria ratione primarum qualitatum, ita vt hac contrarietas ſit eis connaturalis, ad hoc vt poſſint concurrere ad generationem mixti, cuilibet conueniunt ab intrinſeco duæ primæ qualitates.

Respondeo dicendum, quòd cuilibet Elemento conueniunt ab intrinſeco duæ primæ qualitates, ſcilicet Igni calor & ſiccitas, Aëri calor & humiditas, Aquæ humiditas & frigus, Terræ frigus & ſiccitas. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt reperiri in Elementis plores qualitates, quaſdam fluentes ab intrinſeco ad modum proprietatum, ac eis connaturales, alias verò ab extrinſeco eis prouenientes: ex vtriſque autem aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ à primis cauſatæ: vnde in Igne reperitur calor, ſiccitas, leuitas, raritas, lux, &c. in Terra frigus, ſiccitas, grauitas, denſitas, & ſic proportionaliter de aliis Elementis, & iſtæ conueniunt ab intrinſeco: ab extrinſeco autem poſſunt eis conuenire qualitates, etiam primæ ſibi contrariæ, nam Aër recipit frigus, & Aqua calorem: in præſenti autem ſolùm procedit difficultas de primis qualitatibus corruptiuis, concurrentibus ſcilicet ad generationem & corruptionem, tum eorundem Elementorum, tum mixtorum ex Elementis, & quæritur vtrùm in quolibet Elemento ſint duæ ex his qualitatibus ei ab intrinſeco conuenientes.

Probatur concluſio authoritate Philoſophi, qui hoc ſecundo libro cap. 3. aſſignans cuilibet Elemento duas primas qualitates ſic ait: *Verùm enim verò cùm ſimpliciter quatuor ſint, quandoque vnius eſt. Terra ſiquidem ſicci potius eſt, quàm frigidi. Aqua verò frigidi magis, quàm humidi. Aer humidi magis, quàm calidi. Ignis calidi magis, quàm ſicci.* Idem docet D. Thom. ibidem, ſed eius authoritas ſequentibus quatuor articulis referuatur: loquuntur autem de qualitatibus, quæ conueniunt ab intrinſeco, nam ab extrinſeco conueniunt eis plures aliæ, imò ſæpe contrariæ: & confirmatur experientiâ, Ignis quippe ſentitur eſſe calidus & ſiccus, eiuſque calore ad calefaciendum, & ſiccitate ad exſiccandum continuò vtitur: nec has qualitates vnquam amittit, quæ omnia efficaciter probant has qualitates ipſi conuenire ab intrinſeco. Aër autem probatur eſſe calidus & humidus, quia deſeruit

seruit respirationi vitali, ipsáque conseruatur vita, quæ consistit ex calido & humido, quamuis hæ qualitates in ipso deperdantur propter extrinseca agentia ipsi contraria. Aqua etiam ipso tactu percipitur humida, nec vnquam talis humiditas ab ipsa separatur: similiter percipitur frigida, & si quando ab extrinseco agente calefiat, illo remoto se restituit ad pristinum frigus: quæ manifestè conuincunt humiditatem & frigus ei connaturaliter & ab intrinseco conuenire. Terra denique conuincitur esse ab intrinseco sicca, ex eo quòd si ab aliquo extrinseco humectetur, illo remoto, seipsâ absque alterius auxilio fit sicca, propterea Genesis 1. vocatur arida: similiter si calefiat, remoto calefaciente iterum frigescit seipsâ, vt experimur mediâ æstate noctu, vel in vmbra: ergo cuilibet Elemento conueniūt ab intrinseco duæ primæ qualitates.

Secundò, probatur ex situ, quem Elementa habent in vniuerso. Elementa omnia non possunt esse omnino symbola, nec omnino dissymbola, siue non possunt esse omnino similia, aut omnino contraria: sed inter duo omnino dissymbola debet mediare aliud cuilibet extremo partim symbolum, partim dissymbolum, ne aut destruatur ab aliquo extremo, aut destruat ipsum: nam si Aër, qui mediat inter Ignem & Aquam, haberet vnam tantùm primam qualitatem, sine dubio esset humiditas, quæ non reperiretur in aliis: hoc autem posito facilè destrueretur Aër, nam calor maximus Ignis, & frigus Aquæ consumerent humiditatem Aëris ex vtraque parte: frigus enim & calor ex diuerso capite expellunt humidum: corruptâ autem & consumptâ humiditate totaliter Aëris, destrueretur eius substantia, cùm sit dispositio connaturaliter requisita ad eius conseruationem, & sic proportione seruatâ de aliis: ergo quodlibet Elementum habet ab intrinseco duas qualitates primas, ratione quarum sit symbolum simul & dissymbolum cum vtroque extremo, itavt si ex vna parte aliquid ab illo patiatur, ratione qualitatis dissymbolæ, ab eodem foueatur ratione symbolæ.

Tertiò, ex fine Elementorum, qui est generatio mixtorum. Si cuilibet Elemento vna tantùm conueniret prima qualitas ab intrinseco, sequeretur quòd mixtio ipsorum esset difficilis admodum, ac proinde rara generatio mixti: nam ad talem mixtionem & generationem requiritur quòd quatuor Elementa inter se agant & reagant, ac corrumpantur simul omnia ex hac mutua actione & reactione: sed hoc exigit duas qualitates primas in quolibet Elemento, quia si Ignis esset solùm calidus, Aër solùm humidus, Aqua solùm frigida, & Terra solùm sicca, cùm calor & frigus sint qualitates valde actiuæ, possent quidem inter se agere Ignis, & Aqua, quibus conueniunt, sed Ignis superaret Aquam, quia calor Ignis est efficacior frigore Aquæ, nisi Aquæ adesset alia qualitas valde restitiua, scilicet humiditas, vnde sola Aqua corrumperetur, & ita non fieret mixtio: ex alia etiam parte humiditas & siccitas, quæ essent qualitates Aëris & Terræ, non sunt ita actiuæ, sed magis restitiuæ: ac proinde ista elementa non ita agerent & reagerent, ac alia: vnde citiùs corrumperentur, quàm alia, & consequenter non esset simul corruptio omnium quatuor Elementorum, nec ideo generatio mixti: ergo debet eis concedi alia prima qualitas actiua, scilicet calor Aëri, & frigus Terræ, qua agant: & sic quodlibet Elementum habet aliquam qualitatem primam magis actiuam, Ignis scilicet & Aër calorem, Aqua verò & Terra frigus, aliam etiam magis restitiuam, Ignis scilicet & Terra siccitatem, Aër verò & Aqua humiditatem, vnde datur in eis debita & proportionata actio & reactio, passio & repassio ratione harum qualitatum, ac ita mutua & simultanea corruptio & generatio mixti: sed hæc magis constabunt ex dicendis sequentibus articulis.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aër frigescit, tum hyeme, tum noctu æstate ab intrinseco, sicut & Aqua calefit ab extrinseco: sed recedente hoc agente extrinseco, sicut Aqua se restituit ab intrinseco ad pristinum & connaturale frigus, sic & Aër restituit seipsum in pristinum & naturalem calorem moderatum.

Ad secundum dicendum, quòd Aër in sua media regione est frigidus ab extrinseco agente, quòd si non esset ibi, tenera Aër in illo suo medio & Centro esset moderatè calidus iuxta exigentiam suæ naturæ: frigefit autem à vaporibus toto tempore anni extractis virtute Solis ab Aqua, & exhalationibus à Terra, qui vapores & exhalationes ascendunt, sunt enim partes Aquæ & Terræ rarefactæ per calorem Solis, quò autem plus ascendunt, eò magis amittunt illum calorem sibi violentum, & redeunt ad pristinum connaturale frigus, quia ille calor non conseruatur ibi à calore Aëris, imò idem calor vincitur ab illo frigore vaporum & exhalationum, maius est enim frigus Aquæ & Terræ, quàm calor Aëris, vnde ibi vapores & exhalationes condensantur, & fiunt nubes, ac resoluuntur in pluuias: & hæc est causa extrinseca frigoris reperti in media regione Aëris.

Articulus II.

Vtrùm Ignis sit in summo calidus & siccus?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd licèt Ignis sit in summo calidus, non tamen sit in summo siccus. Ita tenent Rauius, Toletus, Conimbricenses, & alij in præsenti. Probatur authoritate Aristotelis hìc cap. 3. & D. Th. lect. 3. sic ait Aristoteles: *Ignis autem calidus magis, quàm siccus*. D. Th. autem ait: *In Igne verò magis dominatur caliditas, quàm siccitas*: Ergo Ignis non est in summo siccus, nam qualitates in summo sunt æquales, vnde si Ignis esset in summo tam calidus, quàm siccus, æqualiter esset siccus ac calidus, & consequenter Ignis non esset magis calidi, quàm sicci, vt ait Aristoteles, siue non magis nominaretur in Igne caliditas, quàm siccitas, vt asserit D. Thom.

§ 2. Præterea, Eadem prima qualitas in summo non potest conuenire duobus Elemeotis, quia in summo se habet ad modum proprietatis, ac proinde, vt sic, est propria vni, & incommunicabilis alteri: sed siccitas in summo conuenit Terræ: ergo non Igni, & consequenter Ignis non est in summo siccus.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Bannes, & nostri Complutenses, ac communiter alij iuniores Thomistæ.

Conclusio.

Cùm calor sit causa siccitatis efficacior, quàm frigus, & in Igne sit summus calor, etiam est in ipso summa siccitas quæ maximè apparet ex eius operatione, summè enim exsiccat.

Respondeo dicendum, quòd Ignis est in summo, tam calidus 2. quàm siccus. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd quælibet ex primis quatuor qualitatibus bis actiuis debet & potest reperiri in vno tantùm Elemento secundùm omnem suam perfectionem, siue in summo, & consequenter, si reperiatur in aliquo alio, erit in illo tantùm remissè: cuius ratio est manifesta, quia in vnoquoque genere debet assignari vnum primum & maximum, in quo reperiatur perfectissima ratio illius generis, & quod sit caput, regula, ac mensura cæterorum, vt sæpe repetunt Aristoteles, & D. Thom. ac constat inductione in omnibus generibus, aut quasi generibus: nam in quonis genere entis datur vnum summum ens, quod plenè habet omnem perfectionem entis, scilicet Deus, & est mensura aliorum entium, quæ sunt diminutæ eiusdem participationes. In genere mobilium datur primum mobile perfectissimè & regularissimè habens in se motum, qui mensurat alios, & sic de cæteris.

Probatur prima pars conclusionis, tum communi consensu omnium Philosophorum, tum ipso sensu, experimur enim quotidie ipsum Ignem esse calidissimum inter alia omnia. Tum deinde quia est perfectissimum & actiuissimum omnium Elementorum, ac proinde debetur illi perfectissima & actiuissima qualitas inter primas, & in perfectissimo gradu: alioquin aliud Elementum esset actiuius Igne, scilicet illud, cui in summo con-

ueniret qualitas actiuissima, debet enim in summo conuenire vni Elemento: constat autem, quòd calor est perfectissima & actiuissima qualitas inter primas: ergo in summo reperitur in Igne. Tum denique, quia Ignis est summè leuis inter omnia Elementa, vt constat ex eo, quòd occupat supremum locum inter ipsa, magis scilicet distantem à Centro Terræ, ad quod naturaliter tendunt grauia, ac proinde leuia grauibus contraria debent tendere naturaliter ad locum remotum à Centro, & quò magis leuia, ad locum magis remotum: ergo Ignis est summè calidus, nam sicut leuitas prouenit ex calore, sic summa leuitas à summo calore.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. in hoc libro lect. 3. vbi sic ait: *Non est autem intelligendum, vt quidam dicunt, quòd Terra, licèt sit magis sicca, quàm frigida, quòd propter hoc sit siccior Igne, quia litera non dicit: ratio enim in contrarium persuadet:* Ergo cùm siccitas debeat in aliquo Elemento reperiri in summo, & non reperiatur sic in Terra, cùm ex D.Thom. Ignis sit siccior ipsâ, necessariò reperitur in Igne, nullo enim modo reperitur connaturaliter in aliis duobus Elementis, Aëre, & Aqua: huius rationem affert D.Thom. ibidem: duæ sunt causæ siccitatis, scilicet frigus in summo condensans & comprimens, ac proinde consumens humidum, & calor etiam in summo euaporare faciens, & consequenter consumens idem humidum: humiditas enim requirit aliquam dilatationem, & porositatem partium, quæ per nimiam compressionem, & condensationem excluditur, & etiam requirit aliquas exhalationes, quæ per euaporationem consumuntur: sed calor summus Ignis est potentior ad euaporandum & consumendum humidum, quàm Terræ frigiditas ad comprimendum, & similiter consumendum idem humidum, cùm calor sit actiuior frigiditate: ergo Ignis est siccior, quàm Terra, ac proinde summè siccus. Sic autem debet intelligi, tum authoritas, tum ratio D.Thom. authoritas quidem, quòd loquatur de calore & siccitate connaturali Ignis, quæ licèt emanent ab Igne, tamen conseruantur, sicut & ipsa substantia Ignis, aliáque Elementa à motu Cœli, non quòd ab eodem motu producantur in Igne, ipso se merè passiuè habente, nec propriè ab ipso augentur: de calore, cùm sit connaturaliter in summo, nullus dubitat: de siccitate autem, idem proportionaliter dicendum est: nam sicut summus calor Ignis causat in aliis siccitatem in genere causæ efficientis, sic in ipso Igne causat in genere causæ materialis dispositiuæ, ac formalis, siue est ratio illius: quamuis enim tam calor, quàm siccitas in Igne fiant per naturalem resultantiam, tamen ordinatè fiunt, scilicet priùs calor, deinde siccitas, exigente hanc summo calore propter sympathiam, & ita summus calor in Igne non solùm habet connexionem cum exclusione totius humiditatis, sed etiam cum summa siccitate, duæ quippe primæ qualitates symbolæ reperiuntur in quolibet Elemento: & sic etiam intelligenda est proposita ratio, quæ ipsâ experientiâ roboratur, experimur enim quòd Ignis summè exsiccat & citissimè: ergo signum est, quòd habet in summo siccitatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & D.Thom. in hoc loco comparant quoduis Elementum superius cum suo inferiori & immediato, scilicet Ignem cum Aëre, & Aquam cum Terra, ita tamen, vt in hac comparatione Elementum superius collatum cum suo inferiori consideretur, vt agens, inferius autem vt passum resistens: & sic Igni magis tribuunt de calore, quàm de siccitate, quia per calorem maximè agit: & Aëri magis tribuunt de humiditate, quàm de calore, quia per humiditatem maximè resistit: similiter Aquæ plus tribuunt de frigiditate, quàm de humiditate, quia Aqua præcipuè agit per frigiditatem: & Terræ plus de siccitate, quàm de frigiditate, quia præcipuè resistit per siccitatem. Cùm hoc tamen stat, quòd Ignis habeat suas qualitates in gradu explicato, & alia Elementa in gradu explicando, & propterea nec Aristoteles, nec D.Thom. dixerunt Terram esse summè siccam, Aërem summè humidum, Aquam summè frigidam, sed dixerunt Terræ magis conuenire, aut in ipsa magis dominari siccum, &c.

Ad secundum dicendum, quòd siccitas in summo non conuenit Terræ, vt postea dicetur.

Articvlvs III.

Vtrùm Aër sit citra summum calidus & humidus?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd Aër sit quidem citra summum calidus, sed tamen in summo humidus. Ita tenent authores citati articulo præcedenti. Probatur ex definitione humidi tradita ab Aristotele hic c.2. scilicet, *Humidum est quod indeterminatum proprio termino, bene terminabile est alieno*: Sed hoc magis conuenit Aëri, quàm alteri Elemento: nam Ignis ob summam actiuitatem, Terra ob multam soliditatem, & etiam Aqua, vt patet, non ita facilè terminantur termino alieno, sicut Aër: ergo Aër est magis humidus, quàm quodlibet aliud Elementum, ac proinde est in summo humidus.

§ 2. Præterea, Cuilibet Elemento debet conuenire vna prima qualitas in summo, quia omnia Elementa concurrunt ad constitutionem mixti, & manent in illo virtualiter, quia remanent in ipso primæ qualitates, quæ sunt virtutes Elementorum: si autem Aër non esset summè humidus, humiditas quæ est in mixto, non posset attribui Aëri, sed alteri Elemento, cui conuenit in summo, nam imperfectum in vnoquoque genere reducitur ad perfectum illius generis: ergo Aër est in summo humidus.

Sed contra est expressa authoritas D.Thom. quem sequuntur Thomistæ citati articulo præcedenti.

Conclvsio.

Cùm Aër sit simul calidus & humidus, & calor ex se euaporet humiditatem, non potest esse in summo humidus.

Respondeo dicendum, quòd Aër nec est summè calidus. 2. nec summè humidus: 3. sed vtrumque citra summum in quadam temperie. 4. eius autem calor & humiditas ab extrinseco augentur, hæc quidem per nubes, & pluuias &c. ille verò in suprema regione à calore Ignis contigui, in infima verò ex reflexione radiorum Solarium, à ventis calidis, &c.

Probatur prima pars conclusionis. Calor non potest reperiri in summo in duobus Elementis, at in vno solùm, vt dictum est: sed calor in summo reperitur in Igne, vt dictum est etiam: ergo non reperitur in Aëre, ac proinde Aër non est summè calidus.

Probatur secunda pars conclusionis. Aqua est magis humida, quàm Aër, vt dicetur articulo sequenti, & afferit D.Thom. eadem lect. 3. his verbis, loquens de substantia Aëris: *Remanebit ergo humida magis, quàm calida: non tamen magis, quàm Aqua, vt inferius: idea Aqua est magis humida, quam Aer*: Ergo Aër non est summè humidus, cùm Aqua sit magis humida.

Probatur tertia pars conclusionis. Aër est medius inter Ignem & Aquam, ac proinde habet vnam qualitatem primam symbolam vtrique, nempe calorem Igni, & humiditatem Aquæ, quod constat ex definitione humidi: definitur enim esse illud, quod suis terminis est malè terminabile, bene autem alienis: hoc autem conuenit Aëri: ergo Aër habet vtramque qualitatem citra summum: nam calor euaporare facit humiditatem, dum vtraque qualitas non est in debita proportione & temperie: & licèt frigus citra summum compariatur summam humiditatem, vt postea dicetur in Aqua, non tamen calor, plus enim contrariatur vehementi humiditati calor, quàm frigus, vt experimur.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Experimur quòd vbi sunt frequentes pluuiæ & nubes, valde humectatur Aër, quod palpatur in Indiis Orientalibus, vbi mense Iunio, & tribus sequentibus propter continuos imbres, ita redditur Aër humidus, vt penè libri, &

& alia computrescant, & Hostia in sacrificio Missæ vix potest eleuari, ac proinde humiditas Aëris augetur ab extrinseco. Quòd etiam augeatur calor, patet: nam Aër in suprema regione est valde calidus, quia est propinquus Igni, & Cœlo, à quibus intenditur eius calor: est etiam aliquando valde calidus in infima regione ex reuerberatione radiorum Solarium à Terra & Aqua, & ex multitudine vaporum & exhalationum calidarum in principio, quas Sol ab vtroque Elemento abstrahit, qui tamen vapores & exhalationes, postquam se reduxerunt ad pristinum frigus, sibi, & Elementis, à quibus abstrahuntur, debitum, remittunt in media regione natiuum calorem Aëris, & etiam hyeme hanc infimam regionem frigidant, quia ob modicum calorem Solis non ita ascendunt, ac proinde recedente Sole iterum redeunt ad pristinam frigiditatem, & sic frigescit Aër ab extrinseco, eiúsque calor remittitur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aër non meliùs terminatur termino alieno, quàm Aqua, quia vt docet Aristoteles 4. Meteororum lect. 7. apud D. Th. & infra text. 49. Aqua est primum humidum, primum fluxibile, & primum interminabile termino proprio, bene tamen terminabile alieno: quòd etiam Aër facilè terminetur termino alieno, est quia habet humiditatem in gradu excellenti, & non in summo, sicut Aqua, ad eius etiam interminabilitatem conducit eius raritas.

Ad secundum dicendum, quòd humiditas ita modificatur in Aëre, vt ratione talis modificationis correspondeat ei peculiaris effectus in mixto, & ideo ad humiditatem mixti, vt est ab Aëre, consequuntur in eo aliquæ qualitates, quæ non consequuntur ab eadem humiditate, vt est ab Aqua summè humida, putà quòd mixtum sit humoris sanguinei, &c. vnde Aër est virtualiter in mixto ratione talis humiditatis modificatæ.

Articvlvs IV.

Vtrùm Aqua sit in summo humida, & citra summum frigida?

Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur quòd Aqua non sit in summo humida, & citra summum frigida: ita tenent authores supra articulo 2. citati, qui dicunt econtra Aquam esse in summo frigidam, & citra summum humidam: non aliter probant de humiditate, nisi ex definitione humidi, & alia ratione iam soluta articulo præcedenti, qua probatur Aër esse summè humidus, ac proinde non Aqua, cùm eadem qualitas non sit in summo in duobus Elementis. Probatur de summa frigiditate Aquæ authoritate Aristotelis, & D. Th. Philosophus quidem hic cap. 3. dicit quòd Aqua est frigidi magis, quàm humidi: cùm autem habeat valde excellentem humiditatem, si magis est frigidi, quàm humidi, sequitur quòd sit summè frigida. Deinde hîc textu 49. dicit Ignem esse contrarium Aquæ, & consequenter si calor in summo conuenit Igni, frigiditas in summo conueniet Aquæ, cùm sint qualitates contrariæ: vel dicendum est, quòd aliud Elementum, cui conuenit frigiditas in summo, potiùs contrariatur Igni. D. Thom. autem lib. 2. de Cœlo lect. 4. circa medium hæc habet: *Ignis autem & Terra sunt contraria, quia maximè distant secundùm contrarietatem sitûs, de qua nunc loquimur, inquantum vnum est grauissimum & aliud leuissimum, quantùm autem ad alias qualitates, Ignis maximè contrariatur Aquæ, sicut calidissimum frigidissimo*: Ergo Aqua est in summo frigida.

§ 2. Præterea, Experimur nullum aliud Elementum esse frigidius Aquâ. Item experimur quòd si calefiat, statim ad absentiam calefacientis restituit se ad pristinum frigus intensum: quod indicat frigiditatem ipsi conuenire, ad modum proprietatis, ac proinde in summo: ergo Aqua est summè frigida.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur eius discipuli supra citati.

Conclvsio.

Cùm Aqua maximè humectet, humiditásque sit ab ea inseparabilis, est in summo humida, citra summum tamen frigida, cùm frigiditas in summo conueniat Terræ.

Respondeo dicendum, quòd Aqua est in summo humida 2. & citra summum frigida.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. hîc lect. 3. vbi sic ait: *Aqua est magis humida, quàm Aër; sensu enim sensibilia indicamus, manifestum est autem omnibus habentibus sensum tactûs, quòd Aqua humidior est, quàm Aër*: Ergo cùm humiditas in summo debeat reperiri in vno Elemento, & non reperiatur in Aëre: cùm ex D. Th. sit minùs humidus, quàm sit Aqua, nec reperiatur in aliis Elementis, quæ sunt naturaliter sicca, reperitur necessariò in Aqua.

Secundò, sensus circa obiecta propria non decipiuntur, si debitè applicentur: sed sensus tactûs apprehendit Aquam esse humidissimam, & etiam maximè humectare supra Aërem, quod etiam manifestatur ex aquatilibus, vt piscibus, in quibus prædominatur Aqua, ipsis námque conuenit maior humiditas, quàm auibus, in quibus prædominatur Aër, pisces námque sunt magis phlegmatici, quàm aues, phlegma autem est humidius aliis humoribus: ergo Aqua est in summo humida, & magis quàm Aër. Nec recurrendum est ad densitatem Aquæ & raritatem Aëris, nam raritas potiùs adiuuat ad humectandum, cùm Aër ob raritatem magis penetret, quàm Aqua, ac proinde magis & citiùs deberet humectare, si aliunde haberet æqualem humiditatem, ne dicam maiorem.

Tertiò, Aqua quantumuis calida, semper humectat, nec vnquam potest exsiccare, Aër verò aliquando exsiccat, vt quotidie experimur: ergo signum est humiditatem Aquæ, quæ ab ipsa non potest separari, nec vinci à frigore eius connaturali, quod etiam exsiccat comprimens, nec ab aduentitio calore etiam valde intenso, esse in summo: humiditatem verò Aëris, quæ vincitur tum à calore, tum à frigore, esse citra summum, maximè quia experimur quòd humiditas Aëris intenditur ab Aqua, tempore enim pluuiæ Aër est humidior, quàm tempore sereno.

Probatur secunda pars conclusionis etiam authoritate D. Thom. loco citato, vbi loquens de Aqua, post prædicta verba subiungit: *Est tamen minus frigida, quàm Terra*: Et probat ratione articulo sequenti examinandâ: ergo cùm eadem prima qualitas non reperiatur in summo in duobus Elementis, si Terra est magis frigida, quàm Aqua, Aqua est tantùm frigida citra summum, sed de hoc articulo sequenti. Quòd autem Aqua sit aliquo modo frigida, patet ad sensum, nisi enim ab extrinseco calefiat, remanet frigida, & facta calida, si sibi relinquatur, restituit se in pristinam frigiditatem, quod manifestè indicat frigiditatem ipsi esse connaturalem.

Ad primum ergo dicendum quòd Aristoteles plus frigidi attribuit Aquæ, quàm humidi, non quòd sit magis frigida, quàm humida, sed quia præcipuè agit per frigiditatem, vt dictum est supra art. 2. ad 1. Ad aliud dicendum, quòd Ignis omnino contrariatur Aquæ, & Aër Terræ, quia in nulla qualitate conueniunt, vnde habent combinationem qualitatum omnino oppositam: cùm hoc tamen stat quòd inter Elementa symbola possit esse maior contrarietas in vna qualitate, quàm inter dissymbola. Ad authoritatem D. Th. dicendum quòd nostri Complutenses illam citant aliter, sic enim habent: *Quantùm verò ad alias qualitates, Ignis etiam maximè contrariatur Terræ, sicut calidissimum frigidissimo*: Vnde non dubium quin aliquæ impressiones D. Th. ita habeant, & hoc est magis conforme textui: nam statim subdit: *Sed non loquimur de istis corporibus, nisi secundùm eorum situm, sic enim sunt partes totius vniuersi*: Constat autem quòd non loquebatur de aliis corporibus, quàm de Igne & Terra, proponit enim & exponit rationem Aristotelis, qui probat Ignem esse, quia Terra est. Deinde dato, quòd loco Terræ sit (Aqua) dicendum vt priùs quòd Aqua dicitur

citur frigidiſſima, quia maximè eſt actiua per frigus. Vel denique ſtandem eſt vltimæ reſolutioni D.Th. hîc lect. 5. vbi agit ex profeſſo de iſtis.

Ad ſecundum dicendum, quòd hæc prima experientia non eſt vera, nam in profundiſſimis cauernis experimur plus frigoris, quàm in Aqua, & Terra in ſua naturali diſpoſitione plus infrigidaret, quàm Aqua; tamen ab extrinſeco Terra hæc, quæ habitatur, non eſt ita frigida, imò eſt calida ad hoc præcipuè concurrente diuinâ prouidentiâ, ad conſeruationem animalium, ipſiúſque hominis, ad quem principaliter reſpicit. Ad aliam experientiam dicendum, quòd ſolùm conuincit frigiditatem conuenire Aquæ connaturaliter, vt proprietas lato modo, ſed non in ſummo, nec ſola Aqua ſe reſtituit ad priſtinum frigus, ſed etiam Terra.

Articvlvs V.

Vtrùm Terra ſit in ſummo frigida, & citra ſummum ſicca?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd Terra non ſit in ſummo frigida, & citra ſummum ſicca, ſed potiùs econtra ſit in ſummo ſicca, & citra ſummum frigida. Ita tenent authores ſupra citati. De frigiditate non aliter probant, quàm ſupponendo illam in ſummo conuenire Aquæ, ac proinde non Terræ, cùm eadem qualitas in ſummo non conueniat duobus Elementis. Probatur de ſiccitate. Geneſis 1. Terra vocatur Arida, quia in ea viget ſiccitas, vt principalis eius proprietas ex D.Thom. 1. part. quæſt. 69. art. 1. ad 5. ergo Terra eſt in ſummo ſicca.

¶ 2. Præterea, Ariſtoteles hîc cap. 3. dicit quòd Terra ſicci potiùs eſt, quàm frigidi: vnde cùm habeat frigiditatem in gradu excellenti ex Ariſtotele, habebit ſiccitatem in ſummo. Item textu 49. dicit quòd Aër eſt contrarius Terræ: ergo ſicut Aër eſt ſummè humidus, ſic econtra Terra debet eſſe ſummè ſicca.

¶ 3 Præterea, Siccum definitur ab Ariſtotele hîc cap. 2. eſſe illud, quod facilè terminatur termino proprio, difficilè verò alieno: ſed hæc definitio maximè conuenit Terræ propter duritiem & ſoliditatem, quam habet: ergo Terra eſt ſummè ſicca.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Th. quem ſequuntur Thomiſtæ ſupra citati, Galenus etiam libro de ſimplic. medicam. facult. cap. 8. combinat primas qualitates in Elementis eodem prorſus modo ac nos.

Conclvsio.

Cùm terra inter Elementa maximè diſtet à Cælo, eſt ſummè frigida, & citra ſummum ſicca.

Respondeo dicendum, quòd Terra eſt ſummè frigida 2. & citra ſummum ſicca. Probatur prima pars concluſionis authoritate D.Thom. lect. 3. toties citata, vbi ſic ait: *Aqua eſt minùs frigida, quàm Terra*, Et paulò poſt ſic probat: *Frigiditas cauſatur ex diſtantia ab Orbe, ſicut caliditas ex propinquitate: cùm ergo inter cætera Elementa Terra magis diſtet à Cælo, neceſſariò ſequitur quòd Terra frigidiſſima ſit inter omnia Elementa: vnde ſumma grauitas Terræ, ac proinde ſumma diſtantia à Cælo, eſt ſignum ſummæ frigiditatis, ſicut ſumma leuitas Ignis, & indiſtantia ſecundum ſitum à Cælo, eſt ſignum ſummi caloris, nam contrarietas harum ſecundarum qualitatum, ſi ſit ſumma, debet reduci ad ſummam contrarietatem primarum, à quibus originantur, leuitas autem originatur à calore, & grauitas à frigiditate.* Si dicatur quòd D.Th. ſolùm loquitur de frigore Terræ, conueniente ei ab extrinſeco, non verò de frigore connaturali. Contra, nam optimè ſequitur ex eo, quòd influentia cœleſtis conſeruatiua Terræ debeat eſſe frigidiſſima, vt attingit Terram, ratione ſummæ diſtantiæ inter Cœlum & Terram, quòd Terra petat connaturaliter, vt qualitas prima ab ea dimanans ſit ſumma frigiditas; vt ita influentia cœleſtis, cuius munus eſt conſeruare debitè res inferiores, maximè Elementa, vtpote præcipuas partes vniuerſi, in ſuo eſſe connaturali, & conformiter ad eorum naturam, ſit conſona eidem Terræ conſeruatæ, & hoc ſequitur ex optima diſpoſitione, & ordinatione vniuerſi: aliàs dicendum eſſet quòd Elementa non eſſent in loco ſibi proportionato & connaturali, ſed in violento & præternaturali, quod conuincit rationem D.Th. qua colligit maiorem vel minorem calorem, & maius aut minus frigus in Elementis ex propinquitate ad Cœlum, vel ex diſtantia ab eo, eſſe optimam, & procedere quidem directè de calore, & frigore prouenientε eis ab extrinſeco, ſed etiam indirectè de iſtis qualitatibus ab intrinſeco procedentibus, propter rationem dictam, quia omnia Elementa petunt conſeruari ab influentia cœleſti iuxta ſuam naturalem diſpoſitionem. Ex his infertur quòd ille locus D.Th. 2. de Cœlo lect. 4. ſi ſumatur iuxta citationem noſtrorum Complutenſium conſonat præſenti doctrinæ D.Th. nam ibi ex hoc quòd Ignis ſit leuiſſimus colligitur eſſe calidiſſimus, & Terra colligitur eſſe frigidiſſima, quia grauiſſima, ac proinde quòd Ignis contrariatur Terræ ſicut calidiſſimum frigidiſſimo: iuxta aliam verò citationem, in qua loco Terræ apponitur nomen Aquæ, ita vt dicatur Ignis contrariari Aquæ ſicut calidiſſimum frigidiſſimo, non conſonat modo dictis, vnde ne D.Th. videatur ſibi contrarius, magis videtur acceptanda citatio Patrum: maximè quia ſi voluiſſet aſſignare contrarietatem in qualitatibus inter Ignem & Aquam, poterat afferre adæquatam contrarietatem, & dicere quòd Ignis contrariatur Aquæ ſicut calidiſſimum frigidiſſimo, & ſicut ſicciſſimum humidiſſimo, nam ex ipſo, vt dictum eſt, Ignis eſt ſummè ſiccus, & Aqua ſummè humida.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Ignis eſt magis ſiccus, quàm Terra, vt ait D.Thom. lect. 3. citatâ his verbis: *Non autem intelligendum eſt, vt quidam dicunt, quòd Terra ſit ſiccior Igne, ratio enim in contrarium perſuadet:* Ergo Terra non eſt in ſummo ſicca, maximè quia dictum eſt ſiccitatem in ſummo, ex naturali ſympathia eius cum calore ſummo, conuenire Igni ſummè calido, eadem autem qualitas non conuenit in ſummo duobus Elementis. Quòd autem Terra ſit citra ſummum ſicca, patet ex ſupradicta authoritate Ariſtotelis, & D.Th. eiúſque ratione, nam tam frigiditas, quàm calor ſunt cauſa ſiccitatis, calor tamen eam vehementiùs cauſat, tum in genere cauſæ efficientis, tum in genere cauſæ materialis, & formalis; vt ſupra dictum eſt art. 2. & ita cùm ſummus calor Ignis cauſet in ipſo ſummam ſiccitatem, ſummum frigus Aquæ in ipſa cauſabit ſiccitatem citra ſummum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſufficit Terram eſſe in gradu excellenti ſiccam ad hoc, vt vocetur Arida. Ad illud D.Th. dicendum, quòd loquitur in ſententia probabili S.Baſilij, vt patet ex ipſo textu: ait enim; *Vel poteſt dici ſecundùm Baſilium quòd primò nominabatur Terra ſecundum naturam ſuam, nunc autem nominatur ex ſua principali proprietate, quæ eſt ſiccitas.*

Ad ſecundum dicendum, ſicut ſupra, quòd Terra eſt Elementum magis patiens, quàm actiuum: & quia patiendo principaliter reſiſtit per ſiccitatem, ideo dicitur ab Ariſtotele, quòd eſt magis ſicci, quàm frigidi: licèt enim frigefaciat, non ita tamen ordinariè, ac Aqua, quia enim eſt craſſior Aquâ, non ita penetrat corpus per poros, ſicut Aqua: & propter eandem rationem calor in ipſa receptus ab extrinſeco fortiùs inhæret, & ita non tam citò ſe reſtituit ad priſtinam frigiditatem, ſicut Aqua. Ad aliud dicendum, quòd contrarietas Aëris & Terræ conſiſtit in diuerſa combinatione primarum qualitatum, Aër enim eſt calidus & humidus, & Terra eſt frigida & ſicca, non autem in hoc, quòd magis diſtent in vna qualitate. Deinde eſt falſum quòd Aër ſit ſummè humidus.

Ad tertium dicendum, quòd Ignis per ſe loquendo meliùs eſt terminabilis termino proprio, quàm Terra: licèt etiam Terra ſit etiam proprio termino valde terminabilis, propter ſiccitatem in gradu excellenti, ad hoc

concurrente

concurrente densitate. Hic tamen sciendum est quòd dicta circa qualitates Elementorum, procedunt de ipsis consideratis in sua puritate, nam ex peculiari ratione Terra habitata est temperata, ex diuina scilicet prouidentia, per varias Cœlorum influentias, & aliorum Elementorum mixtiones, quantùm opus est ad talem animalium habitationem proportionatè ad eorum naturam: Deus enim principaliter intendit multiplicationem animalium, maximè hominis, eorúmque conseruationem, ad quam ordinauit & Elementa, & motus, ac influentias Cœlorum.

Articvlvs VI.

Vtrùm qualitas Elementi minùs intensa habeat permixtionem suæ contrariæ?

AD Sextvm sic proceditur. Videtur quòd qualitas Elementi minùs intensa habeat permixtionem suæ contrariæ. Ita tenent Conimbricenses hîc q.5. art.4. omnes ferè Nominales, & alij. Probatur. Quantum deest de vno contrario, tantum suppletur de alio, iuxta illud 5.Physic.textu 19. *Magis autem, & minùs est ex eo, quia plus, aut minùs contrarij inest*: Ergo qualitas, quæ non habet summum gradum in Elementis, est permixta cum contraria qualitate, vt tantùm de illa habeat, quantùm sibi deest de intensione.

§ 2. Præterea, Nisi talis qualitas remissa sit permixta cum sua contraria, sequitur quòd in instanti possit intendi vsque ad summum, vbi enim non est contrarium resistens ex parte subiecti, tota actio fit in instanti, vt patet in illuminatione Aëris: sed talis qualitas non potest intendi in instanti vsque ad summum, nam ad tantam intensionem sequitur corruptio illius Elementi, cui est incompossibilis talis qualitas sic intensa: constat etiam quòd alteratio corruptiua est successiua, & non fit in instanti: ergo qualitas Elementi minùs intensa habet permixtionem suæ contrariæ.

§ 3. Præterea, Sequitur ex opposito, quòd si calor Aëris intendatur, non posset se ad connaturalem calorem restituere, quia vnum subiectum non expellit à se aliquam qualitatem, nisi quia vel habet oppositam, vel petit illam: sed est falsum quòd Aër non possit se restituere in connaturalem calorem, cùm maior illa intensio sit ipsi violenta, nullum autem violentum, vt ait Philosophus, est perpetuum: imò experimur Aërem minùs calidum remittere calorem alterius magis calidi quòd non potest fieri, nisi in vtroque sit permixtio frigiditatis cum calore: ergo qualitas Elementi minùs intensa habet permixtionem suæ contrariæ.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Th. quos sequuntur nostri Complutenses, Bannes, Rubius, Toletus in præsenti, & communiter recentiores Philosophi.

Conclvsio.

Cùm Elementa sint corpora simplicia, ex quibus fit mixtum, & in quæ resoluitur, non habent nisi duas qualitates, ac proinde minùs intensa non habet permixtionem suæ contrariæ.

Respondeo dicendum, quòd qualitas Elementi minùs intensa non habet in illo permixtionem suæ contrariæ. Probatur. Aristoteles, & D.Th. in præsenti cap.3. lect.3. distribuentes singulis Elementis proprias qualitates, solùm duas vnicuique concedunt, vt patet ex hucusque dictis: ergo minùs intensæ non habent permixtionem contrariæ, aliàs in Aqua & Terra, quæ habent vnam tantum in summo, essent tres qualitates, in Aëre verò, qui vtramque habet remissam, essent omnes quatuor primæ qualitates. Nec valet responsio Conimbricensium, quòd scilicet ab Arist. & D.Th. non nominetur illa qualitas, quæ permiscetur connaturali, tum quia non denominat subiectum ex eo, quòd sit valde remissa, nec pertinet ad mutuam actionem & reactionem Elementorum, nec ad naturalium locorum ordinem, sed solùm ad explendam materiæ capacitatem, quæ petit quòd quantùm deest de vna qualitate, tantùm insit de contraria. Sed contra: nam licet qualitas transiens & remissa non denominet simpliciter subiectum, tamen illa, quæ est permanens, & ab intrinseco fluens, ac totum afficiens subiectum, cùm sit connaturalis, debet simpliciter denominare subiectum, vt patet inductione in omnibus aliis, & ratio ipsa suadet: sed has conditiones haberet qualitas illa contraria minùs intensa, si daretur, vt consideranti patet; ergo simpliciter denominaret subiectum: & ita cùm pertineret ad perfectam & connaturalem constitutionem Elementi, debuit de illa fieri mentio ab Arist. & D.Th. quamuis non concurrat ad mutuam actionem, nec ad ordinem locorum, cum Arist. & D.Th. dicto loco perfectè describant qualitates connaturales Elementorum, siue illis conuenientes sub statu connaturali, de illis quippe sub statu connaturali hîc agitur, non verò vt sunt sub statu violento, & per accidens, nam vt sic quodlibet Elementum potest habere permixtionem contrariæ qualitatis.

Secundò, probatur ratione Arist. & D.Th. supra lib.1. cap.10. Elementa sunt corpora simplicia, & ideo ex eis fit mixtum, & in ea resoluitur: ergo non possunt habere connaturaliter permixtionem contrariarum qualitatum, cùm talis permixtio sit propria corporis mixti. Nec habet vim solutio Conimbricensium, quòd scilicet in hoc differt Elementum à mixto, quòd Elementum petit tantùm vnam qualitatem in summo, non verò temperiem quatuor primarum qualitatum, sicut mixtum. Nam contra, quia vt dictum est, Aër nullam qualitatem habet in summo, ac proinde non esset Elementum: deinde mixtum non dicitur tale, quia habeat permixtionem formarum substantialium, vt dictum est; aut quia habeat qualitates non contrarias, alioquin Elementa essent mixta, cùm habeant qualitates non contrarias, sed per hoc quòd in eo sit permixtio qualitatum contrariarum: si enim sint tantùm in eo duæ qualitates contrariæ, est mixtum imperfectum, vt contingit in pluribus meteoris, si verò sint quatuor, est mixtum perfectum: ergo ex aduersariis, cum in Aqua & Terra, imò & in Igne sit permixtio duarum qualitatum contrariarum, erunt mixta imperfecta, Aër verò mixtum perfectum, cùm haberet permixtionem quatuor primarum qualitatum: nec refert quòd habeat humiditatem in gradu excellenti, nam etiam sunt multa mixta, quæ habent vel magnam frigiditatem vt Camphora, vel magnum calorem vt quædam herbæ, &c.

An primum ergo dicendum, quòd Arist. est intelligendus, quando subiectum est capax vtriusque contrarij, quod non contingit in præsenti.

An secundum dicendum, quòd licèt in Aëre verbi gratiâ non sit qualitas directè resistens summo calori, est tamen in illo humiditas resistens indirectè, quæ non potest esse simul cum eo, vnde Aër non potest in instanti fieri summè calidus, aut magis calidus, quàm petat connaturaliter iuxta suam humiditatem.

Ad tertium dicendum, quòd quidquid est contra naturalem dispositionem subiecti, tandem à principiis intrinsecis potest expelli, ad quod satis est, quòd licèt subiectum non habeat, aut petat oppositam qualitatem, nihilominus petat minorem intensionem talis qualitatis: nam sicut si peteret oppositam qualitatem, reduceret se ad illam per naturalem dimanationem, siue potiùs reduceretur ad illam à generante mediis principiis intrinsecis, sic si petit minorem intensionem illius qualitatis, ab intrinseco reducetur ad illam ab eodem generante, ad quem pertinet constituere rem à se genitam in statu sibi connaturali, vt dictum est in Physicis. Ad illam experientiam dicendum quòd solùm inuenitur in Aëre, qui non est purus, aut purè Elementaris, nec est in sua connaturali dispositione, hic enim potest habere permixtionem frigiditatis, & effectum assignatum, non autem Aër purè Elementaris, & in sua sola connaturali dispositione existens, de quo hîc loquimur.

Articvlvs VII.

Vtrùm qualitates symbolæ Elementorum sint eiusdem speciei?

Ad septimvm sic proceditur. Videtur quòd qualitates symbolæ Elementorum non sint eiusdem speciei. Probatur. Primæ qualitates sunt proprietates Elementorum ab eorum essentiis dimanantes, & sine quibus connaturaliter esse non possunt: sed essentiæ specie diuersæ, quales sunt essentiæ Elementorum, petunt proprietates specie diuersas, cùm proprietates sint quaddam essentiæ corollarium: ergo omnes qualitates, etiam symbolæ Elementorum, sunt diuersæ speciei.

¶ 2. Præterea, Si qualitates symbolæ Elementorum sint eiusdem speciei, sequitur quòd non sint eorum proprietates, quod enim est commune pluribus, non potest dici proprium respectu vniuscuiusque, cùm proprium & commune opponantur: sed nullus negat, quin omnes qualitates connaturales Elementorum, etiam symbolæ sint eorum proprietates: ergo non sunt eiusdem speciei.

¶ 3. Præterea, Qualitates symbolæ Elementorum producunt in mixto effectus specie diuersos, nam humiditati Aëris correspondet in mixto humor sanguineus, humiditati verò Aquæ humor Phlegmaticus, & sic de aliis: sed effectus specie diuersi petunt produci à causis specie diuersis: ergo qualitates symbolæ Elementorum non sunt eiusdem speciei.

Sed contra est doctrina Aristot. & authoritas D.Th. quæst. de spiritualibus creaturis artic. 3. ad 19. quos sequuntur Conimbricenses, Ruuius, Toletus, & communiter alij Philosophi.

Conclvsio.

Cum qualitates symbolæ Elementorum se inuicem intendant & conseruent, sunt eiusdem speciei.

Respondeo dicendum, quòd qualitates symbolæ Elementorum sunt eiusdem speciei 2. sicut dissymbolæ sunt diuersæ speciei.

Probatur prima pars conclusionis ratione desumptâ ex Aristotele, Philosophus in hoc libro cap.4. docet quòd vnum Elementum faciliùs generatur ex suo symbolo, putà Aër ex Aqua, quàm ex suo dissymbolo, putà Aër ex Terra, vel Ignis ex Aqua: & dat rationem, quia in generatione Elementi ex suo dissymbolo, plura corrumpuntur, scilicet ambæ qualitates, in generatione verò Elementi ex suo symbolo, tantùm vna qualitas corrumpitur, scilicet dissymbola: ergo symbolæ ipsæ qualitates sunt eiusdem speciei, nam si essent diuersæ speciei, putà humiditas Aquæ & Aëris, quando ex Aqua generatur Aër, non posset remanere humiditas Aquæ in Aëre, non enim esset conformis suæ naturæ, quæ exigit humiditatem alterius speciei, ac proinde talis humiditas Aquæ deberet corrumpi, quod est contra Aristotelem.

Secundò, qualitates symbolæ se mutuò conseruant, & intendunt, experimur enim quòd calor Ignis intendit calorem Aëris, & humiditas Aquæ humiditatem Aëris: ergo cùm qualitas intensa sit eiusdem speciei cùm seipsa remissa, vt patet, signum est quòd qualitas intendens aliam, vt agens vniuocum, sit eiusdem speciei cum ea, non minùs, ac si primò produceretur, nam producens qualitatem, & eam intendens, vt agens vniuocum, sicut hîc contingit, debent esse eiusdem speciei simpliciter, si sint agentia (vt quo,) si verò sint agentia (vt quòd,) debent esse eiusdem speciei in virtute agendi, siue in qualitate [illegible] agunt.

Tert[illegible] ex opposito sequuntur ista inconuenientia. Primum, quòd vni eidémque qualitati sint plures contrariæ, scilicet frigiditati Terræ calor Ignis, & calor Aëris, cùm dicantur esse diuersæ speciei, & sic de aliis. Secundùm, quòd Elementa symbola non se conseruarent, qu[illegible] talia, si ipsæ qualitates symbolæ sint diuersæ spe[illegible], ac proinde potiùs contrariæ, quàm conformes, cu[illegible] contrarium experimur. Tertium tandem, quòd propriè & in rigore omnia Elementa essent dissymbola, & nulla symbola, cùm in nulla qualitate conuenirent, nam diuersitas specifica in qualitatibus importat potiùs disconuenientiam, quàm conuenientiam, quòd tamen est contra communem consensum Philosophorum admittentium aliqua Elementa symbola.

Ad primum ergo dicendum, quòd quatuor primæ qualitates, licèt emanent ab essentia Elementorum, non tamen sunt proprietates quarto modo, vt autem considerantur in summo, habent modum proprietatis, & ita absolutè conueniunt pluribus, non autem in summo: ratio huius ab ipsa natura petenda est, cùm enim ad generationem mixtorum essent necessaria Elementa symbola & dissymbola, ac proinde habentia qualitates contrarias, ratione quarum dicuntur dissymbola, & vniformes, ratione quarum dicuntur symbola, & ideo debuit prouidisse natura, quòd qualitates dissymbolæ siue contrariæ, & qualitates symbolæ siue vniformes & eiusdem speciei reperirentur in dictis, ac diuersæ speciei Elementis, & consequenter in mixtis, in quibus ratione harum qualitatum virtualiter remanent Elementa: & per hoc patet responsio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quòd qualitates symbolæ Elementorum producunt effectus primarios eiusdem speciei, nam calor, tum Ignis, tum Aëris habet calefacere: vnde cùm specificatio principij productiui desumatur à termino primario, signum est illos duos calores esse eiusdem speciei, effectus verò secundarij possunt esse diuersæ speciei, & ita humiditati Aëris correspondet principaliter sanguis ob aliquam modificationem talis humiditatis in Aëre, humiditati verò Aquæ ob eamdem rationem, principaliter correspondet phlegma: nec hoc debet mirum indicari respectu duarum qualitatum diuersimodè modificatarum, cùm idem calor Solis calefaciendo lutum, illud induret, & calefaciendo ceram, illam liquefaciat.

QVÆSTIO XIX.

De mutua Elementorum generatione.

Qvia Philosophus post considerationem de Elementis, eorúmque qualitatibus, statim agit de mutua eorumdem generatione, ideo in præsenti de illa agimus, circa quam quærun tur tria.

¶ Primò, Vtrùm quodlibet Elementorum possit ex quolibet alio immediatè generari?

¶ Secundò, Vtrùm sit facilior transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola?

¶ Tertiò, Vtrùm duo Elementa possint concurrere ad generationem alterius tertij Elementi specie distincti?

Articvlvs I.

Vtrùm quodlibet Elementum possit ex quolibet alio immediatè generari?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd nullum Elementum absolutè possit generari ex alio immediatè, sed necesse sit quòd priùs Elementum conuertatur in mixtum, v. g. vaporem, exhalationem, aut quid simile, vt ex eo generetur aliud. Probatur. Hic transitus non potest fieri inter Elementa symbola, nam Terra non potest immediatè conuerti in Ignem, Ignis enim est maximè rarus, Terra verò maximè densa, & ita priùs debet Terra conuerti in aliquod medium capax illius raritatis, quàm in Ignem: ergo minùs potest fieri hic transitus inter Elementa dissymbola, quæ magis inter se repognant ac proinde nullum Elementum potest generari ex alio immediatè.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd quamuis vnum Elementum symbolum possit ex alio symbolo immediatè generari,

nerari, tamen dissymbolum non possit ex alio dissymbolo immediatè generari, sed necesse sit quòd priùs transeat in aliud corpus medium. Ita Ruuius in præsenti, & alij. Probatur quoad secundam partem, de qua solùm est difficultas. Vt corrumpatur Aqua ab Igne, debent paulatim eius qualitates, scilicet humiditas & frigiditas remitti per introductionem contrariarum, scilicet caloris & siccitatis: ergo simul reperientur istæ quatuor qualitates attemperatæ in eodem subiecto: constat autem quòd hæc temperies qualitatum conuenit formæ mixti, & consequenter Aqua priùs conuertitur in mixtum, quàm in Ignem: & ita dissymbolum Elementum non potest ex alio dissymbolo immediatè generari.

§ 3. Præterea, Videmus Aquam valde calefactam ab Igne nunquam in illum conuerti, sed priùs resolui in vapores, quod etiam contingit in Terra & Aëre, nam illa per resolutionem conuertitur in exhalationes: ergo vnum Elementum non potest generari ex alio dissymbolo, maximè quia ab vno extremo non fit transitus in aliud naturaliter, nisi per medium: constat autem quòd Elementa dissymbola sunt extrema.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur Bannes, nostri Complutenses, Toletus, Conimbricenses, & alij in præsenti.

Conclusio.

Cùm generatio sit ex contrariis, quodlibet Elementum potest ex quolibet alio immediatè generari.

Respondeo dicendum, quòd quodlibet Elementum potest ex quolibet alio immediatè generari. Ad cuius euidentiam sciendum est nullam esse difficultatem inter authores, quòd quodlibet Elementum possit ex quolibet alio mediatè generari, cùm enim materia, prima sit commune subiectum, diuagatur per omnes formas, & sic illa portio, quæ fuit sub Aqua, potest reperiri successiuè sub Igne, saltem post varias mutationes. Præsens autem difficultas non procedit de Elementis secundùm se tota, certum enim est saluo hoc ordine vniuersi, nullum sic posse in aliud transmutari ex D. Th. in 4.d. 48. q.2.art.5. vnde difficultas procedit de Elementis secundùm partes, hæc enim transmutatio non destruit dispositionem Vniuersi, nec repugnat eorum naturæ.

Probatur conclusio authoritate Arist.& D.Th. Philosophus hìc cap. 4. sic ait: *Quoniam igitur omnia innata sunt ad inuicem, transmutari manifestum est*: Quem locum D. Thom. lect. 4. sic exponit: *Sic ergo concludit, quòd vniuersaliter manifestum est, quòd quodlibet Elementum ex quolibet generatur.* Item Arist. loco citato textu 26 sic ait: *Ex Igne autem Aquam, & ex Aere Terram, & rursus ex Aqua & Terra Aerem & Ignem contingit quidem generari, difficiliùs tamen*: Quod sic exponit lect.4. D.Th. ostendit quæ sunt illa, quæ tardè & difficulter ad inuicem generentur, & dicit quòd sunt illa, quæ non habent symbolum, sicut Ignis & Aqua, Terra & Aër: ergo ex Aristotele, & D.Thom. licèt difficiliùs Elementa dissymbola ad inuicem transmutentur, tamen transmutantur, non quia hæc transmutatio sit mediata, vt quidam respondent, sed quia plures contrariæ qualitates sunt vincendæ, nam si ex Aqua fiat Ignis, debent vinci frigiditas & humiditas, si verò ex Aëre idem fiat Ignis, sola humiditas debet vinci, nam calor Aëris non est contrarius calori Ignis. Deinde si solùm esset mediata transmutatio, non diceret Philosophus absolutè & simpliciter vnum ex alio generari, sicut non dicimus simpliciter hominem fieri ex homine, aut viuens ex cadauere, quamuis hoc mediatè fiat. Denique quia Aristot. & D.Th. reddentes rationem huius maioris difficultatis, quæ est in transitu inter Elementa dissymbola, non recurrunt ad duplicem transmutationem, quam importat mediata generatio, sed ad victoriam plurium qualitatum.

Secundò, probatur ratione Arist. & D.Th. loco citato. Generatio fit ex contrariis, & in contraria, vt patet ex communi consensu Philosophorum 1. Physicorum: sed omnia Elementa habent contrarietatem ad inuicem, vt patet Inductione, nam symbola contrariantur in vna qualitate, dissymbola verò in vtraque: ergo ad inuicem possunt generari, & hoc generatione immediatâ à quolibet in quodlibet, sicut inter quodlibet est immediata contrarietas, per hoc quòd vnum corrumpat aliud.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt Ignis requirat summam raritatem, vt dispositionem concomitantem in instanti generationis connaturaliter, non tamen requirit tantam pro dispositione præuia, sed sufficit illa raritas sub qua Terra in via corruptionis esse potest, & sub maiori, vel sub eadem terminata esse non potest.

Ad secundùm dicendum, quòd ex frigiditate & humiditate connaturaliter in Aqua existentibus, & ex calore ac siccitate violenter illi impressis, possunt fieri variæ combinationes, ita vt aliquando disponant ad solam formam Aëris, aliquando ad formam mixtorum imperfectorum, aliquando verò, sed vialiter tantùm, ad formam Ignis, si humiditas & frigiditas non sint sufficienter remissæ in ordine ad formam Ignis: si autem calor & siccitas ita intendantur, vt frigiditas & humiditas debitè remittantur, immediatè introducetur forma Ignis: & hoc maximè quia non datur medium per se determinatum à natura inter Elementa dissymbola quoad mutuum transitum, vt patet, licèt sit difficilior & rarior.

Ad tertium dicendum, quòd est per accidens, vt Aqua, cui applicatur Ignis, conuertatur in vapores, vel in Aërem, & ideo per se loquendo potest sic applicari Ignis, vt immediatè in Ignem transeat, vt sic fornax accensus guttis Aquæ aspergeretur, & ita si attendantur ipsa Elementa dissymbola, per accidens se habet medium, per se autem, si attendantur combinationes, siue coniugationes qualitatum, quæ frequentiùs combinantur ad generationem medij, siue Elementi, siue mixti. Ad illud, quod subiungitur, dicendum naturaliter non posse fieri transitum ab extremo ad extremum, nisi per medium, quandò illud medium per se petitur ab extremis, quod hîc tamen contingit.

Articulus II.

Vtrùm sit facilior transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd non sit facilior transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola. Probatur. Ignis & Terra sunt Elementa symbola, quia conueniunt in siccitate, Ignis verò & Aqua sunt dissymbola, quia in nulla qualitate conueniunt: sed faciliùs transit gutta Aquæ in Ignem, quàm particula Terræ, vt ipsâ constat experientiâ: ergo non est facilior transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola.

¶ 2. Præterea, Transitus vnius Elementi in aliud fundatur in contrarietate, quæ est inter ipsa Elementa, vt patet ex ratione Arist. adducta art. præcedenti; ergo quò maior est contrarietas, eò facilior est transitus: constat autem quòd maior est contrarietas inter Elementa dissymbola, quàm inter symbola, & consequenter est inter dissymbola facilior transitus, quàm inter symbola.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D.Thom. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm magis conueniant in forma substantiali Elementa symbola, quàm dissymbola, nec in illis sit corrumpenda, nisi vna qualitas, in istis autem ambæ sint corrumpendæ, facilior est transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola.

Respondeo dicendum, quòd est facilior transitus inter Elementa symbola, quàm inter dissymbola. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd licèt omnia Elementa sint contraria, non tamen æqualiter, nam aliqua totaliter contrariantur, quia habent ambas primas qualitates inuicem contrarias, ista autem dicuntur Elementa dissymbola, vt Ignis, & Aqua, ille quippe est calidus & siccus, hæc verò humida & frigida, similiter Aër & Terra illæ

ſiqoidem eſt calidus & humidus, hæc autem frigida & ſicca. Alia verò ſunt, quæ ex parte tantùm contrariantur, ſcilicet in vna tantùm qualitate, vt Ignis & Aër, Aër & Aqua: Aqua & Terra, Terra & Ignis, vt patet inductione, & quia coonueniuot in alia qualitate, dicuntur ſymbola. & ne Elementa ſe mutuò deſtruerent, natura interpoſuit ſymbolum inter diſſymbola.

Probatur cooclusio authoritate Ariſtotelis, & D. Th. Ariſtoteles hîc cap. 4. loqueos de Elementorum generatioue, ſic ait: *Iam verò quo pacto ex omnibus omnia fiant ſingulatim percipere haudquaquam eſt difficile: differunt tamen, nam celeriùs & tardiùs, item faciliùs difficiliùſque alia aliis transſmutationem ſubeunt: quæ enim ſymbolum inter ſe habent, horum celerior eſt migratio, quæ verò non habent tarda:* Quod explicans D. Thom. lect. 4. ſic ait: *Dicit ergo primò quòd licet omnia Elementa in hoc conueniant, quòd quolibet ex quolibet generatur, differunt tamen in hoc, quòd quædam ipſorum faciliùs & citiùs, & quædam tardiùs & difficiliùs adinuicem transſmutantur: quæcumque enim habent ſymbolum, id eſt conuenientiam in aliqua qualitate, citiùs & faciliùs transſmutantur adinuicem, illa verò quæ in nulla qualitate conueniunt, tardiùs & difficiliùs*

Secuodò, probatur ratione Ariſtotelis, quam loco citato propooit D. Thom. his verbis: *Cùm ea, quæ habent ſymbolum transſmutantur, non eſt necesse transſmutari, niſi tantùm alteram qualitatem, quando verò ea quæ transſmutantur ad inuicem, in nulla qualitate conueniunt, vtramque qualitatem necesse eſt transſmutari, faciliùs autem eſt vnum transſmutari quam plura &c.* Igitur Cùm ſiccitas Ignis vincitur ab humiditate Aëris, ex Igne generatur Aër, cùm verò calor Aëris viocitur à frigore Aquæ, ex Aëre generatur Aqua &c.

Tertiò, cùm qualitates Elementorum dimanent ab eorum formis ſubſtantialibus, ad modum proprietatis, ſignum eſt quòd illa Elemeota, quæ magis coouenioot io qualitatibus, vt ſunt ſymbola, etiam magis conuenioot io formis ſobſtantialibus: ergo facilior eſt tranſitus inter illa, qoia quæ habent maiorem conuenientiam in formis ſubſtantialibus, magis etiam conueniunt io diſpoſitionibus ad illas requiſitis, & ſic diſpoſita materia ſemel pro vna ex illis formis, manet magna ex parte diſpoſita pro alia, & faciliùs poterit vltimatè diſponi pro illa, ac faciliùs illam recipere. Quod ſic ampliùs declaratur. Vt ex Aqua generetur Ignis, oon ſolùm reqoiritur qoòd calor & ſiccitas Ignis vincant frigiditatem & humiditatem Aquæ, ſed debent illas vincere io gradu ſommo, & valde excellenti, quæ victoria non requiritur vt ex Aëre fiat Igois, tum quia humiditas oon eſt ſumma, tom quia conueniunt io calore, & ſic proporoionaliter de aliis, licèt aliunde eſſet aliqualis exceſſus: ergo inter ſymbola Elementa eſt maior facilitas io traoſitu, quàm inter diſſymbola: quamois autem in tranſitu inter ſymbola vtraque qualitas pereat, tamen vt ait D. Thom. de ſpiritualibus creaturis art. 3. ad 19. hoc oon facit ad difficultatem conuerſioois, cùm qualitas ſymbola corrumpatur per accidens tantùm ex corruptione ſubiecti, & non ex contrarietate agentis, ſicut corrumpitur diſſymbola. Qualitates autem ſymbolæ ſunt eiuſdem ſpeciei, vt dictum eſt, licèt ratione intenſionis aut remiſſionis ſint compoſſibiles, vel incompoſſibiles cum aliis qualitatibus alterius combinationis.

Ao primum ergo dicendum, quòd concluſio intelligenda ſit cum hac limitatione, ſcilicet, ſi cætera ſint paria, quod hîc non contingit, nam illa particula Terræ plus materiæ habet quàm gutta Aquæ, vnde plus reſiſtit: ſed ſi ponatur portio æqualis Terræ & Aquæ, tunc faciliùs conuertetur in Ignem, Terra, quàm Aqua.

Ao ſecundum dicendum, quòd licèt contrarietas ex vna parte concludat ad generationem, ex alia tamen retardat illam, quia hoc ipſo quòd agens & paſſum ſunt contraria, adeſt pogna, & redditur difficilis victoria, vode quò magis fuerint contraria, eò maior erit pugna, & difficilior victoria.

ARTICVLVS III.

Vtrùm duo Elementa poſſint concurrere ad generationem alterius tertij Elementi ſpecie diſtincti?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd duo Elementa non poſſint concurrere ad generationem alterius tertij Elementi ſpecie diſtiocti. Probatur. Si illa duo Elementa ſimul comparantur io ioſtaoti generatioois alterius tertij, tunc ooo ſunt, nec ſecundùm ſuas entitates, vt ſuppooitur, oec ſecundùm ſuas virtutes, cùm in corruptione fiat reſolutio vſque ad materiam primam: ergo non poſſunt concurrere efficieoter ad generationem illius tertij, nam cauſa efficiens debet eſſe actu, vel in ſe, vel in ſua virtute, dum cauſat.

¶ 2. Præterea, Calor & ſiccitas Ignis, & ſimiliter frigiditas & humiditas Aquæ, cùm ſiot ipſorum virtutes, ordinaotur taotùm à natura ad generandum ſibi ſimile, iuxta illud axioma, omne agens intendit ſibi aſſimilare paſſum, aut producere ſibi ſimile: ergo ex illis duobus Elementis noo poteſt generari aliud tertium ſpecie diſtinctum.

¶ 3. Præterea, Ex oppoſito ſequitur idem Elemeotum reſpectu eiuſdem eſſe fortius ſimul & imbecillius, fortius quidem, inquantum corrumpit illud, imbecillius verò, inquantum ab illo corrompitur, ac proinde ſe mutuò impedirent io ſua actione, ac ita ooo poſſent introducere ſuam formam in materiam: ergo duo Elementa noo poſſunt concurrere ad geoerationem alterius tertij Elementi ſpecie diſtincti.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur, tum antiqui, tum moderni Philoſophi, noſtri Complotenſes, Banoes, Runius, Toletus, Conimbricenſes, & alij in præſenti.

CONCLVSIO.

Ex duobus Elementis ſymbolis non poteſt generari aliud tertium, bene tamen ex duobus diſſymbolis.

RESPONDEO dicendum, quòd ex duobus Elementis ſymbolis ſimul corruptis ad iouicem, noo poteſt aliud tertium Elementom ſpecie diſtioctum generari: 2. bene tamen ex duobos diſſymbolis, ita vt ex Igne & Aqua fiat Terra vel Aër, ex Aëre verò & Terra fiat Ignis vel Aqua. Ad cuius euideotiam ſciendum eſt quòd præſens difficultas poteſt multipliciter exponi. Primò, ita vt vnum ex illis duobus Elemeotis agendo in aliud, illud corrumpat, & ſic generet tertiom: vt v.g. ſi Ignis agendo in Aquam, ipſam corrumpat, & generet Aërem, & in hoc ſenſu oon dubium, quin abſolutè ſit poſſibile. Secundò, ita vt ex vtroque corrupto per alterius actionem generetur tertium, in qoo ſenſu eſt etiam poſſibile, nam Ignis agendo in Aquam & Aërem, poteſt generare Alium Ignem. Tertiò tandem, ita vt illa duo ſe per mutoam actionem corrumpant, & ex illis non ſolùm materialiter, ſed etiam efficienter generetur aliud tertium, v.g. ſi poſſit generari Aër ex Igne & Aqua per mutuam actionem corruptis, & ſic procedit difficultas.

Probatur prima pars cooclusionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles hîc cap. 4. ſic ait: *In his autem, quæ per conuenientiam ſunt, non contingit corrupto in vtroque altero Elementorum* (id eſt altera eorum qualitate) *fieri transſmutationem in vnum corporum:* Quod ſic exponit D. Thom. lect. 4. *Oſtendit ex quibus duobus Elementis non poteſt generari tertium, dicens quòd in his Elementis, quæ ſunt per conuenientiam id eſt, quæ ſunt immediatè in loco, & habent ſymbolum, talis generatio eſſe non poteſt, ſcilicet quòd ex duobus tertium generetur.* Cuius ſequentem afferunt rationem, nam in genito ex Elementis debent remanere qualitates talium Elementorum: igitur ſi generetur aliquod Elementum ex Igne & Aëre, ſolùm poſſunt remanere in geoito iſtæ qoalitates, ſcilicet calor commonis Igni & Aëri, humiditas Aëris, & ſiccitas Ignis: ſi remaneat cùm

calote

calore ficcitas, generabitur alius Ignis, & non aliud Elementum specie distinctum, vt patet, & similiter si cum calore remaneat humiditas, generabitur alius Aër, non autem est possibilis combinatio humiditatis & siccitatis ad constituendum Elementum, cùm sint qualitates contrariæ: ergo ex duobus Elementis symbolis ad inuicem corruptis, non potest aliud tertium Elementum specie distinctum generari.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. loco citato: Aristoteles sic ait: *Si autem vniuscuiusque alterum corrumpatur: facilis quidem erit, non ad inuicem autem transmutatio: sed ex Igne quidem & ex Aqua erit Terra & Aer, & ex Aere verò & Terra Ignis & Aqua.* Quod sic exponit D. Th. lect. 4. *Ostendit quomodo vnum Elementum generetur ex duobus, dicens quod si altera qualitas vniuscuiusque Elementorum non habentium symbolum corrumpatur, non est ad inuicem transmutatio, sed tamen poterit aliquod tertium generari, sicut ex Igne & Aqua, quæ in nulla qualitate conueniunt, poterit generari Terra & Aer, ex Aere & Terra Ignis & Aqua*: Cuius rationem affert Aristoteles, & explicat D.Thom. inductione in ipsis Elementis: nam Ignis & Aqua sic possunt ad inuicem agere, vt corrumpatur à calore Ignis frigiditas Aquæ, & ab humiditate Aquæ siccitas Ignis, & tunc remanebit calor & humiditas, quæ est combinatio Aëris, & sic generabitur Aër. Si autem calor Ignis corrumpatur à frigiditate Aquæ, & humiditas Aquæ à siccitate Ignis, tunc remanebit frigiditas & siccitas, quæ est combinatio Terræ, & sic generabitur Terra: similiter etiam dicendum de Aëre & Terra, si enim per mutuam actionem inter ipsa calor Aëris aliunde adiutus comparat frigiditatem Terræ, & siccitas Terræ humiditatem Aëris, tunc remanebit calor & siccitas, quæ est combinatio Ignis, & ita generabitur Ignis: si autem humiditas Aëris corrumpat siccitatem Terræ, & frigiditas terræ calorem Aëris, tunc remanebit frigiditas & humiditas, quæ est combinatio Aquæ, & ita generabitur Aqua: debet enim compositum, quod generatur, habere formam proportionatam illis dispositionibus & qualitatibus, quibus corrumpitur forma præcedens, & quibus remanet materia sigillata: qualitas autem illa, quæ remanet, licèt non videatur proportionata pro illo Elemento, quod generatur, vel ratione intensionis aut remissionis, reducitur tamen ad statum connaturalem & proportionatum Elemento genito per virtutem corporis cœlestis, & luce Solis, vt docet D.Thom. loco citato: hic enim recursus ad causas vniuersales necessariò est admittendus, cùm non adsit causa particularis, & materia non possit esse sine vlla forma, nec sub forma Elementorum, quæ corrumpuntur, eùm non adsint propriæ dispositiones, vnde hæc Elementa non concurrunt ad talem generationem in genere causæ efficientis principalis, sed tantùm vel in genere causæ dispositiuæ, vel in genere causæ instrumentalis.

Ad primum ergo dicendum, quòd tantùm probat illa Elementa non esse causas principales talis generationis, non autem probat non esse causas dispositiuas efficienter. Deinde dicendum, quòd in instanti generationis sunt virtualiter illa Elementa, quæ corrumpuntur, ratione sigillationis materiæ eo modo, quo supra dictum est de causa generante, & hæc virtualis præsentia causæ sufficit ad hoc, quòd actu agat.

Ad secundum dicendum, quòd licèt calor Ignis, &c. solùm per se loquendo sit virtus ordinata ad generandum alium Ignem, per accidens tamen, si respiciatur ad intentionem naturæ particularis, per se verò etiam, si respiciatur ad naturam vniuersalem, deseruit ad productionem alterius tertij Elementi, cùm hoc sit necesse ad conseruationem & pulchritudinem vniuersi.

Ad tertium dicendum, quòd nullum est inconueniens concedere, quòd idem Elementum respectu eiusdem sit fortius & imbecillius, dummodo hoc sit secundùm diuersas qualitates, ita vt secundùm vnam sit fortius, & secundùm aliam imbecillius, nec ex hoc sequitur, vt patet, quòd se mutuò impediant in sua actione.

QVÆSTIO XX.

De Temperamento mixtorum.

CVm sæpe dictum sit mixtum generari ex Elementis, & in ipso remanere qualitates Elementorum ad temperiem redactas; post generationis Elementorum, & qualitatum eorumdem tractatum, statim agendum occurrit de temperamento mixtorum, de eorum quippe generatione actum est 1. libro, dum ageretur de mixtione, vnde quæruntur tantùm tria.

¶ Primò, Vtrùm in mixto sint, aut possint esse quatuor primæ qualitates in gradibus intensis?

¶ Secundò, Vtrùm in mixto sint qualitates contrariæ in gradibus remissis?

¶ Tertiò, Vtrùm in mixtis sit naturaliter possibile Temperamentum æquale ad pondus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in mixto sint, aut possint esse quatuor primæ qualitates in gradibus intensis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd in mixto possint esse quatuor primæ qualitates in gradibus intensis naturaliter. Probatur. Ex duplici capite videtur oriri incompossibilitas primarum qualitatum, si sint incompossibiles, scilicet quia inter ipsas reperiuntur aliquæ contrariæ, & quia in tali gradu repugnant temperamento mixti: sed nullum ex his obstat, non primum, quia contraria possunt esse simul etiam in gradibus intensis, vt patet in Christo, qui in Cruce simul habuit summum gaudium, quia erat Beatus, & summam tristitiam, vt ipsemet indicauit: nec secundùm, nam licet illæ qualitates sic intensæ repugnent temperamento mixti, vt est in statu permanentiæ, possunt tamen ei conuenire, vt est in via corruptionis: ergo in mixto possunt esse quatuor primæ qualitates in gradibus intensis.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd nec de potentia Dei absoluta primæ quatuor qualitates possint esse simul in mixto. Ita attribuitur Capreolo in 1. d. 17. 2. Iauello 10. Metaph. q. 13. Probatur authoritate Aristotelis in hoc 2. libro texto 16. vbi asserit esse impossibile coniungi in eodem Elemento qualitates contrarias in gradibus intensis. Item 4. Metaph. cap. 4. sic habet: *Cùm vero impossibile sit contradictionem simul de eodem verificari, patet quodcumque contraria simul eidem inesse contingit: contrariorum enim alterum non minùs priuatio est: substantiæ verò priuatio, negatio à quodam determinato genere est: si impossibile ita est simul affirmare, & negare verè, impossibile est etiam contraria simul inesse: sed aut ambo secundùm aliquid, aut alterum secundùm aliquid, alterum simpliciter.* Item D. Thom. q.10. de potentia art.5. docet contradictionem, quæ est inter album, & non album, fundari in albedine & nigredine: ergo cùm de potentia Dei absoluta contradictoria non possint esse simul, nec priuatio simul cum forma, sic nec qualitates contrariæ in gradibus intensis.

¶ 3. Præterea, Contraria definiuntur, quæ sub eodem genere maximè distant, & se expellunt ab eodem subiecto, ita vt hæc expulsio sit eorum effectus formalis: sed nec de potentia Dei absoluta fieri potest, vt forma sit in subiecto, & non præstet ei suum effectum formalem: ergo nec de potentia Dei absoluta fieri potest, vt contrariæ qualitates sint simul in eodem subiecto in gradibus intensis.

SED CONTRA est communior sententia Philosophorum, quam tenet Sotus in 4.d. 10. q. 1. art.5. Paludanus

in 3. d. 25. q.2. Ruuius hîc cap.2. q.6. Aſtudillu 3. de generatione q.23. & alij.

CONCLVSIO.

Cùm contraria definiantur eſſe ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ſe ab eodem ſubiecto mutuò expellunt, ita vt eis hoc conueniat, tanquam effectus formalis ſecundarius, non poſſunt primæ quatuor qualitates ſimul eſſe in mixto naturaliter in gradibus intenſis, bene de potentia Dei abſoluta.

RESPONDEO dicendum, quòd primæ qualitates contrariæ non poſſunt eſſe ſimul in mixto naturaliter in gradibus intenſis 2. bene de potentia Dei abſoluta. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd primæ quatuor qualitates habent latitudinem gradualem, ita vt deſignentur eis octo gradus, & octauus ſit ſupremus, & quartus ſit medius, vnde autem deſumantur, iam dictum eſt ſupra prouenire à maiori vel minori radicatione earum in ſubiecto: gradus autem intenſi ſunt illi, qui ſunt vltra medietatem, ſcilicet quintus, ſextus, ſeptimus, & octauus: remiſſi verò dicuntur illi, qui ſunt vſque ad medietatem incluſiuè, ſcilicet primus, ſecundus, tertius, & quartus.

Probatur prima pars concluſionis, tum authoritatibus citatis in 2. argumento in contrarium, quæ illam efficaciter probant, tum ratione adductâ in 3. nam ſi contraria naturaliter ſe expellunt ab eodem ſubiecto, hoc debet fieri in gradibus intenſis, nam in remiſſis ſunt compoſſibiles, vt dicetur articulo ſequenti, tum denique experientiâ, tactu enim quotidie experimur quòd quantò Aqua plus calefit ab Igne, eò magis amitrit de ſuo natiuo frigore, & ſic de aliis: ſi autem primæ qualitates poſſent eſſe ſimul naturaliter in gradibus intenſis, hoc non contingeret, nam Aqua reciperet calorem etiam maximum, & ſeruaret ſuum frigus natiuum inuariatum: ergo primæ qualitates contrariæ non poſſunt eſſe ſimul in mixto naturaliter in gradibus intenſis.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Si quid obſtaret, cur de potentia Dei abſoluta primæ qualitates contrariæ non poſſent eſſe ſimul in mixto in gradibus intenſis, eſſet oppoſitio immediata ipſarum, & effectuum formalium inter ſe, vt incapacitas ſubiecti ad illas recipiendas: omnis quippe incompoſſibilitas formarum prouenit, vel ex parte ipſarum, vel ex parte ſubiecti poſito agente, qui eas poſſit introducere: ſed neutrum iſtorum obſtat, non primum, quia iſtæ qualitates poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſſis, ac proinde etiam eorum effectus formales, vt dicetur articulo ſequenti: cùm autem ſint eiuſdem ſpeciei in gradibus intenſis, ac in remiſſis, neceſſariò ſequitur, quòd nec ipſæ, nec earum effectus formales habent inter ſe immediatam oppoſitionem. Nec ſecundum, quia licèt ſubiectum ſecundùm potentiam naturalem non ſit capax, niſi octo graduum vel frigoris, vel caloris, ita vt ſi intendatur vnum, debeat remitti aliud, tamen cùm ſecundùm eamdem potentiam naturalem poſſit diuiſiuè habere calorem, vel frigus in gradibus intenſis, poterit etiam ſecundùm potentiam obedientialẽ habere ſimul, ſi de potentia Dei abſoluta ſimul ex parte ſui poſſint cõpati, vt reuera poſſunt, cùm in oppoſitione contraria non includatur proximè & immediatè contradictoria aut priuatiua, vt ſtatim dicetur: ergo de potentia Dei abſoluta primæ qualitates contrariæ poſſunt eſſe ſimul in mixto in gradibus intenſis.

Ad primum ergo dicendum, quòd contrarietas harum qualitatum, non quæcumque, ſed perfecta, ſiue in gradibus intenſis eſt ratio incompoſſibilitatis. Ad inſtantiam dicendum, quòd triſtitia & gaudium non propriè opponuntur, niſi ſint de eodem obiecto, & ita circa diuerſa tantùm repugnant ex parte ſubiecti, in Chriſto autem, qui ſimul erat & Comprehenſor & Viator, multa ſunt ſingularia. Ad aliud dicendum, quòd repugnat, vt dictum eſt, tales qualitates naturaliter eſſe ſimul in gradibus intenſis, in quocumque ſtatu ſit mixtum.

Ad ſecundum dicendum, quòd repugnat magis coniungi in Elementis qualitates contrarias, quàm in mixto, cùm enim ab intrinſeco petant tantùm duas qualitates, non poſſunt habere omnino contrarias connaturales, aliàs haberent pluſquam duas, mixto autem omnes quatuor ſunt connaturales, & ita de potentia abſoluta poſſunt ſimul eſſe in gradibus intenſis. Ad alium locum dicendum, quòd formæ poſitiuæ, quales ſunt iſtæ qualitates, primò & per ſe important ſuam entitatem, & ex conſequenti tantùm dicunt negationem, ſiue excluſionem ſuæ contrariæ, quatenus naturaliter ſunt ſimul incompoſſibiles, & in hoc conſiſtit oppoſitio contraria: licèt enim quælibet ſpecies, vt pote diſtincta ab omni alia, importet negationem illius, quæ negatio dicitur fundamentalis, non tamen importat excluſionem eius ab eodem ſubiecto, quia ſæpe ſunt compoſſibiles: ratione igitur huius, quod ex conſequenti dicit oppoſitio contraria, nempe mutuæ excluſionis ab eodem ſubiecto communi, dicitur ab Ariſtotele, & D. Thom. quòd in oppoſitione contraria includitur contradictoria vel priuatiua, vel in ea fundatur: ſed quia, vt dictum eſt, hæc excluſio poteſt impediri & ſuſpendi à Deo, cùm non ſit eſſentialis, nec effectus primarius, inde eſt quòd qualitates contrariæ de potentia abſoluta poſſunt eſſe ſimul: in hoc autem differt oppoſitio contraria à contradictoria, & priuatiua, quòd in contraria vtrumque extremum dicit primò & per ſe rationem poſitiuam, & ſolùm ex conſequenti importat excluſionem alterius, in contradictoria verò & priuatiua, vnum extremum per ſe primò & eſſentialiter eſt negatio alterius, non eſſe quippe non eſt aliud, quàm pura negatio eſſendi, alterum verò extremum eſt per ſe primò excluſio poſitiua eiuſdem negationis.

Ad tertium dicendum, quòd eſt eſſentiale contrariis, quòd ſub eodem genere maximè diſtent, & hoc nunquam ſeparatur ab eis, quòd autem ab eodem ſubiecto ſe mutuò excludant, eſt effectus formalis, ſed tantùm ſecundarius, primarius quippe caloris & frigoris, eſt facere calidum & frigidum: conſtat autem quòd effectus formalis ſecundarius ſæpe poteſt impediri, ſaltem diuinitus, nam extenſio in ordine ad locum, & expulſio alterius quanti ab eodem loco, ſunt effectus formales ſecundarij quantitatis, & vterque ab ea ſeparatur, primus in Euchariſtia, ſecundus in penetratione, quæ quater ſaltem accidit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in mixto ſint qualitates contrariæ in gradibus remiſſis ſimul?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd in mixto non ſint qualitates contrariæ in gradibus remiſſis. Ita Durandus in 2. d. 30. q.1. Soncinas in. Metaph. q.22 & pauci alij. Probatur authoritate Ariſtotelis, qui 1. libro de generatione textu 16. abſolutè docet contraria non eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Deinde definiens contraria, ait quòd ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt: ſed etiam in gradibus remiſſis ſunt contraria: ergo ſic etiam ſe mutuò expellunt, & ſic non ſunt ſimul in mixto. Maximè quia alia contraria, vt error & ſcientia, quantumuis in gradibus remiſſis non poſſunt eſſe ſimul.

¶ 2. Præterea, Qualitates contrariæ habent in gradibus remiſſis eamdem repugnantiam formalem in eodem ſubiecto, ac effectiuam in diuerſis ſubiectis: ſed in diuerſis ſubiectis exiſtentes ſe efficienter expellunt, nam calor vt quatuor expellit, vt patet, frigus vt duo ab alio ſubiecto: ergo etiam formaliter ſe expellunt ab eodem, & conſequenter non ſunt ſimul in mixto. Maximè, cùm vtraque denominet ſubiectum, ſequeretur quòd idem ſubiectum eſſet ſimul calidum & frigidum, & cùm calidum importet negationem frigidi, eſſet ſimul frigidum & non frigidum, quæ ſunt contradictoria.

¶ 3. Præterea, Formæ ſubſtantiales nullo modo poſſunt eſſe ſimul in eadem materia: ergo multò minùs duæ qualitates contrariæ, plus enim contrariantur iſtæ qualitates, quàm formæ ſubſtantiales, ac proinde potiùs

ſe

se expellent inuicem ab eodem subiecto, quàm formæ substantiales.

§ 4. Præterea, Ex opposito sequuntur duo inconuenientia, quòd idem scilicet subiectum moueretur per se duobus motibus contrariis, nam simul posset calefieri vt tria ab Igne, & ab Aqua simul frigefieri vt tria. Deinde quòd calidum vt sex agendo in subiectum frigidum vt vnum nihil expelleret ab eo, cùm ille gradus frigiditatis esset compossibilis cum sex gradibus caloris, quæ duo sunt impossibilia: ergo qualitates contrariæ non possunt esse simul in eodem subiecto in gradibus remissis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. qui docent in mixto esse virtualiter Elementa, quia in ipso sunt virtutes Elementorum, scilicet primæ quatuor qualitates, hos sequuntur communiter Philosophi.

Conclvsio.

Cùm motus alterationis ideo sit continuus & successiuus, quia versatur inter duos terminos positiuos contrarios, necessariò qualitates contrariæ sunt simul in eodem subiecto in gradibus remissis.

Respondeo dicendum, quòd primæ qualitates contrariæ sunt simul in mixto in gradibus remissis. Probatur authoritate Aristotelis in hoc 2. libro textu 48. vbi sic ait: *Et primò quidem Elementa ita transmutantur, ex his autem carnes & ossa, & quæ talia calido quidem facto frigido, frigido autem calido, quando ad medium veniunt: hic enim neutrum, medium autem multi, & non in indiuisibile: similiter autem & siccum & humidum & alia talia secundùm medietatem faciunt carnem, & os, & alia huiusmodi.* Deinde in hoc libro cap. 10. docet quòd primæ qualitates, quæ sunt virtutes Elementorum, manent in mixto ad quamdam mediocritatem redactæ. Item 2. de partibus animalium cap. 1. dicit mixtum componi ex virtutibus Elementorum, scilicet calore, frigore, humiditate & siccitate.

Secundò, calefactio & frigefactio, Item humectatio, & exsiccatio sunt veri motus alterationis continui & successiui, ac proinde versantur inter duos terminos positiuos contrarios, est autem de ratione motûs, vt paulatim recedat à termino (à quo,) & accedat ad terminum (ad quem,) vnde quando Aqua calefit, recedit à suo frigore natiuo, & acquirit calorem, & sic paulatim deperdit frigus & acquirit calorem: ergo dum est in medio calefactionis, iam amisit multum de frigore, & etiam acquisiuit multum de calore, & consequenter calor & frigus sunt simul in gradibus remissis.

Tertiò, si Aqua calida misceatur frigidæ, sentimus quòd vtraque attemperatur, ita vt tota Aqua sit in medietate caloris & frigoris. Deinde etiam experimur quotidie, quòd quando Ignis applicatur vasi pleno Aquâ, remittit frigiditatem eius, vtique imprimendo calorem: ergo tunc calor & frigiditas sunt simul in gradibus remissis in Aqua, & pari ratione possunt esse in mixto. Dupliciter respondent aduersarij, his experientiis, quidam dicunt quòd Ignis agens in Aquam solùm corrumpit eius frigiditatem, illâ verò totaliter corruptâ, imprimit calorem; alij verò dicunt quòd Ignis producit qualitatem mediam inter calorem & frigus, quâ destruitur frigus Aquæ, illo verò destructo introducitur calor. Sed contra primum: calefactio est motus successiuus & continuus inter duos terminos positiuos, scilicet frigus & calorem, vt communiter docent Philosophi: ergo quamdiu durat, expellitur frigus, & introducitur calor. Contra secundum autem est, quòd frustra ponitur illa qualitas media inter calorem & frigus, licèt autem Aqua vocetur tepida, tepiditas tamen importat calorem & frigus simul in quadam temperie: deinde si hæc qualitas media datur, non est contraria calori & frigori, vtpote media, ac proinde mediante illâ non expelletur frigus, nec ipsa expelletur adueniente calore, cuius contrarium experimur.

Ad primum ergo dicendum, quòd contraria non possunt esse simul in statu perfecto, siue in gradibus intensis, & hoc solùm vult Aristoteles. Ad aliud dicendum, quòd contraria dicuntur se expellere ab eodem subiecto, non quòd simul totaliter se expellant, sed paulatim, id-est, dum vnum introducitur, aliud expellitur eadem proportione, & sic intelligenda est definitio contrariorum. Ad aliud dicendum, quòd non omnia contraria sunt eiusdem rationis, aliqua enim habent rationes omnino oppositas & incompossibiles, vt error & scientia circa idem, alia verò non sunt incompossibilia, nisi in gradu perfecto, vt hic contingit.

Ad secundum dicendum, quòd admissâ paritate maioris, negatur minor, nam frigidum, vt duo, est simul calidum vt sex, ista quippe est connexio inter istas qualitates, quòd quantùm subiectum minùs habet de vna, plus habeat de alia, habet enim capacitatem ad octo gradus, vel vnius, vel alterius: & consequenter calidum vt quatuor non aget in frigidum vt duo, quod simul est calidum vt sex, aliàs esset actio ex proportione minoris inæqualitatis. Ad aliud dicendum, quòd subiectum denominatur ab intensiori qualitate vulgò, quamuis possit etiam denominari, si autem fiant qualitates in æquali intensione, denominatur nomine aliquo simplici, exprimente hanc æqualitatem, vnde Aqua æqualiter calida & frigida, dicitur tepida, nec in hac temperie vna dicit negationem alterius, etiam secundariò, sed tantùm maioris intensionis alterius.

Ad tertium dicendum, quòd est disparitas inter formas substantiales & accidentales, substantiales enim dant esse simpliciter, ideo cùm idem non possit habere duo esse simpliciter, nam esset duo, non potest habere duas formas substantiales, formæ verò accidentales dant tantùm esse secundùm quid, & ideo possunt in eodem multiplicari, sicut esse secundùm quid.

Ad quartum dicendum, quòd nullum sequitur ex dictis inconuenientibus, non primum, quia vt dictum est in Physicis, si agentia sint æqualis virtutis, se mutuò impedient agere circa eamdem partem subiecti: si vnum excedat in virtute, ipsum solum aget, quamuis retardetur ab alio in sua actione. Nec secundum, quia talis casus est impossibilis, nam si detur vnum subiectum frigidum tantum vt vnum, simul erit calidum vt septem (nam istæ qualitates contrariæ in mixto ita se habent, vt quantùm deest de vna, tantùm ad sit de alia, & vice versâ) ac proinde calidum vt sex non poterit agere in ipsum, cùm sit calidius calido vt sex, non datur enim actio à proportione minoris inæqualitatis.

Articvlvs III.

Vtrùm in mixto sit naturaliter possibile temperamentum æquale ad pondus?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd in mixto sit naturaliter possibile temperamentum æquale ad pondus. Ita tenent quidam Medici, Conimbricenses, & Ruuius in præsenti. Probatur authoritate Aristotelis, qui sect. 5. Problematum dicit, quòd corpora ad æqualitatem temperata facilè in morbos incidunt, & facilè curantur: quæ verò non sunt ad æqualitatem temperata, non facilè infirmantur, nec facilè curantur. Item 2. de animalibus cap. de tactu. Dicit sensorium tactûs habere temperiem, siue complexionem ad pondus, expressè etiam D.Thom. docet hominem habere hoc temperamentum 1.p. q.91. art. 1. & art. 3. ad 1.

§ 2. Præterea, possunt naturaliter primæ qualitates esse in mixto in gradu æquali, v.g. vt quatuor: ergo non est negandum, quin aliqua perfectissima forma, scilicet humana, requirat hoc tale temperamentum, imò videtur necessariò concedendum facto Corpori Christi, formato à Spiritu Sancto, cùm enim hoc temperamentum sit perfectissimum, debuit concedi perfectissimo omnium corporum, in quo nullus erat futurus morbus, vt docent Theologi cum D.Th. 3. p.

§ 3. Præterea, Quotiescumque datur vnum contrariorum, potest dari & aliud eodem modo, ex Aristotele 2. de Cœlo textu 44. ergo cùm detur naturaliter temperamentum inæquale ad pondus, potest etiam naturaliter dari temperamentum æquale, maximè cùm detur tale temperamentum æquale ad pondus in mixto, quantùm ad qualitates motiuas, scilicet grauitatem & leuitatem, vt patet in ligno, quod partim est in Aqua, partim in Aëre, cùm non sit maior ratio de istis qualitatibus, quàm de primis alteratiuis.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc 2. libro textu 48. & supra libro 1. cap. 10. & D. Thom. quos sequuntur Bannnes, & nostri Complutenses hic, Nazarius 3. p. q. 13. art. 2. controuers. 2. Vasques disp. 57 n. 14. Lorca disp. 53. & ex antiquis Auicenna, Auerroës, & Galenus.

Conclvsio.

Cùm in omni mixtione sit prædominium inter primas qualitates, multáque mixta sint etherogenea, non est naturaliter possibile temperamentum æquale ad pondus.

Respondeo dicendum, quòd non est naturaliter possibile, vt detur in aliquo mixto, etiam in homine temperamentum æquale ad pondus. Ad cuius euidentiam sciendum est temperamentum mixti nihil aliud esse, quàm quatuor primas qualitates ad mediocritatem redactas, ita vt pro diuersitate formarum sit hæc diuersa temperies, siue proportio qualitatum: hoc autem temperamentum diuiditur in vniforme & difforme, vniforme est illud, in quo quatuor qualitates sunt in omnimoda proportione, æqualitate, & pondere, quod etiam vocatur medium & temperatissimum: difforme autem, quod etiam vocatur intemperamentum, est illud, in quo qualitates istæ ab æquilibrio in diuersam latitudinem recedunt, id est, in quo vna, vel duæ qualitates dominantur. Si vna tantùm dominatur, dicitur difforme simplex, si duæ dominentur, dicitur difforme compositum: temperamentum difforme simplex diuiditur in quatuor species iuxta numerum primarum qualitatum, compositum etiam diuiditur in quatuor species iuxta quadruplicem combinationem qualitatum: si enim prædominentur calor & siccitas, dicitur igneum siue cholericum in animalibus, si verò prædominentur calor, & humiditas dicitur aëreum, & in animalibus sanguineum: si prædominentur humiditas & frigiditas, dicitur aqueum, & in animalibus phlegmaticum, si denique prædominentur frigiditas & siccitas, dicitur terreum, & in animalibus melancholicum: ad hæc autem temperamenta, siue simplicia, siue composita reducuntur omnia alia, quamuis sit inter ipsa diuersitas quædam ratione maioris vel minoris excessûs, qui potest esse in vna, vel duabus qualitatibus: temperamenta verò prædicta non solùm sunt differentiæ in differentibus speciebus, sed etiam in indiuiduis eiusdem speciei, imò idem indiuiduum mutat sæpe temperamentum, quod dicitur temperamentum ad iustitiam, quando est conforme formis rerum: præsens autem difficultas procedit de temperamento æquali ad pondus tantùm, quod constat esset vnicum, & ideo si daretur, vni tantùm speciei posset conuenire, cùm vt dictum est, diuersitas temperamenti connotet diuersas formas.

Probatur conclusio authoritate D.Th. qui hic lect. 8. tribuit homini, non hoc temperamentum, sed complexionem maximè vicinam huic temperamento: sed clariùs in 3. d. 16. q. 1. art. 1. ad 4. sic loquitur: *Impossibile est quòd complexio perueniat ad tantam æqualitatem, quin alterum contrariorum prædominetur, quia aliàs non fieret mixtio, nisi vnum in alterum ageret dominans, ad medium reducendo, altero resistente, & præcipuè hoc oportet in corpore humano, quòd calor dominetur propter operationes animæ, quæ indigent calore sicut instrumento, vt dicitur in 2. de anima.* Quæ ratio D. Thom. efficacissima sic expenditur. Pensatis omnibus, vt diuersa applicatione, & aliis quibus vnum Elementum potest prædominari alteri, debet vnum prædominari, siue præualere alteri in ipsa mixtione, aliàs non foret mixtio, quia si essent omnia elementa secundùm ambas qualitates in agendo & resistendo æqualia, non esset actio & passio, vt constat ex dictis supra, vnde debet esse victoria in tali actione & passione, ita vt vnum Elementum vincat secundùm hanc qualitatem, & aliud secundùm aliam, & sic se mutuò corrumpant, ex qua corruptione resultat mixtio, & sit mixtum: certum autem est, quòd in mixto prædominatur illa qualitas permanenter, & per modum proprietatis, quæ præualuit in ipsa mixtione propter sigillationem materiæ: ergo in omni mixto est inæqualitas inter ipsas primas qualitates, & sic non potest esse temperamentum æquale ad pondus, & hoc non solùm in mixtis perfectis, sed etiam in aliis, cùm enim possint fieri per veram mixtionem, eorum temperamentum debet commensurari temperamento resultanti ex vera mixtione, licèt compositum corruptum in via corruptionis aliquando habeat mediocritatem qualitatum ad pondus.

Secundò, in homine, & in aliis animalibus sunt diuersitates partium, vt caro, ossa, cartilago, nerui, cerebrum, cor, iecur &c. quæ inter se habent diuersa temperamenta: nam ossa sunt plus sicca, & aliæ plus humida, vel calida, &c. deinde experimur quòd vt ait D.Th. abundat calor, quia mediante illo fiunt actiones vitales: nec ipse neruus est omnino ita temperatus, vt enim sit sensorium tactûs, sufficit quòd maximè accedat ad hoc temperamentum. Deinde licèt admitteretur quòd sit perfectè temperatus, tamen tum dignitate, tum magnitudine non est talis pars, vt propter illam debeat dici homo ipse temperatus ad pondus.

Ad primum ergo dicendum, quòd Arist. & D.Thom. non loquuntur de omnimoda æqualitate, sed de conuenientia naturæ corporis mixti, quæ vt sit bona, debet accedere ad ipsum temperamentum ad pondus, vt succedit in homine, & hoc colligitur ex ipso textu, nam Aristoteles, & D.Th. adhibent particulas diminutiuas, ait enim Aristoteles, *Velut medietate quadam existente*, Et D.Th. *Sentimus excellentias tangibilium, quasi organo tactûs constituto in aliqua medietate inter contrarias tangibiles qualitates.*

Ad secundum dicendum, quòd in mixto non possunt primæ qualitates esse in illa temperie æquali, & maximè in homine, vbi sunt tot partes diuersæ petentes tam diuersum temperamentum, vnde solùm in via corruptionis potest dari hoc temperamentum, & ita Christus Dominus habuit perfectissimum temperamentum, sed tamen conueniens corpori humano in suo perfecto statu, ac proinde non æquale ad pondus.

Ad tertium dicendum, quòd illud axioma est verum de contrariis veris positiuis, non verò de priuatiuis, qualia sunt æquale & inæquale. Ad aliud dicendum quòd falsum est dari æqualitatem in mixto inter qualitates motiuas, imo repugnat, quia tale mixtum non haberet locum naturalem, si secundùm omnes suas partes haberet hanc æqualitatem, vt patet inductione: nam locus sursum repugnaret eius grauitati, & locus deorsum eius leuitati, nec datur locus medius inter Aërem & Aquam: lignum autem est simpliciter graue, quia tamen participat aliquam leuitatem propter poros Aëre plenos, ideo natat super Aquam, sicut & vas æneum propter Aërem.

QVÆSTIO XXI.

De reproductione eiusdem rei.

Docet Aristoteles capite vltimo huius libri generationes rerum esse circulares, ita vt in generationibus substantialibus fiat regressus ad eamdem rem secundùm speciem, non verò secundùm numerum, propterea in præsenti hoc secundùm examinatur qualiter sit intelligendum, vnde quæruntur duo.

§ Primò, Vtrùm eadem res numero permanens semel destructa, possit iterum reproduci?

§ Secundò, Vtrùm res successiua semel destructa, possit eadem numero reparari.

Articvlvs

ARTICVLVS I.

Vtrùm eadem res numero permanens semel destructa possit iterum reproduci?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd eadem res numero permanens semel destructa possit iterum reproduci, non solùm à Deo, sed etiam à causa secunda & naturali. Ita tenet Scotus in 4. d. 43. q.3. quod probabile reputat Toletus hîc. q. vltimâ. Probatur. Idem agens & passum possunt iterum naturaliter applicari, vt idem ignis & idem lignum: ergo reproducetur idem calor, nam ex Aristotele, 8. Methapysicæ textu. 1 r. si agens fuerit idem, & materia eadem, effectus erit idem. Deinde idem ignis potest diuersis temporibus per se conseruare eundem numero calorem à se productum: ergo etiam potest illum in diuersis temporibus producere, par enim ratio videtur esse in vtroque.

§ 2. Præterea, Si diuidatur Aqua in multas partes, perit vnitas eius numerica, quia quælibet pars fit quoddam totum: sed aliqua causa naturalis potest iterum illas partes vnire, & sic resultat de nouo eadem numero Aqua, quod etiam potest probari de partibus animalis perfecti, quæ separatæ mutantur substantialiter, & tamen à causa naturali possunt reuniri, ac ita fieri eædem numero: ergo eadem res numero permanens semel destructa, potest à causa naturali iterum reproduci.

§ 3. Præterea, Dum moritur homo, remanet materia cum potentia ad illam animam, & ipsa anima dicit naturalem inclinationem ad illam materiam, quia separata est in statu violento, & vnita est in statu connaturali: ergo naturaliter poterunt iterum vniri, & ita reproducitur naturaliter idem homo.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D. Th. quos communiter sequuntur Philosophi, Bannes, nostri Complutenses, Toletus, & Ruuius, & Conimbricenses in præsenti, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm non possit naturaliter redire eadem numero actio, qua res permanens fuit producta, non potest eadem res numero à causa naturali reproduci, bene à Deo, cuius actio non transit.

RESPONDEO dicendum, quòd eadem numero res permanens potest quidem à Deo reproduci. 2. non autem per virtutem causarum naturalium.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide. Est possibilis secundum fidem resurrectio mortuorum, imò constat ea Sacra Scriptura, tum veteris, tum noui Testamenti, fuisse factam; Sancti parentes nostri Elias & Eliseus suscitauerunt à mortuis duos pueros, Christus item Dominus resurexit, & ipse suscitauit Lazarum quatriduanum mortuum & alios: sed per resurrectionem idem numero homo reproducitur, vt etiam constat de fide ex illo Iob: *Ego ipse, & non alius*: Quòd etiam sæpe habetur in Sacra Scriptura: ergo eadem numero res permanens potest à Deo reproduci, & ratio huius est, quia remanet eadem numero actio Dei, qua res fuit producta, cùm sit eius substantia, virtualiter tantùm transiens, ac proinde immultiplicabilis, & independens à tempore, positâ autem eadem actione, ponitur idem numero effectus

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Th. Philosophus in Postprædicamentis cap. de Oppositis dicit, quòd *A priuatione ad habitum non est regressus*. Idem etiam docet in hoc lib. cap. 9. & similiter D. Thom. multis locis, vt quodlib. 4. art. 5. vbi sic ait: *naturale agens non potest reparare eadem numero, si in nihilum redacta fuerint, vel si fuerint secundùm substantiam corrupta.* Idem repetit 4. contra gentes cap. 81.

Secundò, vt reproducatur eadem numero res, debet redire eadem numero actio, per quam fuit producta, nam sicut quiuis effectus petit hanc peculiarem causam & non aliam, & ideo ab hac, & non ab illa potest fieri, vt dictum est in Physicis, sic petit hanc numero actionem prædictæ causæ secundæ, & non aliam: sed non potest naturaliter redire eadem actio numero, quia ad hoc requiritur, vt redeat idem numero tempus, cùm ad vnitatem motûs & actionis requiratur identitas temporis, vt dictum est etiam 5. Physicorum: constat autem quòd est simpliciter impossibile, vt redeat idem numero tempus, sicut dicetur articulo sequenti: ergo non potest eadem numero res permanens reproduci per virtutem causarum naturalium.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles tantùm vult, vt ibidem ait D.Thom. & hîc lect. vltimâ quòd si agens fuerit idem, & materia eadem sequeretur idem effectus secundùm speciem, non verò idem secundùm numerum. Ad aliud dicendum quòd est latum discrimen inter reproductionem & conseruationem, nam calor potest conseruari per distinctam actionem, non verò reproduci, sed debet redire eadem actio, quod est impossibile, vnde virtus per se conseruatiua alicuius rei, non est reproductiua illius.

Ad secundum dicendum, quòd Aqua per diuisionem non perit quoad entitatem materialem, sed quoad terminationem, & ea quæ ad illam consequuntur, vnde per reunionem mutatur tantùm terminatio. Ad aliud dicendum, quòd partes animalis perfecti non possunt reuniri à causa naturali, ita vt iterum viuant, sed de hoc in lib. 1 is de Anima.

Ad tertium dicendum, vt dictum fuit in 1. Physicorum, quòd inclinatio materiæ ad animam rationalem semel deperditam, & similiter inclinatio eiusdem animæ rationalis ad suam materiam, non est simpliciter naturalis, nec simpliciter violenta, & sic naturaliter non possunt reuniri.

ARTICVLVS II.

Vtrùm res successiua semel destructa, possit eadem numero reparari?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd res successiua semel destructa, possit eadem numero reparari, saltem de potentia Dei absoluta. Ita tenent Aureolus, Maironius, Bassolis, & Conimbricenses. Probatur. Res successiua, extincta, siue destructa manet virtualiter eminenter in diuina potentia, talis enim potentia continens omnia virtualiter, conuenit Deo vtpote primo enti & primæ causæ: ergo omnia, siue permanentia, siue successiua semel destructa, possunt reproduci à Deo, quod enim est in potentia Dei, potest à Deo reduci in actum.

§ 2 Præterea, Si quid obstaret, cur res successiua semel destructa, non posset reparari, esset maximè, quia indiuiduatur per ordinem ad tempus: sed hoc non obstat, quia licèt talis res reproduceretur in alio tempore, posset dicere ordinem ad illud primum tempus, à quo indiuiduaretur, vnde esset eadem numero, sicut albedo separata à Petro, & communicata Paulo remanet eadem numero per ordinem ad Petrum: ergo eadem res successiua semel destructa, potest à Deo iterum reparari.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, Capreolus in 4.d. 43. Ferrar. 4. contra gentes cap. 81. Sotus 4. Physicor. q. 4. Bannes & nostri Complutenses in præsenti, & plures alij extra eius scholam, vt Durandus in 4. d. quæst. 3. Ruuius hîc &c.

CONCLVSIO.

Cùm interruptio contrarietur vnitati rei successiuæ, est omnino impossibile, vt res successiua semel destructa, possit eadem numero reparari.

RESPONDEO dicendum, quòd implicat contradictionem, quòd res successiua semel destructa, possit eadem numero reparari. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd nomine rei successiuæ intelligitur ipsum tempus & motus, siue sit successiuus, siue instantaneus, dicunt enim essentialem ordinem in suo fieri & esse ad tempus,

quod

qood etiam concurrit ad eorum indiuiduationem: vnde ſicut idem tempus numero iam lapſum, non poteſt redire, ſic nec idem motus, aut mutatio, ipſum autem tempus verum & reale debet commenſorari ad tempus imaginarium, de cuios ratione eſt, qoòd conſideretur in continuo fluxo, ac proinde quòd pars præterita non poſſit redire.

Probatur concluſio authoritate Ariſtotelis, & D. Th. Philoſophi quidem habetur illod celebre dictum: *Factum, infactum fieri, eſt impoſſibile.* D. Th. etiam id expreſsè docet, & probat quodlibeto 4. art. 5. his verbis: *Quadam enim ſunt, quorum vnitas in ſui ratione habet durationis continuitatem, ſicut patet in motu & tempore, & ideo interruptio talium indirectè contrariatur vnitati ſecundùm numerum, ea verò, quæ contradictionem implicant, non continentur ſub numero Deo poſſibilium, quia deficiunt à ratione entis, & ideo ſi huiuſmodi in nihilum redigantur, Deus ea non poteſt eadem numero reparare, hoc enim eſſet facere contradictoria ſimul eſſe vera, putà ſi motus interruptus eſſet vnus.* Hæc D. Thom. vbi non ſolùm ſuam mentem oſtendit, ſed etiam rationem affert efficaciſſimam, nam vnitas ſucceſſiuorum, vt ait, exigit vnitatem & continoationem ſuæ durationis, ita vt talis duratio non interrumpatur: ſed ſi motus & tempus ſemel deſtruatur, interrumpitur eorum duratio: ergo idem numero non poteſt reparari: hic autem diſcurſus fundatur in hoc principio Philoſophi, de quo in Phyſicis, quòd ſcilicet idem ſit motum eſſe vnum numero, ac eſſe continuũ, ſiue non interruptum, quod etiam debet dici de tempore.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi res illa ſupponatur iam producta, & poſtea extincta, non eſt in potentia Dei, vt reproducatur, propter contradictionem adductam, nam in potentia primi entis & primæ cauſæ ſolùm continentur ea, quæ habent rationem entis, quæ autem implicant, non habent rationem entis, ſed potiùs illam deſtruunt, quamuis (quia res illa in æternitate, quæ menſurat diuinas operationes, & producitur, & eſt producta) poſſit dici eſſe in potentia Dei producentis, ſed hoc non eſt reſpectu noſtri temporis, vbi eſt præteritum, præſens & futurum.

Ad ſecundum dicendum, quòd falſum eſt illam rem ſucceſſiuam, ſi reproduceretur, poſſe dicere ordinem ad illud tempus, in quo primò fuit producta, vnde eſt diſparitas in inſtantia de albedine, nam talis albedo ſeparata à Petro dicitur retinere ordinem ad ipſum, quia poteſt iterum inhærere Petro, implicat autem quòd talis res ſucceſſiua iterum producta menſuraretur illo primo tempore, & per hoc confirmatur noſtra concluſio.

LIBRI
METEORORVM.

Summa Textûs.

POST *traditam in libris de generatione & corruptione communem doctrinam circa rerum corruptibilium, ſiue ſimplicium videlicet Elementorum, ſiue compoſitarum generationem, alióſque motus, aut mutationes ipſam antecedentes, concomitantes, & conſequentes, agit Ariſtoteles in his quatuor libris Meteororum de mixtis genitis, tam imperfectis, putà grandine, niue, & ſimilibus, quàm perfectis, quæ tamen non attingunt ad gradum viuentium vt lapidibus, metallis, & aliis: vnde conſtat obiectum horum librorum eſſe ens mobile ad formam intrinſecam, ſed determinatam, quæ quidem non pertingat ad gradum animæ: & ita hi libri ſunt partes Phyſicæ, cùm eorum obiectum contineatur directè ſub obiecto totius Phyſicæ: hi autem libri inſcribuntur de Meteoris, ſiue Meteorologicis à Meteore, quod eſt excedens, ſiue eleuatus, & logos, quod eſt ſermo, vel ratio: quia conſiderantur in his ea, quæ in excelſis, ſiue in ſuperiori parte Mundi ſublunaris generantur, ſicut Stellæ cadentes, Stella comata, pluuia, niues, & alia huiuſmodi, quamuis & alia quædam conſiderentur, quæ fiunt in imo, ſicut fulmina, terræ motus, & alia huiuſmodi: ſed quia ea, quæ fiunt in alto, ſunt mirabiliora, & magis deſiderata, ideo ab eis tota doctrina nomen accepit, ita D. Thom. in præſenti: vel quia de illis agitur primo loco, & principaliter, ſiue magis diffusè. In primo libro agitur principaliter de impreſſionibus, ſiue Meteoris Igneis. In ſecundo, & tertio de Aëreis, & Aqueis. In quarto tandem agitur de Terreis: quamuis maior pars huius quarti libri ſit de quatuor primis qualitatibus, propter quod aliquid dixerunt non pertinere ad Meteora, ſed eſſe ſupplementum librorum de generatione, dicendum tamen quòd pertinet ad præſentem doctrinam, quia cùm pleraque Meteora fiant ex mixtione, putà metalla, &c. ad quam concurrant iſtæ qualitates, ex earum notitia perfectiùs declarantur: quia autem hæc Meteorologica plus habent curioſitatis, quàm vtilitatis, ideo breuiter expedientur, & claritatis ac facilitatis causâ omnia ad ſex quæſtiones reducentur. Primò enim, agetur de Meteoris in communi. Secundò de Meteoris Lucidis. Tertiò de Igneis. Quartò de Aëris. Quintò de Aqueis. Sextò de Terreis, mutato etiam conſueto ordine procedendi.*

QVÆSTIO XXII.

De Meteoris in communi.

CVSA ordo compoſitorius, qui eſt optimus in tradendis diſciplinis, procedit à communioribus ad particularia, ideo priùs occurrit agendum de Meteoris in communi, quàm in particulari, circa ipſa igitur in communi quæruntur ſex.

¶ Primò, Quot ſint impreſſiones Meteoricæ?

¶ Secundò, Quæ ſit cauſa materialis impreſſionum Meteoricarum?

¶ Tertiò, Quæ ſit cauſa efficiens & finalis Meteororum?

¶ Quartò, Quibus in locis fiant Meteora?

¶ Quintò, Vtrùm Meteora aliquid portendant?

¶ Sextò, de præſagiis temporum.

ARTICVLVS

ARTICVLVS I.

Quot sint impreßiones Meteoricæ?

DIVIDITVR primò impressio Meteorica in eam, quæ generatur sine vapore & exhalatione, & in eam, quæ generatur ex vapore & exhalatione. Prima subdiuiditur ex parte subiecti: nam vel est subiectiuè in octauo Cœlo, vt Galaxia, siue via lactea, vel in quarto Cœlo, vt Eclipsis Solis, vel in primo vt Eclipsis Lunæ, vel tandem in nubibus, & Aëre ex reflexione radiorum Solis, vel aliquarum Stellarum, vt Iris, aliique colores apparentes. Secunda subdiuiditur iuxta diuisionem vaporum & exhalationum, ex quibus generatur: si exhalatio sit calida, viscosa, & inflammetur, generatur Cometa, Stella, Titio, & Similia ignita: si verò exhalatio sit sicca, generatur ventus, Terræ motus, &c. ex vapore autem aqueo, ac proinde humido, & frigido generantur nubes, pluuia, nix, grando. Si simul reperiantur vapor, & exhalatio, ita vt vapor circumdet, & comprimat exhalationem, generantur tonitrua, fulgura, fulmina, turbines, & similia, de quibus specialiter agendum est.

ARTICVLVS II.

Quæ sit causa materialis impreßionum Meteoricarum?

CVM duplex sit genus impressionum Meteoricarum, vt dictum est, sic est duplex causa materialis earum, illæ enim, quæ fiunt sine vapore & exhalatione, non habent aliam materiam, quam receptiuam, siue subiectum in quo fiunt, & ita non habent causam materialem, ex qua fiant propriè loquendo, aliæ verò habent duplicem causam materialem, remotam scilicet, & proximam.

MATERIA remota sunt Elementa Terræ & Aquæ, quorum primum exhalat, secundum vaporat: vt autem aliquod Elementum exhalet & vaporet, requisitur quòd habeat simul partes crassas & subtiles, & quòd subtiles virtute caloris à crassis separentur: propterea videmus virtute Solis ex Aqua abstrahi partes subtiles, instar fumi calore rarefactas, quas vocamus vapores, sicut & ex Terra, quas vocamus exhalationes: Ignis autem & Aër propter nimiam subtilitatem & puritatem non exhalant, nec vaporant, partes enim ipsorum sunt nimiùm raræ, & subtiliores omni vapore, & sic non possunt esse materia vaporum & exhalationum.

MATERIA proxima est vapor & exhalatio, vt docet Aristoteles in præsenti, ita tamen quòd aliqua Meteora fiant ex solo vapore, alia ex sola exhalatione, alia ex vtroque: vapor est fumosa spiratio calida & humida ex Aqua, vel humore aqueo: exhalatio autem est spiratio Terræ calida, & sicca: sed est multiplex, nam quædam procedit ex Terra pingui, vnde habet partes magis adhærentes ob materiæ tenacitatem, atque adeo plus à Sole calefit, diutiúsque conseruat calorem, & altiùs penetrat, ac proinde facilè inflammatur: alia procedit ex Terra arida, & habente partes minùs cohærentes, ac proinde non ita conseruat calorem, nec tam altè ascendit, nec inflammatur, sed facilè dissoluitur in ventos.

VAPOR, & exhalatio in aliquibus conueniunt, in aliis differunt: conueniunt in hoc, quòd sunt similes fumo, & in principio, dum à Sole abstrahuntur, eius virtute calidæ, ac raræ, calor enim vim habet attenuandi, & rarefaciendi: tandem quia naturâ suâ tendunt ad frigiditatem, nam vel non distinguuntur ab Aqua & Terra, quæ ex natura sua sunt frigidæ, vel si distinguuntur maximè ad earum naturam accedunt: differunt autem inter se vapor & exhalatio, tum ex parte formæ substantialis, tum ex parte subiecti, ex quo educuntur: vapor enim educitur ex aqua & locis humidis, exhalatio autem è Terra ac locis siccis, quamuis aliquando simul è Terra humida mixtim educantur vapor & exhalatio: separantur tamen in media regione aëris, in qua vapor remanet, ex eo quòd faciliùs perdit calorem, quo attenuatus eleuabatur, quia non habet partes ita adhærentes, exhalatio autem frequentet ob contrariam rationem vlteriùs procedit, & licèt ambo remaneant in media regione Aëris, ob contrarietatem tamen naturæ ibi diuiduntur: tandem vapor est calidus & humidus, exhalatio calida & sicca, propterea Aristoteles dixit quòd exhalatio potestate proxima est Ignis, & vapor & Aër.

ARTICVLVS III.

Quæ sit causa efficiens, & finalis Meteororum?

METEORA quæ fiunt sine vapore & exhalatione, habent causam efficientem proximam, ipsa corpora lucida, quorum irradiatione causantur, vnde causa efficiens galaxiæ, siue viæ lacteæ, est multitudo exiguorum Syderum, quæ à nobis non videntur, quia nimis distantia, & comparatiuè exigua, causantidis, siue arcus cœlestis, est Sol, & sic de aliis.

METEORA quæ fiunt ex vapore & exhalatione, habent causam efficientem corpora cœlestia, & maximè Solem, quæ suis influentiis, & calore attenuando Aquam & Terram, ex hac exhalationes, ex illa verò vapores attrahunt, & in sublime attollunt, ex quibus varia Meteora generantur: ad quorum generationem proximè concurrunt, tum calor supremæ partis Aëris, quo exhalationes ignescunt, & fiunt Meteora ignita, vt Cometa; tum frigus mediæ regionis Aëris, quo condensantur vapores in nubes, sit pluuia illis resolutis, congelantur in grandinem, & niuem; tum agitatio, ac pugna vaporum & exhalationum, qua fiunt tonitrua, fulgura, venti, & similia; tum denique natura ipsa vaporum, & exhalationum, quæ cùm sint contraria actioni antiperistasis, quæ in ipsis est ab agente siue à generante, dum contrario resistunt, propriæ conseruationis appetitu naturali, fulmina, & similia generantur.

FINIS proximus Meteororum est diuersus, nam nubes, imbres, nix, & similia sunt ordinata à natura, eiúsque authore Deo optimo maximo ad fertilitatem & irrigationem Terræ. Venti ad purificandum Aërem, ne corrumpatur, ad nauigationem, &c. & sic proportionali modo dicendum de aliis. Aliquando etiam Deus ordinat ista ad denuntiandum aliquid hominibus, & ita dicuntur portenta, sed iste est finis internus à Deo, & præternaturalis Meteororum. Finis remotus omnium est pulchritudo vniuersi, quæ ex eorum varietate mirabiliter consurgit. Finis tandem vltimus est ipse Deus, ad suam quippe bonitatem & pulchritudinem, cæterásque perfectiones manifestandas hæc meteora, sicut & cætera producendo ordinauit: Omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus, sicut enim est prima, ac vniuersalis omnium causa, sic est vltimus, & vniuersalis omnium finis.

ARTICVLVS IV.

Quibus in locis fiant Meteora?

PRÆTER Galaxiam, & Eclipsim Solis, ac Lunæ, quæ fiunt in Cœlo primo, quarto, & octauo, alia Meteora contingunt in tribus Elementis, Aëre, Aqua & Terra. In Terra fiunt Terræ motus, generantur metalla, excitantur ignes subterranei, aliaque mirabilia ex eius sinu prorumpunt. In Aqua fit glacies, multæ affectiones reperiuntur, alia enim est calida, alia frigida, alia sulphurea, aluminosa, nitrosa, bitumosa, alia dolcis, alia salsa. Tandem in Aëre fiunt multò plura, varia & admirabiliora, quæ propriè Meteora dicuntur, vt ignita, nam in superiori parte fiunt Cometæ, in media fiunt fulgura, in infima plures ignes, de quibus postea. In media regione fiunt nubes, fit pluuia, nix, grando & venti, qui etiam reperiuntur in infima, fit Iris, aliique apparent colores.

Ad maiorem horum euidentiam ſciendum eſt, hoc vniuerſum conſtare corporibus cœleſtibus & Elementaribus tanquam principalioribus partibus, corpora cœleſtia ita ſituantur, vt ſuperiora comprehendant ſuâ ſuperficie concauâ alia inferiora ſecundùm ſuperficiem conuexam deſcendendo vſque ad ignem: Elementa verò ipſa talem inter ſe habent ordinem, quòd Ignis ſit ſupremus, & ſuâ ſuperficie conuexâ attingit Cœlum Lunæ: concauâ verò ambit Aërem, quamuis autem per magnum diffundatur ſpatium, non tamen ſolent in eo diſtingui partes, ſiue regiones, quia vbique eſt vniformis, vbique calidiſſimus & ſubtiliſſimus. Aër ſequitur, qui ſuperficie conuexâ attingit ignem, & concauâ ambit Aquam ſimul & Terram, quamuis enim Aqua deberet eſſe iuxta exigentiam ſuæ naturæ ſuper Terram, ipſámque ambire, & ita media conſiſtere inter ipſam & Aërem, tamen fuit à Deo ſeparata à ſuperficie Terræ, & in vnum reducta locum, & ita Terra poſſet eſſe habitatio propria hominum, propter quos, maximè Electos omnia fiunt, & ita Terra & Aqua efficiunt vnum Globum.

In Aëre tres à Philoſopho hîc libro 1. cap. 1. aſſignantur regiones. Prima eſt à ſuperficie concaua Ignis deſcendendo, vſque quò pertingit calor Ignis, & vocatur regio incentiua, quia calida, eſtque ſuprema Aëris regio. Secunda, ſiue intermedia vocatur illa, quæ ob diſtantiam nimiam, nec calet ab Igne ſuperiori directè, nec per reflexionem radiorum Solarium, quia multùm etiam diſtat à ſuperficie Terræ, & hæc eſt frigidiſſima ab extrinſeco, ſicut & prima calidiſſima, quamuis totus Aër ex natura ſua ſit remiſſè calidus. Tertia, ſiue infima pars Aëris eſt illa, quæ à ſuperficie Terræ aſcendendo pertingit quovſque reflexio radiorum Solis peruenire poteſt. Hæc autem pars eſt temperata, nec nimis frigida, nec nimis calida, magis tamen, quàm ei competat à natura: ſicut & magis humida, vt in plurimum, vbi ſunt vapores educti ab Aqua, qui eam craſſiorem reddunt, & humectant, quod experimur in locis aquoſis, & tempore pluuiæ. Hæc vltima regio eſt habitatio omnium animalium, eius autem calor extrinſecè augetur tum vaporibus, & exhalationibus calidis dum aſcendunt, tum ignibus, qui fiunt in Terra, vel ex illa erumpunt ex reflexione radiorum Solis, quæ reflexio, quò magis fit directè, eò magis calefacit Aërem, vt experimur hîc in Æſtate, quando Sol magis accedit ad nos, & ego expertus ſum in Indiis Orientalibus, vbi Sol bis in anno peruenit ad Zenith, tunc enim ſunt maximi calores, & eſſent intolerabiles, niſi Deus & ventum, & continuum fere imbrem æſtiuo tempore prouidiſſet, ex quibus Aër refrigeratur, ſiue potiùs eius calor temperatur: propter quod Menſes, qui apud nos ſunt æſtiui, apud Indos vocantur hyemales: in partibus verò valde Septentrionalibus, vel valde Auſtralibus, quò magis acceditur ad Polos, eò minùs eſt Aër calidus, quia penè nulla eſt reuerberatio radiorum Solis, quia Sol non directè vibrat radios. Inſuper hæc infima pars, quò magis diſtat à Terra, eò remiſſiùs calida, quia reflexio eſt minùs intenſa, quæ magis recedit à corpore, ex quo fit reflexio: & hoc experimur, nam Æſtate, intenſiſſimo flagrante calore in imis locis, ſupra montes frigeſcit, quia ibi reflexio non habet tantùm effectum, ex eo, quòd Aër, qui recipit illam, ſiue qui imminet monti, ab alio circumſtante, ad quem non pertingit reflexio, refrigeratur: tum etiam deſuper à vicina media regione Aëris, quæ vt dictum eſt, valde infrigidatur ex vaporibus, qui ceſſante causâ extrinſecâ, qua calefiebant, naturaliter redeunt ad natiuum Aquæ frigus. Hæc media regio quaſi in centro, eſt intenſiùs frigida, minùs autem ſecundùm quòd accedit ad infimam calidam ex reflexione radiorum Solis, & ad ſupremam calidam ex Igne propinquo, ad quem quò magis accedit, eò calidior, quò magis recedit, eò minùs calida. Hæc ſuprema regio eſt puriſſima, & tenuiſſima, vt conſtat ex illo quod refert S. Auguſt. libro 3. de Geneſi ad litteram cap. 2. quòd ſcilicet in vertice montis Olimpi, qui tranſcendit mediam regionem Aëris, eſt adeo tenuis Aër, vt illum ferre non poſſint, qui illuc vel ſacrificandi, vel inſpiciendorum Syderum causâ conſcenderint, vnde ſolent ferre ſpongias plenas Aquâ, & identidem humorem ſugentes cor refrigerant, craſſiori Aëri aſſuetum, aliàs morerentur, aliæ verò Aëris regiones ſunt magis, vel minùs puræ, quò magis, vel minùs vaporum, & exhalationum recipiunt.

Qvia hoc vniuerſum eſt quid vnum ordine, & ad hoc requiritur quòd partes ſuperiores influant in inferiores, inde eſt quòd Cœli influunt in Elementa, & in omnia in ipſis contenta, vt docet D. Thom. quodlib. art. 19. ſcilicet Empyreum influit perpetuitatem rebus & ſtabilitatem. Primum mobile ſuo motu diurno vniformi ab Oriente in Occidentem, cauſat perpetuitatem in inferioribus motibus. Cryſtallinum dat virtutem obiectis agendi intentionaliter, ad quod requiritur lux, vt diſponens medium ad illas intentiones recipiendas: ſed hic effectus Cœli Cryſtallini aſſignatur ab aliis, non à D. Thom. qui non diſtinguit Cœlum Cryſtallinum à primo mobili. Sol ſuo motu per Zodiacum ab Occidente in Orientem cauſat differentiam generationis & corruptionis, & cæterorum motuum in iſtis inferioribus. Luna etiam plurimùm influit, vnde obſeruatur Luna, tum in Agricultura, tum in Medicina, & ſic de aliis Planetis, ac Firmamento, quamuis eorum influxus non ſint ita noti, imò cuilibet Planetæ correſpondet, vt proprius effectus, aliquod metallum, Lunæ argentum ſolidum, Mercurio argentum viuum, Soli aurum, Marti ferrum, Ioui ſtannum, Saturno plumbum, propterea iſta metalla iiſdem nominibus Planetarum ab Alchimiſtis nominantur.

Articvlvs V.

Vtrùm Meteora aliquid portendant?

Inter Meteora hoc eſt diſcrimen, quòd aliqua naturaliter eueniunt, alia verò ſupernaturaliter. Primi generis non eſt neceſſe, quòd aliquid portendant, quamuis aliquando poſſint portendere. Vnde Cometæ indicant ſterilitatem, morbos, ac mortes, maximè Principum: quia Cometæ generantur ex magna copia exhalationum abſtracta è Terra, quæ exhalationes, vtpote craſſæ, ac viſcoſæ, ſunt optima portio Terræ idonea fructificationi, vnde non eſt mirum, quòd eâ ſubtractâ Terra ſterilis facta non germinet, maximè ſi diù durent Cometæ, quia iiſdem exhalationibus debent nutriri. Deinde illæ exhalationes accenſæ Aërem incendunt, exſiccant, ac omnino alterant, vnde etiam mediante Aëre, quo viuimus, & reſpiramus, deſæuiant in noſtra corpora, ac ita excitantur morbi, maximè in corporibus delicatis Magnatum & Principum, quæ faciliùs his alterantur, ac ita facilè ſequuntur mortes.

Illa verò, quæ ſupernaturaliter ſiue viâ extraordinariâ generantur, ſemper aliquid portendunt, vnde portenta dicuntur, & fiunt virtute Diuinâ miniſterio Angelorum vel dæmonum, ſi enim ex Dei decreto fiant ad prænuntiandum aliquod bonum, ſiue proſperum euentum, credibile eſt ad id deſeruire bonos miniſtros, ſi autem fiant ad denuntiandum aliquem ſiniſtrum euentum, tunc aliquando vtitur Deus miniſterio dæmonum, quo etiam vtitur aliquando ad caſtigandos mortales, iuxta illud Pſalmi 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem immiſſiones per Angelos malos:* Quamuis etiam ad hæc vtatur aliquando miniſterio ſanctorum Angelorum.

Hæc Meteora prodigioſa, ſiue portenta plura apparuiſſe conſtat, tum ex hiſtoriis prophanis, vt Ioſephi libro 7. de bello Iudaïco cap. 12. Plinij libro 2. natur. hiſt. cap. 25. Suetonij in vita C. Cæſaris, tum authoritate Sanctorum Patrum, Auguſt. lib. 2. de ciuitate Dei cap. 23. Tertulliani in libro ad Scalpulam cap. 3. Nicephori libro 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 4. tum authoritate Sacræ Scripturæ, vt conſtat Matthæi 2. de ſtella illa præfulgida, quæ nato Chriſto Domino apparuit in Oriente,

&

& duxit Magos vsque ad Præsepium. Item a. Machabæorum cap. 5. vbi habetur, *Contigit autem per vniuersam Hyerosolimorum ciuitatem videri diebus quadraginta per Aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis quasi cohortes armatos, & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti.* Similia portenta habentur eodem libro cap.10.

ARTICVLVS VI.

De Præsagiis Temporum.

PLVRA instituit Deus optimus maximus author naturæ, & generalis vniuersi prouisor præsagia temporum ex Meteoris, vt plurimùm deducta, quæ perpportuna, imò necessaria sunt, tum ad agriculturam, tum ad nauigationem, aliáque similia faustè & prosperè peragenda.

MVLTA præsagia colligit Plinius libro 18. naturalis historiæ cap. 35. quorum panca, & magis recepta hæc sunt: si Sol in Ortu appareat maior, quàm solet, sed quasi cæruleo colore, aut etiam in Occasu, denotat imbrem: si verò sit colore igneo, denuntiat ventum, si nubes nitentem ambiunt Solem, quò minùs luminis relinquunt, eò vehementior erit ventus. Si Sol coronâ exhalationum cingatur, ex qua parte se corona aperit, flabit ventus, si tota æqualiter defluxerit & euanuerit, erit serenitas. Si ante ortum Solis rubescunt nubes, promittunt ventum, si pallescant, aut nigræ rubentibus mixtæ appareant, pluuiam indicant futuram, si ab Ortu pellantur in Occasum serenitas prænuntiatur. Similiter à Luna, & ab stellis plura sumuntur præsagia. Circa Lunam habetur illud. *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat*: Et *qualis quinta, talis tota.* Si stellæ apparentes tunc inde per Aëra discurrant, inconstantes ventos significant, si verò ex vna tantùm parte decurrant, ventum inde flaturum præmonstrant. Nubes grauida, si albescat, continet grandinem, montibus incubans, sæpe imbres, vallibus verò insidentes serenitatem spondent. Plura alia ex auibus, aliísque animalibus colliguntur, quæ sunt vt plurimùm infallibilia, & multâ experientiâ addiscuntur, cùm enim bruta non se ex electione ad diuersa applicent, sequitur quòd magis percipiant influxum Cœlorum, & Aëris alterationes, quibus ipsamet alterantur, & edunt aliqua horum signa, vt docet D.Thom.1. p. q.86.

QVÆSTIO XXIII.

De Meteoris Lucidis.

POST considerationem Meteorotum in communi, de ipsis in particulari agendum occurrit, & primò de lucidis, quia nobiliora, eò quòd minùs materialia, & quia subliniora sunt, ac proinde magis Meteora, cùm earum quædam in Cœlis contingant: & quia eadem scientia est contrariorum, ideo etiam agitur de Eclipsi, tam Solis, quàm Lunæ, quæ consistit in priuatione lucis vera, aut apparente, de Meteoris autem lucidis quæruntur sex.

¶ Primò, de Galaxia, siue via lactea.
¶ Secundò, de Eclipsi Solis & Lunæ.
¶ Tertiò, de Iride, siue arcu Cœlesti.
¶ Quartò, de Coloribus in Aëre apparentibus.
¶ Quintò, de Voragine, Hiatu, & Corona.
¶ Sextò, de Virgis, & Pareliis.

ARTICVLVS I.

De Galaxia, siue Via lactea.

GALAXIA, siue via lactea est ille Circulus candidus, qui apparet in Cœlo, protensus à Geminis vsque ad Sagittarium, & à Sagittario vsque ad Geminos, de quo ait Ouidius 1. Metamorph.

Est via sublimis, Cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

Vulgus tenet esse viam Sancti Iacobi, per quam animæ defunctorum, qui dum viuerent hanc peregrinationem non susceperunt, dicuntur ad Sanctum Iacobum pergere, fundamentum huius opinionis fortè est nomen Galaxia, nam via Galaxia facilè corrumpitur, & dicitur via Galaciæ, vbi in ciuitate Compostella est Sanctus Iacobus: Galaxia autem idem est, ac lactea ab albedine, apparet enim vt nubecula candida & rara. Hæc Galaxia, quæ incipit à signo Geminorum, & tendit ad signum Sagittarij, & rursus ab hoc reuertitur ad idem signum Geminorum, est continuatè protensa. Alia est non continua, sed velut diuisa nebula in plures partes hinc inde intercisa, vnde nec circulum, nec semicirculum, constituit: hæc secunda Galaxia magis accedit ad Aquilonem, quàm prima.

PLVRES fuêre antiquorum opiniones de quidditate, & causa Galaxiæ. Quidam enim fabulabantur in ea parte Cœli fuisse sparsum lac Iunonis, vnde dicta est via lactea. Alij eam partem Cœli fuisse combustam, dum Phaëton currum Solis dirigeret. Alij esse viam animarum ab inferis ad Cœlum. Alij accidisse Galaxiam ex Solis conuersione ad Ortum propter facinus Thyëstis, sed hæc omnia fabulæ sunt. Alij dixerunt esse quamdam diffusionem ignis magis condensi, propterea apparentis, cùm alius Ignis ob nimiam raritatem non appareat, vnde Galaxiam in regione Ignis ponunt: sed hoc esse non potest, quia si esset sub Firmamento, impediret ne sidera viderentur, cùm tamen videantur. Deinde nunquam dissonat à motu Firmamenti, cùm tamen Ignis vel non moueatur secundū aliquod, vel conformetur in suo motu primo mobili, & non Firmamento. Alij dixerunt esse compagem duorum hemispheriorum, quasi Cœlum fuerit per partes productum, & postea coagmentatum, quod est ridiculum. Alij vt Anaxagoras dixerunt esse lumen stellarum, quæ propter interiectum Terræ, nec illuminantur à Sole, nec illius splendore offuscantur: sed optimè refutatur ab Aristotele, tum quia manifestâ constat experientiâ quòd vmbra Terræ non pertingit vltra Cœlum Mercurij, quia Sol est multò maior Terrâ, & ita post aliquod spatium radij Solis iterum coëunt: deinde quia Sol causaret in diuersis partibus Firmamenti successiuè Galaxiam, secundùm enim quòd accedit, vel recedit per Zodiacum, diuersum habet aspectum ad diuersas Firmamenti partes. Alij vt Aristoteles hîc 1. libro cap. 3. secundùm nouam translationem videtur dicere Galaxiam esse ingentem, ac diffusam copiam exhalationum concretarum, inflammatam adinstar magni & perpetui Cometæ, quas exhalationes dicit in hac parte Cœli adunari, quia in ea est efficax virtus stellarum ad attrahendam exhalationem, & non est causa vehemens, quæ impediat eius adunationem, sicut accidit in Zodiaco circulo: in circulo enim vbi apparet Galaxia, sunt magnæ stellæ & fulgidæ, quæ propter frequentiam, & spissitudinem vocantur sporaticæ, id est, seminatæ, quia sic sunt dispersę per illam partem Cœli, quòd non cōuenit eas ordinare sub aliqua figuratione, sicut stellas existentes in aliis partibus Cœli, quia vnaquæ que earū non habet aliquam determinatam positionem vt possit ad similitudinem alicuius figuræ educi: & hoc est manifestum aspicienti in Cœlū, quia in solo hoc circulo spatia intermedia inter stellas maiores sunt plena quibusdam paruis stellis, sed in aliis locis Cœli manifestè deficiunt stellæ, quapropter intermedia apparent vacua à stellis. Aliqui tamen negant hanc esse mentem Aristotelis, &

aſſerunt hanc tranſlationem eſſe vitiatam, propterea ſtandum eſſe antiquæ tranſlationi, quæ habet Galaxiam fieri modo poſtea dicendo: conſtat autem non fieri Galaxiam prædicto modo, tum quia eſt incredibile, quòd per tot ſæcula tanta copia exhalationum attrahatur eadem quantitate & figurâ, vt ille circulus eodem modo clarus & denſus appareat: maximè quia rigente hyeme, & feruente æſtate paucæ exhalationes attrahuntur, aot ſaltem in ſublime deueniunt; tum qoia quando Sol accidit ad circulum, ſcilicet quando eſt in Geminis & Sagittario, diſſiparet & conſumeret ardore ſuo has exhalatioues ſuppoſitas; tum deinde quia, cùm per totum Cœlum ſint plures ſtellæ & magnæ etiam attraherent has exhalationes, licèt non in tanta copia, ac ita efficerent alios circulos, quamuis minores & obſcuriores; tum denique quia ſi Galaxia eſſet in Aëre ratione exhalationum, videretur à diuerſis partibus Terræ ſob diuerſa correſpondentia ad Aſtra fixa Firmamenti, cuius contrarium conſtat experientiâ.

Dicendum igitur cum Alberto magno, & aliis communiter quòd Galaxia eſt lumen diffuſum & protenſum ex radiis plurimarum minutarum ſtellarum ſe mutuò fermè tangentium in denſioribus partibus octauæ ſphæræ. Quod ſic declaratur. In toto illo tractu Firmamenti, in quo apparet Galaxia, eſt maxima multitudo ſtellarum, quarum plurimæ videntur, aliæ etiam quamplurimæ, quia nimis exiguæ pro tanta diſtantia, à nobis non videntur: hæ ſtellæ ſunt valde proximæ ſibi inuicem, ac quaſi contiguæ, & cùm ſint lucidæ radios emittunt, qui ad ſe mutuò refranguntur, & ex tali refractione cauſatur circulus lacteus, qui apparet vt lac ſparſum in ſuperficie concaua Firmamenti. Illa autem pars Cœli, in qua eſt tanta multitudo ſtellarum, eſt denſior pars illius, quia ſtellæ ſunt ibi valde contiguæ, ac proinde lumen in ea cauſatum à Sole, & ab aliis aſtris reflectitur, & lumen ita reflexum, ac diffuſum in toto illo tractu, eſt Galaxia. Quòd autem denſitas ſit cauſa reflexionis patet in Luna, in qua cùm ſint partes denſæ & raræ, inde eſt quòd quando illuminatur à Sole, partes denſæ, quia reflectunt lumen apparent lucidæ, raræ verò, quia non reflectunt, apparent ſubobſcuræ: & ita in Luna plena non apparet lumen, continuum, ſed interruptum, quaſi in Luna eſſent maculæ: propter hanc eamdem rationem ſtellæ apparent lucidæ, quia lumen Solis propter earum denſitatem, non ita penetrat eas, quin illud reflectant: aliæ verò partes Cœli, quia rariores, à lumine penetrantur, nec illud reflectunt: igitur in Galaxia maiori claritas appareet vniformis, propter vniformem denſitatem totius illius tractûs, ac vniformem reuerberationem radiorum, in minori autem inuenitur difformitas & interruptio, quia vbi partes ſunt denſæ, ibi eſt reflexio, & apparet Galaxia, vbi ſunt raræ, non eſt reflexio, nec apparet Galaxia, & ita ſæpe eſt interciſa.

Ex dictis non ſequitur Cœlum eſſe paſſibile, quia recipit lumen, nam inter qualitates hoc eſt diſcrimen, quòd aliquæ ſunt alterantes & corruptiuæ, vt quatuor primæ Elementares ſcilicet calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, aliæ autem ſunt perfectiuæ, vt lux, & iſtæ perficiunt ſubiectum, non verò alterant aut corrumpunt.

Articvlvs II.

De Eclipſi Solis & Lunæ.

Sic paucis, ſed clarè deſcribit Ioannes de Sacro Boſco Eclipſim Solis, & Lunæ. *Cum Luna fuerit in capite, vel in cauda Draconis, vel prope, vel intra metas ſupradictas, & in coniunctione cum Sole, tunc corpus Lunare interponitur inter aſpectum noſtrum, & corpus Solare, vnde obumbrabit nobis claritatem Solis, & ita Sol patietur Eclipſim, non quia deficiat lumine, ſed deficit nobis propter interpoſitionem Lunæ inter aſpectum noſtrum, & Solare corpus.* Ex his patet quòd ſemper eſt Eclipſis Solis in coniunctione, ſiue in nouilunio. Quando autem eſt Eclipſis Solis, non eſt in omni Terra, ſed in vno Climate eſt Eclipſis, & in alio non, quod contingit propter diuerſitatem aſpectûs in diuerſis climatibus. Cuius ratio eſt, quia cùm Sol ſit multò maior Lunâ, & Luna minor Terrâ, eſt impoſſibile quòd Luna ipſa interpoſita inter Solem & Terram totum operiat Solem reſpectu totius Terræ, ſed tantùm operit reſpectu partis Terræ directè ipſi ſoppoſitæ: ac ita non eſt Eclipſis Solis in tota Terra, ſed in parte tantùm. Ex prædictis patet quòd cùm Eclipſis Solis, eſſet in Paſſione Domini, & eadem paſſio eſſet in plenilunio, illa Eclipſis non fuit naturalis; imò miraculoſa, & contraria naturæ, quia Eclipſis Solis in nouilunio, vel circa debet contingere, tum etiam quia Eclipſis illa fuit generalis in vniuerſa Terra iuxta illud Lucæ 23. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam Terram vſque in horam nonam, & obſcuratus Sol:* Siue illa obſcuritas fuerit realiter in Sole, deficiente ſupernaturaliter eius lumine, ſiue fuerit tantùm reſpectu noſtri ex interpoſitione Lunæ, tunc enim debuit alterari & perturbari motos Cœlorum, cùm enim Luna eſſet plena, ſcilicet quartadecima iuxta Scripturam, & eſſet oppoſita Soli, & eſſet Terra intermedia, naturaliter ſolùm poterat cauſari Eclipſis Lunæ, vel generalis, vel particularis: vnde quòd tunc fuerit interpoſita inter Solem & Terram, debuit omnino alterari vel curſus Solis, vel Lunæ, vel vtriuſque: vnde meritò Sanctus Dionyſius Areopagita Gallorum Apoſtolus, videns hanc Eclipſim tempore Paſſionis Chriſti Domini, exclamaſſe dicitur: *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſoluetur.*

Cvm Sol ſit multò maior Terrâ, vt dictum eſt, neceſſe eſt quòd medietas ſphæræ Terræ à Sole ſemper illuminetur, & vmbra Terræ extenſa in aëre tornatilis minuatur in rotunditate, donec deficiat in ſuperficie circuli ſignorum, inſeparabilis à Nadir Solis (eſt autem Nadir Solis punctus directè oppoſitus Soli in Firmamento) vnde cùm in plenilunio Luna fuerit in capite, vel in cauda Draconis ſub Nadir Solis, tunc Terra interponetur Soli & Lunæ, & conus ſiue angulus vmbræ Terræ cadet ſuper corpus Lunæ, vnde cùm Luna ex ſe lumen non habeat (id eſt à nobis perceptibile) ſed mutuetur à Sole, in tei veritate deficit à lumine, & eſt Eclipſis generalis in omni Terra, ſi ipſa fuerit in capite, vel cauda Draconis directè, particularis verò, ſi fuerit prope, ſed intra metas determinatas, ſcilicet Eclipſi: & ſemper in plenilonio, vel circa contingit Eclipſis, vnde cùm non in qualibet oppoſitione, hoc eſt plenilunio, ſit Luna in capite, vel cauda Draconis, aut prope, nec ſuppoſita Nadir Solis, non eſt neceſſe in quolibet plenilunio Lunam pati Eclipſim, quia verò motus Cœlorum ſunt ordinatiſſimi, ac regulares Aſtrologi præuident Eclipſes futuras Solis, ac Lunæ.

Articvlvs III.

De Iride, Siue arcu Cæleſti.

Iris ſic deſcribitur, eſt arcus multicolor in nube roſcida, ex radiorum Solis oppoſiti refractione apparens. Ex qua deſcriptione conſtat cauſam eius efficientem eſſe Solem, materialem nubem roſcidam, formalem ſemicirculos coloratos, finalem verò illud, ad quod ordinatur: de quibus cauſis ſigillatim differendum eſt ad perfectam Iridis notitiam, iuxta mentem Philoſophi, & D.Thom. lib.3. Meteorotum lect.5.

Cavsa materialis, ex qua aliquo modo, & in qua ſit Iris, eſt nubes roſcida, id eſt, habens paruas guttulas ſemilucidas ad modum roris: ſicot accidit, cùm incipit pluere, vel antequam pluat, vel cùm deſinit pluere, & talis nubes poſita fuerit ex oppoſito Solis, vel alterius Aſtri fulgidi, ita vt ob denſitatem ad inſtar ſpeculi refrangat & reflectat eius radios, ex hac enim refractione & reflectione cauſantur, vt in ſpeculo colores Iridis: ſed quia illæ paruæ guttulæ nobis ſunt ſpecula parua, & quaſi indiuiſibilia

indiuisibilia secundùm sensum, ideo in illis apparet color tantùm, non autem figura obiecti, siue Solis: quia autem sunt continuatæ ad inuicem, ideo in illis apparet color continuus, non interruptus: sed ista reuerberatio colorum solùm contingit, quando nubes & Astrum ponuntur ex opposito, & visus noster est in medio ipsorum: licèt autem diaphanum multoties fiat per appositionem opaci in parte exteriori, aliquando tamen fit per solam condensationem & profunditatem partium eius, nam densitas quodammodo terminat, & ideo reflectit, vt constat in Aqua congelata, & in Aëre vaporibus humidis, ac frigore condensato, vnde aliquando accidit, quòd quis videat ante se suam imaginem in Aëre. Profunditas verò ob tenebrositatem, quam includit, gerit vicem corporis opaci, vt apparet in aqua profunda, quæ repræsentat, & hoc verum est, nisi fiat illuminatio directa desuper, quia tunc nulla est repræsentatio: igitur omne speculum est corpus tersum & planum, si debeat bene repræsentare, terminatum, vel aliquo opaco, vel condensatione, vel profunditate, vnde vt repræsentet obiectum sine defectu, debet esse sufficientis magnitudinis, planum, bene tersum, sine macula, & scissura. Si autem sit connexum repræsentat sub minori quantitate obiectum, quàm sit, si concauum, repræsentat sub maiori quantitate, & figura inuersa, si denique sit nimis exiguum, non imaginem, sed solùm repræsentat colorem.

Cavsa formalis Iridis, sunt illi semicirculi colorati solo colore apparente, quibus Iris componitur: si Iris sit simplex, ordinariè sunt tres tantùm circuli. Primus, qui est superior exterior ac ita maior, est puniceus, siue rubeus clarus quasi Ignis: medius est viridis quasi herba: infimus, ac minor, qui & interior periferia, est alurgus, siue purpureus obscurus, aut violaceus: aliquando inter puniceum & viridem apparet alius circulus, quasi croceus & flauus, clarior qua parte contingit puniceum, obscurior qua contingit viridem: ratio autem cur non tota nubes, sed pars eius ad modum arcûs, & semicirculi colorata apparet, prouenit ex Sole, qui cùm sit sphæricus, & tegatur, vel Terrâ dum oritur, aut occidit, vel aliqua nube, cùm sit maior istis obstaculis, ideo circumquaque excedens emittit radios, ac inueniens ex opposito illam roridam nubem, inter quam & ipsum stamus, illam illuminat vsque ad infimam eius partem, & ita ad modum dimidij circuli, nam vel seipsâ, vel Terrâ terminatur, vnde non fit integer circulus. Aliquando Iris est composita, vnde apparent duæ Irides, & vtraque habet prædictos colores, licèt è contrario positos, quia interior & contenta, quæ est principalior, habet in maiori periferia colorem puniceum, in media viridem, in infima alurgum, id est, cæruleum: sed exterior in minori periferia, quia magis propinquat ad Solem, habet puniceum, in media viridem, & in suprema alurgum. Sed hæc dicta sint de Iride ordinaria causata à Sole, nam etiam Luna causat Iridem non multicolorem, sed totam albam, apparet autem, vt semicirculus lacteus, non bene continuus, sed intermedias habens lineas subnigras quasi superductas, ac ita diuidentes semicirculum per totum in tres.

Cavsa efficiens Iridis ordinariæ, est Sol suis radiis oppositam illuminans nubem, ordinariè efficit vel in ortu, & tunc nubes debet esse versùs Occasum, vel in Occasu, & tunc nubes debet esse versùs Orientem, vel etiam, sed rariùs alio tempore, semper tamen debet impediri, vel Terrâ, vel nube ne illuminet totam nubem. Aliquando efficit duas Irides, imò tres, vt cùm extat versùs meridiem, si ei opponantur simul nubes roridæ, ab Oriente, ab Occidente, & ab Aquilone. Sic autem efficit, Sol dirigit suos radios circumquaque magis, aut minùs directè secundùm diuersum aspectum, quem ad diuersa habet: cùm verò radij inueniunt nubem roridam densam, & profundam, quam omnino penetrare non possunt, ibi refranguntur diuersimod, & ex hac diuersitate apparent diuersi colores: quod autem radij refrangantur, experientiâ constat, propterea enim Sol, & alia Astra in Ortu & Occasu apparent maiora propter vapores & exhalationes, quæ sunt prope Terram, in quibus eorum radij refracti dilatantur. Diuersitas autem colorum Iridis sic causatur. Tres sunt præcipui colores, vt dictum est, puniceus, viridis, & alurgus. Puniceus est primus, & causatur in parte nubis magis opposita Soli, & ita fortiùs agit, ac directiùs, vnde color clarus radiorum permutatur in puniceum, qui est propinquior albo: fulgidum enim visum in nigro, apparet puniceum: propter eandem rationem Sol visus per caliginem, vel fumum apparet puniceus, id est, subrubeus, & ignis lignorum viridium habet flammam rubeam, quia magna multitudo fumi, qui est niger, miscetur tali igni lucido, & in hyeme circa lucernas de nocte apparet circulus habens colorem puniceum Iridis propter refractionem luminis lucernæ ad Aërem circumstantem condensatum à frigore, ac terminatum per admixtionem fumi egredientis à lucerna, & ita est nigrefactus à fumo: hoc autem maximè contingit flantibus ventis australibus, à quibus humectatus Aër magis incrassatur: hæc autem refractio causans colorem puniceum fit in prima periferia Iridis, quæ magis est directa Soli, sed refractio facta à secunda periferia, est debilior, quia hæc pars nubis non ita directè irradiatur, nec ita penetratur, & ideo in ea apparet color viridis, qui est propinquior nigro, quàm puniceus: & in tertia circumferentia apparet alurgus, qui est propinquior nigro, quàm viridis, quia hæc pars nubis adhuc minus directè percutitur, vnde minùs penetratur, ac ita refractio causat colorem magis obscurum. Quandò autem fiunt duæ Irides, quarum vna est continens, alia contenta, continens, id est, exterior habet colores obscuriores, & modo contrario positos, vt dictum est: ratio primi est, quia reflexio Iridis superioris, est remotior, tum à Sole illuminante, tum etiam à conspectu nostro: & ideo est debilior, & colores videntur obscuriores, quæ enim magis à longè videntur, obscuriora apparent: causa autem secundi est quia quantò magis reflexio est debilis, tantò color est nigrior, & è conuerso: sed maior circumferentia exterioris Iridis est remotior, & ex consequenti reflexio est debilior, & ideo in ea est color alurgus, quia est magis obscurus: in secunda verò eiusdem Iridis, quæ est minùs remota, est color viridis: in tertia adhuc minùs remota puniceus. Sed in interiori, & contenta Iride maior periferia est propinquior, ideo in ea est color puniceus, in secunda viridis, in tertia alurgus: quia secunda est minùs propinqua, & tertia magis remota, nec plures, quàm tres assignati causantur colores, quia siue ascendendo, siue descendendo à medio nubis, non potest vltra fieri refractio, saltem apparens, radiorum Solis, quia aliæ partes non ita opponuntur Soli, ac proinde retinent suum colorem: ex his patet quòd ista diuersitas colorum non est refundenda ad diuersam dispositionem nubis, quasi vna pars sit magis densa, & causet colorem magis obscurum, alia magis rara, & causet colorem magis clarum: est enim impossibile Physicè quòd nubes sit ita ordinata, vt per singulos semicirculos habeat proportionatam omnino densitatem aut raritatem, sed est refundenda ad diuersam oppositionem partium nubis ad Solem, experimur enim quòd ex diuersa oppositione ad luminosum, causatur diuersa refractio luminis, & apparent diuersi colores, vt in collo columbæ. Aliquandò in Iride apparent alij colores inter tres principales, putà inter rubeum & viridem apparet citrinus, siue croceus, Græcè xaneos: sed hic non causatur ex refractione radiorum Solis, sed ex iuxtapositione coloris punicei ad viridem, quia puniceum positum iuxta viride, pallescit, & viride iuxta puniceum flauescit: hoc experimur quotidie quòd colores mutant apparentiam ex diuersitate aliorum, iuxta quos ponuntur, & ex diuersa positione luminis, ac ita pars semicirculi punicei apparet quasi coloris paleæ, & pars semicirculi viridis apparet crocea, siue flaua: quod etiam euenit proportione seruatâ inter colorem viridem & alurgũ, nam pars inferior viridis obscuratur ex iuxtapositione alurgi, cùm superior sit viridis clara, superior verò alurgi est clarior propter iuxtapositionem viridis, vnde apparet

violacea, ſiue purpurea obſcura, inferior verò eſt obſcurior, & quaſi cærulea. Iris Lunæ eſt tota candida ſecundùm omnes ſemicirculos, quia lumen Lunæ,cùm ſit valde debile, non poteſt penetrare interiores partes nubis denſæ, in qua cauſatur,ac proinde refrangitur in ipſa eius ſuperficie, ac ita non cauſatur, niſi color albus: nam lumen refractum in ſuperficie alicuius obſcuri & opaci candeſcit, lineæ verò nigræ ſemicirculos diſtinguentes, proueniunt ex diuerſo aſpectu nubis ad Lunam: nam pars, quæ magis directè aſpicit, habet candorem magis clarum, & eſt talis ſeptema pars: media autem, quia minùs directè aſpicit, habet candorem minùs clarum: infima denique,quia adhuc minùs directè aſpicit,ideo habet candorem magis obſcurum: vbi autem illi diuerſi candores vniuntur, apparent quaſi lineæ illos vnientes: quò autem nubes eſt denſior, eò magis apparet talis candor, ſicut quando Iris Solis fit in nube ſpiſſa, & valde nigra, tunc colores videntur maximè puri.

Cavsa finalis Iridis vltima & vniuerſalis eſt manifeſtatio diuinæ pulchritudinis, & deinde decor vniuerſi, propterea dicitur Eccleſiaſtici 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in decore ſuo, gyrauit Cœlum in circuitu gloriæ ſuæ: manus excelſi aperuerunt illum.* Finis proximus eius poteſt dici illud omne, quod ſignificat: plura autem ſignificat, naturaliter quidem pluuiam proximam, cuius ratio eſt manifeſta, quia formatur in nube ſorida, vt dictum eſt, ac proinde proximè reſolubili in pluuiam, quæ pluuia non erit magna aquarum eluuio, vt docet D. Thom. quia nubes minùs grauida quæ poſſet hanc cauſare pluuiam, non poteſt propter illam denſitatem penetrari radiis Solis, ac ita non poteſt cauſari Iris iuxta ſuperiùs dicta: vnde ſignificat diluuium proximè non futurum, non autem ex ſe ſignificat illud nunquam futurum, ſiue vniuerſaliter,ſiue particulariter, particularia enim plura fuiſſe poſt vniuerſale nunquam futurum, habet ex inſtitutione diuina,iuxta illud Geneſis 9. *Arcum meum ponam in nubibus,& erit ſignum fœderis inter me, & inter Terram, cùmque obduxero nubibus Cœlum apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.*

Articvlvs IV.

De coloribus in Aëre apparentibus.

Colores in Aëre apparentes, non ſunt veri, ac diſtincti à luce ſiue lumine, ſed ſunt lumen diuerſimodè in vapore aut exhalatione refractum, quòd conſtat ex varia & continua talium colorum mutatione, per hoc quòd illi vapores & exhalationes diuerſimodè inſpiciantur à corpore lucido: ex diuerſo autem aſpectu ſequitur diuerſa penetratio vaporum, ac diuerſa refractio luminis, quod indicat non eſſe veros & fixos colores: diuerſitas igitur horum colorum procedit, tum ex diuerſa diſpoſitione vaporum & exhalationum, in quibus lumen eſt refractum, vt ſtatim dicetur, tum ex diuerſo aſpectu corporis luminoſi reſpectu eiuſdem, tum aliquando ex diuerſitate medij, per quod ſpecies viſibiles tranſeunt, tum ex intenſione & remiſſione luminis, quod ſigillatim ſic oſtenditur.

Qvando vapores vel exhalationes ſunt valde tenues & raræ, colores ſunt valde clari, ac magis accedere videntur ad lumen, & iuxta maiorem vel minorem raritatem, magis clari ſunt colores, quia colores iſti cauſantur ex refractione luminis: ſi vapor ſit tenuiſſimus, totaliter illuminabitur, ac penetrabitur, vnde nulla erit refractio, nec apparebit color, ſed lux: ſi autem ſit vapor non tenuiſſimus, ſed valde tenuis, ita vt non poſſit omnino penetrari, fiet parua refractio luminis, & ita apparebit color clarus, v.g. palearis, flauus, croceus, puniceus, ſiue color rubeus, igneúſque: ſi autem vapor ſit ſpiſſus & denſus, ita vt parum penetretur ratione maioris vel minoris denſitatis, profunditatis & opacitatis, erit maior luminis refractio, & ita apparebunt colores magis vel minùs obſcuri, ſcilicet viridis, purpureus, violaceus, ac cæruleus. Ad hoc etiam multùm confert diuerſa vaporum & exhalationum affectio, nam ſi nubes conſtat plurimùm exhalatione, & parum vapore, vel ſi conſtet vapore vi frigoris vnito, ita condenſatur,vt nullo modo penetretur à lumine, & ſic cauſatur nigredo,maximè ſi lumen ſit debile: ſi enim ſit forte, aliquis candor extrinſecus apparet: ſi nubes conſtat vapore ſubtili, & raro, nec frigore vnito, quia omnino lumine penetratur, cauſatur albedo, rubedo, ſiue purpureus color clarus apparet in nube conſtante vapore, admixtâ aliquantulâ exhalatione aduſtâ, ex qua condenſatur. Color viridis cauſatur in nube,quando incipit conuerti in aquam, & rorans incipit ſtillare. Color violaceus,purpureus obſcurus & cæruleus cauſantur in nube ex admixtione multa exhalationum, quæ in medio nubis incipiunt inflammari, vnde ex eis cauſatur tonitru exiguum, quæ enim cauſat magna tonitrua, eſt nubes nigra.

Qvod etiam illa diuerſitas colorum procedat ex diuerſo aſpectu, ſcilicet magis & minùs directo reſpectu eiuſdem, conſtat ex dictis de Iride, & quotidie experimur: nam eadem nubes mutat ſucceſſiuè diuerſos colores, ſecundùm quòd diuerſimodè opponitur corpori luminoſo, quod etiam videmus in collo columbæ: & ratio eſt, quia ſecundùm quòd corpus luminoſum reſpicit nubem magis, aut minùs directè, fortiùs, aut remiſſiùs in eam agit, vnde eius radij magis, aut minùs penetrant, vnde ſit varia refractio eorum, ex qua diuerſa refractione cauſantur diuerſi colores.

Qvod etiam ex diuerſitate medij, per quod ſpecies viſibiles tranſeunt, procedat iſta diuerſitas colorum, patet quotidiano experimento, quia ſi quid videatur per ſpeculum viride & rubrum, apparet viride & rubrum. Deinde quia aſtra propterea videntur colorata, maximè in ortu & occaſu, cùm enim prope terram ſint ſæpe nubeculæ, ſiue vapores & exhalationes craſſæ, dum penetrantur lumine Solis, Lunæ, aut alterius aſtri orientis vel occidentis, rubeſcunt, vnde aſtra per tale medium viſa, apparent eſſe rubei, ſanguinei, vel alterius coloris.

Qvod denique iſta diuerſitas colorum procedat ex diuerſa intenſione & remiſſione luminis, conſtat maximè in ortu & occaſu Solis, nam quò propinquiores ſunt nubes, eò intenſiùs illuminantur, & quò remotiores, eò remiſſiùs: vnde iuxta Solem apparent valde lucidæ, vlteriùs aureæ, deinde punicea, purpurea, tandem in remotioribus partibus color eſt obſcurior, imò eadem pars nubis accedente Sole, habet colorem clariorem, & recedente habet obſcuriorem, cuius cauſa non poteſt eſſe alia, quàm intenſio vel remiſſio luminis in nube recepti: quò enim eſt intenſius, eò magis penetrat & illuminat nubem,vnde cauſat colorem clariorem: quò verò remiſſius eò minùs penetrat & illuminat, vnde cauſat colorem obſcuriorem.

Articvlvs V.

De Voragine, Hiatu, & Corona.

Qvia ex diuerſa nubium, ſiue vaporum, & exhalationum irradiatione apparent diuerſa phantaſmata in Aëre, ideo de tribus principalioribus differendum eſt, videlicet de voragine, hiatu, & corona: alia enim non eueniunt regulariter, ſcilicet phantaſmata hominum, equorum, aliorúmque ſimilium, quæ fiunt ex concurſu caſuali nubium, iſta verò tria ſæpe videntur.

Vorago, & hiatus ſic formantur, cum ſerenâ nocte reperitur aliqua nubes ſub Luna, vel alio aſtro lucido, cuius medium eſt valde denſum,ac proinde nigrum, quia non poteſt penetrari lumine, extremitates verò circumquaque rariores, ac proinde lucidæ, quia penetrantur lumine, tunc apparet, ſi nubes ſit magna,quaſi ingens, & profunda fouea, quæ dicitur vorago, ſi autem nubes ſit parua

partus apparet exigua fouea, quæ dicitur hiatus: cuius ratio est, quia nigrum apparet magis distans, quàm lucidum, aut candidum, aut coloratum alterius coloris, licèt sint in eadem distantia & superficie, quod quotidie experimur, nam pictores vt repræsentent antrum, vel puteum, aut quid simile distans, & profundum, ponunt in medio colorem nigrum, & cingunt alio magis splendido: & hoc quia, quò color est magis splendidus, magis mouet aspectum, vnde indicatur propinquior: quò autem est magis obscurus, eò minùs mouet, vnde indicatur remotior: colores autem quò magis splendidi, magis accedunt ad lucem, quæ est maximæ actiuitatis circa visum, obscuri autem magis ab illa recedunt.

CORONA, quam Græci halon vocant, sic efformatur: quando est serenitas, nec flant venti, contingit sæpe quòd vapores vi Solis ascendentes, antequam ad mediam regionem Aëris perueniant, directè supponantur Soli, Lunæ, aut alteri astro splendidiori, siue à casu, siue vi luminis astri illius attracti, tunc astrum directè irradians congeriem illam vaporum circa medium, consumit partem mediam, in quam fortiùs suo lumine calefaciendo & exsiccando agit, vnde in medio aperit, & formatur circulus, qui circumquaque paulatim dilatatur, ac videtur ad modum coronæ, vel candidæ & lucidæ, si fit sub Luna, aut alio astro debiliori, vel multicoloris quasi Iris, si fit sub Sole, sub quo tamen rariùs contingit, parùmque durat, quia faciliùs dissipat, & consumit illos vapores: causatur etiam aliquando circa lucernam, si condensetur Aër hyeme: frequentiùs autem formatur corona tempore verno & autumno, quàm hyeme & æstate, nam æstate illi vapores facilè à calore consumuntur, hyeme verò à frigore condensantur in nubem. Quid præsagiat corona, dictum est.

ARTICVLVS VI.

De Virgis & Pareliis.

VIRGÆ à latere Solis apparentes sic fiunt ex Aristotele, & D. Thom. hic libro. 3. lect. 8. quando sub Sole reperitur aliqua nubes irregularis, id est, non eiusdem dispositionis per totum, sed in vna parte rarior, in alia densior, tunc radij Solares penetrantes nubem secundùm partes rariores in longum protensas, non autem partes densiores, ex aliqua refractione apparent quasi virgæ diuersæ in colore, iuxta maiorem, vel minorem raritatem illarum partium: vnde si fit valde rara, apparet virga punicea, flaua, &c. si non ita rara, apparet viridis, si adhuc minùs rara, apparet virga purpurea, violacea, cærulea, &c. proportione seruatâ, vt dictum est de Iride: aliquando etiam contingit, quòd illa nubes Soli subiecta non est continua, sed constans ex duabus, vel pluribus partibus in longum contiguis, tunc radij Solares per medium illarum diffusi, apparent vt virgæ omnino lucidæ & candidæ, vel etiam aureæ, si in illo medio sit sparsus aliquis tenuissimus & subtilissimus vapor, nam vapor tenuis lumine perfusus apparet aureus. Si verò in nube non ita densa sint partes densiores, tunc apparebunt vt virgæ nigræ, quia non penetrantur radiis Solaribus, sicut residuum nubis, quod propterea candescit, hæ virgæ etiam causantur à Luna, sed non ita apparentes.

PARELII nihil aliud sunt, quàm imagines Solis causatæ ex refractione radiorum Solarium in nube existente à latere Solis, vnde apparent quasi plures Soles. Nubes illa debet esse densa, magis à parte exteriori, minùs ab anteriori, vt ita quasi speculum reflectat, vel saltem debet esse valde profunda, ita vt tota non possit penetrari. Debet esse rotunda, & tandem regularis, ita vt partes anteriores sint æqualiter omnes raræ, & exteriores æqualiter densæ. Si plures huiusmodi nubes Soli opponantur, tunc apparebunt plures Soles, vel etiam si vna alteri sam figuratæ à Sole opponatur, quamuis tunc sit debilior repræsentatio in hac secunda. Tres referuntur apparuisse huiusmodi Soles hoc sæculo in Lusitania, nec plures vnquam fuisse visos asserit Plinius, quamuis alij dicant sex aliquando apparuisse, aliquando multùm, aliquando parum durant: quando autem apparent tres Soles, medius, est verus, alij apparentes: idem proportionaliter dicendum de Luna, quæ in plenilunio potest suam figuram in similibus nubibus imprimere, quæ nubes adhuc magis repræsentabunt, si fiunt concauæ, quia propter illam concauitatem radij magis concentrantur in medio, vnde est fortior eorum reflexio, maximè si sit totida, quia reflexio est purior, & clarior. Parelij potiùs fiunt circa ortum & occasum Solis, quia tunc nubes non dispergantur calore Solis tam facilè, quia tunc non est ita vehemens. Fiunt etiam à latere Solis, putà nube existente ad Austrum vel Aquilonem, quæ sunt latera Solis, Auster quidem dextrum, Aquilo verò sinistrum, quia tunc Sol non dissoluit eam, si sit in debita distantia à Sole, & visus potest ad illam pertingere propter conuenientem proportionem distantiæ. Parelij sicut & virgæ præsagiunt pluuiam, istæ minorem, illi maiorem, quia ambo apparent in nube torida, sed illa, in qua sunt Parelij, est densior, ac proinde plus imbre grauida, & adhuc præsagiunt maiorem, si appareant ad latus Australe, quia ventus Australis propter calidum temperatum eleuat multos vapores, & congregat eos in nubem, & nubes resoluit in aquas, Aquilo autem propter frigiditatem & siccitatem propellit nubes, & prohibet eleuationem vaporum.

QVÆSTIO XXIV.

De Meteoris Igneis.

QVM Ignis sit nobilior aliis tribus Elementis, ideo priùs de Meteoris igneis, quàm de aliis agendum est: hic enim proceditur ordine dignitatis, circa autem Meteora ignea quæruntur sex.

- ¶ Primò, De Meteoris igneis in communi.
- ¶ Secundò, De Fulgure.
- ¶ Tertiò, De Fulmine.
- ¶ Quartò, De Cometis.
- ¶ Quintò, De Stella, quæ Christo nato apparuit.
- ¶ Sextò, De aliis Meteoris igneis in particulari.

ARTICVLVS I.

De Meteoris igneis in communi.

METEORA ignes sunt in multiplici differentia, quædam maiora, alia minora, diuersi eorum colores, diuersæ figuræ sunt: alia multùm durant, alia parum: different etiam loco, quædam enim fiunt in suprema regione Aëris, vt Cometa, alia in media, vt fulgurs & Fulmina: alia in infima, omnia verò fiunt sub Luna, quia vt dicitur in libris de Cœlo, Cœli sunt solidi, ita vt nihil ex his inferioribus illos possit penetrare, & simul sunt incorruptibiles, vnde nihil ex his potest resolui, quod inflammetur, aliàs paulatim consumerentur & corrumperentur: cùm igitur apparent nobis Stellæ cadentes, non est credendum quòd Stellæ Firmamenti cadant, aliàs iam omnes cecidissent, sed sunt quædam exhalationes, quæ in Aëre inflammantur, & videntur Stellæ, vt postea dicetur: ita teouêre Arist. & alij Antiqui: Moderni tamen aliqui Astrologi & Philosophi asserunt multas Cometas apparuisse supra Lunam, aliaque Sydera, vnde asserunt non dari Cœlos solidos, sed liquidos, quos proinde exhalationes vi Solis abstractæ à Terra, possunt penetrare, & ibi inflammatæ efficere Meteora ignita, sed de his agitur in libris de Cœlo.

MATERIA horum Meteororum sunt exhalationes quædam pingues, & viscosæ vi Solis à Terra eleuatæ, quæ sæpe habent admixtas partes sulphureas, bituminosas, & similes facilè combustibiles. Exhalationes enim sunt in duplici differentia, quædam enim sunt omnino siccæ, aridæ,

aridæ, & non cohærentes, quia eleuantur à terra arida, & istæ sunt materia ventorum, non enim sunt aptæ inflammari: aliæ verò sunt viscosæ & pingues, quæ eleuantur à terra pingui, & istæ facilè inflammantur, vel in suprema parte Aëris ab Igne superiori imminente, vel in media regione per antiperistasim, vt explicabitur, vel in infima per calorem intensum Aëris ex reflectione radiorum Solarium, vnde in infima parte solùm Æstate contingunt ista Meteora ignita, saltem regulariter. Aliqui vocant has exhalationes etiam vapores terrestres, sed iam vsus inualuit, quòd solùm Aquæ attribuuntur vapores, exhalationes verò Terræ. Quòd possint inflammari, constat, nam alicubi inuenitur carbo niger terrenus, qui concipit Ignem, & diu conseruat: exhalationes verò, quia tenuiores, faciliùs concipiunt & citiùs consumuntur. Figura est horum Meteororum forma, à qua diuersimodè denominantur. Finis autem remotus est, tum decor Vniuersi, tum manifestatio diuinarum perfectionum, quæ est vltimus, proximus verò aliquando est ex institutione Diuina, maximè in Cometis, aliquando ex natura, vt quòd illæ exhalationes consumantur, quæ poterant corrumpere Aërem, &c.

Articvlvs II.

De Fulgure.

Fvlgvr, siue Coruscatio est exhalatio accensa è nube erumpens. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd Sol simul attrahit vapores ex aqua, & exhalationes diuersæ rationis à Terra, quædam enim sunt omnino siccæ & aridæ, aliæ pingues & viscosæ: vapores igitur & exhalationes simul ascendunt, cùm autem perueniunt ad mediam regionem Aëris, vapores, vt pote tenuiores, statim amittunt calorem sibi à Sole impressum, quo attenuati & eleuati fuerunt, ac ex frigore natiuo & aduentitio condensantur in nubem; cùm autem sint in maiori quantitate, quàm exhalationes (faciliùs enim aqua calore attenuatur & eleuatur, quàm Terra, quia hæc natura sua est densior, & partes magis cohærent) ambiunt & in se concludunt illas exhalationes: quò autem vapores magis condensantur, exhalationes in medio eorum magis comprimuntur: cùm autem exhalationes illæ adhuc calidæ (diu enim conseruant calorem, quia pingues & crassæ,) ac propter viscositatem facilè combustibiles ex nimia compressione, vel forti agitatione, qua contrarium vndique obsistens euadere tentant, ac etiam ingenti collisione factâ ad latera nubis, ignem concipiunt, & inflammantur: constat enim quòd ex magna compressione, vel ex forti agitatione res combustibiles incenduntur, arundines enim siccæ vento fortiter agitatæ, ac inuicem collisæ flammam concipiunt, & Arabes in suis desertis duplici ligno ignem efficiunt, est vnum inferius semiperforatum, cuius foramini partem telæ applicant, aliud est acutum in extremitate, foraminique alterius admouent intermediâ telâ, quod inter manus rotando, sicque inuicem fortiter comprimendo eliciunt ignem, quem tela concipit, ipsaque etiam ligna, si diutiùs compressio duraret, conciperent. Exhalationes autem inflammatæ rarescunt, ac ita maiorem exposcunt locum, (ac etiam naturali appetitu ignis, qui ad suam tendit sphæram) & exire contendunt: vnde nubem, qua parte est debilior, frangunt, sicque erumpunt. Aliquando ex præcedenti collisione fit tonitru, & tunc priùs auditur tonitru, quam videatur fulgur, aliquando nullum fit Tonitru, quando nubes non est ita densa, ac facilè partes eius dissipantur ab exeunte exhalatione accensâ: aliquando tandem ex ipsa fractione nubis causatur Tonitru, & eodem tempore fit fulgur & Tonitru, priùs tamen videtur fulgur, quàm audiatur Tonitru, quia vt dicitur in libris de anima, immutatio visûs, quia immaterialior, citiùs contingit, quam immutatio auditûs. Iuxta autem raritatem & densitatem exhalationum est maior, vel minor claritas fulguris: si enim exhalatio sit tenuis, & parum viscosa, coruscatio est admodum clara, & apparet vt flamma paleæ: si paulò densior & magis viscosa, efficiet coruscationem flauam aut croceam: si autem sit valde densa ac viscosa, efficiet propter fumum causatum ex viscositate coruscationem rubicundam, aut etiam purpuream: si exhalationes sint attractæ à Terra nigra aut fusca, similia fulgura habent maximam vim comburendi, ciuitatésque integras possunt in cinerem resoluere, nec extinguuntur aquâ.

Articvlvs III.

De Fulmine.

Fvlmen describitur quòd sit exhalatio ignita magno impetu de nube prosiliens: vnde Fulgur, & Fulmen partim conueniunt, partim differunt: conueniunt in hoc, quòd vtrumque est exhalatio accensâ è nube erumpens, vnde vtriusque eadem est materia, idem modus, & locus generationis, & ita circa generationem Fulminis nihil noui dicendum occurrit: differunt autem in hoc, quòd exhalatio Fulguris, vtpote tenuior, citò consumitur, & extinguitur in aëre superiori, exhalatio autem Fulminis, quia densior, ad inferiorem aëris partem attingens arbores, domos, aliáque similia comburit, maioremque habet effectum, si exiliat ex inferiori parte nubis versùs Terram, quia inde sibi aperit viam, ex eo quòd non sit tam densa, ac aliæ partes, & ita faciliùs frangatur. Eius motus non est directè deorsum aut sursum, sed in transuersum, quia virtus Ignis impedimit grauitate materiæ, ne sursum directè tendat, impedit autem quamdiu durat, ne cadat deorsum: & ita hinc inde discurrit, irregulariter tamen propter varios halitus, qui simul cum ipso exeunt à nube, vt dicetur, quibus hinc inde circumfertur: propterea loco superiora frequentiùs feriuntur Fulmine, iuxta illud Poëtæ, *Feriuntque summos fulmine montes*. Quia autem hæc attractio exhalationum, fit tum virtute Solis, tum Planetæ Iouis, (propter quod Gentiles attribuebant Ioui virtutem tonandi & fulminandi) hæc verò virtus Hyeme est debilis ob instans frigus, ideo parum attrahit, & rarò generantur Fulmina, sicut & Æstate propter contrariam pene rationem, quia virtus & calor, quo attrahuntur, est vehemens, ideo attractas exhalationes in inferiori parte aëris vtplurimum inflammat, & consumit, vnde tot ibi apparent coruscationes: sed Vere & Autumno frequentiùs accidunt Fulmina, ex quo colligitur quòd in locis valde frigidis, aut valde calidis non ita frequenter eueniunt Fulmina, sicut in tempetatis.

Fvlmen fit tribus modis, vam vel exhalatio, ex qua fit, est magis subtilis quàm calida, & tunc fit Fulmen vehementer penetrans, sed non adurit: vel exhalatio est minùs subtilis, & magis calida, & tunc fit Fulmen, quod tardiùs penetrat, & maiorem moram faciendo adurit, quia autem hæc exhalatio habet aliquid humiditatis viscosæ, ideo ex compressione nubis induratur in lapidem subnigrum ad instar Cunei, quem Itali Sagittam vocant, cuius inferior pars est acuta, quia exhalatio dum comprimitur, quasi fluens declinat ad illam partem, ad quam indurationem iuuat antiperistasis, quâ exhalatio vnit se, vt resistat vapori ambienti, sibi in multis contrario, virtus enim vnita fortior: ex hac autem compressione concipit ignem, vnde frangit nubem, & magno impetu prosilit: vel tandem exhalatio constat ex partibus mineralibus, & tunc generatur in nube vel ferrum, vel calybs, vel aliud minerale.

Ex hac diuersitate Fulminum sequitur intelligentia multorum effectuum Fulminis, nam quòd liquefaciat pecuniam in bursa, intactâ bursâ, vel ensem illæsâ vaginâ, vel arma sub ligno, eo non adusto, prouenit ex hoc quòd illud Fulmen est subtilissimum, & facilè penetrat poros bursæ, vaginæ, aut ligni, & ita pertingit ad metallum, & aliunde, cùm non sit valde calidum propter subtilitatem, in subita penetratione non adurit,

quæ

quæ sibi non resistunt, quæ verò resistunt, adoriuntur, tum quia diutiùs agit in ipsa, tum quia ex resistentia augetur virtus agentis, maximè calor Ignis: vnde videmus quòd globus bombardæ explosus pene emortuus, si aliquid parum obsistat, quasi vires assumit ex obstaculo, & fortiùs currit: propter eamdem rationem penetrat ligna vitis satis potosa, & exsiccat, absque eo quod extrinsecùs appareat combustio: similiter interficit hominem, & non lædit vestimenta, quia partes corporis plus resistunt, quàm vestimentum: maximè, quia licèt non semper magis agat intra corpus, quàm in vestimento, tamen hoc licèt non apparens in corpore, nec in vestimento, sufficit ad occidendum propter qualitates nocivas vitalibus membris: aliquando Fulmen non est tam subtile, nec valde calidum, vnde contingit, quòd comburat pilos corporis naturâ suâ valde siccos, aut vestimenta, nec tamen nocet corpori, quia eius humiditate vincitur: aliquando verò est magis densum, & habet maximam vim adurendi, vnde contingit quòd frangat dolium, & vinum cogat: omnia autem tacta Fulmine, inficiuntur odore sulphureo, quia vapor aquosus nubis admixtus exhalationi terrestri, ex calore corrumpente & adurente convertitur in spiritus sulphureos, qui comitantur fulmen. Hi sunt ordinarij effectus Fulminis, alios habet extraordinarios operâ dæmonum, Deo sic permittente, vt quòd combutantur Vrbes integræ, sicut asseritur de Lugduno tempore gentilitatis, quod vnâ nocte cœlesti igne combustum, & consumptum fuit, ita vt nec vestigium eius sequenti appareret die.

Articvlvs IV.

De Cometis.

Cometa, est duplex, scilicet verus & apparens. Cometa verus tunc fit, quando exhalatio magna ignitur in superiori parte Aëris, & videtur esse, vt Stella crinita, aut caudata: apparens verò contingit, quando aliqua Stella vel errans, vel fixa, suâ vi sub se attrahit aliquas exhalationes, quas etiam mouet, quibus adunata Stella videtur esse Cometa: tales verò exhalationes videntur coma eius, si Stella appareat in medio earum, vel cauda, si à parte inferiori illas habeat. Ad quorum euidentiam sciendum est, quòd in substantia eadem est materia omnium Meteororum ignitorum, scilicet exhalatio sicca, pinguis, & viscosa: secundùm verò diversam dispositionem est materia determinata diversorum Meteororum, in magna quidem copia, & valde condensata, est materia Cometæ.

Sic autem fit generatio Cometæ ex Aristotele, & D. Thom. hîc libro 1. lect. 11. Quando prædicta exhalatio vi Solis est eleuata ad superiorem partem aëris, (aliquando enim impeditur à vaporibus in media regione obsidentibus) concipit ignem, vel ex proximitate Ignis superioris elementaris, vel ex aliquo Fulmine à parte superiori nubium erumpente, vel alio modo: ita tamen quòd ex aliqua parte incipiat exuri sigillatim, propter densitatem materiæ, ac magnam eius copiam, vnde ille Ignis diu durat, maximè attractis continuò à Terra exhalationibus viscosis, hæc enim viscositas impedit ne citò combutantur: experimur enim quòd ligna viscosa, licèt facillimè concipiant ignem, lentè tamen consumuntur: pars igitur exhalationis inflammata apparet quasi Stella, & dicitur Cometa: reliquæ autem partes, vel sunt circumquaque partem ignitam, & videntur esse quasi coma eius, quia radiis flammæ vndique sparsis, velut crinibus argenteis discriminantur, & tunc dicitur Stella comata. Vel aliæ partes sunt tantùm infra partem ignitam dispositæ ad longitudinem, & tunc dicitur Stella caudata. Vel denique illæ partes non ignitæ non sunt infra ignitam, sed à latere, & tunc dicitur Stella barbata.

Verus Cometa, vt dictum est, fit in suprema regione Aëris, & facilè dignoscitur ab apparenti, tum quia diu durat, non autem apparens, quia difficile est, quòd illæ exhalationes multùm perseuerent sic adunatæ tali Stellæ: tum etiam ex motu, quia cùm Stellæ habeant suos motus valde regulares, facilè scitur ex motu Cometæ apparentis, an sit aliqua Stella, quia Cometa verus habet motum tardiorem ex eo quòd virtus primi mobilis non est tam efficax in corporibus distantibus, ac est in proximis: & ita licèt moueat Ignem Elementarem, & Aërem, non tamen ita velociter, & ideo Cometa existens in Aëre remanet post corpora Cœlestia, quæ velocissimè mouentur, & sic videtur habere motum contrarium Firmamento, sicut & Planetis, ex sola retardatione. Cometæ differunt in colore, nam aliqui sunt valde lucidi & candidi, alij magis rubicundi, quod prouenit ex diuersa dispositione materiæ, si enim exhalationes sint puræ, nec ita densæ, Cometa erit valde clarus: si autem materia sit valde spissa, & ex terra nigra, Cometa erit rubicundus, quia flamma concepta in simili materia apparet rubicunda. Contingunt autem frequentiùs extra Tropicos, id est, extra viam Solis, quàm intra, quia à calore Solis illæ exhalationes, nisi sint superabundantes, facilè consumuntur, vel ex eius motu dissipantur.

Mvlta præsagit Cometa. Primum, famem & penuriam, propter sterilitatem, quia vt dictum est, materia Cometæ, sunt abundantes exhalationes attractæ à Terra, quæ sunt pars Terræ pinguior & potior, vnde non mirum si reddatur sterilis. Secundum, plures ventos & terræ motus, nam tunc virtute Solis excitantur multæ exhalationes in visceribus Terræ, quæ si exire nequeant, Terram concotiunt: ex illis verò exhalationibus viscosæ tantùm inflammantur, aridæ verò permixtæ resoluuntur in ventos, & consequenter sequuntur tempestates crebræ, & maximæ tum in Terra, tum in Mari. Tertium, morbos plurimos & contagiosos, quia illæ exhalationes inficiunt Aërem, qui redditur nociuus & venenosus sanitati, maximè Principum & Regum, qui ordinariè sunt delicatioris sanitatis, quæ proinde facilè alteratur. Quartum, bella, quia Aër inflammatus calore Cometæ, inflammat spiritus corporis humani, vnde homines fiunt cholerici, inclinati ad iram, ex qua oriuntur seditiones & bella, quia multi sequuntur inclinationes naturales, etiam causatas ex influentia cœlesti, quamuis sapiens dominetur Astris.

Articvlvs V.

De Stella, quæ Christo nato apparuit.

Hæc Stella fuit nobilissimum Meteororum, tum ratione suæ formationis, tum ratione finis, propter quem Formata est: *Cùm enim*, vt ait August. libro 2. contra Faustum cap. 5. tom. 6. *Non ex illis erat hæc Stella, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub creatoris lege custodiunt, sed nouo Virginis partu nouum sydus apparuit*: Propter rationes infra dicendas, necesse est quòd fuerit efformata non naturali ordine, sed præternaturali, scilicet virtute Angelicâ, ad finem nobilissimum, scilicet manifestationem Christi inter gentes: cuius ductum sequentes Magi, vel expressâ Dei reuelatione ipsis factâ, vel propter prophetiam Balaam dicentis, orietur stella ex Iacob, quæ ipsis nota erat, vel propter oraculum Sibyllæ Erithreæ expressum sequentibus versibus,

Diuinámque Magi Stellam coluere recentem,
Monstratúsque Dei præcepta sequentibus infans
Est in præsepio.

Vel quia in ipsa apparuit effigies paruuli nati, vt alij volunt, ex Orientali Chaldææ & Arabiæ regione ad inquirendum Christum natum Iudæam venerunt.

Qvamvis autem aliqui sancti Patres asserant hanc Stellam fuisse Angelum sub tali figura, Probabilius tamen est fuisse Stellam aliquam materialem, non quidem de numero cœlestium, sed efformatam ex materia sublunari, quæ in suo cursu virtute Angelicâ dirigebatur. Quod non fuerit de numero cœlestium probat D. Thom.

multis rationibus 3. p. q. 36. art. 7. primò quidem, quia nulla Stella cœlestis pergit à Septentrione ad Meridiem, sicut fecit ista: maximè à Hierusalem ad Bethleem. Secundò, quia hæc apparebat, tam die, quàm nocte, aliæ verò solùm apparent nocte. Tertiò, quia aliquando se abscondebat. Quartò, quia non habebat continuum motum, sed stabat quando Magi debebant alicubi consistere, quæ non conueniunt Stellis cœlestibus. Quintò denique, quia procedebat Terræ vicina, quia distinctè stabulum, in quo Christus natus iacebat, demonstrauit: Stellæ autem cœlestes non descendunt, cùm sint fixæ suis Cœlis. Restat igitur, quòd fuerit efformata in modum Stellæ exhalatio aliqua satis pura virtute Angelicâ, quæ incensa redderetur valde splendida, & continuo eodem ministerio Angelorum subministratâ nouâ materiâ foueretur, absconderetur, manifestaretur, ac dirigeretur ad intentum diuinæ Prouidentiæ, quo expleto resoluta est.

ARTICVLVS VI.

De aliis Meteoris Igneis.

PLVRA alia sunt Meteora Ignea, tam in suprema, quàm in media, & infima regione Aëris. In suprema sunt quatuor, videlicet Columnæ pyramidales siue Ignis perpendicularis, Flamma siue fax accensa, Lancea ardens, & titio. In media sunt tria, Capræ saltantes, Draco volans, Sydera errantia. In infima sunt Stipula ardens, Cereus accensus, Ignis fatuus, Ignis lambens, Castor, Pollux, Helena. De quibus sigillatim agendum est: eadem omnium, sicut & præcedentium est materia, scilicet exhalatio sicca, pinguis, & viscosa, sed accensa secundùm diuersas figuras prædicta repræsentantes. In suprema regione accenditur propter dispositionem ex calore Ignis Elementaris vicini. In media ex compressione nubium adiuuante Antiperistasi. In infima ex calore ipsius producto reflexione radiorum Solis.

COLVMNA perpendicularis, siue pyramidalis contingit, quando exhalatio est longa & lata, magis tamen in parte inferiori, quia in his exhalationibus plures sunt partes crassæ, quæ subsunt subtilioribus, vnde plus spatij occupant, supra quas subtiles accensæ apparent, vt Columna pyramidalis supra suam basim perpendiculariter.

FLAMMA, siue fax accensa contingit quando prædicta materia habet magnam longitudinem & latitudinem, tunc enim videtur esse quædam flamma accensa in Cœlo, sicut cùm stipula ardet in area.

LANCEA ardens apparet, quando exhalatio parum dilatata in longitudinem procurrit, velut lancea, citò transiens, quia tenuis.

TITIO videtur, quando exhalatio valde condensa, non multùm habet in latitudine, sed solùm in longitudine.

CAPRA saltans dicitur exhalatio densa, magis longa, quàm lata, quæ dum comburitur, scintillat, vnde videtur salire & discurrere quasi capra, quòd inde euenit, quia non inceditur tota materia simul, sed secundùm aliquas partes, incipiens ex aliquo principio illius materiæ, quando enim tota simul incenditur, fit titio.

DRACO volans repræsentatur, quando exhalatio est multa, longa non directè, sed obliquè & curuè secundùm partem inferiorem, diúque retinens inflammationem, tunc discurrens apparet quasi draco tortuosus volans, & vomens flammas, si inflammatio sit in vna tantùm extremitate.

SYDERA errantia frequenter sic eueniunt, quando exhalatio non fuerit continua, sed frequens, & dispersa per modicas partes, & multis modis, tam secundùm longitudinem, quàm secundùm latitudinem, quàm etiam secundùm profunditatem, tunc apparent quasi Stellæ cadentes, vel errantes dupliciter. Primò per continuam ignitionem materiæ, tunc quia Ignis desinit, vbi incipit, & successiuè, sed velocissimè materiam totam percurrit, videtur vt Stella discurrens. Secundò contingit quando materia accensa expellitur à superiori frigore deorsum quasi fulgur, quamuis hic motus deorsum sit illi violentus.

STIPVLA ardens est exhalatio citissimè combustibilis in superficie Terræ apparens, maximè in Cemeteriis quando cadauera exhalant tenuiores partes, sicut & in patibulis, vbi sunt corpora suspensa.

CEREVS accensus dicitur prædicta exhalatio, si in longum porrecta, & paulatim incensa aliquamdiu duret.

IGNIS fatuus fit in exhalatione densa & viscosa, quæ propterea diu durat, & facilè mouetur ad motum Aëris, vnde homines fugientes insequitur, quia Aër subintrans in locum corporis Ignem adducit: aliquando præcedit, quando Aër impulsus à corpore, ipsum quoque Ignem impellit, propter hos motus irregulares dicitur ignis fatuus.

IGNIS lambens est flamma genita in rara, & subtili exhalatione per Aërem dispersa, hominum, ac equorum capillis inhærens, quæ etiam exit ex sudore ipsorum, vnde in locis maximè siccis, si hominum, & equorum capita, manu leuiter ductâ comprimantur, incenditur, vel etiam aliunde, & apparet ignis lambens.

CASTOR, Pollux & Helena, fiunt exhalatione admodùm viscosâ & pingui. Apparent ordinariè nautis, sunt enim quædam flammæ apparentes in Malo, vel Antennis, aliísque partibus nauium post tempestates: si vna appareret vocabatur à Gentilibus Helena, si duo dicebantur Castor & Pollux, indicant autem finem esse tempestatis, proximámque serenitatem, cùm enim immobiliter consistant, signum est cessasse ventos, qui tempestatem mouebant.

HÆ omnes concretiones ignitæ, si sint frequentes, præsagiunt ventos, sterilitatem, morbos, &c. propter rationes easdem, propter quas dictum est Cometam ista portendere.

QVÆSTIO XXV.

De Meteoris Aëreis.

AD Ignem sequitur Aër, vnde postquam de Meteoris Igneis actum est, statim Aërea occurrunt, scilicet illa, quæ fiunt in Aëre, & ad naturam Aëris accedere videntur, vt nubes & nebulæ, quæ videntur esse Aër incrassatus, venti, qui non videntur esse aliud, quàm Aër motus, & tonitru, quod prouenire videtur ex collisione nubium, vnde quæruntur quinque.

¶ Primò, De Nubibus.
¶ Secundò, De Nebula siue Caligine.
¶ Tertiò, De Tonitru.
¶ Quartò, De Ventis.
¶ Quintò, De Turbine.

ARTICVLVS I.

De Nubibus.

NVBES sunt in duplici differentia, quædam enim sunt Imbriferæ, aliæ verò non. Imbriferæ possunt sic describi, sunt vapor crassus, eleuatus vsque ad mediam Aëris regionem, ibique ex natiuo & externo frigore condensatus, ac proximè in imbrem resolubilis. Aliæ sunt vapor subtilis, qui virtute Solis in Aërem conuertitur, ex quo patet, quæ sit materia & forma nubium.

CAVSA efficiens est Sol præcipuè, aliáque Sydera. Sic autem nubem efficiunt, suis influentiis, maximè luce, & radiis Aquam calefaciunt, calor autem attenuat, vt constat in aqua calida, quæ euaporat partes valde tenues, Aqua autem attenuata ascendit, vt etiam quotidiana est experientia, si sit calida, hæc autem Aqua attenuata dicitur vapor: vapor igitur iste calore Solis, aliísque Astrorum influentiis attrahitur in magna copia vsque ad mediam Aëris regionem, vbi adunantur plures euaporationes, & quia non habent partes inuicem cohærentes, sicut habent exhalationes pingues, & viscosæ, ideo

ideo citò amittunt calorem ſibi impreſſum, quia ex vna parte Solares radij propter diſtantiam non habent vim ibi calefaciendi directè nec reflexè, quia eorum reflexio illuc non pertingit,& ita ceſſat cauſa conſeruans: ex alia verò parte, cùm vapores ſint naturæ aquæ frigidiſſimæ, redeunt naturaliter de ſtatu violento ad priſtinum frigus, & ita rurſus condenſantur, & paulatim properant reſolui in aquam pluuialem, ſic autem condenſati antequam reſoluantur, dicuntur nubes imbriferæ. Aliæ verò ſunt infœcundæ, quæ in Aërem reſoluuntur. Quod autem alia Aſtra influant ad hanc attractionem, docent Aſtrologi, dicentes, quòd quando Saturnus coniungitur Ioui in Cancro, Scorpione, & Piſcibus verno tempore, multi eueniunt imbres: & omnes experimur de Luna, quæ magnum habet dominium ſuper res humidas, nam in nouiluniis, & pleniluniis ſæpe Aër ex ſereno fit nubiloſus.

Vapores non ſolùm extrahuntur ex aqua pura, ſed etiam ex Terra aquis vel alio liquore humefacta: vnde aliquando contingunt pluuiæ ſanguineæ ex eo, quòd Sol attrahat vapores ex locis, vbi effuſa fuit magna copia ſanguinis, putà dum exercitus inuicem præliantur. Aliquando hæc attractio vaporum eſt vehementiſſima, vnde contingunt nubes portentoſæ, ſicut contigit à viginti circiter annis in ciuitate Baſſorana ſita in principio Arabiæ felicis ſupra Euphratem & Tigrim iam vnitos quatuordecim leucis à ſinu Perſico vbi diu manſi; ad occaſum quippe Solis nubes circumquaque exurgentes ita Aërem obſcurarunt, vt ne minima appareret claritas, & omnes quaſi imminente diluuio proximam deflerent ruinam, ſed poſt aliquot horas diſſipatæ ſunt.

Cavsa finalis proxima nubium eſt pluuia, ideo enim mirabili Dei prouidentiâ vapores eleuantur ex Aqua, vt fiant nubes, quæ in pluuiam reſolutæ Terram irrigent, ac ita reddant frugiferam: aliàs ſiccitate nimiâ ſterilis eſſet, cui miniſterio deſeruiunt venti nubes circumferendo: alius etiam finis eſt temperies Aëris, maximè in regionibus ſitis ſub Zona torrida, quæ naturaliter eſſent inhabitabiles: ſed Deo ſic prouidente multitudine denſarum nubium refrigerantur, vt expertus ſum per octo annos in Indiis Orientalibus, nam in fine menſis Maij, vel in principio Iunij, quando maiores deberent eſſe calores, & æſtus, propter continuas, eáſque denſiſſimas nubes, imbréſque ſubſequentes vſque ad finem Septembris, eſt mirabilis temperies, aliis menſibus non pluit.

Articvlvs II.

De nebula, ſiue caligine.

Dvobvs modis fit nebula, ſiue caligo, cuius materia eſt vapor. Primo modo, quando Sol ex Aqua magnam vaporum copiam attraxit, pars ipſorum craſſior è nube reſoluitur in pluuiam, pars verò ſubtilior remanens conuertitur in nebulam, quæ quia grauior eſt aëre, ideo deſcendit ad infimam eius partem, quam omnino offuſcat, donec Sol ſuis radiis illam diſſipet: hi quippe vapores, vtpote valde ſubtiles, licèt craſſi appareant, quia ſunt in magna copia adunati, facilè adueniente Solis calore conuertuntur in aërem, iam enim naturâ ſunt humidi minùs, quàm aqua ex ſeparatione partium craſſiorum, & ad temperiem aëris, vnde adueniente calore recipiunt totalem diſpoſitionem ad formam aëris, & ſic in aërem tranſmutantur, in qua tamen tranſmutatione, quæ ſupererant aliquæ partes craſſiores, reſoluuntur in imbrem rarum & tenuem, vnde ſequitur ſerenitas, & ita nebula in mane vtplurimum eſt ſignum ſerenitatis, cùm enim ſit reſiduum nubis, indicat nubes eſſe reſolutas in pluuiam, ac ita proximam eſſe ſerenitatem.

Secvndo modo fit nebula per hoc, quòd vapores immediatè attrahuntur ex Aqua, aliiſque locis humidis calore Solis, aliiſque cœleſtibus influentiis, qui cùm ſint valde craſſi, & virtus attrahens debilis, non aſcendunt ad mediam regionem aëris, ſed ſiſtunt in infima prope terram, vnde caligo maxima ſuſcitatur, quæ durat donec Sol in altum eleuatus ſuis radiis nebulam calefaciens partes ſubtiliores conuertat in aërem, craſſiores reſoluat in aquam: aliquando tanta copia vaporum aſcendit, vt appareant quaſi fumus ingentis fornacis: æſtate & calidiori tempore nebula incipit primâ nocte poſtquam ceſſauit æſtus Solis, vel mane dum incipit Sol, quia illo tempore virtus Solis orientis eſt debilis, & veſperi aqua tepida, quamuis poſſit euaporare, non tamen vapor multùm aſcendit, quia tepiditas aquæ non poteſt altiùs vapores emittere: feruente autem Sole, plures vapores eleuantur, quamuis imperceptibiliter ob maximam raritatem, ex quibus aliqui eodem feruore Solis conſumuntur, alij altiùs aſcendunt, maior autem pars conſumitur, vnde æſtate raræ ſunt nubes. Quando autem frigeſcit, nebula, incipit vtplurimum nocturno tempore, vel mane, quando Terra adiacens aquis totâ die calore Solis tepefacta & calefacta vicinam aquam calefacit ſenſim, ac ita calefactam euaporare facit: hunc effectum experimur in fontibus & puteis, qui hyeme ſunt calidi & fumant, propterea quòd Terra calefacta non poteſt exhalare, propter frigus conſtringens eius poros in ſuperficie: vnde partes calidæ in Terra remanentes aquam vicinam calefaciunt, non tamen quotidie accidit hæc euaporatio, vel propter maximum frigus extrinſecum aëris, vel propter debilitatem radiorum Solarium, aut quid ſimile impediens.

Articvlvs III.

De Tonitru.

Tonitrv ſic ex Ariſtotele, & D.Thom. hîc libro 2. lect.16. definitur, quòd ſit ſonus factus propter colliſionem violentam exhalationis ſiccæ ad latera nubis, à frigido propellente. Ad cuius definitionis & generationis Tonitrui euidentiam ſciendum eſt, quòd virtute Solis, aliorúmque aſtrorum influentiâ, vt ſæpe dictum eſt, attrahuntur à Terra exhalationes & vapores ab Aquæ, ſimúlque aliquando aſcendunt: & cùm vapores ſint in maiori copia, vndique cingunt intúſque includunt exhalationes craſſiores, nam partes ſubtiliores ad ſupremam Aëris regionem eleuantur per virtutem calidi. Vapores autem frigore, tum natiuo, tum extrinſeco condenſantur in nubem, in cuius medio continetur ſeorſim exhalatio ſicca & calida, quæ propter frigiditatem nubis exitum quærit, quia contraria ſimul naturaliter eſſe nequeunt, quorum quod eſt debilius partim naturaliter recedit ab alio, partim ab eodem pellitur, iuxta illud Philoſophi: *Contraria ſe mutuò expellunt: victoria autem manet penes validius*: Exhalatio igitur exitum quærens, mouetur huc & illuc intra nubem, ac percutit fortiter, aliquando etiam frangit latera nubis, & ex tali percuſſione & fractione cauſatur ſonus, qui vocatur Tonitru. Hæc fractio nubis frequentiùs contingit à parte inferiori, quia nubes eſt denſior in parte ſuperiori, quàm in inferiori, nam nubes condenſatur à frigore, & iuxta ſuperiorem partem eſt maius frigus, quia magis diſtat à puncto reflexionis radiorum Solarium, & inde eſt quòd ex inferiori parte ordinariò erumpunt fulgura, fulmina, &c.

Comprobatvr præſcripta generatio Tonitrui à D.Th. loco citato duplici exemplo quotidiano. Vapor fumoſus, ſiue exhalatio ſicca exiſtens intra lignum viride, ſi reſoluatur & attenuetur ab igne, quærit maiorem locum, & petit exitum, & ſic percutiendo lignum, vel corticem per violentiam cauſat diuerſum ſonum ſecundùm diſpoſitionem materiæ & exhalationis. Similiter ſi caſtanea non ſciſſa apponatur ad ignem, exhalatio cortice incluſa per calorem rarefacta exitum quærit, & frangit caſtaneam ſono edito. Quòd etiam reperitur in carbone arboris caſtaneæ, qui propter contentas exhalationes crepitat ad ignem. Aliud exemplum poteſt adduci de veſica plena Aëre, quæ ſi violenter frangatur, magnum edit ſtrepitum, ſic contingit fragor Tonitrui.

Cavsa diuersitatis sonorum Tonitruum, vt ibidem docet D.Thom. prouenit ex diuersitate percussionum, & ex diuersitate & irregularitate partium nubis, quarum quædam sunt frigidiores & spissiores, propter quod fortiùs repercutiuntur, & vehementiùs sonant, aliæ verò sunt minùs spissæ, & ex hoc remissiùs sonant: ex quo sequitur Tonitrua esse in quadruplici differentia, scilicet ad modum tumultuantis, & apparet quasi mugitus bouis, tunc scilicet, quando exhalatio sæpe hinc inde nubem percutiens, eam non frangit ex debilitate percussionis, & tunc exhalatio non concipit ignem, nec apparet coruscatio. Secundò, resonant ad modum scissionis panni fortissimi & latissimi, ex hoc quòd exhalatio concepto igne nubem successiuè disrumpit, & tunc apparet coruscatio. Tertiò, edunt maximum, & subitum fragorem aliqualiter expressum eo, qui editur à vesica magna Aëre plena, si fortiter percussa frangatur, quod prouenit ex eo, quòd exhalatio inflammata vno impetu vehementi nubem disrumpit, & tunc Fulgur vehemens coruscat, hæc sunt Tonitrua nobis assueta. Quartò tandem & extraordinariè contingit Tonitru absque nube ex collisione aliquorum corporum inter se, vnde refertur audita fuisse Tonitrua, cùm mons Æthna euomuit ingentem copiam cinerum lapidúmque adustorum, illa quippe corpora magno impetu vi ignis sulphurei erumpentia, séque inuicem collidentia maximum fragorem ad instar horribilis Tonitrui concitarunt.

Articvlvs IV.

De Ventis.

Difficilis admodùm est ventorum notitia, tum quantùm ad causam materialem, tum quantùm ad efficientem, propterea Sacra Scriptura, vt hanc difficultatem exprimeret, dicit Psalmo 134. *Qui producit ventos de thesauris suis:* Indicans quòd Deus producit ventos de occultis valde naturæ causis: propter quod variæ fuerunt Philosophorum opiniones circa materiam ventorum: duas impugnat Aristoteles hîc libro 2. lect.7. quidam igitur dicebant, pluuiam & ventum ex eadem materia generari. Alij verò dicebant ventum nihil aliud esse, quàm Aërem motum & agitatum: sed vtrumque dicendi modum sic impugnat: primum quidem, quia materia, qua generatur pluuia, est humida & frigida, materia autem venti ex se est calida & sicca, & ita non est eadem materia pluuiæ & venti: ex effectibus autem colligimus has contrarias qualitates, nam pluuia humectat & refrigerat, ventus autem vtplurimum exsiccat & calefacit, quamuis ab extrinseco medio, per quod transit, habeat esse frigidus & humidus. Secundum autem sic impugnat, quia contingit aliquando moueri Aërem absque eo quòd sit ventus, vt cùm cymbala pulsant, exploduntur tormenta bellica, vel aliqua domus cadit, tunc enim vehementer mouetur Aër, & tamen nullus propriè dicit tunc esse ventum, & ita sicut non quælibet aqua fluens, dicitur fluuius, sed requiritur quòd habeat determinatum principium, à quo fluat, sic nec quilibet Aër motus, est ventus, sed solùm quando datur principium determinatum talis motûs, scilicet exhalatio sicca eleuata.

Cavsa igitur materialis ventorum, est exhalatio sicca quæ virtute Solis, aliorúmque astrorum eleuatur à Terra, dum exsiccatur, velut fumus, vt supra ostensum est: hæc autem exhalatio habet partes crassiores, pingues, & viscosas, quæ sunt materia non ventorum, sed meteororum ignitorum: alias habet subtiliores calidas, valde siccas & aridas, quæ sunt materia ventorum, prout frigiditate aliquo modo condensantur, quæ cùm non possint igniri, sicut aliæ, propter ariditatem, ab extrinseco motæ fiunt venti: quod probatur à posteriori, quando videmus Solem & Lunam Orientes aut Occidentes valde rubescere, colligimus flaturos esse ventos, non aliunde, nisi quia ille rubor prouenit ex magna copia exhalationum, quæ percussæ radijs Solaribus rubescunt, & Sol vel Luna visi in medio earum rubicundi apparent: ergo signum est quòd saltem pars resoluitur in ventum, licèt autem exhalatio, quæ est materia ventorum, sit sicca & calida contingit tamen quòd aliqui venti ab extrinseco sint humidi & frigidi, scilicet ex medio per quod transeunt: & ita quia venti, qui flant ab Aquilone, procedunt à regionibus frigidissimis, ac niue plenis, ideo sunt valde frigidi: Australes verò, quia nobis adueniunt ab Africa supra mare, cuius Aër à continuis eius vaporibus humectatur, ideo sunt valde humidi, ac ita vtplurimum noxij.

Cavsa efficiens ventorum est duplex, scilicet eleuans exhalationes, quæ sunt materia ventorum, & similiter mouens tales exhalationes: causa eleuans, vt dictum est, sunt astra, maxime Sol suo calore: causa autem mouens est, tum frigus intensum mediæ regionis Aëris, à quo tales exhalationes illuc eleuatæ, cùm sint calidæ, tanquam à contrario deorsum, sed obliquè expelluntur: cùm enim sint grauiores Aëre, deficiente paulatim calore, suo pondere paulatim inferiùs deprimuntur: tendunt autem in oppositum illius, à quo expelluntur, scilicet nubis frigidissimæ, & tunc incipit ventus sursum, vt apparet ex motu aliarum nubium sibi occurrentium, & deinde peruenit deorsum. Propter hoc à montibus niue plenis spirant mane venti, quia à frigore niuis exhalationes expelluntur: tum etiam causa mouens sunt astra suis influentiis, cùm enim omnia astra habeant aliquem peculiarem influxum in hæc inferiora, non mirum quòd ex diuersa coniunctione astrorum, sicut alij diuersi eueniunt effectus, sic varij excitentur venti ex eo, quòd tales exhalationes in diuersas partes vehementi illâ astrorum influentiâ, vel attrahantur, vel expellantur, propter quod ab Astrologis præuidentibus has coniunctiones prænuntiantur venti, & tunc venti possunt incipere in infima regione Aëris, & moti circulariter ad modum astri mouentia possunt paulatim ascendere, nunquam tamen excedunt mediam regionem Aëris, vnde refertur quòd non attingunt iugum montis Olimpi, aliorúmque montium altissimorum, vt constat ex cineribus & arena, quæ toto anno immota persistunt, quia illæ exhalationes, vtpote grauiores Aëre puro ac tenuissimo supremæ regionis, amisso calore in media regione vltra ascendere non possunt, sed potiùs paulatim descendunt: non dubium quin Sol, & Luna præcipuè ad hunc motum influant, maximè cùm experiamur ordinariè ventos incipere sub Ortu & Occasu Lunæ & Solis, vt nautis notum est: deinde quia ordinariè sunt causa augmenti & diminutionis ventorum, vt etiam quotidie experimur, nam vel augentur, vel diminuuntur, ac sensim cessant venti in Ortu, vel Occasu Solis & Lunæ: cuius rei ratio est, nam si virtus Solis, vel Lunæ prædominetur illis exhalationibus, ita vt dissipare possit, cessat ventus: sin minùs, eas mouet. Frequentiores autem sunt venti tempore verno & autumno, quam hyeme & æstate, quia æstate licèt Sol nimio suo calore eleuet plures exhalationes, quæ sunt materia venti, etiam illas eodem calore facilè consumit, hyeme autem ob debilitatem caloris parum exhalationum attrahit, Vere autem & Autumno multùm eleuat, propter calorem tunc satis vigorosum, & parum consumit: ad consumendum autem plus virtutis requiritur, cùm sit ibi transmutatio substantialis, quàm ad eleuandum, cùm solùm ibi interueniat alteratio. Ratio autem cur venti sint debiliores in suo principio, siue vbi incipiunt, & paulatim eundo crescunt, est quia paulatim ex diuersis partibus adunantur exhalationes, maximè ex locis aquosis & humidis, quia vt patet plus vaporum, & exhalationum Sol ex illis attrahit, Terra enim arida parum exhalat, humida verò plurimùm, quia aqua terram attenuat, & ita simul aqua vaporat & Terra exhalat, consequenter crescit ventus, sicut fluuius crescit adunatis riuulis.

Cavsa finalis ventorum est multiplex. Prima est purificatio Aëris & maris, si enim Aër immotus maneret, facilè collectis exhalationibus inficeretur, vnde ne inficiatur, & postquam infectus est, vt purificetur, Deus prouidit

uidit ventos, qui etiam aliis modis conducunt sanitati hominum, aliorúmque sublunarium. Similiter si aqua maris semper quiesceret, facilè corrumperetur, vt contingit aquis stagnorum. Secunda est delatio nubium imbriferarum, si enim non essent venti, qui eas circumducerent, loca valde Mediterranea non irrigarentur pluuiis. Tertia est facilis nauigatio, videmus enim, quòd beneficio ventorum paucis horis immensa percurrimus spatia. Quarta est temperies caloris in locis valde calidis, vt constat in Indiis Orientalibus, Mensibus enim Aprili & Maio, quando adhuc non pluit, vnicum caloris remedium est ventus quotidianus regulariter ante meridiem exortus, loca enim etiam valde subterranea non refrigerata vento, velut furnus æstuant, pluras aliæ sunt causæ finales ventorum.

Venti alij dicuntur Generales, alij Prouinciales. Prouinciales sunt illi, qui principium & finem habent in eadem prouincia: quælibet Prouincia suos Notos habet, nostra Gallia Narbonensis agnoscit Circium teste Plinio. Generales autem, siue vniuersales sunt illi, qui plures peruadunt regiones: sunt autem duodecim in sequenti figura expressi.

Hi venti naturâ & proprietatibus differunt, quamuis enim omnes constent exhalatione calidâ & siccâ, non tamen omnes sunt calidi & sicci, sed ab extrinseco aliqui sunt frigidi & humidi, vel à regione à qua veniunt, vel à medio quod percurrunt, à quibus etiam alias habent proprietates. Subsolanus igitur, eiúsque collaterales, qui propter accessum eius naturam participant, sunt calidi, quia exhalatio qua constant, calefit paulatim à Sole Oriente, & ascendente supra horizontem, directè siquidem suis radiis illustrat & calefacit: sunt etiam sicci, quia eodem Sole irradiante, vapores humidi permixti exhalationi dissipantur, & ita cessat causa humiditatis. Zephirus siue Fauonius eiúsque collaterales sunt frigidi & humidi, propter contrariam rationem, nam exhalationes ad occidentem sitæ, ex quibus generantur hi venti, distant à Sole Oriente, vnde propter vapores admixtos erunt humidi & frigidi, occidente similiter Sole propter frigus nocturnum, & vapores exurgentes, retinent easdem qualitates, quamuis in meridie ob magnum Solis calorem possint esse calidi & sicci, sicut & in nocte venti Orientales possunt esse frigidi & humidi. Septentrio & collaterales sunt frigidi & sicci nobis, quia procedunt à parte Mundi frigida, propter distantiam Solis, & transeunt per regiones niuibus plenas, & ita sunt frigidi: quia verò vapores eleuari à Sole propter frigus condensantur & resoluuntur in pluuiam, ideo tales venti sunt etiam sicci ex defectu vaporum, quibus poterant humectari, propterea purgant Aërem, & inducunt serenitatem, propter rationem enim dictam non adducunt nubes, & obuias quasque expellunt. Auster tandem eiúsque collaterales sunt nobis humidi & calidi, calidi quidem quia procedunt à regione australi calida, & per medias regiones valde calidas: humidi autem, quia accedunt ad nos per medium maris, à quo plures exurgunt vapores, quibus humectantur, quos cùm secum moueant, nubes congregant, & postea imbres causant.

Articvlvs V.

De Turbine.

Ventvs Turbinis, qui Typhon Græcè nominatur, est ille, qui ad instar vorticis in gyrum actus, puluerem aut quid simile sursum rapit: quidam crediderunt esse duplicem ventum ex opposita regione venientem, mutuóque pugnantem, sed hoc manifestè apparet falsum, quia multories in aliquo medio percipitur iste ventus, & tamen circumquaque Aër est immotus, vnde sequitur desursum vibrari, vt docent Arist. & D. Thom. hic 3. lib. 1.

Dvplici modo generatur Typhon. Primo quando exhalatio calida & sicca (quam assignauimus supra esse materiam venti) inclusa in nube, magnâ vi erumpit propter frigiditatem loci, & superioris partis nubis, per angustum exitum, & paruam scissuram, & directè fertur deorsum: tunc si inueniat aliquod obstaculum, quo progredi vlteriùs prohibeatur, fit ibi reflectio, ita vt pars anterior reuoluatur in partem subsequentem, subsequens impellat anteriorem continuè: vnde cùm illa pars anterior, nec directè possit vltra procedere propter obstaculum, nec directè retrocedere propter partem subsequentem continuò impellentem, reflectit se ad latus, vbi non inuenit prohibens, & sic causat motum quasi circularem: motâ autem primâ parte mouentur omnes subsequentes, sed hoc modo Typhon generatur tantùm in angulis. Secundo modo generatur etiam in aliqua planitie, quando scilicet duo venti prosiliunt à duplici nube opposita, & magno impetu sibi in imo loco occurrentes, se mutuò impellunt, eóque impulsu mutuò in gyrum voluuntur ex eo, quòd vterque ventus propter vehementem impulsum, quo de sursum vibratur, non cedit alteri: ac ita non potest in contrarium repelli, nec vltra directè potest procedere, quia obuius alter resistit, & sic vno ad latus declinante alius sequitur occupando locum illius vacuum, qui rursus vacuum subsequentis locum intrat, & sic in gyrum voluti diu persistunt in eodem loco, vel etiam sic gyrando vltra procedunt fortiori iam prædominante.

Mirabilis est effectus huius venti, sicut enim descendendo semper ducit secum aliquam partem nubis, ita quandò reflectit à Terra inuoluit secum omnia, super quæ cadit, eradicando scilicet arbores quascumque, euertendo domos, eleuando saxa, & cùm inciderit ad mare, eleuat secum maximam aquæ copiam ad instar fluuij ascendentis, ex qua postea generantur pluuiæ: hæc autem eleuatio contingit ne detur vacuum in rerum natura: nam turbo cadens supra mare, illíque incubans expellit Aërem, cùm igitur recedit, subiecta Aqua locum occupatura ascendit, maximè si recessus fiat successiuè incipiendo à partibus interioribus Turbinis, vtpote validioribus, & magis vnitis, tunc enim ab exterioribus partibus impeditur Aër adiacens, ne succurrat, ac ita sola Aqua subiecta aditum habet, ac proinde per illum circulum interiorem, siue vorticem, quasi per tubum ascendit eo modo, quo per fistulam ascendunt Aquæ puteales, & proueniunt ad mediam regionem Aëris, vbi turbo dissoluitur, ibique dispersæ in nubes conuertuntur, & in imbrem resoluuntur: quandoque hic turbo eleuat naues, vnde infestus est nautis, quia super quæcumque incidit, illa motu circulari circumeundo, & vim faciendo euertit, & reuertendo eleuat ea sursum: si autem exhalatio sit in maxima copia eleuat maximam copiam puluetis, palearum, festucarum, lapidúmque, vnde ingentes excitantur tempestates.

ALIQVANDO contingit, quòd ventus da ſupra vibratus, eſt vnicus, nec inuenit obſtaculum, quo impediatur, tunc non efficitur turbo, nec dicitur Typhon, ſed Ecnephias, quæ eſt exhalatio ſicca, ſiue ſpiritus fluens directè deorſum ex nube magna ſine interpolatione, cum magno impetu propter magnitudinem frigidi: vnde eſt ventus velox, ac proinde violentus, ſæpe contingit quando nubes vi fulguris & fulminis diſrumpitur à parte inferiori, tunc enim exhalationum pars arida & ſicca, quæ eſt ventus, magno impetu erumpit, ſicut pinguis & viſcoſa, quæ eſt materia fulguris, & fulminis.

QVÆSTIO XXVI.

De Meteoris Aqueis.

DEINDE conſiderandum eſt de Meteoris aqueis, Meteora autem aquea vocantur illa, quorum materia eſt aqua, vel ſunt ad inſtar aquæ, circa quæ quæruntur ſex.

¶ Primò, De Pluuia, Rore, & Pruina.
¶ Secundò, De Niue, Grandine, & Glacie.
¶ Tertiò, De Manna, & Melle.
¶ Quartò, De Mari.
¶ Quintò, De Fluminibus.
¶ Sextò, De Fontibus.

ARTICVLVS I.

De Pluuia, Rore, & Pruina.

PLVVIÆ materia proxima eſt nubes aquoſa, ſiue vapor craſſus condenſatus in nubem ex frigiditate mediæ regionis Aëris. Ad cuius euidentiam recolendum eſt id, quod ſupra dictum eſt, ſcilicet virtute Solis, aliorúmque aſtrorum influentiâ, aut etiam vi turbinis eleuari Aquam, aut vapores aqueos ex mari, fluminibus, fontibus, lacubus aliiſque locis aquoſis & humidis, quorum ſubtiliores vel conuertuntur in Aërem in ipſo tractu, vel ſunt materia roris & pruinæ in infima regione Aëris: craſſiores verò qui pertingunt ad mediam Aëris regionem, per condenſationem propter frigus regionis vrgens fiunt nubes, & poſtea reſoluuntur in pluuiam, vel etiam in niuem, & grandinem. Pluuia eſt duplex, ſcilicet imber, & nimbus: imber eſt pluuia tenuis, ſiue conſtans minimis guttulis: nimbus conſtat guttis maioribus. Pluuia aliquando propter nimiam vaporum, vel aquæ ſupra eleuatæ abundantiam cauſat diluuium, quod ſæpe contigit in variis prouinciis, vniuerſale verò fuit vnicum, non naturali, ſed præternaturali virtute cauſatum, vt conſtat ex Sacra Scriptura. In Indiis Menſibus Iunio & Iulio pluuiæ ſunt extraordinariæ, & pene continuæ, aliquando enim per viginti dies & noctes continuò pluit, quod accidit ex ventis occidentalibus, qui illo tempore flant à mari, vnde nubes adducunt, regulares enim ibi ſunt venti, quilibet determinato regnat tempore. In aliis locis, vt in Ægypto, raræ ſunt pluuiæ, quia venti Septentrionales, qui nubes ex mari, ſiue vapores illuc deferre debebant, rarò perueniunt, Deus tamen inundatione Nili defectum pluuiæ ſuffecit: ratio cur maiores aliquando ſint guttæ in pluuia, eſt quia nubes eſt multùm calida, ac proinde rara, ſi repentino frigore penetretur, quaſi illo frigore compreſſa citò reſoluitur in aquam, vnde magno impetu, & maioribus guttis cadit, quod frequenter contingit Æſtate, tunc enim ob æſtum nubes ſunt calidiores & rariores, calor enim rarificat, & frigus condenſat: Hyeme verò ob debilitatem caloris nubes ſunt magis denſæ, & ita lentiùs penetrantur, ac comprimuntur frigore, ac ita paulatim reſoluuntur in imbrem, ſiue Aqua ab illa exprimitur. Contingit aliquando, quòd pluit ſanguis, lac, piſces, ranæ, lapides, aut quid ſimile: quantùm ad ſanguinem, & lac, prouenit ex hoc, quòd Sol attrahit vapores ex locis ſanguine, aut lacte plenis, qui humores poſt condenſationem vaporum ex Aëre decidunt: quantùm ad piſces & ranas, prouenit, vel quia ſupra generantur ex exhalatione, & vapore, ac Aëre mixtis virtute caloris, vnde præcipuè contingit Æſtate; vel etiam quia ſupra rapiuntur vento turbinis, & poſtea decidunt, ſicut ob eamdem cauſam & lapides, & ligna de ſurſum cadunt; vel tandem dicendum quòd ſæpe ranæ, & piſces non cadunt, ſed generantur ad caſum pluuiæ ex Terra arida, & æſtuante, Aëréque adiacente. Plura ſolent afferri ſigna pluuiæ imminentis. Primum eſt pallor Solis, vel Lunæ cauſatus ex reflexione radiorum ad nubem aquoſam. Secundum, quando Sol vel Luna apparent maiores ſolito propter abundantiam vaporum exurgentium. Tertium, ſi Sol ſit calidior ſolito, tunc enim plures attrahit vapores. Quartum, quando muri & lapides ſunt humidi, humectantur enim ex multis vaporibus aſcendentibus. Quintum eſt ſtridor olei lucernæ, qui cauſatur, dum aliqui vapores aſcendentes admixti flammâ comburuntur. Sextum, ſi ſupra Solem Orientem apparet nubes nigra, & longa quaſi turris, quæ citò diſpareat, cùm enim ſit aquoſa, calore citò rareſit, iterúmque frigore condenſata reſoluitur in imbrem, quòd ſi diu ante Solem perſiſtat, ſignum eſt non eſſe nubem aquoſam. Septimum deſumitur ex animalibus, vt ex cantu ranarum, ex concitato ac auido paſtu ouium, & ex frequenti eleuatione capitum facta à bobus ac vaccis, dum paſcuntur, eorúmque celeri reditu in domum: cùm enim animalia operentur ex inſtinctu naturæ, cantant hilares ranæ adueniente pluuiâ conformi ſuæ complexioni aquaticæ; oues auidè comedunt, vt breuiùs capiant cibum ſufficientem, quem vſitato more paſcentes adueniente pluuiâ non caperent; boues verò & vaccæ à natura mouentur, vt præuideant & fugiant nocumentum pluuiæ, aut grandinis. Alia plura ſunt ſigna particularia pro determinatis locis, vt ſi nubes incubent montibus, &c.

RORIS materia ſunt vapores tenues, qui eleuantur à Sole ad occaſum declinante, cuius calor & virtus tunc eſt debilis, & ita non multùm eleuantur, ſed remanent in inferiori regione Aëris, vbi propter frigus nocturnum condenſati reſoluuntur in rorem, propterea ros cadit rarò ſupra montes excelſos: ad generationem roris requiritur quòd Aër ſit ſerenus, & tranquillus, quia nubes impediunt eleuationem vaporum, & ventus illos diſſipat: requiritur etiam quòd tempus ſit temperatum, nec nimis frigidum, aut calidum, quia nimius calor conſumeret illos vapores tenues, nimium frigus congelaret, & conuerteret in pruinam, non verò in rorem, vnde magis Vere, & Autumno accidit ros: quia autem hæc temperies conſequitur Auſtrum, nec Boream, vtpote nimis frigidum, ideo frequentiùs cadit ros flante Auſtro, quamuis etiam in locis valde frigidis propter antiperiſtaſim exhalationes calefactæ retineantur in viſceribus Terræ, non enim exeunt propter frigus Aëris, ac ita aquas adiacentes calefaciunt, & euaporare faciunt, ex quo vapore generatur ros, & pruina. Ros ſoluit ventrem animalium, quod apparet cùm homines vuas rore madidas, bruta verò herbas mane comedunt, & ſic generatur fluxus ex eo, quòd ros eſt ſubtilis, ac rarus, vnde facilè penetrat inteſtina, admiſcetur ſtercori, & liquidum reddens diſſoluit: ros plurimùm conducit ad fertilitatem, Terram arentem madefaciendo, irrigando, herbáſque nutriendo, & ab æſtu ſuâ humiditate præſeruando.

PRVINÆ materia eſt eadem, quæ roris, igitur vapor ſubtilis in infima regione Aëris remanens, ſi moderato frigore condenſetur, reſoluitur in rorem, ſi priùs congeletur propter maximum frigus, quàm condenſetur, conuertitur in pruinam, vnde ordinariò accidit hyeme, maximè flante Borea: pruina hyeme ſatis prodeſt, nam calorem in viſceribus Terræ continet, impedítque ne ſata exurgant, & ita radices altiùs figunt,

&

& plus deinde fructificant : ſi autem adueniat vineis, aut arboribus, poſtquam germinarunt, omnia deuaſtat, nam præ nimia ſua frigiditate germina tenella comprimendo, totum humorem exprimit & exſiccat. Pruina eſt valda candida, minùs tamen quàm nix, quia habet admixtum aliquid de Aëre, ſicut nix, ſed non ita puro, quia prope Terram : vnde etiam non eſt ita rara, ſicut nix, quò enim Aër eſt craſſior, eò tenaciùs cum vaporibus coagulatur, ex quo conſtat pruinam eſſe niuem paruam, ſicut ros eſt parua pluuia.

Articvlvs II.

De Niue, Grandine, & Glacie.

Nivis materia eſt eadem, quæ pluuiæ, ſcilicet vapores à Sole eleuati ad mediam Aëris regionem, qui ſtatim in vnum congregati efficiunt nubem, in principio quidem raram, quæ poſtea à frigore condenſatur; ſi autem frigus ſit valdè intenſum, non condenſat, ſed ſic raram congelat : quia verò nubes rara multùm de Aëre puro habet admixtum, ideo ſimul cum nube Aër incluſus congelatur, & propterea nix eſt in ſummu candida, quò enim aliquid eſt magis perlucidum & diaphanum, eò magis albeſcit, ſi congeletur : huius habetur ſignum, nam ſpuma aquæ eſt albior aquâ ipsâ, propter Aërem, quem ſuis includit ampullulis, nec Aqua congelata eſt ita candida, ſicut nix : ex hac admixtione Aëris procedit, quod nix eſt valde rara & mollis, quia Aër eſt valde ſubtilis, vnde impedit, ne illa congeries vaporum, & Aëris valde condenſetur, propter hanc enim ſubtilitatem non adhæret tenaciter vapori, vnde etiam reſoluitur in partes maiores & minores, dum cadit adinſtar Goſſipij : cadit autem paulatim, quia etiam nubes, licet tota, non tamen ſimul, ſed paulatim congelatur : ex quo ſequitur niuem ſolùm generari in hyeme, vel ſæuiente frigore, & maximè iuxta excelſos montes in quos poſtea cadit, quia Aër eſt ibi frigidior, propter debiliorem reflexionem radiorum Solarium, vt dictum eſt. Signum caſuræ niuis, eſt tempore frigido videre Cœlum turbidum, nubibus tamen albeſcentibus, tunc enim incipit congelatio nubium : niuis caſum concomitatur aliqua temperies frigoris, quia cum vaporibus raris ſint admixtæ aliquæ exhalationes, ſimul cum illis eleuatæ, dum frigus peruadit nubem, deorſum reſiliunt, quia cùm ſint calidæ (diutiùs enim conſeruant calorem, quàm vapores propter tenacitatem partium,) fugiunt à ſuo contrario frigore, & ita Aërem calefaciunt, dum per illum ſparguntur : licèt enim frigus non contrarietur Terræ, ac proinde nec exhalationibus Terrenis, imò ſit illis connaturale, repentinum tamen frigus eis repugnat, quando ſunt calidæ, connaturale eſt enim contrariarum qualitatum, ſe paulatim expellere, ſi autem vna nimis aliam vrgeat, vel ſubiectum recedit, ſi ſit poſſibile, vel reſiſtit per antiperiſtaſim, donec vincatur : creſcit tunc naturaliter ex illa antiperiſtaſi virtus vtriuſque, vnde quæ vincit, habet excellentem effectum in ſubiecto, & ita experimur, quòd ſi vas plenum aqua feruente, bene obturatum immergatur in puteum, ex frigore aquæ putealis aqua illa calida tandem congelatur : ex niue fortiter condenſata, & per aliquos annos congelata, quòd accidit in ſummis montibus, ſit Cryſtallus, ex hac enim diuturna congelatione partes valde inter ſe comprimuntur, tenaciterque cohærent : nix multùm prodeſt ſatis, terriſque quas contegit : Terris quidem, quia irrigat, multúmque penetrat, & ſimul impinguat propter aliquas exhalationes admixtas, quæ remanſerunt, hæ autem ſunt ſubſtantia Terræ : ſatis verò, quia præter dictam irrigationem, & pinguedinem impedit, ne foras exurgant propter frigus, vnde radices altiùs figunt, & poſtea ex hoc plus fructificant.

Grandinis materia eadem eſt, quæ pluuiæ & niuis, ſic autem generatur ex Philoſopho, & D. Thom. hîc libro 1. lect. 15. cùm in media Aëris regione eſt nubes vaporibus adhuc calidis, ſi vehementi frigore loci repente à parte ſuperiori comprimatur, citò ac violenter ex ipſa exprimitur aqua, ſicut ex tela madida, ſi repente & magnâ vi exprimatur, plus aquæ & violentiùs cadit, vnde guttæ ex nube ſic compreſſa cadentes, ſunt maiores, & maiori impetu cadunt, & tunc pluuia eſt violenta : ſemper tamen guttæ ſunt rotundæ, quia omnia naturali appetitu tendunt ad ſui conſeruationem, aqua autem rotunda, quia habet partes magis vnitas, maiorem habet virtutem reſiſtendi contrario, quia virtus vnita fortior, ac ita diutiùs conſeruatur : huius manifeſtum habetur ſignum, videmus enim, quòd ſi in loco ſiccu parum effundatur aquæ, ne exſiccetur, & pereat, ſtatim exurgit in globulos, ſi tandem frigus ſit ita vehemens, quòd ipſas maiores guttas pluuiæ rotundas, dum cadunt, omnino penetrare poſſit, congelat in globulos, & ita ſit grando, quæ eſt figuræ rotundæ, etiam ob rationem infra adducendam : ad hanc autem ſubitam congelationem multùm conducit, quòd illa aqua nubis fuit præcalida, citiùs enim infrigidatur, & vehementiùs, quia frigus vehementiùs agit in ipſam propter antiperiſtaſim, & etiam quia intrinſecùs penetrat aquam calore rarefactam, calor enim rarefacit, ſicut frigus condenſat, aqua verò ſic rarefacta non habet virtutem vnitam, & ita citiùs & vehementiùs ſuperatur : huius habetur experientia, nam multi, qui volunt infrigidare calidam aquam, ponunt eam ad Solem primò : habetur etiam alia quòd aqua feruens vaſe incluſa intra puteum citò congelatur. Ad maiorem horum euidentiam ſciendum eſt quòd duo contraria iuxta ſe poſita, conantur ſe mutuò expellere ex naturali appetitu propriæ conſeruationis, propter nocumentum imminens cuilibet ex adiacentia alterius : & inde eſt quòd per antiperiſtaſim fortiùs & vehementiùs in ſe agunt, quàm agerent in alia : antiperiſtaſis eſt actio vnius contrarij fortificata, & intenſa ex propinquitate, & iuxtapoſitione alterius contrarij circumſtantiis : cuius multæ habentur experientiæ : hyeme interiora animalium ſunt calidiora, & fumum emittunt, quia calor naturalis intenditur ex adiacentia aëris frigidi. Similiter fontes, & putei ſunt hyeme calidi, & æſtate valde frigidi, quia hyeme calor impreſſus Terræ à Sole, propter imminentem aërem frigidum tendit ad interiora Terræ, ibique intenditur, & ſic calefacit aquam inde erumpentem, æſtate verò frigiditas natiua aquæ, propter aërem calidum ſimiliter intenditur : quando autem vnum contrarium eſt debilius, eodem naturali appetitu propriæ conſeruationis cedit alteri, ac recedit ſi poteſt, vt videmus in guttis aquæ roris, vel alterius, ſi cadant ſupra locum ſiccum, fiunt rotundæ, & recedunt à ſiccitate quantùm poſſunt, ſi autem locus ſit humidus, ſtatim diffunduntur. Cùm igitur pars inferior aëris ſit calida, frigus mediæ regionis intenditur per antiperiſtaſim, vt reſiſtat tali calori, qui ſi ſit valde vehemens, vt contingit in maximo feruore æſtatis, vincit illud frigus, quod non habet, quò recedat, eſt enim medium inter calidum aërem ſuperioris, & inferioris regionis, vnde tunc non contingit generari grandinem, ſi autem calor inferioris regionis ſit moderatus, ad circumſtantiam illius, ac caloris ſupremæ partis maximè intenditur frigus mediæ regionis, vnde cauſat grandinem : & propterea frequentiùs cadit Vere & Autumno, rarò in media Æſtate, rariſſimè in media Hyeme, aut fortè nunquam. Contingit aliquando, quòd grando non ſit rotunda, at quadrata, & etiam aliquando generatur in infima regione aëris : ſecundum contingit quando in infimæ regionis parte aliqua intenditur frigus per antiperiſtaſim ex circumſtantia caloris, tunc ſi guttæ pluuiæ, quæ ſunt calidæ, per illam partem cadant, ſubito frigore penetrantur, & ita congelantur in grandinem, ſicut in locis frigidis ſputum cadens congelatur, aut ſi nubes imbrifera per illam tranſeat : primum autem contingit dupliciter, vel quia grando generatur in infima regione, antequam nubes reſoluatur in guttas, tunc enim partes eius diuerſimodè

modò congelantur, ac ita grando habet diuersas figuras, & aliquando est ingentis magnitudinis: quando verò cadit de sursom in ipso tractu diminuitur, ex calore infimæ regionis ipsam liquefaciente, vnde est minor: rotunda verò quia in liquefactione, anguli, si qui sunt, faciliùs liquefiunt ob minorem resistentiam: quamuis per accidens aliquando contrarium accidat ex hoc, quòd grandines dum cadunt, se contingunt, & simul copulantur eo modo, quo plures guttæ pluuiales cadentes à tecto, ex illo contactu copulantur simul congelatæ. Grando deficit à candore niuis, tum propter densitatem, tum propter crassitiem vaporum, tum quia non habet aërem admixtum, sicut nix. Mensibus Februario & Martio cadit granedula, quæ generatur, dum illis mensibus cadit pluuia, aut nix minuta, & in infima regione aëris à ventis Septentrionalibus frigidis cogelatur.

Glacies nihil est aliud, quàm aqua congelata, congelatio autem prouenit ex abundantia frigoris, vt ipsâ constat experientiâ, licèt etiam ad hoc conducat impuritas eius, siue admixtio terrenæ exhalationis, tamen frigus sufficeret, cuius natura est condensare, sicut caloris rarefacere, videmus enim aquam valde puram congelari, ex qoo constat frigus in summo non esse Aquæ connaturale, cùm alteret eius naturam. Licèt autem mare non tam facilè congeletur propter admixtionem exhalationum calidarum, tamen ex D.Thom. exponente illud Iob cap. 38. *Superficies abyssi constringitur*: Habetur Maris aquas ad superficiem frigore addensari, non tamen profundum eius, frigus enim illuc non penetrat, quod etiam constat nauigantibus, imò iam receptum habetur versùs Septentrionem dari Mare glaciale, nec potest responderi, non aquam marinam, sed aquam fluminum illuc concurrentium congelari, cùm enim sit vniuersalis ad multa spatia congelatio, aqua etiam Maris congelatur.

Articulus III.

De Manna, & Melle.

Manna ordinarium sic generatur. Postquam Sol simul eleuauit vaporem tenuem, qui solet esse materia roris, & exhalationes tenues, siue subtiles partes Terræ, si hæc ad inuicem miscentur, admixto etiam Aëre, humidúmque Aëreum, & Aqueum digestum, & coctum diminuatur, resultat aliquod compositum ex admixtione Aëris, & vaporum valde candidum, exiguâ humiditate constans, dulcissimi saporis, ab aliquibus dictum saccarum, sed nunc vulgariter manna, desumpto nomine ab Hebræis: formatur manna in infima regione Aëris virtute Solis materiam decoquentis, & exsiccantis, plurimùm etiam nunc cadit in Arabia, vt testis sum, etiam in Calabria, & aliis locis: quantùm attinet ad manna illud Iudæis per quadraginta annos in solitudine tam liberaliter concessum, de quo fit mentio Exodi cap. 16. certum est oon fuisse naturale, sed miraculosum quantùm ad modum generationis: licèt enim fieret ex eadem materia, qua fit ordinarium, propter quod fuit eiusdem speciei, non tamen fiebat eodem modo, aut solà virtute solis, sed speciali ministerio Angelorum, causas naturales applicantium ad colligendam, & aptè præparandam illam materiam, propter quod dicitur panis Angelorum, vel etiam quia erat suauissimum: constat autem quòd Sol connaturali virtute non poterat manna in tanta copia, & tam regulariter efficere, vt singulis diebus excepto Sabbatho plueret: habuit qualitates excellentes supra ordinarium, miro ministrorum condimento, vnde præter miram suauitatem, qua recreabat, multùm nutriebat, cùm tamen ordinarium plus deseruiat purgationi, quàm nutritioni.

Mel ex eadem materia, ab eadem causa, ac eodem pene modo efficitur, ac manna: igitur eius materia est vapor tenuis, exhalatio subtilis, & Aër simul mixti: causa efficiens est Sol suo calore, non solùm vaporem, & exhalationem eleuans, sed etiam commiscens, & decoquens, ita tamen vt humidum Aqueum & Aëreum remaneat in excellenti gradu, ita vt prædominetur sicco terrestri: & in hoc differt à manna, in quo siccum prædominatur humido, quia manna est magis decoctum, quàm mel, vel quia in commixtione plus interuenit exhalationis, quàm vaporis, è contrario in melle: vnde sub aurora cadit vt liquor quidam viscosus, & in floribus, & herbis per apes colligitur, & ad aluearia defertur: aliquando fit amarum, vel alterius saporis iuxta conditionem florum & herbarum, in quibus colligitur.

Articulus IV.

De Mari.

Creauerat Deus in principio Aquam in proprio loco super Terram, vt asserunt aliqui, sed propter multiplicationem hominum, & præcipuè electorum, ad quos omnia alia, ipsúmque vniuersum conditum ordinantur, à superficie Terræ remouit, & ad vnum congregauit locum, ipsas verò congregationes aquarum vocauit Maria, quorum principale est Oceanus totam ambiens Terram, à diuersis Prouinciis diuersimodè nominatus. Deinde mare Mediterraneum, sic dictum quia medium iacet inter Europam, Asiam, & Africam, incipit à freto Gaditano, siue à duobus promotoriis Abyla Mauritaniæ, & Calpe Hispaniæ, quæ Herculis columnas vocant, & percurrit vsque ad Syriam: huic à Septentrione adhæret Pontus Euxinus, siue Mare maius, aut nigrum ob maximam profunditatem, quod se in Mediterraneum, dictum à Turcis Mare album Comparatiuè, continuò exonerat medio canali, supra quem sita est Constantinopolis. Exinde Mare Caspium, siue Hyrcanum, quod Mediam ab ortu terminat, montibus circumquaque cinctum est, nullúmque videtur habere commercium cum Oceano, plurima recipit ab omni parte flumina, & riuos, maximè ex Moscouia, Media, & Armenia, à qua recipit Ataxim ortum ab eodem monte à quo oritur Euphrates: ex hoc Mari per meatus subterraneos creditur deriuare, tam Ganges, quàm Indus fluuius. Postea est Mare rubrum, sic dictum quia suis rubescit arenis, & valde celebre in Sacra Scriptura propter miraculosum transitum Hebræorum, vocatur etiam Mare Erithreum, & sinus Arabicus: huic satis vicinus est sinus Persicus inter Persidem, & Arabiam felicem percurrens: in hunc influit Euphrates, & Tigris simul ante viginti leucas vniti. Plura alia sunt Maria non ita magna, vt in Armenia maioti prope ciuitatem Van est vnum circiter viginti quinque leucarum longitudinis, montibus vndique cinctum salsis aquis. In Galilæa est Mare Tiberiadis, & Mare mortuum. Ex his percurri partem Oceani Indici à ciuitate Goa vsque ad Sinum Persicum, quem totum bis ferè traieci, sicut & Mare Mediterraneum, ac Mare illud Armeniæ: quòd aliquando Maria aliqualem loci variationem patiantur, prouenit vel à Terræ motu, quo littus ex vna parte absorbetur, & ita dum nouum occupat locum, ex alio recedit, vel etiam ex vehementi aliqua influentia Syderum, maximè in coniunctione plurium ipsorum, nunquam tamen Mare totum locum mutauit, in fine Mundi ad proprium, supra, & circa Terram creditur rediturum.

Multiplex est motus Maris. Primus est ille, quem habet à ventis versùs omnes Mundi partes iuxta diuersitatem ventorum aquas impellentium. Secundus, qui maximè cernitur in Mari Mediterraneo, est ab Oriente in Occidentem, cùm enim hoc Mare maxima recipiat flumina, scilicet Nilum in Ægypto, Orontem, aliósque exiguos in Syria, Danubium circa Constantinopolim, Padum, Tiberim, & alios plures in Italia, Rhodanum, Varum, aliósque in Gallia, Iberum, aliósque permultos in Hispania, ideo versùs Occidentem decurrit, vbi solummodo ad Oceanum reperit aditum: hic

tamen motus sæpe vi ventorum superatur: cùm autem venti Occidentales, maximè Circius in hoc mari plus dominentur, quàm Orientales, ideo citiùs itur ad Orientem, quàm redeatur. Tertius motus ponitur ab Aristotele, & D.Thom. hic libro secundo, capite primo à Septentrione ad meridiem, qui procedit, vel propter altitudinem Terræ Septentrionalis, vnde Mare intumescens ibi multis fluminibus ad demissiorem partem Australem decurrit, vel quia propter frigiditatem loci ex longa Solis distantia plurimùm aquæ generatur, & in Austro siue sub Zona torrida propter calorem plurimùm euaporatur. Quartus, & valde regularis est motus, siue æstus maris reciprocus, quem à Luna recipit modo statim dicendo, quo aquæ maris fluunt & refluunt: hic autem fluxus & refluxus sic causatur: cùm Luna habeat magnum dominium supra corpora humida, vt ipsa constat experientiâ, & docet D.Thom. loco citato, maximum habet dominium supra maximum humidorum, & ita suis influentiis illud mouet, scilicet mare, quod euidenti signo confirmatur: nam hic æstus regulatur secundùm ortum & progressum Lunæ, & crescit in nouilunio & plenilunio. Ad diuersos aspectus eius magis, vel minùs directos reducenda est diuersitas fluxûs ac refluxûs, maior vel minor illius impetus & inæqualitas, plus enim alicubi durat fluxus, minùs autem refluxus, quamuis ordinariè senis perdurent horis: quando hic æstus maris intrat flumina, incipit tam fluxus, quàm refluxus priùs in vtraque ripa, quàm in medio, cuius ratio est, quia maior est impetus aquæ in medio, quàm in ripa, & ita dum incipit fluxus maris, citiùs & faciliùs vincit moderatum cursum aquæ in ripis, quàm eius impetum in medio, & sic incipit in ripis fluxus: similiter refluxus ex eo, quòd postquam mare iam vicit impetum fluminis, ita vt retrocedere cogat, æstus est maior in medio, quàm in ripis, vnde sub finem citiùs vincitur à natiuo cursu fluminis, vnde in ripis incipit refluxus. Æstus maris propter diuersum Lunæ aspectum, aliásque causas ad id concurrentes in aliquibus partibus est maximus & velocissimus, vt apud Cambaiam, in faucibus Sequanæ, & in sinu Persico, vbi eius vi Euphrates, & Tigris ad triginta, & ampliùs leucas magnâ celeritate retrocedunt: in mari autem Mediterraneo vix apparet, nisi in principio, tum propter eius cursum ab Oriente ad Occidentem, quo se exonerat ad Oceanum, & ita impedit aditum fluxui Oceani, tum propter angustias freti Gaditani, licèt enim aquæ Oceani illud penetrent, quia tamen mare valde dilatatur, inde est quòd ex longa latáque diffusione valde diminuuntur.

QVAMVIS omnia flumina intrent in mare, mare tamen non redundat, ex eo quòd Oceanus est locus naturalis aquarum, vnde sicut in illum omnes aquæ decurrunt, sic ab illo omnes pene aquæ deriuantur, vel per continuam euaporationem, vnde pluuiæ generantur, vel per subterraneos meatus, vnde aliqui fluuij, & fontes promanare dicuntur: ac proinde si tantum det, quantum recipit, semper erit in eodem statu.

SALSEDO prouenit, vel ex magna indigestione, vt docent Aristoteles, & D. Thomas hîc libro secundo lect. sextâ, cuius signum afferunt in vrina & sudore, ex quorum subtilitate colligitur eorum indigestio, quæ enim sunt digesta, videntur inspissata esse à calore: vel prouenit ex magna adustione, quæ etiam est causa amaritudinis, vt constat in fuligine, quæ salsa est & amarissima, quia penitus adusta, & in lixiuio, quod fit ex aqua stillata per cineres adustos, & propterea est salsum: salsedo maris prouenit non ex indigestione, sed ex maxima adustione hoc modo. Aqua maris est valde crassa propter admixtionem exhalationum terrestrium tum infusarum à Deo in principio, quando congregauit aquas in vnum locum ob varios fines, tum eleuatarum virtute Solis ex fundo, tum in mare decurrentium simul cum aqua fluminum, quæ exhalationes continuo Solis ardore adustæ fiunt salsæ, & salsam reddunt aquam, cui admiscentur, quod non euenit in fluminibus, qui continuo cursu impediunt adustionem admixtarum exhalationum. Nec in lacubus, aut stagnis, quia non est tanta copia exhalationum admixta, quæ sufficiat ad salsedinem. Quod sit ista admixtio exhalationum, manifestatur multis signis adductis à D.Thom loco citato. Primum est, si vas cereum bene clausum ponatur in mari, quod resudat interiùs, efficitur dulce tanquam depurato terestri per ceram. Secundum est, quòd Aqua maris plus ponderat, quàm dulcis: vnde habet aliquid admixtum de Terra, quæ est grauius Elementum. Tertium est, quòd aqua maris est crassior, quàm aqua fluuiorum: ita quòd naues oneratæ plus profundantur in aquis fluuiorum, quàm maris. Quartum est, quòd oua supernatant in aqua maris, non verò in aqua dulci.

ARTICVLVS V.

De Fluminibus.

FLVMINA ex collectione plurimorum riuulorum ex multis fontibus decurrentium coalescunt, hæc Deus author vniuersi, sapientissimúsque prouisor, quasi venas per vniuersam Terram distribuit ad eam irrigandam & fœcundandã. Inter ipsa aliqua sunt maxima, alia magna, alia parua: inter maxima apud authores celebrata sunt Ganges, & Indus in India ab hoc flumine sic denominata, ab hoc enim flumine incipit & diuiditur à Perside: Ganges est maior Indo, imo Indus à Gange denuatur, vt dicitur, in multa enim diuiditur capita, quorum vnum non longè à ciuitate Goënsi mare intrat, præcipuum autem prope Bengalam, creditur à mari Caspio & à caucaso originari. Euphrates & Tigris, qui è montibus Armeniæ nascuntur, parique cursu decurrentes Mesopotamiam constituunt, Euphrates ab ipso quasi principio est magnus, & quasi flauus præ limo, vtilissimus ad potum: Tigris in suo principio est valde exiguus, sed collectis pluribus ex montibus Armeniæ riuis multùm intumescit: quando peruenit Babilonem est æqualis Euphrati, est tamen rapidior, habet aquas limpidissimas, & valde subtiles, vnde nocent non assuetis, tandem viginti leucis antequam intrent sinum Persicum, coniunguntur, tunc vterque nomen deperdit, & fluuius Arabum simul vocantur: hæc duo flumina in suo principio, medio, & fine considerati, triplici ostio in mare decurrunt, ab eodem monte Periarde, ad cuius radices Occidentales nascitur Euphrates, & supra quem tradunt Armeni esse Arcam Noë. Nascitur versùs Orientem Araxes, qui ad mare Caspium deuoluitur, sicut & Volga fluuius. Nilus in Ægypto, qui septem ostiis mare ingreditur, cuius incrementum in æstate prouenit ex magna imbrium copia illo tempore, Deus enim, vt per octo annos in Indiis expertus sum, mirabiliter prouisit imbres in regionibus sub Zona torrida constitutis ad calorem temperandum: oritur prope caput bonæ spei: in eadem Africa est etiam celebris fluuius Niger, qui se sub Terram abdit, iterúmque resurgens ad Oceanum Atlanticum properat, ad Orientalem verò Oceanum properant fluuij, vulgo dicti de Quama, auriferi. In Germania sunt duo celebres Danubius, & Rhenus, quorum primus versùs Orientem per sexcentas circiter leucas collectis pluribus fluuiis ad Pontum Euxinum decurrit: secundus versùs Occidentem. In Gallia sunt quatuor maximi, Rhodanus, Sequana, Ligeris, & Garumna. In Hispania sunt Boetis, Iberus, Tagus. In Italia Padus, olim Eridanus, Tiberis, & alij. Non desunt alij fluuij etiam in nouo mundo: sed de bis satis.

ARTICVLVS VI.

De Fontibus.

DE origine fontium magna est inter authores controuersia, quidam enim è mari procedere, alij ex imbribus, alij denique ex concretione Aëris dimanare contenduot,

contendunt, ſed in rei veritate ex omnibus aſſignatis originantur fontes: quòd à mari fontes plurimi procedant, nulli dubium eſt, ſub Terra enim ſpecus ingentes reperiuntur plenæ aquis, per varios meatus à mari procedentibus, quæ paulatim in fontes reſoluuntur: hanc Deus maris penetrationem ad terram irrigandam, ac humectandam ordinauit: quod etiam ex imbribus & niuibus procedant, ex eo conſtat, quòd vbi multùm pluit, & ad radices montium vbi multùm niuis liqueſcit, plures fontes & riuuli ſcaturiunt, tempore autem ſiccitatis multi fontes exſiccantur: quod denique ex concretione Aëris dimanent, aſſerit Philoſophus hîc libro. 1. cap. 13. & conſtat experientiâ, videmus enim quòd in cauernis ſubterraneis, & valde humidis Aër vi frigoris concretus ſtillat continuò, vnde alicubi poſtea erumpit aqua viua.

Insignes, alicubi erumpunt fontes, & vt alios prætermittam, prope Auenionem ad quinque leucas, ad radices cuiuſdam montis è puteo immenſæ profunditatis, ſurgit fons eximius nomine Surga, dignus vocari fluuius: quia ſtatim à ſuo principio nauiculas vehit, aliquando valde intumeſcit, ex ore putei in ſubiectos per decliuum ſcopulos ſpumantes diffundit aquas: aliquando verò demiſſior factus, variis hinc inde emergit originibus. Ex fontibus alij ſunt continuò calidi, alij verò valde frigidi: quamuis hyeme omnes ſint calidi propter rationem ſuperius adductam: cauſa continuæ caliditatis eſt, quia tranſeunt per loca ſulphurea. Alij ſunt dulces, alij ſalſi, alij acetoſi, alij ſulphurei, hos omnes expertus ſum ſulphureos in deſerto Arabiæ, ſalſos in Perſide, alibi acetoſos: huius diuerſitatis cauſa eſt medium, per quod aquæ fontales defluunt, ſi enim tranſeunt per Terram ſalſam, vel maximè aduſtam, fontes ſunt ſalſi, multos tales vidi in Perſide prope ſinum Perſicum, vbi ſunt montes ſalis, & campi ad aliqua milliaria ſale pleni. Quando medium non eſt purum, ſed infectum ærugine, aqua tranſiens ſit acetoſa, tales habentur prope Romam. Quando medium eſt ſulphureum, aqua etiam redditur ſulphurea, imò ſi ſit multùm ſulphuris, aqua caleſcit & feruet, ſulphur enim eſt calidiſſimum, vnde calefacit aquam, ſicut & calx: dulcedo fontium etiam à mari dimanantium prouenit ex hoc, quòd aqua marina ex penetratione Terræ purificatur à ſuis exhalationibus aduſtis, quibus redditur ſalſa. Sunt aliqui etiam fontes, quorum aqua indureſcit in lapides, & lignum in ea immerſum cortice lapideâ veſtiunt, & hoc prouenit ex maxima copia admixtarum exhalationum, quæ ſunt viſcoſæ, vnde aqua eſt valde grauis, & pota valde nocet.

Mvltæ aſſignantur cauſæ eleuationis aquarum ad orificium fontis. D. Th. dicit hoc fieri influxu corporum cæleſtium. Alij aſſerunt hoc prouenire ex vi attractiua Terræ, quæ ad inſtar ſpongiæ aquam ad ſe attrahit. Alij hoc prouenire dicunt virtute exhalationum calidarum, quæ ſunt pene in ſuperficie Terræ, non enim omnes in Aërem eleuantur: conſtat autem corpus calidum attrahere aquam, nam mulieres dum nimio grauantur lacte, applicant phialam aquâ infuſâ priùs calefactam mammillæ, quæ lac omne attrahit: aliquando etiam hoc prouenit ex eo, quòd aqua fontalis deriuetur à loco eminenti, & ſub Terra fluat, donec in loco aliquo inferiori erumpat: fontes aliquando vel terræ motu, vel Terræ ruinâ, aliáque ſimili cauſa canalem mutant: vnde noui fontes multoties apparent, antiqui verò deficiunt: multa alia de fontibus, & fluminibus referuntur, ſed quia potiùs curioſitati, quàm doctrinæ deſeruiunt, ideo prætermittuntur.

QVÆSTIO XXVII.

De Meteoris Terreis.

Vltimvm eſt Terra Elementum, vnde vltimo loco de Meteoris Terreis agendum eſt: Meteora verò Terrea dicuntur illa, quæ in viſceribus Terræ fiunt, circa quæ quæruntur quinque.

¶ Primò, de Terræ motu.
¶ Secundò, de ſubterraneis incendiis.
¶ Tertiò, de ſulphure, ac bitumine.
¶ Quartò, de metallis.
¶ Quintò, de variis lapidibus.

Articvlvs I.

De Terra motu.

Terræ motvs, cauſas varias aſſignarunt Philoſophi antiqui, vt refert Ariſtoteles hîc libro 2. cap. 13. quas fusè impugnat: deinde ex propria ſententia cauſam aſſignat, dicens exhalationem ſiccam & copioſam incluſam in concauitatibus Terræ cauſare eius motum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd virtute Solis, vt dictum eſt, generantur in viſceribus Terræ plures exhalationes, quæ aliquando nullo impediente in Aërem eleuantur, aliquando verò obſiſtente frigore intus remanere coguntur, & huc maximè iuxta mare, nam frigiditate aquæ repelluntur: dum igitur ſunt in loco & ſtatu violento (cùm enim ſint valde raræ & calidæ, ad locum ſuperiorem naturali impetu tendere contendunt) cúmque aditum quærant, nec inueniant, hinc inde diſcurrentes magnâ violentiâ Terram mouent, & concutiunt iuxta maiorem vel minorem ipſarum copiam: nec mirum videri debet, quòd tanto impetu exhalationes ad debitum ſibi locum tendant, cùm minimus ignis etiam montes ſubuertat propter eamdem cauſam, vt quotidie experimur. Aliquando etiam cauſatur Terræ motus, & à ventis incluſis intra viſcera Terræ, & ab incendiis ſubterraneis, dum erumpunt, vt accidit his temporibus Neapoli, quando Veſuuius de nouo conflagrauit.

Distingvit Philoſophus duas ſpecies Terræ motûs, aliquando enim eſt per modum tremoris, quando exhalatio hinc inde longe latéque Terram concutit: aliquando eſt per modum impulſûs vehementis, quando exhalatio copioſa rectà ſurſum tendit. Primo terræ motu domus concutiuntur, & aliquando cadunt: ſecundo autem ſcinditur Terra, euertuntur montes, & integræ ciuitates abſorbentur, vt noſtrâ ætate bis, aut ter contigit in Italia, & in ciuitate Tauris in Media, olim Ecbathanis. Terræ motum ſolet comitari ſonus aliquando ingens, ad inſtar mugitûs bouis, cauſatus ex colliſione illa vehementi exhalationum ad latera Terræ.

Plvra, ſolent adduci ſigna Terræ motûs futuri. Primum eſt quando aqua puteorum turbatur, vel ebullit, hoc enim procedit ex exhalatione calida in viſceribus Terræ incluſa, quæ hinc inde diſcurrens, antequam terram concutiat, per puteos aliqualiter ſpirat, ac ita aquam turbat, ebullire facit, & aliquando ſulphuream reddit. Secundum, ſi mediâ æſtate ſit frigus vehemens repentinum, impedit enim, ne magna exhalationum copia calore præcedente facta, è Terræ viſceribus erumpat, quæ poſtea Terræ motum cauſabit: alia plura aſſignantur ab Ariſtotele loco citato, ſed non ſunt infallibilia.

Seqventes conditiones plurimùm conducunt ad Terræ motum, ſcilicet ſi regio ſit maritima, ita vt fluctibus maris agitetur, quia tunc exhalatio ſuſcitata à Sole hac maris agitatione, ac frigiditate aquæ impeditur exire: propterea terræ motus frequentiùs accidunt in inſulis, quæ vndequaque fluctibus maris agitantur. Deinde ſi regio abundet ſpecubus & cauernis ſubterraneis, ad has enim confluunt exhalationes, quæ poſtea in magna copia vnitæ Terram concutiunt, ſi enim Terra ſit ſolida & continua, exhalationes non poſſunt ſimul congregari, ac proinde nec Terram concutere, vnde loca montoſa ſunt magis obnoxia Terræ motibus, quia montes cauernis abundant. Deinde ſi Terra ſit pinguis & bene cohærens, ſi enim ſit valde poroſa, exhalatio paulatim emanat à Terra, vnde in locis arenoſis non contingunt Terræ motus.

Qvantvm ad tempus, certum eſt Terræ motus frequenter euenire tempore verno & autumno, rarò æſta-

te

te & hyeme, cuius, ratio est, quia Vere & Autumno Sol est satis vigorosus ad causandas exhalationes, si impediantur exire propter imminens frigus, quod tunc sæpe contingit, (Sol enim tunc satis distat,) causatur terræ motus, vt dictum est: hyeme verò Sol est valde debilis, vnde non potest causare tantam copiam exhalationum, quæ sufficiat ad terræ motum: & æstate, si causantur multæ exhalationes, facilè à Terra exeunt, quia tunc non est frigus circumstans, quod exitum impediat.

Mvltos effectus causat terræ motus: scilicet ventos vehementissimos, nam multa pars exhalationum prædictarum est materia venti, & ita concussâ Terrâ erumpentes in ventos resoluuntur. Causat obscuritatem Sol s, nam illæ exhalationes egressæ per Aërem diffunduntur, & offuscant. Causat pestem, cùm illæ exhalationes diu conclusæ inficiuntur, & ita Aërem corrumpunt. Vrbes subuertit, montes de loco in locum transfert, terram absorbet, aliquando in colles eleuat, mare intumescere facit, flumina à consueto diuertit alueo, nouos producit fontes, alios exsiccat, insulas è mari eleuat, alias submergit, plures alius etiam habet effectus.

Articvlvs II.

De subterraneis Incendiis.

Plvribvs in locis incendia apparent è Terræ visceribus erumpentia, quæ propterea dicuntur subterranea. referam solùm, quæ vidi, alia habentur apud varios authores. Prope Neapolim in Campania est mons Vesuuius, iam olim vt constat ignimomus, cuius incendium meritis Sancti Ianuarij extinctum fuit: annis præteritis iterum erupit cum maximo vicinorum damno: multos enim homines occidit, agros, & oppida circumquaque vastauit, aquas maris ad aliquod spatium inflammauit, ipsum præcessit diuturnus terræ motus, & alia quæ historiæ relinquo.

Mons Ætna in Sicilia prope Catanam est celeberrimus, tum apud antiquos propter continuum tot sæculorum incendium, tum apud Turcas & Arabes, qui illum per antonomasiam Gebal, id est montem sine addito vocant: propterea apud nos mons gibel vulgò dicitur. Hic continuò ardet, cuius incendium non solùm Siciliæ, aliisque prouinciis finitimis, sed etiam remotissimis eiectâ immensâ aliquando cinerum, pumicum, saxorum ignitorum copiâ vastitatem intulit, ad radices eius prope mare saxa igne corrosa apparent.

Prope Siciliam, ad eius partem occidentalem sunt Insulæ, olim dictæ Æoliæ, & Vulcaniæ, duæ ex ipsis etiam nunc ardent: Lipara crassam & obscuram flammam emittit, vnde solùm nocte apparet, interdiu autem ingentem fumum caliginosum, vt vidi, exhalat: Strongyle autem, vulgo Stromboli, quæ est insula parua magis ad Occidentem, & satis remota, tum è Sicilia, tum è Calabria, tenuem & satis perlucidam emittit flammam: hæc est Insula deserta, in qua spectra dicuntur apparere, & audiri lamenta, propter quod vulgus credit esse caminum Inferni, euomit aliquando cineres pumices, & massas quasi ferrexa.

Pabvlvm siue fomes horum incendiorum est, tum sulphur, tum bitumen, quæ in visceribus Terræ continuò gignuntur: cuius indicium est, quòd propè illa loca, vbi sunt incendia, emanant fontes sulphurei, & bituminosi: puteolis in campania non procul à monte Vesuuio plurima sulphuris copia è penetralibus Terræ dimanat: Hecla mons Islandiæ etiam igniuomus, aliquando magnam vim sulphuris eiicit: bitumen autem est valde idoneum, ad diu fouendum ignem, quia est valde viscosum, ac ita propter humiditatem difficiliùs consumitur, & semel incensum etiam sub aquis ardet, imò aquas inflammat, vnde non mirum, quòd tam magna incendia tamdiu durent: ignis enim vt constat in lampade, attrahit suum pabulum, & ita hinc inde incendia illa attrahunt sulphur, & bitumen, quæ penetrantibus aquis maris humectantur, & conseruantur, imò plurimùm aquæ conflagrat, & inflammatur, sicut & lapides, & alia quæcumque obuia: circa illa loca sunt plurimæ concauitates, ad quos è superficie Terræ multa defluunt, quæ fiunt successiuè pabulum ignis. Quid autem primò illas materias incenderit, dubitatur, probabilius videtur quòd sint illæ exhalationes, quæ Terræ motum causant, si enim à frigore circumstante ad viscera Terræ repellantur, & non habeant, quò discurrant, vt frigori resistant in vnum colliguntur, & ex hac maxima compressione ignem concipiunt, vt dictum est supra de fulgure, & fulmine: ac proinde, si ibi sit sulphur, aut alia materia combustibilis, ignescit, ac ita ignis erumpens aditum sibi facit, causâtque incendium.

Articvlvs III.

De Sulphure, ac Bitumine.

Qvia dictum est sulphur, & bitumen esse pabulum præcipuum incendiorum, ideo de ipsis aliquid dicendum est. Sulphur generatur ex vapore valde aquoso, mixto exhalatione terestri, si calore valde aduratur: hæc enim calore corrumpente euaporatis subtilioribus partibus, condensantur in massam flauam sulphuris, vapor enim ex se perlucidus, sed mixtus obscurâ exhalatione flauescit: ex hac corruptione caloris prouenit quòd exhalet tam fœtidum odorem, est autem valde siccum & calidum, propterea facillimè ignem concipit, & fumum cæruleum emittit, multum est in deserto Arabiæ, vnde putei dant aquam sulphuream.

Bitvmen generatur ex terra valde pingui & viscosa, multùmque adusta, si permisceatur aquæ, & sic mixta decoquatur, propterea apparet, vt quidam succus pinguis & coagulatus, coloris nigri. Fontem vidi bituminis non multùm distantem à loco, vbi adhuc ruinæ turris Babel demonstrantur, sex circiter leucis à noua Babilonia. Hic fons magnus agrum proximum repleuerat, dictumque fuit ex alia fluminis Euphratis parte dextera multò maiorem esse scaturiginem, ita vt rinum non exiguum efficeret, quo fonte visi sunt ædificatores turris Babel: dicitur enim Genesis 11. quòd vtebantur bitumine pro cemento: quomodo autem bitumen eleuetur à Terra, ita vt fluat, dicimus hoc procedere virtute caloris ipsi à Sole impressi, quo rarefit, ac ita cùm non possit suo contineri loco, foras emanat: maximè quia raritas, leuitas, & calor ad eius ascensionem conducunt, vt dictum est supra de vaporibus, & exhalationibus: hæc emanatio potest aliquando procedere ex propinquitate alicuius incendij hanc materiam calefacientis & rarefacientis, ac quasi ebullire facientis, quod proportionaliter dicendum est de emanatione sulphuris.

Articvlvs IV.

De Metallis.

Plvres sunt species Metallorum, simplices assignantur septem, scilicet Aurum, Argentum, Stannum, Plumbum, Æs, Ferrum, Argentum viuum, quia autem Astrologi tenent singulas species à singulis Planetis efficienter produci, propter peculiaram vniuscuiusque influentiam, propterea eorum nominibus Alchimistæ metalla insigniunt: vnde Argentum vocant Lunam: Argentum viuum Mercurium: Æs Venerem: Aurum Solem: Ferrum Martem: Stannum Iouem: & Plumbum Saturnum.

Aliæ sunt species, aut quasi species, non essentialiter, sed accidentaliter à prædictis distinctæ, quatenus vel ex depuratione vnius fiunt, sicut calybs fit ex ferro valde depurato, vel ex commixtione plurium coalescunt, sicut Electrum ex commixtione Auri & Argenti: Cuprum, Aurichalcum, Æs coronarium, vulgo *Leton*, Tambacum, & Calinum: duo vltima metalla solùm vidi in

Indiis orientalibus. Tambacum satis æstimatur, ex eo fiunt annuli, qui corruptum expellunt aërem, est coloris fusci. Calaiuum est valde simile Plumbo, ex eo conflantur monetæ apud Lusitanos.

Materia remota Metallorum certum est esse quatuor Elementa, cùm Metalla sint mixtum perfectum: de proxima est difficultas inter Authores, quidam, vt Chymistæ, dicunt esse Argentum viuum, & sulphur, ex eo, quòd ista duo reperiantur in fodinis Metallorum, & adhibeantur vt materia, dum per artem ab ipsis fit Aurum: sed falsum est, quòd in omnibus fodinis hæc duo reperiantur, quamuis sint in aliquibus: quantùm ad aliud, quidquid sit an possit fieri verum Aurum arte chimicâ, hæc sunt valde diuersa, quòd scilicet per artem vna substantia possit mutari in Aurum, & quòd talis substantia sit materia connaturalis omnium Metallorum. Deinde ex illis adhuc manet assignanda materia Argenti viui. Dicendum est igitur cum Aristotele materiam Metallorum esse vaporem mixtum exhalatione, & ex diuersa coniunctione, ac decoctione prouenire diuersitatem Metallorum: nec est contra D. Thom. qui in fine Libri tertij dicit iuxta Alchimistas, sulphur & Argentum viuum esse materiam propinquam Metallorum: non enim intelligit de omnibus Metallis, aliàs Argentum viuum esset materia sui, sed intelligit de aliquibus maximè de Auro, cui libenter assentimur. Igitur ex admixtione vaporis, & exhalationis inclusorum in visceribus Terræ, & præcipuè in lapidibus, vbi est maior siccitas, quæ magis coarctet humidum vaporosæ exhalationis, & propter fortiorem & maiorem coagulationem factam à frigido commensurato formæ Metalli, fiunt diuersa Metalla. Quod probatur ex hoc, quòd ex Aëre sæpe cecidisse narratur aliquas partes Metallorum, & hoc absque eo, quòd præcesserit turbo, qui potuerit eleuare has massas metallicas, vnde signum est ibi fuisse efformatas ex vapore, & exhalatione, nulla enim alia materia sursum eleuatur.

Metalla eò fiunt perfectiora, quò exhalatio & vapor sunt puriores, ac meliùs commixti, & econtra, vnde Aurum est perfectissimum Metallorum, non solùm quantùm ad æstimationem hominum, sed etiam in rei veritate: quod enim materia eius sit optimè commixta, patet, quia Aurum difficulter liquatur ex eo, quòd humidum & siccum propter fortem commixtionem de difficili separantur, optimè tamen extenditur, & meliùs quàm alia Metalla, vnde ex illo eliciuntur folia tenuissima, propter tenacem cohærentiam partium, prouenientem ex perfecta mixtione, cui conducit puritas materiæ. Quod autem eius materia sit purissima, patet ex hoc quòd Aurum liquatum non minuitur, nec fit minoris ponderis, quia cùm materia sit subtilissima, ac proinde nihil impurum continens, per ignem nihil euaporatur, sicut accidit in aliis metallis iuxta maiorem, vel minorem impuritatem materiæ, liquata enim magis, vel minùs diminuuntur, quod prouenit ex impuritate admixta, quæ vi ignis euaporatur. Deinde quò faciliùs franguntur, signum est non esse in eis perfectam commixtionem, propter quam commixtionem perfectam, & puritatem materiæ sequitur Aurum minùs esse porosum, ac proinde magis ponderosum, cui etiam cooperatur perfecta decoctio eius materiæ facta virtute Solis, quæ decoctio in perfectionem metallorum requiritur. Dicitur enim quòd stannum non peruenit ad formam argenti ex defectu decoctionis, & quòd plumbum diu Sole decoctum transformatur in argentum: propterea ordinariè aurum & argentum saltem in magna copia generantur in locis calidissimis, vt constat in Africa sub zona torrida, vnde magnam copiam Lusitani asportant: iuxta diuersa Metalla reperiuntur diuersi colores, flauus in fodinis auri, cæruleus in fodinis argenti, rubicundus vermiculatus in fodinis argenti viui, viridis in fodinis cupri, imò cuprum vi aceti corruptum in colorem viridem resoluitur.

Cavsa efficiens Metallorum est Sol suo calore massam vaporum & exhalationum commixtam decoquens, quamuis ad hoc concurrat siccitas loci comprimens humidum: licèt enim sint aliqua flumina aurifera, non tamen auripara, non enim in illis nascitur aurum, sed illud rodendo Terras ex eius visceribus eruunt & secum rapiunt: non dubium quin cætera astra, & maximè planetæ ad hanc efficientiam concurrant, & vehemens frigus etiam cooperetur: sicut enim calor magnus faciens euaporare humidum excedens, coagulat hanc materiam, sic vehemens frigus comprimendo condensat: ex imperfectione huius coagulationis, & condensationis prouenit quòd argentum viuum sit liquidum.

Articvlvs V.

De Lapidibus.

Vt adæquatè referantur, quæ in Terra gignuntur, nec gradum vitæ participant, hæc enim pertinent ad libros de anima, in præsenti agendum est de lapidibus, sed breuiter: diffusus enim de ipsis tractatus confici posset, sed sufficiat aliqua de eorum diuersitate, proprietatibus, & generatione indicasse.

Lapides alij sunt vulgares, siue communes, alij pretiosi. Vulgares sunt in tanta copia, vt ferè dimidium Terræ occupent, vt apparet ex multitudine montium, de quibus nihil est aliud dicendum occurrit, quàm quòd eorum materia est terra aquis humefacta, quæ virtute Solis decoquentis indurescit eo modo, quo lateres Igne, quæ Terra vbi est valde spongiosa, conuertitur in pumicem, si autem sit pinguis, & valde adusta, conuertitur in carbonem lapideum: inceperunt statim à principio Mundi generari lapides, nihil enim immediatè creatum creditur præter Cœlum, & quatuor Elementa in sua puritate, alia verò mixta paulatim postmodum virtute Cælorum, & maximè Solis producta sunt.

Lapides pretiosi in maxima sunt diuersitate ex quibus aliqui propter raritatem & eximiam pulchritudinem sunt pretiosissimi. Pretiosi vtcumque sunt Marmor Porphyrius, Alabastrum, Iaspis ordinarius, Magnes, aliique similes etiam medicinales, vt lapis Cananor dictus ab oppido Indico, vbi reperitur, item Besoar, qui alicubi in stomacho caprarum, & simiarum ex quodam humore coagulari dicitur, éstque optimus contra morbos contagiosos, febrésque malignas, & ad purificandum sanguinem: vnde in Indiis Orientalibus, vbi plurimum reperitur, est maximè in vsu, sicut & lapis Cananor. Marmor est in multiplici differentia, aliud enim est candidum, aliud nigrum, aliud rubeum, flauum, viride, aliud variegatum, siue ex variis coloribus intermixtum. Porphyrius est coloris quasi violacei albescentis. Alabastrum est in multiplici differentia, sicut marmor, aliud enim est album, aliud griseum, aliorúmque colorum. In hoc differt à marmore, quòd habet diuersas venas distinctas lineis, ita vt appareat lapis ex adiunctis diuersis partibus rectè compositus. Iaspidis etiam plures videntur species, alius enim est viridis, non quidem vniformiter, sed habens venulas rubeas, alius est flauus, etiam maculatus, alius est purpureus, sed subobscurus, valde perlucidus, quia ex Iaspide sunt aliquæ species non ita pretiosæ, ideo in præsenti de eo agitur. Confortat stomachum, & fluxum sanguinis sistit. Magnes est subniger, ferrum attrahit, illóque fouetur, ex vno angulo: ex alio repellit: si ferrum illo confricetur, dirigetur ad Polum arcticum, vel antarcticum pro diuersitate anguli, quo confricatur. Huc potest reduci Crystallos, quæ est in magna copia in Insula Ailam olim Taprobanda. Vt creditur prædictorum lapidum materia est eadem terra aquis humefacta, quamuis debeat esse purior, ac proinde partes eius magis cohærentes diuturno Solis calore vehementiùs indurantur, ex diuersa autem Terræ qualitate, varióque colore varietas horum lapidum procedit.

Tandem sunt aliqui lapides pretiosissimi, quos Lapilli vocant, quia exigui sunt, non enim in magna mole posset Sol tam perfectum habere effectum: horum materia est terra purissima, humida, sed vehementi Solis

calore

calore valde indurata, aliquid aquei retinens, vnde fit perlucida. Præcipui lapilli, magisque noti sunt Adamas, Rubinus, Smaragdus, Carbunculus, Saphirus, Chrisolitus, Hyacinthus, Chrisoprasus, Amethystus, Berillus, Topazius, Sardius, Sardonix, Turchinus. Adamas est candidus, scintillans & durissimus, inuenitur in regno Colchonda. Robinus sic dictus, quia eius rubor est valde viuidus, optimus est, qui reperitur in regno Pegu, prope, sed vltra Gangem. Smaragdus est valde viridis, in India Orientali reperitur, aliqui sunt tam magni, vt ex eis fercula fiant, cocleare integrum ex vno confectum vidi: creditur ex Crystallo generari, nam Smaragdus imperfectos apparet vt Crystallus, quæ incipit virescere. Carbunculus ab aliis dictus Chalcedonius, quia prope Chalcedonem inuenitur, scintillat quasi ignis, & habet speciem carbonis ardentis, vnde apud Græcos Pyropos dicitur. Saphirus est coloris cœlestis, & valde collucet, aliquando habet puncta aurea. Crisolitus, sic dictus est, quia est coloris aurei, sed perlucidi. Hyacinthus est coloris violacei. Crisoprasus est mixtus aureo, & porraceo colore. Amethystus lapis est violaceus, purpureus & roseus. Beryllus est coloris puri maris, id est, viridis dilucì, vergentis ad cæruleum. Topazius est coloris quasi aurei, vnde non videtur distingui à Crisolito. Antiqui posuerunt Topasium viridem, non fuluum. Sardius sic dictus à Sardinia insula, in qua inuenitor, est coloris carnis humanæ, vnde carnerina, & corruptè cornezina vocatur. Sardonix à Gemmariis dictus Nicolus, est tricolor ad instar Iridis, habet tres circulos, nigrum, album, & rubeum. Turchinus est perfectè cæruleus, aliqui vocant Saphirum Medum, quia in Media reperitur in magna copia, non est valde perlucidus.

PLVRES alij sunt lapilli. In Insula Ceilam inueniuntur oculus felis, & oculus bouis, sic dicti quia ad viuum apparent oculi borum animalium. Insuper est lapis vulgò Agatha. Alius dictus Lacteos, quia coloris similis lacti, aliique plures, quos in Indiis vidi, sed hæc pauca ex multis dixisse sufficiat.

LIBER PRIMVS ET SECVNDVS DE ANIMA.

Summa Textûs.

NOBILISSIMVS est Tractatus de Anima, & vtilissimus ad omnes scientias: ad Philosophiam quidem moralem, quia in ea agitur de vitiis & virtutibus, quæ in Anima sedem habent, & ideo de his non potest certa haberi scientia, nisi præcesserit ipsius Animæ notitia: ad Metaphysicam etiam, quia in illa agitur de substantiis separatis, scilicet Angelis, & Deo, ad quorum cognitionem non possumus faciliori viâ deuenire, quàm contemplando animam nostram ad Angelicam, imò & diuinam similitudinem procreatam: ad sacram denique Theologiam, vt alias prætermittam, quia in illa vix vllus reperitur tractatus, qui ex huius notitia non dependeat, vt inductione consideranti patebit: propterea est nobilissima pars Philosophiæ naturalis, tum vtilitate, tum dignitate materiæ, cùm præ cæteris agat de spiritualioribus, & remotioribus à materia.

CONTINET tractatus iste tres libros. In primo Aristoteles reiicit antiquorum opiniones circa animam. In secundo determinat duplici definitione, quid sit Anima: ideo vtrumque coniungimus, quia vnus ab alio penitus dependet: deinde agit de ipsa Anima secundùm se, ac de potentiis, siue sensibus externis. In tertio tandem differit de sensibus internis, & de potentiis, ac operationibus animæ rationalis.

LIBER primus continet nouem capita. In 1. agit de dignitate, vtilitate, & difficultate scientiæ de Anima. In 2. refert veterum opiniones circa animam. In 3. impugnat eos, qui animam definiuerunt per motum. In 4. docet Animam non esse harmoniam. In 5. probat Animam aliis, præter localem, motibus non moueri. In 6. ostendit Animam non esse numerum seipsum mouentem. In 7. docet Animam non constare ex Elementis. In 8. dicit ipsam non esse rebus omnibus permixtam. In 9. tandem differit de Animæ vnitate, & operationibus.

LIBER secundus continet duodecim capita. In 1. tradit primam Animæ definitionem. In 2. alteram tradit eiusdem definitionem. In 3. differit de facultatibus Animæ in communi. In 4. de facultate vegetatiua. In 5. de sensu. In 6. distinguit sensibilia. In 7. agit de visibili, & visu. In 8. de sono, & auditu. In 9. de odore, & odorabili. In 10. de gustu, & gustabili. In 11. de tactu, & tangibili. In 12. denique proponit communia de sensibus externis, & probat sensus recipere aliquomodo formas rerum absque materia, ipsos verò esse in subiectis materialibus, scilicet in organis corporeis.

QVÆSTIO XXVIII.

De quidditate Animæ.

VM nulla sit inter Doctores, imò & inter homines difficultas, quin detur anima, hoc enim docet tum Sacra Scriptura, tum lumen & ratio naturalis, propterea dicit Augustinus se dubitare, an ille vluat, qui nescit se per Animam suam viuere, tum denique communis sententia, & vox omnium mortalium, ideo prætermissâ primâ quæstione, an sit, statim incipiendum est à quæstione, quid sit, examinando scilicet an essentia Animæ optimè explicetur per definitiones traditas ab Aristotele: circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm sit bona prima definitio Animæ?

¶ Secundò, Vtrùm hæc definitio conueniat omnibus animabus?

¶ Tertiò, Vtrùm secunda definitio Animæ sit quidditatiua?

Articvlvs I.

Vtrùm sit bona prima definitio Animæ?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quod non sit bona prima definitio Animæ, scilicet Anima est actus primus corporis Physici, organici, potentiâ vitam habentis. Probatur examinando sigillatim omnes eius particulas. Anima est potissima perfectio & actualitas rei Animatæ, vt ex se patet: ergo non est actus primus, sed secundus, nam actus secundus est perfectior, quàm primus, cùm sit finis illius, iuxta illud, vnumquódque est propter suam operationem: & propterea Aristoteles 1. Ethicor. cap. 12. ponit felicitatem, quæ est vltimus finis, & maxima omnium perfectionum, in actu secundo: deinde quia actus secundus est purior, & minus habens potentialitas ac proinde actualior & perfectior: ergo hæc definitio animæ non est bona.

¶ 2. Prætetea, Per ly (corporis Physici) intelligitur subiectum receptiuum Animæ: cùm enim Anima dicatur esse actus eius, sine dubio ipsum erit potentia actuata, ac proinde subiectum receptiuum: sed falsum est, quòd corpus Physicum sit subiectum receptiuum Animæ, tum quia anima immediatè recipitur in materia prima, vt proprius actus in propria potentia, sicut dictum est supra de generatione; tum etiam quia corpus Physicum non solùm importat receptiuum Animæ, sed etiam inuoluit ipsam animam, nam corpus Physicum dicit compositum ex materia & forma, quæ forma si præsupponatur esse alia ab Anima, ipsa Anima erit tantùm forma accidentalis, cùm adueniat enti in actu, & consequenter illa forma debet esse ipsa Anima; tum denique quia non sola Anima, sed qualiber forma, putà lapidis, est actus corporis Physici: ergo hæc definitio Animæ non est bona.

¶ 3. Prætetea, Vel per ly (organici) intelligitur susceptiuum Animæ, habens organisationem substantialem, vel accidentalem. Non primum, quia substantia, cùm non habeat partes, etiam non habet organisationem. Nec secundum, quia hæc definitio traderetur per aliquid accidentale, ac proinde non esset essentialis, cuius contrarium docent communiter Philosophi. Deinde cùm organisatio solis viuentibus conueniat, idem est organicum ac viuum, & consequenter, cùm viuum inuoluat Animam, Anima non definitur per proprium susceptiuum, sed per aliquid constitutum ex materia & ipsa, atque adeo ingrederetur in sui definitionem, imò definiretur per suum effectum formalem, scilicet per viuum. ac ita hæc definitio solùm esset descriptiua, quia traderetur per posteriora naturâ, & minùs nota secundùm se. Denique quia Anima est etiam actus sanguinis, & aliorum humorum, quos constat non esse organicos: ergo malè definitur quòd sit actus corporis organici.

¶ 4. Prætetea, Duplex est vita, videlicet substantialis, & accidentalis, scilicet operatio vitalis: sed in hac definitione neutra intelligitur. Non prima, quia eo ipso quod anima recipiatur, iam subiectum non est potentiâ, sed actu vitam habens. Nec secunda, quia vita accidentalis est multiplex iuxta multiplicem operationem vitalem, vnde si hæc debuit intelligi, debuit in definitionem poni in plurali (potentia vitas habenti:) ergo hæc definitio non est bona.

Sed contra est authoritas Aristotelis tradentis hanc definitionem, quàm vt bonam & legitimam admittit D.Thom. & cum eo communiter omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm prædicta definitio Animæ optimè explicet eius naturam, ac tradatur per verum genus & differentiam, non solùm est bona, sed etiam essentialis.

Respondeo dicendum, quòd prædicta definitio animæ tradita ab Aristotele est optima 1. & essentialis.

Probatur prima pars conclusionis. Illa definitio est optima, quæ optimè explicat naturam rei, definitio enim nihil est aliud, quàm oratio explicans naturam rei, vnde si optimè explicat, est optima: sed hæc definitio animæ tradita ab Aristotele optimè explicat naturam Animæ, vt constabit ex eius expensione: ergo est optima: sic autem expenditur.

Ponitur 1. loco generis hæc prima particula (Actus) quæ sub se comprehendit, tam actus primos, quàm secundos: actus primus significat formas, tum substantiales, quæ dant esse simpliciter, inter quas est ipsa anima, tum accidentales, quæ dant esse secundùm quid tantùm: actus secundus significat ipsas operationes elicitas mediis actibus primis.

Ponuntur 2. in hac definitione loco differentiæ aliæ omnes particulæ, scilicet (primus corporis Physici, &c.) ly autem (primus) idem est, ac substantialis, quia actus substantialis non præsupponit alium, & ita per hanc particulam distinguitur anima ab omni actu accidentali, nam operationes essentialiter præsupponunt alium actu, scilicet illum, à quo eliciuntur: & similiter aliæ formæ accidentales, licèt comparatæ ad operationes sint actus primi, tamen simpliciter loquendo non sunt omnino primi, id est, non præsupponentes alium. Igitur Anima cùm sit actus substantialis, simpliciter est actus primus, tam negatiuè, id est, nullum alium præsupponens, quàm positiuè, id est, reliquis prior. Dicitur etiam Anima actus primus per ordinem ad alias formas substantiales per hoc, quòd ex se sit separabilis ab actu secundo, scilicet operatione, & sæpe separatur, nam cessat ab illa, licèt adsint omnia extrinseca ad agendum & hoc habet, quia est forma perfecta, & minùs materialis, siue minùs immersa materiæ, & minùs ab illa dependens, quod non conuenit aliis formis, etiam substantialibus, quæ ab intrinseco non possunt separari à sua operatione, sed positis extrinsecis requisitis necessariò agunt, vt patet inductione in igne, & aliis, vnde à nulla sua operatione naturali potest separari ex se, & hoc habet ex sua imperfectione, quia est valde materialis. Ex quo sequitur quòd licèt simpliciter sit verum, quòd actus substantialis identificatus cum sua operatione, & consequenter inseparabilis ab illa, dicat infinitam perfectionem, vt patet in Deo, tamen si non identificetur cum illa, hoc habet ex sua imperfectione, quòd non possit ab ea separari, vt patet in igne.

Ponuntur 3. istæ particulæ (Corporis Physici:) & per has distinguitur Anima ab actibus completis per se subsistentibus, quales sunt Angeli, hi quippe, cùm sint actus completi, non possunt esse partes alicuius, & ita non possunt vniri per modum actùs alicui corpori, sicut Animæ, quæ ex eo, quòd sunt actus incompleti, essentialiter sunt partes, & ita vniuntur corpori per modum actùs, & consequenter debent per illud definiri, cùm essentialiter ad illud ordinentur: quia tamen corpus, aliud est artificiale, vt cathedra, aliud Mathematicum, quod dicit trinam dimensionem quantitatiuam; aliud denique Physicum, siue naturale quod scilicet subest sensibilibus qualitatibus, & est principium motùs & quietis, ideo ponitur in hac definitione (corporis Physici) quia huius corporis solùm Anima est actus. Quod corpus licèt posset sumi pro sola materia prima, tamen secundùm probabiliorem sententiam Caietani, Ferrariensis, Bannis, nostrorum Complutensium, & aliorum in præsenti, sumitur pro composito ex materia prima & ex Anima, non quidem vt dat suum vltimum gradum, scilicet esse animatum, sed vt dat esse corporeum, & completum susceptiuum vitæ: corpus enim, vt docet D.Thom. hìc libro 2. lect. 1. ab Anima habet, & quòd sit, & quòd corpus sit, & quòd sit corpus susceptiuum vitæ. Hæc expositio est D.Thom. quæst. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 2. his verbis: *Dicendum quod cùm forma perfectissima det omnia, quæ dant formæ imperfectiores, & adhuc amplius, materia prout ab ea perficitur eo modo perfectionis, quo perficitur a formis imperfectioribus, consideratur vt materia propria etiam illius modi perfectionis, quam addit perfectior forma super alias: ita tamen quòd non intelligatur hæc distinctio in formis se-*

cundum

tundùm essentiam, sed solùm secundùm intelligibilem rationem: sic ergo ipsa materia secundùm quòd intelligitur, vt perfecta in esse corporeo susceptiuo vitæ, est proprium subiectum animæ. Rationem huius intelligentiæ affert D. Thom. loco citato, & hic lect. 1. quia anima non definitur hîc secundùm rationem generalem formæ substantialis, sed vt est anima, siue vt dat esse animatum & viuum, vt patet: sed proprium susceptiuum animæ secundùm hanc rationem, non est materia prima nuda, sed vt priùs informatur eadem animâ, vt dat esse corporeum & Physicum: non enim anima tribuit gradum vitæ, donec priùs natura communicet gradum corporis iam dicti: ergo per corpus Physicum intelligitur hoc compositum, cùm sit susceptiuum proprium & immediatum, non verò materia prima, quæ est susceptiuum remotum, ac proinde improprium: vnde per corpus Physicum intelligitur corpus, quod immediatè contrahitur per gradum viuentis, siue quod est immediatè susceptiuum vitæ.

Ponitur 4. hæc particula (Organici) quæ vt intelligatur, sciendum est, duplex esse corpus, naturale vnum, quod caret partibus diuersæ rationis, & hoc non dicitur Organicum, aliud verò, quod habet saltem radicaliter prædictas partes ex se aptas ad exercenda opera vitæ, & hoc dicitur Organicum, fortè desumptâ appellatione ab Organo musico, quod constat pluribus, & diuersis partibus: & huius corporis Physici saltem radicaliter habentis diuersitatem partium, & organorum ad opera vitæ deseruientium, anima est actus. Ratio autem cur hæc particula (Organici) debeat apponi in hac definitione, est quia cùm anima, quippe inter formas perfectissima, habeat plures & diuersas operationes, oportet vt etiam habeat plures & diuersas partes & organa, quibus illas exerceat: & ideo est, & dicitur actus corporis Organici, vt optimè docet D. Th. hîc libro 2. lect. 1. & exemplificat cum Aristotele in omnibus animatis, incipiens à plantis, quæ inter animata obtinent infimum locum, quæ tamen habent diuersas partes & organa propter diuersitatem operationum, non tamen tot, quot animalia, quia non habent tot operationes, ac illa, inter quæ etiam, quæ plures & diuersas habent operationes, plura etiam habent organa, vt patet in animalibus perfectis. Est autem difficultas inter authores, vtrùm anima hîc definiatur per corpus Organicum, tanquam per proprium susceptiuum informe, aut formatum. Circa quod dicendum, quòd per ly (Organicum) non intelligitur ipsum corpus organicum, quod præcedit generationem, quia vt dictum est in libris de generatione, in ipsa resolutione vsque ad materiam primam, quæ fit in instanti generationis pereunt omnia accidentia, ac proinde organizatio, & remanet sola materia. Est autem probabile quòd hîc anima definitur per corpus organicum, tanquam per proprium susceptiuum informe respectu animæ, vt anima est: quia anima, vt anima, non introducitur, nisi priùs actuetur materia per eamdem animam, vt dat gradus antecedentes ad esse animarum, & vt secundùm illos initiatiuè habet esse Organicum, ac proinde vt est radix organizationis dispositiuæ: & sic iuxta hunc modum dicendi non sumitur Organicum formaliter & completè, sed radicaliter, & initiatiuè: & hoc etiam consonat authoritati prædictæ D. Thom. vbi dicit quòd ipsa materia secundùm quòd intelligitur, vt perfecta in esse corporeo susceptiuo vitæ, est proprium subiectum animæ: sed tamen in hoc modo dicendi particula illa (corporis Physici) non denotabit corpus illud, quod supra dicebatur, scilicet corpus completum, vt est proximum susceptiuum vitæ, cùm hoc per ly (Organici) denotetur: tamen est probabilius, & magis conforme ad supra dicta, ipsique Aristoteli & D. Thom. quòd definitur hîc anima per corpus, vt organicum, quatenus esse organicum dicit propriam & essentialem rationem organi saltem radicaliter sumpti: & sic definitur per susceptiuum formatum, nam cùm forma dicat essentialem ordinem ad prædictum subiectum, quia est eius effectus formalis, potest optimè per illud definiri, sicut albedo definitur per album: & ita corpus Organicum idem erit, ac corpus viuum, vt viuum, & includens animam, vt anima est: & consequenter dicere quòd anima est actus corporis Organici, idem est ac dicere, quòd est actus corporis animati, siue viui: vnde sicut cùm anima definitur per corpus, ly (corpus) denotat subiectum formatum per illam, vt est forma corporis susceptiui vitæ: sic dum definitur per ly (Organici) explicatur per idem corpus, vt formatum per eam secundum rationem animæ. Hic modus dicendi est Aristotelis hîc textu 10. vbi explicans, quid sit corpus organicum, ait: *Est autem non abiiciens animam, potentiâ ens, vt viuat:* Intelligit autem de anima, vt anima est, quia eam vt sic definit, siue sub conceptu animæ. Item textu 8. ait: *Animam esse quod quid erat corporis, per quod definitur.* Idem etiam expressè docet D. Thom. q. de anima art. 1. ad 15. vbi sic ait: *Dicendum quod in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum, vt informe, sicut cùm dicitur, motus est actus existentis in potentia, aliquando autem ponitur subiectum formatum, sicut cùm dicitur, motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi: & hoc modo dicitur anima actus corporis Organici Physici, quia anima facit ipsum esse corpus Organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum:* Quod etiam expressiùs docet 1. p. quæst. 76. art. 4. ad 1. vbi sic ait: *Dicendum quòd Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantùm, sed actum corporis Physici Organici, potentiâ vitam habentis, & quod talis potentia non abiicit animam: vnde manifestum est, quod in eo, cuius anima dicitur actus, etiam anima includitur eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi, non quòd seorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem: & similiter dicitur quòd anima est actus corporis, &c. quia per animam, & est corpus, & est Organicum, & est potentiâ vitam habens: sed actus primus dicitur respectu actûs secundi, qui est operatio, talis enim potentia est non abiiciens, id est, non excludens animam.* Hunc dicendi modum sequuntur Caietanus, Flandria, Bannes, nostri Complutenses, & alij etiam extra scholam D. Th. vt Suares, Toletus Rubios, &c.

Ponitur vltimò ly (potentiâ vitam habentis.) Ad cuius euidentiam sciendum est duplicem esse vitam, scilicet substantialem & accidentalem, substantialis est prima radix potentiarum & actionum vitalium, siue est primum principium mouendi seipsum, vt hîc docet D. Thom. lect. 1. propter quod etiam Aristoteles hîc textu 37. dicit quòd viuere in viuentibus est esse, scilicet substantiale, & ita accipitur vita, quando opponitur morti: vita verò accidentalis est operatio vitalis, quæ à vita substantiali, vt à prima radice, & à potentiis vitalibus, vt à principio proximo procedit, & in hoc sensu Aristoteles hîc libro 2. texto 3. ait: *Vitam autem dicimus id, quod per se ipsum alimentum, & augmentum, & decrementum habet.* Item 1. Politicorum cap. 6. *Vita certè est actio, & non factio.* Item Ethicor. cap. 4. *Vita quadam est operatio:* Quod etiam docet D. Thom. 1. a. p. 3. art. 2. ad 1. vnde Ioannes 17. dicitur: *Hac est vita aterna, vt cognoscant te.* In hac autem definitione nomine vitæ non intelligitur vita substantialis, sed accidentalis: ita expressè docet Aristoteles hîc libro 2. textu 10. & D. Th. ibidem lect. 2. ratio est manifesta, quia vt dictum est, per ly (Organici) intelligitur corpus viuens, siue animatum, ac proinde habens vitam substantialem: & ideo per sequentia verba non debet idem significari, aliàs esset superflua, vnde per illa intelligitur vita accidentalis: ex quo sequitur has particulas (potentiâ vitam habentis) non poni in definitione, vt quid simpliciter necessarium, vt eum docet ipsemet Aristoteles in hoc 2. libro textu 7. quem explicans D. Thom. sic ait: *Colligit ex omnibus prædictis definitionem animæ, & dicit quod si aliqua definitio communis debeat assignari, qua conueniat omni animæ, erit hæc: anima est actus primus corporis Physici Organici:* Non autem oportet addere (potentiâ

tentiâ vitam habentis:)loco enim huius ponitur organicum, vt ex dictis patet. Ponitur tamen congruè maioris claritatis gratiâ: quia cùm illi antiqui Philoſophi ignorarent naturam animæ,neceſſe fuit illam optimè explicari,vnde licèt idem ſit corpus organicum,ac corpus viuom, tamen hoc ita non exprimitur per organicum, & ſic debuit addi (potentiâ vitam habentis.)

Probatur ſecunda pars concluſionis, Ariſtotelis, & D.Th.authoritate in hoc 2.lib.cap.1.lect.3.& clarius c.2. nam Philoſophus faciens mentionen huius definitionis, & aliam tradere volens ſic ait: *Non enim ſolùm ipſum quòd ſit oportet diffinitiuam rationem oſtendere, ſicut plures definitiones dicunt: ſed & cauſam in eſſe, & apparere:* Vnde cùm definitio tradita per cauſam ſit eſſentialis, & quidditatiua, hæc vtique eſt quidditatiua. Quod probatur. Hæc definitio optimè explicat naturam animæ, & traditur per eſſentialia ipſius, ſcilicet per verum genus, quod eſt actus, in quo anima conuenit cum aliis, & per veram differentiam, ſcilicet per habitudinem eſſentialem, quam dicit corpus viuum, ſiue Organicum, quæ differentia nulli alteri actui poteſt conuenire: ergo eſt eſſentialis, vt patet ex regulis Logicæ. Deinde hæc eſt differentia inter definitionem eſſentialem ſubſtantiæ completæ, & ſubſtantiæ incompletæ, qualis eſt anima, quòd in definitione ſubſtantiæ completæ nihil ponitur quod ſit extra eſſentiam definiti, ſecus verò in definitione ſubſtantiæ incompletæ, vt formæ, hæc enim debet tradi per rationem ſuperiorem loco generis, & per proprium ſubiectum informe, aut formatum, quod eſt extra eſſentiam eius, loco differentiæ: cuius rationem affert D. Thom. nam definitio ſignificat quod quid eſt res, ſubſtantia autem completa eſt quid perfectum in ſuo eſſe & ſpecie abſque aliquo alio extrinſeco, & ita in eius definitione non poteſt poni aliquid, quod ſit extra eſſentiam eius: cæterùm ſubſtantia incompleta, vt forma, non habet in ſe totum ſuum complementum, ſed ab aliquo alio, quod eſt extra eius eſſentiam, ſcilicet à proprio ſubiecto, & ita dicit eſſentialem habitudinem ad illud, in eàque eius ratio differentialis, aut quaſi differentialis conſiſtit: & ideo in eius eſſentiali definitione ponitur proprium ſubiectum loco differentiæ, vt ita explicetur peculiaris & eſſentialis habitudo ad illud, iuxta dicta in Logicis cap. de genere: vnde licèt in ſubſtantiis completis tradatur definitio per priora naturâ ſimpliciter, ſcilicet per partes eſſentiales, quæ naturâ præcedunt totum, in incompletis tamen propter rationem aſſignatam poteſt tradi per aliquid poſterius, ſcilicet per ſuſceptiuum informatum, quod eſt effectus formalis: quamuis poſſit dici,quòd ponitur in hac definitione, non vt eſt effectus, & quid poſterius in actu exercito, ſed vt eſt ſpecificatiuum animæ, ſcilicet in actu ſignato, qua ratione eſt prius naturâ.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſubſtantia non habet pro fine ſuam operationem præcisè ſumptam, ſed ſeipſam ſuo modo,& mediâ ſuâ potentiâ immediatè operatiuâ actuatam per talem operationem, vt docet D.Th. 3. contra gentes cap. 17. ratione 7. vnde non ſequitur quòd actus ſecundus, ſcilicet operatio præcisè ſumpta ſit perfectior animâ, quæ eſt actus primus, maximè quia anima eſt ſubſtantia, operatio verò accidens. Ad illud de beatitudine, ſimiliter dicendum quòd non importat præcisè actum ſecundum, ſed ipſum vt actuantem ſubſtantiam. Ad aliud dicendum, quòd ſolùm concludit actum ſecundum habere aliquam perfectionem maiorem ſecundùm quid, quàm actus primus non habet, nam perfectione ſimpliciter ſumptâ ſubſtantia qualiber actualis eſt perfectior quolibet accidente, ſaltem naturali, cùm ſit ſuperioris ordinis.

An ſecundum dicendum, quòd corpus Phyſicum eſt proximum receptiuum animæ, vt anima eſt, ſiue ſecundùm vltimum hunc gradum: materia verò prima eſt proprium receptiuum animæ ſecundùm rationem generalem formæ, nec tamen inde ſequitur, quòd anima, vt anima, viuiatur materiæ accidentariò, ſiue per modom formæ accidentalis, quia ſupponit materiam iam in actu per gradum corporeitatis: nam ad hoc vt diceretur forma accidentalis, opus eſſet vt ſecundùm ſuam entitatem, & abſolutè conſiderata adueniret enti in actu, non verò quatenus præcisè conſideratur vt informans ſecundùm ſuam vltimam rationem, cùm ad lineam ſubſtantiæ debeant pertinere tam rationes ſuperiores,quàm inferiores eiuſdem ſubiecti: atque adeo opus eſt quòd rationes inferiores ſupponant ſuperiores, & forma vt dat eſſe ſpecificum ſupponat ſeipſam,vt dat rationem ſuperiorem: vnde non abſtrahit ſeipſam à linea ſubſtantiæ. Ad aliud dicendum quòd corpus Phyſicum inuoluit animam, non vt talem, ſed ſecundùm ſolam rationem generalem formæ:vnde anima, vt anima, poteſt definiri per corpus Phyſicum.Ad aliud dicendum,quòd corpus Phyſicum eſt proximum receptiuum formæ lapidis, vt ſic,non autem animæ,quia vltra hoc requiritur quòd ſit Organicum.

Ad tertium dicendum, quòd Organicum in hac definitione ſumitur radicaliter, prout dicit viuum, quod exigit Organa ad ſuas operationes.vnde dicit ſubſtantialem & non accidentalem Organiſationem.quamuis hæc requiratur ad hoc, vt ſubſtantia, quæ ſecundùm ſe non habet partes, ſit Organiſata. Ad aliud patet ex dictis, quòd Organicum ponitur in hac definitione, vt ſuſceptiuum formatum ipſius animæ, nec in hoc vllum eſt inconueniens, vt dictum eſt ſupra in probatione ſecundæ partis concluſionis. Ad aliud tandem dicendum, quòd ſufficit, vt totum corpus ſit Organicum,ad hoc vt anima dicatur actus corporis Organici, nec requiritur quòd quælibet eius pars ſit Organica.

An quartum dicendum, quòd in hac definitione per ly(vitam)intelligitur vita accidentalis, vt dictum eſt, nec ſequitur hanc definitionem eſſe accidentalem, quia ſubſtantialiter eſt completa, & eſſentialiter in prioribus particulis, iſtæ enim ſolùm ponuntur ad maiorem expreſſionem, & licèt ſint plures operationes vitales, conueniunt tamen in ratione vitæ actualis, ſiue accidentalis, ac ita per hanc rationem communem vitæ debuit anima definiri.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hac definitio conueniat omnibus animabus?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd hæc definitio non conueniat omnibus animabus,ita tenuerunt aliqui dicentes animam rationalem non vniri corpori per modum actus & formæ informantis, ſed vt motricem mobili: ſic docuere Plato in Alcibiade, & Phœdone, Simplicius,Philoponus,Iandunus,Aleaandet, & alij antiqui. Probatur. Anima rationalis eſt per ſe ſubſiſtens, vt communiter docent Philoſophi: ergo non eſt actus corporis, nam ſi eſſet actus corporis, eſſet in illo tanquam in ſubiecto: quod autem eſt per ſe ſubſiſtens, non poteſt eſſe in alio: nam eſſe per ſe, & eſſe in alio ſunt modi oppoſiti, & incompoſſibiles. Deinde inter actum & eius ſubiectum debet eſſe proportio,cùm ex illis fiat vnum per ſe, ſi ſint in ordine ſubſtantiæ, vt in præſenti:imò licèt actus ſit accidentalis,requiritur eadem proportio,vnde accidens ſpirituale non poteſt recipi ſaltem naturaliter in ſubiecto corporeo, ſicut nec accidens corporeum in ſubiecto ſpirituali,& multò magis ſubſtantia ſpiritualis,cùm ſit nobilior accidente,non poterit recipi in ſubiecto corporeo per modum actûs: ſed anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis, vt fides, & ratio docent: ergo hæc definitio non conuenit animæ rationali, & ita non omni animæ.

¶ 2. Præterea, Si anima rationalis eſſet actus corporis, diceret naturalem appetitum ad illud, nam vna pars naturaliter inclinat ad aliam comparteam, vt faciant totum: ſed anima rationalis non dicit naturalem appetitum ad corpus, primò quia impeditur à corpore quantùm ad principalem ſuam operationem, ſcilicet intellectionem, quæ ex ſe abſtrahit à materia: vnumquodque

quodque autem, cùm fit propter suam operationem, maximè principalem, non potest naturaliter appetere illud, quod talem operationem impedit, alioquin natura naturaliter tenderet in opposita, quod est impossibile. Deinde si anima rationalis diceret appetitum naturalem ad suum corpus, posset post separationem illi reuniri, & sic resurrectio esset naturalis, & idem numero semel extinctum posset reparari, quæ duo sunt falsa: ergo prædicta definitio non conuenit animæ rationali.

¶ 3. Præterea, videtur quòd saltem hæc definitio non conueniat animæ rationali quatenus tali. Ita videtur dicere Caietanus 1.p.q.76.art.1.ad 1. & Ferrar.2.contra gentes cap.85. & alij qui dicunt animam rationalem continere eminenter vegetatiuam & sensitiuam, & ratione talis continentiæ conuenire illi hanc definitionem, non verò quatenus præcisè & formaliter est rationalis, nam secundùm hanc rationem considerata non habet formaliter, sed tantùm identicè & materialiter esse formam & actum corporis. Probatur. Anima rationalis, vt sic, non est principium alicuius operationis corporeæ, nam vt sic tantùm est intellectiua & volitiua, siue principium intellectionis & volitionis: ergo vt rationalis non est actus corporis, nam actus corporis sicut actuat corpus, sic debet actuare in ordine ad operationem corpoream, nam modus operandi debet esse iuxta modum essendi.

¶ 4. Præterea, Si hæc definitio conueniret animæ rationali formaliter sumptæ, sequeretur quòd quamuis non esset sensitiua, adhuc esset actus corporis Organici, vt patet, aliàs non esset actus corporis, vt rationalis formaliter, at solùm materialiter, & ratione alterius: nam propterea anima sensitiua formaliter sumpta est actus corporis, & conuenit illi vt tali hæc definitio, quia licèt non esset vegetatiua, adhuc id haberet: sed est falsum quòd anima rationalis, si non esset sensitiua, esset actus corporis Organici, quia vt intellectiua non est radix potentiarum vitalium, quæ sint formæ Organi corporei, nam intellectus & voluntas, qui ab illa secundùm hanc rationem emanant, non sunt affixi Organo corporeo: ergo nec ipsa anima vt intellectiua, & rationalis est actus corporis Organici, quia vt docent Philosophi idem est animam esse actum corporis Organici, ac esse radicem Organisationis formalis, & omnino completæ, ac proinde potentiarum vitalium complentium Organum in esse Organi: & hoc ideo quia potentia non potest esse immaterialior & spiritualior, quàm forma à qua dimanat, cùm ab illa participet totam suam spiritualitatem & perfectionem, vnde si intellectus & voluntas non sunt actus corporis, moltò minùs ipsa anima rationalis, à qua vt sic emanant istæ potentiæ.

Sed contra est authoritas Aristot. & D.Thom. quos sequuntur nostri Complutenses in præsenti, Bannes 1.p. quæst.75. art.1. & omnes fere Philosophi tam Thomistæ, quàm alij.

Conclusio.

Cùm anima rationalis sit forma corporis, vt rationalis est, & vt talis det virtutem rei corporea ad eliciendas proprias operationes, vt principium intrinsecum, à quo etiam oriuntur potentia vitales Organica, & à quo desumitur definitio hominis, est actus corporis Organici, cui conuenit hac definitio.

Respondeo dicendum, quòd prædicta definitio animæ conuenit omni animæ, etiam rationali, vt rationalis est & intellectiua. Ad cuius euidentiam sciendum est sensum conclusionis non esse, quòd anima rationalis à sua ratione differentiali cum præcisione sumpta habeat rationem generalem animæ, quæ hic definitur, sicut nec anima sensitiua à sua ratione differentiali illam habet: sed sensus est, quòd sicut in anima sensitiua ratio eius differentialis est differentia per se contrahens animam vt sic, & ita illi vt sensitiuæ (ly, vt, reduplicante totam speciem, aut quasi speciem illius) conuenit ratio generalis, & definitio animæ: sic in anima rationali ratio differentialis propria illius, est etiam differentia per se contrahens animam vt sic, non autem est extranea respectu eiusdem animæ: & ideo et vt rationali (ly, vt, reduplicante totam speciem, aut quasi speciem eiusdem, non solùm vt continentem alias animas, sed etiam vt est rationalis) debet definitio animæ vt sic competere, & ideo non solum identicè & materialiter, sed etiam formaliter.

Probatur conclusio authoritate Aristot. & D.Thom. Aristot. in hoc 2. libro textu 7. & 8. sic ait: *Si autem aliquod commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus corporis Physici Organici.* Vbi D.Th. lect.1. sic ait: *Colligit ex omnibus prædictis definitionem animæ, dicit quòd si aliqua definitio communis debeat assignari, quæ conueniat omni animæ, erit hæc; anima est actus primus corporis Physici Organici*: Ergo cùm anima rationalis, vt sic, sit vera anima, hæc definitio illi conuenit. Deinde in secunda definitione articulo sequenti examinanda & tradita ab Aristot. in hoc 2. libro cap.2. comprehenditur anima rationalis, dicitur enim anima esse illud, quo primò viuimus, mouemur, & intelligimus: sed idem est definitum vtriusque definitionis, nam Aristot. & D.Th. vnam per aliam demonsttant, concludentes idem esse principium, quo viuimus &c. ac actum primum corporis Physici Organici: ergo hæc definitio conuenit omni animæ, etiam rationali vt tali.

Secundò, ratione D.Th.1.p.q.76.art.1. Anima rationalis, vt sic, est vera forma Corporis, vt habetur expressè definitum in Clementina 1. de summa Trinitate, & fide Catholica edita in Concilio Viennensi à Clemente V. vbi sic dicitur: *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis, seu intellectiua non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tanquam hæreticus censendus est*: Quam definitionem approbat, & renouat Concilium Lateranense tertium sess. 8. Quod autem alicui per se, & essentialiter competit, competit ei vt tali: & ratio est manifesta, nam quod primò tribuit rebus corporeis & materialibus virtutem ad eliciendas proprias operationes, est vera forma essentialis earum, vt patet inductione in omnibus: constat autem quòd anima rationalis, vt talis dat virtutem homini ad eliciendas proprias operationes, nam anima rationalis, vt sic, est primum principium intelligendi & ratiocinandi, vt patet, intelligere autem, siue ratiocinari est propria operatio hominis, inquantum est homo: quia per hanc omnia alia transcendit animalia, & in hac Aristot. 10. Ethicor. cap. 7. tanquam in propria hominis operatione constituit vltimam eius felicitatem, & consequenter anima rationalis, vt sic, est forma corporis humani: ergo etiam est vera anima, cui competat hæc definitio, nam esse formam corporis Physici Organici quale est humanum, & esse primum actum illius coinciduntur, non enim potest dici quòd sit forma non pertingens ad gradum animæ, cùm sit perfectissima inter alias, & constituat verum corpus viuum & animatum.

Tertiò, in definitione differentia sumitur à forma rei vt constat ex Logicis: sed in definitione hominis rationale est differentia constitutiua & distinctiua eiusdem hominis, tribuens illi specialem modum viuendi inter alia animalia: constat autem quòd prædicta differentia, & hic specialis modus viuendi deriuatur ab anima rationali, vt tali: ergo anima rationalis, vt talis, est forma hominis, ac proinde actus corporis Physici Organici: maximè quia ab anima rationali, vt sic, vt à primo principio (quo) fluunt aliquæ propriæ potentiæ vitales, scilicet potentia ad ridendum & flendum, non enim oriuntur ab aliis animabus, cùm soli homini conueniant: constat autem quòd illud, à quo fluunt propriæ & peculiares potentiæ vitales, vt à primo principio (quo) est actus primus corporis Physici Organici radicaliter sumpti, nam cùm potentiæ vitales vltimò complentes Organa vitæ habeant se ad instar proprietatis corporis Organici radicaliter, necessariò primum principium (quo) illarum debet esse actus primus corporis Physici constituens illud in esse organici radicaliter sumpti.

Ad primum ergo dicendum, quòd esse per se subsistens opponitur ad esse in alio per inhærentiam, non

verò per puram informationem absque inhærentia: vnde si forma fuerit omnino eleuata supra materiam, siue purè immaterialis & spiritualis, hæc duo sunt compossibilia, videlicet quòd sit per se subsistens, & quòd sit in alio tanquam in subiecto informationis, vt contingit in anima rationali: talis enim forma solùm importat quòd substantialiter vniatur corpori, vt actus suæ potentiæ, non autem quòd ab illo pendeat, vt à subiecto sustentante: imò trahit materiam ad coëxistendum, & consubsistendum propriâ suâ subsistentia, & existentiâ. Ad aliud dicendum, quòd requiritur aliqua proportio inter formam & subiectum, scilicet proportio per modum actûs & potentiæ, non verò quòd sint in eodem ordine materiali vel spirituali; nec instantia adducta aliquid facit, est enim latum discrimen inter formam substantialem & accidentalem, quia forma substantialis spiritualis hoc ipso quòd talis, est capax propriæ subsistentiæ, & ita licèt respiciat corpus vt subiectum, tamen non pendet ab eo: accidens autem ex se permanens, quodcumque illud sit, dependet à subiecto, cùm eius esse sit inesse, & ideo non est mirum, si debeat esse inter illa proportio, vnde accidens dicitur materiale, quia pendet à subiecto materiali, & sic est impossibile quòd accidens spirituale permanenter recipiatur in subiecto materiali, aliàs esset simul spirituale ex suppositione, & materiale ob rationem dictam: accidens autem quòd tantùm recipitur transeunter in subiecto non dicit tantam dependentiam ab illo, cùm potiùs trahat subiectum ad seipsum, & ideo potest in eo retinere suam spiritualitatem, vt dictum est in 2. libro Physicorum.

Ad secundum dicendum, quòd anima vnita dicit appetitum naturalem ad corpus, non quidem desiderij, cùm hoc supponat absentiam, at satietatis & fruitionis. Ad primam probationem in contrarium dicendum, quod anima est propter suas omnes operationes, quas vt constat non potest separata à corpore exercere, vt sunt ridere, flere &c. quantùm autem ad eius operationem principalem, quæ est intelligere, licèt à corpore aliquatenus impediatur, tamen quia modus intelligendi quem habet in statu vnionis, est connaturalior, quàm ille quem habet separata, ideo illum appetit, non vt meliorem absolutè, sed vt sibi meliorem. Ad aliam probationem dicendum, quòd anima separata non dicit appetitum naturalem absolutum ad suum corpus, sed solùm ex suppositione possibilitatis reunionis, nec status separationis est omnino violentus animæ rationali, cùm ex se sit spiritualis & subsistens, quamuis sit connaturalior status vnionis, cùm ipsa sit essentialiter pars; vnde status separationis esset perpetuus nisi Deus miraculosè illam reuniret, & licèt concederetur esse violentus, tamen posset esse perpetuus: quando autem Aristoteles dicit quòd nullum violentum est perpetuum, intelligendus est de violentia procedente ex aliquo positiuo contrario, quia cùm inter contraria semper sit pugna, poterit mutari talis status, non autem est intelligendus de violento procedente ex carentia alienius perfectionis debitæ, vt accidit in cæco, anima separata &c. hoc enim attentâ vi naturæ est perpetuum.

Ad tertium dicendum, quòd anima rationalis, vt sic, est principium ridendi, & flendi, quæ sunt operationes corporeæ, deinde licèt sit principium intelligendi & volendi inquantum sunt operationes independentes à corpore, tam quoad substantiam, quàm quoad modum, vt in statu separationis: est tamen principium illarum, vt pendent à corpore quoad modum, quod tamen ei non conueniret, nisi esset vera forma, & actus corporis: & ideo, vt est principium intelligendi, est vera anima, quia non nisi vnita corpori, & tribuens ei esse animatum proprium hominis, potest esse principium intelligendi, & volendi dependenter ab eodem corpore.

Ad quartum dicendum, quòd sicut gradus rationalis supponit gradum sensitiui, & hic gradum vegetatiui, sunt enim gradus superiores, qui essentialiter includuntur in inferioribus, ita anima rationalis, vt sic, debet includere essentialiter sensitiuam & vegetatiuam eminenter & formaliter, vt infra dicetur, cùm formaliter constituat sensitiuum & vegetatiuum, vnde non est necesse quòd anima rationalis ad hoc, vt sit anima secundùm suam vltimam differentiam, excludat sensitiuum & vegetatiuum, sed sufficit quòd sicut vegetatiuum & sensitiuum contrahunt rationem communem animæ, sic etiam eam contrahat rationale. Deinde dicendum, quòd anima, vt rationalis, emanat potentias organicas, scilicet potentias ridendi & flendi, imò licèt emanet intellectum & voluntatem secundùm quòd ex se est subsistens, & eleuata supra materiam, tamen istæ potentiæ eliciunt suas operationes dependenter à corpore, & hoc sufficit, vt quatenus rationalis sit forma corporis animati.

Articvlvs III.

Vtrùm secunda definitio animæ sit quidditatiua?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd hæc secunda animæ definitio, scilicet (Anima est, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò) sit quidditatiua. Probatur authoritate Aristotelis, qui hoc 2. libro cap. 2. asserit contineri in hac secunda definitione causam primæ. Sic ait: *Non enim solùm quod sit, oportet diffinitiuam rationem ostendere, sed causam in esse, & apparere*: Sed illa definitio, quæ procedit per causam simul in esse, & in apparere, est quidditatiua & essentialis, vt ex se patet: nam definitio solùm descriptiua procedit solùm per causam in cognoscendo, scilicet per effectum, ex quo cognoscitur causa: ergo secunda definitio animæ est quidditatiua.

§ 2. Præterea, essentia animæ importat quòd sit primum principium operationum vitalium, & ita definitio, quæ hoc explicat, explicat immediatè essentiam animæ, ac proinde est quidditatiua: sed hæc definitio explicat hoc quod est animam esse primum principium operationum vitalium, vt patet ex ipsis terminis: nam ly (primò) positum in definitione denotat quòd esse principium operandi vitaliter conuenit animæ non ratione alicuius accidentis, aut prædicati superioris, at ratione suæ differentiæ vltimæ, sine secundùm quòd ipsa: ergo hæc definitio est quidditatiua.

§ 3. Præterea, Natura definitur definitione quidditatiuâ, quòd sit principium motûs eius in quo est, vt dictum est in Physicis: ergo anima, quæ est natura determinata, rectè definitur definitione quidditatiuâ, quòd sit principium peculiarium & determinatorum motuum, scilicet vitalium, quos exprimit hæc definitio: & ita hæc definitio est quidditatiua.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur Ferrar. in hoc 2. libro quæst. 4. nostri Complutenses disput. 3. Bannes 1. p. q. 75. artic. 1. dub. 3. & alij etiam extra scholam D. Thom. vt Conimbricenses, Ruuius, Suares, &c.

Conclvsio.

Cùm hæc secunda definitio optimè quidem explicet naturam animæ, non tamen traditur per rationem primam, & essentialem eius, quamuis sit optima, non tamen est quidditatiua.

Respondeo dicendum, quòd prædicta secunda definitio animæ est optima 2. non tamen propriè, & in rigore quidditatiua, sed descriptiua tantùm 3. per hanc secundam demonstratur prima animæ definitio, non quidem à priori, sed à posteriori.

Probatur prima pars conclusionis. Illa definitio est optima, quæ optimè explicat naturam eius, cuius est definitio, vt constat ex Logicis: sed hæc definitio optimè explicat naturam animæ, vt constabit ex eius expositione: ergo est optima.

Ponitur 1. in hac definitione hæc particula (quo) nam sicut anima non est, vt quod, sic quo, siue non est id quod est, sed qua aliud est, sic non est id quod exercet vitales operationes, sed id quo exercentur: vnde quamuis

anima rationalis sit, & operetur, vt quod, ptopter specialem rationem, nempe quia ex se subsistit & existit, tamen ad rationem animæ solùm desideratur, vt sit id quo, siue aliàs simul habeat ob specialem sui rationem vt operetur vt quod, siue non: igitur anima rationalis & est principium, quod intelligendi, &c. ratione dictâ, & etiam principium, quo: nam cùm essentialiter sit forma corporis, necessariò quantùm est de se, est id quo compositum per illam constitutum viuit, sentit, mouetur, intelligit: vnde ly (quo) in hac definitione denotat principium intrinsecum & constituens compositum, quod informat, in ratione principij radicalis operatiui: nam operatio vitalis, vt vitalis est, non potest non oriri à principio intrinseco; & ita non potest prædicta operatio attribui alicui vt agenti, & operanti, nisi operatio illa procedat à propria eius forma tanquam à principio intrinseco.

Ponitur 2. ly (viuimus) quæ particula non sumitur hic, prout dicit gradum viuendi vt sic abstractum ab omnibus viuendi gradibus, vt vult Caietanus in præsenti, qui propterea in his præcisè verbis (anima est principium quo viuimus) credit esse completam definitionem, & alias particulas solùm poni maioris claritatis gratiâ, vt scilicet declaretur in quibus illa ratio superior contracta inueniatur: sed sumitur vt præcisè dicit gradum vitæ vegetatiuæ, quæ enim hac vita viuunt nomine viuentium insigniuntur, ita Bannes 1. part. quæst. 75. artic. 1. dub. 3. nostri Complutenses hic, Ferrar. ac plures alij. Ratio est quia Aristoteles afferens hanc eamdem definitionem textu 18. dicit animam esse principium vegetandi, sentiendi, &c. ac proinde pro eodem sumit viuere & vegetari, quod etiam docet D.Thom. lect. 4. vbi ait quòd anima est principium, quo & viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus, & referuntur hæc quatuor ad quatuor gradus vitæ, de quibus superiùs fecerat mentionem, viuere enim refert ad principium vegetatiuum. Deinde si aliæ particulæ ponuntur tantùm maioris claritatis gratiâ, quia tantùm confusè continentur in ly (viuimus) debuit etiam expressè poni in definitione vegetamus, quia etiam tantùm confusè continetur in ly (viuimus) igitur hæc definitio non est completa in duobus primis verbis, quia in illa Aristoteles voluit explicare naturam animæ per ordinem ad suas operationes, ita vt per eam possemus peruenire in clariorem notitiam animæ, quàm per primam, & sic debuerunt distinctè poni tales operationes: Aristoteles autem in præsenti assignat rationem cur viuere habeat pro significato formali, non solùm vitam in omni sua amplitudine, sed etiam vitam vegetatiuam, & est quia vis vegetandi, aut anima vegetatiua potest separari à cæteris animabus, & ab illis separata consistere, vt patet in plantis, aliæ verò ab ipsa non possunt separari: & quia sic separata satis est per se, & ratione sui: ideo sic concludit Aristoteles: *Viuere ob hoc principium viuentibus competere*: Quod dictum sic exponit D.Thom. *Viuere enim refert ad principium vegetatiuum, quia superius dixerat, quòd viuere propter hoc principium inest omnibus viuentibus.*

Ponuntur 3. aliæ particulæ scilicet (sentimus, mouemur & intelligimus) per quas maximè declaratur natura animæ, cùm sint valde notæ, quia tamen possunt sumi, vel pro actibus vegetandi, sentiendi &c. vel pro aptitudine, seu radicali principio ad illos, quod identificatur cum ipso esse vitali, vt optimè notat D.Thom. 2. de cœlo lect. 4. dicendum est, quod, cùm verba in definitione posita ordinariè non dicant actum, sed aptitudinem, hæ particulæ sumuntur, prout denotant primam radicem harum operationum, scilicet ipsum esse animæ viuum (vt quo) quatenus est radix illarum, ita Caietanus, & nostri Complutenses in præsenti: & licèt sint tantùm tres species animarum, scilicet vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, tamen sub sensitiua ponitur ly (sentimus, & loco mouemur) quia sentire conuenit omni animæ sensitiuæ, loco moueri autem non conuenit omni, & ideo ad illam adæquatè declarandam vtrumque ponitur: primum quidem tanquam quid adæquatum, secundum verò vt perfectionem superadditam, & valde notam; sub his autem verbis comprehenduntur omnia, quæ participant has animas, & assumuntur vt quid vnum prout conueniunt nobiscum, & distinguuntur ab Angelis: propterea hæ particulæ ponuntur in prima persona, viuimus, &c. non verò in tertia, viuitur, nam prima persona magis denotat vnitatem & communionem quàm tertia. Notandum tamen in his est, quòd per ly (loco mouemur) non intelligitur de quocumque motu locali: esse enim principium talis motus genericè sumpti conuenit omni formæ, vt patet ex Physicis: sed de progressiuo, siue vitali, qui non potest oriri nisi ab anima, qua ratione est anima, tanquam à primo principio (quo) ab ipso autem composito oritur tanquam à primo principio (quod) quia hic motus non pendet à principio extrinseco, tanquam à causa principali proxima, tamen compositum hoc totum habet ab anima vt à principio (quo) primo & radicali.

Ponitur tandem in definitione ly (primo) tum quia anima est primum & radicale principium (quo) eliciendi prædictas operationes, & ita distinguitur à principiis proximis, scilicet potentiis vitalibus, per quas proximè, & immediatè eliciuntur: tum etiam quia esse principium (quo) operationum vitalium expressatum in definitione, ita conuenit illi primò & per se, vt non conueniat ei ratione alicuius prædicati superioris, quamuis essentialis, sed ratione sui, siue secundùm quòd ipsa: vnde D.Th. in hoc 2. libro lect. 4. sic ait: *Corpore non dicimur esse viuentes, nisi inquantum habet animam, & propter hoc dicitur, quòd anima est primum quo viuimus, & sentimus.* Ex dictis sequitur quòd hæc definitio non est multiplex, vt volunt aliqui, sed est vnica: vnde ly (&) sumitur aliquo modo copulatiuè, non quòd denotet formam debere habere has omnes operationes, vt sit anima, hoc enim est falsum, sola enim rationalis esset anima: sed denotat animam esse talis naturæ, vt vbicumque hæ omnes operationes, vel earum aliqua, aut aliquæ reperiantur, debeant necessariò procedere ab anima: & sic facit hunc sensum, quòd anima est principium actionum vegetatiuarum in his quæ solùm vitâ vegetatiuâ viuunt; & actionum sentiendi in bis quæ sentiunt & vegetant: eo modo quo dictum est in Physicis, definitionem naturæ intelligendam quoad has particulas, motûs, & quietis: & hoc maximè quia hæc definitio traditur per rationem superiorem, & suas differentias diuisas: vnde est impossibile quòd conueniat adæquatè alicui inferiori, sed diuersis secundùm diuersas partes, nisi inter illa inferiora sit aliquid, in quo eminenti modo, aut secundùm aliquam rationem alia contineantur, vt accidit in anima sensitiua respectu vegetatiuæ, & in rationali respectu vegetatiuæ & sensitiuæ: & in hoc differt definitio tradita per differentiam diuisiuam ab illa, quæ traditur per constitutiuam, hæc enim adæquatè conuenit omni inferiori, non tamen definitio tradita per differentiam diuisiuam est propriè vocanda diuisio, nam in diuisione genus diuiditur in suas differentias, vt quid includendum in illis, per modum quo genus diuiditur in suas species: cùm autem sic definitur, determinatur per tales differentias, & sic explicatur eius natura.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. Aristot. in hoc 2. libro cap. 2. animam priori definitione iam definitam promittit iterum definire ex obscuris secundùm se, notioribus tamen quoad nos, atque adeo per effectus, siue rationes posteriores, vt ibidem explicat D.Thom. lect. 3. & consequenter definitione descriptiuâ, & non quidditatiuâ. Et ratio est manifesta, quia tunc definitio est descriptiua & non quidditatiua, quando non datur per rationem primam & essentialem definiti, sed per aliquid posterius & ad eam subsequutum, vt communiter docent Philosophi: sed hoc modo definitur anima per hanc definitionem, vt docet D.Thom. loco citato his verbis: *Manifestum est autem quòd demonstratio est ex posteriori, ex eo enim quòd anima est forma corporis viuentis, est principium operum vitæ, & non è conuerso*: Ergo hæc definitio non est

est proprie & in rigore quidditatiua, sed descriptiua. Quod sic confirmatur. Priùs conuenit animæ esse principium essendi, quàm operandi, nam quidditas primum habet locum inter omnia, quæ rei conueniunt: & sic animæ priùs conuenit esse principium essendi, siue esse actum primum constitiuum viuentis in esse viuentis vitâ substantiali, quàm esse principium operandi, siue operum vitæ, nam sicut in qualibet re priùs est esse, quàm operari, sic in forma priùs erit quòd sit principium essendi, quàm operandi, quia eo ordine coordinantur inter se principia, quo actus, qui eis aliquo modo, siue primario, siue secundario correspondent: deinde anima dat formaliter esse substantiale viuum per se ipsam immediatè, & substantiali modo, ac sine interuentu alicuius accidentis essentialiter requisiti, concurrit verò ad operationes vitales eliciendas non immediatè & per seipsam solam, sed mediante aliquâ potentiâ accidentali immediatè operatiuâ, ac ita est magis intimum animæ dare esse, quàm dare operari. Isti autem ordines scilicet essendi & & operandi, siue essentiæ & naturæ sunt duo ordines distincti, quorum neuter pertinet ad conceptum alterius, licèt ordo operandi indispensabiliter præsupponat ordinem essendi, & ad illum subsequatur, & ita solus ordo essendi pertinet ad quidditatem, nam quidditas rei consistit in vnico ordine: vnde quando dicitur quòd anima per se & essentialiter est primum & radicale principium operationum vitalium, hoc solùm denotat, quòd non conuenit illi ratione alterius principij intrinseci & prioris, quod in ordine operatiuo sit ratio eliciendi prædictas operationes, & quod id oriatur ex sua ratione differentiali quatenus tali: igitur corpus animatum pertinens vt quod ad ordinem essentiæ, dicit corpus de prædicamento substantiæ, & non qualecumque, sed viuum vitâ substantiali, non explicando ordinem principij radicalis operationum vitalium, & in hoc consistit tota eius quidditas: vt verò pertinet ad ordinem naturæ, siue operandi, addit prædictam rationem principij radicalis vitaliter operandi vt quod, ac proinde aliquid habens se per modum proprietatis respectu illius: cùm hoc tamen stat quòd si non formaliter, sed identicè loquamur, vtraque ratio sit ipsa essentia, & quidditas animæ, & quòd si loquamur de corpore animato non in esse rei, sed vt habet rationem obiectiuam per se inspectam à Philosophia, tunc ratio principij radicalis motûs pertinebit ad intrinsecum eius conceptum, quia in hoc ordine ratio ista est propria eius quidditas, & sic secundùm eam ad ordinem essentiæ in genere obiecti spectat: in hac autem definitione anima non definitur formaliter secundùm rationem talis naturæ, hæc enim ratio est quid consequens per modum proprietatis, sed definitur secundùm suam quidditatem, eo quòd secundùm Aristotelem, & communem doctrinam Philosophorum idem est definitum vtriusque definitionis animæ, licèt in priori explicetur eius essentia per ea, quæ pertinent ad conceptum eius quidditatiuum, in posteriori verò per aliquid habens se ad instar proprietatis, nam ordo naturæ sequitur ad ordinem essentiæ, & de vtroque agit Philosophus, quia agit de principiis entis naturalis, tam in esse rei in 1. Physicorum, quàm in esse scibilis, siue in esse naturæ in 2. quia ordo naturæ, vt dictum est, essentialiter præsupponit ordinem essentiæ, ad quem necessariò subsequitur: vnde hæc definitio est descriptiua, esset autem essentialis, si definiretur anima, vt talis natura formaliter.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. Aristoteles in hoc 2. libro textu 12. sic ait: *Quoniam autem ex incertis quidem, sed tamen manifestioribus certum fit, id, quod secundùm rationem notius, tentandum est iterum sic aggredi de ipsa, non enim solùm quod sit oportet diffinitiuam rationem ostendere, sed causam in esse, & apparere:* Quod exponens D.Thom. lect. 3. sic ait: *In quibusdam autem eadem sunt notiora quoad nos, & secundùm naturam, sicut in Mathematicis quæ sunt à materia abstracta, & in his demonstratio procedit ex notioribus simpliciter, & notioribus secundùm naturam, sicut ex causis in effectus: vnde dicitur demonstratio propter quid. In quibusdam verò non sunt eadem magis nota simpliciter, & quoad nos, scilicet in naturalibus, in quibus plerumque effectus sensibiles sunt magis noti suis causis: & ideo vt in naturalibus, in pluribus proceditur ab his, quæ sunt minùs nota secundùm naturam, & magis nota quoad nos, vt dicitur in 1. Physicorum; & hoc modo demonstrationis intendit hic vti, & hoc est quod dicit, quòd quia illud, quod est certum secundùm naturam, & quod est secundùm rationem notius fit certius quoad nos ex his, quæ sunt incerta secundùm naturam: certiora autem quoad nos.* Per istum modum tentandum est iterum aggredi de anima demonstrando definitionem eius supra positam.

Secundò, hæc secunda animæ definitio non est quidditatiua, at tantùm descriptiua, & tradita per effectum, siue per rationem aliquam posteriorem ad eam, per quam prima definitio animæ datur: ideo enim, quia anima est principium essendi per modum actûs & formæ, est etiam principium operandi, & non econtra, ita vt hæc ratio habeat se adinstar proprietatis respectu alterius: ergo demonstratio, qua per eam demonstratur prima animæ definitio, non est à priori, sed à posteriori. Nec potest dici quòd hæc secunda definitio tradatur per operationes vitales, vt habent rationem finis, & sic definitio prima demonstratur à priori per hanc, cùm definitio data per causas verè sit à priori. Nam contra, vt patet ipso textu Aristoteles vtitur in hac secunda definitione his operationibus, vt sunt notiores nobis suo principio, & consequenter vt sunt effectus, non verò vt habent rationem finis, quia habitudo ista est ignota sensui. Deinde hæ operationes non habent rationem finis respectu animæ, quia id quod se habet adinstar proprietatis rei, eo quòd ex eius principiis specificis semper & indispensabiliter fluit, nequit esse finis essentiæ, à qua dimanat: non enim essentia est propter proprietates, sed potiùs proprietates sunt propter essentiam: & ratio huius est, quia sic totum viuens constans ex anima & corpore, eo quòd habeat essentiam omnino completam & absolutam, non dicit transcendentalem ordinem ad accidentia, vel ad aliud habens se per modum proprietatis saltem per se primò, nec ab illis specificatur, nec est secundùm suam essentiam propter illa tanquam propter finem, aliàs per se primò ad illa terminaretur: sic anima & corpus quia sunt partes essentiales eiusdem viuentis, licèt se mutuò essentialiter respiciant, non tamen anima per se primò dicit essentialem ordinem ad suas potentias, actiones, aut proprietates, nec ab eis specificatur, nec est propter illas tanquam propter finem, ac proinde non respicit tanquam finem seipsam, vt est principium operandi: potentiæ verò immediatè operatiuæ per se primò ordinantur ad suas operationes, & ab illis specificantur, & ideo sunt propter illas, tanquam propter finem modo supra explicato, & sic per illas essentialiter definiuntur & demonstrantur à priori: ex quo patet hanc secundam definitionem non tradi per causam finalem, sed per effectum, vnde non est à priori, sed à posteriori.

Ad primum ergo dicendum, Philosophum loqui ibi per distributionem accommodatam, & adaptatam demonstrationibus, ita vt quædam tradantur per causam in esse, & hæ sunt à priori, & à notioribus secundùm naturam, quod enim est causa alterius in essendo, est notius illo secundùm naturam: quædam autem traduntur per causam in apparere, & hæc sunt à posteriori, siue per effectus, qui sunt nobis vt in pluribus notiores: vnde Philosophus hac duplici definitione facit quod promittit, nam prima ostendit definitiuam rationem per causam in in esse, secunda verò per causam in apparere.

AD secundum dicendum, quòd anima definitur hac definitione secundùm suam essentiam præcisè, non autem vt principium radicale operandi, & vt habens potentias immediatè operatiuas: & ideo hæc definitio non est per causam finalem, sed per effectum, vt dictum est: nec res secundùm suam essentiam præcisè consideratæ sunt

per se primò propter suas operationes, sed sunt propter perfectionem vniuersi, ex illis enim accrescit quidam gradus essendi, ordo autem essendi non potest ordinari, vt ad finem, ad ordinem operandi, imò operatio est propter esse tanquam propter finem, vt scilicet per illam conseruetur, perficiatur, & constituatur in statu beato: & quamuis admitteretur Deum creasse animam propter operationem, tamen adhuc esse non ordinaretur ad operari ex parte rei operatæ, sed tantùm ex intentione operantis, sicut omnes virtutes secundùm se ordinantur ad charitatem, quia ipsa respicit finem, tamen ex intentione operantis potest charitas ipsa ordinari ad humilitatem, & alias virtutes.

Ad tertium dicendum, quòd anima non definitur hic secundùm rationem naturæ determinatæ, sed secundùm suam essentiam præcisè, vt dictum est.

QVÆSTIO XXIX.

De diuisione Animæ, & modorum viuendi.

Postqvam determinatum est de definitione animæ, statim occurrit determinandum de eius diuisione, circa quam quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm Anima rectè diuidatur in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam?

¶ Secundò, Vtrùm anima vegetatiua contineatur formaliter in sensitiua, & vtraque in rationali?

¶ Tertiò, Vtrùm modi viuendi sint quatuor, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum?

¶ Quartò, Vtrùm omnis anima sit indiuisibilis?

Articvlvs I.

Vtrùm Anima rectè diuidatur in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd anima non rectè diuidatur in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Probatur. Sunt quatuor modi viuendi, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum, vt communiter fatentur omnes Philosophi: ergo similiter sunt quatuor animæ, quæ sint principia harum actionum, scilicet vegetatiua, sensitiua, loco motiua, & intellectiua, vt patet ex paritate rationis, non enim apparet maior ratio, cur attribuatur peculiaris anima singulis aliis modis viuendi, & non quarto, scilicet loco motiuo, & ita hæc diuisio est diminuta.

¶ 2. Econtra, Forma vegetatiua per se, & separata à sensitiua non habet veram rationem animæ, quia omnis anima habet aliquas operationes immanentes, scilicet vitales, quæ cùm sint à principio intrinseco, necessariò immanent: constat autem quòd forma vegetatiua præcisè considerata nullam habet actionem immanentem, & proinde nec vitalem, vt patet inductione: nam omnes eius actiones, vel sunt in alimentum, vel inter partes dissimilares, per hoc quòd vna agat in aliam: tales autem actiones sunt transeuntes: nec potest adduci in eius fauorem nutritio, augmentatio, & generatio, quia etiam ignis, cuius forma non est anima, per appositionem combustibilium nutritur, crescit, & generat sibi simile, eiusque forma est principium harum actionum: ergo hæc diuisio abundat.

¶ 3. Præterea, Vnum membrum diuisionis non potest includere aliud, nec includi in alio, vt constat ex legibus bonæ diuisionis: sed anima sensitiua includit vegetatiuam, & rationalis vtramque: ergo non rectè diuiditur anima in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam siue rationalem.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm sint tres, & non plures modi, quibus operatio Animæ excedit operationem naturæ corporalis inanimatæ, rectè diuiditur anima in tres, scilicet vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam.

Respondeo dicendum, quòd anima rectè diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, ita vt hæc diuisio sit adæquata, 2. & suo modo vniuoca, siue quasi generis in species.

Probatur prima pars conclusionis authoritate: Aristoteles in hoc 2. libro cap. 3. D.Thom. ibidem lect. 4. Item S. August. 8. de ciuitate Dei cap. 8. non solùm illam expressè docent. Sed etiam hac ratione probant. Tot sunt animæ, quot sunt modi quibus operatio illius excedit operationem naturæ corporalis inanimatæ: illæ siquidem formæ tantùm attingunt gradum animæ, quæ sunt eleuatiores à materia, & quarum proinde aliqua operatio est eleuatior à materia, quàm quælibet operatio naturæ corporalis inanimatæ: sed tres, & non plures sunt modi, quibus operatio animæ excedit operationem naturæ corporalis inanimatæ: nam quædam est operatio, quæ ita excedit, vt non possit exerceri organo corporeo, scilicet intellectio & volitio, & huic correspondet anima intellectiua, siue rationalis. Alia verò est operatio, quæ licèt exerceatur organo corporeo, tamen non fit mediis qualitatibus valde materialibus, vt sunt quatuor primæ, & aliæ ex illarum commixtione resultantes, sed exercetur mediis aliis qualitatibus subtilioribus, & magis à materia depuratis, vt sunt species intentionales, quæ propter hanc subtilitatem, & depurationem solent vocari formæ sine materia, quamuis non sint omnino spirituales: & huic operationi correspondet anima sensitiua, cuius operatio fit immediatè per tales species, licèt ad debitam dispositionem organi prærequirantur aliæ qualitates, vel primæ, vel aliæ ex earum commixtione resultantes. Alia denique est operatio animæ omnium infima, quæ fit per organum corporeum, & virtute corporeæ, & primæ qualitatis, sicut operationes inanimatorum, illas tamen excedit in hoc, quòd operatio rei inanimatæ non est à principio intrinseco, quia res inanimata non potest seipsam mouere per modum causæ principalis: sed hæc operatio animæ est à principio intrinseco, anima enim est causa principalis eius, & ratio ob quam corpus animatum seipsum per illam mouet, & huic operationi correspondet anima vegetatiua: hæc operatio propterea dicitur vitalis, quia est à principio vitæ, ex eo quòd proprium officium rei animatæ est aliquo modo mouere seipsam: ergo cùm non sit alius modus, quo operatio animæ excedat operationem naturæ corporeæ inanimatæ, vt consideranti patet, sequitur quòd sint tantùm tres assignatæ animæ, scilicet vegetatiua, sensitiua, & intellectiua siue rationalis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis in hoc 2. libro cap. 1. vbi tradit definitionem animæ communem omnibus animabus, vt ipse dicit, illámque comparat figuræ, quæ habet vnam rationem vniuocè communem omnibus figuris. Idem docet D.Th. 2. contra gentes cap. 60. & 61. quos sequuntur Ferrar. loco citato, nostri Complutenses, & communiter Interpretes in præsenti: quia tamen anima ex se est quid incompletum in genere substantiæ, ideo propriè, & rigorosè non est capax vniuocationis, nec rationis genericæ, sed tantùm suo modo cum limitatione, & ideo posita est particula diminuens.

Secundò viuens siue animatum est vniuocum ad plantam, brutum, & hominem, sicut & animal ad brutum, & hominem, vt patet ex arbore Porphyriana, & communi consensu Philosophorum: cùm enim sint duo genera subalterna prædicamenti substantiæ, non possunt non esse vniuoca ad sua inferiora: ergo etiam anima est suo modo vniuoca respectu trium animarum, quæ in hac diuisione continentur, eodem enim proportionali modo est Philosophandum in formis substantialibus, ac in concretis eorum, vt patet.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex diuerſo capite ſumitur diuiſio animarum, ab illo à quo ſumitur diuiſio modorum viuendi: nam animæ quaſi ſpecie diſtinctæ numerantur ſecundùm generales modos eleuationis, & exceſſus operationis animæ ſupra operationem rei inanimatæ, qui ſunt tantùm tres, vt dictum eſt, non autem ſecundùm quamlibet eleuationem particularem contentam ſub aliquo ex his modis generalibus, aliàs eſſent innumeræ pene animæ, in quas immediatè diuideretur anima vt ſic: vnde cùm locomotiuum, licèt habeat aliquam maiorem eleuationem, contineatur tamen ſub generali eleuatione animæ ſenſitiuæ, non conſtituit nouam ſpecie animam, modi autem viuendi non perunt reduci ad tam generales modos eleuationis, vnde duo ſcilicet ſenſitiuum & locomotiuum correſpondent animæ ſenſitiuæ in communi, omnes autem quatuor exponuntur in ſecunda definitione animæ maioris claritatis gratiâ.

Ad ſecundum dicendum, quòd anima vegetatiua per ſe, & ſeparata à ſenſitiua habet veram rationem animæ: quia viuit, vt dicit S. Auguſt. 1. de ciuitate Dei cap. 20. his verbis: *Hoc genus rerum, id eſt, plantarum, quamuis non ſentiat, viuit, ac per hoc poteſt mori & occidi: vnde dicitur Pſalmo 77. & occidit in grandine vineas eorum.* Idem docent Ariſtoteles, & D.Thom. hic cap.2. Ad probationem autem dicendum, quòd illa actio eſt vitalis & immanens, quæ per ſe petit manere etiam ratione ſui termini in eodem ſuppoſito, in quo eſt forma principium talis actionis, & hoc modo eſt nutritio, augmentatio, &c. ſi autem per accidens tantùm aliqua actio maneat in eodem ſuppoſito, quæ æquè bene poteſt exercere circa aliud, non eſt actio vitalis. Ad illud de igne patet ex libris de generatione, quomodo non nutriatur, nec augeatur propriè, nec generet generatione propriâ viuentium.

Ad tertium dicendum, quòd animæ vegetatiua & ſenſitiua, vt ſunt membra diuidentia huius diuiſionis, non includuntur in rationali, nec vegetatiua in ſenſitiua, ſed in hac diuiſione accipiuntur præciſè, vegetatiua, vt tantùm dicit gradum vegetatiuum, ſenſitiua, vt abſtrahit à ſenſitiuo, & locomotiuo, intellectiua verò ſecundùm gradum tantùm intellectiuum, quamuis aliunde perfectior includat imperfectiorem, ſed hoc eſt materiale, & per accidens ad hanc diuiſionem.

Articvlvs II.

Vtrùm Anima vegetatiua contineatur formaliter in ſenſitiua, & vtraque in rationali?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd anima vegetatiua ſolùm contineatur virtualiter in ſenſitiua, & vtraque in rationali, non verò formaliter. Ita tenent Caietanus libro 2. de anima cap. 3. & 1. p. q. 76. art. 4. Toletus hîc, & alij. Probatur authoritate Ariſtotelis, & D.Thom. qui dicunt formam perfectiorem continere imperfectiorem in potentia, vel virtute: ergo non formaliter, & ita cùm vegetatiua anima ſit imperfectior ſenſitiuâ, non continetur in illa formaliter, nec vtraque in rationali, cùm ſint illâ imperfectiores, ſed tantùm in potentia, & virtute.

¶ 2. Præterea, Rationale formaliter ſumptum non includit formaliter ſenſibile, nec ſenſibile formaliter vegetabile, quia, vt dictum eſt in Logicis, differentiæ inferiores formaliter, & cum præciſione ſumptæ non continent ſuperiores: ergo nec anima rationalis formaliter conſiderata continet formaliter vegetatiuam & ſenſitiuam, aut ſenſitiua vegetatiuam: nam licèt differentiæ ſumantur proximè à tota entitate rei, tamen ſumuntur vt à primo & radicali principio, ab ipſa forma ſubſtantiali: & ita ſi rationale, vt tale, non includit formaliter ſenſibile, ſic nec anima rationalis, vt talis, includet formaliter animam ſenſitiuam: maximè quia animæ vegetatiua, & ſenſitiua, formaliter ſunt materiales, ſicut & operationes, quarum ſunt principium, ac proinde non poſſunt contineri in anima rationali, quæ eſt purè ſpiritualis, ſicut & eius operationes, vel dicendum eſt quòd anima purè ſpiritualis ſit formaliter etiam materialis, quod eſt impoſſibile.

¶ 3. Præterea, Si anima ſenſitiua ſecundùm ſuam vltimam rationem differentialem contraheret, & ita contineret animam vegetatiuam eſſentialiter, dans ei diſtinctum modum vegetandi ab aliis vegetatiuis eſſentialiter diſtinctum, ſequitur quòd anima equi v. g. eſſet conſtituta in vltima quadam ſpecie animæ vegetabilis, & conſequenter non haberet rationem animæ ſenſitiuæ: ſed hoc eſt manifeſtè falſum: ergo anima vegetatiua non continetur formaliter in ſenſitiua, nec pari ratione vtraque in rationali.

Sed contra eſt authoritas D. Th. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Bannes 1. p. q.76. art.4. dub. 1. noſtri Complurenſes in præſenti.

Conclvsio.

Cùm anima rationalis contineat formaliter proprietates animæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ, & ab illis ſimpliciter denominetur, & ſimiliter ſenſitiua contineat proprietates vegetatiuæ, anima vegetatiua continetur formaliter in ſenſitiua, & vtraque in rationali.

Respondeo dicendum, quòd anima rationalis ſecundùm ſuas rationes quaſi genericas conſiderata, id eſt, ſecundùm eas rationes, ſecundùm quas vniuocè, aut quaſi vniuocè conuenit cum anima bruti & Plantæ, eſt formaliter vegetatiua & ſenſitiua, & ita continet formaliter vtramque animam ſecundùm gradum genericum conſideratam, quod idem cum proportione dicendum de anima ſenſitiua reſpectu vegetatiuæ. 2. Etiam ratione ſuæ vltimæ differentiæ includit eſſe vegetatiuum & ſenſitiuum, & ita conſtituta per vltimam ſuam differentiam eſt formaliter eminenter vegetatiua & ſenſitiua, quod idem cum proportione dicendum de ſenſitiua reſpectu vegetatiuæ. 3. Non tamen anima rationalis ratione ſuæ vltimæ differentiæ continet formaliter cæteras animas vegetatiuas plantarum, & ſenſitiuas brutorum, quatenus tales ſunt, 4. bene tamen aliquo modo virtualiter. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt animam vegetatiuam aliquo modo contineri in ſenſitiua, & vtramque in rationali, quia cùm in homine, & quolibet alio compoſito Phyſico non ſit niſi vna forma ſubſtantialis, & in brutis videamus actus animæ vegetatiuæ, ſcilicet nutriri, creſcere, & generare ſibi ſimile, in homine verò tum hos actus animæ vegetatiuæ, tum etiam actus animæ ſenſitiuæ, oportet vt anima bruti ſit aliquo modo vegetatiua, anima verò hominis & vegetatiua, & ſenſitiua, aliàs non poſſent formaliter tribuere hos effectus. Deinde etiam quia gradus vitæ habent inter ſe talem ordinem, vt licet prior poſſit eſſe ſine poſteriori, non tamen econtra. Eſt tamen difficultas de hac continentia, an ſit formalis, an verò virtualis, ſi ſit formalis, an formalis ſolùm, an ſimul formalis, & eminens, eadémque difficultas pari modo procedit de gradibus viuendi, cum oriantur ab ipſis animabus, & ſic etiam quæ hîc dicuntur, eis proportionaliter debent applicari. Continentia autem vnius in alio diuiditur primò in formalem & virtualem, virtualis eſt, quando præhabetur in illo ſecluſis totaliter, vel ex parte, imperfectionibus, ita tamen vt definitio, & eſſe formale rei contentæ non conueniat continenti, & hoc modo Deus continet omnes rationes rerum creatarum, & numerus maior continet minorem, in hoc autem modo continendi eſt ſua latitudo, & diuerſitas. Formalis verò continentia vnius in alio eſt quando continens habet perfectionem, & rationem formalem contenti, ita vt definitio, & eſſe formale rei contentæ conueniat continenti, & ſic homo eſt animal. Continentia formalis ſubdiuiditur in formalem ſolùm, & in formalem eminentem, formalis ſolùm eſt, quando continens habet in ſe illud, quod eſt de conceptu, & ratione formali rei contentæ: formalis verò eminens vltra hoc requirit, quòd continens ſit perfectioris entitatis, & magis illimitatæ, ita vt ſimul contineat rationem formalem alterius, vel aliarum rerum,

qua

quæ inter se, vel à prædicta entitate distinguuntur, dum in naturis inferioris conditionis, ac proinde limitato modo sunt, & ita eminentia consistit in carentia prædictæ limitationis: & hoc modo scientia diuina, simul est speculatiua & practica, quia practicum & speculatiuum, cùm non possint simul conuenire istis habitibus inferioribus, conueniunt illis limitato modo.

Item sciendum est animam vegetatiuam & sensitiuam posse considerari dupliciter, primò secundùm rationes generales & quasi genericas, scilicet vt vegetatiua dicit primum & radicale principium vegetandi præcisè, siue habeat etiam esse principium sentiendi & ratiocinandi, siue non, & vt sic nullam continet actu differentiam sui contractiuam, sed omnes in potentia, & consequenter nullam excludit, sed indifferenter potest contrahi, vel intra proprium gradum ad esse vegetatiuum tantùm, descendendo scilicet ad varios modos formales vegetandi tantùm, scilicet ad varias species plantarum; vel ascendendo ad superiorem gradum per additionem saltem differentiæ altioris ordinis, vt per esse sensitiuum, vt quo, & cum præcisione sumptum ad animam sensitiuam, quod proportionaliter debet applicari animæ sensitiuæ. Secundò possunt considerari contractim sumptæ, & vt vegetatiua est specificata ad animam vegetatiuam tantùm, vt accidit in variis speciebus plantarum, & similiter sensitiua, vt est specificata ad Animam sensitiuam tantùm, vt accidit in diuersis speciebus brutorum: præsens autem difficultas procedit secundùm vtramque considerationem, quia id ipsum proportionaliter reperitur, vt quo, in formis substantialibus, quod inuenitur, vt quod, in compositis per eas constitutis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. quæst. de anima art. 11. vbi sic ait: *Nulla forma substantialis vnitur materia mediante aliâ formâ substantiali, sed forma perfectior dat materia quidquid dabat forma inferior, & adhuc amplius: vnde anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, & vegetabilis plantis, & vlterius aliquid, & propter hoc ipsa est in homine, & vegetabilis, & sensibilis, & rationalis:* Ergo formaliter, & non tantùm virtualiter est talis: quod enim est aliquid tantùm virtualiter, non denominatur simpliciter, & sine addito tale, vt patet in Deo, qui non dicitur simpliciter leo, lapis &c. quamuis virtualiter sit omnia.

Secundò probatur ratione ex hoc testimonio D. Th. deducta, anima rationalis tribuit homini esse vegetatiuum, & sensitiuum formaliter, vt communiter fatentur Philosophi, & ratio manifesta, nam conueniunt formaliter homini proprietates gradûs sensitiui formaliter sumpti, & gradûs etiam vegetatiui, scilicet potentiæ formaliter vegetatiuæ, & sensitiuæ, ac eiusdem rationis cum potentiis vegetatiuis plantæ, & sensitiuis bruti secundùm quòd est animal: constat autem proprietates formales alicuius naturæ formaliter talis non posse conuenire nisi eisdem naturæ, non verò alteri, quæ solùm virtualiter illam contineat, sicut proprietates formales ignis non conueniunt Soli formaliter, licèt Sol virtualiter contineat naturam ignis. Deinde etiam quia homini absolutè & simpliciter conuenit definitio gradûs vegetatiui & sensitiui, scilicet quòd sit viuens vegetabile & sensibile, ac proinde habet formaliter esse vegetatiuum & sensitiuum: ergo ipsa anima rationalis est formaliter vegetatiua & sensitiua, saltem secundùm suas rationes quasi genericas iam explicatas considerata, quia nihil potest esse formaliter tale, nisi à forma, quæ sit formaliter talis, non enim effectus formalis primarius cuiusuis formæ potest prouenire, nisi à forma, quæ formaliter sit talis: & ideo est communis doctrina, quod huiusmodi effectus non possit produci à Deo sine prædicta forma. Nec valet solutio Caietani quòd scilicet non sit necesse, vt anima habeat denominationem, quam tribuit composito, aliàs anima rationalis deberet etiam dici formaliter corporea & materialis, quia etiam tribuit homini esse corporeum. Dicendum est enim, quòd anima non debet quidem habere, vt quod, denominationem, quam tribuit, tamen necessariò debet illam habere, vt quo, hoc enim conuincit argumentum: vegetatiuum autem & sensitiuum significant omne vegetatiuum & sensitiuum, siue vt quo, siue vt quod; vnde sicut id quod est virtualiter tale, vt quod, hoc habet à sua forma virtualiter tali, vt quo, sic quod est formaliter tale, vt quod, hoc habet à sua forma formaliter tali, vt quo, aliàs si sufficeret quòd forma esset virtualiter talis, non est assignabilis ratio, cur Sol non sit formaliter calidus, imò sequeretur quòd homo, & equus non essent vniuocè animalia, quia animæ sensitiuæ, quibus constituuntur in esse animalis, non haberent eamdem rationem formalem: nec id quod pro se adducit Caietanus, ei fauet, sed potiùs aduersatur, nam licèt anima rationalis non sit formaliter corporea, vt quod, necessariò tamen est formaliter corporea, vt quo: quia constituit hominem in esse corporeî, & materialis: aliæ verò formæ materiales duplici titulo sunt corporeæ, scilicet tam, vt quo, quatenus toti composito hoc ipsum tribuunt, quàm suo modo, vt quod, quatenus per hoc præcisè significatur, quòd sua entitas in esse, fieri, & conseruari à materia dependet: anima verò rationalis solùm primo modo est corporea, non verò secundo, quia eius entitas est spiritualis independens in suo esse à materia: nec est inconueniens, quòd aliquid sit, vt quo, formaliter corporeum, non verò, vt quod, sicut nihil obest dari aliquam formam, scilicet albedinem, quæ sit alba, vt quo, non autem, vt quod.

Probatur secunda pars conclusionis, & explicatur. Anima rationalis secundùm rationes quasi genericas includit esse vegetatiuum & sensitiuum generatim, non verò hoc vel illo speciali modo: ratio verò eius differentialis vltima duo habet distincta saltem nostro modo concipiendi. Primum est quòd sit differentia per se contractiua talis animæ vegetatiuæ & animæ sensitiuæ generatim sumptarum. Secundum est quòd in potentia & confusè ita contineatur per se directè intra totam latitudinem earum, vt simul trahat eas ad altiorem gradum, scilicet intellectiuum formaliter: vnde ex quo capite talis differentia contrahit principium vegetandi & sentiendi vt sic generatim, addit specialem modum vegetandi & sentiendi; & ex quo capite contrahit prædictum principium trahendo illud ad altiorem gradum, tribuit altius esse, ratione cuius prædictæ animæ actu & formaliter pertinent ad ordinem intellectiuum: vnde vegetatiuum vt sic generatim sumptum per se & directè diuiditur in tale vegetatiuum tantùm, & in tale vegetatiuum simul ac sensitiuum, & tandem in tale vegetatiuum, sensitiuum, & rationale simul: sicut sensitiuum per se diuiditur generatim sumptum in tale sensitiuum tantùm, & in tale sensitiuum, ac rationale simul: ita vt quædam differentia tribuat tantùm specialem modum vegetandi, quædam specialem modum vegetandi simul & sentiendi, quædam denique specialem modum vegetandi, sentiendi, ac simul ratiocinandi; quæ doctrina non solùm valet in vegetatiuis & sensitiuis, vt quod, scilicet compositis, sed etiam in vegetatiuis & sensitiuis, vt quo, scilicet animabus, proportione tamen seruatâ. Hæc possunt illustrari exemplo valde recepto. Habitus per se diuiditur in speculatiuum tantùm, in practicum tantùm, & in speculatiuum simul ac practicum, qualis est nostra Theologia: vnde debet contrahi per diuersas differentias, quarum duæ sint limitatæ, & contrahant prædictum habitum ad esse speculatiuum vel practicum, alia verò illimitata, quæ eleuet prædictum habitum ad esse practicum & speculatiuum simul.

Probatur tertia pars conclusionis. Animæ plantarum & brutorum, quatenus tales constituunt plantas & bruta, quod non facit anima rationalis ratione suæ vltimæ differentiæ: ergo ratione illius non continet formaliter cæteras animas vegetatiuas plantarum, & sensitiuas brutorum, quatenus tales.

Probatur quarta pars conclusionis. Tunc aliquid continet aliud virtualiter aliquo modo, quando aliquo modo præhabet

præhabet illud ſecluſis totaliter, vel ex parte imperfectionibus, ita tamen vt definitio, & eſſe formale rei contentæ non conueniat continenti, vt dictum eſt: ſed anima rationalis præhabet hoc modo eſſe vegetatiuum plantarum, & ſenſitiuum brutorum, quia tribuit ſicut illæ peculiarem modum vegetandi & ſentiendi, ſecloſis tamen imperfectionibus limitationis ad eſſe vegetatiuum & ſenſitiuum tantùm: & ita definitio, & eſſe formale animarum plantarum, & brutorum illi non conuenit: ergo continet aliquo modo virtualiter prædictas animas.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtot. & D. Th. intelligendi ſunt de anima non genericè ſumpta, ſed vt contracta ad gradum inferiorem & imperfectiorem, vt dictum eſt in tertia parte concluſionis, & ita anima perfectior continet tantùm virtualiter imperfectiorem.

Ad ſecundum dicendum, quòd antecedens eſt verum ſi intelligatur de ſenſibili, vt dicit differentiam ſubalternam animalis, & de rationali ſumpto cum præciſione, ſcilicet pro differentia vltima hominis, non verò ſi intelligatur de ſenſibili, vt importat ſpecialem modum ſenſibilitatis prouenientem à ſola anima rationali vt tali: nam iſte modus excludit limitationes ſenſibilitatis, & dicit tale eſſe ſenſibile, quod ſimul ſit rationale: hoc autem eſſe ſenſibile contentum in rationali cum præciſione ſumpto, non eſt differentia ſubalterna animalis, ſed eſt athoma hominis: quod etiam proportionaliter dicendum eſt de vegetatiuo reſpectu ſenſitiui & rationalis. Ad aliud dicendum animas vegetatiuas & ſenſitiuas contractas ad talem modum vegetandi & ſentiendi præciſè, & non vltra, eſſe corporeas, vt quo, & vt quod, non verò animam, quæ eſt vegetatiua, ſenſitiua & rationalis ſimul, hæc enim licèt, vt quo, ſit corporea & materialis, non tamen, vt quod, ſic enim ſumpta eſt ſpiritualis, vt dictum eſt: vnde ſi anima vegetatiua ſumatur genericè, ſenſitiua autem ſecundùm integram ſpeciem, & athomam, non obſtante diſtinctione virtuali includentis & incluſi, erit vera hæc propoſitio, anima ſenſitiua eſt formaliter vegetatiua, ſicut & iſta, equus eſt formaliter animal, quia ratio generica in vtroque includitur & prædicatur vt forma, ſecus verò ſi anima vegetatiua genericè ſumpta comparetur ad ſenſitiuum quoad ſuam rationem differentialem præciſè, tunc enim vna non erit formaliter altera, ſed ambæ per identitatem non excludentem diſtinctionem virtualem conſtituent vnam, & erunt identicè vna tertia ratio, ſcilicet ſpecies illa, quæ ex ambabus reſultat. Si denique eſſe vegetatiuum dicat ſpecialem rationem vegetandi, quæ ſimul ſit etiam ratio ſentiendi, & conueniat animæ ſenſitiuæ ratione ſuæ vltimæ differentiæ, tunc vtraque ratio erit vna & eadem ratio formalis, quæ ſolùm diſtinguatur ex modo concipiendi penes explicitum & implicitum.

Ad tertium dicendum, quòd ſpecialis modus vegetandi, qui formaliter eminenter eſt talis, non pertinet præciſè ad ordinem vegetandi, ſed ſimul ad ordinem ſenſitiuum, aut etiam rationalem: vnde cùm ſpecialis modus vegetandi proueniens ab anima ſenſitiua, vt ſenſitiua, ſit formaliter eminenter talis, neceſſariò tranſcendit gradum plantarum, & ita anima vegetabilis, vt ſic, contrahitur ad eſſe animæ ſenſitiuæ, non per differentiam quæ ſit tantùm ſenſitiua formaliter, ſed quæ ſit etiam formaliter eminenter vegetatiua: & vt ſic ſumitur adæquatè, alio modo autem inadæquatè: non quòd iſtæ ſint duæ rationes differentiales virtualiter diſtinctæ, ſed ſunt tantùm duæ rationes inadæquatæ vnius & eiuſdem formaliſſimæ rationis differentialis, quæ ſolùm diſtinguuntur ex parte noſtri conceptûs ſecundùm implicitum & explicitum, inquantum vna ratio poteſt concipi non conceptâ aliâ, ſicut ratio differentialis Theologiæ ſimpliciſſima coaleſcens ex ſpeculatiuo & prattico, vt dictum eſt: ex quo ſequitur quòd potentiæ, quæ ab anima rationali emanant ſecundùm quòd præciſè eſt vel vegetatiua, vel ſenſitiua, conueniunt ſpecie cum aliis potentiis vegetatiuis & ſenſitiuis plantarum, vel brutorum, ſecus verò illæ, quæ emanant ab ipſa vt rationali præciſè, ſicut potentiæ materiales ridendi & flendi, vel ſpirituales intellectus & voluntas, quæ omnes propterea dicuntur rationales: ſicut intellectus, & voluntates Angelicæ diſtinguuntur inter ſe ſpecie, quia emanant à principiis, ſiue eſſentiis ſpecie diſtinctis.

Articulus III.

Vtrùm modi viuendi ſint quatuor, ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum, locomotiuum, & intellectiuum?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd non ſint quatuor modi viuendi numerati, ſed plures, aut pauciores. Probatur. Modi viuendi vel ſumuntur à priori ab anima, quæ eſt principium vitæ, tum ſubſtantialis, tum accidentalis, vel ſumuntur à poſteriori ab ipſis potentiis, & actionibus vitalibus: ſed ſi ſumantur à priori, ſunt tantùm tres modi viuendi, ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum & intellectiuum, ſicut ſunt tantùm tres animæ, vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, ſicut enim viuere ſimpliciter procedit ab anima, ſic diuerſi modi viuendi procedunt à diuerſis animabus: ſi verò ſumantur à poſteriori, ſcilicet à potentiis, vel actionibus vitalibus, erunt quinque modi viuendi, ſicut potentiæ, & actiones vitales ſunt quinque, ſcilicet vegetatiua, ſenſitiua, locomotiua, intellectiua, & appetitiua: ergo modi viuendi non ſunt quatuor.

§ 2. Præterea, Locomotiuum non conſtituit peculiarem modum viuendi diſtinctum à ſenſitiuo, quia nullum eſt participans ſenſum, quod non habeat virtutem mouendi ſe, vel gradiendo, vel volando, vel natando: ita vt ſi ſit imperfectè ſenſitiuum, mouet ſe motu locali imperfecto, ſcilicet dilatationis & conſtrictionis, vt patet in oſtreis, animalibus imperfectis: & hoc maximè quia locomotiuum non importat maiorem perfectionem, quam ſenſitiuum: nam principium motûs vitalis ſecundùm locum, eſt ſenſus & appetitus ex Ariſtotele, & D. Thom. 3. de anima, & propter hanc rationem non conſtituunt appetitiuum peculiarem gradum viuendi, quia concomitatur ſemper, vel ſenſitiuum, vel intellectiuum ex D. Th. hîc libro 2. lect. 3. & 1. p. q. 78. art. 1. vbi ſic ait: *Appetitiuum autem non conſtituit aliquem gradum viuentium, quia in quibuſcumque eſt ſenſus, eſt etiam appetitus, vt dicitur in 2. libro de anima:* Ergo ſimiliter cùm locomotiuum ſemper comitetur ſenſitiuum non conſtituet diſtinctum modum, ſiue gradum viuendi ab illo, & ſic erunt tantùm tres.

§ 3. Præterea, Vegetabilia habent eumdem modum appetendi, ac ſenſitiua, vtraque enim feruntur in ſuum bonum appetitu innato, ſiue naturali: ergo habent etiam eumdem modum eſſendi, quia cùm appetitus conſequatur gradum eſſendi, quæ conueniunt in appetitu, conueniunt etiam in gradu eſſendi: & ita vegetatiuum & ſenſitiuum non ſunt duo modi viuendi. Econtra verò intellectiuum diuinum, angelicum, & humanum plus differunt inter ſe, quàm vegetatiuum, ſenſitiuum, & locomotiuum: ergo conſtituunt tres modos viuendi, & ita ſunt plures quàm quatuor aſſignati.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis hîc libro 2. cap. 3. & D. Th. ibidem lect. 3. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclusio.

Cùm ſint quatuor modi participandi vitam, ſiue mouendi ſe ab intrinſeco, ſunt quatuor modi viuendi aſſignati.

Respondeo dicendum, quòd ſunt quatuor gradus viuentium, ſiue modi viuendi, nec plures, nec pauciores. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd viuentia diſtinguuntur à non viuentibus per hoc, quòd viuentia habent principium intrinſecum principale ſui motûs, nam officium proprium vitæ, eſt moueri à ſe: non viuentia autem mouentur non à ſe, ſed ab extrinſeco, quod manifeſtatur à poſteriori, videmus enim in animalibus, quòd tunc incipiunt

cipiunt viuere, cùm incipiunt à se moueri, & tamdiu iudicantur viuere, quamdiu apparet illa à se moueri, & tunc cessant viuere, quando nequeunt se mouere. In motu autem tria reperiuntur, scilicet finis ad quem tendit, forma quæ est virtus principalis eliciens ipsum, & instrumentum quo agens principale mouet: contingit autem aliquid moueri ab alio ex his tribus capitibus, vel quia ab alio dirigitur in finem, quem sibi non præfixit, vel quia non habet à se, sed ab alio participat formam, quæ est virtus principalis motûs, vel denique quia ab alio tanquam à causa principali participat motionem actualem, qua mouetur: & his tribus modis non viuentia ab alio mouentur ex Arist. 8. Physic. Similiter quia moueri à se excludit moueri ab alio, tribus etiam modis potest aliquid à se moueri. Vel quantùm ad executionem tantùm, quomodo mouentur vegetabilia, quæ per modum causæ principalis, & non vt instrumentum alterius eliciunt operationes vegetatiuas, scilicet nutritionem, augmentationem, & generationem. Vel quantùm ad executionem, & formam simul, quo modo mouentur bruta, quæ non solùm per modum causæ principalis exequuntur suos motus, sed etiam habent à se formas, quibus illos exequuntur, non tantùm potentias, quas habent à generante, sed etiam species obiectorum mediis sensibus acquisitas, quæ in ordine sensibili sunt primæ formæ, nam potentiæ in hoc ordine sunt per modum puræ potentiæ: hæ autem formæ, siue species intentionales duplici modo reperiuntur, materialiter scilicet, & vitaliter; recipiuntur materialiter in potentia, vt sunt quoddam accidens, & sic etiam recipiuntur in aëre, speculo &c. vitaliter autem recipiuntur in potentia, vt sunt formæ sensibiles intentionales, & actu influentes in sensationem, & vt sic solùm recipiuntur in potentia illa, quæ ipsas applicat ad operandum: cùm enim se habeant per modum habitûs respectu potentiæ, nunquam operantur, quin à potentia applicentur, & sub hac ratione sunt quid proprium potentiæ, vel rei sentientis, non solùm quia recipit vitaliter, illas scilicet vitaliter applicando ad operandum, sed etiam quia operando cum illis, easque applicando tribuit illis esse existentiæ sui ordinis: nam licet ante sensationem, vel intellectionem ipsæ species habeant existentiam ordinis naturalis, quàm ratione essentiæ entitatiuæ & naturalis qua gaudent, secum afferunt, tamen donec adsit sensatio & intellectio, non sunt sub vltima actualitate, siue sub existentia sui ordinis intentionalis, vel intelligibilis. Inter ipsa autem bruta est differentia, nam quædam ita sunt imperfecta, vt non cognoscant obiecta distantia, vnde non habent principium intrinsecum mouendi se ad illa: alia verò sunt perfectiora, quæ dicta obiecta cognoscunt, vnde habent principium intrinsecum mouendi se ad illa: quia tamen eorum cognitio est materialis & sensitiua, non cognoscunt finem, vt finem, nec proportionem mediorum cum illo, & sic non possunt se dirigere in eumdem finem, sed ab alio diriguntur. Vel tandem potest aliquid à se moueri quantùm ad executionem, formam, & finem, quo modo mouentur animalia perfectissima, scilicet homines, qui non solùm mouentur à se quantùm ad executionem motûs, & quantùm ad formam eius causatiuam, etiam in motu progressiuo, sed etiam quantùm ad finem, nam ratione sui modi cognoscendi perfecti & immaterialis cognoscunt proportionem mediorum cum fine, ac finem vt finem, & sic possunt se in finem dirigere: vnde cùm nihil aliud concurrat ad motum, quod possit conducere ad hoc quòd aliquid moueatur à se, vel ad hoc quòd diuerso modo seipsum moueat, quod non includatur in quatuor modis viuendi assignatis, sequitur quòd tantùm sunt hi quatuor.

Probatur conclusio authoritate D.Thom. loco citato, vbi exponens verba Philosophi sic ait: *Ponit autem quatuor modos viuendi, quorum vnus est per intellectum, secundus per sensum, tertius per motum localem, quartus per motum alimenti, & decrementi, & augmenti.* Idem docet primâ parte, quæst. 78. articulo primo, vbi ait: *Quatuor verò dicuntur modi viuendi &c. quædam enim viuentia sunt, in quibus est tantùm vegetatiuum, sicut in plantis: quædam verò, in quibus cum vegetatiuo est etiam sensitiuum, non tamen motiuum secundùm locum, sicut sunt immobilia animalia, vt conchilia: quædam verò sunt, quæ supra hæc habent motum secundùm locum, vt perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam, & ideo indigent motu, vt vita necessaria procul posita quærere possint: quædam verò viuentia sunt, in quibus cum his est intellectiuum, scilicet in hominibus.*

Secundò, numerus modorum, siue graduum viuendi sumitur ex diuersis modis habendi vitam, multiplicitas enim in quauis linea sumitur ex diuersis modis habendi id, quod in illa linea importatur: sed tantùm sunt quatuor assignati modi habendi vitam, nam ea tantùm habent vitam, quæ seipsa mouent, sunt autem tantùm quatuor modi mouendi se, vt dictum est, qui possunt separari, ita vt saltem priores possint esse sine posterioribus, nec est inuentus alius modus habendi vitam, maximè qui sit ab aliis separabilis: ergo sunt quatuor modi viuendi assignati, nec plures, nec pauciores.

Ad primum ergo dicendum, quòd quatuor modi viuendi non desumuntur ex numero animatum præcisè, vt includunt tres illos modos generales operandi transcendentes res inanimatas, sed prout dicunt primos & generales modos operandi, quorum priores formaliter sumpti, & vt habent rationem membrorum diuidentium in hac diuisione, sint separabiles à posterioribus, & eos excludant, siue vt sunt radices diuersorum modorum, siue graduum vitæ modo dicto separabilium: sub sensitiuo autem includitur solùm sensitiuum secundùm tactum, sic enim docet D.Thom. hoc 2. libro lect. 5. postquam enim dixit omnia animalia habere sensum tactûs, ita concludit: *Sic igitur ex prædictis patent tres gradus viuentium, primus plantarum, secundus animalium imperfectorum immobilium, quæ habent solùm sensum tactûs, tertius est animalium imperfectorum, quæ mouentur motu progressiuo, quæ etiam habent alios sensus: manifestum est autem quòd quartus gradus est eorum, quæ habent cum his etiam intellectum.* Igitur ex dictis primus modus est vegetatiuus, secundus sensitiuus per sensum tactûs, & ideo ad istum per accidens se habet, quòd animalia careant omnibus aliis sensibus externis: tertius est locomotiuus, quia omnia animalia habentia alium, vel alios sensus externos vltra tactum, sub quo comprehenditur gustus, habent rationem locomotiui: vltimus tandem est intellectiuus omnium aliorum nobilissimus.

Ad secundum dicendum, quòd locomotiuum idem est, ac progressiuum de vno in alium locum ad consequendam rem distantem, siue hoc sit ambulando, siue natando, aut volando, quod solùm conuenit animalibus aliqualiter perfectis: per hoc autem excluditur motus dilatationis & constrictionis ex D. Thom. in hoc 2. libro lect. 6. explicans enim quid sit intelligendum per locomotiuum, sic ait: *Sed intelligendum est de motu progressiuo animalium secundùm quòd animalia mouentur de loco ad locum: hic enim motus non inest omnibus animalibus, sed quæ carent hoc motu, habent aliquem motum localem, scilicet dilatationis & constrictionis, sicut apparet in ostreis.* Ad aliud dicendum, quòd locomotiuum dicit maiorem perfectionem, quàm sensitiuum præcisè, siue per solum sensum tactûs: nec hoc sensitiuum præcisè est principium motûs progressiui, sed sensitiuum perfectum, siue secundùm omnes, aut alios sensus. Ad aliud denique dicendum, quòd locomotiuum non sumitur hîc, vt abstrahit à perfecto & imperfecto, sed vt est perfectum, & ita non concomitatur sensitiuum præcisè: appetitiuum autem abstrahit secundùm se, tam à perfecto, quàm ab imperfecto, & ita optimè dicitur à D. Thom. quòd concomitatur sensitiuum, vt sic, vnde non constituit peculiarem gradum vitæ.

Ad tertium dicendum, quòd quæ differunt in modo appetendi, differunt etiam in modo essendi, sed non econtra: quia appetitus naturalis desumitur per ordinem ad extrinsecum dirigens per intellectum, & ita potest

eſſe idem modus appetendi generaliter ſumptus, licèt, in perfectione eſſendi ſit magnum diſcrimen. Ad aliud dicendum, quòd hic non agitur de omni vita, ſed tantùm de ea, quæ procedit à forma ſubſtantiali informante, vel ex ſe informatiua: intellectiuum autem, ſiue Diuinum, ſiue Angelicum non prouenit à prædicta forma, & ideo gradus intellectiuus, de quo in præſenti agitur, eſt vnicus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnis anima ſit indiuiſibilis?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd omnis anima ſit indiuiſibilis, ita tenent aliqui, qui dicunt ſubſtantiam omnem eſſe in ſe indiuiſibilem, etiam vt ſubſtat quantitati. Ex quo ſic probatur. Omnis ſubſtantia eſt indiuiſibilis: omnis anima eſt ſubſtantia: ergo omnis anima eſt indiuiſibilis.

¶ 2. Econtra videtur quòd omnis anima, etiam rationalis, ſit diuiſibilis, ita tenuerunt aliqui antiqui, vt Cleantes, & Criſyppus. Probatur. Experimur quòd partes aliquæ non ſolùm in vermibus, ſed etiam in hominibus ſeparatæ viuunt: nam caput abſciſſum D. Pauli tres edidit ſaltus, in quolibet pronuntians nomen IESV, in aliis etiam hominibus caput abſciſſum aliquantulùm mouetur: ergo ſignum eſt quòd talia membra ſeparata vitam participant, nam hic motus, cùm ſit ab intrinſeco, eſt vitalis. Deinde ſi alicui abſcindatur auris, vel naſus, ac ſtatim reuniatur, non minùs viuit, ac ante abſciſſionem: ergo tempore abſciſſionis viuebat, à priuatione enim ad habitum naturaliter non datur regreſſus: ſi autem ſeparatim viuit, ipſa anima eſt diuiſibilis, partim remanens in vtraque parte.

¶ 3. Præterea, Quælibet anima etiam rationalis recipitur in materia diuiſibili, & extenſa: nam in inſtanti generationis ſtatim emanat quantitas, qua afficitur: ergo ipſa anima redditur extenſa, & diuiſibilis: nam omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Deinde ipſa quantitas recipitur non in ſola materia, ſed in toto viuente, & conſequenter in anima conſtituente illud, cùm totum vltra materiam dicat tantùm animam: ergo ſicut materia redditur extenſa & diuiſibilis per quantitatem, ſic & anima: nam repugnat quantitatem recipi in aliquo tanquam in ſubiecto connaturali, & non tribuere illi ſuum effectum formalem, ſcilicet extenſionem & diuiſibilitatem.

¶ 4. Præterea, Si aliqua anima eſſet indiuiſibilis, plura ſequerentur inconuenientia. Primum, quòd idem ſecundùm ſe totum moueretur, & quieſceret: nam tota anima, v.g. in manu quieſceret, cùm ſit ibi tota, & etiam tota in pede moueretur, cùm etiam ibi ſit tota. Secundum, quòd eadem anima ſimul motibus contrariis moueretur, vt ſi dextera manus ſurſum, ſiniſtra verò deorſum moueatur. Tertium, quòd quando abſcinditur aliqua pars hominis, anima confugiat ad alias partes, in quibus iam erat, quæ omnia conſtat eſſe impoſſibilia: ergo omnis anima eſt diuiſibilis.

¶ 5. Præterea, Videtur quòd ſola anima rationalis ſit indiuiſibilis, aliæ verò omnes diuiſibiles & extenſæ. Ita tenent Scotus in 4.d.44.q.1.art.1. Durandus in 1.d.8. p.2. q.4. Suares diſp.15. Metaph. ſect.20. Ruuius in præſenti & alij. Probatur. Omnes animæ exceptâ rationali ſunt materiales & corporeæ, vt communiter fatentur Philoſophi; ergo omnes illæ ſunt extenſæ & diuiſibiles; tum quia ideo rationalis eſt indiuiſibilis, quia eſt ſpiritualis & immaterialis; tum quia id quod eſt materiale, debet participare conditiones materiæ, quarum vna eſt, vt in toto per quantitatem fiat extenſa & diuiſibilis; tum denique quia vt aliquid ſit materiale, non ſufficit quòd pendeat à materia, nam & anima rationalis pendet à materia, ſed requiritur quòd ſit extenſum & diuiſibile.

¶ 6. Præterea, Omnes operationes cuiuſcumque animæ exceptâ rationali ſunt diuiſibiles & extenſæ, vt patet inductione: ergo & ipſæ animæ: nam modus operandi conſequitur & proportionatur ad modum eſſendi: ideo enim colligimus animam rationalem eſſe indiuiſibilem, quia habet aliquam operationem indiuiſibilem. Deinde omnes illæ animæ fiunt per actionem extenſam & diuiſibilem, ſcilicet per generationem materialem: ſed debet eſſe proportio inter actionem & eius terminum: nam ſicut totus terminus producitur per totam actionem, ſic pars termini debet produci per partem actionis.

¶ 7. Præterea, Si anima leonis, v.g. eſſet indiuiſibilis, ſequeretur quòd eſſet cauſa principalis ſui ipſius, nam eſt impoſſibile quòd forma materialis informet aliquam materiam, à qua non educatur, ac proinde tota forma leonis educitur ex illa parte materiæ, quàm de nouo per nutritionem informat: hæc autem eductio, ſicut & nutritio fit tanquam à principio, quo, principali, ab ipſa anima, cùm ſit actio vitalis: & ita forma leonis educeret ſeipſam, & eſſet cauſa principalis ſui ipſius, quod eſt impoſſibile: ergo omnes animæ, exceptâ rationali, ſunt diuiſibiles.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Th. quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, Bannes 1.p.q.76.art.8. Caietanus, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm experientiâ conſtet animas perfectorum animalium non conſeruari in partibus abſciſſis, & ſeparatis, bene tamen imperfectorum, iſtæ ſunt diuiſibiles, illæ verò indiuiſibiles.

RESPONDEO dicendum, quòd anima rationalis, & animæ animalium perfectorum ſunt indiuiſibiles, & conſequenter ſunt totæ in toto, & totæ in qualibet eorum parte. 2. ſecus verò aliæ animæ imperfectorum animalium, plantarum, ac aliæ formæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd per animalia perfecta intelligimus illa, quorum aliqua pars ſeparata non viuit, vt equus, leo, &c. per imperfecta verò illa, quorum partes ſeparatæ viuunt, vt lacertæ, vermes, &c.

Probatur concluſio quoad vtramque partem authoritate Ariſtotelis, & D.Th. Ariſtoteles de ſenectute, & iuuentute cap.7. poſtquam de animalibus imperfectis dixit eſſe quaſi multa animalia inter ſe cohærentia, agens de perfectis ſubdit: *Atque optimâ fabricatione conſtant, haud quaquam videre diſſecta queunt, quòd eorum natura quàm maximè poteſt, vna habeatur.* Item hoc 2.lib.c.2.ait: *Nam vt plantæ nonnullæ diuiſæ, ſeiunctaque videntur viuere, propterea quòd anima, quæ eſt in iſtis, actu quidem in vnaquaque planta eſt vna, potentiâ verò plures: ſic & circa alias videmus animæ differentias fieri, cùm inciduntur animantium ea, quæ inſecta vocamus; vtraque námque partium, & ſenſum habet, & motu locali cietur.* Quem locum exponens D.Th. lect.4. ſic ait: *In plantis quædam partes diuiſæ ab eis, & ſeparatæ ab aliis partibus videntur viuere: & hoc manifeſtatur per hoc quòd ramuſculi abſciſſi inſeruntur, vel plantantur, & coaleſcunt, quod non eſſet, niſi remaneret in eis vita, & per conſequens anima, quæ eſt principium viuendi, quod contingit tanquam in vnaquaque planta anima ſit vna in actu, & multiplex in potentiâ.* Et infra: *Quia anima plantæ imperfecta eſt in ordine animarum, non requirit magnam diuerſitatem in partibus: vnde anima totius poteſt ſaluari in aliqua partium: & ſic etiam videmus in aliis differentiis animæ, ſicut in entomis deciſis, id eſt, in animalibus quæ deciſa viuunt: quia vtraque partium habet ſenſum, quod patet ex hoc quòd retrahit ſe ſi pungitur, & etiam habet motum ſecundùm locum, vt ad ſenſum apparet.* Idem docet 1.p.q.76.art.8. & q.de anima art.10. vbi ſic ait: *Planum eſt etiam quòd non diuiditur diuiſione continui præcipuè anima animalium perfectorum, quæ deciſa non viuunt: ſecus enim eſſet fortè de animabus animalium annuloſorum: relinquitur igitur quòd in anima hominis, & cuiuſlibet animalis perfecti non poteſt accipi totalitas niſi ſecundùm perfectionem ſpeciei, & ſecundùm potentiam, ſeu virtutem.*

Secundò, Animæ animalium perfectorum, v. g. equi, leonis, &c. non conſeruantur poſt diuiſionem in partibus, bene tamen aliæ animæ, vt patet experientiâ, nunquam

quam enim vidimus perſeuerare animam equi in vtraque eius parte diuiſa, ſed ſtatim moritur ſecundùm vnam partem: econtra verò videmus lacertam partitam ſecundùm ambas partes viuere, & ſe mouere, imò & ſentire, ſi enim pungantur, ſe retrahunt ex eo nimirum, quòd ſentiant dolorem: ergo animæ imperfectorum animalium ſunt diuiſibiles, perfectorum verò indiuiſibiles: maximè anima rationalis, quæ cùm ſit ſpiritualis, debet indiuiſibiliter communicari materiæ. Nec valet ſolutio aduerſariorum, videlicet quòd anima equi, &c. licèt ſit diuiſibilis, non tamen poteſt conſeruari ſub qualibet parte diuiſa, quia ad ſui conſeruationem requirit plura organa. Nam contra, anima non eſt propter organa, ſed organa propter animam, vt patet: ergo ſi natura fecit has formas diuiſibiles, debuit feciſſe talis conditionis, vt poſſint ſaltem per aliquod breue ſpatium conſeruari in partibus diuiſis, nec indigeant tot organis ad ſui conſeruationem, vt patet in forma ignis, & aliis, quas omnes concedunt eſſe diuiſibiles.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſubſtantia quidem ex ſe eſt indiuiſibilis, redditur tamen in ſe diuiſibilis per quantitatem: hæc autem diuiſibilitas communicatur priùs materiæ, deinde mediante materiâ ipſi formæ, quæ eſt valde immerſa materiæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd partes hominis ſeparatæ non viuunt, ad illas inſtantias dicendum, quòd illi ſaltus capitis S. Pauli non fuerunt naturales, ſed miraculoſi, quia fuerunt multò maiores, quàm naturaliter fieri poſſent, & quia ad ſingulos eruperunt ſinguli fontes, & ſimiliter de locutione, quæ licèt apparuerit vitalis, fuit tamen à cauſa extrinſeca ſupernaturaliter mouente eius linguam, ſicut quædam corpora aſſumpta ab Angelis loquuntur. Ad aliam dicendum, quòd ille motus, qui videtur in aliquibus capitibus abſciſſis, prouenit non ab anima, & ita non eſt vitalis, ſed à ſpiritibus vitalibus remotè, qui ſuccurrentes læſioni quæ tunc fit, impellunt puriorem ſanguinem magnâ vi ad ſuccurrendum naturæ, & ita ratione huius impulsûs impreſſi ab his ſpiritibus, & à motione cordis, ille ſanguis mouet per aliquod tempus caput abſciſſum, & hoc maximè apparet in his qui ſunt robuſtiores, quia in illis fit maior commotio: quia tamen, vt dictum eſt, anima iam non informat, nec illud caput, nec illum ſanguinem, ille motus non eſt ſimpliciter vitalis, quamuis remotè poſſit dici talis, quia eſt ab anima mediis ſpiritibus vitalibus, dum adhuc in principio læſionis informabat totum. Ad aliam dicendum, quòd dato poſſe reuniri membra abſciſſa ſtatim in ipſo principio, tamen vel non viuunt, & ſi in illis ſentiatur dolor, non eſt propter ipſa, ſed propter partem, cui contiguantur: ſicut cùm euellitur capillus, ſentitur dolor, non propter ipſum, ſed propter partem, cui coniungitur: vel dicendum, quòd iterum viuunt, quia in illo principio non ita amiſerunt proprias diſpoſitiones: quando autem dicitur, quòd à priuatione non datur regreſſus ad habitum, debet intelligi reſpectu totius, non verò reſpectu alicuius partis: ratio autem diſparitatis eſt, quia in toto corrupto non remanet virtus vt ſe ipſum reſtituat: in ipſo verò dum manet, eſt virtus vt reſtituat partem, & tunc à forma partiali cadaueris fit immediatus tranſitus ad formam viuam: habetur de hoc exemplum, vt ſi aliquis abſcindat ſibi aliquam partem corporis, & illam comedat, poterit conuerti in eius ſubſtantiam, & ſic iterum informari eadem animâ.

Ad tertium dicendum, quòd in priori naturæ recipitur in materia anima, & quæcumque forma, quam emanet quantitas, vnde non omnis redditur extenſa & diuiſibilis: hoc autem diſcrimen prouenit ab ipſis animabus, nam imperfectiores, ita abſorbentur à materia, vt fere omnes eius conditiones ſequantur, non autem perfectiores, quia ſunt magis eleuatæ ab ipſa materia. Ad aliud dicendum, quòd totum diſtinguitur à qualibet parte, nam dicit omnes ſimul vnitas, ipſa autem quantitas recipitur in toto, & illud extendit, quamuis non extendat vtramque eius partem propter rationem dictam.

Ad quartum dicendum, quòd nullum ſequitur inconueniens ex innumeratis, vnde ad duo priora dicendum, quòd repugnat quidem eamdem formam indiuiſibilem ratione ſui, ac per ſe moueri ſimul & quieſcere, aut moueri motibus contrariis, non autem per accidens ratione diuerſarum partium & organorum, in quibus eſt talis motus & quies: & etiam propter diuerſa loca, quæ per accidens ratione harum partium occupat: quod etiam aliquo modo contingit in corpore Chriſti Domini ſub ſpeciebus Sacramentalibus ob eamdem rationem. Ad tertium dicendum, quòd anima non confugit ad alias partes, ſed ſolùm deſinit informare partem abſciſſam: ſicut ſi aliqua pars hoſtiæ conſecratæ putreſceret, Corpus Chriſti non diceretur refugere ad alias.

Ad quintum dicendum, quòd animæ perfectorum animalium, licèt ſint materiales, non tamen ſunt omnino immerſæ in materia, ſed aliqualiter eleuatæ, vnde aliquid animæ rationalis participant, ſcilicet non extendi per materiam, iuxta illud: *Supremum infimi attingit infimum ſupremi*: Vnde ſpiritualitas animæ rationalis non eſt adæquata, & formalis ratio eius indiuiſibilitatis, ſed eſt eius eleuatio ſupra materiam: ſpiritualitas autem eſt ratio indiuiſibilitatis independentis à materia: Nec verum eſt quòd omne materiale debeat habere omnes conditiones materiæ, maximè ſi non ſit omnino immerſum in materia, quamuis omne materiale dicat hanc dependentiam à materia, quòd non poſſit naturaliter eſſe ſine illa, quam non dicit anima rationalis.

Ad ſextum dicendum, quòd licèt modus operandi debeat proportionari modo eſſendi, non tamen in omnibus, aliàs ſicut eſſe eſt quid ſubſtantiale, ſic operatio deberet eſſe quid ſubſtantiale: ſed hæc proportio debet attendi in ordine, vel naturali, vel ſupernaturali: cùm autem anima rationalis in ſe indiuiſibilis habeat operationes diuiſibiles ratione potentiarum & organorum quibus operatur, non mirum ſi aliæ animæ, quæ non operantur niſi per organa corporea, habeant omnes ſuas operationes diuiſibiles, licèt ipſæ ſint indiuiſibiles: & ita modus eſſendi poteſt eſſe perfectior modo operandi: non tamen econtra modus operandi poteſt eſſe perfectior modo eſſendi, aliàs excederet perfectionem ſui principij, quod implicat: vnde ex operatione indiuiſibili animæ rationalis demonſtratur indiuiſibilitas ipſius animæ, non autem ex diuiſibilitate operationum debet colligi neceſſariò animam eſſe diuiſibilem. Ad aliud dicendum actionem generatiuam primarium habere terminum vltimas diſpoſitiones antecedentes ad inſtans generationis, & cum ipſis proportionatur, quod ſufficit; nam actio ſolùm requirit proportionari cum ſuo termino primario, ipſæ autem formæ ſubſtantiales ſunt terminus ſecundarius talis actionis, & fiunt per naturalem reſultantiam.

Ad ſeptimum dicendum, quòd cùm formæ perfectorum animalium ſint medium quoddam inter animam rationalem, & alias animas omnino immerſas in materia, participant de vtroque extremo: ab his poſterioribus participant quòd abſolutè & ſimpliciter pendent à materia, & educuntur ab illa, à priori verò participant, quòd poſſint informare aliquam partem materiæ, licèt ab illa non educantur, ſed ſolùm ex illa materia, cui in inſtanti generationis vniuntur, à qua dependent in fieri, non autem in facto eſſe & conſeruari: nam licèt materia mutetur materialiter, & adueniat alia materialiter, tamen inquantum habet eamdem diſpoſitionem proportionatam animali, cenſentur eſſe eadem materia formaliter: quomodo autem vna anima poſſit eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte, explicatur duplici exemplo: primum eſt ipſius Dei, qui omnino indiuiſibilis eſt totus in toto vniuerſo, & totus in qualibet eius parte: hoc exemplo vtitur. D. Aug. 6. de Trinitate cap. 3. Aliud exemplum eſt D. Thom. q. de anima art. 10. ad 18. de Angelo, qui omnino indiuiſibilis poteſt occupare locum diuiſibilem, & in toto illo operari, & ſic erit totus in toto, & totus in qualibet eius parte.

QVÆSTIO XXX.

De Informatione Animæ.

CVM anima sit actus informans, post eius definitionem & diuisionem statim agendum est de eius informatione: non autem hic omnia discutiuntur, quæ ad hanc informationem pertinent, de multis enim actum est, scilicet an plures animæ possint informare eamdem numero materiam, an vna anima plures materias, quomodo vniatur corpori &c. vnde solùm agetur in præsenti de subiecto informationis quantùm ad illas partes compositi, de quibus est difficultas inter authores, vnde quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm sanguis, & reliqui humores informentur eadem anima, qua totum compositum, in quo sunt?

¶ Secundò, Vtrùm dentes, semen, lac, vngues, & capilli informentur animâ totius compositi?

¶ Tertiò, Vtrùm anima secundùm diuersam substantialiter rationem sit in diuersis partibus corporis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sanguis & reliqui humores informentur eadem animâ, qua totum compositum in quo sunt?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd sanguis, & reliqui humores non informentur eadem animâ, qua totum compositum in quo sunt. Ita tenent D. Bonauent. in 4.d.44. q.1.art.1. ad 2. Scotus in 4. d.10. q.1.art.1. Durandus quæst.2.ad 2. Suares, Vasques, Ruuius, & alij etiam inter Thomistas, vt Capreolus, Soto. Probatur de sanguine, eadem quippe est ratio de aliis. Sanguis est alimentum animalis, vt ait Aristoteles libro 8. de partibus animalium cap. 5. & communiter Medici: ergo non potest informari animâ animalis, quia alimentum ex eodem Arist. non informatur animâ, maximè quia debet conuerti in substantiam aliti, & sic in ipsa conuersione de nouo debet eius animâ informari.

¶ 2. Præterea, Sanguis est discontinuus à cæteris partibus corporis viui, ex Aristotele libro 2. de partibus animalium cap.3. vbi sic ait: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis quasi in vase continetur:* Et ratio huius est aperta, quia sanguis est mollis & fluxibilis, aliæ verò partes solidæ & duræ: ergo sanguis non informatur animâ totius, quia subiectum animæ est vnum quid continuum: aliàs dicendum est quòd dum elicitur sanguis à vena, ille etiam qui continuo fluxu recipitur in vase, informetur animâ, cùm sit eiusdem rationis ac alius, quod tamen est absurdum dicere.

¶ 3. Præterea, Ex opposito sequitur Sanguinem Christi esse ex vi verborum consecrationis panis directè sub eisdem speciebus panis, quia ibi ex vi verborum sunt omnes partes integrales pertinentes ad perfectam & absolutam integritatem corporis Christi, ad quam integritatem sanguis pertinet, si informatur animâ totius: sed hoc est contra Concilium Tridentinum sess. 13. cap.3. vbi definitur Corpus Christi sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum existere: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis solùm esse per concomitantiam. Deinde D.Thom.3.p.q.31.art.5. ad 1. dicit verbum Diuinum assumpsisse suum corpus non ex carne, aut osse. B.V. ne minueret illius naturam, auferens id quod actu erat pars, bene tamen ex sanguine, quia non est actu, sed tantùm in potentia pars corporis humani. Item 1. p. q. vltimâ art. 1. ad 3. dicit sanguinem nondum peruenisse ad participandam naturam speciei, quamuis sit in via, & potentia ad hoc.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ Caietanus 3. p. q.54.art.2. Bannes 2.de generat. cap.4. q.8. Nazarius 3.p. q.5. art.2. Aluares disp.28. de incarnatione, nostri Complutenses in præsenti, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm quatuor humores sint partes hominis, sicut quatuor Elementa sunt partes huius vniuersi, informantur eadem animâ qua totum compositum, in quo sunt, quod apparet maximè in sanguine, qui habet diuersos motus vitales in animali, & quo exercentur plures operationes vitales.

RESPONDEO dicendum quòd sanguis nutrimentalis non informatur animâ compositi in quo est, sed aliâ formâ substantiali, vnde non est vera pars animalis 2. sanguis verò naturalis informatur saltem imperfectè, id est, secundùm esse vegetabile animâ totius viuentis in quo est 3. & idem proportionaliter dicendum de aliis tribus humoribus. Ad cuius euidentiam sciendum est in homine &c. reperiri quatuor humores, scilicet sanguinem, pituitam siue phlegmam, coleram siue flauam bilim, & melancholiam siue atram bilim: quibus in aliis viuentibus quæ carent his humoribus, vel ex toto, vel ex parte, vt in piscibus, plantis &c. correspondent alij humores: nam plantæ loco sanguinis habent medullam, aut aliam substantiam liquidam pertinentem ad veritatem, & integritatem naturæ: quia tamen sanguis est notior aliis humoribus, de ipso specialiter determinabitur. Sanguis autem est duplex, vnus dicitur nutrimentalis qui tantummodo est humor sanguineus parum decoctus & depuratus, qui adhuc non habet veram rationem sanguinis, licèt sit ei similis in colore, & aliis quibusdam accidentibus, & tendat ad formam sanguinis acquirendam: dicitur autem nutrimentalis, quia solùm deseruit ad hoc vt ex illo aliæ partes corporis nutriantur. Alius dicitur naturalis, & per se ad integritatem naturæ humanæ pertinens, qui ex priori sanguine per maiorem decoctionem & depurationem virtutis efformatiuæ sanguinis fit, qui licèt aliquando deseruiat ad nutriendum totum animal, hoc tamen non est adæquatum eius munus, sed vltra hoc habet quòd pertineat ad integritatem naturæ, quod dupliciter manifestatur, nam in pereuntibus fame reperitur sanguis, & Beati resurgent cum vero sanguine, vt ita saluetur integritas naturæ humanæ ex D. Thom. 3. part. quæst. 54. art. 2. ad 2. & 3. qui tamen non indigebunt alimento. Hanc distinctionem sanguinis docet D.Thom. quodlib.5. art. 5. & communiter eius discipuli supra citati: quæ etiam diuisio debet applicari aliis etiam humoribus, & procedit ex hoc quòd alimentum paulatim disponatur ad formam viuentis: prædicta autem decoctio & depuratio substantialiter transmutat sanguinem nutrimentalem in naturalem, & puritas accidentalis inde procedens habet se ad modum proprietatis: sanguis naturalis, & nutrimentalis sunt tantùm inter se contigui & permixti, siue confusi, & in poris vnius alter quantùm fieri potest intromittitur: puritas verò substantialis & accidentalis conueniens sanguini naturali obstat, ne possit esse alimentum animalis, ita vt relictâ propriâ formâ substantialiter in illud transmutetur.

Probatur ex modo dictis prima pars conclusionis, quam damus authoribus nobis contrariis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate, tum Sacræ Scripturæ, tum sanctorum Patrum, tum Philosophi. Leuitici 13. dicitur: *Anima carnis in sanguine est:* Matthæi 16. ad Galatas 1. ad Ephesios 6. & ad Hæbreos 2. homo dicitur caro & sanguis acceptis ipsis partibus pro toto, vt notant Expositores, & maximè D.Th. Idem colligitur ex Concilio Trid. loco citato, vbi dicit Sanguinem Christi esse sub speciebus panis ex vi connexionis qua partes corporis inter se copulantur, & ita supponit esse partem, & consequenter informari formâ totius. Idem docet Innocentius tertius in extrauaganti de celebratione Missarum, dicit enim esse de ratione & compositione veri corporis humani habere quatuor humores. Item Caius Papa in decretali ad Fœlicem ait: *Si Christus*

veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine redempti essemus: Idem docet D. August. epist. 146. & libro de spiritu & anima cap. 25. & 33. Damascenus libro 2. de fide cap. 12. & plures alij sancti Patres. Idem docet Aristoteles 3. de historia animalium cap. 19. vbi loquens de sanguine ait: *Palpitat intra venas sanguis animalium omnium, pulsuque simul vndique monetur, solusque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est, & semper quamdiu vita seruatur, sanguis vnus animatur & feruet.* Item 1. de historia animalium cap. 1. ait: *Partes autem animalium similares, aut molles sunt & humida, aut sicca & solida: molles vt sanguis,* Ibique addit quòd sanguis nutritur, & augetur: idem D. Thom. multis locis, vt 3. part. quæst. 54. art. 2. vbi sic ait: *Manifestum est autem quod ad naturam corporis humani pertinent carnes, & ossa, & sanguis, & alia huiusmodi.* Item in 4. d. 44. quæst. 1. artic. 2. sic ait: *Sicut membra seruientia generationi erunt post resurrectionem ad integritatem humanæ naturæ, non ad operationem, ita & humores erunt in corpore non ad restaurationem deperditi, sed ad integritatem humanæ naturæ:* Nihil autem pertinet ad integritatem alicuius naturæ, nisi informetur formâ totius vt patet.

Secundò probatur ratione D. Thom. loco immediatè citato. Ita comparantur quatuor humores ad hominem, sicut quatuor Elementa ad vniuersum, tum quia homo est quidam mundus minor, tum quia illi humores dicuntur quatuor Elementa hominis, ex eo quòd hæc in illis virtualiter manent, & habent inter se similitudinem, nam sanguis est calidus & humidus sicut Aër, cui in corpore humano comparatur, pituita frigida & humida sicut aqua, flaua bilis calida & sicca sunt ignis, atra bilis frigida & sicca sicut Terra: sed quatuor Elementa in vniuerso habent habitudinem partis componentis, & simul sunt materia, ex qua generantur mixta, vt patet: ergo etiam quatuor humores in homine habent rationem partis, quamuis imperfectæ, & materiæ, ex qua aliæ partes aluntur: ac proinde saltem imperfectè, id est, secundùm esse vegetabile informantur animâ eiusdem hominis: nam sicut quia Elementa sunt partes vniuersi, participant formam totius vniuersi, quæ est forma ordinis dicens varias formas ordinatas ad vnum, sic quia quatuor humores sunt partes animalis, informantur formâ, siue animâ eiusdem animalis, quæ est vna simpliciter & Physicè, sicut & ipsum animal per ipsam constitutum est simpliciter vnum.

Tertiò sanguis habet plures, & diuersos motus vitales in animali, nam mediâ apprehensione modo in hanc, modo in illam partem, modò sursum, modò deorsum mouetur: nam in erubescentibus fugit ad faciem, in timentibus ad cor, in gaudentibus diffunditur per totum corpus, & hæc patent ad sensum: ergo saltem imperfectè informatur animâ totius animalis: nam ex vi apprehensionis, & appetitûs solùm mouentur ea, quæ eadem formâ substantiali informantur, & hoc propter naturalem colligationem, quam habent ex vi vnius, & eiusdem formæ substantialis qua actuantur: sicut partes inferiores huius vniuersi propter eamdem rationem mouentur à superioribus.

Quartò, sanguis est organum & instrumentum quo mediante viuens exercet aliquas operationes vitales, vt infra dicetur: ergo habet in se vitam substantialem ab anima prouenientem: nam omnia organa vitalia, siue mediis quibus exercentur operationes vitales, viuunt vitâ substantiali, vt probatur inductione in omnibus: & propter hanc rationem resurgemus cum quatuor humoribus, & Christus Dominus iam cum illis resurrexit & est in Cœlo: vt docet D. Th. 3. p. q. 54. art. 2.

Quintò probatur ratione Theologicâ desumptâ ex D. Th. Verbum diuinum immediatè assumpsit sanguinem, vt communiter fatentur Theologi, imò contrarium iudicatur erroneum in fide: ergo in homine sanguis informatur animâ rationali: nam Verbum Diuinum ex D. Th. 3. part. quæst. 6. art. 3. priùs naturâ assumpsit animam rationalem, quàm corpus, & ita non assumpsit nisi id, ad quod se extendit anima. Deinde Verbum Diuinum vnam tantùm assumpsit naturam humanam, aliàs non semel, sed bis esset incarnatum, ac proinde omnis natura à Verbo assumpta est humana, & constat formâ vel animâ humanâ. Nec valet solutio aliquorum, quòd scilicet ex his duabus naturis partialibus, nempe ex humanitate, quæ præcisè dicit materiam cum anima rationali, & ex sanguine resultet vna integra. Nam contra, quia cùm anima rationalis sit forma omnium perfectissima, eo ipso quòd vnitur materiæ, efficit vnum per se completum, vnde quidquid aduenerit composito, non efficiet vnum per se cum illo, sed tantùm vnum per accidens, & sic simpliciter erunt duo. Deinde si sanguis est altera natura specie distincta ab illa, quæ constat ex anima rationali & materia, sequitur quòd siue intra, siue extra venas sit, retinet eamdem prorsus formam eo modo quo saliua: sed vt est extra venas, est compositum omnino distinctum ab humanitate, vt patet: ergo & dum est intra venas: maximè quia non continuaretur, res enim viuens non potest continuari mortuæ, vt omnes fatentur, nam continuum & vnum quantitatiuum conuertuntur. Nec etiam valet solutio Suaris, quòd scilicet sanguis licèt Physicè sit alia natura ab humanitate, est tamen eadem moraliter. Nam contra, vnio hypostatica, & assumptio naturæ humanæ Physica, & terminatio eiusdem est realis & Physica: ergo non debet attendi secundùm æstimationem hominum, sed secundùm realem & Physicam veritatem: & ita si sanguis in rigore Physico est natura specie distincta ab humanitate, & vtraque est assumpta à Verbo, verè & rigorosè loquendo Verbum diuinum assumpsit duplicem naturam, & sicut propter communicationem idiomatum dicitur hic homo Deus, sic etiam hic Sanguis diceretur Deus, cùm esset quoddam totum assumptum à Verbo, & non pars naturæ assumptæ, hæc enim communicatio fit in toto, & non in partibus.

Ex dictis colligitur solùm sanguinem naturalem esse propriè, & in rigore sanguinem, non verò nutrimentalem, qui est distinctus specie humor, per analogiam tantùm vocatus sanguis, & ideo sanguis naturalis tantùm, & non nutrimentalis fuit assumptus à Verbo, qui propterea fuit infiniti valoris ex parte etiam rei oblatæ, siue per modum pretij, propter vnionem ad Verbum: sanguinis verò nutrimentalis effusio non fuit infiniti valoris satisfactorij & meritorij ex parte rei effusæ, bene tamen ex parte offerentis & effundentis. Christus autem Dominus in sua resurrectione recepit denuo totum sanguinem naturalem, quem effuderat, quia quod semel assumpsit nunquam dimisit. De nutrimentali autem variè loquuntur authores, quidam enim volunt quòd totus consumptus sit in horto per illum sudorem copiosum, alij quòd sit relictus in instrumentis passionis, &c. sed hoc relinquitur Theologis.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando Aristoteles ait, alimentum non informari animâ, vel loquitur de alimento crudo, & non plenè decocto, qualis est sanguis nutrimentalis, vel si admittatur, quòd loquitur de alimento perfectè decocto, scilicet sanguine naturali, tantùm vult quòd non informetur ab anima totus secundùm gradum perfectum, sed tantùm secundùm primum gradum vitæ, nempe vegetatiuæ. Ad aliud dicendum, quòd si sermo fiat de sanguine naturali, eius conuersio non est conuersio simpliciter, sed tantùm complementum conuersionis, inquantum non recipit animam aliti simpliciter, quia iam præhabet, sed qnia recipit ab illa vlteriorem gradum vitæ sensitiuæ, cùm tamen antea tantùm participaret primum gradum. Si autem sit sermo de alimento non perfectè decocto, sanguine videlicet nutrimentali, dicendum quòd est perfectè & simpliciter conuersio.

Ad secundum dicendum, quòd Aristoteles tantùm vult sanguinem non continuari immediatè cum omnibus partibus corporis, secus tamen mediatè: sanguis enim habet

quaſdam partes craſſiores, quas vocant fibras, quibus mediantibus continuatur venis, & venæ carni: hæ autem partes manifeſtè apparent in ſanguine Taurorum, & Aſinorum, qui eſt craſſior, & ſpiſſior, non autem ita apparent in ſanguine humano, cùm ſit ſubtiliſſimus, vnde licèt contineatur in venis tanquam in vaſe, tamen etiam illis adhæret. Ad aliud dicendum, quòd dum elicitur ſanguis in ipſo exitu è vena corrumpitur à circunſtante aëre, cùm ſit delicatiſſimus, & facilè perdat diſpoſitiones connaturales, vnde corruptus non continuatur, ſed tantùm contiguatur vero ſanguini, quamuis appareat quid continuum: in illo autem primo tempore antequam corrumpatur, etiamſi ſit aliquo modo extra animal, non tamen eſt omnino extra, quia continuatur aliis partibus eius.

Ad tertium dicendum, quòd ex vi verborum conſecrationis panis, tantùm eſt ſub ſpeciebus illius Corpus Chriſti, cum omnibus ſuis partibus ſolidis, non verò fluidis, quæ deſtinatæ ſunt vt ſint materia aliarum partium: nam verba conſecratoria non vtcumque ſignificant corpus, ſed ſignificant illud per modum cibi, cui aptæ ſunt partes ſolidæ, non verò fluidæ, qualis eſt ſanguis: quæ ſolutio conſonat Concilio Tridentino, quod vt dictum eſt, fatetur ſanguinem eſſe partem corporis, & tamen non eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus panis. Ad aliud dicendum quòd D. Thom. tantùm vult ſanguinem non eſſe partem ſolidam corporis, & conſequenter nec partem actu abſolutè, quia ſola pars ſolida dicitur ſimpliciter & abſolutè pars actu, quia non tranſmutatur in aliam, ſicut fluida, quæ propterea dicitur pars in potentia, licèt aliunde poſſit dici pars actu, quia informatur formâ totius, & iuxta communem modum loquendi per diminutionem illius non dicitur diminui corpus, & per hoc patet reſponſio ad alium locum D. Th. cùm enim ſanguis non ſit informatus ſecundùm completam perfectionem animæ, dicitur non perueniſſe ad participandam naturam ſpeciei, ſed eſſe in via, & potentia ad hoc.

Articvlvs II.

Vtrum Dentes, Semen, Lac, Vngues, & Capilli informentur animâ totius compoſiti?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd Dentes non informantur animâ totius. Probatur. Omne quod informatur animâ, viuit, quæ enim participant animam, pertingunt ad gradum viuentium, vt communiter fatentur Philoſophi: ſed dentes non viuunt, nullam enim habent operationem vitalem, quæ ſit indicium vitæ, nec enim ſentiunt, nec nutriuntur, aut creſcunt per intuſſuſceptionem, ſunt quippe nimis ſolidi, & carent poris quibus alimentum interiùs ſuſcipiatur: ergo dentes non informantur animâ totius compoſiti.

§ 2. Præterea, Videtur quòd nec vngues, nec capilli informentur animâ totius compoſiti. Ita tenet Toletus 2. de anima cap. 2. q. 4. Probatur. Tum quia capilli & vngues fiunt ex excrementis per virtutem expulſiuam rejectis in extremitates corporis. Tum deinde quia non creſcunt eo modo quo aliæ partes viuentis versùs omnem partem, quò plus ſcinduntur eò magis creſcunt, in ſenibus plus creſcunt, cùm tamen in eis ſit debilior virtus nutritiua: nec minùs creſcunt in homine mortuo, ac in viuo, vt conſtat experientiâ in his, qui ſuſpenduntur: quæ omnia indicant hoc incrementum non fieri per intuſſuſceptionem, & per virtutem nutritiuam. Tum denique, quia Chriſtus Dominus aſſumpſit de corpore humano quidquid informatur animâ totius, conſtat autem quòd non aſſumpſit vngues, nec capillos, alioquin ſequeretur vnum ex duobus, vel quòd capilli & vngues qui fuerunt ſeparati à Corpore Chriſti, eſſent vniti Verbo, vel quòd dimiſerit id quod ſemel aſſumpſit, quæ duo non videntur admittenda: ergo vngues & capilli non informantur animâ totius compoſiti.

§ 3. Econtra, Videtur quòd ſemen & lac mulierum informetur animâ totius. Probatur. Viri luxurioſi ſunt macri & debiles ex nimia emiſſione ſeminis, ſicut & mulieres nutrices ex continua emiſſione lactis. Deinde Spadones dicuntur manci, quia eis deeſt ſemen: ſed horum ratio non poteſt aſſignari, niſi quia ſemen & lac informantur animâ totius compoſiti: ergo informantur.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis & D.Th. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm Dentes, Capilli, & Vngues habeant operationem vitæ, ſcilicet nutriri, & creſcere ab intrinſeco, & ordinentur ad integritatem illius in quo ſunt, informantur animâ totius compoſiti, non autem Semen, & Lac, quæ ordinantur ad perfectionem, & conſeruationem ſpeciei in alio indiuiduo.

Respondeo dicendum, quòd dentes informantur, & viuunt animâ totius in quo ſunt. 2. ſicut vngues & capilli. 3. non autem ſemen & lac fœminarum.

Probatur prima pars concluſionis, tum expreſſâ authoritate Ariſtotelis 2. de generatione animalium cap. 4. & D.Th. in 4. d. 44. q. 1. art. 2. ad 3. tum ratione eiuſdem D.Th. loco citato. Dentes habent operationem vitæ, nam nutriuntur & creſcunt per intuſſuſceptionem, ac habent venulas, ſiue exiguos neruos per quos attrahunt alimentum, vt patet ex Anatomiſtis: ergo informantur animâ totius viuentis, quia nihil corporeum poteſt exercere opera vitæ, niſi informetur animâ, quæ eſt radix totius vitæ, & maximè cùm pertineant ad integritatem animalis, animâ ipſius animalis debent informari.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſt. & D.Th. Ariſtot. lib. 3. de anima cap. 15. capillos appellat partes animalis, & lib. 3. de hiſtoria animalium agens de partibus illorum agit etiam de pilis & vnguibus, tanquam de veris partibus. D.Th. autem in 4. d. 44. q. 1. art. 2. ad 3. ſic ait: *Capilli & vngues nutriuntur, & augentur:* Et ſic patet quòd aliquam operationem participant, quod non poſſet eſſe, niſi eſſent partes aliquo modo ab anima perfectæ, & quia in homine non eſt, niſi vna anima, ſcilicet anima rationalis, conſtat quòd animâ rationali perfectæ ſunt.

Secundò probatur ratione D.Th. loco citato, vbi dicit quòd *Anima ſe habet ad corpus, ſicut ars ad artificiatum.* Et poſtea ſic format rationem: *Sicut ars vtitur aliis inſtrumentis ad conſeruationem principalium inſtrumentorum, & hæc ſunt de ſecunda intentione artis, ſicut ars militaris vtitur gladio ad bellum, & vagina ad gladij conſeruationem: ita etiam in partibus corporis animati, quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, ſicut cor, epar, manus, & pes, quædam autem ad conſeruationem aliarum partium, ſicut folia ſunt ad cooperimentum fructuum: ita etiam capilli & vngues ſunt in homine ad cuſtodiam aliarum partium, vnde ſunt de ſecunda perfectione corporis humani, quamuis non de prima.* Hæc D.Th. Deinde in capillis apparent fibræ, ſiue venulæ, vt notant Medici versùs inferiorem partem, per quas cum carne continuantur, & ſugunt alimentum, vnde nutriuntur per intuſſuſceptionem, & creſcere apparent, ſicut & vngues: ergo informantur animâ totius compoſiti.

Probatur tertia pars concluſionis, tum authoritate Ariſtot. 2. de generatione animalium cap. 3. & D.Th. q. 3. de potentia art. 9. ad 9. & in 4. d. 44. q. 1. art. 2. ad 2. tum ratione eiuſdem D.Th. ſemen & lac non pertinent ad integritatem & eſſe indiuidui in quo ſunt, ſed ordinantur ad perfectionem ac conſeruationem ſpeciei in alio indiuiduo, vt patet: nam ex ſemine per actum generationis producitur aliud indiuiduum, ex lacte autem per actum nutritionis nutritur fœtus iam productus: ergo non informantur animâ totius viuentis, nam ea ſolùm, quæ pertinent ad integritatem, & perfectionem indiuidui in quo ſunt, informantur eadem numero animâ.

Ad primum ergo dicendum, quòd dentes viuunt, verè

enim

enim nutriuntur, & crescunt ab intrinseco, & habent suos poros, quibus alimentum suscipiant, sicut & reliqua ossa, quamuis non tam frequentes percipiantur.

Ad secundum dicendum, quòd perfectiores partes animalis sumunt ad sui nutrimentum id, quod est purius in cibo, relinquentes id quod est impurius; quod licèt sit superfluum, & quasi excrementum respectu talium partium, tamen est verum alimentum respectu aliarum imperfectiorum, quales sunt vngues, & capilli: vnde in animali aliqua sunt excrementa omnino inutilia, alia autem ad aliquid deseruientia: sic enim ait D.Th. loco citato: *Ad 1. dicendum quòd illæ superfluitates, ex quibus generantur sudor & vrina, expelluntur à natura quasi ad nihil vtiles, secus autem de aliis superfluitatibus, quas sibi natura retinet ad generationem capillorum & vnguium, quibus indiget ad membrorum conseruationem.* Ad aliud dicendum, quòd capilli crescunt versùs omnem dimensionem, nam in pueris sunt tenuiores, tamen magis crescunt versùs longitudinem propter finem intentum à natura: quòd autem eò plus crescant, quò magis scinduntur, prouenit ex eo, quòd illud superfluum, & quasi excrementum, quo aluntur, facilè conuertatur in substantiam aliti, quò enim viuens participat imperfectiorem gradum vitæ, eò nutritio, & augmentatio fit celeriùs, vt patet in plantis. Quòd autem capilli & vngues plus crescant in senibus, quàm in iuuenibus, prouenit ex hoc quòd illi humores terrei & crassi, quibus aluntur, abundant in senibus propter remissiùm calorem natiuum, capilli autem & vngues, si admittatur quòd crescunt in mortuis, dicendum quòd sicut tantùm æquiuocè sunt capilli & vngues, sic crescunt diuerso modo, scilicet per iuxtapositionem, licèt multi dicant eos in mortuis non crescere, sed tantùm apparere maiores ob extenuationem aliarum partium. Ad aliud dicendum, quòd capilli & vngues Christi Domini fuerunt assumpti à Verbo, fuerunt tamen dimissi quando fuêre separati à corpore Christi, vnde hoc axioma, quod semel assumpsit nunquam dimisit, est intelligendum de partibus principalibus humanitatis, non verò de aliis minùs principalibus, quæ fuerunt separatæ ab humanitate, vt aliqui capilli, aliquid vnguium, & imperceptibiles particulæ carnis, quæ deperdebantur vi caloris naturalis.

Ad tertium dicendum, quòd licèt per se, & ordinariò semen, & lac fiant ex superfluo alimenti, tamen natura in omnibus prouida, vbi videt deficere semen, aut lac necessarium ad conseruationem speciei, ex illo alimento, quod conuertendum erat in substantiam aliti, partem conuertit in semen & lac, sed per accidens, & ex hoc prouenit quòd tales sint debiles, ac macri. Nec dicuntur Spadones manci quia eis semen deest, sed quia eis præscinduntur nerui, qui efficiunt semen, aliàs pueri censerentur manci & imperfecti, quia carent semine.

Articvlvs III.

Vtrùm anima secundùm diuersam substantialiter rationem sit in diuersis partibus corporis?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd anima secundùm diuersam sustantialiter rationem sit in diuersis partibus corporis. Ita tenent Suares tom. 2. Sommæ Theologiæ tract. 3. lib. 1. c. 2. Rouius in præsenti, & alij. Probatur authoritate D.Th. q. de spiritualibus creaturis art. 4. ad 14. vbi sic ait: *Caro mea cum carne tua magis conuenit secundùm rationem speciei, quàm caro mea cum osse meo.* Item q. de anima art. 9. ad 14. ait: *Licet anima sit forma simplex secundùm essentiam, est tamen multiplex virtute secundùm quòd est principium diuersarum operationum, & quia forma perficit materiam non solùm quantum ad esse, sed etiam ad operandum, ideo oportet quòd licèt anima sit vna forma, quòd partes corporis diuersimodè perficiantur ab ipsa, & vnaquæque secundùm quòd competit eius operationi:* Ergo anima secundùm diuersam substantialiter rationem est in diuersis partibus corporis.

¶ 2. Præterea, Viuentia distinguuntur à non viuentibus, quia illa necessariò petunt diuersitatem partium & Organorum, non autem ista, vt patet ex definitione animæ, quæ solis conuenit viuentibus, & est actus corporis Organici: ergo anima secundùm diuersam substantialiter rationem est in diuersis partibus corporis, hæc enim diuersitas Organorum non potest aliunde procedere, quia corpus vt Organicum, cùm vt sic sit proprium subiectum animæ, debet esse intra lineam substantiæ: forma enim per se tantùm respicit subiectum eiusdem ordinis, si sit forma substantialis.

¶ 3. Præterea, modos operandi, quem habet anima in corde, est diuersus speciè ab eo, quem habet in capite &c. nam prout in capite reperitur, emanat sensus tam internos, quàm externos, & operationes illis correspondentes, quæ tamen non facit vt est in corde, sed alias ibi exercet operationes, & cùm modus operandi consequatur modum essendi, in illis diuersis partibus habet diuersum modum essendi: ergo anima secundùm diuersam substantialiter rationem est in diuersis partibus, nam cùm modus essendi, quem habet anima in diuersis partibus corporis, sit substantialis, sicut ipsa, oportet quòd si in illis habet diuersum modum essendi, habeat illum substantialiter diuersum.

4. Præterea, Anima rationalis non tribuit cuilibet parti corporis omnes gradus vitæ, sed his tribuit tantùm esse vegetatiuum, illis verò sensitiuum, vt ex se patet: ergo est, in diuersis partibus corporis humani secundùm diuersam substantialiter rationem: quod etiam conuincitur ex eo, quòd si homini manus abscindatur, natura non potest illam reparare per nutritionem, quod aliunde non procedit, nisi quòd in illa abscissione anima deperdit illum modum substantialem, quem in illa parte habebat.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, & plures alij, vt Fonseca 7. Metaph. cap. 17. q. 1. Conimbricens. 1. de generatione cap. 22.

Conclvsio.

Cùm ratio vltima differentialis animæ sit vnica & simplicissima, anima non est secundùm diuersam substantialiter rationem in diuersis partibus corporis.

Respondeo dicendum, quòd anima quæcumque non est secundùm diuersam substantialiter & specificè rationem in diuersis partibus corporis, sed omnis diuersitas & etherogeneitas in eis reperta prouenit tantùm ex diuersis accidentibus. Probatur authoritate D. Th. 1. p. quæst. 76. art. 5. ad 3. vbi sic ait: *Partes animalis vt oculus, manus, caro, & os, & huiusmodi non sunt in specie, sed totum: & ideo non potest dici propriè loquendo quòd sint diuersarum specierum, sed quòd sint diuersarum dispositionum,* Et art. 8. ad 5. *Vna pars corporis dicitur principalior, quàm alia propter potentias diuersas, quarum sunt Organa partes corporis: quæ enim est principalioris potentiæ Organum, est principalior pars corporis, vel quæ etiam eidem potentiæ principaliùs deseruit.* Item in 4. d. 44. quæst. 1. art. 2. ad 3. docet quòd anima rationalis informat capillos & vngues, non autem perfectè ex hoc præcisè, quia non participant operationem sensûs, sic enim ait: *Et quia in homine non est nisi vna anima, scilicet anima rationalis, constat quòd ab anima rationali perfecta sunt, quamuis non vsque ad hoc, quòd operationem sensûs participent, sicut nec ossa.*

Secundò, repugnat aliquid esse sub aliquo certo & determinato genere, quod non sit sub aliqua certa & determinata specie infima talis generis, vt dictum est in Physicis ex D.Th. & hoc tam in rebus completis, quàm in incompletis, cùm ratio conuincat de vtroque, quia inter genus & indiuiduum mediat species, & similiter inter principia generis & indiuidui necessariò mediant principia speciei, vt talis: sed partes corporis animati putà caro, os, caput &c. sunt re ipsâ sub determinato genere, scilicet sub animali, vt patet: ergo debent esse sub determinata specie infima illius, participando scilicet ab

anima

anima rationali tam eſſe vegetatiuum, quam ſenſitiuum, & intellectiuum radicale: quia ſpecies infima prouenïens ab anima rationali dicit eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationale modo ſupra explicato; nam ſicut anima rationalis per eamdem indiuiſibilem formalitatem abſque vlla virtuali diſtinctione dicit ſecundùm ſuam rationem vltimam peculiarem modum vegetandi, ſentiendi, ac ratiocinandi ſimul, ita quidquid ab illa participat naturaliter ſpecificationem, debet omnes has rationes indiuiſibiliter participare, vel nullam, ac proinde anima non eſt ſecundùm diuerſam ſubſtantialiter & ſpecificè rationem in diuerſis partibus, quia in anima inuoluuntur tantùm tres aſſignatæ rationes cum ratione indiuiduali ipſius. Nec valet duplex ſolutio aduerſariorum: Prima quòd partes, quia indirectè & reductiuè tantùm participant ſpeciem, non participant illam perfectè, nec quidquid intra rationem vltimam differentialem continetur. Secunda quòd anima, licèt ſimpliciſſima, & indiuiſibiliter in ſe continens tres gradus ſubſtantiales aſſignatos, non tamen omnes cuilibet parti communicat propter defectum diſpoſitionum. Nam contra primam eſt. Quòd ſicut pars quantitatis participat totam ſpeciem quantitatis, quia eſſentia illius eſt talis conditionis, vt petat eſſe tota in tota quantitate, & tota in partibus eius, ſic non eſt contra rationem partis ſubſtantiæ, v.g. manûs hominis, quòd participet totam ſpeciem ſubſtantialem illius, quia forma, à qua talis ſpecificatio prouenit, eſt talis naturæ, vt eo ipſo quòd eſt in illa parte ſecundùm ſuam differentiam vltimam, debet eſſe in ea ſecundùm omnia, quæ ſecundùm eamdem rationem dicit, id eſt, ſecundùm quòd tribuit ſpecialem modum radicalem vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi, eo quòd hæ rationes in illa neque etiam virtualiter diſtinguuntur: & per hoc etiam impugnatur ſecunda ſolutio, nam eo ipſo quòd talis forma communicatur ſecundùm vltimam rationem differentialem partibus materiæ, quæ ſunt eiuſdem rationis, vt in ſubiecto connaturali, petit in omnibus eaſdem diſpoſitiones ſecundùm ſpeciem in ordine ad eas ſubſtantialiter informandas, ſiue diuiſibiliter, ſiue indiuiſibiliter: eſt autem diſpar ratio de potentiis vitalibus, nam ſingulæ non toti ſed determinatæ parti communicantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Th. in primo loco ſolùm loquitur de maiori conuenientia ſpecifica accidentali, non verò ſubſtantiali & eſſentiali. Ad alium locum ſimiliter dicendum, quòd tantùm vult animam diuerſimodè perficere partes corporis diuerſitate accidentali non ſubſtantiali, quatenus ab ea diuerſæ potentiæ proximæ & diuerſæ diſpoſitiones accidentales in ordine ad diſtinctas operationes fluunt, vnde addit quòd vnamquamque perficit ſecundùm quòd competit eius operationi.

Ad ſecundùm dicendum, quòd hæc diuerſitas partium in viuentibus eſt tantùm accidentalis, anima autem definitur per corpus Organicum Organiſatione radicali, non verò formali: licèt autem corpus formaliter Organiſatum ſit extra lineam ſubſtantiæ, non tamen vt habet radicalem Organiſationem.

Ad tertium dicendum, quòd operationes ſpecificantur vel ab obiecto, vel à principio proximo de quo infra, vnde cùm in diuerſis partibus corporis ſint diuerſæ potentiæ, quæ ſunt principia proxima operationum, quæ reſpiciunt diuerſa obiecta, non eſt mirum quòd ſit in diuerſis partibus corporis diuerſus ſpecie modus operandi, qui tamen non infert diuerſum ſpecie modum eſſendi, ſed tantùm diuerſum accidentaliter, id eſt, ratione diuerſarum potentiarum: hoc autem anima habet à natura, vt cùm ſit vna ſimpliciſſima, tamen propter ſuam eminentiam poſſit emanare in diuerſis partibus diuerſas potentias & Organa ad exercendas diuerſas operationes, quas naturaliter exigit: nam vna pars corporis non poteſt eſſe Organum ad omnes operationes ob repugnantes diſpoſitiones congruentes diuerſis Organis: niſi autem animæ ſecundùm eamdem rationem ſubſtantialem eſſet principium diuerſorum Organorum in diuerſis partibus, ſed eſſet diuerſæ ſpecie rationis in hac, & in illa parte, verè non eſſet anima, quia in vnitate ſua ſpecifica non eſſet radix diuerſorum Organorum: & inſtrumentorum vitæ, quod tamen neceſſariò exigit anima ex vi naturæ ipſius viuentis, non enim aliunde poteſt aſſignari ratio, cur hæc anima vnita materiæ cauſat caput, cor, manus, brachia, & cætera Organa, tum ſolida, tum fluida, non verò alia anima v. g. vegetatiua tantùm, niſi quòd talis anima, cùm ſit talis naturæ, & exigat ad ſui conſeruationem & perfectionem tales operationes, debet in diuerſis partibus emanare diuerſa Organa ad illas eliciendas, quæ Organa ſunt quaſi proprietates animæ non adæquatæ, hæ ſiquidem poſtularent diuerſa ſpecie principia, cùm ſpecie differant, ſed ſunt inadæquatæ.

Ad quartum dicendum, quòd anima rationalis in actu primo & radicaliter tribuit cuilibet parti corporis omnes gradus vitæ, non autem in actu ſecundo, nam plures diſpoſitiones requiruntur ad iſtud, quæ ad illud non requiruntur: ad iſtud enim requiruntur potentiæ operatiuæ, nec eſſe eſt propter operari, niſi vt habens ſuas potentias immediatè operatiuas, cùm mediis illis, & non aliter ſequatur operatio; vnde anima in qualibet parte eſt principium radicale operandi, non tamen formale, quia natura eius id non exigit, imò ei repugnat. Ad aliud dicendum, quòd tales partes abſciſſas eſſe irrecuperabiles, non prouenit ex fundamento aſſignato, alias nullæ eſſent irrecuperabiles, quod patet eſſe falſum in pueris qui recuperant dentes integros, ſed prouenit ex intrinſeca limitatione, & naturali talis viuentis, ac virtutis eius, & ex peculiari naturæ illius partis excellentioris, ratione cuius prædictum damnum non poteſt reparari.

QVÆSTIO XXXI.

De Potentiis Animæ in communi.



CVm potentiæ ſint proprietates animæ, ſtatim explicatâ eiuſdem eſſentiâ & naturâ, de illis ſequitur agendum, quia tamen plura ad ipſas attinentia in Phyſicis determinata ſunt, quantùm ſcilicet ad ortum ipſarum ab eſſentia, ad diſtinctionem, ſeparationem, & concurſum in operando, ideo in præſenti ſolùm quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm potentiæ animæ ſumant ſuam vnitatem & diſtinctionem ab actibus & obiectis?

¶ Secundò, Vtrùm ſint quinque genera potentiarum vitalium ſiue animæ vt anima eſt?

¶ Tertiò, Vtrùm omnes potentiæ animæ ſubiectentur immediatè in ipſa anima?

Articvlvs I.

Vtrùm potentiæ animæ ſumant ſuam vnitatem & diſtinctionem ab actibus & obiectis?

AD primvm ſic proceditur. Videtur quòd potentiæ animæ non ſumant ſuam vnitatem & diſtinctionem ab actibus & obiectis. Ita tenent Scotus in 2.d.16. quæſt. vnicâ, & aliqui alij. Probatur. Actus ſunt poſteriores potentiis, cùm producantur ab ipſis: ergo potentiæ non ſumunt ſuam eſſentiam, vnitatem, & diſtinctionem ab illis, quia cum actus ſint poſteriores, præſupponuntur ad illos potentiæ cum propria eſſentia, ſpecificatione, vnitate, & diſtinctione, ac proinde neque ſpecificantur ab obiectis, quia obiecta non reſpiciuntur, nec attinguntur à potentiis niſi mediis actibus: maximè quia obiectum eſt ſæpe poſterius ipsâ potentiâ, vt patet in obiecto potentiæ augmentatiuæ, quod eſt maior quantitas.

¶ 2. Præterea, Sæpe obiecta potentiarum eſſentialiter & realiter diſtinctarum ſunt realiter idem, & econtra poſſunt eſſe plura realiter & eſſentialiter obiecta eiuſdem

eiusdem potentiæ: nam intellectus & voluntas habent pro obiecto verum & bonum, quæ sunt realiter idem, quamuis intellectus & voluntas distinguantur: visus autem habet plura obiecta, scilicet album nigrum, & alios colores: ergo potentiæ non habent suam essentiam, vnitatem, & distinctionem ab obiectis, nam si ab eis haberent, distinguerentur realiter & essentialiter iuxta distinctionem prædictorum obiectorum, quod etiam probatur de actibus, nam ab eodem intellectu plures actus distincti specie, non solùm materialiter siue in esse entis, sed etiam formaliter procedunt, sicut actus fidei, scientiæ, opinionis &c. ergo intellectus non habet ab illis propriam vnitatem & distinctionem.

§ 3. Præterea, Ex opposito sequitur quòd habitus & potentia sint eiusdem speciei, cùm habitus etiam per se ordinentur ad obiecta, & ab illis specificentur: sed hoc est manifestè falsum. Nec obstat quòd potentia, & habitus diuersimodè respiciant obiectum, habitus scilicet modo quodam limitato, potentia verò in tota sua latitudine: nam ex hoc sequeretur quòd habitus sit pars subiectiua potentiæ, & quædam species ipsius: nam sicut se habet limitatio in obiecto habitûs ad obiectum potentiæ, sic se habet limitatio in habitu, ad potentiam, obiectum autem habitûs est pars subiectiua obiecti potentiæ, constat autem quòd habitus non sit pars subiectiua potentiæ: ergo potentiæ animæ non sumunt suam vnitatem & distinctionem ab actibus & obiectis.

§ 4. Præterea, Vnitas & distinctio specifica ab vno tantùm debet desumi, sicut enim est vnica, sic vnicum debet esse specificatiuum: ergo vnitas & distinctio specifica potentiarum desumitur, vel ab actibus, vel ab obiectis, & non ab vtroque simul: nec potest dici quòd actus & obiectum reputantur pro vno, ex eo quòd actus ordinatur ad obiectum, & ab illo specificatur: nam contra est, quòd actio specificatur à principio actiuo, non verò à termino, siue ab obiecto.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur communiter, non solùm Thomistæ, sed & alij Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm potentia animæ per se primò sint ordinata à natura ad eliciendos tales actus circa talia obiecta, propterea cuius eisdem proportionantur, necessariè sumunt suam vnitatem & distinctionem ab actibus & obiectis.

RESPONDEO dicendum, quòd potentiæ animæ sumunt suam specificationem, siue vnitatem & distinctionem specificam ab actibus & obiectis formaliter sumptis. 2. sicut & vnitatem ac distinctionem realem ab actibus realiter distinctis, & ab obiectis formalibus, formaliter distinctis. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd licèt præsens difficultas solùm procedat specialiter de potentiis fluentibus ab anima, tamen quæ de his dicentur, possunt proportionaliter applicari ad omnes potentias à quacumque essentia dimanantes: sensus tamen difficultatis non est, an actus & obiecta constituant intrinsecè potentias animæ, & constituendo tribuant illis suam vnitatem & distinctionem, certum est enim actus & obiecta non sic constituere & distinguere potentias, cùm per se & directè pertineant ad distinctas species, & sæpe ad distincta genera: sed sensus est an talis vnitas & distinctio sumatur ab eisdem radicaliter, siue tanquam ab extrinseco specificatiuo, seu re per se inspectâ, ita vt licèt prædicti actus & obiecta non sint quid intrinsecum respectu potentiarum, tamen habitudo illarum ad ipsa sit intrinseca & essentialis, ac ratione eiusdem habeant suam essentiam, vnitatem, & distinctionem. Potentiæ autem vitales animæ, vt docet D.Thom.1.p.q.77. art.3. sunt in duplici differentia: quædam enim sunt passiuæ, aliæ verò actiuæ: passiuæ non dicuntur tales, quasi nihil omnino agant, aliàs non essent potentiæ vitales, sed dicuntur tales, quia priusquam agant, debent pati passione perfectiuâ, & recipere aliquid ab obiecto, ratione cuius possint illud attingere, & hoc modo sensus, ac intellectus dicuntur potentiæ vitales passiuæ, quia priusquam vitaliter agant, recipiunt speciem impressam, mediâ qua tanquam virtute agendi ex parte obiecti se tenente illud percipiunt, vnde obiectum dicitur principium & causa mouens respectu sensationis & intellectionis. Aliæ verò dicuntur actiuæ, quia non oportet vt patiantur antequam agant, siue quòd recipiant aliquid ab obiectis, circa quæ operantur, quia obiectum comparatur ad illas præcisè tanquam terminus & finis per easdem productus: terminus autem, & finis per aliquam potentiam actiuam productus, non est necesse, vt ponat aliquid in eadem potentia, ratione cuius participet vim completam ad operandum & ad attingendum illum: vnde D. Thom. loco citato sic ait: *Obiectum autem comparatur ad actum potentiæ passiuæ sicut principium & causa mouens, color enim inquantum mouet visum, est principium visionis: ad actum autem potentiæ actiuæ comparatur obiectum, vt terminus & finis, sicut augmentatiuæ virtutis obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti.* Idem repetit 2. de anima lect. 6. his verbis: *Omnis enim animæ operatio, vel est actus potentiæ actiuæ, vel passiuæ: obiecta quidem potentiarum passiuarum comparantur ad operationes earum vt actiua, quia reducunt potentias in actum, sicut visibile visum, & omne sensibile sensum; obiecta verò potentiarum passiuarum comparantur ad operationes ipsarum vt fines:* In præsenti autem inquiritur tam de potentiis vitalibus actiuis, quàm de passiuis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles in hoc 2. libro textu 33. sic ait: *Priores potentiis actus, & operationes secundum rationem sunt, & adhuc his priora sunt opposita, siue obiecta:* Ex quo loco D.Thom. 1. p. q. 77. art. 3. probat potentias specificari & distingui ab actibus & obiectis. Et postea subdit: *Potentia secundùm id quod potentiâ est, ordinatur ad actum, vnde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur, & per consequens oportet quòd ratio potentiæ diuersificetur, vt diuersificatur ratio actûs: ratio autem actûs diuersificatur secundùm diuersam rationem obiecti, &c. vnde necesse est quòd potentiæ diuersificentur secundùm actus, & obiecta.* Quòd autem potentiæ non specificantur ab obiectis materialiter, sed formaliter sumptis, ibidem docet. Item 1. p. q. 59. art. 2. ad 2. vbi sic ait: *Potentiæ non diuersificantur secundùm materialem distinctionem obiectorum, sed secundùm formalem distinctionem, quæ attenditur secundùm rationem obiecti.*

Secundò, potentiæ vitales animæ sunt per se primò propter suas operationes, nam potentiæ operatiuæ, cùm sint accidentia, tribuuntur substantiæ à natura propter indigentiam eiusdem substantiæ, non ad hoc vt sit, cùm substantia seipsâ immediatè sit, sitque per se, & ratione sui immediatum principium essendi; sed tantùm tribuuntur à natura, vt sint immediatum principium operandi, quia vt dictum est in Physicis, substantia creata non potest esse immediatè operatiua, vnde potentiæ sunt per se primò institutæ propter operationes eiusdem substantiæ: & ideo per se primò respiciunt easdem operationes, & sunt propter illas: ergo ab illis sumunt suam vnitatem & distinctionem specificam, cùm vnumquodque specificetur ab eo, ad quod secundùm suam essentiam per se primò ordinatur, ita vt illud habeat tum rationem finis, tum etiam rationem causæ formalis extrinsecæ specificantis, vt patet inductione in omnibus respectiuis, & consequenter etiam specificantur ab obiectis formalibus earum, cùm actus ipsi specificentur ab obiectis, quia sunt propter productionem, vel consecutionem eorum, vt etiam patet inductione in omnibus actibus: ac proinde cum potentiæ specificentur & distinguantur per actus, necessariò sumunt suam speciem, vnitatem, & distinctionem saltem mediatè ab eisdem obiectis. Cuius rei duplex signum habetur, primum quia potentiæ debent esse proportionatæ & commensuratæ ad eliciendos actus in ordine ad obiecta, aliàs non deseruirent substantiæ ad tales actus, quòd autem essentialiter petit esse commensuratum alicui, & deseruit essentialiter ad illud, non potest

non habere suum esse in ordine ad ipsum, ac proinde ab illo habet necessariò suam vnitatem & distinctionem specificam. Secundùm est, quòd potentia vitalis vt sic non potest definiri quidditatiuè, nisi per ordinem ad operationem, & obiectum formale quod respicit, cùm tota eius essentia in hoc consistat, quòd sit principium proximum & immediatum, quo viuens seipsum mouet, siue vitaliter operatur circa aliquod obiectum, quod indicat illam habere suam vnitatem & distinctionem specificam ab illis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. qui 1. p. q. 77. art. 3. expressè docet distinctionem realem potentiarum sumi à reali distinctione actuum, & ex hoc principio distinguit in creaturis substantiam à potentia immediatè operatiua, quia hæc est potentia ad operari, illa verò potentia ad esse, esse autem & operari, quæ sunt actus illarum potentiarum, distinguuntur in creaturis: quòd etiam distinctio realis potentiarum desumatur ex distinctione formali obiectorum formalium docet 1. p. q. 59. art. 2. ad 2. vbi sic ait: *Et ideo diuersitas secundum rationem boni & veri sufficit ad diuersitatem intellectûs & voluntatis.*

Secundò, si diuersitas formalis obiectorum & distinctio realis actuum adæquatorum in illa tendentium non sufficit ad distinguendas realiter potentias, non est assignabilis ratio sufficiens, cur ponantur plures potentiæ realiter distinctæ in eodem subiecto, cùm enim earum distinctio non possit sumi ex parte subiecti, habent enim idem commune subiectum, vt patet in intellectu & voluntate, necessariò debet sumi ex parte actuum, ac obiecti formalis, cùm nihil aliud supersit: sed est contra communem sensum Philosophorum dicere, quòd non sit sufficiens ratio multiplicandi realiter potentias: ergo diuersitas formalium obiectorum & distinctio realis actualis actuum adæquatorum ad id sufficiet, & per consequens ex parte obiectorum formalium solùm requiritur distinctio formalis eorum: vnde si aliquando obiecta formalia distinguantur realiter, tunc talis distinctio non requiritur formaliter, & ratione sui ad distinctionem realem potentiarum, sed vel materialiter se habebit, vel solùm desiderabitur ex eo quòd obiecta formalia non possint ratione suæ limitationis habere proprias rationes formales essentialiter distinctas, nisi inter illas sit etiam realis distinctio, vt patet in obiectis externorum sensuum, in quibus tamen præcisè attenditur diuersus modus immutandi, & terminandi potentias, ad hoc vt eliciant distinctos realiter actus adæquatos, vt infra patebit: nam eo ipso quòd talia obiecta formalia sint formaliter distincta, & ad modum immutandi & terminandi, quem habent, requirantur realiter distincta organa, tunc prædicta obiecta sunt radices distinctorum realiter organorum, vt patet inductione in visu, auditu, &c. sicque sunt radices distinctionis realis potentiarum, cùm distinguant realiter organa, & distincta organa petant distinctas potentias.

Ad primum ergo dicendum, quòd actus sunt priores in intentione ipsis potentiis, & hoc sufficit vt ab illis specificentur tanquam à causa finali, nam ipsæ potentiæ essentialiter ordinantur ad suas operationes, tanquam ad finem, licèt in executione sint priores actibus. Idem dicendum proportione seruatâ de obiectis formalibus, nam tam obiecta, quàm actus sunt causa finalis & formalis extrinseca specificatiua potentiarum, quia omnia essentialiter respiciunt causam finalem, licèt non essentialiter respiciant causam efficientem, ad hanc enim non ordinantur sicut ad illam, vnde hæc est magis intrinseca, quamuis sit productiua rei.

Ad secundum dicendum, quòd possunt quidem esse plura obiecta materialia & inadæquata eiusdem potentiæ, adæquatum verò & formale, à quo desumitur vnitas & distinctio potentiæ, est vnicum formaliter, & in esse obiecti: vnde sola distinctio formalis obiectorum formalium est efficiens ad causandam distinctionem realem in potentiis, vt patet in intellectu, & voluntate, qui realiter distinguuntur; & tamen voluntas respicit bonum tantùm formaliter distinctum à vero, quod respicit intellectus: & hoc prouenit, quia distinctio formalis obiectorum non causat distinctionem realem in potentiis per modum constitutiui formalis intrinseci, sed per modum primæ radicis, non requiritur autem tanta distinctio in radice, quanta in ramis, cùm ab eadem procedant multi. Deinde quia hoc ipso quòd obiecta formalia & adæquata ac exigentia actus realiter distinctos, habeant formaliter siue virtualiter distingui, tunc ita realiter respiciuntur à potentiis, ac si non essent inter se identificata, vt ait D.Thom. 1. part. quæst. 77. art. 3. ad 3. vbi sic ait: *Dicendum quòd nihil prohibet id quod est subiecto idem, esse diuersum secundùm rationem, & ideo potest ad diuersas potentias animæ pertinere.* Ad aliud dicendum, quòd est vnicus actus adæquatus cuiuscumque potentiæ, licèt sint multi inadæquati, vnde licèt actus fidei, scientiæ, & opinionis in esse rei, & secundùm suas peculiares rationes considerati distinguantur formaliter specificè, & ita sit in eis quid formale, quo attingant sua obiecta per distincta illa media, hoc tamen totum est materiale respectu illorum, quatenus formaliter attinguntur à potentia, & eam specificant: nam attinguntur à potentia, & eam specificant sub ratione magis eleuata, scilicet intellectionis, siue cognitionis intellectiuæ, in qua omnes illi conueniunt.

Ad tertium dicendum, quòd habitus & potentia non respiciunt idem omnino obiectum, sed formaliter diuersum, quatenus potentia respicit illud sub ratione communiori, & magis extensa, habitus verò sub ratione magis limitata: vnde licèt obiectum potentiæ, & habitûs possint in esse rei comparari per modum rationis superioris & inferioris, & sic obiectum habitûs possit esse pars subiectiua obiecti potentiæ, tamen in esse obiecti vtrumque habet esse vltimatè constitutum in sua ratione vltima specifica, quamuis ratio specifica obiecti potentiæ sit eleuatior & eminentior: vnde sic non possunt comparari per modum rationis superioris & inferioris, siue per modum totius potentialis, & partis subiectiuæ, ac proinde nec habitûs, & potentiæ, quæ specificantur ex obiectis in esse obiecti consideratis.

Ad quartum dicendum, quòd potentia immediatè specificatur per actum, & mediatè per obiectum, & sic pro vno adæquato specificatiuo reputantur: & ad impugnationem dicendum, quòd licèt actus vitalis, v. g. in esse rei specificetur à principio actiuo, à quo elicitur, tamen in esse actûs specificantis formalissimè sumpti essentialiter petit, vt non habeat suam essentiam per ordinem ad potentiam elicientem, sed per ordinem ad obiectum, vt est terminus prædictæ potentiæ: nam sicut potentia specificatur ab obiecto vt à termino, ita respicit suum actum specificantem, vt est id quo prædictus terminus fit vel attingitur: siue breuiùs, actus specificat potentiam, quia in ordine intentionis est prior, potentia quippe est propter actum, quamuis in ordine executionis potentia præcedat actum, & sic aliquo modo dicitur specificare actum, inquantum producit actum talis speciei, sed hoc non est specificare nisi secundùm quid, ordo enim intentionis est principalior.

Articulus II.

Vtrùm sint quinque genera potentiarum vitalium, siue Animæ vt anima est?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd non sint qoinque genera potentiarum, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Probatur. Sunt tantùm tria genera animarum, & quatuor modi viuendi ex Aristotele: ergo etiam sunt tantùm tria, vel quatuor genera potentiarum, cùm potentiæ fluant ab anima, & sint institutæ à natura ad exercenda opera vitæ.

§ 2. Præterea, In parte intellectiua non sunt plu-

res

res potentiæ specie distinctæ, quæ pertineant ad genus intellectiui, nam solùm tepetitur intellectus & voluntas, constat autem quòd non sunt plures species intellectûs humani, voluntas autem pertinet ad genus appetitiui : ergo intellectiuum non constituit peculiare genus potentiarum. Similiter locomotiuum debet reduci ad sensitiuum, intellectiuum, & appetitiuum, quia ex Aristotele, & D. Th. principium mouens in animalibus est sensus, aut intellectus, & appetitus : ergo locomotiuum non constituit peculiare genus potentiarum, & ita non sunt quinque.

§ 3. Præterea, Appetitiuum includitur in omnibus potentiis, quatenus omnis potentia appetit naturaliter suum obiectum, tanquam bonum sibi conueniens : ergo appetitiuum non constituit peculiare genus potentiarum, vel si cōstituit, debet constituere plura genera, ita vt alind sit appetitiuum sensitiuum, aliud intellectiuum, &c.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm sint quinque genera operationum vitalium & obiectorum, circa quæ versantur potentia animæ, sunt quinque genera potentiarum animæ.

Respondeo dicendum, quòd sunt quinque genera potentiarum vitalium, siue animæ vt anima est, videlicet vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, intellectiuum, & appetitiuum. 2. inter quas tepetitur ordo, tum generationis, tum perfectionis.

Probatur prima pars conelusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles in hoc 2. libro cap. 3. sic ait : *Potentias autem dicimus vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, intellectiuum.* Idem docet D.Th. hic lect.5. & 1.p.q.78.art.1. Item q. de anima art.13. & alibi sæpe.

Secundò probatur ratione D.Th. loco citato 1. p. Potentiæ animæ sumunt suam vnitatem genericam ab obiectis, sicut enim obiecta specie distincta causant distinctionem specificam inter potentias, sic obiecta genere distincta causabnnt distinctionem genericam inter easdem potentias, vt constat ex paritate rationis, quæ fundatur in hoc quòd potentiæ dicunt essentialem ordinem ad sua obiecta : sed quinque sunt genera obiectorum, circa quæ potentiæ animæ versantur, in triplici ordine : primus quippe ordo, & minus communis dicit corpus vnitum vel intussusceptum, in quod semper anima vegetatiua operatur, & huic correspondent potentiæ vegetatiuæ. Secundus importat aliud obiectum vniuersalius, scilicet corpus sensibile, licèt non sit per se ipsum vnitum viuenti, sed per sui imaginem seu speciem, circa quod versantur potentiæ sensitiuæ. Tertius denique dicit aliud obiectum magis vniuersale ambiens non solùm corpus vnitum & sensibile, sed etiam quodcumque ens, & huic correspondet potentia intellectiua: quia tamen potentia sensitiua & intellectiua versantur non solùm circa coniuncta, sed etiam circa remota, ideo obiectum vtrinsque debet habere aliam rationem terminandi potentias animæ & eius actus, quatenus scilicet est bonum animalis nondum re ipsa possessum, vel secundùm quòd terminat actum intentionis, & illud vt sic respicit potentia appetitiua, vel quatenus idem bonum terminat executionem & acquisitionem sui, & illud vt sic respicit potentia locomotiua : ergo sunt quinque assignata genera potentiarum.

Tertiò, tot sunt genera potentiarum, quot genera operationum vitalium, cum sicut potentiæ sumunt suam vnitatem & distinctionem genericam & specificam ab vnitate & distinctione generica & specifica obiectorum mediatè, sic immediatè sumunt ab vnitate & distinctione generica & specifica operationum siue actuum, vt dictum est : sed sunt quinque genera operationum vitalium, quod sic explicat D.Th. *Ex viuentibus vegetabilia tantùm habent esse satis materiale, & ita limitatum, vt tantùm possint habere id quod ex se sunt, non verò possint fieri alia, quamuis habeant aliquam eleuationem supra non viuentia, possunt enim esse principium mouendi & immutandi seipsa. Alia viuentia habent esse magis eleuatum & immateriale propter quod possunt recipere formas intentionales & immateriales, quibus mediis fiant quodammodo, & in esse intentionali alia res. Alia viuentia, quia adhuc sunt perfectiora, recipiunt has species omnino spirituales, & sunt alia nobiliori & vniuersaliori modo, scilicet in esse intelligibili.* Quia autem ex vnaquaque forma sequitur aliqua inclinatio, & ex inclinatione operatio, ideo sunt quinque genera operationum vitalium. Prima est operatio vegetatiua, quæ correspondet primo ordini viuentium. Secunda est sensatio, siue cognitio sensitiua, quæ correspondet secundo ordini viuentium. Tertia est intellectio, siue cognitio intellectiua, quæ correspondet tertio ordini : ad cognitionem verò tum sensitiuam, tum intellectiuam consequitur sua proportionata inclinatio, quæ vt docent Philosophi, est appetitus vitalis, & in actu secundò, siue sensibilis siue intellectualis, qui est quartum genus operationis vitalis, ex hac tandem inclinatione sequitur vltimum genus operationis vitalis, scilicet motus localis ordinatus ad consequendum id, quod appetitum est : ergo etiam sunt quinque genera potentiarum assignata.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. 1. part. quæst. 77. artic. 4. vbi dicit, quòd est triplex ordo inter potentias. Duo considerantur secundùm dependentiam vnius potentiæ ab altera ; tertius autem accipitur secundùm ordinem obiectorum : dependentia autem est duplex in potentiis : prima est ordine naturæ, prout perfecta sunt naturaliter priora imperfectis, & sic potentiæ intellectiuæ sunt priores sensitiuis, nam dirigunt eas & imperant eis, & sensitiuæ vegetatiuis : quæ nobilitas & perfectio attenditur penes perfectiorem & magis immaterialem modum attingendi obiecta, siue penes obiecta in ratione obiecti, non verò in esse rei, quia obiectum potentiarum vegetatiuarum vt nutritiuæ & generatiuæ, est substantia, ac proinde perfectius in esse rei obiectis sensitiuarum, quæ sunt accidentia. Secunda est ordine generationis, prout ex imperfectis ad perfectum venitur, & sic potentiæ animæ nutritiuæ sunt priores potentiis animæ sensitiuæ, & sensitiuæ sunt priores intellectiuis. Tum quia natura incipit ab imperfectioribus, tum quia potentiæ vegetatiuæ præparant corpus, & debita Organa ad exercenda opera vitalia sensitiuæ partis, & sensitiua debet esse perfecta, vt deseruiat intellectioni, quæ dependet à phantasia, & phantasmatibus : cuius ratio est, quia anima licèt sit vnica & simplicissima, tamen quia est formaliter eminenter vegetatiua & sensitiua vt dictum est, continétque alios superiores gradus, ad exigentiam naturæ communicat se priùs prioritate naturæ materiæ secundùm gradus magis potentiales & imperfectos, ac proinde eadem prioritate emanat potentias conuenientes illis gradibus : quantùm tamen ad intellectuales potentias, quæ non sunt Organicæ hæc comparatio non tenet, nisi respectu eorum actuum, nam istæ potentiæ, cùm debeantur animæ secundùm se, vt est substantia intellectualis, cùm priùs naturâ anima sit creata, quàm materiæ infusa, sic priùs emanat potentias intellectuales. In tertio etiam ordine ratione obiectorum inuenitur prioritas & posterioritas tum perfectionis, tum generationis inter aliquas speciales potentias : nam Phantasia, v. g. est prior sensu communi in perfectione, quia habet perfectius obiectum, tamen posterior viâ generationis, quia obiectum phantasiæ dependet à sensu communi, & sic de aliis.

Ad primum ergo dicendum, quòd non ex eodem, sed ex diuerso capite desumitur multiplicitas animarum, modorum viuendi, siue graduum viuentium, & potentiarum vitalium: nam numerus animarum desumitur ex modis generalibus excedendi formas naturales, graduum verò viuentium ex modis viuendi, quorum vnus est sine alio :

potentiarum denique vitalium ex diuerſitate operationum vitalium & obiectorum, poteſt autem eadem anima eſſe principium diuerſarum potentiarum.

Ad ſecundum dicendum, quòd intellectiuum eſt etiam genus, quia continet intellectum agentem & intellectum poſſibilem ſpecie diſtinctos. Ad aliud dicendum, quòd aliqui conſtituunt potentiam locomotiuam in aliqua potentia executiua motûs diſtincta à potentia cognoſcitiua & appetitiua, quamuis hic motus ſubordinetur & imperetur ab his duabus potentiis, quod videtur docere D.Th.quæſt.de anima art.13. ad 13. ſic enim ait: *Dicendum quòd intellectus & appetitus mouent ſicut imperantes motum, ſed oportet eſſe potentiam motiuam, quæ motum exequatur, ſecundùm quam ſcilicet membra ſequuntur imperium appetitûs & intellectûs, vel ſenſus:* Quod etiam docet quæſt.6. de potentia art.3. ad 2. alij verò cum eodem D.Th.3.de anima lect.5.dicunt quòd in brutis phantaſia & appetitus ſenſitiuus ſunt principium motûs localis & vitalis eorumdem: in hominibus autem intellectus & appetitus rationalis: hinc tamen non ſequitur non eſſe quinque genera potentiarum animæ, non enim eſt neceſſe, vt omnes hæ potentiæ diſtinguantur realiter, ſed ſufficit quòd formaliter & virtualiter: quamuis inter alias ſit diſtinctio realis: hic ſecundus modus dicendi videtur eſſe conformior D.Th. vnde plures Thomiſtæ illum ſequuntur, inter quos adhuc eſt differentia, nam aliqui volunt quòd Intellectus ſit tantùm dirigens motum, & ita ſit cauſa remota & mediata, appetitus autem cauſa proxima & immediata per ſuum actum efficacem virtualiter tranſeuntem, alij econtra volunt quòd appetitus ſit cauſa remota motûs, inquantum applicat intellectum ad efficaciter illum imperandum, qui actus imperij eſt virtualiter tranſiens, intellectus autem cauſa proxima & immediata: ſed determinabitur hoc alibi. Huic verò ſecundo modo dicendi non aduerſatur quod ex eodem D.Th. relatum eſt, nam ipſemet ſe explicat 2. contra gentes cap.82. vbi ſic ait: *Non mouet anima brutalis niſi per ſenſum & appetitum: nam virtus, quæ dicitur exequens motum, facit membra eſſe obedientia imperio appetitûs: vnde magis ſunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quàm virtutes mouentes.* Item 1. part. quæſt. 75. art. 3. ad 3. ait: *Vis motiua exequens motum eſt per quam membra corporis redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non eſt mouere, ſed moueri, vnde membra non obediunt appetitui ad motum eo modo, quo oculus ad videndum:* Nec etiam contrariatur D.Th. dum 1. part. quæſt. 78. artic. 1. ad 4. videtur ſenſui & appetitui tantùm attribuere imperium reſpectu motûs, nam per imperio intelligit ipſam motionem efficacem, quia intellectus vel ſenſus & appetitus mouent efficaciter corpus ſecundùm locum, & cui corpus non reſiſtit, ſed obedit mediante illâ virtute paſſiuâ exiſtente in membris, qua redditur habile. Igitur idem actus realiter appetitûs, vt eſt immanens, & appetitio obiecti, correſpondet appetitiuo; vt verò habet efficacitatem ad mouenda membra, & ratione illius eſt virtualiter tranſiens, ac connotat motum localem animalis, vt effectum eiuſdem appetitûs, correſpondet appetitiui, vt eſt potentia locomotiua: hic tamen modus mouendi localiter non conuenit niſi appetitiui perfecto & perfectorum animalium, quamuis appetitus imperfectus proportionali modo moueat motu dilatationis & conſtrictionis.

Ad tertium dicendum, quòd licèt appetitus innatus, qui eſt quoddam pondus naturale ad proprium obiectum, & conſequitur ad formam naturalem, conueniat omnibus potentiis, non tamen appetitus elicitus, id eſt, per modum actûs ſecundi vitalis, & modo ſibi debito conſequentis ad formam apprehenſam, de quo ſolo hîc agitur, & ideo reſpectu illius propter adductas rationes debet aſſignari quoddam genus potentiæ vitalis, vt D.Th. 1.part. quæſt.78. art.1. ad 3. ſic docet: *Appetitus naturalis eſt inclinatio cuiuſlibet rei in aliquid ex natura ſua, vnde naturali appetitu quælibet potentia deſiderat ſibi conueniens: ſed appetitus animalis conſequitur formam apprehenſam, & ad huiuſmodi appetitum requiritur ſpiritualis animæ potentia.* Et licèt inter appetitum ſenſitiuum, & intellectiuum ex vna parte, & inter virtutem cognoſcitiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam ſit proportio quoad conuenientiam, & diſconuenientiam, eſt tamen fundamentum cur ſenſitiuum, & intellectiuum ſint duo genera potentiarum cognoſcitiuarum, non verò appetitiuum: nam potentia appetitiua, tum ſenſitiua, tum intellectiua in hoc conueniunt quòd ferantur in rem ſingularem, vt infra dicetur, quod non accidit in potentiis cognoſcitiuis: nam intellectus eſt vniuerſalium, & ſenſus ſingularium: deinde appetitus intellectiuus eſt infima ſpecies, quatenus eſt potentia animæ rationalis: vnde non conſtituit peculiare genus.

Articvlvs III.

Vtrùm omnes potentiæ animæ ſubiectentur immediatè in ipſa Anima?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd omnes potentiæ animæ ſubiectentur immediatè in ipſa anima. Ita tenet Scotus in 2. d.32. q.3. & alij. Probatur authoritate D.Auguſt. qui 12. ſuper Geneſim ad litteram cap.46. ait: *Non corpus, ſed anima ſentit per corpus, quo tanquam nuntio anima ipſa vtitur:* Ergo cùm actus ſentiendi ſint à ſola anima immediatè, neceſſariò in ipſa ſubiectantur potentiæ ſenſitiuæ, & conſequenter aliæ, cùm ſit par ratio de omnibus.

§ 2. Præterea, Potentiæ omnes dimanant immediatè ab anima, vt veræ eius proprietates vitales: ſed de ratione proprietatis vitalis eſt, quòd immediatè ſubiectetur in eo, à quo immediatè vitaliter dimanat, cùm debeat eſſe coniuncta cum ſuo primo & radicali principio: ergo omnes potentiæ animæ ſubiectantur immediatè in ipſa anima.

§ 3. Præterea, Potentia motiua immediatè ſubiectatur in anima, aliàs anima ſeparata non poſſet ſe ipſam mouere, ſi talis potentia eſſet in aliqua parte corporis, nec omnes partes poſſent moueri, cuius contrarium experimur: ſed eſt par ratio de potentia locomotiua, ac de aliis: ergo omnes potentiæ animæ ſubiectantur immediatè in ipſa anima.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm anima rationalis operetur immediatè operationibus non organicis, ita vt tales operationes ei immediatè attribuantur, totum verum compoſitum operatur operationibus Organicis, potentiæ non Organicæ immediatè ſubiectantur in anima, Organicæ verò in toto compoſito.

Respondeo dicendum, quòd potentiæ non Organicæ ſubiectantur immediatè in ipſa anima rationali, cuius ſunt potentiæ 2. Organicæ verò in coniuncto ex corpore & anima 3. nulla autem in ſola materia prima. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt potentias vitales eſſe in duplici differentia, quædam enim ſunt Organicæ, quæ ſcilicet medio Organo corporeo tanquam inſtrumento coniuncto exercent ſuas operationes, vt potentia viſiua mediante oculo. Aliæ ſunt non Organicæ, quæ ſcilicet non operantur per Organum corporeum, eo quòd ſunt potentiæ purè ſpirituales, ac proinde propter eminentem ſuam perfectionem & eleuationem ſupra materiam non poſſunt dependere à corpore in ſuo eſſe, neque per illud tanquam per Organum & inſtrumentum coniunctum operari, & huiuſmodi potentiæ ſunt intellectus & voluntas.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. 1.p.q.77.art.5.vbi ſic ait: *Manifeſtum eſt autem ex ſupradictis, quòd quædam operationes ſunt animæ, quæ exercentur ſine Organo corporali, vt intelligere, & velle: vnde*

de potentia, quæ sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut in subiecto.

Secundò probatur ratione D.Th. loco citato. Illud est subiectum (quod) immediatum potentiarum vitalium, quod per se primò, & vt quod per illas operatur: nam cùm potentiæ vitales sint operatiuæ, & tribuant per se primò suum effectum formalem suo proprio & connaturali subiecto (quod) necessariò illud est subiectum (quod) earumdem, cui per se primò conuenit per illos operari: sed anima rationalis est, quæ per se primò, & vt quod intelligit, & vult per intellectum & voluntatem, quæ sunt potentiæ non Organicæ: nam cùm anima rationalis existat & subsistat vt quod, vt infra dicetur, & sit naturæ intellectualis, intelligit, & vult vt quod: & hoc manifestè apparet in eius separatione, nam subsistit, existit, & intelligit, ac vult vt quod: ergo potentiæ non Organicæ subiectantur immediatè in anima, alioquin amitteret eas in ipsa separatione, sicut amittit Organicas, quia destruitur totum compositum, in quo subiectabantur immediatè. Nec his contrariantur Aristot. dum 1. de anima cap. 4. ait: *Melius fortassis non dicere animam misereri, aut addiscere, aut intelligere, sed hominem per animam*: Et D.Thom. 1. part. quæst. 75. art. 2. ad 2. dum ait: *Potest dici quòd anima intelligit, sicut oculus videt, sed magis propriè dicitur quòd homo intelligit per animam.* Dicendum est enim cum Caietano 1.part.quæst.77. art.5. & nostris Complutensibus in præsenti, quòd aliquid potest esse dupliciter principium (quod) alicuius operationis: primò ita vt ratione sui, & non per communicationem ab alio tanquam à principio formali realiter à se distincto hoc habeat, & nihilominus sit simul forma, & ratio, qua aliquid easdem operationes eliciat vt quod. Secundò ita vt ratione alicuius principij formalis in illo inclusi, & ab eodem realiter distincti, & operantis vt quod, hoc ipsum participet: inter hos duos modos principij (quod) reperiuntur duo discrimina, primum est, quòd illud, quod est principium priori modo, habet per se primò, & immediatè esse principium (quod) non verò illud, quod est principium posteriori modo, nam solùm secundariò, & mediante priori principio elicit operationes: secundum est, quòd principium (quod) priori modo licèt possit esse subsistens vt quod, non tamen potest esse suppositum, aut persona, quia ad subsistendum vt quod, non requiritur vt subsistens habeat naturam integram & completam, secus autem ad hoc vt sit suppositum, siue persona: vnde quando Arist. & D.Th. dicunt potiùs totum hominem, quàm animam intelligere &c. vt quod, loquuntur de principio (quod) posteriori modo & per modum suppositi, aut personæ, non verò de principio (quod) priori modo: secundùm quam rationem potiùs anima, quàm totus homo intelligit, & vult: vnde potentiæ non Organicæ, scilicet intellectus & voluntas debent animæ per se primò inesse, homini autem non nisi secundariò & mediatè, inquantum includit animam rationalem, vt formam sui, cui per se primò insunt, cùm per se primò per illas operetur.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. 1.p.q.77. art.5. vbi sic ait: *Quædam verò operationes sunt animæ, quæ exercentur per Organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem, & simile est de omnibus aliis operationibus nutritiuæ & sensitiuæ partis: & ideo potentiæ, quæ sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, & non in anima sola.*

Secundò probatur eadem ratione D.Th. illud est subiectum (quod) potentiarum vitalium, quod per se primò, & vt quod per illas operatur, vt dictum est: ideo enim ignis est subiectum (quod) caloris, quia est id, quod per se primò per illum calefacit vt quod: sed coniunctum ex anima & corpore est id, quod per se primò, & vt quod per potentias Organicas operatur, vt colligitur ex hoc quòd operatio potentiarum Organicarum, cum sit corporea, & dependens à materia, non potest non exerceri medio Organo corporeo, & ita à sola anima non potest exerceri: ergo potentiæ Organicæ eliciti(u)æ talis operationis immediatè subiectantur in coniuncto ex corpore & anima.

Tertiò, potentiæ Organicæ non subiectantur in sola materia, nec in sola anima, tum quia sunt corporeæ, & extensæ, ac proinde præsupponunt in subiecto immediato (quod) quantitatem, sicut & alia accidentia corporea, & exigunt etiam certas dispositiones, vt per eas possit elici operatio: constat autem quòd quantitas, & reliquæ dispositiones materiales non sunt, nec in sola materia, nec in sola anima, sed in toto coniuncto. Tum etiam quia si subiectarentur in sola materia, remanerent remanente suo subiecto post destructionem coniuncti: si autem in sola forma rationali, remanerent in ipsa separata, sicut remanent aliæ non Organicæ, quod tamen si est falsum: si verò in solis aliis animabus brutorum, sequeretur quòd tales animæ essent ex se independenter à corpore operatiuæ, ac proinde separabiles à corpore: ex modo enim operandi colligimus modum essendi, nec modus operandi potest esse nobilior modo essendi: ergo potentiæ organicæ subiectantur in toto coniuncto ex anima & corpore. Ex dictis manifesta est tertia pars conclusionis: sufficit autem quòd anima rationalis sit coreorea, vt quo, ad hoc vt possit esse subiectum (quo) accidentium corporeorum, inquantum est principium formale constitutiuum subiecti (quod:) materia etiam est subiectum (quo,) inquantum est principium materiale constitutiuum subiecti (quod.)

Ad primum ergo dicendum cum D.Thom. 1.p.q. 77. art. 5. ad 3. quòd S. August. non loquitur assertiuè, sed solùm referendo opinionem Platonis, qui dicebat quòd sentire esset propria solius animæ operatio, sicut & intelligere: in multis enim, quæ ad Philosophiam pertinent August. vtitur opinionibus Platonis, non asserendo, sed recitando.

Ad secundum dicendum, quòd licèt omnes potentiæ vitales oriantur, vt proprietates ab anima, vt à principio (quo) non tamen oriuntur vt à principio (quod,) sed à toto composito: vnde solæ non organicæ, quæ ab illa vt à principio (quod) oriuntur, in illa immediatè subiectantur, aliæ verò, scilicet organicæ, quæ ab illa vt à principio (quo) tantùm oriuntur, non possunt in illa subiectari, vt in subiecto (quod) sed solùm vt in subiecto (quo.)

Ad tertium dicendum cum Bannes 1.p.quæst.77.art.5. dub.1. ad 3. quòd anima humana, cùm in nulla re corporali possit operari, nisi in proprio corpore, & hoc per solam informationem, manifestè sequitur quòd dum non informat corpus, nullo modo possit localiter moueri: quare dum homo moritur, solùm ab extrinseco potest anima moueri. Vel dicendum cum aliis, quòd licèt anima rationalis ratione suæ conditionis naturalis non petat in statu separationis moueri ab intrinseco, tamen ratione eiusdem status ei communicatur: sicut ei infunduntur species intelligibiles, quamuis eius natura id non exigat, & ita mouent se sicut Angeli: maximè quia vt dictum est, potentia motiua in recto dicit intellectum, aut sensum, & appetitum, quamuis ad mouendum corpus requiratur quædam habilitas in omnibus membris, cuius signum est, quòd quando membra remouentur à sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum.

QVÆSTIO XXXII.

De Anima vegetatiua eiusque Potentiis.

Post considerationem animæ in communi, statim ageodum est de ipsa in particulari, & primo de anima vegetatiua, quæ prior est aliis, vt pote communior, & in aliis inclusa, non tamen omnia ad eius potentias & operationes attinentia discutientur, cùm plura iam discussa sint in libris de generatione & corruptione, vnde in præsenti quæruntur quinque.

§ Primò, Vtrùm sint tres operationes animæ vegetatiuæ, scilicet nutritio, augmentatio, & generatio?

¶ Secundò, Vtrùm generatio ſit operatio animæ vegetatiuæ connaturalior viuenti?

¶ Tertiò, Vtrùm ſint tres potentiæ animæ vegetatiuæ correſpondentes his operationibus, ſcilicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua?

¶ Quartò, Vtrùm alimentum ſit materia circa quam harum potentiarum?

¶ Quintò, Vtrùm potentia nutritiua ſit quid diſtinctum à temperamento primarum qualitatum, & calore naturali?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſint tres operationes animæ vegetatiuæ, ſcilicet nutritio, augmentatio, & generatio?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd tres aſſignatæ operationes non ſint propriæ animæ vegetatiuæ. Probatur. Generatio non conuenit omni habenti animam vegetatiuam, vt docet Ariſt. in hoc 2. libro cap.4. ait enim quòd viuentia imperfecta mutilata,& genita ex putri materia non generant ſibi ſimile: & econtra ignis,qui non habet animam vegetatiuam, generat ſibi ſimile: ergo generatio non eſt operatio propria animæ vegetatiuæ.

§ 2. Præterea, Multa non viuentia nutriuntur & augentur vt conſtat in igne: ergo nutritio & augmentatio non ſunt operationes propriæ animæ vegetatiuæ.

§ 2. Econtra, Videtur quòd ſint plures operationes animæ vegetatiuæ, quàm tres aſſignatæ, nam præcedunt nutritionem attractio cibi in ſtomachum, eius concoctio, digeſtio, expulſio excrementorum, quas conſtat eſſe diſtinctas à tribus prædictis, cùm non terminentur ad corpus viuum ſicut illæ tres.

SED CONTRA eſt authoritas Philoſophi,& D.Th.quos communiter ſequuntur omnes eorum interpretes.

CONCLVSIO.

Cùm obiectum animæ vegetatiuæ ſit corpus viuens, tres operationes prædictæ ſunt propriæ animæ vegetatiuæ.

RESPONDEO dicendum, quòd nutritio & augmentatio ita ſunt propriæ animæ vegetatiuæ operationes, vt omni, & ſoli conueniant. 2. generatio autem propriè ſumpta, quamuis non conueniat omni, conuenit tamen ſoli. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt viuentia eſſe in triplici differentia, nam quædam adeo ſunt perfecta, vt nunquam ex putrefactione, ſed ex partu virtute ſeminis concurrente etiam virtute cœleſti efficiantur, vt homo, equus &c. hoc autem procedit, vt ait Ariſtot. quia hæc viuentia ob ſui perfectionem poſtulant, vt non breuiter, ſed longo tempore, pluribúſque diſpoſitionibus eorum efformatio fiat. Alia verò ſunt, quæ ob ſui imperfectionem ſemper ex putri materia generantur, vt vermes, anguillæ &c. ad hoc concurrente lumine,& calore Solis, qui eſt veluti ſemen reſpectu talis generationis, de quibus agit Philoſophus libro de hiſtoria animalium cap.15. & 16. Alia denique ſunt viuentia quaſi media, quæ modò per veram generationem, modo ex putri materia fiunt, vt mures, veſpæ &c. de quibus meminit Ariſtot.7. Phyſicor. cap.7. omne igitur, & ſolum viuens nutritur & augetur ab intrinſeco, non tamen omne quamuis ſolum viuens generat generatione propriè dictâ, qua viuentia ſecundo loco numerata propter ſui imperfectionem non generant, bene autem alia primo,& tertio loco recenſita.

Probatur concluſio quoad vtramque partem authoritate Ariſtot. & D.Thom. D.Th. 1.p. q.78. art. 2. referens Philoſophum ſic ait; *Sed contra eſt quod Philoſophus dicit in 2. de anima, quòd opera huius animæ ſcilicet vegetatiuæ ſunt generare,& alimento vti, & iterum augmentum facere.* Idem docet in hoc 2. libro lect.9. vbi ſic ait: *Prima eius operatio eſt nutritio, per quam ſaluatur aliquid vt eſt: ſecunda autem operatio eſt augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem ſecundùm quantitatem: tertia autem eſt generatio.* Idem docet q. de anima art.13. & alibi.

Secundò probatur ratione Ariſtot. & D.Thom. obiectum animæ vegetatiuæ, de qua loquimur, eſt corpus viuens per illam, nam finis vegetatiuæ, vt habet virtutem operatiuam, eſt conſeruatio proprij eſſe,ſiue in indiuiduo, ſiue in ſpecie, & ita obiectum illius eſt corpus viuens per animam vegetatiuam, ſiue idem numero, ſiue idem ſecundùm ſpeciem, nam per corpus ſic ſumptum conſeruatur proprium eſſe vegetatiuum, tam in indiuiduo quàm in ſpecie: ſed ad huiuſmodi corpus requiruntur tres aſſignatæ animæ operationes, & ſufficiunt: nam neceſſaria eſt vna operatio, per quam eſſe acquirat, ſcilicet generatio, vt ita ſpecies vegetatiui in eo conſeruetur: alia verò per quam in eſſe indiuiduali conſeruetur, ſcilicet nutritio, ratione cuius id, quod de propria ſubſtantia vi caloris naturalis deperditur, inſtauratur: alia tandem, per quam ad debitam quantitatem requiſitam ad illius operationes rectè exercendas perducatur,ſcilicet augmentatio, nec aliud operationis genus, vt diſcurrenti patet, deſiderari videtur: ergo ſunt tres aſſignatæ operationes propriæ animæ vegetatiuæ.

Ex dictis licèt colligere definitionem animæ vegetatiuæ, ſi enim communiſſimè ſumatur, definitur quòd ſit primum principium,quo viuens nutrit & auget ſeipſum: ſi verò ſumatur ſtrictiùs, prout contrahitur ad viuens primi & tertij generis, definitur quòd ſit primum principium nutriendi & augendi ſe, ac generandi aliud viuens ſibi ſimile ſecundùm ſpeciem,quæ definitiones ſunt optimæ, cùm tradantur per operationes proprias talis animæ: poſſunt etiam rectè, licèt non adæquatè, tradi per vltimam & perfectiorem actionem, & ita anima vegetatiua communiſſimè ſumpta definitur, quòd ſit primum principium, quo viuens auget ſeipſum: ſtrictiùs verò ſumpta, quòd ſit primum principium generandi aliud viuens ſimile ſibi ſecundùm ſpeciem: & ita definit Ariſtoteles in hoc 2. libro textu 49. vbi ſic ait: *Erit vtique prima anima generatiuum talis, quale ipſum eſt:* Et inferiùs dans rationem iſtius ait: *Quoniam autem à fine appellari omnia iuſtum eſt, finis autem eſt generaſſe, quale ipſum, erit vtique anima generatiuum:* Quod ibidem explicat egregiè D. Thom. his verbis lect. 9. *Ad cuius definitionis intellectum ſciendum eſt, quòd inter tres operationes animæ vegetabilis eſt quidam ordo, nam prima eius operatio eſt nutritio, per quam ſaluatur aliquid vt eſt: ſecunda autem operatio & perfectio eſt augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem, & ſecundùm quantitatem, & ſecundùm virtutem: tertia autem perfectiſſima & finalis eſt generatio, per quam aliquid iam in ſeipſo quaſi perfectum exiſtens alteri eſſe & perfectionem tradit, tunc enim vnumquodque maximè perfectum eſt, vt in 4. Meteororum dicitur, cùm poteſt facere alterum tale, quale ipſum eſt. Quia igitur iuſtum eſt, quòd omnia definiantur & denominentur à fine, finis autem operum animæ vegetabilis eſt generare alterum tale, quale ipſum eſt, ſequitur quòd ipſa ſit conueniens definitio primæ animæ, ſcilicet vegetabilis, vt ſit generatiua alterius ſimilis ſecundùm ſpeciem.* Eumdem exceſſum & proportionem quam ponit hic D.Th. inter has operationes,ponit etiam 1.p.q.78. art. 2. inter potentias eis correſpondentes, & concludit potentiam generatiuam eſſe perfectiſſimam, principaliorem, & finem aliarum: eſt enim rei iam perfectæ facere alterum, qualis ipſa eſt, vnde dicit quòd generatiuæ deſeruiunt, & augmentatiua, & nutritiua: augmentatiuæ verò nutritiua: & ſubdit quòd generatiua, vt pote perfectiſſima accedit ad dignitatem potentiæ ſenſitiuæ,cùm agat ad extra, ſupremum enim inferioris naturæ attingit id, quod eſt infimum ſuperioris.

AD primum ergo dicendum, quòd generare ſibi ſimile non eſt operatio, quæ conueniat omni viuenti, vt dictum eſt, conuenit tamen ſoli, prout generatio ſumitur propriè, vt docet D.Thom. 1.p.q.78. art.2. ad 2. ſic enim ait: *Dicendum quòd generatio in rebus inanimatis eſt totaliter ab extrinſeco, ſed generatio viuentium eſt quadam altiori modo per aliquid ipſius viuentis, quod eſt ſemen, in quo eſt aliquod principium corporis formatiuum.*

Item

Item in hoc 2. libro sect. 7. *Generare est opus animæ vegetatiuæ, & dicitur naturalissimum, quia in hoc conuenit etiam cum aliis rebus inanimatis, qua generationem habent, licèt alio modo, habent enim inanimata generationem ab extrinseco generante, sed viuentia à principio intrinseco, inquantum generantur ex semine, quod proficit in rem viuam, ac proinde sola generatio viuentium est actio vitalis & immanens, alia verò generatio est actio transiens in externam materiam.* Generatio autem propria dicitur fieri ab intrinseco, quatenus generans incipit opus generationis formando semen de superfluo alimenti, vt docet D.Thom. 1.p. q. vltimâ art. vltimo.

Ad secundum dicendum sicut supra quòd ignis,& alia inanimata non nutriuntur, nec augentur ab intrinseco, siue per intussusceptionem, & per virtutem ad hoc à natura determinatam, sicut viuentia, sed tantùm ab extrinseco, & per iuxtapositionem.

Ad tertium dicendum, quòd illæ operationes assignatæ continentur sub tribus istis, non quidem vt partes subiectiuæ, sed tanquam aliquid quod ad easdem reducitur, ex eo quòd illis deseruiunt, & ad illas ordinantur: vnde etiam in opere generationis reperiuntur aliæ actiones,vt ex Galeno refert D.Thom. opusc.43. vt seminatio, in qua duo includuntur, scilicet productio, & præparatio seminis in propriis vasibus, & emissio eius ad locum aptum generationi: & similiter interuenit ibidem immutatio, & dispositio partium seminis, ex quibus fœtus est formandus permiscendo semina, & alterando illa, ac tandem formando ex eisdem fœtum.

Articvlvs II.

Vtrùm generatio sit operatio animæ vegetatiuæ connaturalior viuenti?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd generatio sit operatio animæ vegetatiuæ connaturalior viuenti,eo quòd sit perfectissima inter omnes, ita tenent aliqui. Probatur. Generatio est productio substantiæ totalis præsupponens generans in statu perfecto, nutritio autem est partialis aggeneratio, & fit à viuente etiam imperfecto,& similiter augmentatio est productio partialis, & maioris quantitatis: sed quò operationes alicuius naturæ sunt perfectiores,eò sunt magis illi connaturales: nam ideo homini est magis connaturale intelligere,quàm sentire, quia intelligere est perfectior operatio: ergo generatio est operatio animæ vegetatiuæ connaturalior viuenti, eo quòd sit perfectissima inter omnes.

§ 2. Econtra, Videtur quòd generatio sit operatio animæ vegetatiuæ connaturalior viuenti, non quia sit perfectior eius operatio, nec quia anima vegetatiua vehementiùs in eam inclinet, sed per hoc præcisè, quia maximè prouenit à natura, cùm sit maximè communis rebus naturalibus, ita Suares. Probatur quantùm ad secundam partem, in qua est singularis difficultas. Natura non magis inclinat in opus generationis, quàm nutritionis,cùm vtraque actio ordinetur ad conseruationē speciei, nam vtraque tendit ad indiuiduum speciei,prima quidem ponendo illud, secunda autem conseruando, ac proinde natura æqualiter inclinat in vtramque: ergo generatio non est connaturalior animæ vegetatiuæ, eo quòd vehementiùs in eam inclinet: imò magis inclinat in nutritionem, quàm in generationem, nam ex quo capite vtraque tendit in conseruationem speciei, æqualiter inclinat in vtramque, ex qua verò parte per nutritionem conseruatur species in proprio indiuiduo, per generationem verò in alieno, magis inclinat in nutritionem, quia vnaquæque res magis appetit conseruationem speciei in seipsa, quàm in alia ex illo Aristotelis 8.Ethicor.cap.7. *Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium, & amicabilia ad alterum ex amicalibus, qua sunt ad se*: Et hoc prouenit quia per nutritionem simul procuratur bonum commune speciei, & proprium indiuidui, per generationem autem solum bonum speciei: & sic nutritio est magis de inclinatione animæ quàm generatio, sicut respectu lapidis repletio vacui per descensum, quàm per ascensum.

§ 3. Præterea, Appetitus generationis & nutritionis ita sunt à natura ordinati, vt non possit dari prior fine posteriori: nam cùm materia seminis fit de superfluo alimenti, priùs natura incumbit operi nutritionis, quàm generationis: ergo vehementiùs in illud, quàm in istud inclinat, vt ipsamet constat experientiâ: nam sæpe videmus quòd animalia pro conseruatione vitæ & sanitatis desistunt ab actu generationis, quod indicat naturam vehementiùs inclinare in conseruationem vitæ proprij indiuidui per nutritionem, quàm in generationem. Imò Aristoteles libro de longitudine vitæ cap. 3. dicit animalia salacia esse breuioris vitæ, quàm casta, & sic generatio est nociua, ac proinde natura in illam vehementiùs non inclinat, quàm in nutritionem, aliàs inclinaret in proprium damnum: vnde si generatio est connaturalior viuenti, non est ex eo quòd natura in eam vehementiùs inclinat.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, Caietanus, & Bannes 1. p. q.78. art. 2. dub. 4. nostri Complutenses in præsenti, ac plures alij, etiam extra scholam D. Thom.

Conclvsio.

Cùm generatio conueniat viuenti quatenus perfecto, & ordinetur per se primò ad conseruationem speciei, ac sit operatio magis communis, est connaturalior viuenti, tum quia perfectior operatio est animæ vegetatiuæ, tum quia in eam natura vehementiùs inclinat, tum quia magis procedit à natura.

Respondeo dicendum, quòd generatio est operatio magis connaturalis animæ vegetatiuæ perfectæ, siue viuenti perfecto, quod per illam viuit, quàm nutritio & augmentatio. 2. estque connaturalissima prædictis viuentibus, quia magis inclinant in illam, quàm in alias operationes. 3. potest etiam dici connaturalissima prædictis viuentibus, quia est communis eis cum aliis rebus inanimatis potentibus generare.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles in hoc 2. libro loquens de generatione sic ait: *Hac enim operatio maximè omnium operationum viuentibus est naturalis, viuentibus inquam hisce, qua sunt perfecta, non membris capta*: Quod sic exponit D. Thom. lect. 7. *Dicit ergo quòd ideo generare est opus animæ vegetatiuæ, quia inter alia opera est magis naturale omnibus viuentibus.*

Secundò probatur ratione D.Thomæ 1.part.quæst.78. art. 2. naturalius est perfecto, quod ei quatenus perfectum est conuenit, & ab eius est imperfectione remotius, quàm illud, quod ei conuenit quatenus à perfectione deficit: sed generatio conuenit viuenti perfecto quatenus perfectum est, imò ex abundantia perfectionis eius: nutritio verò & augmentatio non conueniunt viuenti perfecto, nisi quatenus à perfectione deficit, & eget restauratione, vel nondum peruenit ad debitam perfectionem: ergo generatio est operatio magis connaturalis animæ vegetatiuæ perfectæ, siue viuenti perfecto, quod per illam viuit, quàm nutritio & augmentatio.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione Aristotelis & D. Thom. Aristoteles loco citato sic ait: *Vnumquodque inquam aliud sibi simile procreare, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt sint semper hoc pacto, conditionémque subeant, quoad possunt, diuinam, id enim ipsum appetunt vniuersa, gratiáque ipsius omnia agunt*: Quàm rationem, & authoritatem sic explicat, & roborat D. Thom. lectione.7. *Quia igitur non possunt communicari inferiora viuentia ipsi esse sempiterno & diuino per modum continuationis, id est, vt maneant eadem numero, propter hoc, quòd nihil corruptibilium contingit vnum & idem numero permanere semper, cùm necessitas corruptionis sit necessitas absoluta, vtpote proueniens ex ipsa materia, non ex fine: sequitur* quod

quod vnumquodque communicet perpetuitatem secundum quod potest, hoc quidem magis, quod est diuturnius: illud verò minùs, quod est minus diuturnum, & tamen permanens semper per generationem, non idem simpliciter, sed vt idem, id est, in simili secundùm speciem. Confirmatur hæc ratio. Ex hoc quòd generatio per se primò tendit ad conseruationem speciei, quæ est bonum communius, & diuinius, quàm conseruatio indiuidui, ad quam tendit nutritio formaliter, licèt materialiter etiam, & secundariò tantùm ordinetur ad conseruationem speciei. Deinde per vnam nutritionem parum conseruatur indiuiduum, imò & per plures: per singulas autem generationes ponuntur à parte rei singula indiuidua completa: ergo generatio est operatio connaturalissima viuentibus perfectis, quia magis inclinant in illam, quàm in alias operationes.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Aristot. & D.Thom. loco citato, vbi sic ait D.Thom.lect.7. *Ideo generare est opus animæ vegetatiuæ, quia inter alia opera est magis naturale omnibus viuentibus, & dicitur naturalissimum, quia in hoc conuenit etiam cum aliis rebus inanimatis, quæ generationem habent, licèt alio modo.* Vis rationis D.Thom. in hoc consistit, quòd illa operatio, quæ est magis communis, magis videtur procedere à natura, quæ per eam se maximè explicare, & diffundere intendit, vnde est maximè opus naturæ, præsertim quia generare sibi simile, non solùm conuenit ex principiis remotioribus, sed etiam ex proximis: ideo enim homo generat, quia est viuens, generat verò sibi simile, scilicet hominem, quia est homo: ergo generatio potest dici operatio connaturalissima viuentibus perfectis, quia est communis eis cum aliis rebus inanimatis potentibus generare.

Ad primum ergo dicendum, quòd non militat contra nos, nisi in hoc quòd supponit sufficiens, & adæquatum esse fundamentum maioris connaturalitatis in actione maiorem eius perfectionem, quod non est verum, nisi sint cætera paria.

Ad secundum dicendum, quòd licèt sint vera omnia, quæ ibi dicuntur, nihil tamen concludunt, quia mediâ nutritione non conseruatur species per tempus ita diuturnum, sicut mediâ generatione: nec ipsa nutritio tendit per se primò ad conseruandam speciem, secus verò generatio, & ita natura vehementiùs fertur in generationem, vt ipsámet constat experientiâ.

Ad tertium dicendum, quòd est pro nobis, nam ex eo quòd generatio præsupponat actum nutritionis, quia supponit viuens perfectum, & quòd venerit ad debitam quantitatem, sequitur nutritionem deseruire generationi tanquam fini, ac proinde naturam in hanc vehementiùs inclinare. Ad aliud dicendum, quòd hoc non prouenit ex eo quòd animalia vehementiùs inclinent in conseruationem proprij indiuidui, quàm speciei, sed ex eo quòd per se loquendo possunt tam proprium & indiuiduale esse, quàm esse speciei conseruare, licèt tunc non generent: & ideo non est mirum si tunc abstineant à generatione, vt postea commodiùs illi vacent. Ad aliud tandem dicendum, quòd castitas conducit ad longitudinem vitæ, ad perspicacitatem ingenij, & memoriæ fœcunditatem, sed tamen sicut manus cum proprio damno procurat bonum capitis naturaliter, sic indiuidua cum aliquo sui damno mediâ generatione procurant bonum speciei, quod est diuinius: deinde generatio moderata non est nociua in debito tempore ex Galeno, & Hipocrate, immoderata autem est valde nociua, & non solùm ipsa generatio, sed & comestio: hic autem loquimur de generatione moderata & ordinata, non verò de inordinata & immoderata.

Articvlvs III.

Vtrùm sint tres potentiæ animæ vegetatiuæ correspondentes his operationibus, scilicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd non sint tres potentiæ animæ vegetatiuæ correspondentes his operationibus, scilicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua, sed quòd vna & eadem realiter ac formaliter potentia sufficiat pro his tribus operationibus. Ita tenent Durandus in 1. d. 3. quæst. 2 Suares tom. 2. tract. 3. libro 2. cap. 9. Conimbricenses, & Ruuios in præsenti, ac plures alij moderni. Probatur authoritate Aristotelis, qui id videtur dicere in duplici loco. 2. de generatione animalium cap. 4. sic ait: *Sic etiam principio constituit id quod natura efficitur, eadem enim materia est, ex qua augetur, & ex qua constituitur primum: itaque facultas quoque augens eademque in principio est, sed maior: quod si hæc vegetalis anima est, eadem qua generat, quoque est.* Item hoc 2. libro cap. 4. sic ait: *Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua & generatiua de alimento, necessarium est determinare primum, separatur enim ab aliis potentiis opere hoc:* Ergo est vna tantùm potentia correspondens tribus operationibus animæ vegetatiuæ.

¶ 2. Præterea, D.Thom. 1. p. quæst. 119. art. 1. ad 4. confundit potentiam nutritiuam cum augmentatiua, & vocat virtutem conuersiuam; ergo non sunt tres potentiæ animæ vegetatiuæ.

¶ 3. Præterea, Tres operationes animæ vegetatiuæ habent eumdem terminum formalem adæquatum, & eodem modo illum attingunt, omnes enim agunt in Elementum eodem modo disponendo, & transmutando illud diuersis transmutationibus ordinatis ad eius conuersionem in corpus viuens eiusdem speciei: ergo procedunt ab eadem realiter & formaliter potentia, sicut enim potentiæ passiuæ, sic & actiuæ specificantur, ac distinguuntur à termino suo formali adæquato.

¶ 4. Præterea, Sufficit vna potentia pro tribus operationibus animæ vegetatiuæ: nam sicut eadem potentia ex eodem alimento producit sanguinem, medullam &c. sic ex eodem poterit producere semen: similiter sicut per potentiam generatiuam producitur substantia totalis cum quantitate, sic etiam per eandem potentiam producetur substantia partialis cum quantitate: ergo non datur nisi vna potentia pro his tribus operationibus animæ vegetatiuæ, nam sicut natura non deficit in necessariis, sic nec abundat in superfluis.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in præsenti, ac D.Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm potentia generatiua sit in determinata parte corporis, nutritiua verò & augmentatiua sint dispersæ per totum corpus, sitque potentia anima vegetatiua magis limitata, quàm sensitiua, vtpote imperfectiores, sunt tres potentiæ animæ vegetatiuæ, scilicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua.

Respondeo dicendum, quòd sunt tres potentiæ essentialiter & realiter distinctæ animæ vegetatiuæ correspondentes tribus eius operationibus, scilicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua.

Probatur authoritate D.Thom.1.p.quæst.78. art.2. vbi sic ait: *Respondeo dicendum quòd tres sunt potentiæ vegetatiuæ partis: vegetatiuum enim, vt dictum est, habet pro obiecto ipsum corpus viuens per animam, ad quod quidem corpus triplex animæ operatio est necessaria, vna quidem per quam esse acquirat, & ad hoc ordinatur potentia generatiua; alia verò, per quam corpus viuum acquirat debitam quantitatem, & ad hoc ordinatur vis augmentatiua; alia verò, per quam corpus viuentis saluatur, & in esse, & in quantitate debita, & ad hoc ordinatur vis nutritiua.*

Item

Item in fine subdit: *Et ideo inter istas tres potentias finalior, & principalior, & perfectior est generatiua, vt dicitur in 2. de anima, est enim rei iam perfectæ facere alteram, qualis ipsa est: generatiua autem deseruiunt, & augmentatiua, & nutritiua, augmentatiuæ verò nutritiua*: Quæ omnia indicant D.Thom. esse intelligendum de distinctione reali, & non rationis, vt volunt aliqui.

Secundò, fines harum trium operationum sunt specie diuersi, nam augmentatio tendit ad hoc, vt perducat ad debitam quantitatem idem numero corpus: nutritio verò vt illud conseruet: generatio tandem vt conseruet speciem in alio indiuiduo: ergo non sunt actus inadæquati eiusdem potentiæ, cùm tales actus inadæquati non possint tendere in diuersos specie fines, vt patet inductione in omnibus potentiis, & earum actibus: ac proinde sunt actus adæquati trium potentiarum. Nec potest dici quòd hi tres actus respiciant idem corpus vt abstrahens ab eodem numero, & ab eodem specie. Nam contra, quia hi actus non sistunt in hac ratione communi, vlterius enim tendunt, nutritio quippe & augmentatio tendunt ad idem, vt numero idem: generatio verò in idem vt specie idem. Nec ex hoc quòd isti actus, eorúmque fines habent inter se subordinationem, sequitur quòd debeant iudicari esse actus inadæquati eiusdem potentiæ, nàm inter actus adæquatos diuersarum potentiarum, & habituum inuenitur similis subordinatio, nam cùm charitas vtitur aliis potentiis, easque ordinat, tunc illæ, earúmque fines subordinantur charitati, eiúsque fini, & tamen actus illarum potentiarum, vel virtutum, & similiter fines distinguuntur ab actu charitatis, ac eius fine, quia omnes illæ habent fines proximos, quos per se primò respiciunt distinctos à fine ipsius charitatis.

Tertiò, potentiæ animæ sensitiuæ sunt nobiliores, quàm potentiæ vegetatiuæ, & tamen multiplicantur realiter, nec datur vnica potentia sensitiua exterior respiciens sensibile externum vt sic, nec vnica interior respiciens sensibile internum vt sic: ergo multò minùs dabitur vnica potentia vegetatiua, quæ respiciat corpus viuens vt sic, prout abstrahit ab eodem numero, & ab eodem specie, nam quò potentiæ sunt nobiliores, eò habent obiectum minùs limitatum, & econtra.

Quartò, potentiæ animæ vegetatiuæ subiectantur in organis realiter distinctis, nam potentia nutritiua est dispersa per totum corpus, vt constat, nam totum corpus nutritur per hoc quòd ex alimento conuerso in substantiam aliti reparantur partes, quæ virtute caloris naturalis deperduntur per totum corpus: potentia autem generatiua residet in determinata parte corporis, vbi scilicet superfluum alimenti accipit formam seminis ipsúmque semen reseruatur vt constat: nam illâ parte præcisâ, licèt aliæ partes corporis remaneant, deperditur potentia generatiua, & econtra licèt aliæ abscindantur, si ipsa sola remaneat, remanet talis potentia: ergo istæ potentiæ realiter & essentialiter distinguuntur, nam eadem potentia, cùm sit simplex qualitas, non potest esse in diuersis, & distinctis organis. Nec valet prima responsio aduersariorum, quòd scilicet potentia generatiua sit etiam dispersa per totum corpus, licèt non habeat effectum nisi in illa parte determinata. Nam contra, quia natura nunquam ponit potentiam in aliquo tanquam in subiecto, vbi non potest habere omnia requisita ad operandum, quia principium proximum operandi est per se primò institutum à natura in ordine ad operationem eliciendam, & nisi possit operari, vel deficiet natura in necessariis, vel fecit in vanum has potentias, quod vtrumque est contra communem sensum Philosophorum: imò non potest recipi aliqua potentia in aliquo organo ad sui receptionem dispositum, nisi sit etiam dispositum ad eius operationem, nam vltimum quod aduenit organo est potentia, quamuis per accidens, & ex aliquo casu possit contrarium accidere, nunquam tamen per se, alioquin natura simul intenderet duo opposita, scilicet operationem, & defectum eius: imò si hæc responsio valeret, non esset vllum fundamentum ad distinguendas potentias sensitiuas, tam externas, quàm internas. Minùs etiam valet responsio aliorum quòd scilicet potentia generatiua sit dispersa per totum corpus, & quòd in omnibus partibus efformet semen, & quòd ab omnibus illis decidatur in exercitio generationis, seu seminationis, quia, inquiunt, omne membrum debet concurrere ad efformationem similis membri in fœtu: sed contra, nam hæc solutio repugnat Aristoteli in libro de generatione animalium cap.17. & 18. ac Galeno libro de semine, qui docent semen non fieri in omnibus partibus, nec decidi ab illis: vnde potentia generatiua est in determinata parte, sicut apparet experientiâ in plantis, in quibus semen formatur in determinata parte: constat etiam manifestè esse falsum, quòd omne membrum generantis debeat concurrere ad efformationem similis membri in fœtu: nam videmus quòd generatur filius cum omnibus membris à patre, cui deest manus, aut aliud membrum, cùm tamen ex illo dicto tale membrum deberet deesse filio.

Ad primum ergo dicendum ex D. Thom. in præsenti lect. 9. quòd Arist. vocat has tres potentias, vnam & eamdem vnitate genericâ, non verò specificâ.

Ad secundum dicendum, quòd D. Thom. pro potentia conuersiua intelligit aggregatum ex potentia nutritiua & augmentatiua, quia simul & semel, ac indiuisibiliter efficiunt suum effectum.

Ad tertium dicendum, quòd vt dictum est, non est idem terminus formalis harum potentiarum, nam per nutritiuam conuertitur alimentum in eamdem numero substantiam viuentis, quod nutritur: per generatiuam verò producitur aliud viuens, licèt eiusdem speciei: per augmentatiuam denique non producitur substantia, sed quantitas modo supra explicato in libris de generatione. terminus autem assignatus nutritiuæ & augmentatiuæ, est terminus primarius intentionis, non executionis: hic enim dicit vltimas dispositiones ad conuersionem alimenti, vel in substantiam aliti, vel in semen, ad quas naturali resultantiâ consequitur ipsa conuersio.

Ad quartum dicendum, quòd omnes partes animalis, quæ informantur formâ totius, vt os, caro, sanguis &c. non distinguuntur, nisi accidentaliter: & ideo eadem potentia potest conuertere alimentum in has omnes partes, requiritur autem noua potentia ad conuertendum illud in semen, cùm semen substantialiter & essentialiter distinguatur à toto viuente: imò habet finem distinctum ab ipso viuente, scilicet generationem prolis, & conseruationem speciei. Ad aliud dicendum, quòd in prima productione rei non producitur per se quantitas, sed emanat, vnde actio productiua secundariò terminatur ad quantitatem: in augmentatione verò per se producitur quantitas, vnde non est mirum, quòd requirat specialem potentiam omnis actus ad ipsam immediatè terminatus: maximè quia potentia nutritiua non terminatur ad substantiam maiorem, vel minorem formaliter, cùm substantia intra propriam lineam non habeat esse maiorem, aut minorem, sed hoc habeat per quantitatem.

Articulus IV.

Vtrùm Alimentum sit materia circa quam harum potentiarum?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd alimentum non sit materia circa quam harum potentiarum. Probatur. Hæ potentiæ realiter & essentialiter distinguuntur: ergo non possunt habere eamdem materiam circa quam, materia quippe circa quam est specificatiuum potentiæ: non potest autem esse idem specificatiuum diuersorum: ac proinde alimentum non potest esse materia circa quam harum potentiarum.

§ 2. Præterea, Alimentum animalis est sanguis, vt communiter docent, tum Philosophi, tum Medici: sed sanguis non est materia circa quam harum potentiarum, cùm sanguis animetur animâ totius, & sic pertineat ad substantiam aliti: ergo alimentum non est materia circa

quam nutritionis & augmentationis, quarum officium eſt conuertere alimentum in ſubſtantiam aliti, non enim poſſunt conuertere ſanguinem in ſubſtantiam aliti, ſi ſit iam de ſubſtantia illius: ſimiliter non eſt materia circa quam generationis, quia per generationem nihil deperditur de ſubſtantia generantis, quod tamen neceſſariò dicendum eſſet, ſi ſanguis, qui eſt de ſubſtantia generantis, conuerteretur in ſemen, quod non eſt de eius ſubſtantia: & conſequenter alimentum non eſt materia circa quam potentiarum nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ, quæ ſunt principia nutritionis, augmentationis, & generationis.

§ 3. Præterea, Odor non eſt alimentum, vt ex ſe patet: ſed poteſt quis nutriri odore, infirmi enim aliquantulùm ſuſtentantur, ſi carnes aſſæ ad nares eis applicentur, & Plinius refert quòd apud Gangem ſunt homines ore carentes, qui ſolis odoribus veſcuntur per nares attractis: ergo alimentum non eſt materia circa quam harum potentiarum.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclusio.

Cùm ex alimento in ſubſtantiam aliti conuerſo viuens nutriatur, & augeatur, ac ex ſuperfluo alimenti fiat ſemen, alimentum eſt materia circa quam potentiarum nutritiua, augmentatiua, & generatiua.

Respondeo dicendum, quòd tres potentiæ animæ vegetatiuæ habent pro materia circa quam alimentum, 2. quod eſt duplex, ſcilicet remotum, & eſt quodcumque corpus mixtum aptum alterari à calore naturali, & conuerti in ſubſtantiam aliti, 3. & proximum, videlicet ſanguis in viuentibus quæ ſanguinem habent, aut alius humor decoctus & depuratus in plantis, ac aliquibus animalculis ſanguine carentibus, vt apibus, veſpis &c.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis in hoc 2. libro cap. 4. vbi ſic ait: *Quoniam autem eadem potentia animæ eſt vegetatiua, & generatiua; de alimento neceſſarium eſt determinare primum: ſeparatur enim ab aliis potentiis opere hoc: id eſt, quòd verſetur circa alimentum.* Item 1. de generatione cap. 5. dicit quòd cibus nutrit, quatenus eſt potentiâ caro, auget autem, quatenus eſt potentiâ quanta caro: cui dicto poteſt addi, quòd cibus generat, quatenus eſt potentiâ ſemen. Idem docet D. Thom. 1. part. quæſt. 78. art. 2. ad 4. vbi ſic ait: *Ad reſtaurationem humidi deperditi neceſſe eſt habere potentiam nutritiuam, per quam alimentum conuertatur in ſubſtantiam corporis, quod etiam eſt neceſſarium ad actum virtutis augmentatiuæ & generatiuæ.* Igitur poſt decoctionem, & perfectam depurationem alimenti, natura in omnibus prouida partem conuertit in ſubſtantiam propriam indiuidui, qua reſtauratur deperditum per calorem naturalem, & in hoc verſantur indiuiſibiliter potentia nutritiua & augmentatiua, quamdiu viuens augetur: partem verò aliam conuertit in ſemen mediâ potentiâ generatiuâ ad conſeruationem ſpeciei in alio indiuiduo: ſemen autem dicitur fieri de ſuperfluo alimenti, non quòd ſit excrementum, aut materia fæculenta, imò fit ex puriſſimo alimento, quod dicitur ſuperfluum, quia eſt illud alimentum, quod natura relinquit, & ſubtrahit potentiæ nutritiuæ, ne conuertatur in ſubſtantiam proprij indiuidui, & mittens in determinata vaſa per potentiam generatiuam conuertit in ſemen.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Dicitur quòd alimentum primum & remotum ſit corpus mixtum, ad excludenda Elementa, quæ non poſſunt nutrire ſaltem diu: Ignis enim ob nimiam actiuitatem potiùs reſolueret viuens, quàm nutriret, nec Salamandra illo viuit, quamuis propter exceſſum frigiditatis poſſit aliquamdiu intra flammas permanere. Nec Aër poteſt nutrire ob magnam ſubtilitatem & leuitatem, vnde Cameleon non viuit illo ſolo, ſed animalculis in illo volitantibus. Nec Aqua, quia nimis frigida, vnde piſces in aqua, licèt aquâ conſeruentur, tamen alia comedunt. Nec propter eamdem frigiditatem & craſſitiem Terra, quia calor naturalis non poſſet vincere has qualitates: hoc autem corpus mixtum debet poſſe alterari & conuerti virtute caloris naturalis, vnde mineralia vt plurimùm, & ſimilia non ſunt alimenta, quamuis dicatur quòd ſtruthio digerit ferrum.

Probatur & explicatur tertia pars concluſionis. Hanc docet Ariſtoteles de ſomno, & vigilia c. 3. & de ſenectute cap. 2. & alibi: & ratio eſt, quia quod eſt dulce nutrit, vt docent Medici, ſolus autem ſanguis inter humores eſt dulcis. Deinde cùm alij humores ſint in determinata parte, ſolus ſanguis eſt diſtributus per totum corpus, ſicut debet eſſe alimentum, cùm totum corpus ſecundùm omnes partes nutriatur. Nec contrarius eſt Ariſtoteles dum 3. animalium cap. 3. ait neruos nutriri humore quodam glutinoſo, nam ille humor pertinet ad ſanguinem, qui habet diuerſas partes diuerſis partibus corporis accommodatas, quaſdam ſubtiliores, alias craſſiores: non tamen negandum eſt alios tres humores aliquo modo eſſe alimentum, vt docent Medici cum Galeno libro 3. de natur. facultat. cap. 6. quod conſtat ex eo quòd illi humores miſcentur ſæpe ſanguini, vt apparet dum elicitur, & ita nutriunt ſicut ſanguis, ſed non cum illa perfectione.

Ad primum ergo dicendum, quòd potentiæ non ſpecificantur à materia circa quam verſantur, ſed à fine proximo, qui eſt obiectum ipſarum, vnde quia iſtæ tres potentiæ habent diuerſos fines, propterea diſtinguuntur eſſentialiter, verſantur tamen circa eamdem materiam.

Ad ſecundum dicendum, quòd eſt duplex ſanguis, nutrimentalis ſcilicet, & naturalis: nutrimentalis non informatur formâ totius, & hic eſt alimentum vt plurimum, & deſeruit potentiæ nutritiuæ, ac generatiuæ: naturalis etiam, qui informatur formâ totius, etiam deſeruit nutritioni, nam ſuperiores & ſubtiliores partes corporis puriſſimo & perfectiſſimo aluntur ſanguine: nec eſt vllum inconueniens, quòd ſanguis, qui tantùm informatur animâ ſecundùm gradum vegetatiuum, poſſit conuerti in alias partes viuentis, quæ informantur ſecundùm gradum ſenſitiuum, & ſunt ſolidæ, & pertinentes principaliùs ad ſubſtantiam aliti, ac proinde quòd ſanguis dicatur conuerti in ſubſtantiam aliti: imò non deſunt, qui dicant hunc ſanguinem naturalem & perfectum deſeruire generationi, licèt enim amittat formam nobiliorem, quatenus de forma viuentis tranſit ad formam non viuentem ſeminis, non tamen peruertitur ordo & intentio naturæ, quæ ad perfectiora ſemper tendit, nam in hac actione etiam tendit ad aliquid perfectius finaliter, ſcilicet ad productionem alterius indiuidui, & ad conſeruationem ſpeciei, quæ præeminent aliquali conſeruationi vnius indiuidui, quæ ab illa parte ſanguinis in ſemen conuerſi proueniebat.

Ad tertium dicendum, quòd odor, cùm ſit accidens, ſubiectatur in ſubtilioribus partibus corporis odoriferi, quæ euaporantur, & aſcendunt per nares ad cerebrum, vnde non eſt mirum ſi nutriant aliquantulùm, cùm illæ partes ſint valde ſubſtantiales: illa autem hiſtoria Plinij, eſt potiùs fabula, fortè in illis regionibus Gangis natus fuit aliquis ſine ore, quod dedit Plinio occaſionem hæc ſcribendi; quòd autem vulgò ſint ibi homines ſine ore eſt fictitium, nam per octo annos manſi in Indiis Orientalibus, & plures vidi illius regionis ore præditos, & egi cum pluribus, qui omnes illas regiones perluſtrârunt, & nihil tale audiui, cùm tamen res tam inſolita non ſileretur.

Articulus V.

Vtrùm potentia nutritiua ſit quid diſtinctum à temperamento primarum qualitatum, & à calore naturali?

Ad quintum ſic proceditur. Videtur quòd potentia nutritiua non ſit quid diſtinctum à temperamento primarum qualitatum, & à calore naturali. Ita tenent Suares 2. tom. Theologiæ tract. 3. libro 2. c. 9. & alij Recentiores,

riores. Probatur. Vna qualitas non potest esse instrumentum alterius, aliàs daretur processus in infinitum, maximè quia ad vnicam actionem sufficit vna causa principalis cum vnico instrumento: sed calor naturalis est instrumentum animæ vegetatiuæ pro nutritione, ex Aristot. libro de sensu & sensibili cap. 4. vbi ait: *Calidum autem augmentat, & destruit nutrimentum*: Item libro 3. de partibus animalium c.6. ait: *Calor enim est, qui vim obtinet augendi*: Et ratio est, quia sicut calor ignis potest ignem instrumentaliter producere, sic calor naturalis viuentis poterit producere instrumentaliter viuens, vt constat ex paritate rationis: ergo superfluum est ponere aliquam aliam qualitatem superiorem ad hunc effectum, quæ sit potentia nutritiua.

¶ 2. Prætetea, Temperamentum primarum qualitatum sufficienter disponit materiam pro forma cuiuslibet mixti, & pro introductione animæ: ergo tale temperamentum existens in viuente sufficit absque alio ad eamdem animam in materiam illam instrumentaliter introducendam, vnde potentia nutritiua non est quid distinctum ab isto temperamento.

¶ 3. Prætetea, Non apparet quid producatur à potentia nutritiua in alimento, quod sit distinctum ab eo quod in eo producit calor naturalis, aut temperamentum primarum qualitatum: ergo potentia nutritiua non est quid distinctum ab illis, colligimus enim distinctionem causarum ex distinctione effectuum incompossibilium ab eadem causa.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur nostri Complutenses in præsenti, ac plures alij, tum Philosophi, tum Medici.

Conclusio.

Cùm potentia animæ vegetatiuæ debeant esse vitales, & superiores ad virtutes alterius formæ, quæ non attingit ad gradum animæ, potentia nutritiua est quid distinctum à temperamento primarum qualitatum, & à calore naturali.

Respondeo dicendum, quòd potentia nutritiua non consistit in calore naturali, aut in temperamento primarum qualitatum, sed est potentia quædam vitalis altior quacumque primâ qualitate, ac temperamento earum, & vtens prædicto temperamento, & calore tanquam instrumento.

Probatur conclusio authoritate Arist. & D.Th. Arist. 2. de generatione animalium c. 4. sic ait: *Quemadmodum, quæ ab arte efficiuntur, per instrumenta efficiuntur: sed verius dixerim per motum eorum, qui artis operatio est, ars autem forma eorum, quæ efficiuntur, est in alio: sic à facultate, siue virtute animæ vegetalis agitur, vt quæ in animalibus & plantis, postea ex alimento vis eadem efficit incrementum vtendo caliditate & frigiditate quasi instrumento.* D.Th. autem 1. p. q. 118, art. 1. ad 3. sic ait: *Calidum autem elementare se habet instrumentaliter ad virtutem animæ, sicut etiam ad virtutem nutritiuam, vt dicitur in 2. de anima.* Item q.78. art. 2. ad 1. agens de potentiis animæ vegetatiuæ, respondet dicendum quòd huiusmodi vires dicuntur naturales, tum quia habent effectum similem naturæ, quæ etiam dat esse & quantitatem & conseruationem, licèt hæ vires habeant hoc altiori modo, tum quia hæ vires exercent suas actiones instrumentaliter per qualitates actiuas & passiuas, quæ sunt naturaliũ actionũ principia.

Secundò, nutritio est actio vitalis, & consequenter eminentior omni aliâ actione non vitali, vt fatentur omnes: ergo debet procedere ab aliquo principio proximo, & intrinseco vitali, in hoc enim distinguuntur actiones vitales à non-vitalibus, quòd istæ non oriuntur necessariò à principio vitali, secus verò illæ, vt constat inductione in omnibus: ergo tale principium proximum non est calor naturalis, aut temperamentum primarum qualitatum, sed aliqua qualitas eminentior, & vitalis vtens calore naturali, & dicto temperamento tanquam instrumento: nam calor naturalis, aut illud temperamentum non sunt quid vitale, cùm reperiantur in non-viuentibus, licèt concurrant instrumentaliter ad actionem vitalem, scilicet ad decoquendum, & disponendum cibum ad conuersionem.

Tertiò, quò forma fuerit nobilior, ei nobiliores debentur, & dantur à natura potentiæ, vt patet inductione, imò debent esse in eodem ordine cum illa: animæ enim intellectuali dantur perfectissimæ potentiæ, scilicet intellectus & voluntas, quæ sunt in eodem ordine spirituali cum ipsa: animæ verò sensitiuæ dantur potentiæ sensitiuæ eiusdem ordinis: ergo etiam animæ vegetatiuæ debent tribui potentiæ, quæ sint vitales in ordine vegetatiuo, & eminentiores quacumque potentiâ cuiuscumque formæ, quæ non attingit gradum animæ: ac proinde eius potentiæ non possunt consistere in primis qualitatibus, aut in temperamento illarum, nam hæ conueniunt rebus etiam non viuentibus, vt igni &c. maximè quia hæ potentiæ per se primò conueniunt animæ vegetatiuæ, & ita debent ab illa dimanare, & consequenter esse vitales, cùm emanent à principio vitæ: calor autem naturalis, aut temperamentum qualitatum non possunt dici & esse quid vitale, quia non oriuntur à forma vitali, vt tali, sed ad summum oriuntur ab illa secundùm quòd est forma mixti, vt dictum est in libris de generatione.

Ad primum ergo dicendum, quòd antecedens est falsum, si vna ex his qualitatibus sit superior, & eiusdem ordinis vitalis cum principio radicali, & ita proportionata per modum principij proximi, vt non requirat aliam qualitatem excellentiorem: tunc enim non sequitur processus in infinitum: vnde calor naturalis ex se non est sufficiens ad hunc effectum, nisi vt instrumentum talis virtutis, supposito quòd anima non est immediatè operatiua, quia hic effectus est vitalis: vnde Arist. solùm vult quod calor concurrat ad has actiones, vt instrumentum huius potentiæ. Nec est simile de calore ignis, quia actio ignefactiua ignis non est vitalis, vnde non exigit principium proximum vitale.

Ad secundum dicendum, quòd falsum est antecedens, si hoc temperamentum sumatur cum præcisione, & respectu formæ viuentis, non enim disponit in ordine ad formam viuam, nisi vt subordinatum viuenti, & potentiis vitalibus eiusdem.

Ad tertium dicendum, quòd calor naturalis, aut illud temperamentum ex se non habent producere substantiam viuam, nisi ratione alicuius modificationis, quam habent à potentia nutritiua, à qua assumuntur vt instrumenta modo explicato in Physicis: & ita præter calorem naturalem, & illud temperamentum datur potentia vitalis nutritiua.

QVÆSTIO XXXIII.

De Anima sensitiua, & sensibus externis in communi.

Post Animam vegetatiuam sequitur viâ generationis anima sensitiua: vnde de eius potentiis statim agendum est, de eius quippe substantia, præter ea quæ supra dicta sunt, nihil determinandum occurrit: priùs tamen de potentiis eius in communi, siue de sensibus externis, postea in particulari, vnde in præsenti quæruntur nouem.

¶ Primò, Vtrùm sensibile externum rectè diuidatur in sensibile proprium, commune, & per accidens?

¶ Secundò, Vtrùm sensibile commune imprimat in sensu aliquam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij?

¶ Tertiò, Vtrùm sensibile positum supra sensum impediat sensationem?

¶ Quartò, Vtrùm vehemens sensibile lædat & corrumpat sensum externum?

¶ Quintò, Vtrùm sensus possit decipi circa sensibilia propria, communia, & per accidens?

¶ Sextò, Vtrùm potentiæ sensitiuæ sint merè passiuæ?

¶ Septimò, Vtrùm detur sensus agens?

¶ Octauò, Vtrùm ſenſus externi ſint reflexi ſupra ſuam ſenſationem?

¶ Nonò, Vtrùm ſenſus externi ſint quinque?

Articvlvs I.

Vtrùm ſenſibile externum rectè diuidatur in ſenſibile proprium, commune, & per accidens?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd ſenſibile externum non rectè diuidatur in ſenſibile proprium, commune, & per accidens. Probatur, Senſibilia communia ſunt per accidens coniuncta ſenſibilibus propriis, ſicut motus albo, aliàs ſequeretur quòd ſenſibilia propria non poſſent ſentiri, niſi ſimul ſentirentur communia, quod enim eſt per ſe coniunctum cum aliquo, non poteſt ſentiri illo non ſenſato. Deinde ſenſibile commune eſt extra obiectum adæquatum ſingulorum ſenſuum, ſicut & ſenſibile per accidens, vt inductione per omnes patet: ergo non diuiditur rectè ſenſibile externum in hæc tria membra vt diſtincta, nam ſenſibile commune & ſenſibile per accidens coincidunt.

¶ 2. Præterea, Si quod eſſet ſenſibile per accidens, maximè eſſet ſubſtantia, vt conſtat exemplo Ariſt. ſed ſubſtantia non eſt ſenſibile per accidens cùm debeat immittere in ſenſum propriam ſpeciem, alioqnin non daretur in intellectu ſpecies repræſentans ſubſtantiam, cùm nihil ſit in intellectu, quio priùs fuerit in ſenſu: ergo non datur ſenſibile per accidens, & ita non rectè diuiditur ſenſibile externum in hæc tria membra.

¶ 3. Præterea, Aliqua ex his, quæ dicuntur ſenſibilia communia, à nullo ſenſu poſſunt percipi, vt quies, quæ cùm ſit quid priuatiouum, ac proinde nihil reale, non poteſt agere in ſenſum, & ita nec percipi. Similiter motus, cùm ſit ſucceſſiuus, & conſequenter includat præteritum & futurum, non poteſt percipi à ſenſu externo, qui fertur ſolùm circa præſentia, & ſic de aliis: ergo non rectè diuiditur ſenſibile externum in ſenſibile proprium, commune, & per accidens.

Sed contra eſt authoritas Ariſt. & D. Th. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm ſenſibile externum tripliciter poſſit percipi à ſenſu, vel per ſe primò, vel per ſe ſecundò, vel per accidens, rectè diuiditur in ſenſibile proprium, commune, & per accidens.

Respondeo dicendum, quòd ſenſibile externum vt ſic ſcilicet illud quod à ſenſibus externis percipitur, eſt triplex: Aliud ſenſibile proprium, quod per ſe, & ab vno tantùm ſenſu percipitur: aliud ſenſibile commune, quod per ſe, & pluribus ſenſibus percipitur: aliud denique ſenſibile per accidens, quod ſolùm per accidens, & ratione alterius ſentitur. 1. ſenſibile proprium eſt quintuplex iuxta quinarium numerum ſenſuum externorum. 3. ſicut etiam ſenſibile commune, vnde diuiditur in motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt hoc eſſe diſcrimen inter iſta ſenſibilia, quòd illud quod dicitur ſenſibile per accidens, non ſentitur per ſe, nor ratione ſui, ſed ſolum per accidens, ex eo quòd accidit ei eſſe coniunctum cum eo, quod per ſe ſentitur, vt ait Ariſt. in hoc 2. libro textu 65. his verbis: *Secundùm accidens autem dicitur ſenſibile, vt ſi album ſit Darij filius: ſecundùm accidens enim hoc ſentitur, quoniam accidit albo hoc quod ſentitur*, & D. Thom. ibidem lect. 13. ait: *Secundùm accidens ſenſibile dicitur, vt ſi dicamus, quod Darius, vel Socrates eſt ſenſibile per accidens, quia accidit ei eſſe album: hoc enim ſentitur per accidens, quod accidit ei, quod ſentitur per ſe: accidit autem albo quod eſt ſenſibile per ſe, quòd ſit Darius*, vnde Darius eſt ſenſibile per accidens. Alia autem ſenſibilia, propria videlicet, & commune per ſe ſentiuntur, ſed diuerſo modo: nam ſenſibile proprium ita ſentitur per ſe ab vno ſenſo externo, vt non poſſit ab alio ſenſu externo ſentiri: ſenſibile verò commune ita per ſe ſentitur ab vno ſenſu externo, vt etiam poſſit ſentiri ab aliis ſenſibus externis, licèt non ſit neceſſe ab omnibus ſentiri. Eſt & aliud diſcrimen, nam ſenſibile proprium per ſe primò ſentitur, nam vt docent Ariſtot. & D. Tho. loco citato, eo ipſo eſt proprium obiectum ſpecificatiuum talis ſenſus, & conſequenter debet ad illud per ſe primò tendere, quod eſt ipſum per ſe primò ſentire: ſenſibile verò commune, quia non eſt ſpecificatiuum ſenſus cùm ſit commune pluribus, non poteſt per ſe primò reſpici, aut ſentiri ab aliquo ſenſu.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſt. & D. Thom. Ariſtoteles in hoc 2. libro cap. 6. ſic ait: *Dicitur autem ſenſibile tripliciter, quorum duo quidem dicimus per ſe ſentire, vnum autem ſecundùm accidens: duorum autem aliud quidem proprium eſt vniuſcuiuſque ſenſus, aliud autem commune omnium.* Quod ſic exponit D. Th. ibidem lect. 13. *Senſibilia autem tribus modis dicuntur: vno quidem modo per accidens, & duobus modis per ſe, quorum vno dicuntur ſenſibilia illa, quæ propria ſunt ſingulis ſenſibus, alio modo dicuntur ſenſibilia illa, quæ communiter ſentiuntur:* Ergo ſenſibile externum rectè diuiditur in ſenſibile proprium, commune, & per accidens.

Secundò, ſenſibile externum eſt illud, quod apprehenditur aliquo modo per ſenſum externum, vt patet ex ipſis terminis: ſed aliquid poteſt triplici modo generali apprehendi per ſenſum externum, ſcilicet vel per ſe primò, vel per ſe ſecundò, vel tandem per accidens, qui eſt infimus modus apprehendendi: ergo eſt tantùm triplex genus ſenſibilium externorum, ſcilicet ſenſibile proprium, quod per ſe primò ſentitur, ſenſibile commune, quod per ſe ſecundariò ſentitur, & denique ſenſibile per accidens, quod per accidens, & ratione alterius, & non ſui ſentitur: ita explicat D. Thom. 1. p. q. 17. art. 2. vbi ait: *Similitudo alicuius rei in ſenſu eſt tripliciter, vno modo primò & per ſe, ſicut in viſu eſt ſimilitudo colorum & aliorum propriorum ſenſibilium, & alio modo per ſe ſed non primò, ſicut in viſu eſt ſimilitudo figuræ, vel magnitudinis, & aliorum ſenſibilium communium omnium, tertio modo nec primò, nec per ſe, ſed per accidens, ſicut in viſu eſt ſimilitudo hominis, non inquantum eſt homo, ſed inquantum huic colorato accidit eſſe hominem.*

Probatur ſecunda pars concluſionis. Senſibile proprium cùm per ſe primo reſpiciatur à ſenſu, eſt eius ſpecificatiuum, vt dictum eſt: conſtat autem quòd vnius rei non eſt niſi vnum ſpecificatiuum: ergo cùm ſint quinque ſenſus externi, vt dicetur infra, ſenſibile proprium eſt quintuplex, ſcilicet viſibile prout includit tam lucem quàm colorem ſonus, odor, ſapor, & tangibilis qualitas.

Probatur tertia pars concluſionis tum authoritate Ariſt. in hoc 2. libro textu 64. vbi loquens de ſenſibilibus ſic ait: *Communia verò ſunt motus, quies, numerus, figura, & magnitudo*: Quod etiam affirmat ibidem D. Thom. tum ſequenti ratione. *Quinque aſſignata per ſe ſecundò immutant plures ſenſus, non autem per ſe primò: cùm non tribuant vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam ſenſui, eo quòd ſint communia pluribus, non inſpiciuntur, nec ſentiuntur per ſe primò, bene tamen per ſe ſecundò, quia huiuſmodi ſenſibilia faciunt aliquam diuerſitatem in immutatione ſenſus aliter quippe immutatur ſenſus à magna ſuperficie, & à parua, aliter ab albo quieſcente, & ab albo ſe mouente: quod autem immutent plures ſenſus conſtat experientiâ, omnia ſiquidem percipiuntur & à viſu, & à tactu: ad iſta quinque etiam reducuntur alia quæ poſſunt adduci, nam tempus reducitur ad motum vt affectio eius, & habens eumdem modum eſſendi ſucceſſiuum, vnitas reducitur ad numerum, vt principium eius: ſitus denique & diſtantia ad magnitudinem, quia ſitus eſt modus quidam magnitudinis, & ex diuerſo ſitu diuerſa etiam oritur diſtantia:* Ergo ſenſibile commune diuiditur in motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem.

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. 1. p. q. 78. art. 3. ad 2. & in præſenti lect. 13. quòd licèt tam ſenſibilia communia,

communia, quàm sensibilia per accidens non percipiantur à sensu non percepto aliquo sensibili proprio, tamen adhuc manet disparitas inter ipsa, nam sensibilia communia, licèt non immutent sensum per speciem condistinctam ab specie sensibilis proprij, tamen modificant talem speciem, & ponunt in ea quemdam modum, ratione cuius modaliter ipse sensus immutatur: sensibilia verò per accidens ita indigent sensibilibus propriis, & immutatione eorum, vt ipsà ratione sui nullo modo immutent sensum producendo in illo aliquid distinctum ab specie sensibilium propriorum: ita Aristot. textu 65. vbi ait: *Secundùm accidens enim hoc sentitur, quoniam accidit albo hoc quod sentitur: unde nihil patitur secundùm quod huiusmodi est à sensibili*: Quòd sic exponit D. Th. *Accidit autem albo, quod est sensibile per se, quòd sit Diares, vnde Diares est sensibile per accidens, vnde nihil patitur sensus ab hoc inquantum huiusmodi.* Igitur sensibile per accidens, vt ait D. Th. lect. 13. sentitur quatenus eius sensibile proprium sentitur: ipsum verò propter coniunctionem accideotalem cum sensibili proprio statim sentitur, aut cognoscitur per aliam potentiam sentientis; & hic licèt imperfectissimos, tamen aliquis modus est sensationis: hoc autem prouenit quia sentitur sensibile proprium in concrato, siue vt in subiecto: videtur enim nnn albedo, sed album, siue albedo in subiecto, ita vt albedo ratione sui, subiectum veto rationa albedinis videatur: licèt autem sensibile commune aliquando in esse tei coniungatut per accidens cum sensibili proprio, vt motus cum albo, non tamen tunc est sensibile tantùm per accidens ratione iam dictà. Ad aliud dicendum, quòd omne sensibile continetut sub obiecto sensûs, sad diuerso modo, nam sensibila proprium, cùm sit prima radix sentiendi, licèt materialiter posset dependere vel à sensibili communi, vel à sensibili per accidens, ditactè tamen continetut vt proprium specificatiuum, sensibile verò commune, & per accidens continetut indirectè & raductiuè, illud vt modus intrinsecus tali radici, istud autem quasi extrinsecè: coniungi autem per se, aut pet accidens cum sensibili proprio non facir aliquid esse sensibile per se, aut per accidens, nam sapidum vnitur per accidens cum albo, & tamao oon est sensibile pet accidens, imò est sensibila proprium gustùs, quamuis sit visibile pet accidens ax D. Thom. lect. 13. citatà: & econtra ignis per se vnitur calori tanqnam proprietati, & tamen ignis est sensibila per accidens.

Ad secundum dicendum, quòd substaotia ast sensibile per accidens, oon autem imprimit propriam speciem in sensu, nec est necesse, cùm sensibile pet accideus non cognoscatur distinctè ab ao sensu, respectu cuius dicitur sensibile, sed sufficit quòd saltem ab intellectu sentlentis non ità confusè, sed aliquo modo distinctè attingatur: hoc tamen debat fieri siue speciali indagine: vnde subdit D. Thom. loco citato. *Quod ergo sensu propria non cognoscitur* nota distioctè *apprehenditur intellectu, non tamen omne quod intellectu apprehendi potest in re sensitina, poterit esse sensibile per accidens, sed statim quead occursum rei sensata apprehenditur intellectu, sicut cùm statim video aliquem loquentem, vel monere seipsum, apprehendo per intellectum vitam eius, vnde possum dicere quòd video eum viuere: hoc autem prouenit ex connexione, & concomitantia cannaturali in essa rei obiecti sensibilis per accidens cum sensibili propria, quod sensus per speciem sensibilis proprij confusè attingit sensibile per accidens, & intellectus statim distinctè attingit ob maiorem sui perfectionem efformando speciem illius ex phantasmate, in quo virtualiter continetur.*

Ad tertium dicendum, quòd quies sentitur negatiuè per non immutatlonem, quia non diuersimodè immutat, sed semper vniformiter se habet, pet quietem enim intelligitur consistentla ral sub vno situ: ad hoc autem vt aliquid hoc modo sentiatur, non requiritur quòd sit ens reale, vt patet in tenebris, neque quòd immutet, aut agat in sensum: imò requiritur quòd non immutet, neque agat. Ad aliud dicendum, quòd sensus non apprehendit quidem partes præteritas & futuras motûs, sed partes in actu exercito fluentes, vt coexistunt visioni, aut alteri sensationi. Sensibilia autem communia dicuntur ab Aristotele esse communia omnibus sensibus per accommodam distributionem: sic enim ait D. Thom. *Exponit quòd communia sensibilia sunt ista quinque, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo: hæc enim nullius sensus vnius sunt propria, sed sunt communia omnibus; quod non est sic intelligendum, quasi omnia ista sint omnibus communia, sed quadam horum, scilicet numerus, motus, quies sunt communia omnibus sensibus: tactus verò, & visus percipiunt omnia quinque.*

Articvlvs II.

Vtrùm sensibile commune imprimat in sensu aliquam speciem omnino condistinctam ab specie sensibilis proprij.

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd sensibile commune imprimat in sensu propriam speciem omnino condistinctam ab specie sensibilis proprij. Ita tenent Scotus in 4. d. 12. quæst. 3. Ægidius, & alij. Probatur authoritate D. Thom. 1. p. quæst. 17. art. 2. vbi dicit quòd in sensu est similitudo figuræ, magnitudinis, & aliorum sensibilium communium: ergo sensibile commune imprimit in sensu aliquam spaciem omnino condistinctam ab specie sensibilis proprij.

¶ 2. Præterea, Species coloris, aut alterius sensiblis proprij oon teptæsentat, nisi tantùm colorem, nam ab illo solo immittitut, vnde est solùm eius vices gerens: argo vt visus, aut alius sensus percipiar aliquod sensibile commune, indiget proptià specia illius omnino condistinctà ab specie colotis, quia repugnat aliquam potentiam cognuscitiuam percipere aliquid siue specie illud reptæseutante: & hoc maximè quia sensibile commune est diuersæ rationis in esse rei à sensibili proprio vt patet, ac proinde in essa intentionali, quod fundatur in naturali & entitatiuo, & ita quodlibet debet imprimere in sensu propriam speciem & condistinctam ab alia, quia species intentionalis est eiusdem protsua naturæ in esse intentlonali, ac est obiectum in esse naturali, & consequentet cùm natura sensibilis communis sit distincta à natura sensibilis proprij, etiam species intentionalis aius debet asse distiucta ab specie sensibilis proprij.

¶ 3. Prætetea, Potest contingete vt sensibile commune percipiatur à sensu absqua sensibili proptio: oam si quis esset prope Cœlum, & manu tangetet illud, perciperet magnitudinem & figuram; & tamen non perciperet primas qualitates, quæ sunt sensibilo proptium, quia ibi non sunt. Quod similitat apparet in ao, qui tangeretur ab alio habente eamdem cum ipso temperiem primarum qualitatum, tunc enim sentiret magnitudinem tangeotis, & non primas qualitates. Item sæpè videtur magnitudo tei distantis, & non colot. Item si opponatur alicui habenti uculos clausos corpus opacum, percipit ibi esse corpus, non autem vidat eius colorem: ergo seosibile commune imptimit speciem sui omnino condistinctam ab specie sensibilis proptij, cùm enim percipiatur, & non per speciem alienam, debet imprimere propriam, & hoc semper, quia semper est eiusdem rationis, & sic semper aodem modu immutat sensum.

¶ 4. Prætetea, Si aliquis videt album, & illud diuersificatur in sola figura, talis diuersitas percipietur à videnta, vt ex sa patet: ergo illud album ratione nouæ figuræ immittit propriam, & nouam speciem repræsentantem illam, cùm nouum obiectum non possit percipi sine noua specie, ac proinde figura producit speciem sui omnino condistinctam ab specie illius albi, nam hæc de nouo aduenit temanente specie albi, quæ priùs erat.

Sed contra eſt authoritas D.Thom. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, Bannes 1. part. quæſt. 78. art. 3. dub.9. noſtri Complutenſes in præſenti, ac plures alij, etiam extra ſcholam D.Thom. Suares, Ruuius, Conimbricenſes, &c.

Conclvsio.

Cùm ſenſibile commune per ſe primò non percipiatur à ſenſu, non imprimit in ipſo aliquam ſpeciem omninò condiſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij.

Respondeo dicendum, quòd ſenſibile commune non imprimit in ſenſu ſpeciem omnino condiſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij 2. ſed ſolùm modificat ſpeciem ſenſibilis proprij. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt dari ſpecies intentionales, vt infra probabitur, quibus mediis obiecta materialia vniuntur cum ſenſibus: cùm enim ipſa obiecta non poſſint per ſe vniri ratione ſuæ materialitatis, natura prouidit has ſpecies tanquam ipſorum vices gerentes: producuntur autem ab obiectis virtute corporis cœleſtis, quæ productio etiam ceſſante motu Cœli perſeuerabit, vt docet D.Thom. quæſt.5. de potentia art.8.

Probatur concluſio quoad vtramque partem authoritate D.Thom. 1. parte quæſt.78. art.3. ad 2. vbi ſic ait: *Senſibilia communia non mouent ſenſum primò & per ſe, ſed ratione ſenſibilis qualitatis, vt ſuperficies ratione coloris, nec tamen ſunt ſenſibilia per accidens, quia aliquam diuerſitatem faciunt in immutatione ſenſûs, alio enim modo immutatur ſenſus à magna ſuperficie, & à parua.* Item hoc ſecundo libro lect. 13. ait: *Differentiam autem circa immutationem ſenſûs poteſt aliquid facere dupliciter, vno modo quantùm ad ipſam ſpeciem agentem, & ſic faciunt differentiam circa immutationem ſenſûs ſenſibilia per ſe, ſecundùm quòd hoc eſt color, illud autem eſt ſonus, hoc autem eſt album, illud verò nigrum: quædam verò alia faciunt differentiam in tranſmutatione ſenſuum, non quantùm ad ſpeciem agentis, ſed quantùm ad modum actionis, qualitates enim ſenſibiles mouent ſenſum corporaliter & ſitualiter, vnde aliter mouent ſecundùm quòd ſunt in maiori vel minori corpore, & ſecundùm quòd ſunt in diuerſo ſitu, ſcilicet vel propinquo vel remoto, vel eodem vel diuerſo, & hoc modo faciunt circa immutationem ſenſuum differentiam ſenſibilia communia.*

Probatur prima pars concluſionis. In hoc differunt ſenſibile proprium & ſenſibile commune, quòd ſenſibile proprium per ſe primò inſpicitur à potentia, & eſt eius ſpecificatiuum, ſenſibile autem commune inſpicitur tantùm per ſe ſecundò, & non ſpecificat potentiam, vt dictum eſt ex Ariſt. & D. Th. ſed ſi haberet ſpeciem propriam, ſicut ſenſibile proprium, non eſſet aſſignabilis ratio, cur per ſe primò non inſpiceretur à ſenſu, vt ex ſe patet: ergo illam non habet.

Secundò, ſi ſenſibile commune haberet ſpeciem propriam omnino condiſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij, vel talis ſpecies eſſet eiuſdem rationis reſpectu cuiuſcumque ſenſûs, vel eſſet diuerſæ ſpeciei pro diuerſitate ſenſuum: primum non poteſt dici, quia ſenſus diuerſi requirunt ſpecies diuerſæ rationis, natura enim vniuſcuiuſque ſenſûs, temperamentum, quantitas, & figura commenſurantur ſuo proprio ſenſibili, & ſpeciebus ab eo immiſſis: ſecundum etiam non poteſt dici, quia cùm ſit idem ſenſibile, ſemper aget eodem modo, & immittet ſpecies eiuſdem rationis: ergo ſenſibile commune non habet ſpeciem propriam omnino condiſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij. Nec valet ſolutio Ianduni, quòd ſcilicet viſus percipit vt viſus ſenſibile proprium: vt ſenſus autem ſenſibile commune, & ſic ſpecies ſunt eiuſdem rationis, ſed ſuperioris ad omnes ſenſus externos. Nam contra, viſus percipit ſenſibile commune quatenus viſus eſt, non enim percipit niſi videndo, & ſic proportionatè de aliis, nam operatio emanat à potentia ſecundùm quòd eſt à parte rei: deinde ex oppoſito ſequitur, quòd quilibet ſenſus externus poſſit percipere quodcumque ſenſibile commune, nam quilibet participat rationem ſenſûs, ſecundùm quam immutaretur à ſenſibili communi. Denique quia ſenſus priùs attingeret ſenſibile commune, quàm proprium, nam attingeret illud ſecundùm rationem generalem ſenſûs, quæ eſt prior ratione particulari, quod tamen eſt contra Ariſtot. & D. Thom. qui docent ſenſibile proprium per ſe primò, ſenſibile verò commune per ſe ſecundò immutare ſenſum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Senſibile commune debet aliquo modo per ſe immutare ſenſum, cùm ſit ſenſibile per ſe, quod idem eſt, ac immutatiuum ſenſûs per ſe: ſed non immutat illud per hoc quòd producat propriam ſpeciem omnino condiſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij, vt dictum eſt: ergo per hoc quòd illum modificet, cùm non ſit alius modus vt patet: alioquin ſenſus non perciperet illud, nihil enim percipit, niſi quod aliquo modo repræſentatur in ſpecie ſui obiecti.

Secundò, in hoc diſtinguitur ſpecies intelligibilis ab ſpecie ſenſibili & intentionali, vt docent communiter Philoſophi, quòd illa ſolùm repræſentat quidditatem rei materialis, id eſt, denudatam ab omnibus conditionibus indiuiduantibus; & hoc quia eſt ſpecies purè ſpiritualis: hæc verò cùm ſit adhuc materialis immediatè impreſſa ab obiectis materialibus, repræſentat talia obiecta cum conditionibus indiuiduantibus, ſcilicet cum tali magnitudine, figura, motu, quiete, numero, quæ ſunt ſenſibilia communia: ergo in iſtis ſpeciebus eſt quidam modus modificans ipſas, dependens à ſenſibilibus communibus, ratione cuius in tali ſpecie repræſentantur, ſed tantùm ſecundariò, cùm modus eſſentialiter præſupponat eam modificatam: & ita eius repræſentatio præſupponit priùs naturà repræſentationem ſpeciei modificatæ, & illi ſubordinatur: hic autem modus cùm modificet ſpeciem ſenſibilis proprij, & concurrat vt modus, ſequitur naturam & modum immutandi ſenſibilis proprij, in ordine ad quod ſunt diſpoſita organa ſenſuum: & ſic eſt multiplex in virtute, quatenus modificat diſtincta ſenſibilia propria, & ita producit modificationes diſtinctæ rationis: vnde ſenſibile commune immutat viſum, vt viſus eſt, auditum, vt auditus eſt &c. id eſt, iuxta naturam vniuſcuiuſque ſenſûs, quia vt dictum eſt, producit in ſpecie quamdam modificationem diſtinctæ rationis, & ſecundùm vnam immutat viſum vt viſum, ſecundùm quam non poteſt immutare auditum, & ſic proportionaliter de aliis: numerus autem per hoc dicitur immutare ſenſum, quòd cùm videntur duo alba v. g. immutatio vnius connotat immutationem alterius, & hæc connotatio in ordine ſenſibili eſt modificatio prædictarum ſpecierum: præſupponit enim ipſas per modum primarum formarum, & tribuit quòd obiecta illa taliter, vel taliter, & non abſolutè ac ſimpliciter videantur: nec tamen ex his ſequitur quòd in ſpecie ſenſibilis proprij debeat eſſe aliqua modificatio ſubſtantiæ propter dependentiam ſenſibilis proprij à ſubſtantia: nam licèt in eſſe rei ſenſibilia propria plus dependeant à ſubſtantia quàm à ſenſibili communi, non tamen in ordine ſenſibili, quod manifeſtè experimur: nam mutatâ ſubſtantiâ non mutatur viſio etiam modaliter, vt conſtat in eo qui continuò reſpicit hoſtiam ante, & poſt conſecrationem, ſecus tamen variatis ſenſibilibus communibus: & ita ſubſtantia eſt tantùm prima radix eſſe ſenſibilis proprij in ordine naturali, non autem in ordine ſenſibili, nam in hoc ordine ſenſibilia propria, non verò ſubſtantiæ ſunt ſpecificatiua, & diſtinctiua ſenſuum.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. ſolùm vult in ſenſu eſſe ſimilitudinem ſenſibilium communium ratione modificationis explicatæ in ſpecie ſenſibilis proprij, non verò ratione propriæ ſpeciei omnino condiſtinctæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſpecies coloris modificata modo explicato immittitur tum à colore, tum à ſenſibili communi, vt quantitate, figura, &c. ab illo quidem vt à principali agente, ab iſtis verò vt ab agentibus modificantibus illam: licèt autem in eſſe rei ſint diuerſæ rationis, in ordine tamen ſenſibili computantur

vt agens principale, & vt agens modificans actionem, & effectum eiuſdem agentis principalis: vnde non eſt eadem comparatio in ordine naturali, & in ordine ſenſibili, illáque modificatio in ordine intentionali eſt eiuſdem naturæ cum ſenſibili communi, quod in eodem ordine modificat ſenſibile proprium, ſicut ſpecies ſenſibilis proprij eſt eiuſdem naturæ in eſſe intentionali cum ſenſibili proprio.

Ad tertium dicendum, quòd antecedens eſt falſum: ad primam inſtantiam, qua probatur, dicendum quòd non ſolùm quatuor primæ qualitates ſunt tangibiles, ſed etiam plures aliæ, vt ſolidum, terſum, molle, &c. ait enim Ariſtoteles in hoc 2. libro textu 107. *In tangibili autem multa ſunt contrarietates, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, durum*, &c. vbi D.Thom. ait, *In tangibili ſunt multa contrarietates, ſcilicet calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, durum, & molle, & quædam alia huiuſmodi, vt graue & leue, & acutum, & hebes, & ſimilia:* Vnde tangens Cœlum per tactum per ſe primo perciperet duritiem, vel aliam qualitatem eius ſecundam tangibilem, & cum illa ac ratione eius perciperet magnitudinem & figuram: ſi autem per tactum non apprehenderet aliquam ex aſſignatis qualitatibus, nec apprehenderet ibi magnitudinem & figuram per tactum, ſed ſolùm per intellectum. Ad ſecundam inſtantiam dicendum, quòd ſi daretur ille caſus Metaphyſicus, quòd eſſent in vtroque æquales omnes qualitates tangibiles, tunc nihil perciperetur per tactum. Ad tertiam dicendum, quòd in illo caſu videtur & color, & magnitudo confusè, non enim propter nimiam diſtantiam videtur diſtinctè quis ſit color, aut quanta magnitudo. Deinde tale corpus videtur ſub luce, quæ eſt etiam ſenſibile proprium visûs. Ad quartam tandem dicendum, quòd videtur illa magnitudo oculis clauſis, quia propter aliqualem tranſparentiam palpebrarum videtur etiam imperfectè aliqua lux, vnde ſi palpebræ ſint nimiùm compreſſæ, ita vt nulla lux videatur, nec etiam videbitur illud corpus opacum.

Ad quartum dicendum, quòd ſolùm conuincit addendam eſſe nouam modificationem in illa ſpecie alibi, ratione nouæ figuræ: obiectum enim ita producit ſpeciem, vt illa ab ipſo dependeat non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari propter maximam debilitatem ſuæ entitatis: vnde niſi obiectum continuò influat, perit; influit autem ſecundùm quòd eſt, & ita ſi diuerſificetur in figura, immittit ſpeciem ſub diuerſa modificatione talis figuræ.

Articvlvs III.

Vtrùm ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impediat ſenſationem?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non impediat ſenſationem. Ita tenent aliqui, differunt tamen in hoc quòd quidam aſſerunt nullum ſenſum præter viſum indigere medio, ad hoc vt percipiat ſuum ſenſibile, & etiam viſum non indigere illo reſpectu corporum lucidorum, at tantùm reſpectu opacorum, ita Toletus in præſenti: Ruuius, autem hoc reſtringit ad odoratum, guſtum, & tactum: Conimbricenſes verò ad guſtum, & tactum. Probatur ſigillatim per omnes ſenſus. Clauſis oculis aliquando videtur ſplendor in humore albugineo inhærens, ac tangens pupillam, ſimiliter dum fricantur oculi aliquando videtur lumen internum contiguum ſenſorio, imò ordinariè lumen videtur, & tamen continuatur vſque ad interiorem partem oculi vbi eſt potentia viſiua: ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum visûs non impedit ſenſationem.

§ 2. Præterea, Sonus penetrat realiter, maximè dum eſt vehemens, vſque ad interiorem partem auris, vbi eſt ſenſus auditûs, imò videtur quòd fiat ſenſatio in auditu per hoc quòd os paruum adinſtar mallei percutiat alium adinſtar incudis, quæ oſſa ſunt intra aurem; ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum auditûs non impedit ſenſationem.

§ 3. Præterea, Exhalationes odoriferæ aſcendunt realiter vſque ad organum odoratûs, imò vſque ad cerebrum, quod confortant, vt ipsâ conſtat experientiâ: ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum odoratûs non impedit ſenſationem.

§ 4. Præterea, Sapor contingens neruum poteſt in eo producere ſpeciem ſui, & ita ſentietur: ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum guſtûs non impedit ſenſationem.

§ 5. Præterea, Quotidie experimur quòd calidum poſitum ſupra carnem ſentitur: ſed caro eſt organum tactûs, vt docet Ariſtoteles 2. de partibus animalium cap. 8. ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum tactûs non impedit ſenſationem: & licèt concedatur quòd neruus ſit ſenſorium tactûs, adhuc habetur intentum, nam ſi ipſe neruus vel pungatur, vel comburatur, maximus ſentitur dolor.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, Bannes 1.p.q.78.art.3.dub.6. noſtri Complutenſes hîc diſp.9. q.3. Ferrar. q. 19. Iauellus q. 5. & alij.

Conclvsio.

Cùm potentia, ad hoc vt eliciat ſuam operationem, debeat habere ſpeciem obiecti ſibi proportionatam, ſaltem in immaterialitate, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem.

Respondeo dicendum, quòd ſenſibile immediatè poſitum ſupra ſenſum externum non poteſt ab eo ſentiri ſecundùm quòd eſt immediatè ſuperpoſitum, ſed impedit ſenſationem: vnde quilibet ſenſus requirit medium inter ſe, & ſenſibile ad hoc, vt eliciat ſenſationem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd eſt duplex medium vnum internum, ſcilicet pars animalis ſentientis medians inter ſenbile & ſenſum, aliud verò externum, quod debet eſſe quid diſtinctum ab animali, & medians inter potentiam ſenſitiuam eiúſque obiectum: hîc autem difficultas procedit indeterminatè de hoc, vel illo medio, & de ſenſibili quod ita ponitur ſupra ſenſum, vt ei contingetur; quod enim inhæreat ſolùm contingit in ſenſu tactûs, de quo tamen patebit ex dicendis.

Probatur concluſio authoritate Ariſtotelis, & D.Th. Ariſtoteles in hoc 2. libro cap. 8. poſtquam dixit viſibile poſitum ſupra ſenſum impedire viſionem, ſubdit: *Eadem autem ratio eſt de ſono, & de odore, nihil enim ipſorum tangens ſenſorium facit ſenſum, ſed ab odore quidem, & ſono media mouentur, ab hoc autem ſenſitiuorum vtrumque: cùm autem ſuper ipſum ſenſitiuum aliquis apponit olens, aut ſonans, neutrum ſenſum facit: de tactu autem, & guſtu habet ſe ſimiliter.* Quæ verba exponens D.Thom. lect. 15. ſic ait: *Oſtendit quod ſimiliter ſe habet in aliis ſenſibus, ſicut in viſu, & dicit quòd eadem ratio eſt de ſono & odore, ſicut & de colore, nullum enim eorum ſentitur, ſi tangit organum ſenſus, ſed ab odore & ſono mouentur media, à medio autem vtrumque organorum, auditus ſcilicet, & olfactus: ſed cùm aliquis ponit corpus odorans, aut ſonans ſuper organum ſensûs, non ſentitur: & ſimiliter eſt in tactu & guſtu.* Idem repetit Ariſtoteles cap. 11. & D.Thom. lect. 23.

Secundò, ad hoc vt potentia eliciat ſuam odorationem, debet habere ſpeciem obiecti ſibi proportionatam, ſaltem in immaterialitate, vt patet inductione in omnibus, nam quia intellectus eſt omnino immaterialis & ſpiritualis, requirit ſpeciem intelligibilem ſpiritualem, & omnino immaterialem, & ſic proportione ſeruatâ, quò potentia eſt immaterialior, eò requirit ſpecies magis immateriales, quia in ipſa debent recipi vitaliter & intentionaliter, ac concurrere ad operationem vitalem: ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem, quia ſpecies intentionales, dum immediatè exeunt ab obiectis materialibus, ſunt craſſiores, & in medio attenuantur, & quò maior eſt diſtantia medij, eò magis attenuantur, vt patet experientiâ: vnde iuxta maiorem, vel minorem immaterialitatem ſenſuum, requiritur maius,

vel minus medium, in quo producantur ſpecies, & à quo ſub minore materialitate ad ſenſum immittantur, ſiue aliæ producantur: hæ ſpecies, vt dictum eſt, quò magis diſtant ab obiecto, eò ſunt nobiliores, quia ſunt magis immateriales, nam in ſui principio ſunt craſſiores, poſtea ſucceſſiuè, & gradatim fiunt tenuiores, ac proinde magis immateriales: nam obiectum, cùm ſit omnino materiale, licèt virtute influentiæ Cœli Chryſtallini, & lucis medij emanet ſpeciem viſibilem aliquo modo immaterialem, tamen hæc ſpecies iam producta, cùm ſit immaterialior obiecto, virtute eiuſdem influentiæ, & lucis producit aliam tenuiorem, & ſic gradatim vſque ad potentiam, & in hoc differt ordo ſenſibilis ab ordine naturali, naturalis enim ordo habet quòd cauſa fortiùs & perfectiùs agat in propinquum, quàm in diſtans, ordo verò ſenſibilis perfectiùs in diſtans, quàm in propinquum, ob rationem dictam, hoc tamen debet intelligi intra ſphæram proportionatam, nam quando ſpecies incipiunt deficere à perfecta & diſtincta repræſentatione obiecti, incipiunt etiam ſucceſſiuè eſſe imperfectiores, licèt ſint tenuiores, & magis immateriales: & licèt hæ ſpecies ita ſe habeant, vt vna ſit ſubtilior aliâ, tamen ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut terra leuior & craſſior.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille fulgor cauſatur ex ſpiritibus vitalibus, qui exeunt ex oculo, vel propter compreſſionem, vel alio modo, non tamen videtur niſi ſecundùm partes diſtantes à pupilla, nec lumen, quod eſt intra pupillam, videtur, ſed ſolùm illud quod eſt in medio, cuius experientia habetur, nam corpus lucidum, quò magis appropinquatur pupillæ, eò minus videtur, vnde colligitur potentiam viſiuam indigere medio externo.

Ad ſecundùm dicendum, quòd ſonus ordinariè non pertingit realiter vſque ad ſenſorium auditûs, quia meatus auris ſunt circulares, & pleni humore viſcoſo: ſi autem realiter pertingat, non ſentitur, ſed lædit organum. Ad aliud dicendum, quòd illa oſſa non ſe percutiunt, dum fit auditus, nec ad hoc ſunt prouiſa à natura, ſed ad firmandum timpanum auris, vt dicetur infra: ſonitus autem, qui auditur intus aures aliquando, non eſt in ipſo organo, ſiue ſubſtantia aërea, ſed in aëre reſperſo in concauitate auris, nam illa ſubſtantia eſt valde munita à natura.

Ad tertium dicendum, quòd licèt illæ exhalationes odoriferæ aſcendant realiter vſque ad organum odoratûs, de quo tamen poteſt dubitari, non tamen ſentiuntur per eamdem partem quam contingunt, ſed per aliam, reſpectu cuius pars contacta habet rationem medij.

Ad quartum dicendum, quòd ſi ſapor, ſiue vapor ſapidus immediatè contingat neruum, qui eſt organum guſtûs, non ſentitur, ſed priùs reſpergitur in carne linguæ, quæ eſt medium in guſtu, & inde ad neruum peruenit.

Ad quintum dicendum, quòd calidum poſitum ſupra carnem ſentitur, quia caro non eſt organum, ſed medium tactûs, vt infra dicetur, vnde neruus eſt organum, qui ſi nudus eſſet ſine colligatione ad carnem, nullum ſentiret dolorem, quamuis pungeretur, aut combureretur. Deinde dato quòd caro eſſet organum tactûs, calidum ſupra ipſam poſitum ſentiretur, non ab illa parte, quam immediatè tangeret, ſed ab alia.

Articvlvs IV.

Vtrùm vehemens ſenſibile lædat & corrumpat ſenſum externum?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd vehemens ſenſibile non lædat aut corrumpat ſenſum externum, vt agit intentionaliter, ſed tantùm vt eſt agens naturale, inquantum ſcilicet vnà cum ſpecie intentionali immittit aliquas qualitates naturales in organum, ſeu ſubiectum illius, per quas deſtruit naturalem eius diſpoſitionem. Ita tenent Rouius in præſenti, & alij ex recentioribus. Probatur. Senſus læditur tantùm per accidens à vehementi ſenſibili, quia ſenſus, & quæuis alia potentia vitalis non habet contrarium, à quo per ſe lædatur: ergo ſenſus non læditur à vehementi ſenſibili agente intentionaliter, ſed ab eo agente naturaliter, & hoc intendit Ariſtoteles, qui dixit lædi non potentiam ſenſitiuam, ſed ſenſorium, aut ſubiectum illius.

§ 2. Præterea, Species intentionalis eſt valde debilis, & inferioris ordinis in agendo, ac valde diminuta reſpectu agentis naturalis vt patet: ergo non poteſt cauſare læſionem, aut corruptionem ſenſûs, quæ ſunt effectus naturales, & non poſſunt cauſari niſi per alterationem Phyſicam, maximè quia ſpecies intentionalis agit in ſenſum modo quodam ſpirituali, conſtat autem quòd alteratio ſpiritualis non eſt corruptiua, ſed perfectiua ex Ariſtotele in hoc 2. libro cap. 5.

§ 3. Præterea, Quilibet ſenſus reſpicit ſuum obiectum ſecundùm totam ſuam latitudinem, cùm ab illo ſpecificetur: aliàs dandus erit vnus ſenſus, qui tale obiectum limitatè, & alius qui ſecundùm totam latitudinem reſpiciat, cùm ſub vtroque modo poſſit terminare potentiam: ergo ſenſus non læditur ab obiecto excellenti, ſiue à vehementi ſenſibili agente intentionaliter, cùm ipſa excellentia contineatur intra latitudinem obiecti. Imò quò perfectior erit ſpecies, eò ſenſus perficietur ampliùs, quia eliciet perfectiorem cognitionem, in qua percipit maiorem voluptatem, quod experimur in intellectu, qui eò magis perficitur, quò perfectiores cognoſcit ſubſtantias.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, in hoc 2. libro cap. 12. & D. Thom. ibidem lectione vltima, & infra libro 3. textu 143. lect. 2. quos ſequuntur Caietanus 2. de anima ad text. 123. & 143. Ferrar. ibid. q. 21. Aquarius ibidem, Bannes 1. p. q. 78. dub. 5. noſtri Complutenſes, Toletus, & alij in præſenti.

Conclvsio.

Cùm debeat eſſe proportio inter ſenſum & ſenſibile, vehemens ſenſibile vt agens intentionale lædit & corrumpit ſenſum.

Respondeo dicendum, quòd vehemens ſenſibile lædit & corrumpit ſenſum, non ſolùm vt agens naturale, 2. ſed etiam vt agens intentionale, ſiue vt præciſè immittit ſpecies: 3. imò non ſolùm ratione ſpecierum intentionalium, ſed etiam ratione ſenſationis, quæ fit mediis prædictis ſpeciebus læditur & corrumpitur ſenſus.

Probatur prima pars concluſionis manifeſtâ, & quotidianâ experientiâ quoad omnes ſenſus externos. Lamina ignita appoſita oculo deſtruit potentiam viſiuam, ſicut & fixus intuitus Solis lædit, & ſi ſit diuturnus, corrumpit. Auditus nimio fragore obtunditur, imò ſi ſit continuus, perit. Odoratus vehementi odore deperditur. Guſtus variis ſaporibus inficitur. Et Tactus igne conſumitur: ergo vehemens ſenſibile lædit & corrumpit ſenſum vt agens naturale.

Probatur ſecunda pars concluſionis ratione Ariſtotelis, & D. Thom. locis citatis. Inter ſenſum & ſenſibile debet eſſe proportio, imò experimur quòd ſenſus delectatur ex perceptione illius ſecundùm mediocritatem: & econtra ſubſequitur illi moleſtia ex perceptione eius ſecundùm ſua extrema, ſiue ſecundùm excellentiam, quod denotat recipi violenter ſenſibile in ſenſu, & non connaturaliter, & quòd vt ſic non ſunt proportionata: ergo excellens & vehemens ſenſibile, vt agens intentionale, ſiue vt immittens ſuas ſpecies intentionales lædit, & corrumpit ſenſum: nam ſicut quæuis potentia perficitur, & bene ſe habet intra aliquem ordinem per receptionem formæ connaturalis intra illum, ſic malè ſe habet, vel etiam deſtruitur per receptionem formæ non connaturalis, & violentæ intra eumdem ordinem, cùm ſit diſſona, & contra naturalem proportionem & commenſurationem potentiæ cum ſuo obiecto.

Secundò, albedo dicitur diſgregare viſum, nigredo congregare, & color viridis, quia conſiſtit in medio extremorum, dicitur recreare, ac corroborare, vt docet Ariſtoteles ſect. 32. problem q. 44. quod ipsâ experientiâ percipitur: ſed hi effectus reales diſgregandi & congregandi, qui poſſunt lædere, imò & corrumpere potentiam,

tiam, procedunt ab albedine & nigredine, vt agunt intentionaliter præcisè: nam sunt aliqua obiecta alba, & nigra, quæ non habent qualitates naturales actiuas, vt in pannis olosericis, & similibus: ergo vehemens sensibile, vt agens intentionale, siue vt præcisè immittit species, lædit & corrumpit sensum.

Probatur tertia pars conclusionis. Sicut sensatio, quæ fit mediâ specie connaturali, est iuxta naturam sensûs, & causat illi delectationem, quia est connaturalis, sic sensatio, quæ fit mediâ specie dissonâ, & disconuenienti, est contra naturam sensûs, & causat illi molestiam, vt pote vehementior: ergo sicut illa perficit sensum, sic ista lædit aut destruit sensum, & organum eius, per prius quidem sensum, quem per prius respicit, deinde organum.

Ad primum ergo dicendum, quòd sensus per se læditur à vehementi sensibili, quod ei contrariatur eo ipso, quòd est improportionatum. Ad illud Arist. dicendum, quòd licèt in hoc lib. vtatur nomine sensorij, vtitur etiam nomine sensûs, sicut & D.Thom. vt intuenti patet, lib. 3. autem expressè nominat sensus, ait enim: *Et propter id corrumpit vnumquodque excellens, acutum, & graue auditum, & in saporibus gustum, & in coloribus visum fortiter fulgidum, & opacum, & in olfactu fortis odor, tanquam ratio quadam sit sensus: siue vt habet alia translatio, quasi sensûs sit quadam perceptio*, Quæ optimè exponit D.Thom.

Ad secundum dicendum, quòd licèt species intentionalis non possit absolutè efficere transmutationem naturalem, secus tamen species intentionalis, quæ habet passiuum corporeum sibi proportionatum: nam si excedat proportionem, qua suo passiuo proportionari debet, poterit eius proportionem & commensurationem soluere: quamuis possit dici, & fortè meliùs, quòd sensibile vehemens vt agens intentionale, non causet directè hanc læsionem & corruptionem per hoc quòd præcisè mediis speciebus causat sensationem, sed indirectè ex eo quòd potentia vtens speciebus illis nimis defatigetur, & ad maiorem conatum quem adhibet, concurrat illic maior copia spirituum animalium, qui sunt ex se calidissimi, ac proinde illic simul conuenientes producunt in organo maiorem calorem, quàm exigat iuxta suum naturale temperamentum, quod experimur in illis, qui nimiùm student. Ad aliud dicendum quòd alteratio Physica per se inducit corruptionem, perfectiua autem non nisi per accidens, inquantum scilicet procedit ab obiecto vehementi, & est propter suam excellentiam dissona potentiæ.

Ad tertium dicendum, quòd quælibet potentia respicit suum obiectum secundùm totam suam latitudinem, vt possibile attingi: non autem dicit quòd illud attingat secundum virtutem connaturalem, aut connaturaliter absque eo quòd ab eo lædatur, qui fuerit vehemens, cuius exemplum habetur in intellectu, qui licèt respiciat verum pro obiecto, non tamen potest attingere verum increatum visione intuitiuâ viribus suis naturalibus, vt communiter docent Theologi 1.p. q.12. & est definitum in Concilio Vienensi. Deinde licèt tale obiectum sit sensibile vehemens respectu alicuius potentiæ particularis, vt Sol respectu visûs hominis, tamen erit proportionatum respectu alterius potentiæ, vt respectu visûs Aquilæ, quæ fixis oculis illum intuetur. Ad aliud dicendum, quòd operatio perficit potentiam, quando est connaturalis & proportionata, lædit autem si sit dissona propter rationem iam dictam. Ad exemplum intellectûs dicendum, quòd est latum discrimen, nam intellectus cùm sit potentia purè spiritualis, & non affixa organo corporeo, non potest defatigari, nec secundùm se lædi, quod non accidit in sensu, qui est potentia materialis & organica.

Articvlvs V.

Vtrùm sensus possit decipi circa sensibilia propria, communia, & per accidens?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd sensus in nullo euentu possit decipi. Ita tenuerunt Epicurei, vt refert Tullius in quæstionibus Academicis, & D.Aug. 8. de ciuitate Dei cap. 7. Probatur. Si aliquando sensus decipiuntur, sequitur quòd nulla sit certitudo in scientiis, nam scientiæ innituntur in principiis. principia autem in experimento, & æstimatione sensuum: sed falsùm est dicere quòd non sit certitudo in scientiis, cùm scientia definiatur esse habitus certus: ergo sensus nullo modo possunt decipi.

§ 2. Præterea, sensus apprehendit rem sicut in specie repræsentatur, species autem talis est, quale est obiectum in se, cùm sit naturalis eius imago: ergo sensus apprehendit obiectum vt in se est, & sic non decipitur.

Sed contra est authoritas Arist. & D. Thom. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm sensus per se primò tendat in sensibile proprium, & tantùm secundariò in sensibile commune, & nullo modo per se in sensibile per accidens, non potest per se decipi circa sensibile proprium, bene autem circa sensibile commune, & multò magis circa sensibile per accidens.

Respondeo dicendum, quòd sensus non decipitur per se circa sensibilia propria, etiam considerata secundùm particulares rationes. 2. sed tantùm per accidens. 3. circa sensibilia verò communia decipitur, & per se, & per accidens. 4. & multò magis circa sensibilia per accidens. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd sensus exterui non possunt decipi per errorem, aut falsitatem formalem, quam vocant compositam, hæc enim solum reperitur in formali iudicio intellectûs, cui soli conuenit iudicare simpliciter, & vnum alteri tribuere, vel ab eo remouere componendo & diuidendo, hoc autem ad summum potest reperiri in aliquo, vel in aliquibus sensibus internis hominis per participationem ab intellectu: vnde præsens difficultas reducitur ad errorem apprehensionis aliqualiter iudicatiuæ, qui in hoc consistit, quòd potentia apprehendat, & aliquo modo iudicet de rebus aliter ac in se sunt, & ita sua apprehensio tribuat intellectui occasionem errandi: hoc totum docet D. Thom. 1. p. q. 17. art. 2. sic enim ait: *Dicendum quòd falsitas non est quærenda in sensu, nisi sicuti ibi est veritas: veritas autem non sic est in sensu, vt sensus cognoscat veritatem, sed inquantum veram apprehensionem habet de sensibilibus, quod quidem contingit eo quòd apprehendit res vt sunt, vnde contingit falsitatem esse in sensu ex hoc quòd apprehendit, vel indicat res aliter quàm sunt.*

Probatur conclusio quoad omnes partes authoritate Aristotelis & D.Thom. Aristoteles in 3. libro textu 161. sic ait: *Sensus quidem propriorum est verus, aut quam paucissimum habens falsum: quod enim sic album non mentitur: dico autem vt motus, & magnitudo accidunt sensibilibus, circa qua est maximè iam decipi secundùm sensum.* Vbi D. Thom. lect. 6. sic ait: *Nam primò quidem circa propria sensibilia semper verus est, aut modicùm habet de falsitate: sicut enim potentia naturales non deficiunt in propriis operationibus, nisi in minori parte propter aliquam corruptionem, sic etiam sensus non deficiunt à vero indicio propriorum sensibilium, nisi in minori parte propter aliquam corruptionem organi, vt apparet in Febricitantibus, quibus propter indispositionem lingua dulcia amara esse videntur. Secundo autem sensus est circa sensibilia per accidens, & hic iam decipitur sensus, quòd enim album sit, quod videtur, non mentitur sensus, sed si album sit hoc, aut illud, putà aut nix, vel farina, vel aliquid huiusmodi, hic iam contingit mentiri sensum, & maximè à remotis. Tertiò sensus est sensibilium communium, qua consequuntur subiecta, in quibus sunt accidentia qua sunt sensibilia propria, sicut magnitudo & motus, qua sunt sensibilia communia, accidunt sensibilibus corporibus, & circa huiusmodi est deceptio, quia iudicium de his variatur secundùm diuersitatem distantia.* Idem docet 1. p. q. 17. art. 2. sic enim ait: *Circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, & in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem*

organi non conuenienter recipit formam ſenſibilem, ſicut & alia paſſiua propter ſuam indiſpoſitionem deficienter recipiunt impreſſionem agentium, & inde eſt quòd propter corruptionem lingua infirmis dulcia amara eſſe videntur. De ſenſibilibus verò communibus, & per accidens poteſt eſſe falſum iudicium etiam in ſenſu rectè diſpoſito, quia ſenſus non directè refertur ad illa, ſed per accidens, vel ex conſequenti, inquantum refertur ad alia.

Secundò, ſenſibile proprium eſt ſpecificatiuum ſenſûs, & quodlibet io particulari participat hanc rationem ſpecificam, ideo quippe dicitur ſenſibile proprium, quia eſt obiectum proprium per ſe primò terminans ſenſum, ac proinde ſpecificans: & econtra ſenſibile commune, & per accidens non ſunt ſpecificatiua ſenſûs; cùm pertineant ad plures, quod repugnat ſpecificatiuo: & ita ſenſus ſolùm tendit per accidens ad ſenſibilia per accidens, ad ſenſibilia verò communia tantùm ex conſequenti, & per ſe ſecundò vt patet ex dictis, & ex authoritate D.Thom. ergo ſenſus non poteſt per ſe decipi. & errare circa ſenſibile proprium, quia potentia, & proprium obiectum ſoot inter ſe commenſurata, ſed tantùm rarò, & per accidens ratione alicuius impedimenti per accidens occurrentis: & econtra poterit omnino decipi & errare circa ſenſibile commune, & multò magis circa ſenſibile per accidens, quia hæc ſenſibilia per ſe primò non commenſurantur cum ipſa potentia, ſolùm enim obiectum primarium & proprium per ſe primò & adæquatè commenſuratur cum potentia.

Tertiò, ſenſus habet cognoſcere per ſimilitudinem rei cognitæ, ſicut res naturalis habet operari per ſuam formam naturalem: ſed res naturalis per ſe loquendo non poteſt deficere ab operatione, quæ ei conuenit ratione ſuæ formæ, bene tamen ab aliquibus accidentibus tali operationi, quæ aliunde proueniunt & conſequuntur prædictam formam: ergo nec ſenſus poteſt deficere per ſe à cognitione propriorum ſenſibilium conuenienter ei ratione ſuæ formæ ſenſibilis, bene tamen à cognitione aliorum, ſcilicet ſenſibilium communium, & ſenſibilium per accidens, quæ conſequuntur cognitionem proprij ſenſibilis.

Ao primum ergo dicendum, quòd io ſcientiis eſt certitudo, quæ fundatur in vniuerſalibus propoſitioonibus comparatis ex multis experientiis, in quibus omnibus per ſe loquendo non potuit eſſe error.

Au ſecundum dicendum cum D. Th. 1.p. loco citato, quòd ſolùm conuincit ſenſum non poſſe errare per ſe circa proprium ſenſibile, non tamen quòd per accidens non poſſit errare, vel ratione indiſpoſitionis organi, vnde febricitans iudicat dulcia eſſe amara, quia habet linguam infectam humore cholerico: vel ratione medij, vnde qui reſpicit per vitrum viride, aut rubrum, omnia iudicat viridia, aut rubra; vel ratione diſtantiæ &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm potentiæ ſenſitiuæ ſint merè paſſiuæ?

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd potentiæ ſenſitiuæ non ſint merè paſſiuæ. Probatur. Potentiæ animæ ſenſitiuæ ſunt nobiliores potentiis animæ vegetatiuæ, ſicut & anima ſenſitiua eſt nobilior animâ vegetatiuâ; nam ſicut potentiæ ſunt proprietates animæ, ſic debent ei commenſurari io oobilitate: ſed ſi potentiæ ſenſitiuæ eſſent merè paſſiuæ, non eſſet nobiliores potentiis animæ vegetatiuæ, quæ ſunt actiuæ, imò eſſent ignobiliores, nam actiuum eſt nobilius merè paſſiuo: ergo potentiæ ſenſitiuæ non ſunt merè paſſiuæ.

§ 2. Præterea, Oculi Baſiliſci ſolo aſpectu occidunt homines, oculi etiam mulieris menſtruatæ inficiunt aërem & ſpeculum, vt docet Ariſt. & ipsâ conſtat experientiâ. ſimiliter oculi muliercularum faſcinant paruulos: ſed hæc non poſſunt fieri, niſi potentiæ ſenſitiuæ eſſent actiuæ: ergo non ſunt merè paſſiuæ.

§ 3. Præterea, Si potentiæ ſenſitiuæ eſſent merè paſſiuæ, maximè per ordinem ad ſua obiecta: ſed eſt impoſſibile quòd obiecta agant io potentias, quod enim eſt inferius & materialius ſicut ſunt obiecta ſenſuum, non agit in illud quod eſt immaterialius & ſuperioris ordinis quales ſunt ſenſus: ergo potentiæ ſenſitiuæ non ſunt merè paſſiuæ.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſt. in hoc 2. libro cap. 5. & D.Th. ibidem, quos communiter ſequuntur non ſolùm Thomiſtæ, ſed & alij Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm potentiæ ſenſitiuæ non agant in obiectum, ſed patiantur ab ipſo, ſunt potentiæ merè paſſiuæ.

RESPONDEO dicendum, quòd potentiæ ſenſitiuæ non dicuntur merè paſſiuæ, quaſi nihil agant, & vitaliter non operentur 2. ſed per ordinem ad ſua obiecta, à quibus patiuntur recipiendo ab eis ſpecies intentionales. 3. quarum receptio oon eſt ſenſatio, ſed præcedit 4. ad ſenſationem verò tam potentia, quàm ſpecies concurrit. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd io ſenſu diſtinguitur organum in quo ſubiectatur potentia ſenſitiua v. g. oculus, & potentia ipſa quæ eſt qualitas affixa tali organo, cùm enim ſit accidens materiale, indiget aliquo ſubiecto cui inhæreat, io ipſo autem exigit temperiem ſibi proportionatam, qua ſolutâ deperditur ipſa potentia.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Thom. 1. p. quæſt. 77. art. 3. ad 13. vbi docet quòd non ſic diſtinguuntur potentia actiua, & potentia paſſiua, quòd potentia actiua habeat operationem, non verò paſſiua, ſed diſtinguuntur ſecundùm ordinem ad ſua obiecta, potentia ſiquidem quæ comparatur ad obiectum vt agens ad patiens, dicitur actiua, potentia verò quæ comparatur ad obiectum vt patiens ad agens, dicitur paſſiua: vnde potentiæ vegetatiuæ, quia agunt in alimentum, & intellectus agens, quia agit in phantaſmata, ſunt potentiæ actiuæ: intellectus verò poſſibilis, & iſtæ potentiæ ſenſitiuæ, quia patiuntur ab obiectis, dicuntur potentiæ paſſiuæ, quamuis vitaliter operentur: nam oculus videt, auris audit &c. quæ important operationem vitalem, nam videre eſt elicere viſionem, audire eſt elicere auditionem, & ſic de aliis.

Probatur ſecunda pars concluſionis expreſsâ authoritate Ariſtotelis in hoc 2. libro cap. 5. per totum, vbi eam explicat, & probat triplici ratione. Prima, quia ſenſatio eſt alteratio. Secunda, quia aliàs ioſolubilis eſſet quæſtio, quare ſenſus non ſentiunt ſe. Tertia quia aliàs eſſet ſenſatio ſenſibili non exiſtente, ex quibus infert quòd ſenſus patitur paſſione perfectiuâ, & qood reducitur de potentia ad actum à ſuo obiecto, ſicut intellectus à ſuo, cum hac tamen differentia, quòd obiectum ſenſûs eſt ſingulare, intellectûs verò vniuerſale, quod cùm habeat eſſe quodammodo intra animam, ſingulare verò extra, inde infert nos intelligere cùm volumus, ſentire autem nequaquam, oiſi ſenſibilia exiſtant præſentia. Idem docet D. Tho. loco ſupra citato. Igitur quia iſtæ potentiæ paſſiuæ recipiunt ſpecies ſenſibiles ſiue intentionales à ſuis obiectis, per quas de potentia reducuntur ad actum primum completum, & ita tranſmotantur (ſenſus quippe non habent ſpecies ſibi congenitas naturaliter, ſed ſunt tabulæ raſæ, vt ait Ariſtoteles de noſtro intellectu, in quibus nihil eſt depictum) ſequitur quòd ſunt potentiæ merè paſſiuæ per ordinem ad ſuum obiectum, nam recipere ſpecies, reduci de potentia in actum, & tranſmutari, verè important paſſionem.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Ariſtot. qui 9. Metaphiſicæ textu 12. dicit viſionem eſſe actionem immanentem, vnde non eſt ſola ſpeciei receptio. Item de ſenſu & ſenſato cap. 2. arguit Democritum qui dicebat viſionem eſſe emphaſim, & apparitionem quamdam rei obiectæ in oculo: concludit enim contra ipſum, quòd ſi viſio eſſet ſola receptio ſpeciei, ſpeculum videret, quia etiam ſpecies recipit. Deinde contingit ſpecies recipi in viſu abſque eo quòd fiat viſio, vt conſtat in dormientibus apertis oculis, putà leone & leporibus: ergo neceſ-

ſpecie

pio specierum non est sensatio, sed quid prærequisitum ad talem operationem vitalem, quæ actiuè procedit à potentia vitali sensitiua. Nec contrarius est D. Th. quodlib. 5. quæst. 5. art. 9. ad 2. dum dicit quòd cognitio sensûs exterioris perficitur per solam immutationem sensûs à sensibili, vnde per formam, quæ sibi à sensibili imprimitur, sentit: nam ibi sanctus Doctor solùm vult quòd sensus externi per suam sensationem non producant speciem expressam, subdit enim, *Non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem, hoc autem facit vis imaginatiua, cuius forma quodammodo simile est verbum intellectus.*

Probatur quarta pars conclusionis illo proloquio D. August. recepto communiter à Philosophis: ex obiecto, & potentia paritur notitia: vnde operatio cuiuslis potentiæ cognoscitiuæ est quidam fœtus, ad cuius originem concurrit potentia per modum fœminæ, & obiectum fœcundans ipsam per suam speciem adinstar maris. Deinde sensatio est actio vitalis circa aliquod obiectum, nunquam enim datur sensatio, nisi sit alicuius sensatio: ergo ex qua parte est actio vitalis, debet procedere a potentia vitali animæ, ait enim Aristoteles in hoc 2. libro cap. 3. quòd anima est causa actiua sensationis, & ita per aliquam suam potentiam vitalem, species autem non est quid vitale, cùm veniat ab extrinseco: & ex qua parte est sensatio talis obiecti, procedit ab ipsa specie talis obiecti, sensus quippe est ea se indifferens ad hoc, vel ad illud obiectum singulare participans rationem formalem sui obiecti: vnde debet determinari, hoc autem fit per speciem, ita vt sensitiua potentia, & species constituant vnum adæquatum principium sensationis: ergo ad sensationem tam potentia, quàm species concurrit. Ex quibus sequitur quòd nostrum sentire, sicut & intelligere sunt absolutè & simpliciter quoddam pati, non quidem formaliter, sed causaliter & antecedenter, nam formaliter important operationem sensûs & intellectûs in concreto, antecedenter verò & causaliter important receptionem specierum à suis obiectis.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt potentiæ vegetatiuæ sint nobiliores secundùm quid sensitiuis, quatenus istæ passiuæ, illæ verò sunt actiuæ, tamen simpliciter sunt ignobiliores, quatenus sunt inferioris ordinis respectu sensitiuarum, vt patet tum in gradu vitæ, tum in immaterialitate: quòd autem est inferioris ordinis quantumcumque crescat in perfectione, nunquam adæquat quod est superioris, vt inductione patet in omnibus, vnde tantùm supremum infimi aliquo modo attingit infimum supremi: & sic non est verum quòd actiuum sit semper simpliciter passiuo nobilius, sed solùm quando cætera sunt paria, & maximè si sint in eodem ordine: aliàs sequeretur quòd potentiæ vegetatiuæ essent etiam nobiliores intellectu possibili.

Ad secundum dicendum, quòd oculi Basilici occidunt non ratione potentiæ visiuæ, sed ratione organi, in quo sicut in aliis partibus corporis continentur spiritus corrupti, siue humores venenati, qui diffusi inficiunt aërem, & occidunt homines: & similiter dicendum de oculis mulieris menstruatæ, tunc enim vndequaque diffundit corruptos, & infectos illos humores, & pari modo anus fascinant pueros, qui maximè sunt susceptiui cuiuscumque impressionis propter tenellam ætatem & complexionem.

Ad tertium dicendum cum Caietano lib. 2. de anima cap. 11. & Bannes quòd licèt res sensibilis secundũ se non attingat dignitatẽ sensûs, bene tamen vt eleuatur influentiâ Cœli Chrystallini, & adiuuatur luce cœlesti disponente medium, sed hoc ampliùs explicabitur art. sequenti.

Articvlvs VII.

Vtrùm detur sensus agens?

Ad septimvm sic proceditur. Videtur quòd detur sensus agens. Ita tenuerunt Apollinaris libro 2. de anima quæst. 22. & Iandunus q. 16. Probatur. Intellectus possibilis, quia est potentia passiua etsi nobilissima, indiget intellectu agente, vt abstrahat species intelligibiles à phantasmatibus, & sic reducatur de potentia in actum: ergo multò magis sensus, qui sunt potentiæ passiuæ multò imperfectiores intellectu, indigent sensu agente, vt abstrahat species sensibiles ab obiectis, per quas reducantur de potentia in actum, & ita datur sensus agens.

§ 2. Præterea, Cuilibet potentiæ passiuæ correspondet actiua in eodem ordine, nam cùm natura nihil faciat frustra, & non deficiat in necessariis, potentia passiua non potest non reduci in actum, aliàs esset frustra, nec potest seipsam reducere in actum, manifesta enim est implicantia, simul enim esset in actu, & in potentia: in actu quidem, quia se reduceret in actum, vnumquodque enim agit inquantum est actu: in potentia verò, quia reduceretur in actum, nihil enim reducitur in actum in quo iam est: ergo datur sensus agens, qui reducat in actum sensus passiuos, aliàs natura deficeret in necessariis: hac ratione vtitur Arist. ad probandum quòd detur intellectus agens.

§ 3. Præterea, Nisi sensus, qui sunt potentiæ passiuæ, reducantur in actum per sensum agentem, sequitur quòd debeant reduci in actum ab ipsis obiectis materialibus: sed est impossibile quòd obiecta materialia agant in sensus, qui sunt valde immateriales: hæc enim actio intentionalis, cùm debeat esse proportionata sensibus (aliàs non esset perfectiua, sed corruptiua) excedit virtutem obiectorum materialium, sicut & sensus excedunt ipsa obiecta: ergo datur sensus agens.

Sed contra est authoritas Arist. & D. Th. 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. & q. vnicâ de spiritualibus creaturis art. 10. ad 17. quos communiter sequuntur omnes Thomistæ, & alij Philosophi.

Conclvsio.

Cum ex Aristotele sint tantùm quinque sensus, nec sit assignabile munus, aut organum sensus agentis, non datur sensus agens.

Respondeo dicendum, quòd nullus datur sensus agens, sed omnes sensus sunt potentiæ passiuæ. Probatur authoritate D. Th. qui 1. p. loco citato sic ait: *Ad primum dicendum quòd sensibilia inueniuntur actu extra animam, & ideo non oportuit ponere sensum agentem, & sic patet quòd in parte nutritiua omnes potentiæ sunt actiuæ, in parte autem sensitiua omnes passiuæ, in parte verò intellectiua est aliquid actiuum, & aliquid passiuum.*

Secundò, non est assignabile quid faciat sensus agens: nam ex vna parte non sentit, sicut nec intellectus agens intelligit, quia vt dictum est, sensus passiui per ordinem ad obiectum verè actiuè eliciunt sensationem, nec etiam abstrahit species sensibiles ab obiectis: cùm enim sensus agens, si daretur, deberet subiectari in animali, non posset agere in distans, quod tamen esset necessarium, vt abstraheret species ab obiectis, quæ sunt extra, nec est intelligibile quid illis imprimat, & per quid abstrahat tales species: ergo cùm natura nihil agat frustra, non datur sensus agens.

Tertiò, si daretur sensus agens, vel esset in eodem organo in quo est sensus passiuus ei correspondens, vel in diuerso. Primum non potest dici, nam sensus agens, si daretur, distingueretur specie à passiuo, sicut intellectus agens à passibili, tum ratione diuersi muneris, tum quia in eodem non possunt esse duo accidentia eiusdem speciei: & ita exigerent diuersa organa, quæ proportionantur & commensurantur potentiis, & ita diuersis potentiis diuersa debentur organa. Nec etiam secundum dici potest, quia sola nota sunt organa quinque sensuum assignata ab Arist. & nullum ab ipso est assignatum organum sensûs agentis: ergo nullum apponit sensum agentem, sed tantùm quinque passiuos, & ita non datur sensus agens.

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. quòd in rebus materialibus non sunt formæ intelligibiles actu, quia naturæ rerum sensibilium sunt in materia, siue in condi-

ditionibus materialibus existentes, à quibus tamen debent abstrahi vt fiant intelligibiles, quia intellectus est vniuersalium: vnde cùm hæc abstractio specierum intelligibilium à conditionibus materialibus non possit fieri ab intellectu possibili, aliàs simul esset agens & patiens respectu obiecti, quod est impossibile, nec possit fieri ab aliquo extrinseco, cùm phantasmata à quibus debent abstrahi, sint in homine intelligente, ideo ponitur intellectus agens ad hoc præstandum, quæ necessitas non vrget respectu sensûs, nam sensibile, quod est obiectum ipsius, est extra, & ab aliquo extrinseco vt statim dicetur, potest reddi sensibile actu.

An secundum dicendum, quòd actiuum correspondens potentiæ passiuæ in ordine sensibili est sensibile externum, quod est sufficiens producere species sensibiles, & ita reducere in actum primum potentiam passiuam: vnde ratio Aristot. conuincit ponendum esse intellectum agentem non verò sensum.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. q. 5. de potentia art. 8. quòd corpus sensibile habet duplicem actionem, vnam quidem secundùm proprietatem corporis, vt scilicet agat per motum, conuenit enim corpori vt sic, quòd motum moueat & agat: aliam verò habet secundùm quòd attingit ad ordinem substantiarum separatarum, & participat aliquid de modo ipsarum; hæc autem actio non est ad transmutationem materiæ, sed est diffusio & productio specierum intentionalium per medium vsque ad sensum: vtramque autem actionem habet ea influentia corporis cœlestis, diuersimodè tamen, nam influentia qua habet actionem transmutatiuam, non est tam perfecta ac immaterialis, sicut illa qua habet actionem diffusiuam specierum, quia maximè accedit ad spiritualitatem: hæc autem influentia procedit à Cœlo Chrystallino, quod ad hoc principaliter influit: requiritur etiam lumen ad illam actionem saltem ex parte medij. Igitur licèt corpus sensibile sit secundùm se inferioris ordinis respectu sensûs, non tamen vt eleuatum hac influentiâ Cœli Chrystallini, ac virtute substantiæ motricis, & ita potest agere in sensum immittendo ipsi species intentionales eiusdem immaterialitatis cum ipso, & reducendo hoc modo ipsum de potentia in actum.

Articvlvs VIII.

Vtrùm sensus externi sint reflexiui supra suam sensationem?

Ad octavvm sic proceditur. Videtur quòd sensus externi sint reflexiui supra suam sensationem. Ita tenent Caietanus libro 2. de anima cap. 13. & alij, qui asserunt sensum exteriorem percipere suam sensationem, non quidem directè quasi producat actum, qui immediatè terminetur in illam sensationem, sed indirectè, idest, quatenus sensus percipiens suum obiectum, simul eodémque actu percipit se sentire. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles quidem in hoc 2. libro textu 138. dicit quòd licèt visus non videat suam visionem, tamen illam discernit, imò subiungit quòd illam quodammodo videt, quia visio quodammodo est colorata. Deinde Philosophus impugnat sequentibus rationibus eos qui negabant sensus percipere suam sensationem, & eorum obiectiones soluit: D. Th. libro 3. de anima lect. 2. ait, quòd visus non solùm videt colorem, sed sentit etiam visionem coloris. Item q. 1. de veritate art. 9. & q. 16. art. 5. dicit quòd sensus redit ad essentiam reditione quadam incompletâ & imperfectâ, dum cognoscit actionem suam, propterea quòd sensus cognoscit se sentire: ergo sensus externi sunt reflexiui supra suam sensationem.

§ 2. Præterea, Visio percipitur ab aliquo sensu, percipimus enim nos videre, non ab alio quàm à visu, aliàs oporteret ponere speciem visionis productam vsque ad illum alium sensum, quod tamen est impossibile, cùm visio sit quædam operatio, & ita non potest repræsentari aliqua specie: ergo visio percipitur ab ipso visu, & consequenter visus est reflexiuus supra suam sensationem, & sic de aliis sensibus.

§ 3. Præterea, Si visus non percipit suam visionem, sed alius sensus, vel ille alius percipit suam sensationem, vel non: si alius, idem de eo petitur, & sic vel dabitur processus in infinitum, vel deuenietur ad aliquem sensum, qui percipiat suam sensationem, & hic erit reflexiuus. Deinde si alio sensu percipimus visionem, illo etiam percipiemus colorem, & ita color perciperetur à duplici sensu, quod est impossibile, vnum quippe sensibile est vnius tantùm sensus: ergo ipsemet visus, qui percipit colorem, percipit suam visionem, ac proinde sensus sunt reflexiui supra suam sensationem.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D. Th. quos sequuntur Ferrar. à contra gentes c. 66. Iauellus li. 2. de anima q. 56. Bannes 1. p. q. 78. art. 3. dub. 10. & plures alij.

Conclvsio.

Cùm sensus externi sint nimium materiales, ac limitati, non sunt reflexiui supra suam sensationem.

Respondeo dicendum, quòd sensus externi non sunt reflexiui supra suam sensationem, ita quòd eam percipiant aut distincto actu ab eo quo sentiunt suum obiectum 2. aut eodem actu 3. sed percipere sensationes sensuum externorum est operatio sensûs communis, tam in homine, quàm in brutis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd potentiæ sensitiuæ sunt eiusdem speciei in brutis, ac in homine: v. g. visus hominis, & leonis, licèt enim homo & leo essentialiter, & specificè differant, tamen illæ potentiæ non profluunt ab eorum essentiis quatenus specie distinctis, siue secundùm gradum specificum, secundùm quem essentialiter differunt, at secundùm gradum genericum animalis, in quo conueniunt, quod pari ratione debet dici de potentiis vegetatiuis, quæ dimanant à gradu viuentis, in quo essentialiter conueniunt omnia viuentia.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Arist. & D. Thom. Aristot. de sensu & sensato cap. 2. sic ait: *est autem quadam & communis potentia, qua sequitur omnes, qua & quod videt, & audit, & sentit: non enim visu quidem videt, quod videt, & iudicat &c.* quo in loco Philosophus secundùm D. Thom. & alios interpretes probat dari sensum communem, qui percipiat sensationes sensuum exteriorum, quia ipsi eas non percipiunt: ea qua authoritate sic format D. Thom. rationem ad probandum sensum communem. Aliquo sensu sentimus nos videre, sed non sensu proprio: ergo aliquis est sensus communis sentiens. Item 4. Metaphysicæ textu 25. Probat Aristoteles sensum non esse simul, sed alterius. Idem docet D. Thom. 2. contra gentes cap. 66. & 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. vbi sic ait: *vnde oportet ad sensum communem pertinere discretionis iudicium (inter obiecta sensuum exteriorum) ad quem referantur sicut ad communem terminum omnes apprehensiones sensuum, à quo etiam percipiantur intentiones sensuum, sicut cum aliquis videt se videre, hoc enim non potest fieri per sensum proprium, qui non cognoscit nisi formam sensibilis à quo immutatur, in qua immutatione perficitur visio, & ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit.*

Secundò, est impossibile quòd aliqua potentia percipiat aliquid, nisi participet rationem formalem sui obiecti specificatiui, aliàs ferretur extra suum obiectum formale, quod est impossibile: sed actus, siue sensationes sensuum externorum non participant rationem formalem obiecti illorum sensuum, nam visio non est colorata, nec auditio sonora, &c. ergo sensus externi non possunt percipere suas sensationes, & ita non sunt reflexiui: propterea D. Thom. sæpe docet quòd reflecti supra se, & supra suos actus est proprium intellectûs, qui est potentia spiritualis & immaterialis, cuius actus habet rationem formalem obiecti eiusdem intellectûs, scilicet esse verum: ac ita sensus non sunt reflexiui, quia materiales, & nimium limitati, nec percipiunt suas sensationes alio actu distincto.

Probatur

Probatur secunda pars conclusionis. Si eodem actu, quo videmus, perciperemus nos videre, non posset stare quòd videremus, & non perciperemus nos videre, quia actus visionis vtrumque præstaret: sed experientiâ constat quòd sæpe videmus, & tamen non percipimus nos videre, & sic de aliis sensibus: ergo sensus externi eodem actu, quo sentiunt, non percipiunt se sentire. Deinde actus, & obiectum actûs non possunt esse vnum & idem si ratio obiecti sit valde limitata, qualis est ratio obiecti sensuum exteriorum: ergo vno actu non possumus percipere ipsummet actum, aliàs idem esset actus & obiectum. Cùm hoc tamen stat quòd sensus externi v.g. visus per hoc quòd recipiat species intentionales sensibiliter, & vitaliter, eodémque modo operetur, percipiat delectationem in sua immutatione, & operatione, si sit ipsi conueniens, afflictionem verò si sit disconueniens, sed hoc non est sensus esse reflexiuos, aut percipere suam operationem, sed delectari, vel affligi in illa.

Probatur tertia pars conclusionis tum authoritatibus adductis D. Thom. & Aristotelis, tum eorum ratione, nam experientiâ constat nos percipere quod videmus, audimus, &c. sæpè quippe facimus reflexionem supra istos actus: sed hæc reflexio non fit per ipsos sensus externos, vt ostensum est: ergo fit per sensum communem, in quo omnes sensus externi radicantur, & ad quem mittunt suas species: vnde dum ab ipsis recipit species, sentit ipsos sentire, siue sensationes ipsorum præsentes, & simul obiecta sensata, quamuis sub ratione vniuersaliori eâ, sub qua sentiuntur à sensibus externis.

Ad primum ergo dicēdum cum authoribus citatis, quòd sensus particulares siue externi possunt sumi dupliciter, vel seorsim, vt sunt quid distinctum à sensu communi, vel vt vniuntur & continuantur cum ipso sensu communi, ac proinde vt efficiunt quid vnum cum ipso, ab illo quippe oriuntur, & ad illum terminantur immutationes eorum. Primo modo considerati non percipiunt suam sensationem. Secundo verò modo dicuntur percipere, quatenus sensus communis, cui coniunguntur, & cùm quo vnum efficiunt, illas percipit: sicut si quid tangitur baculo, tactus attribuitur manui, & baculo vt efficit vnum cum manu, nam seorsim non habet sensationem, & sic intelligēdi sunt Aristoteles, & D. Th. ac per hoc sensus dicitur redire ad se imperfectè, siue imperfectè percipere suam sensationem.

Ad secundum dicendum, quòd per eamdem speciem, quæ ex præsentia obiecti peruenit ad sensum communem, sensus communis percipit sensationem sensûs exterioris, quia hæc species penetrat ad sensum communem vt sensata, ac proinde vt indicans sensationem.

Ad tertium dicendum, quod non est necesse vt omnis sensatio sit cognita à sensu, sed sufficit quòd sola exterior sit cognita: hæc autem necessitas ex eo prouenit quòd sensus externi sunt dati à natura ad salutem animalis, ad quærendum conuenientia, & ad fugiendum nociua, vnde eorum sensationes debent percipi ab aliquo sensu superiori, quæ ratio non militat in sensibus internis, quamuis in homine admittendum sit sensus internos perfectiores reflecti supra imperfectiores, percipiendo eorum sensationes, & hanc perfectionem habent ex coniunctione ad intellectum, totus tamen processus finitur in intellectu, qui percipit ob suam perfectionem & operationes sensuum, & suas. Ad aliud dicendum quòd non est inconueniens, imò necessarium quòd omnia obiecta sensuum exteriorum percipiantur à sensu communi sub altiori quadam ratione formali, vt asserit D. Th. 1. p. q. art. 3. ad 2. sic enim ait: *Obiectum sensûs communis est sensibile quod comprehendit sub se visibile, & audibile: vnde sensus communis, cùm sit vna potentia, extendit se ad omnia obiecta quinque sensuum.*

Articvlvs IX.

Vtrùm sensus externi sint quinque?

AD NONVM sic proceditur. Videtur quòd sensus externi non sunt quinque præcisè, sed plures, aut pauciores. Probatur quòd sint plures. Quilibet sensus est vnius tantùm contrarietatis, vt patet inductione, nam visus est albi & nigri, alij quippe colores sunt intermedij. Auditus est acuti & grauis. Gustus est dulcis & amari: sed in qualitatibus tangibilibus sunt duæ contrarietates, scilicet calor & frigus, humiditas & siccitas: ergo debent assignari duo sensus tactûs, & ita sensus externi sunt plures quàm quinque.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd sint pauciores. Gustus non distinguitur à tactu, nec ratione organi, cùm neruus sit organum vtriusque, nec ratione immutationis, eodem quippe modo vterque immutatur, id est, per realem & immediatam coniunctionem obiecti supra sensorium: ergo sensus externi sunt pauciores quàm quinque.

¶ 3. Præterea, Sensus tactûs concomitatur omnes alios, & in eis includitur: nam oculus, organa auditûs, olfactûs, & gustûs sentiunt tangibiles qualitates, vt experientiâ constat: ergo non est numerandus vt sensus particularis, sed debet confundi cum aliis, & ita non sunt quinque sensus externi.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, in hoc 2. libro, textu 128. & D. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. & communis consensus, non solùm Philosophorum, sed & omnium hominum.

Conclusio.

Cùm sensus externi sint potentiæ passiuæ natæ immutari ab exteriori sensibili, & sint quinque diuersi modi immutandi, sunt quinque sensus externi.

Respondeo dicendum, quòd sunt quinque sensus externi, nec plures, nec pauciores. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd est duplex immutatio, vna naturalis, & alia spiritualis: naturalis quidem secundùm quòd forma immutantis recipitur in immutato secundùm esse naturale, sicut calor in calefacto: spiritualis autem secundùm quòd forma immutantis recipitur in immutato secundùm esse spirituale, vt forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata: ad operationem autem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensûs: alioquin si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur, cuius contrarium experimur.

Probatur conclusio ratione D. Thom. loco citato. Sensus est potentia quædam passiua, quæ nata est immutari ab exteriori sensibili, quod est immutatiuum ipsius, & per se ab illo percipitur, ac proinde iuxta diuersitatem immutatiuorum, ac immutationem sensûs essentialiter diuersificantur, siquidem potentiæ specificantur, & distinguuntur à suis obiectis formalibus, quatenus videlicet mouent & terminant potentiam, siue vt substant modo tendendi ipsius: sed sunt quinque modi immutationis sensitiuæ, & consequenter immutatiuorum, nam vel immutatio est spiritualis tantùm, tum ex parte obiecti, tum ex parte organi, vt in visu, nam organum solùm recipit speciem intentionalem, obiectum verò nullo modo alteratur, ad summum indiget illuminari, quod est immutatio perfectiua, & quodammodo spiritualis. Vel immutatio est spiritualis ex parte organi, & naturalis secundùm locum ex parte obiecti, vt in auditu, nam eius organum solùm recipit speciem intentionalem, sonus verò eius obiectum, qui ex percussione & Aëris commotione causatur, naturaliter secundùm locum mutatur. Vel immutatio est etiam spiritualis ex parte organi, & naturalis secundùm alterationem ex parte obiecti, vt in olfactu, nam eius organum solùm recipit speciem intentionalem, odor verò eius obiectum ex alteratione causatur, oportet enim per calidum alterari aliquo modo corpus, ad hoc quòd spiret odorem. Vel immutatio est naturalis etiam ex parte organi, ita vt præter intentionalem, quæ fit per speciem, organum ipsum naturaliter immutetur, non quidem per qualitatem quam sentit, scilicet saporem, sed per humiditatem quæ est præambula qua-

litas, in qua fundatur sapor, vt in gustu, lingua enim humectatur per humiditatem saporum. Vel tandem immutatio est etiam naturalis ex parte organi secundùm qualitatem quam sentit, vt in tactu, nam præter intentionalem, quæ fit per speciem, etiam manus tangens calida calefit, nec est assignabilis alius modus immutationis: ergo sunt quinque sensus exteriores, nec plures, nec pauciores.

Ad primum ergo dicendum cùm D. Thom. loco citato ad 3. vel quòd tactus est vnus genere, sed diuiditur in multos sensus secundùm speciem, & propter hoc est diuersarum contrarietatum: qui tamen non separantur ab inuicem secundùm organum, sed per totum corpus se concomitantur, & hoc videtur dicere Aristoteles in hoc 2. libro texto 106. & deinceps. Vel dicendum cum eodem D. Thom. & fortè meliùs quòd omnes illæ contrarietates conueniunt in vno genere, quod est obiectum tactûs secundùm rationem communem, sed illud genus est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi & frigidi est innominatum, & secundùm hoc sensus tactûs est vnus tantùm in specie.

Ad secundum dicendum, vel quòd sensus gustûs secundùm dictum Philosophi est quædam species tactûs, quæ est in lingua tantùm, & ita non differret à tactu in genere, sed à tactu quantùm ad illas species quæ per totum corpus diffunduntur. Vel dicendum cùm D. Thom. quòd gustus distinguitur specie à tactu secundùm diuersam rationem immutationis, nam vt dictum est tactus immutatur naturali immutatione, & non solùm spirituali quantùm ad organum suum secundùm qualitatem, quæ ei propriè obiicitur, gustus autem quantùm ad organum non immutatur de necessitate naturali immutatione secundùm qualitatem, quæ ei propriè obiicitur, vt scilicet lingua fiat dulcis, vel amara, sed secundùm præambulam qualitatem, in qua fundatur sapor, scilicet secundùm humorem, qui est obiectum tactûs.

Ad tertium dicendum, quòd natura optimè prouidit quòd sensus tactûs esset diffusus per totum corpus, vt ita secundùm omnes partes sentirentur quatuor primæ qualitates corruptiuæ, & ita possent euitari: nec tamen inde sequitur quòd sensus tactûs non distinguatur ab aliis, licèt eos concomitetur, habet enim diuersam immutationem, & diuersum organum à visu, auditu, & olfactu: de gustu potest esse difficultas, sed licèt concedatur esse idem organum vtriusque, nullum tamen est inconueniens, nam duæ qualitates diuersæ speciei possunt esse in eadem parte subiecti.

QVÆSTIO XXXIV.

De sensu Visus.

Postquam determinatum est de sensibus externis in communi, ad eos in particulari accedendum est & incipiendum ab illis ratione nobilitatis exemplo Aristotelis, qui primò agit de visu, deinde de auditu, de olfactu, de gustu & tandem de tactu: quia tamen perfecta eorum notitia pendet ab obiectis, ideo etiam de obiectis determinandum est: circa visum igitur quæruntur septem.

¶ Primò, Vtrùm lux sit qualitas naturalis?

¶ Secundò, Vtrùm lux distinguatur essentialiter à colore?

¶ Tertiò, Vtrùm color secundùm suam entitatem rectè definiatur, quòd sit extremitas perspicui in corpore terminato?

¶ Quartò, Vtrùm color quatenus visibilis rectè definiatur, quòd sit motiuus diaphani secundùm actum?

¶ Quintò, Vtrùm ad hoc, vt color videatur, requiratur lumen ex parte ipsius?

¶ Sextò, Vtrùm lux, vel color sit obiectum formale visus?

¶ Septimò, Vtrùm subiectum potentiæ visiuæ sit solus humor Chrystallinus?

Articvlvs I.

Vtrùm lux sit qualitas naturalis?

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd lux non sit qualitas naturalis. Ita tenent multi, quorum quidam vt Empedocles dixerunt lucem esse quoddam corpus lucidum omnium nobilissimum. Alij vt refert D.Thom. 1.p.quæst.67.art.3. dixerunt lucem esse formam substantialem corporum lucidorum. Alij vt Scotus in 2. d. 13.quæst. vnicà, licet admittant lucem esse qualitatem, dicunt tamen esse qualitatem intentionalem, & non naturalem. Alij denique ex Thomistis dicunt lucem esse qualitatem formaliter eminenter simul naturalem, & intentionalem, ac proinde non indigere specie à se distincta vt videatur, quod probabile iudicat Bannes 1.p.q.67. art. 3. Probatur sigillatim quoad omnes partes: Aristot. dicit quòd lumen est species ignis. D.Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap.5. dicit quòd lux in corporibus primum tenet locum, quod etiam asserunt alij patres. Deinde ferri, intersecari, reflecti, habere figuram, & similia sunt propria corporis: sed lux hæc omnia habet, quoad figuram maximè experimur, nam radius Solaris ingrediens per foramen angolare apparet rotundus: ergo lux est corpus, & non qualitas.

¶ 2. Econtra, Lux cœlestis causat formas substantiales in his inferioribus: ergo ipsa non est qualitas, sed forma substantialis, cùm causa non sit ignobilior effectu. Deinde omnis qualitas sensibilis habet contrarium positiuum, vt patet inductione: sed lux non habet contrarium positiuum, at tantùm priuatiuum, videlicet tenebras: ergo lux est forma substantialis, & non qualitas naturalis.

¶ 3. Econtra, D.Thom. quæst. 5. de potentia art. 1. ad 6. dicit quòd lumen non est in aëre, sicut quædam forma naturalis perfecta, sed magis per modum intentionis. Deinde Aristoteles docet quòd qualitas naturalis posita supra sensum non sentitur, imò impedit ne alia sentiantur, vt ostensum est: sed lux posita in oculo non impedit sensationem, imò illam iuuat: ergo lux non est qualitas naturalis, sed intentionalis quæ conducit ad sensationem sensibilium.

¶ 4. Econtra, D. Thom. quæst. 8. de veritate art.5. ad 17. sic ait: *Dicendum quòd tripliciter aliquid videtur, vno modo per essentiam suam, sicut quando essentia visibilis coniungitur visui, sicut oculus videt lucem. Deinde lux ex vna parte habet esse naturale, ex alia verò parte, cùm sit valde immaterialis & immediatè seipsà videatur, ac proinde habeat rationem speciei, est quid intentionale:* Ergo lux est formaliter eminenter qualitas naturalis simul & intentionalis.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D.Thom. ac omnium antiquorum interpretum, Alexandri, Simplicij, Themistij, Philoponi, Auerrois in hoc 2.lib.cap.7. quos sequuntur nostri Complutenses, Rubius, Zanardus, Conimbricenses, & alij in præsenti.

Conclvsio.

Cùm lux sit forma intensibilis & remissibilis, ac per se primò sensibilis, est qualitas naturalis.

Respondeo dicendum, quòd lux non est corpus lucidum 2. nec forma substantialis lucidorum 3. nec qualitas intentionalis 4. nec qualitas formaliter & eminenter simul naturalis & intentionalis 5. sed est qualitas purè naturalis, quæ definitur esse actus perspicui, vt perspicuum est, siue vt illustratum & illuminatum est. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd licèt hæc quatuor, lux, lumen, radius, & splendor sint eiusdem speciei, diuersis tamen his nominibus diuersa aliquo modo correspondent significata: lux enim dicitur quatenus residet in corpore lucido, sed non ab extrinseco, prout infra dice-

tur

tur: lumen significat lucem diffusam per medium, quod si diffundatur per lineam rectam, vocatur radius, si verò in corpore, in quod directò diffunditur, reflectatur, vocatur splendor, vt docet D.Thom. in hoc 2. libro lect. 14. his verbis: *Lux est qualitas actiua corporis cœlestis, ipsa autem participatio, vel effectus lucis in diaphano vocatur lumen, & si fiat secundùm rectam lineam ad corpus lucidum, vocatur radius: si autem causatur ex reuerberatione radij ad corpus lucidum, vocatur splendor.* Sub nomine autem lucis præsens difficultas procedit de his quatuor.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Arist. & D.Thom. Aristoteles in hoc 2. libro cap. 7. expressè docet lucem non esse corpus, sicut & D.Thom. ibidem lect. 14. item 1. p. q. 67. art. 2. vbi in argumento, Sed contra, sic ait: *Duo corpora non possunt esse simul in eodem loco: sed lumen est simul cum Aere: ergo lumen non erit corpus.* Deinde per totum articulum probat hoc idem pluribus rationibus quas etiam habet lectione citatâ. Nempe quòd si lux est corpus, illuminatio erit motus localis, & ita erit successiua, quod patet esse falsum, experimur enim illuminationem fieri in instanti. Deinde si lux esset corpus, non posset corrumpi per appositionem corporis opaci. Denique ridiculum videtur quòd tam ingens corpus per absentiam Solis tam citò pereat, imò oporteret dicere quòd tenebræ informarent eius materiam, vnde etiam tenebræ essent corpus: ergo lux non est corpus.

Probatur secunda pars conclusionis rationibus D.Th. 1. p. q. 67. art. 3. 3. Nulla forma substantialis est per se sensibilis, nam quod quid est, est obiectum intellectûs ex 3. de anima: lux autem est secundùm se visibilis. Deinde quod est forma substantialis in vno, non potest esse accidentalis in alio, nam forma substantialis constituit in specie, vnde semper & in omnibus adest ei: lux autem non est forma substantialis Aëris, alioquin eâ recedente corrumperetur: vnde non est forma substantialis Solis, & multò minùs alicuius alterius.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate, & rationibus D. Thom. loco citato, sic enim ait: *Quidam dixerunt quòd lumen in Aere non habet esse naturale, sicut color in pariete, sed esse intentionale, sicut similitudo coloris in Aere: sed hoc non potest esse propter duo. Primò quidem quia lumen denominat Aerem, fit enim Aer luminosus in actu: color verò (siue similitudo coloris) non denominat ipsum, non enim dicitur Aer coloratus. Secundò quia lumen habet effectum in natura, quia per radios Solis calefiunt corpora:* Intentiones autem non causant transmutationes naturales (Præterquam in potentia ad quam per se ordinantur si sint vehementes propter rationem supra dictam:) ergo lux non est qualitas intentionalis.

Probatur quarta pars conclusionis. Si lux esset qualitas formaliter & eminenter simul naturalis & intentionalis, seipsâ videretur absque vlla specie, vt fatentur aduersarij: sed hoc est contra D.Thom. & contra manifestam experientiam: D.Thom. enim q. 10. de veritate art. 8. ad 10. sic ait: *Lux corporalis non videtur per essentiam, nisi quatenus fit ratio visibilitatis visibilium, & forma quadam dans eis esse actu visibile: ipsa enim lux, quæ est in Sole non videtur à nobis, nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem, sicut species lapidis non est in oculo, sed similitudo eius.* Experientiâ etiam constat, nam videtur à nobis in aqua, vel in speculo Sol existens post tergum, ac proinde per aliquid emanans à Sole, non per lumen, quia ablato speculo remanet lumen, & tamen non videtur Sol: vnde videtur per speciem intentionalem: ergo lux non est qualitas formaliter & eminenter simul naturalis & intentionalis.

Probatur, & explicatur quinta pars conclusionis. Quantùm ad primum: lux est forma intensibilis ac remissibilis, & per se primò sensibilis, vt ipsâ constat experientiâ: ergo est qualitas purè naturalis, nam intendi, remitti, ac per se primò sentiri conuenit solis qualitatibus purè naturalibus tertiæ speciei. Quòd autem definitio assignata sit bona, constat tum authoritate Aristotelis illam tradentis in hoc 2. libro textu 69. his verbis: *Lumen autem est actus diaphani secundùm quòd est diaphanum:* Quam amplectitur, & explicat D. Thomas lect. 4. sic: *Ostendit quid sit lumen, dicit ergo primò quòd lumen est actus diaphani secundùm quòd est diaphanum: manifestum est enim, quòd nec Aer, nec Aqua, nec aliquid huiusmodi est actu transparens, nisi fuerit illuminatum.* Tum ratione, nam vt dictum est in Logicis cap. de genere, accidentia in abstracto definiuntur per per aliquam rationem superiorem loco generis, & ita hîc dicitur quòd lux sit actus, & per proprium illorum subiectum loco differentiæ, quod subiectum aliquando ponitur informe, aliquando formatum, vt ostensum est in his libris de anima examinando eius definitionem, & ita ponitur hîc (diaphani vt diaphanum est) quod dicit subiectum formatum: nam vt dicit D. Thom. lect. 14. ipsum diaphanum secundùm se est in potentia respectu luminis, & respectu tenebræ, quæ est priuatio luminis, sicut materia prima est in potentia respectu formæ, & priuationis: Lumen autem comparatur ad diaphanum sicut color ad corpus terminatum, quia vtrumque est actus, & forma sui susceptiui: vnde diaphanum, siue perspicuum aut transparens in potentia est corpus potens recipere lumen, diaphanum autem, siue transparens actu est corpus actu illuminatum: & ita D.Thom. subdit: *Manifestum est enim quòd nec Aer, nec Aqua, neque aliud huiusmodi est actu transparens, nisi fuerit actu illuminatum.* Sciendum est autem ex D. Thom. ibidem, quòd ratio corporis diaphani non consistit in indiuisibili, sed ibi est sua latitudo, imò nullum est corpus opacum, quod magis vel minùs non participet aliquid diaphaneitatis, quamuis ea quæ multùm opacitatis habent, valde imperfectè diaphaneitatem participent, ac proinde valde imperfectè, id est, secundùm externam solam superficiem possint illuminari.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 1. p. q. 67. art. 2. ad 2. quòd Aristoteles lumen nominat ignem in propria materia, sicut ignis in materia aërea dicitur flamma, & in materia terrea dicitur carbo: non tamen est multùm curandum de his exemplis, quæ Arist. inducit in libris Logicalibus, quia inducit ea vt probabilia secundùm opinionem aliorum. Ad ilud S. August. respondet D.Th. loco citato ad 1. quòd S. August. accipit lucem pro corpore lucido in actu, (scilicet pro igne) quod inter quatuor Elementa est nobilissimum. Ad aliud dicendum cum D. Thom. hîc lect. 14. quòd illa omnia attribuuntur lumini metaphoricè, nec enim lumen ex se habet figuram, sed apparet figuratum, vel ratione corporis luminosi à quo procedit, vel ratione corporis per quod ingreditur, vel ex alia causa extrinseca.

Ad secundum dicendum, quòd lux cœlestis concurrit tantùm instrumentaliter ad formas substantiales, vnde bene potest esse qualitas, & imperfectior illis. Ad aliud dicendum cum D.Th. locis citatis quòd maior argumenti est falsa, nam lux est qualitas naturalis primi corporis alterantis, & non habentis contrarium, & ideo ipsa etiam non habet contrarium positiuum.

Ad tertium dicendum cum Ferrar. & nostris Complutensibus hîc, quòd esse intentionale aliquando sumitur prout opponitur naturali, & sic non sumit D.Thom. loco citato: aliquando verò prout opponitur esse fixo & permanenti, & sic sumit D.Thom. vnde solùm vult quòd lumen habeat esse in aëre per modum intentionis, id est, transiens, & ita se explicat q. 6. de potentia art. 4. *Maximè quia multùm accedit ad immaterialitatem rerum intentionalium propter subtilitatem; & etiam quia disponit ad receptionem specierum intentionalium.* Ad aliud dicendum hoc esse speciale in lumine, vt positum supra sensum, licèt directè non possit sentiri, tamen disponat ratione suæ immaterialitatis, vt fiat sensatio alterius sensibilis: disponit enim ad hoc vt species illius recipiatur in diaphano & pupilla; quia nisi illuminata non possunt recipere talem speciem.

Ad quartum dicendum, quòd D.Th. in illo loco, vt probaret principale intentum, vſus eſt exemplo probabili, quòd ſcilicèt lux per ſe videretur, in exemplis autem ſufficit probabilitas: vt autem oſtenderet ſe non adducere hoc exemplum ex propria ſententia 1. part. quæſt. 56. art. 3. repetens eamdem doctrinam loquitur conditionatè, ſic enim ait: *Conſiderandum eſt quòd aliquid tripliciter cognoſcitur, vno modo per præſentiam ſuæ eſſentiæ in cognoſcente, ſicut ſi lux videatur in oculo, &c.* Quòd tamen negat alibi, vt oſtenſum eſt. Ad aliud dicendum, quòd hæc eſt natura organi viſûs, vt nihil poſſit videre, niſi habeat intus lucem, qua diſponatur etiam ad videndam aliam lucem, quam tamen videt per ſpeciem intentionalem: vnde lux quæ eſt in oculo, licèt conducat ad viſionem aliorum, ipſa tamen non videtur, ſi ſit immediatè in pupilla, ſi autem ſit in aliis partibus, poterit videri, ſed per ſpeciem intentionalem, qua neceſſariò indiget: licèt enim ſit immaterialis, non tamen eius immaterialitas pertingit ad immaterialitatem ſpecierum, & ita non ſufficit, vt ipſa per ſe videatur.

Articvlvs II.

Vtrùm lux diſtinguatur eſſentialiter à colore?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd lux non diſtinguatur eſſentialiter à colore. Ita tenuit Plato in Thimæo, Auicenna libro 6. cap. 1. Alpharabius, Auempace, & alij dicentes nihil aliud eſſe colorem, quàm lumen receptum in corpore opaco, præſertim mixto, & ex diuerſo modo quo recipitur & refrangitur, apparere diuerſos colores. Probatur authoritate Ariſtotelis his cap. 7. vbi ſic ait: *Diaphanum autem dico, quod eſt quidem viſibile, non autem ſecundùm ſe viſibile, ſed propter extraneum colorem,* Et infra: *Atque lumen quaſi perſpicui color eſt.* Item D. Thom. libro de ſenſu & ſenſato lect. 7. vbi ait: *Proprius actus perſpicui in quantum huiuſmodi eſt lux, cuius præſentia in diaphano non determinato, ſicut eſt aër, facit lumen, eius autem abſentia facit tenebras: contingit ergo in extremo perſpicui terminatorum corporum in eſſe illud, quod in aëre facit lumen, & hoc faciet ibi colorem album, per eius abſentiam efficietur colo niger:* In præſenti etiam lect. 14. ait: *Color nihil eſt aliud, quàm lux quodammodo obſcurata ex admixtione corporis opaci:* Ergo Lux non diſtinguitur eſſentialiter à colore.

§ 2. Præterea, Experientiâ conſtat nubes ex diuerſa Solis radiatione diuerſos mutare colores. Item Mare ex eadem cauſa nunc purpureum, nunc album ſi à longe inſpiciatur, nunc nigrum, aut viride ſi prope videatur, apparere. Similiter Columbarum ceruices, & caudas Pauonum ex diuerſo lucis aſpectu diuerſis affici coloribus: & propterea dicit Ariſtoteles cap. 1. de ſenſu & ſenſato omnia corpora eſſe colore prædita, quod vt patet eſſet falſum, niſi color eſſet lux, qua omnia illuſtrantur: vnde etiam canit Eccleſia: *Rebus iam color redit vultu nitentis ſideris:* Ergo lux non diſtinguitur eſſentialiter à colore.

Sed contra eſt authoritas Ariſt. & D. Th. ac communis ſententia omnium pene Philoſophorum.

Conclvsio.

Cùm veri colores ab intrinſecis rei principiis dimanent, ei ſint inhærendo, ac ſpecie inter ſe differant, lux verò ab extrinſeco rei adueniat, ac cito tranſeat, lux diſtinguitur eſſentialiter à vero colore.

Respondeo dicendum, quòd colores apparentes non diſtinguuntur à lumine. 2. colores autem veri eſſentialiter ab illo diſtinguuntur. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt colores eſſe in duplici differentia, aliqui enim dicuntur apparentes, quia reuera non ſunt proprij colores, licèt ſint veræ qualitates, ſicut illi colores qui apparent in Iride, vel in collo Columbæ ex reflexione lucis, & illi adueniunt de foris, cauſantur enim à lumine de foris adueniente. Alij autem ſunt veri colores procedentes ab aliquo Principio intrinſeco. Ita tenent communiter Philoſophi cum Ariſtotele libro de coloribus Meteororum cap. 4. & de ſenſu & ſenſibili cap. 3. vnde D. Thom. lect. 6 de ſenſu & ſenſato exponens Philoſophum ſic ait: *Dicit quòd oportet exiſtimare eamdem naturam eſſe, quæ eſt ſuſceptiua coloris in corporibus, quæ colorantur exteriùs, id eſt, non per proprium, ſed ex aliquo exteriori, & in his quæ colorantur interiùs per proprium colorem, illa autem, quæ colorantur ab exteriori, ſunt perſpicua, ſicut Aër, & Aqua:* Et hoc manifeſtat per colorem, qui apparet in Aurora ex reſplendentia radiorum Solis ad aliena corpora.

Probatur prima pars concluſionis rationibus adductis in contrarium. Secunda autem probatur authoritate Ariſtot. & D. Thom. Ariſtoteles in hoc 2. libro textu 69. ſic ait: *Lumen autem vt color eſt Diaphani, ſecundùm quòd actu Diaphanum ab igne:* Vbi particula, vt, diminuens denotat lumen non eſſe colorem ex Philoſopho: D. Thom. autem de ſenſu & ſenſato lect. 6. exponens hæc verba ſic ait: *Dicit ergo primò, quòd ſicut dictum eſt in libro de anima, lumen eſt color perſpicui, quod quidem dicitur ſecundùm quamdam proportionem, ex eo quòd ſicut color eſt forma & actus corporis colorati, ita lumen eſt forma, & actus perſpicui: differt autem quantùm ad hoc, quòd corpus coloratum in ſeipſo habet cauſam ſui coloris, ſed corpus perſpicuum habet lumen ab alio: & ideo dicit quòd lumen eſt color perſpicui ſecundùm accidens, &c.*

Secundò, quando duæ qualitates ita ſe habent, vt vna ex ſe petat oriri ab intrinſecis rei principiis, ac ita eſſe fixè & permanenter in illa, alia verò exigat aduenire de foris & ſolùm eſſe in illa per modum tranſeuntis, inter ſe eſſentialiter diſtinguuntur, vna enim & eadem qualitas non poteſt vtrumque ab intrinſeco petere, cùm inuoluant contradictionem: ſed color auri, v.g. petit oriri à principiis eius intrinſecis, & eſſe in illo permanenter, & econtra lux quæ illud luſtrat, exigit oriri ab extrinſeco corpore luminoſo, & ſolùm eſt in auro per modum tranſeuntis, vt patet: ergo lux eſſentialiter diſtinguitur ab illo colore.

Tertiò, veri colores, vt vera albedo & nigredo, ſpecie diſtinguuntur, vt communiter fatentur Philoſophi, & propterea poteſt eſſe verus motus alterationis inter illos ex Ariſt. & D. Thom. 7. Phyſicor. cap. 3. lect. 4. ſed lux non habet contrarium poſitiuum, & ideo petit produci inſtantaneè, & non per motum alterationis ad illam per ſe terminatum, & eſt eiuſdem ſpeciei vbicumque inueniatur: ergo eſſentialiter diſtinguitur ab eiſdem coloribus, alioquin eſſet falſum hoc primum principium, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, nam albedo & nigredo eſſent idem cum luce eſſentialiter, ſi non diſtinguerentur, & tamen non ſunt idem inter ſe cùm ſpecie, ac proinde eſſentialiter diſtinguuntur.

Quartò, viſus diſcernit inter lucem, quæ eſt in parietate, & inter illius colorem, vt ipſâ conſtat experientiâ: ergo lux eſſentialiter diſtinguitur à colore, cùm duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſint eſſe in eodem ſubiecto, vt dicetur ſuo loco.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles vocat lucem colorem extraneum, quia conducit ad hoc, vt Diaphanum actu videatur: & ideo ſubiungit, quòd eſt quaſi color, imò lux eſt principium formale coloris, dicit enim D. Th. de ſenſu & ſenſibili lect. 6. *Eſt autem duplex coloris principium, vnum formale ſcilicet lumen; aliud materiale ſcilicet perſpicuum:* Quod ſic explicatur: ſicut ex varia commixtione Elementorum conſurgunt variæ complexiones mixtorum, ſic ex varia commixtione eorumdem, ſcilicet corporis luminoſi ignei, Diaphani Aërei, & Aquei, ac opaci Terrei, poſtquam dicta Elementa pereunt, conſurgunt diuerſi colores in mixtis: & quamuis lux, quæ antequam fiat omnino mixtio, deriuatur ab igne in Diaphaneitatem aquæ, vel aëris, & opacitatem opaco Terræ, amittat ſuam eſſentiam, ita vt corruptis Elementis tranſeat in rationem ſecundæ qualitatis, ac proinde ſolùm virtualiter ibidem maneat, tamen hoc

ipſo

ipso quòd dicta Elementa cum dictis qualitatibus miscentur, & ibi præcesserit maximum de luminoso igneo, & minimum de terreo obumbrante luminosum receptum in perspicuo aëreo, vel aqueo, manet subiectum determinatum ad hoc, vt resultet color albus: si verò contingat esse minimum de luminoso, & maximum de terreo, resultat nigredo: ac tandem iuxta magis, vel minus quod de prædicto luminoso, ac diaphano & opaco concurrerit in mixtione Elementorum, resultabunt colores medij magis vel minùs ad album, aut nigrum accedentes, vt optimè explicat D. Th. cum Arist. loco citato. Igitur lumen concurrit ad colores vt quid formale determinans ad illos, nam iuxta maius, aut minus incrementum illius, siue perspicuitatis, quam causat lumen vt actus illius, resultat perfectior, vel imperfectior color, vt ibidem docet D. Thom. lect. 7. primæ verò quatuor qualitates, quæ in eo vt in verò mixto permanent, influunt vt quid materiale, & vt determinatæ per lumen, quod lumen non manet in illo formaliter, vt patet experientiâ, cùm nec per modum transeuntis sit in partibus interioribus propter opacitatem, & tamen ibi habeant colorem, vnde solùm manet lumen virtualiter. Et per hæc patet responsio ad secundum locum Philosophi, & primum D. Th. Ad secundum dicendum, quòd ideo vocat colorem lucem obscuratam ex admixtione corporis opaci, quia, vt dictum est, color resultat ex tali admixtione vt aliquid participans lucem non participatione formali & vniuocâ pertingente ad vnitatem specificam, sed participatione virtuali, analogâ, & deficiente, quod denotat illa particula, quodammodo, & ideo hæc locutio reddit sensum causalem, non verò formalem.

Ad secundum dicendum, quòd illæ instantiæ nihil aliud conuincunt, quàm primam partem conclusionis, scilicet colores apparentes, quales sunt illi assignati, non distingui essentialiter à luce. Ad illud autem Arist. dicendum, vel quòd solùm loquitur de corporibus mixtis, vel meliùs cum D. Thom. ibidem lect. 2. quòd Aristoteles vult in omnibus corporibus reperiri colorem, aut secundùm propriam rationem, scilicet in corporibus in quibus est diaphanum terminatum, aut saltem secundùm principia coloris, quæ sunt diaphanum, & lux: dicitur autem quòd nox aufert colorem à rebus, & lux restituit, non quòd reuera non remaneant noctu colores in rebus, sed quia non apparent nisi mediante luce.

Articvlvs III.

Vtrùm color secundùm suam entitatem rectè definiatur, quòd sit extremitas perspicui in corpore terminato?

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd color secundùm suam entitatem non rectè definiatur, quòd sit extremitas perspicui in corpore terminato. Ita tenet Suares. 2. tomo Summæ Theologiæ tract. 3. lib. 3. cap. 15. qui dicit hanc definitionem traditam ab Aristoteles esse insufficientem. Alij vt Conimbricenses, & Rouius in præsenti, licèt admittant hanc definitionem vt bonam, tamen negant esse coloris secundùm se sumpti, siue secundùm suam entitatem, sed præcisè vt est visibilis. Probatur quantùm ad primum. Prædicta definitio est valde confusa. Deinde extremitas perspicui vel est punctum, vel linea, vel superficies, vnde solùm impropriè potest color dici extremitas, quatenus est in extremitate. Denique hæc definitio non est adæquata, quia color non solùm est in extremitate, sed etiam in intimis partibus: sed definitio quæ est confusa, impropria, & inadæquata non est bona, & sufficiens: ergo color non rectè definitur quòd sit extremitas perspicui in corpore terminato.

¶ 2. Præterea, Quantùm ad secundum, Color licèt sit in profunditate corporis, ita se habet ad visum, ac si non esset, vnde solùm videtur vt est in extremitate: ergo prædictâ definitione solùm definitur color in ratione visibilis, & non secundùm suam entitatem. Quod confirmatur ex D. Th. de sensu & sensato lect. 6. vbi sic ait: *Si autem corpora intrinsecùs quidem habent superficiem in potentia, non autem actu, ita etiam intrinsecùs non colorantur in actu, sed in potentia qua reducitur ad actum factâ corporis diuisione; illud autem intrinsecum non habet virtutem mouendi visum, quod per se colori conuenit.*

Sed contra est authoritas Aristotelis tradentis hanc definitionem, & D. Thom. illam exponentis libro de sensu & sensato cap. 3. lect. 6. de colore secundùm suam entitatem, quos sequuntur Caietanus in hoc 2. libro cap. 6. Aquarius, nostri Complutenses, & communiter Thomistæ in præsenti.

Conclvsio.

Cùm hac definitione definiatur color in abstracto per rationem superiorem loco generis, & per subiectum loco differentiæ, sitque terminatiuus perspicui proprij susceptiui, rectè definitur secundùm suam entitatem, quòd sit extremitas perspicui in corpore terminato.

Respondeo dicendum, quòd prædicta definitio est optima. 2. & conuenit colori secundùm suam entitatem absolutè sumptam. 3. éstque melior illâ quam tradit Suares. Ad cuius euidentiam sciendum est colorem esse qualitatem causatam ex actione, ac proinde ex aliqua permixtione qualitatum Elementarium, vt docet D. Th. in 2. d. 18. quæst. 2. art. 3. ad 2. vbi ait: *Dicendum quòd ex actione qualitatum Elementarium sequitur aliquid dupliciter, vno modo ex ipsis secundùm se, sicut sapor, & color, durum & molle, & alia quæ determinantur in 4. Metheororum*: & ratio est quia cùm pura Elementa, sicut & cœlestia corpora non habeant ex se colorem, color debet oriri ex aliqua permixtione primarum qualitatum vnà cum lumine modo explicato: Elementa autem ex se non habent colorem, quia non habent mixtionem opaci terrei, licèt ignis qui apud nos est, sit flaui coloris ex eo quòd habeat aliquam mixtionem prædicti opaci, ratione cuius habet etiam esse corpus terminatum: nec tamen sufficit ad resultantiam coloris quæcumque mixtio primarum qualitatum, sed debent esse peculiares & determinatæ mixtiones, ob cuius defectum humor Crystallinus non habet vllum colorem, quamuis sit quoddam mixtum: has autem determinatas mixtiones intelligunt communiter Philosophi nomine perspicui terminati: non sic autem intelligendum est quòd color albus, aut niger, aut alius ex vna tantùm mixtione procedat, cùm experientiâ videatur contrarium; nam albedo modò ex prædominante frigore vt in niue, modò ex prædominante calore vt in calce: similiter nigredo modo ex prædominante frigore vt in humore melancholico, modo ex prædominante calore vt in pipere oriuntur: vnde ly (mixtio determinata) sumitur vagè & indeterminatè quantùm ad combinationem qualitatum. Proprium autem susceptiuum coloris, à quo causatur in genere saltem causæ materialis, non est quodcumque corpus secundùm rationem corporis etiam mixti, sed est corpus perspicuum, vt docent Aristot. & D. Thom. libro de sensu & sensato lect. 6. Perspicuum autem est multiplex, aliud, quod ex se habet lucem in sua plenitudine, vt Sol. Alia verò, quæ ad hoc reducuntur, scilicet ignis, & alia corpora in infimo gradu ex se lucentia, quæ propter paruitatem sui luminis non possunt lucere nisi in nocte. Alia verò, quæ de se non habent lumen in actu, sed sunt susceptiua luminis secundùm se tota, vt corpora cœlestia, ad quæ etiam reducuntur aër, aqua, & alia terrena corpora, vt Crystalla, Adamas &c. hoc autem habent ex abundantia aëris, vel aquæ qua constant. Alia tandem sunt, quæ maximè distant à corpore cœlesti, & quæ solùm secundùm superficiem possunt illustrari lumine, quia exteriores partes propter sui crassitiem ita obumbrant interiores, vt lumen ad eas non perueniat. Per perspicuum autem terminatum, siue in corpore terminato intelligitur perspicuum, quod ex se habet proprios terminos, non tantùm vt excludit esse infinitum, sed vt dicit non terminari, aut figurari terminis, & figurâ alieni corporis, vt accidit in aëre, qui licèt ha-

beat vltimam ſuperficiem, ac proinde non ſit infinitus, tamen terminatur & figuratur terminis alienis, & ita dicitur interminatus: hæc autem terminatio corporis debet oriri ex aliqua mixtione opaci terrei, quia cùm color ſit qualitas reſultans ex aliqua mixtione qualitatum Elementarium, & cætera Elementa præter terram ſint perſpicua interminata, conſequens eſt vt terminatio perſpicui, quæ debet oriri ex Elementis, proueniat ex admixtione opaci terrei: terminus verò, ſiue extremitas perſpicui eſt duplex, vna pertinens ad genus quantitatis, ſcilicet vltima ſuperficies, alia autem pertinet ad genus qualitatis: & ex hoc D. Thom. de ſenſu & ſenſato lect. 6. conciliat duo loca Ariſtotelis ibidem cap. 3. ait enim: *quod autem dicit colorem eſſe extremitatem perſpicui, non repugnat ei quod dixerat ſupra colorem non eſſe extremitatem, illud enim dixit de extremitate corporis, hoc autem de extremitate perſpicui, quod nominat corporis qualitatem, ſicut calidum, & album & ideo color non eſt in genere quantitatis, ſicut ſuperficies qua eſt extremum corporis, ſed eſt in genere qualitatis, ſicut & perſpicuitas, quia extremum & id cuius eſt extremum, vnius generis ſunt, vt patet exemplo, nam ſubſiſtentia & exiſtentia, quia ſunt termini ſubſtantia, pertinent ad genus ſubſtantia ſicut & ſuperficies linea, & punctum ſunt in genere quantitatis, quia ſuperficies eſt terminus corporis quanti, linea terminus ſuperficiei, punctum verò terminus linea, quamuis aliunde tum ſuperficies, tum linea ponantur in dicto pradicamento, quia ſunt vera ſpecies illius, ſed tamen dato quod non eſſent, adhuc ad illud pertinerent vt ſunt termini illius.*

Probatur prima pars concluſionis. Accidens in abſtracto tunc rectè definitur, quando ratio aliqua eſſentialiter ſuperior ponitur loco generis, & ſubiectum loco differentiæ, vt docet D. Thom. loco citato, & alibi ſæpè, & oſtenſum eſt in Logica: ſed in præſenti color hoc modo definitur, nam loco generis ponitur extremitas, quæ eſt ratio eſſentialiter ſuperior ad colorem, & abſtrahit ab omnibus extremitatibus qualitatiuis, vt à colore, mollitie, duritie &c. loco verò differentiæ ponitur proprium eius ſubiectum, ſiue ſuſceptiuum, ſcilicet perſpicuum habens aliquam permixtionem primatum qualitatum, & terminatum, ex admixtione opacitatis terræ: ergo hæc definitio Ariſt. eſt optima.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Color ſecundùm ſuam entitatem, & eſſentiam abſolutè conſideratam eſt qualitas ſecunda orta ex aliqua permixtione primatum, & reſpiciens perſpicuum terminatum tanquam proprium ipſius ſuſceptiuum, illúdque modo explicato terminatum hoc autem totum explicatur per hanc definitionem, vt conſtat ex dictis: ergo hæc definitio conuenit colori ſecundùm ſuam entitatem abſolutè ſumptam.

Probatur tertia pars concluſionis. Illa definitio, quæ traditur per genus proximius, eſt melior, meliùs enim definitur homo quòd ſit animal rationale, quàm quòd ſit viuens rationale, quia quò genus eſt proximius, eſt magis proprium, ac proinde magis explicat naturam rei illam diſcernendo ab aliis: ſed definitio Ariſt. traditur per genus proximius, ſcilicet per extremitatem, illa verò Suaris traditur per qualitatem, quæ eſt genus remotius: ſic enim definit: *color eſt qualitas afficiens mixtum corpus, quatenus perſpicuitatem aliquam habet opacitate terminatam*: ergo hæc definitio Ariſt. eſt melior illâ quam tradit Suares.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc definitio ſub explicatione D.Th. non eſt confuſa, ſed valde clara: per extremitatem autem non intelligit Ariſt. terminum quantitatiuum, ſed qualitatiuum. ideſt, complementum, non corporis, ſed perſpicui vt perſpicuum eſt: quod vt ſic pertinet ad qualitatem, ſicut album: & ſic color etiam in intimis partibus eſt extremitas qualitatiua perſpicui.

Ad ſecundum dicendum, quòd color vbicumque ſit, ſiue in ſuperficie, ſiue in profunditate, eſt extremitas perſpicui modo explicato, vnde non eſt recurrendum ad viſibilitatem coloris, vt ſaluetur hæc definitio. Ad D. Thom. verò dicendum quòd tantùm vult corpora opaca non colorari intrinſecus actu, quoad munus expeditum immutandi viſum, nam licèt partes internæ ſint actu coloratæ, impediuntur tamen opacitate aliarum, ne poſſint videri.

Articvlvs IV.

Vtrùm color quatenus viſibilis rectè definiatur, quòd ſit motiuus diaphani ſecundùm actum?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd color quatenus viſibilis non rectè definiatur, quòd ſit motiuus diaphani ſecundùm actum. Probatur, hæc definitio conuenit etiam luci, nam lux vt viſibilis, eſt motiua perſpicui per immutationem ſpecierum intentionalium: ſed bona definitio non debet conuenire alteri à definito: ergo non rectè definitur color hac definitione.

§ 2. Præterea, Color poteſt immutare diaphanum etiam ſolùm illuſtratum in potentia, nam patet experientiâ, quòd oculus exiſtens in tenebris videt obiectum coloratum, & illuminatum: ergo non rectè ponitur in definitione diaphani ſecundùm actum.

§ 3. Præterea, Si hæc definitio eſſet bona, ſequeretur quòd lumen conſtitueret diaphanum in ratione immutabilis à colore, & ita lux quamuis nobilior miniſtraret colori, imò Cœlum vt pote lucidum luce eiuſdem rationis ac iſta inferiora poſſet immutari à colore; quod repugnat eius incorruptibilitati & perfectioni: ergo hæc definitio non eſt bona.

Sed contra eſt authoritas Ariſtot. tradentis hanc definitionem, quam admittit, & exponit vt legitimam D. Th. hos ſequuntur Bannes 1. p. quæſt. 78. art. 3. de viſu, Caietanus, noſtri Complutenſes, Conimbricenſes, Toletus, & alij in præſenti.

Conclvsio.

Cùm hac definitione explicetur id, in quo color conuenit cum aliis ſenſibilibus, & id in quo differt ab omnibus aliis, eſt bona & legitima.

Respondeo dicendum, quòd color in ratione obiecti viſibilis conſideratus rectè definitur, quod ſit motiuus diaphani ſecundùm actum, ideſt, diaphani habentis proprium actum ſcilicet lumen. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd licèt modi immutandi potentiam, qui competunt diuerſis obiectis inadæquatis, debeant conuenire in vna ratione ſuperiori ſpecifica cum ſpecie infima prout conſiderantur in eſſe obiecti, non tamen eſt inconueniens quòd poſtea materialiter inter ſe diſtinguantur; & ita modus immutandi viſum quem habent lux & color, conſiſtit in hoc quòd ſit purè intentionalis abſque admixtione immutationis naturalis per ſe requiſitæ, vel ex parte obiecti tantùm, vel etiam ex parte organi, vt contingit in aliis ſenſibus: vnus autem ab alio diſtinguitur materialiter, quia lux ſecundùm id quod de materiali in eſſe obiecti inadæquati dicit, ſiue vt quid diſtinctum à colore, non petit per ſe tanquam materiam circa quam diaphanum in actu, ſecus verò color: & ſecundùm hanc rationem materialem, ſecundùm quam differt à luce, hic definitur, & propterea potius definitur per ordinem ad medium, quia in hoc differt à luce, quàm per ordinem ad viſum, in quo conuenit cum luce, cùm eodem modo illum immutent: quamuis per hoc quòd definitur per ordinem ad medium vt deferens ſpecies intentionales, etiam exprimatur eius ordo ad viſum, ad quem vltimatè perueniunt iſtæ ſpecies.

Probatur concluſio authoritate Ariſtot. & D. Thom. Ariſtot. in hoc 2. libro cap. 7. ait: *hoc inerat ipſi colori eſſe, motiuum eſſe ſecundùm actum diaphani.* Quod ſic exponit D. Thom. lect. 15. *dicitur ergo primò, quod vt ſupra dictum eſt, hoc eſt de ratione coloris, quòd ſit motiuum diaphani, quod quidem fit per lumen, quod eſt actus diaphani.* Cùm autem color non ſit qualitas per ſe actiua actione naturali, vt diſtinguitur ab intentionali

tionali, ideo hæc coloris immutatio fit per species intentionales, vnde hæc definitio conuenit illi in ratione obiecti visibilis.

Secundò, per hanc definitionem explicatur id, in quo color conuenit cum aliis sensibilibus propriis, scilicet cum lumine, & aliis obiectis aliorum sensuum, & præterea id, per quod distinguitur ab illis, & à quibuscumque aliis: omnia enim ista obiecta conueniunt in hoc quòd sint motiua per species intentionales: differunt autem à colore, quia nullum illorum est motiuum diaphani in actu: lux quippe, etsi moueat diaphanum, non tamen diaphanum in actu, imò ipsa facit diaphanum in actu, cuius rationem affert D. Thom. his verbis, *lux enim cùm sit efficacior ad mouendum diaphanum quàm color, & magis visibilis, cum minori immutatione diaphani videri potest. Sonus verò, odor & c. licèt moueant aerem, aquam, aut aliud diaphanum, non tamen moueat prout est in actu, quia in tenebris sonus auditur, & odor odoratur:* vnde subdit D. Thom. lect. 15. *medium autem, quod mouetur ab odore, est aliquid commune aeri, & aqua sicut & vtrumque eorum est medium quod mouetur a colore, sed à colore mouetur vtrumque horum secundum quod diaphanum: passio autem communis aeris, & aqua secundum quam mouentur ab odore est innominata, non enim mouentur ab odore secundum quod sunt diaphana: quod etiam patet de obiectis gustus, & tactus:* ergo hæc definitio est optima.

Tertiò, quando accidens definitur in abstracto, & vt habet rationem causæ effectiuæ, tunc bene definitur per aliquam rationem superiorem loco generis, & per subiectum siue materiam circa quam loco differentiæ, quia secundùm istam rationem causæ actiuæ dicit intrinsecum ordinem ad prædictum subiectum, siue materiam circa quam: sicut in esse rei & secundùm suam entitatem absolutè consideratam importat essentialem ordinem ad suum subiectum inhæsionis: sed definitiuum huius definitionis est color in abstracto, & quatenus habet peculiarem rationem obiecti visibilis, ac proinde causæ intentionaliter actiuæ: ergo optimè definitur per hoc quòd est esse motiuum per species intentionales, tanquam per rationem positam loco generis, & per diaphanum secundùm actum, tanquam per aliquod positum loco differentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd immutatio coloris per species intentionales supponit Diaphanum in actu, siue medium actu illustratum, non autem lux, sed ipsa facit simul & semel diaphanum in actu, & immutat intentionaliter.

Ad secundum dicendum, quòd color non immutat diaphanum, nisi sit illustratum actu saltem imperfectè Nec oculus existens in tenebris potest videre colorem, an autem possit videre lucem est difficultas: Arist. in hoc 2. libro textu 72. & D. Thom. lectio 15. videntur asserere, sed intelligendi sunt, quòd absque perfecta illuminatione medij possit lux videri, vt patet in quibusdam animalibus lucidis, quæ noctu à longe videntur, sed tamen semper est aliqua, quamuis exigua illuminatio, nam lect. citatâ sic ait D. Thom. loquens de illis animalibus: *lux autem eorum propter sui debilitatem non potest diaphanum perfectè reducere in actum, secundum quod natum est moueri à colore.*

Ad tertium dicendum, quòd ex eo quod lumen est nobilius colore, sequitur quòd non sit per se primò institutum à natura, vt præparet diaphanum colori, non autem est inconueniens quòd secundariò ad hoc deseruiat: color autem non est motiuus cuiuscumque diaphani, sed tantùm illius quod communicat in materia cum colorato: & ita non potest mouere intentionaliter Cœlum, quia lux non nisi vt connotat perspicuum corruptibile, et ratio per se patiendi à colore: quamuis etiam possit concedi Cœlos posse immutari ab his inferioribus intentionaliter, hæc enim actio non est corruptiua, sed perfectiua, & valde elevata, nec conuenit secundùm se his inferioribus agere intentionaliter, sed tantùm vt participant aliquid de substantiis spiritualibus, vt docet D. Thom.

Articvlvs V.

Vtrùm ad hoc quòd color videatur, requiratur lumen ex parte ipsius?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd ad hoc vt color videatur, requiritur lumen ex parte ipsius. Ita tenent Auicenna, Auempace, Conimbricenses, & alij. Probatur authoritate D. Thom. in 2. d. 13. ar. 5. vbi sic ait: *Sed verum quòd per lucem videtur color, quia facit colorem esse visibilem in actu.* Item quæst. 23. de veritate art. 7. dicit quòd in obiecto visûs color est quasi materiale, lux verò quasi formale, quia per eam elicitur color visibilis, quod etiam repetit pluribus aliis locis: imò in hoc 2. libro lect. 14. sic probat ex professo: *quia oportet, cùm visus sit vnus, quòd visibile non sit nisi per rationem vnum, quod non esset, si color esset per se visibilis non per virtutem luminis, & item lumen esset per se visibile:* ergo ad hoc quòd color videatur, requiritur lumen ex parte ipsius.

§ 2. Præterea, experimur quòd oculus in obscuro positus videt coloratum procul existens, si sit perfusum lumine, econtra verò si obiectum sit in obscuro non potest videri licèt oculus sit perfusus lumine, & in loco illuminato: imò quò color est magis illuminatus, eo perfectiùs videtur, quamuis medium eodem modo maneat: ergo signum est quòd requiritur lux ex parte coloris ad hoc vt videatur.

§ 3. Præterea, Color non videtur in abstracto, sed vt est in suo proprio susceptiuo, scilicet perspicuo terminato, & consequenter id quod requiritur ad perspicuum terminatum, etiam desideratur ex parte obiecti, ad hoc vt color sit visibilis; sed ad perspicuum terminatum requiritur lumen cùm, lumen sit actus perspicui constituens illud lo esse talis: ergo etiam requiritur ex parte obiecti, ad hoc vt color possit videri.

Sed contra est authoritas Aristot. & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, & plures alij, vt Toletus, & Ruuius in præsenti.

Conclvsio.

Cùm color sit sensibile proprium visûs, ac proinde per seipsum visibilis, non requiritur ex parte ipsius lumen, ad hoc vt videatur.

Respondeo dicendum, quòd non requiritur lumen ex parte coloris ad hoc vt videatur, sed solùm ex parte medij siue diaphani, ad hoc vt reddat illud dispositum in ordine ad recipiendas species intentionales ab eodem colore immissas.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis, & D. Th. Aristoteles in hoc 2. libro textu 67. sic ait: *omnis enim color motiuus est eius, quod secundum actum est, diaphani, & hæc est ipsius natura, vnde nihil est visibile sine lumine, sed omnino vnusquisque color per lumen visibilis est.* Quod exponens D. Thom. lect. 14. sic ait: *intelligendum est ergo quòd color est visibilis per se, quia in seipso habet causam vt sit visibile, sicut subiectum in seipso habet causam propria passionis:* quod probat per hoc, quòd omnis color est motiuus diaphani secundùm actum, diaphanum autem est idem, quod transparens, vt Aër, vel Aqua, & hoc habet color de sua natura quòd possit mouere diaphanum in actu, ex hoc autem quòd mouet diaphanum in actu, est visibile, vnde sequitur quòd color secundùm suam naturam est visibilis: & quia diaphanum non fit in actu nisi per lumen, sequitur quòd color non sit visibilis sine lumine. Sed clarius paulò infra sic enim ait: *quidam dixerunt quòd lumen necessarium est ad videndum ex parte ipsius coloris, dicunt enim quòd color non habet virtutem, vt moueat diaphanum, nisi per lumen, sed hoc manifestè est contra id quod Arist. hic dicit (& quod habet in se causam essendi visibile) vnde secundum sententiam Arist. dicendum est* quid

quòd lumen est necessarium ad videndum, non ex parte coloris, eo quod faciat colores esse actu, quos quidam tantùm dicunt esse in potentia, cùm sunt in tenebris, sed ex parte diaphani, inquantum facit ipsum esse in actu, vt in littera dicitur. Idem docet iofra libro 3. lect. 10. vbi ait: *Color secundùm se est visibilis, hac autem solummodo facit lumen ipsum esse actu colorem, inquantum diaphanum facit esse in actu, vt moueri possit à colore, & sic color videatur: intellectus autem agens facit ipsa intelligibilia esse in actu, qua prius erant in potentia, &c.* Item q. de anima art. 4. ad 4. referens oppositam opinionem sic ait: *Sed hoc videtur Arist. remouere, cùm dicit in 2. de anima quòd color est per se visibilis, quod non esset, si solùm ex lumine haberet visibilitatem, & ideo alij aliter dicunt, & meliùs quòd lumen necessarium est ad videndum, inquantum perficit diaphanum faciens illud esse lucidum in actu.*

Secundò, color per se ipsum est visibilis, cùm sit sensibile proprium visûs, ipse enim solus inter sensus externos illum attingit, sensibile autem proprium alicuius sensûs est per se sensibile respectu illius, siue habet in se completam virtutem ad hoc vt ab illo per se primò attingatur, vt patet inductione in omnibus sensibilibus propriis aliorum sensuum, imò & in obiectis per se aliarum potentiarum, in hoc enim differt sensibile propriom à sensibili communi, & à sensibili per accidens, quòd ista non possint attingi ratione sui, sed tantùm ratione sensibilis proprij, hoc verò in sua natura habet totum quod requiritur ad hoc, vt per se primò à sensu attingatur: ergo color non redditur visibilis per lumen, siue lumen non requiritur ex parte ipsius ad hoc vt videatur, quod enim est per se & ab intrinseco tale, noo redditur tale per formam extrinsecam, siue de foris aduenientem: ac proinde lumen, quod necessariò requiritur ad visionem, non tenet se ex parte coloris, sed ex parte medij, inquantum reddit illud dispositum ad hoc, vt iotentionaliter immuterur ab eodem colore.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Thom. lect. 10. citatâ explicat id quod in illo loco dixerat, sic igitur ait: *Hoc autem solummodo facit lumen ipsum esse actu colorem, inquantum facit diaphanum esse in actu, vt moueri possit a colore, & sic color videri: vnde quia color non potest videri, nisi immittendo suas species per medium, medium autem non potest illas recipere, nec deferre ad potentiam, nisi sit illuminatum, ideo bene dicitur quòd lumen facit colorem visibilem, sed aliud est quod se teneat ex parte illius.* Ad alia loca D.Thom. patebit ex dicendis art. sequenti.

Ad secundum dicendum cum D.Th. q. de anima art. 4. ad 4. nihil obstare, quòd ab eo, qui est in tenebris, videantur ea quæ sunt in luce, & non è conuerso, hoc enim accidit ex eo quòd oportet illuminari diaphanum circumstans rem visibilem, vt recipiat speciem, quæ vsque ad hoc visibilis est, quousque porrigitur actus luminis illuminantis diaphanum, licèt de propinquo perfectiùs illuminet, & à longinquo magis debiliret. Item lect. 14. citatâ sic ait: quod autem colores illuminati, ab eo qui est in obscuro, videantur, contingit ex eo quòd etiam medium illuminatur quantùm sufficit ad immutatiooem ipsius. Quod autem requiratur maius lumen prope colorem, quàm in reliquo medio, & prope potentiam, prouenit ex eo quòd color cùm sit magis materialis, quàm species intentionales, maiorem requirit dispositionem luminis io aëre in quem immediatè agit, & de cuius potentia educit speciem intentionalem, quæ in ipso met debet recipi: ipsæ autem species quò magis distant a colore, sunt magis tenues, subtiles, & immateriales, & ideo ob contrariam rationem non indigent tanto lumine ad hoc vt agant intentionaliter, scilicet vt producant alias species successiuè: & si per impossibile magis illuminaretur color, absque eo quòd diaphanum magis illuminaretur, non videretur magis, imò aliquando à nimia luce offuscatur color: vnde visibilitas obiecti proportionatur dispositiuni medij, cùm debeat fieri per speciem de potentia eius eductam, & in eo tanquā in subiecto, siue medio proportionato receptam.

Ad tertium dicendum, quòd ad perspicuum terminatom, quod est susceptiuum coloris, non requiritur formaliter lumen, quod de necessitate constituat ipsum in ratione perspicui in acto, sed sufficit quòd habeat rationem perspicui in potentia proxima, licèt simul possit modo alibi dicto esse perspicuum io actu, Qood autem color noo possit disponere medium, vt in illud agat, sed emendicet hanc dispositionem à luce, proueoit ex eius imperfectione, res enim naturales, cùm debeant introducere aliquam formam, habent ex se vt disponant subiectum ad illam, vt constat generali inductione: vnde D.Th. lect. 14. citatâ sic ait: *Forma, quæ est perfecta virtutis in agendo, non solùm potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patient, vt sit proprium eius susceptiuum, quod quidem non potest facere, cùm fuerit imperfecta virtutis.* Dicendum est igitur quòd virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis, nam color nihil aliud est, quàm lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci, vnde non habet virturem vt faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptiuum coloris, quod tamen potest facere lux pura.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm lux, vel color sit obiectum formale visus?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd sola lux sit obiectum formale visûs, color verò sit obiectum tantùm materiale, quamuis præcipuum. Ita tenet Bannes 1. p. q. 78. art. 3. de viso. Probatur authoritate D.Th. quæst. 23. de veritate art. 7. vbi dicit quòd in obiecto visûs color est quasi materiale, lux verò quasi formale, quia per eam efficitur color visibilis, quod alibi repetit. Deinde in 1. d. 48. art. 2. dicit lucem se habere ad visum sicut bonum ad voluntatem, & d. 17. quæst. 1. art. 5. sicut Deum ad charitatem: sed bonum est obiectum formale voluntatis, & Deus charitatis: ergo sola lux est obiectum formale visûs.

¶ 2. Præterea, Obiectum formale visûs debet esse vnum, nam potentia specificatur ab obiecto formali, vnde cùm potentia visiua sit vna, eius obiectum debet esse vnom: sed tale obiectum non est solus color, nam Arist. in hoc 2. libro cap. 7. assignans quomodo potentia sit sui obiecti adæquati & oppositi, dicit quòd visus est lucis & tenebrarum: ergo obiectum formale visûs est sola lux. Hanc rationem affert D.Thom. hîc lect. 14. ait enim. *Quia oportet cùm visus sit vnus, quod visibile non sit nisi per rationem vnum, quod non esset, si color esset per se visibilis, non per virtutem luminis.*

¶ 3. Præterea, Lux, & color videntur eodem actu vt experientia patet, & sæpe docet D.Th. vt 1. 2. q. 8. art. 3. ad 2. 1. contra gentes cap. 76. q. 8. de veritate art. 14. ad 6. sed est impossibile quod eodem acto potentia visiua videret duas res, nisi vna se haberet vt formale respectu alterius: ergo sola lux est obiectum formale visûs, & color obiectum materiale.

SED CONTRA est authoritas Arist. & D.Thom. quos sequuntur omnes, qui tenent colorem seipso esse visibilem.

CONCLVSIO.

Cùm & lux, & color sint seipsis visibiles, obiectum formale visûs coalescit ex luce, & colore.

RESPONDEO dicendum, quòd obiectum formale visûs non est sola lux, aut solus color. 2. sed ex vtroque coalescit: 3. vnde obiectum adæquatum est innominatum, sed potest dici visibile prout ambit tam lucem, quàm colorem. 4. qui proinde non potest dici obiectum materiale tantùm.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Arist. & D. Th. Arist. & D.Th. modò vocant lucem, modò colorem obiectum formale visûs. De luce probant authoritates adductæ in contrariom, de colore habet Arist. in 2. lib. cap. 7. & D.Th. lect. 14. Item 1. p. q. 19. art. 3. & q. 45. art. 4. ad 1. & 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. imò communiter solet vocari color obiectum formale visûs: ergo obiectum formale visûs non est sola lux, aut solus color.

Probatur

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. lect. 6. de sensu & sensibili, vbi sic ait: *color, & lumen conueniunt in vnica ratione, scilicet quod vterque est actus perspicui, quamuis lux non petat esse actum perspicui terminati, secus verò color: & secundum hoc sunt radix vnius, & eiusdem rationis formalis (quæ) in esse visibilis.* Item 1.p.q.79.art.3. *color & lux conueniunt in vna & eadem ratione (sub qua) immutandi visum, licèt materialiter, & accidentaliter color deficiat à perfectione, quam habet immutandi ipsa lux: sufficiens tamen est virtus immutandi quam habet color, vt sit per se visibilis, & sensibile proprium visûs.* Ex quibus constat de mente D. Th. & duplici ratione probatur eadem pars conclusionis. Nam lux & color sub eadem ratione formali immutant visum, & similiter color est per se visibilis sicut ipsa lux: ergo si vnum est obiectum formale visûs, etiam aliud erit: & ita ex vtroque coalescit obiectum adæquatum.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionis. Non assignatur aliquod genus proximum, in quo conueniant lux & color in esse visibilis, siue in esse obiecti formalis potentiæ visiuæ, & tamen constat quòd obiectum vnius potentiæ, qualis est visus, debet esse quid vnum: ergo illud est innominatum; sed potest dici visibile prout ambit tam lucem, quàm colorem: nec istud est singulare in visu, habetur enim exemplum in tactu: nam genus proximum, in quo conueniunt calidum & frigidum, aut humidum & siccum ex D.Th. est innominatum, sicut & genus in quo conueniunt hæ quatuor qualitates vt tangibiles, est innominatum, propterea pro obiecto tactûs assignatur qualitas tangibilis.

Probatur quarta pars conclusionis. Obiectum materiale alicuius sensûs non est per se, & ratione sui sensibile vt patet, in hoc enim differt obiectum materiale à formali, quòd materiale non per se apprehenditur à potentia, sed solùm ratione obiecti formalis quod seipso apprehenditur, & est ratio, quæ in obiecto materiali apprehenditur: sed color est per se & ratione sui visibilis vt ostensum est: ergo non potest dici obiectum materiale tantùm.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th. in hoc loco, & alibi vtitur exemplo lucis, & coloris ad explicandas plures difficultates Theologicas, & ita vtitur illis secundùm probabilem sententiam, quod sæpe facit S. Doctor: sufficit enim quòd exempla sint probabilia: vtraque autem hæc opinio est probabilis, vt fatetur D.Th. 1.p.q.79. art. 3 ad 2. vnde solùm conuincitur esse mentem D. Th. cùm aliquid ex professo tractat, sicut facit hic in propriis locis nostram sententiam: nec tamen inde debet assumi libertas, & audacia negandi authoritatem D. Thom. adductam in similibus exemplis: omnia quippe eius verba sunt veneranda, nisi exprcsse alibi de eius sententia constet. Ad alia duo loca dicendum, quòd D.Th. modò dicit lucem esse obiectum formale visûs, modò colorem, quia illud commune vtrique est innominatum, vnde inadæquatum pro adæquato ponit.

Ad secundum dicendum, quòd cùm color causetur radicaliter, & modo supra explicato à lumine, & in eo lumen virtualiter maneat, ex eo quod color est quædam participatio virtualis ipsius, ideo lumen est quodammodo ipsa substantia coloris, & propterea omne visibile reducitur ad vnam & eamdem naturam. Ita D.Th. lect. 14. citatâ respondens prædictæ rationi, sic enim ait: *ex quo etiam patet quòd cùm lux sit quodammodo substantia coloris, ad eamdem naturam reducitur omne visibile; nec oportet quòd color per lumen extrinsecum fiat actu visibile: nec Aristot. ibi affert lucem pro obiecto adæquato visûs, sed vtitur inadæquato, quia adæquatum est innominatum, vt dictum est.*

Ad tertium dicendum, quòd sufficit vt lux sit ratio (sub qua) videndi colorem tenens se ex parte medij, ad hoc vt eodem actu videatur, quo color, qui est ratio formalis (quæ) & hoc apparet in omnibus habitibus, & potentiis: ratio enim formalis (quæ) & ratio (sub qua) eodem actu attinguntur, vnde lux est simul ratio formalis (quæ, & sub qua) illa quæ se tenet ex parte obiecti, est ratio formalis (quæ) aliquando enim non coloratum, sed lucidum videtur: illa verò quæ se tenet ex parte medij, est ratio sub qua videtur obiectum lucidum, aut coloratum, & hæc simul videtur cum colore, aut alia luce, quæ est in obiecto.

Articvlvs VII.

Vtrùm subiectum potentiæ visiuæ sit solus humor Chrystallinus?

AD septimvm sic proceditur. Videtur quòd subiectum potentiæ visiuæ sit solus humor Chrystallinus. Ita tenent Galenus lib. 8. de vsu partium cap. 6. & alibi, Suares 2. tomo Summæ Theologicæ tractatu 3. lib. 3. cap. 18. asserens hanc esse communem opinionem, Conimbricenses, & Ruuius in præsenti, & alij. Probatur authoritate Aristot. & D. Thom. Aristot. lib. 1. de historia animalium cap. 9. sic ait: *humor oculi interior, quo videmus, pupilla est: quod eam ambit, nigrum dicitur: quo postremò nigrum circumdat candidum seu albugo.* Idem alibi repetit: D. Thom. autem in hoc 2. lib. lect. 17. sic ait: *sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla, caret omni colore, vt possit cognoscere omnes colorum differentias &c.* ergo subiectum potentiæ visiuæ est solus humor Chrystallinus.

¶ 2. Præterea, Ex Arist. & D. Th. organum visûs debet esse aqueum, ait enim Philosophus loco de sensu & sensibili, quòd si oportet asserere, secundùm hunc modum attribuere, & assignare vnumquodque sensitiuum vni Elementorum, oculi quidem visiuum aquæ æstimandum: D.Thom. lect. 4. *existimandum est quòd visiuum oculi attribuendum sit aquæ*: cuius rei ratio est, quia in aqua vt pote diaphana, aliquantum spissa, potest per quamdam reuerberationem apparere forma, siue species intentionalis rei visæ: sed humor Chrystallinus est aqueus vt ex se patet, ideo enim dicitur Chrystallinus, quia est similis Chrystallo, quod est naturæ aquæ: ergo subiectum potentiæ visiuæ est solus humor Chrystallinus.

¶ 3. Præterea, humor Chrystallinus, siue pupilla est principalior pars oculi, cui cæteræ deseruiunt, & habet omnia necessaria ad fouendam potentiam visiuam, & ad eliciendam visionem, cùm sit præ cæteris purior, in centro oculi residens, ac expers omnis coloris: ergo subiectum potẽtiæ visiuæ est solus humor Chrystallinus, conueniens enim est, imò necessarium, vt potentia tam perfecta, qualis est visiua, resideat in principaliori parte oculi.

Sed contra est expressa Arist. & D.Th. quos sequuntur Bannes 1. p. q.78. art.3. nostri Complutenses hîc & communiter alij Thomistæ.

Conclvsio.

Cùm non sit admittenda nisi vna potentia visiua in quolibet homine, subiectum potentiæ visiuæ non est solus humor Chrystallinus.

Respondeo dicendum, quòd potentia visiua subiectatur tam in humore Chrystallino siue pupilla 2. quàm in neruis opticis siue visoriis. 3. maximè in illa parte vbi prædicti nerui coniunguntur. Ad cuius euidentiam sciendum est oculum componi ex multis & diuersis partibus, in eo quippe sunt quinque tunicæ, tres humores, & septem musculi quibus mouetur versùs omnem partem, ad quam mouetur. Primò igitur in medio oculi, qui est substantia quasi circularis non perfecta, sed ad modum oui, est quidam humor perlucidus, qui vocatur Chrystallinus & pupilla, qui licet aliquandò sit mollis, tamen est transparens velut Chrystallus, & ei valde similis, ac figuræ lupini, aut lenticulæ: hic humor circumdatur tunicâ dictâ speculari, quia ad videndum siue speculandum est valde accommoda: hic humor est pene immersus alteri humori qui dicitur vitreus, quia est similis in splendore & mollitie vitro in fornace liquido: ita autem circumdat Chrystallinum, vt in anteriori parte relinquat quasi fenestram circularem media siquidem

pars humoris Chryſtallini ſupereminet vitreo: hic humor vitreus eſt inſtitutus à natura, vt ſit nutrimentum Cryſtallini ex Galeno lib. 10. de vſu partium cap. 1. humor enim Cryſtallinus non eſt aptus vt immediatè nutriatur ſanguine: vitreum autem humorem ex parte ambit quædam tunica dicta retina, ſiue reticularis, quia multis venulis, & arteriis eſt inſerta, & aſſimilatur reti, ac deſinit ad eam partem, qua Cryſtallinus humor habet in anteriori parte prædictam feneſtram: munus illius eſt vt ait Galenus loco citato cap. 2. præparare & miniſtrare alimentum prædictis humoribus, cùm enim ſint molles, carent venis & arteriis. Poſt tunicam retinam ſequitur alia dicta Vuea, quia folliculo vuæ ſimilis eſt, hæc tunica ſolet eſſe diuerſi coloris in diuerſis oculis, modò cærulei, modò viridis, modò griſei, quamuis quilibet color ea his qui illi conueniunt, ſit ſubobſcurus, & ita ratione huius diuerſitatis diuerſis nominibus oculi nominantur. Huic tunicæ ſuccedit alia dicta cornea, quia eſt dura & tranſparens ad inſtar laminæ ſubtilis corneæ, & hæc ex omni parte pupillam cingit, ne facilè lædatur: ſubſequitur tertius humor dictus aqueus, vel albugineus, quia albo oui ſimilis eſt, & inſtituitur à natura, vt internum humorem Cryſtallinum valde delicatum humectet & foueat, ac totam illam concauitatem oculi repleat: non deſunt qui dicant hunc tertium humorem eſſe ſub tunica cornea. Denique iſte humor regitur aliâ tunicâ habente foramen in parte anteriori, per quod poſſit humor Cryſtallinus conſpici, & ſpecies ingredi ad viſum, quæ tunica eſt fortis, & ab aliquibus dicitur album oculi, ab aliis verò adhærens, ſiue adnata, quæ integrum oculi quaſi format, & in ſua ſede conſiſtere facit: imò ſuo calore, in quo alias oculi partes ſuperat, eas fouet ne congelentur, & derivatur à tunica alia caluariam ambiente quæ pericranium appellatur: vterque autem oculus pendet à quodam neruo deſcendente à cerebro, & habente duos ramos porrectos vſque ad oculos, qui taliter ſunt diſpoſiti, vt vnus ad dexteram, alius verò ad partem ſiniſtram deſcendat, qui rami vocantur optici, ſiue viſorij: & quamuis alij noſtri nerui ſint terreſtres, non tamen iſti optici, cùm ſint deſtinati ad hoc vt ſint organum viſus, & ideo ſunt naturæ aqueæ, & maximè quia vt ait D. Th. vbi coniunguntur, eſt prope cerebrum, ac proinde participant eius qualitates, ſcilicet humiditatem & frigiditatem, cerebrum enim eſt humidiſſimum & frigidiſſimum omnium partium noſtri corporis: hi nerui optici ſe habent ad modum cuiuſdam fiſtulæ, intra quam ſit meatus, & veluti concauitas à ſummo vſque deorſum, & ita ſunt in oculis radicati, vt pertingant ad humorē chryſtallinum, & eo mediante recipiant ſpecies, ac lumen: per ipſos etiam deſcendunt ad oculos ſpiritus animales: vnde ſolùm per conuexam ſuperficiem contingunt tunicam vueam: licèt autem ratione meatuum communicent oculis ſpiritus animales, ratione tamen partium ſolidarum, & perſpicuarum quas habent, ſunt organum viſus. Hi nerui optici ſunt induti duabus tunicis, & ſubâ cerebrali: tunica interior eſt tenuis, alia exterior eſt durior conueniunt autem prædicti nerui in media quaſi fronte, iterúmque diuiduntur, vnde videntur efformare literam X. tandem quilibet oculus eſt quaſi ligatus ſeptem muſculis, quibus ſuſtinetur & in varias partes hinc inde mouetur.

Probatur concluſio quoad omnes partes authoritate D. Thom. opuſc. 43. cap. 3. vbi ſic ait: *Patet quod organum proximum, & extrinſecum viſus ſunt oculi: primum autem, & intrinſecum ſunt nerui viſuales.*

Probatur ſigillatim prima pars concluſionis, nempe quòd potentia viſiua ſubiectetur in humore cryſtallino, ſiue pupilla, tum authoritate Ariſtotelis, & D. Th. tum rationibus adductis in contrarium. Nec pupilla eſt nigra vt apparet, ſic autem apparet ob copiam humorum, qui intra illam reſident, & ideo non poteſt penetrari viſione, vel etiam hæc apparentia prouenit ex tunica vuea quæ eſt ſubobſcuri coloris, & aliquando nigri, vnde eſt cauſa cur vicinus humor cryſtallinus appareat niger; quamuis autem ipſa pupilla habeat in fundo aliquam maiorem ſpiſſitudinem ratione cuius poſſint ibi refrangi ſpecies, vt ait D. Thom. de ſenſu. & ſenſibili lect. 4. tamen non eſt tanta hæc ſpiſſitudo, vt impediat tranſitum luminis, ac ſpecierum.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles de ſenſu & ſenſato poſtquam aſſeruit potentiam viſiuam eſſe in humore aqueo, ſubdit eſſe etiam in neruis opticis, ait ſiquidem: *non enim in vltimo oculi anima, aut animæ ſenſitiuum eſt ſed manifeſtum quoniam interius.* Quod exponens D. Thom. lect. 5. ſic ait: *Signanter addit animæ ſenſitiuum, anima enim, cum ſit forma totius corporis, & ſingularum partium eius, neceſſe eſt quòd ſit in corpore, & in qualibet parte eius quia neceſſe eſt formam eſſe in eo cuius eſt forma, ſed ſenſitiuum animæ dicitur potentia ſenſitiua, quæ quia eſt principium ſenſibilis operationis animæ, quæ per corpus exercetur, oportet eſſe in aliqua determinata parte corporis: & ſic principium viſionis eſt interius iuxta cerebrum, vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes.* Quòd etiam clarius docet de ſenſu, & ſenſato lect. vltimâ: imò & ex hoc reſpondet cuidam obiectioni, ſic autem ait: *Quòd ſi aliquis dicat, quòd ſicut ſunt duo organa viſûs, ſcilicet duo oculi, ſic nihil prohibet in anima ſenſitiua etiam eſſe duos viſus: dicendum eſt hoc eſſe falſum, quia ex duobus oculis fit aliquid vnum, & vna eſt operatio amborum oculorum, in quantum ſcilicet viſio vtriuſque oculi concurrit per quoſdam neruos ad aliquid intrinſecum in ſuum organum, quòd eſt circa cerebrum, vt ſupra dictum eſt: non ergo videtur rationabiliter dici, quod ſunt duo viſus in anima*: ex qua authoritate ſequitur quòd potentia viſiua ſit extenſa & diffuſa ab humore cryſtallino per illos neruos vſque ad coniunctionem ipſorum, & hoc totum eſt adæquatum eius ſubiectum. Reſpondet Rouius D. Thom. non loqui hîc de organo proximo viſûs ſed de primo & radicali ſicut dum eadem lect. 5. dicit quòd organum tactûs, & guſtûs ſit iuxta cor. Sed contra, quia hoc ſecundum, ſcilicet de guſtu, & tacta patitur, imò neceſſariò requirit hanc explicationem, ipſe enim contextus D. Thom. hoc indicat, vnde ſic ſtatim ſubdit: *nec tamen oportet eſſe duo principia ſenſitiua in animali, vnum circa cerebrum vbi conſtituitur principium viſiuum odoratiuum, & auditiuum; & aliud circa cor, vbi conſtituitur principium tactiuum, & guſtatiuum: ſenſitiuum enim principium primo quidem eſt in corde, vbi eſt fons caloris in corde animalis: nihil enim eſt ſenſitiuum ſine calore vt dicitur in libro 2. de anima, ſed à corde deriuatur virtus ſenſitiua ad cerebrum, & exinde procedit ad organa trium ſenſuum viſûs, auditûs, & odoratûs, tactus autem, & guſtus referuntur ad ipſum cor per medium coniunctum.* Sed circa viſum eſt falſa hæc ſolutio, nam ex vnitate organi radicalis non licet colligere vnitatem potentiarum ſenſitiuarum, vt patet: nam licèt cor ſit principium fontale, & radicale ſenſuum interiorum, & exteriorum, & inde ad cerebrum virtus hæc deriuetur, vt conſtat ex D. Thom. tamen non ideo prædicti ſenſus identificantur, ſed Ariſtoteles, & D. Th. colligunt identitatem numericam viſûs ex eo, quòd oculi habent rationem vnius & eiuſdem integri organi vnà cum prædictis neruis: ergo loquuntur de organo totali proximo receptiuo viſûs, non verò de radicali: imò D. Thom. ſubdit: *& ideo oportet quòd intra oculum ſit aliquod perſpicuum receptiuum luminis, vt ſit vniformis immutatio à re viſa vſque ad principium viſiuum:* conſtat autem quòd immutatio vniformis ab obiecto viſibili vt viſibile eſt, tantùm pertingit ad viſum, & ad organum eius, non verò vſque ad principium radicale.

Secundo, ſi potentia viſiua ſit in ſolo humore cryſtallino, ſequitur quòd ſint duæ potentiæ viſiuæ, quia cùm ſint duo humores, vnuſquiſque in vno oculo, ab inuicem ſeparati ſequitur quòd ſint duæ potentiæ, alioquin eadem eſſet in duobus ſubiectis diſtantibus, quod eſt impoſſibile; ſed non eſt niſi vna potentia viſiua, ſufficit

fieit enim vna ad videndum, vnde alia est superflua: ergo potentia visiua non subiectatur in solo humore crystallino, sed etiam subiectatur in neruis opticis. Nec valet dicere quòd ex prouidentia naturæ dantur duæ, vt si vna pereat, remaneat alia. Nam contra, quia non pertinet ad naturam prouidere in omnibus quæ accidentaliter possunt accidere, aliàs admittendi essent duo gustus, quia valde necessarij ad conseruationem indiuidui, & similiter de aliis potentiis. Deinde quia eo modo quo potentia visiua ponitur à D.Thom. æquè difficilè potest perire, ac si essent duæ: ergo potentia visiua est diffusa per totum organum assignatum, ex quo admittitur necessitas, & excluditur superfluitas. Quod confirmatur quadam experientiâ adductâ ab Aristotele locu citato, illám que sic exponit D. Thom. *manifestat quod dixerat per signum quod accidit in quibusdam, qui in pugnis circa tempora vulnerantur, scissis enim poris, qui pupillam continuant visiuo principio, subito tenebræ fiunt per visus amissionem, ac si lucerna extingueretur: pupilla enim est sicut quadam lampas illuminata ab exteriori lumine: & ideo quando præscinduntur pori continuantes pupillam principio visiuo, non potest lumen huius lampadis vsque ad visiuum principium peruenire, & ideo visus obscuratur.*

Probatur tertia pars conclusionis tum prædictâ authoritate D. Thom. lect. 5. de sensu & sensato, vbi ait: *principium visionis est interius iuxta cerebrum, vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes*: tum sequenti ratione: Quoties aliqua operantur, quatenus vniuntur in aliquo vno, toties illa operatio magis viget in illo vno, in quo vniuntur: sed nerui optici vident, quatenus coniunguntur, ad hoc enim ordinata est hæc coniunctio neruorum à natura, vt virtus ipsorum vnita esset fortior & firmior, nihil enim est superfluum in operibus naturæ: ergo visio magis viget in illa parte vbi nerui optici coniunguntur, ac proinde ibi maximè subiectatur potentia visiua, ibi enim principalius est aliqua potentia, vbi perfectius operatur, cùm potentia sit propter suam operationem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & D. Thom. in illis locis solùm docent potentiam visiuam subiectari in pupilla, siue in humore crystallino, quòd conceditur, non autem docent illam subiectari in sola pupilla.

Ad secundum dicendum, quòd organum visûs est aqueum, & propterea tam humor crystallinus, quàm neruus opticus, vt pote naturæ aqueæ vt dictum est, sunt organum visûs: licèt autem D.Thom. lect. 5. dicat quòd nihil prohibet visum attribui igni, tamen subdit: *non secundùm proprias eius qualitates, quæ sunt calidum & siccum, sed secundùm quòd est lucidus actu*: vnde licèt in pupilla appareat aliquando aliquis fulgor, non tamen inferendum est quòd sit naturæ igneæ, hic enim fulgor ex D. Thom. de sensu & sensibili lect. 3. prouenit ex eo quòd ex forti percussione, & celeri motu aliqui spiritus animales, qui sunt substantia quædam splendida, emittantur ab aliqua parte pupillæ, & licèt emissi amittant suum esse vitale, conuertuntur tamen in aliam substantiam splendidam, & ita videntur.

Ad tertium dicendum, quòd solùm probat humorem crystallinum esse subiectum potentiæ visiuæ, quòd conceditur, sed tamen est subiectum illius inadæquatum, per modum primi vitaliter receptiui specierum intentionalium, ad quod conducunt assignatæ proprietates.

QVÆSTIO XXXV.

De sensu Auditûs.

CVM auditus in sua perfectione & immaterialitate magis accedat ad visum, quàm alij sensus, vt docet D. Thom. hîc lect. 14. ideo postquam determinatum est de visu, statim determinandum occurrit de auditu: circa quem quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm sonus sit qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum & medij resilientia?

¶ Secundò, Vtrùm sonus subiectetur in corporibus sonantibus, vel in solo medio?

¶ Tertiò, Vtrùm non solùm aër, sed etiam aqua, & similia corpora sint medium, & subiectum soni tam secundùm esse reale, quàm intentionale?

¶ Quartò, Vtrùm requiratur ad perceptionem soni, quòd deferatur secundùm suum esse reale vsque ad auditum?

¶ Quintò, Vtrùm sonus reflexus, siue Echo fiat semper per regressionem eiusdem soni secundùm suum esse reale & naturale?

¶ Sextò, Vtrùm solus aër innatus sit organum & subiectum potentiæ Auditiuæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sonus sit qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd sonus non sit qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia. Probatur motus non est qualitas, cùm sit quid incompletū: sed sonus est quidam motus ex Aristotele hîc textu 85. definiens enim sonum sic ait: *est enim sonus motus possibilis moueri hoc modo, quo quidem saltantia à lenibus, cùm aliquis ea fortiter percusserit*: ergo sonus non est qualitas sensibilis, maximè quia non continetur inter primas, nec inter secundas qualitates, prima enim qualitas adæquatè diuiditur ab Aristotele 2. de generatione in calorem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, inter quas non continetur sonus: secunda autem qualitas fit ex permixtione primarum, quod non competit sono.

¶ 2. Præterea, Sonus multoties fit ex diuisione alicuius corporis, constat enim quòd quando frangitur baculus, vel quid simile, excitatur sonus: ergo malè dicitur quòd sonus est resultans ex forti percussione corporum, vnde diminutè definitur: maximè quia talis percussio non solùm debet esse fortis, sed etiam velox, ait enim philosophus in præsenti textu 79. *vnde si fortiter & velociter percutiatur, sonat*: & D. Thom. lect. 17. ait. *& propter hoc videmus quòd si aliquid tardo motu tangat alterum, non facit sonum, sed si percussio sit fortis, & velox, tunc fit sonus.*

¶ 3. Præterea, Percussio corporum est motus localis: sed motus localis non terminatur ad qualitatem, sed ad Vbi, siue ad locum, vt constat ex communi consensu Philosophorum: ergo malè dicitur ex vna parte quòd sonus sit qualitas, & ex alia quòd resultet ex forti percussione corporum. Item si est qualitas habet esse permanens, si verò causatur ex percussione, cùm talis percussio sit successiua, causabitur successiuè, & habebit esse successiuum, est autem impossibile quòd idem habeat esse permanens simul & successiuum.

SED CONTRA est communis consensus Philosophorum admittentium hanc descriptiuam definitionem soni desumptam ex Aristotele in hoc 2. libro cap. 8. & D. Th. ibidem lect. 17.

CONCLVSIO.

Rectè definitur sonus, quod sit qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia.

RESPONDEO dicendum, prædictam descriptionem soni esse optimam, vt constat ex eius explicatione.

Dicitur 1. (qualitas) quia omnia obiecta sensuum per se & directè pertinent ad prædicamentum qualitatis, vt supra monstratum est ex Aristotele, & D. Thom. constat autem quòd sonus est obiectum sensûs auditûs, & ita est qualitas, ac proinde distinguitur à quouis motu: vnde per hanc particulam separatur ab illo motu locali corporum se collidentium, & medij ex tali collisione resilientis.

Secundò dicitur (ſenſibilis) per qood oſtenditur diuerſitas, quæ eſt inter ſonom & impulſum, qui alicui graui vel leui imprimitur, quo violenter impelluntur: licèt enim eſſet vt quidam volunt qualitas impreſſa ex violenta percuſſione, tamen noo eſt qoalitas ſenſibilis ab aliqoo exierno ſenſo; ſecus tameo ſonus: per hoc etiam à moto diſtinguitur, nam motus eſt tantùm ſenſibile proprium aodiros.

Tertiò dicitur (ex forti percuſſione) qnòd deſumitur ex Ariſtoiele hîc cap. 8. ad text. 79. & D.Thom. ibidem lect. 16. vbi ait: *Si percuſſis ſit fortis, tune fit ſonnt, & per hoc datur intelligi tria ad ſonum concurrere, ſcilicet perentiens, percuſſum, & medium quod ex vitalit percuſſionis reſilit:* vnde D. Thom. ibidem explicans Ariſtotelem ſic ait: *Dicit ergo primò quòd ad hoc vt ſonus fiat in actu oportet tria concurrere, ſit enim ſemper alicuius, & ad aliquid, & in aliquo: & ideo ſi ſit vnum tantum, non poteſt ſonum facere: & huius ratio* eſt, fiue ſignum, quia percuſſio eſt cauſa ſoni: oportet igitur eſſe aliquid id eſt percutiens, & aliquid percuſſum, & propter hoc dicit quòd ſonus eſt alicuius ad aliquid, id eſt percutientis ad percuſſum: oportet enim quòd illud, quòd facit ſonum, tangat aliqoid, & cum tetigerit ſuo ictu generetur tunc ſonus: ictus aotem percutientis non fit ſine motu locali, motus autem localis ooo eſt ſine medio. vnde relinquitur quòd oportet eſſe medium, ad hoc quòd fiat ſonus in actu: & hoc eſt quod dictum eſt, quòd oportet eſſe ſonum oon ſolùm alicuius, & ad aliquid, ſed etiam in aliqoo: non autem oportet, quòd hæc tria ſint diſcontinua, aut realiter per modum trium corporum ſed ſofficit vt ſint dioerſæ realiter partes voius & eiuſdem corporis, vt patet in agitatiooe ventorum: ſimiliter idem poteſt eſſe corpos percuſſom & medium, vt cum quis virgâ percutit aërem, fit ſonus, & aër qui percutitor, eſt etiam medium.

Quarto dicitur (corporum ſonororum) oſtendit autem Ariſtot. hîc cap. 8. quæ ſuot corpora ſonora, dicens ad hoc reqoiri duas conditiones, ſcilicet ſoliditatem & lenitatem, ſoliditatem qoidem vt patet ex eius textu 78. & 79. vbi ſic ait: *Sicut autem diximus, non quorumlibet ictus ſonus eſt, nullum enim faciunt ſonum pili, etſi percutiantur, &c. ſed oportet ſolidorum percuſſionem fieri ad ſe inuicem:* quod ibidem optimè explicat D. Th. & reddit rationem his verbis: *Quia mollia cedunt percutienti, vnde ex percuſſione non extruditur aer, vt ſic in eo poſſit formari ſonus ex ictu percutientis, & reſiſtentia percuſſi: neceſſe eſt enim quòd illa, ex quorum percuſſione ſonus redditur, ſint dura; vt aer extrudatur: quæ quidem extruſio eſt cauſa generationis ſoni.* Lenitatem autem vt patet ex textu 85. vbi ſic ait: *Non igitur ſicut dictum eſt omne ſonat, quod verberatur, & verberans, vt ſi obiiciatur acus acui, ſed oportet quòd percutiatur planum lene regulare eſſe;* & ſubdit rationem, *Vt aer ſubitò diſſiliat, & moueatur:* quod etiam optimè explicat D. Thom. Licèt autem corpora ſe collidentia debeant eſſe ſolida, non requiritur tamen omnimoda ſoliditas, ſed tanta, quanta ſufficit ad reſiſtendum percutienti & ita quando vndæ maris ſe percutiunt, vel aliquis percotit virgâ aërem, fit ſonus: & ſimiliter dicendum de lenitate, quòd ſemper aliqua reqoiritor, corpora quippe aſpera non ſunt apta ad cauſandum ſonum, vt ait D. Thom. lect. 17. boius libri, ex eo quod habeant diuerſas partes, quarum quædam præeminent aliis, ex qoo prouenit vt ibidem ſint quaſi qoædam foramina, io quibus taliter recipitur aër, vt non poſſint eſſe apta ad expulſionem & reſilientiam aëris medij, ac proinde nec ad ſoni generationem. Præter ſoliditatem, & lenitatem corporum requirit Ariſtoteles ad bonitatem ſoni concauitatem, & afferens rationem textu 78. ait: *Concaua autem ex percuſſione faciunt multos ictus poſt primum in potenti exire, quod motum eſt:* quæ verba ſic exponit D. Thom. *Concaua autem benè percuſſa reddunt ſonum: quia in eis intus aer concluditur, & cùm illud quod primò motum eſt, non poſſit ſtatim exire, percutit alium aërem, & ſic ex repercuſſione fiunt multi ictus, & multiplicatur ſonus:* & propter hoc etiam ea, quæ io ſui compoſitione habent aërem benè diſpoſitum, ſunt benè ſooora, ſicut æs, & argentum in quorum autem compoſitione aër non benè ſe habet, non ſunt beoè ſonora, ſicut plumbum, & alia huiuſmodi, quæ ſuut magis terreſtria.

Quintò dicitur (medij reſilientia,) quia non poteſt ſonus generari, niſi vltra percutiens, & percuſſum ſit medium, quod ex vi huius percuſſionis reſiliat: maximè quia ſonus non recipitur io corporibus ſooris, ſed in corpore medio reſiliente.

Ad primum ergo dicendom com D. Thom. hîc lect. 17. & 18. quòd hæc definitio ſoni tradita ab Ariſtotele eſt tantùm cauſalis, & facit huoc ſenſum: Soous eſt quid per motum cauſatum, ſicut etiam definitio vocis, quam tradit ibidem texto 90. eſt tantùm caoſalis, dum ait: *Quare percuſſio reſpirati aeris ab anima, quæ eſt in his partibus ad vocalem arteriam, vox eſt.* Ad aliud dicendum quòd ſonus eſt qualitas prima, ſicut lux, oon autem ex illis, quæ habent contrarium, de quibus loquitur Philoſophus in illa diuiſione.

Ad ſecondum dicendum, quòd quando ex diuiſione alicuius corporis fit ſoous, reperitur adhuc fortis & velox percuſſio (fortis enim includit velocem) nam partes aëris proximiores corpori diuiſo velociſſimè mouentur ad replendum vacuum, & io loco partis primò ingredientis locum diuiſionis, vt repleat vacoum, ſuccedit impetu quodam alia pars aëris, & ſic percutit priorem, & facit eam allidere ad latera corporis diuiſi, & ita reſultat ſoous, in quo percutiens eſt aër, & percuſſum ipſum corpus diuiſum: imò licèt remotiores partes aëris noo impellerent proximiores, poſſet adhuc fieri ſonus, ex eo quòd partes proximiores ex naturali impetu, & inclioatiooe, quam partes vniuerſi habent ad replendom vacuum, mouerentur magno impetu, ne vacuum daretor.

Ad tertium dicendum, quòd licèt ad generationem ſoni reqoiratur motus localis medij, & corporum ſe collidentium, oon tamen prædictus ſonus fit per illius, tanquam per actionem per ſe & directè terminatam ad prædictum ſonum, ſed ibidem coniuogitur alteratio qoædam, per quam producitur ſonus. Ad aliud dicendum, quòd ſonos eſt naturâ ſuâ parum durans, & in ſubiecto per modom fluxùs: licet reuera ſit qoalitas permaneus, id eſt, cuius eſſe poteſt totum ſimol conſeruari: vnde D. Thom. lect. 16. ait: *Sonus autem cauſatur ex motu, & non habet eſſe fixum, & quieſcens in ſubiecto; ſed in quadam immutatione conſiſtit: incipit autem extrinſecè: nam primum eſſe contactus corporum ſe collidentium eſt vltimum non eſſe illius.*

Articvlvs II.

Vtrùm ſonus ſubiectetur in corporibus ſonantibus, vel in ſolo medio?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd ſonus non tantùm ſobiectetor in medio, ſed etiam in corporibus ſonantibus. Ita Paludanus, & alij. Probatur, pro diuerſitate corporum ſe collidentiom cauſatur diuerſus ſoous, magis vel minùs perfectus, quamuis percuſſio ſit æqualis, vt ipsâ conſtat experientiâ: ergo ſoous ſubiectatur io illis corporibus.

¶ 2. Præterea, Diuerſitas corporum ſe collidentium dignoſcitur ex eorum ſono, diſcernitur enim ex ipſo ſono, an ſit organum, cithara, pſalterium &c. ergo in illis ſubiectator ſoous, ſicut in eo eſt color, quod dignoſcitur per colorem.

¶ 3. Præterea, Experimur quod poſt factum ſonum remanet tinnitos Cymbali, qui eſt quidam ſonus langueſcens: at ſonus ille à lingua prædicti Cymbali productus ceſſat, ſi lingua illa manu apprehendatur: ergo ſignum eſt in ea ſonum recipi.

Sed

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm idem numero ſonus non poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis, & experientiâ conſtet illum recipi in medio, cum quo mouetur, non ſubiectatur in corporibus ſonantibus.

Respondeo dicendum, quòd ſonus non ſubiectatur in corporibus ſe collidentibus, ſiue ſonantibus 2. ſed in corpore medio, & ex vi talis colliſionis reſiliente. Probatur authoritate Philoſophi in hoc 2. libro cap. 8. vbi ſic ait: *Fit autem, qui ſecundùm actum ſonus ſemper alicuius ad aliquid, vel in aliquo:* Per ly (alicuius ad aliquid) intelligit corpora ſe collidentia: per ly autem (in aliquo) intelligit medium. Idem docet textu 77. quem exponens D.Thom. lect.16. ſic ait: *Sic autem non eſt de ſono, nam in corpore ſonante non eſt niſi in potentia; in medio autem, quod mouetur ex percuſſione corporis ſonantis, fit ſonus in actu, & propter hoc dicitur, quòd ſonus in actu eſt medij, & audibilis: non autem ſubiecti ſonabilis.*

Secundò, ſonus non poteſt recipi in vnico ex corporibus ſonantibus, quia non eſt maior ratio, cur potiùs in vno, quàm in alio; nec poteſt recipi in vtroque ſimul, quia ſonus eſt vnum accidens, ac proinde non poteſt eſſe in duplici ſubiecto ſimul, vt conſtat, cùm accidens indiuiduetur à ſubiecto: nec ſucceſſiuè, accidens enim non tranſit de ſubiecto in ſubiectum, vt communiter docent Philoſophi: ergo ſonus ſubiectatur tantùm in corpore medio, cùm iſta tria tantùm poſſint aſſignari. Nec poteſt dici quòd ſint duo ſoni, quia perciperetur hîc duplex ſonus: maximè quando corpora ſe collidentia inuicem ſe excederent in ſonoritate: non autem percipitur hæc diſtinctio ſonorum, & ita non ſunt duo, ſed vnicus ſonus.

Tertiò, ſonus non habet eſſe fixum & quietum, ſed facilè mobile, ita vt poſſit vnà cum ſuo ſubiecto à ventis agitari, vt quotidianâ conſtat experientiâ, nam flante versùs nos vento percipimus ſonum illum, quem aliàs non perciperemus: ergo non recipitur in corporibus ſonantibus, cùm multoties ſint fixa, & à ventis immobilia, ſed recipitur in medio reſiliente. Nec valet dicere quòd tunc per ventum ſonus non defertur ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale, ſed quòd eius ſpecies intentionales medio illo vento meliùs deferuntur: nam contra, quia ſpecies intentionales ſunt immateriales, & ideo nec adiuuantur, nec impediuntur à vento, vt patet in viſu, quia enim color ſolùm agit intentionaliter immittens ſuas ſpecies, ideo æquè videtur, vndecumque flet ventus.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſufficit ſonum cauſari ex illis corporibus, ad hoc vt cauſetur diuerſus ſonus pro diuerſitate corporum ſe collidentium: & hoc prouenit quia aër medius pro diuerſitate illorum corporum diuerſimodè conteritur & percutitur, ac ita diuerſus reſultat ſonus: aër enim meliùs refrangitur in corpore leni, quàm in aſpero; & in concauo, quàm in plano: vnde illa alteratio, quæ immediatè generat ſonum, ex omnibus iſtis diuerſimodè modificata diuerſum producit ſonum.

Ad ſecundum dicendum ſimiliter, quòd ſufficit ſonum cauſari ex illis corporibus, ad hoc vt ex diuerſitate ſoni dignoſcatur diuerſitas ſonori: corpus autem ſonorum, cùm ſit ſenſibile per accidens, non percipitur auditu, ſed percepto ab auditu ſono, potentia interior, ſaltem intellectus percipit ſtatim & ſine indagine corpus ſonorum, à quo cauſatur: nec eſt ſimile de colore, quia hæc ſenſibilia differunt in modo immutandi potentiam: & ideo, cùm color ſolùm agat intentionaliter, ac proinde coloratum vt ſic, non poteſt percipi per ſpeciem coloris, niſi in eo color ſubiectetur: in ſono autem ſufficit, quòd cauſetur à corporibus ſonoris propter rationem adductã.

Ad tertium dicendum, quòd ille tinnitus per breuem temporis morulam poteſt percipi, licèt lingua Cymbali manu apprehendatur: nam aër ab ea percuſſus poteſt iterum percutere aërem intra ambitum illius contentum, & ideo poteſt aliquis exiguus ſonus in alia parte eiuſdem aëris ex tali percuſſione reſiliente generari & audiri.

Articvlvs III.

Vtùm non ſolùm aer, ſed etiam aqua & ſimilia corpora ſint medium, & ſubiectum ſoni, tam ſecundùm eſſe reale, quàm intentionale?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd non ſolùm aër, ſed etiam aqua, & ſimilia corpora fluida his ſimilia, quæ poſſunt reſilire ex vi percuſſionis corporum ſe collidentium, ſint medium & ſubiectum ſoni, tam ſecundùm ſuum eſſe reale, quàm intentionale. Ita Themiſtius, Simplicius, Caietanus, Toletus, Ruuius, & alij in præſenti, Suares 2. tomo ſummæ Theologicæ tractatu 3. lib. 3. cap. 19. quamuis fateantur aërem ad hoc eſſe aptiſſimum. Probatur authoritate Ariſtotelis in hoc 2. libro textu 79. vbi ſic ait; *Amplius auditur in aere, & in aqua, ſed minùs in aqua.* Quod ſic exponit D.Thom. lect. 16. *Oſtendit quale ſit medium, in quo generatur ſonus, & dicit quòd medium in quo ſonus auditur, eſt aer, & aqua, ſed minus auditur in aqua, quàm in aere: vnde propriiſſimum medium, tam in generatione ſoni, quàm in auditu eſt aer:* Ergo non ſolùm aër, ſed etiam aqua & ſimilia corpora ſunt medium & ſubiectum ſoni, tam ſecundùm ſuum eſſe reale, quàm intentionale.

§ 2. Præterea, Aqua habet omnes conditiones, quamuis non ita perfectè, ratione quarum aër eſt medium ſoni, nam eſt mollis, facile diuiſibilis, impetuoſa, difficilis comprimi: ergo ſicut aër eſt medium ſoni, ſic & aqua licèt imperfectè.

§ 3. Præterea, Ranæ ſubtus aquam edunt ſonum, qui auditur, & ſimiliter ſi immergatur, lebes in puteum, quandò tangit impetu fundum, cauſat ſonum, vt experientia docet: ergo non ſolùm aër, ſed etiam aqua & ſimilia corpora ſunt medium, & ſubiectum ſoni, tam ſecundùm ſuum eſſe reale, quàm intentionale.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D.Thom. quos ſequuntur Iauellus q. 73. Ægidius comm. 77. Bannes 1. p. q. 78. art. 3. dub. 3. noſtri Complutenſes hîc diſput. 11. q. 3. ex antiquis etiam ita ſenſerunt Commentator in præſenti cap. 8. textu 76. Philoponus comm. 7. Albertus tractatu 3. cap. 18.

Conclvsio.

Solus aër eſt medium, & ſubiectum reſpectu generationis ſoni, & eiuſdemmet ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale naturale, licèt etiam aqua & ſimilia corpora ſint medium, & ſubiectum ſoni ſecundùm eſſe intentionale.

Respondeo dicendum, quòd ſolus aër, non verò aqua & ſimilia corpora, eſt medium & ſubiectum reſpectu generationis ſoni, & eiuſdemmet ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale. 2. ſecundùm verò eſſe intentionale etiam aqua & ſimilia corpora fluida poſſunt eſſe ſubiectum. 3. non autem corpora terreſtria & denſa quatenus talia.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles in hoc 2. libro textu 79. agens de ſono, & eius generatione ſic ait: *Sed oportet ſolidorum repercuſſionem fieri ad inuicem, & ad aera:* D.Th. lect. 16. poſtquam dixit aërem & aquam eſſe ſubiectum ſoni (quod ſine dubio poteſt tantùm intelligi ſecundùm eſſe intentionale) ait: *Neceſſarium eſt ad ſoni generationem in aëre, vel aqua. quòd aliqua corpora firma, vel ſolida, & dura percutiant ſe inuicem, & percutiant aerem.* Et lect. 17. ait, *Dictum eſt enim quòd ad generationem ſoni oportet fieri percuſſionem duorum ſolidorum ad inuicem, & ad aerem:* Ecce quomodò Diuus Thomas ad ſoni generationem neceſſariò requirit aërem: imò Ariſtoteles 4. de Hiſtoria animalium cap. 9. dicit omnia animalia, tam aquatilia, quàm terreſtria, quæ vocem, vel ſtrepitum emittunt, id facere aëre percuſſo & verberato.

Secundò probatur ratione Ariſtotelis, & D. Thom. Experimur quòd licèt plures piſces ſub aquis natent tamen non cauſant ſonum, ſtatim verò ac perueniunt ad ſuperficiem aquæ, & aërem contingunt, cauſant ſonum:

ergo ſolus aër, & non aqua, & ſimilie corpora, poteſt eſſe medium, & ſubiectum reſpectu generationis ſoni, & eiuſdemmet ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & oaturale. Hæc ratio nullam admittit ſolutionem, ſi adducantur in exemplum piſces ingentes tendentes contra impetum aquæ, cùm enim experientiâ conſtet, ipſos non edere ſonum quamdiu ſunt ſub aqua, licèt magoo impetu percutiant aquam, ſignum manifeſtum eſt, non cauſari ſonum ex defectu ſolius aëris: quæ ratio roboratur exemplo adducto ab aduerſariis, nam ſi lebes immiſſus in aquam moderatam, & contingens fundum edit ſonum, vel hoc facit medio aliquo aëre, quem ſecum trahit ſaltem in poris, vel non: ſi primum concedatur, habetur intentum: ſecundum autem non poteſt dici, nam iſte lebes non facit maiorem violentiam, quàm piſcis ingens, nec contingit fundum maiori impetu, quàm piſcis percutiat aquam: ergo ſi piſcis ille non cauſat ſonum, nec lebes cauſabit, cuius tamen contrarium experimur: & ite dicendum quòd piſcis non cauſat ſonum ex defecto aëtis, lebes verò cauſat ratione aëris, quem ſecum trahit.

Probatur ſecunda pars cuocluſioois authoritate Ariſtotelis citatâ ab aduerſariis, vbi ſic ait: luquens de ſono, *Auditur in aere, & in aqua, ſed minùs in aqua.* Item D.Thom. lect. 16. vbi ait: *Medium, in quo ſonus auditur, eſt aer, & aqua; ſed minus auditur in aqua, quàm in aere.* Idem repetit lect. 17. ergo cùm non poſſint intelligi de ſono ſecundùm ſuum eſſe reale, vt dictum eſt, debent intelligi de eo ſecundùm eſſe intentionale.

Secundò, aqua & ſimilia corpora fluida habent ſufficientem raritatem, vt poſſint recipere & deferre ſpecies audibiles, quod ipsâ conſtat experientiâ: experimur enim quòd piſces audiunt ſtrepitum, qui fit foris, etiam dum ſunt in profundo aquæ, & fugiunt: propterea piſcatores ſolent ſilere dum piſcantur: ergo aqua & ſimilia corpora fluida poſſunt eſſe ſubiectum ſoni ſecundùm eſſe intentionale. Nec valet dicere, quòd piſces fugiunt, non quia audiunt homines, ſed quia vident: nam contra, multoties videmus, quòd quando eſt ſilentium, non fugiunt: deinde quando aqua eſt turbida, non vident, & tamen fugiunt, ſi fiat ſtrepitus: imò refert Plinius libro 10. naturalis Hiſtoriæ cap. 70. quòd in piſcinis Cæſaris erant piſces, quibus inditum erat nomen, & vocati proprio nomine veniebant. Nec contrariatur dictis Ariſtoteles, dum in hoc 2. libro cap. 8. ponit diſcrimen inter ſenſum auditûs & odoratûs dicens, quòd medium auditûs eſt aër, odoratûs verò aër & aqua: dicendum enim quòd Philoſophus loquitur de principali medio, non de adæquato, aër enim eſt principale medium auditûs, non ſolùm quia ab illo ſpecies meliùs deferuntur, ſed quia nullo modo poteſt generari ſonus ſine aliquo aëre, vt dictum eſt: odor autem indifferenter, & ſine vlla ſubordinatione ad aërem, ſentitur etiam in aqua.

Probatur tertia pars concluſionis. Corpora terreſtria & denſa babent oppoſitas conditiones iis, quæ requiruntur ad generationem & receptionem ſoni, tam ſecundùm eſſe reale, quàm intentionale: nam medium & ſubiectum ſoni debet eſſe molle, facilè diuiſibile, impetuoſum, difficilè comprimi, & ſimilia quæ repugnant corporibus terreſtribus, & denſis fundantur enim in raritate: ergo corpora terreſtria & denſa quatenus talia non poſſunt eſſe medium & ſubiectum ſoni, etiam ſecundùm eſſe intentionale. Ex quo ſequitur, quòd ſi aliquis clauderetur intra cubiculum confectum ex denſiſſimis parietibus, nullis patens foraminibus & poris, non poſſet audire externum ſonum, vel aliorum corporum, vel etiam illum qui ex forti percuſſione eorumdem parietum reſultaret: vnde licèt actio intentionalis, quia eſt immaterialior, poſſit penetrare media noo ita denſa, & habentia aliquam raritatem, qualis eſt aqua, & ſimilia: tamen non habet tantam vigoroſitatẽ, vt denſiſſima poſſit penetrare.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles, & D.Thom. loquuntur in illis locis de ſono, non ſecundùm eſſe reale, ſed ſecundùm eſſe intentionale: vnde fauent ſecundæ parti concluſionis.

Ad ſecundum dicendum, quòd licèt aqua habeat has omnes conditiones, non tamen habet in tanta perfectione, quanta requiritur ad hoc, vt ſit medium, & ſubiectum ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale.

Ad tertium dicendum, quòd intra illam partem, in qua ranæ ſonos formant, habent aliquid aëris, ratione cuius cauſant ſonos, indigent autem illo aëre, vt refrigeretur aliquis paruus calor, quem habent: & idem dicendum de illis piſcibus, qui branchiis intra aquam ſonum edunt, hoc enim faciunt ratione alicuius aëris incluſi in dictis branchiis. Ad illud de lebete patet ex dictis, quòd cauſat ſonum ratione alicuius aëris, quem ſecum defert in poris, qui aër ſtatim aſcendit, vnde in ſuperficie aquæ apparent quædam ampullæ: remi autem intus aquam cauſant ſonum, tum quia in ſuis poris habent aliquem aërem, tum quia ex altera parte contingunt aërem externum.

Articvlvs IV.

Vtrùm requiratur ad perceptionem ſoni, quod deferatur ſecundùm ſuum eſſe reale vſque ad auditum?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd requiritur ad perceptionem ſoni, quòd ſecundùm ſuum eſſe reale pertingat vſque ad organum auditûs. Ita tenent Auicenna lib. 1. naturalium cap. de auditu, Simplicius hic c. 8. & Albertus magnus in ſumma de anima tractatu de auditu. Probatur authoritate Ariſtotelis, qui libro de ſenſu & ſenſibili excitans quæſtionem, an plura animalia, ſi ſint intra ſphæram actiuitatis, audiant eumdem ſonum numero, reſpondet quòd ſolùm audiunt eumdem ſpecie, quòd non eſſet verum, ſi non requireretur, vt ſonus perueniret ſecundùm ſuum eſſe reale vſque ad potentiam, ſi enim poſſet audiri per ſpecies intentionales, vndequaque poſſet illas diffundere: ergo ad perceptionem ſoni requiritur, quòd ſecundùm ſuum eſſe reale pertingat vſque ad organum auditûs.

¶ 2. Præterea, Flante in contrarium vento non auditur ſonus, vt patet experientiâ: ergo ſignum eſt, quòd debet peruenire ſecundùm ſuum eſſe reale vſque ad potentiam: nam ſicut ventus vehemens flans in contrarium non impedit viſionem, quia color ſolùm peruenit ad potentiam per ſpecies intentionales, ſic nec ventus impediret, quominus audiretur ſonus, ſi ſolùm etiam perueniret ſecundùm ſuas ſpecies intentionales, & non ſecundùm eſſe reale.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd ſonus ſecundùm ſuum eſſe reale ſaltem perueniat ad determinatam diſtantiam, & intra illam non poſſit eſſe ſecundùm ſuum eſſe intentionale per ſpecies. Ita tribuitur Caietano, & aliis. Probatur. Eo ipſo quòd ſonus eſſet intra ſphæram actiuitatis auditûs, & intentionaliter diffunderetur per medium, deberet inſtantaneè audiri, quia ſpecies intentionales, eò quòd non habeant contrarium, in inſtanti diffunduntur & perueniunt vſque ad auditum, ac proinde ſi à principio ſuæ productionis ſonus intentionaliter diffunditur, perueniet in inſtanti ad auditum: ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam, nam videmus quòd ſi pulſetur campana procul, non ſtatim auditur ſonus poſt primum ictum, ſed paulò poſt: ſicut & cùm aliquis ſcindit lignum, non auditur ſonus, dum illud ferit, ſed poſtea, id eſt, poſt illam morulam, quæ videtur neceſſaria vt ſonus multiplicetur ſecundùm ſuum eſſe reale: ergo ſonus ſecundùm ſuum eſſe reale peruenit ad determinatam diſtantiam, & intra illam non poteſt eſſe ſecundùm ſuum eſſe intentionale per ſpecies.

¶ 4. Præterea, Ex oppoſito ſequitur eumdem ſonum directum bis audiri: ſi enim à principio ſuæ productionis mittit ſuam ſpeciem, tunc audietur, & ſimiliter ſi poſtquam peruenit ad illam diſtantiam ſecundùm eſſe reale, etiam tunc incipiat agere realiter, iterum audietur: quod tamen repugnat experientiæ, non enim idem

ſonus

sonus bis auditur, nisi per reflexionem, siue per Echo: ergo sonus non agit intentionaliter quoad vsque perueniat secundùm suum esse reale ad dictam distantiam.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc 2. libro cap 8. & D. Thom. quos communiter sequuntur eius discipuli, Bannes 1. p. quæst. 78. art. 3. Zanardus in hoc 2. libro quæst. 32. nostri Complutenses in præsenti disp. 11. quæst. 5. ac alij.

Conclusio.

Cùm sonus non possit esse in medio secundùm suum esse reale, nisi ex percussione reali eiusdem medij, & talis percussio aliquando sit lenis, & tamen sonus à longe audiatur, dicendum est quòd ad perceptionem soni non requiritur, quòd secundùm suum esse reale pertingat vsque ad organum auditûs.

Respondeo dicendum, quòd sonus secundùm suum esse reale & naturale communicatur per medium magis vel minùs iuxta maiorem vel minorem violentiam primæ percussionis. 2. non tamen est necessarium, ad hoc vt audiatur, quòd secundùm prædictum esse perueniat vsque ad auditum. 3. imò statim ac producitur, & cum aëre resiliente ac illum recipiente mouetur, diffunditur per species intentionales modo sibi proportionato vsque ad auditum. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd cùm sonus incipiat per motum, & cum motu, ac proinde successiuè, necessariò se successiuè diffundit intentionaliter, dum primò producitur, quamuis, postquam iam productus est, & aliquantulum durat, possit immutare instantaneè & intentionaliter prædictum auditum, si sit intra debitam distantiam.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Arist. & D. Thom. qui cap. 8. huius secundi libri lect. 16. expressè docent sonum secundùm esse reale & naturale communicari, & ex hac communicatione posse formari Echo. Item D. Thom. in 2. d. 2. quæst. 2. art. 2. ad 5. sic ait: *Quædam sensibilia deferuntur ad sensum secundùm esse spirituale tantùm, sicut species colorum: quædam quæ contingunt organum secundùm suum esse materiale, sicut in gustu & tactu: quædam verò deferuntur vtroque modo, sicut species odorum cum permixtione fumalis euaporationis, tamen species extenditur vltra fumalem euaporationem*: Et similiter est de sono, & motu.

Secundò, collisis duobus corporibus, & ex hac collisione, ac resilientia aëris medij generato sono, potest aër ille tanto impetu resilire, vt commoueat, & percutiat ita fortiter aliam partem aëris proximiorem, quantùm requiritur ad nouam generationem soni: & sic de aliis iuxta maiorem vel minorem violentiam primæ percussionis, per quam sonus primò est generatus, quod explicatur à D. Thom. exemplo lapilli iacti in aquam, ex vi cuius mouetur aqua in gyrum, ita vt primò fiat vnica gyratio parua, per quam aqua fortiùs mouetur, & ex vi illius fient aliæ, & aliæ maiores, licèt motus ac commotio aquæ sit minor, sic enim ait: *Considerandum est quòd generatio soni in aere consequitur motum aeris, vt dictum est: sic autem contingit de immutatione aeris apud generationem soni, sicut de immutatione aquæ, quando aliquid in aquam proijcitur: manifestum est enim quòd fiunt quædam regyrationes in circuitu aquæ percussæ, quæ quidem circa locum percussionis sunt paruæ, & motus est fortis: in remotis autem regyrationes sunt magnæ, & motus debilior, tandem motus totaliter euanescit, & gyrationes cessant.* Sic igitur intelligendum est, quòd ad percussionem corporum sonantium aër in gyrum mouetur, & sonus vndique diffunditur, & in vicino quidem gyrationes sunt minores, sed motus fortior, vnde & sonus fortiùs percipitur: in remotis autem gyrationes sunt maiores, & motus debilior, & sonus obscuriùs auditur: tandem autem deficit totum: ergo sonus secundùm suum esse reale & naturale communicatur per medium magis vel minùs iuxta maiorem vel minorem violentiam primæ percussionis.

Tertiò probatur ratione Aristot. & D. Thom. loco citato: Aristoteles sic ait: *Concaua autem ex refractione multos post primum ictum efficiunt, dum quod motum est, exire non potest*: Quod sic exponit D. Thom. lect. 16. *Concaua autem etiam percussa bene reddunt sonum, quia in eis aer concluditur, & cum illud, quod primò motum est, non potest statim exire, percutit alium aerem & sic ex repercussione fiunt multi ictus, & multiplicatur sonus*: Ergo signum est sonum posse diffundi & multiplicari vsque ad certam aliquam distantiam secundùm suum esse reale & naturale.

Probatur secunda pars conclusionis. Sonus non potest produci secundùm suum esse reale in medio sine percussione reali eiusdem medij: sed videtur absurdum dicere quòd quando aliquis loquitur leniter, commoueat realiter aërem per totam illam distantiam, in qua auditur: imò experimur quòd si vnus loquatur ad duos homines, quorum vnus multùm distat, & alius parum, vterque simul, & semel audit vocem, quod non esset possibile, si sonus deberet peruenire ad auditum secundùm suum esse reale: cùm ad hoc requiratur motus successiuus partium aëris, qui non potest fieri, nisi in aliquo perceptibili spatio: ergo non est necessarium, ad hoc vt sonus audiatur, quòd secundùm suum esse reale, & naturale perueniat vsque ad auditum.

Probatur tertia pars conclusionis. Sonus statim ac producitur, est proprium per se sensibile auditûs, vt ex se patet: ergo statim diffundit species sui vsque ad illum, si sit intra sphæram actiuitatis, nam omne agens naturale non impeditum & approximatum passo rectè disposito producit effectum proportionatum suæ virtuti: & consequenter sonus statim, ac est productus, cùm sit agens naturale, & nullum sit assignabile impedimentum, diffundit suas species, vt patet ex luce, quæ quia est sensibilis per se, statim ac est, diffundit suâ speciem; & sonus cùm cessat secundùm esse reale, vt fatentur aduersarij, illas diffundit: ergo & quando incipit, cùm non sit maior ratio in fine, ac in principio. Si dicatur, quòd quia est secundùm esse reale, non potest simul esse secundùm esse intentionale: ex dicendis infra patebit esse falsum: idem enim obiectum potest simul existere & agere secundùm illud duplex esse, manus enim simul immutatur realiter & intentionaliter à calore, cùm illam calefaciat & sentiatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Arist. solùm vult non omnes audire eumdem numero sonum, licèt sint intra sphæram actiuitatis eius, sed sæpe alium, quod potest prouenire vel ex diuersitate situs, vel distantiæ, vel aliarum circumstantiarum.

Ad secundum dicendum, quòd hoc prouenit ex eo quòd sonus ipse expellatur per ventorum agitationem extra sphæram actiuitatis respectu alicuius auditûs: & ita non potest ad illum immittere species intentionales, nec audiri.

Ad tertium dicendum, quòd licèt productio specierum intentionalium fiat valde celeriter, non tamen in instanti, quamuis non habeant ipsæ species contrarium positiuum: hoc enim prouenit ratione resistentiæ negatiuæ subiecti, & debilis virtutis actiuæ, ex eo quòd vel in se sit tenuis, vel passum sit multùm distans: & maximè quia sonus fit cum motu, & per motum, & ideo sequitur leges motûs, vt se diffundat successiuè etiam intentionaliter ob rationem dictam, quod constat experientiâ.

Ad quartum dicendum, quòd quilibet ex illis sonis postquam immisit suas species ad auditum, semper quantùm est ex parte sua, illas conseruat, & non ioimittit nouas: vnde per eamdem numero auditionem auditur totus sonus ex illis omnibus sonis partialibus coalescens, dummodo continuò & continuatè sibi succedant, secus autem si discontinuentur & dissipentur: sonus enim ob sui imperfectionem non petit maiorem consistentiam, simultatem, & vnionem ad hoc vt idem numero sit, & licèt non semper percipiantur illi soni denuo geniti, sed tantùm primus, ex cuius virtute illi alij generantur, tamen si fiat peculiaris attentio, etiam illi percipiuntur, vt constat illâ experientiâ, quam adducit D. Thom. scilicet de sono resultante ex collisione & percussione corporis

concaui: nam licèt ſemel tantùm percutiatur ab alio corpore duro & ſolido, tamen aër intra exiſtens ſolet tali impetu reſilire, vt faciat alios ictus, & minores alij ſoni audiantur: imò in omni ſono, ſi quis attendat, percipitur in fine minor intenſio, qoia illi ſoni, qui in fine generantur, ſunt debiliores, nec apparent viciniores auditui, quàm primus cuius vi generantur, propter ſuam debilitatem: maximè quia auditus non ita perfectè, ac viſus percipit in quonam ſitu Mathematicè fiat ſonus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſonus reflexus, ſiue Echo fiat ſemper per regreſſionem eiuſdem ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd ſonus reflexus, ſiue Echo fiat ſemper per regreſſionem eiuſdem ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale. Probatur. Si Echo fieret aliquando per reflexionem tantùm ſpecierum intentionalium, ſequeretur quòd ſonus reflexus ſimul & ſemel audirentur, quia ex vna parte ſonus directus tamdiu auditur, quamdiu durat, quia versùs omnem partem directè mittit ſpecies: ex alia verò parte, quamdiu immittit ſpecies intentionales, tamdiu durat: hæ ſiquidem ſpecies dependent in fieri, in eſſe, & in conſeruari ab ipſo ſono realiter actu exiſtente, vnde ſimul & ſemel audirentur: ſed manifeſtâ conſtat experientiâ, quòd ſonus directus, & ſonus reflexus non audiuntur ſimul, ſed ſucceſſiuè vnus poſt alium, primò quidem directus, poſtea reflexus: ergo Echo nunquã fit per reflexionem tantùm ſpecierum intentionalium, ſed per regreſſionem eiuſdem ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale.

¶ 2. Præterea, Si Echo fieret per ſolam reflexionem ſpecierum, ſequeretur quòd ſonus directus & ſonus reflexus non audirentur vt duo ſoni, ſed vt vnus & idem, quia productio ſpecierum per totam ſphæram actiuitatis tam directam, quàm reflexam fit in inſtanti: vnde tam ſpecies directæ, quàm reflexæ in eodem inſtanti peruenirent ad auditum: vnde vnus & idem ſonus audiretur per diuerſas ſpecies, & per diuerſam lineam ad auditum pertingentes: ſed quotidianâ conſtat experientiâ ſonum directum & ſonum reflexum audiri, non vt vnum & eumdem ſonum, ſed vt duos ſonos diſtinctos & diſcontinuos, cùm intercedat inter eos aliquando longa temporis mora: ergo Echo nunquam fit per ſolam reflexionem ſpecierũ.

¶ 3. Præterea, Si reflexio ſoni fieret per ſolas ſpecies, eodem proportionali modo audiretur ſonus reflexus, ſicut videtur ſpecies reflexa in ſpeculo, vt conſtat ex paritate vtriuſque reflexionis per ſolas ſpecies intentionales: ſed falſum eſt quòd ſonus reflexus eodem modo audiatur, quo videtur ſpecies reflexa in ſpeculo, nam per viſionem reflexam videtur ſpecies, ſiue obiectum in profundo ſpeculi, & quaſi vltra illud; per auditionem reflexam verò non auditur ſonus reflexus vltra corpus obſiſtens, ſed iuxta illud: ergo reflexio ſoni non fit per ſolas ſpecies intentionales.

SED CONTRARIVM docent Bannes 1.p.q.78. art.3. dubio vltimo, Suares 2.tomo Theologiæ tractatu 3.libro 3. cap. 10. noſtri Complutenſes in præſenti, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm poſſit dari viſio reflexa mediis ſolis ſpeciebus reflectentibus, ſic poteſt dari auditio ſoni reflexa per ſolam reflexionem ſpecierum.

RESPONDEO dicendum, quòd ordinariè ſonus reflexus, qui dicitur Echo, fit per regreſſionem ſoni ſecundùm ſuum eſſe reale & naturale, ex eo quòd aër motus & deferens ſonum inuenit aliquod corpus, præcipuè ſi ſit concauum, quod ei obſiſtat, & quod ſit cauſa vt in contrarium reflectatur. 2. poteſt tamen aliquando contingere, quòd fiat Echo abſque eo quòd ſit ſonus reflexus ſecundùm eſſe reale, dummodo reflectantur ſpecies intentionales ſoni directi, eo modo quo fit viſio reflexa per ſpecies intentionales reflexas. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hoc modo generatur Echo: aliqua pars aëris mouetur immediatè ab animali motu quodam dearticulato, & quaſi diuiſo, ita vt ſonus ipſum conſequens ſit etiam in ſyllabas diſtinctus, deinde iſta pars aëris retinens rationem prædictam motûs percutit aliam partem, & format atque diſponit illam eodem modo, & ita ſucceſſiuè, donec vel ſonus finiatur, vel reflectat inuento obſtaculo; tunc enim illa pars aëris quæ cum violentia tangit latera corporis continentis & obſiſtentis, repellitur ab ipſis lateribus, repulſa verò, ac exiliens extra reuertitur, percutit & format alteram partem aëris ſibi occurrentem, & ſic generatur ſonus iſte, ſiue vox reflexa, principaliter quidem ab animali, inſtrumentaliter verò à corpore concauo, quando habet conditiones ad hoc requiſitas: ratio autem cur ordinariè non audiantur primæ ſyllabæ vocis reflexæ, ſed tantùm vltimæ, non obſtante quòd pars aëris attingens corpus obſiſtens retineat priorem formationem, eſt quia pars aëris continens vltimas ſyllabas impedit ne priores partes reflectant per lineam rectam, & ita diſſipantur: vnde ſolùm confusè audiuntur, poſteriores autem clarè: cuius ſignum eſt, quòd ſi paulatim & ſigillatim proferantur ſyllabæ, tunc omnes audiuntur, ſi tamen reflexio fiat in debita diſtantia: quando autem corpus obſiſtens eſt prope vbi incipit ſonus, tunc dum adhuc durat directus, auditur etiam reflexus, & ſe ambo confundunt: quando verò diſtat, aliquando, imò ordinariò terminatur directus, antequam audiatur reflexus: quia vt dictum eſt, percuſſio facta ab aëre deferente ſonum directum fit quando partes illæ aëris ſe tangunt, & deinde generatio ſoni noui fit in tempore, & per motum, & ſic ſucceſſiuè proportionaliter: quia autem vltimæ partes aëris commoti multùm diſtant, & commotio eſt debilis, ideo fit ſonus debilis, ac ita non auditur: quando autem fit reflexio, accedit ad auditum, vnde auditur.

Probatur prima pars concluſionis, tum communi conſenſu Philoſophorum, tum authoritate Ariſtotelis, & D.Thom. Ariſtot. quidem in hoc 2.libro textu 80. ſic ait: *Echo autem fit cùm ab aere vno facto propter vas determinans, & prohibens diffundi iterum aer repellitur, ſicut ſphera.* Idem docet in ſect.11. problem. q. 13. vbi dicit quòd vox prolata ſæpe amittat formam, & per reflexionem iterum auditur. D.Thom. idem docet, explicat, & probat hîc lect.16. ita enim ait: *Sic igitur intelligendum eſt, quòd ad percuſſionem corporum ſonantium aer in gyrum mouetur, & ſonus vndique diffunditur: ſi autem antequam huiuſmodi gyrationes deficiant, fiat reuerberatio aeris ſic moti, & ſonum deferentis ad aliquod corpus, gyrationes reuertuntur in contrarium, & ſic auditur ſonus quaſi ex aduerſo, & hac vocatur Echo quod præcipuè fit quando illud obſtans, ad quod repercutitur aer motus, eſt aliquod corpus concauum, quaſi quoddam vas determinans, & concludens aerem in ſua vnitate: & ideo prohibens ipſum diuidi: tunc enim ille aer ſic vnitus & commotus, quia non poteſt vlterius motum protendere propter corpus obſtans, percutit iterum aerem, a quo percutiebatur, & fit motus in contrarium: ſicut accidit quando aliquis proiicit pilam, quæ hic ſphera dicitur, & inueniens obſtaculum retrò reſilit: ex quo infertur, quòd quoties reperitur aliquod obſtaculum, fit Echo; ſed non ſemper auditur: ſicut quoties radius inuenit obſtaculum, fit reuerberatio lucis, ſed non ſemper percipitur:* Vnde Ariſtot. & D. Thom. loco citato ſic concludunt: manifeſta quidem eſt repercuſſio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore fulgido, ita quòd cùm quadam claritate fiat luminis repercuſſio ſimili modo primæ luminis emiſſioni, immanifeſta autem eſt repercuſſio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore opaco, quia huiuſmodi repercuſſio fit ſine claritate & radiorum emiſſione: ſimiliter autem quando repercuſſio ſoni fit ad corpus concauum, in quo natus eſt multiplicari ſonus, fit Echo certè, id eſt manifeſta comprehenſibilis: quando autem ad alia corpora fit reuerberatio ſoni, quæ non ſunt nata multiplicare ſonum, non fit Echo manifeſta.

Probatur

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Potest dari visio reflexa mediis solis speciebus reflectentibus ab speculo ad visum, non multiplicato realiter obiecto visibili: ergo ex paritate rationis potest idem numero sonus nunc directè, & statim reflexè mediis speciebus audiri, licèt non multiplicetur realiter: hoc autem potest sic contingere, quòd scilicet ille sonus directus vltimò productus prope corpus obstans sit ita debilis, vt non possit agere realiter, & ita non producet sonum reflexum secundùm esse reale, sed tantùm possit agere intentionaliter immittendo suas species per reflexionem vsque ad auditum.

Ad primum ergo dicendum, quòd potest contingere, vt sonus directus, & reflexus simul & semel audiantur, si corpus obsistens, ad quod fit reflexio, non multùm distet ab auditu: quando autem multùm distat, non simul audiuntur, sed primò auditur directus, postea reflexus: quia licèt sonus directus perseueret, donec attingat corpus obsistens, non tamen auditur: postea per accessum specierum causatarum ab ipso sono attingente corpus obsistens auditur sonus reflexus, & hoc habetur experientiâ.

Ad secundùm dicendum, quòd species intentionales audibiles non causantur in instanti, sed in tempore, quamuis breuissimo: hoc enim petit natura ipsarum, & ita priùs perueniunt ad auditum species directæ soni, quàm reflexæ: atque adeo priùs auditur sonus directus, quàm reflexus, & audiuntur vt duo soni, & non vt vnus & idem: quamuis continuatione sint idem, sed sub diuerso modo, priùs enim est directus, & sub esse naturali, postea reflexus, & sub esse intentionali: sciendum quippe est quòd aër dearticulatè percussus ab animali habet virtutem sic percutiendi, ac formandi alium: & ita successiuè fiunt omnes soni partiales dearticulati in virtute animalis, & hi omnes constituunt vnum sonum totalem: in reflexione autem corpus obsistens non causat vocem reflexam, sed est ipse aër iam formatus in virtute animalis, attingens ipsum corpus obsistens, quod tantùm concurrit, vt conditio sine qua non, ad vocem reflexam.

Ad tertium dicendum, quòd hoc discrimen assignatum inter species reflexas visibiles & audibiles, prouenit ex parte medij, nam speculum, quod est medium reflexionis in specie visibili, si sit purum & tersum, habeatque alias conditiones, non solùm repræsentat obiectum à quo procedunt omnes species visibiles, primà immediatè, aliæ mediatè, sed etiam repræsentat distantiam eius ab ipso speculo, quæ distantia videtur esse intra speculum, quia species illud penetrant vsque ad corpus opacum, quod retro habet: si autem speculum non sit purum, aut habet peculiarem formam, ipsa species apparet in superficie speculi, imò egredi videtur ab ipso speculo: hæc autem non concurrunt in corpore obsistente, quod est medium reflexionis in specie audibili: vnde talis species repræsentat sonum iuxta corpus obsistens, quia ibi ab illo tantùm causatur, & non à sono primò producto, qui iam periit.

Articvlvs VI.

Vtrùm solus aër innatus sit organum & subiectum potentiæ Auditiuæ?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd solus aër innatus sit organum & subiectum potentiæ auditiuæ. Probatur authoritate Aristot. & D. Thom. Aristot. quippe de sensu & sensato loquens de organo auditus sic ait: *Manifestum quod si oportet secundum hunc modum attribuere & assignare vnumquodque sensitiuum vni Elementorum: oculi quidem visiuum aquæ existimandum: aëris verò sonorum sensitiuum.* Item in hoc 2. libro textu 82. sic ait: *Auditus autem connaturalis est aëri, propter id autem, quod in aëre est moto exteriori, & qui intus est, mouetur.* Idem docet D. Th. exponens vtrumque locum Philosophi, scilicet de sensu & sensato lect. 5. & in præsenti lect. 17. vbi sic ait: *Ostendit quòd aër appropriatur organo auditûs: dicit ergo primò quòd auditus connaturalis est aëri, ita quòd sicut humidum aqueum conuenit instrumento visus, ita aër conuenit instrumento auditûs:* Ergo solus aër innatus est organum & subiectum potentiæ auditiuæ.

§ 2. Præterea, Potentia auditiua est qualitas simplex & vniformis, ac proinde petit organum vniforme, & vnius rationis: ergo solus aër innatus est eius organum & subiectum, nihil enim aliud est assignabile pro organo auditûs, quod sit eiusdem rationis cum illo aëre innato, vt constat enumeratione omnium quæ concurrunt ad auditum.

§ 3. Præterea, Si quid vrgeat ad negandum quòd solus aër innatus sit organum & subiectum potentiæ auditiuæ, est, quia talis potentia est vnica in quolibet homine, ac ita petit vnicum subiectum, aër verò innatus est duplex: sed quidquid assignatur pro subiecto, non erit quid vnum & continuum, vt patet inductione, nam etiam nerui, quibus ascendunt ad cerebrum species audibiles, discontinuantur: ergo solus aër innatus est organum & subiectum potentiæ auditiuæ.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem sequuntur nostri Complutenses in præsenti disp. 11. q. 7. ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm non sit admittenda, nisi vna potentia Auditiua in quolibet homine, subiectum potentiæ auditiuæ non est solus aër innatus.

Respondeo dicendum, quòd potentia auditiua residet proximè tamquam in organo & subiecto, tam in aëre innato 2. quàm in quibusdam neruis à cerebro descendentibus 3. vnde est extensa in illo aëre, & in dictis neruis, ex quibus coalescit integrum subiectum potentiæ auditiuæ. Ad cuius euidentiam sciendum est officinam potentiæ auditiuæ multa includere instrumenta, primò enim occurrunt aures institutæ à natura ante organum auditûs, vt sint ei vallum & munimentum contra plures iniurias, quæ possent eam molestare, sicut & supercilia sunt respectu potentiæ visiuæ. Deinde est interna autium via, per quam tenditur ad auditum, quæ est plena anfractibus & obliquitatibus, ac in modum labyrinthi disposita vt in his anfractibus aër commotus refrangatur, ne auditus ex tali commotione lædatur, læderetur enim, si sonus magno impetu directè ad auditum deferretur. Hæc via insuper est valde angusta, ne per eam pateret aditus aquæ, aut alteri rei externæ, quæ læderet temperiem organi auditûs: propter quod etiam est inditus illi quidam humor densus & viscosus, vt si aliquæ forte bestiolæ tentarent ingredi, ab illo detinerentur: vnde foramen hoc vocatur cœcum, quasi per ipsum ad internas partes organi non pateat aditus & accessus. Hæc via angusta desinit in quamdam concauitatem, quasi orbicularem, plenam substantia quadam spirituosa, & aërea, animata tamen: & ideo nominatur aër insitus, vel innatus, quæ substantia subtilis, & facilè dissipabilis vt meliùs conseruaretur, instituit natura pelliculam quandam, qua operitetur illa eius medietas, quæ respicit externam partem aurium, quæ pellicula solet nuncupari membrana, vel mitinga, aut timpanum, quia timpano est similis, & sustentatur tribus ossiculis, quorum vnum assimilatur incudi duobus veluti pedibus innitenti, aliud malleolo, tertium verò stapedæ: reliquum verò concauitatis ante pelliculam hanc existentis est plenum aëre ordinario, qui vt aliqui volunt, continuatur aëri externo. Denique sicut organum visûs pendet à neruo quodam descendente à cerebro, sic & organum auditus, à cerebro enim vsque ad dictam concauitatem, siue dexteram, siue sinistram descendit quidam neruus, per quem spiritus animales à cerebro subministrantur potentiæ, & species sensatæ sonorum ad sensum communem internum transmittuntur.

Probatur prima pars conclusionis, quam admittunt communiter Philosophi, authoritatibus Aristotelis, & D. Thom. adductis in contrarium. Item Galeni libro 4. de vsu partium cap. 6. vbi sic ait: *Alteratur non à quouis sensibili*

sensibili omne sensorium, sed splendidum quidem, & lucidum à coloribus; aereum à sonis: Ergo potentia auditiua residet proximè, tanquam in organo & subiecto, in aëre ionato.

Secundò, hæc tria requiruntur, vt aliquid sit organum auditûs, scilicet qòod habeat maximam conuenientiam cum aëre, quòd sit expers totius soni realis in eo realiter recepti, & tandem quòd sit tale, vt eo læso deperdatur auditus: prima conditio traditur ab Aristotele, & D.Th. hîc lect.17. vbi sic ait: *Et hoc ideo, quia si attribuatur aer instrumento auditûs, sequitur quòd eadem passio soni erit in aere exterius moto, & in aere qui mouetur intus, & est instrumentum auditûs*: Et ratio huius conditionis est, quia debet esse maxima proportio inter organum, & medium præcipuum alicuius sensûs quantùm fieri potest, quia si medium potest immutari intentionaliter ab obiecto, quia habet talem vel talem dispositionem, etiam talis vel talis dispositio requiritur in organo potentiæ, cùm debeat etiam immutari intentionaliter ab eodem obiecto, ac proinde cùm medium præcipuum auditûs etiam respectu officium, sit aër, organum auditûs debet habere maximam conuenientiam cum aëre: nec his obstat quòd organum visûs est aqueum, & tamen medium præcipuum est aër: dicimus enim cum Aristotele, & D.Th.lectione 4. de sensu & sensato, quòd natura hoc ordinauit propter duo: Primum quidem, quia aqua potest magis conseruari, qoàm aër qui facilè diffunditur, & ideo ad conseruationem visûs conuenientior fuit aqua, quàm aër, natura autem facit quod meliùs est, maximè quia visus est exterior, & magis periculosus, quam auditus qui interiùs clauditur. Secundum est, quia aqua magis est spissa quàm aër, & ratione suæ spissitudinis habet quòd in ea per quamdam reuerberationem appareat forma rei visæ, & hoc competit instrumento visûs: esse autem perspicuum competit medio in visu, eo quòd commune est aëri & aquæ: vnde concludit quòd oculus & pupilla magis attribuuntur aquæ, quàm aëri: & ita debet esse conuenientia organi cum medio principali, nisi aliunde obster, sicut in auditu non obstat. Secunda conditio propterea requiritur, quia sensibile supra sensum impedit sensationem, vt supra dictum est: vnde cùm sonus sit sensibile auditûs, non debet esse realiter sonus in ea parte, vbi est potentia auditiua. Tertia tandem conditio ex eo suadetur, quia læsâ parte, vbi est aliqua potentia, sine dubio impeditur eius operatio, imò fortè ipsa corrumpetur: hoc tamen non adducitur vt ratio per se sufficiens, sed tantùm vt signum vnà cum aliis efficiens rationem efficacem: sed tres assignatæ conditiones reperiuntur in aëre innato, prima quidem, quia hæc substantia aërea, & & dicitur aër innatus, vnde habet maximam conuenientiam cum aëre. Secunda etiam quia D.Thom. hic lect.17. dicit quòd aër iste innatus ita munitur timpano, vt sicut humidum aqueum quod est in pupilla, caret omni colore, vt possit cognoscere omnes colorum differentias, ita oportet quòd aër qui est intra timpanum auris, ob magnam affinitatem quam habet cum aëre careat omni motu & consequenter omni sono, qui non causatur nisi ex motu, ad hoc vt possit discernere omnes sonorum differentias: vnde quando Aristoteles hîc textu 82. dicit aërem innatum moueri aëre externo, debet subintelligi ob prauam dispositionem auditûs, qui tendit ad corruptionem: subdit: enim: *Verum ipse sonus alienus est, & non proprius*: Prius autem dixerat hoc organum esse immobile. Tertia denique, quia vt ibidem docent Aristoteles, & D.Thom. si læditur, hæc substantia aëris innati, deperditur auditus: ergo potentia auditiua residet proximè tanquam in organo & subiecto in aëre innato.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Th. opusc.43. de potentiis animæ cap. 3. vbi sic ait: *Auditus est vis ordinata in neruis mollibus à cerebro procedentibus ad apprehendendum sonum causatum ex aeris commotione constricti inter percutiens & percussum*: Ergo potentia auditiua residet etiam in illis neruis à cerebro descendentibus.

Secundò probatur eadem ratione, qua supra probatum est, esse vnicam potentiam visiuam, nam par ratio currit de potentia visiua & auditiua quantùm ad hoc: constat autem quòd nisi potentia auditiua sit extensa per duplicem illum aërem innatum & illos neruos, & tantùm resideat in duplici illo aëre, erunt duæ potentiæ auditiuæ, sicut est duplex aër, idem enim accidens non potest esse in duobus subiectis disiunctis: ergo potentia auditiua residet etiam in illis neruis à cerebro descendentibus: vnde est extensa in illo aëre, & in dictis neruis, ex quibus coalescit integrum subiectum potentiæ auditiuæ, quod est tertia pars conclusionis: notandum est autem quòd hæc substantia aërea ordinariè non inuenitur ab Anatomistis, quia cùm sit facilè dissipabilis, dum differtur fieri anatomia, vel ob aliquam aliam causam facilè dissipatur, vnde non mirum si non inueniatur maximè propter tenuitatem, qua assimilatur aëri.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & D.Thom. in illis locis dicunt potentiam auditiuam subiectari in aëre innato, quod non negatur: sed non dicunt subiectari in solo illo aëre.

Ad secundum dicendum, quòd illi nerui, in quibus etiam subiectatur potentia auditiua, sunt proportionati illi aëri, vnde eadem simplex potentia in vtroque subiectatur: nec est inconueniens quòd eius subiectum sit aliquo modo eterogeneum, cùm sit potentia perfecta animæ, quæ informat corpus eterogeneum, vnde aliquo modo participat eius perfectionem.

Ad tertium dicendum, quòd illi nerui continuantur ex illa parte, qua descendunt ex cerebro.

QVÆSTIO XXXVI.

De sensu Odoratus.

Sensus odoratûs est tertius ordine perfectionis, ac præeminet sensibus gustûs & tactûs, tum quia eius immutatio est immaterialior, tum quia pertingit ad maiorem distantiam, vnde de ipso post auditum disputandum est: quæruntur autem tria.

¶ Primò, Vtrùm odor sit qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata?

¶ Secundò, Vtrùm odor realiter diffundatur per aërem vel aquam vsque ad olfactum?

¶ Tertiò, Vtrùm subiectum potentiæ odoratiuæ sint processus mammillares constituti in suprema parte narium?

Articvlvs I.

Vtrùm odor sit qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd odor non sit qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata. Probatur. Odor est vapor, aut exhalatio illa, quam corpora odorifera spirant, vt docet Aristoteles sect. 13. problematum quæst.15. ait enim: *An quod natura odoris vapor quidem, & exhalatio est, quæ calore existunt*. Et Galenus 2. Aphorismorum ait spiritus vitales nutriri aëre, & odore: constat autem quòd substantia non notriatur nisi aliâ: ergo odor non est qualitas.

¶ 2. Præterea, Vnus odor producit alium ex Aristotele in hoc 2. libro textu 127. vbi dicit medium pati à sono, & ab odore, & aërem sic pati à re odorata, vt redoleat, quod constat ipsâ experientiâ: nam si apponatur aliquid iuxta rem odoriferam, redditur odoriferum: quod non potest esse, nisi odor producat odorem: sed vna qualitas secunda non producit aliam, vt constat inductione

in

in colore, & in aliis omnibus : ergo licèt odor esset qualitas, tamen non esset secunda.

§ 5. Præterea, In eodem cibo reperitur odor, & sapor vt est per se notum : ergo salsum est, quòd in odore siccum comprehendat humidum, siue quòd odor proueniat ex prædominio sicci : vel aliàs fatendum erit, quòd in eodam subiecto tam siccitas, quàm humiditas sint in gradu excellenti : nam sapor prouenit ex prædominio humidi supra siccum, ait enim Aristoteles hic textu 100. *Est autem odor sicci, sicut humidi sapor :* Constat autem esse impossibile, quòd contraria sint simul in gradu excellenti, siue in gradibus intensis, vt dictum est supra.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Th. in hoc 2. libro cap. 9. & de sensu & sensibili cap. 5. quos communiter sequuntor omnes Philosophi.

Conclusio.

Odor sic descriptiuè definitur, est qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata.

Respondeo dicendum, quòd prædicta descriptio odoris est optima, vt constabit ex sufficienti eius explicatione. Dicitur primò (qualitas) quòd ponitur loco generis, & per hoc ostenditur eius conuenientia cum aliis qualitatibus, & disconuenientia cum substantia : odor enim ex D.Thom. lect. 10. de sensu & sensato non potest esse substantia, sed necessariò est accidens, quia est proprium, & per se sensibile alicuius sensûs : substantiæ autem vt dictum est, non sunt per se, at tantùm per accidens sensibiles. Odor autem non solùm est accidens, sed est qualitas tertiæ speciei : ait enim Aristoteles de sensu & sensato apud D.Thom. lect. 9. de odore verò, & sapore dicendum est, ferè enim eadem passio. Quod exponens D.Th. ait : *Assignat duorum causam, primò quidem quare coniunctim de eis sit agendum, scilicet propter eorum conuenientiam, quia vtrumque eorum est fere eadem passio : nominat autem vtrumque passionem, quia vtrumque eorum est in tertia specie qualitatis, quæ est passio, vel passibilis qualitas.*

Secundò dicitur (secunda) quia vt docet Aristoteles de sensu & sensato cap. 5. odor causatur ex permixtione primarum qualitatum : quod etiam docet D. Thom. in hoc 2. libro lect. 19. sic enim ait : *Dicendum quòd odor & sapor causantur ex determinata commixtione qualitatum Elementarium.* Ex quo colligitur pura Elementa non posse esse odorabilia, vnde aliquid mixtionis habent quandò emittunt odorem, vt docet D.Thom. de sensu & sensibili lectione 12. sic enim ait exponens Aristotelem : *Primò enim Elementa omnia, scilicet Ignis, Aer, Aqua, Terra carent odore, nisi sit facta aliqua commixtio Elementorum : vnde mare habet aliquem odorem, quia in eo siccum terrestre est admixtum humido aqueo, vt manifestatur per salsum saporem.* Quod potest hac ratione probari. Experimur quòd in mixtis sunt varij odores iuxta diuersas mixtiones, & diuersa temperamenta in illis reperta, quod denotat odores causari ex mixtione primarum qualitatum : ergo pura Elementa non sunt odorabilia, nam si ad odorem non requireretur mixtio, odor non diuersificaretur pro diuersitate mixtionum.

Tertiò dicitur (ex certo temperamento, in quo siccum comprehendit humidum, causata) ex hoc colligitur odorem non causari ex quauis permixtione primarum qualitatum, sed præcipuè ex humido & sicco, ita vt siccum excedat humidum, quod indicat ly (comprehendit :) & hoc docent Aristoteles, & D.Thom. de sensu & sensibili cap. 5. lect. 12. ait enim D.Thom. *Dicit ergo primò, quòd manifestum est, & per ea, quæ habent odorem, quòd hæc passio, quæ est odor, sit impressa ab euchymo, id est, ab humore imbibito, & comprehenso à sicco, vt supra dictum est : primò enim Elementa omnia carent odore ; quia siue sint humida, siue sicca, sunt sine humore comprehenso à sicco ; quia quæ horum sunt humida, habent humidum sine sicco, quæ autem eorum sunt sicca, habent siccum sine humido, nisi sit facta aliqua commixtio Elementorum,* Quod probat D.Thom. exemplo metallorum : dicit enim quòd aurum est minimè odorabile, quia caret humido propter terrestreitatem, quæ colligitur ex maximo pondere supra alia metalla. Æs verò & ferrum sunt odorabilia ob mixtionem humidi cum sicco excedente : argentum verò & stannum sunt magis odorabilia, quàm aurum, quia habent admixtionem humidi, & sicci : quia tamen in eis abundat humor aquaticus, ideo siccum non comprehendit humidum, & ita minùs sunt odorabilia, quam æs, & ferrum : hoc etiam quotidianâ patet experientiâ, experimur enim multa arida reddi odorabilia ex admixtione humidi, vt patet in Terra, si post magnam siccitatem aspergatur aqua pluuiali, tunc enim redolet : si autem aqua abundat, perdit odorem, sicut & multa odorifera, si nimium exsiccantur : sicut econtra si sint humida, & ponantur super ignem, maiorem & iucundiorem spirant odorem, quia ignis auget siccitatem, quæ debet comprehendere humiditatem : & similiter corpora odorifera in Æstate plus redolent, quia Æstas est siccior Hyeme : & denique rosa serenis diebus plus olet, quàm tempore pluuiæ, roris, &c. imò referunt authores quòd in Ægypto flores non redolent, quia incubat illis roridus, & nebulosus Aër à Nilo flumine : ex quibus planè liquet quòd calor est causa efficiens odoris, cùm sit causa regulariter loquendo cur siccitas habeat hoc prædominium super humiditatem : quod docuit Aristoteles loco citato c. 15. & D. Thom. lect. 12. citata, vbi sic exponit Philosophum : *Per frigus & congelationem sapores hebetantur, & odores extenuantur, inquantum per prædicta aufertur calidum, quod generat & mouet odores & sapores, vt ex dictis patet :* Vnde vt quidam notant, rosæ consitæ prope allia meliùs olent, quia allia sunt calida, & ita dant temperamentum Terræ, in quo siccum prædominetur humido : imò dicit Plutarchus, quòd Alexander magnus ob temperamentum perferuidum, quod habebat, debitè concoquebat, & extenuabat humidum taliter, vt siccum prædominaretur, ex quo procedebat, quòd eius corpus efflabat optimum odorem : circa aquas autem stillatas odoriferas dicimus quòd sunt quoddam mixtum, & ita participant quatuor primas qualitates, ac proinde siccitatem quantùm sufficit ad prædominium supra humiditatem, inquantum requiritur ad odorem, & videmus quod quantò magis adiuuatur ab igne vel calore, tantò magis olent, vnde calor non per se, sed requiritur vt deseruiens siccitati.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristot. non loquitur in sensu formali, sed in causali & materiali, quia formalis euaporatio spirata à corpore odorifero est id, in quo odor secundùm suum esse reale & naturale per medium defertur : inde est quòd odor bonus licet non nutriat, confortat tamen propter immutationem, quæ est à calido humido, & sicco, & etiam propter delectationem, sicut & malus odor corrumpit ex D.Thom. de sensu & sensibili lect. 14.

Ad secundum dicendum, quòd odor non producit alium odorem : quòd autem aër dicatur pati ab odore, & ita reddi odorifer, prouenit ex hoc quòd recipit à corpore odorifero fumosam euaporationem, siue exhalationem odoriferam : & similiter dicendum de aliis corporibus, quæ redduntur odorifera propter receptionem talium euaporationum intra suos poros.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. in hoc 2. libro lect. 19. sic : *Sciendum est quòd quædam habent proportionalem odorem & saporem, scilicet dulcem odorem, & dulcem saporem : quædam verò per contrarium, scilicet suauem saporem, & non suauem odorem, vel è conuerso : cuius ratio est, quia sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto, odor autem consistit in sicco aereo aliqualiter contemperato. Contingit autem quandoque vtramque substantiam, scilicet subtilem aeream, & aqueam crassiorem secundùm debitam proportionem commixtam esse, & sic est suauitas saporis, & odoris : si verò sit debita proportio in vno, & non in altero, erit in vno suauitas, & in alio non :* Vnde D.Thom. refert hoc diuersum temperamentum requisitum ad saporem, & odorem ad diuersas partes cibi,

scilicet

scilicet subtiliores, in quibus præcipoè est odor ratione siccitatis, & crassiores, in quibus est sapor ratione humiditatis.

Articvlvs II.

Vtrùm odor realiter diffundatur per Aërem vel Aquam vsque ad olfactum?

Ad secvndvm sic proceditur, Videtur quòd odor realiter diffundatur per Aëtem, vel Aquam vsque ad olfactum. Ita Auicenna 6. naturalium parte 2. cap. de olfactu, Albertus Magnus 2. libro de anima cap. 3. vbi pro hac sententia citat Platonem. Probatur duplici experientiâ: experimur enim quòd pessimis odoribus læditur cerebrum, & quod vento flante in contrarium impeditur olfactus: ergo odor realiter diffunditur per Aërem, vel Aquam vsque ad olfactum, & non per solas species intentionales, quia species intentionales, vt pote immateriales, non possunt lædere cerebrum, nec impediri à vento.

¶ 2. Præterea, Tempore pestis corruptio pestifera peruenit ad regiones longinquas, ibique aërem corrumpit: constat autem hanc corruptionem realem non posse fieri per solas species intentionales. Deinde odor non sentitur, nisi præuiâ respiratione, vnde constat experientiâ quòd nihil olfacimus, si halitum detineamus: sed hæc respiratio non est necessaria propter species intentionales, quia species intentionales seipsis instantaneè perueniunt ad olfactum, nec ad hoc indigent attrahi per respirationem: ergo odor realiter diffunditur per aërem, vel aquam vsque ad olfactum.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd non sit necessarium, vt odor vllo modo, etiam ad aliquam distantiam realiter diffundatur per aërem & aquam, sed sufficiat quòd per totum medium diffundatur per species intentionales: ita Rubius 2. de anima cap. 9. quæst. 2. & alij etiam Thomistæ. Probatur. Granum piperis per menses integros spirat odorem: ergo talis odor solùm diffunditur intentionaliter, & non realiter per fumosam euaporationem, aliàs tam exiguum granum tanto temporis spatio deberet totum resolui in illam euaporationem, cuius contrarium experimur.

¶ 4. Præterea, multa odorabilia aquæ immersa percipiuntur ab animalibus existentibus intra aquam, tunc tamen nulla est fumalis euaporatio, quia si esset, aliqualiter appareret in aqua, cuius contrarium experimur: ergo non est necessarium, vt odor vllo modo, etiam ad aliquam distantiam realiter diffundatur, sed sufficit quòd per totum medium diffundatur per species intentionales.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thomæ quos sequuntur communiter Thomistæ.

Conclvsio.

Licèt ad perceptionem odoris non sit necesse, ipsum realiter diffundi vsque ad olfactum, tamen est necesse realiter diffundi vsque ad aliquam distantiam.

Respondeo dicendum, quòd aliquando odor realiter diffunditur per aërem, vel aquam vsque ad olfactum. 2. non per hoc quòd vnus odor producat alium sic successiuè vsque ad organum. 3. sed per fumosam euaporationem egredientem à corpore odorabili, ac percurrentem totum medium. 4. hoc tamen non est necessarium, nec semper contingit. 5. quamuis sit necessarium, vt realiter diffundatur vsque ad aliquam distantiam: non enim contingit, vt solùm intentionaliter fiat talis diffusio per totum medium. 6. nunquam tamen odor percipitur ab olfactu ratione fumalis euaporationis, sed ratione speciei intentionalis in ipso receptæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd odoratus necessariò requirit medium inter ipsum, & rem odorabilem, tum propter rationem generalem, quia sensibile supra sensum non facit sensationem, tum propter particularem, quia est sensus immaterialior gustu, & tactu, sicut visus & auditus: hoc autem medium est Aër, & Aqua, vt docet Aristoteles in hoc 2. libro textu 97. his verbis: *Est autem & olfactus per medium, vt aerem, aut aquam, namque aquatica videntur odorem sentire, similiter autem & quæcumque cum sanguine, & sine sanguine, sicut & quæ in aere: etenim horum quædam à longe occurrunt ad alimentum: quæ ab odore mouentur:* Quod sic exponit D. Thom. lect. 20. *Dicit quòd sensus olfactûs immutatur ab odorabili per medium, scilicet aerem, aut aquam, & quòd aer sit medium in olfactu, manifestè apparet, quia nos per aërem odoramus, vnde oportuit manifestare aquam esse medium in olfactu, quod quidem ostendit per hoc quòd animalia aquatica odorem sentiunt, non solum illa quæ habent sanguinem, sed etiam illa quæ sanguine carent: sicut & animalia quæ viuunt in aere: quod apparet ex hoc quòd quædam eorum de longinquo veniunt ad alimentum, quod non posset esse, nisi inquantum prouocantur ab odore.*

Probatur prima pars conclusionis duobus primis argumentis in contrarium adductis, hanc enim efficaciter probant, nulla enim apparet difficultas, si corpus odorabile sit prope, quòd emittat fumosam illam euaporationem, siue exhalationem vsque ad olfactum: imò licèt multùm distet, tamen illam emittet, si illa euaporatio sit magna, maximè si vento deferatur, quod quotidie experimur, dum in Ecclesia crematur incensum, vel quid aliud odoriferum: ergo aliquando odor realiter diffunditur per aërem, aut aquam vsque ad olfactum.

Probatur secunda pars conclusionis. Odor est qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata: sed vna qualitas secunda naturalis non potest aliam eiusdem speciei producere, vt patet inductione in colore, ac in aliis omnibus. Deinde dato quod vna qualitas secunda produceret aliam, hoc tamen est impossibile in odore, quia vnus odor non potest causare in aliquo corpore illud temperamentum primarum qualitatum, quod necessariò requiritur, vt in illo causetur odor: sed adhuc admisso quòd hoc possit fieri absolutè, non tamen in tam breui morula, qua odor realiter diffunditur, hoc enim temperamentum non potest de nouo induci in aliquod subiectum, nisi per longam alterationem: ergo odor non diffunditur realiter per hoc quòd vnus odor producat alium sic successiuè vsque ad organum.

Probatur tertia pars conclusionis. Experimur quòd si aliquod odoriferum sit in vase cooperto & pleno ex illo, non minuitur nec perdit per aliquod tempus odorem, secus si fuerit in vase discooperto aut non pleno: ex quo constat quòd non solùm emittit species intentionales, per harum enim emissionem non minuitur res, vt patet in Sole, cuius lux non minuitur, licèt continuè mittat species intentionales, sed debet paulatim resolui in illam fumosam euaporationem, quam multoties experimur in incenso, & aliis: ergo odor realiter diffunditur per fumosam euaporationem egredientem à corpore odorabili, ac percurrentem medium, imò est impossibile odorem secundùm suum esse reale & naturale diffundi per Aërem aut Aquam nisi mediante fumosâ illâ euaporatione, seu exhalatione, quam corpus odoriferum spirat.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate Arist. & D.Th. eorúmque rationibus: Arist. hîc textu 97. requirit pro medio odoratûs aërem, aut aquam, quod esset superfluum, si odor secundùm esse reale esset deferendus ad sensum necessariò, nam illa fumalis euaporatio, quæ est naturæ igneæ, vt ait D.Th. de sensu & sensato lect. 5. sufficeret: D.Thom. autem hîc lect. 20. sic ait, *Cum enim odor cadaueris vsque ad quingenta milliaria, vel amplius à vulturibus sentitur, impossibile esset quòd aliqua corporalis euaporatio cadaueris vsque ad tantum spatium diffunderetur, præcipuè cùm sensibile immutet medium vndique secundùm eamdem distantiam, nisi impediatur:* Non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiamsi totum cadauer resolueretur in fumalem euaporationem, cùm sit certus terminus rarefactionis, ad quem corpus naturale peruenire potest, qui est raritas ignis, & præcipuè cum per huiusmodi odorem cadauer non appareat

sensibiliter

sensibiliter immutatum: ergo non est necessarium, nec semper contingit quòd odor realiter diffundatur per aërem, vel aquam vsque ad olfactum.

Probatur quinta pars conclusionis, tum authoritate D.Thom. 1. p. q. 78. art. 3. item q. de anima, art. 13. vbi ait: *Huiusmodi autem transmutatio, vel est secundum resolutionem & alterationem quamdam sensibilis, sicut accidit in sensu odoratus.* Item libro tertio de anima lect. 1. *Alio modo immutatur sensus per medium, & hæc quidem immutatio, aut est cum alteratione sensibilis, & sic odor immutat sensum cum aliqua resolutione odorabilis:* Tum etiam eiusdem D. Thom. ratione adductâ locis citatis, quia cùm odorabile sit imperfectius sono, & sit in sono aliqua mutatio, scilicet per motum localem ex parte sensibilis, requiritur aliqua maior ex parte odorabilis, quia sensibilia externa, quò sunt imperfectiora, eò inuoluunt in ordine ad immutationem intentionalem maiorem immutationem materialem, vel ex parte obiecti, vel organi. Tum denique duplici experientiâ, quia corpora odorabilia post aliquod tempus amittunt odorem, quod non potest procedere nisi, quia euaporauerunt omnes illas partes subtiliores, nec habent quid amplius euaporent, si autem conseruentur in loco clauso ne euaporent, multùm conseruant odorem, donec nimiâ siccitate consumantur illæ partes subtiliores. Deinde experimur quòd aliquis liquor aliquando non olet, si tamen moueatur, ac ita euaporet, tunc spirat odorem: ergo est necessarium vt odor realiter diffundatur vsque ad aliquam distantiam. Nec valet solutio quorumdam ad rationem & authoritatem D. Thom. quòd illa fumalis euaporatio requiritur non ad simpliciter, sed ad melius esse, & hoc sufficit ad concludendam distinctionem sensuum externorum, & ad ostendendum quòd odoratus est materialior auditu. Nam contra, quia D.Thom. loquitur absolutè hanc euaporationem requiri: ergo simpliciter requiritur: quòd enim requiritur tantùm ad melius esse, non dicitur absolutè quòd requiratur, nullus enim absolutè dicit, quòd equus requiritur ad iter agendum. Deinde distinctio essentialis specifica sensuum non potest non procedere ab aliquo per se simpliciter requisito ad talem distinctionem, & ad constitutionem distinctorum, aliàs esset distinctio per accidens.

Probatur & explicatur sexta pars conclusionis. Dicimus igitur quòd illa fumalis euaporatio realiter aliquandò pertingit vsque ad organum olfactûs, imò & penetrat vsque ad cerebrum, non tamen percipitur in illa parte organi, quam pertingit, sed ab alia per speciem intentionalem, vnde illa pars quam pertingit, se habet vt medium, quia ab illa in aliam mittit speciem: ratio huius est illa generalis, quia sensibile supra sensum non facit sensationem, vt dictum est supra: ergo odor nunquam percipitur ab olfactu ratione fumalis euaporationis, sed ratione speciei intentionalis in ipso receptæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd tunc tantùm læditur cerebrum pessimis odoribus, quando tales odores perueniunt ad illud realiter per fumosam illam euaporationem ratione qualitatum nociuarum. Ad aliud dicendum quòd aliquando impeditur olfactio flante in contrarium vento, quia ventus ipse expellit exhalationem odoriferam, vnde extrahit ipsam ab sphæra actiuitatis olfactûs, propterea non sentitur.

Ad secundum dicendum quòd tantùm conuincit tempore pestis illas euaporationes pestiferas peruenire ad multam distantiam, quia tunc sunt multa cadauera corrupta, è quibus resoluitur maxima euaporatio. Ad aliud de respiratione dicendum, quòd in nobis est necessaria respiratio & attractio aëris ad percipiendum odorem, non ex hoc quòd debeat semper attrahi illa fumalis euaporatio, sed quia debet attrahi aër ad sensorium, in quo aëre sunt species intentionales odoris: & hoc ideo quia in homine sensorium olfactûs est coopertum, non aliquâ pelliculâ, vt imputat Aristoteli Galenus, sed quia est in aditu valde angusto, per quem transit aër, quia aditus per respiratione dilatatur, ita facile intrat aër, ac percipitur odor: vnde Aristoteles hîc textu 100. loquens de hoc sensu sic ait: *Respirantibus discooperitur ampliatis venis & poris, & tunc percipitur odor:* Imò aliquando intrat fumalis euaporatio, vt dictum est. Vel etiam dicendum, quòd per respirationem dilatantur processus mammillares, qui sunt ad modum spongiæ, & ita recipiunt species quas non possunt recipere, dum sunt constricti.

Ad tertium dicendum, quòd illa euaporatio grani piperis est ita subtilis, ac minima, vt nec à perspicacissimo visu possit percipi, vnde non mirum si diu duret absque notabili alteratione illius grani piperis: est tamen facilè dissipabilis, nec procul diffunditur.

Ad quartum dicendum, quòd potest esse tam exigua, & subtilis illa euaporatio, vt nullo modo apparenter alteret aquam, tunc tamen est sufficiens, vt ab illis animalibus percipiatur mediis speciebus intentionalibus.

Articvlvs III.

Vtrùm subiectum potentiæ odoratiuæ sint processus mammillares constituti in suprema parte narium?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd subiectum potentiæ odoratiuæ non sint processus mammillares constituti in suprema parte narium. Probatur. Hi processus sunt frigidi & humidi, quia sunt prope cerebrum: sed subiectum potentiæ odoratiuæ debet esse calidum & siccum, cùm debeat igni proportionari, vt docet Arist. de sensu, & sensato lect. 5. apud D.Thom. ait enim: *Si oportet secundùm hunc modum attribuere & assignare vnumquodque sensitiuum vni Elementorum, oculi quidem visiuum aqua existimandum, aeris verò sonorum sensitiuum, ignis autem odoratum,* Quod sic exponit D.Thom. *Existimandum est, quòd visiuum oculi attribuendum sit aquæ, &c. igni verò odoratiuum.* Ergo subiectum potentiæ odoratiuæ non sunt processus mammillares.

§ 2. Præterea, Idem est subiectum potentiæ odoratiuæ in omnibus animalibus, ficut sunt eadem subiecta aliarum potentiarum: sed in pluribus animalibus non sunt illi processus mammillares ergo subiectum potentiæ odoratiuæ non sunt illi processus mammillares, sed potiùs anterior pars cerebri, qua recipit odores, & ab illis fouetur vel læditur.

§ 3. Præterea, Processus mammillares sunt duo, vt constat anatomiâ: ergo non sunt subiectum potentiæ odoratiuæ, aliàs essent duo subiecta, ac proinde duæ potentiæ odoratiuæ, quod est falsum: nullus enim sensus exterior multiplicatur in quouis animali.

Sed contra est authoritas Aristotelis, D.Thom. ac sancti Gregorij Nisseni lib. 4. de viribus animæ cap. 5. quos communiter sequuntur Philosophi, tam antiqui, quàm moderni.

Conclvsio.

Cùm processus mammillares sint iuxta cerebrum, & sint quadam caro spongiosa, qua respiratione dilatatur, & detentione respirationis constringitur, sunt subiectum potentiæ odoratiuæ.

Respondeo dicendum, quòd sensus odoratûs proximè subiectatur in aliqua parte animalis, quæ sit iuxta cerebrum, 2. est autem illa pars processus mammillares constituti in suprema parte narium. Ad cuius euidentiam sciendum est plura deseruire organo odoratûs: primò enim est nasus, cuius superior medietas est ossea, inferior verò cartilaginea, illiúsque duo foramina distincta sunt quodam quasi vallo partim osseo, partim cartilagineo. Ad radicem nasi est quoddam os positum, distinctum quibusdam foraminibus, vnde à Medicis cribrum, à Philosophis verò colatoricum dicitur, quia deseruit ad excrementi defluentiam. Sunt præterea duo canales à cerebro vsque ad ossa foraminosa narium, quæ sunt prope concauitatem oculorum descendentes, per quos descendunt duo nerui egredientes ab anteriori parte cerebri vsque ad nares in interiori parte, vt per eos deferantur

deferantur ad cerebrum, seu ad sensum communem species odoris in odorato receptæ. Sunt denique duæ partes carnis mollis similes capitibus mammillarum fœminæ lactantis, vnde appellantur processus mammillares, qui sunt affixi prædictis neruis in suprema parte narium.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis de sensu, & sensibili lect. 5. apud D.Thom. sic enim ait: *Propter quod & circa cerebrum loco, odoratus proprium sensitiuum est:* Quod sic exponit D.Thom. *Concludit ex præmissis, quòd organum odoratus dicitur esse in loco, qui est circa cerebrum:* Cuius rationem afferunt tum loco citato, tum in hoc 2. libro texto 100. quæ ad hanc formam potest reduci. Organum odoratûs debet esse in potentia id, quod odorabile est inactu, vt patet inductione in aliis sensibus, si enim esset actu tale, non perciperet obiectum, cùm intus existens prohibeat extraneum: sed odorabile est actu siccum & calidum, vt dictum est, siccitas enim & calor debent in illo excedere humiditatem & frigiditatem: ergo organum olfactûs debet esse siccum & calidum in potentia: constat autem, quòd aliquid non est in potentia ad vnum contrariorum, nisi secundùm quòd est actu sub altero, vel perfectè vel imperfectè, & consequenter organum odoratûs debet esse actu humidum & frigidum, ac proinde circa cerebrum, cùm cerebrum inter omnes partes corporis sit frigidius, & humidius, est enim naturæ aqueæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Nullum ex assignatis, præter processus mammillares, habet conditiones requisitas, vt sit organum odoratûs, siue subiectum potentiæ odoratiuæ: hi enim processus sunt iuxta cerebrum, quam conditionem requirunt Aristoteles & D.Th. vt dictum est, non tamen ita frigidi & humidi, ac ipsum cerebrum, nimia enim frigiditas & humiditas impediunt olfactionem. Sunt quædam caro spongiosa, quæ respiratione dilatatur, ac proinde recipit fumosam euaporationem, ac species odorum, & detentione respirationis constringitur, per quod impeditur olfactio: quæ dùo experimur: nam dum respiramus, odores percipimus, dum detinemus respirationem, nullum odorem percipimus, quæ conditiones non reperiuntur in aliis partibus enumeratis, vt inductione patet: ergo in his processibus mammillaribus proximè subiectatur sensus odoratûs, siue potentia odoratiua. Assignatum autem temperamentum requiritur in hoc organo, quamuis tantùm recipiatur odor secundùm esse intentionale, species enim intentionales diuersorum sensuum sunt diuersæ rationis, quia supplent vicem diuersorum formaliter obiectorum: vnde non mirum, si in quolibet sensorio requiratur diuersum temperamentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles, & D. Th. non loquuntur de organo olfactûs secundùm se, & præcisè, vt est in potentia, sed vt est reductum in actu per obiectum odorabile: calor enim, qui est proprietas ignis, prærequiritur ad meliorem olfactionem, vnde Aristoteles non dixit odoratiuum, sed odoratum esse ignis: ita respondet ibidem D. Thom. lect. 5. ait enim: *Dicendum est quòd id quod est odoratum, potest accipi dupliciter, vno modo secundùm potentiam, alio modo secundùm actum & sic est verum, quod hic dicitur, & ideo signanter non dixit odoratiuum esse ignis, sicut dixerat sensitiuum sonorum esse aëris, & visiuum oculi esse aqua, sed dicit odoratum esse ignis: odoratiuum enim dicitur secundùm potentiam, sed odoratus secundùm actum.* Ex quo sequitur, quòd licèt medium & organum vt in plurimum debeant habere sympathiam in qualitatibus, quatenus vtrumque habet se vt quid passiuum respectu obiecti, tamen inter organum & obiectum non requiritur proportio in iisdem qualitatibus, imò potiùs contrarietas, quia organum est passiuum, obiectum verò actiuum: & ideo organum debet esse in potentia ad illas qualitates, respectu quarum obiectum est in actu: eum hac tamen disconuenientia est proportio inter ipsa, quæ requiritur inter obiectum & potentiam.

Ad secundum dicendum, quòd non est simile in omnibus animalibus organum odoratûs, in hominibus enim, & forte in aliis animalibus perfectioribus est modo descripto, in aliis verò propter diuersam eorum structuram, erit diuerso modo, tamen semper erit aliqua pars correspondens, si non in figura, saltem in dispositionibus naturalibus, istis processibus mammillaribus. Ad aliud dicendum, quòd cerebrum præter alias rationes non potest esse organum odoratûs, quia nimis frigidum & humidum, licèt aliquando odor secundùm suum esse reale ad illud perueniat, & confortet, aut lædat iuxta diuersitatem qualitatum, vel nociuarum, vel mitium, quæ recipiuntur in fumosa euaporatione.

Ad tertium dicendum, quòd aliqui extendunt potentiam odoratiuam ad neruos, quibus annectuntur processus mammillares, & ita est vnum organum continuum adæquatum ex neruis, & processibus illis, quod non caret sua probabilitate: nam sic omnes sensus externi reperientur in neruis, maximè cùm Aristoteles, & D. Thom. nihil habeant in contrarium, sed solùm doceant organum odoratûs esse iuxta cerebrum: & hoc potest confirmari ex his, quæ dicta sunt de visu & auditu. Deinde processus mammillares inter se continuantur, vnde constituunt vnum & idem organum respectu vnius & eiusdem secundùm numerum potentiæ odoratiuæ.

QVÆSTIO XXXVII.

De sensu Gustus.

Gustus immediatè subsequitur odoratum in perfectione, & in immaterialitate, vnde postquam de odoratu determinatum est, de gustu determinandum occurrit, circa ipsum autem quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm sapor sit passio facta à sicco terrestri in humido, gustûs alteratiua secundùm potentiam in actum?

¶ Secundò, Vtrùm sint septem species saporis?

¶ Tertiò, Vtrùm medium gustûs sit caro illa, qua neruulus gustatorius tegitur?

¶ Quartò, Vtrùm neruus sparsus per linguam sit organum gustus?

Articvlvs I.

Vtrùm sapor sit passio facta à sicco terrestri in humido, gustûs alteratiua secundùm potentiam in actum?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd sapor non sit passio facta à sicco terrestri in humido, gustûs alteratiua secundùm potentiam in actum. Probatur. Ex hac definitione sequitur humiditatem præeminere siccitati in re sapida: sed hoc est falsum, nam multi sunt cibi valde sicci, putà illi qui dantur ad curandas ægritudines prouenientes ex nimio prædominio humiditatis, in quibus proinde non præeminet humiditas, qui tamen cibi sunt sapidi: ergo malè definitur sapor, quòd sit passio facta à sicco terrestri in humido.

¶ 2. Præterea, Vel humidum, quod ponitur in hac definitione, comprehendit, tam aëreum, quàm aqueum, vel est solum humidum aqueum: primum negatur communiter à Philosophis: si secundum, hæc definitio est diminuta, debuit enim addi particula restringens humidum ad aqueum, sicut addita fuit alia restringens siccum ad terrestre: ergo malè definitur sapor quòd sit passio facta à sicco terrestri in humido.

¶ 3. Præterea, Hæc definitio est saporis, tam secundùm esse naturale, quàm secundùm intentionale: nam prima pars, scilicet passio facta sicco terrestri in humido, conuenit sapori secundùm eius esse reale naturale: secunda verò pars, scilicet gustûs alteratiua secundùm potentiam in actum, conuenit ei secundùm eius esse intentionale, vt patet: sed est impossibile quòd eadem definitio explicet

explicet aliquid secundùm hunc duplicem ordinem tam contrarium:ergo prædicta definitio non est bona.

Sed contra est authoritas Arist. & D.Thom. tradentium hanc definitionem de sensu & sensato lect. 10. quam communiter amplectuntur Philosophi.

Conclusio.

Optimè describitur sapor, quod sit passio facta à sicco terrestri in humido, gustûs alteratiua secundùm potentiam in actum

Respondeo dicendum, prædictâ definitione optimè describi saporem, vt constat ex eius expositione. Dicitur primò (passio) siue passibilis qualitas, pro eodem enim sumuntur:quia,vt dictum est,omnia obiecta sensuum externorum sunt qualitates tertiæ speciei, vnde hæc particula ponitur loco generis,aliæ vero loco differentiæ.

Secundò dicitur(facta à sicco terrestri in humido)vt denotetur quòd sapor sit qualitas secunda, causata ex permixtione primarum,maximè ex mixtione sicci & humidi, facta per calorem tanquam per causam, siue virtutem instrumentariam efficientem: vnde licèt factâ collatione inter primas qualitates sapor potiùs resultet ex commixtione sicci & humidi,quàm aliarum,tamen factâ comparatione inter siccitatem & humiditatem,potiùs causatur ex humiditate,quàm ex siccitate:& per hoc inter alia distinguitur ab odore,qui ex siccitate potiùs, quàm ex humiditate prouenit, quamuis vtraque qualitas peculiariter ad illum desideretur.Quod optimè explicat D.Th. loco citato lect. 9.vbi sic ait: *Nominat autem vtramque passionem, quia vtrumque eorum est in tertia specie qualitatis,quæ est passio, vel passibilis qualitas: dicit autem saporem & odorem ferè esse eamdem passionem,quia vtramque causatur ex permixtione humidi & sicci secundùm aliqualem terminationem à calido:non tamen vtrumque eorum est omnino in eisdem, quia odor magis sequitur siccum, & ideo principalius est in fumali euaporatione,sapor autem magis sequitur humidum.*

Tertiò dicitur (à sicco terrestri) quia est duplex siccitas, vna ignea,alia terrea:ignea,quia est in materia tenui, non est apta ad nutriendum, nec ad saporem:terrea verò, quia est in materia crassa, est nutrimentalis,quamuis non distinguantur essentialiter, sed tantùm accidentaliter per humidum autem debet intelligi aqueum, non aëreum propter eamdem rationem.

Quartò dicitur (gustûs alteratiua secundùm potentiam in actum) per quod etiam distinguitur sapor ab odore, & ab aliis qualitatibus causatis ab humido & sicco per actionem calidi, quæ licèt possint immutare alios sensus,non tamen gustum, vt docet D.Thom. loco citato. Alij sic definiunt saporem: est qualitas secunda resultans ex tali permixtione primarum,in qua humidum comprehendit vel superat siccum, immutatiua gustûs: sed non ita bene.

Ex hoc autem quòd sapor dicatur (passio facta à sicco terrestri in humido)non est inferendum, quòd in sapore siccitas impressa à sicco in humido, habeat se vt formale, & humiditas vt quid materiale: dicimus enim quòd siccitas & humiditas in esse rei se habent mutuò vt agens & reagens, & ita in hoc nulla est præeminentia siccitatis:imò præeminet humiditas, siue humidum aqueum, & se habet vt formale in esse radicis, & subiecti, ex eo quòd humidum non patitur à sicco, vt siccum sit ratio recipiendi saporem, sed potiùs humidum est actu & in exercitio id, ratione cuius sapor recipiatur in illo, ac ita siccum deseruit humido: non tamen econtra & propter hanc rationem res sapida necessariò præsupponit humectationem organi gustûs, vel eam causat, quia sapor potiùs sequitur ad humiditatem,quàm ad siccitatem, & organum ei correspondens non est ita immateriale, vt ei repugnet, sicut repugnat aliis organis sensuum perfectiorum, quòd necessariò immutetur priùs immutatione naturali, quàm intentionali.

Ad primum ergo dicendum, quòd io hac definitione non habetur quòd humidum præemineat sicco, aut illud comprehendat vt causetur sapor, sed quòd sapor sequatur ad humidum potiùs quam ad siccum, quod verum est etiam in cibis valde siccis, in quibus est aliqua humiditas,ad quam sequitur sapor. Vel dicendum iuxta secundam definitionem, quòd in cibis etiam valde siccis, licèt plures partes sint siccæ, magis quàm humidæ, tamen sunt aliquæ, licèt pauciores, magis humidæ quàm siccæ, in quibus est sapor.

Ad secundum dicendum, quòd per hoc quòd Arist. restringit in hac definitione siccum ad terrestre, quia siccum igneum vt pote subtilius, est ineptum ad nutritionem, & ad saporem nutrimentalem, sufficienter indicauit humidum debere esse aqueum, & non aëreum propter eamdem rationem, vnde sic communiter accipitur à Doctoribus.

Ad tertium dicendum,quòd hæc definitio solùm conuenit sapori secundùm suum esse reale & naturale: quando autem dicitur quòd est immutatiuus gustûs,debet subintelligi, radicaliter, & ita sic potest exponi: sapor est qualitas causata ex commixtione humidi & sicci,quæ est talis conditionis, vt ex ea oriatur vis proxima ad intentionaliter immutandum gustum.

Articulus II.

Vtrùm sint septem species saporis?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd sint plures species saporis, quàm septem communiter receptæ,scilicet dulcis, amarus, pinguis, salsus, acetosus, austerus, ponticus vel acutus, nam Plinius admittit tredecim libro 15. naturalis historiæ cap. 27. addit enim prædictis: suauem, acrem, acerbum, & alios tres, quos mirabilis naturæ appellauit, quia plures continent sapores, scilicet saporem vini, saporem lactis qui simul est pinguis & dulcis, ac illum qui est in aquis sapidis: Arist. autem in præsenti ponit octo species, scilicet, dulce, amarum, pingue, salsum, acre, austerum, acerbum, & acidum: tandem Galenus 4. Simplicium, ponit nouem species:octo immediatè enumeratas,cui addit nonum scilicet saporem insipidum qualis est in albugine oui. Probatur. Gustûs optimè attemperati est iudicare de saporibus, sicut & visûs de coloribus &c.non enim potest errare per se potentia circa proprium obiectum: sed gustus optimè attemperati apprehendunt plures esse sapores quàm septem assignatos: ergo sunt plures species saporis quàm septem communiter receptæ.

¶ 2. Præterea, Sapores causantur ex commixtione humidi aquei, & sicci terrestris, vt patet ex definitione saporis: sed hæc commixtio potest fieri infinitis pene modis iuxta plures modos intensionis sicci & humidi: ergo sunt plures species saporis,quàm septem communiter receptæ.

Sed contra est expressa authoritas Arist.in hoc 2.libro textu 105. & D.Thom.lect. 21. quos communiter sequuntur Philosophi, Ruuius, Toletus, nostri Complutenses, & alij in præsenti.

Conclusio.

Quamuis species saporum sint plurimæ, omnes tamen possunt reduci ad septem.

Respondeo dicendum, quòd licèt species infimæ saporis sint plurimæ 1. omnes tamen possunt reduci ad septem subalternas assignatas, scilicet dulce, amarum, pingue, salsum, acetosum, austerum, & ponticum vel acutum. 3. inter quas dulce & amarum sunt species extremæ, siue simplices, & inter se contrariæ, ad quas contrarietas aliarum reducitur. Ad cuius euidentiam sciendum est species saporis esse nobis magis notas,quàm species odoris, vt docent Aristoteles & D.Thom. de sensu & sensato lect. 9. cuius rationem affert D.Thom.his verbis: *Manifestius est autem nobis genus saporum, quàm odorum, ideo autem sapor est nobis manifestior, quia certiori sensu sentitur à nobis, sensum enim olfactûs peiorem habemus, & per comparationem ad cætera animalia, & per comparationem ad cæteros sensus, qui in nobis sunt:* Cuius ratio est, quia sicut supradictum est,

eſt, odoratus in actu perficitur per calidum igneum, eſt autem organum olfactûs circa cerebrum, quod eſt frigidius & bumidios omnibus partibus corporis, homo autem inter omnia animalia babet cerebrum maius ſecundùm quantitatem ſui corpocis, vt dicitur in libro de partibus animalium, & ideo oportet quòd homo deficiat in ſenſu odoratûs: ſed bomo habet certiſſimum tactum inter omnia animalia &c.& per conſequens guſtum, qui eſt tactus quidam, vnde poteſt meliùs iudicare de ſaporibus, quàm de odoribus, & ita ſpecies ſaporum ſuot illi magis notæ, quàm ſpecies odorum.

Probatur prima pars conclusionis. Tum expreſſâ authoritate D. Thom. de ſenſu & ſenſato lect. 11. Tum authoritate Ariſtot.& Galeni adductâ in contrarium. Tum etiam rationibus ibidem adductis, ipsáque experientiâ: experimur enim varias ſpecies ſaporis dulcis; alius enim eſt ſapor in melle, alius in ſaccaro, alius in ficubus, alius in vuis maturis &c. Item alius eſt ſapor amerus in oppio, alius in felle, alius in abſynthio. Item alius eſt ſapor pinguis in pinguedine, alius in medulla, alius in lacte, & ſic in aliis vnctuoſis. Item alius eſt ſapor ſalſus in ſale & aqua maris, & alius fortè in aliis rebus. Et ſimiliter de acetoſo in aceto, & aliis rebos putrefactis. De auſtero in fructibus ante maturationem. Ac tandem de pontico vel acuto in limoniis: ergo ſpecies infimæ ſaporis ſunt plurimæ, non quòd omnes ſepiem aſſignatæ ſint ſubalternæ continentes plures ſpecies infimas, nam ſalſus & fortè aliqui alij ſapores ex aſſignatis, ſunt ſpecies infimæ, ſed ſolùm intenditur plures ex aſſignatis eſſe ſubalternas, ſub quibus continentur plures aliæ ſpecies infimæ ſaporis.

Probatur ſecunda pars concluſionis Authoritate Ariſt. & D.Thom. in hoc 2. libro textu 105. lect. 25. vbi ſic ait D.Thom. *Determinat de ſpeciebus ſaporum, & dicit quòd in ſaporibus ſimplices ſunt dulce & amarum: ſpecies autem ſaporum habita, id eſt, immediatè conſequentes ſimplices ſpecies, ſunt pingue, quod ſequitur dulce, & ſalſum, quod ſequitur amarum; media autem horum ſunt acetoſum, & auſterum, & ponticum & acutum; quæ duo in idem reducuntur, ac proinde erunt ſeptem: ad has autem ſeptem ſpecies ſaporum ferè videntur reduci omnes aliæ.* Has omnes ſpecies diſcernimus per guſtum: poſſunt tamen aliter diſponi: aliquando enim pinguis confunditur cum dulci, & & ponticus diſtinguitur ab acuto, Ita Ariſt. & D. Thom. de ſenſu & ſenſibili lect. 11. & hoc propter conuenientiam pinguis cum dulci, & aliqualem differentiam inter ponticum & acutum: nunquam tamen excedunt numerum ſeptenarium, dicentes eſſe ſepiem ſpecies ſaporum, ſicut & colorum ergo omnes ſpecies ſaporum poſſunt reduci ad ſeptem aſſignatas.

Probatur tertia pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles in hoc 2. libro textu 105. ſic ait: *Species autem ſaporum, vt etiam in coloribus; ſimplices quidem ſunt, quæ ſunt contraria, dulce & amarum.* Quem ſic exponit D.Thom. *Dicit quòd ſicut in coloribus ſimplices colores ſunt contrarij, vt album & nigrem, ſic in ſaporibus ſimplices ſunt contrarij, vt dulce & amarum:* Huius rationem affert Ariſtoteles de ſenſu & ſenſibili his verbis: *Quemadmodum autem colores de alb. & nigri ſunt mixtione, ita & ſapores ex dulci & amara.* Quam rationem ſic dilucidat D.Thom. lect. 11. *Ideo album & nigrum ſunt colores extremi & contrarij, ad quorum contrarietatem contrarietas aliorum colorum reducitur, quia cæteri colores, ſcilicet medij generantur ex commixtione albi & nigri, vel ipſorum ſecundùm ſe, vel ex mixtione cauſarum eiuſdem albi & nigri:* Sed alij ſapores generantur ex mixtione dulcis & amari, vel ipſorum ſecundùm ſe, vel ex mixtione cauſarum prædictorum ſaporum dulcis & amari: ergo ſunt extremi, & contrarij: maior, & conſequentia patent, minor quoad primam partem conſtat experientiâ: quoad ſecundam ſic oſtendit D.Thom. nam ſicut calidum perfectè digerens humidum cauſat ſaporem dulcem, priuatio autem humidi perfectè digeſti eſt cauſa amaritudinis; ita alij ſapores cauſantur ſecundùm quòd humidum medio modo ſe habet, nec totaliter eſt conſumptum, nec totaliter eſt indigeſtum, & ita iuxta maiorem, vel minorem decoctionem, ſiue digeſtionem, aut indigeſtionem reſultant diuerſi ſapores medij inter dulce & amarum: ſapores autem extremi poſſunt lædere ſenſum guſtûs, ſi nimium excedant, quod conuenit omni ſenſibili extremo reſpectu cuiuſcumque ſenſûs: de amaro conſtat experientiâ, de dulci nimio etiam patet, quòd aliquando faſtidium generat, quamuis hoc non ſit ordinarium, quia in hominibus ſenſus guſtûs eſt commenſuratus dulci, ſicut oculi aquilarum loci ſolis. Eſt autem hæc natura ſaporum vt vnus verbi gratiâ dulcis, qui eſt extremus, non oriatur ex nimio exceſſu primarum qualitatum, & ſic per illum ab acerbo ad aciem poteſt fieri tranſitus, non quidem per ſe, ſed per accidens: quia hi duo ſapores multùm habent de extremis qualitatibus, ac proinde niſi iſtæ remittantur, & ad temperiem reuocentur (ſub qua conſiſtit ſapor dulcis) non poſſunt illi duo ſapores corrumpi: vnde hic tranſitus non obſtat, quin ſapor dulcis dicatur extremus: inuenitur enim etiam in coloribus, nam ex cæruleo poteſt fieri nigrum, & poſtea ex nigro poteſt fieri punicum &c.

Nec his contrariatur Galenus, dum aſſerit duas ſpecies extremas ſaporum eſſe acutum & ponticum, probátque ex eo quòd magis accedunt ad duas primas qualitates oppoſitas, ſcilicet frigus & calorem, acutus enim cauſatur ex vehementi & ſubtili calido, ponticus verò ex vehementi, & groſſo frigido, ac ita concludit eſſe maximè oppoſitos, quia oppoſitio, quæ reperitur inter cauſas, reperitur etiam inter effectus, ſapores enim cauſantur ex primis qualitatibus. Ad hoc quippe dicendum quòd ſapores acutus & ponticus habent maximam contrarietatem aſſignatam, ſed hæc contrarietas, & diſtantia non per ſe, ſed per accidens conuenit ſaporibus: vnde nihil contra dicta: certum eſt enim quòd inter ſapores eſt contrarietas per ſe, ſcilicet quæ conuenit ſapori vt ſic: & hæc non eſt inter ponticum & acutum, alia verò eſt contrarietas per accidens, & eſt illa quæ conuenit ſapori, non ex ipſa ratione ſaporis, ſed aliunde: ſicut inter ſapida dulcia, vel amara alia ſunt alba, alia nigra, alia calida, alia frigida, quod etiam euenit ſenſibilibus aliorum ſenſuum: hoc explicat eleganter D.Thom. hoc libro 2.lect. 21. poſtquam enim numerauit ſpecies ſaporum, ſic ait: *Conſiderandum eſt autem circa has ſpecies, quòd quamuis ſapores cauſentur à calido, & frigido, & humido, & ſicco, & contraria ſunt, quæ maximè diſtant, non tamen ſecundùm maximam diſtantiam calidi, & frigidi, & humidi, & ſicci attenditur contrarietas in ſpeciebus ſaporum, ſed ſecundùm ordinem ad guſtum, prout natus eſt immutari à ſapore, vel cum horrore, vel cum ſuauitate: vnde non eſt neceſſarium quòd dulce, vel amarum ſit maximè vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ſiccum, ſed maximè ſe habent in tali diſpoſitione, per quam comparatur ad ſenſum guſtûs:* Et licet ſapor per ſe, & proximius ſumatur ex humiditate iam dicta, non tamen ſequitur, quòd ſapor maximè perfectus, ſumatur ex maxima humiditatis participatione: vnde propria, & per ſe contrarietas, & maxima diſtantia ſaporũ, non prouenit ex maxima diſtantia humidi & ſicci, maximè cùm ſapor extremus non debeat neceſſariò eſſe valde ſiccus.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſolùm conuincit eſſe plures ſpecies infimas ſaporum, quàm ſeptem, & hoc conceditur, ſed non probat has omnes, & plures aſſignabiles reduci ad ſeptem aſſignatas, tanquam ad ſpecies ſubalternas, ſicut ſapor inſipidus reducitur ad dulcem remiſſum & imperfectum, & ſimiliter alij reducuntur ad aliquem ex aſſignatis.

Ad ſecundum dicendum, ſimiliter, quòd probat eſſe poſſibiles plurimas ſpecies ſaporum, vt dictum eſt, non tamen quælibet commixtio humidi, & ſicci iuxta diuerſum modum intenſionis aut remiſſionis cauſat diuerſam ſpeciem ſaporis ſemper: ſi enim ſit parua diuerſitas, ſolùm cauſabit diuerſitatem accidentalem ſaporum.

ARTICVLVS

Articvlvs III.

Vtrùm medium gustûs sit caro illa, qua neruulus gustatorius tegitur?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd medium gustus non sit caro illa, qua neruulus gustatorius tegitur. Probatur. Gustus aliquando percipit saporem cibi aliquantum distantis, nam si aquæ in loco aliqualiter distanti infundatur mel, sentitur dulcedo illius ab eo, qui prædictæ aquæ gustum applicuerit, cùm tamen mixtio mellis sit facta in partibus aquæ distantioribus: ergo caro illa non est medium gustûs, sed habet medium externum, sicut visus, auditus, & odoratus.

§ 2. Præterea, Inter rem sapidam & gustum mediat saliua, vt ex se constat: ergo non sola illa caro, qua neruulus gustatorius tegitur, est medium gustûs, sed etiam datur medium externum.

§ 3. Præterea, Idem omnino non potest esse medium gustûs & tactûs, cum enim sint sensus essentialiter diuersi, debent habere diuersa organa, & media, saltem interna: sed caro illa, qua neruulus gustatorius tegitur est, medium tactûs, vt patet, si enim pungatur, sentitur dolor, si aduratur, sentitur calor: ergo non est medium gustûs.

Sed contra est authoritas Aristotelis hîc textu 101. & D.Thom. ibidem lect.21. quos communiter sequuntur omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm gustus sit quidam tactus, & tactus habeat medium coniunctum, scilicet carnem, medium gustûs est caro illa, qua neruulus gustatorius tegitur.

Respondeo dicendum, quòd medium per se petitum à gustu, non est medium extrinsecum, sed intrinsecum, scilicet caro illa, siue pars animalis, qua neruulus gustatorius tegitur. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D. Th. hic lect. 21. esse duplex medium sensuum, vnum extraneum siue extrinsecum, & est aliquod corpus, quod non est vera pars animalis sentientis, vt in visu, & auditu Aër, & Aqua: aliud verò intrinsecum siue coniunctum, quod est aliqua pars animalis sentientis intercedens inter sensum, & obiectum, vt caró in sensu tactûs.

Probatur conclusio tum authoritate Aristotelis hîc textu 101. & D.Thom. ibidem lect. 21. tum sequenti ipsorum ratione. Gustabile est quoddam tangibile, & gustus quidam tactus, quia sapor, qui est gustabile, radicatur in humido sicut in materia propria, humidum autem est quoddam tangibile, ac proinde gustus est quidam tactus: sed tactus non sentit suum obiectum per medium extrinsecum, sed per coniunctum, cùm caro sit medium in sensu tactûs, vt infra dicetur: ergo similiter gustus, cùm debeat necessariò habere aliquod medium, quia sensibile supra sensum non facit sensationem, non habet extrinsecum, at coniunctum, scilicet carnem illam, qua tegitur neruulus gustatorius.

Circa hanc rationem duo notanda sunt. Primum est quòd quandò D. Thom. dicit gustum esse quemdam tactum, non vult quòd sit tactus formaliter, aut identicè, sed tantùm proportionaliter, quia fundatur, & radicatur in illo, & se habet in sentiendo suum obiectum, ac si esset tactus quidam, nam materialiter tangendo illud, percipit ipsum. Secundum est, quòd sensus gustûs dicitur radicari in tactu, non verò olfactus, aut alij sensus: tum quia ad solum gustum necessariò prærequiritur sensatio tactûs, ad hoc vt percipiat suum obiectum, non verò ad alios sensus: tum quia solum obiectum: gustus fundatur in obiecto tactûs, licèt enim sapor, qui est obiectum gustûs non sit aliqua qualitas de qualitatibus simplicium corporum, ex quibus animal constituitur, quæ sunt propria obiecta sensûs tactûs, tamen causatur ab eis & fundatur in aliqua eorum sicut in materia, scilicet in humido, non materialiter tantùm, sed vt est qualitas tangibilis, prout pertinet ad tactum: quod non accidit in obiectis aliorum sensuum, quæ fundantur quidem in aliqua prima qualitate, maximè obiectum olfactûs in siccitate, non vt siccitas est qualitas tangibilis, at secundùm esse materiale quod habet: vnde quia sensus regulantur à suis obiectis, sicut se habet obiectum gustûs ad obiectum tactûs, sic se habet sensus gustûs ad sensum tactûs, ac proinde cùm obiectum gustûs fundetur in obiecto tactûs, etiam sensus gustûs dicitur fundari in sensu tactûs, & propterea gustus dicitur esse quidam tactus.

Ad primum ergo dicendum, quòd si fiat talis mixtio mellis, aut alterius cum aqua, statim penetrat omnes partes aquæ, vnde non sentitur mel, quod fuit mixtum in parte distanti, sed illud, quod peruenit ad partem aquæ, quam tangit gustus.

Ad secundum dicendum, quòd saliua non habet rationem medij in gustu, sed est quasi condimentum omnium saporum, & præparatio proxima organi, quia humectat tam cibos, quàm organum, quæ humectatio prærequiritur, cùm sapor fundetur in humido.

Ad tertium dicendum, quòd medium, & organum gustûs est idem materialiter cum medio, & organo inadæquato tactûs: sed est diuersus formaliter ob diuersum modum, quo immutatur, nam caro illa, vt medium tactûs immutatur tam realiter, quàm intentionaliter à qualitate, quam sentit: vt verò est medium gustûs, tantùm intentionaliter immutatur à sapore, quem sentit, realiter verò ab humiditate, qua præparatur: qui diuersus modus immutationis causat diuersitatem formalem, & essentialem inter medium gustûs & tactûs: de organo statim dicetur.

Articvlvs IV.

Vtrùm neruus sparsus per linguam sit organum gustûs?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd neruus sparsus per linguam non sit organum gustûs. Probatur. Aristoteles de sensu & sensibili cap. 2. item secundo libro de partibus animalium capite 10. ponit organa omnium sensuum, præcipuè gustûs, & tactûs in corde: ergo neruus sparsus per linguam non est organum gustûs.

§ 2. Præterea, Si ille neruus est organum gustûs, sequitur quòd vbi erit perfectior, ibi magis vigebit gustus, cuius tamen contrarium experimur, nam in radice linguæ non ita viget gustus, ac in cuspide, & tamen in radice neruus est perfectior, quia maior, ac proinde habens plus virtutis: ergo neruus sparsus per linguam non est organum gustûs.

§ 3. Præterea, Sensus essentialiter diuersi petunt organa diuersa, vt patet, nam debet esse commensuratio inter potentiam & organum, sicut inter actum & potentiam, ac proinde diuersi sensus & potentiæ petunt diuersa organa: sed neruus sparsus per linguam est organum tactûs inadæquatum, vt ipsâ constat experientiâ, nam in lingua sentitur calor, frigus, & aliæ qualitates tangibiles: ergo ille neruus non est organum gustûs.

Sed contra est authoritas Aristotelis 1. libro de historia animalium cap. 11. D. Thom. multis locis, & Galeni libro de vsu partium cap.2. quos sequuntur communiter, tam Philosophi, quàm Medici.

Conclvsio.

Cùm experientiâ constet in lingua percipi sapores, & caro eius sit medium, necessariò neruus per eam sparsus est organum gustûs.

Respondeo dicendum, quòd lingua est organum gustûs 2. non quidem secundùm omnes sui partes 3. sed secundùm neruum quemdam mollem per eam sparsum. 4. Ita tamen vt in acumine linguæ magis vigeat vis gustatiua 5. cùm autem quidam ramusculi prædicti nerui ad palatum extendantur, aliquo modo etiam in palato gustus residet: 6. vnde totus ille neruus est organum potentiæ gustatiuæ, & debet esse naturâ suâ siccus. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd à cerebro vsque ad linguam descendunt duo nerui, eámque mediam vsque ad

eius acumen percurrunt, varios ramuſculos in vtramque linguæ partem mittentes, imò aliqui ramuſculi ad palatum extenduntur. Præter hunc neruum bipartitum naturâ ſuâ mollem, eſt alius conceſſus linguæ ad ipſam mouendam, & ad alias functiones obeundas, vt docent noſtri Complutenſes & Conimbricenſes.

Probatur prima pars concluſionis experientiâ verâ, & ordinariâ, quæ eſt ratio omni exceptione maior. Videmus enim quòd ſi res ſapida debitè applicetur linguæ, ſtatim percipitur ſapor: ergo in lingua eſt vis & potentia guſtatiua, ac proinde linguâ eſt organum guſtûs.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Senſus guſtûs habet medium, ſicut & alij: quia ſenſibile ſupra ſenſum non facit ſenſationem: non autem habet medium extrinſecum ſed coniunctum, vt dictum eſt, ſcilicet carnem linguæ, qua teguntur nerui, & eſt rara, ſpongioſa, atque poroſa, ac meatibus plena, vt facilè ſpecies ſaporum ad potentiam perueniant: ſed medium non eſt idem quod organum, vt fatentur omnes: ergo lingua non eſt organum guſtûs ſecundùm omnes ſui partes.

Probatur tertia pars concluſionis. Tum authoritate Ariſtot. loco citato, & D.Th. opuſc.43.cap.3. vbi ſic ait: *Guſtus eſt vis ordinata in neruo ſparſo ſupra corpus linguæ ad apprehendendum diuerſos ſapores reſolutos ex corporibus contingentibus ipſam.* Tum ratione. Lingua eſt organum guſtûs, non ſecundùm carnem, vt dictum eſt: ergo ſecundùm neruum, nihil enim aliud eſt in lingua præter carnem & neruos: requiritur autem quòd neruus, qui eſt organum guſtûs, ſit facilè immutabilis à ſaporibus, ac proinde debet eſſe mollis.

Probatur quarta pars concluſionis. Tum eadem ordinariâ experientiâ. Experimur quòd ſi res ſapida debitè applicetur in cuſpide, ſiue acumine linguæ, faciliùs percipitur, quàm in radice linguæ, hîc enim minùs delectat. Tum ratione, nam in acumine linguæ nerui ſunt molliores, vt pote minores, & ita magis idonei ad percipiendos ſapores: & etiam caro, quæ eſt medium, eſt mollior, & delicatior, ac proinde faciliùs ibi ſpecies ſaporis penetrant: ergo in acumine linguæ magis viget vis guſtatiua. Nec obſtat, quòd in radice linguæ ſit maior copia ſalinæ, quæ eſt condimentum guſtûs: nam licèt requiratur ſaliua ad guſtum, tamen tanta abundantia ſaliuæ propter nimiam humiditatem impedit perfectionem guſtûs, vt docet D.Thom.

Probatur quinta pars concluſionis authoritate D. Auguſtini libro 2. de verbis Domini, & S. Damaſceni libro 2. de fide cap. 18. quos etiam communiter ſequuntur Philoſophi: imò Ariſtot. lib. 4. de partibus animalium cap.11. hunc ſenſum extendit etiam ad gulam: ait enim; *Eſculentorum enim voluptas in deſcendendo contingit, dum enim deglutimus pinguia, ſentimus & ſalſa, & dulcia, & reliqua generis eiuſdem, & omnium fere condimentorum, eſculentorúmque in deuorando gula tactione ſuauitas exiſtit, & gratia.* Cuius ratio eſt, quia hi nerui quocumque pertingant, ſunt eiuſdem temperamenti, ac proinde in tota ſua extenſione neruus ille eſt organum potentiæ guſtatiuæ. Deus autem ſic dilatauit, vt actio guſtatiua ita neceſſaria ad conſeruationem indiuidui magis placeret, vt pote extenſior, & ita magis appeteretur, ac frequentaretur.

Probatur ſexta pars concluſionis. Tum authoritate Ariſtot. & D.Thom. de ſenſu & ſenſibili lect.5. & in hoc libro textu 112. lect. 21. Tum ratione, in omnibus ſenſibus organum ſenſûs debet eſſe in potentia id, quod eius obiectum eſt in actu, vt ſupra dictum eſt: ſed obiectum guſtûs eſt in actu humidum, vt conſtat etiam ex dictis: ergo organum debet eſſe in potentia humidum: & cùm eadem ſit potentia contrariorum, & de vno fiat tranſitus in aliud, quod eſt in potentia humidum, debet eſſe in actu ſiccum: ergo neruus, qui eſt organum guſtûs, debet eſſe natura ſua ſiccus. Confirmatur ratione experimentali D. Thom. in præſenti, vbi lect. 21. ſic ait: *Nec lingua exiſtens ſicca poteſt ſentire, neque exiſtens multùm humida, quia cùm exiſtit valde humida, à præcedente dominante humiditate fit in ea tactus, & ſenſus præcedentis humidi, & non ſuperuenientis:* Sicut cùm aliquis ante guſtauerit aliquem fortem ſaporem, poſtea ſi guſtet alterum, non percipit ipſum quia adhuc manet ſenſus primi humoris in linguæ. & ſimiliter febricitantibus omnia videntur eſſe amara, propter hoc quòd ſentiunt per linguam plenam humiditate huiuſmodi, ſcilicet cholerâ, quæ eſt amara. Si igitur lingua debet humectari moderatâ humectatione, ſignum eſt prædictum organum eſſe in potentia humidum, & actu ſiccum, & ita ad initium ſuæ actionis prærequirit ſiccitatem, ad conſummationem verò moderatam humiditatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtot. ponit guſtum & tactum, ac alios ſenſus in corde, vt in principio, ac radice, non autem tanquam in proprio & proximo ſubiecto, quod vocatur organum: licèt enim cor ſit primum viuens, ac proinde principium vitæ, ac influens ad omnes operationes vitales, propter quod potentiæ vitales dicuntur radicari in corde, ac eſſe in illo tanquam in principio, non tamen immediatè ſubiectantur in illo.

Ad ſecundum dicendum, quòd neruus guſtatorius eſt perfectior in cuſpide linguæ, quia ibi eſt mollior, quia tenuior: vnde craſſities eius in radice linguæ impedit perfectionem guſtûs, tenuitas autem in cuſpide conducit ad facilè & bene guſtandum.

Ad tertium dicendum, quòd organum guſtûs & tactûs quoad eam partem, ſecundùm quam ſentiuntur ſapores, ſunt idem materialiter, non verò formaliter, & in eſſe organorum: ac proinde non poteſt colligi identitas ſpecifica inter hos duos ſenſus: maximè quia identitas materialis organi guſtûs & tactûs non eſt adæquata, vt tantùm ſe extendat organum guſtûs, quantùm organum tactûs: ex hac autem identificatione de materiali inadæquata, non ſequitur identitas ſenſuum, vt docet Ariſtot. in hoc 2. libro textu 112. quem exponens D. Thom. lect. 22. ſic ait: *Sentimus enim per linguam omnia tangibilia, quæ ſentimus per alias partes corporis, & vlteriùs per ipſam ſentimus humorem, id eſt, ſaporem, quem non ſentimus per aliquam aliam partem corporis.* Si autem alia caro ſentiret ſaporem, non diſcerneremus inter guſtum & tactum, ſicut nunc non diſcernimus inter tactum, qui eſt diſcretiuus calidi & frigidi, & tactum, qui eſt diſcretiuus humidi & ſicci. Sed nunc apparet quòd guſtus & tactus ſunt duo ſenſus, quia non conuertuntur ad inuicem, non enim, per quamcumque partem fit ſenſus tactûs, fit & guſtus. Differentia autem formalis, & in eſſe organorum in hoc conſiſtit, quòd idemmet organum materialiter, vt eſt in potentia humidum, eſt organum guſtûs: vt verò eſt in potentia ad qualitates tangibiles, eſt organum tactûs.

QVÆSTIO XXXVIII.

De ſenſu Tactus.

SVPEREST agendum de ſenſu Tactûs vltimo inter alios, quia eſt materialior, ac proinde imperfectior, circa ipſum autem quæruntur quinque.

¶ Primò, Vtrùm qualitas tangibilis quæ ſentitur, ſit illa quæ eſt in organo, aut illa quæ eſt in obiecto tangibili?

¶ Secundò, Vtrùm tactus poſſit ſentire ſolas excellentes qualitates?

¶ Tertiò, Vtrùm obiectum tangibile debeat Phyſicè immutare tactum, ad hoc vt immutet intentionaliter?

¶ Quartò, Vtrùm caro ſit medium tactûs?

¶ Quintò, Vtrùm neruus ſparſus per totum corpus ſit organum tactûs?

ARTICVLVS

ARTICVLVS I.

Vtrùm qualitas tangibilis quæ sentitur, sit illa quæ est in organo, aut illa quæ est in obiecto tangibili?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd qualitas, quæ est in organo, per se primò & ratione sui sentiatur ab eadem parte organi,in qua est,illa verò,quæ est in obiecto, non sentiatur nisi mediatè, & ratione eius, quam causauit in organo. Ita Toletus, & aliqui alij, qui credunt non esse necessarias species intentionales in hoc sensu, sed sufficere obiectum immediatè vnitum potentiæ. Probatur. Si aliquis poneretur iuxta Solem, calefieret à Sole,& verè sentiret in se calorem causatum à Sole, & distemperiem ex nimio calore, vt patet: sed tunc non sentiret calorem residentem in Sole, cùm tenera Sol non sit formaliter, at tantùm virtualiter calidus, potentiæ autem sensitiuæ non sentiunt, nisi quæ sunt formaliter talia: ergo tantùm sentiret calorem organi. Imò febricitantes sentiunt calorem febris, qui tamen est intrinsecus in ipso organo.

¶ 2. Præterea, Qualitas, quæ est in organo, non est minùs tangibilis, quàm illa quæ est in obiecto, cùm sint eiusdem speciei, & prior sit magis vnita potentiæ, quàm posterior: sed admittunt omnes, quòd qualitas, quæ est in obiecto, sentitur: ergo & illa quæ est in organo: imò magis, vt ratio probat. Deinde ad experiendum vtrùm aliquid sit calidum, tangimus, & ex calore, quem causat & relinquit in tactu, iudicamus qualis sit calor obiecti: ergo calor organi sentitur ratione sui, calor verò obiecti ratione alterius.

¶ 3. Econtra videtur quòd sola qualitas, quæ est in obiecto sentiatur, non verò illa, quæ est in organo. Ita tenent aliqui Moderni. Probatur. Si tactus sentiret qualitates sibi inhærentes, esset in continua actuali sensatione, nam tactus semper habet in se aliquas qualitates: sed contrarium experimur,quòd scilicet non sumus in continua sensatione: ergo qualitas organi non sentitur,multò minùs est causa, quòd sentiatur qualitas obiecti: & huius est signum, quod cùm tangitur aliquod calidum vehemens, statim percipitur, & tamen in tam breui spatio non potuit causare tantum calorem realiter in organo: & consequenter calor organi non potest esse causa, quòd sentiatur calor obiecti, cùm huius intensio multùm excedat intensionem alterius.

SED CONTRA est authoritas Aristotelis, & D.Thomæ quos sequuntur communiter Thomistæ, vt nostri Complutenses, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Sensu tactus sentit, tam qualitates tangibiles, quæ sunt in obiecto, quàm illas quæ sunt in organo, non tamen in ea parte, in qua sunt.

RESPONDEO dicendum, quòd tactus sentit qualitates existentes in obiecto tangibili externo debitè ei approximato. 2. Qualitates verò inhærentes ipsi organo, quamuis non sentiantur ab illa parte, in qua immediatè sunt. 3. Sentiuntur tamen ab alia parte organi paululùm distante, dummodò prædictæ qualitates sint intensiores in parte in qua sunt, quàm in ea in qua sentiuntur, ità vt sint aliquo modo causa similium qualitatum, vel intensionis illarum, quæ sunt in tali parte sentiente. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd organum sensûs cuiuscumque habet in se quatuor primas qualitates, sicut & quodlibet mixtum perfectum, quæ intenduntur ab obiecto quod tangitur, v. g. eius calor à calido, frigus à frigido, & sic de aliis: & ita præsens difficultas procedit, an sensus tactûs percipiat calorem, qui est in obiecto, an illum, quem in se habet causatum ab eodem obiecto: calor enim nón percipitur, nisi tangatur,dum autem tangitur, producit realiter alium calorem in ipso tactu, vel potiùs auget illum, quem naturaliter habet.

Probatur prima pars conclusionis. Tum communi consensu pene omnium Philosophorum, tum sequenti ratione: sensus tactûs ad hoc est datus à natura, vt sentiret, tam qualitates benignas & proficuas, quàm nocioas rerum,quæ occurrunt: & ita vitaret nociuas, & quæreret proficuas, ac proinde hic sensus est maximè necessarius ad conseruationem indiuidui: ergo sensus tactûs sentit qualitates existentes in obiecto tangibili externo debitè ei approximato, vnde videmus experientiâ,quòd percipit quale obiectum est calidum, & quale frigidum,& in qua intensione, quod confirmatur ex modo dicendis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. qui, vt supra dictum est, docent sensibile supra sensum non facere sensationem. Quæ ratio sic expenditur, sensibile supra sensum impedit sensationem: ergo multò magis sensibile inhærens ipsi sensui, quia quod inhæret, est magis intimum, & coniunctum, quàm quod adhæret, ac proinde, si coniunctio realis immediata sensibilis cum sensu impedit sensationem, maior coniunctio magis impediet, & ita qualitates inhærentes ipsi organo non sentiuntur ab illa parte, in qua immediatè sunt.

Secundò, calor inhærens in vna parte organi, non potest illam magis calefacere, vt dictum est supra in libris de Generatione, quia nihil agit vltra suam virtutem, & ita calor vt quatuor non potest agere vltra quatuor, imò non potest causare vllum calorem in parte, in qua est, alioquin essent duo calores in eadem parte, quod est impossibile: ergo calor organi non potest percipi ab illa parte, in qua est, nam qualitates tangibiles non percipiuntur per tactum, nisi priùs immutent illum immutatione Physicâ & naturali, vt infra dicetur.

Probatur tertia pars conclusionis ratione Aristotelis, & D. Thom. in hoc 2. libro cap. 11. tactus solùm tequirit obiectum tangibile exuberans & debitè approximatum, medium internum, & aliquam alterationem Physicam aliquo modo ab illo causatam in organo, positis enim istis conditionibus tangibile statim immutat intentionaliter tactum, vt experientiâ patet, tactus verò sic immutatus sentit: sed calor,v.g. inhærens in aliqua parte organi est qualitas tangibilis, cùm sit eiusdem speciei cum calore externo, & potest esse intensior, quàm sit calor alterius partis paulò distantis,in qua sentitur: cùm autem sit aliqua distantia, datur sufficiens medium pro speciebus intentionalibus:est etiam aliqua alteratio Physica causata ab illa parte priori, quia propter coniunctionem maiorem cum calore externo est magis calida, ac proinde potest esse causa caloris existentis in parte distanti: ergo qualitates inhærentes ipsi organo sentiuntur ab alia parte organi paululum distante: additur quòd tales qualitates sunt intensiores in parte in qua sunt, quàm in ea in qua sentiuntur, quia non aguot qualitates, nisi ex proportione maioris inæqualitatis, vt dictum est in libris de Generatione. Additur tandem, quòd aliquo modo sint causa similium qualitatum, vel intensionis illarum, quæ sunt in tali parte sentiente, quia qualitates tangibiles non agunt intentionaliter, nisi simul agant realiter & naturaliter.

Ad primum ergo dicendum, quòd in tali casu ille non sentiret calorem Solis, cùm Sol non sit formaliter calidus, nec consequenter tangibilis: sed per vnam partem organi sentiret calorem intensiorem, qui esset in alia, non enim Sol imprimeret æqualem calorem in omnibus partibus animalis, sed intensiorem in proximioribus, qui intentionaliter immutaret alias partes. Deinde, vt infra dicetur, organum sensûs tactûs est neruus, inter quem & Solem mediaret caro. Denique potest dici quòd sentiret calorem causatum in sanguine nutrimentali, qui est quoddam suppositum distinctum ab animali, cùm habeat propriam materiam & formam. Per quod patet ad illud de febricitantibus, in quibus partes distantes sentiunt calorem intensiorem aliarum.

AD secundum dicendum, quòd in illo casu omnia coniunctio est causa adæquata, cur illa qualitas non sentiatur: quia est axioma Aristotelis, quòd sensibile positum

supra

supra sensum non facit, imò impedit sensationem: quamuis enim gustus & tactus ob suam imperfectionem excludant medium extrinseceum, requirunt tamen medium coniunctum. Ad aliud dicendum, quòd calor receptus in manu, non est ratio per modum speciei impressæ, quòd calor ignis sentitur: sed quia concurrit vt conditio ad talem sensationem, nam vt infra dicetur, ignis non potest immittere speciem proprij caloris ad tactum, nisi priùs per alterationem Physicam organom eius calefiat.

Ad tertium dicendum, quòd concludit secundam partem conclusionis: inquantùm verò pugnat cum tertia, dicendum quòd calor v. g. qui inhæret organo, non semper sentitur ab alia parte distante, quæ sæpe est in æquali intensione in toto organo, & ita vna pars non potest ab alia alterari physicè, quod tamen requiritur ad sensationem tactûs.

Articvlvs II.

Vtrùm tactus possit sentire solas excellentes qualitates?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd tactus possit sentire quaslibet qualitates, id est, non solùm excellentes, sed etiam æquales, imò minoris intensionis, quàm sint illæ, quæ sunt in organo. Ita tenent vniuersaliter aliqui. Mutcia verò in præsenti hoc limitat ad qualitates secundas tangibiles. Probatur. Obiectum tangibile agit naturaliter & necessariò: ergo in quacumque sit intensione, immittit suam speciem, & ita sentitur, nam vnita potentiâ cum obiecto mediante eius specie, elicitur operatio, aliàs tale obiectum non esset sensibile per se.

¶ 2. Præterea, Si obiectum tangibile percipitur tantùm ratione excellentiæ quam habet, sequitur quòd species intentionales solùm repræsentent talem excellentiam, & non ipsam qualitatem absolutè, & ita sequitur quòd potentiæ sensitiuæ sint præcisiuæ, quod tamen repugnat veræ Philosophiæ, quæ concedit hanc perfectionē soli intellectui: ergo tactus percipit omnes qualitates.

¶ 3. Præterea, Contingit aliquem habentem manum valde mollem percipere minorem mollitiem, vt patet experientiâ: ergo saltem istæ qualitates secundæ non actiuæ possunt percipi in æquali, imò in minori intensione. Deinde si quid obstaret, esset maximè quia tactus prærequirit ad immutationem intentionalem, immutationem naturalem: sed respectu qualitatum secundarum tangibilium hoc non requirit, quia cùm sint omnino expertes naturalis & physicæ, non possunt naturaliter immutare organum: ergo possunt istæ qualitates percipi in æquali, aut etiam in minori intensione.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, Caietanus, Flandria, nostri Complutenses, & alij etiam extra scholam D. Thom. vt Ruuius in præsenti q. 4.

Conclvsio.

Cùm tactus non immutetur intentionaliter, nisi adsit physica & naturalis immutatio, qua non potest fieri nisi ab obiecto excellenti, solùm potest sentire excellentes qualitates.

Respondeo dicendum, quòd tactus solùm potest sentire excellentias obiecti tangibilis, non verò gradus æquales, aut inferiores: vnde non sequitur, quòd cùm sensus tactûs debeat percipere primas qualitates, debeat illis carere, vt optimè explicat D. Thom. in hoc a. libro lect. 23. ait enim: *Aliter tamen accidit hoc circa tactum, & circa alios sensus, nam in visu organum visus est in potentia ad album & nigrum, denudatum à toto genere albi & nigri, est enim penitus carens colore: sed organum & medium tactus non potest denudari à toto genere calidi & frigidi, humidi & sicci, componitur enim ex Elementis, quorum hæ sunt propria qualitates: sed sic fit in potentia organum tactûs ad sua obiecta, inquantum est medium inter contraria, medium enim est in potentia ad extrema, & propter hoc quantò animal habet complexionem magis reductam ad medium, tantò habet meliorem tactum: vnde homo inter omnia animalia est melioris tactus.*

Probatur conclusio authoritate Arist. & D. Th. Arist. in hoc a. libro textu 117. sic ait: *Vnde similiter calidum & frigidum, aut durum, aut molle non sentimus, sed excellentia tanquam sensu, vel in medietate quadam existente eius, qua in sensibilibus contrarietatis, & propter hoc discernit sensibilia.* Quod sic exponit D. Th. lect. 23. *Non enim sentimus id, quod est calidum, aut frigidum durum, aut molle secundum illum modum, quo hæc insunt organo tactûs, sed sentimus excellentias tangibilium quasi organo tactûs constituto in aliqua medietate inter contrarias tangibiles qualitates.*

Secundò experimur quotidie, quòd dum habemus manum nimis calidam, non sentimus calorem minùs intensum alterius manûs, sed sentimus illud frigoris excedens frigiditatem, quæ est in manu nimis calida: & similiter manus nimis mollis non percipit minorem mollitiem alterius, sed maiorem duritiem, quæ est in illa, vt patet: ergo signum est tactum non sentire obiecta tangibilia, nisi secundùm excellentias.

Tertiò, dictum est articulo præcedenti qualitates inhærentes organo sentiri ab alia parte paululum distante: ergo si percipit non solùm excellentias qualitatum, sed etiam æqualem, aut minorem intensionem, erimus in continua sensatione omnium quatuor qualitatum adinuicem existentiû in organo, licèt nulla sit in eis distemperies.

Quartò probatur ratione Aristotelis, quam in hoc a. libro sic proponit: *Oportet, sicut debent sentire album & nigrum, neutrum ipsorum habere actu, potentia verò vtrumque: sic autem, & in aliis, & in tactu neque calidum, neque frigidum.* Quam rationem sic exponit D. Th. *Organum tactûs, sicut & alia, debet esse in potentia ad qualitates tangibiles, quas percepturum est, cùm organum cuiuscumque sensus patiatur à suo sensibili:* Vnumquodque autem patitur secundùm quòd est in potentia, non verò secundùm quòd est actu: ergo organum tactûs non potest percipere eas qualitates, secundùm quas est in actu, sed tantùm eas, ad quas est in potentia: ac proinde si sit in actu per calorem vt quatuor, non sentiet calorem vt quatuor, aut aliquid prædictæ intensionis, sed tantùm excellentias, ad quas solas est in potentia. Quæ ratio Philosophi, & D. Th. sic magis expenditur: qualitates tangibiles non immutant intentionaliter potentiam, nisi priùs naturaliter & physicè immutent organum: sed organum, aut quodcumque aliud, quod debet pati passione naturali & physicâ, debet carere eâ formâ, vel qualitate quam recipit, vt dictum est supra in libris de generatione: ergo si ad hoc vt tactus immutetur intentionaliter per calorem vt quinque v. g. ac proinde possit illum sentire, debet carere eo: non poterit sentire, nisi excellentiam eiusdem caloris, qua solummodo caret.

Ad primum ergo dicendum, quòd agentia naturalia non agunt, nisi iuxta capacitatem subiecti, vt dictum est in libris de generatione: subiectum autem calidum vt quatuor, non est capax vt immutetur, nec realiter, nec intentionaliter à calido vt quatuor, vt etiam patet: & ideo non est mirum, quòd obiectum tangibile solùm imprimat tactui species sui quoad excessentias, in quibus superat organum tactûs: vnde calidum vt vnum est per se tangibile ex parte formæ, non verò ex parte tantitatis eiusdem formæ: & ideo solùm per accidens non est tangibile, quia talis tantitas per accidens contingit ipsi formæ caloris: non tamen sola excellentia percipitur, sed percipitur ipsa qualitas excellens, qualitas enim per se, & ratione sui sentitur: requirit tamen tanquam modum intrinsecum, & indispensabiliter requisitum ipsam excellentiam: & per hoc patet ad secundum: non enim sensus præscindit excellentiam à qualitate, sed vtrumque percipit per modum simplicis apprehensionis modo explicato.

Ad tertium dicendum, quòd in illo casu non percipitur per manum molliorem, illud minoris mollitiei, quod est in alia manu, sed id, quod est maioris duritiei in illa, sicut

ficut dum manus calidior tangit alteram minùs calidam, non minor calor huius, fed fentitur maior eius frigiditas. Ad aliud dicendum, quòd licèt qualitas fecunda non poffit effe caufa immutationis phyficæ,per quam producatur fimilis qualitas,& ita mollities non poteft producere aliam mollitiem, poteft tamen caufare aliquam aliam immutationem naturalem & phyficam:dato tamen quòd qualitates fecundæ nullo modo fint actiuæ phyficè, adhuc tamen non poffint fentiri, nifi fecundùm excellentias,quia potentia tactûs non eft in potentia, nifi ad illas: & hæc eft ratio adæquata Ariftotelis & D. Thom.

Articvlvs III.

Vtrùm obiectum tangibile debeat phyficè immutare tactum, ad hoc vt immutet intentionaliter?

Ad tertivm fic proceditur. Videtur quòd obiectum tangibile non debeat phyficè immutare tactum, ad hoc vt immutet intentionaliter, fed quòd fufficiat realis & materialis contactus inter illum & fuum obiectum. Ita Rubius in præfenti quæft. 3. & aliqui alij. Probatur. Qualitates fecundæ tangibiles,vt durum,molle &c. immutant intentionaliter tactum, abfque eo quòd phyficè alterent, aut immutent organum illius, quia non funt actiuæ: ergo pari ratione poteft dici, quòd talis immutatio phyfica non prærequiritur, etiam refpectu primatum qualitatum, aut faltem ad intentionalem immutationem tactus non prærequiritur vniuerfaliter immutatio phyfica.

¶ 2. Præterea, Obiectum tangibile immutat tactum in inftanti per fpecies intentionales, ac proinde tactus etiam in inftanti fentit illud, nam obiectum debitè applicatum agit in inftanti, nifi habeat contrarium, quale eft agens intentionale vt fic: fed alteratio phyfica organi fit fucceffiuè, & in tempore, cùm fit verus motus phyficus: ergo aduenit, poftquam immutatio intentionalis,& fenfatio tactûs funt factæ, & confequenter non præréquiritur ad illas.

Sed contra eft authoritas D.Thom.quem fequuntur Caietanus 1.p.q.78. art.3. Ripa, & Bannes ibidem, noftri Complutenfes in præfenti, & communiter alij Thomiftæ, & plures extra fcholam D.Thom.

Conclvsio.

Cùm fenfus tactûs fit vnus fpecie infimà, eodem modo immutatur ab omni tangibili, cùm autem conftet à primis qualitatibus priùs immutari phyficè, quam intentionaliter, vniuerfaliter loquendo, ad eius immutationem intentionalem prærequiritur phyfica.

Respondeo dicendum, quòd tam primæ qualitates tangibiles, vt calor, frigus, humiditas, & ficcitas 2. quàm fecundæ, vt durities & mollities, afperitas & lenitas, & fimiles per fe & neceffariò immutant organum tactûs phyficè & naturaliter,ad hoc vt eumdem tactum poffint immutare per fpecies intentionales. Ad cuius euidentiam fciendum eft, quòd fecundæ qualitates tangibiles, & aliæ vt fapor, odor &c. non funt productiuæ aliarum qualitatum eiufdem fpeciei, fiue fibi fimilium: non enim odor producit alium odorem, fapor alium faporem, dutities aliam dutitiem &c. propter quod qualitates fecundæ dicuntur non actiuæ ad differentiam primarum, quæ producunt alias eiufdem fpeciei, vt calor calorem: poffunt tamen effe productiuæ qualitatis diuerfæ fpeciei, quod manifeftatur ex hoc quòd durum contrectatum imprimens fuam fpeciem, exafperat manum, cuius oppofitum contingit, dum tangitur molle.

Probatur prima pars conclufionis authoritate D. Th. 1. p. quæft.78. art.3. vbi fic ait: *Eft autem duplex immutatio, vna naturalis, & alia fpiritualis, fed in quibufdam fenfibus inuenitur immutatio fpiritualis tantum, ficut in vifu &c. ex parte autem organi eft immutatio naturalis ex tactu & guftu, nam & manus tangens calida calefit, & lingua humidatur per humiditatem faporum: organum verò olfactûs, aut auditus nulla naturali immutatione immutatur in fentiendo, nifi per accidens*: Hæc D. Thom. & per hunc diuerfum modum immutandi diftinguit, & multiplicat effentialiter quinque fenfus externos: & apparet ex eius verbis quòd ad tactum requirit neceffariò vtramque immutationem, naturalem fcilicet, intentionalem. Idem docet quæft. vnica de anima articulo 13. & ex hoc diuerfo modo immutandi multiplicat effentialiter eofdem fenfus: loquens autem de tactu fic ait: *Sunt igitur quadam fenfibilia, quorum fpecies licèt intentionaliter in fenfu recipiantur, tamen etiam materialem immutationem faciunt in animalibus fentientibus: huiufmodi autem funt qualitates, quæ funt principia tranfmutationum,etiam in rebus materialibus, ficut calidum, frigidum, humidum, & ficcum, & alia huiufmodi*: Quia igitur huiufmodi fenfibilia immutant nos etiam materialiter agendo, materialis autem immutatio fit per contactum, neceffe eft quod huiufmodi fenfibilia contingendo fentiantur: propter quod potentia fenfitiua comprehendens ea, vocatur tactus: ergo primæ qualitates tangibiles per fe & neceffariò, immutant organum tactûs phyficè & naturaliter, ad hoc vt eumdem tactum poffint immutare per fpecies intentionales.

Secundò, quò magis à calore ignis alteratur organum, eò magis tactus percipit calorem per fe loquendo, vt patet experientiâ, fi enim leuiter moueatur manus per flammam, parum fentit ur caloris, fi autem diu perfeueret manus in flamma, maior fentitur calor, vt conftat ex dolore, qui ab eo caufatur: ergo fignum eft quòd calor dum phyficè calefacit, immittat fpeciem intentionalem, quia intenfior fenfatio denotat fpeciem effe intenfiorem, quæ imprimitur fimul cum intenfiori calore: fi autem non producitur intenfior fpecies, donec introducatur intenfior calor, fignum eft quòd immutatio intentionalis fenfûs tactûs prærequirit eius immutationem phyficam: nam ficut fe habet intenfior calefactio ad productionem intenfioris & perfectioris fpeciei ac fenfationis, ita calefactio fimpliciter ad productionem fpeciei intentionalis, & ad fenfationem fimpliciter: non tamen intendimus quòd in eodem gradu omninò æquali, in quo crefcit intenfio fpeciei, debeat etiam effe intenfio alterationis phyficæ, fed fatis eft quòd habeat aliquod proportionale augmentum: vnde ad hoc vt fentiatur calor vt octo,non requiritur vt imprimatur in organo calor vt octo, licèt fit neceffaria maior impreffio caloris, quàm ad hoc vt fentiatur vt feptem: quod totum experientiâ probatur, & ratio eft,quia ex qua parte hæc immutatio intenfionalis eft imperfecta, dependet ab immutatione Phyfica, ex qua parte verò eft perfectior illâ, vt pote immaterialior & eleuatior, non debet omnino illi commenfurari.

Probatur fecunda pars conclufionis authoritate D.Th. 1.part. quæft.78. art. 3. ad 4. vbi fic ait: *Si verò tactus eft vnus fenfus propter vnam communem rationem obiecti, dicendum erit quòd fecundùm rationem diuerfam immutationis diftinguitur guftus a tactu: nam tactus immutatur naturali immutatione, & non folùm fpirituali quantum ad organum fuum fecundùm qualitatem, quæ ei propriè obiicitur: guftus autem organum non immutatur de neceffitate naturali immutatione fecundùm qualitatem, quæ ei propriè obiicitur, vt fcilicet lingua fiat dulcis, vel amara, fed fecundùm præambulam qualitatem, in qua fundatur fapor, fcilicet fecundùm humorem, qui eft obiectum tactûs.* Item quæft. de anima art. 13. poftquam dixit tactum immutari, non folùm intentionaliter, fed etiam materialiter à propriis fenfibilibus, enumerat illa dicens: *Huiufmodi autem funt qualitates, quæ funt principia tranfmutationum etiam in rebus materialibus, ficut calidum, frigidum, humidum, & ficcum, & alia huiufmodi*: Per ly autem alia huiufmodi, fine dubio non poffunt intelligi, nifi qualitates fecundæ tangibiles: quæ authoritas, & ratio D. Thomæ fic expenditur: cùm tactus fit vnus fenfus fecundùm fpeciem infimam, petit neceffariò immutari eodem modo ab omni eo, quod participat rationem fui obiecti, quia fecundùm diuerfas immutationes, vt dictum eft ex D.Thoma multiplicantur fpecies fen-

ſuum: & ratio eſt, quia quæuis poteutia cognoſcitiua, ſicut petit ſpeciale obiectum, ſic petit modum ſpecialem, quo ab illo immutetur, vt potet inductioue iu omnibus: ſed proprius & peculiaris modus, quo totus per ſe petit immutari à ſuo obiecto, eſt quòd ſimul intentionaliter, & materialiter, ſiue naturaliter immutetur, vt conſtat ex authoritate D.Thomæ: nam viſus, auditus, & odoratus diſtinguuntur à tactu, quia ſolùm petunt immutari intentionaliter, guſtus verò, licèt etiam materialiter immutetur, tamen hæc immutatio neceſſariò fit per qualitatem, quæ non ſit ſenſibilis ob ipſo, ſed per qualitatem præambulam ad ſuam ſenſationem, ſcilicet per humiditatem: ergo illæ qualitates ſecundæ, quæ participant rationem obiecti tactûs, vt durum & molle &c. non ſolùm intentionaliter, ſed etiam phyſicè tactum immutant, & ita aliquo modo ſunt phyſicè actiuæ. Hæc ratio fundatur in doctrina D.Thomæ locis citatis, & 2. de anima lectione 14. quæ talis eſt: quia ſenſus viſûs eſt omnium perfectiſſimus, in eius operatione ſolùm interuenit immutatio intentionalis, tum ex parte obiecti, tum ex parte organi. Auditus autem, quia eſt in ſecundo gradu perfectionis, ideo ex parte organi ſolùm intentionaliter immutatur, licèt ex parte obiecti phyſico ſit immutatio, ſed minima, eſt enim per ſolum motum localem obiecti. Odoratus autem, quia eſt paulò inferior, ſolam quidem immutationem intentionalem admittit ex parte organi, phyſicam tamen ex parte obiecti, & maiorem quàm auditus, ſcilicet per calorem, non enim odoratur aliquid, niſi aliquo modo ſit calidum. Guſtus verò, quia imperfectior illis, immutatur non ſolùm intentionaliter, ſed etiam phyſicè ex parte organi per qualitatem præambulam iam dictam. Tactus denique, quia eſt omnium imperfectiſſimus, debet immutari ex parte organi, tum intentionaliter, tum phyſicè ſecundùm eamdem qualitatem. Niſi admittatur hæc doctrina non eſt aſſignabilis ratio, quæ probet tactum eſſe vnum ſenſum ſpecie infimâ, quia includeret diuerſos modos immutationis, nam à primis qualitatibus intentionaliter & phyſicè, à ſecundis verò tantùm intentionaliter immutaretur: patet autem ex dictis, quòd ex diuerſo modo immutandi multiplicantur ſenſus ſecundùm ſpeciem: imò ex oppoſito ſequitur ſenſum tactûs eſſe perfectiorem guſtu, nam guſtus neceſſariò immutatur phyſicè ex parte organi, tactus verò ex aduerſariis non neceſſariò, ſed tantùm permiſſiuè immutaretur phyſicè: conſtat autem ex communi conſenſu, quòd tactus eſt imperfectiſſimus ſenſuum, & quòd ille ſenſus eſt imperfectior (quia magis materialis) qui maiorem habet immutationem phyſicam, ſcilicet tam ex parte organi, quàm ex parte obiecti: nam quò ſenſus ſunt perfectiores, eò minùs habent de immutatione Phyſica, vt docuit D.Thom. non tamen debet inferri ſenſus externos diſtingui penes diuerſum modum immutationis phyſicæ, ſed diſtinguuntur penes diuerſum modum immutationis intentionalis, qui tamen oſtenditur à poſteriori eſſe perfectior, vel imperfectior: ex eo quòd eſt magis dependens, aut independens ab immutatione phyſica. Modus igitur immutandi conueniens obiecto tactûs eſt, vt ita immutet intentionaliter, vt etiam immutet phyſicè per eamdem qualitatem, quod tamen non debet fieri in guſtu.

Ad primum ergo dicendum, quòd qualitates ſecundæ tangibiles ſunt actiuæ modo explicato.

Ad ſecundum dicendum, quòd intentionalis immutatio, per quam tactus immutatur, non fit in inſtanti, quia pendet ab immutatione phyſica & naturali, quæ fit per motum illum calefactionis, v.g. vnde probatio in contrarium ad ſummum concludit de agente intentionali, non pendente in ſua immutatione intentionali ab aliqua immutatione Phyſica & naturali cauſata in tempore: ratio autẽ cur vna pars durior nerui non ſentiatur ab alia molli viciniori, eſt quia qualitates ſecundæ tangibiles, qualis eſt durities, non immutant naturaliter ſenſum, niſi fiat aliqua confricatio, aut fortis contrectatio inter ipſum, & organũ: vnde cùm hæc non poſſit fieri in caſu poſito, non poteſt eſſe naturalis immutatio, & conſequẽter nec intentionalis.

Articvlvs IV.

Vtrùm Caro ſit medium Tactûs?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd caro non ſit medium tactûs. Ita tenent omnes, qui docent organum tactûs componi ex carne, & neruo, vt Suares 2. tom. Theologiæ tract. 3. lib. 3. cap. 27. Rubius hîc q. 2. dicunt igitur iſti tactum non habere medium, ſiue internum, ſiue externum per ſe, ſed tantùm per accidens. Probatur. Idem non poteſt eſſe per ſe medium, & organum reſpectu alicuius ſenſûs, vt docent communiter Philoſophi, & conſtat inductione in omnibus ſenſibus: ſed caro eſt organum tactûs, vt docet Ariſtoteles ſæpe: ergo caro non eſt medium tactûs.

¶ 2. Præterea, Medium tactûs eſt externum, vt docet Ariſtoteles in præſenti textu 113. vbi expreſsè dicit, non poſſe corpora dura ſe tangere in aqua, vel in aëre; quin aqua ipſa, vel aër ſit medius, & textu 114. vniuerſaliter docet, tam dura, quàm mollia ſentiri à nobis per medium externum, ſicut viſibile & audibile, cum hac tamen differentia, quòd viſus & auditus ſentiunt propria obiecta à longè, & ideo per medium magnum, tactus verò non ſentit tangibile, niſi ſit prope, & ideo per paruum medium, & fere imperceptibile: ergo caro non eſt medium tactûs, cùm ſit quid intrinſecum ſentienti.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thomæ quos ſequuntur Caietanus in præſenti, Iauellus quæſt. 49. Flandria in recollectione ſupra 3. librum de anima lect. 2. tract. 2. Bannes 1. p. quæſt. 78. art. 3. de tactu dub. 3. noſtri Complutenſes in præſenti, & communiter Thomiſtæ.

Conclvsio.

Cùm ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impediat ſenſationem, & tangibile poſitum ſupra carnem faciat ſenſationem, caro non eſt organum, ſed medium tactûs.

Respondeo dicendum, quòd medium tactûs eſt quid internum, ſiue pars aliqua animalis ſentientis. 2. ſcilicet caro, vt condiſtincta à neruo.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis in hoc 2. libro textu 115. & D.Thom. ibidem lect. 23. Item de ſenſu & ſenſato lect. 5. vbi ait: *Sicut alij ſenſus fiunt per medium extrinſecum, ita tactus & guſtus per medium intrinſecum, quod eſt caro.*

Secundò, ſenſus tactûs non poteſt immutari Intentionaliter, quin etiam immutetur Phyſicè, vt dictum eſt: ergo medium debet eſſe internum & coniunctum, ſiue pars animalis: quia cùm immutatio illa Phyſica non fiat in organo, dum ſentit, quia ſenſibile ſupra ſenſum impedit ſenſationem, neceſſariò debet fieri in medio interno. Deinde experimur, quòd licèt nullum corpus extrinſecum mediet inter tactum & tangibile, nihilominus illud ſentimus: ergo cùm neceſſariò requiratur medium, illud debet eſſe intrinſecum, quamuis per accidens poſſit contingere aliquando medium extrinſecum in tactu, ſicut ſi aliquis ſit indutus loricâ, & percutiatur fortiter ipſa loricâ, ille talis ſentit dolorem, & ita lorica, eſt per accidens medium tactûs: vnde viſus, auditus, & odoratus per ſe petunt medium tantùm extrinſecum: guſtus autem & tactus medium intrinſecum, licèt aliquando per accidens in tactu medio intrinſeco poſſit adiungi extrinſecum ex Ariſtotele, & D. Thom. hîc lect. 23.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate & ratione Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles in præſenti textu 116. ſic ait: *Quare & manifeſtum, quòd intus ſit tangibilis ſenſitiuum: ſic enim vtique accidit, quod & in aliis: appoſita enim ſupra ſenſoriam, non ſentiunt; ſuper carnem autem poſita ſentiunt: quare medium tactûs eſt caro:* Quod ſic exponit D.Thom. lect. 22. *Dicit ergo primò quòd ita ſe videtur habere caro & lingua ad organum ſenſus tactûs, ſicut ſe habet aer, & aqua ad organum viſûs, auditûs, & olfactûs: in nullo enim iſtorum ſenſuum poteſt fieri ſenſus, ſi tangatur organum, vt ſi quis ponat corpus*

album

album in superficie oculi, non videtur: vnde manifestum est, quòd organum sensitiuum in sensu tactûs sit intus, sic enim accidit in hoc sensu, sicut & in aliis: non enim sentiunt animalia sensibilia apposita supra organum sensûs, sentiunt autem sensibilia posita super carnem: Quare manifestum est quòd caro non est organum sensûs, sed medium. Huius rationis Aristotelis & D. Thom. vis fundatur in doctrina superius tradita, quòd sensibile positum supra sensum impedit sensationem. Nec valet dicere quòd tangibile positum supra carnem sentitur, non ab illa quidem parte quam tangit, sed à parte vicina. Nam contra, quia licèt sit verum aliquando sentiri obiecta per lineam non rectam, tamen nullus est sensus, qui non possit sentire suum obiectum per lineam directam, cuius oppositum sequeretur.

Ad primum ergo dicendum, quòd caro non est organum tactûs, vt dicetur statim articulo sequenti secundùm Aristotelem, & D. Thom.

Ad secundum dicendum, quòd sensus tactûs necessariò petit medium intrinsecum, extrinsecum autem aliquando admittit, sed simul cùm intrinseco, & sic intelligit Philosophus.

Articvlvs V.

Vtràm neruus sparsus per totum corpus sit organum tactûs.

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd solus neruus sparsus per totum corpus non sit organum tactûs, sed quòd nerui, & caro, & alia quæ ad carnem reducuntur, sint organum tactûs. Ita Suares loco supra citato, & Rouius qui multos citat, & dicit quòd est opinio iam fere communis in schola. Probatur authoritate Aristotelis, & D.Thom. Philosophus enim 1. de historia animalium cap.4. & libro 2. de partibus cap.1. & 5. dicit carnem esse sensorium tactûs. D.Thom. etiam opusc. 43. cap.3. affirmat carnem simul esse organum tactûs, & medium diuersâ ratione, quod ipsâ experientiâ comprobatur, nam si pungatur cutis, caro, neruus, & similia, sentitur dolor: ergo illa omnia sunt organum tactûs, quia ibi est potentia sensitiua, vbi habet operationem sensitiuam.

§ 2. Præterea, In quibusdam partibus fit sensatio tactûs, in quibus non sunt nerui, sed sola caro, vt in corde, pulmone, hepate, visceribus, &c. ergo non solus neruus, sed etiam caro, & similia sunt organum tactûs.

§ 3. Præterea, Ad organum tactûs requiritur temperamentum constans ex quatuor primis qualitatibus ad mediocritatem redactis: sed caro plus habet de hoc temperamento, quàm nerui qui sunt valde terrestres: ergo si neruus est organum tactûs, multò magis caro, & similia.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thnm. quos sequuntur communiter Thomistæ, ac alij tam Philosophi, quàm Medici cum Galenu libro 1. de vsu partium cap. 16. & alibi sæpe.

Conclvsio.

Cùm experientiâ constet illas partes esse maximè sensitiuas in quibus abundant, nerui, non verò vbi abundat caro, signum est quòd non caro, sed neruus sit organum tactûs.

Respondeo dicendum, quòd caro vt condistincta à neruo, non est organum tactûs 2. Sed organum consistit in quodam neruo, quem Medici tactiuum appellant, quique carne inuolutus dispersus est per totū corpus, vt ita ex quacumque parte animal sentiat, quid sibi nociuum, vel vtile occurrat. Ad cuius euidentiam sciendum est esse in nobis plures neruos, nec organum tactûs consistit in illis omnibus, sed in illo iam dicto, qui non est ita terrestris ac siccus, sicut sunt ossa, nec ita durus, sed habet temperamentum aliqualiter humidum, prædominante tamen sicco, éstque carni permixtus in multis locis, insuper ex participatione spirituum, & carne adiacente calesit, & humectatur, & ex hoc habet quòd perfectè sit dispositus ad sensum, quòd ex suo temperamento innato præcisè non haberet. Sensus tactûs siue potentia tactiua est extensa per totum illum neruum, vnde est in qualibet parte corporis, quam Aristoteles in hoc 2. libro, & D.Th. ibidem videntur dicere esse vnam genere, & duas species illius: quia vnus sensus in specie infima videtur esse vnius tantùm contrarietatis, sicut visus albi & nigri, gustus dulcis & amari, in tactu autem sunt duæ contrarietates, scilicet calidum & frigidum, humidum & siccum, & iuxta hunc modum dicendi multiplicantur genere sensus ex diuerso modo immutandi, specie verò ab obiecto, quod debet esse vnius tantùm contrarietatis: in hoc tamen est dubius Aristoteles, dicit enim: *Verùm quidnam sit obiectum tactûs, sicut vnum est auditui sonus, non esse manifestum videtur.* D. Thom. autem 1. p. q. 78. art. 3. ad 3. tenet vtramque partem probabilem, scilicet sensum tactûs vel esse vnum genere, vel vnum specie, sic enim ait: *Dicendum quod sicut Philosophus videtur dicere in 2. de anima. sensus tactus est vnus genere, sed diuiditur in multos sensus secundùm speciem, & propter hoc est diuersarum contrarietatum, qui tamen non separantur ab inuicem secundùm organum, sed per totum corpus se concomitantur, & ideo eorum distinctio non apparet.* Posset tamen dici quòd omnes illæ contrarietates, & singulæ conueniunt in vno genere communi, quod est obiectum tactûs secundùm rationem communem: sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi & frigidi est innominatum. Hoc vltimum videtur magis esse de mente D.Thom. quòd scilicet hæ contrarietates, cùm conueniant in vno genere, non multiplicant species sensûs: vnde est communior sententia, quòd sensus tactûs est vnus in specie infimâ, sicut alij sensus externi.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione Aristot. & D.Thom. supra adducta: ait enim D.Thom. hîc lect. 23. *Quare manifestum est, quòd caro non est organum sensûs, sed medium.* Item lect. 22. ait: *Vnde licèt ad tactum carnis, quæ est homini connaturalis, statim tangibile sentiatur, non tamen sequitur quòd caro sit organum tactus, sed est quoddam medium connaturale.* Ratio eorum est, quia sensibile supra sensum non modo non facit, sed etiam impedit sensationem: constat autem quòd tangibile positum supra carnem sentitur: ergo in carne non est sensus tactûs, siue caro non est organum tactûs: vnde quando dicitur, quòd caro participat gradum sensitiuum, non debet intelligi ipsa caro præcisè, sed secundùm quòd includit omnia, quæ ad eius integritatem pertinent, vt neruum.

Secundò, organum tactûs debet esse terreum ex Aristotele, & D. Th. sed caro non est terrea, at potiùs aërea, vt communiter docent Philosophi, cùm sit humida & calida: ergo caro non est proprium organum tactûs: quòd sic explicat, & illius affert rationem D.Th. lect. 5. de sensu & sensato, dicit ergo primò, quòd organum tactûs attribuitur terræ, & similiter organum gustus, qui est tactus quidam: quod quidem non est sic intelligendum, quasi organum tactûs, vel gustûs sit simpliciter terreum; capillis enim, & crinibus non sentimus, quæ sunt magis terrea: sed quia terra maximè miscetur in organo ipsorum sensuum: & de organo quidem tactûs ratio ista est, quia vt sit in poteotia ad contrarias qualitates tangibiles, debet esse mediocriter complexionatum: & ideo oportet, quòd sit ibi secundùm quantitatem plus de terra, quæ inter alia Elementa minùs habet de virtute actiua.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate Aristot. & D.Thom. locis citatis, tum sequenti experientiâ: experimur enim quòd illæ partes sunt in nobis magis sensitiuæ, quæ vel abundant neruis, vel in quibus nerui sunt magis teneri. Deinde iste neruus est intra carnem, vt patet etiam experientiâ, & est terrestris in ea mediocritate, quàm petit organum tactûs, vt fatentur communiter Medici: ergo est proprium organum tactûs. Nec contrariatur Arist. 2. de generatione animalium, dum dicit pilos, ossa, neruos non habere sensum ex eo quòd sint nimis terrestres: loquitur enim Aristot. de aliquibus aliis neruis, non de hoc tactiuo, qui mediocriter, & temperatè est terrestris. In hominibus autem maximè viget

tactus in pulpis digitorum ex D.Th.in 4.d.23.q.2.art.3. in aliis animalibus non est ita notũ in quo præcipuè vigeat.

Ad primum ergo dicendum, quòd Arist. & D.Thom. in illis locis non loquuntur de carne, vt condistincta à neruo, sed vt illum includit: & ita verum est quòd caro sentit eo modo, quo verum est linguam gustare, idest, ratione nerui in ea inclusi: vnde optimè D. Thom. affirmat carnem simul esse medium & organum tactûs diuersà ratione, idest, medium ratione sui, & organum ratione nerui in se inclusi. Ad aliud dicendum hoc signum non esse infallibile, vt benè argumentatur Arist. hîc textu 110. nam si extenderetur pellicula, aut tela subtilis supra carnem, statim ad tactum ipsius sentiretur tangibile; & tamen nemo dicit ibi esse organum tactûs: & ideo dicendum, quòd ille dolor sentitur à neruo proximiori, & sic plaga recepta in carne sentitur, sed per neruum: non autem si fiat plaga præcisè in osse, aut dentibus: ratio est quia caro est medium proportionatum ad deferendas has species intentionales, non verò ossa, aut dentes ob nimiam crassitudinem, terrestreitatem, & frigiditatem; vnde caro est quædam exploratrix constituta à natura ad præuidenda damna, quæ possent accidere animali: propterea est in omnibus partibus corporis circumdans omnia ossa, vel ipsis contigua.

Ad secundum dicendum, quòd in corde, pulmone, hepate, visceribus &c. est neruus quidam tenuis, quo sentiunt sicut & medium debitè dispositum: hic autem neruus, sicut & venæ quibus eis administratur alimentum, quo nutriuntur, & crescunt, difficilè percipiuntur propter maximam tenuitatem, & subtilitatem: constat autem in omnibus partibus corporis hic assignatis esse venas.

Ad tertium dicendum, quòd caro non habet tale temperamentum, quale sufficit vt sit organum tactûs, benè tamen, vt sit medium: neruus autem assig...atus pro organo illud habet: nec ita est terrestris, sed moderatè vt dictum est.



LIBER TERTIVS DE ANIMA.

Summa Textûs.



Arabes incipiunt hunc librum ab illo capite, in quo Aristoteles agit de intellectu, aliique plures sequuntur hanc partitionem, vt Albertus magnus, & Caietanus: Antiqui tamen interpretes, vt Boëtius, Argyropolus, Simplicius, Philoponus, Themistius, Theophilus, & tandem D. Thom. illum incipiunt ab eo capite, in quo Aristoteles disputat de numero sensuum externorum, & quòd immediatè sequitur caput, in quo agitur de communibus omni sensui externo, & hanc partitionem nunc communiter sequuntur Philosophi: cuius rationem affert D. Thom. in hoc 3. libro lect. 1. his verbis: Hic incipit Liber tertius apud Græcos, & satis rationabiliter, ex hinc enim Aristoteles ad inquirendum de intellectu accedit: fuerunt enim aliqui, qui posuerunt sensum, & intellectum esse idem: manifestum est autem, quòd intellectus non est aliquid de sensibus exterioribus, de quibus iam dictum est, ex eo quòd non coarctatur ad vnum genus sensibilium cognoscendum: vnde restat inquisitio, vtrùm in parte sensitiua sit aliqua alia potentia cognoscitiua, vt ex hoc possit accipi, vtrùm intellectus sit aliquo modo sensus. *Continet hic liber duodecim capita. In 1. agit de numero sensuum externorum & probat esse tantùm quinque. In 2. Agit de sensu communi. In 3. Distinguit intellectum ab illo sensu, sicut & à phantasia, & æstimatiua. In 4. Disputat de phantasia. In 5. De intellectu passibili, siue possibili. In 6. De intellectu agente. In 7. Distinguit duos actus intellectus possibilis, videlicet apprehensionem, & iudicium. In 8. Agit de intellectu practico, ipsúmque distinguit ab speculatiuo. In 9. Confert intellectum cum sensu, & cum phantasia, & ostendit animam per sensus, & intellectum esse quodammodo omnia, ipsúmque intellectum in omni sua operatione dependere à phantasmatibus. In 10. Proponit dubitationes de facultate motrice, siue de potentia loco-motiua, & motu progressiuo animalis. In 11. Ostendit qua sit causa incessûs, dicens esse appetitum & cognitionem, enumerat omnia concurrentia ad prædictum motum, ac distinguit duplicem appetitum, scilicet rationalem, & sensitiuum. In 12. Confert inter se animam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, earúmque potentias.*

QVÆSTIO XXXIX.

De sensibus Internis.

Postqvam de sensibus externis in libro secundo actum est, in hoc tertio de internis cum Aristotele nobis agendum est, vnde iuxta numerum ipsorum quæruntur quatuor.

§ Primò, Vtrùm detur sensus internus, qui vocatur sensus communis?

§ Secundò, Vtrùm detur alia potentia dicta phantasia, siue imaginatiua?

§ Tertiò, Vtrùm præter phantasiam admittenda sit æstimatiua, siue cogitatiua?

§ Quartò, Vtrùm in parte sensitiua sit quarta potentia dicta memoria, siue reminiscentia?

Articvlvs I.

Vtrùm detur sensus internus, qui vocatur sensus communis?

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd non detur sensus internus vocatus sensus communis. Ita tribuitur Galeno libro 4. de vsu partium cap. 6. Probatur. Omnia sensibilia externa percipiuntur perfectè à sensibus externis, vt constat experientiâ: ergo animal non indiget aliquo alio sensu ad illa percipienda, & consequenter nec ad discernendum inter ipsa, nec etiam ad percipiendas sensationes sensuum externorum.

§ 2. Præterea,

¶ 2. Præteteà, Seosibilia habent diuersom modum immotandi intentionaliter, vt dictum est: ergo non possint inmutare eumdem sensum: nam ex diuerso modo immutandi multiplicantur sensus essentialiter ex D. Th. hic enim diuersus modus supponit diuersam dispositionem in organis, & diuersa organa, quæ omnia non possunt reperiri in vno sensu, & consequenter non datur iste sensus communis, si enim daretur, ad hoc esset vt perciperet omnia sensibilia.

¶ 3. Præterea, Numerus sensuum desumitur ex numero operationum, quæ sunt necessariæ ad vitam animalis perfecti ex D.Thom. 1.p.q.78.art.4. sed ad finem istum noo tequiritur prædictus sensus, quia cùm noo perciperet, nisi quæ percipiuntur à sensibus externis, nullus motus circa obiecta necessaria ad vitam perfecti animalis, aut circa alia illi repugnantia ab illo potest oriri, qui noo possit oriri à sensibus externis: ergo non datur talis sensus, quia si daretur, esset superfluus, & non necessarius.

Seo contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur ferè omnes Philosophi.

Conclusio.

Cùm animal percipiat suam sensationem, & differentiam inter sensibilia, datur sensus internus, qui vocatur sensus communis.

Responoeo dicendum, quòd reueta datur sensus internus, qui vocatur sensus communis, realiter distinctus à quinque sensibus externis, cuius inter alia munus sit cognoscere omnia sensibilia externa, quæ à sensibus externis percipiuntur, ac proinde discernere inter illa, & percipere sensationes sensuum externorum: propterea dicitur sensus communis, non autem dicitur communis prædicatione, vt docet D.Thom. 1.p.q.78. art.4. ad 1. nec dicitur communis quasi ipse per se primò terminetur tantùm ad sensibilia communia, nam vt dictum est, hæc sensibilia non habent proprias species, sed tantùm modificant species sensibilis proprij, & ita percipiuntur à sensu tendente ad tale sensibile proprium.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis, & D. Th. Aristoteles in hoc libro cap. 2. ex professo multis probat dari sensum communem, & libro de somno & vigilia cap. 2. Idem probat multis rationibus D.Thom. hîc lect. 3. & 1.p.q.78. art.4. & q.57. art.2. vbi sic ait: *Sensus communis, qui est superior quàm sensus proprius, licèt sit vnica potentia omnia cognoscit, quæ quinque sensibus exterioribus cognoscuntur, & quædam alia, quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi, & dulcis.* Item q. de anima art. 13. ait: *Ad perfectam autem sensûs cognitionem, quæ sufficiat animali, quinque requiruntur. Primò, quòd sensus recipiat speciem à sensibilibus, & hoc pertinet ad sensum proprium. Secundò quòd de sensibilibus perceptis diiudicet, & ea ab inuicem discernat, quod oportet fieri per potentiam, ad quam omnia sensibilia perueniunt, quæ dicitur sensus communis.* Idem repetit in hoc libro cap. 1. lect. 3. & 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. vbi infert necessariò dandum esse sensum communem, quia sensus externi non possunt percipere suas sensationes, sic enim ait: *Cùm aliquis videt se videre, hoc non potest fieri per sensum proprium, qui non cognoscit, nisi formam sensibilis à qua immutatur, in qua immutatione perficitur visio.*

Secundò probatur ratione desumptâ ex hac authoritate D.Thom. Animalia præter directam notitiam, quam habent circa externa sensibilia, habent aliam quasi reflexam, per quam cognoscunt se per externos sensus sentire, id est, per visum videre, audire per auditum, &c. experimur enim bruta pertimescere qoædam loca, in quibus fueront percussa, & redire ad alia, vbi cibum inuenerunt, qood denotat ipsa recordari doloris perpessi, ac delectationis perceptæ: vnde priùs has seosationes externas perceperunt, non enim potest esse recordatio, nisi eorum, qoæ priùs sentiuntor: sed animalia non possunt habere hanc notitiam per aliquem sensum externum, cùm enim sensos externi sint potentiæ omnino passiuæ ab obiecto (sic enim nominantur) non possunt à se, vel à proprio organo, vel ab his quæ in eo sunt, sed ab obiecto tantummodo immotari, & ita cùm sensatio non sit extra proprium organum illius (est enim actio vitalis) sequitur quòd talis sensus non possit immutari à propria sensatione, ac proinde nec illam percipere. Deinde quia nulla potentia potest ferri extra latitudinem sui obiecti adæquati vt patet, inuoluitur enim in hoc manifesta contradictio, esset enim obiectum adæquatum vt supponitur, noo esset verò adæquatum, quia potentia vltra illud se extenderet: constat autem qoòd visio est extra latitudinem obiecti adæquati visûs, cùm non sit lux, nec color. Deniqoe si visus perciperet suam visionem, cognosceret seipsum, & extensionem talis visionis, sicut quia percipit colorem, percipit extensionem illius, & subiectum in quo est, quæ omnia falsa sunt: ergo necesse est admittere alium sensum realiter à sensibus externis distinctum, qoi has sensationes sensuum externorum percipiat. Hanc rationem proponit. S. Augostinus libro de libero arbitrio in principio his verbis: *Non enim bestia moueret se, aut aliquid appetendo, vel fugiendo, nisi se sentire cognosceret, quod non vtique aliquo eorum ex quinque sentit.* Nec contrariatur huic rationi Aristoteles hîc cap. 2. vbi dicit, qoòd si sensus externus non percipiat soam sensationem, dabitur processus in infinitum, quia eadem ratiooe illa potentia, quæ seotiet sensationem sensuum externorum, non sentiet suam, & sic requiretur alia, & alia in infinitum. Dicendum enim cum D. Thom. lect. 3. quòd hæc non dixit Philosophus resoluendo, sed disputando in vtramque partem. Nec similiter contrariatur D. Thom. q. 1. de veritate art. 9. dum ait: *Quod visus primò dirigitur in colorem, sed in actum visionis suæ non dirigitur, nisi per quamdam reductionem, dum videndo colorem, videt se videre.* Dicendum enim cum Thomistis, Caietano in vltimo dubio huius libri, Bannes 1.p. q.78. art. 4. dub. 3. & 4. Ferrar. hîc quæst. 1. & 2. contra gentes cap. 66. quòd in hoc, & similibus locis non sumit D.Thom. visum, aut alium sensum externum præcisè, sed vt coniunctum, & facientem vnum cum sensu communi, qui est radix omnium illorum, ad quem omnes tendunt: quando autem dicit, quòd sensus exterous non percipit seosationem propriam, accipit illum præcisè, alioquin sibi contradiceret D. Th. hancque intellectionem denotat hîc lect. 3. dicit enim quòd potentia illa, qua videmus nos videre, non est extranea à potentia visiua, sed differt ratione ab ipsa: dicitur enim non extranea, quia cooiungitur illi vt principium, & radix: dicitur verò ratione differens, non ratione ratiocinatâ, sed ratione essentiali, siue specie propter diuersitatem obiecti.

Tertiò probator ratione Aristotelis in hoc libro cap. 2. quam his verbis proponit: *Quoniam autem album, & dulce, & vnumquodque sensibilium ad vnumquodque comparando discernimus, & sentimus quod differunt: necesse igitur sensu, sensibilia enim sunt:* Quàm sic expendit D.Thom. 1.p.q.78. art.4. ad 2. *Sensus proprius iudicat de sensibili proprio discernendo ipsum ab aliis, quæ cadunt sub eodem, sicut discernendo album à nigro, vel à viridi: sed discernere album à dulci non potest neque visus, neque gustus, quia oportet, quòd qui inter aliqua discernit, vtrumque cognoscat: vnde oportet ad sensum communem pertinere discretionis iudicium, ad quem referuntur sicut ad communem terminum omnes apprehensiones sensuum.* Nec valet dicere quòd idem homo per suos sensus externos simul sumptos iudicat differentiam, quæ est inter sensibilia externa, & ita sensus communis est superfluus sicut idem homo per intellectum intelligit, per voluntatem verò appetit. Dicendum est eoim hoc esse expressè contra Aristotelem in hoc libro cap. 2. vbi hanc obiectionem sibi proponit, & soluit: ratio autem huius est, quia cùm talis discretio inter album, & dulce sit vnicus actus vitalis immanens, necessariò petit fieri ab vnica potentia vitali, quæ omnia seosibilia percipiat, & inter illa discernat: vnde non est paritas de intellectu, & voluntate, cùm ibi sint duo actus distincti & diuersi, scilicet cognitio boni, & appetitio illius, vnde non mirum si eliciantur à duabus potentiis. Hæc autem dis-

cretio fit à sensu communi per plures & diuersas species, quæ sunt quasi partiales, ac habent rationem vnius, quia per eas cognoscuntur obiecta habentia inter se ordinem conuenientiæ,& differentiæ: nec ista perfectio repugnat potentiæ sensitiuæ paulò eleuatiori sensibus externis. Hæc perceptio & discretio fit vnico actu. Nec tamen ex hoc sequitur quòd sensus communis componat, & ordinet species illa repræsentantes: hæ siquidem species ex natura sua vniuntur in sensu communi quantùm requiritur, vt concurrant cum illo ad prædictam operationem: cùm enim hæ species habeant à natura quòd sint complementum potentiarum, sic ab eadem natura sunt determinatæ, vt deseruiant illis potentiis, in quibus sunt iuxta exigentiam ipsarum. Nec etiam sequitur quòd comparet inter se sensibilia externa, aut formet propositiones, nam comparatio rigorosè sumpta inter duo extrema distincta mediâ reflexione petit, vt cognoscatur quid sit illud, in quo vnum ab altero differt: hoc autem excedit potentiam sensitiuam, & pertinet ad potentiam altiorem cognoscentem quod quid est rerum, & non solùm an est earumdem, vt in sensu communi contingit: & ita sensus communis non comparat illa ad inuicem, nec discernit in actu signato (ad quod requiritur dicta comparatio) sed discernit in actu exercito, per hoc præcisè quòd diuersis immutationibus ab illis immutatur, & diuerso modo ab eisdem afficitur: ad hanc autem discretionem non requiritur, quod formetur propositio vt patet: maximè quia ad hunc modum discernendi non requiritur iudicium aliquod distinctum ab apprehensione, aut illâ eminentius, cùm tamen ad formandas propositiones, in quibus est veritas & falsitas, requiratur iudicium. Nec denique sequitur sensum communem simul moueri motibus contrariis, nam licèt aliqua sensibilia sint contraria secundùm suum esse naturale, non tamen secundùm esse intentionale, quod est incompletum & diminutum, secundùm quòd possunt esse in eodem subiecto, licèt non possint esse simul secundùm esse naturale, vt docet D.Thom. de sensu & sensato lect. 5. & affert rationem, quia iste modus essendi propter suam imperfectionem appropinquat ad modum, quo aliquid est in aliquo in potentia, sunt autem in potentia simul opposita in eodem.

Ad primum ergo dicendum, quòd sensus externi solùm percipiunt sua obiecta, quilibet suum, nullus autem percipit suam sensationem, nec discernit inter sensibilia: vnde constituendus est sensus communis, qui hæc faciat, quique propterea est potentia nobilior sensibus externis, quia habet obiectum multò vniuersalius, quàm illi habeant.

Ad secundum dicendum, quòd diuersis sensibilibus externis conueniunt diuersi modi immutandi, etiam respectu sensûs communis: sed hæc diuersitas est materialis: vnde in organo sensûs communis non requirit multiplicitatem,& oppositionem dispositionum,quæ requiritur in singulis organis sensuum externorum: in illis enim hæc diuersitas immutandi est formalis,quia sicut sensibilia communia externa conueniunt in vna ratione communi innominata, sic conueniunt in vnico modo immutandi sensum communem:& ita in illo requirunt dispositiones necessarias ad hunc immutandi modum per se, & formaliter inspectum: hæc solutio fundatur in hoc quòd scilicet,quæ sunt dispersa in inferioribus,sunt vnita in superioribus, quia perfectione excedunt inferiora.

Ad tertium dicendum, quòd pertinet ad perfectionem animalis, vt discernat inter sensibilia externa, & cognoscat sensationes externas, quæ duo fiunt per solum sensum communem: sensatio autem sensûs externi per hoc immutat sensum communem, quia modificat speciem sensibilis proprij ad illum transmissam, & per hoc percipitur à sensu communi. Est autem mutua dependentia inter sensus externos, & sensum communem: hic enim non potest immutari intentionaliter, nec sentire, nisi mediis sensibus externis: hi verò non possunt sentire non sentiente sensu communi, vt patet in dormiente, & rapto in extasim, quia spiritus animales ad sensationes necessarij à cerebro descendentes non distribuuntur sensibus externis, nisi per sensum communem, nec à cerebro immittuntur, nisi dum sentit sensus communis. Hæc optimè explicat D. Thom. opusc. 43. cap. 4. sic enim ait: *Est ergo sensus communis, à quo omnes sensus proprij deriuantur, & ad quem omnis impressio eorum renunciatur, & in quo omnes coniunguntur, eius enim organum est prima concauitas cerebri, à quo nerui sensuum particularium oriuntur: & hinc est quòd quantùm ad distinctionem spiritus animalis, sensus proprij deriuantur à communi: quantum verò ad apprehensionem, & renuntiationem sensus communis, fit in actu per proprios, quia nihil apprehenderet, nisi per hoc quòd sensus proprij redeunt ad ipsum cum suis lucris.*

Articvlvs II.

Vtrùm detur alia potentia dicta phantasia, siue imaginatiua?

AD secvndvm sic proceditur. Videtur quòd phantasia, siue imaginatiua non sit alia potentia, sua distincta à sensu communi. Ita tenent Galenus libro de differentiis symptomatum cap.3. Suares 2. tomo Theologiæ tract.3. libro. 3. capite 30. Ruuius libro tertio de anima cap. 3. quæst. 1. quibus fauere videntur S. Damascenus lib.2. fidei cap. 17. Nisenus lib. 4. de viribus animæ cap.6.& 7. Probatur authoritate Arist.libro de insomniis cap.1. & D.Thom. plurimis in locis, & maximè 1.p.q.84. art.8.ad 2.qui tribuunt illa munera sensui communi,quæ solent attribui phantasiæ:illa autem munera sunt habere, & conseruare species prius acceptas, & mediis illis cognoscere: D.Thom. autem sic ait: *Si autem motus vaporum fuerit modicus, etiam ipse sensus communis ex parte soluitur: ita quòd homo iudicat interdum in dormiendo ea, quæ videt, somnia esse; quasi diiudicans inter res, & rerum similitudines: imò Aristoteles in hoc libro cap. 3. definit phantasiam per hoc, quod eius actus est motus factus à sensu secundùm actum:* Constat autem hoc conuenire sensui communi: ergo phantasia, siue imaginatiua non est alia potentia, siue distincta à sensu communi.

§ 2. Præterea, In cerebro, in quo resident sensus interni,sunt tantùm tres cellulæ,vt constat ex Anatomistis: ergo & tres tantùm sunt sensus interni, cuilibet enim cellulæ vnicus attribuitur sensus, sensus enim distincti petunt organa distincta: constat autem quòd in duabus posterioribus sunt æstimatiua, & memoria: ac proinde in prima anteriori est tertia potentia, quæ dicitur sensus communis & phantasia.

§ 3. Præterea, Sensus communis, & phantasia habent idem obiectum,& easdem species: percipiunt enim eadem sensibilia externa per species ab illis immissas:ergo non sunt duæ potentiæ essentialiter distinctæ,cùm distinctio essentialis specifica sit ab obiecto, & duæ potentiæ diuersæ speciei non possunt habere species eiusdem rationis, vt patet inductione in omnibus.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc libro capite 3.& D.Thom. quos sequuntur Commentator, Caietanus, Flandria, Ferrar. nostri Complutenses in præsenti, & communiter Thomistæ,ac plures alij, vt Conimbricenses, Toletus &c.

Conclvsio.

Cùm phantasia habeat actum diuersum ab actu sensûs communis, est potentia distincta à sensu communi.

Respondeo dicendum quòd, sensus communis, & phantasia sunt duæ potentiæ realiter distinctæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd ad hoc vt sensibile externum mediante sensu proprio, & sensu communi immutet phantasiam quantùm sufficit ad hoc, vt bene retineat, oportet per se loquendo, vt prætereat aliquod tempus propter repugnantiam passi: hæc autem repugnantia, aut resistentia oritur ex propria dispositione organi, ratione cuius difficulter patitur, saltem ad hoc vt

bene retineat, quæ resistentia, & difficultas potest vinci solâ continuatione actionis sine expulsione alicuius qualitatis contrariæ, aut inductione dispositionis positiuæ in ordine ad talem immutationem: vnde experimur quòd ad hoc, vt species bene retineantur in phantasia, non satis est saltem per se loquendo semel apprehendisse obiectum, sed oportet vt sæpiùs repetatur hæc apprehensio, & ex hac continuatione vincitur difficultas, quæ est in receptione saltem bene retentiua. Nec his obstat, quòd aliqua corpora sint per accidens simul facilè receptiua, & benè retentiua, imò & aliqui homines sint facilè receptiui, & optimè retentiui, vt dicitur de D.Thom. quia iudicium debet peti ex his quæ sunt per se, & non ex his quæ sunt per accidens: accidit autem quòd aliquis sit simul facilè receptiuus, & bene retentiuus, quando humor organi est quasi glutinosus, & ex aliis circumstantiis: licèt enim ad facilè recipiendum requiratur humiditas excellens, & econtra siccitas ad bene retinendum, tamen quando humor est glutinosus, ex qua parte est valde humidus, facilè recipit, ex qua parte autem est glutinosus, bene retinet, glutinositas enim æquiualet, imò præponderat siccitati.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. in præsenti lect. 5. vbi exponit mentem Philosophi. Item 1. p. q. 78. art. 4. vbi sic ait: *Et sic non est necesse ponere, nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem, imaginationem, &c.* Item q. de anima art. 13. vbi postquam numerauit sensum proprium, & sensum communem propter duo genera operationum, statim subdit: *Tertium est quòd species sensibilium receptæ conseruentur, indiget autem animal apprehensione sensibilium, non solùm ad eorum præsentiam, sed etiam postquam abierint, & hoc necessarium est reduci in aliquam potentiam: nam & in rebus corporalibus aliud principium est recipiendi, & aliud conseruandi: nam quæ sunt bene receptibilia, sunt interdum male conseruatiua: huiusmodi autem potentia dicitur imaginatio, siue phantasia:* Ergo phantasia est potentia distincta à sensu communi.

Secundò, actus sensus communis est distinctus ab actu phantasiæ: nam actus sensûs communis in hoc præcisè consistit, vt percipiat sensibilia externa, & discernat inter illa, prout sunt præsentia: si enim sensus communis non perciperet sensibilia externa vt sunt præsentia, & discerneret inter illa, animal non posset exercere plures actiones vitales necessarias ad sui conseruationem vt patet: actus verò phantasiæ apprehendit sensibilia percepta à sensibus externis, quatenus absentia, vel saltem vt abstrahunt ab absentia & præsentia, & ita obiectum illius est prædictum sensibile externum, prout absens, vel saltem vt abstrahit à præsentia & absentia, vt clarè docet D. Thom. 1. part. loco citato, & affert sic rationem: *Est autem considerandum, quòd ad vitam animalis perfecti requiritur, quòd non solùm apprehendat rem apud præsentiam sensibilis, sed etiam apud eius absentiam: alioquin cùm animalis motus, & actio sequantur apprehensionem, non moueretur animal ad inquirendum aliquid absens, cuius contrarium apparet, maximè in animalibus perfectis, quæ mouentur motu processiuo, mouentur enim ad aliquid absens apprehensum:* Ac proinde isti duo actus, siue cognitiones sunt diuersæ rationis: & similiter obiecta sunt formaliter, & in ratione obiecti diuersa: nam sensibile vt præsens distinguitur à se ipso formaliter, & in ratione obiecti prout est absens, vel prout abstrahit à præsenti, & absenti: quia sensibile vt absens habet rationem obiecti magis abstracti & immaterialis, cùm præscindat ab existentia, & similiter sensibile vt abstrahens ab absenti, & præsenti: ergo sensus communis, & phantasia sunt potentiæ specie distinctæ: nam potentiæ proximæ specificantur per suos actus adæquatos, & remotè per sua obiecta: & ita potentiæ, quæ habent actus adæquatos specie distinctos, & obiecta formaliter, & in ratione obiecti diuersa, etiam ipsæ specie distinguuntur.

Tertiò, hoc ipso quòd sensus communis ex se habet, vt percipiat externa sensibilia vt præsentia, ac proinde omnino sufficienter immutetur vnà cum sensibus externis ad sentiendum, non potest talis cognitio & sensatio eius non exigere potentiam facilè immutabilem ab iisdem sensibilibus, & facilè apprehensiuam ipsorum, & consequenter optimè receptiuam: similiter hoc ipso quòd phantasia terminatur ad eadem sensibilia prout absentia vel vt abstrahunt ab absentia & præsentia, non potest prædicta cognitio non exigere potentiam retentiuam specierum, vt ita possit tunc mediis illis, & dum non adest obiectum quod illas immittat, sentire: ergo sunt potentiæ distinctæ, quia exigunt organa distincta, & diuersimodè disposita: nam ad facilè recipiendum requiritur prædominium humiditatis, ad bene retinendum verò prædominium siccitatis vt patet. Deinde quia hoc est proprium potentiæ materialis & corporeæ, vt propter suam limitationem non possit vti speciebus adeo inæqualis abstractionis, vt earum aliquæ abstrahant à præsentia, aliæ verò non: quia vti eis indicat magnam perfectionem, & vniuersalitatem in potentia, quod superat imperfectionem potentiæ sensitiuæ, ac proinde cognitiones sensitiuæ exigentes has species inæqualis abstractionis debent esse actus adæquati, exigentes proprias potentias, & consequenter realiter diuersas: quod explicatur à contrario: nam ex eo quòd intellectus est potentia spiritualis, & non organica, propterea idemmet absque sui distinctione in diuersas potentias, potest facile recipere & bene retinere: nam eo ipso, quòd non est potentia organica, non petit diuersas dispositiones in organo ad facilè recipiendum, & bene retinendum: ergo econtra cùm sensus communis, & phantasia sint potentiæ affixæ organo corporeo, & vna eorum sit facilè receptiua, scilicet sensus communis, alia verò bene retentiua scilicet phantasia, necessariò sunt realiter distinctæ. Ex dictis constat esse duplicem opinionem circa phantasiam, quidam enim dicunt quòd cognoscit tantùm absentia, alij verò quòd cognoscit omnia sensibilia, vt abstrahunt ab absentia & præsentia: sensus verò communis tantùm cognoscit, vt præsentia, nec tamen sequitur ipsum esse frustra: Primò quia est bene receptiuus, quod non habet phantasia. Secundò, quia hoc est commune potentiis subordinatis, vt cognoscat superior quicquid cognoscit inferior, & aliquid ampliùs: natura autem inter alias rationes instituit hanc subordinationem, vt ad nobiliorem operationem, & potentiam ipsius deueniatur per quosdam gradus, quorum alij sint aliis eminentiores, ac proinde suo modo præhabentes perfectionem inferiorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd sensus communis ex coniunctione, quam habet ad phantasiam, & eius organum aliquando per accidens, non verò ex vi propriæ lineæ præcisè sumptæ, nec in ordine ad operationem perfectam ipsius, habet sentire per species non acceptas tunc ab obiectis, vt sunt præsentia, ac proinde per cognitionem abstractiuam & imperfectam, quæ tamen omnia per se conueniunt phantasiæ animalium perfectorum, quæ sola est perfecta, & abstractiua cognoscens per species retentas ex Aristotele hîc texto 156. & D.Thom. lect. 5. vnde non est mirum quòd attribuant munera phantasiæ ipsi sensui communi, sed tamen ex his, quæ sunt per accidens, non est ferendum iudicium. Ad aliud dicendum cum D.Th. opusc. 43. cap. 4. quòd Aristoteles per sensum in actu, intelligit tum proprium, tum communem, imò ex hoc loco concludit D. Thom. hîc lect. 6. quòd sensus communis & phantasia sunt duæ potentiæ, quia nihil dicitur mouere seipsum.

Ad secundum dicendum, cum pluribus Anatomistis, quòd in cerebro sunt quatuor ventriculi, nam primus est diuisus in duas cellulas, siue in duos minores ventriculos: vnde sensus communis est in prima parte huius ventriculi, seu cellulæ, quæ est supra frontem, in qua maior humiditas, & mollities reperitur, apta officio huius sensûs: phantasia autem residet in secunda parte eiusdem ventriculi versùs medietatem capitis, in qua est minor humiditas & mollities, ac maior

siccitas

siccitas & durities apta ad retentionem specierum, vt docet D.Thom. opusc. 43. cap. 4. vbi loquens de sensu communi sic ait: *Eius organum est prima concauitas cerebri, à quo nerui sensuum particularium oriuntur*: Loquens verò de phantasia sic ait: *Huius organum est post organum sensus communis in parte cerebri, quæ sic non abundat humido, sicut prima pars cerebri, in qua situm est organum sensus communis, & ideo melius potest retinere formas sensibiles re absente.*

Ad tertium dicendum, quòd sensus communis & phantasia habent diuersa formaliter obiecta, siue in esse obiecti, quia sub diuersa formaliter ratione respiciunt sensibilia externa: hic enim respicit vt formaliter præsentia, hæc verò vt abstrahunt à præsentia & absentia: & ita etiam diuersimodè immutantur, hic enim solum, mediantibus, sensibus externis, hæc verò etiam mediante sensu communi. Quantùm verò ad species dicendum sensum communem & phantasiam cognoscere per species diuersæ rationis, licèt enim ambæ repræsentent idem obiectum materiale, habent tamen diuersum obiectum formale, quatenus species phantasiæ illud repræsentant minùs materialiter, & sub ratione eleuatiori, quamuis enim tam species sensus communis, quàm phantasiæ immittantur ab eisdem obiectis sensibilibus externis, vt sunt idem in esse rei & materialiter, tamen vt sunt diuersa formaliter, & in esse motiui, siue prout secundùm peculiarem rationem obiectiuam excedunt seipsa considerata secundùm aliam rationem obiectiuam formaliter sumptam, & minus perfectam, debent immittere species magis immateriales: & sic species minùs immateriales sensùs communis in virtute obiecti sub illa ratione eleuatiori considerati producunt alias in phantasia magis immateriales, & hoc iuxta maiorem perfectionem potentiæ, vt ita sit commensuratio inter ipsam, & species in ea receptas: & hoc prouenit quia species imperfectiores tantùm concurrunt per modum instrumenti ad productionem specierum perfectiorum, obiecta verò per modum causæ principalis, ex eo quòd in ratione obiecti sunt sensibilia in actu, & habent tantam immaterialitatem, quantam potentiæ in ratione potentiarum ex D. Thom. quia hæc ratio immutandi potentias non conuenit illis, quatenus materialia sunt præcisè, sed inquantum participant aliquid superioris naturæ, siue substantiarum separatarum, vt dictum est in libris de generatione & corruptione ex D.Thom. quæst. 5. de potentia art. 8.

Articvlvs III.

Vtrùm præter phantasiam admittenda sit æstimatiua siue cogitatiua?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd præter phantasiam non sit admittenda æstimatiua, siue cogitatiua quasi potentia distincta. Ita tenent Ruuius in præsenti, & alij. Probatur. Aristoteles cùm egerit de sensu communi, phantasia, & memoria nullam fecit mentionem de æstimatiua: imò in hoc libro textu 56. asserit appetitum sensitiuum immediatè moueri ab imaginatione, ac proinde immediatè imaginatio ei proponit obiectum: ergo inter appetitum & imaginationem nulla alia mediat potentia, & consequenter non datur æstimatiua quasi potentia distincta, quia vt eius assertores fatentur, deberet mediare, si daretur.

¶ 2. Præterea, Si quid vrgeret ad ponendam æstimatiuam quasi potentiam distinctam à phantasia, esset vt cognosceret aliquas rationes non sensatas à sensibus externis, putà amicitiæ, inimicitiæ, paternitatis, filiationis, conuenientiæ, disconuenientiæ, & similes: sed nullus sensus internus potest has rationes percipere, tum quia nihil percipiunt sensus interni, nisi à sensibus externis proponatur, tum etiam quia istæ rationes sunt valde immateriales, ac proinde non possunt percipi à potentiis sensitiuis, quæ sunt valde materiales; tum denique quia non potest cognosci aliquid esse conueniens, aut disconueniens, nisi per comparationem ad illud, respectu cuius est conueniens, aut disconueniens: hæc autem comparatio non potest fieri ab aliquo sensu ex D.Thom. opusc. 43. & 1. part. quæst. 78. art. 4. ergo non est admittenda æstimatiua, siue cogitatiua, quasi potentia distincta à phantasia.

¶ 3. Præterea, Si admittenda sit æstimatiua ad percipiendas rationes non sensatas, debet assignari per quas species illas percipias: sed non est possibile, siquidem tales species non possunt produci ab obiecto, alioquin producerentur in omnibus percipientibus talia obiecta, cuius contrarium experimur: nam sola ouis, vel agnus percipiunt lupum esse inimicum, & sic de aliis nec possunt produci ab speciebus immissis ab obiectis, quia tales species non agunt nisi in virtute obiectorum, à quibus cùm non possint produci, nec ab ipsis speciebus immissis ab obiectis poterunt produci. Nec etiam possunt produci ab ipsa potentia sensitiua, quæ per eas esset cognitura, tum quia non datur sensus agens, sicut intellectus agens, omnes enim sensus sunt potentiæ passiuæ; tum quia si intellectus, qui est nobilior, non producit species per quas intelligit, sed indiget operatione alterius, multò magis sensus ignobilior: ergo non est admittenda æstimatiua, siue cogitatiua quasi potentia distincta à phantasia.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. quem sequuntur omnes Philosophi, tam antiqui, quàm moderni paucis exceptis.

Conclvsio.

Cùm percipere rationes non sensatas, quas percipiant animalia, superet virtutem phantasiæ, præter phantasiam est admittenda æstimatiua, siue cogitatiua quasi potentia distincta.

Respondeo dicendum, quòd datur sensus quidam internus, qui dicitur æstimatiua, per quam plures, & diuersæ rationes non sensatæ cognoscuntur. 2. qui sensus in hominibus dicitur cogitatiua propter suam nobilitatem: participat enim ab intellectu aliquem discursum, licèt imperfectum, & propterea etiam dicitur ratio particularis. 3. æstimatiua, siue cogitatiua est potentia realiter distincta à phantasia. 4. eiúsque organum est in medietate capitis. Ad cuius euidentiam sciendum est rem, quæ obijcitur sensibus externis, posse dupliciter cognosci: primò quidem quoad rationem illam, quæ per sensus externos percipitur, ita vt hæc sit præcipua ratio (quæ) percepta, & non solùm modus illius, quæ quidem ratio propter hanc causam dicitur sensata. Secundò potest cognosci quoad rationem aliquam conuenientiæ & disconuenientiæ, amicitiæ & inimicitiæ, & similium: quæ ratio dicitur non sensata, quia à nullo sensu fuit ante cognita.

Probatur prima pars conclusionis authoritate simul ac ratione D.Thom. quæst. de anima art. 13. item opusc. 44. cap. 4. item 1. p. quæst. 78. art. 4. vbi sic ait: *Considerandum est quòd si animal moueretur solùm propter delectabile, & contristabile secundùm sensum, non esset necessarium ponere in animali, nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus, in quibus delectatur, aut horret: sed necessarium est animali, vt quærat aliqua, vel fugiat, non solùm quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates & vtilitates, siue nocumenta, sicut ouis videns lupum venientem, fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicam naturæ: & similiter auis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum: necessarium est ergo in animali quòd percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior, & huiusmodi perceptionis oportet esse aliquod aliud principium.* Et post pauca subdit: *Ad apprehendendum autem intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur vis æstimatiua:* Quæ ratio D. Thom. sic expenditur, sicut natura non facit opera superflua, sic non deficit in necessariis ex communi axiomate: sed

naturą

mnni aainmate: sed natura deficeret in necessariis nisi tribuisset hunc sensum æstimatiuæ animalibus, quia si ouis non cognosceret lupum vt intmienm, non fugeret, & deuotatetur ab illo: & similiter si auia non cognosceret conuenientiam palearum ad indificandum, oon posset oidum sunm consttuere, nec pullus debitè procreare: ergo datur in animalibus sensus quidam, qui dicitur æstimatiua, per quam plutes & diuersæ rationes non sensatæ cognoscuntur. Nec valet dicere quòd animalia, licèt nnn cognnscant bas tationes non sensatas, tamen mouentur ab authore naturæ visis obiectis, in quibus sunt tales tationes. Nam contta, quia animalia quatenus viuunt vitâ sensitiuâ, & vitali modo, sunt ptincipia illntum motuum, quibus fugiunt, aut prosequuntur prædicta obiecta qnoad rationes non sensatas, mouentur enim per pntentiam loco-motiuam siue progressiuam, quæ est potentia vitalis orta à natura sensitiua perfecta: ergn mnuentur ad illa fugienda, vel prosequenda mediâ cognitione earumdem: nam proptium est, motûs vitalis, & procedentis à natura sensitiua perfecta vitali, quòd fiat mediâ cognitione sensitiuâ, vt ita prædictus motus distingnantur à motibus, quibus mouentur res inanimatæ, in hnc qund fit à principio intrinseco vt à causa principali: & à motibus vitalibus aliorum viuentium sulâ vitâ vegetatiuâ, in hnc quod fit medio principin intrinsecn tali, vt vel sit cognitio sensitiua vel necessariò inuoluat cognitionem sensitiuam eorum obiectorum, siue tatinuum formalium, quæ formaliter prædictum motum terminant. Deinde caperimur quòd pro diuersitate obiectorum babentium conuenientiam vel disconuenientiam eum animali, sulent in eorum appetitibus eacitari diuersi affectus timoris, odij, lætitiæ, tristitiæ, & similium: ergn signum est in illis esse diuersam apprehensinoem illnrum obiectorum in ratinne conuenientium vel disennuenientium, nam appetitus nnn potest habere hoa actus, nisi mediâ cognitione attingente illas rationes non sensatas. Denique pertinet ad suauem Dei prouidentiam, vt singulis conecdat modum operandi enngruentem suæ naturæ: sed naturæ sensatiuæ & cognnscitiuæ congruit, vt moueatur à se mediâ cognitione in ntdine ad ratinnes nnn sensatas, quæ ad propriam, vel suæ speciei conseruationem nacessariæ, vel vtiles sunt, in hnc enim differt, vt dictum est, à natura inanimata, aut solùm vegetatiuè: ergo cuncessit illi Deus hunc modum nperandi, & potentiam sensitiuam ei ptnpottionatam, quæ dicitur æstimatiua.

Pinbatur, & explicatur seconda pats cnnclusionis. Quamuis hi sensus interni in omnibus animalibus, saltem perfectis, sint eiusdem p rfectionis essentialis & specificæ, quatenus consequuntur ad naturam sensitinam præcisè, quæ secundùm se est einsdem perfectinnis essentialia in omnibus: nec habet differentiam essentialem, nisi ratinne differentiarum specificarum, à quibus abstrahunt hi sensus, siue pntentiæ sensitiuæ: tamen ex coniunctinne ad potentiam engnnscitiuam superintis ordinis scilicet intellectum, participat æstimatiua quamdam perfectionem accidentalem, quam nnn habet in aliis animalibus, quòd scilicet possit habere aliquem discursum imperfectum: & sic æstimatiua, qne est suprema inter potentias sensitiuas, attingit infimum actum potentiæ intellectinæ, scilicet ratiocinari, qui propterea in solo reperitur intellectu humano imperfectissimn omnium intellectuum: vnde dicitur cogitatiua, quia in discursu est attenta cogitatio: & similiter dicitur ratio particularis, ratio quidem, quia discurrit; particularis verò, quia solùm discurrit de particnlaribus: in hoc enim differt intellectus à sensu quòd intellectus est vniuersalium, sensus verò particularium, vt communiter docent. Philosophi cum Arist. sed de hoc iterum in responsione ad secundum.

Probatur tertia pars conclusinnis authoritate D. Th. 1. p. q. 78. art. 4. vbi sic ait: *Non est necesse ponere, nisi quatuor vires interiores sensitiua partis, scilicet sensum communem, & imaginationem siue phantasiam, æstimatiuam, & memoratiuam.* Idem docet q. de anima art. 13. & opusc. 43. cap. 4.

Secundò, ad perfectinnem animalis requiritur, vt attingat aliquas rationes nnn sensatas, vt dictum est: sed hæc cognitio oon potest teduci ad phantasiam, cuius obiectum est sensibile eaternum, vt abstrahit à præsentia & absentia, vel vt absens, ita vt sit quid manifestè apprehensum à sensibus eaternis, non autem istæ rationes non sensatæ: ergo æstimatiua, siue cogitatiua est potentia realiter distincta à phantasia: æstimatiua autem non solùm cognnscit tationes non sensatas, sed etiam cognoscit tationes sensatas, quas cognoscit phantasia: imò priùs cognoscit ratinnes sensatas, & mediis istis engnoscit non sensatas, hoc enim est commune omnibus potentiis subordinatis saltem eiusdem generis, vt superior attingat quidquid attingit inferior, & aliquid ampliùs; & onn èenntra: vnde etiam phantasia cognoscit quidquid engnoscit sensus communis, & aliquid ampliùs, vt dictum est. Confirmatur. Magis differunt tationes non sensatæ à sensatis, quàm rationes sensatæ vt præsentes ab illis quæ abstrahunt à præsentia & absentia, nam tationes nnn sensatæ sunt valde immateriales, adeo vt nnn possint attingi à sensibus externis, à qnibus tamen attingnntur omnes rationes sensatæ: sed hæc minor differentia inter ratinnes sensatas sufficit ad distingnendas duas potentias, scilicet phantasiam, & sensum communem: ergo illa mainr differentia inter tationes sensataa & non sensatas pntiori iure distinguet æstimatiuam à phantasia: radix autem distinctinnis inter potentias, sensitiuas consistit in earum limitatione, vnde ad illas multiplieandas sufficit aliqua diuersitas formalis obiecti, non in esse tei, sed in esse obiecti, quæ diuersitas sufficienter hîc reperitur, & hanc reperernnt antiqui: limitatio autem prouenit ex earum imperfectione, quia sunt in vltimo gradu potentiæ cognoscitiuæ, natura enim sensitiua est infima inter cognoscitiuas, quæ autem sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus: propterea intellectus vnus eaistens fertur in rationes sensatas & nnn sensatas, & secundùm omnem differentiam temporis.

Probatur quarta pars conelusionis authoritate D. Th. opusc. 43. cap. 4. vbi sic ait loqnens de æstimatiua, *Organum autem huius potentia ponitur in brutis in posteriori parte media partis cerebri, in hominibus autem eius organum ponitur, media cellula cerebri, qua syllogistica appellatur.* Idem docent Auicenna libro 6. naturalium, & Auerroës in libro de sensu & sensato: dicunt enim quòd æstimatiua io homine, quæ cogitatiua dicitur, situatur in media parte cerebri, consequenter post phantasiam, vbi est cellula quædam, quæ supereminet toti capiti, æstimatiua verò in brutis est in posteriori parte mediæ partis cerebri: ita quòd declinat à summitate capitis ad partem posteriorem. Organum autem æstimatiuæ sic est attemperatum, vt babeat aliquid magis de humiditate, quàm de siccitate, licèt diuersimodè, & eacellentiori modo sit commixta eum siccitate, quàm in organo sensûs communis, quia inquantum est facilè receptiua, & non benè retentiua, petit humiditatem, inquantum verò eacellentinri modn habet facilè recipere, petit prædictam humiditatem nobiliori modo commiatam eum siccitate.

An primum ergo dicendum, quòd licèt Aristoteles ex professo non egerit de æstimatiua, illam tamen non negat, imò multa dixit in libris de natura & historia animalium, ea quibus D. Thom. deduxit dandam esse dictam potentiam. Ad aliud dicendum, quòd ad hoc vt phantasia moueat appetitum sensitiuum, nnn est necesse vt apprehendat aliquas ratinnes non sensatas ea eaplicatis, sed sufficit quòd apprehendat rem sensatam delectabilem, aut molestam, ex hoc enim excitantur varij affectus in appetitu, & variæ immutationes, ac alteratinnes in corpore, vnde dicitur quòd secundùm apprehensionem phantasiæ multa agimus, & patimur.

Ad secundum dicendum, quòd istæ rationes non sensatæ aliquo modo, sed eleuatiori repræsentantur in specie

ſenſibilis externi, vnde non percipiuntur, niſi ab hac potentia nobiliori & eleuatiori, quàm ſit phantaſia, & ſenſus communis; ac proinde iſtæ rationes ſunt in ſpecie ſenſibilis externi quaſi in ſemine, & ad earum cognitionem multùm conducit determinata quædam modificatio, quæ reperitur in æſtimatiua, prout eſt potentia determinatæ naturæ ſenſitiuæ, vt canis, ouis, auis, &c. ita docet D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 4. vbi ſic ait: *Dicendum quòd licèt intellectus operatio oriatur à ſenſu, tamen in re apprehenſa per ſenſum intellectus multa cognoſcit, quæ ſenſus percipere non poteſt, & ſimiliter æſtimatiua, licèt inferiori modo.* Quamuis autem iſtæ rationes non ſenſatæ ſint valde immateriales, non tamen omnino, & ideo non abſtrahunt à materia ſingulari, nec petunt potentiam omnino ſpiritualem, ſed aliam inter ſenſitiuas valde nobilem, & immaterialem magis quàm aliæ, quæ ſolùm attingunt rationes ſenſatas: vnde æſtimatiua non percipit in communi rationes non ſenſatas, ſed in particulari, vt fundantur in aliqua natura ſenſibili & materiali, qui modus agendi ſolùm indicat potentiam ſenſitiuam corpoream. Cognitio autem harum rationum non ſenſatarum eſt in brutis ſine diſcurſu, & per ſimplicem apprehenſionem, vnde non eſt ibi propriè comparatio, quæ debet eſſe inter extrema perfectè cognita, referendo vnum ad aliud, quod non poteſt eſſe ſine diſcurſu: in homine autem eſt imperfectè diſcurſiua, & comparatiua vt docet D. Thom. art. 4. citato: ſic enim ait: *Quantùm ad formas ſenſibiles non eſt differentia inter hominem, & alia animalia, ſimiliter enim immutantur à ſenſibilibus exterioribus, ſed quantùm ad intentiones prædictas differentia eſt, nam alia animalia percipiunt huiuſmodi intentiones ſolùm naturali quodam inſtinctu, homo autem per quamdam collationem: & ideò quæ in aliis animalibus dicitur æſtimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua, quæ per collationem quamdam huiuſmodi intentiones adinuenit: vnde etiam dicitur ratio particularis, cui Medici aſſignant determinatum organum, ſcilicet mediam partem capitis: eſt enim collatiua intentionum indiuidualium, ſicut ratio intellectiua intentionum vniuerſalium.* Quod etiam in ſolutione ad 5. magis explicat, & affert rationem his verbis: *Dicendum quòd illam eminentiam habet cogitatiua, & memoratiua in homine, non per id quod eſt proprium ſenſitiuæ partis, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuerſalem, ſecundùm quamdam refluentiam, & ideò non ſunt aliæ vires, ſed eædem perfectiores, quàm ſint in aliis animalibus.*

Ad tertium dicendum, quòd rationes illæ non ſenſatæ ſunt quaſi in ſemine in ſpeciebus immiſſis ab obiectis, & ſic æſtimatiua reducitur de potentia in actum per obiectum externum, emittens ſpeciem ſic modificatam, vt potens ſit immutare æſtimatiuam ſolam vt dictum eſt, vt pote perfectiorem: cognoſcendo autem format quoddam idolum perfectè repræſentans has rationes non ſenſatas: ſunt autem meatus, quibus ſpecies tranſeunt à phantaſia ad æſtimatiuam.

Articvlvs IV.

Vtrùm in parte ſenſitiua ſit quarta potentia dicta memoria, ſiue reminiſcentia?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quod in parte ſenſitiua memoria non diſtinguatur realiter ab æſtimatiua. Ita tenent Conimbricenſes, Ruuius, Suares, & alij. Probatur. ſi quæ eſſet ratio diſtinguendi memoriam ab æſtimatiua, eſſet maximè quià æſtimatiua percipit tantùm rationes non ſenſatas vt præſentes, memoria verò fertur in illas vt abſentes: ſed hæc ratio non ſufficit, quia abſentia & præſentia ſe habent per accidens ad tales rationes, iudicium autem non debet ſumi ab his, quæ ſunt per accidens: ergo memoria non diſtinguitur realiter ab æſtimatiua.

§ 2. Præterea, Æſtimatiua eſt nobilior, quàm phantaſia, ac proinde poteſt quidquid illa: ſed phantaſia eſt retentiua ſpecierum, & fertur in rationes ſenſatas abſentes: ergo multò magis æſtimatiua circa rationes non ſenſatas, & ſic facit quidquid attribuitur memoriæ, vnde non diſtinguitur ab illa.

§ 3. Præterea, Si quælibet noua ratio, aut circumſtantia ex parte obiecti ſenſibilis ſufficit ad multiplicandas potentias ſenſitiuas, ſequitur quòd erunt multò plures, quàm quatuor enumeratæ, nam addenda erit alia, ſcilicet imaginatiua diſtincta realiter à prædictis, cuius officium ſit componere, quod ſæpè accidit in ſomnis, nam ex ſpeciebus montis, & auri componit montem aureum: ſed nullus excepto Auicennâ admittit hunc quintum ſenſum, aut alios: ergo nec debet admitti memoria realiter diſtincta ab æſtimatiua.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm percipere rationes non ſenſatas vt abſentes, & præteritas, non ſit æſtimatiuæ, aut alterius potentiæ ſenſitiuæ ex aſſignatis, ideo ponitur memoria realiter ab ipſis diſtincta.

Respondeo dicendum quòd in parte ſenſitiua datur memoria potentia realiter diſtincta ab æſtimatiua, phantaſia, & ſenſu communi. 2. quæ in hominibus etiam dicitur reminiſcentia. 3. eius organum eſt in occipitio, ſiue in poſteriori parte capitis 4. nec vltra quatuor ſenſus internos iam enumeratos datur alius. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd rationes ſenſatæ, ſi ſumantur præcisè & formaliter quatenus non fuerunt per aliquem ſenſum cognitæ, habent conditiones rationum non ſenſatarum, & earum notitia vt ſic, ſpectat ad alium ſenſum, qui percipiat rationes non ſenſatas: rationes verò non ſenſatæ, ſiue ſumantur vt ſunt abſtrahentes ab actuali præſentialitate, ſiue quatenus fuerunt à nobis antea perceptæ, non mutant rationem cognoſcibilitatis in ratione ſenſibilium, quia ſemper ſunt rationes non ſenſatæ attingibiles per aliquem ſenſum ſine ordine ad actualem exiſtentiam, & ideo earum cognitio ſub vtraque ratione ſpectat ad vnam & eamdam potentiam cognoſcitiuam, ſcilicet memoriam: quæ ideo percipit rationes non ſenſatas abſentes, & recordatur cognitionis illarum, vt ſunt iam præteritæ.

Probatur prima pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad vitam animalis perfecti requiritur, quòd cognoſcat plures rationes non ſenſatas & abſentes, quas per æſtimationem cognouerunt vt præſentes, alioquin multoties periret, non enim poſſet quærere multas commoditates, quæ ad eius vitam, vel ad procreationem filiorum ſunt illi neceſſariæ, & ita auicula non poſſet quærere paleas abſentes ad fabricandum nidum: ſed hæc cognitio non poteſt eſſe ab æſtimatiua, vt conſtat ex dictis ſupra, cùm probatum eſt phantaſiam diſtingui à ſenſu communi: eadem enim differentia eſt inter memoriam & æſtimationem, quæ eſt inter phantaſiam & ſenſum communem reſpectu tamen diuerſorum: nam, ſicut ſenſus communis tantùm percipit res ſenſatas præſentes, & eſt facilè receptiuus, ſic æſtimatiua percipit tantùm rationes non ſenſatas præſentes, & eſt facilè receptiua, ſiue facilè immutatur: è contra verò ſicut phantaſia percipit rationes ſenſatas abſentes, vel vt abſtrahunt ab abſentia & præſentia, & eſt difficilè receptiua, ſed benè retentiua, ſic memoria reſpicit rationes non ſenſatas abſentes, vel vt abſtrahunt ab abſentia & præſentia, ac eſt difficilè receptiua, ſed benè retentiua: ergo ſicut phantaſia eſt potentia realiter diſtincta à ſenſu communi, ſic memoria eſt etiam diſtincta ab æſtimatiua, & multò magis à phantaſia & ſenſu communi quæ ſolùm percipiunt rationes ſenſatas, vt dictum eſt.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Memoria in homine propter coniunctionem ad partem intellectiuam, habet hanc perfectionem accidentalem,

quod

quod per aliquem discursum reminiscatur rerum, quod non est in aliis animalibus, quæ naturali quodam instinctu percipiunt per æstimatiuam rationes non sensatas: & recordantur earum per memoriam: vnde sic habet D.Th. loco citato loquens de homine, *Ex parte autem memoratiua, non solum habet memoriam, sicut cætera animalia, in subita recordatione præteritorum, sed etiam reminiscentiam, quasi syllogisticè inquirendo præteritorum memoriam secundum indiuiduales intentiones.* Aristot. etiam in libro de memoria & reminiscentia dicit quòd illi, qui sunt magni ingenij, sunt etiam magnæ reminiscentiæ, & illi qui sunt exigui ingenij, possunt habere magnam memoriam, licèt non magnam reminiscentiam, ratione scilicet huius commotionis ad partem intellectiuam: non quòd intra lineam potentiæ sensitiuæ memoria & reminiscentia duæ sint potentiæ distinctæ, aut memoria hominis habeat illam perfectionem, sed solùm colligitur memoriam esse perfectiorem in homine, quàm in aliis animalibus, & etiam quòd quanto intellectus est perfectior, & dispositiones meliores, tanto deriuatur ad illam maior illa perfectio explicata, quam solùm de materiali memoratiua importat, vt docet D Thom. loco citato ad 5. vbi sic ait: *Dicendum quòd illam eminentiam habet cogitatiua & memoratiua in homine, non per id quod est proprium sensitiuæ partis, sed per aliquam affinitatem & propinquitatem ad rationem vniuersalem secundùm quamdam refluentiam: & ideo non sunt aliæ vires, sed eædem perfectiores, quàm sint in aliis animalibus.* Quæ etiam repetit opusc. 43. cap. 4. vbi sic habet: *In hominibus non solùm est memoria, sed etiam reminiscentia, quæ fit per quamdam collationem intentionum indiuidualium præuiarum ad formas syllogisticè discurrendo, vsque ad vltimum quæsitum*: istam autem excellentiam non habent in homine æstimatiua & memoria per id quod est proprium partis sensitiuæ, sed per affinitatem & propinquitatem ad rationem vniuersalem, per quandam influentiam: semper enim virtus inferior fortificatur ex coniunctione sui cum virtute superiori, eo quòd supremum naturæ inferioris attingit infimum naturæ superioris, vt dicit Dionysius.

Probatur tertia pars conclusionis communi consensu Philosophorum & Medicorum, qui sedem memoriæ ponunt in posteriori parte capitis vbi est maior siccitas, quàm in aliis partibus eiusdem capitis: hæc autem omnia pertinent ad prouidentiam naturæ, eiúsque authoris Dei, qui præparauit organa proportionata ipsis potentiis: & ita in parte cerebri potest esse hoc organum requirens siccitatem attemperatam, licèt cerebrum vt in plurimùm sit valde humidum: sicut in eodem cerebro, licèt frigido, conseruantur spiritus animales calidissimi.

Probatur quarta pars conclusionis, tum authoritate D.Thom. 1. p. quæst. 78. art. 4. vbi ait: *Et sic non est necesse ponere, nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem, & imaginationem, æstimatiuam, & memoratiuam.* Tum eiusdem ratione, quia ad vitam animalis non requiritur alia cognitio præter assignatas, scilicet rationem sensatarum vt præsentium, quæ pertinet ad sensum communem. Vel vt abstrahunt à præsentia & absentia, quæ pertinet ad phantasiam. Vel cognitio rationum non sensatarum prout præsentium, quæ pertinet ad æstimatiuam. Vel vt sunt præteritæ, quæ pertinet ad memoriam: ergo vltra quatuor sensus internos iam enumeratos non datur alius: vel dicendum quòd esset frustra, quod repugnat naturæ, quæ sicut non deficit in necessariis, sic nihil facit superfluum, aut frustra.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio præsentiæ & absentiæ non se habet per accidens, imò per se in obiectis horum sensuum ratione suarum limitationum, quamuis se habeat per accidens in obiecto intellectûs, quia est potentia nobilior & superior, quæ enim sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus ex communi axiomate.

Ad secundum dicendum, quòd excellentia vnius sensus supra alium, non infert quòd possit nobilior, quidquid potest ignobilior, sed solùm infert id quod docet D.Th. opusc. 43. cap. 4. his verbis: *Patet quomodo est excellentia in potentiis animæ sensitiuæ, sensus enim proprius non potest apprehendere, nisi vnum sensatum, sensus verò communis plura. Item & sensus communis non potest aliquid apprehendere, nisi ad præsentiam rei extra, phantasia autem formam rei retinet re absente. Item phantasia non potest apprehendere, nec retinet nisi formas à sensibilibus acceptas, æstimatiua autem potest intentiones circa huiusmodi formas apprehendere, æstimatiua verò licèt possit huiusmodi intentiones apprehendere, non tamen retinere, quod habet memoratiua.*

Ad tertium dicendum cum D.Thom. 1. part. quæst. 78. articulo quarto quòd Auicenna ponit quintam potentiam mediam inter æstimatiuam & imaginatiuam, quæ componit & diuidit formas imaginatas, vt patet, cùm ex forma imaginata auri, & forma imaginata montis componimus vnam formam montis aurei, quem nunquam vidimus: sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine, in quo ad hoc sufficit virtus imaginatiua, cui etiam hanc actionem attribuit Auerroës in libro quodam, quem fecit de sensu & sensibilibus. Ex dictis colligitur has tres vltimas potentias interiores in homine propter dictam excellentiam supra easdem in aliis animalibus habere nomina peculiaria. Vnde in illo phantasia dicitur imaginatiua, æstimatiua dicitur cogitatiua, & memoria dicitur reminiscentia, idem tamen sunt, quia non sufficit qualibet ratio obiecti ad multiplicandas potentias, sed debet esse aliqua ratio formalis per se varians obiectum in esse obiecti.

QVÆSTIO XL.

De Anima Intellectiua.

HActenus egit Philosophus de anima vegetatiua & sensitiua, earumque potentiis, nunc incipit agere de anima intellectiua, siue rationali, & primò quantùm ad eius substantiam, deinde quantùm ad eius potentias, circa ipsam autem quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm anima intellectiua sit purè spiritualis?

¶ Secundò, Vtrùm anima intellectiua sit incorruptibilis?

¶ Tertiò, Vtrùm vna anima intellectiua substantialiter in seipsa, & intrinsecè sit perfectior alterâ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm anima intellectiua sit purè spiritualis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd anima intellectiua, siue rationalis non sit purè spiritualis. Probatur. Anima intellectiua multiplicatur ad multiplicationem corporis, vt patet, quod tamen repugnat formæ purè spirituali, hæc enim est independens à corpore, tam in esse, quàm in fieri: ergo anima intellectiua non est purè spiritualis.

¶ 2. Præterea, Homines, qui soli habent animam intellectiuam, generantur sicut alia animalia, ita vt eædem requirantur dispositiones in materia, ad hoc vt recipiat formam humanam, quæ requiruntur in aliis animalibus, quòd indicat formam hominis educi de potentia materiæ, sicut formæ aliorum animalium: sed formæ, quæ educuntur de potentia materiæ, non sunt purè spirituales, at materiales, quia dependent in esse, & in fieri à materia: ergo anima intellectiua non est purè spiritualis.

¶ 3. Præterea, Præcipua potentia animæ intellectiuæ, scilicet intellectus, est potentia organica dependens in sua operatione à corpore, & consequenter est materialis: ergo anima intellectiua non est purè spiritualis, sed materialis, quia principalis potentia alicuius formæ est proportionata, ac proinde eiusdem ordinis cum ipsa forma.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. ac communis sententia omnium Philosophorum, ac Sanctorum Patrum, Dionysij libro de diuinis nominibus cap. 4. Ambrosij libro de Noë & Arca cap. 25. Augustini libro de Trinitate cap. 6. Gregorij libro 5. Moralium cap. 26. Damasceni libro 1. de fide cap. 12. Nisseni libro de opificio hominis cap. 4. Hieron. epist. ad Pamachium.

Conclusio.

Cùm intellectus præcipua animæ intellectiuæ potentia sit purè spiritualis, etiam anima intellectiua est purè spiritualis.

Respondeo dicendum secundùm fidem quòd anima intellectiua, siue rationalis est purè spiritualis. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum. Sacra Scriptura vocat animam intellectiuam, siue humanam, spiritum. Ecclesiastici 12. *Reuertatur puluis in terram suam, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Ad Galatas 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum &c.* Item Concilium Lateranense Clementina prima de summa Trinitate & fide Catholica ait, *Deus ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem, Angelicam scilicet, & mundanam. Deinde mundanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Item Concilium Constantinopolitanum sextum actione 11. definit quòd Verbum Diuinum assumpsit carnem, & animam rationalem, atque incorpoream: ergo anima intellectiua, siue rationalis est purè spiritualis.

Secundò probatur ratione Aristotelis hîc textu 7. & D. Thom. lect. 7. & 1. p. quæst. 75. artic. 2. intellectus, qui est præcipua animæ intellectiuæ potentia, est purè spiritualis, quia non læditur à vehementi intelligibili, nec hebetatur per hoc quòd circa illud versatur, imò redditur acutior & habilior ad percipienda intelligibilia inferiora, vt patet in intellectu Beati, qui constitutus in ordine supernaturali per lumen gloriæ, nihil læditur ab excellentissimo intelligibili Deo clarè viso: constat autem quòd potentiæ cognoscitiuæ organicæ, quæ non sunt purè spirituales læduntur, imò destruuntur à vehementi obiecto, si circa illud versentur, vt visus, auditus &c. quòd autem defatigemur in contemplatione, prouenit non ex parte ipsius intellectûs, sed ex parte phantasiæ, quæ est potentia organica, & operatur dum intellectus intelligit, vt infrà dicetur, nam intellectio fit per conuersionem intellectûs ad phantasmata. Deinde quia intellectus intelligit rationes vniuersales, quæ licèt sint à parte rei in singularibus, tamen per suas species repræsentantur vt abstractæ ab illis, & sub illa abstractione percipiuntur ab intellectu, ac proinde exigunt quòd intellectus non sit potentia organica, sed purè spiritualis, quia potentiæ organicæ, vt materiales non percipiunt nisi singularia, vt inductione patet in omnibus, quia immaterialitas est ratio cognitionis, tam actiuæ, quàm passiuæ, & è contra materialitas limitat cognitionem, & quò aliquid est magis, vel minùs materiale, est etiam magis, vel minùs cognoscibile & cognoscitiuum: ergo anima intellectiua est purè spiritualis, forma enim materialis non potest habere potentias spirituales, cùm illas emanet, quia nihil agit vltra suam virtutem & perfectionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd forma non est purè spiritualis, quando multiplicatur vnà cum corpore, ita vt corpus, siue materia concurrat in genere causæ materialis ad fieri eiusdem formæ: secus verò si concurrat aliter, vt si dispositiones eius sint tantùm veluti occasiones quædam ad creationem ipsius, ex eo quòd Deus decreuerit creare animam, quando corpusculum est vltimò dispositum.

Ad secundum dicendum, quòd forma intellectiua non educitur de potentia materiæ, sicut educuntur aliæ, quia vt dictum est non dependet à materia concurrente in genere causæ materialis in suo fieri sicut dependent aliæ, sed venit de foris, vt ait Aristoteles, id est per creationem: vnde homo generans solùm attingit dispositiones materiæ, quibus positis infallibiliter creatur anima à Deo, quam dicitur vnire materiæ, quia vltimò disponit materiam ad hanc vnionem, ac proinde dicitur generare totum compositum, in aliis verò animalibus generans educit & producit animam.

Ad tertium dicendum, quòd intellectus non habet dependentiam in suis operationibus à corpore, tanquam ab organo, & sic potest esse spiritualis secundùm suam entitatem, solùm enim prærequirit dispositionem corporis, tanquam conditionem pro hoc statu: vnde D. Th. hîc lect. 7. ait, *Solùm debilitatur intellectus ex læsione alicuius organi corporalis indirectè, in quantùm ad eius operationem requiritur operatio sensus habentis organum:* subdit autem: *Dicitur enim separatus intellectus, quia non habet organum sicut sensus, vnde remanet ei aliqua actio, in qua materia corporalis non communicat.*

Articulus II.

Vtrùm Anima Intellectiua sit incorruptibilis?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd anima intellectiua non sit incorruptibilis. Ita tenuerunt Saducæi, qui propterea negabant resurrectionem mortuorum, vt habetur Matthæi 22. & actuum 23. quos sequuti sunt alij hæretici, dicentes animam hominis simul interire cum corpore, sicut animam pecudis. Hunc errorem tribuit D. August. libro de spiritu & littera cap. 48. Arato, & Zenoni. Probatur ex Scriptura. ad Timotheum 6. *Rex regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem.* Iob. 14. *Homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur Cælum, nec euigilabit nec consurget de somno suo.* Genesis 9. *Habetur, sanguinem animarum vestrarum.* Genesis 37. *Non interficiamus animam eius.* Sapientiæ 12. *Ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus quasi non fuerimus.* Ecclesiastæ 3. *Vnus est interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius:* ergo anima intellectiua non est incorruptibilia.

§ 2. Præterea, Aristoteles de generatione animalium capite tertio, dicit non solùm vegetatiuam & sensitiuam animam, sed etiam rationalem contineri in potentia materiæ, & sic erit corruptibilis, sicut aliæ. Item 1. Ethicorum capite sexto, dicit quòd post mortem nulla est operatio hominis, nec fœlicitas: & in hoc libro 5. dicit intellectum possibilem esse corruptibilem, qui tamen est in eodem ordinem cum anima intellectiua, cuius est potissima potentia. Similiter Sanctus Augustinus de Genesi ad litteram capite 21. in retractation. capite 1. & alibi dicit non esse certum secundùm fidem, an anima sit ex traductione, an per generationem, siue an educatur de potentia materiæ, an verò fiat per creationem: constat autem quòd si est generabilis, est etiam corruptibilis: ergo anima intellectiua non est incorruptibilis.

§ 3. Præterea, Anima intellectiua indiget dispositionibus materiæ, vt in ea fiat, & vt sit, ac proinde illis destructis peribit. Deinde si anima intellectiua esset incorruptibilis, esset infinitæ virtutis, quia ab intrinseco peteret perpetuitatem essendi, sicut primus motor dicitur à Philosopho 8. Physicorum, & 12. Metaphysicæ esse infinitæ virtutis, quia perpetuò mouet. Denique anima intellectiua essentialiter est forma corporis: ergo quamdiu est, debet informare: quod enim conuenit alicui essentialiter, nec per accidens potest ab eo separari: ergo quando definit informare, dasinit esse, & ita non est incorruptibilis.

Sed contra est authoritas expressa Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, consensus Sanctorum Patrum, omniumque Philosophorum.

Conclusio.

Cùm anima intellectiua sit forma per se subsistens, est incorruptibilis?

Respondeo dicendum quòd, anima intellectiua ab intrinseco, & attentâ eius naturâ est incorruptibilis, tum secundùm

secundùm fidem. 2. tum secuodùm retionem natutalem. 3. ab extrinseco tamen est corruptibilis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd esse potest conuenire alicui per accidens dupliciter: Primò vt ly (per accidens) distinguitur à per se simpliciter, & sic existere, aut esse, per se conuenit soli Deo, omni verò creaturæ per accidens ex D. Thom. 1. part. quæst. 3. articulo quarto. Secundò vt ly (per accidens) distinguatur à per se physicè, & sic existere, aut esse noo conuenit per accideos, sed per se physicè formæ subsistenti & spirituali. Coonenire autem per se simplieiter alicui, est conuenire ex habitudine terminorum sicot quinario numero esse imparem: vnde ita necessariò competit, vt non supponat aliquid non necessarium, oec possit res, cui conuenit, esse sub opposito eius, quod illi conuenire dicitur: coouenire verò per se physicè, non est conuenire ex habitudine terminorum, sed aliquid non necessarium supponit, & propterea potest res esse sub opposito eius, quod ei sic per se conuenire dicitur, licèt factâ aliquâ suppositiooe noo necessariâ, tunc id quod boc modo per se conueoit, debeat necessariò necessitate naturalis cursûs conuenire: & ita iuxta diuersam interpretationem potest dici, quòd anima ratiooalis existat per se, & per accidens, & quòd possit noo existere: sed suppositâ eius productione debet dici quòd necessariò necessitate cursûs naturalis semper existat.

Probatur prima pars conclusioois autboritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum: Ecclesiastici duodecimo: *Ibit homo in diem æternitatis suæ.* Item: *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad eum, qui dedit eum.* Matthæi decimo: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ioannis 10. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Item babetur ex omnibus illis Scripturæ locis, & in symbolis, vbi promittitur bonis præoium æteroum, malis verò pœoa æterna. Similiter Concilium Lateraneose tertium sess. octauâ sic ait: *Damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes, cùm illa non solùm verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verùm & immortalis:* quod manifestè constat Euangelio. Idem definit Clementina prima, de summa Trioit te & fide Catbolica: vnde hæc est communis traditio, & fides Ecclesiæ, & vniuersalis consensus sanctorum Patrum, & Scholasticorum: ergo anima iotellectiua ab intrinseco, & attentâ eius naturâ est immortalis, & incorruptibilis secuodùm fidem.

Probatur secunda pars conclusionis. Est communis consensus omnium natiooum, & Philosopborum saltem alicuius nominis, animam intellectiuam esse immortalem, vt refert Eugubinus capite 24. vnde Cicero libro primo Tusculan. quæst. ait: *Sicut Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu omnium nationum.* De Ægyptiis refert Eusebius de præparatione Euangelica libro vndecimo capite decimoquarto. De Latinis Cicero loco citato: sicut & de Medis ae Persis libro de senectute. De Gallis Valerius Maximus libro secundo. Imò Plato libro vndecimo de legibus vocat dementes, qui cootrarium tenent, quia *hæc,* inquit, *Veris, tritis, antiquisque sermonibus asseruntur:* ergo aoima intellectioa est incorruptibilis secundùm ratiooem naturalem, sensus enim vnanimis, & consensus omnium Philosopborum, ac nationum computatur vox naturæ, quæ semper certa & vera dictat.

Secundò, in quauis Republica bene ordinata principalis cura gubernatoris est malos punire, & bonos præmiare: sed boc vniuersum est Respublica à Deo iostituta, cuius supremus guberoator est ipse Deus: ergo pertioet ad prouidentiam & booitatem ipsius malos pœnâ, bonos verò præmio afficere: coostat autem quòd io bac vita multoties hæc non facit, eùm mali sæpe vsque ad mortem deliciosè viuant, boni autem laboriosè, vnde consequens: est vt hoc ad aliam vitam reseruetur, ac proinde anima intellectiua, siue bumana est immortalis. Quæ ratio est ita efficax, vt Cbrysostom. dixerit tam elarè conuincere animam esse immortalem, quàm Deum esse iustum: *Nam animus,* inquit, *hominis horret audire, quòd par sit exitus sanctissimi, & pessimi,* & Clemens lib. 3. recognitiooum Euangelicarum ait: *Ex ore D. Petri.* Si Deus iustus est, *Anima immortalis est:* vode valde reprehenditur Scotus qui in 4. d. 4. quæst. 2. ait: hanc rationem non conuincere tum quia non constat Deum esse Rectorem Mundi, tum quia sufficiens præmium virtutis est delectatio illius, sicut sufficiens pœna peccati est turpitudo culpæ: ex illo Aug. 8. Confessionum: *Iussisti Domine, & sic est quòd omnis animus deordinatus sibi sit pœna.* Et ex illo ad Roman. *Mercedem sui erroris in semetipsis reportare,* tum denique quia Philosophi non sunt vsi hac ratione, vnde non est efficax. Sed tameo hæc omnia sunt leuia, vt latè ostendit Cano libro 12. de locis cap. 15. Primum quidem est manifestè falsum, vt coostat ex bis, quæ affert D. Tbom. 1. part. quæst. 22. Secundum etiam est falsum, oam præmium, & pœna debent dari à gubernatore, quod enim consequitur intriosecè ad virtutem & vitium, non baber propriè rationem præmij, aut pœnæ, noo enim haber rationem gratificationis, & punitionis, sed est quasi passio virtutis, & vitij: imò sæpe dolor, & pœna virtutis est maior, quàm delectatio, propter quod meretur præmium, & peccatores multoties in suis peccatis valde delectantur, propter quod merentur pœnam. Tertium item est falsum, oam Plato Dialogo de animæ immortalitate sic ait: *Iustum est sceleratis hominibus post obitum suorum criminum pœnam dari, iustos verò præmia recipere: aliàs & mala manerent impunita, & bona sine præmio.* Socrates, vt refert Cicero Tuscul. 1. dixit, duæ sunt viæ, duplicésque cursus animorum è corpore exeuotium, oam qui se vitiis humanis contaminaueruot, & se totos libidioibus tradideruot, his deuium iter est, seclusúmque à coocilio Deorum: qui autem se integros, castósque seruauerunt, quibúsque fuit minima cum corporibus contagio, súntque in corporibus vitam imitati Deorum, his ad illos, quibus sunt affecti, facilè patet reditus. Epiphanius Poëta, vt refert Eugubious libro 9. cap. 15. ait: *Si pietatem omnino coluisti, defunctus mali nihil patieris, sursum in Cœlo permanent spiritus. at impiorum animæ sub Cœlo vagæ doloribus sæuis, cruciatibúsque æternis exagitantur.* & tandem omoes Pbilosophi, imò omnes Gentiles à maioribus cootiouâ traditione edocti admittebant campos Elysios, vbi iusti post mortem recipiebantur omoibus bonis fruituri, & tartara vbi cruciabantur impij.

Tertiò, oulla forma subsistens est corruptibilis, aot per se, id est, per corruptionem ad ipsam per se primò terminatam, aut per accidens, id est, ad corruptionem alterius: oon per accidens, quod enim fit per se, debet corrumpi per se, quod siquidem haber esse per se subsistens, est independeos ab alio vt subsistat, & sic non sequitur eius corruptio, quocumque alio corrupto: nec etiam per se, qoia corruptio per se prouenit ex eo qoòd ab aliqoo separatur esse existentiæ, vel forma tribuens illud esse, aut vtrumqoe: constar autem quòd à forma per se subsisteote non potest separari ipsa forma, nihil enim separatur à seipso, nec esse per se, quia tale esse illi per se conuenit: materiæ verò & composito tantùm conueoit, inquantum babent formam: vnde amittunt esse, quando formam amittuot, & sic per se corrumpuntur: formæ verò per se oon subsistentes ad corruptionem totius, per accidens corrumpuntur, quia licèt non possint separari à seipsis, tamen ad corruptionem totius, separatur ab illis esse sui totius, ad cuius existeotiam ipsæ coëxistebant: sed anima ratiooalis est forma per se subsistens; oam forma substantialis spiritualis debet esse independens in suo esse à materia, per hoe enim distinguitur ab aliis formis substantialibus materialibus, quòd istæ pendeot in suo esse à materia, secus verò illa: quod autem est independens ab alio in

eſſe, eſt per ſe ſubſiſtens: ergo anima intellectiua, nec per ſe, nec per accidens poteſt corrumpi, ac proinde eſt incorruptibilis, & immortalis. Nota tamen ad maiorem efficaciam huius rationis, quòd licèt multa poſſint ſeparari, in quibus vnum conuenit alteri per ſe phyſicè immediatè, id eſt, non mediante aliquâ formâ, vt patet in materia & forma, tamen quæ ita conueniunt, vt nec mediet forma, nec actio, ſed per eamdem actionem producantur, naturaliter ſunt inſeparabilia, vt accidit inter eſſentiam & proprietates: & in noſtro caſu inter animam intellectiuam, & eſſe, vnde ſicut eadem actione producuntur ſic eadem debent corrumpi.

Probatur & explicatur tertia pars concluſionis, Omnis res creata habet eſſe taliter dependens à Deo, quod primò per creationem ab illo recipit, & per continuam conſeruationem eius retinet (omne quippe ens creatum, ac proinde participatum dependet ab ente per eſſentiam) ergo ſi Deus ceſſaret ab illa conſeruatione, deſineret eſſe, ac proinde ab extrinſeco eſt corruptibilis, ſcilicet per ordinem ad diuinam omnipotentiam abſolutam, quæ omnia ſi poteſt annihilare: hæc tamen deſitio diceretur eſſe ab extrinſeco, quia nulli rei eſt connaturalis, imò ſi eſſet, eſſet miraculoſa.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſolus Deus dicitur habere immortalitatem, quia à ſe illam habet, & eſt prima radix eius, & cauſa cur aliqua alia habeant. Ad alium locum dicendum quòd Sanctus Iob ſolùm intendit quòd anima per mortem ſeparata non poteſt vllâ vi naturali reuniri corpori, ſed ſolùm virtute diuinâ in fine Mundi: vnde addit, *Non reſurget homo donec atteratur, ſiue tranſibit, & innouabitur Cœlum.* Ad tertium dicendum quòd ſolùm intendit vitam totius hominis pendere à ſanguine, nomine enim animæ ſæpe ſignificatur vita totius. Ad quartum dicendum, quòd nomine animæ ſignificatur corpus eius animatum, aut viuum, iuxta illud Geneſis: *Da mihi animas cætera tolle tibi*: id eſt, da mihi homines. Ad quintum reſpondet S. Gregorius 4. dialogorum cap. 4. dictum illud eſſe vocem impij introducti à Salomone, vnde ſubiunxit Sapiens, *Hæc cogitauerunt impij, & errauerunt*: & ſimiliter dicendum ad ſeatum locum.

Ad ſecundum dicendum, quòd Ariſtoteles in primo loco tantùm vult animam rationalem poſſe per ſe vniri materiæ, & ita dicitur continetri in potentia materiæ. Ad ſecundum dicendum, quòd anima ſeparata non eſt homo, vnde cùm Ariſtoteles non nouerit reſurrectionem, dixit quòd poſt mortem nulla eſt operatio hominis, & ita reprobat opinionem Solonis, qui dicebat nullum eſſe fœlicem niſi poſt mortem, ipſe verò ponit aliqualem pro hoc ſtatu felicitatem: ita D. Thomas hic lect. 15. Ad tertium reſpondet D. Thom. hîc lect. 10. quòd per intellectum paſſibilem intelligit Ariſtoteles partem ſenſitiuam ſubiectam paſſionibus, quæ dicitur intellectus, & rationalis inquantum participat aliqualiter rationem obediendo rationi, & ſequendo motum eius, vt dicitur in 1. Ethicor. Ad illud Auguſtini dicendum, quòd in illis locis procedit diſputando ſecundùm opinionem aliorum, ipſe autem ſecundùm ſuam doctrinam multis locis probat efficaciter immortalitatem animæ, imò compoſuit librum de immortalitate animæ.

Ad tertium dicendum, quòd anima intellectiua poſſet creari ſine illis diſpoſitionibus, ſed quia Deus ſtatuit illam create in materia, ita vt creando infundat, & viuat materiæ, ideo indiget illis, non tam vt ſit, quàm vt viuatur materiæ, vnde ſeparata ſubſiſtit, & perſeuerat in ſuo eſſe cum ſolo ordine ad materiam. Ad aliud dicendum, quòd eſſe comparatur ad formam immaterialem, ſicut per ſe conſequens ipſam, non autem ſicut effectus ad virtutem agentis, putà motus ad virtutem mouentis: vnde licèt ex perpetuitate motûs concludatur infinita virtus in mouente, non tamen ex perpetuitate eſſendi, ſiue durationis colligitur infinita virtus formæ. Ad aliud dicendum, quòd quamuis anima intellectiua ſit eſſentialiter forma, non tamen ſequitur quòd non poſſit eſſe ſeparata, cùm non ſit forma dependens, ſed ſolùm dicat ordinem ad matariam, & ita ſtatus ſeparationis eſt illi præternaturalis, vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 89. art. 1.

Articvlvs III.

Vtrùm vna anima intellectiua ſubſtantialiter in ſeipſa & intrinſecè ſit perfectior alterâ?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd vna anima intellectiua non ſit ſubſtantialiter & intrinſecè perfectior alterâ. Ita tenent Durandus in 2. d. 32. quæſt. 3. Soncinas octaua Metaphyſicæ quæſtione 26. ad 1. Soto in prædicamentis capite quinto, de ſubſtantia quæſtiona 2. ad 5. & alij, qui omnes dicunt animas non aſſe inæquales ab intrinſeco, ſed tantùm ab extrinſeco, quatenus propter diuerſam & inæqualem diſpoſitionem organorum, quibus indigent proximè aut remotè ad ſuas operationes, vna operatur perfectiori modo, quàm alia. Probatur authoritate Sancti Auguſtini, & D. Thom. ac Ariſtotelis. Sanctus Auguſtinus libro 10. Geneſis cap. 7. & libro 83. quæſtionum. quæſt. 4. docet omnes animas eſſe æquales à ſua natura, differre autem inter ſe ex diuerſa corporum diſpoſitione, aut ex voluntate. D. Th. 3. part. quæſt. 69. articulo 8. ad 3. dicit quòd diuerſa capacitas naturalis in hominibus, non eſt ex diuerſitate mentis, cùm omnes homines eiuſdem ſpeciei exiſtentes in forma conueniant, ſed ex diuerſa diſpoſitione corporum. Ariſtoteles verò 3. Metaphyſicæ cap. 3. docet, quòd eorum, quæ continentur ſub genere, vnum eſt prius & perfectius altero: eorum verò, quæ continentur per ſpeciem, vnum non eſt prius aut perfectius altero: conſtat autem omnes animas intellectiuas contineri ſub eadem ſpecie: & deinde ex Ariſtotele eſſentiæ rerum ſe habent vt numeri, quibus ſi addas, vel detrahas, mutantur ſecundùm ſpeciem. & ita ſi vna anima habet aliquem gradum perfectionis, quem non habet alia, erit diſtinctio ſpecifica inter illas: ergo vna anima intellectiua ſubſtantialiter in ſeipſa, & intrinſecè non eſt perfectior alterâ.

¶ 2. Præterea, Si vna anima eſt perfectior alterâ, quia vnitur corpori meliùs diſpoſito, ſequitur quòd à tali corpore accipiat eſſe, & perfectionem, quod eſt abſurdum, imò corpus ea accipit ab anima. Si dicatur quòd Deus per creationem producat perfectiorem animam, quia eſt vniturus corpori meliùs diſpoſito, vt ita ſit commenſuratio & proportio inter formam & materiam, ſequitur quòd magis perfectum, ſcilicet anima, ordinetur ad minùs perfectum, ſcilicet corpus, qui ordo in naturalibus eſt præpoſterus: ergo vna anima intellectiua ſubſtantialiter in ſeipſa & intrinſecè non eſt perfectior alterâ.

¶ 3. Præterea, Si vna anima intellectiua eſt ſubſtantialiter perfectior alterâ, ſequuntur tria inconuenientia. Primum, quòd idem dicendum ſit de animabus vegetatiuis, & ſenſitiuis intra eamdem ſpeciem. Secundum, quod illa, quæ eſt perfectior, habeat perfectiorem intellectum, & perfectius liberum arbitrium. Tertium, quòd talis perfectio ſæpe mutetur, cùm enim proueniat à meliori diſpoſitione corporis, hac mutata vt ſæpe contingit, mutabitur etiam perfectio animæ: ergo vna anima intellectiua ſubſtantialiter in ſeipſa & intrinſecè non eſt perfectior alterâ.

Sed contra eſt authoritas Ariſtot. D. Th. S. Auguſtini, Magiſtri ſententiarum in 2. d. 32. c. 8. S. Bonauenturæ ibidem, quos ſequuntur Caietanus 1. p. q. 85. art. 7. qui vocat cœcos in doctrina D. Th. contrarium tenentes, Capreolus in 2. d. 32. q. vnica, Ferrar t. contra gentes cap. 3. Bannes 1. p. q. 85. art. 7. & cõmuniter alij Thomiſtæ.

Conclvsio.

Cùm anima intellectiua ſit eſſentialiter actus corporis organici, illa, quæ ordinatur ad informandum corpus perfectius, eſt ſubſtantialiter & intrinſecè in ſeipſa perfectior.

Respondeo dicendum, quòd animæ intellectuales ſunt-

sunt inæquales in perfectione substantiali intra eamdem quasi speciem 2. & non solùm in perfectione accidentali extrinseca 3. quod idem dicendum proportionaliter de animabus sensitiuis & vegetatiuis intra eamdem speciem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd cùm totum compositum sit finis suarum partium, ideo est primum in intentione: vnde Deus non producit à casu corpus, aut animam, sed in ordine ad constituendum tale totum, quod proinde est primum in intentione, & vult Deus esse ita, aut ita perfectum substantialiter perfectione indiuiduali: & quia perfectio præcipuè desumitur ab anima, ideo determinat creare animam in tanta perfectione substantiali indiuiduali: & quia debet esse proportio, & commensuratio inter actum, & potentiam, ideo ordinat causas secundas cum omnibus circumstantiis, & requisitis ad præparandum taliter corpusculum, & ita perfectè organizandum, vt in tanta perfectione formatum exigat tam perfectam animam. Itaque anima in exercitio suæ creationis dependet quoad suam perfectionem indiuidualem à corpore, vt à conditione tantùm, corpus verò dependet ab ipsa anima quantùm ad suam perfectionem indiuidualem, siue organizationem antecedendem ad introductionem ipsius animæ, tanquam à causa finali: organizationem verò, quam habet post informationem, recipit ab ipsa anima, tanquam à causa formali, & efficiente: perfectio autem indiuidualis animæ dependet à toto composito in genere causæ finalis: vnde, quia Personæ Christi Domini debebatur perfectissima humanitas, ideo Deus creauit animam perfectissimam, & multò perfectiorem omnibus aliis in perfectione indiuiduali, intra eamdem tamen speciem: & quia animæ sic perfectæ debebatur corpus proportionatum, ita præparata fuit virtute Spiritus sancti materia in vtero Beatissimæ Virginis, vt fieret corpusculum perfectissimum omnium, nomine autem corporis perfecti non debet intelligi corpus pulchrum, sed perfectè dispositum, & organizatum, quæ perfectio aliquando habet annexam pulchritudinem, aliquando non. Nec contra hoc est quod docet Aug. 8. de ciuitate Dei c. 15. sæpe contingere, quòd melior anima sit in corpore deteriori, & èconuerso. Dicendum est enim, quòd Aug. ibi loquitur de bonitate & malitia morali, ibi enim probat quòd licèt homines habeant corpora terrestria, sunt tamen meliores, quàm dæmones, qui dicuntur habere corpora aërea.

Probatur prima & secunda pars conclusionis authoritate S. Aug. & Vniuersitatis Parisiensis Aug. lib. 10. super Genesim ad litteram c. 18. exponit illud Sapientiæ 8. *Sortitus sum animam bonam*, de Christo Domino, & dicit animam Christi esse meliorem, & perfectiorem aliis: quod vtique intelligit de perfectione intrinseca & substantiali. Vniuersitas autem Parisiensis inter alios articulos hunc habet: *Si quis dicit omnes animas ab origine esse æquales, errat: quoniam aliàs anima Christi non esset perfectior, quàm anima Iuda.*

Secundò probatur authoritate Aristotelis, & D. Th. Aristoteles 2. de generatione animalium cap. 3. & 1. de anima capite 3. & lib. 2. capite 2. docet, quòd secundùm quod anima est magis vel minùs perfecta, ita præparat corpus magis vel minùs perfectum. Nec potest dici quòd Arist. loquitur de animabus tantùm specie differentibus nam D. Th. 1. p. q. 85. art. 7. ex hoc loco concludit, quòd si formæ inæquales secundùm speciem exigunt corpora perfectiora, consequens esse quòd quando in indiuiduo corpora sunt perfectiora, etiam animæ, quæ sunt formæ illorum corporum, sunt inæqualiter perfectæ in seipsis perfectione indiuiduali. D. Thom. autem loco citato expressè docet intellectus, ac proinde animas esse inæquales perfectionis, tum ex parte ipsius animæ siue intellectûs, tum ex parte virium inferiorum, quibus indigent ad sui operationem. Eius verba sunt: *Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter: vno quidem modo ex parte intellectûs, qui est perfectior, manifestum est enim, quòd quantò corpus est meliùs dispositum, tantò meliorem sortitur animam, quod manifestè apparet in his, quæ sunt secundùm speciem diuersa. Cuius ratio est, quia actus & forma recipitur in materia secundùm materiæ capacitatem, vnde etiam cùm in hominibus quidam habeant corpus meliùs dispositum, sortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo, vnde dicitur in 2. de anima, quòd molles carne, benè aptos mente videmus. Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad sui operationem: illi enim in quibus virtus imaginatiua, & cogitatiua & memoratiua est meliùs disposita, sunt meliùs dispositi ad intelligendum.* In responsione verò ad 3. cùm sibi obiecisset differentiam formæ causare differentiam speciei, quod sine dubio debet intelligi de differentia formæ in seipsa. Respondet quòd *differentia formæ, quæ non prouenit, nisi ex diuersa dispositione materiæ, non facit diuersitatem secundàm speciem, sed solùm secundum numerum: sunt enim diuersorum indiuiduorum diuersæ formæ secundùm materiam diuersificatæ.* Idem repetit in 2. d. 32. quæst. 2. artic. 3. & in 1. d. 8. quæst. 5. artic. 2. ad 6. docet quòd maiorem perfectionem & nobilitatem habet anima, quæ ordinatur ad corpus meliùs dispositum, quamuis non accipiat illam ab ipso corpore, vel per dependentiam ab illo. Similiter in 2. d. 23. quæst. 2. artic. 2. ad 2. docet, quòd anima primi parentis dignior fuit, quàm anima Euæ, propterea quòd ordinabatur ad nobiliorem materiam, forma autem debet proportionari materiæ, in qua naturaliter recipitur: & denique 2. contra gentes cap. 81. dicit quòd multitudo animarum separatarum consequitur diuersitatem formarum secundùm substantiam, quoniam alia est substantia huius animæ, & alteriùs, quæ diuersitas est secundùm commensurationem ad corpora, quia hæc anima est commensurata huic corpori, & non alteri: ergo vna anima intellectiua est substantialiter in se perfectior alterâ.

Tertiò probatur ratione fundamentali quam tradunt D. Thom. & Aristoteles locis citatis. Anima intellectiua essentialiter, & ex natura sua est actus corporis organici, vt patet ex eius definitione essentiali supra examinata: ergo illa anima, quæ ex se ordinatur, siue quæ creatur in ordine ad informandum corpus magis perfectum, est in seipsa perfectior, quia inter actum & potentiam, inter perfectiuum & perfectibile debet esse proportio & commensuratio: vnde videmus quòd ars, quæ imitatur naturam, perfectiori materiæ introducit perfectiorem formam. Hæc ratio autem non solùm habet vim, quia Deus producit animas in suis corporibus, sed etiamsi produceret extra corpora: quia in tali casu essent adhuc inæquales in perfectione indiuiduali in seipsis, quia haberent habitudinem essentialem ad corpora inæqualiter perfecta: cùm enim animæ essentialiter sint formæ: non possunt produci, nec esse sine tali habitudine. Nec mirum si formis substantialibus conceditur maior & minor perfectio substantialis intrinseca intra eamdem speciem, cùm formis accidentalibus intra eamdem speciem maior & minor perfectio intrinseca conceditur in multis enim videmus diuersos gradus perfectionis indiuidualis, vt in albedine, albedo namque niuis est perfectior intrinsecè indiuidualiter, quam albedo lactis, licèt sint eiusdem speciei. Si afferatur disparitas ex hoc quòd albedo est intensibilis & remissibilis. Dicendum est quòd hæc solutio ad summum valet respectu eiusdem albedinis, quòd scilicet crescat eadem numero in perfectione, non autem valet respectu diuersarum albedinum. Deinde datur exemplum in aliis formis, quæ non intenduntur, omnes potentiæ visiuæ sunt eiusdem speciei, vt dictum est supra, & tamen potentia visiua Aquilæ est intrinsecè perfectior potentiâ visiuâ hominis, & hæc est perfectior potentiâ visiuâ noctuæ: hæc autem diuersitas non prouenit ex organo solùm, sed ex ipsa potentia, cùm enim potentia non sit propter organum, sed organum propter potentiam, quia potentia est perfectior, exigit & præparat sibi perfectius organum. Et ex his probatur tertia pars conclusionis, cùm sit par ratio.

Ad

Ad primum ergo dicendum cum Bannes, quòd D. August. in illis locis nec verbum loquitur de perfectione naturali animarum, sed tantùm de diuersitate morali secundùm bonitatem, aut malitiam, quæ non conuenit animabus à sua natura, sed à voluntate concurrente corpore. Vel dato quòd loquatur de perfectione naturali, sic debet intelligi, animæ sunt æquales à sua natura in perfectione essentiali & specifica, differunt autem inter se in perfectione substantiali indiuiduali ex diuersa corporum dispositione, aut etiam in perfectione morali ex voluntate. Ad illud D. Thomæ dicendum, quòd loquitur de diuersitate specifica mentium, quæ non est in hominibus, sicut est in Angelis, vt patet ex consequentibus: & ideo tantùm vult quod diuersa capacitas naturalium non proueniat ex diuersitate specifica animarum, sicut in Angelis, sed ex diuersitate numerica, quæ desumitur per ordinem ad corpora inæqualiter disposita, quod magis declarat 1. part. quæst. 85. artic. 7. ad 3. Ad primum Aristotelis dicendum, quòd loquitur de prioritate & perfectione essentiali & ita est quod sub genere vna species est prior & perfectior aliâ perfectione essentiali, quæ perfectio essentialis consistit in indiuisibili in qualibet specie, non autem perfectio substantialis indiuidualis: vnde per speciem vnum indiuiduum non est perfectius alio perfectione essentiali, vt ait Aristoteles, quæ perfectio per se intenditur à natura, & non perfectio indiuidualis, quæ solùm per accidens intenditur: & ita species non solùm est vniuoca logicè, sed etiam physicè: genus autem solùm est vniuocum logicè ad sua inferiora, non verò physicè ob hanc differentiam essentialem specierum: propterea benè dixit Aristoteles, quòd sub genere latent æquiuocationes, nihil dicens de specie. Ad secundum dicendum, quòd hæc comparatio essentiæ ad numerum, est quantùm ad rationem & perfectionem specificam, non verò quantùm ad indiuidualem: vnde perfectio substantialis est duplex, alia quidditatiua & essentialis, quæ desumitur ex principiis specificis, & ista semper est vniformis, sicut numeri, vnde si quippiam huic addatur, vel subtrahatur, variatur species: alia verò est indiuidualis, quæ desumitur ex commensuratione formæ ad materiam, & prouenit tantùm ex principiis indiuidualibus, & hæc perfectio quamuis varietur in indiuiduis, non tamen mutatur natura specifica: vnde sicut natura generica eadem est in diuersis speciebus, quæ distinguuntur per diuersas differentias essentiales, sic natura specifica eadem est in diuersis indiuiduis, quæ distinguuntur penes diuersas conditiones indiuiduales.

Ad secundum patet ex dictis. Ad replicam dicendum, quòd Deus creat animam propter corpus actuandum, & perficiendum, nec est inconueniens quòd aliqualiter magis perfectum ordinetur ad minùs perfectum, quamuis simpliciter loquendo corpus ordinetur ad animam, vt ad finem, ita D. Th. q. de anima art. 8. ad 16. & supra explicatum est.

Ad tertium dicendum, quòd illa forma substantialis, siue viuens, siue non viuens intra suam speciem est perfectior substantialiter indiuidualiter, quæ ex natura sua ordinatur ad informandam materiam meliùs dispositam: par enim ratio militat de omnibus, vnde cessat primum inconueniens, sicut & secundum, cùm enim potentiæ emanent naturaliter tanquam proprietates, à perfectiori anima emanat perfectior intellectus & voluntas vt docet D. Thom. 1. p. q. 85. art. 7. Ad aliud dicendum, quòd dispositiones, quæ perfecerunt corpus ad hoc, vt esset susceptiuum proprium & proportionatum talis animæ, attenduntur à Deo in principio, vt secundùm earum proportionem producat animam magis vel minùs perfectam indiuidualiter, quæ perfectio inuariabiliter manet in ipsa anima, cùm sit intrinseca & substantialis: vnde per transmutationes, quæ postea fiunt successu temporis in corpore quod nunquam in eodem statu permanet, anima non substantialiter & intrinsecè, sed tantùm variatur accidentaliter & extrinsecè, per quamdam redundantiam: vnde istas dispositiones respicit anima per accidens, primas verò per se.

QVÆSTIO XLI.

De Intellectu agente.

Post considerationem animæ intellectiuæ secundum se, occurrunt considerandæ eius potentiæ, quarum prima licèt non dignitate, tamen operatione est intellectus agens, vnde primò loco agitur de ipso, & quæruntur quatuor,

¶ Primò, Vtrùm detur Intellectus agens?

¶ Secundò, Vtrùm Intellectus agens realiter distinguatur ab intellectu possibili?

¶ Tertiò, Vtrùm Intellectûs agentis sit illuminare phantasmata, & quid sit hæc illuminatio?

¶ Quartò, Vtrùm phantasmata illuminata ab intellectu agente concurrant efficienter ad productionem specierum intelligibilium.

ARTICVLVS I.

Vtrùm detur Intellectus Agens?

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd non datur intellectus agens. Ita tenuerunt aliqui. Probatur. Non datur sensus agens, vt communiter fatentur Philosophi, omnes enim sensus sunt potentiæ passiuæ: ergo nec intellectus agens, vt patet ex paritate rationis: vnde sicut ad sentiendum sufficit sensus cum obiecto, sic ad intelligendum sufficit intellectus, & obiectum iuxta illud August. ex obiecto, & potentia paritur notitia.

¶ 2. Præterea, In Angelis non datur intellectus agens: ergo nec in hominibus, qui sunt naturæ intellectualis sicut Angeli.

¶ 3. Præterea, Non apparet ad quid deseruiat intellectus agens. Non vt influat aliquid in intellectum possibilem, quia cùm agat ex necessitate, semper influeret: quod est falsum. Non vt producat species intelligibiles, quia Intellectus possibilis, dum intelligit, producit species expressas, ac proinde impressas quæ sunt minùs perfectæ: ergo non datur intellectus agens.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & Diui Thomæ, quos sequuntur ferè omnes Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm homines quandoque sint in potentia ad intelligendum & formæ quas intelligunt, non sint actu intelligibiles, necessario datur intellectus agens,

Respondeo dicendum, quòd necesse est ponere in anima intellectiua intellectum agentem, Probatur, tum authoritate Aristotelis in hoc tertio libro textu 17. tum eiusdem ratione, quam sic exponit D. Th. lect. 10. *quia in omni natura, quæ est quandoque in potentia, & quandoque in actu, oportet ponere aliquid, quod est sicut materia in vnoquoque genere, quod scilicet est in potentia ad omnia, quæ sunt illius generis, & aliud quod est sicut causa agens & factiuum, quod ita se habet in faciendo omnia, sicut ars ad materiam*: sed anima secundùm partem intellectiuam quandoque est in potentia, & quandoque in actu: necesse est igitur in anima intellectiua esse has differentias, vt scilicet vnus sit intellectus, in quo possint omnia intelligibilia fieri, & hic est intellectus possibilis, & alius intellectus sit ad hoc, quòd possit omnia intelligibilia facere in actu, qui vocatur intellectus agens.

Secundò probatur ratione D. Thom. 1. p. q. 79. art. 3. quæ ferè in idem redit quámque sub his verbis proponit: *Formæ in materia existentes, quas intelligimus, non sunt intelligibiles actu: nihil autem reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu, sicut sensus fit in actu per sensibile in actu: oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectûs, quæ faciat intelligibilia in actu*

per

per abstractionem specierum à conditionibus materialibus: & hæc est necessitas ponendi intellectum agentem.

An primum ergo dicendum cum D. Thom. q. vnicâ de anima art. 4. ad 5. quòd sensibile, cùm sit quoddam particulare, non imprimit nec in sensum, nec in medium speciem alterius generis, cùm species in medio, & in sensu non sit nisi particularis: intellectus autem possibilis recipit species alterius generis, quàm sint in imaginatione, cùm intellectus possibilis recipiat species vniuersales, & imaginatio non contineat nisi particulares: & ideo in intelligibilibus indigemus intellectu agente, non autem in sensibilibus aliâ potentiâ actiuâ.

Ad secundum dicendum, quòd Angeli non accipiunt ab obiectis species intelligibiles, sicut accipiunt homines: sed illas habent à Deo inditas à principio suæ creationis, propterea non indigent intellectu agente, sicut indigent homines: quia ad hoc datur intellectus agens, vt abstrahat species intelligibiles ab obiectis, siue à phantasmatibus.

Ad tertium dicendum, quòd intellectus agens influit species intelligibiles in intellectum possibilem, non semper, sed dum illuminat phantasmata, ac proinde dum ipsa concurrunt: aliqui etiam dicunt quòd suâ virtute & lumine confortat intellectum possibilem in sua operatione, intellectus autem possibilis non potest producere species impressas, non quia sint nimis perfectæ, sed quia in ordine ad species, quas primò recipit per abstractionem à phantasmatibus, intellectus possibilis est pura potentia, & ita non potest reducere se in actum, in ordine verò ad alias species, quas postea producit, non est pura potentia in ordine intelligibili, sed præsupponitur in actu per primas species abstractas à phantasmatibus.

Articvlvs II.

Vtrùm intellectus agens realiter distinguatur ab intellectu possibili?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd intellectus agens non distinguatur realiter ab intellectu possibili. Ita tenent Suares 2. tomo Summæ Theologicæ tractatu 3. libro 4. cap. 8. & alij in præsenti, Conimbricenses autem, & Toletus probabile reputant. Probatur. Si intellectus agens realiter distinguatur ab intellectu possibili, sequitur quòd in morte corrumpatur: nam in alia vita esset superfluus, cùm nullam sit habiturus operationem: non enim ibi abstrahuntur species à phantasmatibus, sed immediatè infunduntur à Deo: sed est absurdum dicere, quòd ille intellectus, si daretur, corrumpatur, cùm sit quid spirituale subiectatum immediatè in anima: ergo intellectus agens non distinguitur realiter ab intellectu possibili.

¶ 2. Præterea, Intellectus possibilis humanus est medius inter intellectum Angelicum, & sensum vt admittitur communiter: ergo non indiget intellectu agente realiter à se distincto: nam quia est inferior intellectu Angelico, non habet species congenitas sicut ille, quia verò excedit sensum, non se habet merè passiuè ad suas species, sed decursu temporis potest illas seipso acquirere.

¶ 3. Præterea, Si intellectus agens distinguatur realiter ab intellectu possibili, sequitur quòd non sit potentia vitalis, non enim ageret per actionem immanentem, cùm suum effectum, scilicet speciem intelligibilem, producere in intellectu possibili. Sequeretur etiam quòd esset perfectior intellectu possibili, quia compararetur per modum agentis ad ipsum vt ad passum; quod tamen est contra Aristotelem 10. Ethicor. cap. 8. & 10. vbi constituit beatitudinem hominis in perfectissima potentia, constituit autem illam in intellectione, quæ est actus intellectûs possibilis: ergo intellectus agens non distinguitur realiter ab intellectu possibili.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc libro textu 18. & D. Thom. lect. 10. & alibi sæpe, quos sequuntur nostri Complutenses, Bannes, & communiter Thomistæ, plurésque alij extra scholam D. Thom. vt Scotus in 1. d. 3. q. 8. ad 1. Ruuius, Toletus, Conimbricenses, & Valentia.

Conclvsio.

Cùm intellectus agens, & intellectus possibilis habeant diuersos omnino, & oppositos actus adæquatos, sunt potentiæ realiter distinctæ.

Respondeo dicendum, quòd intellectus agens realiter distinguitur ab intellectu possibili. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles in hoc libro cap. 5. sic habet: *Est quidam talis intellectus, qui omnia fit: quidam verò, qui omnia facit*: Et post pauca subdit: *Et hic intellectus separabilis est, & immixtus, & impassibilis, substantia actu existens, semper enim honorabilius est agens patiente, & principium materiâ*: Ecce quomodo Philosophus vtrumque intellectum, distinguit tanquã duas potentias. D. Th. hîc lect. 10. loquens de duplici intellectu dicit, quòd passibilis est vnus, & agens alius, eisque assignat officia distincta: sed expressius 1. p. q. 79. art. 7. sic ait: *Diuersificatur tamen potentia intellectus agentis & intellectûs possibilis; quia respectu eiusdem obiecti; aliud principium oportet esse potentia actiuam, quæ facit obiectum esse in actu; & aliud potentiam passiuam, quæ mouetur ab obiecto in actu existente: & sic potentia actiua comparatur ad suum obiectum, vt ens in actu ad ens in potentia: potentia autem passiua comparatur ad suum obiectum è conuerso, vt ens in potentia ad ens in actu: sic igitur nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest, nisi possibilis, & agentis*. Idem repetit art. 10. sic enim ait: *Intellectus agens & possibilis sunt diuersæ potentiæ, sicut & in omnibus est alia potentia actiua, & alia passiua*: Loquitur autem de diuersitate & distinctione reali, nam ibidem docet quòd intellectus in habitu, & in actu non sunt diuersæ potentiæ: constat autem quòd ratione sunt diuersæ.

Secundò, illæ potentiæ, quæ habent actus diuersos & distinctos, sunt realiter diuersæ, vt patet ex dictis supra, vbi probatum est potentias distingui specie, & realiter per suos actus immediatè, & per obiecta mediatè: sed intellectus agens, & intellectus possibilis habent diuersos actus, nam actus intellectus agentis est productio speciei intelligibilis per abstractionem à phantasmatibus actus verò intellectus possibilis est pati à speciebus intelligibilibus, & mediis illis intelligere, qui actus sunt valde diuersi: & similiter obiectum intellectûs agentis est intelligibile in potentia, vt faciat illud intelligibile in actu, obiectum autem intellectûs possibilis est intelligibile in actu: ergo intellectus agens & intellectus possibilis distinguuntur realiter. Si dicatur hos actus non esse adæquatos, sed inadæquatos eiusdem potentiæ. Recurrendum est ad librum 5. Physicor. vbi ostensum est nihil posse esse potentiam actiuam & passiuam respectu eiusdem obiecti: & hoc quia potentia actiua vt talis debet esse in actu, passiua verò vt talis debet esse in potentia; nihil autem potest esse simul in actu, & in potentia respectu eiusdem: ibique impugnata fuit illa euasio de actu virtuali, & potentia formali: hoc autem maximè conuincit in præsenti quia intellectus possibilis non est vtcumque in potentia respectu sui obiecti, sed est in pura potentia in ordine intelligibili: & ita non potest se reducere in actum, sed indiget aliquo alio realiter distincto, sicut quia materia prima est pura potentia in ordine entitatiuo & naturali, ideo non potest seipsam reducere in actum, sed indiget alio, per quod in actum reducatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis concedatur intellectum agentem non habiturum in alia vita vllam operationem, adhuc tamen non erit frustra, cùm pertineat ad integritatem naturæ, & debito tempore habuerit propriam operationem, sicut ob eamdem rationem non remanent frustra potentia augmentatiua, nutritiua, & generatiua.

Ad secundum dicendum, quòd intellectus humanus dicitur esse medius inter intellectum Angelicum, & sensum, quia intellectus Angelicus est omnino separatus à materia, & independens ab illa in sua operatione, sensus verò

verò eſt affixus organo corporeo: intellectus autem humanus, licèt ſit ſeparatus ab organo corporeo, dependet tamen ab illo in ſua operatione.

Ad tertium dicendum, quòd ſufficit ad operationem vitalem & immanentem, vt per ſe maneat in ſuppoſito operante, & ideo eſt mouens ſeipſum ab intrinſeco: nec tamen ſequitur quòd in homine ſit duplex intelligere, quia vtraque actio vtriuſque intellectûs concurrit ad vnum intelligere ex D.Th. q. vnicâ de anima art. 4. ad 8. actio quidem intellectûs poſſibilis eſt ipſa formalis intellectio, actio verò intellectûs agentis immediatè eſt præuia ad intellectionem: & ſic actus adæquatus intellectûs ſecundùm quòd abſtrahit ab vtroque, non eſt intelligere formaliter, ſicut actus adæquatus ſenſûs eſt ſentire, quia non datur ſenſus actiuus. Ad aliud dicendum, quòd intellectus agens eſt aliquo modo nobilior poſſibili ex Ariſtotele in præſenti textu 19. vbi ait: *Semper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materiâ*: Quod ſic exponit D.Thom. lect.10. *Agens honorabilius eſt patiente, & principium actiuum materiâ*: Sed intellectus agens comparatur ad poſſibilem, ſicut agens ad materiam: ergo intellectus agens eſt nobilior poſſibili, quod etiam alibi docet: ſed loquitur in ſenſu formali, ita vt fiat comparatio inter intellectum agentem vt talem, & poſſibilem vt præcisè & formaliter habet rationem paſſi, non autem ſi ſumatur adæquatè, vt in ſe eſt, & ſecundùm omnia munera, quæ poteſt exercere, ac proinde vt intellectiuus, ſiue vt potens elicere intellectionem (quomodo ponitur in ſubſtantiis ſeparatis: ab illo enim excluditur ratio paſſi, cùm habeant omnes ſpecies congenitas) multò excedit intellectum agentem: vnde ſimpliciter intellectus poſſibilis eſt nobilior agente, quia eſt nobilior in ratione, quam per ſe dicit generaliter conſideratus, licèt ſit ignobilior ſecundùm quid, propter rationem paſſi, quam in nobis includit.

Articvlvs III.

Vtrùm intellectûs agentis ſit illuminare phantaſmata, & quid ſit hæc illuminatio?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd intellectûs agentis non ſit illuminare phantaſmata. Probatur. Vel hæc illuminatio fieret medio aliquo impreſſo phantaſmatibus, vel ſolùm extrinſecè: non hoc ſecundum, quia phantaſmata mediâ hac illuminatione redduntur apta ad producendam ſpeciem intelligibilem, & ita intrinſecè debent eleuari, ac immutari: nec primum poteſt dici, quia vel illud impreſſum eſt ſpirituale, vel corporeum; non eſt ſpirituale, quia debet recipi in ſubiecto corporeo; nec corporeum, quia immediatè procedit à potentia ſpirituali, & deinde quia non eleuaret phantaſmata ad producendam ſpeciem ſpiritualem: ergo intellectûs agentis non eſt illuminare phantaſmata.

§ 2. Præterea, Phantaſmata ſunt ſubiectiuè in phantaſia: ergo non poſſunt illuminari ab intellectu agente, qui non eſt in phantaſia: maximè quia ſic illuminata deberent concurrere, vt inſtrumenta intellectûs agentis, ad producendas ſpecies intelligibiles, inſtrumentum enim debet eſſe vnitum cauſæ principali: vel dicendum quòd pari modo intellectus agens poſſet vti aliis ſpeciebus intentionalibus aliorum ſenſuum ad productionem intelligibilium.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis & D. Thom. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi, quamuis ſit magna differentia inter illos in explicando quid ſit illa illuminatio.

Conclvsio.

Cùm phantaſmata reddantur actu intelligibilia ab intellectu agente, bene ſequitur quòd intellectûs agentis ſit illuminare phantaſmata.

Respondeo dicendum, quòd principale munus intellectûs agentis ſit illuminare phantaſmata 2. hæc illuminatio non ſit per hoc, quòd intellectus agens imprimat phantaſmatibus aliquam qualitatem completam, quæ dicatur lumen 3. nec ſit ſolùm obiectiuè, quaſi phantaſmata intrinſecè non immutentur 4. nec etiam ſit ſolùm virtualiter, per hoc præcisè quòd phantaſmata producantur à phantaſia, quæ naturali concomitantiâ conſequitur animam, in qua radicatur intellectus agens 5. ſed ſit per hoc quòd intellectus agens eleuat, & aſſumit phantaſmata mediâ aliquâ virtute inſtrumentariâ ad producendas in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles.

Probatur prima pars concluſionis, tum multiplici authoritate Ariſtotelis, & D.Thom. Ariſtoteles cap. 5. huius libri dicit intellectum agentem ſe habere ad intelligibilia, ſicut lumen externum ſe habet ad colores, quos ſuâ illuſtratione facit actu viſibiles, cùm ex ſe ſint tantùm viſibiles in potentia. Idem repetit alibi ſæpe. D. Th. 2. 2. quæſt. 173. art. 2. dicit quòd intellectus poſſibilis immutatur ab ſpeciebus phantaſmatum ſecundùm illuſtrationem intellectus agentis. Tum ſequenti ratione, Phantaſmata fiunt intelligibilia actu virtute intellectûs agentis, vt ſæpe dicunt Ariſtoteles & D.Th. ac admittunt communiter Philoſophi, & conſequenter manifeſtantur ipſi intellectui: ergo cùm ex S.Paulo omne, quod manifeſtat, ſit lumen, ipſa manifeſtatio phantaſmatum facta intellectui poſſibili ab intellectu agente eſt illuminatio: & ita principale munus intellectûs agẽtis eſt illuminare phãtaſmata.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Tum quia nullum accidens completum ſpirituale, quale eſſet iſtud procedens ab intellectu agente, qui eſt potentia ſpiritualis, poteſt naturaliter recipi in ſubiecto corporeo, ſicut ſunt phantaſmata. Tum deinde quia phantaſmata per hanc illuminationem aſſumuntur ab intellectu agente, tanquam inſtrumenta ad producendas ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili: conſtat autem quòd virtus inſtrumentaria non eſt qualitas completa, at tantùm motio quædam virtuoſua: ergo illuminatio phantaſmatum ab intellectu agente, non ſit per hoc quòd intellectus agens imprimat phantaſmatibus aliquam qualitatem ſpiritualem completam, quæ dicatur lumen.

Probatur tertia pars concluſionis contra Caietanum. Phantaſmata dicuntur illuminari per hoc quòd aſſumuntur ab intellectu agente, vt inſtrumenta ipſius ad productionem ſpecierum intelligibilium, vt conſtat communi conſenſu Philoſophorum: ſed inſtrumenta, dum aſſumuntur, immutantur intrinſecè per aliquid receptum à principali agente: ergo hæc illuminatio non ſit ſolùm obiectiuè, quaſi phantaſmata intrinſecè non immutentur. Deinde obiectum intellectûs poſſibilis debet eſſe immateriale: ergo illuminatio intellectûs agentis non eſt tantùm obiectiuè, quaſi virtute eius extrinſeca appareat obiectiuè in phantaſmatibus quidditas materialis, vt ſeparata à conditionibus indiuiduantibus: quia hæc quidditas quamdiu eſt in phantaſmatibus etiam ſic ſeparata eſt materialis, ac proinde nondum eſt intelligibilis actu.

Probatur quarta pars concluſionis contra Ferrarienſem, ex D.Thom. 2. contra gentes capite 77. Actio intellectûs agentis in phantaſmata præcedit receptionem intellectûs poſſibilis: ſed non poteſt intelligi hæc actio intellectûs agentis præcedere receptionem intellectûs poſſibilis quantùm ad ſpecies intelligibiles, ſi hæc illuminatio fiat modo hîc aſſignato, vt patet. Deinde hoc repugnat communi conceptioni, quam habent Philoſophi de hac illuminatione. Denique quia ex hoc ſequeretur quòd potiùs dicendum eſſet phantaſiam illuminari ab intellectu agente, quàm phantaſmata, quia non phantaſmata, ſed phantaſia naturali concomitantiâ conſequitur animam, & ita coniungitur intellectui agenti: ergo hæc illuminatio non ſit per hoc præcisè, quòd phantaſmata producantur à phantaſia, quæ naturali concomitantiâ conſequitur animam, in qua radicatur intellectus agens.

Probatur quinta pars concluſionis, quam ſequuntur noſtri Complutenſes in hoc libro diſput. 20. Bannes 1. p. quæſt. 79. art. 3. dub. 2. & 3. authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. apud quos idem eſt illuminari phantaſmata ab intellectu agente, & ſpeciem intelligibilem abſtrahi à

phantaſma

phantasmatibus per illuminationem intellectûs agentis: ait enim D.Th.2.2.quæst.173.art.2.quòd intellectus possibilis immutatur ab speciebus phantasmatum secundum illustrationem intellectûs agentis:sed hæc abstractio non potest fieri,nisi per hoc quòd phantasmata assumuntur ab intellectu agente,vt instrumenta,& eleuantur receptâ motione,& virtute instrumentariâ ad hoc,vt producant species intelligibiles repræsentantes quidditatem, quæ in phantasmatibus est absoluta conditionibus indiuiduantibus:quæ species cum sint spirituales,non possunt produci à solis phantasmatibus corporalibus, vt dicetur art. sequenti: constat autem instrumenta eleuari per virtutem intrinsecè receptam, proportionatam effectui producendo, & in eodem ordine:ergo hæc illuminatio fit per hoc quòd intellectus agens eleuet, & assumat phantasmata mediâ aliqua virtute instrumentaria ad producendas in intellectu possibili species intelligibiles.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa virtus intellectûs agentis impressa phantasmatibus,est motio instrumentaria spiritualis, ordinis tamen naturalis : nec est inconueniens, quòd aliquod spirituale accidens per modum transeuntis recipiatur in subiecto corporeo quamuis accidens perfectum non possit recipi : cuius ratio est, quia accidens perfectum, quod permanenter recipitur, subordinatur subiecto,in quo recipitur, quia datur propter ipsummet subiectum ,vnde non potest esse superioris ordinis : ipsæ autem motiones transeuntes non dantur propter subiectum,sed propter effectum,& ideo non subordinantur subiecto,vnde possunt esse superioris ordinis, vtpote proportionatæ effectui producendo:similis est virtus spiritualis , qua eleuantur Sacramenta , quamuis sit supernaturalis ordinis, quia datur in ordine ad effectum supernaturalem.

An secundum dicendum , quòd intellectus agens, cùm non sit affixus organo, satis est præsens phantasmatibus, licèt sint in phantasia , ad hoc vt illis vtatur tanquam instrumentis : non autem potest vti speciebus sensuum externorum , aut sensus communis , quia nondum sunt aptæ illuminari , cum sint adhuc nimis materiales : species autem tam phantasiæ , quam æstimatiuæ , & memoriæ sunt valde depuratæ à materia : vnde Intellectus agens omnibus illis vtitur,& omnes hic comprehenduntur sub nomine phantasmatis.

Articvlvs IV.

Vtrùm phantasmata illuminata ab intellectu agente concurrant efficienter ad productionem specierum intelligibilium?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd phantasmata illuminata ab intellectu agente non concurrant vllo modo efficienter ad productionem specierum intelligibilium. Ita tenent Suares 2. tom. summæ Theologicæ tract.3.lib.4.cap.2.& alij recentiores,qui dicunt illa solùm concurrere in genere causæ materialis. Probatur authoritate D. Th. & sancti August. D.Th.1.p. quæst. 84. art.6. sic ai : *Non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis,& perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.* S.August.12.super Genesim ad litteram sic ait: *Non est putandum aliquid agere corpus in spiritum , tanquam spiritus corpori facienti materiæ vice subdatur: omni enim modo præstantior est qui facit ea re, de qua aliquid facis* : Ergo cùm phantasmata illuminata sint corporea non possunt efficienter concurrere ad productionem specierum intelligibilium in intellectu possibili,qui est spiritualis.

§ 2. Præterea , Phantasmata illuminata nec propriâ virtute,nec in virtute intellectûs agentis possunt sic concurrere : non propriâ virtute , quia phantasmata cùm sint corporea , sunt inferioris ordinis respectu specierum intelligibilium quæ sunt purè spirituales , nunquam autem causa agens propriâ virtute , potest esse inferioris ordinis respectu effectus : non etiam in virtute intellectûs agentis, quia hæc virtus, si sit spiritualis , non potest recipi in phantasmatibus corporeis , cum inter recipiens & receptum debeat esse propotrio , omne enim quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Non autem potest esse corporea , quia per illam non proportionarentur phantasmata ipsis speciebus , cùm sint improportionata propter suam materialitatem & immaterialitatem specierum: ergo phantasmata illuminata ab intellectu agente non concurrunt efficienter ad productionem specierum intelligibilium.

§ 3. Econtra videtur quòd phantasmata sic illuminata concurrant ad talem productionem , vt causa principalis , sed partialis vna cum intellectu agente. Ita tenent Scotus in 4. d.3. q.8.ad 1. & aliqui alij. Probatur. Obiectum intelligibile est causa efficiens principalis , sed partialis respectu intellectionis , intellectio enim procedit à potentia intellectiua, tanquam à femina intellectuali , & ab obiecto vt à masculo , iuxta illud Aug. ab obiecto, & potentia paritur notitia:ergo est etiam causa principalis vna cum intellectu agente respectu speciei intelligibilis, qui enim est causa principalis prolis , debet etiam esse causa principalis seminis, quo generatur proles : species autem intelligibilis est semen respectu intellectionis , ac proinde etiam phantasma est causa principalis respectu speciei ; obiectum enim non concurrit ad productionem speciei intelligibilis, nisi per concursum phantasmatis.

§ 4. Præterea, Illud, cui assimilatur effectus, est causa principalis illius , vt patet inductione in omnibus , non enim effectus petit assimilari causæ instrumentali : sed intellectui agenti, & etiam phantasmati assimilatur species intelligibilis, illi quidem in spiritualitate,huic verò in repræsentatiua ratione talis obiecti:ergo vtrumque est causa principalis illius,partialis tamen.

Sed contra est expressa authoritas D.Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, vt Bannes 1.p.q.79. art.3.dub.4. Caietanus ibidem, Caprolus in 2.d.3.q.2. nostri Complutenses in præsenti , Ferrat. 2. contra gentes cap. 77. & alij etiam extra scholam Thomisticam.

Conclvsio.

Cum species intelligibiles purè spirituales sint repræsentatiuæ quidditatis materialis relucentis in phantasmatibus, phantasmata concurrunt instrumentaliter ad earum productionem.

Respondeo dicendum , quòd tam intellectus agens, quàm phantasmata ab ipso illuminata concurrunt immediatè ad productionem specierum intelligibilium , quæ immediatè fiunt per abstractionem à phantasmatibus 2. intellectus quidem agens vt ratio agendi principalis 3. phantasmata autem vt instrumenta intellectûs agentis 4. & etiam in genere causæ materialis 5.ad species autem intelligibiles, quæ relinquuntur ex intellectione , & vocantur expressè , concurrunt tantùm mediatè instrumentaliter.

Probatur prima pars conclusionis, tum communi consensu Philosophorum , tum sequenti ratione: si intellectus agens non concurreret , non requireretur eius illuminatio facta in phantasmatibus : si autem phantasmata non concurrerent,sed sufficerent duo intellectus,agens & possibilis , breui omnes species producerentur : cùm enim intellectus possibilis , sit semper dispositus ad illas recipiendas , & intellectus agēs sit causa naturalis,& consequenter necessariò agens , statim omnes produceret,cuius contrarium experimur: vnde limitatur à phantasmatibus : ergo tam intellectus agens, quàm phantasmata ab ipso illuminata concurrunt immediatè ad productionem specierum intelligibilium , quæ immediatè fiunt per abstractionem à phantasmatibus.

Probatur secunda, & tertia pars conclusionis authoritate D.Th. quodlibeto 8.art.3. vbi ait quòd in productione specierum intelligibilium intellectus agens concurrit principaliter,phantasma verò concurrit instrumentaliter, & q.10.de veritate art.6. ad 7.ait : *In receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit à phantasmatibus , se habent phantasmata vt agens instrumentale, & secundarium,intellectus verò agens,vt agens principale, & primum:*

& ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundùm conditionem vtriusque, & non secundùm conditionem alterius tantùm: & ideo intellectus possibilis recipit formas, vt intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed vt similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum. Idem sæpe alibi docet.

Secundò, species intelligibilis est repræsentatiua quidditatum materialium spirituali modo, id est, sine conditionibus indiuiduantibus, & in esse entitatiuo & naturali est purè spiritualis, vt dictum est ex D.Thom. ergo intellectus agens ad eius productionem concurrit actiuè principaliter, phantasma verò actiuè instrumentaliter: prima pars consequentiæ patet, nam effectus spiritualis debet habere causam principalem spiritualem, nunquam enim causa principalis est inferioris ordinis respectu effectus: secunda autem pars probatur, nam ipse intellectus agens non est repræsentatiuus obiecti vt patet, ac proinde quantùm ad hanc rationem repræsentatiui species intelligibilis procedit à phantasmate, nam cuiusvis rationis repertæ in effectu debet assignari aliqua causa: quòd autem non dependeat quantùm ad hanc rationem à phantasmate, vt à causa principali, sic ostenditur: dicta species tam in esse entitatiuo, quàm repræsentatiuo est purè spiritualis, repræsentat enim obiectum spiritualiter id est, sine conditionibus indiuiduantibus, & sic phantasma corporeum est inferioris ordinis respectu illius, sicut & respectu intellectûs possibilis, in quo species imprimitur, & sic non potest esse causa principalis, at tantùm instrumentalis: ergo ad productionem specierum intelligibilium, quæ immediatè fiunt per abstractionem à phantasmatibus, intellectus agens concurrit vt ratio agendi principalis, phantasmata autem vt instrumenta intellectûs agentis.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Intellectus agens determinatur à phantasmatibus ad hoc, vt producat tales, vel tales species, vnde non potest vti phantasmate hominis ad producendam speciem repræsentatiuam Leonis, vel econtra: sed ex phantasmate huius hominis educit speciem repræsentatiuam hominis, & ex phantasmate huius Leonis abstrahit speciem repræsentatiuam Leonis, constat autem quòd hic concursus est in genere causæ materialis: ergo phantasmata concurrunt etiam in genere causæ materialis ad productionem specierum intelligibilium. Nec tamen ex hoc est inferendum, quòd phantasma concurrat tantùm per modum exemplaris, sicut concurrit obiectum, vel vna imago dum depingitur alia à pictore: est enim latum discrimen in hoc exemplo, nam Pictor continet in se omnem rationem, quæ est in effectu producto, siue in imagine depicta de nouo, nam ad præsentiam illius primæ efformat in suo intellectu exemplar eius: in intellectu verò agente secluso phantasmate non reperitur ratio repræsentatiua obiecti, quæ est in specie intelligibili. Deinde exemplar, & modus determinationis per illud, solùm potest reperiri in agentibus per cognitionem, nam exemplar essentialiter est id, ad quod intuens agens operatur, intellectus verò agens est expers cognitionis. Nec potest dici quòd propter sympathiam potentiarum inter se, dum phantasia producit phantasma, intellectus agens producit speciem intelligibilem: quia cùm intellectus agens in se non habeat rationem repræsentatiui, quæ est in specie, non potest esse causa illius secundùm hanc rationem, quia nemo dat quod non habet, sed debet assignari alia causa, scilicet phantasma: nam vt dictum est, cuiusvis rationis in effectu repertæ debet necessariò assignari aliqua causa: & propterea sensus superiores non agunt, licèt habeant hanc sympathiam cum inferioribus, nisi priùs ab illis immutentur mediis speciebus, & cognitione propria: solùm conceditur hic modus operandi voluntati, ob maximam sympathiam cum intellectu, ipsa enim, cùm sit spiritualis, & inclinatio quædam in actu primo, nullo alio requisito ex parte intellectûs, præter propositionem & imperium, statim fertur in obiectum.

Probatur quinta pars conclusionis: istæ species expressæ immediatè producuntur ab intellectu possibili solo, constituto in actu per speciem impressam intelligibilem, & intellectionem, vt fatentur communiter Philosophi: ergo solùm mediatè producuntur ab intellectu agente, & phantasmatibus modo dicto: inquantum intellectus agens concurrit actiuè vt causa principalis, phantasmata verò vt instrumentalis ad productionem speciei intelligibilis, qua mediante fit intellectio, & producuntur illæ species expressæ ex intellectione relictæ: ac proinde eodem modo concurrunt, sed mediatè ad productionem harum specierum.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Thom. non negat sensibilem cognitionem esse causam aliquo modo, scilicet instrumentalem, cognitionis intellectualis, si non ratione sui, saltem ratione phantasmatis: sed negat esse causam totalem ipsius in genere causæ efficientis, subdit autem quòd in genere causæ materialis est quodammodo causa totalis, quia phantasma ita determinat intellectum agentem, vt debeat producere speciem intelligibilem repræsentantẽ hoc obiectum, & non aliud. Ad illud August. dicendum, quòd solùm probat aliquid corporeum non posse agere in spiritum, vt causam principalem, & in propria virtute, non autem probat quòd non possit agere, vt instrumentum, & in virtute alterius, vt patet in Sacramentis: licèt enim hoc sit in ipsis supernaturale, tamen necessariũ fuit, quòd etiam in ordine naturali intellectus agens spiritualis imprimeret aliquam virtutem spiritualem per modum transeuntis in phantasmata, per quam eleuata producerent speciem spiritualem: nec hoc mirandum est in homine, in quo anima purè spiritualis vnitur corpori.

Ad secundum dicendum, quòd phantasmata producunt speciem intelligibilem in virtute intellectûs agentis, quatenus ab ipso recipiunt aliquid spirituale, quo eleuantur: quia tamen illud non datur permanenter, & vt subordinetur subiecto recipienti, ideo non debet recipi ad modum ipsius, vt dictum est in Physicis.

Ad tertium dicendum, quòd cùm nullum obiectum intellectûs nostri pro hoc statu sit intelligibile in actu, sed solùm in potentia, fiat autem actu intelligibile mediante specie intelligibili producta virtute intellectûs agentis: ita solùm ratione ipsius, & illius esse spiritualis quod in ipsa habet, est causa principalis intellectionis, & propterea non est causa principalis ipsius speciei intelligibilis, cùm talis species, vtpote spiritualis, sit superioris ordinis: & ita solus masculus, qui habet in se virtutem propriam seminis, est non solùm causa principalis effectûs, sed etiam ipsius seminis: quòd tamen hîc non contingit.

Ad quartum dicendum, quòd cùm instrumentum concurrat per actionem sibi propriam & præuiam, ad quam se habet vt causa principalis, debet in effectu illi correspondere aliqua ratio tanquam causæ principali, in qua illi assimilatur: quamuis ad id quod est principale in effectu, non concurrat nisi instrumentaliter, & in virtute principalis agentis, & proinde quantùm ad id non assimilatur illi: vnde species assimilatur phantasmati quantùm ad hoc quòd representet talem naturam, quia ad hoc phantasma se habet vt causa principalis: quòd verò repræsentet spirituali modo, id est, sine conditionibus indiuiduantibus, & quòd in se sit spiritualis, non habet à phantasmate nisi tanquam ab instrumento: & sic in istis non assimilatur illi. Instrumentum autem per illam virtutem receptam subordinatur causæ principali, tanquam causæ eiusdem ordinis, & particulari, id est, causæ proximæ, intra cuius ordinem instrumentum eleuatum continetur.

QVÆSTIO XLII.

De Intellectu Possibili.

DEINDE considerandum est de intellectu possibili, ad cuius operationem ordinatur illuminatio intellectûs agentis, tanquam ad finem, circa quem quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm ens, siue verum in tota sua latitudine sit obiectum adæquatum intellectus possibilis?

¶ Secundò,

§ Secundò, Vtrum obiectum proportionatum, siue adæquatum intensiuè intellectûs humani sit sola quidditas materialis?

§ Tertiò, Vtrùm in parte intellectiua sit memoria realiter distincta ab intellectu possibili?

§ Quartò, Vtrùm intellectus speculatiuus & practicus, ratio superior & inferior realiter distinguantur?

Articvlvs I.

Vtrùm ens, siue verum in tota sua latitudine sit obiectum adæquatum intellectûs possibilis?

AD primvm sic proceditur. Videtur quòd ens, siue verum in tota sua latitudine non sit obiectum adæquatum intellectûs possibilis. Probatur. Nihil est cognoscibile ab intellectu nostro, nisi beneficio sensuum, vt patet ex illo axiomate Philosophico, nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: ergo ens in tota sua latitudine non est obiectum adæquatum intellectûs, quia solùm entia materialia cognoscuntur beneficio sensuum, vel tanquam obiectum primarium, vel tanquam obiectum commune, aut per accidens.

§ 2. Præterea, Sub ente in tota sua latitudine continetur ens naturale & supernaturale: sed sicut ens naturale attingitur potentiâ naturali, sic ens supernaturale requirit potentiam supernaturalem: est autem impossibile quòd vna & eadem potentia sit simul naturalis, & supernaturalis: ergo & quòd eius obiectum sit ens in tota sua latitudine.

§ 3. Præterea, Si ens in tota sua latitudine sit obiectum intellectûs humani, sequitur quòd intellectus humanus & Angelicus non distinguantur specie: nam haberent idem obiectum, à quo potentiæ specificantur: sed intellectus Angelicus est diuersæ speciei ab humano, cùm sit in diuerso gradu immaterialitatis, ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 4. ergo ens in tota sua latitudine non est obiectum adæquatum intellectûs possibilis.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur communiter omnes Thomistæ, & plures extra scholam eius, vt Scotus in 1. d. 3. q. 3. Fonseca 2. Metaph. cap. 1. q. 2. Suares 2. tom. Summæ Theologicæ tract. 3. lib. 4. cap. 1.

Conclvsio.

Cùm intellectus possibilis humanus possit extendi ad ens secundùm omnes suas partes, & non vltra, ens in tota sua latitudine est obiectum adæquatum intellectûs possibilis.

Respondeo dicendum, quòd obiectum adæquatum intellectûs humani est ens, aut verum in tota sua latitudine, à sub quo continetur ens rationis. Ad cuius euidentiam sciendum est duplex esse obiectum adæquatum alicuius potentiæ cognoscitiuæ: vnum adæquatum extensiuè, siue vt alij dicunt terminatiuum, ad quod secundùm omnes suas partes potest potentia aliquo modo extendi, non verò extra illud, & ita vocatur obiectum adæquatum extensionis: dicitur autem terminatiuum quia terminat totam virtutem potentiæ, & sic est terminus totius extensionis, vt ita dicamus & sphæra potentiæ. Aliud verò adæquatum intensiuè, siue vt alij dicunt adæquatum in ratione obiecti proportionati, & motiui, ad quod potentia debet non solùm attingere vtcumque secundùm omnia quæ continet, sed insuper debet posse ferri in illud virtute sua naturali, absque necessitate additionis nouarum virium, tanquam in obiectum connaturale, eo modo quo visus fertur ad omnes colores, & auditus ad omnes sonos: dicitur autem hoc obiectum adæquatum intensiuè, quia potentia suis viribus relicta habet sufficientem intensionem, siue efficaciam ad illud attingendum secundùm omnia quæ continet, sicut ob eamdem rationem dicitur obiectum proportionatum, quia non excedit vires naturales potentiæ: dicitur tandem motiuum, quia potest per se primò intentionaliter immutare potentiam, & illi connaturaliter vniri: præsens autem difficultas procedit de obiecto adæquato extensiuè, in articulo sequenti agitur de adæquato intensiuè.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 87. art. 3. ad 1. vbi sic ait: *Dicendum quòd obiectum intellectûs est commune quoddam, scilicet ens, & verum sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi:* Ibi autem loquitur de intellectu humano. Quæstione autem 79. art. 2. dixerat: *Intellectus enim, sicut supra dictum est, habet operationem circa ens in vniuersali*; Loquitur autem de intellectu in communi, nam postea explicat differentiam inter intellectum Diuinum, Angelicum, & humanum: vnde subdit: *Intellectus diuinus non est in potentia, sed est actus purus: nullus autem intellectus creatus potest se habere vt actus respectu totius entis vniuersalis, quia sic oporteret quòd esset ens infinitum: vnde omnis intellectus creatus per hoc ipsum quod est, non est actus omnium intelligibilium, sed comparatur ad ipsa intelligibilia sicut potentia ad actum*, &c. Item q. 79. art. 7. ait, *Intellectus autem respicit suum obiectum secundùm communem rationem entis, eo quòd intellectus possibilis est, quo est omnia fieri; vnde secundùm hoc nullam differentiam entium diuersificatur differentia intellectus possibilis.* Quod idem alibi sæpe docet: ergo obiectum adæquatum intellectûs humani est ens, aut verum in tota sua latitudine.

Secundò, illud est obiectum adæquatum extensionis alicuius potentiæ, ad quod secundùm omnes suas partes sumptum potest vtcumque extendi talis potentia, & non vltra illud, vt ex se patet: sed intellectus humanus potest vtcumque extendi ad ens, siue verum in tota sua latitudine, non verò vltra illud, nullum enim est ens, quod non possit vtcumque attingi ab intellectu humano, & ita valet vtcumque cognoscere Deum, vt est author naturæ & gratiæ, & consequenter quæcumque alia entia creata: aliàs intellectus humanus non posset etiam diuinitus eleuari ad videndum Deum, prout in se est, ad cognoscendos quoscumque effectus, siue naturales, siue supernaturales, quia implicat potentiam extendi vltra latitudinem sui obiecti adæquati, est autem de fide intellectum humanum sic eleuari: ex alia parte verò quidquid intellectus intelligit, illud intelligit sub ratione entis, aut veri vt etiam patet, & fatentur omnes: ergo obiectum adæquatum intellectûs humani est ens, aut verum in tota sua latitudine.

Probatur secunda pars conclusionis. Ens rationis est obiectum per se habitûs intellectualis, scilicet Logicæ vt dictum est supra, habitus autem alicuius potentiæ sunt determinationes ipsius in ordine ad peculiaria obiecta inadæquata, circa quæ ipsa versatur: ergo ens rationis non potest non pertinere, per modum obiecti formalis inadæquati, ad obiectum formale adæquatum intellectûs: & ita licèt in esse entis dependeat ab ente reali, non tamen in esse obiecti intelligibilis, quia habet proprias passiones, per quas intelligatur, & sciatur vt ostensum est in principio Logicæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam pro hoc statu entia spiritualia cognoscuntur ab intellectu humano, sed imperfectè ministerio sensuum. Deinde argumentum solùm procedit de intellectu pro hoc statu, & non simpliciter: vnde licèt totum concedatur, nihil concludit contra dicta.

Ad secundum dicendum, quòd intellectus humanus ex suis viribus potest cognoscere omnia entia naturalia, ad supernaturalia verò indiget eleuari lumine supernaturali: hæc autem non sunt incompossibilia, quòd potentia naturalis per aliquid supernaturale eleuetur, & constituatur in ordine supernaturali.

Ad tertium dicendum, quòd potentiæ non specificantur præcisè à ratione formali (quæ) sui obiecti, sed à ratione (sub qua) siue à modo tendendi, qui est diuersus respectu intellectûs humani & Angelici, nam intellectus humanus tendit per discursum, qui est modus conueniens intellectui, qui est pura potentia in ordine intelligibili, Angelicus verò tendit per simplicem notitiam, qui modus conuenit intellectui, qui in ordine intelligi-

bili partim eſt in actu, ſcilicet per ſpecies congenitas, & partim in potentia, ſcilicet ad intellectionem.

Articvlvs II.

Vtrùm obiectum proportionatum, ſiue adæquatum intenſiuè intellectûs humani ſit ſola quidditas materialis?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd obiectum proportionatum, ſiue adæquatum intenſiuè intellectûs humani non ſit ſola quidditas materialis. Probatur. Idem eſt obiectum adæquatum extenſionis, ſiue ſpecificatiuum alicuius potentiæ, ac obiectum illi proportionatum: cùm enim eſſentia potentiæ ſit in ordine ad obiectum à quo ſpecificatur, debet illi eſſe commenſurata, & obiectum proportionatum: ſed ens in tota ſua latitudine eſt obiectum ſpecificatiuum intellectûs humani: ergo & obiectum proportionatum, & ſic non eſt ſola quidditas rei materialis.

§ 2. Præterea, Si ſola quidditas rei materialis eſt obiectum proportionatum intellectûs humani, ſequitur quòd quantò res erit materialior, eò erit magis proportionata, nam ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis: ſed falſum eſt quòd res quantò eſt materialior, eò ſit magis proportionata intellectui, imò ex D.Thom. immaterialitas eſt ratio cognoſcibilitatis, tam actiuæ, quàm paſſiuæ: ergo obiectum proportionatum, ſiue adæquatum intenſiuè intellectûs humani non eſt ſola quidditas materialis.

§ 3. Præterea, Illud eſt obiectum proportionatum alicuius potentiæ, quod ipſa ſuis viribus poteſt perfectè attingere vt patet: ſed intellectus humanus, etiam pro hoc ſtatu, poteſt perfectè cognoſcere ſuis viribus, non ſolùm quidditates materiales, ſed etiam ſubſtantias immateriales, cùm ex ipſis materiales dependeant: deinde cognoſcit perfectè animam rationalem, alioquin non cognoſceret perfectè hominem per illam conſtitutum: ergo obiectum proportionatum, ſiue adæquatum intenſiuè intellectus humani non eſt ſola quidditas materialis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, & Scotus in 1. d. 3. q. 3. ac plures alij Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm ſola quidditas rei materialis fiat per ſe primò intelligibilis actu per operationem intellectûs agentis, ſitque in eodem gradu immaterialitatis cum intellectu humano, ipſa ſola eſt obiectum proportionatum, & adæquatum intenſiuè intellectûs humani.

Respondeo dicendum, quòd intellectus humanus pro hoc ſtatu habet pro obiecto proportionato ſolam quidditatem materialem, vt abſtractam à conditionibus materialibus indiuiduantibus. 2. in ſtatu verò ſeparationis habet pro obiecto proportionato, & per ſe primò quidditates rerum ſpiritualium conuenientium cum illo in eodem gradu immaterialitatis, ſcilicet animam rationalem à qua dimanat, & alias animas rationales. 3. non verò ſubſtantias Angelicas. 4. ac proinde intellectus humanus prout abſtrahit ab ſtatu huius vitæ ſiue vnionis, & ab ſtatu ſeparationis, præſcindit ab obiecto proportionato. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd conuenientia, quæ eſt inter intellectum humanum pro hoc ſtatu, & quidditatem rei materialis, eſt omnimoda, quia eſt tam quoad entitatem, quàm quoad modum eſſendi, ſi quidditas rei materialis ſumatur vt eſt obiectiua in ſpecie intelligibili: conuenientia autem, quam habet intellectus humanus pro hoc ſtatu cum ſubſtantiis ſpiritualibus, eſt tantùm quoad entitatem, non verò quoad modum eſſendi, quia ſicut intellectus humanus & eſt entitatiuè ſpiritualis, & iunctus materiæ, ſic quidditas rei materialis & eſt ſpiritualis in ſpecie intelligibili, & tamen eſt inuoluta conditionibus materialibus in ſuis indiuiduis: ſubſtantiæ verò ſpirituales ſeparatæ ſunt omnino ſpirituales, & ſeparatæ à materia, vt conſtat ex ipſis terminis: conuenientia autem in gradu immaterialitatis dicit conuenientiam, & quoad entitatem obiectiuam, & quoad modum eſſendi ipſius.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis in hoc libro textu 8. quem exponens D. Th. lect. 8. & loquens de obiecto proportionato intellectûs humani pro hoc ſtatu ſic ait: *Apparet autem ex hoc quod Philoſophus hic dicit, quòd proprium obiectum intellectûs eſt quidditas rei, quæ non eſt ſeparata à rebus vt Platonici poſuerunt, ſed aliquid in rebus ſenſibilibus exiſtens: licèt intellectus apprehendat alio modo quidditates rerum, quam ſint in rebus ſenſibilibus, non enim apprehendit eas cum conditionibus indiuiduantibus, quæ eis in rebus ſenſibilibus adiunguntur.* Item 1. p. q. 84. art. 7. ait, *Intellectûs Angelici, qui eſt totaliter à corpore ſeparatus, obiectum proprium eſt ſubſtantia intelligibilis à corpore ſeparata, & per huiuſmodi intelligibilia materialia cognoſcit: intellectûs autem humani, qui eſt coniunctus corpori, proprium obiectum eſt quidditas, ſiue natura in materia corporali exiſtens, & per huiuſmodi naturas viſibilium rerum etiam in inuiſibilium rerum aliquam cognitionem aſcendit.*

Secundò, illud eſt obiectum proportionatum & connaturale intellectûs poſſibilis pro hoc ſtatu, quod ſit per ſe primò intelligibile in actu per operationem intellectûs agentis, vt conſtat ex dictis, ad hoc enim natura inſtituit intellectum agentem, vt faceret intelligibilia actu ipſi intellectui poſſibili: ſed ſola quidditas rei materialis eſt huiuſmodi, vt etiam conſtat ex dictis: nam intellectus agens illuminando phantaſmata abſtrahit ſpecies intelligibiles repræſentantes illas quidditates, quæ in phantaſmatibus ſunt inuolutæ conditionibus indiuiduantibus & materialibus, ſiue prouenientibus à materia prima phyſica, quas conſtat eſſe quidditates rerum materialium, ſolæ enim iſtæ poſſunt eſſe in phantaſmatibus ſic inuolutæ: ergo intellectûs humani pro hoc ſtatu obiectum proportionatum & connaturale eſt ſola quidditas materialis, vt abſtracta à conditionibus materialibus indiuiduantibus.

Tertiò, obiectum proportionatum & connaturale alicuius potentiæ debet conuenire cum illa, ſi ſit cognoſcitiua, in eodem gradu immaterialitatis, cùm talis potentia debeat connaturaliter recipere ſuum obiectum proportionatum, & illi vniri, quod ſolùm poteſt fieri mediâ immaterialitate: ſed intellectus humanus pro hoc ſtatu ſolùm conuenit in gradu immaterialitatis cum quidditate rei materialis, nam ſicut ipſa obiecta intellectui, ita præſcindit à conditionibus indiuiduantibus, vt tamen ſit à parte rei in ipſis: ſic intellectus humanus ita eſt ſeparatus à materia, cùm non ſit affinis organo corporeo, vt tamen aliquo modo ſit vnitus cum illa inquantum ſubiectatur in anima rationali, quæ verè informat materiam. Non autem penitus conuenit in gradu immaterialitatis cum ſubſtantiis omnino ſeparatis à materia, vt dictum eſt: ergo ſola quidditas rei materialis eſt obiectum proportionatum intellectûs humani pro hoc ſtatu, vt abſtracta à conditionibus indiuiduantibus. Ex dictis duo infecâuntur. Primum quòd licèt indiuiduum materiale ſit obiectum proportionatum intellectûs humani pro hoc ſtatu, tamen non eſt primarium, ſed tantùm ſecundarium, & ideo non debet habere illam omnimodam conuenientiam in immaterialitate cum intellectu, nam ſicut eſt proportionatum illi ratione alterius tantùm, ſic ſufficit quòd illud alterum habeat illam omnimodam conuenientiam: dicitur autem ſecundariò proportionatum, quia ſingularitas eſt modificatio & determinatio quidditatis materialis, quæ eſt obiectum primarium. Secundùm quod infertur, eſt res materiales eſſe quidem obiectum proportionatum intellectûs Angelici, non quidem per ſe primum propter defectum omnimodæ conuenientiæ in immaterialitate, ſed tantùm per ſe ſecundarium, quia tenera non excedunt eius vires naturales, imò comprehenſiuè ab eo cognoſcuntur.

Probatur ſecunda, & tertia pars concluſionis authoritate

titate D.Thom. 1.p.q.89. art.2. vbi sic ait, *Modus autem substantiæ animæ separatæ est infra modum substantiæ Angelicæ, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum: & ideo de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet, de Angelis autem imperfectam & deficientem, loquendo de cognitione naturali animæ separatæ, de cognitione autem gloriæ est alia ratio.* Hoc autem fundatur in illo principio, quòd inter potentiam & obiectum per se primò proportionatum debet esse omnimoda conuenientia in immaterialitate, quam constat esse inter animam rationalem & eius intellectum, ac inter omnes animas intellectiuas, non verò inter prædictas animas & Angelos. Hic autem est sermo de obiecto proportionato per se primò, quod obiectum proportionatum potest etiam pro illo statu dici motiuum, non ex eo quidem quòd immittat suas species in intellectum (omnes enim species in instanti separationis infunduntur à Deo,) sed quia est talis naturæ, vt posset immutare potentiam, si ipsa immutaretur per immissionem specierum ab obiecto.

Probatur quarta pars conclusionis. Intellectus humanus, prout abstrahit ab statu huius vitæ siue vnionis, & ab statu separationis, abstrahit etiam à modo essendi, & à gradu immaterialitatis, quia non habet modum essendi, aut immaterialitatem, nisi in vno ex his statibus, nullum enim alium statum potest habere, nisi vnionis, aut separationis: sed obiectum proportionatum consequitur aliquem modum essendi rei, quandoquidem, non nisi vt est sub suo modo essendi, potest proximè & efficaciter operari circa illud, & non nisi quatenus habet prædictam efficacitatem proximam, correspondet ei obiectum proportionatum: ergo intellectus humanus, prout abstrahit ab statu huius vitæ siue vnionis, & ab statu separationis, præscindit ab obiecto proportionato.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt ens in tota sua latitudine sit obiectum proportionatum proportione requisita ad specificandum, non tamen est proportionatum proportione obiecti adæquati intensiuè, ita vt non requirat superadditionem virtutis & efficaciæ in potentia ad hoc vt ipsa perfectè terminetur ad omnia quæ sub illo continentur, etiam diuisiuè sumpta: hæ autem duæ proportiones sunt valde diuersæ, licèt secunda non possit esse sine prima, prima tamen potest esse sine secunda, & ita Deus clarè visus est intra latitudinem obiecti specificatiui, siue adæquati extensiuè intellectûs humani: non autem intra latitudinem obiecti proportionati, siue adæquati intensiuè.

Ad secundum dicendum, quòd ratio propter quam quidditas materialis est obiectum proportionatum intellectûs humani, non est eius materialitas, sed potiùs talis eius immaterialitas, vt dictum est, scilicet quatenus ita includit, vel concernit materiam in communi, vt simul abstrahat à materia singulari.

Ad tertium dicendum, quòd cùm substantiæ materiales non sint effectus adæquati substantiarum separatarum, non possunt nos inducere ad perfectam illarum notitiam, sicut nos inducunt quædam accidentia in perfectam cognitionem substantiæ ob contrariam rationem. Ad id autem de anima, dicendum quòd non cognoscitur perfectè in se pro hoc statu, & vt spiritualis est (vt quod,) sed tantùm vt habet esse corporeum (vt quo) siue vt constituit hominem. Deinde dato quòd ipsa esset obiectum proportionatum intellectûs pro hoc statu, quatenus ita est spiritualis, vt sit simul forma corporis, & ita aliquo modo conuenit cum immaterialitate intellectûs, non tamen sequitur quòd Angeli sint obiectum proportionatum, cùm sint in altiori gradu immaterialitatis.

Articvlvs III.

Vtrùm in parte intellectiua sit memoria realiter distincta ab intellectu possibili?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd in parte intellectiua non sit memoria, & si admittatur, quòd sit realiter distincta ab intellectu possibili. Probatur authoritate Aug. 13. de Trinitate cap. 3. & 8. vbi dicit, quòd ad partem superiorem animæ pertinent, quæ non sunt hominibus, pecoribúsque communia: sed ibidem docet in pecoribus esse memoriam: ergo memoria non pertinet ad superiorem partem animæ, & ita non est in parte intellectiua, quæ est pars superior animæ.

§ 2. Præterea, Quidquid recipitur in intellectu, est in ipso intelligibiliter, siue vt cognitum in cognoscente, per hoc enim distinguitur intellectus à sensu, quia intellectus est potentia solùm, idest, non affixus organo, & ita quidquid recipit, vitaliter & per modum potentiæ recipit: sensus autem, quia est affixus organo, ratione illius potest aliquid conseruare, & ita non vitaliter habere: ergo in parte intellectiua non est memoria, memoria enim importat quòd sit conseruatiua specierum, ac proinde quòd ipsæ species non sint actu intelligibiliter.

§ 3. Præterea, Memoria in parte intellectiua est superflua, quia intellectus possibilis ex vna parte non posset vti speciebus in illa conseruatis, sine conuersione ad phantasmata, quia pro hoc statu non potest intelligere sine tali conuersione: ex alia parte verò natura prouidit quòd phantasmata conseruentur in parte sensitiua, ex quibus potest intellectus elicere quando, & quales species voluerit: ergo in parte intellectiua non est memoria, nihil enim sit superfluum in natura: sicut in potentiis externis non est vis conseruatiua specierum, quia non possunt sentire, nisi sint obiecta earum præsentia, ipsis autem præsentibus statim recipiunt species & sentiunt.

§ 4. Præterea, Ideo in parte sensitiua memoria distinguitur realiter ab aliis sensibus, quia fertur in rem vt præteritam, quam rationem non considerant alij sensus: sed etiam memoria intellectiua, si admittatur, fertur in rem vt præteritam, saltem in esse intellectæ: ergo si in parte intellectiua admittatur memoria, est potentia realiter distincta ab intellectu possibili, & hoc docet Aug. 10. de Trinitate cap. 11. & 12. vbi ponit in mente tria, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem.

Sed contra est authoritas Aristotelis in hoc 3. libro textu 8. & D. Thom. quos sequuntur fere omnes Philosophi, & Theologi.

Conclvsio.

In parte intellectiua est memoria, non quidem propriè & rigorosè sumpta, nec realiter distincta ab intellectu possibili.

Respondeo dicendum, quòd si memoria sumatur pro potentia spirituali habente virtutem conseruatiuam specierum intelligibilium. 2. & vim ad attingendum obiectum intelligibile vt antea cognitum, reuera in parte intellectiua est memoria. 3. non autem, si memoria sumatur pro potentia terminata ad obiectum vt præteritum, non solùm in esse cogniti, sed etiam in esse rei, quod importat memoria propriè & rigorosè sumpta: tunc enim memoria est tantùm in parte sensitiua. 4. memoria intellectiua non distinguitur realiter ab intellectu possibili, sed est eadem realiter potentia.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis in hoc 3. libro textu 8. & D. Thom. ibidem lect. 8. vbi efficaciter impugnat Auicennam sentientem contra Aristotelem, species intelligibiles non conseruari in intellectu. Hoc idem 1.p.q.79. art.6. vbi ita concludit: *Sic igitur si memoria accipiatur solùm pro vi conseruatiua specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiua parte.* Cuius præmisit rationem: *Quod enim*, ait, *recipitur in aliquo, recipitur in eo secundùm modum recipientis*: Intellectus autem est magis stabilis naturæ, & immobilis, quàm materia corporalis: si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solùm tenet, dum per eas agit in actu, sed etiam postquam agere cessauerit, multò fortiùs intellectus immobiliter & inamissibiliter recipit species intelligibiles, siue à sensibilibus acceptas, siue etiã ab aliquo superiori intellectu effluens: ergo in parte intellectiua est memoria, si memoria sumatur pro potentia spirituali habente virtutẽ conseruatiuam specierum intelligibiliũ.

Probatus

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione D. Thom. articulo 6. citato ad 2. vbi sic ait: *Et ideò sicut intelligit seipsum intellectus, quamuis ipse sit quidam singularis intellectus, ita intelligit suum intelligere: quod est singularis actus, vel in præterito, vel in præsenti, vel in futuro existens.* Sic igitur saluatur ratio memoriæ quantùm ad hoc, quòd est præteritorum in intellectu, secundùm quòd intelligit se priùs intellexisse, & consequenter secundùm quòd intelligit obiectum illius intellectionis priùs etiam fuisse ab eo intellectum: ergo in parte intellectiua est memoria, si memoria sumatur pro potentia spirituali habente vim ad attingendum obiectum intelligibile, vt antea cognitum.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. art. 6. citato, vbi ait: *Si verò de ratione memoriæ sit, quod eius obiectum sit præteritum, vt præteritum memoria in parte intellectiua non erit, sed sensitiua tantùm, quæ est apprehensiua particularium: præteritum enim vt præteritum, cùm significet esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet.* Et in responsione ad 2. ait: *Vnde simul animal memoratur se prius sensisse in præterito, & se sensisse quoddam præteritum sensibile: sed quantùm ad partem intellectiuam pertinet, præterite accidit, & non per se conuenit ex parte obiecti intellectus: intelligit enim intellectus hominem inquantum est homo, homini autem inquantum est homo, accidit vel in præsenti, vel in præterito, vel in futuro esse: ex parte verò actus præteritio per se accipi potest etiam in intellectu, sicut in sensu, quia intelligere animæ nostræ est quidam particularis actus in hoc vel in illo tempore existens, secundùm quòd dicitur homo intelligere nunc, vel heri, vel cras.* Et hoc non repugnat intellectualitati, quia huiusmodi intelligere, quamuis sit quoddam particulare, tamen est immaterialis actus, & concludit sic: *Igitur saluatur ratio memoriæ quantùm ad hoc, quod est præteritorum in intellectu secundùm quòd intelligit se prius intellexisse, non autem secundùm quòd intelligit præteritum, prout est hîc, & nunc.* Item q. 10. de veritate art. 2. vbi ait: *Memoria secundum cõmunẽ vsum loquentium accipitur pro notitia præteritorum:* Cognoscere autem præteritũ vt præteritum, est eius, cuius est cognoscere præsens vt præsens, vel nunc, hoc autem est sensus: sicut enim intellectus non cognoscit singulare vt est hoc, sed secundùm communem quamdam rationem, vt inquantum est homo, vel albus; vel etiam particulare, non inquantum est hic homo, vel particulare hoc: ita etiam intellectus cognoscit præsens & præteritum, non inquantum est nunc, & hoc præteritum: vnde cùm memoria secundùm propriam sui acceptionem respiciat ad id, quod est præteritum respectu huius nunc, constat quod memoria propriè loquendo non est in parte intellectiua, sed sensitiua tantùm: sed quia intellectus non solùm intelligit intelligibilia, sed etiam intelligit se intelligere, ideo nomen memoriæ potest extendi ad notitiam, qua etsi non cognoscatur obiectum vt in præteritione modo prædicto, cognoscitur tamen obiectum, de quo etiam priùs est notitia habita, inquantum aliquis scit se eam priùs habuisse. Ex dictis sequitur quòd quamuis actus singulares intellectûs cognoscantur ab ipso intellectu reflexè & indirectè vt præteriti, non tamen potest hoc modo recordari singularis alicuius materialis, vt præteriti præcisè: cuius disparitatis ratio est, quia natura vniuersalis non potest attingi ab intellectu, nisi mediis suis actibus in singulari acceptis, & adhuc conseruando rationem obiecti per se & proportionati, potest per se modificari per illos: at verò eadem natura vniuersalis hoc ipso quòd cognoscatur cum singularitate, & determinata per illam, statim amittit rationem obiecti per se & proportionati intellectûs, & propterea in esse talis obiecti nunquam est coniuncta cum illa: & ideo intellectus non potest esse respectu singularium materialium, prout secundùm se prætereunt: bene tamen respectu naturæ vniuersalis, vt est præterita, non quidem secundùm se, cùm secundùm se non subiaceat præteritioni, aut futuritioni, sed vt in esse intellectæ habet rationem præteritæ: non tamen per hoc negatur, quin intellectus per accidens & secundariò possit versari circa singularia, similiter memoria intellectiua per quamdam extensionem, sed non debet ferri iudicium ex his quæ per accidens contingunt.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate Aristotelis in præsenti, & D. Thom. 1. p. q. 79. art. 7. vbi sic ait: *De ratione memoriæ est quòd sit thesaurus, vel locus conseruatiuus specierum: hoc autem philosophus in 3. de anima attribuit intellectui vt dictum est: non ergo in parte intellectiua est alia potentia memoria ab intellectu:* Cuius rationem ibidem affert Diuus Thomas *Quia ens in esse intellecti continetur sub ratione entis in communi:* Ergo intellectus possibilis, qui versatur circa ens in communi, potest etiam versari circa illud in esse intellecti, quod est proprium officium memoriæ intellectiuæ: sicut eadem potentia, quæ potest videre visibile in communi; potest videre hoc visibile: & ita memoria intellectiua non distinguitur realiter ab intellectu possibili, sed est eadem realiter potentia.

Ad primum ergo dicendum cum Thom. 1. p. q. 79. art. 6. ad 1. quod memoria secundùm quòd est conseruatiua specierum, non est nobis pecoribúsque communis: species enim conseruantur non in parte animæ sensitiuæ tantùm, sed magis in coniuncto, cùm vis memoratiua sit actus organi cuiusdam: sed intellectus secundùm seipsum est conseruatiuus specierum præter concomitantiam organi corporalis.

Ad secundum dicendum, quòd aliquid potest esse dupliciter in intellectu, vel in actu primo per speciem intelligibilem, vel in actu secundo per actualem cognitionem, & vtroque modo dicitur esse in intellectu intelligibiliter, quamuis diuersimodè vt docet D. Thom. articulo citato ad 3. ait enim quòd species intelligibiles aliquando sunt in intellectu in potentia tantùm; & tunc dicitur intellectus esse in potentia, aliquando autem secundùm vltimam completionem actûs, & tunc intelligit actu, aliquando medio modo se habet inter potentiam & actum, & tunc dicitur esse intellectus in habitu. Et secundùm hunc modum intellectus conseruat species, etiam quando actu non intelligit, vnde differentia illa adducta inter sensum & intellectum est ficta, multæ aliæ sunt veræ.

Ad tertium dicendum, quòd nisi species intelligibiles conseruarentur, non facile recordaremur præteritorum: imò hoc esset casuale, quòd illorum recordaremur, nam actus producendi phantasmata sæpe oritur ex imperio intellectûs, & tunc actus intellectûs simpliciter præcedit actum phantasiæ & influxum phantasmatis: actus autem intellectûs necessariò præsupponit aliquam speciem, per quam fiat, vnde cùm non possit esse species post eius imperium producta, debet esse species antiqua conseruata: constat autem quòd esset defectus in homine, & multa damna incurreret, nisi esset ista facilis recordatio præteritorum. Ad illud de sensibus externis constat ex dictis, quòd alia requiritur dispositio in organo ad facile recipiendas species intentionales, & alia ad conseruandas: potentiæ externæ indigent organo facilè receptiuo, & ita non est conseruatiuum: natura autem prouidit de memoria sensitiua, vt facile recordaremur omnium, quæ sensibus percipimus, vnde ratio adducta in obiectione nulla est.

Ad quartum dicendum, quòd hoc est discrimen inter potentias sensitiuas & intellectiuas, quòd sensitiuæ, quia sunt limitatæ & inferioris ordinis, respiciunt obiecta limitata verbi gratiâ memoria respicit præteritum vt præteritum præcisè, intellectiua verò, cùm sit spiritualis, non habet hanc limitationem, & ita respicit obiectum suum sub ratione magis vniuersali, scilicet entis, quæ omne ens comprehendit. Ad Aug. Dicendum cum D. Thom. 1. p. q. 79. articulo 7. ad 1. quòd non accipit hæc tria pro tribus animæ potentiis sed accipit memoriam pro habituali animæ retentione intelligentiam pro actu intellectûs, & voluntatem pro actu voluntatis.

Articvlvs IV.

Vtrùm intellectus speculatiuus & practicus, ratio superior & inferior realiter distinguantur?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd intellectus speculatiuus & practicus, ratio superior & inferior realiter distinguantur. Probatur. Diuersa ratio obiecti diuersificat potentias: sed obiectum intellectûs speculatiui est verum speculabile, practici verò est bonum operabile: ergo intellectus speculatiuus & practicus realiter distinguuntur.

¶ 2. Præterea, Ex Philosopho 2. de anima apprehensiuum & motiuum sunt diuersa genera potentiarum: sed intellectus speculatiuus est apprehensiuus, intellectus autem practicus est motiuus: ergo intellectus speculatiuus & practicus realiter distinguuntur.

¶ 3. Præterea, Nihil oritur à seipso vt patet: sed ratio inferior oritur à superiori, & ab ea regulatur, ac dirigitur: ergo ratio inferior & superior realiter distinguuntur: propterea August. ait 12. de Trinitate, quòd imago Trinitatis est in superiori parte rationis, non autem in inferiori.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in hoc libro textu 7. & D. Thom. quos penè omnes Philosophi sequuntur.

Conclvsio.

Intellectus speculatiuus & practicus, sicut & ratio superior ac inferior non distinguuntur realiter.

Respondeo dicendum, quòd intellectus speculatiuus & practicus, 2. sicut & ratio superior ac inferior prout de illis loquitur Aug. 12. de Trinitate, non sunt duæ, sed vna & eadem potentia.

Probatur prima pars conclusionis authoritate, & ratione D.Thom. 1. p. quæst. 79. art. 11. vbi sic arguit: *Sed contra est quod dicitur in tertio de anima, quod intellectus speculatiuus per extensionem fit practicus: vna autem potentia non mutatur in aliam*: Ergo intellectus speculatiuus & practicus non sunt diuersæ potentiæ. Cuius rationem ibidem sic proponit D. Thom. *Quod accidentaliter se habet ad obiecti rationem, quam respicit aliqua potentia, non diuersificat potentiam: accidit enim colorato quod sit homo, aut magnum, aut paruum, vnde omnia huiusmodi eadem visiua potentia apprehenduntur: accidit autem alicui apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus, vel non ordinetur: secundùm hoc autem differunt intellectus speculatiuus & practicus, nam intellectus speculatiuus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem: practicus verò intellectus dicitur, qui hoc quod apprehendit, ordinat ad opus, & hoc est quod Philosophus dicit in 3. de anima, quod speculatiuus differt à practico, fine: vnde & à fine denominatur vterque, hic quidem speculatiuus, ille verò practicus id est operatiuus*: Ergo intellectus speculatiuus & practicus non distinguuntur realiter, sed sunt vna & eadem potentia.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate, & ratione D.Th. 1. p. q. 79. art. 9. vbi sic ait: *Sed contra est quod August. dicit 12. de Trinitate, quòd ratio superior & inferior, non nisi per officia distinguuntur*: Non ergo sunt duæ potentiæ, quod etiam repetit in corpore articuli, & probat hac ratione: *Secundùm Augustinum ratio superior est, quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis; conspiciendis quidem, prout ea in seipsis speculatur; consulendis verò secundùm quod ex eis accipit regulas agendorum: ratio verò inferior est, quæ intendit temporalibus rebus; hæc autem duo, scilicet temporalia & æterna comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod vnum eorum est medium ad cognoscendum alterum; nam secundùm viam inuentionis per res temporales in cognitionem deuenimus æternorum secundùm illud Apostoli ad Rom. 1. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: in via verò iudicij per æterna iam cognita de temporalibus iudicamus, & secundùm rationes æternorum temporalia disponimus*: Ergo non pertinent ad diuersas potentias, licèt enim medium cognoscendi, & conclusiones possint pertinere ad diuersos habitus, non tamen ad diuersas potentias, vt patet inductione in omnibus: maximè quia actus potentiæ rationalis in homine est quidam motus de vno in aliud, siue de medio ad vltimum perueniens: & ita ratio superior & inferior sunt vnica potentia intellectûs possibilis.

Ad primum ergo dicendum cum D.Thom. 1. p. q. 79. art. 11. ad 2. quòd verùm & bonum se inuicem includunt: nam verum est quoddam bonum, alioquin non esset appetibile, & bonum est quoddam verum, alioquin non esset intelligibile. Sicut igitur obiectum appetitûs potest esse verum, inquantum habet rationem boni, sicut cùm aliquis appetit veritatem cognoscere: ita obiectum intellectûs practici est bonum ordinabile ad opus sub ratione veri, intellectus enim practicus veritatem cognoscit sicut speculatiuus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus: & sic cùm potentiæ non distinguantur, nisi per obiecta formalia, non verò per rationes accidentales obiectorum, intellectus verò practicus respiciat suum obiectum sub eadem ratione formalissima, ac speculatiuus, scilicet sub ratione veri, & hinc accidat quòd ordinetur, vel non ordinetur ad opus, sequitur quòd nō distinguantur realiter.

Ad secundum dicendum cum D. Thom. ibidem ad 1. quòd intellectus practicus est motiuus, non quasi exequens motum, sed quasi dirigens ad motum; quod conuenit ei secundùm modum suæ apprehensionis.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. eadem q. art. 9. ad 2. quòd ratio inferior dicitur à superiori deduci, vel ab ea regulari, inquantum principia, quibus vtitur inferior ratio, deducuntur & diriguntur à principiis superioris rationis. Ad illud August. dicendum, quòd non est necesse distinguere rationem in duas partes, quasi in duas potentias, sed sufficit distinguere diuersa officia eiusdem potentiæ, quæ inquantùm attendit æternis, in quo elucet imago Trinitatis, dicitur ratio superior; inquantum verò attendit temporalibus, dicitur ratio inferior.

QVÆSTIO XLIII.

De speciebus Intelligibilibus & Intentionalibus.

Qvia species intelligibiles, quasi vicariæ obiecti intellectûs, sunt cum ipso intellectu comprincipium intellectionis, ideo postquam de intellectu actum est, antequam de intellectione agatur, de ipsis agendum est, ac simul de speciebus intentionalibus sensuum, quia maximam habent cum ipsis sympathiam: vnde quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm intellectus & sensus indigeant speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones?

¶ Secundò, Vtrùm species impressæ tam intelligibiles, quàm intentionales repræsentent formaliter sua obiecta?

¶ Tertiò, Vtrùm species intelligibiles & intentionales sint eiusdem naturæ cum suo obiecto in esse repræsentatiuo?

¶ Quartò, Vtrùm potentia cognoscitiua fiat per identitatem in esse cognoscibili ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatum?

¶ Quintò, Vtrùm species impressa concurrat actiuè ad cognitionem?

¶ Sextò, Vtrùm pro hoc statu dentur species intelligibiles, quæ formaliter & directè repræsentent singularia materialia?

Articvlvs I.

Vtrùm intellectus, & sensus indigeant speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd intellectus & sensus non indigeant speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones. Ita tenent quantùm ad sensus,

sensus, tam externos, quàm internos Galenus 7. de platitis, Plotinus, & alij: quantùm verò ad intellectum tenent Themistius, & alij quos refert Toletus: vniuersaliter autem quantùm ad omnes potentias cognoscitiuas tenent Ocham in 2. q. 17. Gabriel. d. 3. quæst. 2. Durandus q. 6. & alij. Probatur sigillatim. Si essent necessariæ tales species, maximè vt ab eis determinarentur sensus externi ad cognoscenda hæc potius obiecta, quàm illa: sed propter hunc finem non requiruntur, nam cùm sensus externi non possint sentire nisi obiecta realiter sibi præsentia, sufficienter determinantur per talem præsentiam ad hoc, vt hæc obiecta scilicet præsentia potiùs, quàm illa scilicet absentia percipiant: ergo sensus externi non indigent speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones.

¶ 2. Præterea, Sensus interni sufficienter determinantur per determinationem sensuum externorum, sensus enim interni non possunt sentire, nisi mediante sensatione externorum, & ita cùm externi sint determinati sine speciebus, etiam interni: ergo sensus interni non indigent speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones, imò repugnat quòd eas habeant propter sequentia inconuenientia. Primum, quia essent in continua cognitione omnium obiectorum, quorum haberent species; cuius contrarium experimur. Secundum, quia duo accidentia solo numero distincta, scilicet duæ species essent in eodem subiecto. Tertium, quia accidens magnæ extensionis reciperetur in exiguo subiecto, scilicet species repræsentans ingentem molem.

¶ 3. Præterea, Si intellectus haberet suas species, intelligeret independenter à phantasmatibus, cuius contrarium docent omnes Philosophi. Deinde relationes, negationes, priuationes, & substantiæ separatæ pro hoc statu non possunt intelligi per species intelligibiles, hæ siquidem abstrahuntur à phantasmatibus, & prædicta non habent phantasmata. Denique intellectus sufficienter determinatur ad suam cognitionem per sensationes sensuum internorum, sicut sensus interni per actiones externorum, & hi per præsentiam obiecti: hoc enim exigunt potentiæ, & causæ subordinatæ, Sol quippe determinatur in sua productione à causis inferioribus: ergo intellectus non indiget speciebus impressis ad eliciendam suam cognitionem.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in hoc libro textu 3. 6. & 38. D. Thom. ibidem lect. 7. 13. & alibi passim, S. August. lib. 10. Confess. cap. 10. S. Anselmi in monologio cap. 36. S. Damasceni lib. 2. Orthodoxæ fidei, quos communiter sequuntur Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm tam sensus, quàm intellectus pro hoc statu sint pura potentia in ordine sensibili, & intelligibili, indigent speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones.

Respondeo dicendum, quòd omnis sensus cognoscitiuus, & etiam intellectus indigent speciebus impressis ad eliciendas suas cognitiones. Probatur authoritate Arist. & D. Thom. locis citatis, sed præcipuè lect. 13. vbi sic ait: *Intellectus est quadam potentia receptiua omnium formarum intelligibilium, & sensus est quadam potentia receptiua omnium formarum sensibilium.*

Secundò, sensus & intellectus pro hoc statu sunt pura potentia in ordine sensibili & intelligibili, vt communiter docent Philosophi cum Aristot. vnde est illud proloquium, quòd dum nascimur, intellectus humanus est quasi tabula rasa: ergo nisi priùs actuentur per formas sibi proportionatas, siue per species intentionales & intelligibiles, non possunt elicere suas cognitiones: sicut enim materia prima ex eo quòd est pura potentia in genere entis, siue in ordine naturali, non potest concurrere ad operationem modo sibi proprio, scilicet constituendo suppositum operans, nisi actuetur per formam sibi proportionatam, sic intellectus & sensus secundùm se præcisè sumpti, quia sunt pura potentia in ordine sensibili & intelligibili, non poterunt modo sibi proprio, id est, sensibiliter & intelligibiliter operari, nisi priùs actuentur per formam intelligibilem & intentionalem eisdem proportionatam.

Tertiò, intellectus & similiter sensus est de genere potentiarum vitalium passiuarum, vt fatentur communiter Doctores: ergo oportet quòd priùs perficiatur, immutetur, ac determinetur ab obiecto per aliquid intrinsecum, quàm eliciat suam operationem, quia iuxta illud Augustini *Ab obiecto & potentia paritur notitia*, Intellectio, sicut & sensatio est quidam partus: & ita potentia intellectiua, quæ se habet ad instar fœminæ parientis, debet priùs fœcundari & pati ab obiecto, vel per seipsum, vel per aliquid habens se ad modum seminis eiusdem obiecti, scilicet per speciem intelligibilem: & maximè quia intelligendo ordinariè producit verbum, siue speciem expressam, quam cùm sit expressa similitudo obiecti, intellectus non potest producere, nisi sit similis obiecto antecedenter in actu primo per aliquid, scilicet per speciem impressam, cùm ex se non sit similis obiectis, quæ ab illo essentialiter distinguuntur, & denique quia, vt communiter docent Doctores, in hoc distinguuntur potentiæ cognoscitiuæ à non cognoscitiuis, quòd istæ feruntur ad sua obiecta, illæ verò attrahunt ad se propria obiecta: & propterea beatitudo nostra, quæ debet esse actus vitalis ab anima elicitus, & simul possessio summi boni, consistit in actu intellectûs, nam intellectio est ipsa tentio vitalis, & possessio sui obiecti in actu secundo, sicut intellectus est ipsa vis & facultas ad possidendum & habendum in se suum obiectum: ac proinde necessarium est, quòd obiectum vniatur per seipsum cum illo, vel gerendo rationem speciei, vt accidit in Beatis, vel immittendo aliquid quod sui vices gerat, scilicet speciem intelligibilem, quæ est vicaria, aut vices gerens obiecti: potentia enim passiua alicuius obiecti debet pati ab illo, vel per hoc quòd recipiat ipsum, vel aliquid ab eo immissum & ex parte eius se tenens.

Ad primum ergo dicendum, quòd obiectum habet duplicem rationem respectu potentiæ, scilicet terminatiui & motiui: licèt autem concederetur quòd in ratione terminatiui sufficeret præsentia, non tamen in ratione motiui, sed sic debet vniri illi intimè per suam speciem: si enim sufficeret sensui præsentia obiecti, æqualiter videretur & audiretur ictus campanæ procul existentis. Deinde experientia nos docet, quòd dantur tales species, videmus enim illas in speculo, & videmus etiam nos per illas reflexas.

Ad secundum dicendum, quòd licèt sensus interni non possint sentire, nisi præcedat sensatio externa, tamen non sufficit hæc determinatio quasi intrinseca, quæ fit per operationes aliarum potentiarum, quæ in eadem anima radicantur: hic enim modus determinationis intrinsecæ non tollit à potentiis vitalibus rationem potentiæ purè actiuæ, vt patet in voluntate: vnde potentiæ passiuæ vltra hoc requirunt determinari per aliquid in se receptum. Nec ex dictis sequuntur inconuenientia assignata. Non primum, quia licèt phantasia conseruet suas species, non tamen est semper in actuali cognitione, & maximè plurium obiectorum, cùm sit virtutis limitatæ: cur autem vtatur hac specie potiùs, quàm illâ, prouenit vel ex aliquo excitante extrinseco, vel ex aliquo humore intrinseco, vel ex appetitu maximè rationali in nobis, cui quoad vsum tam habitus, quàm species intentionales subordinantur. Nec secundum, quia licèt sit impossibile, quòd duo accidentia in esse naturali solo numero distincta sint in eodem subiecto, non tamen in esse diminuto & intentionali, quia sub tali esse habent à natura, quod se potiùs teneant ex parte obiecti, quàm ex parte subiecti, maximè quia non sunt in eadem parte subiecti, illæ enim species non sunt confusæ & permixtæ, sed ordinatæ in phantasia. Nec tandem tertium, quia cùm illæ species sint immateriales, licèt repræsentent rem ingentem, possunt tamen recipi in organo parum extenso.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis ad intelligendum, tantùm requiratur species intelligibilis, & intellectus tanquam rationes per se primæ intelligendi: tamen

requiritur,

sequitur, vt conditio, conuersio ad phantasmata, vt dicetur infra, qui modus operandi sequitur modum essendi: cùm igitur intellectus, & species sint quodammodo in corpore, quia sunt in anima informante illud, debent aliquo modo in sui operatione pendere ab operatione corporea, scilicet ab operatione sensûs interni, siue à conuersione ad phantasmata. Ad aliud dicendum, quòd illa enumerata, licèt non concedantur cognosci per proprias species, tamen possent cognosci per species aliorum, quibus sunt connexa: nam sicut intellectus ex cognitione vnius obiecti deuenit arguitiuè in cognitionem aliorum similium, aut dissimilium habentium cum illo aliquam conuenientiam: sic etiam potest per speciam prædicti obiecti cognoscere arguitiuè alia. Ad aliud patet ex dictis quòd potentiæ passiuæ recipiunt aliquid in se, quo determinantur in genere causæ formalis, Sol verò est causa purè actiua, vnde non est simile de ipso, ac de potentiis passiuis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm species impressæ, tam intelligibiles, quàm intentionales repræsentent formaliter sua obiecta?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd species impressæ, tam intelligibiles, quàm intentionales non repræsentent formaliter sua obiecta, sed tantùm virtualiter. Ita tenent Suares 3. tom. summæ Theologiæ tract.3. de anima libro 3. cap.2. Torres de Trinitate q.27. disp.5. quæst.1. Toletus, Ruuius, & alij in præsenti. Probatur. Productio verbi est quidam partus potentiæ cognoscitiuæ, in quo vt ait August. 1. de Trinitate cap. 12. species se habet ad instar seminis, & verbum ad instar prolis: ergo sicut in generatione naturali semen non repræsentat formaliter, sed solùm virtualiter & efficienter ipsum generans, inquantum efficit instrumentaliter prolem ei similem, sic species solùm repræsentat obiectum, à quo procedit virtualiter, & non formaliter.

¶ 2. Præterea, Diuina essentia vnitur intellectui Beato per modum speciei impressæ ad visionem creaturarum, & tamen tantùm causaliter & virtualiter illas repræsentat. Similiter per speciem vnius intellectus cognoscit aliud simile, aut dissimile arguitiuè: constat autem, quòd species vnius non potest esse formalis repræsentatio alterius, sed ad summum virtualis: ergo species impressæ non repræsentant formaliter sua obiecta.

¶ 3. Præterea, Si species impressa esset formalis similitudo obiecti, intellectus præcisè per receptionem ipsius constitueretur intelligens, absque eo quòd eliceret actionem vitalem, & produceret verbum, quia tunc fieret formaliter illi similis, quod est ipsum intelligere, nam cognitio est assimilatio ex illo Ioannis 2. c.3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, Item ex illo Aug. 14. de Trinit. cap. 11. *Tunc fore perfectam Dei similitudinem in mente, cùm fuerit perfecta Dei visio:* Sed est falsum, quòd intellectus constituatur intelligens præcisè per receptionem speciei impressæ: ergo species impressæ non repræsentant formaliter sua obiecta.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos sequuntur Caietanus 1. part. quæst. 55. art.3. Bannes quæst.85. art.2. concl.3. Nazarius quæst 12. art. 2. controu. 1. & quæst. 27. art. 1. Ferrar. 2. contra gentes cap.8. nostri Complutenses in præsenti, & plures alij etiam extra Scholam D. Thom.

CONCLVSIO.

Cùm species impressa per se primò sint à natura instituta ad repræsentandum obiectum primarium, & productio Verbi sit generatio quædam vitalis, & Verbum procedat vt filius, species impressa repræsentat formaliter sua obiecta.

RESPONDEO dicendum, quòd species impressæ repræsentant formaliter suum obiectum primarium. Ad cuius euidentiam sciendum est duo esse genera entium: quædam sunt primariò instituta vt sint, [illegible] secundariò habeant repræsentare, alia verò per se primò sunt instituta vt repræsentent. Quæ sunt prioris generis, licèt possint formaliter repræsentare, non tamen necessariò id exigunt, sicut exigunt ea quæ sunt posterioris generis respectu sui obiecti primarij: & ratio videtur manifesta, quia quod est per se primò institutum ad repræsentandum, est talis conditionis, vt primum quod ei competit, sit esse repræsentatiuum sui obiecti: id autem quod solùm virtualiter competit alicui, non est primum quod ei competit, sed primum quod ei competit est esse formaliter tale, ratione cuius continet virtualiter aliud, vt patet ex se & inductione in omnibus.

Item sciendum est, quòd quamuis in esse entitatiuo & ordine naturali species impressa, verbum, & obiectum essentialiter distinguantur, nam species est ex se permanens & quasi habitus, verbum autem est per modum dispositionis, quia ex se citò transiret, licèt ratione subiecti diu permaneat, vnde species distinguuntur: obiectum verò est ordinariè in genere substantiæ, tamen ista tria in esse repræsentatiuo, & ordine intelligibili sunt idem, & habent eamdem omnino naturam numero, sed sub diuerso modo, vt articulo sequenti dicetur: propterea obiectum & species impressa non ponunt in numero ad productionem verbi, vel in ordine ad influendum ad intellectionem, quia obiectum non concurrit, nisi vt est intelligibile per dictam speciem, & species non concurrit, nisi vt vicaria obiecti: in generatione autem naturali generans, & semen concurrunt vt duo, generans vt causa principalis, semen vt instrumentum: & ideo filius non assimilatur semini, sed generanti, quia effectus non assimilatur instrumento vt sic, sed tantùm causæ principali: in generatione verò intellectiua verbum debet assimilari, tum obiecto, tum speciei impressæ, imò quia vni, etiam alteri: & hoc maximè quia hæc generatio intellectualis est ad intra & immanens, vnde principium debet esse ad intra & vnitum cum intellectu, non quidem secundùm suum esse naturale, cùm sit impossibile, sed secundùm esse intentionale quod habet in specie: & ideo licèt in generatione naturali (quæ non est simul intellectualis) generans & semen ponant in numero, quia talis generatio transit ad extra, nec generans est vnitum genito, sed tantùm semen, in hac tamen intellectuali ob contrariam rationem iam dictam species & obiectum non ponunt in numero.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis, & D. Th. Aristoteles supra libro secundo, capite 12. comparat impressionem specierum, quæ fit ab obiecto, impressioni quæ fit in cera per annulum: ergo sicut hæc est formalis similitudo annuli, sic illa obiecti. Item capite 5. dicit potentiam sensitiuam per receptionem speciei fieri talem, quale est obiectum, quod denotat similitudinem formalem in specie, quod enim solùm virtualiter repræsentat aliud, est diuersæ speciei ab illo. D. Thom. multis locis id ipsum probat, vt 2. contra gentes cap.98. & libro tertio, capite 49. item quodlib. 8. articulo 4. ubi, *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quodammodo ipsa quidditas & natura rei secundùm esse intelligibile, non secundùm esse naturale prout est in rebus:* Constat autem quòd hæc identitas in esse intelligibili importat formalem similitudinem speciei cum obiecto; & non solùm virtualem. Item prima parte quæstione 12. articulo secundo, probat non posse dari speciem impressam diuinæ essentiæ, quia supponit quòd deberet repræsentare ipsam, non tantùm virtualiter vt patet, cùm multa repræsentent virtualiter diuinam essentiam: & ita intelligit de repræsentatione formali. Denique infinitis locis docet species impressas esse similitudines obiecti: similitudo autem importat formalem, & non tantùm virtualem repræsentationem: ergo species impressa repræsentat formaliter suum obiectum primarium.

Secundò, species impressa per se primò est instituta à natura ad repræsentandum suum obiectum primarium

ex communi conſenſu Philoſophorum : & ratio eſt, quia tantùm eſt inſtituta ad hoc vt recipiatur in potentia cognoſcitiua, & ſit vicaria obiecti, & mediante illâ potentia vniatur obiecto in ordine ad cognitionem : ergo ſpecies impreſſa eſt formalis ſimilitudo obiecti primarij, ſiue illud repræſentat formaliter, vt conſtat ex dictis. Quod manifeſtè apparet in ſpeciebus quæ relucent in ſpeculo.

Tertiò, probatur ratione D.Thom. 1. part. quæſt. 27. articulo ſecundo, productio creata verbi eſt generatio quædam vitalis, & verbum procedit vt filius, licèt non ſecundùm eſſe naturale, tamen ſecundùm eſſe intentionale & repræſentatiuum, vt communiter fatentur Doctores, qui propterea productionem verbi vocant partum & generationem vitalem, conuenit enim illi definitio generationis propriæ, productio enim verbi eſt origo viuentis à viuente, nam verbum eſt terminus intrinſecè vitalis à vitali principio procedens, & eſt à principio coniuncto, ſcilicet mediante ſpecie impreſſâ vnitâ cum intellectu, in quo eſt ipſum verbum, quod tandem procedit in ſimilitudinem naturæ cum ſuo principio, ſcilicet obiecto, nam in eſſe repræſentatiuo eſt ei omninò ſimile, & ſic proceſſio verbi eſt generatio vitalis, & verbum ſecundùm quid, ſiue in eſſe intentionali & repræſentatiuo procedit vt filius : & propter hanc rationem productio Verbi Diuini ex vi propriæ lineæ eſt generatio ſimpliciter, & in eſſe naturali, quod non eſſet, ſi productio verbi non haberet ex vi ſua eſſe aliquo modo, ſiue ſecundùm quid generationem : ergo ſpecies impreſſa eſt formalis ſimilitudo obiecti, non minùs quàm verbum adæquatum illius : quod enim procedit tanquam quid vitaliter genitum, & vt filius, debet eſſe ſimile ſuo principio, vel in eſſe naturali, & eſſe eiuſdem naturæ, ſi ſit filius naturalis, vel in eſſe intentionali, & eſſe eiuſdem naturæ cum eo in eſſe repræſentatiuo, ſi ſit filius in eſſe intentionali : vnde cùm ſpecies impreſſa ſit principium verbi fœcundans intellectum in ordine ad eius generationem, neceſſe eſt vt verbum, & prædicta ſpecies ſint eiuſdem naturæ in eſſe repræſentatiuo, ac proinde ſicut verbum repræſentat formaliter obiectum, vt omnes fatentur, ſic ſpecies impreſſa repræſentat illud formaliter, & non tantùm virtualiter.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſpecies impreſſa comparatur ſemini quantùm ad hoc, quod eſt id quo producitur verbum, ſicut ſemen eſt id quo generatur filius : eſt autem magnum diſcrimen inter ipſa in modo concurrendi, vt dictum eſt : vnde comparatio non tenet quoad omnia.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſpecies impreſſa non debet neceſſariò repræſentare formaliter obiecta ſecundaria, ſed ſufficit quòd virtualiter repræſentet : eſſentia autem diuina ſolùm repræſentat creaturas vt obiectum ſecundarium : & ideo tantùm virtualiter & cauſaliter repræſentat.

Ad tertium dicendum, quòd intellectus per receptionem ſpeciei impreſſæ non eſt conſtitutus intelligens actu, ſed tantùm intellectiuus proximè : vnde eſſe ſic ſimilem obiecto, non eſt ipſum intelligere, intellectio verò dicitur aſſimilatio, quia & illam præſupponit per ſpeciem impreſſam, & cauſat per expreſſam : vnde non formaliter, ſed tantùm concomitanter, & cauſaliter eſt aſſimilatio : & ita intelligendi ſunt S. Ioannes, & S. Auguſtinus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſpecies intelligibiles & intentionales ſint eiuſdem naturæ cum ſui obiecto in eſſe repræſentatiuo?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpecies intelligibiles & intentionales non ſint eiuſdem naturæ cum ſuo obiecto in eſſe repræſentatiuo. Ita tenent Albertus magnus de anima tract. 9. Fonſeca 2. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. Molina 1. p. q. 12. art. 1. Vaſques ibid. art. 2. Suares tom. 2. ſummæ Theolog. tract. 3. de anima lib. 3. cap. 2. Toletus, & Ruuius in præſenti. Probatur authoritate D.Thom. qui q. 8. de veritate art. 11. ad 3. ſic ait: *Dicendum quòd inter cognoſcens & cognitum non exigitur ſimilitudo, quæ eſt ſecundùm conuenientiam in natura, ſed ſecundùm repræſentationem tantùm : conſtat enim quòd forma lapidis in anima eſt longè alterius naturæ quàm forma lapidis in materia.* Ergo ſpecies intelligibiles & intentionales non ſunt eiuſdem naturæ cum ſuo obiecto in eſſe repræſentatiuo.

§ 2. Præterea, Species habent omnino contrarias conditiones ab obiecto, nam ſpecies eſt accidens, obiectum verò multoties eſt ſubſtantia. Deinde ſpecies poſitæ ſupra ſenſum non impediunt ſenſationem, ſicut impedit obiectum. Denique ſpecies v.g. ſoni non audiuntur, auditur tamen ipſe ſonus : ergo ſpecies non ſunt eiuſdem naturæ cum ſuo obiecto in eſſe repræſentatiuo, quæ enim ſunt eiuſdem naturæ, habent eaſdem omnino conditiones.

§ 3. Præterea, Albedo & nigredo ſunt incompoſſibiles in eadem parte ſubiecti, non tamen ſpecies albedinis & nigredinis : ergo ſpecies & obiectum non ſunt eiuſdem naturæ, cùm non habeant eaſdem proprietates.

SED CONTRA eſt authoritas Ariſtot. & D.Thom. quos ſequuntur communiter Thomiſtæ Caietanus 2. de anima cap. 11. & 1. p. quæſt. 79. art. 2. Ferrar. 1. contra gentes cap. 44. & 3. cap. 49. Bannes, Zumel, Nazarius, Ripa, Gonzales 1. p. quæſt. 14. art. 1. noſtri Complutenſes in præſenti, ac alij extra ſcholam D. Th. vt Durandus in 4. d. 49. quæſt. 2.

CONCLVSIO.

Cùm ſpecies intelligibiles & intentionales ſint ſimilitudines formales ſuorum obiectorum, ſunt eiuſdem naturæ cum ipſis in eſſe repræſentatiuo.

RESPONDEO dicendum, quòd ſpecies intelligibiles, & intentionales ſunt eiuſdem rationis & naturæ cum ſuis obiectis primariis. 2. non quidem abſolutè & ſimpliciter, ſiue in modo naturali eſſendi. 3. ſed quodammodo, ideſt, in eſſe intentionali : & ideo illamet natura numero albedinis, quæ eſt in pariete ſub modo eſſendi naturali, eſt in ſpecie viſibili intentionaliter & repræſentatiuè.

Probatur concluſio quoad omnes partes authoritate Ariſtot. & D.Thom. Ariſtot. illam docet in hoc libro textu 121. & 7. Metaphyſicæ lect. 6. apud D.Th. vbi ſic ait: *Ab arte verò fiunt, quorum forma in anima eſt, atque formam dico quidditatem cuiuſque.* Quod ſic exponit D.Th. *Dicit ergo primò quòd illa fiunt ab arte, quorum ſpecies factiua eſt in anima : per ſpeciem autem exponit quod quid erat eſſe cuiuſlibet rei factæ per artem, vt quod quid erat eſſe domus, quando fit domus,* Et clariùs quodlibeto 8. art. 4. vbi ait : *Species intelligibilis eſt ſimilitudo ipſius eſſentiæ rei, & eſt quodammodo ipſa quidditas & natura rei ſecundùm eſſe intelligibile, non ſecundùm eſſe naturale, prout eſt in rebus.* Idem repetit alibi ſæpe.

Secundò, ſpecies intelligibiles & intentionales dicunt relationem ſimilitudinis ad ſua obiecta primaria, cùm illa formaliter repræſentent, & ſint formales illorum ſimilitudines vt dictum eſt, non quidem ſub eſſe naturali, ſed ſub eſſe intentionali & repræſentatiuo : quod autem eſt ſimile alteri, refertur ad illud relatione ſimilitudinis : ergo ipſæ ſpecies habent vnitatem naturæ cum ſuis obiectis primariis ſub diuerſo modo eſſendi, ſimilitudo enim in natura fundatur in vnitate & identitate naturæ, quia ideo vnum eſt ſimile alteri, quia habet id ipſum, quod in alio eſt : ſi autem ſit ſimilitudo præcisè in vnitate ſpecifica cum diſſimilitudine in differentia indiuiduali, tunc eſt identitas in prædicta natura cum diuerſitate numerica : ſi verò ſimilitudo ſit in natura, tam ſecundùm ſpeciem, quàm ſecundùm vnitatem numericam, ſub diuerſo tamen modo eſſendi conſideratam, tunc eſt identitas & vnitas in prædicta natura eodem modo accepta, vt hîc contingit.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Thom. in quodlibeto citato ſe explicat, ſcilicet quòd obiectum, & ſpe-

cies

cies non sunt eiusdem naturæ simpliciter, sed cum addito, scilicet in esse intentionali species est ipsum obiectum: quòd autem non sint simpliciter eiusdem naturæ, patet quia ipsa natura est sub diuerso modo, in obiecto quidem connaturaliter & connaturali modo existendi, non autem in specie, vbi tantùm habet esse intentionale proportionatum potentiæ cognoscitiuæ.

Ad secundum dicendum, quòd diuersus modus essendi est ratio istius diuersitatis in eadem natura: vnde species repræsentans substantiam, licèt in esse naturali sit accidens, tamen in esse intentionali est substantia. Ad aliud dicendum, quòd obiectum positum sopra sensum impedit sensationem, propter materialitatem, quam habet in esse naturali, à qua multum depuratum est sub esse intentionali in ipsa specie: & ita vt sic non impedit sensationem: immaterialitas enim est causa cognitionis, & cognoscibilitatis, quam materialitas impedit. Ad aliud dicendum, quòd species soni auditur vt quo, & sonus vt quod, hoc enim petit diuersus modus existendi ipsius naturæ soni in ipso sono, & in eius specie.

Ad tertium dicendum, quòd albedo & nigredo sunt contrariæ & incompossibiles, non præcisè ratione naturæ secundùm se sumptæ, sed vt est sub modo naturali, & ideo hoc non competit ei vt est sub modo essendi intentionali: quia verò sensus & intellectus non comparantur ad species intelligibiles & intentionales quantùm ad esse repræsentatiuum, quod in ipsis est formale per modum subiecti propriè talis, quia secundùm hanc rationem non petunt inhærere: propterea nec ipsæ species secundùm hanc rationem indiuiduantur ab illis, sed à natura ipsa repræsentata, vt est sub modo essendi naturali.

Articulus IV.

Vtrùm potentia cognoscitiua fiat per identitatem in esse cognoscibili ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatum?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd potentia cognoscitiua non fiat per identitatē in esse cognoscibili ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatum. Ita tenent multi extra scholam D.Thom. Probatur authoritate eiusdem D. Thom. qui 1. p. quæst. 55. art.1. ad 2. sic ait: *Dicendum quòd sicut sensus in actu, est sensibile in actu, vt dicitur in 2. de anima, non ita quòd ipsa vis sensitiua sit ipsa similitudo sensibilis qua est in sensu. sed quia ex vtrôque fit vnum sicut ex actu & potentia: ita & intellectus in actu, non quòd substantia intellectûs sit ipsa similitudo per quam intelligit, sed quia illa similitudo est forma eius.* Et in 1.dist.35.quæst.1. art.1.ad 3. ait: *Vnde sicut anima non est aliud ab homine, ita intellectum in actu non est aliud ab intellectu intelligente actu, sed idem; non tamen ita quòd species illa sint substantia intellectûs, vel pars eius, nisi formalis: sicut nec anima fit corpus*: Ergo potentia cognoscitiua non fit per identitatem in esse cognoscibili ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatum.

¶ 2. Præterea, Species intentionalis vnitur cum sensu, & intellectualis cum intellectu, sicut accidens cum subiecto, quia secundùm omnia quæ habet, educitur de potentia sensûs & intellectus: ergo potentia cognoscitiua non fit per identitatem in esse cognoscibili ipsamet species, nec obiectū per illam repræsentatum, nullum enim subiectū fit per identitatem forma quam recipit. Deinde, vel prædicta essentialia speciei formaliter sumptæ fiunt prædicata essentialia potentiæ cognoscitiuæ, vel non: primum non potest dici, quia cùm potentia cognoscitiua sit pura potentia in esse cognoscibili, non potest fieri suus actus in ordine cognoscibili scilicet species, sicut nec materia potest fieri suus actus & forma, quia in ordine entitatiuo est pura potentia: si dicatur secundum, potentia non fit ipsa species, nam quæ habent principia essentialia distincta, non possunt esse idem.

¶ 3. Præterea, Ex opposito sequuntur duo inconuenientia. Primum quòd v.g. intellectus Petri & Pauli sint idem: nam quilibet esset idem cum natura quam intelligit: potest autem contingere quòd sit eadem: constat autem quòd quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Secundum, quod intellectus Beati esset Deus dum Deum videt, & habet diuinam essentiam vnitam per modum speciei intelligibilis, quod tamen est falsum, nam simul esset creatum quid, & increatum &c. ergo potentia cognoscitiua non fit per identitatem in esse cognoscibili ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatum.

Sed contra est authoritas Arist. & D.Thom. quos sequuntur communiter Thomistæ, Cornejo 1.p. q. 14. dub.4. & alij.

Conclusio.

Cùm speciei intelligibili, aut intentionali secundùm formalem rationem repræsentatiui, non conueniat per esse quod sint accidens, aut inhæreant: potentia cognoscitiua fit per identitatem ipsa species in esse cognoscibili, & obiectum per illam repræsentatum.

Respondeo dicendum, quòd potentia cognoscitiua fit per identitatem res cognita. 2. non quidem in esse naturali & entitatiuo, siue simpliciter & absolutè. 3. sed secundùm quid & cum addito, id est, sub modo essendi cognoscibili & repræsentatiuo. 4. ac proinde fit etiam per identitatem ipsa species formaliter sumpta.

Probatur conclusio authoritate Aristot. & D. Thom. Aristoteles in hoc libro textu 37. sic ait: *Nunc autem de anima dicta recapitulantes dicamus iterum, quòd omnia ea quæ sunt, quodammodo est anima: aut enim sensibilia quæ sunt, aut intelligibilia. Est autem scientia quidem scibilia quodammodo, sensus autem sensibilia.* Quod exponit D. Thom. lect. 13. *Dicit ergo primo quòd nunc recapitulantes, quæ dicta sunt de anima, vt ex his propositum ostendamus, dicamus quòd omnia quodammodo est anima: omnia enim quæ sunt, aut sunt sensibilia, aut intelligibilia, anima autem est quodammodo omnia sensibilia, & intelligibilia, quia in anima est sensus, & intellectus siue scientia: sensus autem est quodammodo ipsa sensibilia, & intellectus intelligibilia.* Item textu 38. sic ait Philosophus: *Necesse est autem aut ipsa, aut species esse: ipsa quidem igitur non sunt: non enim lapis in anima est, sed species:* Quod sic exponit D.Thom. loco citato: *Ostendit quòd alio modo est omnia, quàm antiqui ponerent, & dicit quòd anima est omnia, necesse est quòd sit, vel ipsa res scibiles & sensibiles sicut Empedocles posuit, quòd terra terram cognoscimus & aquâ aquam, & sic de aliis; aut sit species ipsorum: non autem anima est ipsa res, sicut illi posuerunt, quia lapis non est in anima, sed species lapidis: & per hunc modum dicitur intellectus in actu esse ipsum intellectum in actu, inquantum species intellecti est species intellectûs in actu.* Idem docet alibi.

Secundò, in specie intelligibili per accidens, & de materiali se habet (si ipsa formalissimè & in ratione speciei, siue cum præcisione eorum, quæ intra propriam lineam dicit, sumatur,) quòd sit accidens, aut substantia in esse entitatiuo & naturali, quod patet manifestè: nam licèt in nobis sit accidens, tamen in Deo cognoscente, in Angelis etiam cognoscentibus respectu propriæ essentiæ, ac in omnibus respectu visionis beatificæ est substantia: & ita per hoc quòd sit substantia, vel accidens non amittit suam propriam & atomam rationem, si vniat idem obiectum cum potentia intellectiua: vnde species Gabrielis, quæ est in intellectu Michaelis, est eiusdem rationis atomæ in ratione speciei cum specie intelligibili, qua Gabriel seipsum intelligit, non obstante quòd hæc sit substantia Gabrielis, & illa in esse entitatiuo sit accidens. Deinde etiam per accidens se habet in illa sic formalissimè sumpta, quòd inhæreat, aut informet per informationem patentem distinctionem realem inter formam & rem informatam, aut quòd intellectui vniatur quasi subiecto ipsam sustentanti, quia inhærere est proprium accidentis, & informare prædicto modo est proprium formæ substantialis in esse entitatiuo,

cùm sibi sit vera causalitas formæ communicatæ suo susceptibili: vnde cùm speciei per accidens conueniat esse accidens, aut substantiam, etiam per accidens conueniet quòd inhæreat, aut informet prædicto modo: ergo si species sumatur secundùm ea præcisè, quæ intra propriam lineam dicit, debet vniri per identitatem in esse intelligibili cum intellectu, nam vnio alicuius formæ vt sic, qualis est vnio speciei intelligibilis formalissimè sumptæ, solùm potest esse vel per inhærentiam, vel per prædictam informationem, vel per identitatem, vt patet: & sic, cùm non sit duobus primis modis, nec per identitatem in esse naturali, erit per identitatem secundùm quid, scilicet in esse intelligibili, quæ identitas non est tanta, quin admittat separationem extremorum sic vnitorum, possunt enim separari: vnde est identitas minima & infima, quæ ab aliis vocatur intima vnio speciei ac obiecti mediante specia per terminationem obiectiuam, quæ maior est vnione formæ cum materia, & accidentis cum subiecto: quod colligitur à posteriori, non enim materia per vnionem informationis dicitur esse forma, aut subiectum dicitur esse accidens per vnionem inhærentiæ, sicut potentia cognoscitiua mediante hac vnione dicitur communiter à Philosophis esse obiectum cognitum: quamuis hæc ratio directè procedat de potentia intellectiua, potest etiam applicari potentiæ sensitiuæ cognoscitiuæ: vnde sicut qui habet naturam lapidis in esse naturali, est simpliciter & in esse naturali lapis, sic sensus & intellectus, dum illam habent in esse intelligibili & intentionali per speciem, sunt in esse intelligibili & vel intentionali lapis, ac ipsa species lapidis formaliter sumpta, eadem quippe est natura in lapide, ac in specie lapidis, quamuis diuerso modo, vt dictum est.

Ad primum ergo dicendum quòd, D.Thom. in illis locis loquitur de specie sumpta secundùm esse naturale & entitatiuum, siue vt est accidens & forma naturalis respectu intellectûs, quod conuenit speciei vt sic per accidens: per hanc enim vnionem sensus & intellectus non fiunt obiectum cognitum, hæc tamen vnio præcedit aliam in esse cognoscibilis & repræsentatiui, ordo quippe entitatiuus & naturalis est prior ordine intelligibili & sensibili: de hac autem vnione, quæ causat identitatem potentiæ cognoscitiuæ cum obiecto, loquitur in locis adductis pro nobis.

Ad secundum dicendum, quòd præter illam vnionem in ratione accidentis, & quamcumque aliam in esse naturali, est vnio speciei in esse cognoscibilis & repræsentatiui: & secundùm hanc rationem species non educitur, sed coëducitur ad eductionem sui in esse entitatiuo & naturali sumptæ, quod de materiali dicit, & cum quo identificatur: & hoc sufficit vt non dicatur creari secundùm aliquid sui. Ad aliud dicendum, quòd ad hanc identitatem, cùm non sit in esse naturali & entitatiuo, non requiritur quòd prædicata essentialia speciei etiam formalissimè sumptæ fiant prædicata essentialia potentiæ cognoscitiuæ.

Ad tertium dicendum, quòd primum inconueniens non sequitur: nam illatio est mala, quia ab identificatione extremorum in esse cognoscibili cum medio, concludit identificationem extremorum inter se in esse naturali & entitatiuo. Ad aliud dicendum, quòd intellectus Beati videns Deum, fit Deus in esse intelligibili iuxta illud Ioannis: Cùm apparuerit similes ei erimus: nec est inconueniens quòd intellectus fiat hoc modo per participationem Deus, ens increatum &c. manens in suo esse naturali ens finitum, creatum &c.

Articvlvs V.

Vtrùm species impressa concurrat actiuè ad cognitionem?

A D qvintvm sic proceditur. Videtur quòd species impressa non concurrat actiuè ad cognitionem. Ita tenent simpliciter Henricus quodlibeto 4. quæst. 7. Toletus 2. de anima quæst. 12. & alij. Bannes autem 1. p. quæst. 12. art. 1. & quæst. 85. art. 2. quamuis concedat concursum actiuum ad cognitionem speciei, quæ est accidens: illum tamen negat speciei, quæ est substantia, qualis est essentia diuina in visione beatifica, & substantia Angeli in cognitione propria: huic enim speciei concedit tantùm quòd vniat obiectum cum potentia. Probatur. Cognitio cùm sit quid vitale, est multò nobilior specie impressâ, quæ non est quid vitale: non enim petit fieri à principio vitali, vt constat in speciebus sensibilibus, quæ procedunt ab extrinsecis obiectis: ergo species impressa non concurrit actiuè ad cognitionem, causa enim actiua debet esse nobilior suo effectu.

¶ 2. Præterea, Quamuis possint dari duæ causæ totales diuersi ordinis & subordinatæ respectu eiusdem effectûs, non possunt tamen dari duæ causæ totales proximæ saltem naturaliter, vt communiter docent Philosophi: ergo cùm potentia cognoscitiua sit causa actiua totalis suæ cognitionis & proxima, species impressa non potest concurrere ad illam actiuè.

¶ 3. Præterea, Si quæ species concurrit actiuè ad cognitionem & est ratio agendi, debet subordinari virtuti cognoscitiuæ, concurrit enim vt principium (quo) Principium autem actiuum (quo) subordinatur principio (quod) cùm sit ipsi ratio agendi: sed species quæ est substantia, non subordinatur potentiæ cognoscitiuæ, cùm sit nobilior ipsâ potentiâ, quod autem est nobilius, non subordinatur alteri ignobiliori, subordinatio enim importat dependentiam, imperfectiorem, & inferioritatem: ergo saltem species impressa quæ est substantia, non concurrit actiuè ad cognitionem.

¶ 4. Præterea, Nulla substantia potest esse immediatum principium operandi, vt docet D. Thom. ergo species, quæ est substantia creata, non potest concurrere actiuè ad cognitionem, cùm speciei concursus, si sit actiuus, debeat esse proximus & immediatus, nihil enim mediat inter ipsum & cognitionem: ac proinde nec substantia Dei increata concurrit actiuè per modum speciei: quia si in primo euentu inuenitur potentia immediatè concurrere actiuè, signum est quòd absolutè ex se petat sic concurrere.

Sed contra est authoritas expressa D. Thom. quem sequuntur nostri Complutenses in præsenti, & nostri Salmanticenses 1. part. quæst. 12. Gonzales ibidem disp. 25. dicens esse communem sententiam inter Thomistas.

Conclvsio.

Cùm verbum productum per intellectionem assimiletur speciei impressæ, ipsáque concurrat per modum formæ, concurrit actiuè ad cognitionem.

Respondeo dicendum, quòd species impressa concurrit actiuè ad cognitionem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd species impressa, siue intentionalis, siue intelligibilis, est comprincipium intellectualis, aut sensitiuæ cognitionis, vnáque cum potentia cognoscitiua ad illam concurrit: vnde debet intimè vniri potentiæ, tanquàm vicem gerens obiecti, & constituere ipsam potentiam in actu primo adæquato: & ita hæ species sunt prouisæ à natura in ordine ad potentiam, quæ ipsum obiectum immediatè propter eius materialitatem non potest recipere: obiecta autem materialia producunt has species in virtute lucis medij, ac cœlestis influentiæ, & hoc necessariò. Quod optimè explicat D.Thom. quæst. 5. de potentia art. 8. his verbis: *Elementa ergo agunt in virtute corporum cœlestium, & corpora cœlestia agunt in virtute substantiarum separatarum, vnde cessante actione substantia separata oportet quòd cesset actio corporis cœlestis, & eâ cessante oportet quòd cesset actio corporis Elementaris.* Sed sciendum quòd corpus habet duplicem actionem, vnam quidem secundùm proprietatem corporis, vt scilicet agat per motum (hoc enim est proprium corporis, vt motum moueat & agat:) aliam autem actionem habet secundùm quòd attingit ad ordinem substantiarum separatarum, vt participat aliquid de

de modo ipsarum : hæc autem actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ, sed ad quamdam diffusionem similitudinis formæ in medio secundùm similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu, vel intellectu : & hoc modo Sol illuminat aërem, & color speciem suam multiplicat in medio. Vterque autem modus actionis in istis inferioribus causatur ex corporibus cœlestibus, nam & ignis suo calore transmutat materiam ex virtute corporis cœlestis, & corpora visibilia multiplicant suas species in medio virtute luminis, cuius fons est in cœlesti corpore: vnde si actio vtraque corporis cœlestis cessaret, nulla actio in istis inferioribus remaneret : sed cessante motu Cœli cessabit prima actio, sed non secunda, & ideo cessante motu Cœli, erit quidem actio in istis inferioribus illuminationis & immutationis medij à sensibilibus : non autem erit actio per quam trasmuratur materia, quam sequitur generatio, & corruptio.

Probatur conclusio authoritate D. Th. 1. p. q. 56. art. 1. vbi sic ait : *In actione quæ manet in agente, oportet ad hoc quòd precedat actio, quòd obiectum vniatur agenti, sicut oportet quòd sensibile vniatur sensui ad hoc quod sentiat actu: & ita se habet obiectum vnitum potentiæ ad huiusmodi actionē, sicut forma quæ est principium actionis in aliis agentibus: sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visa est principium formale visionis in oculo.* Idē repetit q. 85. art. 2. & q. 2. de veritate art. 6.

Secundò, terminus productus per cognitionem, qua cognoscitur obiectum per se primò repræsentatum per speciem impressam, est similis prædictæ speciei impressæ: nam ille terminus, scilicet species expressa, repræsentat actu formaliter idemmet quod species impressa habitualiter repræsentat : vnde vtraque species est eiusdem naturæ in esse repræsentatiuo : ergo species impressa concurrit actiuè ad productionem ipsius, tum quia id, cui effectus assimilatur, & quod desideratur ad illius productionem, non potest non influere per modum virtutis actiuæ in ordine ad illam, vt patet inductione in omnibus, tum quia, cùm de ratione agentis sit producere sibi simile, signum est illud esse principium actiuum, cui effectus assimiatur, si sit complementum potentiæ productiuæ tenens se ex parte ipsius : vnde licet concederetur quòd idea non concurrat actiuè ad effectum, hoc tamen non potest negari de specie impressa, quia non concurrit præcisè per modum ideæ & exemplaris, vt communiter fatentur Philosophi.

Tertiò, id quod se habet per modum formæ in aliquo ordine, influit actiuè in operationem eius quod ab illo informatur, vt patet inductione in aliis formis, tam substantialibus quæ sunt prima principia actiua operationum, quàm accidentalibus quæ sunt principia proxima: sed species impressa, tam intentionalis, quàm intelligibilis est forma & actus in ordine cognoscibili respectu sensûs & intellectûs, requiritur enim vt complementum potentiæ tenens se etiam ex parte ipsius, nam constituit ipsam in actu primo, quod soli conuenit formæ : ergo species impressa influit, & concurrit actiuè ad cognitionem : nec tamen ex his sequitur quòd species principaliùs concurrat ad cognitionem, quàm potentia : quia quando forma & actus alicuius ordinis requiritur propter operationem propriam eius, respectu cuius habet rationem formæ, tunc non est necesse quòd prædicta forma principaliùs operetur, quàm id respectu cuius est forma, & hoc contingit in præsenti, nam cognitio est propria operatio potētiæ cognoscitiuæ: maximè quia species, & potentia cognoscitiua comparantur in ordine cognoscibili, sicut forma comparatur cum suo complemento per quod redditur perfecta, & completa; & ita potentia cognoscitiua est forma simpliciter & absolutè, species verò complementum illius, quod reducitur ad ordinem formæ, perfectiùs autem concurrit forma, quàm complementum illius.

Ad primum ergo dicendum, quòd cùm species impressa non concurrat ad cognitionem, nisi vt complementum potentiæ, non concurrit ad cognitionem totaliter, quamuis ad totam, & ita ratio vitalitatis, in qua cognitio excedit speciem, correspondet potentiæ : determinatio autem cognitionis, quòd scilicet sit huius & non alterius obiecti, correspondet speciei, quamuis etiam ipsa species habeat aliquid vitalitatis, quatenus ab intrinseco habet esse determinatio potentiæ vitalis vt talis est : & hoc sufficit vt in suo ordine possit concurrere ad actionem vitalem vt sic : vnde quando effectus procedit ex diuersis rationibus agendi, quarum vna sit determinatio alterius, non est necesse, vt quæuis adæquatè contineat effectum, sed sufficit vt in ambabus adæquatè tota perfectio effectùs claudatur.

Ad secundum dicendum, quòd licet repugnet dari plures causas totales proximas respectu eiusdem effectûs formaliter, siue respectu eiusdem rationis formalis in effectu, si tamen sint diuersæ rationes formales, possunt esse duæ aut plures causæ, ita vt quælibet concurrat proximè vt causa totalis ad talem rationem, quamuis vtraque concurrat partialiter ad totum effectum totaliter consideratum, & hoc accidit in præsenti.

Ad tertium dicendum, quòd non est necesse, vt ratio agendi per modum determinationis virtutis actiuæ, subordinetur eidem virtuti actiuæ, quando talis determinatio est superioris rationis in esse entis, sicut licèt forma corporis pendeat à corpore, quando non est superioris rationis, secus tamen quando fuerit eminentioris ordinis, vt patet in anima rationali.

Ad quartum dicendum, quòd licet repugnet substantiam proximè agere per modum potentiæ actiuæ, si sit substantia creata, non tamen repugnat illam influere per modum principij actiui tantummodo determinantis potentiam, quod non est potentia, sed complementum potentiæ.

Articulus VI.

Vtrùm pro hoc statu dentur species intelligibiles, quæ formaliter & directè repræsentent singularia materialia?

Ad sextum sic proceditur. Videtur quòd species intelligibiles, etiam illæ quæ immediatè producuntur ab intellectu agente, formaliter & directè repræsentent singularia materialia. Ita tenent Scotus in 4. d. 45. q. 3. Durandus in 2. d. 8. q. 7. Suares 1. tom. Metaph. disput. 6. sect. 6. Valentia 1. p. disp. 6. q. 7. Ruuius in præsenti, & alij, Probatur. Ex nullo capite repugnat dari tales species: non ex parte rei singularis: dantur enim species repræsentantes formaliter, & directè singularia, vt in intellectu Angelico dantur species repræsentantes Angelos singulares : nec etiam repugnat ex eo quòd sint rei materialis, quia intellectus humanus pro hoc statu non cognoscit, nisi res materiales, & habet plures species expressas repræsentantes singularia materialia, imò cum incipiat à sensu cuius obiectum sunt singularia materialia, habet pro obiecto sibi proportionato eadem singularia materialia: ergo species intelligibiles, quæ immediatè producuntur ab intellectu agente, formaliter & directè repræsentant singularia materialia : maximè quia in Angelis dantur tales species directè repræsentantes singularia materialia.

§ 2. Præterea, Intellectus humanus pro hoc statu cognoscit directè singularia materialia : ergo habet species directè & formaliter repræsentatiuas singularium materialium, eo quippe modo res ab intellectu cognoscuntur, quomodo repræsentantur in specie. Deinde cùm habere species repræsentantes directè singularia materialia concedatur sensibus, non videtur vnde debeant denegari intellectui, qui est potentia nobilior.

§ 3. Præterea, Phantasma repræsentat singulare materiale, vt omnes fatentur : ergo species intelligibilis, quæ ab illo & ab intellectu agente producitur, repræsentat formaliter, & directè idem singulare materiale, quia

quia intellectus agens concurrit vt causa vniuersalis ad productionem specierum intelligibilium, phantasma verò vt causa particularis: constat autem quòd effectus sequitur naturam causæ particularis, sicut quando Sol & homo generant, effectus productus sequitur naturam hominis, & non Solis: vnde generatur homo & non aliud.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis, & D.Thom. quos sequuntur omnes Thomistæ, & alij extra scholam D.Thom. vt Fonseca 2.Metaph.cap.2.sect.5.q.3. Conimbricenses hîc cap.5.q.4.

CONCLVSIO.

Cùm species intelligibiles, quæ immediatè producuntur ab intellectu agente, fiant per abstractionem à phantasmatibus, non repræsentant formaliter & directè singularia materialia.

Respondeo dicendum, quòd licèt species intelligibiles relictæ ex præcedenti intellectione, per quam arguitiuè & indirectè cognoscuntur singularia materialia, possint formaliter & directè esse repræsentatiuæ illorum. 2. illæ tamen quæ fiunt per abstractionem, & virtutem intellectûs agentis immediatè, non repræsentant formaliter & directè singularia materialia. 3. sed solam naturam, & quidditatem materialem abstractam à conditionibus materialibus. 4. & ita solùm virtualiter & indirectè singularia, à quibus abstrahuntur. Ad cuius euidentiam sciendum est duo esse genera specierum intelligibilium: vnum est earum, quæ nulla præcedenti cognitione intellectûs respectu obiecti repræsentati per illas, sed per abstractionem intellectûs agentis immediate producuntur, & dicuntur species impressæ, quia ab intellectu agente imprimuntur intellectui possibili: aliud verò est earum, quæ fiunt per intellectionem obiecti repræsentati per illas, & ex intellectione ipsa facta per aliam speciem per se primò repræsentantem illud obiectum, relinquuntur, & vocantur species expressæ, quia ab intellectu possibili per intellectionem exprimuntur: ita communiter docent Philosophi, & D. Thom. multis locis suæ doctrinæ vt opusculo 43. cap. 6.& 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. quod etiam ipsâ experientiâ confirmatur. Nam postquam per speciem alicuius rei materialis arguitiuè & per discursum cognouimus Angelum, possumus transacto aliquo tempore recordari illius, absque eo quòd ibidem interueniat aliquis discursus, aut noua cognitio illius rei materialis, per cuius speciem arguitiuè deuenimus in cognitionem eiusdem Angeli, quod certè indicat recordationem illam non fieri per speciem talis rei materialis, sed per aliquam aliam relictam ex præcedenti discursu, siquidem per speciem illius rei materialis non potest Angelus cognosci, nisi fiat discursus, & res illa priùs cognoscatur.

Probatur prima pars conclusionis. Mediante specie abstractâ deuenimus arguitiuè in cognitionem singularis materialis: ergo species expressa relicta ex tali cognitione est formaliter & directè repræsentatiua illius: illa enim species debet formaliter repræsentare id quod intelligitur, cùm sit verbum quo intellectus exprimit, & dicit id, quod intelligit: & in hoc differunt species expressæ ab impressis, quòd expressæ cùm relinquantur ex intellectione, quæ potest versari tam circa obiectum primarium, quàm circa secundarium, non debent proportionari cum subiecto primario, sed cùm illo quod intelligitur: & ideo potest illud directè & formaliter repræsentare: species verò abstractæ per intellectum agentem, & impressæ intellectui possibili commensurantur tantùm cum obiecto primario & connaturali intellectûs, & ideo ipsum tantùm formaliter & directè repræsentant: sicut enim per se primò recipiuntur ab intellectu, tanquam primæ formæ in ordine intelligibili, quibus potest actuari, ita respiciunt obiectum per se primum & connaturale, quod ab intellectu respicitur, quod est quidditas materialis abstracta à conditionibus indiuiduantibus, vt dictum est.

Probatur secunda, & tertia pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D.Thom. Aristoteles 1. Physic. textu 20. dicit quòd intellectus est vniuersalium, sensus verò singularium: si autem species intelligibilis repræsentaret directè singulare, non esset assignabilis ratio, cur intellectus non esset singularium, sicut & sensus. Item in hoc libro textu 11. asserit quòd intellectus intelligit directè vniuersale, singulare verò reflexè, & quòd singulare cognoscitur per sensum & per intellectum, sed per sensum directè, per intellectum verò reflexè: quod etiam docet D. Thomas lect. 8. & in 4.d.50. quæst.1. articulo 3. Item quæst. de anima artic. 20. Item 2. contra gentes cap. 100. & 1. part. quæst. 85. artic. 1. ad 3. vbi sic ait: *Virtute intellectûs agentis resultat quædam similitudo in intellectu possibili ex conuersione intellectûs agentis supra phantasmata, quæ quidem est repræsentatiua eorum, quorum sunt phantasmata, solùm quantùm ad naturam speciei:* Et per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis à phantasmatibus, non verò quòd aliqua eadem numero forma, quæ prius fit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellectu possibili, ad modum quo corpus accipitur ab vno loco, & transfertur in alium.

Secundò, hæ species impressæ fiunt per abstractionem intellectûs agentis à phantasmatibus, vt docent Aristoteles & D. Thom. passim, & communiter Philosophi: ergo non repræsentant formaliter, & directè singularia materialia, quia fieri per abstractionem denotat quòd aliquid assumatur, & aliquid relinquatur: & sic quando species abstrahitur à phantasmatibus, cùm non repræsentet solam singularitatem, (alioquin intellectus non intelligeret naturas vniuersales, cuius contrarium experimur,) & in phantasmate non sit nisi natura siue quidditas vniuersalis materialis, & singularitas, necessario dicendum est quòd assumitur solùm natura vniuersalis, & relinquitur singularitas, siue eius conditiones indiuiduantes, ac ita in specie solùm directè & formaliter relucet natura vniuersalis. Nec valet responsio Suarsis, quòd scilicet relinquatur entitas materialis ipsius phantasmatis. Tum quia est contra D. Thom. qui docet speciem dici abstractam à phantasmatibus, per hoc quòd repræsentet phantasma solùm quantùm ad naturam speciei. Tum deinde quia species abstractæ à phantasmatibus sunt omnino connaturales intellectui pro hoc statu, & ita versantur circa obiectum omnino connaturale & per se primum illius, vt communiter fatentur Doctores: ergo debent in esse repræsentatiuo abstrahere, ita vt repræsentent naturam sine conditionibus indiuiduantibus: nam potentia & obiectum omnino connaturale & per se primum debent conuenire in eodem grado immaterialitatis, vt supra dictum est: & consequenter cùm intellectus sit potentia quodammodo existens in materia, & quodammodo non sit in illa, oportet vt eius obiectum omnino connaturale sit quodammodo in materia, quatenus reuera est quidditas materialis, & quodammodo non sit in illa, quatenus non est eadem quidditas, vt est in materia singulari, sed vt est abstracta ab illa: ac proinde etiam species abstractæ à phantasmatibus, quæ sunt omnino connaturales intellectui, & versantur circa obiectum omnino connaturale & per se primum illius, repræsentant idem obiectum abstractum in esse repræsentatiuo à conditionibus materialibus. Tum deniquè quia ratio repræsentatiua talis obiecti, quæ est in specie intelligibili, si præcisè sumatur, correspondet phantasmati tanquam causæ principali illius, sicut spiritualitas eiusdem speciei soli intellectui agenti correspondet vt causæ principali, phantasmati verò vt instrumento: hoc enim est commune omni instrumento quòd sit causa principalis alicuius præuij ad effectum, respectu cuius est instrumentum, quod aliquando est realiter distinctum, aliquando tantùm virtualiter: sed ratio agendi per quam phantasma agit principaliter, & præcipuè ad actionem intellectûs agentis, est esse repræsentatiuum phantasmatis, quatenus præcisè repræsentat quidditatem materialem, vt præscindit à singularitate: quia inter causam principalem & passum, debet esse debita proportio in ratione agentis & passi, quæ

proportio

proportio non est inter quidditatem materialem materialiter sumptam, siue inclusam in conditionibus materialibus, & intellectum possibilem in quem agit, at tantùm vt quodammodo abstrahit ab illa materialitate vt dictum est: ergo species intelligibilis abstracta à phantasmatibus non repræsentat phantasma, nisi secundùm rationem specificam, siue naturam vniuersalem, quæ est ei ratio agendi in intellectum, quia effectus assimilatur causæ in forma, quæ est ratio agendi: nec ista singularitas quam ponunt aduersarij relucere in specie, potest refundi ad intellectum agentem, quia cùm ea se sit proportionatus in immaterialitate intellectui possibili, petit ex se efficere species intelligibiles, eo modo quo eas potest recipere intellectus possibilis. Vnde phantasma virtute propriâ est productiuum talis repræsentationis, simul tamen connotando eleuationem intellectûs agentis, qua mediante attingit etiam, sed instrumentaliter esse entitatiuum, & quidquid spirituale est in specie intelligibili, imò & esse speciei formaliter sumptæ, ita vt hæc eleuatio sit applicatiua phantasmatis etiam quoad id, quod agit propria virtute. Ex quibus tria sequuntur primum, quòd quando aliquid ita agit in aliud per modum causæ principalis, vt etiam agat per modum instrumenti, licèt requirat debitam proportionem in immaterialitate cum passo, ratione illius respectu cuius est causa principalis: non tamen omnimodam, sicut requirit omnimodam proportionem cum passo illud quod solùm agit principaliter, & non instrumentaliter. Secundum, quòd cùm singularitas in phantasmate se habeat materialiter ad rationem agendi, non debeat relucere in specie intelligibili. Tertium, quòd cùm natura specifica sit inuoluta in conditionibus indiuiduantibus, & sic repræsentetur in phantasmate, phantasma propriâ virtute non producat speciem intelligibilem, quatenus repræsentat naturam vt abstractam ab illis conditionibus: aliàs effectus excederet causam, sed tantùm producat illam vt præscindentem ab illis conditionibus, & vt capacem talis abstractionis, quod etiam habet repræsentata in phantasmate: produci autem illam sic abstractam virtute intellectûs agentis.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Cùm natura specifica virtute contineat differentias indiuiduales, sicut natura generica virtute continet differentias specificas, quia hæ differentiæ pertinent ad tales naturas, vt quid proprium quo determinentur, vel formaliter, vel materialiter tantùm, inde est quòd species intelligibilis repræsentans formaliter & directè naturam specificam, repræsentat etiam virtualiter, & indirectè differentias indiuiduales illius, ac proinde singularia materialia: vnde per illas species intellectus potest arguitiuè illa cognoscere.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa repugnantia prouenit ex parte intellectûs possibilis, qui ab intrinseco petit proportionari cum suo obiecto primario in immaterialitate, ac proinde cum forma illud repræsentante, & qua constituitur in actu primo: singulare autem materiale non habet hanc proportionem in immaterialitate cum intellectu: vnde repugnantia non est ex parte singularis præcisè, sed ex parte singularis materialis, & ita cessat instantia de Angelis. Cur autem species expressæ repræsentent singularia materialia, & non impressæ, assignata est ratio in prima parte conclusionis: vnde falsum est quòd singulare materiale sit obiectum proportionatum & connaturale intellectûs, cum sit disproportionatum in immaterialitate, vt dictum est: nec etiam verum est quòd species Angelicæ repræsentent primariò singularia materialia, repræsentant enim primariò & directè naturam vniuersalem, sed cùm sint valdè vniuersales & eminentiores nostris, primariò repræsentant naturam & rationem communem, secundariò autem quamuis distinctè singularia materialia.

Ad secundum dicendum, quòd probat primam partem conclusionis: sed tamen hæc cognitio singularia quodammodo directa non fit, nisi præsuppositâ aliâ cognitione quidditatis materialis abstractæ à conditionibus indiuiduantibus, ex qua arguitiuè procedit intellectus ad cognoscenda singularia, & format dictas species directè repræsentantes illa singularia. Quòd autem intellectus humanus non possit habere species impressas directè repræsentantes singularia, partim prouenit ex eius imperfectione, cùm enim deficiat ab intellectu Angelico, petit pro hoc statu habere species non infusas, quæ directè possunt repræsentare etiam singularia, sed abstractas quæ, vt dictum est, solas naturas vniuersales repræsentant: partim etiam prouenit ex eius perfectione supra sensum cùm enim sit immaterialis petit recipere species repræsentantes naturas abstractas à conditionibus indiuiduantibus & materialibus, deinde format sibi alias repræsentantes directè singularia, & ita etiam ex hac parte conceditur illi quod conceditur sensui.

Ad tertium dicendum, quòd licèt intellectus agens sequatur conditionem phantasmatis quantùm ad hoc, quòd species repræsentet hanc, vel illam naturam: tamen ipsum phantasma non potest agere in esse repræsentatiuo in intellectum possibilem, nisi ratione quidditatis materialis, vt præscindit à singularitate propter rationem dictam.

QVÆSTIO XLIV.

De Intellectione.

IAM de intellectu actum est, & de specie intelligibili, ex quibus coalescit adæquatum intelligendi principium, restat nunc agendum de actu illius, scilicet intellectione, circa quam quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm intellectio ponatur directè in prædicamento actionis?

¶ Secundò, Vtrùm intellectio distinguatur realiter ab specie expressa, siuè à verbo mentali?

¶ Tertiò, Vtrùm intellectio distinguatur adæquatè à dictione?

¶ Quartò, Vtrùm per quamlibet intellectionem creatam producatur verbum?

¶ Quintò, Vtrùm pro hoc statu intellectio terminetur directè, & clarè ad singularia materialia?

¶ Sextò, Vtrùm pro hoc statu quælibet intellectio pendeat naturaliter ab operatione phantasiæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectio ponatur directè in prædicamento actionis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd intellectio non ponatur directè in prædicamento actionis, sed in prædicamento qualitatis. Ita tenent multi etiam ex Thomistis, cum hac differentia, quòd aliqui ponunt directè sub dispositione, alij reductiuè ad speciem sui termini, quòd idem sentiunt de aliis actionibus immanentibus. Probatur authoritate D. Thom. opusc. 48. cap. 7. tractatus 5. vbi sic ait: *Intelligere & sentire sunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, vel sentiendi esse actu in intelligente, vel sentiente:* hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis. Item in 2. d. 8. quæst. 4. artic. 3. ad 3. ait: *Dicendum quod actio secundum quòd prædicamentum dicit aliquid fluens ab agente, & cum motu: sed hæc duo scilicet esse quid fluens ab agente, & cum motu non conueniunt intellectioni: ergo non ponitur in prædicamento actionis.*

¶ 2. Præterea, Intellectio non est simpliciter actio, sed dicitur operatio, omnis enim actio immanens excluditur à D. Th. à ratione veræ actionis, vt constat q. 8. de veritate art. 6. & in 4. d. 17. q. 1. art. 5. ergo Intellectio non ponitur in prædicamento actionis, quod enim ponitur in aliquo præ... mento, debet participare rationem illius

§ 3. Præterea, actio provt conſtituit prædicamentum, eſt illatiua paſſionis, vnde actio & paſſio prædicamentalis ſunt correlatiua: imò idem motus vt fluens ab agente eſt actio, vt receptus in paſſo eſt paſſio: ſed intellectio non eſt illatiua paſſionis, actiones enim immanentes non ſunt tranſmutatiuæ, ſed perſectiuæ, vnde dicuntur actua perfecti: ergo intellectio non ponitur in prædicamento actionis.

Sed contra eſt anthoritas Ariſt. & D. Th. quos ſequuntur Gonzales 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 25. ſect. 4. Monteſinus 1. 2. d. 3. q. 5. Fonſeca 5. Metaph. cap. 15. q. 10. ſect. 2. Conimbricenſes in hoc lib. cap. 8. q. 3. artic. 3. & plures alij.

Conclusio.

Cùm intellectio ſit vera actio, ponitur directè in prædicamento actionis.

Respondeo dicendum, quòd intellectio (& ſic de aliis actionibus immanentibus, ſiue ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis) non eſt actio tantùm Grammaticalis. 2. Sed vera & propria actio, ſiuè operatio 3. vnde nullo modo poteſt dici qualitas, nec ponitur in prædicamento qualitatis 4. ſed directè ponitur in prædicamento actionis.

Probatur prima pars concluſionis. Actio Grammaticalis præcisè non dicit actum ſecundum, nec producit, aut acquirit terminum, vt communiter ſatentur Doctores, hoc enim modo eſſe, viuere, dormire, ſtare &c. dicuntur actiones Grammaticales, quia mediis illis nihil fit: ſed actiones immanentes, qualis eſt intellectio, verè ſunt actus ſecundi, & per ipſas vel aliquid producitur, vel acquiritur, vel fit aliquid, vt conſtat inductione: ergo non ſunt actiones Grammaticales: vnde quando D. Thom. comparat actiones iſtas cum actione Grammaticali lucendi, non comparat quoad omnia, ſed præcisè quoad hoc quod non eſt tranſire in exteriorem materiam: cum enim actionem tranſeuntem comparaſſet illuminationi, immanentem comparat actioni lucendi, quæ correſpondet illuminationi, hæc enim dicit egreſſum lucis ab agente, quia in aliis producit, illa verò dicit conſiſtentiam lucis in agente.

Probatur ſecunda pars concluſionis anthoritate D. Thom. quæſt. 8. de veritate artic. 6. vbi ſic ait: *Dicendum quòd duplex eſt actio: vna, quæ procedit ad agente in rem exteriorem, quam tranſmutat, & hæc eſt ſicut illuminare, quæ etiam propriè actio nominatur: alia verò actio eſt, quæ non procedit in rem exteriorem; ſed ſtat in ipſo agente vt perfectio ipſius, & hæc propriè dicitur operatio*: actio autem appetitûs, & ſensûs, & intellectûs non eſt ſicut actio progrediens in materiam exteriorem, ſed ſicut actio conſiſtens in ipſo agente vt perfectio eius. Item in 4. d. 17. quæſt. 1. artic. 5. ad 1. & alibi id ipſum docet: hæ autem actiones immanentes potiùs dicuntur operationes, quàm actiones, quia nomen actionis communiter vſurpatur pro actione coniuncta cum motu Phyſico propriè dicto, quamuis iſtæ ſint perfectiores actiones. Deinde, intellectus poſſibilis eſt vera potentia vitalis animæ, & ita paſſiua, vt ſit ſimul actiua ex communi conſenſu Philoſophorum: ergo debet habere aliquam veram actionem ſiue operationem, quâ actu conſtituatur intelligens, & ſit verum exercitium ſuæ virtutis operatiuæ, ſcilicèt intellectionem, nam cuiuis potentiæ actiuæ debet correſpondere ſuum proprium exercitium, & actio ſiue operatio: conſtat autem quòd actio adæquata intellectûs non eſt alia quàm intellectio: vnde D. Thom. 1. 2. quæſt. 3. artic. 2. aſſerit beatitudinem conſiſtere in vera actione ſiue operatione, quæ eſt intellectio Dei, quia beatitudo eſt vita actualis ex illo Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum &c.* vita autè actualis eſt vera actio ſiue operatio ex D. Th. 1 parte q. 18. art. 2. ergo intellectio eſt vera & propria actio, ſiue operatio.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Ariſtotelis 10. Ethicorum capite tertio, vbi docet operationes virtutis, quæ ſunt actiones immanentes, & fœlicitatem quam capite 7. dicit eſſe actum intellectûs, non eſſe qualitates: ſic enim ait: *Neq enim virtutis operationis qualitates ſunt neque, fœlicitas.* Deinde diſpoſitio quæ eſt ſpecies qualitatis, ad quam aduerſarij reducunt intellectionem, ſignificat aliquid permanens per modum actûs primi, vt patet exemplis quæ affert Ariſtoteles: iſtæ autem operationes ex natura ſua ſunt aliquid vitale & fluens, nec ſufficit quòd diſponant aliqualiter ſubiectum, nam etiam quantitas, actiones tranſeuntes, & alia accidentia diſponunt ſuo modo ſubſtantiam, & tamen non ponuntur in prædicamento qualitatis ſub diſpoſitione. Denique ſubiectum poteſt ſe merè paſſiuè habere in receptione alicuius diſpoſitionis quæ ſit de genere qualitatis, & propterea multi ex his qui dicunt viſionem beatificam eſſe qualitatem, conuincuntur dicere, quòd poſſit à ſolo Deo produci, & communicari intellectui creato merè paſſiuè ſe habenti: ſed hoc eſt falſum in doctrina D. Th, qui docet actiones viles indiſpenſabiliter procedare à potentia vitali, vt à principio actiuo elicitiuo: ergo intellectio nullo modo poteſt dici qualitas, nec ponitur in prædicamento qualitatis.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate Ariſtot. & D. Thom. Ariſtoteles 9. Metaph. capite 9. & 1. magnorum moralium diuidit actionem, quæ conſtituit prædicamentum actionis, in immanentem & tranſeuntem, Item in prædicamentis cap. de actione & paſſione dicit dolore, aut voluptate affici (quæ ſunt actiones immanentes) pertinere ad prædicamentum actionis ac proinde intellectio etiam pertinet, cum ſit par ratio. D. Thom. 2. contra gentes capite 9. ſic ait: *Actio quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei ſicut accidens ſubiecto, vnde & actio inter nouem prædicamenta accidentis computatur:* loquitur autem D. Thom. abſolutè de actione, & conſequenter de omni: imò ex multis, qui negant actionem tranſeuntem ſubiectari in agente, loquitur ſolùm de actione immanenti, quam docet computari inter nouem prædicamenta accidentis, ſiue conſtituere prædicamentum actionis. Deinde, ab actione tranſeunte & immanent, ſiue ſit productiua, ſiue non, abſtrahitur vnus communis conceptus vniuocus, quòd ſcilicet actio ſit actus ſecundus ſiue cauſalitas cauſæ agentis: hoc quippe conuenit æqualiter omni actioni creatæ, per omnem enim actionem aliquid fit: vel enim producitur aliquis terminus ſiue intus ſiue ad extra, vel attingitur terminus, vt contingit in intellectione non productiua verbi: ergo actio vt abſtrahit ab immanente, & tranſeunte conſtituit prædicamentum actionis, prædicamenta enim nihil aliud ſunt, quàm ſuprema genera, ſiue conceptus vniuoci omnino primi, & ita intellectio directè ponitur in prædicamento actionis. Nec obſtat quòd actio immanent ſæpe eſt ſpiritualis, imo & ſupernaturalis, quòd eſt inſtantanea, & non ſucceſſiua; & quòd eſt perfectiua, non corruptiua: nam etiam in prædicamento qualitatis directè ponuntur tam qualitates materiales, quàm ſpirituales etiam ſupernaturales, vt gratia, charitas, &c. Deinde illuminatio ex ſe eſt inſtantanea, & tamen ponitur in prædicamento actionis. Denique eadem illuminatio eſt tantùm ſecundùm ſe perfectiua, & tamen eſt actio de prædicamento actionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd non eſt certum hoc opuſculum eſſe D. Thom. ſed dato, adhuc non habetur quòd actio immanens ſit in prædicamento qualitatis; imò ex hac authoritate concluditur quòd ſit reductiuè in prædicamento actionis, cùm enim neget eſſe directè, aſſerit eſſe indirectè, ſiue reductiuè. Nec eſſet inconueniens tantùm ponere reductiuè in prædicamento actiones immanentes, niſi aliunde cogeremur: quia multa etiam perfectiſſima ponuntur tantùm reductiuè in prædicamentis, vt vbi definitiuum Angeli in prædicamento vbi, & æuum ipſorum in prædicamento quando. Deinde per illi (non directè, ſolùm vult D. Thom. quòd actio immanens non eſt præcipuum membrum huius prædicamenti, non quòd non præemineat actioni tranſeunti, ſed quia non agitur in illo tam principaliter, ſicut de actione tranſeunte, quæ eſt magis nota. Ad alium locum dicendum, quòd actio immanens eſt quid fluens. ſiue

siue elicitum ab agente, & cum moto siue mutatione, intellectus enim, & homo intelligens intelligendo intrinsecè mutatur, aliter enim se habet, quàm antea. Nec est inconueniens quòd sit idem agens & passum, imò est necessarium in actionibus immanentibus, licèt secundùm diuersam rationem: vt enim elicit intellectionem, est agens; vt verò recipit, est patiens: nec D. Th. intelligit de motu propriè dicto, vt constat ex sequentibus, subdit enim: *Sed in Deo non est aliquid medium secundùm rem inter ipsum, & opus suum: & ideo non dicitur agens actione, quæ est prædicamentum, sed actio sua est substantia:* constat autem quòd illi (medium inter agens, & opus suum) tam importat actionem coniunctam motui propriè dicto, quàm mutationi.

Ad secundum dicendum, quòd actiones immanentes potiùs dicuntur operationes, quàm actiones, quia nomen actionis communiùs vsurpatur pro actione transeunte, cuius terminus productus apparet quamuis immanentes sint actiones perfectiores.

Ad tertium dicendum, quòd actio immanens infert aliquam passionem, vt dictum est, nec verum est, quòd idem motus sit realiter actio & passio, vt constat ex dictis in Physica.

Articvlvs II.

Vtrùm intellectio distinguatur realiter ab specie expressa, siue à verbo mentali?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd intellectio non distinguatur realiter ab specie expressa, siue à verbo mentali. Ita tenent Scotus in 1. d. 3. q. 8. Suares, libro 1. de Trinitate cap. 6. Vasques 1. p disp. 38. cap. 1. Ruuius in præsenti, & alij. Probatur authoritate S. August. & D. Thom. S. August. 9. de Trinitate cap. 10. vocat verbum notitiam, notitia autem est intellectio, & similiter cognitionem appellat similitudinem obiecti, verbum autem est actualissima similitudo obiecti, D. Thom. autem 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. ait: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed informatio quædam in intellectu nostro prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* Item q. 8. de potentia art. 1. ait: *Verbum nostri intellectûs non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectûs, cùm ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto.* Item q. 4. de veritate art. 2. ad 2. dicit quòd verbum est notitia expressa ab aliquo, & opusc. 13. dicitur quòd contemplatio veritatis est verbum: ergo intellectio non distinguitur realiter ab specie expressa, siue à verbo mentali.

¶ 2. Præterea, intellectio est actualis manifestatio rei in intellectu, nam rem intelligi ab intellectu, est ipsam manifestari intellectui: sed verbum etiam est actualis manifestatio rei quam repræsentat, ac proinde intellectio & verbum sunt omnino idem. Deinde eo ipso quòd intellectus informatur per speciem impressam habitualiter repræsentantem, constituitur in ratione intellectiui: ergo per hoc quòd habet speciem expressam siue verbum actualiter repræsentans, constituitur actu intelligens: sed id per quod intellectus constituitur actu intelligens, est intellectio: ergo intellectio non distinguitur realiter ab specie expressa, siue à verbo mentali.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd intellectio distinguatur tantùm formaliter, aut virtualiter à verbo. Ita tenent Scotus in 4. d. 49. q. 2. art. 3. Molina 1. p. q. 27. art. 1. disp. 8. & alij. Probatur, intellectio, & verbum habent se per modum fieri, & facti esse: sed fieri, & factum esse rei ad summum distinguuntur formaliter: nam sicut eadem res est, quæ est in fieri, & in facto esse, sic idem est fieri, & factum esse eiusdem rei: & propterea motus non distinguitur nisi modaliter à suo termino: ergo multò minùs intellectio, quæ est actio immanens & perfectior, distinguitur ab specie expressa, siue à verbo mentali suo termino, quæ enim sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus.

¶ 4. Præterea, Productio actiua verbi non distinguitur ab eius productione passiua, nisi ad summum modaliter, quia actio, & passio sunt idem: sed productio passiua verbi non distinguitur à verbo, vt patet in aliis passionibus, & maximè in creatione passiua: ergo nec productio actiua, quæ est intellectio: aliàs sequeretur quòd in qualibet intellectione esset duplex passio, scilicet receptio intellectionis, & receptio verbi.

Sed contra est expressa authoritas D. Thomæ, quem communiter sequuntur eius discipuli, Caietanus 1. p. q. 27. art. 1. dub. 4. Nazarius, Torres, Zumel ibidem, Capreolus, Ferrar. Gonzales, Cano, & alij.

Conclvsio.

Cum intellectio possit esse sine verbo, & verbum sit obiectum internum intellectionis, intellectio & verbum realiter distinguuntur.

Respondeo dicendum, quòd intellectio & verbum, non solùm distinguuntur aliquo modo realiter, sed tanquam res à re. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd species expressa, siue verbum mentale dupliciter potest esse obiectum, siue terminus intellectionis. Primò quatenus res talis est, scilicet qualitas spiritualis perficiens intellectum, & eius actum, & hoc modo non est obiectum, nisi actûs reflexi. secundò quatenus est imago, siue similitudo obiecti exterioris: & hoc adhuc dupliciter, vel in actu signato, considerando scilicet in ipso rationem imaginis & similitudinis, & hoc est etiam contemplatio verbi vt res quædam est, & sic non cognoscitur nisi cognitione reflexâ: vel vt est imago in actu exercito, prout scilicet exercet actum repræsentandi, & vt sic intellectus fertur in ipsum directè eodem actu, quo intelligit rem verbo repræsentatam: & propterea illâ cognitione non potest discerni inter verbum, & rem verbo repræsentatam, sed ad hanc discretionem necessarius est actus reflexus.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. q. 8. de potentia artic. 1. vbi sic ait: *Intelligens, in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem quâ fit intellectus in actu, ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus: quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt, à re quidem intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectûs non est nisi in intellectu: differt autem ab actione intellectûs, quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, quasi quoddam per ipsam constitutum: hæc autem conceptio intellectûs in nobis propriè verbum dicitur, hoc enim est quòd verbo exteriori significatur, vox enim exterior neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectûs, sed intellectûs conceptionem, quâ mediante refertur ad rem.* Item opusc. 53. ait: *Quòd istud sic formatum, & expressum in anima, dicitur verbum internum: & ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit, quia in isto sic expresso, & formato videt naturam rei intellectæ.* Item docet 4. contra gentes cap. 11. quæ loca bene expensa probant distinctionem realem.

Secundò quando sunt duæ entitates completæ, quarum vna potest esse sine alia, realiter distinguuntur tanquam res à re, vt fusè probatum est supra in Physica, & vlteriùs probabitur in Metaphysica, quando agetur de prædicamento relationis: sed intellectio potest esse sine verbo, & de facto est, quando obiectum intimè vnitur intellectui, & habet sufficientem actualitatem & immaterialitatem, ad hoc vt possit vnire cum illo in ratione obiecti actu terminantis intellectionem, vt patet ex communi doctrina Thom. in visione beatifica: ergo intellectio, & verbum distinguuntur tanquam res à re

Tertiò, verbum mentale est obiectum internum intellectionis quando producitur, siue est obiectum illius existens intra potentiam intellectiuam: quod ex se & ab intrinseco petit esse actu intellectum saltem per modum obiecti, quo, & ratione cuius res intellecta extra intellectum existens, habet terminare intellectionem vt

docet D. Thom. 4. contra gentes cap. 11. & clarius q. 4. de veritate art. 2. ad 3. vbi sic ait: *Conceptio intellectus est media inter intellectum, & rem intellectam, quia ea mediante operatio intellectus pertingit ad rem: & ideo conceptio intellectus non solum est id quod intellectum est, sed etiam id quo res intelligitur, vt sic id quod intelligitur, possit dici, & res ipsa, & conceptio intellectus: & similiter id quod dicitur: potest dici & res quæ dicitur per verbum, & verbum ipsum:* quod sic amplius declaratur. Cum sit proprium intellectus intelligere habendo ad se suum obiectum, & tale obiectum habeat respectu illius tum rationem motiui, tum etiam terminatiui, oportet vt secundum vtramque rationem trahatur ad intellectum: quare cum per speciem impressam intelligibilem solum trahatur in ratione motiui, & principij intellectionis, non verò in ratione terminatiui, siue potius terminantis intellectionem; necessario ad hoc requiritur verbum, nisi obiectum ipsum ratione intimæ vnionis cum intellectu, & perfectæ immaterialitatis per se id possit exercere: ac proinde sicut species impressa essentialiter est principium intellectionis, & obiectum exterius ratione illius est principium efficiens eiusdem intellectionis: sic verbum essentialiter est ipsa intentio intellecta, siue terminus vel obiectum interius, de cuius conceptu sit esse obiectum intellectum, siue actu terminans intellectionem, ratione cuius obiectum exterius sit actu terminans vltimatè eandem intellectionem: vnde D. Th. loco citato contra gentes dicit quòd esse verbi est intelligi, id est, verbum ab intrinseco indispensabiliter petit esse obiectum terminans actu intellectionem: ergo verbum distinguitur tanquam res à re ab intellectione: non enim potest esse quòd intellectio, & id quod per eam directè intelligitur, sint eadem entitas: hoc enim solùm permittitur intellectioni virtualiter reflexæ supra seipsam. Hæc ratio non solùm probat de intellectione directa, sed etiam de reflexa formaliter: nam si intellectio directa distinguitur entitatiuè à verbo, vt ratio conuincit, signum est quòd intellectio secundùm se non sit formalis similitudo obiecti, nec modus, aut formalitas verbi, quia intellectio reflexa non est maioris entitatis, quàm directa. Deinde, quando intellectio est solùm formaliter reflexa, vt accidit in creaturis, tunc illamet, quæ est cognitio cognitionis, non est res intellecta, sed alia realiter & entitatiuè distincta, quæ per talem cognitionem intelligitur, & quæ tunc solùm habet rationem obiecti intellecti mediante verbo ipsius.

Ex dictis infertur quæ sit differentia inter verbum & intellectionem, nam vt vtar verbis D. Thom. opusc. 53. *verbum comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, seu sicut ratio intelligendi, sed sicut in quo intelligit, quia in isto sic expresso, & formato videt naturam rei intellectæ:* verbum etiam habet rationem obiecti (quo) & obiecti (quod,) nam intellectio immediatè terminatur ad verbum vt ad obiectum immediatè cognitum (vt quod,) & mediante verbo terminatur vltimatè ad obiectum exterius, vt patet authoritate citata Diui Thomæ, q. 4. de veritate artic. 2. ad 3. Nec contrariatur istis Angelicus Doctor dum 1. part. quæst. 34. artic. 1. ad 3. ponit discrimen inter intelligere, & dicere; dicens quòd intelligere dicit habitudinem, ad obiectum; dicere autem ad verbum: ex quo videtur sequi quòd intellectio non attingat verbum. Respondetur enim quòd intellectio præcisè sumpta, & vt condistincta à dictione respicit quidem verbum, sed præcisè per modum obiecti cogniti: ita vt sit ratio cognoscendi obiectum exterius; & ita verbum, ac obiectum ad extra non ponunt in numero quoad hoc, quod est respici ab ipso intelligere, nec intelligere extrahitur ab hoc quod est importare solam habitudinem ad rem intellectam: tamen verbum vt sic terminans intellectionem non sumitur secundùm suum esse naturale, & entitatiuum, sed secundùm esse repræsentatiuum: vnde Aristoteles dicit quòd idem est motus in imaginem & in id cuius est imago: verbum autem prout est terminus dictionis, considerantur in esse producti formaliter sumpti, & ponit in numero cum re exteriori dicta & intellecta: nam habitudo producentis ad productum, quam importat dictio sistit in verbo, & non transit ad res dictas; ita vt istæ simul & necessariò producantur vnà cum eodem verbo: & ideo dictio non eodem modo respicit verbum, & res dictas, imò vt significatur nomine dictionis, & productionis importat principaliter habitudinem ad verbum, & mediante verbo ad res intellectas.

Ad primum ergo dicendum cùm D. Thom. 1. p. quæst. 34. artic. 1. ad 2. quòd quando verbum dicitur notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo, vnde verbum potest dici notitia genita. Ad alium locum, in quo dicit Aug. quod per visionem erimus similes Deo, dicendum quòd non vult ipsam visionem esse similitudinem Dei, sed quòd in ipsa visione inuoluatur Deum esse intimè vnitum intellectui Beato in ratione speciei intelligibilis, per quod fit similis Deo, siue Deus per participationem. Vel etiam potest dici quòd per ipsam visionem simus similes Deo, inquantum per gratiam participamus hanc perfectionem Deo connaturalem, quæ est videre ipsum sicuti est: & hoc videtur magis conforme testimonio S. Ioannis, & D. August. Ad authoritatem D. Thom. dicendum quòd in primo loco solùm vult intellectionem vt condistinctum à dictione, non producere verbum, quod nos etiam fatemur: in secundo autem tantùm vult intellectionem compleri in verbo, quod verissimum est: sed non inde sequitur quòd non distinguantur, imò è contra sequitur quòd distinguantur, quia verbum habet rationẽ obiecti cogniti. In tertio intelligẽdus est, vt ipse intelligit August. dum vocat verbum notitiam expressam. In quarto autem dum dicit quòd contemplatio veritatis est verbum loquitur in sensu causali, & non in sensu formali.

Ad secundum dicendum, quòd intellectio est actualis manifestatio rei per modum operationis vitalis, non verò per modum obiecti terminantis intellectionem, sicuti est verbum. Ad aliud dicendum, quòd sicut species impressa reddit obiectum intelligibile, sic species expressa reddit obiectum intellectum, non tamen sequitur, quòd si species impressa constituit intellectum proximè operatiuum siue intellectiuum, quòd expressa siue verbum constituat illum actu intelligentem, & hoc propter differentiam, quæ est inter actum primum, & secundum: nam ad hoc vt aliquid sit in actu primo intellectiuum, sufficit, quòd obiectum sit vnitum intellectui per modum habitûs: ad hoc autem vt sit intelligens actu præter hanc vnionem requiritur alia actualior, quæ fit mediante actione vitali, eiúsque termino producto, vel saltem acquisito.

Ad tertium dicendum, quòd fieri rei, & res quæ fit realiter distinguuntur; intellectio autem est fieri verbi, vt includit dictionem; verbum autem est res quæ fit: vnde etiam motus distinguitur realiter à suo termino, vt dictum est in Physicis: quia tamen non habet entitatem completam, ideo non posuimus distinctionem rei à re, sed quasi modalem: intellectio autem, & verbum sunt entitates completæ directè positæ in prædicamentis, vnde distinguuntur tanquam res à re.

Ad quartum dicendum, quòd falsa est maior quidquid sit de minori argumenti, quia actio & passio non sunt idem, vt dictum est in physicis. Ad aliud dicendum, quòd nullum est inconueniens dicere quòd ad intellectionem sequatur illa duplex passio, scilicet receptio intellectionis, & receptio verbi: imò est necessarium hoc dicere; quia ista duo se consequuntur, quia tamen sunt subordinata, non dicitur simpliciter duplex, sed vnica passio.

Articvlvs III.

Vtrùm intellectio distinguatur adæquatè à dictione?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd intellectio distinguatur adæquatè dictione, ita vt sint duæ operationes formaliter, & ex æquo inter se distinctæ, ac inuicem se excludentes. Ita tenent Ferrar. 4. contra gentes cap. 13. Torres 1. p. q. 27. art. 1. disp. 1. huc etiam possunt reduci qui eas asserunt distingui ex natura rei, vt Scotus in 1. d. 2. quæst. 7. Suares 1. de Trinitate cap. 7. Molina 1. p. q. 27. art. 1. disp. 8. Probatur. Intellectio non importat essentialiter quòd sit productio verbi ex D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. vbi sic ait: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur: & patet*, nam Filius & spiritus Sanctus, licèt intelligant, tamen non producunt Verbum, nec Beati in visione Beatifica: dictio verò non includit, quòd sit perceptio obiecti, sed tantùm quòd sit expressio siue productio, vt ibidem asserit D. Thom. subiungit enim: *Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, nihil enim est aliud dicere quam proferre verbum:* ergo intellectio distinguitur adæquatè à dictione, & sunt duæ operationes intellectûs, nam opposita non possunt eidem conuenire.

§ 2. Præterea. Dictio est prior intellectione: nam intellectio præsupponit verbum, quia intellectus in eo tanquam in obiecto contemplatur rem intellectam, ac proinde multò magis præsupponit dictionem productiuam ipsius verbi: ergo non includit illam, quod enim est prius non includit essentialiter quod est posterius, & ita dictio non includit intellectionem, sed mutuò se excludunt.

SED CONTRA est authoritas. S. August. & D. Thom. quos communiter sequuntur Thomistæ, Caietanus, Bannes, Zumel, Nazarius 1. p. q. 27. art. 1. nostri Salmanticenses ibidem, & Complutenses in præsenti, ac plures alij extra scholam Thomisticam.

Conclvsio.

Cùm verbum mentale procedat ex notitia rei intellectæ, intellectio non distinguitur adæquatè à dictione.

RESPONDEO dicendum, quòd dictio siue productio verbi, non est alia operatio formaliter, & ex æquo distincta ab intellectione 2. sed est ipsa intellectio cum quodam modo, siue formalitate modali.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 27. art. 1. vbi ait quòd quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit producit verbum: ecce quomodo intellectio non est actio totaliter distincta à productione verbi. Item 4. contra gentes c. 11. ait, *De ratione verbi est procedere ab intelligente secundùm suum intelligere, cùm sit quasi terminus operationis intellectualis, intellectus enim intelligendo concipit, & format verbum.* Item q. 4. de veritate artic. 2. dicit verbum esse effectum actûs intelligendi: ergo intellectio non distinguitur adæquatè à dictione.

Secundò, intellectio est actus adæquatus intellectus, sicut volitio actus adæquatus voluntatis, & visio potentiæ visiuæ &c. ex his enim denominantur & specificantur istæ potentiæ: ergo sub intellectione comprehenditur dictio, cùm sit actio intellectûs, & ita intellectio non distinguitur adæquatè à dictione.

Tertiò probatur ratione. S. August. 15. de Trinit. cap. 7. & D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. & articulo 3. verbum procedit ex notitia rei intellectæ vt patet, quia si nihil intelligatur, nihil intellectualiter dicitur, & iuxta mensuram eius quod de re intelligitur, potest intellectus dicere, & non aliter. Deinde quia per hoc præcisè quòd producatur verbum, habet res intellecta esse intellectam, sine terminare actu intellectionem ratione verbi, vt dictum est, cùm de ratione verbi mentalis sit quòd procedat ab intellectu tanquam terminus suæ operationis, operatio autem adæquata intellectûs, vt dictum est, est notitia rei intellectæ. Denique quia verbum in diuinis procedit ex cognitione essentiæ diuinæ, &c. eo quòd cognitio illa est infinitè perfecta, & propterea infinitè efficax & fœcunda: & ita si addatur illi relatio paternitatis, ratione cuius opponatur cum Verbo, potest & debet ex prædicta notitia procedere Verbum infinitæ perfectionis: ac proinde etiam in creatis debitâ tamen proportione seruatâ hoc idem inuenitur: ergo verbum procedit ab intelligere, & consequenter intellectio non distinguitur adæquatè à dictione.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. quæst. 4. de veritate articulo secundo ad 5. vbi loquens de intellectionibus ordinis naturalis ait: *In nobis dicere non solùm significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est ex se exprimere aliquam conceptionem (ecce modum quem addit dictio intellectioni) nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo:* & ideo omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere. Item. 1. p. q. 34. art. 3. ait: *Dicere principaliter importat habitudinem ad verbum conceptum, & mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam.* Deinde si dictio nihil omnino diceret supra intellectionem, omnis intellectio esset dictio, quod tamen est falsum, & apparet in visione beatifica, quæ est perfectissima intellectio, cùm pertingat ad hoc vt sit visio, & tamen in doctrina Diui Thomæ non est dictio, non enim est productiua verbi, vt communiter docent Thomistæ 1. part. q. 12. ergo dictio est quidem ipsa intellectio sed tamen cum quodam modo, siue formalitate modali.

AD primum ergo dicendum, quòd D. Thom. in illis verbis loquitur de intelligere in esse quieto, prout præsupponit in priori naturæ verbum productum, & ita loquitur de illo inadæquatè, prout præscindit à modo quo intellectio constituitur in esse dictionis, & sine tali modo est intellectio in Filio & Spiritu sancto, ac in Beatis, vt suis locis probatur. Ad aliam partem dicendum, quòd licèt dictio principaliter dicat habitudinem ad verbum quia exprimit de formali illum modum, de materiali autem tantùm intellectionem: tamen etiam dicit habitudinem ad rem intellectam mediante verbo, vt ibidem subdit D. Thom. quia actus adæquatus intellectus est intelligere, siue exprimendo, siue non exprimendo verbum: istæ autem habitudines non distinguuntur in recto & ex æquo, quia obiecta principalia ipsarum non distinguuntur ex æquo: nam in obiecto dictionis adæquatè sumpto includitur obiectum intellectionis, quamuis si inadæquatè sumantur, scilicet in ratione talis modificationis præcisè, vel intellectionis præcisè non includatur.

AD secundum dicendum, quòd intellectio & dictio se habent omnino concomitanter, ita vt intellectus intelligendo dicat, & dicendo intelligat, si intellectio sumatur adæquatè intellectio quippe potest sumi inadæquatè dupliciter. Primò vt est in esse vitali & inchoatiuo, prout procedit ab intellectu vt informato præcisè specie impressa, & sic præintelligitur verbo, imò per ipsam producitur verbum (loquimur enim hîc de intellectione fœcunda:) sed in hoc statu intellectio non est perfecta & completa. Secundò consideratur in statu quieto & completo præcisè, prout in verbo à se sub alio statu producto contemplatur ipsum obiectum, ita vt cognitio immediatè ad verbum, vltimatè vero ad obiectum mediante verbo terminetur, & sub hoc statu intellectio præsupponit verbum: si autem sumatur adæquatè, vt includit vtrumque statum, sed habent concomitanter intellectio & dictio.

Articvlvs IV.

Vtrùm per quamlibet intellectionem creatam producatur verbum.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd per quamlibet intellectionem creatam producatur verbum. Ita tenent Molina 1. p. quæst. 27. art. 1. Vasquez q. 12.

 art.

art. 2. Suares diſp. 48. Metaph. lect. 2. Monteſious s. 2. quæſt. 3. art. 2. diſp. 3. q. 5. Rouius, Conimbricenſes,& alij io præſenti. Probatur authoritate D.Th.1.p.q.27.art. 1. vbi ſic ait: *Quicumque autem intelligit, procedit aliquid intra ipſum quod eſt conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis ſignificatum verbo vocis.* Item q. 4. de veritate art. 2. ait, *Hoc vniuerſaliter verum eſt de omni quod à nobis intelligitur. ſiue per eſſentiam intelligatur, ſiue per ſimilitudinem, ipſa enim conceptio eſt effectus actûs intelligendi, vnde etiam quando mens intelligit ſeipſum, eius conceptio non eſt ipſa mens, ſed aliquid expreſſum à notitia mentis*: ergo quamlibet intellectionem, creatam producitur verbum.

§ 2. Præterea, Intellectio eſt vera actio, ac reale fieri vt patet: ergo neceſſariò debet aliquid ab ea procedere: vbi enim eſt fieri reale, debet eſſe aliquid quod fiat: hoc autem quod fit per intellectionem, dicitur verbum, aliàs ipſa intellectio procederet ab intellectu vt quo,& vt quod ſimul, quod eſt impoſſibile.

§ 3. Præterea, Si in aliquo caſu per intellectionem non producitor verbum, maximè quando res intellecta eſt intimè præſens intellectui, & ſatis immaterialis: ſed hoc non obſtat, quia eſſentia Angeli eſt intimè præſens intellectui Angelico, & eſt valde immaterialis, & tamen Angelus in ſui cognitione producit verbum ex D. Thom. contra gentes cap. 11. vbi ſic ait, *perfectio igitur eſt intellectualis vitæ in Angelis, in quibus intellectus ad ſui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori, ſed per ſe cognoſcit ſeipſum, nondum tamen ad vltimam perfectionem vita ipſorum pertingit, quia licèt intentio intellecta ſit eis omnino intrinſeca, non tamen ipſa intentio intellecta eſt eorum ſubſtantia, quia non eſt in eis idem intelligere & eſſe: ergo per quamlibet intellectionem creatam producitur verbum.*

§ 4. Præterea, Intellectus in actu ſecundo debet eſſe res intellecta in actu ſecundo, ſicut intellectus in actu primo eſt res intellecta in actu primo; ergo ſicut eſt res intellecta in actu primo per ſpeciem impreſſam, ſic debet eſſe in actu ſecundo per ſpeciem expreſſam, ſiue per verbum: & ita per quamlibet intellectionem creatam producitur verbum & per hoc faciliùs explicatur miſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. 1. p. quæſt. 12. art. 2. vbi docet quòd Beati non vident Deum per aliquam ſimilitudinem creatam, quod non eſſet verum, ſi in viſione beatifica produceretur verbum: illum, ſequuntur communiter Thomiſtæ, & aliqui alij.

Conclusio.

Cùm in viſione beatifica non producatur verbum, non eſt neceſſe quòd per quamlibet intellectionem creatam producatur.

Respondeo dicendum, quòd per quamlibet intellectionem creatam producitur verbum 2. præterquam per viſionem beatificam.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D.Th. adducta in contrarium quæ hanc partem conuincunt. Nec aliquid obſtat tali productioni, ſicut obſtat in viſione Beata, imò contraria ratio currit, quia nulla poteſt dari natura creata, cùm ſit limitatæ immaterialitatis, quæ non poſſit repreſentari verbo eiuſdem immaterialitatis. Deinde licèt in Angelis concedatur, quòd eorum eſſentia ſuppleat vicem ſpeciei impreſſæ, quia eſt intimè vnita eius intellectui, & ſatis immaterialis vt ſit principium intellectionis, ſiue vt habeat rationem motiui, non tamen vt habeat rationem terminatiui, vt conſtat ex prædicta authoritate D. Thom. ergo multò magis dandum eſt verbum in aliis, quando ſcilicet obiectum non eſt intimè vnitum intellectui: intellectus enim vt intelligat, attrahit ad ſe res, & opponitur voluntati quæ fertur ad res: vel quando obiectum non eſt perfectè immateriale, & ita per quamlibet intellectionem creatam producitur verbum exceptâ ſolâ viſione beatificâ: vnde quando Ariſtoteles 9. Metaph. textu 16. & Ethicor. cap. 1. ponit diſcrimen inter actionem immanentem & tranſeuntem, quòd iſta habeat terminum productum, illa verò non debet ſic intelligi, quia actio immanens non neceſſario, ſed permiſſiuè habet terminum vt patet in viſione beatifica,& aliis ſimilibus quæ non habent: actio verò tranſiens phyſica ordinata ad transformandam materiam, exteriorem, de qua loquitur Ariſtot. neceſſariò habet terminum.

Probatur ſecunda pars concluſionis, tum authoritate D. Thom. 1. part. quæſt. 12. artic. 2. vbi probat non dari ſimilitudinem Dei, quâ mediâ videatur diuina eſſentia à Beatis: per hanc autem ſimilitudinem communiter intelligunt Thomiſtæ, tam ſpeciem impreſſam, quàm expreſſam: & eadem ratio pugnat pro vtraque, imò magis pro expreſſa, quæ eſt ſimilitudo perfectior. Deinde ſpecies expreſſa ſiue verbum eſt eiuſdem naturæ cum obiecto repreſentato, licèt ſub alio modo eſſendi, ſcilicet repræſentatiuo & cognoſcibili vt dictum eſt: ſed non datur, imò implicat dari aliquid creatum eiuſdem naturæ cum diuina eſſentia etiam ſub eſſe repræſentatiuo, cùm implicit dari aliquod prædicatum vniuocum ſub quocunque modo eſſendi inter Deum & creaturas. Denique illud verbum eſſet repræſentatiuum Dei quidditatiuè, de hoc enim ſolo eſt difficultas, ac proinde deberet adæquare diuinam eſſentiam in repræſentando, ita vt tantùm repræſentaret, quantùm ipſa eſt repræſentabilis, vnde cùm ipſa ſit infinita quantùm ad repræſentabilitatem (continet enim infinitam & illimitatam perfectionem repræſentabilem) etiam verbum haberet actu infinitam virtutem repræſentatiuam: quæ virtus & ratio repræſentatiua eſt realis, imò eſt ratio ſpecifica verbi, & ita aliquid reale eſſet actu infinitum ſecundùm ſuam rationem ſpecificam, quod eſt impoſſibile: ergo per viſionem beatificam, quæ eſt intellectio perfectiſſima, non producitur verbum: vnde conſtat quòd vt intellectio ſit in rerum natura, non indiget verbo ex parte ſui, ſed aliunde, quando ſcilicet obiectum vel non eſt intimè vnitum & præſens intellectui, vel non habet ſufficientem immaterialitatem, vt in ſuo eſſe naturali terminet intellectionem,

Ex dictis duo inferimus. Primum quòd ſpecies intelligibilis habet tantùm rationem principij in intellectione directa, & obiecti motiui intellectûs in ordine ad illam, non verò habet rationem obiecti terminatiui, niſi in cognitione reflexa, qua cognoſcitur intellectio directa, & eà mediante principium formale elicitiuum illius, ſcilicet prædicta ſpecies; quia in cognitione omninò directa nihil habente de reflexione, non poteſt idem eſſe principium & terminus intellectionis, vt patet: in hac tamen cognitione reflexa producitur verbum, quia quod eſt terminus intellectionis, non ſolùm petit ex ſe eſſe actu intelligibile, ſed actu intellectum: conſtat autem quòd ſpecies impreſſa ſolùm habet ex ſe eſſe intelligibilem, & ideo eſt motiua intellectionis, non autem habet eſſe actu intellectam, & ideo non eſt terminatus intellectionis per modum verbi, ſed tantùm per modum obiecti. Secundum, quòd proportione ſeruatâ per omnes ſenſus internos actu ſentientes producitur aliquis terminus internus, ſenſus verò externi ob imperfectionem ſentiunt per ſimplicem apprehenſionem obiecti: ita D. Th. quodlib. 5. articulo 9. ad 2. vbi ſic ait: *Non autem ipſe ſenſus exterior format ſibi aliquam formam ſenſibilem, hoc autem facit vis imaginatiua, cuius forma quodammodo ſimile eſt verbum intellectûs*: vnde ſenſus externi, propter infimum locum inter potentias cognoſcitiuas, trahunt res ad ſe in ratione tantùm obiecti motiui mediis ſpeciebus impreſſis intentionalibus, non autem in ratione obiecti terminatiui. Producitur etiam aliquis terminus per operationes appetitûs, ſiue ſenſitiui, ſiue intellectualis qui eſt voluntas: de voluntate expreſsè docet D. Th. primâ parte quæſtione 27. articulo tertio, & quæſtione 37. articulo primo. Nec hoc contrariatur rationi appetitûs, qui

fertur

fertur extra se, hic enim terminus non est illud quod appetitus appetit, sed est quædam incliuatio qua adiunatur appetitus, vt tendat ad suum obiectum, quod secundùm illam impressiouem est aliquo modo in amante, & io hoc differt à verbo quod terminat intellectionem intellectum, tam vt quod, quàm vt quo, sicut supra dictum est, licèt hæc inclinatio, siue impulsus possit amati vt quo, sicut & ipse amor, non autem vt quod, nisi per actionem reflexam.

Ao primum ergo dicendum, quòd D. Thom. vtitur io hoc loco intellectione naturali ad ostendendam generationem Verbi Diuini, & ita verum est quòd per omnem intellectionem ordinis naturalis, siue principium eius sit species impressa, siue sit ipsa res intellecta intimè per suam substantiam præsens, siue obiectiuè vnita, producitur verbum: & per boc patet ad alium locum; si enim hoc fundamentum D. Thom. esset vniuersaliter verum, demonstratiuè probaretur generatio Verbi Diuini quod nullus dicit: vnde hæc ratio procedit ex principio vt in plurimùm vero.

Ao secundum dicendum quòd intellectio, cùm se teneat ex parte agentis, oon est fieri alicuius, sed est potiùs facere, quo fit aliquid ipsâ enim vnitur obiectum in actu secundo cum potentia per suam substantiam, quando iotellectio non est productiua; & ita ipsa procedit vt quo, nullus autem est terminus (qui) productus: sunt enim aliquæ actiooes tantùm acquisitiuæ termini, & non productiuæ illius, vt patet io motu locali qui solùm termitatur ad locum extrinsecum nihil per se producens.

Ao tertium dicendum, quòd solutio habetur in ipsis verbis D. Thom. nam substantia Angeli vt ait; licèt habeat sufficientem immaterialitatem, vt sit intelligibilis per se & motiua intellectionis, noo tamen vt sit actu intellecta & terminatiua intellectionis, quia non est de eius ratione esse actu intellectam, nam in Angelo intelligere & esse distinguntur.

Ad quartum dicendum: quòd intellectus fit multò perfectiori modo res intellecta, quando ipsa per suam substantiam immediatè voitur intellectui secundùm esse intelligibile in actu secundo, quàm quando vnitur ipsi mediante verbo: & ita intellectus videns Deom intuitiuè, & habens illum sic voitum, fit perfectiori modo Deus in esse repræsentatiuo, quàm fiat cætera omnia intellecta. Ad aliud quod subiungitur dicendum, quod si per quamlibet intellectionem produceretur verbum, forte aliqui inferrent quòd per diuinam intellectionem, non solùm notionaliter sumptam, id est, vt io Patre, sed etiam essentialiter, vt est in Filio & Spiritu sancto, produceretur Verbum, quod est Hæreticum, & ita sufficit ad explicandum boc misterium, quòd per intellectionem naturalem producatur Verbum.

Articvlvs V.

Vtrùm pro hoc statu intellectio terminetur directè & distinctè ad singularia materialia.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd pro hoc statu intellectio terminetur directè & distinctè ad singularia materialia. Ita tenent multi extra scholam Diui Thomæ. Probatur. Intellectio directè & distinctè terminatur ad illod, quod directè & distinctè repræsentatur in specie, qua iotellectus constituitur in actu primo, vt ex se patet: sed species intelligibilis directè & distinctè repræsentat singularia materialia, sicut, & phantasma à quo abstrahitur: ergo intellectio terminatur etiam pro hoc stato directè & distinctè ad singularia materialia.

§ 2. Præterea, Si intellectio directè noo terminaretur ad singularia materialia, ex eo esset quia talia singularia cognoscuntur per speciem repræsentantem naturam abstractam ab indiuiduis; sed per talem speciem non cognoscuntur indiuidua siue singularia materialia at per aliam, quia talis species non repræsentat cooditiones indiuiduales, cùm abstrahat ab ipsis: ergo intellectio directè & distinctè terminatur ad singularia materialia.

§ 3. Præterea, Ex opposito sequitur quod non aliter cognoscerentur pro hoc statu singularia materialia ac cognoscuntur substantiæ separatæ & spirituales, illa enim sicut & istæ solùm cognoscerentur indirectè & confusè: sed boc est falsum, nam cùm singularia materialia directè contineantur sub obiecto proportionato & & connaturali nostri intellectus, in eis enim ioclu ditur ratio qoidditatis materialis, quæ est obiectum proportionatum illius pro boc statu, debent perfectiori modo attingi, quàm substantiæ in qnibus non includitur ratio quidditatis materialis: ergo intellectio pro hoc stato directè & distinctè terminatur ad singularia materialia.

Sed contra est authoritas Aristot. & D. Thom. quos sequontur vniuersi Thomistæ, & plurea alij.

Conclvsio.

Cùm pro hoc statu intellectio fiat per species abstractas à phantasmatibus, & repræsentantes naturam tantùm vniuersalem, intellectio non terminatur directè & distinctè ad singularia materialia.

Respondeo dicendum, quòd intellectus pro hoc statu per species abstractas à phantasmatibus non cognoscit singularia materialia directè 2. sed tantùm indirectè & per quamdam reflexionem. 3. Et adhuc vt sic oon distinctè & clarè, sed tantùm confusè. Ad cuius euidentiam sciendum est iotellectum pro hoc statu, cognoscere aliqua singularia materialia: cùm enim fides sit in intellectu, & credamus Christum Dominum esse verum Deum & hominem, ac Beatissimam Virginem esse Dei Matrem, iotellectus debet illos aliquo modo cognoscere, quæ cognitio potest qnidem esse directa & distincta, si fiat mediâ aliqua specie supernaturaliter infusa vel mediâ aliâ formatâ ab intellectu possibili directè repræsentatiuâ singularia materialis: non autem si sit prima cognitio, quæ fit mediante specie abstracta à phantasmatibus.

Probatur conclusio quoad omnes partes authoritate D. Thom. qui exponens textum 10. buius tertij libri lect. 8. sic ait: *Sicut enim supra dictum est, quòd non possemus sentire differentiam dulcis & albi, nisi esset vna potentia sensitiua communis qua cognosceret vtrumque: ita etiam non possumus cognoscere comparationem vniuersalis ad particulare, nisi esset vna potentia qua cognosceret vtrumque: intellectus igitur vtrumque cognoscit, sed alio & alio modo: cognoscit enim naturam speciei siue quidquid est, directè extendendo seipsum, ipsum autem singulare per quamdam reflexionem, inquantum redit super phantasmata, de quibus species intelligibiles abstrahuntur.* Item 1. parte quæst. 86. articulo primo ait: *Respondeo dicendum quòd singulare in rebus materialibus intellectus noster directè, primò cognoscere non potest, indirectè autem, & quasi per quamdam reflexionem potest cognoscere singulare.* Et clariùs quæstione de anima articulo 20. ad 1. *Dicendum quòd anima coniuncta corpori per intellectum cognoscit singulare, non quidem directè, sed per quamdam reflexionem, inquantum scilicet ex hoc quòd apprehendit suum intelligibile, reuertitur ad considerandum suum actum, & speciem intelligibilem, quæ est principium suæ operationis, & eius speciei originem, & sic venit in considerationem phantasmatum, & singularium quorum sunt phantasmata.*

Probatur prima pars conclusionis, Species abstracta à phantasmatibus non repræsentat directè intellectui singularia materialia, sed tantùm oaturam vniuersalem abstractam à conditionibus indiuiduantibus, vt ostensum est supra, quia phantasma non potest eleuari ab intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis, nisi secundùm illud quod habet de actu & forma, non verò secundùm id quod habet de materia, quia materia non est priocipium operationis, at tantùm forma: in phantasmate autem natura vniuersalis in eo relucens est formale, conditiones autem indiuiduantes sunt ma-

teriale;

teriale: & ita ſpecies producta repræſentat formale, & non materiale phantaſmatis, ſcilicet naturam, & non conditiones indiuiduantes, quia effectus aſſimilatur cauſæ quantùm ad rationem agendi: ergo intellectus non cognoſcit directè ſingularia materialia, vt optimè concludit D. Thom. quæſt. 2. de veritate articulo 6. dicitur enim quod actio ſequitur conditionem formæ agentis, quæ eſt principium actionis, & ſubdit: *Cum ſimilitudo rei quæ eſt in intellectu noſtro, accipiatur vt ſeparata à materia, & ab omnibus materialibus conditionibus, quæ ſunt indiuiduationis principia, relinquitur quòd intellectus noſter per ſe loquendo ſingularia non cognoſcat, ſed vniuerſalia tantum ſed per accidens contingit, quòd intellectus noſter ſingulare cognoſcat.*

Probatur, & explicatur ſufficienter ſecunda pars concluſionis à D. Thom. locis ſupra citatis: nec ex hoc quòd viſus ſentit non ſolùm colorem, ſed etiam album & nigrum directè, ſequitur quòd intellectus debeat etiam directè cognoſcere ſingularia materialia contenta ſub naturis vniuerſalibus, in hoc enim eſt diſparitas, quia album & nigrum non ſolòm in eſſe rei, ſed etiam in eſſe obiecti formalis viſus continentur directè ſub colore: non autem ſingularia materialia continentur directè ſub vniuerſalibus in ratione obiecti formalis intellectus: quia vt dictum eſt ſola quidditas materialis abſtracta à conditionibus indiuiduantibus, pro hoc ſtatu eſt obiectum proportionatum intellectus.

Probatur, & explicatur tertia pars concluſionis. Intellectus per hanc cognitionem reflexam ſolùm pertingit ad cognoſcendum, quòd ſuæ ſpecies ſunt deſumptæ à phantaſmatibus, & quia cognoſcit phantaſmata non eſſe niſi ſingularium, conſequenter cognoſcit dari ſingularia illius quidditatis & naturæ, quam directè intelligit, quod eſt cognoſcere ſingularia confusè, & non diſtinctè ſicut cognoſcit phantaſia: hac autem cognitione non cognoſcit ſingulare ſub ratione ſingularitatis in actu ſignato, hoc enim eſſet cognoſcere aliquid vniuerſale, ſed cognoſcit illud in actu exercito, ſiue vt actu exiſtens pro aliqua duratione, quod eſt cognoſcere ſingulare vt ſingulare, & hæc cognitio ſufficit ad comparandum inter ſe vniuerſale & ſingulare.

Ad primum ergo dicendum: quòd ſpecies intelligibiles, quia producuntur à phantaſmate, non ratione conditionum materialium quas habet, ſed ratione naturæ vniuerſalis relucentis in phantaſmate, vt dictum eſt, non poteſt diſtinctè, ſed tantùm confusè repræſentare ſingularia, quia ab illis abſtrahit: nec determinatio phantaſmatis aliquid facit, cùm intellectus nullo modo attingat phantaſmata in ſe cùm ſint materialia: quod non eſt ſimile in ſpeciebus Angelicis, quæ non ſunt abſtractæ, ſed infuſæ, & ideo directè & diſtinctè poſſunt repræſentare etiam ſingularia, quæ directè & diſtinctè cognoſcuntur ab Angelis, imò fortè hæc diſparitas poteſt prouenire etiam ex parte intellectuum, nam humanus, vt pote imperfectior, non cognoſcit diſtinctè prima cognitione niſi quæ diſtinctè repræſentantur in ſpecie intelligibili; Angelicus autem ob ſuam perfectionem & eminentiam, forte ex repræſentatione virtuali poreſt elicere cognitionem diſtinctam.

Ad ſecundum dicendum, quòd illæ ſpecies licet directè repræſentent tamtùm naturas vniuerſales, indirectè tamen & virtualiter repræſentant phantaſmata à quibus abſtrahuntur, ac proinde ſingularia: vnde poſſunt deſeruire ad cognitionem illorum indirectam & confuſam.

Ad tertium dicendum, quòd licèt tam ſingularia materialia, quàm ſubſtantiæ immateriales cognoſcantur tantùm indirectè & confusè ab intellectu, tamen cognitio ſubſtantiarum immaterialium eſt magis imperfecta & arguitiua, propter maiorem diſtantiam inter ipſas, & ſubſtantias materiales, à quibus originatur noſtra cognitio, quàm inter materialia vniuerſalia & ſingularia.

Articvlvs VI.

Vtrùm pro hoc ſtatu qualibet intellectio pendeat naturaliter ab operatione phantaſiæ?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd pro hoc ſtatu qualibet intellectio non pendeat naturaliter ab operatione phantaſiæ. Ita tenuit Commentator, & Auicenna, Toletus autem in præſenti reputat probabile. Probatur. Poteſt adeo intendi contemplatio diuinorum, vt accidit in illis qui extaſim patiuntur, vt eſſent omnes aliæ operationes animæ: quia anima cùm ſit limitatæ virtutis, quò magis attendit vni operationi, eò magis diſtrahitur ab alia, vnde videmus quòd nimium ſtudioſi vt in plurimùm ſunt macres, quia potentia nutritiua non poteſt habere perfectè ſuas operationes, quando anima nimis intendit aliis: ergo pro hoc ſtatu qualibet intellectio non pendet ab operatione phantaſiæ.

¶ 2. Præterea, Anima rationalis pro omni ſtatu eſt purè ſpiritualis: ergo pro omni ſtatu eſt independens à corpore, ſicut quia aliæ animæ ſunt materiales, ab illo dependent: ſi autem anima eſt independens in ſuo eſſe à corpore, etiam erit independens ab illo in ſua principali operatione, ſcilicet intellectione: nam principalis operatio alicuius formæ debet ipſi formæ proportionari.

¶ 3. Præterea, Principium adæquatum intellectionis eſt anima cum intellectu informato ſpecie intelligibili: ergo poterit dari intellectio ſecluſo quocumque alio, etiam operatione phantaſiæ: imò hoc experimur, nam intelligimus Deum, qui non poteſt percipi à phantaſia medio aliquo phantaſmate: & ita dum intellectus intelligit, phantaſia nihil operatur, ac proinde non qualibet intellectio pro hoc ſtatu pendet naturaliter ab operatione phantaſiæ.

Sed contra eſt authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm anima rationalis pro hoc ſtatu dependeat aliquo modo in ſuo eſſe à corpore, etiam eius principalis operatio, ſcilicet intellectio naturaliter pendet ab operatione phantaſiæ.

Respondeo dicendum, quòd quæuis intellectio huius ſtatûs pendet naturaliter ab operatione phantaſiæ, ita vt quoties intellectus aliquid intelligit, phantaſia ſimul circa illud operetur, formans aliquod phantaſma aliqualiter repræſentans rem intellectam. 2. quod etiam inuenietur in damnatis poſt reſurrectionem. 3. non verò in Beatis.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtotelis, & D. Thom. Ariſtoteles in hoc 3. libro textu 39. inter alia hæc habet loquens de intellectione animæ: *Sed cùm ſpeculetur, neceſſe ſimul phantaſma aliquod ſpeculari: phantaſmata enim ſicut ſenſibilia ſunt, præterquam quòd ſunt ſine materia*, quod D. Thom. lect. 13. ſic exponit: *Quia nulla res intellecta à nobis eſt præter magnitudines ſenſibiles, quaſi ab eis ſeparata ſecundum eſſe, propter hoc ſine ſenſu non poteſt aliquis homo addiſcere, quaſi de nouo acquirens ſcientiam, neque intelligere, quaſi vtens ſcientiâ habitâ, ſed oportet cùm aliquis ſpeculatur in actu, quòd ſimul formet ſibi aliquod phantaſma; phantaſmata enim ſunt ſimilitudines ſenſibilium.* & lect. 7. ait: *Solùm debilitatur intellectus ex læſione alicuius organi corporalis indirectè, inquantum ad eius operationem requiritur operatio ſenſus habentis organum.* Item 1. part. quæſt. 84. art. 7. ait: *Reſpondeo dicendum quod impoſſibile eſt intellectum ſecundum præſentis vitæ ſtatum, quo paſſibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata.*

Secundò probatur à poſteriori duplici ſigno adducto D. Thom. loco proximè citato. Primò, non eſſet aſſignabilis ratio cur læsâ phantaſiâ impediretur vſus, aut rectus vſus intellectus, ſi ad intellectionem non requiritur operatio phantaſiæ, nam intellectus etiam læsâ phan-

phantasiâ haberet omnia requisita ad rectè intelligendum, vt patet inductione illorum, cuius tamen contrarium experimur in Phræneticis & Amentibus. Secundò, experimur quòd quoties intelligimus aliquid, formamus interius quoddam corporeum idolum, siue illud quod intelligimus sit corporeum, siue spirituale: ergo quæuis intellectio huius status pendet naturaliter ab operatione phantasiæ.

Tertiò, anima rationalis in suo esse aliquo modo pendet à corpore, cùm sint compartes, licèt hæc dependentia sit minima: ergo quælibet operatio animæ dependet à corpore, quædam quidem multùm, quia non possunt exerceri nisi organo corporeo; principaliter autem, qualis est intellectio, licèt exerceatur sine organo corporeo, trahit tamen secum operationem corpoream phantasiæ, non autem alicuius sensûs externi, aut sensus communis, cuius operatio à sensatione externa in esse & conseruari dependet.

Probatur secunda pars conclusionis. Ideo in homine viatore eius intellectio pendet naturaliter ab operatione phantasiæ, quia anima pro hoc statu dependet à corpore, nec omnino ei dominatur, nec corpus perfectè subiicitur animæ: experimur enim quòd non mouetur ad eius nutum versùs omnem partem, imò ipsum corpus aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: sed hoc idem reperietur in damnatis, imò multò plus, & hoc iusto Dei iudicio, cum enim illorum animæ se liberè subiecerint illicitis corporum inclinationibus, iustum est vt coactè in æternum illorum infirmitatibus subiiciantur: ergo etiam in damnatis post resurrectionem intellectio pendebit ab operatione phantasiæ.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D.Th. 3.part. quæst. 11. art.2. vbi sic ait: *Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, vt nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur: vnde & post resurrectionem ex anima gloria redundabit ad corpus*: Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata conuerti, quòd est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens; & ideo animæ Beatæ, & ante resurrectionem, & post, intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata; & hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plenè habuit facultatem comprehensoris. Igitur animæ Beatæ non solùm non dependebunt à corpore, quin potiùs perfectè dominabuntur ipsi propter dotes ipsi deriuatas à gloria animæ quibus mediis perfectè subiicietur animæ, & consequenter nec intellectus pendebit à phantasia: & ita in Beatis poterit esse intellectio absque operatione phantasiæ vel poterit esse cum illa ad libitum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Sancti Patres experti sunt contrarium; vnde Dionisius 10. de cœlesti Hierarchia, & cap. 6. de diuinis nominibus ait impossibile esse superlucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum vel animum circumueletur: & August. quarto super genesim ad litteram capite septimo idem docet, & nos experimur ex contemplatione defatigationem non ex parte intellectûs, sed ex cerebri fatigatione, & spirituum vitalium consumptione: & ratio est quia istæ duæ operationes, scilicet intellectûs & phantasiæ ita sũt connexæ & subordinatæ, vt nunquã possit esse tanta attentio intellectûs, vt anima totaliter abstrahatur ab operatione phantasiæ, quòd non accidit in aliis operationibus defectu talis connexionis, & subordinationibus.

Ad secundum dicendum, quòd anima rationalis quantumuis spiritualis, dum est in corpore, aliquo modo pendet ab eo vt à sua comparte, non tantùm quantùm aliæ animæ materiales, & propterea eius principalis operatio non exercetur per organum corporeum, sed solùm habet aliam corpoream, nempe phantasiæ annexam.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis anima cum intellectu informato specie intelligibili, sit adæquatum principium intrinsecum intellectionis, tamen ob rationem dictam requiritur dependentia aliqua intellectionis à corpore, licet anima, quæ non esset, nisi secum traheret operationem phantasiæ: aliæ autem omnes operationes tantum habent dependentiam, vt exerceantur in organo corporeo. Ad aliud respondet D.Thom. 1.p.q. 84. art.7. ad 3. sic: *Dicendum quòd incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur*: Deum autem, vt Dionysius dicit, cognoscimus vt causam, & per excessum, & per remotionem: alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia: & ideo cùm de huiusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus conuerti ad phantasmata corporum, licèt ipsorum non sint phantasmata.

QVÆSTIO XLV.

De Appetitu rerum cognoscentium, tam sensitiuo, quàm intellectiuo.

Sicvt ad formam naturalem sequitur appetitus innatus & naturalis, ita ad formam intentionalem sensibilem appetitus sensitiuus, & ad intelligibilem intellectiuus; propterea, cùm actum sit de cognitione sensitiua cuius principium est forma sensitiua, & de cognitione intellectiua cuius principium est forma intelligibilis, restat agendum de vtroque appetitu ipsas consequente, circa quem quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm appetitus sensitiuus diuidatur in concupiscibilem & irascibilem, vt in duas potentias realiter distinctas?

¶ Secundò, Vtrùm voluntas humana sit libera in suis actibus?

¶ Tertiò, Vtrùm voluntas in statu viæ necessariò feratur in beatitudinem?

¶ Quartò, Vtrùm voluntas sit perfectior, quam intellectus?

Articvlvs I.

Vtrùm appetitus sensitiuus diuidatur in concupiscibilem & irascibilem, vt in duas potentias realiter distinctas?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd appetitus sensitiuus non diuidatur in concupiscibilem & irascibilem, vt in duas potentias realiter distinctas. Ita Scotus in 3. d. 26. q. vnica. Suares 1. tom. Summæ Theolog. tract. 3. de anima lib.5. cap. 5. & alij. Probatur Appetitus rationalis non diuiditur in concupiscibilem & irascibilem ex D.Thom. 1.p.q.82. art.5. vt in duas potentias realiter distinctas: ergo nec sensitiuus, vt patet ex paritate rationis: maximè quia actus concupiscibilis & irascibilis ita sunt connexi, vt non possint attribui duabus potentiis: nam quia irascibilis intendit ad tollendum impedimentum assecutionis boni, appetit eamdem assecutionem, quod pertinet ad concupiscibilem.

¶ 2. Præterea, Eadem potentia animæ est vnius contrarietatis, vt visus albi & nigri: sed conueniens, & nociuum sunt contraria: ergo pertinent ad eamdem realiter potentiam, & sic concupiscibilis, quæ respicit conueniens, est eadem potentia cum irascibili, quæ respicit nociuum. Deinde per eamdem virtutem qua accedimus ad vnum contrarium, recedimus ab alio: ergo est eadem potentia concupiscibilis accidens ad conueniens, & irascibilis recedens à nociuo: maximè quia in quouis actu irascibilis includitur actus concupiscibilis, nam ita habet concupiscentiam vindictæ, &c.

¶ 3. Præterea, Ex oppoſito ſequitur boc inconueniens quòd non erit aſſignabile quænam ex his potentiis eſſet nobilior, nam ex vna parte iraſcibilis videtur nobilior, quia habet altius & nobilius obiectum, ex alia verò videtur ignobilior, quia tota ordinatur ad bonum concupiſcibile, ſioe ad defenſionem illius, vnde paſſiones concupiſcibilis vt amor, deſiderium, &c. ſunt nobiliores paſſionibus iraſcibilis: ergo apperitus ſenſitiuus non diuiditur in concupiſcibilem & iraſcibilem, vt in duas potentias realiter diſtinctas.

Sad contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, D. Thom. ac commonis conſenſus Principum philoſophiæ Platonis, Phitagoræ, & Galeni vt fatetur Suares, quos ſequuntur ſancti Patres Damaſc. 2. de fide Ortodoxa cap. 12. Gregor. Niſſenus lib. 4. Philoſophiæ cap. 8. & 9. Bonauentura in 3. d. 33. q. 3. art. 1. omnes Thomiſtæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm iraſcibilis & concupiſcibilis reſpiciant diuerſa obiecta formalia, appetitus ſenſitiuus diuiditur in ipſas, vt in duas potentias realiter diſtinctas.

Respondao dicendum, quòd appetitus ſenſitiuus diuidatur in concupiſcibilem & iraſcibilem, vt in duas potentias realiter diſtinctas. Ad cuios euidentiam ſciendum eſt in cognoſcentibus dari appetitum, vt docet Ariſtoteles ſupra libro 2. textu 17. & D. Thom. 1. p. q. 80. art. 1. & cum eis communiter omnes Philoſophi: ratio D. Th. eſt quia ad omnem formam ſequitur aliqua inclinatio, vt ad formam Ignis inclinatio ad locum ſurſum &c. ſed cognoſcentia vt talia habent formas aliarum rerum altiori modo, quàm non cognoſcentia, qoia habent ſpecies inteotionales, quæ ſunt formæ ſine materia, & einſdem naturæ cum obiectis, ſiue formis per eas repræſentatis: ergo cognoſcentia habent appetitum eleuatiorem, quàm non cognoſcentia. Hic autem appetitus rerum cognoſcentium nihil eſt aliud, quàm potentia paſſiua vitalis, quæ nata eſt moueri ab apprehenſo, ita Ariſtoteles in hoc libro textu 54. & D. Thom. 1. p. q. 80. art. 2. ſic eum definit: *Poteutia appetitiua eſt potentia paſſiua, qua nata eſt moueri ab apprehenſo: vnde appetibile apprehenſum eſt mouens non motum; appetitus autem mouens motum, vt dicitur in 3. de anima & 11. Metaphyſica*: Quod ſic probat. *Proprium eſt appetitus moueri ad res appetitas, ita vt trabatur ad illas, & ideo oportet quòd bonum appetitum trahat illum ad ſe, non autem poteſt trahere niſi media apprehenſione prædicti boni, quia iſto appetitus ratione ſua eminentia non trahitur à qualibet forma, ſed à forma apprehenſa; quod eſt moueri à bono apprehenſo.* Dioiditur hic appetitus in animalem ſiue ſenſitiuum, & in rationalem ſiue intellectiuum, ita vt realiter diſtinguantur. Ita D. Th. loco citato: ait enim: *Sed contra eſt quod Philoſophus in 3. de anima diſtinguit duplicem appetitum, & dicit quòd appetitus ſuperior mouet inferiorem, affert autem rationem his verbis: Potentia enim appetitiua eſt potentia paſſiua, qua nata eſt moueri ab apprehenſo: paſſiua autem, & mobilia diſtinguuntur ſecundùm diſtinctionem actiuorum, & motiuorum, quia oportet motiuum eſſe proportionatum mobili, & actiuum paſſiuo, & ipſa potentia paſſiua propriam rationem habet in ordine ad ſuum actiuum: quia igitur eſt alterius generis apprehenſum per intellectum, & apprehenſum per ſenſum, conſequens eſt quod appetitus intellectiuus ſit alia potentia à ſenſitiuo: ipſa autem apprehenſio non ſe habet per accidens, quia tantùm bonum apprehenſum mouet appetitum: ipſa ratio boni per ſe, apprehenſio autem vt applicans: applicatio verò, qua fit per apprehenſionem ſenſus, eſt boni limitati, & ſingularis, illa autem qua fit per intellectum, eſt boni vniuerſalis & ſub communi ratione boni: & ſic diuerſitas appetituum reducitur in diuerſas bonitates apprehenſas, vt in rationes formales obiectiuas, & in apprehenſiones, vt in rationes applicantes diſtinctas rationes obiectiuas.* Tandem appetitus ſenſitiuus dioiditur in concupiſcibilem & iraſcibilem, vt communiter docent Philoſophi cum Ariſt. in præſenti, & D. Thom. 1. p. q. 81. cap. 2. qui affert rationem ad 2. ſic: *Dicendum quòd ſicut in apprehenſiuis virtutibus in parte ſenſitiua eſt aliqua vis æſtimatiua, ſcilicet qua eſt perceptiua eorum, qua ſenſum non immutant, vt ſupradictum eſt: ita etiam in appetitu ſenſitiuo eſt aliqua vis appetens aliquid, quod non eſt conueniens ſecundùm delectationem ſensùs, ſed ſecundùm quòd eſt vtile animali ad ſuam defenſionem, & hac vis iraſcibilis*: Quod autem ſint potentiæ realiter diſtinctæ aliqui dubitant.

Probatur concluſio authoritate Ariſtotelis, & D. Th. Philoſophus quidem in præſenti pooit in appetitu deſiderium & auimum, ideſt iraſcibilem & concupiſcibilem, quæ ſunt adinuicem diuerſæ vt exponit D. Thom. q. 25. de veritate art. 2. Item libro 1. magnorum morallum c. 13. docet appetitum eſſe triplicem, ſcilicet concupiſcibilem, iraſcibilem, & rationalem: D. Thom. autem loco citato ait: *Dicendum quòd appetitus ſenſualitatis has duas vires continet, ſcilicet iraſcibilem, & concupiſcibilem, qua ſunt adinuicem diuerſa potentia.* Item 1. p. q. 81. art. 2. ait: *Reſpondeo dicendum quòd appetitus ſenſitiuus eſt vna vis in genere, qua ſenſualitas dicitur, ſed diuiditur in duas potentias, qua ſunt ſpecies appetitus ſenſitiui, ſcilicet in iraſcibilem & concupiſcibilem.*

Secundò probatur ratione D. Thom. ibidem. Intellectus agens & poſſibilis diſtinguuntur, quia ille habet ſe per modum potentiæ purè actiuæ, iſte verò per modum potentiæ paſſiuæ vitalis, vt patet ex dictis: ſed concupiſcibilis habet ſe adinſtar potentiæ paſſiuæ, quia tendit ad ſuum obiectum quaſi per modum recipientis, non trahendo quidem obiectum intentionaliter ad ſe, ſicut potentia cognoſcitiua, ſed vt realiter recipiatur in ipſo animali, quod ſic ab eo appetitur: iraſcibilis verò habet ſe adinſtar potentiæ puræ actiuæ, quia tendentia actualis & io actu ſecundo illius, eſt per modum actionis, id eſt, acquirendo victoriam ſuper id, quòd eſt aduerſum naturæ, debilitando & propulſando malum, quod impedit boonm illius: ergo realiter diſtinguuntur: hæc autem diſtinctio prouenit ex limitatione appetitûs ſenſitiui, non enim habet debitum exceſſum ſuper appetitum naturalem, vt ſint in ſenſitiuo vnita, quæ ſunt in naturali diſperſa, & ideo diſtinguuntur iſti duo appetitus ſenſitiui, ſicut in appetitu naturali duo reperiũtur iſtis correſpondentia.

Tertiò probatur ratione alia D. Thom. locis citatis & hîc lect. 12. iraſcibilis & concupiſcibilis reſpiciunt diuerſa obiecta formalia, concupiſcibilis enim habet pro obiecto bonum delectabile ſecundùm ſenſum, iraſcibilis verò bonum arduum, quòd multoties eſt conueniens animali ſecundùm alias commoditates, licèt non ſit delectabile ſecundùm ſenſum, appetit enim iraſcibilis ea, quæ conducunt ad conſeruationem & defenſionem animalis, quamois non ſint delectabilia, vnde reſpicit ea, quæ impediunt bonum ſenſibile, non fugiendo ea, ad hoc enim ſofficit concupiſcibilis, ſed reſiſtendo illis, & contra nitendo, & ſic reſpicit illa impedimenta tanquam mala, quæ ſont impognanda, & vincenda, & ideo vt ardua & difficilia: quia tamen impugnare & vincere huiuſmodi habet rationem boni, idcirco abſolotè dicitur, quòd iraſcibilis habet pro obiecto bonum arduum: ergo concupiſcibilis & iraſcibilis ſont diuerſæ & diſtinctæ potentiæ: maximè quia Iraſcibilis ſequitur apprehenſionem æſtimatioæ, concupiſcibilis verò imaginatiuæ, vt ait D. Thom. 1. p. q. 81. art. 2. ad 2.

Ao primum ergo dicendum quòd, eſt diſparitas ex duplici capite. Primò quia appetitus rationalis ſiue voluntas ſequitur tantùm apprehenſionem vnius potentiæ, ſcilicet intellectûs, & ideo non multiplicatur: in appetitu autem ſenſitiuo ſuot duæ apprehenſiones duarum potentiarum, ſcilicet æſtimatiuæ & phantaſiæ, & ideo multiplicatur. Secundò, quia ex D. Thom. hîc lect. 14. & 1. p. q. 82. art. 5. voluntas vt potentia ſpiritualis & eleuata reſpicit bonom in commoni, cui per accidens ſe habet ratio delectabilis & ardui: appetitus aotem ſenſitiuus ratione ſuæ limitationis, non poteſt ferri in omne bonum ſenſibile, vnde multiplicatur. Ad aliud dicendum, quòd licèt iraſcibilis vltimatè terminetur ad bonum

tum concupitum quia iuuat concupiſcibilem,non tamen primò & per ſe, obiectum enim eius formale eſt impedimentum vt deſtruendum.

Ad ſecundum dicendum, cùm D.Thom. q. 25. de veritate art.2. ad 2.quòd tam conueniens delectabile,quàm nociuum triſtabile ad concupiſcibilem pertinet : ſed habere quamdam latitudinem ſuper vtrumque, vt ſcilicet nociuum poſſit ſuperari, & delectabile cum ſecuritate quoddam poſſideri, ad iraſcibilem pertinet. Ad aliud dicendum cum D. Thom. ibidem ad 9. quòd in definitione paſſionum iraſcibilis ponitur actus appetitiuæ communis vt appetere, non autem aliquid ad concupiſcibilem pertinens, niſi ſit principium, vel terminus, vt ſi dicatur quòd ita eſt appetitus vindictæ propter præcedentem contriſtationem.

Ad tertium dicendum, quòd iraſcibilis eſt nobilior concupiſcibili,tum ex parte apprehenſionis quam ſequitur, illa enim ſequitur æſtimatiuam,quæ eſt multò nobilior phantaſiâ, quam ſequitur concupiſcibilis, & conſequenter ex parte obiecti quod eſt bonum nobilius & altius,vt pote conſequens apprehenſionẽ nobiliorem:vnde ibidem concludit ſic D. Th. patet igitur ex dictis quod iraſcibilis & concupiſcibilis ſunt diuerſæ potentiæ, & quid eſt obiectum vtriuſque, & quomodo iraſcibilis iuuet concupiſcibilem, & eſt ſuperior & dignior eâ, ſicut æſtimatiua inter cæteras virtutes ſenſitiuæ partis. Nec abſolutè iraſcibilis eſt propter concupiſcibilem, ſed propter ſuum obiectum, licèt aliqualiter ordinetur ad concupiſcibilem,ſed hæc ordinatio dicit io illa maiorem perfectionem : vnde ait D.Th. *Iraſcibilis quodammodo ad concupiſcibilem ordinatur ſicut propugnatrix ipſius, & ita bonum concupiſcibilis eſt finis iraſcibilis, non omnis gratia, ſed vt effectum & cauſatum ab iraſcibili, quomodo ſalus humana eſt finis aduentus Chriſti:* Non tamen negatur concupiſcibilem aliqua ex parte nobiliorem iraſcibili.

Articvlvs II.

Vtrùm voluntas humana ſit libera in ſuis actibus?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd voluntas humana non ſit libera in ſuis actious Ita tenuerunt aliqui antiqui, quorum errorem ſuſcitarunt Lutherus,& Caluinus dicentes libertatem eſſe titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo. Probatur. Omnia futura, etiam actus liberi,phyſicè & realiter exiſtunt ab æterno in æternitate,vt docet ſchola Thomiſtarum:ergo neceſſariò eueniunt ſicut ibi exiſtunt, aliàs viſio Dei, quæ fertur in res provt ſunt præſentes in æternitate,deciperetur.

§ 2. Præterea, Vel Deus ſcit & determinauit Petrum cras lecturum,vel non ſcit nec determinauit : ſi non ſcit nec determinauit, non poteſt eſſe quòd ſit cras lecturus, non enim poteſt fieri aliquid, niſi Deo volente aut permittente, ac proinde ſciente:ſi ſcit & determinauit, neceſſariò leget,alioquin eſſet fallibilis, ſiue poſſet falli diuina ſcientia & determinatio, ſi enim non legeret actu falleretur:ergo ſi neceſſariò non leget, ſiue ſi poteſt non legere,poteſt falli diuina ſcientia, quòd enim facit actus actu,facit potentia in potentia.

§ 3. Præterea,potentia libera eſt illa,quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, & non operari ; ſed voluntas humana non eſt huiuſmodi, quia ad ſuam operationem requirit concurſum diuinum, quo poſito non poteſt non operari,iuxta illud Scripturæ: *Voluntati eius quis reſiſtet* : Ergo voluntas humana non eſt libera in ſuis actibus.

Sed contra eſt authoritas fidei, ſanctorum Patrum omnium Theologorum,& Philoſophorum.

Conclvsio.

Cùm bona particularia habeant limitatam bonitatem, & vt ſic proponantur ab intellectu voluntati, voluntas non neceſſitatur ad illa proſequenda, vnde eſt libera in ſuis actibus.

Respondeo dicendum,quòd eſt certum tum ſecundum fidem.2. tum ſecundùm lumen naturale voluntatem humanam eſſe liberam in ſuis actibus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt actus voluntatis diuidi in imperatos, & elicitos, quos ſic explicat D.Th. 1. 2.q.6.art.4.& q.74.art.2. *Dicendum quòd duplex eſt actus voluntatis, vnus quidem qui eſt eius immediatè,vel vt ab ipſa elicitus,ſcilicet velle: alius qui eſt actus voluntatis à voluntate imperatus, & mediante aliâ potentiâ elicitus : vt ambulare & loqui, quæ à voluntate imperantur, &c.* Inter actus autem elicitos primus eſt amor,vt probat D.Th.1.p.q.20. art.1.ait enim, *Omnes alij motus appetitiui præſupponunt amorem ; quaſi primam radicem;nullus enim deſiderat aliquid, niſi bonum amatum, neque aliquis gaudet, niſi de bono amato : odium etiam non eſt, niſi de eo quod contrariatur rei amatæ, & ſimiliter triſtitia & huiuſmodi manifeſtum eſt in amorem referri, ſicut in primum principium.* Poſt actum amoris ſequitur intentio finis, de qua D.Th.agit 1.2.q.12.probat autem quòd ſit actus voluntatis, quia intentio primò & principaliter pertinet ad illud, quod mouet ad finem,voluntas autem mouet omnes alias vires animæ ad finem, cum eius obiectum ſit finis,ſiue bonum:vnde manifeſtum eſt quòd intentio propriè eſt actus voluntatis:ad hunc autem actum ſequitur deſideriũ & ſpes conſequendi finem intentum, deſiderium enim tendit in bonum abſens, ſpes autem eſt de re difficili, non quia neceſſariò ſit de re magna, ſed quia eſt de re quæ pendet ex voluntate alterius, & inſuper debet credi eſſe futura. Poſt intentionem,deſiderium, & ſpem finis, adhibito conſilio,ac deliberatione de mediis quibus aquirendus eſt finis, quæ ſunt actus intellectus,ſequitur conſenſus,& electio,qui actus voluntatis verſantur circa media : de conſenſu docet D. Th. 1. 2. q.15.art.3. de electione 1.q.83. art.3. & hanc affert rationem, quia proprium obiectum electionis eſt illud quod eſt ad finem, hoc autem inquantum huiuſmodi habet rationem boni, quod dicitur vtile, vnde cùm bonum inquantum huiuſmodi ſit obiectũ appetitûs, ſequitur quòd electio ſit principaliter actus appetitiuæ virtutis, inter conſenſum autem & electionem hoc intereſt, quòd conſenſus ſolum ſignificat illum actum, quo voluntas ſe applicat ad aliquod mediũ non determinando,an tale mediũ per talem actum ſeparetur, & præferatur aliis:electio verò eſt actus voluntatis, quo acceptando aliquod mediũ ſeparat illud ab aliis, & cæteris aliis non acceptatis præfert : conſenſus autem latè ſumptus fertur etiam circa finem, vnde dicimur conſentire peccatis:vtrũ autem conſenſus & electio ſint duo actus realiter diſtincti, non eſt huius loci.Poſt electionem ſequitur alius actus, qui dicitur vſus,per quem applicantur cæteræ potentiæ,& inſtrumenta executura tale mediũ,qui actus primò,& principaliter eſt voluntatis,licèt ſit aliquo modo intellectûs, tanquam imperantis (ſequitur enim imperiũ intellectûs) & dirigentis ſicut & electio:& ſimiliter eſt aliarũ potentiarum tanquã exequentium:quod optimè explicat D.Th. in 1.d.1.q.2.art.2. & 1.2.q.16.art.4. cur autem ipſa voluntas moueat alias potentias,docet D.Th. 1.2.q.6.art.1.ſic : *Fines & perfectiones omnium aliarum potentiarum comprehenduntur ſub obiecto voluntatis, ſicut quædã particularia bona,ſemper autẽ ars,vel potentia ad quã pertinet finis vniuerſalis,mouet ad agendum artẽ,vel potentiam ad quã pertinet finis particularis ſub illo vniuerſali comprehenſus.* Acquiſito fine ſequitur delectatio ſiue fruitio, quæ eſt etiã actus voluntatis ex D.Th.1.2.q.11.art.1.& ratio eſt, quia fruitio eſt de fine,actus autem circa finem ſunt actus voluntatis,quæ ipſum finem habet pro obiecto,& principaliter eſt de vltimo fine ex D.Th.ibid.art 3.& S.Aug.lib.10. de Trinitate c.10.vbi ſic ait: *Fruitur cognitis in quibus voluntas delectata conquieſcit ; non autem conquieſcit ſimpliciter,niſi in vltimo,quia quãdiu aliquid expectatur, remanet in ſuſpenſo:* Et ita perfecta fruitio ex D.Th. loco citato art.4.eſt vltimi finis habiti realiter,imperfecta verò eſt eiuſdem finis habiti tantùm in intentione, quia perfecta fruitio eſt comparatione vltimi ſimpliciter, & perfectè habiti, non autem habetur perfectè, niſi habeatur in re, imperfectè autẽ habetur, quando eſt in intentione tantũ.

Probatur prima pars conclusionis ex illo Genesis 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Item 1. ad Chor.2. *Potestatem habet sua voluntatis*: Et ita fuit definitum contra Lutherum in Concilio Trid. sess.6. c.5. & 6. ergo secundùm fidem voluntas humana est libera in suis actibus, & ita docent omnes sancti Patres.

Probatur secunda pars conclusionis breuiter, relictâ Theologis accuratâ huius discussione. Experimur, quòd quando volumus, operamur, & quando volumus, non operamur: quod indicat indifferentiam ad opposita contradictoriè, ac ita libertatem. Deinde omnes fatentur operationes humanas, siue procedentes à voluntate esse laude aut vituperio, pœna aut præmio dignas, quod denotat ipsas esse liberas, & non necessarias, nemo enim iustè punitur, aut præmiatur propter ea quæ non potuit non facere. Item homo est capax consilij, & præcepti vt denotant leges tam diuinæ, quàm humanæ quæ quotidie imponuntur, & consequenter non agit necessariò, sed liberè ex electione, si enim non posset aliquid facere, vel non facere, ad quid consilia & præcepta vt faciat, vel non faciat. Denique sæpe voluntas hominis deuiat à diuina lege & peccat, ac proinde si ipsa necessariò operatur, necessitatur ab ipsa natura, & consequenter ab authore naturæ ad peccandum, quod est impium dicere: ergo conuincitur lumine naturali voluntatem humanam esse liberam in suis actibus.

Radix autem, ex qua prouenit libertas voluntatis, est indifferentia iudicij ex D. Thom.1.2.q.17. art.1. ad 2. vbi sic ait: *Radix libertatis est voluntas sicut subiectum, sed sicut causa, est ratio: ex hoc enim voluntas liberè potest ad diuersa ferri; quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni: & ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis.* Item 1. p. quæst. 83. art. 1. ait: *Quia iudicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum, pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrij, ex hoc ipso quod rationalis est*: Et dat rationem: *Nam hoc ipso quod intellectus non proponat voluntati aliquod bonum vt necessariò volendum, sed vt hinc & illinc apparent rationes, vt ametur, vel non ametur, aut respuatur, non potest voluntas, quæ rationis ductum sequitur, velle illud necessariò, sed liberè*: Hæc tamen est radix intrinseca homini & proxima, nam prima & extrinseca, est omnipotentia, siue summa efficacia diuinæ voluntatis, quæ determinat actus humanos ab æterno; non solùm quantùm ad substantiam, sed etiam quantùm ad modum liberi, aliásque circumstantias, & postea in tempore fortiter, sed suauiter applicat voluntatem iuxta naturam suam, id est, medio illo iudicio indifferenti, & ita liberè operatur iuxta decretum Dei.

Ad primum ergo dicendum, quòd verum est omnia, quæ sunt fuerunt & erunt, existere physicè in æternitate, vt docet D. Thom. & cum eo eius discipuli 1. parte quæst.14. art.13. ex eo quòd æternitas, cùm sit mensura indiuisibilis formaliter, non successiuè sed tota simul, eminens & superior ad alias, ambit ipsas, scilicet æuum, & tempus, earúmque differentias, ac proinde omnia mensurata triplici differentiâ temporis, vnde omnia quæ aliquando sunt in tempore vt in propria mensura, sunt ab æterno in æternitate vt in mensura communi: hoc tamen non tollit, quin plura eueniant contingenter, & liberè, quia per eamdem productionem & existentiam, per quas sunt in tempore contingenter & liberè, sunt ab æterno in æternitate.

Ad secundum dicendum, quòd lectio futura Petri infallibiliter scitur & determinatur à Deo esse futura eo modo, quo futura est, & ita quia sic est futura, vt potuerit non esse, sic ab illo scitur & determinatur futura, & per consequens nec erit aliquid futurum, quod ab eo non sciatur: vnde si non esset futura, falleretur diuina scientia & decretum, quia succederet contrarium eius quod Deus scit & decreuit: ex hoc autem quòd possit non esse futura, non sequitur quòd possit falli diuina scientia & decretum, imò sequitur quòd actu impleatur: quia scit Deus & decreuit vt ita sit futura, quòd possit non esse futura, eo ipso quòd decreuit, quòd liberè & contingenter sit futura: contingentia enim, & libertas important hanc indifferentiam potentiæ: vnde hoc axioma, quod facit actus actu, facit potentia in potentia: sicut & istud, possibili posito in actu nullum sequitur inconueniens, sunt vera absolutè, sed factâ aliquâ suppositione possunt esse falsa, & ita contingit in præsenti, nam decretum respicit simul actum futurum, & potentiam ad oppositum, si autem poneretur oppositum, destrueretur.

Ad tertium dicendum, quòd posito concursu efficaci diuinæ voluntatis, adhuc potest voluntas humana non operari, nec per hoc quòd voluntas creata habeat hanc potentiam, sequitur quod resistat diuinæ voluntati: imò ei conformatur, quia Deus vult vt volontas tunc liberè operetur, ac proinde quòd ita operetur, vt possit non operari.

Articvlvs III.

Vtrùm voluntas in statu viæ necessariò feratur in Beatitudinem?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd voluntas in statu viæ non feratur necessariò in Beatitudinem. Probatur. Si voluntas necessariò ferretur in Beatitudinem in statu viæ, sequeretur quòd naturaliter appeteret claram Dei visionem, quia naturaliter potest demonstrari, quòd in nullo alio potest consistere Beatitudo, cùm omnia alia à Deo sint bona finita, & ipse solus sit summum bonum: Beatitudo autem, quia perfectè satiare debet appetitum, non potest consistere nisi in consecutione summi boni: sed non potest naturaliter appeti clara Dei visio, quia cùm sit mysterium supernaturale, non scitur naturaliter, at solùm ex fide, quòd sit possibilis: ergo voluntas in statu viæ non fertur necessariò in beatitudinem.

§ 2. Præterea, Si voluntas in statu viæ necessariò fertetur in Beatitudinem, nullus posset appetere destructionem illius, quo sublato nulla potest esse Beatitudo, vt ex se patet: sed multi scilicet damnati, appetunt destructionem sui esse, iuxta illud Apocal. 9. desiderabunt mortem & fugiet mors ab eis, quo sublato nulla potest esse Beatitudo, imò est summa miseria, scilicet carentia omnis boni: ergo voluntas in statu viæ non fertur necessariò in Beatitudinem.

Sed contra est authoritas Aristotelis, & D. Thom. quos communiter sequuntur, non solùm Thomistæ, sed etiam omnes ferè Theologi, & Philosophi.

Conclvsio.

Cùm Beatitudo in communi sit obiectum adæquatum voluntatis in statu viæ, non autem Beatitudo in particulari, necessariò fertur in statu viæ ad illã, non verò ad istam.

Respondeo dicendum, quòd voluntas in statu viæ fertur in Beatitudinem, siue in bonum in communi necessariò necessitate quoad specificationem. 2. non verò quoad exercitium 3. & ita habet circa illam libertatem contradictionis tantùm, non verò contrarietatis 4. circa Beatitudinem verò in particulari, scilicet claram Dei visionem, non necessitatur, nec quoad specificationem, nec quoad exercitium in via 5. in patria autem necessitatur quoad vtrumque. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd libertas contradictionis in hoc consistit, quòd voluntas possit habere actum circa aliquod obiectum, vel cessare ab illo, & dicitur etiam libertas quoad exercitium: libertas verò quoad specificationem, siue contrarietates consistit in hoc, quòd voluntas possit habere actum aliquem, vel contrarium illius, vt amorem, aut odium, vel in hoc quòd possit amare hoc, vel eius oppositum. Econtra autem per necessitatem quoad exercitium, necessitatur sic voluntas, vt non possit non exercere suum actum, ac proinde nec possit habere carentiam illius: at verò per necessitatem quoad specificationem non est determinata ad exercitium actûs, sed ad speciem illius,

illius, id est, si habeat aliquem actum circa aliquod obiectum, debet habere talem, & ita dicimus quòd voluntas nostra, licèt possit suspendere actum circa Beatitudinem in communi, & in hoc sit libera, tamen si velit elicere aliquem actum circa illam, necessitatur ad eliciendum actum amoris, & non potest habere actum odij, nec potest velle miseriam.

Probatur prima & secunda pars conclusionis authoritate Aristotelis, & D. Thom. Aristoteles sæpe repetit quòd nullus potest velle miseriam. D.Thom.q.6. de malo art. vnico ad 7. sic habet: *Cùm autem voluntas se habeat in potentia respectu boni vniuersalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis, quasi ex necessitate ipsam mouens, nisi id quod est secundùm omnem considerationem bonum: & hoc solùm est bonum perfectum quod est Beatitudo, quod voluntas non potest non velle: ita scilicet quòd velit eius oppositum, potest tamen non velle actu, quia voluntas potest auertere cognitionem Beatitudinis in communi, inquantum mouet intellectum ad suum actum, & quantùm ad hoc nec ipsam Beatitudinem ex necessitate vult, sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum à se repellere cùm vellet.* Idem docuerat in corpore articuli, & 1.p.q.82. art.1. item 1.2.q.10. art.2. & q.80.art.2. item q. 22. de veritate art. 5. & 6.

Secundò, quælibet potentia necessitatur quoad specificationem circa suum obiectum adæquatum, vt patet inductione in omnibus: sed beatitudo, cùm includat omnimodam rationem boni vt constat ex eius definitione (est enim status omnium bonorum aggregatione perfectus) est obiectum adæquatum voluntatis, obiectum quippe formale voluntatis est ratio boni: ergo voluntas in statu viæ necessitatur circa beatitudinem necessitate quoad specificationem: hæc autem ratio procedit de potentia quantùm ad actum per se intentum ab illa potentia, qualis est actus amoris respectu voluntatis, & non quantùm ad actum qui tantùm per accidens intenditur, qualis est actus odij, solùm enim elicitur à voluntate quando aliquid ei opponitur, & impedit ne fruatur suo obiecto.

Tertiò, nihil amatur nisi sub ratione boni, cùm bonum sit ratio formalis, siue obiectum formale voluntatis ex Philosopho: ergo cùm ratio boni in communi includatur in omni amabili, necessariò quantùm ad specificationem amatur bonum in communi, siue beatitudo. Deinde vt aliquid odio habeatur, debet præferre aliquam rationem mali, quia bonum vt bonum non potest odio haberi: sed in bono in communi, siue beatitudine non potest apparere aliqua ratio mali, aliàs non esset beatitudo vt patet ex eius definitione: ergo voluntas in statu viæ fertur in beatitudinem, siue in bonum in communi necessariò necessitate quoad specificationem: non verò quoad exercitium, quia vt docuit D.Th. potest se diuertere, ne de illa cogitet: maximè quia in tali exercitio est difficultas.

Tertia pars conclusionis non indiget probatione, constat enim ex dictis in explicatione conclusionis.

Probatur quarta pars. Clara Dei visio non apprehenditur hîc vt obiectum adæquatum voluntatis, quia multa alia apparent amabilia in statu viæ: ergo non adæquat virtutem voluntatis, & sic non necessitat illam, nec quoad exercitium, nec quoad specificationem, quia potest ferri in aliud, & respuere illam. Ex quo sequitur quòd voluntas multò minùs necessitatur circa alia bona creata particularia, vt docet D.Th. 1. p. q. 82. art.2. & probat exemplo: nam sicut intellectus, licèt necessariò assentiatur alicui primo principio, non tamen assentitur necessariò conclusionibus ex illo deductis, nisi habeant necessariam connexionem cum illo: sic voluntas licèt necessitetur circa bonum in communi, non tamen circa particularia quæ non habent necessariam connexionem cum illo, imò nec circa ipsum esse, quia beatitudo indifferenter potest appeti, vel per modum prosecutionis, vel per modum remotionis, cui sub hac posteriori ratione non coniungitur necessariò ipsum esse.

Probatur quinta pars conclusionis. Qui videt quidditatiuè diuinam essentiam, videt clarè quòd sit summum bonum, & consequenter beatitudo obiectiua, & quòd in illa nulla est, aut esse potest ratio mali: ergo voluntas illius necessitatur ad illam amandam quantùm ad specificationem. Deinde videt clarè, quòd in ipso exercitio actûs nulla sit ratio mali, imò maxima bonitas, nec est vlla difficultas at summa delectatio: ergo cùm bonum sub ratione boni non possit non amari, nec possit aliquod bonum odio haberi, nisi in illo appareat aliqua ratio mali, necessariò vult ipsum actum, & consequenter prorumpit in illum necessariò, & ita necessitatur quoad exercitium.

Ad primum ergo dicendum, quòd voluntas ducta cognitione naturali appetit beatitudinem possibilem sic in confuso, nescit autem in quo particulari consistat, scitur tamen quòd debet esse aggregatio omnium bonorum, abstrahendo quòd sit in aliquo ente simplici & summè bono, an in pluribus bonis aggregatis, quæ simul possint satiare appetitum: nec naturaliter appetitur superexcedens illa beatitudo, quæ in clara Dei visione consistit.

Ad secundum dicendum, quòd etiam tunc appetitur Beatitudo in communi, quæ apprehenditur consistere in carentia illius magnæ miseriæ: & sic non appetitur tunc bonum positiuum, sed priuatiuum, qui tamen appetitus sequitur intellectum errantem, qui iudicat carentiam talis miseriæ maius bonum, quàm ipsum esse: quod tamen est falsum, nam esse est fundamentum omnis boni, quod optimè explicatur à D.Thom. q.10. de malo art.1. vbi dicit, quòd Beatitudo potest appeti dupliciter: primò per modum prosecutionis boni, quando quis appetit possidere, aut obtinere positiuè aliquod bonum. Secundò per modum fugæ, aut remotionis mali, quæ est bonum quoddam priuatiuum, quando quis desiderat carere aliqua miseriâ, graui infirmitate, tristitiâ &c. In primo appetitu Beatitudinis includitur esse, non autem in secundo, & subdit rationem q. 16. de malo art.3. ad 5. sic: *Nam cùm aliquis vult à se aliquid remouere, vtitur seipso vt termino à quo, qui non est necesse saluari in motu, & ideo potest aliquis appetere se non esse vt careat miseriis: sed cùm aliquis appetit aliquod bonum, & vult illud sibi, vtitur seipso vt termino ad quem, qui terminus necesse est saluari in motu, & ideo non potest aliquis appetere sibi aliquod bonum, quo habito ipse non maneat.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntas sit perfectior quàm intellectus?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd voluntas sit perfectior, quàm intellectus. Ita tenet Scotus in 4.d.49. q.4.& 5. ac communiter eius discipuli. Probatur, vt docet D. Dionysius cap. 7. cœlestis Hierarchiæ, Angelorum chori sunt dispositi penes eorum perfectionem, Seraphim autem sic dicti ab ardore charitatis, sunt in supremo, & Cherubim sic dicti à plenitudine scientiæ, sunt in secundo ordine: ergo actus voluntatis est perfectior actu intellectûs, ac proinde ipsa voluntas est perfectior intellectu.

¶ 2. Præterea, Illud est melius, cuius oppositum est peius ex Aristotele 7. Ethicorum: sed oppositum charitatis quæ est actus voluntatis, scilicet odium Dei, est peius quàm oppositũ visionis Beatificæ: quæ est supremus actus intellectûs, scilicet error circa ipsam: ergo actus voluntatis est perfectior actu intellectûs, & voluntas intellectu.

¶ 3. Præterea, Obiectum voluntatis est ratio boni, prima & potissima perfectio cuiuslibet rei. Deinde actus voluntatis faciunt totum hominem simpliciter bonum, non autem actus intellectûs. Denique per voluntatem efficimur formaliter liberi ac domini nostrarum actionum, non autem per intellectum: ergo voluntas est perfectior intellectu.

¶ 4. Præterea, D.Thom. 1.part. quæst.82. articulo 3. dicit, quòd licèt cognitio eorum quæ sunt infra nos, sit

 præstantior

præſtantior quàm eorumdem amor, tamen amor illorum quæ ſunt ſupra nos, eſt nobilior eorum cognitione: vnde ibidem infert charitatem eſſe perfectiorem aliis habitibus intellectualibus, iuxta illud 1. ad Chor. 13. *Maior autem horum eſt charitas:* Ergo cùm actus perfectiſſimus voluntatis ſit nobilior actu perfectiſſimo intellectûs, ſequitur voluntatem eſſe perfectiorem intellectu.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtot. & D. Th. quos communiter ſequuntur omnes Thomiſtæ, extra ſcholam verò D.Th. Durandus in 4.d.49.q.3. Paludanus quæſt.3. Suares 2. tom. ſummæ Theologiæ tract.3. lib.5.cap.9. Vaſques 1.2. diſp.11. cap.8. Conimbricenſes, Ruuius, ac alij in præſenti.

Conclusio.

Cùm intellectus ſit prima potentia quæ emanat ab anima, & priùs quàm voluntas, eiúſque obiectum ſit ſimplicius & abſtractius obiecto voluntatis, eſt potentia perfectior ipſa voluntate.

Respondeo dicendum, quòd voluntas non eſt perfectior quàm intellectus, ſed è contra. Probatur authoritate Ariſt. & D.Th. D.Thom. 1.p.q.82.art.3. ſic ait: *Sed contra eſt quòd Philoſophus 10. Ethicor. ponit altiſſimam potentiam animæ eſſe intellectum.* Et poſtea ſic concludit: *Si ergo intellectus & voluntas conſiderentur ſecundùm ſe, ſic intellectus eminentior inuenitur.* Idem docet q. 26. art. 2. item 3. contra gentes cap. 26. & alibi ſæpe.

Secundò probatur ratione D.Th. 1.p.q.82. art.3. obiectum intellectûs importat rationem & quidditatem rei, abſtrahendo ab exiſtentia, ſingularitate, & qualibet alia determinatione, quòd ſi terminetur ad exiſtentiam, ad illam terminatur ſicut ad eſſentiam per modum quidditatis, abſtrahendo ab exercitio illius: obiectum verò voluntatis dicit ipſam rationem rei concretiuè ſumptam, ſiue ſimul cum exiſtentia, & conditionibus ſingularibus, vnde ſubiungit ibidem ad 1. quòd *Plus requiritur ad bonitatem ſimpliciter, quàm ad entitatem & veritatem: entia enim Mathematica ſunt ſimpliciter entia & vera; non autem bona:* Ergo licèt obiectum intellectûs ſit imperfectius in eſſe rei, tamen eſt perfectius, ſimplicius, abſtractius & immaterialius in eſſe obiecti, quàm obiectum voluntatis, ac proinde intellectus eſt perfectior voluntate, quia perfectio potentiæ deſumitur ab obiecto, maximè in eſſe obiecti, ſiue vt obiectum eſt, nam eo ipſo quòd obiectum eſt abſtractius & ſimplicius, petit potentiam magis ſubtilem & immaterialem, & modo magis immateriali ad illam terminari, & econtra eo ipſo quòd obiectum non eſt ita ſimplex & abſtractum, ſed magis materiale, non petit potentiam adeo ſubtiliter & immaterialiter attingentem illud, & conſequenter non ita immaterialem & perfectam, cùm obiectum, potentia, & eius actus debeant commenſurari & proportionari.

Tertiò, intellectus eſt prima potentia quæ emanat ab anima, & priùs quàm voluntas: ſicut enim intellectio præcedit volitionem, non enim fit niſi illâ mediante, quia nihil volitum, quin priùs cognitum: ſic intellectus præcedit voluntatem, nec voluntas fluit ab anima niſi mediante intellectu. Deinde quia hæc cauſalis eſt vera, homo eſt appetitiuus appetitu rationali, quia eſt intellectiuus, & non econtra: ergo intellectus eſt nobilior voluntate, quod enim fluit immediatiùs ab anima, eſt magis intimum illi, & conſequenter magis participat perfectionem illius, vt communiter docent Philoſophi. Nec iſta ratio contradicit communi axiomati, quòd ſcilicet natura incipit ab imperfectiori, ſiue procedit ab imperfecto ad perfectum: quia hoc axioma debet intelligi reſpectu vnius & eiuſdem, quod eſt capax perfici, ſicut plantæ & animalia paulatim perficiuntur, non autem debet intelligi quòd id, quod eſt priùs tempore & generatione, ſit imperfectiùs eo quòd eſt poſteriùs, hoc enim eſt falſum, nam ſubſtantia eſt prior, & tamen perfectior ſuis proprietatibus. Ita D. Th. 1. p. q. 82. art. 3. ad 2. vbi ſic ait: *Dicendum quòd illud, quod eſt priùs generatione & tempore, eſt imperfectiùs, quia in vno eodémque potentia tempore præcedit actum, & imperfectio perfectionem:* Sed illud quod eſt priùs ſimpliciter, & ſecundùm naturæ ordinem, eſt perfectius, ſic enim actus eſt prior potentiâ, & hoc modo intellectus eſt prior voluntate, ſicut motiuum mobili, & actiuum paſſiuo, bonum enim intellectum mouet voluntatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Cherubim & Seraphim fuerunt denominati ab amore & cognitione viæ, & non patriæ, cùm ordo ipſorum ſit conſtitutus in via vt patet, nam etiam Angelis apoſtatis ſolent tribui iſta nomina, iuxta illud Ezechielis 28: *Tu Cherub extenſus & protegens &c. peccaſti & deieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub. protegens:* Fatentur autem quòd amor viæ ſit perfectior, quàm cognitio viæ: perfectio autem potentiæ colligitur ex perfectiſſimo actu illius abſolutè & non pro aliquo ſtatu, viſio autem beatifica, quæ eſt actus intellectûs, eſt perfectior amore beatifico.

Ad ſecundum dicendum, quòd contraria in hac comparatione debent ſumi eodem modo, vt ſit vera illa propoſitio, quod non contingit in præſenti, nam odium Dei eſt contrarium poſitiuum amoris Dei, viſio autem beatifica ob ſuam nobilitatem nullum habet contrarium poſitiuum, ſed tantùm priuatiuum. Deinde odium Dei eſt contrarium charitati ſecundùm ſuam rationem ſpecificam, error autem circa Deum non contrariatur viſioni ſecundùm eius rationem ſpecificam, ſed ſub ratione iudicij, quod eſt commune & viſioni, & fidei. Denique ſi debeat intelligi de oppoſitis priuatiuè, tunc non videre Deum eſt peius, quam ſit non amare Deum, imò eſt maximum omnium malorum, hæc autem comparatio procedit in ordine naturæ, & non in genere moris: vnde hîc odium non habet locum, quia ſic minimum peccatum veniale eſt peius priuatione viſionis Dei, quia non eſt culpa, ſed tantùm pœna.

Ad tertium dicendum, quòd voluntas ſolùm reſpicit bonitatem concretiuè, quæ licèt concedatur eſſe quid perfectius veritate in ratione eſſendi, non tamen in ratione obiecti. Ad aliud dicendum, quòd ſolùm probat actus appetitûs, ſiue voluntatis eſſe perfectiores in genere moris actibus intellectûs, maximè hîc in via: in ordine tamen naturæ actus intellectûs ſunt perfectiores, imò perfectus eius actus facit perfectè beatum hominem. Ad aliud dicendum, quòd licèt libertas ſit formaliter in voluntate, & ipſa quoad exercitium moueat omnes potentias, etiam aliquando intellectum: tamen radix libertatis eſt in intellectu, vt dictum eſt, & ab illo pendet libertas voluntatis. Deinde intellectus mouet perfectiori modo ſcilicet quoad ſpecificationem, omnes potentias etiam voluntatem, nec vllus eſt actus voluntatis, qui non pendeat ab intellectu, cùm voluntatis obiectum ſit bonum cognitum: plures autem ſunt actus intellectûs, qui non pendent à voluntate, maximè perfectiſſimus eius, ſcilicet clara Dei viſio, & adhuc quando voluntas mouet intellectum quoad exercitium, dirigitur ab intellectu reſpectu talis motionis. Denique eſto prædicta arguant aliquam maiorem perfectionem ex parte voluntatis, hæc tamen perfectio eſſet tantùm maior ſecundùm quid, nam perfectio ſimpliciter potentiæ, ſicut & eius ſpecificatio deſumitur ab obiecto formali.

Ad quartum dicendum, quòd D.Th. debet intelligi in caſu, quo res ſuperiores non vniantur per ſeipſas in ratione ſpeciei intelligibilis, in ordine ad earum cognitionem, cuius contrarium accidit in viſione beatifica, quæ propterea eſt perfectior quocumque actu voluntatis: & hæc ſolutio fundatur in ipſa ratione D. Th. nam dicit quòd res ſuperiores habent perfectius eſſe in ſeipſis, quàm in intellectu: igitur ipſemet Deus ſecundùm ſuum eſſe infinitum terminat immediatè tam viſionem beatificam, quàm amorem patriæ, finitè tamen. Si fiat autem comparatio inter actus inadæquatos intellectûs & voluntatis, ſemper ſecundùm rationem genericam ipſi actus intellectûs ſunt perfectiores, quamuis aliquando non ita ſecundùm rationem ſpecificam, non enim eſt neceſſe quòd genus nobilius habeat ſemper differentias nobiliores, tiam videmus quòd corpus corruptibile habet nobiliores differentias,

differentias, quàm incorruptibile, quia corruptibile contrahitur ad gradum viuentis, non autem incorruptibile, vnde inter genus & differentiam non tam requiritur proportio in esse rei, quàm in esse contrahentis & contrahibilis, sicut & inter actum & potentiam requiritur proportio, non tam in esse rei, quàm in esse vnibilis.

QVÆSTIO XLVI.

De Potentia Obedientiali.

QVIA sæpe in Philosophia fit mentio de potentia obedientiali, postquam actum est de potentiis animæ naturalibus, aliquid disserere oportet de ipsa potentia obedientiali, de hac enim agunt plures etiam in Metaphysica, vnde licèt exactus de ea tractatus pertineat ad Theologiam, tamen aliqua eius notitia est omnino Philosophis necessaria, quare circa ipsam quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm detur in creaturis aliqua potentia obedientialis ipsis congenita?

¶ Secundò, Vtrùm potentia obedientialis diuidatur in actiuam & passiuam?

¶ Tertiò, Vtrùm potentia obedientialis passiua sit supernaturalis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm detur in creaturis aliqua potentia obedientialis ipsis congenita?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd non sit in creaturis aliqua potentia obedientialis ipsis congenita. Ita tenet Scotus in q.1.prologi sententiarum, & in 2. d. 2. q.6. & in 4. d.46. q.1. vbi asserit tres tantùm esse potentias rebus congenitas, scilicet naturalem quæ ad actum inclinat, violentam quæ repugnat actui, & neutram quæ nec inclinat, nec repugnat: & quia ex ipso natura rei creatæ habet inclinationem ad actus supernaturales, ideo consequenter ex ipso potentia ad tales actus est naturalis, ac proinde nulla datur obedientialis. Probatur. Si esset admittenda potentia obedientialis, esset per ordinem ad formas & actus supernaturales: sed ad tales actus sufficit potentia naturalis, nam ex Aug. libro de prædestinatione sanctorum, naturæ hominum est posse habere fidem: ergo non datur potentia obedientialis.

¶ 2. Præterea, Homo habet naturale desiderium ad videndum Deum, nam vt ait D.Th.1.p.q.12.art.1.cognito effectu naturaliter appetimus cognoscere causam, si autem est appetitus naturalis ad videndum Deum, etiam erit potentia naturalis ad illum videndum, ista enim se consequuntur, & sunt in eodem ordine: ergo nulla datur potentia obedientialis.

¶ 3. Præterea, Homo immediatè seipso est beatificabilis, siue per suam entitatem naturalem & specificam differentiam: ergo non indiget potentia obedientiali ad beatitudinem, ac proinde nec ad alia supernaturalia.

SED CONTRA est authoritas D. Th. quem communiter sequuntur ferè omnes Philosophi, & Theologi.

CONCLVSIO.

Cùm quelibet creatura ex se sit subiecta, & obediens diuinæ omnipotentiæ in ordine ad actus, vel effectus supernaturales, datur in creaturis potentia obedientialis ipsis congenita.

RESPONDEO dicendum, quòd in omnibus rebus creatis datur potentia respectu actuum & effectuum supernaturalium 2. quæ non est naturalis, aut neutra, sed obedientialis 3. & non consistit in sola negatione repugnantiæ, sed est aliquid positiuum & reale, nempe ipsa entitas creaturæ Deo subiecta. 4. non tamen denominat subiectum simpliciter potens, propriè loquendo 5. bene tamen simpliciter capax, & obedientialiter potens.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1.p.q.115. art.2. ad 4. vbi ait in rebus creatis esse virtutes passiuas, vt in eis fieri possit quidquid Deus mandauerit, præter quas non fiunt miracula. Item 3.p.q.4. art. 1. ait: *Omnis natura est capax vt assumatur a persona diuina, sed hæc capacitas est per ordinem ad formas ordinis supernaturalis.* Item 3.p.q.1.art.3. ad 3. dicit quòd in humana natura, & sic de aliis, est duplex capacitas: vna secundùm ordinem potentiæ naturalis, quæ à Deo semper impletur, alia verò secundùm ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum, & hanc non oportet à Deo impleri, alioquin Deus non posset facere in creatura, nisi quod facit, quod falsum est: igitur est in vnaquaque creatura capacitas, vt in illa & per illam Deus faciat quidquid voluerit supra leges naturæ: ergo in omnibus rebus creatis datur potentia respectu actuum, & effectuum supernaturalium: & hoc constat experientiâ, videmus enim creaturas patrare diuersa miracula, vt resuscitare mortuos, & alia maiora quæ sunt supra naturam.

Probatur secunda pars conclusionis. Potentia naturalis ordinatur ad effectus naturales producendos concursu naturali, hæc autem ordinatur ad effectus supernaturales producendos concursu supernaturali: ergo non est potentia naturalis. Deinde, non datur in rerum natura potentia neutra, quia omnis potentia, vel respicit naturaliter actum, & sic est potentia naturalis, vel respicit contrarium, & sic etiam est potentia naturalis respectu talis actûs contrarij, quamuis dicatur violenta respectu actûs illius cuius contrarium respicit, quia se habet violenter ad illum: ergo hæc potentia non est neutra. Denique, vnaquæque potentia specificatur & denominatur ab actu, vel effectu, maximè formali, quem respicit vt patet: sed effectus formalis huius potentiæ est constituere creaturam subiectam, & obedientem diuinæ omnipotentiæ in ordine ad actus, vel effectus supernaturales, vt fatentur omnes: ergo est potentia obedientialis.

Probatur tertia pars conclusionis. Hæc potentia tribuit creaturæ, quòd producat, vel recipiat effectus positiuos & reales, vt quòd recipiat formas supernaturales, quòd assumatur à Persona Diuina, &c. similiter quòd eliciat actus supernaturales modo infra explicando, ita vt sit vera eorum causa, tum in genere causæ materialis, vt in anima rationali ad recipiendã gratiam, lumen gloriæ, &c. tum in genere causæ efficientis, vt ad producenda miracula per modum instrumenti, & ad eliciendos principaliter actus fidei, spei, Charitatis &c. sed aliquid non constituitur causa verè positiuè per meram negationem vt patet: ergo potentia obedientialis non consistit in sola negatione repugnantiæ, sed est aliquid positiuum & reale. Deinde potentia obedientialis constituit creaturam obedientem, & subiectam diuinæ omnipotentiæ: sed creatura non est sic subiecta per solam negationem repugnantiæ, at per suam entitatem cum ordine, siue cum respectu subiectionis: ergo potentia obedientialis est aliquid positiuum & reale, nempe entitas creaturæ vt subiecta Deo: vnde sic definitur, est vera potentia, per quam creatura verè & propriè ad actus supernaturales, siue eliciendos, siue recipiendos ordinatur, siue est capacitas in creatura, vel aptitudo subiectionis ad Dei omnipotentiam, vt in illa, & per illam faciat quidquid supra leges naturæ voluerit operari. Ita Capreolus in 4. d.1. D. Bonauentura ibidem d.10.q.1. ad 2. Caietanus tom.3. opusc. de potentia neutra & 1. p. q.1. art.1. Ferrar. 1. contra gentes cap. 5. & 3. c. 156. Medina 1. 2. q. 3. art. 8. ad 1. Araujo 9. Metaph. q. 5. art. 2.

Probatur quarta pars conclusionis. Tum quia hæc potentia non dicit propriè potentiam de genere qualitatis, sed dicit ipsam entitatem rei, quæ in aliquibus est substantia, in aliis quantitas &c. Tum etiam quia res denominantur simpliciter tales per virtutes, & potentias quas naturaliter habent, vt ignis calidus à suo calore: constat autem quòd hæc potentia est præter, & aliquando contra potentias naturales, vt quando ignis diuinitus non comburit. Tum deinde, quia Angeli, & Cœli secundùm hanc potentiam sunt corruptibiles, possunt enim à Deo annihilari, & tamen non dicuntur simpliciter corruptibiles, imò

simpliciter

simpliciter dicuntur incorruptibiles. Tom denique quia in Sacra Scriptura steriles simpliciter dicuntur impotentes generare, Elisabeth Lucæ 1. Sacra Genes. 11. Rachel. 29. & tamen secundùm potentiam obedientialem poterant generare, & de facto generarunt: ergo potentia obedientialis non denominat sobiectum simpliciter potens, propriè loquendo.

Probatur quinta pars conclusionis. Vnaquæque forma denominat subiectum iuxta effectum formalem quem illi tribuit, vt ex se patet: sed potentia obedientialis facit subiectum capax ad obediendum Deo, & ex hac obedientia habet quòd possit producere effectus supernaturales: ergo denominat sobiectum simpliciter capax, & obedientialiter potens.

Ad primum ergo dicendum, quòd S. Aug. loquitur ibi de natura humana, vt est obediens & subiecta diuinæ omnipotentiæ, secundùm quod includit potentiam obedientialem: non autem secundùm sua naturalia, nisi fortè remotè per aliquam capacitatem remotam, quæ non est in aliis naturis inferioribus.

Ad secundum dicendum, quòd desiderium absolutum videndi Deum est simpliciter supernaturale, procedens à potentia obedientiali, D. Th. autem non loquitur de desiderio, siue appetitu absoluto & efficaci, prout applicatur ad visionem Dei, quia non appetimus efficaciter, nisi quod scimus possibile esse, naturaliter autem non scitur possibilitas visionis beatificæ, vnde loquitur de quodam appetitu inefficaci & conditionato: nec benè audit dicere, quòd in creatura est potentia naturalis ad videndum Deum.

Ad tertium dicendum, quòd homo est beatificabilis, immediatè quidem per suam entitatem, sed cum ordine subiectionis ad Deum, & vt sic dicit potentiam obedientialem, non verò naturalem, quia non potest reduci in actum per agens naturale, & concursu naturali, sed indiget agente, & concursu supernaturali.

Articulus II.

Vtrùm potentia obedientialis diuidatur in actiuam, & passiuam?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd potentia obedientialis diuidatur in actiuam, & passiuam. Ita tenent Soares tom. 1. super 3. p. sect. 5. & 6. disp. 31. & tom. 3. disp. 9. sect. 2. Fonseca 9. Metaph. c. 1. q. 4. sect. 4. & plures alij moderni. Adducunt plures Sanctos Patres, & alios Doctores in suum fauorem, vt Aug. lib. 9. de Trinit. & libro de gratia Christi. Bonauent. in 4. d. 1. art. 2. q. 2. ad 2. Alensem 4. p. q. 34. membro. 5. art. 2. Sed hi reuera tantùm admittunt potentiam obedientialem passiuam, quæ eleuata per aliquid in se receptum potest operari effectus supernaturales: sed hæc non est actiua potentia obedientialis in eo sensu, quo intelligunt aduersarij, quam tamen dari sic probant authoritate S. Aug. & D. Th. S. Aug. de Genesi ad litteram c. 17. super c. 9. dicit quòd Deus habet virtutem, vt possit facere quòd sterilis pariat, & arbor arida floreat: D. Th. autem in 4. d. 8. q. 2. art. 3. ad 4. ait, quòd sicut creaturæ inest potentia, vt in ea faciat Deus quod voluerit, ita etiam vt mediante illa faciat quidquid contradictionem non implicat: ergo datur potentia obedientialis, tam actiua qua mediante creatura faciat, quàm passiua qua mediante Deus in ea faciat.

§ 2. Præterea, Datur potentia obedientialis passiua, vt ex se constat: ergo & actiua: quia omni potentiæ passiuæ correspondet actiua eiusdem ordinis. Deinde quia non minùs spectat ad plenum Dominium Dei, quòd creatura subiiciatur illi in agendo, quàm in recipiendo: vnde si calor ignis per hoc præcisè, quia procedit ab igne vt eius virtus, potest producere instrumentaliter aliquid excedens suam naturam, scilicet ignem, & calor animalis ex subordinatione ad animam potest generare carnem, multò magis creatura, quia procedit à Deo, & subordinatur illi, potest aliquid producere supra suam naturam.

§ 3. Præterea, Imperium Dei est efficacissimum, & infinitæ virtutis, ita vt per illud solum omnia producantur ex nihilo, iuxta illud Psalmi, *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt*: Ergo multò magis poterunt per ipsum solum res naturales operari supra suam naturam, vt intellectus videre Deum, elicere actum fidei &c.

Sed contra est authoritas D. Th. & Sanctorum Patrum Basilij lib. de Spiritu sancto c. 5. Ambr. lib. 1. de Sacramentis c. 5. & Aug. lib. de gratia Christi c. 2. quos sequuntur communiter Thomistæ tum 1. p. q. 12. vbi communiter negant Deum posse videri ab intellectu creato sine lumine gloriæ, tum 3. p. in materia de Sacramentis.

Conclusio.

Cùm qualibet creatura sit limitatæ perfectionis, & naturaliter non respiciat effectus supernaturales, non datur potentia obedientialis actiua, sed tantùm passiua.

Respondeo dicendum, quòd non datur in creaturis potentia obedientialis actiua illis innata, ad actus & effectus supernaturales, vnde entitas creaturæ, vel aliqua eius potentia non potest producere actus vel effectus supernaturales, nisi intrinsecè immutetur, & per aliquid superadditum eleuetur. 2. Nec talis entitas, aut potentia eleuata per formam supernaturalem actiuam, & constituta in esse agentis in actu primo debet dici simpliciter potentia obedientialis actiua 3. & ita potentia obedientialis non diuiditur in actiuam & passiuam.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. vbi sic ait: *Vnaquæque forma indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, vltra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam.* Et per hoc probat quòd intellectus creatus non potest cognoscere altiora, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, inquantum est naturæ superadditum. Item in disputatis q. vnicâ de virtutibus in communi art. 10. ad 2. hæc habet: *Respectu eorum, quæ facultatem naturæ non excedunt, habet homo à natura non solum principia receptiua, sed etiam principia actiua: respectu autem eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendam.* Idem supponit tanquam certum D. Th. 3. p. q. 62. art. 4. & q. 63. art. 2. nam docet virtutem instrumentalem gratiæ causatiuam receptam in Sacramentis, esse actualem & transeuntem. Idem docet de virtute factiua miraculorum hominibus communicata 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. ergo ex D. Th. non est in creaturis virtus permanens, qualis fingitur potentia obedientialis actiua, ad effectus supernaturales.

Secundò, agere dicit maximam perfectionem, quod enim producit aliquid, debet illud in se præhabere, siue perfectionem quam illi communicat, aut formaliter si sit causa vniuoca, aut eminenter si sit æquiuoca, nemo enim dat quod non habet, & actus secundus præsupponit actum primum: ergo si datur aliqua creatura, quæ possit secundùm suam entitatem non eleuatam aliqua virtute supernaturali, producere quidquid Deus voluerit, siue quod non implicat, sequitur quòd continet formaliter, aut eminenter in sua entitate omnem perfectionem cuiuscumque rei producibilis, & consequenter infinitam perfectionem: quod enim continet formaliter, aut eminenter actu omnem perfectionem possibilem, continet simpliciter infinitam perfectionem actu: constat autem quòd nulla creatura potest actu habere infinitam perfectionem, hoc enim est proprium Dei, qui est ens necessarium & illimitatum per se subsistens, quælibet verò res creata est limitata, quia procedit liberè à Deo secundùm ideam determinatam, & constat genere & differentia, quæ sunt termini limitantes essentiam ad determinatam speciem: ac proinde non datur in creaturis potentia obedientialis actiua illis innata ad actus & effectus supernaturales, sed vt producant effectum supernaturalem, earum virtus naturalis debet accrescere, & eleuari per aliquam virtutem superadditam. Nec soluitur ratio, si dicatur quòd creatura concurrit tantùm instrumentaliter ad actus & effectus

supernaturales

supernaturales. Nam contra, quia ad actus vitales & libero, putà fidei, creatura est verè causa principalis, vt communiter docent Thomistæ. Deinde creatura attingit illos actus, vel effectus secundùm quòd supernaturales per propriam virtutem & entitatem præcisè ex aduersariis, & proinde vt causa principalis: propterea D.Th. 1.2. q. 113. art. 1. ad 2. dicit esse impossibile quòd principium operandi miracula sit qualitas habitualiter manens in anima. Denique licèt concurreret tantùm vt instrumentum, adhuc vrget argumentum, nam virtus causæ principalis, secundùm quam continet perfectionem effectus, recipitur intentionaliter in instrumento, quando actu assumitur, nam eleuatur ad agendum id, quod ex se non potest: ergo si per propriam entitatem permanenter potest totum id, ad quod agendum est assumptibile, continet in propria entitate omnem perfectionem omnium, ad quæ agenda est assumptibile, ac proinde infinitam vt ostensum est.

Tertiò, si intellectus creatus, v.g. possit videre Deum per hanc potentiam obedientialem, sequitur quòd naturaliter hoc possit, cùm potentia obedientialis actiua sit ipsamet entitas naturalis intellectûs. Deinde sequitur, quòd quælibet creatura habet maiorem inclinationem naturalem ad gratiam causandam, quàm corpus graue ad centrum Terræ, nam hæc potentia obedientialis actiua ex aduersariis est innata cuilibet creaturæ, imò est ipsa entitas & essentia illius, ac proinde est inclinatio intrinseca & essentialis ad causandam gratiam, omnis enim potentia est inclinatio ad suum actum: si autem potentia sit ipsa essentia rei, est inclinatio essentialis, inclinatio autem grauis deorsum est tantùm proprietas & accidens superadditum ipsi: sed non potest dici quòd intellectus creatus possit videre Deum naturaliter, nec quòd creatura habeat maiorem inclinationem naturalem ad causandam gratiam, quam corpus graue ad centrum Terræ, hæc enim pugnant cum fide: ergo non datur potentia obedientialis actiua. Nec soluit difficultatem responsio aliquorum dicentium, quòd vtraque sequela est falsa, eo quòd non debetur tali potentiæ auxilium actuale quo perficitur. Siquidem si tale auxilium, vel concursus actualis perficit & eleuat creaturam intrinsecè, iam cessat difficultas, nam per illud auxilium intrinsecè fit potens operari, & simul applicatur ad operandum, & ita non præsupponitur potens per potentiam obedientialem. Deinde omnis potentia actiua est inclinata naturaliter ad suum actum proportionatum, nam omne perfectiuum appetit naturaliter communicare suam perfectionem, ex illo Dionysij: *Bonum est communicatiuum sui ipsius*: Ergo etiam exigit naturaliter auxilium actuale, vt se explicat ad actum, ac proinde tale auxilium est illi debitum: alioquin nulla esset operatio naturalis, cùm etiam ad videndum quodcumque indigeamus auxilio actuali, & sic de aliis. Nec potest dici quòd sit auxilium & concursus specialis, quia cùm sit proportionatus potentiæ, semper est debitus & illi connaturalis: si enim talis concursus ab aduersariis admitteretur, qui intrinsecè perficeret & eleuaret, optimè dicerent, sed hoc non dicunt, dicunt enim esse quid extrinsecum, non augens virtutem intrinsecam: imò implicat Deum esse speciali modo præsentem, & assistentem alicui, nisi aliquid speciale operetur in eo, Deus enim est in aliquo, quia operatur in eo, & est speciali modo, quia aliquid speciale operatur, ex D. Thom. 1. p. q. 8. art. 2.

Probatur secunda pars conclusionis. Si creatura non est simpliciter potens operari aliquid supernaturale, nisi eleuetur intrinsecè, non potest dici quòd in illa sit potentia obedientialis actiua, nam potentia actiua dicit aliquid completum in actu primo, solùm indigens applicatione ad eliciendum actum secundum: sed constat ex dictis quòd creatura non est simpliciter potens operari aliquid supernaturale, nisi intrinsecè eleuetur: ergo non potest dici quòd in illa sit potentia obedientialis actiua, ac proinde quòd potentia obedientialis diuidatur in actiuam & passiuam, si enim non est actiua, non potest esse membrum huius diuisionis, & ita manifesta est tertia pars conclusionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd S. Aug. & D. Th. tantùm volunt quòd Deus potest facere in creatura, & per creaturam quodcumque voluerit, sed non dicunt quòd fiat sine aliquo superaddito, vnde solùm admittunt potentiam obedientialem passiuam, & actiuam tantùm remotè, inquantum potest eleuari: sed specialiter ad locum D. Th. dicendum quòd mirum est aduersarios credere D. Th. tam citò esse oblitum suæ doctrinæ, vt in responsione ad quartum dicat contrarium eius, quod immediatè docuit in corpore articuli, vbi dicit quòd imprimitur aliqua virtus incompleta in Sacramentis, qua eleuantur ad producendam gratiam: in hac autem responsione solùm dicit, quòd mediante creaturâ possit fieri id quod Deus disposuerit, sed non negat talem creaturam debere recipere aliquam virtutem intrinsecè, imò hoc indicat, dicit enim quòd potest esse instrumentum Dei, si moueatur à virtute increata, est autem certû in doctrina D.Th. quòd instrumentum dum assumitur, non recipit intrinsecè, sed intentionaliter virtutem causæ principalis, qua eleuatur ad attingendum effectum excedentem propriam eius virtutem. Deinde si benè inspiciatur obiectio, cui respondet D. Th. constat quòd solùm procedit de illa virtute intentionali quæ eleuat Sacramenta, quæ cùm procedat à Deo, vt virtus executiua sui diuini decreti, & ad talem effectum solummodo producta, seipsa vt virtus instrumentalis potest producere illum effectum supernaturalem, quòd non potest conuenire alteri creaturæ, quæ non producitur ad hunc finem, sed ad alium limitatum.

Ad secundum dicendum, quòd falsa est consequentia, & ratio est, quia agere, & potentia actiua dicunt perfectionem, & ista si esset diceret infinitam, vt ostensum est, quæ repugnat creaturæ: pati autem & potentia passiua important indigentiam & priuationem alicuius perfectionis, & consequenter imperfectionem, & quantò est maior talis potentia, tantò maiorem dicit imperfectionem, vnde potest competere creaturæ. Ad primam probationem in contrarium, dicendum quòd quidem omni potentiæ passiuæ correspondet actiua eiusdem ordinis, sed tamen non est necesse, quòd sit in eodem subiecto: & ita potentiam obedientialem passiuam constituimus in creaturis, & actiuam proximè in Deo: remotè autem modo explicato in creaturis. Ad aliam probationem dicendum, quòd creaturæ sufficienter subiiciuntur dominio Dei, tum in recipiendo, tum in agendo ex eo quòd per aliquam virtutem illis impressam eleuantur & applicantur à Deo ad agendum, & in hoc est maior dependentia creaturarum à Deo, ac proinde perfectius est Dei dominium super ipsas. Ad instantiam autem dicendum, quòd calor est virtus ignis procedens ab ipso vt proprietas naturalis, vnde non est mirum, quòd seipso absque alia eleuatione sit instrumentum ignis: creaturæ autem non sunt virtus Dei, sed effectus, non naturaliter, sed liberè procedentes, aliàs non essent limitatæ, sed infinitæ, quia Deus ex se potest producere infinitum, si non repugnet ex parte creaturæ. Ad aliud de calore naturali dicendum, quòd est virtus animæ, vnde non est mirum quòd coniunctus ipsi, sine alio cooperetur nutritioni, & instrumentaliter generet carnem: quamuis possit dici quòd quando primò emanat, recipit aliquid modale, quo eleuatur ad exercendas operationes vitales.

Ad tertium dicendum, quòd imperium diuinum, quia est infinitæ virtutis, potest illud omne quod non implicat, & quòd aliqua creentur ex nihilo per virtutem infinitam, non implicat, sed quòd aliqua causa operetur id, ad quod operandum non est in actu primo, implicat: & ideo licèt Deus per suum imperium possit producere quodcumque, tamen non potest producere mediante causâ secundâ, quod excedit eius virtutem naturalem, nisi interius eam perficiat per aliquid superadditum.

Articvlvs III.

Vtrùm potentia obedientialis passiua sit supernaturalis?

AD tertivm sic proceditur. Videtur quòd potentia obedientialis passiua rebus innata sit formaliter supernaturalis, & consequenter ipsis essentiis rerum superaddita, quæ proinde habeat propriè rationem potentiæ per se primò ordinatæ ad formarum supernaturalium receptionem. Ita tenent aliqui Thomistæ. Probatur. Potentia passiua debet esse in eodem ordine cum agente à quo recipit, & cum actu quem recipit: hæc enim tria debent esse proportionata, & propterea Arist. posuit actum & potentiam in quolibet genere entis: sed Deus qui reducit potentiam obedientialem passiuam in actum, prout sic est agens supernaturale, & actus in hac potentia receptus est etiam supernaturalis, vt omnes fatentur: ergo potentia obedientialis passiua est supernaturalis.

¶ 2. Præterea, Potentia obedientialis passiua concurrit ad productionem gratiæ in genere causæ materialis, quia gratia educitur de potentia obedientiali creaturæ: ergo hæc potentia est supernaturalis, quia quælibet causa debet proportionari suo effectui, siue esse in eodem ordine cum illo: anima autem secundùm suam entitatem est naturalis: nec respectus subiicibilitatis, aut negatio repugnantiæ tribuunt illi esse superoaturale, ac proinde debet illi superaddi potentia supernaturalis: vel dicendum quòd anima concurrit secundùm suam entitatem naturalem ad productionẽ gratiæ; & ita gratia erit quid naturale.

¶ 3. Præterea, Potentia obedientialis passiua causatur à Deo, vt ab agente supernaturali, nam Deus vt author naturæ non cognoscit hanc potentiam, aliàs vt sic cognosceret eius finem & obiectum. Deinde quia vt author supernaturalis produxit ordinem integrum rerum supernaturalium, ad quem sine dubio pertinent omnes causæ illius ordinis, etiam causa materialis, quæ est potentia obedientialis passiua. Denique quia est infinita sincategorematicè, cùm sit inclinatio ad bonum quodcumque supernaturale: constat autem quòd nullum agens potest dari inclinationem ad aliquod bonum, nisi præhabeat tale bonum, & propterea D. Thom. probat 1. p. q. 105. art. 4. & 1. 2. q. 9. art. 6. materiam primam, & voluntatem à solo Deo posse produci, quia solus ipse præhabet bonum omnis formæ ad quod inclinat materia, & bonum vniuersale ad quod inclinat voluntas: cùm igitur Deus solùm vt author supernaturalis præhabeat bonum supernaturale, quod respicit potentia obedientialis passiua, consequens est quòd producatur à Deo vt authore supernaturali: sed quod procedit à causa supernaturali, est supernaturale, cùm effectus sit eiusdem ordinis cum sua causa: ergo potentia obedientialis passiua est supernaturalis.

¶ 4. Præterea, Potentia obedientialis passiua est eiusdem rationis specificæ in omnibus rebus: sed essentiæ rerum non sunt eiusdem rationis, imò multæ sunt plusquam genere diuersæ, conueniunt enim solùm analogicè: ergo hæc potentia est aliquid supernaturale superadditum rebus, alioqnin in eodem aliqua simul conuenirent, & differrent, quod est omnino impossibile.

Sed contra est authoritas S. Aug. & D. Th. quos sequuntur Caietanus tom. 3. opusc. tract. 3. q. 2. & 1. 2. q. 113. art. 10. Capreolus in 1. d. 42. q. 1. ad 5. Ferrar. 1. contra gentes cap. 5. & 3. contra gentes c. 156. Medina 1. 2. q. 3. art. 8. ad 1. Araujo 9. Metaph. q. 5. art. 3. ac plures alij etiam extra scholam D. Thom.

Conclvsio.

Cùm potentia obedientialis passiua non sit aliquid superadditum creaturæ, sed sit eius entitas vt subiecta & obediens Deo, non est supernaturalis intrinsecè, sed tantùm extrinsecè ac terminatiuè.

Respondeo dicendum, quòd potentia obedientialis passiua non est aliquid superadditum rebus. 2. nec est supernaturalis subiectiuè, siue ex parte subiecti in quo est, cùm sit ipsa entitas creaturæ vt subiecta Deo 3. vnè terminatiuè, siue ex parte termini tantùm est supernaturalis. 4. ac proinde non est dicenda potentia naturalis, sed obedientialis.

Probatur prima pars conclusionis. Essentiæ rerum seipsis, secluso quocumque alio superaddito, sunt Deo subiectæ ad recipiendum aliquid supra suam naturam, vt anima rationalis ad recipiendam gratiam, nam in tantum est capax gratiæ, inquantum præcisè est natura intellectualis, ac imago Dei, & quia bruta in hoc deficiunt, non sunt capacia gratiæ: hoc autem habet per suam essentiam quòd sit natura intellectualis, & imago Dei. Deinde circa idem subiectum versantur opposita priuatiuè ex D. Th. dicit enim 1. p. q. 48. art. 3. quòd idem est subiectum habitûs & priuationis, anima autem rationalis per seipsam est subiectum maculæ peccati, quæ est priuatio gratiæ habitualis: sed illa subiectio & capacitas est potentia obedientialis passiua, vt constat ex eius definitione superiùs tradita: ergo talis potentia non est aliquid superadditũ rebus.

Probatur secunda pars conclusionis ex illo Aug. libro de prædestinatione sanctorum cap. 5. vbi ait: *Posse habere charitatem, natura est hominum, sicut & posse habere fidem: habere autem fidem & charitatem, gratia est fidelium:* Ergo ex Aug. capacitas ad fidem, charitatem &c. est in natura secundùm se, ac proinde potentia obedientialis passiua non est supernaturalis subiectiuè, siue ex parte subiecti in quo est. Deinde nihil specificatur ab illo ad quod secundario ordinatur, at tantùm ab illo ad quod primariò ordinatur, vt est communis sententia, & optimè probant Caietanus 1. p. q. 54. art. 3. & Flandria 6. Metaph. q. 13. art. 1. ad 4. propterea enim materia prima non desinit esse substantia, quia secundariò respicit formas accidentales: sed essentiæ rerum licèt secundariò ordinentur ad recipiendas formas supernaturales per seipsas immediatè, vt dictum est (& hæc capacitas & ordinatio est potentia obedientialis passiua:) primariò tamen ordinantur ad suum esse substantiale quod est naturale, quia esse accidentale quod habent ex formis supernaturalibus præsupponit esse substantiale: ergo ab illo specificantur, ac proinde sunt quid naturale, ac ita potentia obedientialis passiua non est supernaturalis subiectiuè, siue ex parte subiecti. Denique ex opposito sequuntur multa inconuenientia. Primum, quòd detur potentia obedientialis actiua, nam Arist. textu 17. tertij de anima docet cuicumque potentiæ passiuæ veræ debere correspondere actiuam eiusdem ordinis extra Deum, & ob id concludit dari intellectum agentem: vnde si potentia obedientialis passiua est vera potentia supernaturalis, dabitur & actiua supernaturalis, ac proinde omnes res ex seipsis erunt constitutæ in actu primo ad producendos effectus supernaturales, cuius contrarium ostensum est. Secundum, quòd ordo supernaturalis secundùm hanc potentiam sit per se connexus ordini naturæ, illi debitus & connaturalis; non solùm perseitate physicâ, quæ est accidentalis, sed etiam perseitate Logicâ, quæ oritur ex principiis essentiæ, quod tamen est falsum, non enim est necessaria subordinatio; & connexio Dei vt est finis & author naturalis, ad seipsum vt est finis & author supernaturalis: constat enim quòd licèt aliquid ordinetur in Deum vt in finem naturalem, non tamen necessariò sequitur quòd etiam ordinetur in ipsum vt in finem supernaturalem, sunt enim duo ordinis distincti: quamuis aliunde proueniat, quòd si aliquis deordinetur à Deo fine naturali, deordinetur etiam ab eodem vt fine supernaturali, ex eo: scilicet quia destructæ quoad affectum ratione authoris, & finis naturalis per peccatum, oportet quoad affectum etiam destrui rationem authoris & finis supernaturalis, quæ primæ rationi nostro modo intelligendi superuenit, & in illa fundatur: & ideo hæc ratio non potest stare sine prima, cùm in illa fundetur, licèt prima possit esse sine secunda absolutè loquendo, non tamen factâ vtraque deordinatione potest causari rectitudo naturalis præcisè sine supernaturali rectitudine, quia bonum ex integra causa: omnes autem tenentur post deordinationem, illam

illam reparare, & ideo quamdiu non reparatur quoad vltimum ordinem, non censetur reparata, nec quoad primum. Tertium, quòd detur processus in infinitum in potentiis obedientialibus, nam si requiritur potentia obedientialis passiua supernaturalis ad recipiendas formas supernaturales, quia essentia rerum est improportionata ad illas secundùm se, similiter est improportionata ad illam, quæ fingitur supernaturalis, quia sunt in diuerso ordine, & eadem currit ratio de vtroque, ac proinde requiretur alia ad illam primam recipiendam, & sic in infinitum. Quartum, quòd non possit dari in rerum natura aliqua creatura, quæ non habeat aliquid supernaturale, cùm in omnibus sit potentia obedientialis, & sic Deus concurret ad productionem omnium, non solùm vt author naturalis, sed etiam vt supernaturalis, & concursu supernaturali: & cùm Deus operetur ad extra per voluntatem, sequitur bruta esse dilecta à Deo dilectione supernaturali, nam causare Dei, est amare: imò dæmones obstinati in malo essent à Deo dilecti dilectione supernaturali, quæ omnia sunt absurda. Quòd autem hæc potentia non possit dici partim naturalis, & partim supernaturalis, patet quia naturale & supernaturale adæquatè diuidunt ens, prout amplectitur entia completa, incompleta, modos &c. Deinde, quia eadem res simplex non potest formaliter esse corporea & incorporea etiam secundùm diuersas rationes, ac proinde multò minùs potest esse naturalis & supernaturalis, cùm ista magis differant, quàm illa, & hoc probant rationes, & inconuenientia adducta. Dictum est autem quòd hæc potentia non sit supernaturalis subiectiuè siue ex parte subiecti, non verò entitatiuè, quia cùm hæc potentia sit idem quod essentia, & reperiatur in essentiis supernaturalibus (nam Deus potest vti formis supernaturalibus secundùm potentiam obedientialem ad quoscumque effectus supernaturales & miraculosos, si non implicant,) sine dubio hæc potentia est in illis entitatiuè supernaturalis, sicut & essentia cui identificatur, non autem est supernaturalis in omni subiecto.

Probatur tertia pars conclusionis. Terminus, quem respicit potentia obedientialis passiua, est supernaturalis vel quoad entitatem, vt gratia, gloria, & similia quæ recipit: vel saltem quoad modum quo recipitur, vt visus miraculosè restitutus cæco: ergo hæc potentia est supernaturalis terminatiuè, siue ex parte termini, saltem quoad modum recipiendi illum.

Probatur quarta pars conclusionis. Illa potentia solùm est naturalis, quæ respicit actum naturalem, obiectum naturale, & reducitur ad actum concursu naturali, & per agens naturale: sed potentia obedientialis passiua non est huiusmodi, nam respicit actus supernaturales, obiectum supernaturale, & reducitur in actum per agens supernaturale, & concursu supernaturali: ergo non est potentia naturalis. Deinde potentia naturalis, si sit in creatura, est finita, ordinariè impletur, & clarè cognoscitur, imò comprehenditur ab Angelis: econtra potentia obedientialis est infinita syncategorematicè, non ordinariè impletur, nec comprehenditur ab Angelis, aliàs etiam comprehenderetur ab illis omnipotentia diuina, scirent enim clarè quidquid & quantùm posset Deus operari in creatura, ac proinde quanta esset diuina omnipotentia. Denique sequeretur dari in anima inclinationem & appetitum naturalem ad beatitudinem v. g. supernaturalem, nam potentiam naturalem consequitur inclinatio & appetitus naturalis, imo est ipsa inclinatio, vnde ad illud omne homo habet appetitum naturalem, ad quod habet potentiam naturalem, nam eo ipso quòd est bonum, & est possibile secundùm potentiam naturalem, naturaliter fit desiderabile: sed non datur inclinatio naturalis, ad beatitudinem supernaturalem, at tantùm ex gratia, vt communiter docent Theologi 1. p. q. 12. ergo potentia obedientialis non est naturalis, sed debet dici obedientialis: quod nomen importat ipsam esse naturalem ex parte subiecti, & supernaturalem ex parte termini.

Ad primum ergo dicendum, quòd vera est maior, si potentia passiua sit vera potentia, non autem si non sit verè & propriè potentia, sicut accidit in præsenti: nam potentia obedientialis non est propriè potentia de genere qualitatis, cùm sit ipsa essentia rerum: vnde sufficit quòd sit supernaturalis terminatiuè, & quoad modum recipiendi.

Ad secundum dicendum, quòd non est necesse, vt causa materialis præcisè receptiua proportionetur omnino quoad suam entitatem cum effectu, non enim illum causat propriè loquendo: ipsa autem entitas animæ, vt subest respectui subiectionis ad agens supernaturale, atque vt illi subordinata dicit duo, se ipsam scilicet subiectam Deo authori supernaturali, & ex parte termini connotati omnipotentiam agentis diuini, atque supernaturalis, & vt sic est proportionata gratiæ in ratione potentiæ, vt possit illam causare principaliter in genere causæ materialis, ac subiecti receptiui: cùm igitur Deus vt author naturæ, sit causa entitatis animæ absolutè, non tamen vt sic sit causa illius secundùm quòd ipsa actu causat gratiam, quia hoc habet secundùm quod subest diuino concursui supernaturali, propterea non sequitur quòd vt author naturalis sit causa gratiæ: vnde ad illud axioma, quod est causa causæ, est causa causati, dicendum quòd debet intelligi in hoc sensu, quando scilicet inter causam priorem, intermediam, & effectum seruatur idem ordo, & genus causæ, vel saltem quando causa intermedia, secundùm quòd est causa effectus, & quoad propriam causalitatem causatur à priori, quod hic non contingit, & defectu huius non sequitur quòd Deus sit causa peccati, licèt sit causa voluntatis peccatricis, quia voluntas vt defectibilis est, est causa peccati, peccare enim formaliter non est efficere, sed deficere, quod habet voluntas non ex Deo, sed ex eo quòd ex nihilo est, vt ait Augustinus.

Ad tertium dicendum, quòd falsum est antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum; quòd Deus vt author naturæ, sicut cognoscit essentiam rei naturalis, sic etiam cognoscit eius potentiam obedientialem, quoad intrinseca & essentialia, siue quoad id quod dicit in recto, non verò quoad terminum connotatum, quem dicit in obliquo. Ad secundam probationem dicendum, quòd licèt in ordine gratiæ aliquando reperiantur omnes quatuor causæ (nam vna forma supernaturalis potest comparari ad aliam vt subiectum,) non tamen in præsenti: nam hæc potentia obedientialis, quæ est causa materialis ordinis gratiæ, est capacitas ipsa ordinis naturalis, vnde antecedens est falsum. Ad tertiam probationem dicendum, quòd haberet vim si talis inclinatio esset potentia propriè, & per se primò inclinans ad bonum aliquod, quod hic non contingit, nam potentia obedientialis non tam est inclinatio, quàm capacitas, nam est ipsa rei essentia, quæ per se primò datur ad esse, & secundariò habet quòd sit receptiua formarum supernaturalium.

Ad quartum dicendum, quòd potentia obedientialis secundùm id quod importat in recto, nempe secundùm positiuam capacitatem quam ponit in rebus, non differt ab illis actualiter, aut formaliter, & sic est quid analogum, sicut ratio entis, vnde est diuersa iuxta naturam vniuscuiusque: secundùm verò id quod connotat, & importat in obliquo, nempe relationem subiectionis, est in omnibus rebus eiusdem rationis formaliter, quia omnino eodem modo omnia subiiciuntur Deo authori supernaturali per hanc potentiam.



TERTIA PARS
SVMMÆ PHILOSOPHICÆ, SIVE METAPHYSICA.

PROLOGVS.



VSTRATIS naturalis Philosophia campis amænissimis, superest vt ad excelsum, nobilissimum, & vndequaque delictis plenum Metaphysica montem lati festinemus, ibi puriori & salubriori fruemur aurâ, contemplatione inquam puriori res ab omni materia etiam intelligibili penitus abstractas relictis hisce inferioribus corruptibilibus, & crassioribus intuebimur. Inde propinquiores effecti, quantùm natura facultas permittit, ad substantiarum separatarum, ipsiúsque Dei primi entium entis speculationem assurgemus, sed facilis inde lapsus; si quis plusquam oportet sapere desiderans in horum contemplationem soli naturalis intellectûs facultati confidens, vltra limites natura prasumat euolare.

Diuisit Aristoteles vniuersam Metaphysicam in duodecim libros. In primo agit de eius necessitate, quidditate, & excellentia supra alias scientias, de fine & obiecto. In secundo de modo adipiscendi veritatem, quod maximè huic scientia competit, cùm versetur circa primas veritates, ipsiúsque veritatis cognitionem homini quodammodo facilem, & quodammodo difficilem ostendit. In tertio docet inquirentes veritatem debere apud se dubitare, & ipsas dubitationes pro vtraque parte cognoscere & considerare, multáque tradit de primis principiis. In quarto resoluit plures quastiones, quas in pracedenti statuerat, & explicat firmitatem & stabilitatem illius primi principij, Quodlibet est vel non est, siue Impossibile est idem simul esse & non esse: tandem statuit ens obiectum Metaphysica, & agit de eius proprietatibus. In quinto agit de analogis & analogia entis, deinde diuidit ens in decem pradicamenta; agit etiam de post pradicamentis, vt fecerat in Logica. In sexto agit de dignitate Metaphysica, quam ceteris prafert, diuidítque ipsas scientias, & ab earum obiectis reiicit entia per accidens & contingentia. In septimo tractat specialiter de substantia, & comparat accidentibus, ostendítque eius dignitatem & prioritatem super accidentia. In octauo agit de substantia sensibili composita ex materia & forma, quam ostendit habere vnitatem à forma, sicut & numerum ab vltima vnitate, ostendítque quomodo se habeat materia ad formas ex eius potentia eductas, & quomodo sit pura potentia. In nono agit de diuisione entis in potentiam & actum, variásque acceptiones illorum & diuisiones assignat, ipsáque inter se confert. In decimo agit de Vno primo proprietate entis, explicat naturam eius, varios eius modos, comparat ad multa, &c. In vndecimo facit quemdam Epilogum ferè omnium qua hucusque tractauerat: in hoc enim libro volebat concludere de istis inferioribus, vt ad nobiliora & altiora procederet. In duodecimo & vltimo agit Philosophus de substantiis separatis, qua sunt principale obiectum huius scientia, pracipuè autem concludit multis rationibus, vt ex perpetuitate motûs, dari primam substantiam, qua in se immobilis omnia alia moueat, agit etiam de numero substantiarum separatarum à quibus cælestia corpora mouentur, de earum virtute, actiuitate, & immaterialitate. Tandem in quinto, & vltimo capitulo probat bonum, & ordinem vniuersi esse ab vno primo Principe, scilicet Deo his verbis. Entia volunt bene gubernari, plurium autem principatus non est bonus: ergo Princeps vnicus esto.

Quia vt visum est in his libris Philosophus plurima tradit, tum qua in Logica, tum qua in Physicis docuit, ne eadem frustra repetantur, omnia de quibus hactenus supra non egimus, in hac tertia parte comprehendemus, quam in quatuor libros diuidemus. In primo agetur de ente eius obiecto, ac illius passionibus. In secundo de diuisione eiusdem entis in tota sua latitudine in substantiam, & accidens, siue in decem pradicamenta. In tertio de compositione Metaphysica eiusdem entis, cuius partes sunt essentia, subsistentia, & existentia. In quarto agetur de primo ente, & aliis substantiis separatis, sed breuiter: nam sine lumine fidei facilè in his potest errari, vnde ad sacram Theologiam diffusum tractatum remittimus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De obiecto, ac quidditate Metaphysica.

PRIMVM quod in scientia considerandum occurrit, est natura & obiectum ipsius, vnde in præsenti de obiecto & quidditate Metaphysicæ quinque quæruntur, quæ sunt prooemialia.

¶ Primò, Quodnam sit obiectum Metaphysicæ?
¶ Secundò, Quodnam sit primum principium metaphysicum?
¶ Tertiò, Vtrùm Metaphysica sit scientia vna specie infima, & speculatiua?
¶ Quartò, Vtrùm Metaphysica sit sapientia?
¶ Quintò, Vtrùm Metaphysica sit præstantior, & appetibilior aliis scientiis?

ARTICVLVS I.

Quodnam sit obiectum Metaphysica?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd ens in tota sua latitudine, vt ambit tam ens reale quàm ens rationis, sit obiectum adæquatum & specificatiuum Metaphysicæ. Ita Aquatius, Zumel, & alij. Probatur. Metaphysica est prima & vniuersalissima scientia: ergo debet adæquare intellectum in latitudine sui obiecti: sed obiectum intellectus, est ens vt comprehendit ens reale & ens rationis: ergo & Metaphysicæ.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd solum ens creatum & prædicamentale sit obiectum Metaphysicæ. Ita Flandria hîc quæst. 1. art. 8. Probatur ex Diuo Th. opusc. 70. super Boëtium de Trinitate quæst. 5. art. 4. vbi sic ait: *Igitur Theologia, siue scientia Diuina est duplex, vna in qua considerantur res diuina, non tanquã subiectum sciẽtia, sed tanquã principium subiecti, & talis est Theologia quã Philosophi prosequuntur, qua alio nomine Metaphysica dicitur: alia verò qua ipsas res diuinas consideras propter seipsas vt subiectũ sciẽtia, & hac est Theologia qua Sacra Scriptura dicitur.*

¶ 3. Præterea, Quando aliquod obiectum secundùm se terminat adæquatè aliquam scientiam, est inconueniens, quòd reducatur ad obiectum alterius scientiæ: sed ens increatum & diuinum adæquatè terminat Sacram Theologiam vt patet: ergo est inconueniens quòd ordinetur vt pars obiectum Metaphysicæ: aliàs Metaphysica esset vniuersalior & nobilior Theologiâ, quod nullus dicet, & sic solum ens creatum est obiectum Metaphysicæ.

¶ 4. Præterea, Maior est transcendentia intellectus quàm Metaphysicæ, nam potentia plura respicit, quàm aliquis eius habitus particularis: sed obiectum intellectus est ens reale in tota sua latitudine; ergo illud in eadem latitudine non potest esse obiectum Metaphysicæ, & sic erit tantum ens creatum.

¶ 5. Econtra Videtur quòd non ens, sed substantia in communi, vt ambit separatas & materiales, sit obiectum Metaphysicæ: ita Auerroës hîc & 10. Physic. comm. vltimo, Buridanus quæst. 1. suæ Metaph. Probatur. Omne obiectum debet habere aliquas proprietates, quæ de ipso in tali scientia concludatur, hic enim est finis & officium scientiæ: sed ens nullas habet proprietates; illæ enim quæ assignantur, scilicet Vnum, Verum Bonum non sunt veræ proprietates, quia essentia non continetur in suis proprietatibus, ens autem continetur intrinsecè in istis, nam vnũ est ens, & sic de aliis, aliàs nihil essent: ergo ens non est obiectum Metaphysicæ, sed substantia.

SED CONTRA est fere communis opinio Metaphysicorum, quam Soncinas hîc, & alij tam in schola D. Th. quàm extra tenent.

CONCLVSIO.

Cùm Metaphysica agat de ente reali in tota sua latitudine, eiúsque proprietates demonstret, ens reale in tota sua latitudine est obiectum Metaphysica.

RESPONDEO dicendum, quòd ens reale in tota sua latitudine, scilicet vt comprehendit creatum & increatum, est obiectum materiale adæquatum Metaphysicæ 2. substantiæ separatæ, & præcipuè prima. Deus benedictus, sunt obiectum principale 3. ratio vniuersalissima entis est obiectum formale (quod) siue ratio formalis (quæ) 4. abstractio verò ab omni materia singulari, sensibili, & intelligibili: sicut & principia propria, quibus Metaphysica in suis demonstrationibus procedit, sunt eius obiectum formale (quo) siue ratio formalis (sub qua) 5: ens rationis autem non pertinet ad obiectum Metaphysicæ. Ad cuius euidentiam sciendum est ex dictis supra prima parte, siue in Logica quòd obiectum alicuius scientiæ est illud, circa quod versatur, & quod considerat talis scientia diuiditur autem in materiale & formale: formale subdiuiditur autem in materiale, quod, & sub quo, obiectum materiale est illud omne, de quo agitur ex professo, & non casu in illa scientia: formale, quod est illa ratio quam in omnibus obiectis materialibus contemplatur scientia, & etiam dicitur ratio formalis, quæ, quia se tenet ex parte ipsius obiecti materialis, cùm sit ratio illius in esse rei: formale, quo, est illa ratio, sub qua scientia considerat suum obiectum formale, scilicet abstractio à materia, & principia sub quibus procedit: vnde etiam dicitur ratio formalis sub qua, quia se tenet ex parte scientiæ, cùm sit ratio obiecti in esse scibilis, siue vt obicitur scientiæ: materiale autem aliud est principale, aliud minus principale.

Probatur prima pars conclusionis. Philosophus in duodecimo libro Metaphysicæ agit ex professo de substantiis separatis, de quibus solùm est difficultas, & præcipuè de Deo prima substantia, quam multis demonstrationibus probat esse: nec potest dici quòd de illa agat, non vt est pars obiecti, sed vt principium, nam si ageret de Deo sub hac tantùm consideratione, non ageret de illo ex professo, sed casualiter & accidentaliter, nec consequenter hæc scientia posset vocari Theologia naturalis, scilicet scientia de Deo cognoscibili lumine naturali. Deinde D. Thom. opusc. 70. quæst. 5. art. 1. sic ait: *Quadam verò sunt speculabilia, qua non dependent a materia secundùm esse, quia sine materia esse possunt, siue nunquam sint in materia, sicut Deus & Angelus, siue in quibusdam sint in materia, & in quibusdam non, vt substantia, qualitas, &c. huiusmodi, de quibus omnibus est Theologia, id est Diuina scientia, quia pracipuum cognitorum in ea est Deus, alio nomine dicitur Metaphysica*: Ecce quomodo D. Thom. non solùm dicit Deum esse obiectum Metaphysicæ, sed etiam dicit esse obiectum præcipuum & principale, quod est secunda pars conclusionis.

Secundò, illud omne de quo agit aliqua scientia, & quod participat rationem formalem talis scientiæ, est obiectum materiale illius: sed Metaphysica agit, non solùm de omni ente creato, & etiam de increato, scilicet Deo vt patet ex Aristotele & D. Thom. citatis, & hoc participat rationem formalem obiecti Metaphysicæ, scilicet rationem entis, imò nobiliori modo, Deus enim est maximè ens, cùm sit suum esse: ergo ens reale in tota sua latitudine, scilicet vt comprehendit creatum & increatum, est obiectum adæquatum Metaphysicæ.

Tertiò, illud est obiectum materiale adæquatum alicuius scientiæ, cui competunt omnes passiones, quæ in tali scientia demonstrantur, in hoc enim occupatur scientia, vt demonstret proprietates sui obiecti illi conuenire: sed enti reali in tota sua latitudine competunt proprietates, quæ in Metaphysica demonstrantur, scilicet vnum, verum, bonum; cùm enim sint transcendentia, & in omnibus reperiantur vt patet inductione, non competunt primò & per se, nisi enti in tota sua latitudine: ergo ens reale in tota sua latitudine est obiectum Metaphysicæ materiale adæquatum.

Quartò, Metaphysica agit non solùm de ente creato, sed etiam de increato, multa concludens de ipso per propria principia, prima enim principia Metaphysicæ sunt istæ dignitates, siue propositiones communissimæ, Quodlibet est vel non est. Item, Impossibile est idem de eodem affirmari & negari, & similia: constat autem quòd per

iſta principia multa probat vltimatè de Deo Philoſophus libro vltimo, ſicut quòd ſit immobilis, per hoc quòd ſit primus motor, hoc modo: primus motor eſt immobilis, aliàs non eſſet primns, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur: & ſic eſſet, & non eſſet primus: Deus autem eſt pimus motor: igitur eſt immobilis: ergo non ſolùm ens creatum, ſed etiam increatum pertinet ad obiectum materiale Metaphyſicæ: nam cùm ſcienriæ ſpecificatio deſumatur à principiis, vt dictum eſt prima parte ſiue in Logica, ſequitur infallibiliter, quòd quidqoid demonſtratur per principia alicuius ſcientiæ, pertineat ad obiectum illius ſcientiæ.

Probatur ſecunda pars concluſionis, tum authoritate adductâ D.Thom. tum ratione ſequenti. Subſtantiæ ſeparatæ, & præcipuè prima, ſunt entia nobiliſſima: ergo ſunt obiectum principale, ſiue pars principalis obiecti Metaphyſicæ ſcilicet entis.

Secundò, Philoſophus agit de ſubſtantiis ſeparatis vltimo loco, quaſi alia omnia ad ipſas ordinans: ergo ſunt præcipuum, quod tractat in Metaphyſica.

Tertiò, à prima ſubſtantia, ſcilicet Deo Metaphyſica denominatur Theologia, ſiue ſcientia de Deo: ſed à præcipuo derioari debet denominatio rei: ergo ſobſtanriæ ſeparatæ, & præſertim prima Deus benedictus, ſunt obiectum principale Metaphyſicæ.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Philoſophi 4. Metaph. ſtatim in principio, & D.Thom. ibidem, quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi. Deinde, illud eſt obiectum formale, quod, ſiue ratio formalis, quæ, alicuins ſcientiæ, ſub qua talis ſcientia conſiderat omnia de quibus agit, ſiue quam conſiderat in omnibus, hæc enim eſt definitio obiecti formalis, quod, vt patet: ſed ratio entis vniuerſaliſſima eſt huiuſmodi: nam ratione hoius Metaphyſice diſtinguitur ab aliis ſcientiis, & ipſa adæqoat Metaphyſicam, ita vt nihil conſideret, niſi ſub ratione entis, vnde ſi agit de Deo, de Angelis, &c. agit de illis vt ſunt entia, vel primum ens, & ſub hac ratione continentor intra latitudinem obiecti Metaphyſicæ, quæ de illis agit ſecundùm ea quæ poſſunt dignoſci lumine naturali: ergo vniuerſaliſſima ratio entis, ſiue ens vt ens eſt obiectum formale, quod, Metaphyſicæ.

Probatur quarta pars concluſionis: tum communi conſenſu Philoſophorum, tum ratione deductâ ex dictis prima parte ſiue in Logica. Obiectum formale, quo, alicuius ſcientiæ, eſt illa ratio ſub qoa ſcientia reſpicit ſuum obiectum vt patet: ſed Metaphyſica reſpicit ſuum obiectum, tum ſub abſtractione ab omni materia, tum ſub propriis principiis per illa demonſtrando varia de ſuo obiecto: ergo abſtractio ab omni materia ſingolari, ſenſibili, & iotelligibili, ſicut & principia propria quibus Metaphyſica in ſuis demonſtrationibus procedit, ſunt eius obiectum formale, quo, ſiue ratio formalis, ſub qua.

Probatur quinta pars concluſionis. Ens rationis eſt proprium obiectum Logicæ, vt viſum eſt prima parte; nec agitur ex profeſſo de ipſo in Metaphyſica, ſed ad ſummum occaſionaliter: ergo ens rationis non pertinet ad eius obiectum.

Ad primum ergo dicendum, quòd non eſt neceſſe quęcumque habitum adæquare virtutem potentiæ, quæ habet plures habitus, nam habitus eſt quid magis limitatum, & potentia magis latè patens & illimitata, quæ per diuerſos habitus fertur immediatè ad dioerſas partes ſoi obiecti: & ita intellectus per Metaphyſicam conſiderat omne ens reale ſub ratione entis, per Logicam entia rationis &c. quæ omnia ſimul adæqnant eius obiectum.

Ad ſecundum dicendum, quòd D.Th. tantùm excludit ab obiecto Metaphyſicæ res diuinas vt ſunt diuinæ, ſiue ſub formalitate diuinitatis, ſic enim ſolùm pertinent ad ſacram Theologiam: ſed non excludit eas vt ſunt ens, ſiue ſub ratione & formalitate entis, imò includit vt ſic, inqoantum dicit qoòd pertinent ad Metaphyſicam, vt ſunt principium ſobiecti, ſiue vt primum ens.

Ad tertium dicendom, quòd quando aliquod obiectum habet plures rationes formales, inter quas vna ſit peculiaris & potens terminare adæquatè aliquàm ſcientiam, tunc ſecundùm illam erit obiectum adæquatum illius ſcientiæ: ſecundùm alias verò rationes communes pertinebit ad obiectum aliarum ſcientiarum communium, vt pars illios: vnde Deitas ob ſui eminentiam expetit peculiarem ſcientiam, ſcilicet ſacram Theologiam: aliæ verò rationes eius communes, vt entis, & ſi quæ ſint aliæ, poſſunt conſiderari inadæqoatè ab aliis ſcientiis: quia verò ratio expreſſa diuinitatis in obiecto Theologiæ excedit infinitè quamcumque aliam rationem nobilitate, ſequitur quòd Theologia ſit dignior aliis ſcientiis, etiam Metaphyſicâ, licèt habeat obiectum vniuerſalius, & attingat ipſummet obiectum Theologiæ ſub ratione communi entis.

Ad quartum dicendum, quòd obiectum intellectûs eſt ens ſiue verum, vt includit omne verum, tam reale, quàm rationis, quamuis ens & verum reale ſit obiectom eius principale, Metaphyſica autem ſolùm reſpicit ens reale, relinquens Logicæ ens rationis, & ſi quid de illo agit, agit non per ſe, ſed ſecundariò & caſualiter.

Ad quintum dicendum, quòd ens habet ſuas proprietates, ſcilicet vnum, verum, bonum, quæ omnia cùm ſint tranſcendentia, non eſt mirum ſi ens in ſuis proprietatibus, & proprietates in ente includantur: ſufficit autem ad hoc vt ſint proprietates, quòd exprimant aliquam rationem, quam non exprimit ens, licèt illam implicitè dicat, nec omnis proprietas diſtinguitor à ſuo ſubiecto, vt patet in illis, quas aſſignat Ariſtoteles ſubſtantiæ, & aliis prædicamentis.

Articvlvs II.

Quodnam ſit primum principium Metaphyſicum?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd iſtud ſit primum principium Metaphyſicum (quodlibet ens eſt ens) ita Antonius Andreas diſcipulus Scoti. Probatur. Hoc principium eſt affirmatiuum, aliud autem quod aſſignatur primum, ſcilicet (impoſſibile eſt idem eſſe ac non eſſe ſimul) eſt negatiuum: ſed affirmatiua ſunt priora negatiuis iuxta illud axioma, affirmatio eſt prior negatione: ergo hoc principium (quodlibet ens eſt ens) eſt primum Metaphyſicum.

§ 2. Præterea, hoc principium (quodlibet ens eſt ens) eſt ſimpliciter abſolutum, aliud verò (impoſſibile eſt idem eſſe ac non eſſe ſimul) eſt relatiuum, nam includit Idem & ſimul, quæ ſunt termini relatiui: ſed abſolutum prius eſt relatiuo, priùs eſt enim rem eſſe, quam referri: ergo hoc principium (quodlibet ens eſt ens) eſt primum Metaphyſicum.

Sed contra eſt quòd Ariſtoteles hîc libro 4. cap. 4. aſſignat pro primo principio Metaphyſico iſtud (impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe) illom ſequuntur D.Thom. & communiter Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm hoc principium (impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe ſimul) virtualiter contineatur in omni demonſtratione, & omnis demonſtratio ad ipſum vltimò reſoluatur, manifeſtum eſt quod ſit primum & indemonſtrabile.

Respondeo dicendum, quòd hoc principium Metaphyſicum, Quodlibet eſt vel non eſt, ſiue, Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe ſimul, eſt primum & indemonſtrabile principium. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt primò nos hîc inquirere de primo principio metè naturali, vt indicat titulus articuli, certum eſt enim principia fidei eſſe priora iſto, & dignitate ratione ſubiecti, & certitudine ratione omnimodæ infallibilitatis, licèt enim omnia prima principia ſint vera, & conſequenter infallibilia, cùm veritas conſiſtat in indiuiſibili, nec vna ſit maior aliâ abſolutè, tamen ex ſuppoſitiooe principia fidei ſunt certiora, ſi enim per impoſſibile aliquod primum priocipium poſſet eſſe falſum, hoc priùs accideret cuilibet principio naturali, etiam iſti primo, quàm principiis fidei.

fidei. Deinde veritas principiorum fidei, maximè quæ pertinent ad diuinitatem, vt istorum, Deus est, trinitas personarum in Deo est cum vnitate essentiæ &c. est absolutè necessaria, & omnino independens, quia non potuit aliter esse, omnis autem veritas creata est dependens, sicut & res supra quam fundatur, nec babet necessitatem absolutam simpliciter, sed conditionatam suppositâ scilicet existentiâ rerum, supra quas fundatur, quæ absolotè potuerunt non esse. Nec contradicit dictis, quòd vtimur hoc primo principio, Impossibile est idem esse & non esse simul etiam respecto principiorũ fidei, & sic videmr quòd veritas istorum fundetur in illo. Nam dicendum quòd hic processus non est ex exigentia rerum, cùm principia fidei per se sint notissima in se & respectu Beatorum, sed respectu viatorum solùm requiritur hic processus, quia intellectus non attingit immediatè illa principia in se notissima, & ideo io illorum cognitione demonstratiua indiget hoc primo principio.

Item sciendum est ex Aristotele. hîc libro 4. cap. 4. quòd necesse est in omni scientia dari aliqua prima principia indemonstrabilia, saltem duo quæ sint per se nota, vel simpliciter si siot omnino prima, vel saltem sint per se nota in aliqua scientia, si sit scientia inferior, & illa siot prima eius principia, aliàs procedendum esset in infinitum in demonstrationibus: prima antem principia scientiæ inferioris & subordinatæ, licèt supponantur in tali scientia vt per se nota, quia in illa scientia sunt prima, tamen sunt demonstrabilia in scientia superiori & subalternante: prima autem principia absolotè cognitioois entis sunt axiomata, siue quædam effara generalissima, notissima, & quæ ab omnibus, modo intelligant terminos, vera conceduntur, vt sequentia. Quodlibet est vel non est. Impossibile est idem esse & non esse simul. Quando res est, necesse est esse. Quando res non est, necesse est non esse, sed reduplicatiuè. Totum est maius sua parte. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem Inter se. Si ab æqoalibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia &c. Primum autem principium practicum, vt docet D.Thom. 1.2. q.4. art. 2. est istud. *Bonum est amplectendum & malum fugiendum*: Quia cùm practica operatio sit voluntatis, primum quod eidem voluntati occurrit, est finis, finis autem habet rationem boni, & ita primum quod cadit sub praxim, est bonum vt amplectendum, quia bonum vt sic non potest respui, qoando enim respuitur, est sub ratione mali saltem apparentis, vel ratione limitationis, vel difficultatis in exercitio, quæ æquiualent malo, vnde summum bonum clarè cognitum necessariò amatur: quia autem malum contrariatur bono, repræsentatur vt fugiendum, malum enim vt sic non potest amari, si amatur boc est sub ratione boni saltem apparentis.

Item sciendum est scientias procedere in suis demonstrationibus dupliciter: Primò directè, resoluendo scilicet ad sua prima principia, & vltimatè demonstrando intra limites proprios, prima autem demonstratio est illa in qua prima passio demonstratur de obiecto, & in qua medium est definitiu ipsius obiecti, certum est enim primum principium scientiæ esse definitionem obiecti ipsius, nam obiectum est primum & vltimum circa quod versatur scientia, & consequenter eius definitio quæ exprimit essentiam, nihil est enim prius in re ipsâ essentiâ. Secundò indirectè, scilicet reducendo ad impossibile cogendo aduersarium concedere absurda, contradictoria, vel saltem negata: & hic modus est efficacior & manifestior, nec potest effugere ipsum aduersarius, sicut effugit primum, sont enim quidam ita pertinaces, vt nisi coacti euidentiâ nihil concedant: terminus autem processûs per impossibile, est hoc principium. Impossibile est idem esse & non esse simul, vnde virtualiter continetur in omni demonstratione. Ex modò dictis sequitur, quòd si consideretur Metaphysica vt peculiaris scientia, eius primum principium, est illud quod assignat Antbonius Andreas, ritè intellectum: scilicet, ens est ens, si non sumatur identicè, sed formaliter: ita vt ly, ens vltimum sumatur vt significat id quod est siue cuius actus est esse, & faciat hunc sensum, ens est id quod est, tunc enim habet rationem definitionis descriptiuæ essentiæ entis, quod ens cùm sit obiectum Metaphysicæ, eius definitio erit primum ipsius principium, vt est scientia particularis: si autem Metaphysica consideretur vt scientia vniuersalis quasi subalternans aliarum, & & respiciens aliquo modo ipsarum obiecta & principia, eius primum principium est istud à nobis assignatum, Impossibile est idem esse & non esse simul: per ipsum enim probat, dirigit, & corrigit principia aliarum scientiarum Inferiorum: & quia hæc ratio vniuersalitatis in Metaphysica est nobilior ratione particularis scientiæ in eadem Metaphysica, inde est quòd eius principium primum, vt est scientia vniuersalis est simpliciter primum & nobilissimum, maximè vt diximus, qoia continetur virtute in omni demonstratione, & vltimò ad ipsum omnis demonstratio resoluitur, vnde est maximè doctrinale: definitio autem obiecti Metaphysicæ non est simpliciter primum principium per ordinem ad principia aliarum scientiarum, quia aliæ scientiæ non propriè subordinantur ipsi, si enim esset propria subordinatio, sine dubio principia scientiarum inferiorum vltimò demonstrarentur per definitionem obiecti Metaphysicæ, quæ est primum eius principium, per directam resolutiooem ad ipsum, nam principia veræ scientiæ subalternatæ sunt conclusiones sobalternantis, ad minùs sunt nota in ipsa subalternante, ipsa autem diuersitas primorum principiorum conuenit Metaphysicæ ratione entia obiecti ipsius, quod cũ sit vniuersalissimũ, potest esse radix huius diuersitatis.

Ex dictis videtur manifesta conclusio nostra, quam statuit Philosophus hîc lib. 4. cap. 4. sic enim ait: *Sunt autem quidam, qui ipsi quoque dicunt contingere, idem esse, & non esse, & ita arbitrari: nos autem tunc accepimus tanquam impossibile sit de eodem simul esse & non esse, & per hoc monstrauimus quod certissimum hoc cunctorum principium est*. Item D.Thom. 1.2. quæst. 94. art. 2. vbi hæc habet: *Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare & negare, quod fundatur supra rationem entis & non entis, & super hoc principio omnia alia fundantur, vt dicitur 4. Metaph.* & 2. 2. q. 1. art. 7. ait: *Omnia principia reducuntur ad hoc sicut ad primum, impossibile est simul affirmare & negare, vt patet per Philosophum 4. Metaph.*

Probatur ratione ex dictis. Illud est primum principium omnium In qood omnes demonstrationes resoluuntur, & quod virtute continetur in omnibus aliis principiis quod dirigit & corrigit alia vt patet: sed ex Philosopho, & patet experientiâ, omnes demonstrationes resoluuntur in hoc principium, Impossibile est idem esse & non esse simul, & consequenter continetur virtualiter in omnibus aliis principiis, illa dirigit & corrigit, quia supra Ipsum omnia alia fundantur, siue habent virtutem & firmitatem ab eo, & videmus quòd vix conuincimus aduersarios saltem pertinaces, nisi reducendo ad Impossibile est Idem esse & non esse: ergo est primum principium.

Secundò, impugnatur prima opinio. Primum principium metaphysicum, debet esse aliqua propositio scientifica siue doctrinalis, cùm debeat ingredi demonstrationem per quam gignitur scientia: sed illud principium, ens est ens, si sumatur identicè, non est propositio scientifica vt patet, cùm idem prædicetur de seipso: ergo non est primum principium metaphysicum.

Sciendum tamen est, quòd licèt primum principium, Impossibile est idem esse & non esse simul, sit notissimum & certissimum, debet tamen legitimè explicari, id est, cum his limitationibus, secundùm idem, eodem modo siue respectu.

Ad primum ergo dicendum, quòd affirmatiua sunt priora dignitate negatiuis, sed non semper cognitione: ad rationem autẽ principij demonstratiui præcipo[illegible] ritur, quòd sit cognitum, cùm sit illud quo [illegible] ctus ad demonstrandum aliud: & ita [illegible] piũ inter scientifica sit notiss[illegible]

An ſecundum dicendum, quòd licèt relatio ſecundùm eſſe præſupponat aliquid abſolutum in quo fundetur, non tamen relatio ſecundùm dici: hoc autem principium non eſt relatiuum, niſi ſecundùm dici. Deinde licet admittatur totum quod ad eſſe,non tamen quidquam conuincit in ordine cognitionis, poteſt enim aliquid eſſe in ſe prius alio, quod tamen ſit minùs notum & minùs deſeruiat ad cognitionem aliorum, de hoc autem eſt ſolùm difficultas.

Articvlvs III.

Vtrùm Metaphyſica ſit ſcientia, vna ſpecie infimâ & ſpeculatiuâ?

AD tertivm ſic proceditur. Videtur quòd Metaphyſica ſit tantùm vna vnitate analogiæ. Probatur. Vnitas ſcientiæ deſumitur ab vnitate obiecti eius formalis vt communiter dicitur: ſed obiectum formale Metaphyſicæ, ſcilicet ens vt ens,ſiue ratio entis eſt quid vnum analogicè tantùm,vt quæſtione ſequenti videbimus:ergo & ipſa Metaphyſica,non enim poteſt eſſe magis vnum res ſpecificata, quàm eius ſpecificatiuũ,nemo enim dat quod non habet:vnde ſi ſpecificatiuum non habet aliam vnitatem quàm analogam, hanc tantùm dabit rei ſpecificatæ.

§ 2. Præterea, Sapientia vt abſtrabit à creata & ab increata,eſt quid analogum ex D.Th.ergo Metaphyſica quæ eſt ſapientia, & verſatur circa ens creatum & increatum vt ſtatim patebit, erit etiam quid analogum.

§ 3. Econtra, Videtur quòd Metaphyſica ſit vna vnitate genericâ. Ita tenent plurimi, ſed inter ſe ſunt diuiſi, nam quidam ponunt in Metaphyſica tres habitus genericè diſtinctos, quorum vnus agit de Deo, alius de ſubſtantiis ſeparatis, tertius denique de ente in communi & ſic iuxta hanc opinionem Metaphyſica eſt vna vnitate generica ſubalterna. Probatur. Diſtinctio generica in ſcientiis prouenit ex diuerſa abſtractione à materia vt patet: ſed inter tria aſſignata eſt diuerſa abſtractio, plus enim abſtrahunt ab illa ſubſtantiæ ſeparatæ,quàm iſta inferiora, propterea dicuntur ſeparatæ, id eſt, à materia: Deus verò adhuc magis abſtrahit,cùm etiam abſtrahat à materia metaphyſica, in illo enim nulla eſt compoſitio, etiam metaphyſica ex eſſe & eſſentia,cùm ſit purus actus: ergo Metaphyſica eſt vna vnitate genericâ ſubalternâ. Alij autem tantùm volunt Metaphyſicam eſſe vnam vnitate genericâ infimâ,ita vt tres illi habitus ſola ſpecie differant, & ita contendunt Metaphyſicam non eſſe vnam ſpecie ſcientiam, quia idem ſpecie habitus non poteſt elicere aſſenſus primorum principiorum ſiue paſſionum, & conclusionum ſequentium ex illis,quia cùm primæ paſſiones ſint indemonſtrabiles, ſcientia non verſatur circa illas: ſed Metaphyſica elicit aſſenſus primorum principiorum & concluſionũ,vt patet:ergo non eſt vnus ſpecie habitus.

Sed contra eſt communis opinio Thomiſtarum, & aliorum extra ſcholam D. Thom. Caietan. de demunſtr. cap. 3. Araujo hic quæſt. 5. art. 3. &c.

Conclvsio.

Cùm Metaphyſica ſit habitus per demonſtrationem acquiſitus,habens obiectum formale in eſſe ſcibilis vnum ſpecie infimâ, purè ſpeculatiuum, ac tendat in ipſum modo ſpeculatiuo,& ſiſtat in ſpeculatione,eſt ſcientia vna vnitate ſpecificâ & ſpeculatiuâ.

Respondeo dicendum, quòd Metaphyſica eſt ſcientia. 2. vna vnitate ſpecificâ infimâ. 3. & ſpeculatiuâ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex dictis ſupra primâ parte, ſcientiam eſſe vnum ſimplicem habitum & qualitatem, non verò collectionem vel plurium habituum partialium, vel plurium ſpecierum, quamuis enim requirat hanc collectionem ſpecierum, inquantum repræſentant obiecta materialia, quæ collectio ſpecierum dicitur ſcientia inchoatiuè, formaliter tamen & completiuè non conſiſtit ratio ſcientiæ in illa, cùm ſpecies ſe teneant ex parte obiecti, & ſint in intellectu loco illius, ſcientia verò ſe tenet ex parte potentiæ, & eſt quædam qualitas permanens & habitualis, ex actibus acquiſita, reddens intellectum facilem & inclinatum ad diſcurrendum promptè, faciliter, conſtanter, & delectabiliter circa aliquod obiectum; vbi autem circa aliquod obiectum admittuntur duo habitus, debent etiam admitti duæ ſcientiæ. Hîc non agimus de vnitate numerica Metaphyſicæ, ipſa enim ſicut & alia accidentia indiuiduantur à ſuo ſubiecto, vnde,quot ſunt homines habentes Metaphyſicam, tot ſunt numero Metaphyſicæ: eius verò vnitas generica, qua diſtinguitur genere ab aliis ſcientiis, deſumitur à peculiari abſtractione, quæ eſt ab omni materia etiam intelligibili ſub lumine naturali: hæc autem diffusè ſunt diſcuſſa prima parte, vnde reſtat tantùm inquirendum de vnitate ſpecifica, quod etiam breuiter expedietur applicando hîc doctrinam generalem ſupra in eadem prima parte traditam.

Probatur prima pars concluſionis breuiter, ſed demonſtratiuè. Scientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, qui verſatur circa propoſitiones vniuerſales, neceſſarias & mediatas. Item ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere: ſed hæc conueniunt Metaphyſicæ,nam per demonſtrationem acquiritur, & verſatur circa ſuas concluſiones, quæ ſunt propoſitiones vniuerſales neceſſariæ & mediatæ, & illas demonſtrat à priori per cauſam vt ex ſe patet: ergo Metaphyſica eſt ſcientia.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex doctrina D.Th. q.2.de virtutibus art.4. Item 1.p.q.1.art.7.& 2.2.q.1.art.1. opuſc.42. cap.4. & alibi ſæpe. Illa ſcientia eſt vna vnitate ſpecificâ infimâ, quæ habet vnum in ſpecie infima obiectum formale in eſſe ſcibilis, nec ſcientia diuerſificatur ſpecie à materiali diuerſitate quæ eſt in obiecto, ſed tantùm à formali diuerſitate, quæ variat ipſam rationem formalem ſcibilis, vt patet ex dictis ſupra prima parte: ſed obiectum formale Metaphyſicæ ſcilicet ratio entis, licèt in eſſe rei non ſit vniuoca & ſpecifica, ſed tantùm analoga, tamen in eſſe ſcibilis eſt vnum quid in ſpecie infima, nam obiectum dicitur vnum ſpecie in eſſe ſcibilis, quod in eadem abſtractione ſubſtat principiis eiuſdem ſpeciei & non diuerſarum ſpecierum: principia autem dicuntur eſſe eiuſdem ſpeciei, quando intra eamdem abſtractionem vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex aliquo primo: dicuntur verò diuerſæ ſpeciei in eſſe ſcibilis, quando neque deriuantur ex alio neque ex alterutris, talia autem ſunt principia Metaphyſicæ, nam abſtrahunt ab omni materia,& datur hoc primum ſcilicet quodlibet eſt vel non eſt, ſiue impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe ſimul, à quo alia omnia deriuantur: ergo obiectum eius in eſſe ſcibilis eſt vnum ſpecie infima, ac proinde & ipſa Metaphyſica.

Probatur tertia pars concluſionis ex doctrina D. Th. 1. p. q. 14. art. 16. & communi conſenſu. Illa ſcientia eſt ſimpliciter ſpeculatiua, & nullo modo practica, quæ habet obiectum purè ſpeculatiuum, habet pro fine ipſam obiecti ſpeculationem, ibique ſiſtit,& in illud fertur modo ſpeculatiuo, ex his enim tribus deſumitur ratio ſpeculatiui,vel practici,ſcilicet ex obiecto,fine,& modo tendendi, quamuis principaliter deſumatur à fine: vnde ille habitus, qui habet pro fine ſpeculationem & ibi ſiſtit, ſimpliciter dicetur ſpeculatiuus, licèt ſit ſecundùm quid practicus, ſi obiectum ſit quid operabile, & in illud tendat modo operabili: ſi autem iſta tria ſint intra limites ſpeculationis,habitus abſolutè erit ſpeculatiuus & nullo modo practicus: ſed finis Metaphyſicæ eſt pura ſpeculatio ſui obiecti, ipſúmque obiectum cùm abſtrahat ab omni materia eſt purè ſpeculabile, & tendit in illud ſpeculando; quandò enim obiectum eſt purè ſpeculabile, modus tendendi eſt ſemper ſpeculatiuus, quamuis modus tendendi ſpeculatiuus poſſit eſſe de obiecto practico ſiue operabili: & licèt Metaphyſica agat de Deo, qui eſt noſter vltimus finis & noſtra beatitudo, tamen in illo non conſiderat hanc rationem (ſicut illam conſiderat Sacra Theologia, & propterea eſt ſimul ſpeculatiua & practica ex D. Thom. 1. p. q. 1. art. 4.) ſed ſolam rationem entis, nec tradit regulas quomodò poſſimus ipſum aſſequi:

ergo

ergo Metaphysica est simpliciter speculatina, & nullo modo practica.

Ad primum ergo dicendum, quòd verum est specificatiuum debere habere eamdem vnitatem, quam tribuit rei specificatæ propter rationem assignatam, dicimus tamen, quòd licèt ens in esse rei habeat tantùm vnitatem Analogicam, in esse tamen scibilis habet vnitatem specificam vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd sapientia abstrahens à creata & increata est quid Analogum, non tamen inde sequitur quòd sapientia aliqua creata, qualis est Metaphysica, quæ habet vnum obiectum specie in esse scibilis constatum ex creato & increato, sub aliqua ratione vtriq; communi, vt accidit in præsenti, non sit vna specie infima.

Ad tertium dicendum, quòd licèt concedatur ista tria habere à parte rei diuersam abstractionem à materia, tamen in ratione obiecti habent eamdem abstractionem, scilicet in ratione entis, sub qua considerantur: non enim considerantur sub ratione propria, scilicet Deus sub ratione deitatis, sub qua ratione haberet maiorem abstractionem, nam vt sic abstrahit à materia etiam Metaphysica, nulla enim in eo est compositio Metaphysica ex esse & essentia, cùm sit purus actus, sed sub hac consideratione pertinet ad Sacram Theologiam, non ad Metaphysicam. Ad alud dicendum quòd Metaphysica solùm versatur per se circa suas conclusiones, circa verò sua principia versatur indirectè, non enim illa demonstrat directè, sed tantùm indirectè ducendo ad impossibile, vel aliqualiter explicando: cùm enim sit suprema scientia inter naturales & sit sapientia, ad illam aliqualiter pertinet iudicare de suis principiis, cùm tamen hoc non liceat scientiis inferioribus: prima autem passio licèt secundùm se non possit demonstrari de subiecto, cùm inter illa non detur medium tamen quoad nos potest demonstrari, nam definitio subiecti licèt realiter non sit medium, cùm sit idem realiter quod subiectum, tamen quoad nos siue respectu nostri est medium, nam consideratur vt quid distinctum, & ideo prima passio potest demonstrari quoad nos: hoc autem principium, ens est id quod est, quod supra diximus esse definitionem descriptiuam entis, includitur in illo priori. Quodlibet est vel non est, siue Impossibile est idem & esse non esse simul: licèt enim in inferioribus scientiis definitio obiecti sit primum principium, quia tamen Metaphysica est scientia suprema & vniuersalis, ac sapientia, respiciens aliquo modo omnes inferiores, & omnia illarum principia, habet pro primo principio illud vniuersalissimum, impossibile est idem esse & non simul, in quo alia includuntur, vel ab eo deriuantur.

Articvlvs IV.

Vtrùm Metaphysica sit sapientia?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd Metaphysica non sit sapientia. Probatur: Ex Aristotele 6. Ethicor. siue de moribus cap. 3. sunt quinque species habituum Intellectualium, scilicet ars, scientia, prudentia, sapientia, & intelligentia siue intellectus, qui est habitus principiorum: omnes autem isti habitus distinguuntur specie & consequenter vnus non potest esse alius, sicut nec vna species potest esse alia, dicunt enim rationes ex consequenti contradictoriè oppositas: sed Metaph. est scientia, vt dictũ est articulo præcedẽti: ergo non est sapiẽtia.

§ 2. Præterea, Metaphysica est Intellectus siue habitus principiorum, nam vt dictum est ad ipsam pertinet iudicare de omnibus principiis, non tantùm scientiarum inferiorum, sed etiam de primis omnino: ergo non est sapientia propter rationem assignatam.

Sed contra est expressa authoritas Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2. quem communiter omnes sequuntur Philosophi.

Conclvsio.

Cùm Metaphysicæ conueniant conditiones & proprietates sapientiæ necessariò debet concedi quòd sit sapientia.

Respondeo dicendum quòd Metaphysica est sapientia

Ad cuius euidentiam sciendum est ex Aristot. 6. Ethicor. citato, & communi doctrina dari aliquem habitum intellectualem, qui dicitur sapientia: ratio autem est manifesta, cùm enim homines non sint à natura sapientes, aliàs omnes essent tales cum sit natura communis omnibus, sed fiant tales, sequitur quòd acquirant quendam habitum qui dicitur sapientia. Sapientia autem in communi diuiditur in infusam, scilicet donum Spiritûs sancti, & aliam infusam quæ numeratur inter gratias gratis datas, & in acquisitam: sapientia quæ est donum Spiritûs sancti importat quamdam rectitudinem iudicij circa diuina conspicienda & consulenda, secundùm quamdam compassionem & connaturalitatem ad res diuinas, quæ procedit ex charitate quæ nos vnit Deo, & hæc reperitur in omnibus habentibus gratiam, nam rectè iudicant de Deo, & de rebus ac actibus humanis per regulas diuinas: sapientia autem gratia gratis data addit supra donum Spiritûs sancti quemdam gradum altiorem quantùm ad contemplationem diuinorum, inquantum qui illam habent altiora quædam misteria cognoscunt, & aliis manifestare possunt, & etiam quantùm ad directionem humanorum actuum secundùm regulas diuinas, inquantum possunt secundùm eas non solùm seipsos, sed etiam, alios ordinare, & iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam, sed tantùm est aliquibus concessus: sapientia verò acquisita est illa quæ viribus naturæ comparatur, diuiditur in sapientiam simpliciter, & sapientiam secundùm quid: vnde ille qui cognoscit causam altissimam in aliquo genere, & per eam potest de omnibus quæ sunt illius generis iudicare, & ea ordinare, dicitur esse sapiens secundùm quid, siue in illo genere. ille autem qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quæ est causa respectu omniũ, dicitur sapiens simpliciter, in quantùm per illam omnia potest iudicare, & ordinare.

Probatur conclusio. Ille habitus est sapientia, cui conueniunt omnes conditiones sapientiæ, & eius proprietates vt patet, cui enim conueniunt proprietates, conuenit & essentia: sed omnes conditiones & proprietates sapientiæ naturalis conueniunt Metaphysicæ, vt patet inductione discurrendo per omnes. Prima conditio sapientiæ est assignata ab Aristotele 1. Metaph. scilicet iudicare de omnibus per altissimas causas, hanc proponit Aristot. sub his verbis, *Primò igitur opinamur sapientem maximè omnia vt possibile est scire, non habentem singulariter eorum scientiam*: Et inferiùs ait: *Oportet etenim primorum principiorum, & causarum eam speculatiuam esse*: Quòd sine dubio conuenit Metaphysicæ, cùm enim eius obiectum sit ratio entis quæ ad omnia se extendit, consequenter de omnibus agit per prima, & vniuersalissima principia, quæ in ordine naturali sunt causæ altissimæ.

Secunda conditio quam proponit Aristoteles his verbis: *Deinde illum qui difficiliora, neque scitu facilia homini cognoscere possit sapientem existimamus*: Est agere de rebus difficillimis sublimioribus & remotioribus à sensu, quæ tamen lumine naturali possint cognosci: nam communia, & peruia sensibus, non à sapientibus solùm, sed etiam à rusticis percipiuntur, nec sapientis est minutissima quæque considerare: hoc etiam competit Metaphysicæ vt ait Aristoteles, & reddit causam his verbis, *Ferè autem & difficillima hominibus cognitu sunt ea, quæ maximè vniuersalia sunt, siquidem remotissima sunt à sensibus*, Metaphysica autem agit de vniuersalissimis & abstractis ab omni materia etiam intelligibili.

Tertia conditio, quam sic proponit Aristoteles: *Item illum qui certior, ac magis docere valens causas reddat, sapientem in omni scientia esse*, Est agere de certissimis, & secundùm se notissimis, quia sapientia debet esse cognitio maximè perfecta, cognitio autem eò e[illegible] ctior, quò certior: hoc etiam competit [illegible]
est enim omnium scientiarum certi[illegible]
circa prima principia ex se noti[illegible]
lia, à quibus certitudinem [illegible]
tur, cùm principia ip[illegible]
strentur, ipsáque [illegible]

fert rationem Philosophus hic vbi sic ait: *Scientiarum autem illæ certiores sunt, quæ maximè primorum sunt:* nam quæ sunt ex paucioribus, certiores sunt iis quæ ex additione dicuntur, vt Arithemetica quàm Geometria.

Quarta conditio, quam sic proponit Aristoteles: *Scientiarum quoque illam quæ gratia suiipsius & propter ipsum scire, quàm illam quæ aliorum gratia eligenda sit, magis sapientiam esse*, est vt sapientia expetatur propter seipsam, nec ad aliud ordinetur, quod non competit scientiis practicis quæ expetuntur propter opus: hoc etiam competit Metaphysicæ, non solum quia est scientia specularina, sed quia est perfectissima & finis aliarum, cùm eius obiectum sit maximè scibile & perfectissimum, imperfectiora autem ad perfectissima naturaliter ordinantur: hanc assignat rationem Philosophus sic, *Intelligere autem, & scire eorum ipsorum gratia, illi præcipue scientiæ inest, quæ eius est quod maxime scibile est:* maximè autem scibilia sunt ipsa prima & causæ, propter hæc enim & ex iis cætera cognoscuntur, sed non hæc per subiecta.

Quinta conditio, quam sic proponit Aristoteles: *Non enim vt sapienti præcipiatur, sed vt ille præcipiat, nec vt ille ab altero, sed vt ab eo minùs sapienti suadeatur decet*, est vt sapientia sit apta ad docendum, & ad causas rerum tradendas, quia cognitio sapientiæ est perfectissima, nulla autem cognitio est perfectissima, nisi sit per causam, non enim quiescit intellectus quantumcumque rem cognoscat, nisi eius causam apprehendat: hoc etiam competit Metaphysicæ, cùm sit prima scientiarum naturalium procedens per altissimas causas.

Sexta conditio, quam breuiter sic proponit Philosophus: *Et principaliorem, quàm ei subministrantem, potiùs sapientiam esse*, est vt sapientia ordinet alias scientias, quia cùm consideret altissimas causas, per illas de omnibus iudicat: hoc etiam competit Metaphysicæ vt ait Aristoteles, quia primas rerum causas considerat, præcipuè finalem & vltimam, cuius gratia omnia fiunt: illius autem est ordinare, cuius est respicere finem, vnde omnium directio pertinet ad Metaphysicam, inquantum ostendit primam causam, quod conuenit sapientiæ vt sic, licèt quantùm ad exercitium vt sit bonus vsus mediorum ad finem, requiratur prudentia: hanc etiam affert rationem Philosophus sic: *Principalissima autem scientiarum & principalior subministrante est, quæ cognoscat id ob quod quodque agendum est; hoc autem est bonum cuiusque, & vniuersaliter quod in omni natura optimum est:* ergo Metaphysica est sapientia.

Ad primum ergo dicendum, sapientiam & scientiam non differre tanquam duas species, sed differunt tantùm tanquam perfectum, & imperfectum, vnde scientia in communi sumpta pro habitu per demonstrationem generato, diuiditur in sapientiam & scientiam, sapientia enim est scientia perfectissima procedens per causam altissimam, scientia verò vt distincta à sapientia, importat cognitionem per causas inferiores: ita D. Thom. 1.2.q.57. art. 2. ad 1. vbi sic ait: *Sapientia est quædam scientia, inquantum habet id quod est commune omnibus scientiis, vt scilicet ex principiis conclusiones demonstret:* Sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, inquantum scilicet de omnibus iudicat, & non solùm quantùm ad conclusiones, sed etiam quantùm ad prima principia, ideò habet rationem perfectioris virtutis, quam scientia.

Ad secundum dicendum, quòd Metaphysica non est intellectus siue habitus principiorum, ad quem directè pertinet contemplari prima principia, non ordinando hanc contemplationem ad aliud: sapientia verò quæ est Metaphysica, licèt respiciat tam conclusiones, quàm principia, non tamen directè sistit in contemplatione principiorum, sed ipsam ordinat ad conclusiones: quòd si absolutè reflectatur supra principia, hoc ei competit inquantùm est prima scientiarum, & ideo ad ipsam pertinet explicare, & diiudicare non solùm conclusiones, & principia scientiarum inferiorum, sed etiam sua: vnde dicit D.Thom. 1.2.q.66. art. 4. ad 4. *Et ideo sapientia non solùm vtitur principiis indemonstrabilibus, quorum est intellectus, concludendo ex eis, sicut etiam aliæ scientiæ, sed etiam iudicando de eis, & disputando contra negantes:* vnde sequitur quòd sapientia sit secundùm quid maior virtus, quàm intellectus, quòd etiam docuerat supra q. 57. art.2. ad 2. dicens sapientiam esse principalissimam inter virtutes intellectuales, quia sub se continet intellectum, & scientiam, inquantum iudicat non solùm de conclusionibus, sed etiam de principiis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Metaphysica sit præstantior & appetibilior aliis scientiis?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd Metaphysica non sit præstantior, nec appetibilior aliis scientiis. Probatur. Illa scientia est præstantior & appetibilior aliis, quæ est, magis conformis nostro intellectui, cùm intellectus sit perfectissimum quod est in nobis, & conformitas sit causa amoris & appetibilitatis: sed Logica est huiusmodi, nam docet modum discurrendi, qui maximè conuenit nostro intellectui, cùm sit discursiuus ab intrinseco, est enim potentia naturæ rationalis siue ratiocinatiuæ: ergo ipsa, & non Metaphysica est præstantior & appetibilior aliis scientiis.

§ 2. Præterea, illa scientia est præstantior & appetibilior aliis, quæ est certior & euidentior, cùm istæ sint conditiones habitûs scientifici, vnde qui illas participat perfectiori modo, est perfectior, & consequenter appetibilior, perfectio enim siue bonitas est obiectum appetitus: sed huiusmodi sunt Mathematicæ, & non Metaphysica: ergo Metaphysica non est præstantior, & appetibilior aliis scientiis.

§ 3. Præterea, illa scientia est præstantior & appetibilior aliis, quæ agit de rebus quæ magis delectant, nos enim appetimus magis delectabilia vt patet experientia: sed huiusmodi est Physica, agit enim de rebus valde curiosis & delectabilibus, vt de anima eiúsque potentiis & operationibus, de meteoris, & aliis, Metaphysica autem agit de rebus valde abstractis, insipidis & quæ à paucis capiuntur: ergo non ipsa, sed Physica est præstantior & appetibilior aliis scientiis.

SED CONTRA est illud D.Th. 1.2.q.66.art. 5. ad 3. desumptum ex 1. Metaph. quòd scilicet illa modica cognitio, quæ per sapientiam siue Metaphysicam de Deo haberi potest, omni alij cognitioni præfertur.

CONCLVSIO.

Cùm Metaphysica agat de rebus nobilissimis & præstantissimis, præ aliis scientiis ordinis merè naturalis, est præstantior & appetibilior omnibus aliis.

RESPONDEO dicendum, quòd Metaphysica non est præstantior & appetibilior sacrâ Theologiâ, imò est multò ignobilior, tum ratione obiecti, tum ratione certitudinis: 2. est tamen præstantior & appetibilior omnibus scientiis inferioris ordinis siue quæ sunt merè naturales, simpliciter siue ex parte obiecti, & ratione certitudinis secundùm se, non verò quoad nos pro hoc statu: 3. licèt autem secundùm se sit præstantior & appetibilior, non tamen semper quoad nos. Ad quorum euidentiam sciendum est, quòd omnis homo vt ait Philosophus naturaliter scire desiderat, vnde scientiæ sunt illi quodammodo naturales, non quòd perfectè dimanent ab eius essentia in quodam esse perfecto, sicut passiones, sed quia in eius natura vel intellectu, tanquam in radice virtualiter continentur, nam homo in se habet principia scientiarum, scilicet cognitionem primorum principiorum, quibus mediis facilè addiscit scientias: dicuntur etiam homini connaturales, inquantum terminant eius appetitum, tam innatum, quàm elicitum, inter quos istæ sunt differentiæ: 1. appetitus innatus habet rationem actûs primi, elicitus vero est actus secundus siue operatio. 2. appetitus innatus non præsupponit apprehensionem rei ad quam tendit, & ideo reperitur vniuersaliter in omnibus, elicitus verò necessariò præsupponit apprehensionem rei

&

& ideo solùm reperitur in natura cognoscitiua. 3. appetitus innatus est omnino naturalis dimanans inseparabiliter ab ipsa natura vt eius proprietas, & est propensio actualis naturæ ad bonum sibi conueniens sine vllo actu secundo, elicitus verò dicitur tantùm naturalis, vel quia consequitur ipsam naturam vt illi conueniens ad eius conseruationem, vel quia licèt sit indifferens ad multa pro diuersitate boni conuenientis apprehensi, quod ipsum ratione suæ limitationis non necessitat, tamen aliquando ad modum appetitûs innati determinatur ad vnum vel quoad specificationem, quando à tali obiecto specificatur, aliàs tenderet extra suum obiectum, quod implicat, vel etiam quoad exercitium, quia non est in potestate agentis illum suspendere, sed necessariò prorumpit, siue sit actus desiderij in bonum absens, siue complacentiæ in bonum adeptum & præsens. 4. innatus mouetur tantùm ab extrinseco cognoscente finem, & dirigente ipsam naturam ad illum finem, scilicet à generante, siue authore talis naturæ, elicitus verò mouetur ab intrinseco, siue à seipso ad obiectum apprehensum: appetitus elicitus est duplex: sensitiuus, qui elicitur per potentiam appetitiuam sensitiuam, & sequitur bonum apprehensum per sensum, alter verò est rationalis, qui sequitur apprehensionem rationis vel intellectûs. & elicitur à voluntate, qui est proprius appetitus intellectualium: aliquando autem appetitus accipitur pro ipsa potentia eliciente, aliquando pro actu elicito, & ita accepimus assignando ista discrimina, & sic vel est appetitus in actu primo vel in actu secundo, siue vel in actu signato, vel in actu exercito: specialiter autem iuxta triplicem formam quam appetitus consequitur, diuiditur in triplicem: primus est appetitus naturalis propriè siue innatus, qui dicitur absolutè talis, quia consequitur ipsam formam naturalem, siue rationem formalem naturæ: secundus est sensitiuus (qui cum prædicta limitatione, sicut & rationalis potest etiam dici naturalis) qui consequitur formam apprehensam per sensum, scilicet speciem intentionalem & sensibilem: tertius denique consequitur formam intelligibilem, scilicet speciem apprehensam per intellectum: vnde in eis quæ carent cognitione, est solus appetitus innatus: in eis verò quæ habent quidem cognitionem, sed tantùm sensitiuam, est appetitus tam innatus, quàm sensitiuus: in eis denique quæ habent cognitionem etiam intellectiuam, est triplex appetitus, innatus, sensitiuus, & rationalis: & hoc quia forma superior, vt supra dictum est, continet eminenter formaliter inferiores, & consequenter proprietates earum: dicitur autem aliquid naturale 1. quòd vt in pluribus reperitur ex 2. Phys. textu 43. 2. illud ad quod tendit appetitus naturalis, siue innatus, siue elicitus 3. quod fluit à principiis essentialibus siue formalibus 4. quod fluit à principiis indiuidui: & hæc dicta sint vt ostēdatur veritas huius axiomatis, omnis homo naturaliter scire desiderat, quod intelligitur tam de appetitu innato, quàm elicito. quia scire est bonum naturæ intellectiuæ, & ideo in illud tendit continuò appetitus innatus: data etiam occasione tendit appetitus elicitus, sed aliquando sub moderatione virtutis studiositatis: qui enim scire simpliciter detrectaret, non esset homo, sed monstrum.

Item sciendum est scientias speculatiuas esse appetibiliores practicis ex Philosopho 12. Metaph. textu 39. vbi ait, ipsum mei contemplati optimum omnium esse, & magnam secum efferre delectationem: ratio huius est, quia scientiæ speculatiuæ propter seipsas expetuntur, practicæ verò propter finem, scilicet opus.

Item sciendum est dignitatem scientiæ speculatiuæ deriuari, tum ex dignitate materiæ siue obiecti, tum ex modo procedendi: quia omnis scientia speculatiua ex suo actu est laudabilis: actus autem ex his duobus sumit dignitatem, non quidem æqualiter, sed principaliter ab obiecto, vnde illa est nobilior simpliciter, quæ agit de obiecto nobiliori: si autem obiecta sint æqualis nobilitatis, illa est nobilior, quæ habet maiorem certitudinem, sed hæc nobilitas est secundùm quid. & non simpliciter: ratio huius est, quia species actûs, & consequenter habitûs desumitur ab obiecto, à certitudine autem modus & qualitas illius: nobilitas autem scientiarum practicarum desumitur à nobilitate finis, ad quem praxis, & operationes ipsarum ordinantur, si autem ordinentur ad finem æqualiter nobilem, illa est nobilior, cuius operationes proximiùs ordinantur, & attingunt illum finem, ita D. Thom. 1. p. q. 1. art. 5. & alibi sæpè. Item Philosophus 1. de anima cap. 1.

Probatur prima pars conclusionis, quæ sine dubio est certissima omnibus Catholicis. Obiectum Theologiæ est Deus vt Deus, siue sub ratione deitatis vt omnes concedunt: sed hæc ratio excedit in nobilitate alias omnes in infinitum, cùm sit superioris ordinis, scilicet supernaturalis: & licèt Metaphysica agat de Deo, de illo tamen agit vt ens est, siue sub ratione entis, quæ ratio licet sit vniuersalissima, tamen est inferioris ordinis, scilicet naturalis: Deinde Deus cùm solus per essentiam sit necessariissimus & certissimus, certitudo obiectiua Theologiæ omnes alias inferiores excedit, hæc enim certitudo sumitur à necessitate & certitudine obiecti: certitudo etiam eius formalis excedit alias, procedit enim ex principiis fidei omnino necessariis & infallibiliter certis certitudine supernaturali, per quæ principia regulatur certitudo aliorum etiam vniuersalium principiorum: ergo Metaphysica est multò ignobilior Sacrâ Theologiâ, tum ratione obiecti, tum ratione certitudinis, licèt quantùm ad euidentiam sit nobilior Theologia pro hoc statu tantùm (nam in patria Theologia erit euidentissima) sed tamen euidentia primò & per se non pertinet ad scientiam sicut pertinet certitudo.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 1. Metaph. lectione 2. & 3. & alibi. Deinde Metaphysica gaudet nobiliori nomenclaturâ præ aliis nam 1. appellatur Metaphysica, idest, Transphysica. 2. appellatur prima Phylosophia, vtique prima nobilitate, cùm vltimo loco addiscatur. 3. ipsa sola vocatur sapientia naturalis, vtique ratione excellentiæ. 4. dicitur Theologia, id est, scientia diuina, quia agit de Deo: sed hæ omnes dignitates desumuntur ex parte obiecti. Deinde illud obiectum est nobilius in ratione obiecti & scibilis, quod est magis vniuersale, & magis abstractum à materia, cùm abstractio à materia siue immaterialitas sit ratio cognoscibilitatis siue scibilitatis, tam actiuæ, quàm passiuæ ex D. Th. sed obiectum Metaphysicæ est magis abstractum à materia, cùm abstrahat ab omni etiam intelligibili, quod non competit aliis: deinde principale eius obiectum scilicet substantiæ separatæ, & inter illas Deus est quid nobilissimum & immaterialissimum: ergo ipsa est præstantior aliis ratione sui obiecti. Quòd autem sit præstantior ratione certitudinis obiectiuæ, quæ prouenit ex certitudine & necessitate obiecti, patet, nullum enim obiectum aliarum scientiarum ita est certum & necessarium, quia non ita abstrahit à materia quæ est corruptionis principium, sicut obiectum formale Metaphysicæ, cùm hoc vnicum abstrahat ab omni materia. Deinde etiam obiectum materiale principale sunt substantiæ separatæ à materia, aliæ autem scientiæ agunt de materialibus & corruptibilibus: ergo Metaphysica est præstantior aliis ratione certitudinis obiectiuæ. Quòd etiam ratione certitudinis formalis, quæ desumitur à principiis, patet, nam certitudo & firmitas principiorum aliarum scientiarum fundatur, & regulatur certitudine principiorum Metaphysicæ, cùm sint simpliciter prima, ad quæ alia omnia resoluuntur, & videmus quòd per hoc primum, quodlibet est vel non est, siue impossibile est idem esse & non esse simul, probantur omnia illa: vnde principia Metaphysicæ sunt magis certa aliis, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo Metaphysica est præstantior aliis ratione certitudinis formalis, & hoc absolutè tam quoad se, quàm quoad nos, nam primum eius principium est certissimum præ aliis, tam quoad se, quàm quoad nos, vt patet. Quòd denique Metaphysica non sit præstantior aliis scientiis ratio-

tudinis obiectuæ quoad nos, etiam patet, nam agit de rebus abstractissimis à materia & remotissimis à sensu; scilicet de substantiis separatis, de quibus non habet nisi imperfectam cognitionem, & sic non cognoscit quidditatem ipsorum nisi secundùm aliquas rationes genericas, quia vt ait Philosophus 2. Metaph. cap. 1. *quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima omnium sunt*: & ratio est quia pro hoc statu nostra cognitio sumit initium à sensibus, & sic quantò aliquid est magis remotum à sensibus, sicut sunt ea quæ abstractiora sunt à materia & vniuersaliora, eò minùs à nobis cognoscitur: & ideo Metaphysica minorem certitudinem habet obiectiuam: ergo non est nobilior, sed ignobilior aliis ratione certitudinis obiectiuæ quoad nos pro hoc statu.

Probatur tertia pars conclusionis ex D. Th. qui ait 2.2.q.18.art.7. ad 3. *Contemplatio diuinorum quæ habetur in via, etsi sit imperfecta, est tamen delectabilior omni aliâ contemplatione quantumcumque perfectâ, propter excellentiam rei contemplatæ.* Deinde omnis homo naturaliter scire desiderat: ergo maximè desiderat maximum ac perfectissimum scire, nam ideo homo scire desiderat, quia scire est eius bonum, perfectio, operatio, & finis suæ potentiæ intellectiuæ: sed maius bonum secundùm se est magis appetibile vt patet: ergo gradus appetibilitatis sequitur ad gradum bonitatis, bonum enim definitur esse id quod omnes appetunt: sed Metaphysica est scientia optima & perfectissima inter scientias naturales & eius operatio est perfectissima, & maxima hominis fœlicitas naturalis, cùm attingat obiectum perfectissimum, scilicet substantias superiores, & maximè Deum: ergo Metaphysica est appetibilior quoad se omnibus aliis scientiis naturalibus. Deinde, illud maximè est appetibile secundùm se, quod propter se, & non propter alia appetitur, & propter quod cætera appetuntur, nam propter quod vnumquodque tale & illud magis ex Philosopho 1. posteriorum textu 5. quod maximè verificatur in causa finali: sed Metaphysica appetitur propter se, nec ad vllam scientiam ordinis naturalis ordinatur, aliæ verò ad ipsam ordinantur (quamuis dicantur esse propter se, quia non ordinantur extra suum genus, nec ad finem operationis finaliter) & confirmatur. Metaphysica cùm agat de magis abstractis à materia, & consequenter de magis scibilibus, est magis speculatiua siue intellectualis, cùm lumen scientiæ lumino so quod est ex parte obiecti debeat proportionari: ergo Metaphysica est appetibilior ab intellectu, cuius inclinatio est ad lucem intellectualem tanquam ad bonum proprium naturaliter ordinata, & sic erit maior eius inclinatio ad maiorem lucem intellectualem. Hæ rationes sunt D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 5. & alibi. Ex quo sequitur non æqualiter ferri appetitum naturalem ad omnes scientias: quòd autem non sit semper appetibilior Metaphysica quoad nos pro hoc statu, patet manifestè experientiâ, videmus enim quòd varij homines ob variam complexionem indiuidualem inclinant ad varias operationes & scientias, & vnus magis in vnam, quàm alius, quia non omnes appetunt optimum, maximè quando in eius assecutione est plurimùm laboris.

Ad primum ergo dicendum, quòd Logica, licèt sit magis conformis intellectui ex parte modi tendendi in obiectum, cùm doceat modum discurrendi, tamen ex parte obiecti, quod in scientia magis attenditur, vt dictum est, est minùs conformis intellectui, quàm Metaphysica, cùm eius obiectum sit minùs intelligibile, & consequenter ipsa minùs in se appetibilis: & licèt ab illa dependeant omnes aliæ scientiæ in esse perfecto, non inde tamen sequitur esse præstantiorem & appetibiliorem, quia perfectius potest dependere ab imperfectiori, & minima ac imperfectissima contemplatio entis nobilissimi ex D. Thoma, & Aristotele est appetibilior perfectissimâ contemplatione entis inferioris & imperfectissimi, quale est ens rationis: maximè cùm omnis habitus scientificus perficiat intellectum, & sufficiat ad discurrendum aliqualiter circa proprium obiectum supposita Logica naturali.

Ad secundum dicendum, quòd Metaphysica est certior, quàm Mathematicæ vt patet ex dictis quoad se, licèt quoad nos non sit certior certitudine obiectiuâ: scientiæ autem attenduntur in his quæ habent secundùm se, hæc enim sunt intrinseca: quæ verò conueniunt illis quoad nos, sunt extrinseca, & accidentia: euidentia autem non est de ratione scientiæ, cùm multæ sint scientiæ ineuidentes, vt Theologia sacra & aliæ subalternatæ, quæ tamen intra proprios limites sine subalternante sunt veræ scientiæ: conceditur tamen Mathematicas ratione euidentiæ dicere aliquam perfectionem accidentariam supra Metaphysicam.

Ad tertium dicendum, quòd tantùm concludit Physicam esse appetibiliorem quoad nos, non ratione obiecti, quod primariò debet attendi, sed ratione extrinseci scilicet curiositatis quam præ se fert, maximè cùm non includat tantam difficultatem.

Solet hîc inquiri vtrùm omnes aliæ scientiæ subalternentur Metaphysicæ: sed breuiter respondemus ex dictis prima parte scilicet in Logica, non esse propriam sed tantùm impropriam subalternationem, nam ad hoc vt aliqua scientia sit propriè alteri subalternata, tres conditiones requiruntur. Prima, vt principia subalternatæ sint clara in subalternante, quia ordinariè sunt eius conclusiones. Secunda, vt obiectum subalternatæ sit inferius obiecto subalternantis. Tertia denique vt supra obiectum subalternantis subalternata addat differentiam accidentalem: sed ista non competunt Metaphysicæ per ordinem ad alias scientias: non enim principia aliarum scientiarum sunt conclusiones aut probantur directè, sed tantùm indirectè ducendo ad impossibile, in Metaphysica: nec obiecta aliarum scientiarum sunt ens sub hac ratione entis, sed sunt vel substantia, vel accidens: & quamuis Physica agat de ente mobili, tamen mobilitas non est differentia accidentalis, sed essentialis entis, nam ens in omnibus intrinsecè includitur, & omnia essentialiter sunt ens, si enim aliquid effugeret rationem entis, nihil esset: ergo aliæ scientiæ tantùm impropriè subalternantur Metaphysicæ.

LIBER

LIBER PRIMVS METAPHYSICÆ DE ENTE, ET PROPRIETATIBVS EIVS.

Summa.



BSOLVTIS proœmialibus, statim occurrit primus Metaphysicæ tractatus, qui est de ente, ac eius proprietatibus, tam in communi, quàm in particulari; primum enim quod est agendum in aliqua scientia, est obiecti eius naturam inquirere, & proprietates ipsius demonstrare, quod hic fiet decem immediatis quæstionibus, primò enim agetur de quidditate, & natura entis; Secundò de proprietatibus entis in communi: Tertiò de iisdem proprietatibus in particulari.

QVÆSTIO II.

De Quidditate Entis in communi.

CVM scientia debeat præsupponere de suo obiecto, quòd sit, nulla enim scientia ex propriis probat obiectum suum esse (nam eius prima demonstratio habet pro medio definitionem ipsius obiecti) & hoc maximè conuenit Metaphysicæ, cuius obiectum est ens, quòd ita est manifestum, vt nullus dubitet ens esse: vndè relictâ, quæstione, An sit? Incipimus à quæstione, Quid sit. Circa quod quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm ens dicat vnum conceptum communem, & præcisum à suis inferioribus?

¶ Secundò, Vtrùm ens sit transcendens respectu suorum inferiorum?

¶ Tertiò, Vtrùm ens sit purè æquiuocum respectu suorum inferiorum?

¶ Quartò, Vtrùm ens sit vniuocum respectu suorum inferiorum?

¶ Quintò, Qua analogia ens sit analogum respectu suorum inferiorum?

¶ Sextò, Vtrùm ens sit etiam analogum ad sua inferiora mediata?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ens dicat vnum conceptum communem & præcisum à suis inferioribus?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd ens dicat vnum conceptum obiectiuum communem, & præcisum à suis inferioribus, & consequenter actu non includentem inferiora nec modos per se & in alio, sed ab illis distinctum, ac illis communem. Ita Scotus in 1.d.3. q.3.& d.8.q.2.& communiter eius discipuli, Antonius Andreas, Bonetus, Lychetus, & alij: ex Thomistis verò Iauellus 4. Metaph. q.1. Soto hîc q.1. concl. 2. & lib. 1. Phis. q. 2. concl. 5. extra scholam verò D.Thom. Suares disp.2. Metaph. sect.2. n.8. Hortad. ibid. sect.3.& Cabedo hîc, tract. 4. disp. 3. dub. 6. Probatur 1. authoritate D. Th.1.p.q.5.a.3.ad 1. vbi sic ait: *Substantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens, applicando ens ad aliquam quidditatem seu naturam*: sed non potest intelligi contractio sine conceptu abstracto & præciso. Item q. 1. de veritate artic. 1. dicit ens esse id quod primò intellectus concipit, & in quod resoluit omnes conceptiones, & explicat modum quo contrahitur ad prædicamenta: sed hæc non possunt intelligi, si ens non habet vnum conceptum obiectiuum communem & præcisum ab inferioribus: ergo ex D. Thom. habet.

¶ 2. Præterea, Conceptus obiectiuus de quo intellectus est certus, distinguitur à conceptu de quo est dubius: sed intellectus potest esse certus de aliquo quòd sit ens, & dubius an sit substantia, vel accidens; nullus enim dubitat, quin quantitas sit ens, quidam autem dubitarunt, an sit substantia: ergo ens habet vnum conceptum obiectiuum distinctum à conceptu substantiæ & accidentis.

¶ 3. Præterea, Vel ratio entis concepta continet suos modos & inferiora disiunctim, ita vt significet immediatè aut substantiam aut accidens: vel continet coniunctim, ita vt significet & substantiam, & accidens simul; vel significat aliquid illis commune. Non primum: nam quandò fieret ista prædicatio, substantia est ens, faceret hunc sensum, substantia est substantia, vel accidens. Non secundum; aliàs ista prædicatio, substantia est ens, faceret hunc sensum, substantia est substantia & accidens, quæ omnia sunt absurda: ergo concedendum est tertium, quòd ens dicat vnam rationem siue conceptum illis communem, & ab illis præcisum.

¶ 4. Præterea, Ens non continet essentialiter suos modos, nam si contineret, de quocumque prædicaretur ens, prædicarentur etiam ipsi modi, inferius enim continet totam essentiam sui superioris, & sic superius prædicatur de illo secundùm omnia quæ continet essentialiter: falsum est autem, quòd de quocumque prædicatur ens, prædicentur etiam modi entis. aliàs qui diceret, substantia est ens, diceret, substantia est ens per se & in alio, & sic de accidente: ergo ens potest concipi ab intellectu sine suis modis, & sic habet conceptum præcisum ab illis; Confirmatur. Ens est prius natura quàm substantia & accidens, ab his enim ad ipsum valet consequentia, & non è contra: constat etiam experientiâ quòd quando nominatur ens, intellectus concipit rationem entis non descendendo ad substantiam & accidens: ergo in illo priori habet vnum conceptum ab illis abstractum: & maximè cùm primũ in vnoquoque genere sit maximè vnum ratio entis quæ est primum quod concipitur ex Aristotele, & D. Thom. 1. Phys. lect. 1. erit maximè vna.

¶ 5. Præterea, Omnia entia realia habent similitudinem, & conuenientiam in ente: ergo omnia possunt concipi & repræsentari secundùm illam præcisam rationem in qua conueniunt: ergo datur conceptus vnus obiectiuus illis communis, & ab illis abstractus.

SED CONTRA est communis opinio Thomistarum, quam docet Caietanus de nominum analogia cap. 4. & 5. & licèt videatur dicere contrarium q. 2. de ente & essentia, tamen se explicat in tractatu de conceptu entis, Ferr. 1. contra gentes cap. 34. Araujo 4. Metaph. q. 3. art. 4. Masius, & Galleg. in Logica, Sonzinas, Flandria, Nazarius: & extra scholam D. Thom. Vasques 1. p. d. 114. cap 2. Ruuius de Analogia, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm ens ſit tranſcendens intimè incluſum in ſuis inferioribus, imò omnino idem cum illis, non poteſt habere vnum conceptum illis communem, & ab illis abſtractum.

Respondeo dicendum, quòd enti non correſpondet in intellectu vnus conceptus formalis perfectus & diſtinctus, ſed imperfectus & confuſus, qui licèt entitatiuè & realiter ſit verè vnus, tamen in ratione conceptûs eſt tantùm vnus ſecundùm quid 2. nec ens dicit vnum conceptum obiectiuum ſuis inferioribus communem, nec ſignificat immediatè aliquem gradum ſiue rationem illis communem, ab eis abſtractam & præciſam, ſed immediatè ſignificat ipſa inferiora vt proportionabiliter ſe habentia inter ſe. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt conceptum eſſe duplicem: alium formalem, & alium obiectiuum: formalis eſt ipſe actus intellectûs concipientis, quo producitur ſpecies expreſſa ſiue verbum mentis, terminus conceptionis exprimens per modum verbi ipſum conceptum formalem: obiectiuus verò eſt illa ratio ſiue perfectio concepta per intellectum medio conceptu formali, quæ eſt obiectum illius actûs intellectûs, & ideo dicitur obiectiua, & repræſentatur tum ſpecie impreſſâ intelligibili quæ in intellectu gerit vicem obiecti, & antecedit conceptum formalem; tum etiam ſpecie expreſſa quæ eſt media inter obiectiuum, & formalem conceptum, exprimens vtrumque; formalem vt verbum eius ab ipſo productum: obiectiuum verò vt eius imago: de vtroque quærimus, de formali quidem, an ſcilicet enti correſpondeat vnus conceptus formalis diſtinctus à conceptibus formalibus ſuorum inferiorum, qui ſit vltimatus ſcilicet attingens ipſam rationem entis. (Non vltimatus enim attingens ipſam vocem, vel nomen entis, eſt vnus, cum ipſum nomen entis ſit ſimpliciter vnum.) De obiectiuo autem quærimus, an ex parte obiecti ens ſignificet aliquem gradum ſiue perfectionem ſuperiorem, diſtinctam à gradibus ſiue perfectionibus, quas ſignificant eius inferiora, vt concedimus in vniuocis! Conceptus autem formalis eſt duplex, vnus perfectus ſiue explicitus, & diſtinctus, alius imperfectus ſiue implicitus & confuſus: conceptus perfectus eſt ille qui attingit plura ſecundùm vnam rationem, vel gradum, ita vt immediatè & diſtinctè attingat talem gradum, ſiue perfectionem illis communem, & cuius terminus ſcilicet ſpecies expreſſa dicat & repræſentet diſtinctè illam rationem & perfectionem communem; & iſte conceptus non ſolùm eſt entitatiuè, ſed etiam formaliter in ſe, & in ſuo termino ſub ratione verbi, & imaginis ſimpliciter vnus, cùm res dicta, & repræſentata per ipſum ſit ſimpliciter vna; conceptus verò imperfectus eſt ille qui immediatè plura ſecundùm aliquam ſimilitudinem proportionalem attingit, & dicit ac repræſentat in ſuo verbo, ac proinde non attingit illa plura in vna ſimplici ratione illis commune, ſed ſecundùm ſuas proprias rationes, non abſolutè conſideratas, ſed vt dicentes adinuicem proportionem: qui conceptus licèt entitatiuè ſit verè vnus, cùm ſit vnus numero actus intellectus, tamen ratione ſui verbi ſiue in dicendo, ac proinde formaliter non eſt ſimpliciter vnus ſed tantùm ſecundùm quid, cùm res concepta non ſit ſimpliciter vna, ſed tantùm ſecundùm quid, ſiue proportionabiliter.

Probatur prima pars concluſionis. Ens ſignificat immediatè ſua inferiora, vt ſunt proportionabiliter ſimilia, & non aliquem vnum gradum vel rationem ab eis diſtinctam, & præciſam, vt ſtatim probabitur: ergo in intellectu non correſpondet enti aliquis conceptus formalis perfectus diſtinctus, & ſimpliciter vnus in concipiendo, ſed imperfectus & confuſus, & tantùm proportionabiliter vnus, aliàs eſſet falſus, aliter enim attingeret rem quàm ſit, & ita ex vnitate rei conceptæ procedit vnitas formalis conceptus.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Th. qui illam expreſsè docet 4. Metaph. lect. 1. Item lib. 10. lect. 3. de ente reſpectu ſubſtantiæ & accidentis: reſpectu verò Dei, & creaturarum 1. p. q. 13. art. 5. *Cuius hæc ſunt* verba: *neque enim in his, quæ Analogicè dicuntur, eſt vna ratio, ſicut eſt in vniuocis, nec totaliter diuerſa, ſicut in æquiuocis, ſed nomen quod multipliciter ſic dicitur, ſignificat diuerſas proportiones ad aliquid vnum:* idem docet alibi ſæpe. Ariſtoteles verò 8. Metaph. textu 16. dicit quòd ens ſtatim ſeipſo eſt ſubſtantia, quantitas, & cætera prædicamenta, non expectans aliud faciens ipſum naturas prædicamentales: ergo ex ſe non habet vnum conceptum communem ad ipſa prædicamenta, ſi enim haberet, contraheretur ad ipſa per rationes vniuſcuiuſque, idem repetit 10. Metaph. texto 8. & cum illo Commentator, & D.Th. ibidem: Porphyrius autem c. de ſpecie ſic ait: *Cùm autem ſint decem prima, communicatio nomine tantùm, haud verò & ratione ad id nomen accommodata eſt.*

Secundò, nullus gradus verè communis & præciſus poteſt eſſe tranſcendens, nam implicat quòd aliquid comparetur ad aliud vt pars ad compartem, & quod tranſcendat illud ſiue includatur in eo, aliàs non facerent compoſitionem, extra enim componentia ſe inuicem excludunt, ita vt vnum non ſit aliud, licet vniantur: & ſic nullus gradus potentialis & determinabilis poteſt tranſcendere aut includi in illis, per quæ contrahitur & determinatur, quia comparantur inter ſe vt partes: vnde etiam nullum tranſcendens poteſt eſſe gradus aut conceptus communis vt patet ex regulis conuerſionis; vniuerſalis enim negatiua conuertitur ſimpliciter: ſed ens eſt tranſcendens vt infra probabitur: ergo non poteſt eſſe gradus aut conceptus communis. Confirmatur. Ideo genus dicit vnum conceptum communem & præciſum, quia non eſt de eſſentia differentiarum, quòd enim eſt de eſſentia alicuius non poteſt verè præſcindi ab illo: ſed ens eſt de eſſentia differentiarum ſiue modorum, per quos ad prædicamenta determinantur, cùm enim ſint aliquid, ſunt eſſentialiter entia: ergo ens non dicit vnum conceptum præciſum & communem. Si dicatur, quòd genus abſtrahitur ab ſpecie, & tamen eſt de eſſentia illius: reſpondetur quòd genus non propriè abſtrahitur ab ſpecie, ſed à differentia: quòd ſi vrgeant ex communi vſu loquendi eſſe concedendum abſtrahi ab ſpecie: dicendum eſt quòd facta hac abſtractione, non remanet ſpecies ſed differentia ſpecifica, quæ eſt conceptus diſtinctus à conceptu generis: cùm ergo omne quod eſt, ſit ens, ſi abſtrahatur ratio entis, nihil remanet.

Tertiò, ſi ens habet vnum conceptum communem, eſt vniuocum & non analogum, nam ille conceptus haberet nomen commune, & ratio ſignificata per illud eſſet omnino eadem quia in ſe non includeret actu principia diſtinguentia, licèt includeret in potentia, ſicut animal quod eſt vniuocum, includit non actu, ſed in potentia rationale & irrationale, & quia actu non includit, dicit rationem omnino eandem & vniuocam: ſed ens non eſt vniuocum, at Analogum, vt infra probabitur: ergo non habet vnum conceptum communem. Multa affert Suarez vt ſe ab hac difficultate expediat: tandem in hoc reducitur ſolutio, quòd conceptus Analogus, qualis eſt conceptus præciſus entis, licèt actu non includat principia diſtinguentia, tamen ex ſe poſtulat ab intrinſeco, & non ſolùm ex parte inferiorum deſcendere ad ipſa inferiora cum quadam inæqualitate & ſubordinatione: nam per priùs, inquit, ens reſpicit ſubſtantiam & contrahitur à modo per ſe: per poſteriùs verò reſpicit accidens & contrahitur à modo per aliud: conceptus autem vniuocus ſecundùm ſe participatur æqualiter ab inferioribus. Sed contra 1. nam licèt hæc ſolutio valeret reſpectu eorum quæ participant inæqualiter rationem entis, vt reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, cùm accidens dependeat à ſubſtantia, nec ſit ens, ſed entis ens: tamen non valet reſpectu eorum, quæ æqualiter rationem entis participant, vt reſpectu Petri & Pauli: & ſic reſpectu duorum indiuiduorum eiuſdem ſpeciei ens ex aduerſariis eſſet vniuocum, cuius contrarium infra probabitur. 2. gratia dicitur quòd ens habet ex ſe communicari inæqualiter inferioribus, & per prius vni quàm alteri, hoc enim tantùm habet à ſuis mo-

dis

dis per se & per aliud, cùm videamus illud æqualiter communicari aliquibus, nempe indiuiduis eiusdem speciei: ergo si ens haberet conceptum præcisum ab illis modis, vt dicunt habere aduersarij, ex se non peteret communicari inæqualiter. 3. vel loquitur de inæqualitate actuali & formali, vel de inæqualitate radicali & potentiali: si de prima, falsum est quòd conceptus Analogus dicat inæqualitatem actualem, nam ipsa inæqualitas non competit enti vt sic, quia illam non habet respectu aliquorum inferiorum vt dictum est: si verò illam habet ratione alicuius principij distinguentis inclusi: ergo ille conceptus non est simplex nec simpliciter vnus: si loquatur de secunda, contra, nam etiam conceptus vniuocus genericus est radix inæqualitatis quæ reperitur inter species, & continet illam in potentia (vnde Philosophus docet in generibus latere æquiuocationes) nam continet in potentia & in radice differentias specierum, quæ sunt principia inæqualitatis, quod autem est radix causæ est etiam radix causati.

Quartò, ens non potest concipi præcisum à suis modis: ergo non habet vnum conceptum communem, nam cùm illi modi sint intrinsecè oppositi, & implicet eos vni & eidem rei competere, non possunt per vnum simplicem conceptum repræsentari. vnde si datur vnus conceptus entis, debet præscindi ab illis modis: probatur antecedens. Nam præcisà illà ratione entis, illi modi qui remanent vel sunt ens, vel non ens, cùm enim ens & non ens sint contradictoria, non potest fingi aliquid medium: si dicatur quòd sunt ens: ergo adhuc habent rationem entis, vnde non fuit ab illis abstracta: si dicatur quod sunt non ens: ergo nihil sunt, ac ita post abstractionem entis nihil remanet: ergo dicendum quod ens non abstrahit ab inferioribus, sed importat totum quod in illis est, licèt non exprimat: vel admittendum est aliquod ex inconuenientibus enumeratis. Deinde non rectè dicitur, quòd modi per se & per aliud nihil sint: cùm sint constitutiui substantiæ & accidentis. Confirmatur: isti modi cùm sint aliquid & consequenter ens continentur actu & formaliter in ente: ergo non possunt illud contrahere nam gradus superiores ideò possunt contrahi per inferiores, quia illos actu non continent, sed tantùm sunt in potentia ad illos recipiendos, si enim illos actu continerent, non possent ampliùs recipere, nam ideo animal contrahitur per rationale, quia non est actu & formaliter rationale, sed tantùm in potentia.

Quintò ex opposita sententia sequeretur ens posse poni in definitionibus, quod est contra Arist. 8. Metaph. textu 16. vbi sic ait: *Quare non inest in definitionibus, neque ens neque vnum*: Patet sequela, quia ex Arist. 6. Top. 2. in definitione loco generis potest poni definitio ipsius generis: sed si ens haberet vnum conceptum, suprema genera haberent veras definitiones: ergo in qualibet definitione loco generum supremorum, posset poni definitio ipsorum, in qua necessariò contineretur ens: hoc autem indicat absurdum Aristot. 3. Metaph. textu 10. vbi probat genus non esse de essentia differentiarum, quia aliàs duplici ratione intraret definitionem, scilicet ratione sui, & ratione differentiæ, quod est nugatio: sed eadem hic sequerentur si ens intraret definitiones, cùm sit de essentia differentiarum: & licèt hoc esse parui momenti indicet Suares: magnum tamen cum Aristot. iudicamus inconueniens, nam sicut partes cuiuscumque compositionis realis se inuicem excludunt, ita vt vna non possit esse alia, sic vna pars definitionis debet excludere aliam, & sic non includi in illa, partes enim definitionis componunt totum Logicum.

Sextò, si ens diceret talem conceptum, aliquid esset prius & simplicius Deo, & in eo esset compositio ex actu & potentia, & prædicamenta non essent conceptus simplices, nec essent primò diuersa vt patet; quod tamen est falsum: ergo & illud vnde ista sequuntur. Videatur pro hac ratione D. Th. 1. p. q. 3. art. 5. & 1. contra gentes cap. 42. ratione 7. maneat ergo ens non dicere vnum conceptum communem præcisum à suis inferioribus, sed immediatè significare ipsa secundùm suas proprias rationes vt proportionaliter se habentes.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Th. non loquitur de contractione simpliciter, sed pro contractione intelligit maiorem expressionem eiusdem conceptûs, quæ maior expressio est contractio secundùm quid, & hoc conuenit omni Analogo, sicut enim non abstrahitur nisi secundùm quid, sic nec contrahitur nisi secundùm quid ex D. Th. 1. contra gentes cap. 25. vnde ens dicitur contrahi ad prædicamenta, quia eamdem rem sine gradum, quem significat ens confusè & imperfectè, significat substantia & accidens distinctè & perfectè. Ad alium locum dicendum, quòd D. Th. docet ens esse primò notum & omnia resolui in illud, non quòd resoluantur tanquam in vnum conceptum simpliciter, sed in vnum analogicè & proportionaliter, vt ibidem explicat, quia non contrahitur à suis inferioribus per aliquid superadditum, sed inquantùm, ait inferiora entis exprimunt ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur.

Ad secundum dicendum, quòd non est necesse illos duos conceptus distingui simpliciter, sufficit quòd distinguantur secundùm quid penes maiorem & minorem expressionem, nam de eodem concepto vt est alteri similis, & vt imperfectè & confusè significatur, potest intellectus esse certus quòd alicui conueniat, & potest simul dubitare, an illi conueniat idem conceptus absolutè sumptus, & perfectè ac distinctè significatus.

Ad tertium dicendum, quòd ens non significat aliquem conceptum communem, sed immediatè significat substantiam & accidens secundùm proprias rationes, non absolutè sumptas vt exprimuntur nominibus substantiæ & accidentis, sed vt proportionaliter inter se similes, & hoc propriè loquendo non est significare copulatiuè, nec disiunctiuè, quia copulatio, vel disiunctio exercetur inter res absolutè sumptas: & ita quando ens prædicatur de substantia & accidente, non dicit eamdem omnino rationem, vnde quando dicimus, substantia est ens, ibi de substantia absolutè sumpta prædicatur ratio eiusdem substantiæ, vt proportionaliter similis accidenti, & similiter de accidente: hic autem est proprius modus prædicandi in analogis proportionalitatis propriæ, in quo distinguitur ab vniuoco & æquiuoco.

Ad quartum dicendum, quòd ens continet essentialiter suos modos implicitè & confusè, nec sequitur quòd de quocumque prædicatur ens, prædicentur eius modi; nam inferius continet quidem totam essentiam sui superioris vniuoci, quia vniuoca dicunt vnicam rationem: non verò si superius sit Analogum: Analogum enim non dicit vnam rationem simpliciter, sed secundùm quid vnam, & plures simpliciter: vnde Analoga quando prædicantur, recipiuntur à suis inferioribus secundùm illam rationem quam ab eis participant. Ad confirmationem dicendum quòd sicut conuenientia proportionalis, quam substantia & accidens habent in ente, sufficit vt ens sit secundùm quid superius, ita etiam sufficit vt sit prius natura, & vt audito nomine entis mens non distrahatur ad substantiam & accidens: nam ad distractionem requiritur, quòd nomen significet plura vt plura, siue rationes omninò diuersas, quod non habet ens, sicut habent æquiuoca: quando verò dicitur quòd primum in vnoquoque genere est maximè vnum, debet intelligi de primo viâ perfectionis, non ordine generationis, quod est imperfectum, natura enim incipit ab imperfectiori, vt patet in materia prima quæ habet minimam vnitatem vt patet ex Physicis.

Ad quintum dicendum, quòd omnia entia realia in ratione entis habent similitudinem & conuenientiam secundùm quid tantùm, & proportionalem, non autem simpliciter: & ita solùm sequitur habere conceptum obiectiuum abstractum vnum secundùm quid, non verò simpliciter. Ex dictis sequitur prima decem genera esse conceptus simplices, cùm ens non significet vnum gradum simpliciter in quo conueniant, vnde in eis non potest fundari vera compositio rationis, quæ sit vera compositio

positio ex doobus gradibus fiue conceptibus, ficut fundatur in generibus intermediis, licèt non possimus apprehendere illa, ficut nec alias res fimplices, nifi cum aliqua compositione ob imperfectum modum nostrum intelligendi: vnde cum dicta prima genera in nullo fimpliciter conueniant, fed tantùm fecundùm quid, funt primò diuerfa, fiue fe totis differunt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ens fit tranfcendens respectu fuorum inferiorum?

AD SECVNDVM fic proceditur. Videtur quòd ens non fit tranfcendens refpectu fuorum inferiorum, ficut nec eius proprietates. Ita Scotus in 1.d.3.q.3.& communiter eius difcipuli. Probatur. Si ens includitur in vltimis differentiis & modis constitutiuis, cùm omnia conueniant in ente, etiam in illis conuenient: ergo prædicamenta non different, vel dicendum quòd ens non includitur effentialiter in vltimis eorum differentiis.

¶ 2. Præterea, Sicut fe habet compofitum reale conflatum ex actu & potentia reali, fic fe habet compofitum rationis conflatum ex gradu potentiali determinabili & ex gradu actuali determinante: ergo ficut refolutio compositi realis non fiftit donec veniat ad puram potentiam & purum actum, fic in compositi rationis refolutione deueniendum eft ad gradum fimpliciter potentialem fcilicet entis, & ad gradum fimpliciter actualem, qui eft vltima differentia.

SED CONTRA eft authoritas D. Thom. 1. p. quæft. 13. art. 5. Item 1. contra gentes cap. 25. ipfum fequuntur eius difcipuli, & communiter Philofophi.

CONCLVSIO.

Cùm omnia quæ funt aliquid, fint effentialiter ens, neceffariò dicendum eft, quòd ens fit tranfcendens.

RESPONDEO dicendum, quòd ens nominaliter fumptum verè eft tranfcendens refpectu fuorum inferiorum, fcilicet omnium quæ funt, quod idem dicendum eft de fuis proprietatibus propter paritatem rationis: ens verò participialiter fumptum non eft tranfcendens refpectu inferiorum, nec in eorum vltimis differentiis includitur, fed prædicatur de illis accidentaliter & denominatiuè. Ad cuius euidentiam fciendum eft, quòd licèt ens non poffit propriè definiri, cùm fit res vniuerfaliffima fupra quam nihil eft affignabile per quod definiatur, illud tamen D. Thom. vtcumque explicat opufc. 42. cap. 1. his verbis: *Ens eft cuius actus eft effe.* Item quodlib. 2. q. 2. artic. 3. *Ens eft, id cui competit effe:* hæc defcriptio propriè loquendo folùm competit enti reali creato, nam enti rationis non competit effe aut exiftentia, nifi tantùm obiectiuè, nec competit Deo, nam in rigore Deus non habet effe quasi quid distinctum, fed eft ipfum fuum effe fimpliciffimum, puriffimum, & per fe fubfiftens, vnde in illo nulla eft compofitio ex actu & potentia, nec effe eius eft receptum in aliqua effentia: & fic verius dicitur Deus effe fuper omne ens, quàm effe ens: ficut autem fi daretur albedo in fe fubfiftens & feparata, non diceretur habere albedinem, fed effet ipfa albedo per effentiam, & in genere albedinis infinita, à qua effe albuna deriuaretur ad omnia alba, fic Deus, qui eft ipfum effe fubfiftens, non dicitur propriè habere effe, fed eft ipfum effe per effentiam, & in genere entis infinitum, à quo deriuatur effe ad omnes creaturas, & ideo dicuntur entia per participationem, nam verè recipiunt effe à primo ente, vnde in eis ipfum effe non eft actus purus & impermixtus, fed verè limitatus & receptus in effentia, quæ eft eius potentia; & ideò realiter diftinguuntur. Ex quo fequitur vniuerfaliffimam compofitionem in creaturis fieri ex vniuerfaliffimo actu qui eft effe fiue exiftentia, & ex vniuerfaliffima potentia quæ eft effentia fiue ens; diftinguuntur autem à D. Thom. opufc. citato ens & effentia, ficut quod & quo, eo modo quo viuens & vita, nam ficut vita eft id quo viuens viuit, fic effentia eft id quo ens eft aliquid, & ex hoc remanet clara adducta defcriptio entis ens enim propriè fignificat id quod eft, fiue cuius actus eft effe, fiue cui competit effe, non verò ipfum effe, & hoc modo eft prædicatum effentiale omnium rerum, nam potentia fiue aptitudo ad effe eft intrinfeca & effentialis cuilibet creaturæ: fi verò nomen entis fumatur non pro potentia ad effe, fed pro ipfo effe fiue exiftere, fic de folo Deo prædicatur effentialiter ex D. Thom. quodlib. 2. quæft. 2. art. 5. vbi iuxta hanc acceptionem ex mente Commentatoris docet hanc propofitionem, Socrates eft, effe accidentalem, nam cùm effe in creaturis fit ab alio participatum & receptum, neceffariò debet effe extra effentiam: ens primo modo fumptum dicitur ens nominaliter, quia in tali acceptione non exercetur ipfum effe, fed tantùm connotatur, quia fignificat potentiam illam cuius actus eft effe: ens verò fecundo modo includit ipfum effe, & idem valet quod exiftens, & dicitur ens participialiter; quia tunc exercetur ipfum effe: vnde ens nominaliter fignificat pro formali effentiam, ens verò participialiter fignificat pro formali exiftentiam.

Item fciendum eft illud dici tranfcendens, quod ita eft de effentia rerum, vt nihil in eis inueniatur, de quo formaliter non prædicetur, & non imbibatur in eius ratione, & per hoc differt ab vniuoco, quod licèt fit de effentia inferiorum, non tamen imbibitur effentialiter in differentiis, nec de illis effentialiter prædicatur. Ex hoc patet accidens effe tranfcendens refpectu nouem prædicamentorum, quia in eis nihil inuenitur, de quo formaliter non prædicetur, vnde non fignificat aliquem gradum obiectiuum illis communem, fed ipfa nouem genera fecundùm fuas proprias rationes, non abfolutè fed proportionaliter fe habentes, & ita eft Analogum proportionalitatis, propriè quidem, fi admittatur nouem genera effe intrinfecè entia & accidentia, metaphoricè verò, fi quædam confiftant in fola denominatione extrinfeca, de quo infra: & fic eadem eft omnino diuifio entis in fubftantiam & accidens, ac in decem prædicamenta, vt ait D. Thom. opufc. 42. cap. 3. his verbis: *Ens vno modo dicitur fubftantia, alio modo accidens*, & hæc eft diuifio entis per decem prædicamenta, & fic quia accidens immediatè ducit nouem genera, & non aliquem gradum illis communem, æquè immediatè & in eadem membra diuiditur ens in vtraque diuifione: tranfcendentia autem communiter numerantur præcipuè à D. Thom. quæft. 1. de veritate art. 1. Item opufc. 42. cap. 2. fex, fcilicet, ens, res, vnum, aliquid, verum, & bonum: ex quibus ens habet rationem effentiæ, quia eft primum quod præfupponitur, alia verò habent rationem proprietatis, quia fupponunt & confequuntur ens.

Probatur prima pars conclufionis ex Ariftotele 3. Metaph. text. 12. vbi probat ens non effe genus hac ratione, nullum genus prædicatur de differentiis: ens prædicatur de differentiis: ergo ens non eft genus. Ex quo fic arguitur contra Scotum: vel Ariftoteles in maiori propofitione loquitur de prædicatione formali, vel de identica: fi dicatur quòd de identica, talis maior eft falfa, nam genus identicè prædicatur de fuis differentiis cùm non diftinguatur ab illis: fi concedatur quòd loquitur de prædicatione formali, cùm in eodem fenfu debeat procedere minor propofitio ne varietur fuppofitio, fequitur quòd ens ex Ariftotele prædicetur formaliter de fuis differentiis, & confequenter intimè includatur in illis, & ita fit tranfcendens.

Secundò, ens & nihil opponuntur contradictoriè, ficut, aliquid & nihil, aut ens & non ens: (ens enim & aliquid, ficut & nihil & non ens conuertuntur) vnde nullum datur inter illa medium: ergo quidquid non eft effentialiter ens, eft omnino nihil: fed differentiæ entis realis cùm illud realiter in fe conftituant, & realiter ab aliis diftinguant, non funt omnino nihil vt patet: ergo includunt effentialiter ens, & fic ens eft tranfcendens.

Probatur fecunda pars conclufionis. Ens participialiter fumptum fignificat pro formali ipfum effe fiue exiftentiam,

stentiam, vt patet ex dictis:sed hæc non includitur essentialiter in vltimis differentiis, cùm non sit de essentia alicuius creaturæ,sed ei conueniat ab extrinseco per causam efficientem, & sit quid receptum in ipsa essentia, vt infra probabitur : ergo ens participaliter sumptum non includitur essentialiter in vltimis differentiis creaturarum, nec est transcendens, & prædicatur accidentaliter de illis, nam sicut hæc est denominatiua, homo est, siue homo est existens, sic etiam ista, rationale est, siue rationale est existens.

Ex dictis sequitur Analogiam attributionis, quam habet ens respectu suorum inferiorum, causari per dependentiam, & non per transcendentiam, quia in hac Analogia secunda Analogata suscipiunt denominationem à primo, & constituuntur per ordinem ad illud, quod formaliter prouenit non à transcendentia entis, sed ex eo quòd primo & per se significat vnum, alia verò non nisi per ordinem ad illud, in quo consistit eorum dependentia: Analogiam verò proportionalitatis propriæ, quam habet ens, formaliter causari non per dependentiam, sed per transcendentiam; quia prædicamenta aut alia inferiora entis, quæ immediatè significantur per illud vt est Analogum proportionalitatis propriæ, vt sic sunt primò diuersa, & se totis differunt, propter quod talis proportionalitas attenditur inter illa secundùm se tota, & non præcisè ratione differentiarum : sed transcendentia est causa quòd inferiora entis sint primò diuersa, & quòd inter illa secundùm se tota attendatur proportionalitas: ergo ipsa est causa talis Analogiæ proportionalitatis : si autem ens non diceret transcendentiam, posset quidem inter eius inferiora repetiri proportionalitas, vt inter numeros : sed esset diuersa ab hac quam nunc habent, & quam ipsum nomen importat : vnde hæc necessariò supponit transcendentiam, & fundatur in illa.

Ad primum ergo dicendum, quòd differentiæ propriè loquendo non conueniunt in ente, quasi ens sit aliquid vnum in quo conformentur, quod requiritur ad propriam conuenientiam, nam conuenire propriè est plura simul in vnum venire : quia ergo ens non dicit aliquem vnum gradum, in illo differentiæ propriè non conueniunt, sed sunt primò diuersæ & se totis differunt, non aliis differentiis : dicuntur autem differentiæ & prædicamenta conuenire in ente, non propriè & simpliciter, sed secundùm quid & proportionaliter : vnde ens non ideò dicitur transcendens respectu supremorum generum, quòd includatur in differentiis constitutiuis eorum, quia non habent tales differentias, sunt enim conceptus simplices primò & se totis diuersi : sed transcendentia essentialiter consistit in quadam identitate conceptûs, siue in eo quod transcendens non significet immediatè aliquem gradum distinctum ab iis, respectu quorum dicitur transcendens, sed immediatè sit ipsa secundùm omnem rationem quam habent : & ideò transcendentia melius explicatur per negationem dicendo, transcendens esse id, quod ita rebus conuenit, vt nihil in eis inueniatur, de quo non prædicetur : quamuis respectu eorum, quæ habent differentias, possit transcendens definiri, vt sit id quod imbibitur in vltimis differentiis : non solùm autem ens vt abstrahit à completo & incompleto, sed etiam ens completum est transcendens respectu supremorum generũ, quia nihil est in eis (cùm non habeant partes ex quibus componantur) de quo non prædicetur formaliter ens completũ.

Ad secundum dicendum, quòd est disparitas : nam partes compositi realis sunt verè quid vnum simpliciter: ens verò non est quid vnum, vnde prima potentia, in quam resoluitur compositum Metaphysicum siue Logicum, non est ens, sed eius primum genus : nam prima genera sunt conceptus simplices irresolubiles in alios simpliciores, licèt ob imperfectum modum nostrum concipiendi illa apprehendamus, vt quid compositum ex gradu entis & modo constitutiuo vniuscuiusque, vel quia ens secundùm quid saltem ex modo significandi distinguitur, & abstrahit à generibus supremis, eo modo quo Analoga ab inferioribus.

Summa Philosophica R. P. Philippi Carm. disc.

Articvlvs III.

Vtrùm ens sit purè æquiuocum respectu suorum inferiorum?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd ens sit purè æquiuocum respectu suorum inferiorum, & quidem in ordine ad ens reale & rationis tenent aliqui Thomistæ, Bannes 1.p.q.28.art.1. Soncinas 4. Metaph. q. 5. & 10. q. 1. Iauellus 1. Metaph. q. 1. Probatur. Ens reale & ens rationis nullam habent similitudinem, nam magis distant, quàm ens finitum & infinitum, inter quæ nulla est similitudo, distantia enim minuit similitudinem, & consequenter infinita distantia illam omnino tollit : ergo ens ad reale & rationis est purè æquiuocum.

§ 2. Præterea, Eo modo se habet ens ad reale & rationis, quomodò homo ad viuum & mortuum: sed homo ad viuum & mortuum est purè æquiuocum, nam ex Arist. 2. de anima textu 9. oculus deficiente visu æquiuocè dicitur oculus, ac proinde & homo deficiente vitâ : ergo ens ad reale, & rationis est purè æquiuocum.

§ 3. Præterea, In ordine ad ens creatum & increatum, siue respectu Dei & creaturarum, vt tenet Rabbi Moyses secundùm quòd refert D.Th. q. 7. de potentia art. 7. quia ex Arist. 10. Metaph. cap. vltimo probatur, æterno & temporali nihil est commune præter nomen, quod est proprium æquiuocorum : sed secundùm fidem Deus est æternus, & creaturæ temporales : ergo ens ad Deum & creaturas est æquiuocum.

§ 4. Præterea, Vbi est similitudo, ibi est comparatio vt patet : sed inter Deum & creaturas nulla est comparatio, quia nulla inuenitur forma communis Deo & creaturis, vel æqualiter, vel inæqualiter participata, in qua fiat comparatio, cùm Deus sit simplicissimus : sed illa sunt æquiuoca, in quibus nulla est similitudo : ergo ens ad creatum & increatum est æquiuocum. Confirmatur. Deus est causa æquiuoca creaturarum secundùm omnem rationem : ergo in nulla ratione conueniunt : plura alia argumenta refert, & soluit D.Th. loco citato & q. 2. de veritate art. 11.

§ 5. Præterea, In ordine ad substantiam & accidens probatur, Porphyrius ait c. de specie : si enim omnia quis entia vocauerit, æquiuocè non vniuocè vocauit.

§ 6. Præterea, Magis differunt substantia & accidens, quàm canis latrabilis & marinus, nam hæc continentur in eodem prædicamento, non verò illa : sed canis est quid æquiuocum respectu latrabilis & marini vt patet : ergo & ens ad substantiam & accidens. Confirmatur. Ideo canis est quid æquiuocum ad latrabilem & marinum, quia immediatè significat illos, & non aliquam rationem communem ipsis: sed etiam ens immediatè significat substantiam & accidens vt supra dictum est : ergo ens ad substantiam & accidens est æquiuocum.

Sed contra est authoritas D. Th. 4. Metaph. cap. 4. & quæst. 2. de veritate art. 11. ad 5. illum sequuntur Caietanus de nominum Analogia cap. 8. Masius, nostri Complutenses in Logica, & alij.

Conclvsio.

Cùm inter ens reale & rationis, inter Deum & creaturas, inter substantiam & accidens sit aliqualis similitudo, ens in ordine ad ipsa non est purè æquiuocum.

Respondeo dicendum, quòd ens non est purè æquiuocum ad reale & rationis 2. nec ad Deum & creaturas. 3. nec ad substantiam & accidens. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Aristotele, & communi consensu Philosophorum æquiuoca esse illa, quorum nomen idem est, ratio verò nomini accommodata, siue significata per illud nomen, omnino diuersa : vbi nota quòd æquiuoca possunt quidem conuenire in aliqua ratione, sicut canis latrabilis & marinus in ratione animalis, substantiæ &c. sed in hac ratione non sunt æquiuoca, at vniuoca: non autem possunt conuenire in ratione expressa nomine æquiuoco : hîc verò quærimus de ente in sua latissima signifi-

 catione,

catione, vt ſe extendit ad omnia, quod diuiditur multipliciter. Primò in tota ſua latitudine in ens reale & rationis. Secundò ens reale in creatum & iocreatum. Tertiò ens creatum in ſubſtantiam & accidens, ſioe in decem prædicamenta. Hæ omnes diuiſiones ſunt eſſentiales (non enim repugnat idem diuidi pluribus diuiſionibus adæquatis eſſentialibus, dummodo in illis ſit ſubordinatio, ita vt vna ſit ſubdiuiſio alterius), & ſignificant perfectiones poſitiuas: aliæ dantur diuiſiones entis, ſed accidentariæ, ſicut diuiſio entis in completum & in incompletum, poſſunt enim ambo intra eamdem ſpeciem repetiri, vt in natura humana compoſitum & partes componentes: ſimiliter diuiſio entis in ens per ſe & ens per accidens, nam ens per accidens non eſt vnum ens, ſed multa entia: item diuiſin entis in actum & potentiam, vel mrius in partes, ex qnibus componitur, vel reſpectu eiuſdem quod de potentia tranſit in actum &c.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Ariſtot. qui 4. Metaph. c. 2. inter entia, de qoibos dicit ens Analogicè & non æquioocè prædicari, numerat priuationes & negationes, quæ ſunt entia rationis: deinde ens rationis fit & cognoſcitur ad modnm entis realis, & quidquid dicitur de illo, dicitur ad ſimilitudinem & proportionem entis realis, vt patet: ergo ens non eſt purè æquiuocum ad ens reale & rationis.

Probatur ſecunda pars concluſionis anthoritate D.Th. 1.p.q.13.art.5. item 1. contra gentes c.34. & alibi ſæpè & communiter omnium Philoſophorum. Deinde ex Ariſt. 11. Metaph. c.3. ſi ens eſſet purè æquiuocum ad Deum & creaturas, non poſſet eſſe obiectum Metaphyſicæ, ſiue Deus & creaturæ non poſſent conuenire in vna ratione obiecti Metaphyſicæ, quia æquiuoca vt ſic habent rationem omnino diuerſam, nec poſſet in illo fieri contradictio, nec eſſe medium demonſtrationis, hæc enim omnia fundantur in aliqua vnitate rationis: conſtat autem quòd ens in ordine ad Deum & creaturas poteſt fundare contradictionem, & eſſe mediom demonſtrationis: ergo in hoc ordine non eſt purè æquiuocum.

Secundò, vnom æqoiuocatum non ducit ad cognitionem alterius, quia vt ſic nihil habent commune: ſed creaturæ nos ducunt ad cognitionem Dei ex illo ad Roman. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciuntur*: Ergo ens non eſt purè æquiuocum ad Deum & creaturas.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Ariſtot. 4. Metaph. c. 2. item 7. c. 8. item 11. c. 3. & D.Th. ibidem: poteſt etiam probari hæc pars eiſdem rationibus ac aliæ. Deinde inter æquiuocata nullos eſt ordo prioris & poſterioris ſecundùm nomen æquiuocum, quia ordo fundatur in aliqua ratione communi: ſed inter ſubſtantiam & accidens in ratione entis reperitur ordo, nam accidens non dicitur ſimpliciter ens, ſed entis ens. Item definitur per ſubſtantiam, & totum eius eſſe eſt ineſſe ſubſtantiæ, vnde dependet ab illa, & illam præſupponit: ergo ens non eſt purè æquiuocum ad ſubſtantiam & accidens.

Ad primum ergo dicendum, quòd eſt aliqua ſimilitudo; non quidem vniuoca, ſed Analoga inter ens reale & rationis, ſicut & inter ens finitum & infinitum: duplex autem eſt ſimilitudo vt ex Ariſtot. 2. Topic. docet D.Th. q.2. de veritate art.11. ad 2. vna qoidem inter res eioſdem generis, quando ſcilicet eadem ratio reperitur in diuerſis, & hæc minnitur per diſtantiam, & ſic non reperitur inter Deum & creaturas propter infinitam diſtantiam, vt conoincit argumentum: alia verò eſt ſimilitudo inter res diuerſi generis, quæ attenditur ſecundùm aliquam proportionem vel proportionalitatem vt quando alterum ſe habet ad alterum, ſicut aliud ad aliud, & hæc non minuitur per maiorem diſtantiam, non enim eſt maior ſimilitudo proportionalitatis inter duo & vnum, ac ſex & tria, quàm inter duo & vnum, ac centum & quinquaginta vt ibidem ad 4. ait D. Thom. & hæc poteſt ſtare cum diſtantia infinita, & ſic creaturæ dicuntur ſimiles Deo, ſed non Deus creaturis: quia vt ibidem ad 1. ait D. Thom. ex S. Dionyſio, res non dicitur ſimilis ſuæ imagini, ſicut imago dicitur ſimilis rei cuius eſt imago.

Ad ſecundum dicendum, quòd homo, & oculus ad viuum & mortuom non ſunt purè æqoiuoca: Ariſtoteles autem loco citato ſicut & alibi ſæpe, vt ſupra dictum eſt, ſub æquioocis comprehendit analoga, nam ex negatione vniuocationis infert æquiuocationem.

Ad tertium dicendum, quòd Ariſtoteles loco citato non dicit quòd æterno, & temporali nihil eſt commune præter nomen, ſed tantùm dicit quòd corruptibile & incorruptibile differunt genere, intelligit autem de genere Phyſico, ſcilicet materia prima, oon autem de genere Logico quaſi in nullo conueniant.

Ad quartum dicendum vt ſupra, quòd ſicut eſt duplex ſimilitudo, ita duplex eſt comparatio, vna inter res eiuſdem generis, & hæc fundatur in aliqua forma ab extremis participata, & eſt ſimpliciter ſimilitudo & comparatio, & propterea Ariſtoteles 7. Phyſicorum textu 30. negat comparationem inter res diuerſi generis: alia eſt comparatio ſecundùm quid, quæ ſequitur ſimilitudinem proportionalem, & hæc non dicit aliquam vnam formam ab extremis participatam, ſed tantùm proportionem vel proportionalitatem inter ea, vt ſicut ſe habet Deus ad ſuum eſſe, ita proportionaliter creatura ad ſuum: & ſimiliter dicendum ad confirmationem, quòd effectus habet aliqualem ſimilitudinem non vniuocam, ſed proportionalem, & analogam ad cauſam æquiuocam, cùm ipſa cauſa eminenter contineat quidquid eſt in effectu: dicitur autem cauſa æquiuoca, quæ non producit effectum eiuſdem omnino rationis.

Ad quintum dicendum, quòd Porphyrius ſub æquiuocis comprehendit etiam analoga.

Ad ſextum dicendum, quòd licèt canis latrabilis & marinus magis conueniant in aliis rationibus, quàm ſubſtantia & accidens in ratione entis, minùs tamen conueniunt in ratione ſignificata per nomen canis, nam aliquando in vna ratione non poteſt eſſe vlla conuenientia in rebus etiam eiuſdem generis, & aliquando in rebus diuerſi generis in aliqua ratione erit conuenientia, vt ait D.Thom. quæſt. 2. de veritate art. 11. ad 7. Ad confirmationem dicendum non ſufficere ad æquiuocationem, quòd nomen ſignificet plura immediatè, ſed debet illa ſignificare abſque conſideratione alicuius conuenientiæ, quod non contingit in ente in ordine ad ſubſtantiam, & accidens, & ſic illa cauſalis eſt falſa ſine dicta limitatione.

Articvlvs IV.

Vtrùm ens ſit vniuocum reſpectu ſuorum inferiorum?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd ens ſit vniuocum, tam reſpectu Dei & creaturarum, quàm reſpectu ſubſtantiæ & accidentis. Ita Scotus in 1. d. 3. q. 1. & 3. Item 4. Metaph. q. 1. illum ſequuntur communiter eius diſcipuli & Nominales: quamuis fortè Scotus non diſſentiat in re, ſed ſolùm io nomine, vt notat Ferrar. 1. contra gentes cap. 32. nam quid intelligat per vniuocationem, explicat his verbis: *Ne fiat contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ita eſt vnus, quòd eius vnitas ſufficiat ad contradictionem, & poteſt eſſe medium ſyllogiſticum*: Ad hoc autem ſufficit conceptus analogicus, cùm habeat vnitatem licèt minimam ex Ariſtotele 4. Metaph. cap. 2. Rationes eius præcipuæ fundantur in præciſo conceptu entis, vnde illas ſoluant, qui illum admittunt. Probatur nunc ſpecialiter. Quæ participant æqoaliter vnam rationem, ſunt vniuoca in illa ratione, vt patet ex defintione vniuoci: ſed Deus & creatura, ſubſtantia & accidens æqualiter participant rationem entis, non enim impedit æqoalem hoius rationis participationem dependentia creaturæ à Deo, vel accidentis à ſubſtantia, cùm iſta dependentia non ſit in ratione entis: ergo ens eſt vniuocum ad Deum & creaturas, ad ſubſtantiam & accidens.

§ 2. Præterea,

¶ 2. Præterea, Mensura & mensuratum sunt eiusdem rationis, nam ex Arist. 10. Metaph. textu 4. mensura debet esse homogenea, & cognata mensurato, & propterea quadratura Circuli non est nota, quia linea recta & circularis non habent aliquam mensuram vtrique homogeneam: sed perfectio diuina est mensura omnium creaturarum, tam in essendo cùm sint participationes illius, quàm in cognoscendo, cùm Deus cognoscat creaturas per suam essentiam: ergo ens ad Deum, & creaturas, est vniuocum.

¶ 3. Præterea, Ens comparatum ad Deum & creaturas, ad substantiam & accidens potest esse medium demonstrationis vt ex se patet: ergo ad ista est vniuocum: nam vnitas Analogiæ, præcipuè si excludat conceptum communem ab Analogatis, non sufficit, vt sit medium demonstrationis: nam medium debet esse vna ratio distributa quæ vniatur cum extremitatibus in præmissis, quæ ratio non potest esse, vbi non est conceptus communis.

Sed contra est communis sententia Thomistarum, & ferè omnium Philosophorum cum Aristotele, & D.Thom.

CONCLVSIO.

Cùm ens non participetur æqualiter a Deo & creaturis, à substantia & accidente, non potest esse vniuocum ad illa.

Respondeo dicendum, quòd ens non est vniuocum ad Deum & creaturas, & idem est de quocumque alio nomine significante aliquid illis commune: 2. nec etiam est vniuocum respectu substantiæ & accidentis. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Arist. & communi consensu Logicorum vniuoca dici illa, quibus nomen idem est, & ratio nomini accomodata eadem, siue quæ conueniunt æqualiter in vna ratione communi, vt homo, & equus in ratione animalis, licèt differentiæ animalis sint inæqualis perfectionis in vtroque: conueniunt autem communiter Doctores ens non esse vniuocum ad ens reale & rationis, quamuis id neget Bonetus, & alij pauci Scotistæ: quia ens reale est verè ens à parte rei, ens verò rationis non est ens à parte rei sed solùm ens obiectiuũ, & est imperfectissima quædam similitudo & vmbra entis realis, à quo in suo esse & cognosci omnino dependet: & sic ens ad reale & rationis non potest esse vniuocum.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. qui illam expressè docet 1. p. q. 13. art. 5. Item q. 7. de potentia art 7. Item q. 2. de veritate art. 11. Item 1. contra gentes cap. 32. & alibi sæpe, & colligitur ex illo Exodi 3. *Ego sum qui sum.* Item Isaiæ 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*: Ex quibus manifestè constat esse non conuenire æqualiter & vniuocè Deo & creaturis.

Secundò, quando aliquis effectus non adæquat virtutem causæ, nomen illis commune non potest esse vniuocum, quia si non adæquat virtutem causæ agentis, non recipit similitudinem eius secundùm eamdem rationem, sed deficienter, ita vt causa contineat simpliciter vnitè & vniformiter, quòd diuisim & multipliciter est in effectibus: sed creaturæ sunt effectus Dei non adæquantes in quacumque ratione virtutem eius vt ex se patet, cùm Deus sit intrinsecè secundùm omnem rationem infinitus, creaturæ verò secundùm omnem rationem finitæ, & propterea Deus respectu illarum dicitur causa æquiuoca: ergo ratio entis illis communis non potest esse vniuoca. Huic argumento respondent aduersarij solùm concludere, quòd effectus non adæquans virtutem causæ non sit cum illa in aliquo gradu vniuoco proximo & immediato, sed hoc non obstat quin in aliquo gradu remoto & vniuersaliori conueniat vniuocè cum illa, sicut aurum conuenit vniuocè cum Sole in gradu corporis & substantiæ, licèt non conueniat vniuocè cum illo in gradibus siue rationibus proximis: Sed contra. Argumentum procedit in sensu formali, scilicet quòd effectus in illa ratione secundùm quã est effectus æquiuocus, siue non adæquans virtutem causæ, non potest cum illa conuenire vniuocè, licèt in alia ratione, secundùm quam non est talis effectus, vniuocè conueniat: vt patet in exemplo allato: nam rana, aurum, & similia non sunt effectus æquiuoci Solis secundùm gradum corporis & substantiæ, vnde in illis possunt vniuocè conuenire vel clariùs intelligẽda est ratio D.Th. siue argumentum adductum de illo gradu siue ratione, secundùm quam effectus producitur à causa, & respectu cuius causa est æquiuoca: sed creaturæ sunt effectus Dei non adæquantes virtutem eius, non solùm secundùm gradus particulares, sed neque etiam secundùm rationem vniuersalissimã entis, siue Deus est causa æquiuoca creaturarum sub omni ratione etiã entis ex D.Th. 1. p. q. 45. art. 3. ergo nullũ nomẽ potest vniuocè prædicari de Deo & creaturis.

Tertiò ex D.Th. 1. p. q. 13. art. 5. Ille gradus non est vniuocus, qui non æqualiter participatur à suis inferioribus, vt patet ex definitione vniuocorum: sed gradus entis non participatur æqualiter à Deo & creaturis, nam gradus entis taliter est in Deo, vt essentialiter includat omnem perfectionem & gradum essendi, imò est ipsum esse simplicissimum sine admixtione alicuius potentiæ, aut distinctione inter essentiam & esse, independens, infinitum, illimitatum, &c. In creaturis verò alio multò inferiori modo reperitur, nam in illis esse recipitur & limitatur per essentiam finitam, vnde est in illis compositio ex potentia & actu: ergo gradus entis respectu Dei & creaturarum non est vniuocus.

Quartò sic probat D.Th. 1. contra gentes cap. 32. *Omne quod de pluribus vniuocè prædicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens: de Deo autem nihil prædicatur vt genus vt supra (scilicet cap. 26.) ostensum est: & similiter neque vt differentia, neque vt species, quæ ex genere, & differentia constituitur, neque aliquid ei accidere potest: & ita nihil de Deo prædicatur, neque vt accidens, neque vt proprium; nam proprium de genere accidentium est: relinquitur ergo nihil de Deo & rebus aliis vniuocè prædicari.* Respondent contrarij, quòd licèt ens sit vniuocum, tamen non est genus, quia includitur vt transcendens in suis vltimis differentiis. Sed contra. Nam hæc responsio seipsam destruit, quia vniuocum, vt ex propria eius definitione patet, significat rationem simpliciter vnam in inferioribus, illis communem; ergo actu non includit inferiora, aliàs esset simpliciter vna ex suppositione, & simpliciter plures, nã immediatè diceret inferiora, quod implicat. Secundò implicat vniuocum includi essentialiter in differentiis suorum inferiorum ex D.Th. 1. contra gentes c. 17. quia pars alicuius totius debet minùs dicere, quàm totum iuxta hoc axioma, totum est maius sua parte: sed si conceptus vniuocus & communis includeretur in suis differentiis, pars æquè diceret ac totum, nam totum componitur ex illo communi & differentia: ergo si differentia actu includit illud commune, ipsa quæ est pars æquè dicit ac totum, & sic vniuocum non potest includi formaliter in suis differentiis in concreto, quòd enim nõ includatur in abstracto, fatentur omnes, ens verò etiam in abstracto includitur essentialiter in suis modis, non possumus enim dicere, rationalitas est animalitas, sicut dicimus perseitas est entitas: ergo ens non est vniuocũ. Quòd si concedatur esse vniuocum, debet concedi esse genus, nam essentia generis consistit in hoc, quòd sit conceptus vnus communis pluribus essentialiter differentibus, qui contrahitur per modos & differentias constitutiuas essentialiter diuersas: sed ens esset huiusmodi respectu Dei & creaturarum; si concedatur esse vniuocum, vt patet: ergo esset genus. Non includi verò in differentiis, est proprietas consequens ad vnitatẽ conceptûs: ergo si concedatur enti essentia generis, debet etiam cõcedi ista proprietas. Quod autem ens non possit esse genus ad Deum & creaturas patet primò, nam aliàs Deus esset compositus ex genere & differentia, cuius contrarium probat D.Th. 1. p. q. 3. art. 5. nam conciperemus in Deo aliquid potentiale, & consequenter aliquid quod non esset Deus, quia illud esset in potentia, vt per differentiam contrahentem reciperet esse deitatis. Secundò quia ratio generica secundùm se non est perfectiori modo in vna specie, quàm in alia, vnde homo non est perfectius animal inquantum animal præcisè quã alia animalia: sed Deus simpliciter loquẽdo est perfectius ens etiam inquantum ens, quam creaturæ, quia solus Deus

habet omnem perfectionem entis in ſe vnitè & eſſentialiter, quod nulli competit creaturæ: imò creaturæ poſſunt dici non entia, vel quia aliquando nihil fuerunt, & ex nihilo factæ ſunt, vel quia deſunt illis multæ perfectiones entis; vel quia ratio entis quam habent, eſt ſubiecta variis mutationibus: ergo ens non eſt genus ad Deum & creaturas.

Probatur ſecunda pars concluſionis anthoritate Philoſophi 4. Metaph.cap.2.item 7.cap.1.& 4.item 11.cap.2. item 1. Ethic. cap. 6. & etiam D.Th. & cap. 2. de ente & eſſentia. Deinde ſi ens eſſet vniuocum ad ſubſtantiam & accidens, eſſet genus reſpectu illorum ut viſum eſt: ſed ens cum includatur in vltimis differentiis, non poteſt eſſe genus, vt ſupra etiam 1. parte probatum eſt: ergo non eſt vniuocum ad ſubſtantiam & accidens.

Secundò, ratio vniuoca participatur æqualiter ab inferioribus, id eſt ſine dependentia vnius ab alio in tali ratione: ſed ratio entis non participatur æqualiter à ſubſtantia & accidente, nam in ratione entis accidens dependet à ſubſtantia, definitur enim per ſubſtantiam ex Ariſt. 7. Metaph. cap.1. imò non vocatur ſimpliciter ens, ſed entis, id eſt, ſubſtantiæ ens: ergo ens non eſt vniuocum ad illa. Reſpondet Suares accidens non dicere habitudinem ad ſubſtantiam, nec ab illa dependere in quantùm ens, ſed in quantùm accidens. Sed contra. Nam hæc reſponſio deſtruit Analogiam attributionis, in qua ſecunda analogata, non ſolùm ſecundùm proprias rationes, ſed etiam ſecundùm rationem Analogam in qua conueniunt, depẽdent à primo, & definiuntur per illud, vt infra patebit. Contrariatur etiam Ariſt. 7. Metaph. cap. 1. vbi accidentia ideo dicit entia, quia ſunt entis, & inde infert accidentia in concreto eſſe magis entia quàm in abſtracto, quia in concreto connotant ſubſtantiam, à qua recipiunt rationẽ entis: vbi Comment. com. 3. dicit quòd ſedens & ſtans non dicuntur entia ſine ſubſtantia: ergo accidens in ratione entis dependet à ſubſtantia. Contrariatur etiam D.Th. 1. Periher. lect. 8. & alibi, nam expreſsè affirmat inter accidens & ſubſtantiam eſſe prioritatem & dependentiam, non ſolùm ſecundùm proprias rationes, ſed etiam in ipſa ratione communi entis: ergo accidens non ſolùm in quantùm accidens, ſed etiam in quantùm ens definitur per ſubſtantiam, & ab illa dependet. Contrariatur denique ſibi ipſi Suares, nam vt ſupra vidimus, admittens conceptum entis, dicit eſſe analogum & non vniuocum, quia ex ſe poſtulat, ait, deſcendere inæqualiter ad ſubſtantiam & accidens, & cum ſubordinatione ſecundùm prius & poſterius, ita quòd ipſa ratio entis deſcendat ad accidens media ſubſtantia: ergo debet concedere non præciſè rationẽ accidentis, ſed ipſam etiam rationem entis participari ab accidente cùm ſubordinatione & dependentia à ſubſtantia: & ita accidens inquantùm ens definiri per ſubſtantiã.

Ad primum ergo dicendum, quòd creaturæ dependent à Deo ſecundùm omnem rationem, etiam entis, cùm ſecundùm omnem rationem ab illo procedant, vt à cauſa æquiuoca: imò in ratione entis, cùm ſit vniuerſaliſſima, & debeat correſpondere cauſæ vniuerſaliſſimæ, à ſolo Deo dependent, cùm in aliis rationibus ab aliis cauſis etiam dependeant. In ordine ad ſubſtantiam & accidens patet ex dictis, qualiter ens vt ens inæqualiter ab illis participatur.

Ad ſecundum dicendum cum D.Thom. q.7. de potentia art.7. ad 1. Item 1.p.q.13. art.5. ad 3. Ariſt. eſſe intelligendum de menſura commenſurabili & proportionata, & non de incommenſurabili & excedente, qualis eſt Deus reſpectu creaturarum, nomen enim menſuræ primò ſignificat id per quod certificamur de quantitate alicuius, quod debet eſſe proportionatum: deinde translatum eſt ad ſignificandum id omne per quod certificamur de aliis, quod illa poteſt excedere, & hoc modo Deus eſt menſura creaturarum, quia cùm ſit origo totius perfectionis, ex maiori, vel minori participatione ipſius certificamur de maiori, vel minori perfectione creaturarum. Ad illud de cognitione dicendum, quòd licèt diuina eſſentia ſit alterius rationis in eſſendo; eſt tamen eiuſdem rationis in repræſentando: imò ex D.Th. loco citato quantò ſpecies intelligibilis eminentius & nobilius eſſe habet, tantò perfectiori modo repræſentat.

Ad tertium dicendum, quòd vt aliquid ſit medium demonſtrationis, ſufficit quòd ſit vnum Analogicè, & quòd in illo inferiora habeant identitatem proportionalem: nam vt aliquid ſit medium demonſtrationis, ſufficit quòd poſſit integrè coniungi cùm extremis & diſtribui vnicâ diſtributione pro omnibus inferioribus, ad quod ſufficit proportionalis conuenientia eorum: nam eo ipſo quòd aliquid ſequitur ad rationem vnius, vt proportionaliter ſe habet ad aliud, idem etiam ſequitur proportionaliter ad rationem alterius: ſicut ſi ex immaterialitate animæ rationalis ſequitur ipſam eſſe intellectualem, proportionaliter in Deo ſequitur quòd ſit intellectualis ex immaterialitate, licèt tantùm Analogicè conueniant in immaterialitate Deus & anima rationalis. Ex dictis ſequitur ens reſpectu quorumcumque non poſſe eſſe vniuocum, quia includitur in vltimis differentiis eorum, & cùm ex alia parte non ſit purè æquiuocum, manifeſtè conſtat eſſe analogum: ad maiorem tamen euidentiam Analogiæ tam neceſſariæ in omni materia, fusè tractabimus ſequens difficultas.

Articvlvs V.

Qua Analogia ens ſit Analogum reſpectu ſuorum inferiorum?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd ens non ſit Analogum proportionalitatis propriæ ad Deum & creaturas, ad ſubſtantiam & accidens, ſed tantùm Analogum attributionis. Ita tenet Suares diſp. 28. Metaph. ſect. 3. n.11. Item diſp. 32. ſect.2.n.12. Probatur. Conditiones Analogiæ attributionis, & Analogiæ proportionalitatis ſunt omnino oppoſitæ & contradictoriæ vt patet: ergo non poſſunt eidem conuenire, & ita cùm ens ſit analogum attributionis, non poteſt eſſe Analogum proportionalitatis propriæ.

§ 2. Præterea, Analogum proportionalitatis non ſignificat analogata vnicâ impoſitione, ſed pluribus: ergo cùm ens hoc non habeat, nec reſpectu Dei & creaturarum, nec reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, non eſt Analogum proportionalitatis.

§ 3. Præterea, Vera Analogia proportionalitatis includit aliquid metaphoræ & improprietatis: ſicut ridere dicitur de prato per translationem metaphoricam, aliàs cum inter vniuocata ſit vera proportionalitas, inter illa eſſet vera Analogia proportionalitatis, quod eſt abſurdum: ſed ens reſpectu Dei & creaturarum, reſpectu ſubſtantiæ & accidentis nihil includit metaphoræ aut improprietatis: ergo non eſt Analogum ad illa Analogiâ proportionalitatis.

§ 4. Præterea, Videtur quòd licèt ens ſit Analogum vtraq; Analogiâ reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, tamen non ſit Analogum Analogiâ attributionis reſpectu Dei & creaturarum. Ita Caiet. c.2. de ente & eſſentia q.3. concl.1. Probatur authoritate D.Th. q.2. de veritate art.11. vbi id expreſsè dicit & probat, quia proportio, & non proportionalitas importat determinatum exceſſum inter res inter quas inuenitur: ergo cùm inter Deum & creaturas non ſit determinatus exceſſus, ſed infinitus, nulla poteſt eſſe proportio, ſed tantùm proportionalitas, & conſequenter nec Analogia attributionis, quæ proportionem importat, ſed tantùm proportionalitatis propriæ.

Sed contra eſt authoritas D. Th. qui admittit in ente vtramque Analogiam, illum communiter ſequuntur Philoſophi, Maſius noſtri Complutenſes.

Conclvsio.

Cùm enti conueniant reſpectu ſuorum inferiorum conditiones, & proprietates vtriuſque Analogiæ, eſt Analogum vtraque Analogiâ ad ſua inferiora.

Respondeo dicendum, quòd ens eſt Analogum vtraque analogiâ, ſcilicet attributionis & proportionalitatis propriæ,

propriæ, respectu entis realis & rationis. 2. Etiam respectu Dei & creaturarum. 3. Denique respectu substantiæ & accidentis. Ad cuius euidentiam sciendum est Analogiam esse nomen Græcum, quod idem est ac Latinè proportio, comparatio, siue proportionalitas: illa autem appellamus proportionata, siue proportionalia, quæ cùm simpliciter sint diuersa aut inæqualia, habent tamen aliquam similitudinem aut æqualitatem: vnde nomen Analogiæ inuoluit diuersitatem siue inæqualitatem, simul cum aliqua conuenientia & similitudine, & ideo etiam extenditur ad significandam quamcumque inæqualitatem rationis, vndecumque proueniat, sicut illam quæ est in generibus ratione differentiarum contrahentium sed hic modus Analogiæ est imperfectus, nec tollit vniuocationem, quia non reperitur in ipsa ratione communi secundùm se (nam in ea æqualiter conueniunt inferiora) sed ratione differentiarum illam contrahentium, quæ cùm sint inæquales, faciunt quòd habeat perfectius esse in vna specie, quàm in alia: vnde huiusmodi appellantur à D.Th. in 1.d.19.q.5.art.2. ad 1. Analoga secundùm esse, & non secundùm intentionem, appellantur etiam Analoga Physica, quia talis inæqualitas est secundùm esse & perfectionem realem, non verò secundùm rationes præcisas & abstractas: dicuntur etiam Analoga inæqualitatis, licèt enim in omni Analogia sit inæqualitas, tamen nomen diuisi aliquando sine addito applicatur imperfectiori membro diuidenti. Analoga in hac lata significatione sic definiuntur, sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen partim est eadem, & partim diuersa: & hæc definitio est communis omnibus Analogis: Analoga autem Physica sic specialiter definiuntur, sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est omnino eadem, inæqualiter tamen participata: quia tamen hæc sunt Analoga impropria, ideo de his hactenus satis, vt deinceps agamus de Analogis propriè dictis scilicet Logicis, siue secundùm intentionem, quæ sic definiuntur, Analoga sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen simpliciter est diuersa, & secundùm quid eadem: cùm enim Analogia dicat rationem partium eamdem, & partim diuersam (mediat enim inter vniuocationem & æquiuocationem) non potest esse, quòd illa ratio sit simpliciter in se vna, nam cùm idem simpliciter & diuersum simpliciter opponantur contradictoriè, non possunt vni rationi simplici conuenire. Nec ratio analoga potest dici simpliciter vna, & secundùm quid diuersa, aliàs non distingueretur ab vniuocis, quæ ratione differentiarum includunt aliquam diuersitatem, potest autem fieri quòd rationes diuersæ simpliciter habeant aliquam identitatem secundùm quid, & inter se assimilentur ratione alicuius attributionis, vel proportionalitatis.

Analogia Logica communiter diuiditur in Analogiam attributionis siue proportionis, & in Analogiam proportionalitatis: ita Arist. 1. ethic. 6. D.Th. q. 1. de veritate art. 2. Caietanus de nominum Analogia c. 2. & 3. vbi ex mente D.Th. 11. Metaph. lect. 3. definit Analoga attributionis, esse illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum, sicut sanum conuenit tam animali, quàm medicinæ, aëri, vrinæ, &c. respiciunt autem eumdem terminum scilicet sanitatem, sed tamen diuersimodè, nam animal vt subiectū eius, medicina vt causa, aër vt conseruatiuus, vrina vt signum: dicitur autem hæc analogia attributionis, vel quia principale analogatum dat denominationem aliis, vel quia analogata minùs principalia attribuuntur principaliori analogato, & reducuntur ad illud tanquam ad propriam mensuram & radicem, ex qua ratio significata per nomen deriuatur ad ipsa: dicitur etiam analogia proportionis, ad distinctionem analogiæ proportionalitatis, quia non proportio, sed proportionalitas requirit quatuor terminos, qui tamen non sont necessarij in analogia attributionis: dicitur etiam ab Aristotele, & D.Th. loco citam analogia ab vno, vel ad vnum, nam analogata minùs principalia procedunt vt à causa efficiente ab vno scilicet à principaliori, & ad illud tanquam ad finem ordinantur, hæc enim analogia in omni genere causæ reperitur, possunt enim plura secundùm aliquam vnam denominationem habere diuersimodè attributionem, vel ad vnum finem, sicut omnia sana ordinantur ad animal, vel ad vnum efficiens, sicut omnis medicatiua procedunt à Medicina, vel ad vnum exemplar, sicut bonum per se est exemplar boni per aliud, vel ad vnum subiectum, sicut ens quod est accidens ordinatur ad ens quod est substantia vt ad subiectum: dicitur tandem à D.Thom. in 1.d.19. q.5. art.2. ad 1. analogia secundùm intentionem, & non secundùm esse, quia in ea ratio significata licèt referatur ad omnia analogata, tamen non habet esse nisi in vno, eo modo quo infra explicabitur, intentio enim sanitatis, inquit D. Thom. refertur ad animal, vrinam, & dietam diuersimodè secundùm priùs & posteriùs, non tamen secundùm diuersum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali. In hac analogia potest dupliciter comparari analogum ad analogata ex D.Th. 1.p. q.13. art. 5. & q. 7. de potentia art.7. Primò si comparetur ad omnia analogata, tunc enim vnum suscipit denominationem per ordinem ad alterum principale: & propterea dicitur analogia vnius ad vnum vel ad alterum (siue analogatum minùs principale sit vnum vel plura,) sicut cùm ens comparatur ex vna parte substantiæ, & ex alia parte quantitati, qualitati, &c. tunc enim vnum membrum diuidens suscipit denominationem per ordinem ad aliud. Secundò si analogum comparetur ad sola analogata minùs principalia, & tunc vnum non respicit denominationem per ordinem ad alterum, sed ambo per ordinem ad aliud tertium, scilicet ad principale analogatum, & appellatur à D.Th. analogia multorum ad vnum, vel duorum ad aliquod tertium: & hæc comparatio sufficit ad causandam veram analogiam: nam licèt analogum comparatum ad secunda analogata æqualiter illa denominet, non ideo est vniuocum respectu illorum, quia talia analogata suscipiunt denominationem per ordinem ad primum, quod in rei veritate continetur sub diuiso talis diuisionis.

Analoga proportionalitatis sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est similis secundùm proportionem. Ita Caietan. in suo opusc. cap.3. vt principium dictum de corde respectu hominis, & de fundamento respectu domus: ista enim ratio principij proportionaliter dicitur de corde, & de fundamento, nam sicut fundamentum principiat domum sic cor principiat hominem: appellatur hæc analogia proportionalitatis, quia versatur circa quatuor terminos: Item vocatur à D.Thom. in 1. d.19. q.5. art. 2. ad 1. analogia secundùm intentionem & esse, quia ratio significata refertur ab intellectu ad omnia analogata, in quo conuenit cum analogia attributionis, & habet esse in vnoquoque quia intrinsecè reperitur cum omnibus, quando proportionalitas est propria, in quo distinguitur ab analogia attributionis: hæc autem analogia proportionalitatis est nobilior aliâ, quia in ea propiùs intercedit proportio & comparatio, quam nomen analogiæ significat. Diuiditur in analogiam proportionalitatis propriæ, & proportionalitatis metaphoricæ, quæ in hoc differunt, quòd in prima ratio significata per nomen analogum, intrinsecè reperitur in omnibus analogatis, vt sicut se habet substantia ad suum esse, ita accidens ad suum, nam ratio entis in vtroque intrinsecè repetitur: in analogia verò proportionalitatis metaphoricæ, ratio significata intrinsecè est in vno, & extrinsecè in alio, sic risus est analogum ad risum hominis & ad viriditatem prati, quia sicut se habet risus hominis ad hominem, ita viriditas se habet ad pratum, in quo ratio significata per nomen risus extrinsecè tantùm reperitur.

Tres assignantur conditiones analogiæ attributionis, & totidem sed oppositæ analogiæ proportionalitatis. Prima conditio analogiæ attributionis est, vt fiat secundùm denominationem extrinsecam tantùm, ita vt ratio signi-

ficata per nomen analogum tantùm ſit intrinſecè & formaliter in primo analogato, in aliis verò per extrinſecam denominationem, ita Ariſtotales 11. Metaph. lect.3.apud D.Th. & patet in ſano, ſanitaa enim ſolùm eſt intrinſecè in animali, in aliis verò extrinſecè, vt in ſigno, in cauſa, &c. cui D.Th. loco citato comparat ena his verbis: *Ens ſimpliciter dicitur id quod in ſe habet eſſe, ſcilicet ſubſtantia, alia verò dicuntur entia, quia ſunt huius quod per ſe eſt, vel paſſio, vel habitus, vel aliquid huiuſmodi: non enim qualitas dicitur ens, quia ipſa habeat eſſe, ſed quia per ipſam ſubſtantia dicitur diſpoſita eſſe: & ſimiliter eſt de aliis accidentibus, & propter hoc dicitur quòd ſunt entis.* Idem docet in principio 4. Metaph. & alibi ſæpe, & patet ex ipſa definitione huius analogiæ, analoga enim attributionis ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ ſecundùm illud nomen eſt eadem ſecundùm terminum, diuerſa verò ſecundùm diuerſaa habitudines ad illum: ſed ille terminua quem reſpiciunt, eſt ſolùm intrinſecè in principali analogato, & extrinſecè in aliis, vt patet in exemplo de ſano. Confirmatur. Nam iſta analogia dicitur attributionia, quia in ea ſecunda analogata ſuſcipiunt denominationem analogi per attributionem ad principale analogatum: ſed dici aliquid tale per attributionem ad aliud extrinſecum, eſt dici tale extrinſecâ denominatione: ergo in analogia attributionis ratio ſignificata per nomen eſt tantùm per extrinſecam denominationem in omnibua analogatis excepto principali. Non tamen hinc licèt inferre accidens non habere intrinſecè entitatem, hoc enim abſurdum eſſet dicere, ſed dicimua quòd licèt accidens in ſe ſit verè ens, tamen ſi conſideretur formaliter ſecundùm quòd eſt analogum attributionis, inuenitur in eo extrinſecè tantùm ratio entia. Secunda conditio eſt ex D.Th.4. Metaph.lect.1.Item 1. 2. q. 20. art. 3. ad 3. quòd ratio ſignificata per nomen analogum attributionis ſit vna non ſolùm ratione, ſed etiam numero, ſaltem negatiuè, & per hoc differt ab vniuocia, nam ratio vniuoca licèt ſecundum rationem ſit vna, tamen realiter à parta rei multiplicatur, vel ſaltem petit multiplicari quantùm eſt in ſe, niſi ſit aliunde repugnantia, ſcilicet ex parte indiuiduorum, vt poſtea dicetur de Angelis: eadem verò ſanitas numero, quæ eſt realiter in animali, denominat extrinſecè alia ſana. Tertia conditio eſt, quòd primum analogatum ponatur in definitione cæterorum, & ambæ hæ conditiones ſequuntur ex prima, vnde qui definit medicinam vt ſanam, dicet eſſe cauſam ſanitatia animalis: eaſdem conditioaea habet analogia proportionalitatis metaphoricæ.

Analogiæ verò proportionalitatis propriæ aſſignantur omnino oppoſitæ differentiæ ſiue conditiones. Prima eſt quòd hæc analogia neceſſariò ſit ſecundùm denominationem intrinſecam vtriuſque analogati, ita D. Thom. 5.Ethic.lect.17. & communiter eioa diſcipuli, & fere omnes alij, non quòd hæc ratio ſignificet vnum conceptum communem, ſed ſic explicamus dicendo quòd nomen analogum proportionalitatis propriæ immediatè ſignificat ipſa Analogata ſecundùm ſuas proprias rationes non abſolutè ſumptas, ſed vt proportionaliter ſe habentes adinuicem, inquantum vnumquodque fundat habitudinem ad ſuum eſſe, ſimilem habitudini quam fundat alterum: vnde ſicut eſſe vniuſcuiuſque Analogati eſt illi intrinſecum, ita Analogum ſignificans proportionaliter vtrumque, ſignificat rationem quæ eſt intrinſeca in Analogatis: & ratio eſt, quia tunc aliqua propriè dicuntur proportionaliter eadem, quando inuenitur æqualitas proportionum inter illa, ad hoc autem eſt neceſſe vt in vnoquoque ſit verum & intrinſecum fundamentum proportionalis conuenientiæ. Secunda conditio quæ ex prima ſequitur, eſt quòd ratio ſignificata per nomen analogum proportionalitatis, non ſit vna, nec ſecundùm rationem, nec ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſed ſit multiplex, & ſolum vna ſecundùm proportionem. Tertia conditio eſt, quòd in his Analogatis vnum non definiatur per alterum, ſed definitio vniua ſit proportionaliter definitio alterius, & quòd ibi Analogum ſit quid ſuperius Analogatis, & vt tale diuidatur & prædicetur de illis.

Plures aliæ ſunt proprietates & conditiones Analogorum, quæ ex dictis inferuntur & explicantur: & primò habetur ratio, cur in Analogia attributionis & proportionalitatis metaphoricæ ſecundaria Analogata definiantur per primum, eſt quia ad hoc vt aliquid definiatur per aliud, neceſſe eſt quòd in ſua eſſentia dependeat ab illo, quod contingit in his Analogiis, in Analogis verò proportionalitatia propriæ habitudines, ſiuè proportiones ſunt æquales: & ita neutra dependet ab altera, & conſequenter ipſæ rea inter quas attenditur proportionalitas ratione iſtius Analogiæ, non dicunt dependentiam vnde vna non definitur per aliam. Secundò, infertur in Analogia attributionis & proportionalitatia metaphoricæ Analogum per ſe ſumptum ſtare pro famoſiori, non verò in Analogia proportionalitatia propriæ, quia hoc Analogum æqualiter ſignificat omnia Analogata cum proportionalitate, quia ratio Analoga eſt intrinſeca in omnibua, in aliis verò, cùm ratio Analoga ſit ſolùm intrinſecè in primo Analogato, ideo illud ſolùm primariò & diſtinctè, alia verò ſecundariò & confuſè ſignificantur, prout à primo denominantur. Tertiò infertur Analogum attributionia & proportionalitatia metaphoricæ non poſſe eſſe medium demonſtrationia, bene tamen Analogum proportionalitatis propriæ, quia in hac Analogia æqualiter ſignificantur omnia, & ratio ſignificata eſt intrinſeca in omnibua, & ideo Analogum poteſt diſtribui æqualiter pro omnibus ſecundùm aliquid intrinſecum: in aliia verò, quia ratio ſignificata eſt ſolùm intrinſecè in vno, ideo Analogum non poteſt diſtribui ſecundùm aliquid intrinſecum pro omnibua, vnde præmiſſa in qua prædicatur de ſecundo Analogato ſemper eſt contingens, & ſic æquiualet duplici termino. Quartò infertur Analogum diſtingui ab Analogatia, non vt conceptua præciſus ab illis, ſed ſecundùm diuerſum modum concipiendi, vnde ſubſtantia nomine ſubſtantiæ dicit ipſam rationem ſubſtantiæ ſecundùm ſe conſideratam, nomine verò entia dicit eamdem prout fundat ſimilitudinem cum accidentibus, vel terminat habitudinem ipſorum, cum hac tamen differentia quòd in Analogis attributionia & proportionalitatia metaphoricæ, nomini Analogo correſpondet vnua conceptus ſimpliciter vnus & re & ratione, ſed non diſtinctus à primo Analogato, quia illud ſolùm propriè & diſtinctè, alia verò quaſi de connotato & confuſè, inquantum ad primum ordinantur, ſignificat: in Analogis verò proportionalitatis propriæ tot ſunt conceptua obiectiui, quot Analogata, cum quadam tamen proportionalitate inter ſe, quam non dicunt ipſa Analogata ſecundùm ſe, & ratione cuius Analogum diſtinguitur ab Analogatia ſicut rea vt ſimilia alteri, diſtinguitur à ſeipſa abſolutè concepta, quod eſt diſtingui ſecundùm quid. Quintò infertur ab Analogis non poſſe abſtrahi vnum conceptum communem ſimpliciter, vt iam probatum eſt: de Analogis attributionis & proportionalitatia metaphoricæ patet, quia ratio ſignificata non eſt intrinſecè, niſi in vno: de Analogis proportionalitatia propriæ etiam patet, quia proportionalis conuenientia intimè includit differentiam, ſiue diuerſitatem Analogorum, aliàs non eſſet conuenientia proportionalis, ſed identitas: datur tamen vnua conceptus ſecundùm quid, inquantum diuerſi conceptus Analogatorum ſunt vnum in proportione, & ratione huiua dicitur abſtrahere ab Analogatis, & eſſe quid ſuperius reſpectu illorum, licèt vnitaa Analoga ſit omnium minima. Sextò infertur Analogiam attributionia & proportionalitatis metaphoricæ cauſari per dependentiam ſecundorum Analogatorum à primo, à quo ſecundùm illud nomen omnino dependent, non verò Analogia proportionalitatis propriæ vt ſic, nam proportionea quaa importat, ſunt inter ſe omninò æquales, & abinuicem independentes, quamuis aliundè poſſint habere adinuicem ſubordinationem & dependentiam: in hac autem Analogia ſolùm attenditur æqualitas proportionum, & licèt relationes

proportionis

proportionis vel proportionalitatis possint esse eiusdem rationis vniuocæ, eorum tamen fundamenta possunt esse diuersæ rationis, vt in istis Analogis, & etiam possunt esse primò diuersæ, ex Aristotele cap. 7. de prædicamentis proportio autem definitur ab Euclide libro 5. Elementorum sic: *Proportio est certa duarum quantitatum eiusdem generis vnius ad alteram habitudo*, Vel breuius ex D.Thom. 5. Ethicor. lect. 5. *Proportio est habitudo vnius quantitatis ad alium*: Proportionalitas verò ab eodem Euclide ibidem sic definitur, *Proportionalitas est similitudo seu comparatio multarum proportionum*: Vel clarius ex Aristotele sic definit D.Thom. eodem loco, *Proportionalitas est æqualitas proportionis, cùm scilicet æqualem proportionem habet hoc ad hoc, & illud ad illud.* Videatur Caietanus in suo opusculo, & nostri Complutenses in sua Logica totâ disputatione decimâ.

Probatur prima pars conclusionis. Ens rationis definitur per ens reale, & dependenter ab illo cognoscitur ac fit: ergo verè illi attribuitur, & per ordinem ad illud denominatur. Deinde valet hæc proportionalitas, sicut se habet ens reale ad suum esse, sic se habet ens rationis ad suum: ergo ens ad illa est Analogum vtraque Analogiâ, in dictis enim consistit essentia vtriusque Analogiæ.

Probatur secunda pars conclusionis de Analogia proportionalitatis, ex D.Thom. locis citatis, vbi admittit inter Deum & creaturas proportionalitatem, quam dicit non minui per quamcumque distantiam. Deinde non solùm Deo conuenit intrinsecè ratio entis, sed etiam intrinsecè reperitur in creatura, vt patet, non autem vt est Analogum attributionis, vt etiam patet ex dictis: ergo vt est Analogum proportionalitatis. De Analogia etiam attributionis ex D.Th. 1. part. quæst. 13. art. 5. & quæst. 7. de potentia art. 7. vbi negans inter Deum & creaturas Analogiam multorum ad vnum, siue duorum ad aliquod tertium, expressè concedit Analogiam vnius ad alterum, siue vnius ad vnum, qui modus, vt vidimus, est Analogiæ attributionis. Deinde Deus dicitur ens per essentiam, creaturæ verò dicuntur entia per participationem, & ab entitate Dei possunt entia denominari extrinsecè, inquantum sunt vestigia Dei, & ordinantur ad illum: ergo cùm in his consistat ratio Analogiæ attributionis ens, ad Deum & creaturas est analogum Analogiâ attributionis, & consequenter vtraque Analogiâ.

Probatur tertia pars conclusionis de Analogia attributionis ex Aristotele & D.Thom. 4. Metaph. lect. 1. Item libro vndecimo lect. 3. Deinde, accidens in ratione entis dependet essentialiter à substantia, & per illam definitur, estque effectus eius non adæquans virtutem agentis, & ad ipsam ordinatur tanquam ad finem: sed hæc omnia pertinent ad analogiam attributionis: ergo ens ad substantiam & accidens est analogum analogia attributionis. Confirmatur. Substantia dicitur ens, quia habere esse simpliciter, accidentia verò dicuntur entia præcisè, quia sunt vel eius dispositiones, vel mensura, vel passiones, vnde potiùs dicuntur entis, quàm entia vt ait, D. Thom. & Aristot. ergo ens significat rationem, quæ est eadem secundùm terminum, diuersa verò secundùm diuersas habitudines ad illum, quod est definitio analogiæ attributionis. De analogia verò proportionalitatis ex D. Th. & Arist. 12. Metaph. lect. 4. Item in 1. d. 19. q. 5. art. 2. ad 1. Deinde, ratio entis non inuenitur extrinsecè in accidente secundùm omnem considerationem, aliàs accidens à parte rei esset nihil, nec ens posset esse medium demonstrationis: ergo secundùm aliquam considerationem accidens habet veram, & intrinsecam entitatem, secundùm quam possis attendi in illo proportionalitas propria respectu substantiæ: ergo cùm illam non habeat, vt analogatum attributionis, illam habet vt analogatum proportionalitatis: ens ad substantiam, & accidens est analogum vtraque analogiâ.

Ad primum ergo dicendum, quòd opposita & contradictoria possunt eidem conuenire secundùm diuersam rationem vt patet: & ideo cùm ens consideretur diuersimodè secundùm vtramque analogiam, non est mirum si diuersæ, & oppositæ conditiones iuxta vtramquamque analogiam ei conueniant.

Ad secundum dicendum, quòd antecedens est verum de analogo proportionalitatis metaphoricæ, non verò analogo proportionalitatis propriæ.

Ad tertium dicendum, quòd antecedens est falsum, cuius probatio peccat non distinguens inter rationes communes secundùm quas attenditur vniuocatio, & rationes proprias secundùm quas attenditur proportionalitas: peccat etiam in hoc quòd non distinguit analogiam proportionalitatis in propriam, & metaphoricam, exemplum allatum est analogum analogiâ proportionalitatis metaphoricæ, ens verò est analogum analogiâ proportionalitatis propriæ.

Ad quartum ex authoritate, & ratione D. Th. dicendum ex doctrina eiusdem D. Th. vt supra, quòd sicut est duplex mensura, ita & duplex proportio. Prima est propria & in rigore vt est passio quantitatis, quæ sequitur determinatum excessum, quia est certa habitudo duarum quantitatum, & à proportione sic accepta negat D. Th. desumi analogiam attributionis inter Deum & creaturas, vt patet ex eius ratione. Secundò potest latiùs sumi proportio, vt se extendit ad quascomque res, inter quas est dependentia in aliquo genere, vel quia vna definitur per aliam, vel quia ab illa recipit esse, vel quia ad eam vt ad finem ordinatur: & hoc modo verè est inter Deum & creaturas analogia proportionis ab vno, vel ad vnum, nam omnes creaturæ ab vno Deo procedunt, & ad vnum Deum ordinantur, & hanc analogiam concedit D. Th. locis supra citatis: vnde ratio proportionis primò & per se denotat mensuram, & quia vna quantitas non potest esse mensura alterius, nisi habeant inter se determinatum excessum, ideo etiam secundariò illum importat: vnde si verè detur aliquid, quod possit esse mensura alterius quod infinitè excedit, tunc remanebit proportio, cùm inter illa reperiatur id quod proportio primariò importat, scilicet ratio mensuræ, licet non sit id quod secundariò importat, scilicet determinatus excessus, & hoc est in præsenti: dicimus tamen quòd nomina, in quibus potest reperiri analogia inter Deum & creaturas, non sunt illa quæ ex se dicunt infinitam & illimitatam perfectionem, vt omnipotens, æternus, immensus &c. hæc enim non sunt communicabilia creaturæ, nec illa quæ simpliciter dicunt imperfectionem, vt finitum, temporale, &c. hæc enim non conueniunt Deo, illa verò quæ dicunt ex se perfectionem limitatam, vt Petra, Leo &c. quæ sunt propriè in creaturis & in Deo metaphoricè, possunt fundare analogiam proportionis metaphoricam, illa tandem quæ in suo conceptu dicunt simpliciter perfectionem, abstrahendo à finita & infinita, vt ens, sapiens, iustus &c. fundant has analogias inter Deum creaturas, & illa per prius dicuntur de Deo, si attendatur res significata, si verò attendatur modus significandi, quem semper comitatur aliqua imperfectio, per priùs dicuntur de creatura ex D.Th. 1. p. q. 13. art. 6. In triplici autem genere causæ fit analogia inter Deum & creaturas, quia dependens à Deo in triplici genere causæ, scilicet finalis, efficientis, & exemplaris, vt notat Caiet. 1. p. q. 13. art. 6. Similiter quia accidens depender à substantia in genere causæ finalis, efficientis, & materialis, ex D.Thom. 1. p. q. 77. art. 7. in hoc triplici genere causæ inter illa est analogia attributionis, quamuis ad eam frequentiùs attendatur dependentia in genere causæ materialia, vt ex Commentatore notat Caietanus loco citato; quia nomen (ens) videtur magis significare istam dependentiam.

Articvlvs VI.

Vtrùm ens sit etiam analogum ad sua inferiora mediata?

AD sextvm sic proceditur. Videtur quòd ens non sit analogum, sed vniuocum ad sua inferiora mediata, siue in ordine ad naturas vniuocas, scilicet respectu duarum specierum eiusdem generis, vt respectu hominis & leonis,

leonis, vel etiam respectu duorum indiuiduorum eiusdem speciei, vt respectu Petri & Pauli. Ita tenent Fonseca, Zumel, & aliqui attribuunt Caietano. Probatur. Ratio genetica & specifica prædicantur vniuocè de speciebus & indiuiduis, vt patet: sed ens est idem cum ratione generica & specifica, vt etiam patet: ergo dicitur vniuocè de speciebus & indiuiduis.

§ 2. Præterea, In his quæ dicuntur secundùm analogiam saltem propriam, vnum membrum per alterum definitur: sed vna species non definitur per aliam, nec vnum indiuiduum per aliud: ergo ens ad illa non est propriè analogum.

SED CONTRA est communis sententia Thomistarum cum D. Thoma locis supra citatis.

CONCLVSIO.

Cùm ens intimè includatur in vltimis differentiis, tum specificis tum indiuidualibus suorum inferiorum, est analogum etiam ad sua inferiora mediata.

RESPONDEO dicendum, quòd ens non est vniuocum, sed analogum ad sua inferiora mediata: 2. inter quæ si nulla sit essentialis dependentia, est tantùm analogum proportionalitatis. 3. si autem sit talis dependentia, est analogum vtraque analogiâ attributionis & proportionalitatis. Ad cuius euidentiam sciendum est ex supradictis ens diuidi. Primò in ens reale & rationis. Secundò ens reale in creatum & in increatum. Tertiò ens reale creatum immediatè in substantiam & accidens, siue in decem prædicamenta, vndè sunt Immediata entia inferiora: mediata verò sunt diuersæ species substantiæ & accidentis, & quantò magis inferiores, tantò magis sunt mediatæ, & adhuc indiuidua eiusdem speciei sunt inferiora entis magis mediata, quia ens per plura media, scilicet per gradus omnes superiores ipsum per determinatas expressiones contrahentes, ad illa descendit, & de illis prædicatur. Iam egimus de ente per ordinem ad sua inferiora immediata, nunc agimus per ordinem ad inferiora mediata: in indiuiduis autem eiusdem speciei est duplex perfectio, vna essentialis & coalescit ex omnibus gradibus essentialibus superioribus, & maximè ex differentia specifica, & hæc perfectio esse ipsa quidditas & essentia rei, ac repetitur æqualiter in omnibus indiuiduis eiusdem speciei, nam essentiæ rerum vt ait Aristoteles in Metaphysica sunt sicut numeri, quibus si aliquid addas vel detrahas, eorum species mutantur: alia perfectio est indiuidualis, quæ consistit in differentia indiuiduali, siue in quodam modo substantiali (quem aliqui vocant hæcceitatem) solâ ratione distincto à differentia specifica, quo ipsa natura specifica contrahitur ad sua indiuidua, & hæc perfectio inæqualiter reperitur in indiuiduis, vt patet ex dictis supra secunda secundæ: hæc autem inæqualitas perfectionis indiuidualis prouenit ex varia perfectione formarum substantialium non quidem essentiali sed substantiali: differentiæ verò essentiales specierum sunt ab intrinseco inæquales, & in nullo conueniunt vniuocè, quia species rerum, cùm essentialiter differant, debent esse inæquales in perfectione essentiali, nam per hoc differunt quòd magis vel minus perfectè sunt participatione diuinæ perfectionis: hæc autem inæqualitas non prouenit à rationibus genericis, cùm genera sint vniuoca, & æqualiter secundùm se participata ab inferioribus, & sic prouenit à differentiis specificis contrahentibus genera, & constituentibus species: hæc inæqualitas perfectionis essentialis reperitur inter omnia genera accidentium, ita vt quodlibet prædicamentum accidentium sit perfectius alio, quia accidens est Analogum ad nouem prædicamenta vt vidimus: ratio autem Analoga inæqualiter participatur ab Analogatis, & hoc maximè quando inter illa est Analogia attributionis, quæ causatur per dependentiam: & per hoc excluditur opinio Suaris dicentis accidens esse vniuocum, & non Analogum ad nouem prædicamenta, si enim esset vniuocum, esset genus, & consequenter non esset nisi vna categoria accidentium, quod est contra Aristotelem qui nouem constituit accidentium categorias, quas Porphyrius c. de specie vocat genera generalissima, genus autem generalissimũ est illud supra quod non datur aliud.

Probatur prima pars conclusionis. Illa natura quæ dicitur, non de his tantùm in quibus sua inferiora conueniunt, sed etiam de his in quibus differunt, non est vniuoca, at Analoga, quia natura vniuoca dicit vnum simpliciter conceptum communem & præcisum, in quo cùm sit simpliciter quid vnum, conueniunt inferiora, & nullo modo differunt, impossibile est enim aliqua in vno conceptu simplici simul conuenire & differre: sed ens non solùm dicitur de his, in quibus duæ species & duo indiuidua conueniunt, at etiam de his in quibus differunt, cùm sit transcendens & essentialiter includatur in omnibus, quæ aliquo modo realiter sunt, vidimus enim quòd ens non potest habere conceptum abstractum respectu cuiuscumque, sed includitur & imbibitur in vltimis differentiis & modis: ergo ens non est vniuocum, sed Analogum ad sua inferiora mediata. Nec mutatur natura rei per hoc qoòd prædicatur mediatè vel immediatè, nam animal, siue prædicetur immediatè de duabus speciebus, vel mediatè de indiuiduis duarum specierum, vt de hoc homine & illo leone, vel de indiuiduis eiusdem speciei, cùm præscindat ab omnibus illis, semper est vniuocum: & similiter dicendum de naturis æquiuocis, vt de cane tum respectu terrestris & marini in communi, tum respectu huius terrestris & huius marini: ergo pari ratione idem est de Analogis. Hæc ratio habet vim contra Fonsecam, nam dicit ens non esse vniuocum ad Deum & creaturas, ad substantiam & accidens, quia imbibitur in vltimis differentiis suorum inferiorum, nec potest ab illis abstrahere: sed ens æqualiter imbibitur in vltimis differentiis & modis suorum inferiorum mediatorum: ergo respectu illorum non potest esse vniuocum sed Analogum, cùm vtrobique sit par & eadem ratio.

Probatur secunda pars conclusionis. Analogia attributionis causatur per dependentiam inter aliqua, inquantum vnum definitur per aliud, & ordinatur ad illud, vt supra dictum est: ergo ens ad illas species & indiuidua, quæ ad inuicem non dicunt dependentiam, nec vnum definitur per aliud (quod reperitur in speciebus æqualiter diuidentibus aliquod genus, vt in homine & leone, ac indiuiduis eiusdem speciei) non est Analogum attributionis.

Probatur tertia pars conclusionis de Analogia proportionalitatis. Ratio entis est intrinseca in omnibus, & est ista proportionalitas inter species & indiuidua, quòd sicut se habet vnum ad suum esse, sic se habet aliud: ergo ens ad ista est Analogum proportionalitatis. De Analogia autem attributionis, dantur aliquæ species essentialiter subordinatæ ad alias, & ab illis dependentes, & hoc ordinariè reperitur in prædicamentis, nam situs dependet à quantitate, relationes à suis fundamentis &c. dantur etiam quædam indiuidua ab aliis dependentia, vt indiuidua specierum inter se dependentium: ergo ad ista ens est analogum attributionis.

AD primum ergo dicendum, quòd ens non solùm dicit rationes genericas & specificas, sed etiam dicit differentias indiuiduales, cùm non habeat vnum conceptum ab inferiotioribus abstractum, vnde non est vniuocum ad species sicut ratio generica, nec ad indiuidua sicut ratio specifica.

AD secundum dicendum, quòd illa conditio est analogorum attributionis tantùm, & dicimus reperiri inter illas species & indiuidua, ad quæ ens est analogum attributionis, vnde si quis definiat relationem æqualitatis & inæqualitatis, debet ponere in definitione quantitatem, quia ab illa dependet.

QVÆSTIO III.

De Proprietatibus entis in communi.

POSTQVAM actum est de quidditate siue essentia entis, occurrit agendum de eius proprietatibus, quæ essentiam inseparabiliter consequuntur, & primò de illis agemus in communi iuxta methodum

dùm cōmpoſitionis, quæ eſt optima ad tradendas diſciplinas, circa quod quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm ens habeat proprietates reales?

¶ Secundò, Quid dicant formaliter proprietates entis?

¶ Tertiò, Quot ſunt proprietates entis?

¶ Quartò, Quem ordinem habent inter ſe proprietates entis?

Articvlvs I.

Vtrùm ens habeat proprietates reales?

AD primvm ſic proceditur. Videtur quòd ens non habeat proprietates reales. Ita Funſeca 4. Metaph. cap. 2. quæſt. 5. ſect. 2. Iauellus ibidem, Petrus Niger q. 7. clypei: dicunt enim iſti, ens quidem habere veras proprietates, quæ reciprocantur & conuertuntur cum ipſo, ſed eſſe quid rationis, quia important de formali reſpectum rationis, aut negationem ſuperadditam enti. Probatur. Proprietates entis comparantur ad ens, ſicut proprietates ſubſtantiæ ad ſubſtantiam vt patet: ſed proprietates ſubſtantiæ non ſunt reales, at ſunt tantùm quædam notiones, quæ nihil reale dicunt in ſubſtantia, ſed tantùm rationem eius magis explicant: ergo ens non habet proprietates reales.

¶ 2. Præterea, Iſtæ proprietates nihil reale ſuperaddunt enti: nam illud quod ſuperaddunt, vel eſt ens, vel non ens. Si primum, ergo non eſt quid ſuperadditum enti, ſed eſt ipſum ens. Si ſecundum, cùm illud quod non eſt ens, ſit omnino nihil, nullum enim reale ſubterfugit rationem entis, ſequitur quòd non ſunt proprietates reales: ergo ens non habet proprietates reales.

¶ 3. Præterea, Nullum eſt prædicatum reale, in quo ſubſtantia & accidens vniuocè conueniant, vt patet ex Ariſtotele & communi conſenſu Thomiſtarum, aliàs eſſet genus ad ſubſtantiam & accidens, & ſic non eſſent decem prima genera: ſed ſi ens haberet proprietates reales, eſſet aliquod prædicatum reale, in quo ſubſtantia & accidens vniuocè conuenirent, nam ratio veri & boni (quæ ſunt proprietates entis) vniuocè reperitur in omni ente, cùm enim verum & bonum ſint ſpecificatiuum intellectus & voluntatis, ipſéque intellectus ſit potentia vna ſpecie, & ſimiliter voluntas, ſequitur verum & bonum eſſe quid vnum ſpecie & vniuocè, nemo enim dat quod non habet, vnde cùm iſta dent vnitatem ſpecificam & vniuocam aliis, illam in ſe præhabent: ergo ens non habet proprietates reales.

Sed contra eſt authoritas D. Th. q. 1. de veritate art. 1. vbi aſſignat enti pro veris & realibus proprietatibus, iſtas quinque quæ denotantur hac dictione R E V B AV ſcilicet Res, Aliquid, Vnum, Verum, & Bonum, illum ſequuntur Flandria 4. Metaph. q. 1. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 3. Soncinus q. 17. & 18. Araujo & communiter Thomiſtæ præterea Albertus magnus 4. Metaph. tract. 1. cap. 2. communiter Scotiſtæ, & alij.

Conclvsio.

Cùm ens ſit obiectum ſcientiæ ſpeculatiuæ ſcilicet Metaphyſicæ, veras habet proprietates, quæ cùm reperiantur à parte rei in omni ente, ſunt proprietates reales.

Respondeo dicendum, quòd ens habet veras proprietates. 2. & verè reales. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ad veram proprietatem realem quatuor requiri. Primum vt ſit quid reale, ſi enim non ſit quid reale non poteſt eſſe proprietas realis. Secundum, vt aliquo modo diſtinguatur ab eſſentia rei cuius dicitur proprietas, quia ſi eſt omnino idem cum eſſentia, non erit proprietas ſed ipſa eſſentia. Tertium, vt adæquet eſſentiam rei, ſiue conuertatur cum eſſentia cuius eſt proprietas, nam ſola proprietas quarto modo eſt vera proprietas, ipſa autem cùm profluat ab eſſentia, & habeat neceſſariam connexionem cum illa, conuenit omni, ſoli & ſemper, & ideo adæquat eſſentiam. Quartum vt in ſuo conceptu formali non exprimat rem, cuius eſt proprietas, poteſt enim includere, ſed non exprimere ſuo conceptu, prout illi correſpondet in quantùm eſt proprietas, aliàs nec re, nec ratione diſtingueretur ab ipſa re cuius eſt proprietas: non tamen ad veram rationem proprietatis requiritur vt realiter diſtinguatur ab eſſẽtia rei, cuius eſt proprietas, ſed ſufficit inter illa diſtinctio aliqua rationis, ita vt noſter intellectus cōcipiat in aliqua re cum fundamento aliquid per modũ eſſentiæ & ſubiecti, & aliquid per modũ actualitatis & perfectionis connexæ neceſſariò & naturaliter cum tali eſſẽtia, illámque actuantis, & ita tum ex eminentia diuinæ ſubſtãtiæ, tum ex infirmitate noſtri intellectûs cōcipimus in Deo eſſentiam & multa attributa, ſcilicet omnipotentiam, immenſitatem, &c. per modum eiuſdem cuiuſdam perfectionis & proprietatis talis eſſentiæ: deinde Ariſtot. aſſignat proprietates etiam quarto modo omnibus prædicamentis, vt infra patebit: & tamen conſtat quòd non diſtinguntur realiter ab ipſis, ſed ſola ratione.

Probatur prima pars concluſionis ex Porphyrio cap. de proprio. Illud eſt vera proprietas, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper, & conuertibiliter prædicatur: ſed vnum, verum, bonum conueniunt omni & ſoli enti, & ſemper, & prædicantur conuertibiliter de illo, vt patet: ergo ens habet veras proprietates.

Secundò, omne obiectum alicuius ſcientiæ ſpeculatiuæ debet habere veras proprietates, tota enim ſcientia in hoc verſatur, vt demonſtret proprietates de ſuo obiecto: ſed ens eſt obiectum veræ ſcientiæ ſpeculatiuæ ſcilicet Metaphyſicæ, vt probatum eſt: ergo ens habet veras proprietates; aliàs nihil eſſet certum in Metaphyſica.

Tertiò, licèt Deus ſit ſimpliciſſimus & actualiſſimus, habet tamen vera attributa, quæ ſunt veræ eius proprietates ſecluſis imperfectionibus: ergo à fortiori ratio entis, quæ non eſt ita ſimplex & actualis, habet veras proprietates. Ipſa autem diſtinctio rationis, quæ requiritur inter eſſentiã & eius proprietates, non debet eſſe adæquata: ſed ſufficit quòd proprietates ex modo ſignificandi dicant expreſſè aliquem modum ſecundùm rationem ſuperadditum, quem ipſum ſubiectum expreſſè, formaliter, & diſtinctè non importet.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Verũ & bonũ, formaliter loquendo, dicunt reſpectus reales tranſcendentales ad intellectum & voluntatem, nam verum dicit reſpectum cognoſcibilitatis, ſiue potentis conformari intellectui & terminare illius cognitionem, bonum verò reſpectum appetibilis, ſiue potentis terminare appetitum, qui reſpectus ſunt reales, nam intellectus & voluntas terminantur ad aliquid reale, tanquam ad obiectum primariũ, à quo realiter ſpecificantur. Et licèt intellectus per habitum Logicæ tendat ad verum rationis, tamen illud eſt quid ſecundarium reſpectu intellectus, quod patet, nam apprehenditur ad modum entis realis. Deinde eſſe res bonas & appetibiles veras & cognoſcibiles eſt aliqua perfectio in ipſis rebus, ſi ſumantur radicaliter: ergo ſunt verè proprietates reales.

Secundò, in primo ente in quo eſt minor diſtinctio, & maior vnitas cum ſuis proprietatibus, veritas & bonitas verè habent rationem proprietatum & attributorum realium, & non eſſentiæ, nam eſſentia Dei formaliter conſiſtit in intelligere per ſe ſubſiſtente, quod eſt eſſe per ſe naturæ intellectiuæ, quod explicatè & formaliter non dicunt veritas & bonitas, ſed illud conſequuntur vt perfectiones reales infinitæ: ergo etiam in aliis rebus creatis veritas & bonitas erunt proprietates reales; nam veritas & bonitas creata menſurantur à diuina veritate & bonitate, quarum ſunt participationes. Deinde diſtinctio rationis inter eſſentiam Dei & diuinam veritatem ac bonitatem ſufficit, vt iſta habeant rationem proprietatis realis, ſicut eadem diſtinctio rationis ſufficit inter ſubſtantiam aliáque prædicamenta, & inter proprietates illis aſſignatas ab Ariſtot. vt verè illorum dicantur proprietates reales: ergo ſimiliter hic ſufficit inter ens & vnum, verum, bonum, vt iſta ſint verè proprietates reales.

Ad secundum dicendnm, quòd istæ proprietates superaddit enti aliqnid reale vt dictum est, quod licèt realiter & identicè sit ens; formaliter ramen est qnidam respectus transcendentalis, ad intellectum si lnquimur de verò, & ad vnluntatem si lnquimur de bono, qui respectus est realia: & licèt de illn formaliter prædicetur ens, illud tamen non exprimit formalitatem entis, nec actum essendi, sed quandam modnm ipsius.

An tertinm dicendum, quǹd potentia cùm sit altior & vniuersalior habitu, pntest respicere nbiectum vniuersalius: & sic intellectus respicit vetnm, & vnluntas bonnm, quæ sunt valde vniuersalia & transceudentia: nec potest diei quòd sint vniuoca, sed sunt analoga, sicut & ens cuius sunt proprietares: non tamen iuxta illam rationem analogam specificant tales potentias, specificatiuum enim debet esse vnum specie, vt det vnitatem speeificam, sed speeificant vt substant modn tendendi harum potentiarum, sic enim habent rationem obiecti formalis, ad quod pertinet specificate tum potentias, tum habitus vt dictum est supra priina parte: eodem auteio modo tendit voluutas ad bonum, siue sit substantiale, siue accidentale, ereatum vel increatum, dummodo ad hoc diuinitus eleuetur: & similiter intellectus respectu veri siue substantialis, siue accidentalis, creati vel iocreati, intellectus enim tendit speculando, & voluntas appetendo, qnæ speculatio & appetitns quantùm est ex se, habent vnam rationem respectu omnium, nisi per habitus (qui sunt priucipia proxima) diuersificetur: quia tameo potentiæ sunt voiuersalintes habitibus, ideo specificatiuum earnm non necessariò est vnum specie infimâ, sed sufficit quòd sit vniuocum, licèt potentia sit vna specie infimâ formaliter, nam vittualiter est quid superius & adæquat obiectum suum, cùm habeat plures specie habitus, per quos illud dinisum in varias ratiooes attingit.

Articvlvs II.

Quid dicant formnliter propriet ates entis?

Ad secvndvm sie proceditur. Videtur quòd proprietates eutis dicant formaliter aliquid distinctum ab ente ex natnta rei. Ita tenet Seotus 4. Metaph. cap. a. Item in r. d. 3. q. a. & 3. & communitet eius discipuli. Probatur. Si proptietates entis non dicerent aliquid ex natura rei distinctum ab eote, essent omoino idem realiter cum ente: sed hoc est absurdum, aliàa cùm dicimus ens est vnum, esset propositio identica, idem enim nmnino prædicaretut de seipso, æquiualeret enim isti, ens est ens: ergo proptietates entia dicunt formaliter aliquid distinctum ab ente ex natuta rei.

¶ 2. Præterea, Ante omnem operatiooem intellectùs hæc propositio, ens est vnum, verum, bnoum, est formalis & vera, vt patet, nam licèt nullus esset io Mundo iotellectus, esset vera: sed quicquid prædicatur formaliter de alio independenter ab intellectu, distioguitnt à parte rei, & ex natura rei ab illo, idem enim non prædicatur de seipso nisi identicè: ergo prnprietates entis dicunt formaliter aliquid distinctum ab ente ex natura rei.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. q. r. de veritate art. r. Ipsum sequuntur communiter eius discipuli, & plures alij.

Conclvsio.

Cùm nihil extrinsecum possis addi enti, omnia enim sunt intrinsecè entia, & ens est transcendens ad omnia, seqnitnr quòd proprietates entis non dicant aliquid ex nasura rei distinctnm ab ente.

Respondeo dicendum, qnod proprietates entis non sunt meræ negationea, ant respectns ratioois. a. sed pro materiali dicunt ipsum ens. 3. pro formali verò aliquid reale in ente 4. sed non distinctum ab ipso realiter, ant ex natura rei, aut à parte rei: hnc autem qnod dicunt, est modus quidam ipsius entis, qui non exprimitur nomlne entis: vnde Vnnm dieit ens vt indioisum, qood licès dicatur nomine negatiuo, tamen significat quid positiunm. Verum dicit ipsum ens vt conueniens intellectui. Bonum autem ipsum ena vt conneniens vnluntati vt appetibile: & ideo istæ proprietates enarctant ens à suo conceptu vniuersali ad aliquem eius mndum, siue conceptum particularem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd non snlùm nomina positiua, sed etiam sæpe nnmina negatiua significant res, vel entitates positinas. ratin huius est, quia nnster intellectus, vt ait Philosophus, se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus nnctuæ ad radios Solis, inde est quòd pro hnc statu nnn potest illa percipere vt sunt in se propter suam emiuentiam, & ideo potius percipit quid noo sunt, quàm quid sunt, quod fit per nomina negatiua excludendo ab illis imperfectiones, quæ io inferioribus reperiuntur, & ita dicimus Deum infinitnm, immensum, immortalem, increatum &c. quæ dicunt in Deo perfectiones verè positiuas.

Item sciendum est quòd non omnia realia realiter inter sedistinguuontur, quòd plusquam certum est, nam in homine sunt plurea gradus superiores verè reales, tamen realiter identificati, scilicet animal, vinens, corpus, substantia. & ens & similiter in Deo sunt plures perfectiones reales & realiter quæ tamen non distinguuntur realiter ab eius essentia; hæc autem multiplicitas non est in rebus secundùm se, sed prouenit ex nostro iotellectu (cum fundamento tamen in ipsa re) qui immediatè non intuetur essentias rerum, quæ sunt quid simplex & incomplexum, maximè si loquamur de Deo, sed illas intuetur in suis effectibus & proprietatibus, quæ cùm sint diuersæ rationis, & oporteat causam præbabere quidquid est in effectu, inde est quòd io causa multiplicat etiam varias rationes: si autem ipsas res quidditatiuè & intuitiuè per suam speciem adæquatam videret, nnn formaret plures conceptns partiales & inadæquatns, sed vnum totalem & adæquatom, cùm essentiæ rerum coosistant in indiuisibili.

Item sciendum est prnprietates entis esse in duplici differétia, quædam sunt simplices, quæ vnico termiuo exprimuntur, vt vnum, verum, bonnm, quædam verò complexæ disiunctiuæ, qnæ exprimnntur pluribus terminis siue propositiooe disiunctiuâ, omne ens est creatum vel increatum, finitnm vel infinitum: de his hîc non quærimns, sed tantùm de primis, licèt ex dicendis de vtrisque possit facilè iudicari. Possunt autem autem istæ proprietates significare vel in abstracto, scilicet secundùm formam significatá præcisè, vt vnitas, vel in concreto provt dicunt proprietates simul cum subiecto, vt vnum quod significat vnitatem in hsbente: forma autem in abstracto concepta, si sit compnsita, significat plures conceptus & gradus componentes hanc formam, sed quodam nrdine, vt humanitas non solùm seipsam, sed animalitatem, & alios gradus superiores in abstracto significat, quamuis non distinctè & explicitè, sed implicitè tantùm & confusè.

Probatur conclusio quoad omnes partes expressa anthoritate D. Thom. q. r. de veritate artic. r. sic enim ait: *Enti non potest addi aliqnid quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi, vel accidens subiecto, quia qualibet natnra essentialiter est ens sed secundùm hoc aliqna dicnntur addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur, qui modus expressus, vel est specialis modus entis secundùm quod accipiuntur diuersi modi essendi, & diuersa rerum genera, sic nomine substantia exprimitur qnidam specialis modns essendi, scilicet per se ens, & ita est in aliis generibus vel modus expressus est modus generaliter consequens omne ens.* Et subdit D. Thom. quòd iste modus est multiplex, & exprimitur per proprietatea entis: eius verba referemus pro articulo sequenti, vbi agitur de numero proprietatum entis. Idem docet Aristoteles 4. Metaph, cap. 2. vbi dieit quòd idem est vnns homo, ac ens homo.

Probatur ratione quoad tres priores partes. Proprietates entis, vel dicunt pro formali aliquid reale vel aliqnid rationis, vel nihil, non enim est assignabile aliud: sed non potest dici quòd sint omninò nihil, alias cùm dico, hoc est verum, esset dicere hoc est nihil: nec potest

test

test dici quòd formaliter dicant ens rationis, quia nullum ens rationis vt sic est à parte rei, proprietates autem entis sunt à parte rei, nam à parte rei etiam nemine cogitante omnia sunt vera, bona &c. Deinde quando dico, homo est verus, Deus bonus &c. non prædico aliquid rationis de homine, vel de Deo vt patet, quia ipsa prædicata sunt nomina primæ intentionis significantia aliquid reale vel dicendum est quòd hæc propositio, Deus est bonus, æquiualet isti, Deus est aliquid rationis, quod est falsum: ergo proprietates entis non solùm pro materiali, sed etiam pro formali dicunt aliquid reale, & non meram negationem, aut respectum rationis, quamuis illud reale habeat annexam negationem, aut respectum rationis, quod magis explicabitur dum agetur de singulis proprietatibus in particulari.

Probatur quarta pars conclusionis ratione D. Th. loco citato. Enti nihil potest addi vt quid extrinsecum, cùm omnia intrinsecè sint entia, & ens sit transcendens ad omnia: ergo quod additur enti, si distinguitur ab ente, non est ens; si autem non est ens, est omnino nihil, non enim datur medium inter ens & nihil, quia nihil. & non ens contradictorium entis conuertuntur: sed non potest dici, quòd proprietates entis nihil sunt: ergo illud reale quod formaliter dicunt, non est distinctum nec realiter, nec ex natura rei ab ente.

Secundò, in primo ente scilicet Deo optimo maximo vnum, verum bonum non distinguuntur realiter, nec ex natura rei ab ipso primo ente, aliàs non essent veræ istæ propositiones Deus est sua bonitas, Deus est sua veritas &c. implicat enim quòd vna res distincta prædicetur de alia in abstracto, nam prædicare vnum de alio in abstracto, est dicere quòd vnum est aliud, est autem hæreticum negare has propositiones. Deinde cùm simplicitas sit in Deo perfectio, & in Deo perfectiones sint in summo sine infinitæ, sequitur quòd in Deo est infinita & summa simplicitas: sed hæc excludit omnem distinctionem realem, siue ex natura rei, & à parte rei; aliàs non esset summa simplicitas, quia posset dari maior à parte rei. Denique quia si istæ perfectiones distinguerentur à parte rei, siue ex natura rei à Deo, & ab essentia diuina, sequeretur quòd Deus in se essentialiter non esset perfectus, sed perficeretur per aliquid superadditum, quæ omnia sunt falsa, ac proinde non distinguuntur ex natura rei à Deo: ergo proprietates entis vnum, verum, bonum non distinguntur ex natura rei ab ipso ente: nam sicut ad tale scilicet primum, sequitur talis vnitas, veritas, bonitas, sic ad ens vt sic siue in communi sequitur vnum, verum, bonum in communi, imò istæ proprietates non sunt in Deo formaliter vt sic, sed tantùm est tale ens scilicet primum.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt proprietates entis sint idem realiter quod ens: singulæ tamen exprimunt peculiarem modum entis, qui non exprimitur nomine entis, sed tantùm confusè continetur in ente: vnde quælibet proprietas entis dicit totam perfectionem intensiuam ipsius entis, non verò extensiuam, sed inadæquatè, omnes verò simul dicunt totam perfectionem entis inadæquatè intensiuam & extensiuam, quia dicunt omnes modos generales entis consequentes ens in communi: sufficit autem ista peculiaris expressio modi entis, vt proprietates eius prædicentur de ipso, non solùm identicè, sed etiam formaliter, licèt non realiter, nec ex natura rei ab illo distinguantur, non enim requiritur distinctio realis vt vnum prædicetur de alio formaliter vt patet in diuinis, vbi diuinæ perfectiones etiam formaliter de Deo prædicantur, sicut & gradus superiores de inferioribus, cum quibus identificantur realiter.

Ad secundum dicendum, quòd ad formandas prædicationes formales inter aliqua, sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, siue cum fundamento in re, & sufficit quòd sit hoc fundamentum, licèt intellectus non cogitet actu ad hoc vt tales propositiones sint veræ, requiritur tamen quòd possit cogitare, & cognoscere hanc distinctionem, & sic istæ propositiones dicuntur semper veræ per ordinem ad intellectum, vt patet ex D. Th. 1. p. q. 16. art. 7. vbi sic ait: *Res denominantur vera à veritate intellectûs*, vnde si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna.

Articvlvs III.

Quot sunt Proprietates entis?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd sint tantùm tres proprietates entis, scilicet vnum, verum, & bonum: res verò & aliquid non sint, nec possint dici veræ proprietates, sed vel quòd sint aliquid reductiuum ad ens, vel non distinguantur ab aliis proprietatibus. Ita tenent Soares, Fonseca & alij. Probatur. Res & aliquid nec ab ente vllo modo, nec à se inuicem distinguuntur, imò sunt omnino synonima, & prædicando vnum de alio committitur nugatio: ergo non sunt proprietates entis; nam proprietates aliquo modo debent distingui ab eo, cuius sunt proprietates.

§ 2. Præterea, Si ens, res, & aliquid distinguuntur, hoc fit per rationem, inquantum ens dicitur ab actu essendi, res ab essentia, & aliquid ab alietate siue diuisione: sed hoc ita non est, nam ens nominaliter sumptum tantùm dicit quidditatem siue essentiam, hoc verò nomen aliquid, non significat diuisionem, sed est contradictorium ad nihil, quod etiam competit enti, & rei: ergo ista nec per rationem distinguuntur.

§ 3. Præterea, Aliquid formaliter includitur in vno; nam vnum in suo conceptu dicit indiuisionem alicuius in se, & diuisionem ab aliis, vnum enim definitur, quod est indiuisum in se & diuisum à quolibet alio: quod autem est huiusmodi est aliquid: ergo licèt concedatur quòd aliquid sit passio entis, tamen non est distincta ab vno.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem sequuntur Flandria 4. Metaph. q. 1. art. 1. Araujo ibidem art. 2. & communiter Thomistæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm ista quinque Res, Vnum, Aliquid, Verum, & Bonum sigillatim exprimant aliquem modum entis generaliter consequentem ipsum ens, sunt proprietates entis veræ, & ab inuicem distinctæ.

Respondeo dicendū, quòd proprietates entis sunt quinque scilicet Res, Vnum, Aliquid, Verum, Bonum 2. quæ sicut sola ratione distinguuntur ab ente, sic sola ratione distinguuntur inter se. Ad cuius euidentiam sciendum est transcendentia esse sex expressa hoc communi vocabulo REVBAV, scilicet res, ens, vnum, bonum, aliquid, verum: & reperiuntur in omnibus rebus, nam quidquid est, est ens vnum, res, aliquid, verum, bonum, vt ex infra dicendis patebit: hæc autem difficultas præcipuè mouetur de (Res) & de (aliquid) vnde aliqui sic proponunt hanc difficultatem, vtrum Res & aliquid sint veræ entis proprietates: hîc autem non agimus de proprietatibus complexis, nec de aliis quæ vocantur supertranscendentalia, vt intelligibile & imaginabile, nec de proprietatibus alicuius entis particularis, sed de proprietatibus entis in communi, siue in tota sua latitudine.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. quæst. 1. de veritate art. 1. vbi dicit proprietates assignari enti per hoc quòd exprimant aliquem modum entis generaliter consequentem ipsum ens, qui non exprimatur nomine entis, vt vidimus art. præcedenti: numerans verò istos modos sic ait: *Modus expressus generaliter consequens omne ens dupliciter accipi potest, vno modo secundùm quòd consequitur omne ens in se, alio modo secundùm quòd consequitur vnumquodque ens in ordine ad aliud. Si primo modo accipitur, & exprimit in ente aliquid affirmatiuè, vel negatiuè: non autem inuenitur aliquid affirmatiuè dictum absolutè, quod possit accipi in omni ente, nisi essentia [illegible] eundùm quam esse dicitur, & sic imponitur ho[illegible] quod in hoc differt ab ente, quòd ens sum[illegible] di, sed nomen rei exprimit quidd[illegible]*

negatio autem, quæ eſt conſequens omne ens abſolutè, eſt indiuiſio, & hanc exprimit nomen Vnum, nihil enim eſt aliud Vnum, quàm ens indiuiſum: ſi modus entis accipiatur ſecundùm ordinem vnius ad alterum, hoc poteſt eſſe, vel ſecundum diuiſionem vnius ab altero, & hoc exprimit hoc nomen Aliquid, dicitur enim Aliquid, quaſi aliud quid: vnde ſicut ens dicitur Vnum, inquantum eſt indiuiſum in ſe, ita dicitur aliquid, inquantum eſt ab aliis diuiſum: vel ſecundum conuenientiam vnius entis, ad aliud ſcilicet ad animam quæ quodammodo eſt omnia, vbi ſiue in qua eſt vis cognitiua & appetitiua, conuenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen Bonum, nam nam bonum eſt quod omnia appetunt: conuenientiam verò entis ad intellectum exprimit hoc nomen Verum: Hæc D.Th.

Secundò, illud eſt vera proprietas entis, quod exprimit aliquem modum generaliter conuenientem omni enti, qui tamen nomine entis non exprimatur, ſiue quod addit aliquem modum ſola ratione diſtinctum ad omnes eos: ſed iſta quinque ſunt huiuſmodi (de vno, vero, & bono nullus dubitat) Res enim, & Aliquid exprimunt modum, qui nomine entis non exprimitur, conuenientem omni enti, nam nomine entis præciſè exprimitur ordo ad eſſe, ens ſiquidem eſt id quod habet eſſe: nomine autem rei exprimitur entitas per modum quidditatis præciſè aut eſſentiæ conuenientis omni enti abſolutè in ſe conſiderato, ſuppreſſo ordine ad eſſe: habere autem quidditatem: ſiue eſſe per modum quidditatis præciſè eſt modus entis: Aliquid etiam ſignificat peculiarem modum entis vt patet ex D. Thom. ergo iſta quinque ſunt proprietates entis.

Tertiò, Res, Aliquid &c. ſe habent ex additione ad ens ſecundùm rationem, vt quid ab illo diſtinctum ratione, nam conuenit aliquid multiplicari in ratione rei, quod non multiplicatur in ratione entis, vt patet in diuinis relationibus quæ ſunt verè tres res, non tria entia: aliquid etiam habet diuerſam ſignificationem, & exprimit diuerſum modum entis ab illo, quem exprimit Vnum, nam vt vidimus ex D. Thom. Vnum ſignificat primariò indiuiſionem rei in ſe, ſecundariò verò & concomitanter diuiſionem rei ab alio: aliquid verò è contra primariò ſignificat diuiſionem rei ab alio, & ſecundariò indiuiſionem rei in ſe, quæ ſine dubio ſunt ſignificationes, & modi valde diuerſi, nam vnum poteſt eſſe ſine alio, ſiquidem ante mundum conditum Deus erat in ſe indiuiſus, & tamen non erat propriè diuiſus ab aliis, quia præter ipſum nihil erat: ſed ex D. Thom. & communi conſenſu multiplicantur proprietates entis iuxta numerum diuerſorum modorum ipſius entis, qui non exprimuntur nomine entis: ergo res & aliquid ſunt diſtinctæ proprietates entis: nec eſt maior ratio cur Vnum primariò ſignificans indiuiſionem rei in ſe, conſtituat peculiarem proprietatem, & illam non conſtituat Aliquid ſignificans primariò diuiſionem rei ab alio.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Iſtæ proprietates ſunt modi generales conſequentes ens vt ſic, ſiue omne ens; ergo quodlibet ens aſſignabile eſt res, vnum, verum, bonum, & aliquid: ſimiliter quælibet proprietas entis identicè prædicatur de alia, vt vnum eſt verum, &c. quod non eſſet, ſi realiter diſtinguerentur: cùm autem etiam prædicentur formaliter, tam de ente, quàm de ſe inuicem, debent neceſſariò diſtingui ratione, vt patet: quidquid autem aſſignatur conſequens generaliter ens, reducitur ad aliquam ex his proprietatibus ſicut intelligibile ad verum, appetibile ad bonum &c. vnde ſunt tantùm iſtæ quinque proprietates entis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ens, res, & aliquid non ſunt nomina ſynonima, ſiue idem ſignificantia omninò, nam licèt ſignificent idem realiter, ſignificant tamen diuerſos formaliter conceptus, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd ens quomodocumque ſumatur ſemper, reſpicit eſſe: connotatiuè quidem, ſi ſumatur nominaliter, formaliter verò, ſi ſumatur participialiter: res autem abſtrahit ab hac connotatione, & ſolùm ſignificat rationem entis per modum eſſentiæ vel quidditatis, quod eſt limitare ens à ſua vniuerſali ſignificatione ad ſpecialem modum, quamuis ex hac parte qua abſtrahit totaliter ab eſſe, ſiue incluſo, ſiue connotato, dicat quamdam vniuerſalitatem ſupra ens, vt docet D.Thom. propter quod admittit in diuinis tres res, & non tria entia: hæc tamen vniuerſalitas eſt tantùm ſecundùm imperfectum modum concipiendi, nam reſpicere eſſe vt ſic illimitatum non eſt limitari, ſed perfici. De Aliquid patet ex dictis.

Ad tertium dicendum, quòd Vnum primò & per ſe dicit ens indiuiſum ſecundariò verò diuiſionem ab aliis, ſiue dicit formaliter ſolam indiuiſionem, ex conſequenti verò diuiſionem ab aliis: Aliquid autem econtra ſignificat primò & per ſe diuiſionem ab aliis, ſecundariò verò, & ex conſequenti indiuiſionem in ſe, & hoc ſufficit vt diſtinguantur iſtæ duæ proprietates.

Articvlvs IV.

Quem ordinem habent inter ſe proprietates entis?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd proprietates entis habent hunc ordinem inter ſe, vt Res ſit prima, ſecunda Vnum, tertia Aliquid, quarta Bonum, quinta Verum. Ita tenet Vaſques. Probatur. Hunc ordinem ſeruauit in illis referendis & explicandis D.Thom.q. 1. de veritate art. 1. vt patet ex eius teſtimonio ſupra allato: ergo proprietates entis habent hunc ordinem.

§ 2. Præterea, quòd bonum ſit prius vero (nam de aliis nulla eſt difficultas) Probatur. Illud eſt prius, quod eſt vniuerſalius, quia ex Ariſt. illa ſunt priora, à quibus non valet ſubſiſtendi conſequentia: conſtat autem quòd non valet ab vniuerſalioribus ad particularia; valet autem à particularibus ad vniuerſaliora: ſed bonũ eſt vniuerſalius vero, quia reſpicit potentiam vniuerſaliorem, obiectum enim proportionatur potentiæ, potentia autem appetitiua quam reſpicit ſiue terminat bonum, reperitur in omnibus, intellectiua verò quam reſpicit & terminat verum repetitur in paucis: ergo bonum eſt vniuerſalius vero ac ita eſt prius.

Sed contra eſt expreſſa mens D.Th. quem communiter ſequuntur, non ſolùm eius diſcipuli, ſed etiam alij.

Conclvsio.

Res eſt prima proprietas entis, quia dicit abſolutum affirmatiuum. Vnum eſt ſecunda, quia dicit abſolutum ſed negatiuum. Aliquid eſt tertia, quia licèt dicat reſpectiuum, magis tamen accedit ad abſolutum. Verum eſt quarta, quia cognitio qua ad illud terminatur, præcedit appetitum qui terminatur ad bonum, quod propterea eſt quinta.

Respondeo dicendum, quòd ſic numerandæ & ordinandæ ſunt proprietates entis, Res, Vnum, Aliquid, Verum, Bonum. Probatur ſic in communi vnicâ ratione deſumpta ex D.Thom. loco citato de veritate. Res ſignificat modum abſolutum & affirmatiuum, alia vero dicunt negationem, aut aliquem reſpectum ad extrinſeca: ſed affirmatiua ſunt priora negatiuis, ſicut & abſoluta reſpectiuis: ergo Res eſt prima proprietas. Deinde vnum, licèt dicat negationem ſcilicet indiuiſionem, tamen eſt quid abſolutũ, alia verò omnia sũt reſpectiua: ſed abſolutè loquendo abſoluta ſunt priora reſpectiuis: ergo vnum eſt ſecunda proprietas. Deinde Aliquid dicit quidem reſpectum ad aliã, nam importat diuiſionẽ entis ab aliis, tamen magis accedit ad abſolutum, quàm verum & bonum, nam iſta duo non ſolùm reſpiciunt confusè extrinſeca, vt reſpicit Aliquid, ſed reſpiciunt ſub peculiari modo conuenientiæ, vel intellectum, vel appetitum: ergo Aliquid eſt tertia proprietas. Quòd autem Verum præcedat bonum patet, tum authoritate, tum ratione D.Th. 1.p.q.16.art.4. vbi hæc habet: *Licèt bonum & verum ſuppoſito conuertantur cum ente, tamen ratione differunt, & ſecundùm hoc verum abſolutè loquendo prius eſt, quàm bonum:*

primo

primò ex hoc quòd verum propinquius, se habet ad ens, nam respicit ipsum esse simpliciter & immediatè, ratio autem boni consequitur esse secundùm quod est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est: secundo ex hoc quòd cognitio naturaliter præcedit appetitum, vnde cùm Verum respiciat cognitionem, bonum autem appetitum, prius erit verum quàm bonum secundùm rationem. Item ad 1. dicit quòd licèt verum sit quoddam bonum particulare, & sic in ordine appetibilium bonum sit prius vero, tamen negat esse prius simpliciter, cùm etiam bonum sit quoddam verum, & consequenter verum sit primum in ordine intelligibilium: in responsione verò ad 2. docet quæ sint simpliciter dicendà priora secundùm rationem, & applicando dicit verum esse simpliciter prius bono secundùm rationem, sic enim ait: *secundùm hoc est aliquid prius ratione, quod prius cadit in intellectu: intellectus autem per prius apprehendit ipsum ens, secundo apprehendit se intelligere ens, tertiò apprehendit se appetere ens*: Vnde primò est ratio entis, secundò ratio veri, tertiò ratio boni.

Secundò probatur specialiter quòd verum sit prius bono, de quo solùm est difficultas. Bonitas fundatur in veritate & supponit illam, nam ficta non habent rationem boni nisi apparentis, quod non est simpliciter bonum, vt patet in virtute ficta & aliis: vnde vt aliquid sit simpliciter bonum debet esse verum, & sic bonitas fundatur in veritate & supponit illam: ergo verum est prius bono, siue veritas est prior bonitate.

Tertiò, illud est prius, quod est vniuersalius, vt fatentur etiam aduersarij: sed verum est quid vniuersalius bono, illud enim ex aduersariis est vniuersalius, quod in pluribus repetitur, verum autem in pluribus repetitur, quàm bonum, nam multa sunt entia quæ non sunt bona, saltem secundùm aliquam considerationem accepta, scilicet Mathematica, & relationes secundùm esse Ad; & tamen etiam vt sic sunt vera, cùm per se considerentur à scientiis. Item bonum vel includit existentiam, vel dicit ordinem ad ipsam, verum autem præscindit à tali ordine vt patet: ergo est simpliciter prius bono.

Ad primum ergo dicendum, quòd in illo loco D. Th. non ponit proprietates entis suo ordine, licèt omnes afferat, & ideo iste locus debet cedere alteri quem attulimus, in quo expresse agit de ordine harum proprietatum, præcipuè inter verum & bonum.

Ad secundum dicendum, quòd vniuersaliora sunt priora, falsum tamen est quòd bonum sit vniuersalius vero, vt dictum est, verum enim intrinsecè repetitur in omnibus, si loquamur de vero transcendentali, quod est proprietas entis, exponit peculiarem modum entis, bonum verò non repetitur in omnibus. Nec voluntas siue potentia appetitiua est vniuersalior intellectu secundùm eleuationem à materia, & modum tendendi in obiectum, ex qua tantùm vniuersalitate potest inferri vniuersalitas obiecti: sed tantùm est potentia appetitiua vniuersalior materialiter potentia cognoscitiua, quia in pluribus reperitur: sed hoc denotat in ipsa imperfectionem, & maiorem limitationem formalem siue materialitatem, quæ enim sunt perfectiora & magis eleuata à materia, & consequenter minus limitata & magis vniuersalia, reperiuntur in paucioribus.

QVÆSTIO IV.

De Vno, siue Vnitate Transcendentali.

POST considerationem proprietatum entis in communi, descendendum est ad considerationem ipsarum in particulari, sed quia nihil peculiare occurrit circa duas proprietates, scilicet Res & aliquid, ideo incipimus ab vno; siue ab vnitate transcendentali: & quia eadem scientia est contrariorum quia contraria iuxta se posita magis elucescunt, ideo etiam agemus hîc de distinctione quæ opponitur vnitati, circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, Quid addat vnitas transcendentalia supra ens

¶ Secundò, Quomodò vnum & multa se habeant inter se, & respectu entis?

¶ Tertiò, Vtrùm detur distinctio ex natura rei, media inter realem & rationis?

ARTICVLVS I.

Quid addat vnitas transcendentalis supra ens?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd vnitas transcendentalis siue vnum addat supra ens aliquid positiuum, quod sit ab ipso ente ex natura rei. Ita Auicenna 3. Metaph. cap. 2. Scotus in 2. d. 3. quæst. 2. item 4. Metaph. quæst. 2. & communiter eius discipuli, eorum rationes supra allatæ sunt & solutæ, alij verò dicunt quòd illud positiuum, quod vnum addit supra ens, non sit distinctum ab ipso ente à parte rei, ita D. Bonauentura, Alensis, Vasquez & alij: potest sic explicari sicut rationale verè addit aliquid positiuum supra animal, quod tamen non distinguitur realiter ab illo, sed sola ratione, ita & vnum supra ens. Probatur, ex D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. ad 1. vnum quod est principium numeri, siue vnitas prædicamentalis addit aliquid supra ens, ad genus quantitatis pertinens: sed non est maior ratio, cur vnitas prædicamentalis addat aliquid positiuum supra ens potius quàm vnitas transcendentalia: ergo vnitas transcendentalis addit aliquid positiuum supra ens.

¶ 2. Præterea, Si vnitas pro formali non addit aliquid positiuum supra ens, solùm addet negationem diuisionis, & ita vnum pro formali dicet solam negationem, vnde qui dicit, vnum est ens indiuisum, dicit contradictoria, nam ex D. Th. q. 9. de potentia art. 7. diuisio est negatio, ac proinde negatio diuisionis est negatio negationis: sed negatio negationis est affirmatio iuxta illud, duæ negationes æquiualent affirmationi: ergo vnum addit aliquid positiuum supra ens.

¶ 3. Præterea, Si vnitas solùm addit supra ens negationem diuisionis, sequitur quòd multitudo sit prior vnitate, prior est enim forma & habitus, quàm eius priuatio, nam ex habitu specificatur priuatio: negatio autem diuisionis idem est, ac priuatio multitudinis, per diuisionem enim fit multitudo: sed absurdum est dicere multitudinem esse priorem vnitate, quia totum non potest esse prius suis partibus componentibus, vt patet, vnitas autem est pars multitudinis: ergo vnitas addit supra ens aliquid positiuum, & non solam negationem diuisionis.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. & communis sententia Thomistarum, quam plures extra scholam D. Thom. sequuntur.

CONCLVSIO.

Licèt Vnum, cùm sit vera & realis proprietas entis, dicat non solùm pro materiali, sed etiam pro formali aliquid reale positiuum, cùm tamen ens sit transcendens & intimè inclusum in omnibus, non potest dici quòd vnum addit supra ens aliquid positiuum, etiam solâ ratione distinctum.

RESPONDEO dicendum, quòd Vnum dicit quidem etiam pro formali aliquid positiuum 2. illud tamen non potest dici additum enti, & ita vnum non addit aliquid positiuum supra ens, non solùm realiter 3. sed nec ratione distinctum ab ente 4. vnde addit tantùm negationem diuisionis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd est duplex vnum, siue duplex vnitas, vna transcendentalis, alia prædicamentalis, siue categorica: prædicamentalis est principium numeri, & reperitur tantùm in rebus quantitatiuis & extensis, & hæc sine dubio in schola D. Thom. addit aliquid supra ens pertinens ad genus quantitatis, ita D. Thom. 1. part quæst. 11. art. 1. ad 1. & alibi, sed ... hac infra: vnitas transcendentalis ... in omnibus ... bus tam spiritualibus quàm co... est vera proprietas entis, & de hac pr...

ficultas: vnum autem ſic definitur, eſt illud, quod eſt indiuiſum in ſe, diuiſum verò à quocumque alio: ita vt indiuiſio ſit eius primaria ratio, diuiſio autem ſecundaria: quod patet authoritate D.Thom. ſupra allatâ q.1. de veritate art.1. & ratio eſt, quia poſitâ indiuiſione præciſè io aliquo concipitur eſſe vnum, licèt non poſſint eſſe diuiſum ab aliis: & econtra licèt poſſint eſſe diuiſum ab aliis, niſi ponatur in ſe indiuiſum, non erit vnum, nam poteſt eſſe multitudo diuiſa ab aliis: ergo indiuiſio in ſe eſt ratio primaria conſtitutiua vnius, diuiſio verò ab aliis eſt ſecundaria, ſequitur enim illud eſſe diuiſum ab aliis, quod eſt in ſe indiuiſum. Non autem idem ſunt indiuiſum & indiſtinctum, indiuiſio enim dicit vnitatem rei, & ideo vnus homo eſt quid indiuiſum, admittit tamen in ſe plures diſtinctiones, realem quidem inter ſuas partes phyſicas, plurimas verò rationis vt inter ſuos gradus eſſentiales: & ita indiſtinctio plus dicit quàm indiuiſio.

Probatur concluſio authoritate D.Th. quæſt.9. de potentia art.7. vbi hæc habet: *Vnum quod conuertitur cum ente, non addit ſupra ens, niſi negationē diuiſionis, non quod ſignificet ipſam indiuiſionem tantum, ſed ſubſtantiam eius cum ipſa, eſt enim vnum idem, quod ens indiuiſum.* Item 1.p.q.11.art.1.ad 1.ait: *Vnum quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem ſupra ens*, Item 10.1.d.24.q.1.art.3. ait, *Vnum quod conuertitur cum ente, nihil poſitiuè addit ad id, cui adiungitur.*

Probatur prima pars concluſionis, ex ſupra dictis quæſtione præcedenti art. 2. vbi viſum eſt, quòd proprietates entis dicunt non ſolùm pro materiali, ſed etiam pro formali aliquid reale poſitiuum, aliàs non eſſent proprietates reales, & ſic valde diuerſa ſunt iſta duo, vnum dicit aliquid reale etiam pro formali, & vnum addit aliquid reale ſiue poſitiuum ſupra ens: & licèt vnum exprimatur per negationem, ſcilicet per indiuiſum, ſignificat tamen aliquid poſitiuum, quamuis coniunctum cum negatione, hoc enim eſt valde ordinarium, quòd ſimplicia poſitiua non poſſint exprimi niſi per negationes, ſicut in Deo infinitas, immenſitas, & ingenitus reſpectu patris ſignificant aliquid poſitiuum vt communiter fatentur Doctores, ſicut & punctum definitur eſſe id quod non habet partes, & tamen hoc in puncto eſt aliquid poſitiuum, ita D.Thom. 1.p. quæſt. 33. articulo 4. ad 1. vbi ſic ait: *Prima & ſimplicia per negationes notificantur, ſicut dicimus punctum eſſe, cuius pars non eſt.* Hoc poſito ſic probatur. Omnis vera proprietas entis dicit etiam pro formali aliquid poſitiuum, cùm ſit à parte rei, & aliquid reale vt fatentur omnes: ſed vnum eſt vera proprietas entis, vt patet ex ſupradictis: ergo dicit etiam pro formali aliquid poſitiuum.

Secundò, proprietates entis ſunt quædam perfectiones entis, vt patet: ergo cū vnum ſit proprietas entis, dicit aliquid poſitiuum, & non meram negationem, negatio enim vt ſic potiùs dicit imperfectionem, quàm perfectionem, negat enim entitatem: proprietates autem potiùs addit, quàm detrahæ à ſuo ſubiecto, vnde vidimus ſupra proprietates entis addere enti, non quidem aliquid poſitiuum, quandoquidem omnia ſunt formaliter ens, ſed peculiarem aliquem modum non expreſſum nomine entis.

Tertiò, quando dicimus, Deus eſt vnus, vel ly (vnus) dicit aliquam perfectionem poſitiuam in Deo pro formali, vel dicit tantùm meram negationem: ſi primum, habetur intentum, nam ſicut vnum in Deo dicit pro formali aliquam perfectionem in Deo, ſic vnum in ente generaliter ſumpto dicet aliquam perfectionem pro formali, ſiue aliquid poſitiuum in ente, vt conſtat ex paritate rationis: ſi dicatur ſecundum, contra Deum eſſe vnum eſt aliqua perfectio in Deo, Theologi enim agunt de vnitate Dei inter alias eius perfectiones: ergo vnum in Deo pro formali non eſt mera negatio, quia negatio, vt dictum eſt, non eſt ſimpliciter perfectio: & propterea conueniunt Doctores, quòd in Deo nomina negatiua, vt immortale, immenſum, infinitum &c. ſignificant aliquid poſitiuum pro formali, licèt coniunctam habeat negationem expreſſam ipſo nomine.

Probatur ſecunda, & tertia pars concluſionis ratione D.Thom. 1. p. quæſt. 11. articulo. 1, vbi ſic ait: *Quodlibet ens ſiue qualibet res eſt vna per ſuam ſubſtantiam: ſi enim per aliquid aliud eſſet vna quælibet res, cum illud iterum ſit vnum, ſi eſſet iterum vnum per aliquid aliud, eſſet abire in infinitum: vnde ſtandum eſt in prime:* Sic igitur dicendum eſt, quòd vnum quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem ſupra ens: vnde Ariſtoteles 4. Metaph. capite 2. habet: *Ens & vnum idem, ac vna natura ſunt; propterea quòd ſe inuicem ſequuntur, non quod vnâ ratione ſignificantur.* Item ait, *Idem enim vnus homo & ens homo:* Ergo vnum non addit enti aliquid poſitiuum. Confirmatur. Quodcumque ſit illud poſitiuum, quod vnum addit enti ex aduerſariis, debet eſſe ens. quia nullum poſitiuum & reale effugit rationem entis, aliàs eſſet non ens & nihil, & ſic eſt implicantia quòd ſit quid poſitiuum, & non ſit ens: ſi autem concedatur quòd illud poſitiuum additum enti ſit ens: ergo non eſt aliquid realiter additum, nihil enim dicitur additum ſibi ipſi omnino, id eſt ſi ſit prædicatio non ſolùm identica, ſed etiam formalis, qualis eſt inter ens & vnum, quæ ſe habent conuertibiliter adinuicem, cùm ſint ambo tranſcendentia, & prædicentur de ſe inuicem, non ſolùm identicè, ſed etiam formaliter, nam etiam in ſenſu formali verum eſt dicere, omne ens eſt vnum, & omne vnum eſt ens. Confirmatur ſecundò. Si vnum addit aliquid reale & poſitiuum ſupra ens, etiam ſolâ ratione diſtinctum, ſequitur quòd poſſit concipi ens reale, abſque eo quòd concipiatur eſſe vnum, quando enim duo diſtinguuntur ratione, ita vt vnum addat ſuper aliud, non ſolùm poteſt concipi vnum ſine alio, ſed etiam poteſt concipi eſſe ſine alio: ſed eſt impoſſibile quòd ens concipiatur, abſq; eo quòd concipiatur eſſe vnum, cùm ſint ens & vnum tranſcendentia, & eo inuertibilia: ergo vnum non addit enti aliquid poſitiuum, non ſolum realiter, ſed nec ratione diſtinctum ab ente.

Quarta pars concluſionis manifeſtè ſequitur ex dictis, cùm enim vnum ſit ens indiuiſum, quæ indiuiſio ſignificat aliquid poſitiuum habens annexam negationem, & negatio non ſit ens, imò ſit excluſio entis, ſequitur quòd vnum addit ſupra ens tantùm negationem diuiſionis, & hoc etiam nomine cogitante, quia negationes & priuationes ſunt formaliter loquendo à parte rei, quamuis non ſint entia à parte rei.

Ad primum ergo dicendum, quòd eſt lata diſparitas inter vnum tranſcendentale, & vnum prædicamentale vt infra patebit: pro nunc dicimus, quòd diſparitas in hoc conſiſtit, quòd quantitas dicit determinatum conceptum entis, & eſt ens limitatum, & ideo poteſt illi ſuperaddi aliquid reale poſitiuum: vnde vnum prædicamentale dicitur addere aliquid poſitiuum ſupra ens, ſcilicet rale quantitatiuum: ſed enti in communi, cùm ſit tranſcendentale omnia realiter includens, nihil poteſt ſuperaddi reale, quia vt aliquid ſit reale, debet eſſe ens: & ſic non eſſet quid ſuperadditum enti.

Ad ſecundum dicendum ex D.Thom. quòd eſt duplex negatio vel priuatio: vna totalis & dicitur priuatio, vel negatio in facto eſſe, & iſta nec pro remoto, nec pro proximo dicit formaliter quid poſitiuum, licèt connotet ſubiectum vt mors, tenebræ &c. alia eſt negatio, vel priuatio quæ non eſt pura, ſed includit aliquid poſitiuum, vt vmbra quæ dicit priuationem, non lucis ſimpliciter, ſed maioris lucis, & hæc priuatio vel negatio dicitur in fieri, & de hoc genere eſt negatio quam annexam habet vnum: in negatiuis primi generis duæ negationes dicunt affirmationem, vt homo eſt non mortuus, idem valet ac homo eſt viuens in negatiuis ſecundi generis duplex negatio non dicit affirmationem, ſed proximè vna poteſt negari per aliam, abſque eo quòd affirmetur contrarium, ſicut, hic non eſt vmbra, non ſignificat eſſe lucem, ſicut ſignificaret ſi quis diceret, hîc non ſunt tenebræ: ratio huius eſt, quia negatio, vel priuatio totalis ſimpliciter opponitur formæ, vnde cùm inter priuationem, & formam non detur medium, negare priuationem eſt ponere formam

mam;priuatio verò partialis non opponitur simpliciter formæ, vnde illam negare non est ponere formam; quia forma potest esse priuata priuatione totali. Diuisio autem non est pura negatio,& ideo potest negari alia negatione,& remanere in conceptu negatiuus.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. 1.p. q.11. art.2. ad 4. quòd vnitas & multitudo, cùm inter se dicant ordinem secundùm rationem nostræ apprehensionis, habent inter se, diuersa tamen respectu, rationem prioris & posterioris: tamen secundùm rem, & vt sunt à parte rei, vnitas est prior multitudine, nam à parte rei multitudo componitur ex vnitatibus, & ad hoc vt sit vnum, non requiritur multitudo, ad hoc verò quòd sit multitudo, requiritur quòd à parte rei sit vnum multiplicatum, & ideo simpliciter loquendo vnum secundùm se est prius multitudine, quia res ex hoc quòd est à parte rei in se, dicitur simpliciter esse, vel non esse, secundùm verò nostram apprehensionem, quæ in hoc decipitur apprehendens simplicia per composita multitudo est prior vnitate, inquantum dicit illam negationem diuisionis, & hoc concedimus aduersariis.

Articvlvs II.

Quomodo vnum & multa se habeant inter se, & respectu entis?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd vnum & multa inuicem opponantur contrariè contrarietate propriè dictâ,sicut calor & frigus. ita Vasquez: Probatur authoritate Arist. qui videtur hoc dicere 10. Metaph. cap.3.ait enim: *Adiicitur ex contrario ipsum vnum.*

¶ 2. Præterea, Illa sunt propriè contraria,quæ habent terminos positiuos se se inuicem expellentes: sed vnum & multa verè habent terminos positiuos sese inuicem expellentes: ergo sunt contraria propria contrarietate.

Sed contra est authoritas D. Thom. quem sequuntur communiter eius discipuli,& alij.

Conclvsio.

Cùm vnum & multa non se totaliter destruant, nec se mutuò expellant, nec dicant primariò relationem adinuicē, sed vnum formaliter neget aliud, non opponuntur contradictoriè, nec contrariè, nec relatiuè, sed priuatiuè.

Respondeo dicendum, quòd ens diuiditur in vnum & multa, ita vt vnum sit simpliciter ens, multa verò ens tantùm secundùm quid a. Vnum autem & multa opponuntur per modum priuationis. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D.Thom.1.p.q.11. art.2.ad 1.quòd nulla priuatio tollit totaliter esse; quia priuatio est negatio in subiecto: sed tamen omnis priuatio tollit aliquod esse, & ideo in ente ratione suæ communitatis accidit,quòd priuatio entis fundetur in ente, quod non accidit priuationibus formarum specialium, vt visus,albedinis &c.sicut autem est de ente, ita est de vno & bono quæ conuertuntur cum ente,nam priuatio boni fundatur in aliquo bono, & similiter remotio vnitatis fundatur in aliquo vno, & exinde contingit quòd multitudo est quoddam vnum, & malum est quoddam bonum,& non ens est quoddam ens: componitur autem multitudo ex vnitatibus, non secundùm id quod habent de ratione indiuisionis prout opponuntur multitudini,sed secūdùm hoc quod habēt de entitate, idem autem potest esse simpliciter vnum, & secundùm quid multa, quod scilicet est actu vnum, sed potest diuidi in plura: & econtra possunt esse simpliciter plura, & secundùm quid vnum,quando scilicet actu sunt plura, conueniunt autem in aliqua ratione. Multiplex autem est vnum siue vnitas. Prima est vnitas transcendentalis de qua agimus, per quam vnumquodque, eo modo quo est ens, est vnum scilicet indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: hæc subdiuiditur iuxta diuisionem entis in increatam & creatam, in materialem & formalem, in incompletam & completam &c. nam ens transcendit omnia,de quibus sigillatim agendum est.

Secunda vnitas increata est illa, qua Deus benedictus est in se vnus, quæ vnitas est eminentissima, perfectissima & infinita, omnia enim quæ sunt in istis inferioribus, scilicet in omnibus creaturis dispersa, indiuisibiliter in Deo connectit, ita vt omnes perfectiones diuinas tam formaliter in Deo existentes quales sunt simpliciter simplices, quàm alias eminenter contentas, tam absolutas, quàm relatiuas (exceptis personis & proprietatibus relatiuis inter se) efficiat Deum summè vnum: & hæc vnitas est fons & origo aliarum.

Tertia est vnitas prædicamentalis, quæ etiam dicitur numerica& Arithmetica, & est quoddam accidens pertinens ad genus quantitatis discretæ, & est principium numeri in rebus quantitatiuis: hanc voluit confundere Auicenna cum transcendentali vt refert D. Thom. sed immeritò nam transcendentalia inuenitur in omnibus, nec addit aliquid reale supra ens, hæc verò reperitur solùm in quantitatiuis, & addit aliquid reale supra rem cuius est vnitas.

Quarta est vnitas numerica, siue indiuidualis,siue singularitatis, qua vnumquodque indiuiduum alicuius speciei constituitur in esse indiuidui, & distinguitur à quolibet alio indiuiduo, & fundatur in hæcceitate & significat illam differentiam vel gradum indiuidualem, qui ratione distinguitur ab omnibus gradibus superioribus qui in aliquo reperiuntur:diuiditur in materialem & formalem,materialis est negatio siue carentia diuisionis materialis, & consequitur principia materialia: formalis verò est negatio siue carentia diuisionis formalis,& consequitur principia formalia & essentialia:sed quia vnitas formalis non limitatur ad solam numericam, iterum de illa redibit sermo: indiuidualis vnitas subdiuiditur in intrinsecam & extrinsecam, intrinseca fundatur in differentia indiuiduali siue hæcceitate, extrinseca est illa qua dicuntur vnum aliqua, quia ordinantur ad idem subiectum vt albedo & dulcedo in lacte: alia est indiuidualis negatiua,qua vnum distinguitur ab alio,non per differentiam indiuidualem positiuā, sed quia vnum non est aliud, qualiter differunt duæ materiæ primæ, duo Angeli &c, alia est vnitas indiuisibilitatis, qua aliquid indiuisibile constituitur in se vnum, vt instans,punctum &c. alia denique est vnitas eminentissima,qua quælibet diuina Persona dicitur vna, & est distincta ab aliis. Aliqui confundunt vnitatem indiuidualem cum transcendentali, sed non rectè, quia vnitas indiuidualis reperitur tantùm propriè in indiuiduis completis alicuius speciei)transcendentalis verò in omnibus tam completis, quàm incompletis imò conuenit naturis vniuersalibus eo modo quo sunt quibus tamen vt sic repugnat vnitas indiuidualis.

Quinta est vnitas formalis, qua aliqua sunt vnum formaliter, & hæc consequitur principia essentialia & formalia ipsius rei, quæ iuxta diuisionem horum principiorum diuiditur in genericam, specificam, numericam & analogam (licèt possit dari vnitas analoga, quæ non sit formalis, sed tantùm materiali, quando scilicet aliqua proportionantur in aliqua ratione materiali, vt est ratio pedis respectu pedis hominis & basis columnæ) vnitas formalis analoga est qua aliqua sunt vnum analogicè, quia proportionantur in aliqua ratione essentiali analogicè communi, & sic substantia & accidens sunt vnum in ente: formalis generica est illa, qua species vnius generis dicuntur esse vnum genere, quia conueniunt in vna ratione generica, & hæc habet latitudinem: nam quò genera sunt superiora,eò species illorum minus sunt vnum, & quò sunt proximiora, eò species sunt magis vnum vt patet, quia in his minus, in illis verò magis differunt: hæc vnitas conuenit naturæ genericæ beneficio intellectûs, & non à parte rei vt dictum est supra, prima parte, sicut & vnitas specifica, quæ conuenit etiam naturæ specificæ beneficio intellectûs, & qua indiuidua eiusdem speciei dicuntur esse vnum speciē quia conueniunt in vna ratione specifica: hæc vnitas est maior quàm generica, sicut generica maior quàm analoga, sed tamen est minor vnitate formali numericâ, quæ consequitur principia formalia vt indiuiduata, sicut aliæ vnitates

formales

formales consequuntur eadem principia essentialia & formalia, sed vt vniuersalia: hæc autem vnitas numerica est maxima, quia nullam admittit diuisionem, sicut admittunt aliæ, nam cùm vnitas neget diuisionem, illa est maior quæ inter alias omnem negat diuisionem. Ad vnitatem numericam reducitur vnitas personalis & hypostatica, qua dicuntur esse vnum duo quæ vniuntur in supposito hypostasi, vel persona, vt duæ naturæ Christi Domini diuina & humana.

Sexta est vnitas per se, qua duo quæ mutuum dicunt intrinsecum & essentialem ordinem, mutuámque dependentiam per modum actûs & potentiæ constituunt vnum: quæ subdiuiditur iuxta triplicem compositionem: nam alia est Physica, qua fit vnum per se physicum ex materia & forma, alia Logica, qua fit vnum per se Logicum ex genere & differentia, alia est Metaphysica, qua ex essentia & subsistentia fit vnum per se suppositum, & ex supposito & existentia fit vnum per se existens.

Septima est vnitas per accidens, qua aliqua duo in se completa actualia ac diuersorum generum, dicuntur esse vnum, vt album ex niue & albedine, & sic de aliis concretis accidentalibus ex subiecto & accidente: sub hac continentur vnitas aggregatiua siue collectiua, qua multa per aggregationem & collectionem fiunt vnum, vt aceruus lapidum. Item vnitas ordinis, qua multa actu completa ratione alicuius ordinis vel artificij, dicuntur esse vnum, vt vnus exercitus militum, vna communitas religiosorum, vna domus, &c.

Octaua & media inter vnitatem per se & per accidens, est vnitas quæ dicitur per se non ita rigorosa, qua dicuntur esse vnum duo aliqua, quorum alterum dicit necessariam dependentiam ab alio, & naturalem connexionem cum illo: aliud verò nullam dicit talem dependentiam saltem in essendo simpliciter, vt vnum ex subiecto & proprietate, hæc tamen magis pertinet ad vnitatem per accidens. Plures aliæ sunt vnitates, sed allatæ sunt magis vsitatæ, ex quibus quædam sunt reales siue à parte rei, quandò scilicet res est vna nemine cogitante, quædam verò sunt rationis, quandò scilicet res à parte rei sunt plures, & tantùm per rationem vniuntur, & fiunt vnum.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 11. art. 1. ad 2. vbi sic ait: *Ens diuiditur per vnum & multa, quasi per vnum simpliciter, & multa secundum quid.* Item Aristoteles 10. Metaph. cap. 1. ex quo patet hanc diuisionem non esse propriè dictam nec vniuocam, quia ratio entis conuenit vni simpliciter, multis verò secundùm quid: & sic participatur per prius & posterius. Deinde quidquid est, siue vnum, siue multa vt sic, est ens: nam multitudo non est quid rationis, cùm verè sit à parte rei secluso quocumque intellectu: ergo est ens, cùm nihil quod est, effugiat rationem entis, aliàs nihil esset.

Secundò, ratione D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. quidquid est, aut est simplex, aut compositum: quod est simplex est indiuisum & actu & potentia, & ideo est vnum simpliciter & absolutè: quod autem est compositum, licèt sit actu vnum, quia partes sunt vnitæ, tamen est multa in potentia, nam partes possunt diuidi: ergo ens diuiditur in vnum & multa.

Hæc tamen diuisio non est propriè dicta, nam illud quod diuiditur est ens in tota sua latitudine, vt dicitens simpliciter & ens secundùm quid: vnde diuisum non est nisi vnum, nisi secundùm analogiam proportionalitatis, & ratio est quia vnum simpliciter adæquat ens simpliciter, non autem adæquat ens in tota sua latitudine, vt etiam includit ens secundùm quid, nisi etiam sumatur vnum in tota sua latitudine, quod includit etiam vnum secundùm quid: & hoc modo multitudo est etiam vnum quid, vt probat D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. hîc autem diuiditur ens in tota sua latitudine, *in* vnum quod est vnum simpliciter, & in multa vt sic simpliciter: ex quo patet vnum, quod est membrum diuidens, non adæquare eos quod hîc diuiditur, nec multa formaliter sumpta includunt vnum formaliter, sed tantùm materialiter.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 11. art. 2. vbi hæc habet: *Vnum opponitur multis, sed diuersimodè, nam vnum quod est principium numeri, opponitur multitudini quæ est numerus, vt mensura mensurato, vnum enim habet rationem primæ mensuræ, & numerus est multitudo mensurata per vnum.* Vt patet ex 10. Metaph. *Vnum verò quod conuertitur cum ente, opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso.* Nota quòd D. Thom. ait: *per modum priuationis*, quia non semper vnum, & multa opponuntur priuatiuè priuatione propriè dictâ, sed aliquando per modum priuationis, quia propria & rigorosa priuatio est carentia formæ in subiecto apto, sic enim definitur: constat autem quòd multa sunt vnum, quæ non sunt apta diuidi in multa, vt patet in Angelis: vnde cùm forma & eius priuatio non possit esse in eodem subiecto successiuè, non possunt dici opposita priuatiuè priuatione propria, sed tantùm per modum priuationis. Ibidem ad 4. ait: *Vnum opponitur priuatiuè multis, inquantum in ratione multorum est, quod sint diuisa.*

Secundò, vnum & multa opponuntur aliquo genere oppositionis. Non contradictoriæ, quia in his vnum membrum destruit totaliter aliud, vt vnum & non vnum, hic autem non ita, imò multitudo componitur ex vno multiplicato. Non contrariæ propriè, sed impropriè, quia contraria dicunt terminos positiuos vt sunt contraria: vnum verò & multa secundùm quòd opponuntur, includunt terminos negatiuos, scilicet vnum dicit indiuisionem, quæ licèt primariò significet quid positiuum, dicit tamen negationem diuisionis, quæ ingreditur rationem multorum, & etiam multitudo formaliter negat vnitatem formaliter: item contraria se excludunt etiam materialiter, sicut calor & frigus, multitudo autem non excludit materialiter vnum, imò ex vno multiplicato componitur, propter quod etiam vnum non excludit materialiter multitudinem, imò facit & illam mensurat. Non relatiuæ, licèt enim consequatur quædam relatio rationis inter vnum & multa, tamen est quid secundarium præsupponens inter ipsa oppositionem aliam, supra quam talis relatio fundatur, cùm sit relatio dissimilitudinis, vel disconuenientiæ: ergo ista oppositio est per modum priuationis eo modo quo dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles paulò ante verba citata dicit, vnum & multa opponi priuatiuè, sic enim habet: *Cum autem oppositiones quatuor sint modis, & horum alius secundùm priuationem dicatur, contraria erunt profectò*: Vnde ibi tantùm negat vnum & multa opponi contradictoriè, aut relatiuè, & solùm dicit esse contraria, quod concedimus non de contrarietate propriè dicta, quæ versatur inter duo positiua sub eodem genere maximè distantia, & se inuicem expellentia, sed de contrarietate latè sumpta quæ innoluit omnem oppositionem etiam priuatiuam: & hoc sine dubio voluit Philosophus, quia statim ac nominauit oppositionem priuatiuam, subiunxit, contraria sunt profectò: & in principio capitoli expressè declarat hanc oppositionem per terminos priuatiuos, sic enim ait: *Opponuntur autem vnum & multa multis modis, quorum vno vnum & multitudo, vt indiuisibile & diuisibile, quod enim aut diuisum aut diuisibile est, multitudo quadam dicitur, quod verò indiuisibile aut non diuisum, vnum.*

Ad secundum dicendum, quòd licèt vnum & multa dicant terminos positiuos, vt tamen opponuntur, dicunt negatiuos, nec se excludunt materialiter, quod requiritur ad propriam contrarietatem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm detur distinctio ex natura rei, media inter realem & rationis?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd detur distinctio ex natura rei, media inter realem & rationis. Ita Scotus in 1. d. 2. q. 7. & in 2. d. 3. q. 1. & communiter eius discipuli, ita etiam videntur tenere alij, sed forte

fortè verbo tenus, illam confundentes cum distinctione rationis cum fundamento in re. Probatur tamen quæ distinguuntur definitione, distinguuntur ante omnem mentis operationem, ac proinde à parte rei, & ex natura rei, nam quæ distinguuntur definitione ante omnem mentis operationem, & nemine etiam cogitante, habeot plures essentias. sed multa sunt quæ distinguuntur definitione, & tamen non distinguuntur realiter, vt patet de diuinis attributis inter se, & ab essentia, de actione & passione, de relatione & fundamento: ergo distinguuntur ex natura rei, & sic datur distinctio ex natura rei, media inter realem & rationis.

§ 2. Præterea, Quæ fundant propositiones contradictorias, distinguuntur plusqoam ratione: sed multa sunt quæ fundant propositiones contradictorias, & tamen noo distinguuntur realiter, nam diuina attributa non distinguuntur realiter ab inuicem, nec ab essentia diuina; & tamen fundant propositiones contradictorias: est enim verum dicere, Deus intelligit per intellectum, Deus non intelligit per essentiam, aut voluntatem, & sic de aliis ergo inter ipsa datur distinctio ex natura rei.

§ 3. Præterea, Intellectus & voluntas Dei oon distinguuntur realiter, & tamen distinguuntur plusquam rationis; si enim per solam mentis operationem distinguerentur, à parte rei idem esset Deum velle, ac Deum intelligere, ac proinde nulla esset ratio distinguendi realiter processiones diuinas, nec personas procedentes, perinde enim esset dicere, verbum procedit per intellectum; ac dicere, verbum procedit per voluntatē. Idem etiam esset dicere, Deus vult peccata, ac dicere Deus intelligit peccata, quia si intellectus & voluntas in Deo idem sunt à parte rei, idem erit in Deo intelligere & velle: ergo dator distinctio ex natura rei, media inter distioctionē realem & rationis.

SED CONTRA est communis sententia omnium pene Philosophorum præter Scotum ac eius scholam: quòd si aliqui alij vtuntur nomine distinctionis ex natura rei, vel intelligunt modalem, vel frequentius distinctionem rationis ratiocinatæ, aut virtualem tantùm.

CONCLVSIO.

Cùm tot sint genera distinctionis, quot vnitatis, opponuntur enim priuatiuè, duo autem sint genera vnitatis, scilicet realis & rationis, vnum enim & ens conuertuntur, constat autem quòd non datur aliud ens præter ens reale & ens rationis, sequitur quòd sunt tantùm duo genera distinctionis, scilicet realis & rationis, vnde non datur illa media ex natura rei.

RESPONDEO dicendom, quòd inter distinctionem realem in tota sua latitudine, & inter distinctionem rationis non datur alia actualis distinctio media, scilicet illa quæ vocatur ex natura rei, siue clarius omnis distinctio, vel est realis à parte rei, vel est solùm rationis per intellectum. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd distinctio est duorum vel plurium, vel quæ vt plura concipiuntur, inter se diuisio, siue dinersitas: hæc definitio desumitur ex definitione identitatis tradita ab Aristot. 5. Metaph. cap. 9. quia contrariorum contraria est ratio: identitas autem definitur, vt sit duorum, vel pluriom, vel quæ vt plura concipiuntor, vnitas. Distinctio diuiditor in distinctionem realem, sioe rei, & distinctionem rationis: distinctio rei est, quando vnum à parte rei non est aliud: distinctio verò rationis est separatio per intellectum aliquorum, quæ à parte rei sunt vnom & idem, & ita est ens rationis. Distinctio realis subdiuiditur in positiuam & negatiuam: negatiua est illa quæ versatur inter ens, & oon ens, vt inter lucem & tenebras, vel inter duo non entia, vt inter cæcitatem & sorditatem, hæc autem dicitur realis, non quòd extrema sint realia, sed quia inter illa affirmatur propositio negatiua, eo modo quo affirmaretur, si actu essent aliquid reale: distinctio realis positiua est illa, quæ versatur intra duo entia realia. Distinctio realis positiua alia est maior, qoæ est inter rem & rem, in qua est latitudo, oam aliqua ita distinguuntur, vt possint esse separata ab inuicem, aliqua autem licèt distinguantur vt duæ res, tamen naturaliter saltem loquendo, non possunt remanere separata, vt accidentia à subiectis, materia à forma: alia distinctio realis positiua dicitur minor, aut etiam modalis, & est illa quæ reperitur inter rem & eius modum, vt inter quantitatē & figuram.

Subdiuiditur tandem distinctio realis in essentialem & accidentalem: accidentalis est illa, quæ prouenit ab aliqoo principio accidentali, qualis est inter album & nigrum, ad hanc reducitur distinctio numerica siue materialis, quæ est inter res materiales, nam differentia indiuidualis, licèt sit aliquid essentiale respectu indiuidui reduplicatiuè sumpti, tamen est extra essentiam eius, si specificatiuè sumatur. Distinctio essentialis est quæ prouenit ab aliquo principio essentiali, qualis est inter res diuersarum specierum, aut diuersorum generum, vnde habet latitudinem secundùm quòd distinguuntur genere magis, vel minus remoto, ad hanc reducitur distinctio numerica Angelorum, cùm in schola D.Th. sit etiam specifica, non enim possunt esse plures Angeli eiusdem speciei, sed de hoc infra. Reducitur etiam distinctio includentis ab incluso, quæ est distinctio realis, & reperitur inter totum & partem, nam illam includit & aliquid amplios, scilicet alias partes, sed videatur ad quam ex enumeratis sit reducenda pro ratione extremorum inter quæ versatur.

Solent dari aliqua signa distinctionis realis inter aliqua. Primum desumitur ex D.Th. 1.p.q.41.art.4. quaodo vnum est producens & aliud productum: hoc signum fundatur in illo principio, nihil potest esse principium sioe causa sui ipsius, quod enim est principium alicuius, tribuit illi esse, quòd autem est principiatum esse accipit; sed est implicantia quod aliquid simul det & accipiat esse; nam quod dat esse, præsupponitur illud habere, nemo enim dat quod non habet, oec operator nisi sit, oam operari sequitur esse, quod autem accipit esse, illud non habet, nemo enim accipit quod iam habet: & sic idem esset & non esset, si esset principium sui. Secundum signum desumitur ex Aristotele 7. Topic. cap. 1. quando vnum potest esse separatum ab alio à parte rei, ait enim Philosophus: *Amplius si potest vnum sine altero esse, non erit idem:* Hoc signum fundatur in hoc axiomate, impossibile est idem simul esse & non esse, non tamen inde ioferimus, illa non distingui realiter, quæ non possunt esse separata mutuâ separatione, nam materia prima non potest esse separata ab omni forma, & tamen realiter ab illa distinguitur, sed solùm dicimus illa distingui inter se realiter, quæ possunt subsistere mutuò separata. Tertium signum distinctionis realis inter aliqua est quando vnumquodque habet suum conceptū positiuum adæquatum distinctum à conceptu alterius à supremo genere vsque ad vltimam differentiam, & hæc non solùm sunt distincta, sed primò dioersa, vt sunt duæ res diuersarum categoriarum: ad has distinctiones oon attingit distinctio modalis, licèt etiam sit realis, nam modus non habet entitatem, oec conceptum adæquatè distinctum à re cuius est modus, nam in suo conceptu etiam specifico inuoluit ipsam, vt figura quantitatem, figura enim est diuersa modificatio qoantitatis secundùm variam terminationem. Distinctio rationis dioiditur in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ: distinctio rationis ratiocinantis est illa, qua intellectus nullo posito à parte rei fundamento, idem à seipso distioguit, vt cùm format hanc propositionem, Petrus est Petrus: distinctio verò rationis ratiocioatæ est illa, qua cum aliquo fundamento intellectus distinguit aliquid à seipso, formans de illo diuersos conceptus & rationes, vt cùm in homine ex actibus sentiendi & ratiocinandi distinguit rationem animalis à rationali, & in Deo ex diuersis eius effectibus distinguit attributa, & hæc distinctio est valde vsitata, & frequens in scientiis, & aliquando vocatur distinctio formalis, & sic distinctio formalis aliquando dicitur de distinctione rationis ratiocinatæ, aliquando de distinctione reali essentiali.

Probatur conclusio, diuisio distinctionis in realem & rationis fit per differentias contradictoriè oppositas, nam distinctio realis est idem, ac distinctio ante intellectum,

& independens ab intellectu, ſiue non ab intellectu, quæ enim realiter diſtinguuntur, ſunt ſimpliciter plures res à parte rei, quarum vna non eſt alia, quod eſt non diſtingui præciſè ab intellectu: diſtinctio verò rationis eſt diſtinctio ab intellectu ſolùm, eſſe autem ab intellectu & non ab intellectu ſunt differentiæ contradictoriè oppoſitæ, vnum enim membrum negat aliud: ſed inter contradictoria non datur medium: ergo inter diſtinctionem realem & rationis non datur media ex natura rei.

Secundò, tot ſunt genera diſtinctionis, quot vnitatis; cùm opponantur priuatiuè, priuationes autem regulantur & multiplicantur iuxta formas oppoſitas: ſed ſunt tantùm duo genera vnitatum, ſcilicet realis & rationis; quia vnitas eſt proprietas entis adæquans ipſum ens, & connertitur cum illo ex D.Thom. 1.p.q.11. art.2. & Ariſtotele 4. Metaph.cap.2. & patet: nam habent æqualem latitudinem in prædicatione, quidquid enim prædicatur de ente, prædicatur etiam de vno, & de quocumque prædicatur ens, prædicatur etiam vnum: conſtat autem quòd non datur ens medium inter ens reale, & ens rationis; cùm omne ens ſit vel à parte rei, & ſic eſt ens reale, vel ſit ſolùm per intellectum, & ſic eſt ens rationis: ergo non datur illa diſtinctio media inter realem & rationis.

Tertiò, omne quod eſt à parte rei, vel eſt idem realiter cum alio, vel non eſt idem, non enim datur medium, cùm iſta ſint contradictoria, ſi ſit idem realiter, eſt inter illa identitas realis, ſiue à parte rei, nec poteſt fingi inter illa diſtinctio à parte rei, ſed ſolùm per intellectum: ſi non ſunt idem realiter, datur inter illa diſtinctio realis: ergo non datur diſtinctio media inter realem & rationis, quam vocant ex natura rei.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi definitio tradatur de re ſecundùm id quod eſt à parte rei, verum eſt illa diſtingui à parte rei, quæ habent diuerſas definitiones, nam habent diuerſas eſſentias à parte rei, vt patet in definitione hominis & equi: ſi autem definitio tradatur de re ſecundùm quòd ſic, vel ſic apprehenditur ab intellectu, cùm intellectus poſſit apprehendere vt diſtincta, quæ à parte rei ſunt realiter vnum vt in præſenti, tunc falſum eſt, quòd à parte rei diſtinguantur, quæ habent diuerſas definitiones, nam ſecundùm diuerſas rationes formales de eadem re poſſunt dari diuerſæ definitiones. Ad exempla, dicimus in diuinis nullam à parte rei dari diſtinctionem, niſi inter diuinas Perſonas, & proprietates relatiuas, alia verò diſtinguuntur ſola ratione cum fundamento in re, quod fundamentum infra agentes de Deo explicabimus, actio autem & paſſio, ſicut relatio & fundamentum diſtinguuntur realiter, vt infra patebit.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ inter aliqua, vt fundent propoſitiones contradictorias, contradictio enim eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, & ſecundùm eandem rationem, propoſitiones enim ſequuntur noſtros conceptos, & ipſos exprimunt, vnde ſufficit quòd in te ſit fundamentum, vt de ea fiant diuerſi conceptus, & actu fiant tales conceptus ab eo, qui facit has propoſitiones contradictorias, vnde non requiritur quòd ſint à parte rei nemine cogitante diuerſi conceptus obiectiui actu formaliter, ſed ſolùm quòd ſint fundamentaliter: fundamentum autem horum diuerſorum conceptuum eſt eminentia & infinitas diuinæ Eſſentiæ, quæ cùm ſit infinitè perfecta, vna exiſtens ſimpliciſſima entitas continet omnes omnium rerum perfectiones, & quia non poteſt concipi, nec exprimi vnico conceptu ab aliquo intellectu creato pro hoc ſtatu, quia cognoſcitur per creaturas, vbi ſunt diſperſæ perfectiones quæ in Deo ſunt vnitæ, ſiue potiùs quid vnum, ideo dat fundamentum formandi diuerſos conceptus, qui partialiter & inadæquatè eamdem rem ſimpliciter, ſed ſub diuerſâ ratione exprimunt; & ita vna & ſimpliciſſima entitas, cùm non poſſit perfectè cognoſci à nobis ob ſuam eminentiam, quæ excedit infinitè omnes res, ex quibus deuenimus ad aliqualem cognitionem ipſius, exprimitur à nobis diuerſis conceptibus, & vna eadem ſimpliciſſima correſpondet illis omnibus conceptibus.

Ad tertium dicendum, quòd licèt in Deo non diſtinguantur realiter, vel ex natura rei intellectus & voluntas, intelligere & velle, ſed ratione diſtinguantur ratione ratiocinatâ, tamen perſona diuina quæ procedit per intellectum vt verbum, diſtinguitur realiter à perſona quæ procedit per voluntatem vt amor: & ſic diſtinguuntur realiter inter ſe iſtæ duæ perſonæ procedentes, licèt non diſtinguantur realiter intellectus & voluntas in Deo, quæ ſunt potentiæ productiuæ, nec intelligere vt etiam eſt dicere & velle, vt etiam eſt ſpitare (niſi ratione alicuius notionalis quod important) quæ ſunt actiones productiuæ: & ratio eſt quia Spiritus Sanctus non diſtinguitur à Filio realiter, quia Filius procedit per intellectum vt verbum, & Spiritus Sanctus per voluntatem vt amor: ſed diſtinguuntur realiter per hoc quòd Spiritus Sanctus procedit à Filio: propter hoc enim præciſe opponuntur relatiuè, vnde ſi per impoſſibile non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo: verum quidem eſt quòd Spiritus Sanctus, quia procedit vt amor, neceſſariò procedit à Filio, cùm ſit Verbum, nam etiam apud nos amor dependet eſſentialiter à conceptu & verbo mentis, nihil enim volitum, niſi præcognitum: & ſic radix diſtinctionis Filij à Spiritu Sancto, eſt diuerſus modus procedendi, ad quem conſequitur neceſſariò proceſſio vnius ab alio, & mutua relatio, à qua proximè & formaliter deriuatur diſtinctio inter diuinas perſonas. Ad aliam partem ſimiliter dicendum, quòd ſufficit diſtinctio rationis cum fundamento in re inter diuinam intellectionem & volitionem, vt ſit diuerſa relatio rationis ex parte Dei ad peccatum ſecundùm quòd eſt volens, & ſecundùm quòd eſt intelligens, nam etiam peccatum refertur ad diuinum intellectum non vt effectus ad cauſam, ſed vt obiectum cognitum ad potentiam cognoſcitiuam, ad voluntatem autem non poteſt referri, ſi referatur, niſi vt ad cauſam: & cùm Deus non poſſit eſſe cauſa peccati, ideo Deus intelligit, & non vult peccatum: ſicut in homine animal & rationale diſtinguuntur ſola ratione; & tamen realiter homo intelligit vt rationalis, & non vt animal præciſè.

QVÆSTIO V.

De principio indiuiduationis materiæ & formæ.

Cvm Vnum & indiuiduum idem ſint, nam definiuntur ambo eſſe ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, poſtquam actum eſt de Vno, debet agi neceſſariò de indiuiduo, & de principio indiuiduationis quo indiuiduum conſtituitur tale: quia tamen in hac materia quot capita tot ſenſus, ideo claritatis gratiâ multiplicem hanc difficultatem ſigillatim examinabimus: tria igitur conſideranda occurrunt. Primò, quid ſit principium indiuiduationis materiæ & formæ ſubſtantialis quæ ſunt partes compoſiti phyſici, pars enim eſt prior toto ordine generationis. Secundò, quid ſit principium indiuiduationis eiuſdem compoſiti phyſici ſiue ſubſtantiæ materialis completæ. Tertiò, quid ſit principium indiuiduationis accidentium: circa primum quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm forma ſubſtantialis ſit ſeipsâ indiuiduâ?

¶ Secundò, Vtrùm forma ſubſtantialis indiuiduetur à materia?

¶ Tertiò, Vtrùm materia prima ſit ſeipsâ indiuidua?

¶ Quartò, Vtrùm materia prima indiuiduetur per ordinem ad quantitatem?

Articvlvs I.

Vtrùm forma ſubſtantialis ſit ſeipsâ indiuidua?

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd forma ſubſtantialis ſit ſeipsâ indiuiduâ, & maximè anima rationalis. Ita Suares 5. Metaphyſic. ſect. 4. & alij pro

[illegible] eius entitas:ergo ipsa entitas formæ substantialis est illi principium indiuiduationis,& sic seipsa est indiuidua.

§ 3. Præterea, Ex D.Thom. 1.p. q.50. art.4. formæ immateriales & subsistentes à seipsis indiuiduantur: sed anima rationalis est forma immaterialis & subsistens: ergo seipsa est indiuidua.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Thom.& Aristotelis, vt ex infra dicendis patebit, quos communiter sequuntur Thomistæ, & plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm multiplicatio & distinctio formalis præcisè, sit essentialis & specifica, forma substantialis non est seipsâ indiuidua.

RESPONDEO dicendum,quòd forma substantialis, etiam anima rationalis non est seipsâ indiuidua,sed aliunde habet suam indiuiduationem. Ad cuius euidentiam sciendum est, nos in tota hac materia inquirere de primo principio, siue de prima radice indiuiduationis, siue vnitatis & distinctionis purè indiuidualis, non enim loquimur de distinctione indiuiduali admixta distinctioni specificæ, & ex illa quodammodo procedente,quæ enim distinguuntur specie, distinguuntur etiam numero, maior siquidem distinctio infert minorem, vnde hic homo & hic equus,non solùm specie, sed etiam numero distinguuntur: sed loquimur de distinctione purè indiuiduali, qua distinguuntur duo indiuidua eiusdem speciei. Nec etiam loquimur de primo principio indiuiduationis Metaphysicè sumpto, nullus enim dubitat quamlibet rem metaphysicè indiuiduari per differentiam indiuidualem, qua limitatur ratio specifica,& constituitur indiuiduum, eo proportionali modo, quo limitatur ratio generica, & constituitur species per differentiam specificam: sed loquimur de prima radice,vnde desumatur hæc differentia indiuidualis Metaphysica, & ad quam vltimatè reducatur indiuiduatio, quæ sine dubio debet esse aliquod principium physicum, compositio enim, tum logica, tum metaphysica fundatur in aliquo physico.Nec etiam loquimur de primo principio indiuiduationis extrinseco, certum est enim causam efficientem, & præsertim Deum esse primum principium indiuiduationis cuiuslibet creaturæ, cùm enim sit prima causa ipsius esse, erit etiam prima causa vnitatis,ab eo namque à quo res habet esse, habet esse vnam: sed loquimur de primo principio intrinseco indiuiduationis.

Item sciendum est fuisse errorem apud aliquos antiquos, quòd non erant plures animæ rationales, sed vna tantùm in omnibus hominibus, quam vocabant intellectum extrinsecùs assistentem: huius erroris fuit author Commentator 3. de anima, hunc secuti sunt Manichæi vt refert Epiphanius: alius fuit error qui tribuitur Ianduno tract. de anima quæst. 5. animam scilicet rationalem esse formam non informantem, sed assistentem ad instar intelligentiæ motricis,contra quos dicimus secundùm fidem plures esse animas rationales, & quamlibet etiam inquantùm rationalem esse formam informantem, & in hoc conuenit anima rationalis cum aliis materialibus formis, quòd ex ipsa & ex materia simul vnitis resultat totum compositum: in hoc verò discrepat ab aliis, quòd aliæ formæ materiales educuntur de potentia materiæ, & tantam habent cum ipsa connexionem & dependentiam, vt extra illam, siue separatæ ab illa non possint naturaliter existere, quòd non ita de anima rationali quæ extrinsecùs aduenit materiæ, & habet ex se subsistentiam & existentiam, & ideo potest naturaliter existere separata à materia, & aliquas habet operationes

extra eam, est alterius naturæ, eo quòd distet ab eo secundum formam. Ex quibus locis deducitur sequens ratio. Multiplicatio & distinctio formalis præcisè,siue quæ procedit à forma, est essentialis & specifica:ergo intra eamdem speciem formæ non sunt multiplicabiles seipsis: ac proinde forma substantialis non est seipsâ indiuidua.

Secundò, forma ex natura sua subsistens, omnino separata à materia vt à receptiuo, non potest esse nisi vna numero, siue non potest non habere plenè totam speciem,vt patet tum in Angelis, qui omnes propter hoc differunt specie, vt infra probatur, tum exemplo albedinis allato à D.Th.1.p.q.50.art.4.quæ non posset esse nisi vna numero, si esset tam actu quam aptitudine separata, tum denique exemplo ipsius esse per se subsistentis,quod non potest esse nisi vnum scilicet diuinum: ergo forma substantialis seipsa non est indiuidua,ita vt habeat vnitatem & distinctionem purè indiuidualem.

AD primum ergo dicendum, quòd D. Th. solùm vult animam intellectiuam non habere esse, nec vnitatem indiuidualem dependenter à materia tanquam à causa materiali, ex cuius potentia educatur, non autem quòd non habeat dependenter à materia tanquam ex occasione suæ productionis, anima enim, vt fatentur omnes, creatur dependenter à materia,siue à corpore,& ad exigentiam ipsius & ita abintrinseco respicit materiam vt comparem, non ex qua fiat, sed in qua recipiatur, vt docet D.Th. q.de spiritualibus creaturis art.9. ad.5.sed hoc clariùs manifestabitur art. sequenti.

AD secundum dicendum, quòd licèt nihil sit intrinsecum rei, nisi eius entitas, tamen si ipsa res essentialiter ordinetur ad aliud, sicut accidit in præsenti(forma enim essentialiter ordinatur ad materiam,sicut actus ad potentiam)ipsa rei entitas dicit essentialem & intrinsecum ordinem ad illud, & per istum ordinem intrinsecum & essentialem indiuiduatur intrinsecè,extrinsecè verò ab ipso ad quod ordinatur.

AD tertium dicendum,quòd D.Th.loquitur de formis. immaterialibus, subsistentibus quæ sunt aliquid totum, nec respiciunt essentialiter aliud,nec sunt receptibiles in materia,vt sunt Angeli,& ideo seipsis indiuiduantur,anima autem rationalis non est de hoc numero vt patet, vnde non est mirum si pari modo non indiuiduetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm forma substantialis indiuiduetur à materia?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd forma substantialis non indiuiduetur à materia.Ita tenent authores citati articulo præcedenti, qui docent formam substantialem indiuiduari à se ipsa. Probatur. Si forma substantialis vt anima rationalis indiuiduaretur, à materia, sequeretur quòd vna esset substantialiter perfectior aliâ, quia respiceret materiam siue corpus organicum perfectius,vbi enim est perfectior indiuiduatio,ibi est perfectius indiuiduum: sed vna forma substantialis non est perfectior aliâ eiusdem speciei perfectione substantiali: ergo forma non indiuiduatur à materia.

§ 2. Præterea, Hæc determinata forma non respicit hanc determinatam materiam, ita vt in ea solummodo possit recipi quantùm est in se, imò de facto eadem forma successiuè informat diuersas materias, nã viuens continuò mutat materiam per nutritionem,& in resurrectione vniuersali plures animæ recipient materias totaliter distinctas ab illis,quas in hac vita informarunt, vt patet in his qui carnibus humanis vescuntur: ergo forma sub-

ſtantialis non eſt hæc & indiuidua à materia: propterea enim materia non indiuiduatur à forma ſubſtantiali, quia eadem manens entitatiuè poteſt recipere plures formas.

§ 3. Præterea, Hæc forma ſubſtantialis in principio ſuæ productionis indifferenter ſe habuit ad hanc, & ad illam materiam, & ſimiliter in eodem inſtanti materia ſe habuit indifferenter ad hanc, & ad illam formam. Deinde, eſto talis forma requirat in illo inſtanti determinatam materiam, tamen illam continuò mutat, & proinde, cùm non ſit maior ratio cur indiuiduetur potius à prima quæ ipſam recipit, quàm ab alia, non remanebit eadem numero, cùm mutetur eius indiuiduationis principium: ergo forma ſubſtantialis non indiuiduatur à materia.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtot. & D.Th. vt patebit ex infra dicendis, quos communiter ſequuntur Thomiſtæ, & plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm ab eodem res habeat vnitatem & indiuiduationem, à quo habet eſſe, & forma ſubſtantialis habeat & recipiat eſſe per ordinem ad materiam indiuiduam, ſic etiam indiuiduatur per ordinem ad eamdem materiam indiuiduam.

Respondeo dicendum, quòd forma ſubſtantialis, etiam anima rationalis indiuiduatur à materia, id eſt, purè numericè multiplicantur formæ ſubſtantiales iuxta numericam diuiſionem materiæ, ita vt materia indiuidua ſit radix indiuiduationis formæ, ipſam radicaliter indiuiduans: 2. formaliter verò indiuiduatur forma per ordinem intrinſecum & eſſentialem ad materiam indiuiduam 3. non quamcumque quam aliquando informat, ſed illam tantùm quam vel primò informauit, vel apta producta eſt informare. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex libris de anima, quòd licèt ſit de fide animam rationalem non educi de potentia materiæ, ſed extrinſecùs illi aduenire per creationem Dei benedicti, non tamen ſic Deus illam creat, vt ſit ſine reſpectu ad materiam, quia cum anima rationalis etiam vt ſic ſit actus informans materiam, & compars illius in conſtitutione compoſiti, eſſentialiter reſpicit illam, Deus autem non deſtruit rerum eſſentias: ergo illam creat cum ordine ad materiam: cùm hoc tamen ſtat creationem eſſe actionem independentem à materia, & nullum præſupponentem ſubiectum actuale, per cuius tranſmutationem producatur effectus, ſicut fit in generatione: bene tamen poteſt reſpicere ſubiectum poſſibile, ſiue terminum extrinſecum receptiuum alicuius actûs creati, per ordinem ad quem occaſionaliter creatur: hîc autem non quærimus de principio adæquato indiuiduationis formæ, nam ſic vtraquæque res eſt indiuidua per ſuam entitatem, ſicut per illam eſt vna; nam vnum & indiuiduum idem ſunt, vt patet ex eorum definitione, tam indiuiduum enim, quàm vnum eſt illud quod eſt indiuiſum in ſe & diuiſum à quolibet alio, ſed loquimur de primo principio, ſiue de prima radice indiuiduationis formæ.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. in 2. d. 3. q. 1. art. 4. vbi loquens de Angelis ait: *Si enim immateriales ponuntur, cùm nulla forma vel natura multiplicet numerum, niſi in diuerſitate materiæ, oportet quòd forma ſimplex & immaterialis non recepta in aliqua materia ſit vna tantùm: vnde quidquid eſt extra eam, eſt alterius naturæ, eo quòd diſtet ab eo ſecundùm formam, non ſecundùm materiale principium, quod ibi nullum eſt.*

Secundò, res ab eodem habet ſuum eſſe, vnitatem & indiuiduationem, nam res per eamdem entitatem, ſiue per eadem principia eſt tale ens, vna, & indiuidua, ſcilicet in ſe indiuiſa & diuiſa à quolibet alio: ſed forma ſubſtantialis habet ſuum eſſe per ordinem ad hanc, vel illam materiam; nam ſi hæc forma, v. g. Petri definiretur vt talis, in eius definitione ingrederetur hæc materia, vt docet D. Thom. q. de ſpiritualibus creaturis art. 9. ad 4. vbi ſic ait: *Licèt corpus non ſit de eſſentia animæ, tamen anima ſecundùm ſuam eſſentiam habet habitudinem ad corpus, inquantum hoc eſt ei eſſentiale, quòd ſit corporis forma: & ideo in definitione animæ ponitur corpus: ſicut ergo de ratione animæ eſt quòd ſit forma corporis, ita de ratione huius animæ, inquantum eſt hæc anima, eſt quòd habeat habitudinem ad hoc corpus*: Ergo forma ſubſtantialis habet ſuam vnitatem & indiuiduationem, ſiue indiuiduatur à materia, vel per ordinem ad materiam. Confirmatur. Licèt forma materialis habeat in ſe eſſe materiale, & ſimiliter materia, tamen prima radix materialitatis formæ eſt ipſa materia, non verò econtra, nam hæc cauſalis eſt vera, quia forma educitur è materia, vel quia pendet ſecundùm ſuum eſſe ab illa; ideò prædicta forma eſt materialis, & non econtra, quia primum in vnoquoque genere eſt cauſa eorum, quæ ſunt poſt in illo genere, & ita omne eſſe materiale eſt à materia prima: ergo totum eſſe materiale formæ ſubſtantialis, ac proinde eius differentia indiuidualis prouenit à materia, tanquam à prima radice: quæ ratio etiam adaptatur animæ rationali, quæ aliquo modo habet eſſe materiale vt dictum eſt ſupra Prima ſecundæ.

Tertiò, forma ſubſtantialis ex ordine ad materiam, in qua actu vel aptitudine recipitur, fit ſingularis & incommunicabilis ex D. Thom. in 2. d. 3. q. 1. art. 4. & alibi ſæpe & probat, quia formæ irreceptibiles, quia ſunt irreceptibiles, ſunt ſeipſis indiuiduæ, ſiue ipſa irreceptibilitas eſt cauſa ſuæ immultiplicationis intra ſuam ſpeciem, & conſequenter cùm oppoſiti effectus procedant à cauſis oppoſitis, formæ receptibiles quia ſunt receptibiles in hac vel illa materia, ſunt indiuiduæ, ſiue ipſa receptibilitas eſt cauſa multiplicationis ipſarum intra ſuam ſpeciem; ſed fieri ſingularem & incommunicabilem eſt indiuiduari: ergo forma ſubſtantialis indiuiduatur à materia extrinſecè, intrinſecè verò ex ordine ad ipſam. Confirmatur. Materia ſignata ſiue indiuidua eſt primum principium incommunicabilitatis, & indiuiſionis numeralis rei in ſe, vt infra patebit: ergo eſt primum principium indiuiduationis puræ numeralis in forma ſubſtantiali.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Indiuiduatio formæ eſt intrinſeca ipſi formæ, res enim indiuiduæ ſunt in ſe & intrinſecè indiuiduæ: ergo principium eius indiuiduationis debet eſſe aliquid ipſi formæ intrinſecum: nam res intrinſecè eſt indiuidua, quia intrinſecè habet vnde indiuiduetur: ſed nihil eſt intrinſecum formæ quo poſſit indiuiduari, præter reſpectum & ordinem eſſentialem ad materiam indiuiduam, qui reſpectus non eſt formæ ſuperadditus, ſed eſt tranſcendentalis, & dicit entitatem formæ non nudè ſumptam, ſed ipſam vt vnibilem materiæ, & ita non ponit in numero cum entitate formæ: ergo ſolus reſpectus intrinſecus formæ ſubſtantialis ad materiam indiuiduam eſt principium intrinſecum indiuiduationis eius, materia verò eſt terminus extrinſecus extrinſecè indiuiduans. Ex quo patet quomodò materia diuerſimodè indiuiduat formam, & totum compoſitum, nam indiuiduat formam vt terminus extrinſecus, compoſitum verò vt pars eius intrinſeca, quia vt primum diuiſibile intra lineam ſubſtantiæ tribuit illi diuiſibilitatem ſubſtantialem numericam.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Th. de ente & eſſentia cap. 6. vbi loquens de indiuiduatione animæ ſic ait: *Licèt indiuiduatio eius ex corpore occaſionaliter dependeat quantùm ad ſui inchoationem, quia non acquiritur ſibi eſſe indiuiduatum, niſi in corpore cuius eſt actus, non tamen oportet vt deſtructo corpore indiuiduatio pereat, quia cùm habeat eſſe abſolutum, ex quo acquiſitum eſt ſibi eſſe indiuiduatum, ex hoc quòd facta eſt forma huius corporis, illud eſſe ſemper remanet indiuiduatum*: Et ideo dicit Auicenna quòd indiuiduatio animarum, & multiplicatio dependet ex corpore quantùm ad ſui principium, ſed non quantùm ad ſui finem.

Secundò, indiuiduatio animæ rationalis ita dependet à materia ſicut eſſe illius, & non magis, quia ad eſſe ſequitur vnitas & indiuiduatio: ſed eſſe eius non dependet à materia, ita vt non conſeruetur ſine ea & extra ipſam, vt patet in ſtatu ſeparationis, & recipit eſſe per ordinem ad materiam quam primò informat, & in qua recipitur:

ergo

ergo & eius vnitas ac indiuiduatio dependet solùm à materia quam primò respicit & informat: quod proportionaliter dicendum est de aliis formis substantialibus, nam quælibet forma producitur proportionata & coaptata alicui materiæ, quam vel primò actuat, vel primò potest actuare, si diuinitus crearetur extra, & per hoc est indiuidua & hæc: & ideò indiuiduatio vniuscuiusque formæ prouenit à materia, cui primò fuit vnita, vel cui primò est vnibilis.

An primum ergo dicendum, quòd intra eamdem speciem, licèt vna forma non sit essentialiter perfectior aliâ, quia ratio specifica consistit in indiuisibili: tamen substantialiter vna est perfectior aliá propter diuersam commensurationem ad materiam, vt supra ostensum est de anima rationali, per hoc enim quòd vna creata fiat per ordinem ad perfectius corpus organicum, est perfectior aliâ: talis autem differentia & perfectio non est formalis & essentialis, sed substantialis & materialis: ita docet expressè D.Th. 1.p.q.85.art.7. quem communiter sequuntur eius discipuli, Bannes, & Caiet. loco citato, Capreolus in 2. d.32.q.1. Ferrar. 1. contra gentes c.8. imò Caiet. vocat cæcos in doctrina D.Th. contrariũ sentientes, vnde Toletus immeritò arguit temeritatis Caietanum in hac opinione.

An secundum dicendum, quòd forma indiuiduatur per materiam quam primò actuat & respicit, vnde variatio successiua imperceptibilis materiæ per nutritionem non tollit vnitatem numericam materiæ, nec physicam eius entitatem, vt patet in igne qui est & dicitur idem numero, licèt successiuè materia varietur: sed circa hoc videatur quod dictum est supra de nutritione ex Philosopho 1. de generatione cap. 5. Ad illud de resurrectione dicendum cum D. Thom. quòd quilibet recipiet saltem aliquam portionem suæ antiquæ materiæ ad minùs seminalis, Deo supplente alias portiones quæ transierunt ad alios homines, & fuerunt in illis principaliori modo. Deinde licèt admittatur quòd aliqua anima non recipiat actu materiam quam primò informauit, retinet tamen ordinem transcendentalem ad illam per quem indiuiduatur: igitur hæc anima ita fuit à principio coaptata ad hoc corpus formatum ex tali materia sanguinis materni, vt ex vi eiusdem creationis, & citra miraculum non potuisset vniri alteri corpori aut materiæ: & econtra huic corpori taliter disposito cui hæc anima fuit vnita, nulla alia anima sine miraculo potuit vniri propter mutuam & connaturalem vtriusque commensurationem: vnde licèt materia prima sit ex se indifferens præcisè secundùm suam nudam entitatem, vt successiuè recipiat diuersas formas, tamen sigillata præcedentibus dispositionibus ita est capax huius formæ, vt non alterius: & propter hoc forma indiuiduatur à materia, & requirit hæc omnia in prima sui productione; quia vt benè docet D.Thom. de potentia q. 3. art. 10. res creatæ sunt à Deo in sua naturali perfectione, sed postea potest amittere hanc perfectionem, remanet tamen eius vnitas & indiuiduatio. Ad illud de forma, dicimus esse disparitatem, non enim materia præcisè indiuiduat formam, quia forma dicit ordinem ad illam, sed insuper quia materia in ordine substantiæ est prius indiuidua, quàm forma, & ideo hæc ab illa recipit vnitatem numericam & materialem, dat verò eidem materiæ, quia est actus eius, esse & vnitatem formalem siue specificam.

Ad tertium patet ex modo dictis.

Articvlvs III.

Vtrùm materia prima sit seipsâ indiuidua?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd materia prima sit seipsà indiuidua. Probatur. Materia prima est primum principium siue prima radix indiuiduationis ex D.Thom. 10. Metaph. lect. 11. vbi inter alia hæc habet: *Quia in composito est materia & forma, hac quidem est ratio, id est, forma quæ constituit speciem, hac autem est materia, quæ est indiuiduationis principium*: Ergo materia seipsa est indiuidua: alioquin indiuiduaretur ab alio, & sic non esset primum principium indiuiduationis, quod enim est primum in aliquo genere, implicat quòd participet ab alio rationem talis generis, nam esset primum ex suppositione, & non esset primum quia participaret ab alio talem rationem, quæ proinde alij primo conueniret.

¶ 2. Præterea, Materia vel est seipsâ indiuidua, vel debet indiuiduari ab aliquo alio, quod essentialiter & intrinsecè respicit, indiuiduatio enim est quid intrinsecum, & consequenter conuenit rei ab aliquo intrinseco: sed materia respicit tantùm intrinsecè & essentialiter formam vt potentia actum, & compositum Physicum vt pars totum, & à nullo istorum potest indiuiduari: non à forma, quia ex D.Thom. 2. contra gentes cap. 93. differentia quæ ex forma procedit, inducit diuersitatem speciei, deinde ipsa forma indiuiduatur à materia, & sic non potest esse prima radix indiuiduationis eius: non à composito Physico, quia ad constitutionem talis compositi prærequiritur vt materia & forma simul vniantur, ex tali siquidem vnione resultat compositum: ad hoc autem vt vniantur, debent esse in aliquo priori a parte rei, & consequenter indiuiduæ & singulares: ergo materia primâ est seipsa indiuidua.

Sed contra est authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur Thomistæ, ac plures alij, qui docent materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis, ac proinde non esse seipsa indiuiduam.

Conclvsio.

Cùm materia prima non sit primum principium indiuiduationis, non est seipsâ indiuidua.

Respondeo dicendum, quòd sicut materia prima non habet ex se vnitatem specificam positiuam, vt dictum est in Physicis, sic nec ex se habet vnitatem numericam: vnde non est seipsâ indiuidua. Ad cuius euidentiam sciendum est difficultatem non procedere de materia nudè sumpta, siue non actuata per formam, quia vt communiter fatentur Philosophi, saltem naturaliter loquendo, non potest sic esse à parte rei, cùm ex se sit pura potentia, & valde diminutæ entitatis: sed procedit de materia vt substat formæ, an scilicet ita sit seipsa indiuidua, vt sit sibi primum principium suæ indiuiduationis, nec aliundè habeat suam indiuiduationem.

Probatur conclusio: materia prima si esset seipsa indiuidua, esset primum principium indiuiduationis vt patet, nam cùm indiuiduatio totius compositi sit substantialis, si intra lineam substantiæ reperiatur aliquid ita seipso indiuiduum, vt aliunde non indiuiduetur, illud debet esse radix indiuiduationis substantialis: sed materia prima secundùm se considerata non est principium indiuiduationis ex D. Thom. de ente & essentia cap. 2. vbi sic ait: *Et ideo sciendum est quòd materia non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis: sed solùm materia signata*, Quod etiam docet opusc. 7. quæst. 4. art. 2. sic enim ait: *Materia secundùm se considerata non est principium diuersitatis secundùm speciem, nec secundùm numerum*: Ergo materia prima non est seipsa indiuidua.

Secundò, materiæ primæ secundùm se non competit diuisio, & multiplicatio numerica, ita vt ex se possit diuidi in varias portiones, quia materia prima est substantia: substantiæ autem vt dictum est supra, & dicetur inferiùs, cùm non habeat ex se partes entitatiuas nec sit extensa, non competit ipsi ex propria ratione posse diuidi & multiplicari numericè: ergo seipsa non est indiuidua; illud enim est radix indiuiduationis, quod est radix diuisionis & multiplicationis purè numericæ.

An primum ergo dicendum, quòd D.Thom. vbicumque docet materiam primam esse principium indiuiduationis, intelligit materiam non secundùm se consideratam vt vidimus ex ipso, sed materiam signatam quantitate, siue prout subest dimensionibus interminatis: & ideo cùm hæ dimensiones sint de genere accidentium, quandoque diuersitas secundùm numerum reducitur in diuersitatem materiæ, quasi ad primam radicem intra ordinem substantiæ, quandoque in diuersitatem acci-

dentium, & hoc ratione dimenſionum prædictarum ex D.Thom. opuſculo citato: & ita licèt non exprimat materiam ſignatam, tamen ſic intelligit.

Ad ſecundum dicendum, quòd materia indiuiduatur ab aliquo, quod intrinſecè reſpicit vt explicabitur articulo ſequenti.

Articvlvs IV.

Vtrùm materia prima indiuiduetur per ordinem ad quantitatem?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd materia prima non indiuiduetur per ordinem ad quantitatem. Probatur. Materia prima antequam recipiat, aut reſpiciat quantitatem, eſt indiuidua, quia hæc quantitas ſiue quantitas ſingularis indiuidua non poteſt recipi, niſi in materia ſingulari, ſicut nec materia communis, ſed ſola materia ſingularis poteſt eſſe determinata, aut reſpicere & dicere habitudinem ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad illam, aut continere eam per modum radicis, cùm materia communis ex ſe ſit indifferens ad quamlibet quantitatem: ergo ipſa materia prima ſecundùm ſe non indiuiduatur per ordinem ad quantitatem; cùm præcisè ſumpta præſupponatur indiuidua.

¶ 2. Præterea, Cùm indiuiduatio ſit intrinſeca rei, debet prouenire ab aliquo eſſentiali: ſed ordo quem materia prima dicit ad quantitatem, non eſt eſſentialis, quia quantitas eſt accidens ipſi materiæ, & vnitur ipſi accidentariò, & conſequenter materia reſpicit ipſam accidentariò, & non eſſentialiter: ergo materia non indiuiduatur per ordinem ad quantitatem.

¶ 3. Præterea, Quantitas indiuiduatur à materia, ſicut & alia accidentia indiuiduantur à ſuis ſubiectis ex D.Thom. 1. part. quæſt. 29. art. 1. vbi ſic ait, *Subſtantia indiuiduatur per ſeipſam: ſed ſola accidentia indiuiduantur per ſubiectum.* Item quæſt. 9. de potentia art. 1 ad 8. ait: *Accidentia non indiuiduantur niſi ex ſuis ſubiectis: ſola autem ſubſtantia per ſe ipſam indiuiduatur, & per propria principia:* Et ideo conuenienter in ſolo genere ſubſtantiæ particulare habet proprium nomen: ergo materia non indiuiduatur à quantitate, ſed præſupponitur indiuidua in aliquo priori, vt poſſit quantitatem indiuiduare.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur Thomiſtæ, ac plures alij vt patebit quæſtione ſequenti.

Conclvsio.

Cùm quantitati conueniat eſſentialiter, vt habeat partes extra partes, ac proinde vt ſit diuiſibilis & multiplicabilis purè numericè, omnia, etiam materia prima, indiuiduantur per ordinem ad illam.

Respondeo dicendum, quòd materia prima indiuiduatur per ordinem ad quantitatem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd licèt materia non reſpiciat eſſentialiter quantitatem, cùm non ſit de eius eſſentia, nec cum ipſi conſtituat vnum per ſe, tamen reſpicit illam ab intrinſeco & connaturaliter, eo modo quo eſſentia aliqua reſpicit ſuas proprietates: & ideo abſolutè illam exigit, & tanta neceſſitate, vt licèt prærequiratur neceſſariò in materia reſpectus ad formam ſubſtantialem qui eſt primarius, ad reſpectum quem dicit ad quantitatem, qui eſt ſecundarius: & ſimiliter licèt materia neceſſariò prius recipiat formam ſubſtantialem à qua habet eſſe ſimpliciter, quàm quantitatem à qua habet tantùm eſſe ſecundùm quid; cùm hoc tamen ſtat vt ita connaturaliter reſpiciat quantitatem, vt aliqui Doctores multiplicantes in materia ſiue in toto compoſito plures formas ſubſtantiales, dixerint quòd poſita ſola forma corporeitatis, ſtatim adueniat materiæ quantitas: prærequirunt autem formam corporeitatis, quia certum eſt apud omnes, eſſe per ſe & ſimpliciter præcedere eſſe ſecundùm quid & per accidens: ſed relictâ hac opinione ſupra impugnata, fatemur tantam eſſe connexionem naturalem materiæ primæ cum quantitate, vt poſitâ materiâ à parte rei cum aliqua forma, quæcumque illa ſit, ſtatim citra miraculum debeat illi aduenire quantitas: imò non prærequiritur forma ſubſtantialis in materia quantùm ad totam ſuam perfectionem: licèt enim ipſa tota, cùm ſit indiuiſibilis, præſupponatur ad quantitatem, tamen conſequitur ipſam quantitas ſecundùm gradum corporeitatis præcisè, vt quædam eius proprietas ſecundùm iſtum gradum.

Item ſciendum eſt, quod infra probabitur, eſſentiam quantitatis in hoc conſiſtere, quòd ſit extenſa in ordine ad ſe, ſiue quòd habeat partes extra partes: ad quod conſequitur vt proprietas ratio menſuræ, tum actiuæ, tum paſſiuæ, item diuiſibilitas in partes ſimiles ſolo numero diſtinctas.

Probatur concluſio infinitis authoritatibus D. Thom. quas totâ quæſtione ſequenti referemus. Deinde illud eſt principium indiuiduationis materiæ, quod facit vt hæc materia diſtinguatur numero ab alia, hoc enim eſt ipſam indiuiduare vt patet: ſed hoc facit quantitas tanquam terminus extrinſecus, & intrinſecè facit reſpectus ſiue ordo connaturalis intrinſecus, & tranſcendentalis ad ipſam; in analogis enim attributionis ratio analoga conuenit minùs præcipuis analogatis per reſpectum ad primum & præcipuum analogatum, vt dictum eſt ſupra: ſed ratio diuiſibilitatis numericæ conuenit analogicè materiæ & quantitati, ita tamen vt quantitas ſit primum & præcipuum analogatum, quia diuiſibilitas radicalis in partes eiuſdem rationis, ſicut & extenſio partium eſt eius eſſentia, ad quam conſequitur vt proprietas, diuiſibilitas potentialis, & vt actus, connaturalis diuiſibilitas ſiue diuiſio actualis; & ſic conuenit materiæ diuidi numericè per ordinem ad quantitatem: maximè quia vt ſupra probatum eſt, & infra probabitur, nulla ſubſtantia habet partes entitatiuas, niſi à quantitate: ergo materia indiuiduatur per ordinem ad quantitatem.

Secundò, materia prima non indiuiduatur à ſeipſa vt probatum eſt, cùm ſit pura potentia: nam omnis diſtinctio ſiue omnis differentia diſtinguens procedit ab aliquo actu ex D.Thom. 1. p. q. 7. art. 1. vbi dicit materiam limitari, & determinari ad vnum per formam quam ſuſcipit. Item Ariſtot. 7. Metaph. textu 49. dicit quòd actus diſtinguit: & propterea ſuprà in Phyſicis negatum eſt materiam ex ſe habere vnitatem poſitiuam, ſiue ſpecificam, ſiue numericam. Nec etiam indiuiduatur per formam, quia omnis diſtinctio quæ prouenit à forma præcisè, eſt eſſentialis & conſequenter ſpecifica, & non purè numerica, & propterea probatum eſt formam potiùs indiuiduari per materiam. Nec indiuiduatur per totum compoſitum, imò indiuiduat ipſum, compoſitum enim reſultat ex hac forma & ex hac materia vnitis, & ſic præſupponuntur forma & materia eſſe hæ ſiue indiuiduæ: ergo reſtat quòd principium primum intrinſecum indiuiduationis materiæ, ſit eius reſpectus intrinſecus ad quantitatem, principium verò extrinſecum ſit ipſa quantitas, ex hoc quòd tribuit materiæ habere partes extra partes, & diuidi in varias portiones eiuſdem rationis.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt ſit verum materiam debere eſſe ſingularem & indiuiduam, ad hoc vt actu recipiat hanc quantitatem, & ideo non indiuiduari per prædictam receptionem exercitam, tamen ex eo quòd habeat connexionem cum illa infra explicandam, ſiue præcontineat per modum primæ radicis hanc potiùs quantitatem, quàm illam, fit, & non præſupponitur ſingularis & indiuidua, per diſpoſitiones enim vltimò præcedentes generationem ſigillatur ad hanc quantitatem, & non ad aliam: ſed de hoc redibit ſermo proprio loco quæſtione ſequenti.

Ad ſecundum dicendum, ſicut dictum eſt, reſpectum illum per quem materia indiuiduatur, debere eſſe intrinſecum & connaturalem, non verò eſſentialem, quia indiuiduatio, cùm ſit præter eſſentiam & rationem formalem ipſius rei, non eſt ipſi eſſentialis, nec debet prouenire ab aliquo eſſentiali: & ſi dicatur quòd indiuiduatio eſt de eſſentia indiuidui, quatenus indiuiduum eſt, reſpondemus etiam ſimili modo eſſe eſſentialem indiuiduo, quatenus

indiuiduum

individuum eſt, reſpectum illum ad quantitatem, quia per illum conſtituitur individuum quatenus tale eſſentialiter, cùm in illo conſiſtat ratio individuationis.

Ad tertium dicendum, quòd quantitas habet rationem generalem accidentis, in qua conuenit analogicè cum aliis accidentibus, & ſecundùm hanc rationem individuatur à ſubiecto, ſicut alia accidentia: habet etiam rationem ſuam propriam & particularem talis accidentis, in qua differt ab aliis generibus accidentium: & hæc ratio conſiſtit in hoc, quod eſt habere extenſionem partium in ordine ad ſe, ad quod conſequitur extenſio partium in ordine ad locum, & ſub hac ratione individuatur à ſitu, quod infra explicabitur.

QVÆSTIO VI.

De Principio individuationis ſubſtantiæ materialis completæ.

QVIA ſubſtantia materialis completa reſultat ex materia & forma ſimul vnitis, poſtquam actum eſt de principio individuationis materiæ & formæ, agendum eſt de principio individuationis eiuſdem ſubſtantiæ materialis, circa quod quæruntur ſeptem.

¶ Primò, Vtrùm forma ſubſtantialis ſit primum principium individuationis, & diſtinctionis purè individualis ſubſtantiæ materialis completæ?

¶ Secundò, Vtrùm materia prima præcisè ſumpta ſit primum principium individuationis ſubſtantiæ materialis completæ?

¶ Tertiò, Vtrùm materia prima ſignatâ quantitate, vt dicit compoſitum quoddam ex materia & quantitate, ſit primum principium individuationis?

¶ Quartò, Vtrùm materia prima ſignatâ quantitate, vt dicit modum ſubſtantialem materiam determinantem ad hanc quantitatem, ſit primum principium individuationis?

¶ Quintò, Vtrùm materia prima ſignatâ quantitate ſiue præhabens per modum radicis hanc potius quantitatem quàm illam, ſit primum principium individuationis?

¶ Sextò, Quid dicat differentia individualis ſupra naturam ſpecificam in ſubſtantiis materialibus completis?

¶ Septimò, Quid dicat differentia individualis ſupra naturam ſpecificam in ſubſtantiis immaterialibus completis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm forma ſubſtantialis ſit primum principium individuationis & diſtinctionis purè individualis ſubſtantiæ materialis completæ?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd forma ſubſtantialis ſit primum principium individuationis, & diſtinctionis purè individualis ſubſtantiæ materialis completæ. Ita Niphus 5. Metaph. diſp. 5. Suares diſp. 5. Metaph. ſect. 4. Peres 3. de anima concluſ. 1. Zimara Theoremate 97. citatur etiam Commentator 1. de anima cap. 7. & alibi Auicenna 6. naturalium parte 1. Probatur. Primum principium individuationis duo requirit, ſcilicet vt ſit intrinſecum ipſi individuo, & maximè proprium illius vt ſic, eo proportionali modo quo principium ſpecificationis debet eſſe intrinſecum; & maximè proprium individui quatenus in ſua ſpecie conſtituti: ſed iſta duo ſoli formæ ſubſtantiali competunt; nam accidentia individui non ſunt intrinſeca, materia verò licèt ſit intrinſeca, tamen non eſt maximè propria, quia eadem met quæ nunc conſtituit Petrum, poſtea conſtituet Paulum: ergo forma ſubſtantialis eſt primum principium individuationis, & diſtinctionis, purè individualis ſubſtantiæ materialis completæ.

¶ 2. Præterea, Illud eſt primum principium individuationis compoſiti, quod eſt primum principium reſpectu eſſe illius: ex D. Thom. q. vnicâ de anima art. 1. ad 2. vbi dicit, vnumquodque ſecundùm idem habere eſſe, & individuationem: ſed forma eſt primum principium eſſe ſiue exiſtentiæ vt patet: ergo & individuationis: & propterea Ariſtoteles 1. de anima cap. 1. dixit formam eſſe quæ conſtituit hoc aliquid.

¶ 3. Præterea, Si forma ſubſtantialis eadem numero informet diuerſo tempore diuerſas materias, reſultabit idem ſemper individuum, quod non eſt de materia, quæ indifferenter modo eſt in vno, modo in alio individuo, vt patet in his qui veſcuntur carnibus humanis: ergo ſignum eſt quòd forma ſit primum principium individuationis: maximè quia ſicut materia limitat formam, ſic forma limitat materiam.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem vnanimiter ſequuntur eius diſcipuli, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm vnitas, quæ prouenit à forma vt à primo & radicali principio, ſicut & diſtinctio ſit ſpecifica, forma ſubſtantialis non poteſt eſſe primum principium individuationis, & diſtinctionis purè individualis ſubſtantiæ materialis completæ.

RESPONDEO dicendum, quòd forma ſubſtantialis non poteſt eſſe primum principium individuationis, & diſtinctionis purè individualis ſubſtantiæ materialis completæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd præſens difficultas non procedit de principio individuationis adæquato: certum eſt enim individuum ſic eſſe ſeipſo individuum, Petrus enim eſt individuum, quia conſtat hac materia & hac forma: nam illud eſt principium adæquatum individui, per quod individuum conſtituitur vnum ens actu ſimpliciter & adæquatè: ſed res adæquatè conſtituitur per ſeipſam vnum ens actu: ergo individuum eſt adæquatè ſeipſo individuum: & in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thom. quando 1. p. q. 29. art. 1. & alibi dicit ſubſtantias individuari per ſeipſas, ſed procedit de principio inadæquato individuationis, ſiue de prima radice. Aliis verbis individuum adæquatum, ſolet vocari individuum formaliter & proximè, quia illi conuenit differentia individualis: individuum verò inadæquatum, ſiue prima radix individuationis, & multiplicationis intra eandem ſpeciem dicitur individuum principiatiuè & originaliter. Ex hoc excluditur opinio Aureoli apud Capreolum in 2. d. 3. q. 1. Durandi q. 2. Heruæi quodlib. 3. q. 9. qui dicunt totam entitatem rei eſſe principium individuationis, concurrentibus etiam cauſis extrinſecis, & ita facilè ſe expediunt ab hac difficultate, ſed incidunt in maiorem, ex hac enim opinione ſequitur omnia eſſentialiter eſſe individua, nam quod alicui conuenit ſecundùm ſuam entitatem totam, eſt illi eſſentiale; non poteſt autem dici quòd aliqua natura ſit eſſentialiter individua & ſingularis, niſi ſolùm diuina, conſtat enim ex Logica, quòd natura ſpecifica ex ſe ſit indifferens, vt ſit vniuerſalis, vel ſingularis, vnde quærimus à quo illi proueniat, vt ſit determinata & individua à parte rei: & ſic quando Ariſtoteles 4. Metaph. textu 3. ait quòd eodem modo formaliter aliquid eſt homo, & vnus homo loquitur de vnitate tranſcendentali, & non de individuali ac numerica.

Item ſciendum eſt, vt ſeparemus certa ab incertis, primum principium individuationis non eſſe cauſam efficientem & finalem. 2. nec congeriem omnium accidentium. 3. nec exiſtentiam rei. 4. nec quoſdam modos intrinſecos rei quos vocant hæcceitates. Quòd non ſit cauſa efficiens & finalis patet, nam quælibet res eſt intrinſecè vna & individua: ergo per aliquod principium intrinſecum, cauſa verò agens & finis ſunt extrinſeca reſpectu rei: deinde cauſa naturalis & finis ſunt ſecundùm ſe indeterminata & indifferentia ad hoc, vel ad illud individuum: nam eadem cauſa poteſt plura producere, &

poſſunt

possunt plura produci propter eumden finem: tertum est autem quòd principium indiuiduationis ita debet esse proprium vnicuique, quòd non conueniat alteri, aliàs non distingueretur ab illo, quæ enim habent idem omninò principium indiuiduationis, sunt iden indiuiduum: nec est contrarius Aristoteles, quando 8. Metaphysicæ textu 12. assignat causam cur sint diuersa indiuidua, cùm materia sit ex se indifferens, & dicit esse ipsum agens, intelligit enim de principio extrinseco indiuiduationis, & tale est efficiens, concurrit enim extrinsecè adindiuiduationem, disponendo materiam ex se indifferentem, vt sit apta hanc formam recipere, & constituere hoc indiuiduum modo infra dicendo. Quod primum principium indiuiduationis non sit congeries accidentium, quæ his versibus exprimuntur.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
patria, sunt septem, quæ non habet vnus & alter.

Constat. Nam principium indiuiduationis debet esse aliquid intrinsecum & substantiale, quia quælibet res est intrinsecè & substantialiter indiuidua: ergo cùm effectus assimiletur causæ, & ex Aristotele 1. Poster. cap. 6. prædicamenta sint impermixta à supremo genere vsque ad vltimam differentiam, principium accidentale non poterit causare indiuiduationem substantialem: deinde accidentia potiùs indiuiduantur à subiectis, quàm ipsa indiuiduent subiecta, vt infra patebit: denique accidentia non adueniunt naturæ communi, non enim homo in communi est albus, sed adueniunt naturæ provt est à parte rei, & consequenter singulari ac indiuiduæ: naturæ enim vniuersales non existunt in seipsis à parte rei, sed quidquid est à parte rei, est singulare & indiuiduum, vel singularisatum & indiuiduatum: & ita accidentia non indiuiduant naturam, sed illam præsupponunt indiuiduatam. Nec contrarius est Porphyrius, dum ait capite 2. de specie, indiuidua nominantur, quòd ex proprietatibus vnumquodque constet, quæ omnes in alio esse eædem nullo modo possunt: non enim definit, sed describit indiuiduum, certum est enim hæc accidentia, licèt non sint principium, tamen sunt signum indiuiduationis. Nec etiam contrariatur Aristoteles 7. Metaph. cap. 15. dum vetat indiuidua definire, videtur enim indicare ex hoc differentiam indiuidualem esse accidentalem, ac proinde procedentem ab accidentibus: si enim esset quid substantiale proueniens ab aliquo intrinseco, posset ex ipsa & natura specifica conflari definitio indiuidui: dicimus enim quòd Aristoteles prohibuit definitiones indiuiduorum, quia cùm differentiæ indiuiduales sint valdè ignotæ, deberent tradi per accidentia, & sic essent definitiones impropriæ: si quis autem cognosceret differentias indiuiduales, posset indiuidua definire. Quòd primum principium indiuiduationis non sit existentia rei, patet: nam existentia exercitas cùm rei adueniat, debet rem præsupponere saltem in aliquo instanti naturæ esse realiter à parte rei, non enim potest concipi aliquid aduenire alteri, nisi illud alterum realiter à parte rei in aliquo priori præsupponatur: si autem res præsupponitur à parte rei ante aduentum existentiæ, præsupponitur iam indiuidua, quod enim est à parte rei, est indiuiduum vel indiuiduatum: deinde quia res per aliquid intrinsecum, & sibi necessariò connexum sunt indiuiduæ vt patet, existentia autem non habet necessariam connexionem cum rebus: aliàs necessariò existerent, quod nulli creaturæ conuenit, vnde existentia est accidens prædicabile de creatura: ergo non potest esse principium indiuiduationis rei, sed potius indiuiduatur ab ipsa re. Quòd denique modi quidam intrinseci non sint principium indiuiduationis, probatur breuiter contra Scotum & Fonsecam, qui dixit D. Thom. & Aristotelem non rectè sensisse de principio indiuiduationis, talis modus qui dicitur intrinsecus & vocatur ab illis hæcceitas, vel est ipsa differentia indiuidualis, vel est aliquid aliud: si primum, exeunt isti Doctores à limitibus difficultatis, nam differentia indiuidualis potius est terminus indiuiduationis, quàm principium radicale ipsius, differentia enim indiuidualis, sicut & differentia specifica proportionali modo deriuantur ab aliquo. Si secundum, cùm illud sit distinctum ab ipsa re, debet illi aduenire & vniri cum illa realiter, impossibile est autem aliqua realiter vniri nisi præsupponantur à parte rei in aliquo priori, propter hoc enim ex D. Th. humanitas Christi Domini præsupponitur assumptioni in aliquo priori, si præsupponitur ipsa res à parte rei, iam est indiuidua, quod enim est à parte rei, eo modo quo est, est indiuiduum vel indiuiduatum.

Probatur conclusio authoritate Aristotelis & D. Th. Aristoteles quidem 5. Metaph. cap. 6. dicit distinctionem indiuiduorum intra eamdem speciem prouenire ex diuisibilitate materiæ. Item lib. 12. cap. 8. docet ea, quæ sunt multa numero, habere materiam, & ex hoc concludit primum motorem esse vnum, non solùm ratione, sed etiam numero. Item 10. Metaphysicæ textu 25. sic ait: *Quoniam hæc quidem est ratio, hæc autem materia, quæcumque quidem in ratione sunt contrarietates, specie faciunt differentiam, quæ verò in conceptu cum materia, non faciunt.* Quod expunens D. Thom. lect. 11. hæc habet: *Quia in composito est materia & forma, hæc quidem est ratio, id est, forma, quæ constituit speciem, hæc autem est materia quæ est indiuiduationis principium: quæcumque contrarietates sunt in ratione, id est, ex parte formæ, faciunt differentiam secundum speciem, illa verò quæ sunt ex parte materiæ, quæ sunt propria indiuidui, quod est acceptum cum materia, non faciunt differre secundùm speciem.* Item 2. contra gentes cap. 93. ait, *Quæcumque sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam, differentia autem quæ ex forma procedit, inducit diuersitatem speciei, quæ autem est ex materia inducit diuersitatem secundùm numerum.* Item in 2. d. 3. quæst. 1. art. 4. ait: *Cum nulla forma vel natura multiplicet numerum, nisi in diuersitate materiæ, oportet quòd forma simplex & immaterialis non recepta in aliqua materia, sit vna tantùm: vnde quidquid est extra eum, est alterius naturæ, eo quod differt ab eo secundùm formam, non secundùm materiale principium, quod ibi nullum est.* Idem docet multis aliis locis, ex quibus deducitur sequens ratio.

Vnitas & distinctio proueniens à forma vt à primo & radicali principio, est vnitas & distinctio specifica, non verò est vnitas & distinctio purè indiuidualis de qua loquimur, nam vnitas & distinctio quæ procedit à forma, est formalis cùm sit secundùm essentiam, quæ est quid formale in vnaquaque re: vnitas verò & distinctio purè numerica & indiuidualis, est vnitas & distinctio materialis vt patet: & sic distinctio & vnitas procedens à forma vt à primo principio est specifica, & non purè indiuidualis: ergo forma non est primum principium indiuiduationis & distinctionis purè indiuidualis. Quæ ratio sic magis declaratur, & confirmatur. Licèt possit fieri quòd distinctio quæ est in formis, & exercetur inter illas, ex hoc præcisè non sit formalis, sicut illa quæ est intra eamdem speciem, tamen est impossibile quòd vnitas & distinctio quæ est in formis, & procedit ab ipsis vt à prima radice, non sit formalis, quia sic procedit à forma vt forma est: sicut vnitas vel distinctio proueniens à materia, quatenus materia est, vt à primo & radicali principio, non potest non esse materialis, & nullo modo potest esse formalis & specifica, est enim vtrobique par ratio, ex eo quòd effectus non potest esse vltra suam causam, & ideo vnitas & distinctio formalis nequit prouenire vt à prima radice, nisi à forma, sicut nec vnitas & distinctio materialis, nisi à materia. Nec obstat quòd in Logica dictum sit, rationem genericam, quæ sine dubio est formalis, prouenire à materia: hoc enim debet intelligi de ratione generica secundùm id quod habet de potentialitate & materialitate, non autem secundùm id quod habet de actualitate & formalitate, vt sic enim procedit à forma substantiali quatenus tali.

Nec valet id quod aliqui respondent, scilicet in forma reperiri aliquid materiale & aliquid formale, & ipsam licèt secundùm illud formale sit principium vnitatis & distinctionis formalis siue specificæ, tamen secundùm

illud

ideò prædicta forma est materialis: ergo vnitas & distinctio purè indiuidualis non potest prouenire à forma, sed semper erit à materia, vt à prima radice.

Ad primum ergo dicendum, quòd forma substantialis non habet à se vt sit hæc purè indiuidualiter, & sic non est maximè propria indiuidui quatenus tale, vnde è contra, quia primò competit materiæ vt sic hæc in ordine substantiali, siue intra limites substantiæ, ideò est maximè propria indiuidui. Nec verum est quòd eadem materia numero, siue hæc positiuè modò constituat vnum indiuiduum, modò aliud: per eamdem verò materiam numero positiuè intelligimus materiam ex vi dispositionem agentis sigillatam ad hanc numero quantitatem, vt sic autem est principium indiuiduationis: nam ita est coaptata cum hac numero forma, vt non possit recipere aliam: sicut forma vt hæc ita est coaptata cum hac numero materia, vt est hæc positiuè siue vt est sigillata ad hanc quantitatem, vt non possit recipi in materia quæ sit alia numero positiuè, conceditur autem quòd eadem materia, identitate & vnitate negatiua, modo sit sub forma embrionis, modo sub forma hominis, sed vt sic non est principium indiuiduationis.

Ad secundum dicendum, quòd esse substantiale & indiuiduatio purè numeralis procedunt à diuersa radice illud à forma, hæc à materia: nec D. Th. loco citato aliud docet quàm quòd idem dicit susceptiuum existentiæ siue esse, & indiuiduum vt quod. Arist. verò intelligit de constitutione formali in aliqua specie, quæ sine dubio procedit ab actu siue forma, non verò de constitutione materiali quæ est indiuiduatio, hanc enim vt vidimus reducit ad materiam.

Ad tertium dicendum, quòd hæc forma est principalior pars indiuidui, inquantum dat illi esse specificum, & etiam dat esse indiuiduale proximè & immediatè: sed tamen non habet à se quòd sit hæc purè indiuidualiter vt dictum est: sed habet à materia tanquam à prima radice, intra limites substantiæ, scilicet à materia per ordinem ad quam creata est, si sit anima rationalis, vel de cuius potentia educta est, si sint aliæ animæ, vel aliæ formæ substantiales: semel autem indiuiduata & reddita hæc, nunquam amittit suam vnitatem numericam: vnde non est mirum quòd resultet semper idem indiuiduum, licèt eadem forma diuerso tempore informet diuersas materias, dummodo hoc fiat insensibiliter, vt accidit in nutritione, nec enim mutatur tota materia quam primò informauit, si enim totaliter mutaretur materia, non esset omninò & perfectè idem indiuiduum, cùm materia sit pars substantiæ, & propterea dicitur quòd in resurrectione reunietur forma cum propria materia: qua autem ratione fiat distributio materiæ in his, qui carnibus humanis vescuntur, ita vt vnusquisque cum propria materia & forma resurgat dictum est supra in Physicis: materia autem eadem numero positiuè non est in diuersis indiuiduis & sic est principium indiuiduationis: licèt sit in diuersis eadem negatiuè, sed vt sic non est principium indiuiduationis, forma autem limitat materiam ad esse specificum, sed limitatur ab ipsa ad esse purè indiuiduale.

Articulus II.

Vtrùm materia prima præcisè sumpta sit primum principium indiuiduationis substantiæ materialis completæ?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd materia prima præcisè sumpta sit primum principium

... *incommunicabilis, quod est proprium indiuidui*, paulò post ait: *Materia enim sola est principium indiuiduationis quoad illud in quo saluatur ratio primi.* It. q. 9. de potentia art. 1. ad 8. ait, *Accidentia non indiuiduantur, nisi ex suis subiectis*, Sola autem substantia per seipsam indiuiduatur, & per propria principia: ideò conuenienter in solo genere substantiæ particulare habet proprium nomen: ergo materia prima præcisè sumpta est primum principium indiuiduationis substantiæ materialis completæ.

§ 2. Præterea, Materia prima præcisè sumpta est prima pars compositi substantialis, nam præcedit formam cùm forma educatur de eius potentia, vel creatur per ordinem ad ipsam, nec vllum habet respectum ad accidentia in illo priori, quia priùs respicit formam tanquam actum per se, quàm accidentia quæ sunt eius actùs secundùm quid tantùm, & secundarij, imò non respicit ipsa, nisi quia debentur formæ: ergo materia prima præcisè sumpta est primum principium indiuiduationis substantiæ materialis completæ: sicut forma præcisè sumpta est principium specificationis, quia est primum principium eius.

§ 3. Præterea, Vnitas generica desumitur à materia præcisè sumpta, vt dictum est supra in Logica, ea quòd est vnitas materialis & potentialis: ergo etiam vnitas indiuidualis, cùm sit purè materialis, desumetur à materia præcisè sumpta.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. & communis sententia Thomistarum.

Conclusio.

Cùm materia prima præcisè sumpta sit communis omnibus formis & compositis sublunaribus, non potest esse propria alicuius indiuidui, potiùs quàm alterius, ac proinde nec primum principium indiuiduationis substantiæ materialis completæ.

Respondeo dicendum, quòd materia prima præcisè sumpta non est primum principium indiuiduationis substantiæ materialis completæ. Probatur authoritate D. Th. 5. Metaph. lect. 8. vbi ait: *Materia secundùm quòd stat sub dimensionibus signatis, est principium indiuiduationis formæ: & propter hoc ex materia habet singulare quòd sit vnum numero ab aliis diuisum.* Item opusc. 70 super Boëtium de Trinitate q. 4. art. 2. ad 1. ait, *Cùm dicit Philosophus numero sunt vnum, quorum materia est vna, intelligendum est de materia signata quæ subest dimensionibus: aliàs oporteret dicere quòd omnia generabilia & corruptibilia sunt vnum numero, cùm eorum sit materia vna.* Item de essentia cap. 2. ait, *Sciendum est quòd materia non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis, sed solum materia signata, & dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideretur.* Hæc autem materia in definitione hominis, inquantum homo non ponitur sed poneretur in definitione Socratis si Socrates definitionem haberet, in definitione autem hominis ponitur materia non signata, non enim in definitione hominis ponitur hoc os, & hæc caro, sed os, & caro absolutè quæ sunt materia hominis non signata. Item eodem opusc. super Boëtium q. 4. art. 2. ad 2. ait: *Dimensiones cùm sint accidentia per se, non possunt esse principium vnitatis indiuidua substantiæ, sed materia prout talis dimensionibus substat, intelligitur esse principium talis vnitatis & multitudinis.* Et ad 4. ait: *Illa quæ differunt numero in genere substantiæ, non solùm differunt accidentibus, sed etiam forma & materia, sed si quæratur, quare hæc forma differt ab illa, non erit alia ratio, nisi quia est in hac materia signata, nec inuenitur alia ratio, quare hæc materia* sit

ſit diuiſa ab illa,niſi propter quantitatem: & ideo materia ſubiecta dimenſioni intelligitur eſſe principium huius diuerſitatis. Item eodem opuſc. 70. q.4.art.2.ait, *Materia ſecundùm ſe conſiderata non eſt principium diuerſitatis ſecundùm ſpeciem, nec ſecundum numerum: ſed ficut eſt principium diuerſitatis ſecundùm genus, prout ſubeſt communi forma, ita eſt principium diuerſitatis ſecundum numerum, prout ſubeſt dimenſionibus interminatis: & ideo cùm hæ dimenſiones ſint de genere accidentium, quandoque diuerſitas ſecundùm numerum reducitur in diuerſitatem materia, quandoque in diuerſitatem accidentium, & hoc ratione dimenſionum prædictarum.* Alia verò accidentia non ſunt principium indiuiduationis, ſed ſunt principium cognoſcendi diſtinctionem indiuiduorum:& per hunc modum etiam aliis accidentibus indiuiduatio attribuitur: ecce quomodo D. T. excludit explicationem, quam adhibet Suares locis aliis Ariſtoteles & D.Thom. quòd ſcilicèt quantitas non ſit principium indiuiduationis quoad eſſe, ſed tantùm quoad cognoſci, nam ibi S. Doctor ponit differentiam inter quantitatem & alia accidentia, quòd hæc ſint principium indiuiduationis quo ad cognoſci tantùm, illa verò quoad eſſe.

Secundò, materia prima præcisè ſumpta eſt communis omnibus formis & compoſitis ſublunaribus, nam ſucceſſiuè modò eſt in vno, modò in alio, vt patet: ſignata verò quãtitate ita eſt determinata ad hanc formam & ad hoc compoſitum, vt non poſſit eſſe in alio, vt fuſiùs infra explicabitur: ergo materia non præcisè ſumpta, ſed ſignata quantitate eſt primum principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis completæ. Confirmatur quantitas ſeipſa eſt indiuidua,vt infra probatur:ergo ipſa eſt prima radix indiuiduationis, quod enim eſt primum & tale per ſe in aliquo genere,eſt cauſa cæterorum nec tamen inde ſequitur quantitatem eſſe potiſſimam radicem & primum principium indiuiduationis, & non materiam ſignatam quantitate, nam ſi dicatur quòd quantitas vt actu inhærens ſit principium indiuiduationis, vt aliqui Thomiſtæ docent, adhuc ipſa non concurrit,niſi in obliquo, & materia in recto, nam materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis.Deinde dato quod concurreret in recto, tamen non concurreret per ſe primò in id quod eſt prius & eſſentialius in indiuiduatione, ſcilicet ad indiuiſionem rei in ſe, ſed in id quod eſt poſterius & ſe habet ad modum proprietatis, ſcilicet ad diuiſionem rei ab aliis: ſi autem dicatur quòd pro materia ſignata quantitate, intelligitur materia vt præhabens hanc quantitatem potius quàm aliam radicaliter,certum eſt quòd materia concurrit primariò & intrinſecè ad indiuiduationem, quantitas verò tantùm ſecundariò & extrinſecè,nam materia ſignata ſic quantitate & radicaliter ipſam præhabens, dicit ipſam materiam in recto cum ordine tranſcendentali ad hanc quantitatem & ita dicit quantitatem in obliquo & extrinſecè: materia autem ſic ſumpta eſt vna numero poſitiuè,præcisè verò & ſecundùm ſe ſumpta eſt ad ſummum vna numero negatiuè.

Tertiò, illud eſt indiuiduum, quod eſt incommunicabile inferioribus ſimilibus vt patet, per hoc enim differt natura indiuidua ab ſpecifica & generica: ſed materia non præcisè ſumpta, ſed ſignata quantitate eſt primum fundamentum huius incommunicabilitatis, nam forma cùm ſit actus de ſe communicabilis eſt, materia autem cùm ſit prima potentia, de ſe eſt incommunicabilis, & ita ſignata quantitate (qua ratione ſolùm eſt apta ad receptionem formæ) ſic per hanc receptionem illam coarctat, vt non poſſit alteri communicari ex D.Th. ſupra Aoëtium loco citato, vbi ſic ait: *Forma ſit hæc, per hoc quòd recipitur in materia, & materia efficitur hæc & ſignata, ſecundùm quòd eſt ſub dimenſionibus*: Ergo materia prima non præcisè ſumpta, ſed ſignata quantitate eſt primum principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis completæ. Confirmatur hoc totum ex D.Thom. opuſc. 29. vbi ait: *Impoſſibile eſt formam vniri materiæ, quin ſit particularis, & quòd eam ſequatur quantitas determinata, per quem modum non eſt extra communicabilis materia alicui alteri formæ.* quia hæc quantitas cùm alia forma reperiri non poteſt cum eadem determinatione: & ideo materia non eſt incommunicabilis ſecundùm eamdem determinationem, ſicut forma eſt, vt dictum eſt: ratio enim materiæ ſub forma aliqua eſt alia, à ratione ſua ſub alia forma, quia certificatur ratio ſua per determinationem quantitatis, quia in diuerſa proportione & dimenſione requiritur ad diuerſas formas: eſſentia enim naturæ non diuerſificatur ſub diuerſis formis,ſicut ratio ſua, ratio enim materiæ non eſt vna & communis, ſicut ſua eſſentia eſt: ratio enim formæ in diuerſis materiis eſt vna, licèt ſecundùm ſe ſit diuerſa: & ideo communitas ſecundùm eſſentiam tantùm,quæ eſt ipſius materiæ, & non ſecundùm rationem, non impedit materiam eſſe primum principium indiuidiationis:per rationem autem materiæ intelligit D. Th. vt patet ex ipſo contextu ipſammet materiam, vt ſignatam quantitate.

Ad primum ergo dicendum, quòd benè docet D.Th. materiam ſolam eſſe principium indiuiduationis, quia ipſa vt ſignata quantitate, prout eſt idem ac præhabens per modum radicis quantitatem, non diſtinguitur à ſeipſa præcisè ſumpta realiter, quia effectus vt habet eſſe in ſua cauſa non diſtinguitur realiter ab illa: dicit tantùm ſupra ſeipſam reſpectum tranſcendentalem ad quantitatem, ſiue connotat ipſam: quia ad illam eſt determinata & coaptata per præuias diſpoſitiones cauſarum agentium, & per hoc in inſtanti generationis dicitur ſignata quantitate: & quia materia eſt in ordine ſubſtantiæ, ideo dicitur ſubſtantia indiuiduate per ſeipſam tanquam per primam radicem, id eſt, per aliquid ſui generis,quod non eſt de accidentibus, quæ indiuiduantur per ſubiecta, etiam quantitas ſub ratione communi accidentis: quamuis ſecundùm eſſe formale, ſiue ſecundùm rationem particularem quantitatis, & vt tale accidens indiuiduetur à ſeipſa, ſiue à proprio ſitu.

Ad ſecundum dicendum, quòd materia præcisè ſumpta eſt pars ſubſtantialis compoſiti materialis, ſed non huius compoſiti vt patet ex rationibus, & authoritatibus adductis: licèt vt recipiat hanc quantitatem, debeat præſupponi indiuidua & ſingularis, & ita per illam in actu exercito receptam non indiuiduatur, vt illam tamen præhabeat per modum radicis, non debet præſupponi ſingularis & indiuidua, ſed per hoc redditur talis. Item licet priùs reſpiciat formam talem etiam ſpecificè,quàm quantitatem,vt habet rationem quaſi proprietatis talis formæ, & vt debitam & proportionatam ipſi ratione ſitûs, figuræ ſpecificæ, &c. non tamen priùs reſpicit hanc numero formam, quàm hanc numero quantitatem, ſcilicet tantam: ad hanc enim potiùs, quàm ad illam determinatur per præuias diſpoſitiones agentis, & forma educitur à materia ſic ſignata, vel creatur per ordinem ad aliam ſic ſignatam, & ex hoc eſt perfectior, vel minùs perfecta indiuiduatio vniuſcuiuſque formæ & compoſiti, eſt autem differentia inter formam & materiam in hoc, quòd forma præcisè ex ſe eſt determinata ſpeciei, & ideo ex ſe præcisè poteſt illam communicare toti compoſito, materia verò ex ſe non eſt determinatæ indiuiduationis, ſed hoc habet à quantitate,& ideo ex ſe præcisè non eſt primum principium indiuiduationis.

Ad tertium dicendum, quòd eſt diſparitas inter vnitatem genericam & numericam, quòd vnitas generica eſt contrahibilis per varias differentias ſpecificas, & communicabilis variis ſpeciebus, & ideo poteſt deſumi à materia præcisè ſumpta, quæ etiam eſt communicabilis: vnitas verò numerica eſt omnino indiuiſibilis & incommunicabilis, & ideo debet deſumi à materia vt eſt incommunicabilis alteri compoſito, hoc autem non habet, niſi vt eſt ſignata quantitate.

ARTICVLVS

Articvlvs III.

Vtrùm materia prima signata quantitate, vt dicit compositum quoddam ex materia & quantitate, sit primum principium induiduationis?

AD tertivm sic proceditur. Videtur quòd materia prima signata quantitate, vt dicit compositum quoddam ex materia & quantitate, sit primum principium indiuiduationis. Ita tenent aliqui Thomistæ, Ferrar. contra gentes cap. 21. Soncinas 7. Metaph. q. 34. Nazarius 1.p.q.3.art. 2. hoc autem sic explicant, dicunt quòd in indiuiduo sunt duo, scilicet esse indiuisum in se vltima diuisione siue esse incommunicabile, eo modò quo superios communicatur inferiori, & esse eodem modo diuisum à quolibet alio: primum dicunt prouenire à materia, secundum à quantitate actu inhærente, & ita primum principium adæquatum indiuiduationis esse compositum ex materia & quantitate. Probatur authoritate D. Thom. qui hoc expresè docet 3.p.q.77.art.2. Item in 4.d.12.q.1. art.1. Item vt supra vidimus per materiam signatam intelligit materiam sub certis dimensionibus. Item opusc. 32.cap. 3. docet, quòd illud, in quo saluatur ratio primi siue indiuidui materialis in genere substantiæ, non potest reperiri sine quantitate. Deinde Aristoteles 10.Metaph.cap.3.ponit duplex genus distinctionis, scilicet essentialis per formam, & numericæ per quantitatem: ergo sicut illa procedit à forma actu informante, sic ista à quantitate actu inhærente.

§ 2. Præterea, Materia non potest esse hæc & indiuidua, nec principium indiuiduationis, nisi sit diuisa ab alia parte materiæ, indiuiduum enim est illud quod est in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio: sed vna pars materiæ non potest esse diuisa ab alia, nisi per quantitatem actu inhærentem, nam diuisio siue multiplicatio partium eiusdem rationis conuenit per se quantitati, aliis verò per quantitatem, cuius est effectus formalis talis diuisio: constat autem effectum formalem non communicari ab aliqua forma, nisi sit actu communicata: ergo materia signata quantitate, vt dicit compositum quoddam ex materia & quantitate, est primum principium indiuiduationis.

§ 3. Præterea, materia signata quantitate, vel dicit aliquid supra materiam nudè & præcisè sumptam, vel nihil: non secundum, aliàs materia præcisè sumpta esset primum principium indiuiduationis, cuius contrarium probatum est: si primum, cùm illud superadditum non possit esse aliud ab ipsa quantitate, sequitur quòd compositum ex materia & quantitate sit principium indiuiduationis: maximè quia conuenit ab intrinseco quantitati propria indiuiduatio, sicut & diuisio numerica, & ita communicat illam cæteris vt prima radix, per modum causæ formalis, & ita debet actu inhærere, nam causa materialis & formalis non communicant suos effectus, nisi actu sint.

Sed contra est authoritas D. Thom. quem sequuntur Nostri Salmanticenses 1.p.q.3.dub.3. Zumel, Bannes ibidem, Caietanus 1.p.q.29. art. 1. Gonzales q. 11. art. 1. disp.23. Capreol. in 2.d.3.q.1.art.3. Flandria 7.Metaph. q. 29. art.4. Iauellus 5.Metaph.q.15. Ægidius quodlibet. 5.q. 5.art. 1. & alij.

Conclvsio.

Cùm prima substantia materialis sit vnum per se ponibile in prædicamento substantiæ, tanquam fundamentum cæterorum huius prædicamenti, non constituitur in suo esse, scilicet primæ substantiæ per quantitatem actu inhærentem, & intrinsecè constituentem illam in esse indiuidui.

Respondeo dicendum, quòd materia prima signata quantitate vt dicit compositum quoddam ex materia & quantitate, non est primum principium indiuiduationis. Probatur authoritate D. Thom. opusc. 32. cap. 3. vbi sic ait: *Dicitur quod materia sub certis dimensionibus est causa indiuiduationis, non quòd dimensiones causent indiuiduum, cùm accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic & nunc, sicut per signum proprium indiuidui & inseparabile:* Hoc autem loco, vt patebit legenti, dicit non esse principium indiuiduationis materiam signatam quantitate, vt dicit compositum quoddam ex materia ipsa vt subiecto, & ex dimensionibus tanquam ex causa formali constituente illud intrinsecè. Ibidem etiam hæc habet: *Cùm ergo forma recipitur in materia circumscriptis omnibus per intellectum dimensionibus, fit aliquid existens in genere substantiæ, & vltimum completam habens rationem indiuidui in substantia, sed non fit hic & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis & certis.* Idem docet opusc. 29. & alibi sæpe.

Secundò, prima substantia materialis est vnum per se ponibile in prædicamento substantiæ, vt fundamentum cæterorum huius prædicamenti, vt patet ex arbore Porphyriana, communi consensu: ergo non constituitur in esse substantiæ primæ, siue indiuidui, per aliquod accidens siue per quantitatem vt formam inhærentem, aliàs prima substantia esset ens per accidens, constaret enim ex rebus diuersorum prædicamentorum, scilicet substantiâ & quantitate vt formâ inhærente & constituente: nec esset maximè substantia collata cum secundis substantiis, nam haberet in sui constitutione admixtum accidens, quod non habent secundæ: hoc autem est contra Aristotelem, qui in prædicamentis vocat primam substantiam, maximè substantiam. Confirmatur. Id quod pertinet ad aliquam lineam, præcipuè si sit fundamentum cæterorum illius lineæ, non potest constitui per aliquid extra prædictam lineam, nam ex vna parte non esset extra talem lineam vt supponitur, ex alia verò parte esset extra talem lineam, quia res constituta necessariò pertinet ad lineam sui constitutiui: ergo cùm prima substantia, siue indiuiduum substantiale vt tale, pertineat ad lineam substantiæ vt fundamentum totius lineæ, non potest constitui in esse talis, scilicet primæ substantiæ per quantitatem, quæ est extra propriam lineam.

Tertiò, antequam adueniat quantitas materiæ actu & in exercitio, debet in aliquo priori materia esse singularis & indiuidua, ita vt sit hæc & non illa, quia accidentia non possunt informare materiam in communi, sed materiam in particulari scilicet singularem, id est, ita hanc, vt non aliam. Deinde quia priùs aliqua prioritate aduenit materiæ actus eius primarius & per se, scilicet forma substantialis, quàm actus accidentarius & secundarius, vt patet: certum est autem quòd forma substantialis aduenit materiæ singulari, aut secundùm alios illam facit singularem, & sic ante aduentum cuiuscumque accidentis materia est singularis: ergo materia non habet esse hanc, ac proinde nec radicem indiuiduationis, etiam quoad esse diuisum, à quantitate actuali siue actu informante, sed tantùm à virtuali vt infra explicabitur: quod enim conuenit alicui ratione alterius, vt formæ actu inhærentis & intrinsecè constituentis, non potest illi conuenire in illo priori; in quo præsupponitur ad talem formam esse tale.

Nec euacuat vim harum rationum id quod respondet Ferrar. ad primam quidem, quòd ad rationem essentialem indiuidui præcisè requiritur vt sit in se indiuisum: esse autem diuisum à quolibet alio, est quid secundarium & proprietas, & ideo licèt primum non posset prouenire ab aliquo extra lineam substantiæ, vt probat argumentum, secundum tamen potest prouenire ab alio, quia essentia rei potest esse sine suis proprietatibus: sed hæc responsio examinabitur articulo sequenti. Ad secundam autem respondet, quòd causæ sunt sibi inuicem causæ, & ita licèt in genere causæ materialis quantitas in illo priori non præsupponatur vt receptiua formæ, præsupponitur tamen in genere causæ formalis dispositiuæ ad receptionem huius formæ, & ita in illo genere erit primum principium indiuiduationis. Sed contra: nam vt dictum est supra in physica, materia prout reci-

pit formam hanc potiùs, quàm illam, est simpliciter & absolutè prior, quàm quòd hæc numero quantitas actu recipiatur, & actu informet: nam actus primarius & per se vt dictum est, præcedit simpliciter & absolutè actum secundarium & accidentarium, quando iste non requiritur ad receptionem illius simpliciter, vt in præsenti contingit: nam saltem supernaturaliter potest indiuiduum substantiæ separari à quantitate, & sic existere in rerum natura: vnde multò magis potest in aliquo priori simpliciter materia præintelligi vt recipiens hanc numero formam, & in quo præintelligatur absolutè compositum substantiale, independens simpliciter ab hac quantitate vt actu recepta & informante: maximè quia vt dictum est anima rationalis indiuiduatur per materiam signatam quantitate, & tamen non requiritur vt prædicta materia sit actu informata illà numero quantitate, per quam signata esse dicitur, etiam in ipso instanti quo primò indiuiduatur, potest enim supernaturaliter vniri materiæ nudæ omni quantitate, nulla enim in hoc apparet contradictio, & tamen constat quòd non potest dari indiuiduatio, nisi sit principium indiuiduans: & sic quantitas formalis & actualis non est principium indiuiduationis, sed tantùm quantitas virtualis modo infra art. 5. explicando.

Ad primum ergo dicendum, quòd in omnibus illis locis D. Thom. non loquitur de quantitate aut dimensionibus actu habitis, sed præhabitis in ipsa materia, tanquam in radice & fundamento ipsarum: determinatur autem materia ad has dimensiones potiùs, quàm ad alias per præuias dispositiones causæ agentis, siue non loquatur de quantitate formali: sed virtuali scilicet de materia, quæ vt præhabens virtualiter hanc quantitatem, dicitur participare aut præhabere naturam quantitatis, & dicitur quantitas virtualis vt ait Caietanus, & ita illi attribuitur effectus debitus tali quantitati: oportet enim effectum primò alicui conuenientem ab illo in se, vel à suis participantibus aut præhabentibus fieri: quòd si concedatur D. Th. alicubi intelligendum de quantitate vel dimensionibus habitis, non debet concedi quòd loquatur de indiuiduatione quoad esse, sed quoad cognosci, vt ipse se explicat. Ad illud quod subiungitur ex Aristotele, negatur consequentia, quia vt dictum est, & ampliùs explicabitur, quantitas potest præhaberi in materia per modum proprietatis, vt in propria radice & fundamento, & hoc sufficit vt sit principium distinctionis numericæ: forma autem substantialis non præhabetur in materia, nisi tanquam in potentia purè passiua, & ita non potest esse principium distinctionis essentialis, nisi actu illam informet.

Ad secundum dicendum, quòd portiones materiæ diuiduntur ab inuicem, & tanquam partes integrales, & tanquam partes subiectiuæ aut quasi subiectiuæ: primam diuisionem habent à quantitate actu inhærente, quia vt dictum est substantia non est diuisibilis, nec habet partes nisi habeat actu quantitatem, sed hæc diuisio non est requisita ad indiuiduationem: secundam verò diuisionem non habet materia à quantitate, sed ab agentibus disponentibus hanc portionem potius quàm aliam, ad aliquam formam: & licèt dum disponitur præuiè, debeat actu habere quantitatem, in illo tamen instanti in quo recipit formam, ad quam fuit disposita, non est necesse quòd illam actu habeat, sed sufficit quòd præhabeat per modum radicis, consequatur tamen in posteriori naturæ in eodem instanti reali, & hæc diuisio pertinet ad indiuiduationem.

Ad tertium dicendum, quòd materia signata quantitate non dicit aliquid reale superadditum sibi ipsi, sed tantùm dicit se ipsam vt præhabentem radicaliter hanc potius quantitatem, quàm illam, quòd non dicat materia præcisè sumpta. Ad aliud dicendum, quòd sola diuisio in partes integrales est effectus formalis quantitatis, & ita sine ipsa actu inhærente non potest communicari: non autem diuisio in partes subiectiuas, aut quasi subiectiuas vt dictum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm materia prima signata quantitate, vt dicit modum substantialem, materiam determinantem ad hanc quantitatem, sit primum principium indiuiduationis?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd materia prima signata quantitate, vt dicit modum substantialem, materiam determinantem ad hanc quantitatem, sit primum principium indiuiduationis. Ita tenent aliqui vt refert Suares 1. tomo Metaph. disput. 5. sect. 3. Probatur. Materia prima in ratione principij indiuiduationis, non est purus actus, imò pura potentia vt patet: ergo vt sit radix indiuiduationis, debet illi superaddi aliquid, saltem modus aliquis, non accidentalis, ne indiuiduum resultans sit ens per accidens, distinctum à materia, cùm realiter illi adueniat, & pereat remanente materia: & ita ratione huius materia determinatur ad hanc quantitatem habendam potius quàm ad illam, & dicitur signata siue sigillata quantitate.

§ 2. Præterea, Per materiam signatam quantitate non potest intelligi materia nudè sumpta, vt patet ex terminis, nec materia actu informata quantitate, vt probatum est articulo præcedenti: ergo intelligitur materia determinata ad hanc quantitatem, per aliquem modum superadditum: nam ex se non magis petit hanc quantitatem, quàm illam.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. & communis sententia Thomistarum, vt patebit articulo sequenti.

CONCLVSIO.

Cùm materia sit primum principium indiuiduationis, quia habet rationem primi subiecti non recepti, nec receptibilis in alio, hoc non habet ratione alicuius modi substantialis illi superadditi.

RESPONDEO dicendum, quòd materia prima signata quantitate, quæ est principium indiuiduationis, non importat modum substantialem illi superadditum, ac realiter distinctum, quo determinatur ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad aliam. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd eo ipso quòd esse indiuisum in se vltima diuisione pertineat ad constitutionem indiuidui vt sic, necessariò etiam pertinet ad eandem constitutionem, quòd sit diuisum à quolibet alio: quamuis hæc ratio consequatur aliam, nam ex Aristotele & D. Thom. & communi consensu Philosophorum idem est principium constitutiuum rei, in se, & distinctiuum ab aliis, vt patet in differentia specifica, qua suam constituit speciem, & illam distinguit à qualibet alia: & ita vnitas essentialis ac specifica requirit vtrumque, scilicet indiuisionem in se, & diuisionem ab alio, & proportionaliter vnitas indiuidualis & numerica, quoniam illud ipsum quod reddit incommunicabile indiuiduum, & constituit ipsam materiam in esse incommunicabilis alteri formæ & composito, non potest reperiri in alio indiuiduo, aliàs ratio indiuidualis esset, & non esset propria indiuidui, quod implicat contradictionem, & ita quod dat indiuiduo esse indiuisum in se, dat illi esse diuisum à quolibet alio: & quia duo indiuidua substantialia distinguuntur distinctione substantiali, non solùm materialiter, sed etiam formaliter, ideo talis distinctio non potest prouenire à quantitate actuali, quia accidens non potest per modum causæ formalis intrinsecæ siue inhærentis tribuere effectum aliquem formaliter substantialem, quoniam causa formalis intrinseca siue inhærens non causat, nisi dando se: vnde si sit accidentalis, non potest tribuere nisi esse accidentale, & consequenter non potest tribuere distinctionem de formali substantialem.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. ex locis, quæ articulo sequenti afferemus. Deinde materia prima

ma eſt primum principium indiuiduationis, quatenus habet rationem primi ſubiecti non recepti, nec receptibilis in alio vt patet ex ſupradictis: ergo materia ſignata quantitate, quæ eſt principium indiuiduationis, non dicit iſtum modum ſubſtantialem: nam iſte modus tolleret à materia rationem ſubiecti primi non recepti, nec receptibilis, quia materia prima ideo eſt primum ſubiectum non receptum, nec receptibile in alio, quia eſt pura potentia, ſic enim ſolùm habet rationem receptiui; nam potentia paſſiua vt ſic, eſt tantùm receptiua, & pura potentia eſt ſimpliciter tantùm receptiua, iſte autem modus, cùm ſit aliquis actus, tolleret à materia rationem puræ potentiæ vt patet: & propter hanc rationem D. Th. excludit à materia vt eſt principium indiuiduationis quantitatem actu inhærentem.

Secundò, iſte modus adueniret actu & realiter ipſi materiæ cùm verè ſit actus Phyſicus, & informatio actus Phyſici eſt actualis & realis, ac inter extrema actualia realia, & à parte rei diſtincta, ac conſequenter ſingularia, omne enim quod eſt à parte rei, eſt ſingulare, vel in ſingularibus: & per hoc differt actus Phyſicus à Logico, actuatio enim actùs Logici eſt tantùm actuatio ſecundùm rationem cum fundamento in re, & ita non petit vt ſit inter extrema actu diſtincta à parte rei, ſed ſolùm per rationem, & ſic non petit neceſſariò extrema ſingularia, ſed vnum poteſt eſſe vniuerſale quod habet rationem potentiæ, & redditur ſingulare per actum Logicum aduenientem, vt humanitas per perſeitatem: ergo materia ſignata quantitate non dicit iſtum modum ſubſtantialem, quia iſte modus præſupponeret ipſam in aliquo priori indiuiduam, ac proinde in illo priori ſufficiens principium indiuiduationis, antequam intelligeretur illam actuare.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex illo antecedente non benè infertur conſequentia, imò contraria debet inferri vt patet ex dictis, nam eo ipſo quòd materia prima, vt ſit principium indiuiduationis, debet eſſe pura potentia, non debet includere illum modum, cùm ſit aliquis actus.

Ad ſecundum dicendum, quòd per materiam ſignatam quantitate intelligimus ipſam vt radicaliter præhabentem hanc potius quantitatem quàm aliam, ad quam determinatur præuiis diſpoſitionibus cauſæ agentis, ſed de hoc, articulo ſequenti.

Articvlvs V.

Vtrùm materia prima ſignata quantitate, ſiue præhabens per modum radicis hanc potiùs quantitatem, quàm illam, ſit primum principium indiuiduationis?

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur quòd materia prima ſignata quantitate ſiue præhabens per modum radicis hanc potius quantitatem, quàm illam, non ſit primum principium indiuiduationis. Ita tenet Suares diſput.5. ſuæ Metaph. ſect.3. & alij omnes ſupra relati, qui aliud conſtituunt principium indiuiduationis. Probatur. Materia prima priùs continet per modum radicis hanc numero formam ſubſtantialem, quàm contineat hanc numero quantitatem, eo enim ordine præcontinentur effectus in cauſa materiali, quæ illos cauſat & recipit; conſtat autem materiam priùs cauſare & recipere hanc numero formam ſubſtantialem, quàm hanc numero quantitatem: ergo huiuſquam præcontineat per modum radicis hanc potiùs quantitatem quàm illam, erit in ſe indiuidua, & principium indiuiduationis, non enim poteſt intelligi materia continere hanc formam numero, niſi ipſa intelligatur hæc numero & indiuidua.

¶ 2. Præterea. Materia priùs natura reſpicit hanc numero formam ſubſtantialem, quàm hanc numero quantitatem, quia forma ſubſtantialis eſt actus primarius & potiſſimus materiæ, quantitas verò ſecundarius. Deinde quia forma ſubſtantialis eſt complementum materiæ intra eandem lineam ſubſtantiæ, quantitas verò, cùm ſit accidens, eſt extranea. Deinde quia materia non reſpicit hanc numero quantitatem, niſi propter hanc numero formam, ſcilicet vt proprietatem & diſpoſitionem concomitantem, ſed vt dicit illum priorem reſpectum, neceſſariò eſt indiuidua, ac proinde principium indiuiduationis: ergo materia, vt præhabens radicaliter hanc quantitatem, non eſt formaliter principium indiuiduationis.

¶ 3. Præterea, cùm dicitur quòd materia vt præhabens hanc quantitatem, eſt principium indiuiduationis, vel intelligitur de quantitate terminata, vel interminata: non primum, quia quantitas eſt terminata ex Ariſtotele 1. Phyſic. cap. 4. & D. Thom. 1. p. q. 7. ex hoc quòd materia reſpicit determinatam formam, variatâ enim formâ, variatur etiam tantitas quantitatis, & etiam quia aliàs ſequeretur, quòd Petrus puer & Petrus vir non eſſet idem indiuiduum, vt benè infert D. Th. opuſc. 70. quæſt. 4. artic. 2. non ſecundum, quia non apparet quomodo quantitas interminata poſſit determinare & indiuiduare materiam: ergo materia vt præhabens hanc quantitatem non eſt principium indiuiduationis, maximè quia materia ex ſe eſt indifferens ad hanc potius quantitatem, quàm ad illam.

Sed contra eſt authoritas D. Thom. & Ariſtotelis quos ſequuntur Noſtri Salmanticenſes 1. p. q. 3. dub.5. Caietanus 1.p.q.29. artic.1 Gonzales 1. p. q. 11. diſp.23. Iauellus 5. Metaph. q.5. & alij plurimi.

Conclvsio.

Cùm quantitas ſit ſeipſa indiuidua, eſt prima radix indiuiduationis; non vt formaliter inhærens, ſed vt radicaliter contenta in materia.

Respondeo dicendum, quòd materia prima ſignata quantitate, ſiue præhabens per modum radicis hanc potius quantitatem quàm illam, eſt primum principium indiuiduationis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt formam ſubſtantialem, & eius diſpoſitiones ſimultaneas (licèt in eodem inſtanti recipiantur) mutuò ſe præcedere in diuerſo genere cauſæ, nam in genere cauſæ materialis purè receptiuæ, forma ſimpliciter præcedit diſpoſitiones, in genere verò cauſæ materialis diſpoſitiuæ diſpoſitiones præcedunt formam, quod proportionaliter dicitur de forma & quantitate, & licèt factâ collatione inter formam & diſpoſitiones, ac inter earum receptiones, prior ſit ſimpliciter receptio formæ ſubſtantialis, quàm quantitatis diſponentis ad ipſam, tamen factâ comparatione inter præcontinentiam huius formæ ſubſtantialis & huius quantitatis, aliter eſt iudicandum, non enim eodem ordine effectus cauſantur à ſua cauſa & recipiuntur in illa, ſi loquamur de cauſa materiali, ac in cauſa præcontinentur: & ita cùm materia ex ſe non ſit determinata in genere cauſæ materialis ad hoc, vt præcontineat hanc numero formam ſubſtantialem, potiùs quàm illam vt dictum eſt, oportet vt priùs debeat præcontinere quantitatem qua determinetur ad præcontinentiam huius formæ ſubſtantialis, potiùs quàm alterius: cuius iudicium eſt, quòd materia per acceptionem quantitatis diſponitur & primò determinatur permanenter ad habendam hanc potiùs formam ſubſtantialem, quàm aliam, vnde licèt materia priùs reſpiciat formam ſubſtantialem ſecundùm aliquem gradum generalem putà corporeitatis, quàm quantitatem abſolutè, quia forma ſubſtantialis eſt actus eius primarius, quantitas verò ſecundarius: & ſimiliter licèt priùs reſpiciat formam ſubſtantialem etiam ſub gradu ſpecifico, quàm quantitatem determinatam ad hanc ſpeciem puta per figuram, quia quaſi proprietas ſic determinata conſequitur talem formam: cum hoc tamen ſtat quòd prius reſpiciat hanc quantitatem numero tantam, quam hanc formam numero: & hoc procedit quia tanta quantitas, & conſequenter hæc quantitas debetur portioni materiæ taliter diſpoſitæ præuiis diſpoſitionibus e... agentis. quæ illam ſigillant & reddunt capace... & huius quantitatis, per hoc enim qu...

variatum numero præuiarum dispositionum, non solùm est tanta, sed etiam est hæc distincta ab alia quacumque. Quod clariùs apparebit si consideremus quantam habet connexionem materia prima cum quantitate, non enim potest naturaliter esse sine illa, & si ex se precisè haberet aliquam proprietatem, assignanda erat illi quantitas: nam statim ac intelligitur informata ab ipsa forma substantiali secundùm gradum corporeitatis, intelligitur debere habere quantitatem, licèt non intelligatur informata secundùm alios gradus inferiores: imò aliqui propter hanc intimam connexionem materiæ cum quantitate, multiplicant in eodem indiuiduo formas substantiales, ita vt dicant primò aduenire formam corporeitatis, quam immediatè consequitur tanquam eius proprietas ipsa quantitas, materiæ verò quantæ aduenire alias formas substantiales: in illo verò priori quo materia fit hæc, quia præhabet hanc quantitatem, licèt non sit vna numero positiuè in actu exercito, sed tantùm vna negatiuè, tamen in actu signato est vna positiuè quia respicit formam, per cuius receptionem fit in actu exercito vna positiuè.

Probatur conclusio. Prima radix indiuiduationis compositi est materia aliquo modo signata quantitate: sed hoc non dicit compositum ex materia & quantitate actuali, nec dicit materiam cum aliquo modo substantiali vt probatum est: ergo dicit materiam vt præhabet hanc quantitatem potiùs quàm illam modo explicato, non enim est alius modus quo materia possit dici signata quantitate & hic est magis proportionatus. Primò, quia materia priùs præcontinet hoc modo quantitatem, quam respiciat aliò modo, & vt sic præcontinens dicitur primò signata quantitate, & ita hoc modo est magis accommodata, vt sit primum principium indiuiduationis, maximè quia materia sic signata non extrahitur extra rationem materiæ & puræ potentiæ, ac subiecti omninò irreceptibilis, nec extra rationem substantiæ vt dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quòd non est necesse vt semper effectus eo ordine præcontineantur in suis causis, quo ab ipsis causantur, & ita accidit in præsenti vt explicatum est.

Ad secundum dicendum; quòd materia prius respicit formam vt sic, quam quantitatem propter adductas rationes, sed non respicit priùs hanc numero formam, quàm hanc numero quantitatem vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd intelligitur de quantitate terminata, id est singulari & indiuidua, & vt est hæc numero: quando vero Aristoteles & D. Thom. docent materiam determinari per formam, intelligunt de complemento eius determinationis, nam quantitas determinatur per formam, ad quam consequitur, ratione figuræ, situs &c. Ad aliud dicendum quòd materia prima præcisè considerata, est quidem indifferens ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad illam, tamen determinatur ex hoc, quòd materia signata connotat (si compositum fiat per generationem) quòd in tempore immediatè antecedenti præcessissent hæ numero dispositiones & non aliæ, ac proinde quòd fuerint introductæ ab hoc potius agente, quàm ab illo, & in hoc tempore, ac in isto composito corrumpendo: si verò fiat per creationem, quòd subdatur Deo actu creanti per actus infinitos sui intellectùs & voluntatis, vt virtualiter & eminenter continet hoc compositum potius, quàm illud, quantitas enim de nouo introducenda habet naturalem, ac necessariam connexionem cum supradictis.

Articvlvs VI.

Quid dicat differentia indiuidualis supra naturam specificam in substantiis materialibus completis?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd differentia indiuidualis dicat supra naturam specificam aliquem modum substantialem distinctum ab illa ex natura rei. Ita Scotus in 2. distinct. tertia, quæstione sextâ, ac communiter eius discipuli, & alij extra eius scholam, vt Fonseca: dicunt autem quòd iste modus est entitas positiua, simpliciter incommunicabilis, vltima realitas omnium, proueniens à forma, habétque conceptum simpliciter simplicem, & est primò diuersa ab omni alia differentia, & ab illa distincta ex natura rei, & vocatur hæcceitas. Probatur, si differentia indiuidualis nihil dicat reale distinctum ex natura rei à natura specifica; sequitur quòd natura specifica non sit æqualis in omnibus indiuiduis, nam cùm differentiæ indiuiduales sint inæquales, constituunt enim indiuidua intra eamdem speciem inæqualia in perfectione indiuiduali, etiam natura specifica erit inæqualis in indiuiduis, est enim impossibile, quòd vnum & idem realiter participetur ab eiusdem æqualiter & inæqualiter simul, sed non potest dici quòd natura specifica non sit æqualis in omnibus indiuiduis, cùm sit vniuoca siue vnius rationis: ergo differentia indiuidualis dicit aliquid reale distinctum ex natura rei à natura specifica.

¶ 2. Præterea, Si differentia indiuidualis nihil dicit reale supra naturam specificam ab illa distinctum, sequeretur quòd homo, v. g. essentialiter esset indiuiduus, nam homo essentialiter est homo, & per hoc ipsum per quod esset homo, esset indiuiduus: sed homo non est essentialiter indiuiduus, aliàs repugnaret illi multiplicari in plura indiuidua sicut repugnat Deo quia est essentialiter singularis & indiuiduus; constat autem quòd repugnat homini multiplicari in plura indiuidua, imò de facto multiplicatur: ergo differentia indiuidualis dicit aliquid reale supra naturam specificam ab illa distinctum.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, ac plures alij, vt Suares.

Conclvsio.

Cùm differentia indiuidualis contrahat ad indiuiduum naturam specificam, non dicit aliquid reale ab ipsa distinctum ex natura rei.

Respondeo dicendum, quòd differentia indiuidualis dicit aliquid reale supra naturam specificam 2. non realiter, aut ex natura rei 3. sed solà ratione ratiocinatâ distinctum. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Logica, quòd naturæ specificæ non conuenit per se vt sit communis & vniuersalis, aut incommunicabilis & singularis, sed vtrumque illi accidit: per intellectum enim fit vniuersalis & communis: à parte rei autem est incommunicabilis & singularis: hoc autem habet à differentia indiuiduali quæ ipsam contrahit ad indiuiduum, eo proportionali modo quo differentia specifica contrahit naturam genericam ad speciem: differentia autem indiuidualis procedit à materia signata quantitate tanquam à prima radice, & tria exercet munera. Nam primò contrahit naturam specificam ad hoc indiuiduum. Secundò constituit indiuiduum dans illi esse indiuiduale. Tertiò distinguit illud numericè à quolibet alio indiuiduo: differentia indiuidualis conuenit cum differentia specifica in tribus, nam etiam differentia specifica contrahit naturam genericam, constituit speciem, & distinguit illam ab aliis: differunt autem istæ duæ differentiæ, quòd differentia indiuidualis excludit omnem diuisibilitatem, repugnat enim indiuiduo diuidi in plura completa, est enim in se indiuisum: differentia verò specifica non excludit omnem diuisibilitatem, nam species materialis est diuisibilis in plura indiuidua. 2. differentia indiuidualis habet conceptum omninò simplicem, nam vni tantùm potest conuenire, non item specifica quæ pluribus indiuiduis conuenit. 3. differentia specifica est de essentia & quidditate rei, quia procedit à principiis formalibus & essentialibus, non autem indiuidualis, quia procedit à principiis materialibus indiuiduatis: licèt sit essentialis indiuiduo vt sic reduplicatiuè, sicut & principia materialia indiuiduata.

Item

Item ſciendum eſt quòd omoe quod eſt à parte rei, eſt ſingulare vel ſingulariſatum, ſiue indiuiduom vel indiuiduatum vt patet ex Logica, vbi vidimua quòd Ariſt. impugnat ideas Platonis, quas dicebat eſſe oaturas vniuerſales exiſtentes à parte rei: & ratio eſt manifeſta, omoe enim quod eſt à parte rei, vel eſt creatum, vel iocreatum: ſed ena increatum eſt ſimpliciter vnum ac ſingulare, vt infra probabitur & probant Theologi 1.p. quæſt. 11. cum D.Th. ens verò creatom eſt ſingulare, oam omoe creatum fit per creationem, aut per aliam actionem productiuam, creatio autem & actio quælibet productiua terminatur ad exiſtens & ſingulare: ergo omne quod eſt à parte rei, eſt indioiduum vel iodiuiduatum: indiuiduum aotem plura ſignificat, ſumitur enim primò pro ſecunda inteotione Logica, & defioitur ſic, indiuiduum eſt, quod de vno tantum prædicatur, prout autem ſignificat aliquid reale, ſumitur quadrupliciter ex D. Th. 2. Metaph. lect.4. nam ſigoificat vel propoſitionem immediatam, quia per aliam probari oon poteſt, vel ſpeciem ſpecialiſſimam, quia vltra ipſam ſcientia oon deſcendit, & quia eſt iodiuiſibilis diuiſione formali, vel genua generaliſſimum, quia eius definitio ooo reſoluitur io aliqua definientia, noo enim poteſt diuidi in genna & differentiam, vel denique ſigoificat & propriè rem particularem, quæ nec materialiter, nec formaliter poteſt diuidi in plura completa, & definitur à D. Th. 1.p.q. 29.art.4. ſic: *Indiuiduum eſt, quod eſt indiuiſum in ſe & diuiſum à quolibet alio:* Hæc definitio eſt etiam voius, vnde voum & indiuiduum coiociduot, dantur autem io quolibet indiuiduo duæ voitates, voa formalis, alia materialis, quæ licèt ſint idem realiter vt ſtatim patebit, tamen procedunt à diuerſis principiis, vt dictum eſt, nam formalis procedit à forma, materialis verò ſiue oomerica à materia ſignata; forma enim non poteſt proximè dare eſſe materiale: vnitas aotem materialis eſt duplex, vna dicitur ſubſtantialis, alia verò accideotalis, ſiue quantitatiua: hæc eſt principium numeri, & pertinet reductiuè ad genus qoantitatis: illa eſt quidam modus ſubſtaotialis, vel qoaſi modus pertinens reductiuè ad prædicamentum ſubſtantiæ: impoſſibile eſt enim quòd aliud ſit voum & indiuidoum ſuſtantiale per voitatem accidentariam, & ita ſeoſus difficultatis eſt, quid ſit illud per quod oatura materialis ſpecifica redditur iocommunicabilis, voa, & iodiuiſa in ſe, & diuiſa numericè & materialiter ab aliis, & qoomodo illud diſtinguatur ab ipſa natora.

Probatur concluſio generaliter authoritatibus D.Th. adductis ſupra, ex illis enim manifeſtè colligitur differentiam indioidualem dicere aliquid reale ſupra naturam ſpecificam quamuis non realiter diſtinctum. Probatur prima pars contra aliquos Nominales, quando aliqua realiter coueniunt, & realiter diſtinguuntur, debet illis aſſignari aliqoid reale in qoo conueniant, & in quo diſtinguantur vt patet, implicat enim dari effectum formalem, & denominationem alicuius formæ realis in aliquo ſine tali forma reali: ſed duo iodiuidua eiuſdem ſpeciei realiter conoeniuot, & realiter diſtinguūtur, certum eſt eoim Petrum & Paulum, licèt conueniaot in homine, realiter tamen diſtingui, ſunt enim duo homines: ergo datur aliquid reale in quo conueniuot, & in quo diſtinguuntor, ſed conoeniunt in natura ſpecifica & diſtinguuntur differentia indiuiduali: ergo tam natura ſpecifica, quàm differentia iodiuidualis dicuot aliquid reale.

Secundò, ſi differentia iodiuidualis oibil diceret reale, nec re, nec ratione diſtinctum à natura materiali ſpecifica, ſequeretur quòd talis natura eſſet eſſentialiter indiuidua, ſi enim non indiuiduatur per aliquid aliquo modo ſuperadditum, ſeipſa præcisè & ab iotrinſeco, ſiue à principiis eſſentialibus eſt indiuidua: ſed natura ſpecifica materialis non eſt eſſentialiter iodiuidua, cùm videamus illam moltiplicari realiter à parte rei, quod enim eſt eſſentialiter ſingulare, eſt eſſeotialiter immultiplicabile. Deinde ſi eſſet eſſeotialiter indiuidua, oon poſſet concipi vnioerſalis cooceptu perfecto, ſaltem per ſecundam mentis operationem, ita vt de ipſa poſſet affirmari quòd eſſet voiuerſalis: res enim licèt poſſit concipi, abſque eo quòd coocipiatur id omoe quod eſt ſibi eſſentiale, oon poteſt tamen concipi ſub ratione coatraria & repugnanti intrinſecè ſuæ eſſentiæ, aliàs conciperetur res eſſe & non eſſe, quod implicat: ergo differentia indiuidualis dicit aliquid reale ſupra naturam materialem ſpecificam.

Probatur ſecunda pars concloſionis. Quæ diſtinguuntur à parte rei, poſſuot à parte rei ſeparari, ſaltem ab hoc & illo vt patet inductione, minima enim reperitur diſtinctio inter modum & rem à parte rei, & tamen poteſt hæc quantitas, v.g. ſeparari ab hac & illa figura, licèt non ab omoi: ſed natura indiuiduata & differentia eius indiuidualis non poſſunt ab inuicém ſeparari à parte rei, ita vt voa ex illis remaneat, & recipiat aliam differentiam iodiuidualem, eſt enim impoſſibile quòd natura Petri ſeparetur à parte rei à petreitate, aliàs hæc natura ſucceſſiuè poſſet eſſe omnes homines, nam ſeparata à petreitate per aduentum pauleitatis fieret Paulus &c. quod tamen eſt impoſſibile: ergo differentia iodiuidualis noo dicit ſupra naturā ſpecificam aliquid realiter diſtioctum ab illa.

Secundò, ſi differentia indiuidualis dicit aliquid reale realiter aut ex oatura rei diſtioctum à natura ſpecifica, non indiuiduat ipſam, ſed ſupponit indiuiduatam: nam debet præſupponere naturam in aliqua prioritate eſſe aliquid reale à parte rei, omnia quippe actus realis ſingularis, & diſtinctus à poteotia in qua recipitur, antequam vniatur tali potentiæ, debet illam præſupponere eſſe ſaltem in aliqua prioritate oaturæ vt dictum eſt ſupra, & conſequenter præſupponet indioiduam, & ſic non iodiuiduaret illam, vt optimè probat Caietan. cap. de ente & eſſentia: ſed oon poteſt dici quòd differentia indiuidualis non indiuiduet naturam materialem ſpecificam, cùm illa contrahat ad hoc indiuiduum: ergo oon dicit ſupra ipſam aliquid realiter diſtinctum ab illa.

Probatur tertia pars concluſionis. Differentia iodiuidualis dicit aliquid reale ſupra naturam ſpecificam vt probatum eſt: ſed illud non eſt realiter, nec ex natura rei diſtinctum vt etiam probatum eſt: ergo eſt diſtinctum ratione ratiocinata, hæc aotem differentia iodiuidualis non poteſt dici indiuiduum, cùm iodiuiduom propriè ſignificet rem completam, ſed eſt id qoo natura fit & conſtituitur indiuidua, iſtæ enim formalitates oon ſuot id quod, ſed id quo, & ita differentia iodiuidualis poteſt dici indiuiduum, quo.

Ad primum ergo dicendum, quòd indiuiduum materiale includit multos conceptus, ſcilicet iodiuidualis differentiæ, naturæ ſpecificæ, & omoiom graduum ſuperiorum, qui cooceptus diſtinguuntur ratione cum fundamento in re, & hæc diſtinctio ſufficit vt indiuidua poſſint æqualiter conuenire in conceptu ſpecifico, licèt inæqualiter conueniaot io conceptu indiuiduali: nam idem reale ſecundùm vnam rationem ſiue formalitatem poteſt æqoaliter participari, & inæqualiter ſecundùm aliam: maximè ſi conſideretur quòd indiuidua ſimpliciter & à parte rei ſunt inæqualia; conueniuot autem æqualiter & vniuocè tantùm per intellectom proximè facientem naturam vniuerſalem: nam à parte rei non eſt vna natura commonis, ſed quilibet hàbet ſuam diſtinctam, licèt in aliquo ſimilem alteri.

Ad ſecundom dicendum, quòd ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ ſiue cum fundamento in re inter oaturam ſpecificam & differeotiam indiuidualem, ad hoc vt homo non dicatur eſſentialiter indiuiduus, aut differentia indiuidualis eſſentialis homini vt ſic: nam animal & rationale ſunt idem realiter, quia tamen diſtinguuntur ratione, ideo animal eſt de eſſeotia bruti, de cuius tamen eſſentia oon eſt rationale: ſi dicatur quòd illud animal quod eſt idem cum rationali realiter eſt ſolùm de eſſentia hominis, reſpondemus quòd pari modo illa oatura quæ eſt realiter idem cum differeotia indiuidualis, cùm c[illegible] deretur non vt eſt vniuerſalis per intellectum [illegible] hæc indiuidua, vt ſic eſt eſſentialiter in[illegible] diuiduū reduplicatiuè ſumptū eſt [illegible]

Articvlvs VII.

Quid dicat differentia indiuidualis ſupra naturam ſpecificam in ſubſtantiis immaterialibus completis?

AD septimvm ſic proceditur. Videtur quòd differentia indiuidualis dicat aliquid reale ſupra naturam ſpecificam in ſubſtantiis immaterialibus completis. Ita tenent multi Doctores, ſed ſunt diuiſi in hoc, quòd Scotus & eius diſcipuli dicunt illud reale diſtingui ex natura rei à natura ſpecifica, probat rationibus illis generalibus articulo præcedenti adductis, & ſolutis, alij vero dicunt illud reale eſſe ſola ratione diſtinctum à natura ſpecifica, Ita Albertus Magnus, Suares, & quorquot tenent dari plures Angelos eiuſdem ſpeciei. Probatur. Ea multis ſanctis Patribus omnes Angeli conueniunt in vna natura Angelica, & diſtinguuntur numero ſicut homines inter ſe: ergo ſicut differentia indiuidualis in hominibus dicit aliquid reale ſupra naturam ſpecificam ſola ratione diſtinctum ab illa, ita & in Angelis.

¶ 2. Præterea, Poteſt abſtrahi quidditas ſpecifica Angeli, & conſiderari vt indifferens ad hoc & ad illud indiuiduum, & propter hoc dictum eſt ſupra prima parte, quòd ſpecies Angelicæ ſunt veræ prædicabiles: ſed non poteſt concipi aliquam naturam communem indeterminatam & indifferentem contrahi realiter ad indiuiduum, niſi intelligatur illi aduenire differentia indiuidualis, realis,licet non realiter diſtincta: ergo in Angelis differentia indiuidualis dicit ſupra naturam ſpecificam aliquid reale diſtinctum ratione.

¶ 3. Præterea,Non eſt maior ratio cur in Angelis differentia ſpecifica dicat ſupra naturam genericam aliquid reale ratione diſtinctum, quàm differentia indiuidualis ſupra naturam ſpecificam, nam ſicut ibi ſunt veræ ſpecies, ita & vera indiuidua, imò plura eiuſdem ſpeciei, quia inde reſultat maior decor vniuerſi, & maior amicitia naturalis inter ipſos, ſimilitudo enim eſt cauſa amoris: ergo differentia indiuidualis in ſubſtantiis immaterialibus completis dicit ſupra naturam ſpecificam aliquid reale diſtinctum ratione.

Sed contra eſt authoritas D. Thom. quem ſequuntur eius diſcipuli, ac omnes illi qui negant dari plures Angelos eiuſdem ſpeciei infimæ.

Conclvsio.

Cùm natura immaterialis completa non ſit multiplicabilis in multa indiuidua, eſt impoſſibile quod differentia indiuidualis dicat ſupra illam aliquid reale, etiam ſola ratione diſtinctum.

Respondeo dicendum, quòd ſubſtantiæ immateriales completæ, ſiue totaliter ſeparatæ à materia indiuiduantur per ſeipſas, ſiue per ſuas differentias ſpecificas, per quas gradus ſubſtantiæ ſpiritualis genericus immediatè contrahitur ad hoc & ad illud Angelicum indiuiduum, nec differentia indiuidualis dicit aliquid reale ſupra naturam ſpecificam, nec re, nec ratione diſtinctum à differentia ſpecifica, ſed ſolùm dicit quòd vnum indiuiduum non ſit aliud, & ſic quilibet Angelus diſtinguitur ab alio,non ſolùm numero,ſed etiam ſpecie,& ideò numero, quia diſtinctio ſpecifica, vt maior infert numericam, quæ eſt minor. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd,vt differentia indiuidualis diſtinguatur ratione ratiocinatâ à natura aut differentia ſpecifica, debet dari fundamentum talis diſtinctionis: per hoc enim differunt inter ſe diſtinctio rationis ratiocinatæ & rationis ratiocinantis, quòd hæc non ſupponit fundamentum, ſicut alia: quòd ſi non requireretur tale fundamentum, intellectus noſter poſſet ad libitum conſtituere in quibuſcumque differentias indiuiduales, etiam in Deo, quod tamen in ſe repugnat: cùm enim eſſentia diuina ſit purus actus non poſſumus in illa inuenire aliquid per modum potentiæ,quod tamen requiritur in omni compoſitione: licèt autem in eſſentia diuina non poſſimus cum fundamento in re concipere aliquid per modum potentiæ, tamen ex imperfecto modo noſtro intelligendi, non repugnat concipi ipſammet eſſentiam in ordine eſſentiæ purum actum ſe habere per modum potentiæ ad ſuam ſubſiſtentiam, exiſtentiam, attributa &c. illud enim quod eſt actus in vno ordine, non poteſt eſſe potentia vel per modum potentiæ in eodem ordine, ſed tantùm in alio: nec eſt maior ratio, cur requiratur fundamentum ad diſtinguendam differentiam ſpecificam à natura generica, quàm ad diſtinguendam differentiam indiuidualem à natura ſpecifica, æqualiter enim inter ſe diſtinguuntur.

Item ſciendum eſt Angelos vocari ſubſtantias ſeparatas à materia, quia non ſunt compoſiti ex materia & forma vt quidam puſuerunt, dicentes illos habere corpora ſubtiliſſima: ſed ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, nullum dicentes reſpectum ad materiam: ita communiter tenent cum ſanctis Patribus omnes Theologi.

Probatur concluſio authoritate D. Th. vt vidimus ſupra, ſubſtantiæ immateriales dicuntur eſſe indiuiduæ ſeipſis & reuera ſunt indiuiduæ, ex eo præciſè quòd non recipiuntur, nec ſunt receptibiles in materia, & hoc præcipuè affirmat 1. p. quæſt. 50. art. 4. ergo ex D. Th. differentia indiuidualis nihil omnino dicit ſupra naturam ſpecificam; cùm non ſit fundamentum diſtinguendi vtramque. Idem docet Ariſtoteles 7. Metaph. c. 10. vbi ſic ait: *Quòd quid erat eſſe, & vnumquodque in quibuſdam quidem idem eſt,vt in primis ſubſtantiis*: Per primas autem ſubſtantias non intelligit prædicamentales, ſed ſeparatas vt ibidem explicat D. Th. lectione 10. quandò autem dicit idem eſt, non ſolùm debet intelligi de identitate reali, ſed etiam de identitate rationis: quia niſi hoc voluiſſet, non dixiſſet hanc identitatem tantùm reperiri in primis ſubſtantiis, nam etiam per aduerſarios in aliis rebus materialibus differentia indiuidualis idem eſt realiter cum natura ſpecifica.Idem docet 3.de Anima, & tam clarè,vt Scotus fateatur hanc eſſe eius ſententiam.

Secundò, vt in aliquo detur differentia indiuidualis ſuperaddita naturæ ſpecificæ aliquo modo diſtincta, debet in illo dari aliqua entitas realis quæ ſit fundamentum huius differentiæ, cùm enim ſit entitas realis & poſitiua, debet fundari ſuper aliquo reali poſitiuo, iſta enim differentiæ non finguntur ad libitum & ſine fundamento: ſed in ſubſtantiis immaterialibus completis ſiue totaliter ſeparatis à materia nullum datur tale fundamentum reale, qua illæ ſunt formæ ſimplices ſeparatæ ab omni materia; forma autem vt ſic non eſt ſufficiens fundamentū diſtinctionis numericæ & purè indiuidualis quæ eſt diſtinctio materialis: imò quantùm eſt ea ſe,eſt principium diſtinctionis formalis, eſſentialis, & ſpecificæ: omnis enim diſtinctio eſſentialis & ſpecifica ſit per formam: ergo in ſubſtantiis ſeparatis non datur differentia indiuidualis ſuperaddita naturæ ſpecificæ. Confirmatur. Vt detur talis differentia indiuidualis ſuperaddita naturæ ſpecificæ in aliqua re,debet in illa dari principium indiuiduationis, ſiue multiplicationis numericæ ſiue purè indiuidualis: nam eſt impoſſibile concipere in aliquo differentiam indiuidualem, ſi non ſit in illo radix & origo talis differentiæ: ſed in ſubſtantiis immaterialibus completis vt Angelis, non datur radix & principium indiuiduationis purè numericæ, nam tale principium eſt materia prima, & propterea hæc diſtinctio dicitur materialis, conſtat autem quòd in Angelis non eſt materia prima: ergo in ipſis non datur differentia indiuidualis diſtincta à natura ſpecifica, hoc eſt fundamentum quod vbique aſſignat D. Thom.

Tertiò, ſi daretur iſta differentia indiuidualis diſtincta ratione à natura ſpecifica in ſubſtantiis ſeparatis, poſſet talis natura ſpecifica concipi vt indifferens ad multa indiuidua, & vt multiplicabilis realiter per ſuperadditas differentias indiuiduales: nihil enim determinatur ad multa per rationem, niſi concipiatur communne multis (quòd ſi negetur, debet concedi eius contradictoria quæ eſt concluſio quam intendimus, ſcilicet illam

Iam naturam non posse concipi vt iodiffereotem ad multa indiuidua, nec multiplicabilem per superadditas differentias indiuiduales, sicque erit soo conceptu indiuidua:) sed natura specifica in substantiis immaterialibus non potest concipi vt indifferens ad multa indiuidua, non vt multiplicabilis realiter, quia forma separata cùm sit forma ex se subsistens: nec ab alio participabilis aut receptibilis, non potest in se habere principium diuersitatis purè indiuidualis, aut participabilitatis, quæ requiritur in diuisione aut multiplicabilitate numerica, quia quidquid ex se habet forma, est formale & essentiale: vnde ex parte formæ nullum datur principium diuersitatis purè indiuidualis, omnis enim dioersitas proueniens à forma, cùm sit essentialis, est specifica: & ita diuisio purè indiuidualis debet illi aduenire extrinseco, scilicet à materia recipiente: ergo in substantiis immaterialibus non datur differentia indiuidualis superaddita naturæ specificæ. Confirmatur. Non est assignabile principium, vnde desumenda sit hæc differentia indiuidualis in substantiis immaterialibos: non à materia prima vt in nobis, quia illæ substantiæ sunt separatæ ab omni materia, & sunt formæ completæ subsistentes, nullum etiam dicentes ordinem ad materiam: non ab extrinseco, cùm enim res sint intrinsecè indiuiduæ, radix indiuiduationis debet esse intrinseca: nec à gradibus genericis aut specifico, quia isti gradus secundùm se sunt communes & indeterminati, & sic non possunt esse radix differentiæ indiuidualis, quæ est quid particulare & determinatum, debet enim esse proportio inter causam & effectum: deinde quia isti gradus & conceptus quantùm est in se, tendunt ad vnitatem, nec diuersificantur nisi per aliquid superadditum: ergo in substantiis immaterialibus non datur differentia indiuidualis superaddita, & distincta etiam sola ratione à natura specifica.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi sancti Patres per naturam specificam Angelorum intelligunt narotam genericam, quæ est specifica specie subalternâ, & est natura intellectoalis tali modo communis omnibus Angelis, & in hac conueniunt omoes, sub illa verò differunt propriis differentiis specificis, quæ desumuntur à diuersis gradibos talis intellectualis: vel etiam natura angelica potest dici specifica similitudinariè, quia proximè prædicatur de moltis, qoæ multa habent se per modum indiuiduorum eiusdem speciei, quia non prædicantur de ploribus, sicut nec indiuidua materialia, licèt sint indiuidua specie distinctâ.

Ad secuodùm dicendum, quòd qui videret Angelos vt sunt in se, non posset abstrahere siue formare conceptum specificum indifferentem ad multos Angelos, sed clarè videret quemlibet gradum specificum esse seipso indiuiduum, & ideo non est in illis à parte rei fundamentum distinguendi differentiam indiuidualem à ratione specifica: sed quia hic non concipimos Angelos prout sunt in se, sed ad modum rerum corporalium, ideo ex nostra imperfectione, & non ex fundamento quod sit in re, pro hoc statu distingoimus conceptum specificum in illis ab indiuiduali, & ideo formamus speciem Logicam Angelorum vt dictum est in Logica: difficultas autem procedit de Angelis secundùm se absolutè, non verò vt apprehenduntur à nobis imperfectè pro hoc statu.

Ao tertium dicendum, quòd in Angelis est fundamentum differentiæ specificæ, & oon purè indiuidualis, dicimus autem quòd cùm species per se pertineant ad decorem vniuersi indiuidua verò quasi per accidens, distinctio specifica & multiplicatio essentialis io Angelis magis conducit ad decorem vniuersi, quàm multiplicatio purè indiuidualis & numerica, quælibet enim species dicit vnam perfectionem essentialem distinctam ab alia, quod non dicit purum indioiduom. Ad illud de amicitia dicendum, quòd sufficit vt Angeli conueniant in gradu intellectuali, vt habeant amicitiam naturalem, quantò magis quia in ordine ad supernaturalia sunt omninò eiusdem rationis, & in illo habent perfectissimam amicitiam ad Deum, ad se iouicem, & ad homines. Ex his manifestè sequitur non dari plures Angelos intra eamdem speciem, vtrùm autem de potentia absoluta possint dari, infra dicetur cùm agetur de Angelis.

QVÆSTIO VII.

De Principio indiuiduationis accidentium.

Determinato iam principio indiuiduationis substantiæ determinandum est principium indiuiduationis accidentium, & ita complebitur hæc materia de indiuiduatione ac vnitate, circa hoc quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm subiectum sit primum principium indiuiduationis, ac distinctionis purè indiuidualis accidentiom?

¶ Secundò, Vtrùm quantitas aliquo modo ex se indiuiduetur?

¶ Tertiò, Vtrùm duo accidentia solo numero distincta possiot esse in eodem subiecto?

Articvlvs I.

Vtrùm subiectum sit primum principium indiuiduationis, ac distinctionis purè indiuidualis accidentium?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd subiectum non sit primum principium indiuiduationis ac distinctionis purè indiuidualis accidentium. Ita tenent Durandus in 2. d.3.q.2. Suares disp.5. Metaph. sect.7. & alij qui dicunt primam radicem indioiduationis accidentis esse ipsummet, vt est talis entitas actu vel aptitudine. Probatur. Vnumqoodque per illud est formaliter vnum numero per quod est ens actu in rerum natura, vel aptũ vt sit huiusmodi: nam tale ens est singulare: sed vnumquodque per suam entitatem est intrinsecè ens actu vt patet: ergo accidentia per suam entitatem sunt indioidua. Confirmatur. Subiectum non potest indiuiduare accidentia vt terminus intrinsecus vt patet, nam est distinctum ab illis: nec vt terminus extrinsecus, ita vt per ordinem ad illod accidentia indiuiduentur: nam potest fieri qobd duo accidentia solo numero distincta respiciant idem subiectum: constat autem quòd idem non potest esse principium indiuiduationis duorum: ergo subiectum non est principium indiuiduationis accidentium.

¶ 2. Præterea, Duæ albedines quæ sunt in duabus hostiis consecratis, distingountur numero, oon per subiectum quia secundùm fidem non sunt in subiecto, nec per ordinem ad sobiectũ, cùm ex se sit indifferens ad recipiendum hoc vel illud numero accidens: deinde si subiectum esset principium indiuiduationis accidentium, sequeretur quòd omnia accidentia, quæ essent successiuè in eodem subiecto, essent saltem successiuè idem numero sicot cùm eamdem formam distinctæ portiones materiæ recipiunt, habent eamdem vnitatem specificam successiuè: ergo subiectum non est primum principium indiuiduationis accidentium.

¶ 3. Præterea, Dantur molta accidentia, quæ non dicunt ordinem ad subiectum in quo sunt, sed ad aliud extrinsecum, vt sunt actus, habitus, & præcipuè relationes, quarum totum esse est ad aliud, scilicet terminum se habere: ergo ista saltem accidentia non indiuiduantur per ordinem ad subiectum.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. & communis sententia Thomistarum, quam plures alij sequuntur.

Conclvsio.

Cùm accidens totum suum esse habeat per ordinem ad subiectum quod essentialiter respicit; ab illo etiam habet esse indiuiduale, & ita omne accidens indiuiduatur à subieto.

Respondeo dicendum, quòd omnia accidentia (hîc solam non comprehendimus quantitatem, de qua postea)

ſiue completa, ſiue intentionalia indiuiduantur à ſuis ſubiectis extrinſecè, 2. ab ordine verò, quem ad ipſa dicunt intrinſecè, 3. ſubiecta autem debent non materialiter, ſed formaliter accipi, 4. ad quod requiritur idem tempus vt conditio ſine qua non. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt nos hîc non loqui de principio adæquato indiuiduationis accidentium, nam certum eſt eſſe entitatem illorum; nec de principio Metaphyſico quod eſt differentia indiuidualis, ſiue hæcceitas, eadem enim quantùm ad hoc eſt ratio de ſubſtantia & accidentibus: ſed loquimur de primo principio phyſico quod eſt radix & fundamentum huius differentiæ indiuidualis: accidentia autem duplicem habent dependentiam à ſubſtantia, ſcilicet actualem qua accidens actu ab illa dependet ratione actualis inhærentiæ, & hæc dependentia non eſt de eſſentia accidentalis, quia poteſt ab illo ſeparari, & de facto ſeparatur in accidentibus quæ ſunt in hoſtia conſecrata: alia eſt dependentia potentialis ſiue aptitudinalis, qua accidens ab intrinſeco reſpicit ſubiectum ſcilicet ſubſtantiam, & aptum eſt illi inhærere, & hæc dependentia eſt eſſentialis accidenti, exprimitur enim in eius definitione, accidens enim eſt, quod poteſt alteri accidere ſiue ineſſe, & propterea dicitur ens per aliud, ſiue entis ens.

Probatur concluſio ex Ariſtot. 5. Metaph. textu 15. & D.Thom. ibidem. Item 1.p.quæſt.29. art.1. vbi ait: *Accidentia indiuiduantur per ſubiectum: dicitur enim hæc albedo, inquantum eſt in hoc ſubiecto.* Item q. 39. art. 3. ait: *Accidentia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem ad multitudinem.* Item 3. p. q. 77. art. 2. ait, *Cùm ſubiectum ſit principium indiuiduationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium ſubiectum, eſſe aliquo modo indiuiduationis principium.* Item opuſc.29. ait: *Sed aduertendum eſt quod accidentia non indiuiduantur per materiam primam, ſed per ſubiectum proprium, quod eſt ens actu, indiuiduantur, ſicut & formæ ſubſtantiales per materiam primam quæ eſt earum ſubiectum.*

Secundò, indiuiduatio ſiue diſtinctio purè indiuidualis ſubſtantiæ, quia eſt diſtinctio materialis, deſumitur à materia prima ſignata quantitate vt ſupra dictum eſt, nam ſi procederet ab ipſa forma, eſſet formalis ac proinde ſpecifica, & non purè indiuidualis: ergo indiuiduatio & diſtinctio purè numerica accidentium deſumitur à ſubiecto, quod eſt materia accidentium, propter paritatem rationis, nam ſicut forma ſubſtantialis, ita & accidentia ſunt actus ſiue formæ quantùm eſt in ſe communicabiles, & ita donec intelligantur coarctatæ à ſubiecto recipiente cui inhærent, non poſſunt fundare negationem illam propriam indiuidui, ſcilicet non poſſe eſſe in altero à ſe aliqualiter diſtincto, ſicut in ſubiecto inferioritatis & prædicationis.

Tertiò accidens habet totum ſuum eſſe per ordinem ad ſubiectum, nam totum eſſe accidentis eſt eſſe per aliud, accidens enim eſt entis ens: ergo & eſſe ſingulare ſiue indiuiduale habet per ordinem ad ſubiectum, nam eſſe ſingulare eſt aliquid reale & intrinſecum in accidentibus, vnum enim accidens diſtinguitur realiter numero ab alio in eſſe indiuiduali. Confirmatur. In ratione accidentis ponitur ordo ad ſubiectum, ita vt ſi definiatur accidens in communi, ponatur ſubiectum in communi, vt ſimitas eſt curuitas naſi, ſi autem definiendum eſſet in ſingulari, poneretur ſubiectum in ſingulari, vt hæc ſimitas eſt hæc curuitas huius naſi: ergo ſignum eſt quòd ſicut habet eſſe ſimpliciter per ordinem ad ſubiectum, ſic habet eſſe indiuiduale per ordinem ad hoc ſubiectum.

Quartò, vt ponatur in accidentibus differentia indiuidualis aliquo modo diſtincta à ratione ſpecifica, debet in illis eſſe aliquod fundamentum reale talis diſtinctionis, vt pari ratione ſuprà probatum eſt in ſubſtantiis: ſed nihil eſt reale in illis quod ſit ſufficiens fundamentum talis diſtinctionis, nam in accidentibus ſunt tantùm iſta intrinſeca, ſcilicet gradus generici, gradus ſpecificus, & reſpectus ad ſubiectum: conſtat autem quòd gradus generici ſunt tantùm fundamentum diſtinctionis genericæ, ſicut & gradus ſpecificus diſtinctionis ſpecificæ: ergo ſolus reſpectus ad ſubiectum eſt fundamentum diſtinctionis purè indiuidualis, & ita probata manet concluſio quantùm ad primam & ſecundam partem, nam cùm res ſint intrinſecè indiuiduæ, debent indiuiduari per aliquid intrinſecum, & ita accidens indiuiduatur intrinſecè per ordinem intrinſecum quem dicit ad ſubiectum, & à ſubiecto ſolùm extrinſecè.

Probatur, & explicatur tertia pars concluſionis. Albedo & dulcedo, v.g. in pomo, ſaccaro &c. ſunt in eodem ſubiecto ſingulari materialiter ſumpto, & in eadem parte omnino pomi, & tamen diſtinguuntur numero, ſicut & ſpecie: hoc tamen prouenit ex hoc quòd idemmet pomum habet diuerſam rationem formalem ſubiecti reſpectu illorum accidentium, nam iſtæ formæ cùm ſint diuerſorum generum, reſpiciunt diuerſas potentias in eodem ſubiecto, nam pomum ſecundùm aliam potentiam recipit in ſe albedinem & ſecundùm aliam recipit dulcedinem, quia albedo ineſt ei ſecundùm quòd participat naturam Diaphani, dulcedo autem ſecundùm naturam humidi: ergo ſubiectum eſt principium indiuiduationis accidentium, non materialiter, ſed formaliter ſumptum.

Probatur, & explicatur quarta pars concluſionis. Ariſtot. 5. Phyſicæ ad vnitatem numericam motûs, non ſolùm requirit vnitatem termini & ſubiecti, ſed etiam temporis, ſic etiam ad vnitatem numericam cuiuſcumque alterius accidentis, non ſolùm requiritur quòd ſit in hoc ſubiecto ſingulari, ſed etiam quòd ſit tali tempore: omnes enim fatentur quòd quando ſubiectum amittit albedinem, & poſtea recuperat, non eſt eadem numero albedo, ſed diuerſa numero, quia à priuatione ad habitum non datur regreſſus naturaliter, & ita deſtructa hæc albedo non poteſt eadem numero redire.

Si quæratur, quid intelligitur per ſubiectum accidentium, dicimus intelligendum illud in quo recipiuntur & cui inhærent, & ita ſubiectum accidentium materialium eſt totum compoſitum, & non materia prima, accidentia enim debentur toti & non materiæ: quamuis dicantur materialia, quia cõſequuntur ad formam præciſè vt informat materiam, & ita licèt materia ſignata poſſit aliquo modo dici radix indiuiduationis accidentium, inquantum indiuiduat ſubiectum, à quo ſic indiuiduato indiuiduantur accidentia, tamen eſt principium indiuiduationis accidentium inſufficiens, quia accidentia non reſpiciunt illam, ſed compoſitum ex illa, vel etiam poteſt dici principium remotum, & principium quo, totum verò compoſitum eſt principium, quod, & proximum.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia entitas accidentis eſt relatiua tranſcendentaliter ad ſubiectum, non poteſt intelligi eſſe in rerum natura, niſi per ordinem ad ſubiectum & ita ſicut habet eſſe per ordinem ad ſubiectum, ſic habet eſſe ſingulare per ordinem ad ſubiectum hoc ſingulare, & ita ſubiectum indiuiduat illud vt terminus extrinſecus. Nec eſt poſſibile quòd duo accidentia ſolo numero diſtincta reſpiciant idem ſubiectum pro eodem tempore.

Ad ſecundum dicendum cum D.Thom. quòd in Euchariſtia quantitas habet rationem ſubiecti aliorum accidentium, & ideo illæ duæ albedines diſtinguuntur numero, quia ſunt in duplici quantitate: quantitates verò, quæ ſunt in hoſtiis conſecratis, indiuiduantur per reſpectum ad ſubiecta in quibus ante conſecrationem erant, eo modo quo quantitas indiuiduatur à ſubiecto vt ſtatim explicabitur, ſubiectum verò licèt ex ſe ſit indifferens ad hoc vel illud accidens numero, ab extrinſeco tamen determinatur, vt ab agente, ab hoc tempore &c. Quia verò tempus requiritur vt conditio ſine qua non ad indiuiduationem accidentium, non poteſt dici quòd omnia accidentia quæ ſucceſſiuè adueniunt eidem ſubiecto, ſint idem accidens. Nec habet paritatem exemplum allatum, nam vnitas ſpecifica formæ abſtrahit à tempore, non autem numerica accidentium.

Ad tertium dicendum, quòd accidens quodcumque, etiam relatiuum respicit subiectum, & sicut non potest abstrahi ratio accidentis ab accidente, sic nec respectus ad subiectum, accidens enim est entis ens: vnde relatio secundùm esse, Ad, respicit quidem terminum à quo specificatur, sed secundùm esse, In, respicit subiectum à quo indiuiduatur.

Articvlvs II.

Vtrùm quantitas aliquo modo ex se indiuiduetur?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd quantitas nullo modo ex se indiuiduetur. Ita Durandus, Aureolus apud Capreolum in 2. d. 3. quæst. 1. articulo 2. Scotus ibid. quæst. 4. Suares disp. 5. Metaph. & alij. Probatur. Quantitas non est magis ens, quàm alia accidentia: imò minùs, nam dantur alia accidentia perfectiora quantitate, & cùm entitas sit radix perfectionis, quæ sunt perfectiora, sunt magis entia: ergo quantitas ex se nullo modo est indiuidua, nam vnumquodque ita est vnum quanis vnitate reali, sicut est ens, ac proinde cùm ex se quantitas non sit magis ens, quàm alia accidentia, non erit magis vna vnitate indiuiduali, & cùm alia accidentia non sint ex se indiuidua, nec etiam quantitas.

§ 2. Præterea, Si quantitas aliquo modo seipsa indiuiduetur, poterunt supernaturaliter esse in eodem subiecto duæ quantitates, (non enim alia esset repugnantia quam ex impenetrabilitate quæ non est repugnantia simpliciter per ordinem ad Deum) cum enim non indiuiduarentur à subiecto, sed à se, verè essent duæ: sed est impossibile duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto: ergo nullo modo quantitas indiuiduatur à se.

§ 3. Præterea, Ideo forma substantialis non est ex se indiuidua, quia est forma receptibilis in materia: sed quantitas etiam est forma receptibilis in materia secundùm omnem rationem, nam secundùm rationem specificam talis accidentis dicit quòd sit extensio substantiæ, & quatenus hoc accidens numero est extensio huius substantiæ: ergo nullo modo ex se indiuiduatur.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Capreolus in 2. d. 3. quæst. 1. art. 3. Caietanus 1. p. q. 29. art. 1. Gonsales disp. 23. Ferrar. 4. contra gentes cap. 65. Bannes de genet. cap. 5. q. 3. art. 8. & alij plurimi.

Conclvsio.

Cùm quantitas ex se habeat, vt sit diuisibilis in plures partes eiusdem rationis, ex se aliquo modo indiuiduatur.

Respondeo dicendum, quòd quantitas secundùm aliquam rationem indiuiduatur à seipsa; 2. licèt secundùm alias rationes indiuiduetur à suo subiecto. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd quantitas considerari potest vel secundùm rationem generalem accidentis, vel secundùm particularem talis accidentis scilicet quantitatis: adhuc secundùm propriam rationem habet duplicem conceptum inadæquatum, potest enim concipi vt extensio, & hæc extensio huius substantiæ, & non alterius: & ita, vt dicit ordinem ad hanc potiùs quàm ad illam substantiam, vel potest concipi vt exprimit hoc quod est habere determinatum situm ortum ex partialibus sitibus suarum partium, ac proinde quatenus eius partes habent rationem materiæ, siue principij materialis respectu illius, quantùm ad hoc vt habeat determinatum situm: & licèt quantitas sic sumpta non omnino præscindat ab ordine ad subiectum, tamen sub hac inadæquata ratione tantùm exprimit ordinem, quem dicunt prædictæ partes ad quantitatem totalem: dicimus igitur quòd quantitas hoc habet peculiare inter alia accidentia, quòd indiuiduetur à seipsa secundùm hanc vltimam rationem inadæquatam, licèt habeat commune cum aliis indiuiduari à subiecto, tam secundùm rationes generales, quàm etiam secundùm particularem quantitatis, vt dicit scilicet extensionem partium substantiæ.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. opusc. 70. q. 4. art. 2. ad 3. vbi sic ait: *De ratione indiuidui est, quod sit in se indiuisum, & ab aliis diuisum vltimâ diuisione: nullum autem accidens habet in se propriam rationem diuisionis, nisi quantitas: vnde dimensiones ex seipsis habent quamdam rationem indiuiduationis secundùm determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis, & sic habet duplicem rationem indiuiduationis, vnam ex subiecto, sicut & quodlibet aliud accidens, aliam ex seipsa inquantum habet situm, ratione cuius in abstrahendo à materia sensibili imaginamur hanc lineam, & hunc circulum.* Item 3. p. q. 77. art. 2. totum hoc explicat. *Sed inter alia hac habet, vnde & ipsa quantitas dimensiua secundùm se habet quamdam indiuiduationem: ita quod possumus imaginari plures lineas separatas eiusdem speciei differentes positione, quæ cadit in ratione huius quantitatis, conuenit enim dimensioni, quòd sit quantitas positionem habens.* Item quodlib. 7. art. 10. ait: *Quantitas non indiuiduatur solùm ex subiecto sicut alia accidentia, sed etiam ex situ qui est de ratione ipsius quantitatis dimensiuæ, quæ est quantitas positionem habens: & ideo possibile est imaginari duas lineas separatas eiusdem speciei, numero diuersas secundùm diuersum situm, aliàs non esset diuisibilis ex ipsa ratione sui generis: non enim diuiditur linea nisi in lineas, plures autem albedines eiusdem speciei sine subiecto imaginari est impossibile, & sic patet quòd albedo non indiuiduatur, nisi ex subiecto.* Idem docet multis aliis locis.

Probatur prima pars conclusionis ex fundamento D. Thom. quantitas à se vt à prima radice est diuisibilis in plures partes eiusdem rationis, vt patet ex dictis supra & infra dicetur, essentia enim ipsius est habere partes extensas, siue partes extra partes, & nihil aliud habet partes eiusdem rationis, nisi vel ipsa quantitas, vel ratione ipsius, ad quod consequitur esse diuisibilem in partes eiusdem rationis: ergo quantitas secundùm aliquam rationem indiuiduatur à seipsa, cùm enim habeat à se partes eiusdem rationis, siue solo numero differentes, etiam est à se vna numero. Deinde dictæ partes, cùm habeant distinctam positionem, possunt distingui inuicem numericè ex illo distincto situ & positione, ac proinde poterit vna quantitas distingui ab alia numero ex determinato & diuerso situ quem habet: vnde si darentur duæ lineæ separatæ à subiecto, essent numero diuersæ ex eo quòd vna haberet distinctum situm ab alia; per situm autem & positionem partium, intelligimus in ordine ad se primariò, quamuis secundariò & ex consequenti sit in ordine ad locum; diuersus enim situs partium in ordine ad se, petit diuersum in ordine ad locum: & ita indiuiduatio quantitatis secundùm hanc rationem sistit intra propriam lineam quantitatis, & non dependet à prædicamento situs: hoc autem fundatur in eo, quòd quantitas istud habet peculiare inter alia accidentia, vt subeat & participet aliquo modo rationem materiæ & subiecti, nam dicitur propriè & formaliter quantitas quanta, quod nulli alij conuenit accidenti, non enim propriè dicitur albedo alba.

Probatur secunda pars conclusionis. Quantitas secundùm rationes generales, imò secundùm propriam vt est extensio substantiæ, dicit ordinem transcendentalem & essentialem ad subiectum, cùm sit entis ens: ergo vt sic, & consequenter aliquo modo indiuiduatur à subiecto; nam vt supra dictum est, ab eodem res habet esse indiuiduam tanquam à prima radice, à quo dependet vt sit hoc singulare à parte rei.

Ad primum ergo dicendum, quòd vnitas purè indiuidualis non dicit vt sic præcisè perfectionem, cùm sit quædam limitatio vnitatis & perfectionis specificæ, nam illa indiuidua sunt perfectiora, quæ continent totam perfectionem speciei, & omnes modos quibus potest fingi participabilis, vt patet in substantiis separatis, quam illa quæ participant rationem & perfectionem specificam secundùm aliquem modum determinatum: cum hoc tamen stat, quòd illud quod est magis ens & perfectius ens, est magis vnum & perfectius vnum, tum vnitate transcendentali, tum indiuiduali, sed non purè indiuiduali.

Ad secundum dicendum, quòd patebit ex di[...] articulo sequenti, vnde prouenit repugnanti[...]

bilitas, quòd duo accidentia solo numero distincta sint in eodem subiecto.

Ad tertium dicendum, quòd quantitas considerata secundùm propriam rationem illam inadæquatam, non importat ordinem ad subiectum, nec sub hac ratione est receptibilis in subiecto, imò vt sic dicit aliquod principium materiale sibi intrinsecum, quod se habet per modum materiæ respectu illius: vnde quando D. Thom. dicit quòd forma receptibilis in subiecto non est ex se, vt à prima radice indiuidua, intelligit de indiuiduatione adæquata rei secundùm omnes eius rationes, quantitas autem non indiuiduatur ex se, nisi secundùm illam rationem particularem inadæquatam, secundùm alias verò indiuiduatur à subiecto, siue à recipiente more aliarum formarum receptibilium in subiecto.

Articvlvs III.

Vtrùm duo accidentia solo numero distincta possint esse in eodem subiecto?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd duo accidentia solo numero distincta possint esse in eodem subiecto, saltem diuinitus. Ita tenent Aureolus in 2.d.7. quæst.2. art.1. Scotus ibidem, Suarez 1.tom. Metaphysic. disput. 5. sect.8. & alij. Probatur ratione. Vna & eadem causa efficiens simul elicit plures actiones, vt idem calidum plures calefactiones, pro numero subiectorum quæ calefacit: sed illæ actiones solo numero distinctæ subiectantur in eodem calido: ergo duo accidentia solo numero distincta possunt esse imò de facto sunt in eodem subiecto.

¶ 2. Præterea, Duæ species intentionales eiusdem speciei, v.g. duorum lapidum sunt in eodem oculo, & in eadem imaginatione, duæ relationes eiusdem speciei vt duæ paternitates in eodem patre habente duos filios, & duæ filiationes in eodem filio, vna qua respicit patrem, alia qua respicit matrem: item duo lumina in eadem parte medij, vt cùm duo luminosa hinc inde medium illuminant, quod experimur, nam si ponatur inter illa corpus opacum, resultant duæ vmbræ, quod denotat ibi priuati duplex lumen, siue intensio duplicis luminis: ergo duo accidentia solo numero distincta possunt esse in eodem subiecto.

¶ 3. Præterea, Duæ formæ & duo accidentia simul specie & numero distincta possunt esse simul in eodem subiecto, vt patet de albedine & dulcedine: ergo & duo accidentia solo numero distincta, quia non variatur ratio vnitatis indiuidualis, per hoc quòd sit coniuncta cum vnitate specificâ, nam per eandemmet differentiam indiuidualem, per quam hæc albedo differt ab hac dulcedine, differt etiam ab alia albedine.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Capreol. in 1.d.7.q.2. art.3. Caietan. 3.p.q.35. art. 5. nostri Salmant. in suo tractatu de indiuiduatione disp. 2. dub.3. Bannes lib.1. de generat. cap. 5. q.3. art.9. ad 4. Flandria 5. Metaph. Soncin.7. Nazarius, Nauarette Gonzales & alij.

Conclvsio.

Cùm principium indiuiduationis accidentium sit ipsorum subiectum, implicat duo accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto.

Respondeo dicendum, quòd implicat contradictionem, duo accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D. Thom. quæst. 8. de veritate art. 14. quòd formarum quædam sunt vnius generis, quædam verò diuersorum generum: formæ autem diuersorum generum optimè possunt esse in eodem subiecto secundùm actum perfectum, & quando D. Thom. ibidem ait: *Quòd est impossibile vnum subiectum simul perfici diuersis formis diuersorum generum, debet intelligi secundùm eamdem rationem formalem subiecti, & secundùm eamdem potentiam*, ipse enim se ita explicat dum ibidem ait, *quod formæ diuersorum generum recipiuntur in subiecto secundùm diuersas potentias, vt si aliquod corpus est simul album & dulce, albedo inest ei secundùm quòd participat de natura Diaphani, dulcedo autem secundum naturam humidi. Formæ autem eiusdem generis tripliciter possunt inesse eidem subiecto, vno modo in potentia tantùm, quia vna potentia est contrariorum, & diuersarum formarum vnius generis, nam homo secundùm eamdem potentiam respicit tanquam subiectum susceptiuum albedinem & nigredinem, & hoc modo possunt esse simul. Secundo modo possunt esse in eodem subiecto huiusmodi formæ secundùm quòd sunt in actu imperfecto, & sic etiam possunt esse simul, vt patet cùm aliquis dealbatur, nam toto tempore dealbationis albedo inest vt in fieri, nigredo verò vt in corrumpi, quod etiam patet in accidentibus intentionalibus, nam,* vt ibidem ait D.Thomas ad 8. *Possunt esse in eodem subiecto in fieri, & in actu imperfecto vt patet in aere, vbi propter suam subtilitatem possunt esse simul diuersæ formæ albi & nigri; tamen sunt in actu imperfecto, quia sunt vt in medio deferente, & similiter in intellectu sunt plures species simul in actu imperfecto & incompleto, quia simul eis non vtitur, vnde sunt medio modo inter potentiam & actum. Tertio modo formæ eiusdem generis possunt esse in eodem subiecto in actu perfecto & completo, vt quando albedo est in fine dealbationis, & quando forma intentionalis actuat perfectè sensum, aut intelligibilis intellectum, vt exeat proximè in actum sentiendi vel intelligendi, & sic est impossibile duas formas vnius generis proximi esse simul in eodem subiecto: nam aliàs oporteret eamdem potentiam terminari ad diuersos actus, quod est impossibile, sicut & vnam lineam ex vna parte terminari ad diuersa puncta.* Hæc sunt D.Thomæ: ex qua doctrina notandum est quòd causa sufficiens huius incompossibilitatis duarum formarum vnius generis secondùm actum perfectum in eodem subiecto, non est sola oppositio, aut repugnantia secundùm esse, quæ reperitur in speciebus colorum, vel saporum in suo esse reali, vel diuersitas situs in partibus, quæ reperitur in speciebus figuræ: sed etiam quia sunt formæ vnius generis proximi, nam respectu talium formarum in subiecto seruatur vnitas potentiæ receptiuæ, & per eamdem recipiuntur in subiecto, vt omnes species colorum secundùm Diaphaneitatem: vnde cùm vna potentia non possit actuari simul per plures actus, sed per vnicum tantùm, ideo potest recipere vnum tantùm, licèt simul respiciat plures sed successiuè receptibiles: vnde est impossibile quòd duæ formæ eiusdem generis, siue contrariæ, siue non, siue secundùm esse reale, siue intentionale in actu perfecto existant in eodem subiecto: restat igitur inquirendum de duabus formis eiusdem speciei, & circa hoc iam dictum est, quòd est impossibile esse simul in eodem subiecto, quia repugnat essentialiter earum indiuiduationi vt tali: hîc autem loquimur de subiecto non materialiter, sed formaliter considerato, id est, secundùm eamdem partem, potest enim esse quòd detur vna substantia bipalmaris continua, quæ tamen non habeat rationem vnius subiecti continui, sed habeat rationem duorum subiectorum, puta si in extremitatibus sit alba, & in medio nigra.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. 3. p. q. 35. art. 5. vbi sic ait; *Quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto, non est possibile quòd sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturali: secus autem esset, si esset pater vnius generatione naturali, & alterius per adoptionem.* Item in 4. d. 12. quæst. 1. art. 1. arguit contra eos qui dicebant peractâ consecratione panis, dimensiones, ac alia eius accidentia fundari in aëre, sic enim ait: *Cùm ergo omnes dimensiones sint eiusdem speciei in quacumque materia sint, quia materia non intrat in definitionem earum, si dimensiones panis iterum sint sicut in subiecto in aëre, sequitur quòd duo accidentia speciei eiusdem sunt in eodem subiecto; quod est contradictoria esse simul, quia accidentium eiusdem speciei numeratio non est, nisi ex subiecto: vnde si subiectum sit vnum sequitur illa acciden-*

tia

tia esse plura & non plura. Item 5. Metaph. lect. 12. explicans Philosophum ad hoc propositum ait: *Impossibile est plura accidentia vnius speciei in eodem subiecto esse.*

Secundò, si essent duo accidentia solo numero distincta in eodem subiectu, sequeretur quòd essent duo, & non essent duo, essent ex suppositione, non essent, quia nullo modo distinguerentur: non formaliter & essentialiter, quia supponimus esse eiusdem speciei: nec numericè & indiuidualiter, quia vt dictum est supra primum principium distinctiunis purè indiuidualis accidentium est eorum subiectum: & ita eo non multiplicato non possent illa accidentia purè numericè & indiuidualiter multiplicari: sicut non possent duo specificè & essentialiter distingui, si forma quæ est principium huius distinctionis, non multiplicetur: vniuersaliter enim repugnat aliqua duo inter se aliquo modo distingui, si non multiplicentur principia causantia hanc distinctionem: ergo implicat contradictionem duo accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto.

Tertiò, repugnat ex parte subiecti quòd sint duo accidentia eiusdem speciei in illo, nam ex D.Thom. supra citato, cùm formæ eiusdem generis proximi, & multò magis eiusdem speciei infimæ recipiantur in subiecto secundùm eamdem potentiam, si duo accidentia eiusdem speciei reciperentur simul in eodem subiectu, oporteret eamdem potentiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile sicut & vnam lineam ex vna parte terminari ad diuersa puncta. Quod sic magis declaratur. Est impossibile aliquam formam recipi in aliquo subiecto, si tale subiectum non sit in potentia ad illam, ideo enim recipit, quia est in potentia ad illam recipiendam: sed vnum subiectum non est in potentia ad duo accidentia eiusdem speciei, nam sicut potentia in communi respicit actum in communi, sic vna potentia respicit vnum tantùm actum vt recipiendum, licèt non determinatè: in vno autem subiecto est tantùm vna potentia ad formas eiusdem speciei pùtà ad albedinem, nec respicit hanc vel illam determinatè, sed albedinem vt sic, licèt non reciperat nisi hanc vel illam, quia si respiceret hanc vel illam determinatè, non posset recipere aliam, quia nulla potentia recipit formam, quam non respicit: constat autem quòd quodlibet subiectum quamlibet albedinem potest recipere, si sit capax albedinis, vnde respicit albedinem vt sic, & est in potentia ad albedinem vt sic, determinatur verò ad hanc, aut ad illam ab extrinsecu: ergo si simul habet albedinem non est amplius in potentia ad illam, & consequenter si habet vnam albedinem numero, non potest recipere aliam, alinquin simul esset in actu, nam haberet albedinem ex suppositione, & simul esset in potentia, quia posset adhuc recipere albedinem. Vnde non effugiunt huius rationem, qui dicunt quòd esset actu per hanc numero albedinem, & esset in potentia ad aliam numero: nam vt dictum est, subiectum non est in potentia ad hanc determinatè albedinem, sed ad albedinem vt sic, nec potest respicere aut recipere hanc albedinem, nisi respiciat & reciperat albedinem vt sic, quia ratio specifica non potest separari à parte rei ab indiuiduo: & sic respectu eiusdem esset in actu & in potentia, quod implicat contradictionem: ergo duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiectu.

Ad primum ergo dicendum, quòd idem agens secundùm diuersas potentias potest elicere diuersas actiones: sed sic est multiplex subiectum formaliter. Ad illud quod dicitur de calido, dicendum quòd est vnica calefactio, quæ pro diuersitate subiectorum producit diuersos calores, quia calefactio actio subiectatur in agente, calefactiu autem passio est multiplex numero, sed in multiplici subiecto vt patet.

Ad secundum dicendum cum Caietano & nostris Salmanticensibus, quòd duæ species intentionales distinguuntur specie & essentialiter, quia essentialiter petunt repræsentare hunc numero lapidem, &c. vnde omnes lapides in esse rei non distinguuntur specie, sicut in esse obiecti.a. dicendum & melius quòd duæ species intentionales non sunt in statu completo & perfecto, quamdiu non actuant potentiam, ita vt potentia actu vtatur illis, & licèt potentia visiua, v.g. multa simul videat, videt illa per modum vnius & in sua specie: in actu igitur perfecto non possunt duæ species esse simul, benè tamen in statu incompleto & imperfecto, siue diminuto vt se habent per modum habitus conseruatæ in potentia, sicut sunt simul in aëre vt in medio deferente: difficultas autem procedit de accidentibus quæ propriè dicuntur esse & sunt in subiecto, quod accidit quando sunt in illu completa. Ad aliud dicendum, quòd pater vna relatione respicit omnes filios, sicut & filius eadem relatione respicit patrem & matrem, sed de hoc infra. Ad aliud dicendum, quòd illa duo luminosa non producunt in eadem parte aëris duo lumina, sed producunt vnum intensius modo supra explicato, quàm produceretur si esset tantùm vnum luminosum: radij autem dicuntur se intersecare, non ad modum corporum, sed quia diuersi radij à diuersis luminosis prouenientes in aliquo puncto efficiunt lumen maius, quàm si ab vno tantùm lucido causaretur, ex eo quòd vtraque virtus illuminatiua ad idem punctum concurrit: corpus autem opacum oppositum non priuat lumen, sed lumen quod erat maius, posito tali obstaculo fit remissum ex ea parte ad quam actio alicuius luminosi non potest libere peruenire: sed de hoc supra fusius dictum est.

Ad tertium patet ex dictis, quare duæ formæ diuersarum specierum subalternarum, siue diuersorum generum possint esse simul, & duo accidentia eiusdem speciei infimæ non possint.

QVÆSTIO VIII.

De Vero, siue veritate transcendentali.

POST considerationem vnius siue vnitatis transcendentalis, & indiuidualis, sequitur consideratio Veri siue veritatis transcendentalis, quæ est alia entis proprietas: & quia eadem scientia est contrariorum, aliquid etiam dicemus de falsitate: circa hoc tria quæruntur.

¶ Primò, Vtrùm veritas transcendentalis sit vera proprietas entis?

¶ Secundò, Quid dicat formaliter veritas transcendentalis?

¶ Tertiò, Vtrùm reperiatur aliqua falsitas in rebus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm veritas transcendentalis sit vera proprietas entis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd veritas transcendentalis non sit vera proprietas entis. Ita tenent Vasques 1.p. disp.77. cap.5. Probatur. Nulla vera proprietas debet includere rationem eius cuius est proprietas, debet enim ab illo distingui: sed veritas includit rationem entis, ens enim includitur intrinsecè in omnibus: ergo veritas non est vera proprietas entis.

¶ 2. Præterea, Nulla proprietas debet latiùs patere illo cuius est proprietas, sed debet se habere conuertibiliter, quia conuenit omni, soli, & semper: sed veritas latius patet quàm ens, se enim extendit ad non ens: nam verum est, hoc non ens scilicet chimeram non esse. Deinde quia ens cognoscitur sub ratione veri, & sic veritas est quid superius ad ens: ergo non est vera eius proprietas.

¶ 3. Præterea, Veritas transcendentalis non est veritas, nisi impropriè & secundùm quid, quia ratio veri non saluatur in illa intrinsecè & formaliter, sed tantùm extrinsecè & causaliter: ergo non est absolutè concedendum quòd veritas transcendentalis sit vera proprietas entis.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Thom. quem sequuntur omnes Thomistæ, & communiter alij.

Conclvsio.

Cùm veritas tranſcendentalis exprimat quemdam modum generaliter conſequentem ens vt ſic ſiue in comuni, eſt vera proprietas entis.

Responuso dicendum, quòd veritas tranſcendentalis eſt vera proprietas entis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt dari veritatem in rebus, quod adeo verum eſt, vt nunc ab omnibus concedatur, licèt de hoc olim aliqui dubitauerint, ſed facilè conuincuntur. Primò quia dantur ſcientiæ, illæ autem verſantur in contemplatione veritatis, Ariſtoteles enim 2. Metaph. affirmat, Metaphyſicam eſſe veritatis contemplatricem. Secundò, aut eſt verum quòd ſit veritas, aut falſum. Si verum eſt quòd ſit veritas: ergo datur veritas in rebus. Si falſum eſt quòd ſit veritas: ergo verum eſt eſſe falſum quòd ſit veritas. Tertiò denique quia Sacræ Scripturæ, ſancti Patres, & vox communis omnium prædicant quòd ſit veritas.

Item ſciendum eſt verum tranſcendentale eſſe conuertibile cum ente, ita vt nihil ſubterfugiat rationem veri, ſicut nec entis, & diſtinguitur à veritate formali quæ eſt in intellectu: triplex igitur eſt verum ſiue veritas. Prima dicitur veritas in ſignificando, & hæc eſt veritas propoſitionum, quæ reperitur in ipſis propoſitionibus & vocibus, prout adæquantur conceptibus quos formamus de rebus. Secunda dicitur veritas in cognoſcendo ſiue veritas formalis, & eſt illa conformitas per quam intellectus affirmans aut negans, eſt adæquatus rei ſicut eſt in ſe, nihil magis aut minùs de illa iudicans, quàm illi conueniat, vel etiam nihil ampliùs ab illa remouens, quàm illi diſconueniat. Tertia dicitur veritas in eſſendo, quæ reperitur in omnibus rebus, & dicit conuenientiam vniuſcuiuſque rei cum intellectu, ſicut bonum conſiſtit in conuenientia rei cum appetitu, & hæc dicitur veritas tranſcendentalis: in hoc autem differunt veritas tranſcendentalis, & formalis, quòd illa eſt communis omni enti, hæc verò ſoli conuenit intellectui: prima eſt fundamentum ſecundæ, provt eſt intellectus creati, & obiectum ac menſura eius, ſed tamen minùs propriè dicitur veritas, quàm ſecunda: nam nomen & ratio veritatis huic ſecundæ primatiò conueniunt, imò formaliter, ad primam verò hoc nomen eſt extenſum, & dicitur de illa tantùm cauſaliter.

Item ſciendum eſt veritatem generaliter ſumptam definiri à D. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. Item q. 1. de veritate art. 1. Item in 1. d. 19. q. 5. art. 1. vt ſit adæquatio, quæ reperitur inter intellectum & rem: & quia hæc adæquatio poteſt conſiderari ex parte rerum, vel ex parte intellectûs, ideo diſtinguitur duplex veritas, de qua nobis agendum eſt: nam de veritate in ſignificando actum eſt ſupra in Logica: veritas igitur formalis eſt adæquatio intellectûs ad rem intellectam, veritas autem tranſcendentalis eſt adæquatio rei ad intellectum: ſed hæc ampliùs ſuis locis explicabuntur: hîc autem agendum eſt primò de veritate tranſcendentali, quæ conſequitur ad ens vt ſic; agimus enim principaliter in hac tertia parte de ente & eius proprietatibus: poſtea autem agemus de veritate formali, quia vna non poteſt perfectè cognoſci ſine alia.

Probatur concluſio ratione D. Thom. q. 1. de veritate art. 1. proprietas entis eſt prædicatum aliquod, quod ſupra ens denotat & exprimit quemdam modum generaliter conſequentem ens vt ſic ſiue ens in communi; ſic enim definiuntur proprietates entis: ſed veritas tranſcendentalis eſt talis modus: nam ſicut bonum dicit conuenientiam entis cum appetitu, ſiue aptitudinem vt terminet appetitum, generaliter conſequentem ad omne ens, ſic verum dicit conuenientiam entis ad intellectum, ſiue aptitudinem vt terminet eius cognitionem, generaliter conſequentem ad omne ens, quia nullum eſt ens, quod non poſſit terminare cognitionem intellectûs, & ſicut nullum ens ſubterfugit rationem appetibilis, ſic nullum ſubterfugit rationem cognoſcibilis: ſed propter generalitatem conuenientiæ entis cum appetitu bonum eſt proprietas entis: ergo etiam propter generalitatem ſimilem conuenientiæ entis cum intellectu verum erit proprietas eiuſdem entis. Confirmatur. Vt aliquid ſit proprietas entis, ſufficit quòd ſit quoddam prædicatum ſimplex & incomplexum, conuertibile cum ente: verum autem eſt huiuſmodi vt patet: ergo eſt vera proprietas entis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi hæc ratio valeret de vero, probaret ens nullas habere proprietates, quod eſt contra communem opinionem Metaphyſicorum: vnde dicimus quòd ſufficit ad rationem proprietatis entis, quòd exprimat aliquem modum generaliter conſequentem ens, qui non exprimatur nomine entis: quod facit verum: nam dicit conuenientiam entis ad intellectum, quæ conuenientia non exprimitur nomine entis: nec hoc eſt peculiare in proprietatibus entis, nam proprietates quæ aſſignantur à Philoſopho prædicamentis, ipſa quorum ſunt proprietates, includunt, nec realiter ab ipſis diſtinguuntur vt patet inductione.

Ad ſecundum dicendum, quòd verum non magis latè patet quàm ens, nec ens rationis eſt cognoſcibile aut verum, niſi quatenus concipitur per ſpeciem entis realis, & ideo non eſt verum ratione ſui, ſed per aliud, id eſt per ſpeciem per quam intellectus illud apprehendit: vnde verum propriè ſolùm ſe extendit ad ens reale, & ens rationis eo modo habet veritatem tranſcendentalem, quomodò habet entitatem, ſcilicet extrinſecè; nullam enim habet entitatem à ſe, ſed illam habet ab intellectu ipſum efformante, à quo habet ſuum eſſe obiectiuum, præter quod nullum aliud habet, ſic ab eodem intellectu extrinſecè habet ſuam veritatem ſiue cognoſcibilitatem. Ad id quod dicitur, ens cognoſci ſub ratione veri, poſtea examinabitur, dicendum tamen ex hoc colligi ens eſſe ſuperius ad verum, & non econtra, quia verum dicit tantùm ens ſecundùm quòd dicit ordinem ad intellectum; vnde limitat ipſum à ſua generalitate, nam ens dicit etiam ordinem ad voluntatem ſub ratione boni: quomodò autem ſe habeat verum in ordine ad intellectum, poſtea examinabitur.

Ad tertium dicendum, quòd quando dicitur verum eſſe proprietatem entis, intelligitur verum tranſcendentale, quòd reperitur in omnibus rebus, & ideo quòd non ſit propriè & intrinſecè verum, non facit ad rem: ſit enim verum formaliter, vel cauſaliter tantùm, intrinſecè, vel extrinſecè, dicimus quòd hoc verum eſt proprietas entis.

Articvlvs II.

Quid dicat formaliter veritas tranſcendentalis?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd veritas tranſcendentalis formaliter ſumpta nihil poſitiuum dicat, ſed conſiſtat in aliqua extrinſeca denominatione, aut reſpectu rationis, aut negatione falſi. Primum docet Vaſques 1. p. diſp. 77. cap. 3. ſecundum docet Suarez tom. 1. Metaph. diſp. 8. ſect. 7. vltimum docet Aureolus in 1. d. 13. q. 3. hanc opinionem ſic generaliter ſequuntur Durandus in 1. d. 19. q. 5. Henricus in ſumma q. 5. art. 34. pro ipſa etiam citantur Caietanus, & Ferrarienſis: ſed immeritò; hi enim tantùm negant in rebus eſſe formam poſitiuam intrinſecam, à qua veræ denominentur: ſed non negant quòd habitudo ad intellectum diuinum per modum exemplari, & ad intellectum noſtrum per modum cauſæ (quam vocamus tranſcendentalem, ſiue veritatem cauſaliter, & entis proprietatem) non ſit intrinſeca, & realis ipſius entis formalitas. Probatur hæc opinio ex D. Thom. 1. p. q. 16. art. 6. Item q. 1. de veritate art. 4. vbi ait: *Res dici veras à veritate intellectûs præſertim diuini, ſicut medicina dicitur ſana à ſanitate animalis*: Sed medicina eſt ſana tantùm per extrinſecam denominationem: ergo & res ſunt veræ per extrinſecam denominationem, & ſic veritas tranſcendentalis formaliter ſumpta nihil poſitiuum dicit.

¶ 2. Præterea, Veritas tranſcendentalis nihil ponit in rebus ex D. Thom. qui ſæpè docet bonum verè & propriè reperiri in rebus: verum autem extrinſecè per ex-

trinſecam

trinsecam denominationem, siue per ordinem ad intellectum, in quo solo propriè repetitur. Deinde quia nihil reale potest superaddi enti. Deinde quia res dicitur vera, vt apprehenditur, & cooformatur intellectui nostro speculatiuo, habenti veram æstimationem de illa, & sic veritas vt se tenet ex parte rerum non est conformitas formalis, sed obiectiua: ergo veritas transcendentalis est solùm relationis.

§ 3. Præterea, Proprietas non includit formaliter id cuius est proprietas: sed veritas transcendentalis est proprietas entis, vt docet Aristoteles: ergo oon illud includit formaliter, sed materialiter tantùm connotat illud, & formaliter dicit extrinsecam denominationem, scilicet conformitatem passiuam ad intellectum: vel diuinum vt ad exemplar & causam sui, & propterea D. Th. ait res posse dici veras ab æterno à veritate æterna diuini intellectûs: vel creatum vt causa veritatis eius formalis: ergo veritas transcendentalis consistit formaliter in extrinseca denominatione & relatione rationis.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur Thomistæ, Capreolus in 1. d. 19. q. 3. art. 1. Caietanus 1. p. quæst. 16. art. 6. Bannes, Ferrar. Zumel, Sonciuas, Iauellus, & Araujo in Metaphysica, ac plures alij.

Conclusio.

Cùm veritas transcendentalis formaliter sumpta sit vera proprietas entis, & pertineat ad obiectum intellectûs, dicit formaliter aliquid positiuum.

Respondeo dicendum, quòd veritas transcendentalis non consistit in pura falsi negatione, nec in sola relatione rationis, aut in extrinseca denominatione. 2. nec consistit in aliquo conflato ex positiua entitate, & respectu rationis: sed talis relatio rationis tantùm consequitur, 3. nec addit aliquid supra ens, 4. sed dicit aliquid reale positiuum, quod præcisè consistit in habitudine illa transcendentali, qua vnaquæque res apta nata est conformari: primariò quidem intellectui diuino, secundariò autem intellectui creato, quæ habitudo est omnino realis & absoluta, & tantùm relatiua secundùm quid: quæ potest vocari respectus conuenientiæ, vel conformitas aptitudinalis entis cum intellectu. Ad cuius euidentiam sciendum est hoc esse certum apud omnes, quòd verum pertinet ad obiectum intellectûs, sicut bonum ad obiectum voluntatis, & quòd verum & bonum, cùm sint transcendentalia se mutuò includunt ex D. Thom. 1. p. q. 16. art. 4. ad 1. vbi sic ait: *Voluntas & intellectus mutuò se includunt, nam intellectus intelligit voluntatem, & voluntas vult intellectum intelligere:* Sic ergo inter illa quæ ordinantur ad obiectum voluntatis, continentur etiam ea quæ sunt intellectûs, & è conuerso: vnde in ordine appetibiliũ bonum se habet vt vniuersale, & verum vt particulare: in ordine autem intelligibilium est è conuerso: in hoc tamen differunt verum & bonum, quòd bonum est ratio formalis obiecti voluntatis: verum autem est sola conditio obiecti intellectûs: ita communiter Thomistæ cum D. Thom. & Caietano 1. p. q. 16. art. 3. ad 3. docent enim obiectum formale intellectûs integrari ex ratione entis & ratione veri, non æqualiter, & ex ratione entis, vt ex formali constitutiuo, & vt ex re intellecta, sed ex ratione veri, vt ex modo adiuncto, & veluti ex conditione connotata terminandi intellectionem: vnde licèt ratio entis, sit, quæ intelligitur per actum directum intellectûs (actio enim reflexa potest etiam terminari ad ipsam rationem veri in actu signato,) tamen sine ratione veri sibi associata nunquam intelligitur, nec potest intelligi: hæc ait D. Thom. loco citato: *Cùm dicitur ens non potest apprehendi sine ratione veri, hoc potest dupliciter intelligi, vno modo ita quòd non apprehendatur ens, nisi ratio veri assequatur apprehensionem entis, & sic locutio habet veritatem: alio modo potest sic intelligi, quòd ens non possit apprehendi, nisi apprehenderetur ratio veri, & hoc falsum est: sed verum non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis, quia ens cadit in ratione veri, & est simile, sicut si compararemus intelligibile ad ens: non enim potest intelligi ens, quia ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens, ita quòd non intelligatur eius intelligibilitas: & similiter ens intellectum est verum, non tamen intelligendo ens intelligitur verum:* Ex quibus patet quòd verũ est conditio intrinseca complens obiectũ intellectûs.

Item sciendum est quòd veritas transcendentalis tantùm causaliter est veritas, consistens in habitudine perfectiui, quàm habet ens ad intellectum, & ad illius veritatem mensurandam, à qua vt à termino extrinseco suæ habitudinis ens denominatur verum: & sic verum dictum de vno intellectus, & de vero quod est in rebus, est analogum attributionis tantùm. Ita communiter docent Thomistæ cum D. Thom. multis in locis, & facilè suadetur: nam verum formaliter solùm est in intellectu, definitur enim quòd sit conformitas, & adæquatio intellectûs ad res, & D. Thom. ponit discrimen inter verum & bonum, quòd verum est in intellectu, & bonum in rebus. Deinde D. Thom. 1. p. q. 16. art. 1. ad 3. sic ait: *Esse rei, & non veritas eius causat veritatem intellectus:* Vnde Philosophus dicit, quòd opinio & oratio vera est, ex eo quòd res est, non ex eo quòd res vera est: sed si veritas esset in rebus propriè, iam veritas rei causaret exemplariter veritatem intellectûs, & oratio esset vera ex eo quòd res in seipsa esset vera. Denique D. Th. ibid. art. 7. & 8. docet verum dici de rebus, intellectu, & vocibus: sicut sanum de medicina, animali, & vrina, scilicet de illis causaliter, de intellectu formaliter, & de vocibus significatiuè. Idem docet in 1. d. 2. q. 1. art. 13. Item d. 19. q. 5. Item q. 1. de veritate art. 4. & sic constat quòd verum est analogum comparatum ad hæc tria, solâ analogiâ attributionis, quod est contra Suarem, qui admittit etiam analogiam proportionalitatis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 17. art. 1. Item q. 1. de veritate art. 10. Deinde probatur ratione. Verum pertinet ad obiectum intellectûs, si non vt formale specificatiuum, saltem vt eius complementum vt dictum est: ergo debet præuenire omnem operationem intellectûs: nam quod pertinet ad rationem obiecti potentiæ speculatiuæ, illam antecèdit: ergo verum non consistit in relatione rationis, & aliis assignatis quæ dependent ab intellectu, sed est quid reale. Confirmatur. Verum est proprietas entis realis vt dictum est: ergo est quid reale, quia proprietas entis sola ratione distinguitur ab ente, penes peculiarem aliquam expressionem: patet autem illud esse quid reale, quod solâ ratione distinguitur ab ente reali.

Secundò, verum transcendentale dicitur analogicè de Deo, & creaturis analogia attributionis & proportionalitatis simul, sicut & ens, & alia transcendentia: sed in Deo verum dicit aliquid reale, nam veritas Dei est eius attributum, & consequenter perfectio, & Deus nemine cogitante est sua veritas, non solùm in cognoscendo, sed etiam in essendo ex D. Th. 1. p. q. 16. art. 5. quia sicut per se est suum intelligere, & consequenter veritas in cognoscendo, sic per se est conformabilis suo intellectui, & consequenter veritas in essendo: ergo & in creaturis est aliquid reale, non enim potest saluari Analogia attributionis & proportionalitatis simul, nisi ratio analogicè communis vtrique extremo sit intrinseca & aliquid reale in vtroque inquantum sunt analoga proportionalitatis.

Tertiò, veritas transcendentalis consistit in habitudine, quam dicit vnaquæque res ad intellectum diuinum, vt illi conformabilis vt infra patebit: sed hæc habitudo est quid reale, nam quælibet res per eamdem entitatem, à qua habet esse ens, habet etiam (licèt sub diuersa formaliter ratione distincta) exemplari à diuino intellectu, & illi esse conformabilem, & illius esse imitatiuam: ergo veritas transcendentalis formaliter sumpta dicit aliquid reale. Confirmatur. Cognoscibilitas passiua non vt denominatur proximè ab intellectu, sed sumpta radicaliter & fundamentaliter, est realis perfectio rerum, quæ sic graduantur in cognoscibilitate, sicut & in sua actualitate & esse, vnde Deus sicut est in summo actualitatis, sic est in summu cognoscibilitatis ex D. Th. 1. parte quæst. 12.

articulo

articulo 1. ſed hæc fundamentalis cognoſcibilitas eſt veritas tranſcendentalis, aut ſaltem proprietas ad illam conſequuta: ergo veritas tranſcendentalis dicit aliquid reale & intrinſecum entibus.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Verum ſiue veritas tranſcendentalis ex D. Thom. eo modo conſiſtit in habitudine entis ad intellectum, ſicut bonum in habitudine entis ad voluntatem: ſed habitudo conſtituens bonum eſt poſitiua & intrinſeca enti ſe tota, nihil rationis admixtum habens vt patet: ergo & verum ſiue veritas tranſcendentalis.

Secundò, ratio entis vt eſt à parte rei, & vt præuenit operationem intellectûs & omnem reſpectum rationis, eſt vera tranſcendentaliter, cùm vt ſic ſit quid productum extra cauſas cum ſuis omnibus proprietatibus, quas vnaquæque res recipit ex vi eiuſdem actionis, qua producitur ſiue quæ recipit eſſe: ergo ille reſpectus rationis non eſt de ratione veri, ſiue veritatis tranſcendentalis, ſed ad illam conſequitur: aliàs non eſſent res cognoſcibiles aut veræ à parte rei, ſed fierent tales per intellectum, quod eſt falſum, imò ideo intelliguntur à nobis, quia ſunt intelligibiles & veræ in ſeipſis, & ab intellectu non habent niſi eſſe actu intellectas, & ideo dicimus, quòd verum connotat quidem intellectum, ſed per ordinem realem intrinſecum & tranſcendentalem, non autem per reſpectum rationis, niſi conſequenter.

Probatur tertia pars concluſionis ex D.Thom. 1. part. quæſt.16. art.3. ad 3. vbi ſic ait: *Verum non poteſt apprehendi, niſi apprehendatur ratio entis, quia ens cadit in ratione veri*: Ergo verum nihil addit reale ſupra ens; aliàs poſſet apprehendi ſine illo. Deinde ſi verum adderet aliquid reale ſupra ens, poſſent concipi ſeparatim: tunc ſic arguo, illud quod vocamus ens, eſt adhuc intelligibile ſaltem à Deo, qui omnia nouit: ergo omne ens ſeipſo eſt verum, & non per aliquid ſuperadditum: omne enim intelligibile eſt verum. Denique omne quodcumque eſt reale eſt ens, aliàs nihil eſſet: ergo verum reale eſt ens, vnde verum nihil addit reale ſupra ens.

Probatur quarta pars concluſionis ex D.Th. 1.p. q.16. art.1. vbi hæc habet: *Vnaquæque res dicitur vera abſolutè ſecundùm ordinem ad intellectum à quo dependet, res enim intellecta habet ordinem per ſe ad intellectum à quo dependet. ordinem verò per accidens ad intellectum à quo cognoſcibilis eſt: iudicium autem de re non ſumitur ſecundùm id quod ineſt ei per accidens, ſed ſecundùm id quod ineſt ei per ſe*: Et paulò poſt ait: *Res naturales dicuntur eſſe veræ ſecundùm quòd aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum quæ ſunt in mente diuina.*

Secundò, ſic comparatur bonitas ad appetitum, ſicut veritas ad intellectum modo ſupra explicato: ſed bonitas conſiſtit in habitudine conuenientiæ cum appetitu quocumque, & præcipuè cum diuino, vt infra patebit: ergo ſimiliter veritas conſiſtet in habitudine conuenientiæ, ſiue conformitatis, cum quolibet intellectu, & præcipuè diuino.

Tertiò, veritas cuiuſque rei debet ſumi ex conformitate eius ad ſuam primam cauſam & menſuram, vt patet in artificialibus, quæ in tantùm dicuntur vera, in quantum conformantur ideæ exiſtenti in mente artificis: & cùm omnes res creatæ reſpectu Dei ſe habeant vt artificiata reſpectu artificis, ideo omnium rerum veritas præcipuè deſumitur per habitudinem conformitatis cum ideis ſupremi artificis: ſed omnium rerum prima cauſa & regula eſt diuinus intellectus, qui ſicut eſt cauſa eſſe omnium rerum cùm ad eius imperium omnia facta ſint, ſic eſt omnium regula ac menſura: ergo præcipuè per conformitatem cum illo habent omnia quòd ſint vera.

Quartò, quælibet res dicitur vera, quia eſt conformis vel conformabilis alicui intellectui, vt patet ex definitione veritatis tranſcendentalis: ergo abſolutè debet dici vera per ordinem ad intellectum, in quo eſt perfectiſſima, infallibilis, & abſoluta eius idea, qua menſuretur: ſed talis idea eſt tantùm in intellectu diuino, qui habet ideas perfectiſſimas omnium rerum, quas ſemper actu intuetur, intellectus verò creatus, & præcipuè humanus habet ideas rerum non ita perfectas, imò erroribus obnoxias, poteſt enim errare in illis efformandis, nec illas ſemper in actu conſiderat: & adhuc ſi nullus fuiſſet intellectus creatus, adhuc res eſſent veræ per ſolam conformitatem ad intellectum diuinum: ergo veritas tranſcendentalis primariò conſiſtit in habitudine tranſcendentali conformitatis rerum ad intellectum diuinum, & ſecundariò ad intellectum creatum. Confirmatur primò. Ab illo res habet eſſe verum, à quo habet eſſe; eſſe enim & verum idem ſunt realiter: ſed omnia habent eſſe ab intellectu diuino, cùm per eius imperium omnia facta ſint: ergo & ab illo habent eſſe vera, & ſic omnium veritas eſt per ordinem ad intellectum diuinum. Confirmatur ſecundò. Veritas tranſcendentalis eſt quid analogum ad Deum & creaturas, non ſolùm analogia proportionalitatis, ſed etiam attributionis, eadem enim eſt ratio de vero ac de ente: ſed ratio analoga attributionis reperitur in primo analogato per ſe, in aliis autem per dependentiam à primo, & per ordinem ad illud, vt patet ex ſupradictis: ergo veritas tranſcendentalis eſt in omnibus rebus creatis per dependentiam, & habitudinem ad Deum.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th. in loco citato tantùm vult, quòd omnia creata denominentur vera dependenter à veritate intellectûs diuini, cui vnumquodque aſſimilatur ſecundùm ſuam entitatem: & ſic licèt plures ſint eſſentiæ, ſubdit D. Th. vel formæ rerum, tamen vna eſt veritas diuini intellectûs ſecundùm quam omnes res denominantur veræ: & ita, vt apparet, loquitur de veritate formali, nam veritatem tranſcendentalem & obiectiuam eſſe intrinſecam rebus affirmat multis locis, ſcilicèt 1.p.q.17. art.1. vbi dicit, *Quòd res ſunt veræ per ordinem ad intellectum diuinum, à quo per ſe dependent. ſunt autem falſæ tantùm reſpectu intellectûs creati, ad quem per accidens comparantur: & ideo veri ſimpliciter, falſi verò ſecundùm quid ſubeunt denominationem.* Idem repetit ad 3. & q.1. de veritate art.4. dicit res dici veras à veritate ſibi inhærente, quæ nihil aliud eſt, quàm entitas ipſa intellectui adæquata: ſed hæc veritas non eſt propriè & formaliter veritas, ſed tantùm impropriè cauſaliter, & obiectiuè eo modo, quo ſanitas medicinæ dicitur cauſaliter, & non formaliter.

Ad ſecundum dicendum ſimiliter, quòd ibi D. Th. loquitur de veritate formali, quæ eſt tantùm in rebus per extrinſecam denominationem, & non de tranſcendentali quæ eſt intrinſecè in omnibus. Ad aliud concedimus, quòd verum nihil addit reale ſupra ens, ſed dicit aliquid reale, ſcilicet ipſum ens, vt dicit reſpectum realem tranſcendentalem & ſecundùm dici ad intellectum: quòd autem non ſit reſpectus ſecundùm eſſe patet, quia verum diuagatur per omnes categorias ſicut ens, nec diſtinguitur niſi ratione ab ente in quo fundatur, reſpectus verò ſecundùm eſſe limitatur ad categoriam relationis, & diſtinguitur realiter à ſuo fundamento: & hoc maximè apparet in Deo, in quo veritas non eſt relatio ſecundùm eſſe, cùm tales relationes in Deo ſint tantùm quatuor: non tamen per hoc negatur creaturas dicere relationem realem ad Deum, vt veri effectus ad cauſam. Ad aliud dicendum, quòd non eſt neceſſe, vt res actu apprehendatur, vel actu conformetur intellectui, ad hoc vt ſit vera, ſed ſufficit quòd ſit apprehenſibilis & conformabilis: ſi loquamur de intellectu creato; ad actualem autem apprehenſionem conſequitur relatio rationis, nam res comparantur ad intellectum creatum, ſicut menſura ad menſuratum: eſt verò realis ex parte intellectûs creati ad ipſas; hæc autem relatio rationis non pertinet ad rationem veritatis, ſed illam conſequitur.

Ad tertium dicendum, quòd ſufficit ad proprietates entis, quòd dicant ipſum ens pro materiali, pro formali autem aliquem modum eius generalem non expreſſum in ratione entis, quamuis implicitum. Ad D. Th. dicendum quòd res poſſunt dici veræ à veritate æterna diuini intellectus, ſed non ſunt propterea actualiter, & tranſcendentaliter veræ, donec producantur: de hac autem veritate loquimur,

loquimur, & non de illa extrinseca, nec res sunt veræ, quia causant verum iudicium, sed quia possunt causare per ordinem ad intellectum creatum, nam respectu diuini non causant, sed ab illo causantur, nec dicuntur pariter res veræ, quia intelliguntur, sed quia ab intrinseco habent vt possint intelligi, & causare veritatem formalem intellectus creati: vnde veritas transcendentalis dicit ipsum ens cum illo modo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm reperiatur aliqua falsitas?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd nulla falsitas propriè sumpta reperitur in rebus. Ita Suares tom. 1. suæ Metaph. disp.9. sect.1. Vasques 1. p. disp.77. cap. 3. & alij, qui dicunt res tam naturales, quàm artificiales aliquando dici falsas metaphoricè tantùm, & extrinsecè, quia causant falsitatem in intellectu. Probatur ex Aug. qui in soliloquiis ait: *Si verum est id quod est, falsum non esse vspiam concludetur:* Ergo nulla falsitas reperitur in rebus.

§ 2. Præterea, Cùm veritas & falsitas sint opposita, debent dici per ordinem ad intellectum, maximè diuinum: sed per ordinem ad intellectum diuinum nulla res siue naturalis, siue artificialis, siue moralis est falsa; quia omnia quæ fiunt & sunt imitantur diuinas ideas: ergo propriè nulla falsitas reperitur in rebus.

SED CONTRA est expressa authoritas D.Th. 1. p. q.17. art.1. quem cõmuniter sequuntur Thomistæ & plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm reperiatur in rebus artificialibus difformitas ad intellectum creatum practicum, sicut & in moralibus ad intellectum diuinum, reperitur in rebus falsitas.

RESPONDEO dicendum, quòd nulla falsitas formalis reperitur in rebus, sed in solo intellectu, à qua res denominantur tantùm extrinsecè falsæ, quatenus cognoscuntur aliter quàm sint, vel quia illam causant. 2. falsitas etiam transcendentalis sic dicta, quia opposita veritati transcendentali, siue falsitas obiectiua non reperitur propriè in rebus naturalibus, nec respectu diuini intellectus, nec respectu creati; sed tantùm metaphoricè. 3. nec etiam reperitur falsitas transcendentalis in rebus artificialibus respectu intellectûs diuini etiam practici, aut respectu intellectûs creati speculatiui. 4. reperitur tamen in illis falsitas respectu intellectûs creati practici, à quo dependent; cùm non conformentur ideis eius: 5. moralia verò possunt esse falsa, tam respectu intellectûs diuini modo explicando, quàm respectu intellectûs creati. Ad quorum euidentiam sciendum est; quòd cum falsitas sit contraria veritati, debet contrario modo definiri: item debet diuidi sicut & veritas; definitur in communi, quòd sit difformitas siue inadæquatio, quæ reperitur inter intellectum & rem: falsitas autem transcendentalis, si quæ sit, est difformitas rei ad intellectum: formalis verò est difformitas & inadæquatio intellectus ad res.

Item sciendum est omnes creaturas dicere essentialem dependentiam ab intellectu diuino practico, à quo efficienter habent formam sibi debitam secundùm quòd repræsentantur in ideis diuinis: & ratio est manifesta: nam res mensurata vt sic dicit essentialem dependentiam à sua mensura, siue exemplari, ad quod dicit relationem: sed omnes res creatæ sunt mensuratæ & exemplatæ efficienter formaliter ab ideis, quæ sunt in intellectu diuino: ergo dicunt essentialem dependentiam ab intellectu diuino practico: hæc doctrina est contra aliquos recentiores, qui dicunt, non ideò res esse, quia Deus illas cognuscit, sed ideò Deum res cognoscere, quia sunt: quod tamen est contra D.Thom. 1.p.q.14. art.8. & S.Aug.lib.15. de Trinitate c. 13. tom. 3. vbi sic ait: *Vniuersas creaturas & spiritales & corporales, non quia sunt, ideò nouit Deus, sed ideò sunt, quia nouit.* Tria autem sunt genera entium, alia sunt naturalia, quæ habent esse à parte rei à causis secundùm naturam agentibus: alia sunt artificialia, quæ habent esse ab agente perficiente naturam secundùm artem: alia denique sunt entia moralia, quæ ab agente libero præcedente iudicio rationis habent esse, & sunt bona, vel mala moraliter, vt actus amoris vel odij Dei: omnia tamen entia secundùm id quod habent de entitate & actualitate, procedunt à Deo vt à prima causa, quod non solùm est certum secundùm fidem, sed etiam secundùm lumen naturale, quia omne ens per participationem procedit ab ente per essentiam, quod enim est primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum illius generis: sed Deus est ens per essentiam, cùm sit suum esse, & consequenter primum ens, vt infra probabitur: ergo est causa omnium aliorum quæ sunt per participationem. Deinde quia vltimus finis omnium debet etiam esse prima causa, & primum principium omnium: sed Deus est vltimus finis omnium: ergo & prima causa. Cùm autem Deus prima causa sit agens per intellectum, debemus in illo ponere ideas omnium rerum quas facit, aliàs ageret à casu & vt cæcus, vnde nihil facit nisi volens, & consequenter omnia quæ facit, sunt regulata suis ideis: & quamuis respectu nostri & agentium particularium sint monstra, & entia imperfecta, non tamen respectu Dei qui illa absolutè vult, & ordinat ad optimum finem, scilicet decorem vniuersi iuxta illud: *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Probatur conclusio generaliter authoritate D. Thom. 1.p. q.17. art.1. vbi hæc habet: *Res simpliciter falsa dici potest per comparationem ad intellectum a quo dependet, cui comparatur per se, in ordine autem ad alium intellectum, cui comparatur per accidens, non posset dici falsa, nisi secundùm quid:* Dependent autem ab intellectu diuino res naturales, sicut ab intellectu humano res artificiales: dicuntur igitur res artificiales falsæ simpliciter & secundùm se, inquantum deficiunt à forma artis, vnde dicitur aliquis artifex opus falsum facere, quandò deficit ab operatione artis: sic autem in rebus dependentibus à Deo falsitas inueniri non potest, per comparationem ad intellectum diuinum, cùm quidquid in rebus accidit, ex ordinatione diuini intellectûs procedat, nisi fortè in voluntariis agentibus tantùm, in quorum potestate est subducere se ab ordinatione diuini intellectus.

Probatur prima pars conclusionis. Idem est subiectum veritatis, ac falsitatis formalis: nam contraria nata sunt fieri circa idem: sed veritas formalis vt supra dictum est, non reperitur in rebus, at in solo intellectu: ergo & falsitas formalis.

Probatur secunda pars conclusionis. Sicut veritas transcendentalis consistit in ordine conuenientiæ ad diuinum intellectum, ita falsitas transcendentalis, si quæ esset, deberet consistere in ordine disconuenientiæ ad diuinum intellectum, cùm ab illo vt à causa per se omnes res dependeant: sed nulla res naturalis subterfugit ordinem conuenientiæ ad diuinum intellectum, tam speculatiuum, cùm non possit non habere iudicium conforme omnibus rebus indicans de illis sicut sunt in se; quàm practicum, cùm ipsæ res non possint non esse conformes atque conuenientes ideis illius, cùm Deus sit agens perfectissimus & omnipotens, qui res producit eo modo, quo vult illas produci: aut dicendum est res euenire à casu, & primam causam esse impotentem, aut nescientem, si aliquis eius effectus eueniat alio modo, quàm ipsa ordinauerit.

Secundò, veritas transcendentalis conuenit conuertibiliter omni enti, vt eius proprietas sicut supra dictum est: ergo nulli enti naturali conuenit falsitas transcendentalis, si quæ sit, cùm intrinsecè opponantur veritas & falsitas: & ideò sicut bonitas, quia est proprietas entis ita excludit malum suum contrarium, vt nullum sit en[s] naturale quod absolutè sit malum vt ens est (licèt sub [ali-]qua ratione defectus subeat rationem mali vt p[atet in] moralibus:) sic nullum potest esse ens naturale, [quod ab-]solutè sit falsum licèt sub aliqua ratione, vt [...] bit, possit dici tale. Quòd etiam res natural[es non possint] esse falsæ respectu intellectûs creati, prob[atur: quia falsi-]tas debet esse inadæquatio rei ad int[ellectum]

talis inadæquatio conuenit ex se rebus naturalibus, imò ex se sunt cognoscibiles sicuti sunt, Deus enim & Angeli adæquatè intelligunt omnia vt sunt in se, vnde quòd intellectus creatus, vt putà humanus falsò & inadæquatè rem aliquam apprehendat, hæc inadæquatio prouenit vel ex ipso intellectu, vel ex prærequisitis ad intellectionem, vt sensibus externis vel internis, &c. quod arguit falsitatem esse in intellectu, & non in rebus.

Probatur tertia pars conclusionis quoad intellectum diuinum etiam practicum. Intellectus diuinus est perfectissimus, comprehendens omnia sicut in se sunt, & causans omnia perfectissimè & adæquatè ad suas ideas: ergo etiam in artificialibus nulla est inadæquatio ad intellectum diuinum, ac proinde nec falsitas. Probatur de intellectu creato speculatiuo. Quòd artificiata non apprehendantur vt sunt in se, hoc prouenit non ex parte ipsorum, cùm à Deo perfectissimè vt sunt in se comprehendantur, sed prouenit ex parte ipsius intellectûs cognoscentis: ergo arguitur falsitatem esse in intellectu, & non in artificiatis.

Probatur quarta pars conclusionis, D. Thom. docet artificiata dici falsa simpliciter & secundùm se, inquantum deficiunt à forma artis: sed quod est secundùm se tale, est intrinsecè tale, nam sicut ordo conformitatis artificiatorum ad intellectum artificis est illis intrinsecus, quia per se dependent ab illo, & per se ordinantur ad illum, & sic est in illis veritas specialis, scilicet practica obiectiua, sic ordo deformitatis in eisdem ad dictum intellectum practicum, debet esse intrinsecus ob eamdem rationem: ergo in artificiatis reperitur falsitas respectu intellectus creati practici à quo dependent; cùm non conformentur ideis eius. Deinde D. Th. docet aliter res naturales esse falsas per ordinem ad intellectum proferentem falsum iudicium, & aliter artificiata per ordinem ad suam regulam, res quidem naturales per accidens & secundùm quid, artificiata autem simpliciter & per se: sed hoc discrimen non potest saluari, nisi dicatur quòd illarum falsitas est omnino extrinseca & metaphorica, horũ autem intrinseca & propria, non quidem quoad formalem denominationẽ quam dat falsitas formalis, sed quoad denominationem, quam dat ordo & habitudo intrinseca ad aliquem intellectum, in qua habitudine quædam falsitas scilicet causalis & obiectiua continetur: ergo & artificiata, (quia retinent ordinem conformitatis cum intellectu diuino, deficiunt tamen ab ordine conformitatis cum humano,) sunt vera absolutè, dicuntur tamen falsa in se per ordinem ad causam proximam, id est, non omnino extrinsecè & per accidens, sicut quælibet res potest dici falsa à falso iudicio quod de ipsa format intellectus.

Probatur quinta & vltima pars conclusionis. Primò ex D.Th. iam citato. Deinde ordo conformitatis operum bonorum moralium ad supremam regulam existentem in intellectu diuino, est illis intrinsecus, & constituit in illis veritatem moralem, ratione cuius opera virtutis dicuntur veritas, Ioannis 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem:* Ergo ordo difformitatis in eisdem ad suam regulam debet esse intrinsecus, eo modo quo dictum est de artificiatis, nam quæ de illis dicta sunt, possunt his proportionaliter applicari, & ideo intrinsecè sunt falsa sicut artificiata, speciali modo & in tali genere. Dicuntur autem recedere ab ordinatione diuina, inquantum Deus præcipit bona & prohibet mala, & sic vt est prouisor salutis nostræ: non tamen recedunt absolutè, quia Deus vt prouisor vniuersalis aliquandò permittit mala moralia, & in hoc ordine vniuersalis prouisionis non subterfugiunt diuinam ordinationem, saltem permissiuam, quia voluntas diuina semper impletur, & nihil absolutè potest subterfugere eius ordinationem, vt optimè explicat D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. vnde licèt opus vitiosum deficiat ab ordine diuini intellectus sub ratione mali moralis, & actus deficientis, quia vt sic non habet Ideam in Deo; tamen vt ens in illum relabitur: nam propter suam vniuersalitatem à nullo potest omnimodè subterfugi.

Ad primum ergo dicendum, quòd S. Augustinus loquitur de falsitate simpliciter in rebus naturalibus, & ita cùm omnia sint vera, non datur in illis falsitas simpliciter vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd per comparationem ad intellectum diuinum non dicuntur res falsæ, quòd esset eas esse falsas simpliciter, sed per comparationem ad intellectum nostrum, quod est eas esse falsas secundùm quid, intrinsecè tamen.

QVÆSTIO IX.

De veritate, ac falsitate formali.

CVM veritas vniuersaliter sumpta definiatur ab Isaac libro de definitionibus vt refert D.Th. 1.p. q.16.art.2. quòd sit adæquatio rei & intellectûs, & vt ibidem dicit D.Th. hæc adæquatio possit ad vtrumque extremum comparari, & in vtroque saluari, ita quòd si sit adæquatio rei ad intellectum, erit veritas transcendentalis, de qua iam egimus: si autem sit adæquatio intellectûs ad rem, erit veritas formalis, de qua nunc consecutiuè agendum est, propter connexionem quam habet ad veritatem transcendentalem: nam vel est causa eius, si loquamur de veritate formali intellectûs diuini, vel est eius effectus, si loquamur de veritate formali intellectûs humani: circa hoc autem quæruntur tria.

¶ Primò, Quid sit veritas formalis?

¶ Secundò, Vtrùm veritas formalis sit tantùm in iudicio mentali propriè & perfectè?

¶ Tertiò, Quid sit falsitas formalis, & in quo reperiatur?

ARTICVLVS I.

Quid sit veritas formalis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd veritas formalis sit conformitas ipsius rei vt cognitæ, ad seipsam vt est à parte rei, vnde dicunt authores huius opinionis hanc conformitatem esse relationem rationis. Ita Durandus in 1.d.19.q.5. Herueus quodlib.3.q.1. art.2. & 3. Henricus in summo q.5. art.34. Vasques 1.p.disp.76. cap.1. Fonseca & alij. Probatur. Veritas formalis in hoc consistit, quòd res ita repræsentetur sicut est in se: sed talis conformitas non est conceptus formalis ad rem, nam conceptus formalis in suo esse non est conformis rei in esse reali: ergo veritas formalis est conformitas conceptus obiectiui, siue rei vt cognitæ ad seipsam vt est à parte rei. Confirmatur. In illo est primariò veritas formalis, quod significatur per vocalem enunciationem veram: sed vocalis enunciatiò significat præcisè ipsas res cognitas, & in conceptibus obiectiuis repræsentatas: ergo veritas formalis consistit in conformitate ipsarum vt sunt cognitæ, ad seipsas vt sunt à parte rei.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd veritas formalis consistat in entitate iudicij absoluta cum connotatione obiecti ita se habentis, sicut per iudicium repræsentatur. Ita Suares. Probatur. Iudicium esse verum, addit aliquid supra entitatem illius; non reale absolutum, nec relatiuum, nihil enim reale potest superaddi entitati eius; nec relationem rationis, nam ante resultantiam eius quæ fit per actualem considerationem, iudicium est verum: ergo solùm addit connotationem obiecti. Confirmatur. Eadem propositio indicatiua manens inuariata mutatur de vera in falsam, per solam mutationem obiecti, vt docet Philosophus cap. de substantia: ergo nihil amittit intrinsecum & reale, aliàs non posset fieri iste transitus sine propositionis mutatione, & sic tantùm fit per amissionem prædictæ connotationis obiecti extrinseci ipsi propositioni.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd conformitas iudicij ad rem cognitam in qua consistit veritas formalis, sit relatio

realis

realis secundùm esse, & prædicamentalis per se loquendo, siue positis ad sui realitatem omnibus requisitis, per accidens autem relatio rationis aliquo illorum deficiente. Ita Flandria 6. Metaph. q. 23. Iauellus ibidam q. 13. Zumel 1. p. q. 16. art. 2. Probatur. Similitudo de se est relatio realis prædicamentalis vt patet: sed conformitas intellectûs ad rem cognitam, in qua consistit veritas formalis est similitudo intellectûs ad rem; cùm intellectus tam diuinus, quàm creatus practicus sit mensura sui obiecti, & factiuus illius: ergo veritas formalis est relatio realis prædicamentalis.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. & communior sententia Thomistarum hanc tenet Caieta. 1. p. q. 16. art. 2. Bannes ibidem, Soncinas 6. Metaphys. q. 17. Araujo 4. Metaph. q. 5. art. 5. Ægidius quodlib. 4. q. 7. Thomas pius 1. p. q. 16. art. 2.

Conclusio.

Cùm veritas formalis sit adæquatio intellectûs ad rem cognitam, importat ordinem transcendentalem conceptûs formalis ad conceptum obiectiuum.

Respondeo dicendum, quòd veritas formalis non consistit in pura relatione rationis. 2. nec præcisè in ipsa entitate iudicij cum connotatione talis obiecti, scilicet non aliter se habentis. 3. nec in relatione reali secundùm esse & prædicamentali. 4. sed in conformitate & adæquatione conceptûs formalis ad conceptum obiectiuum, siue intellectus ad rem, (quæ adæquatio siue conformitas est ordo transcendentalis,) quæ manifestatur per enuntiationem conformem obiecto cum negatione excessus ex vtraque parte: quia scilicet res per conceptum formalem attingitur, & cognoscitur vt est in se, & non aliter, manifestatur autem sic per enunciationem. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd sicut nulla est veritas transcendentalis extra Deum, quæ sit æterna: cùm enim sit proprietas entis, necessariò illi connexa, & nullum sit ens creatum ab æterno, sed omnia sint creata in tempore secundùm fidem, nulla etiam est veritas transcendentalis æterna extra Deum: sic similiter nulla est veritas formalis æterna extra Deum, quia veritas formalis est in intellectu, nullus autem est intellectus æternus nisi diuinus: veritas autem propositionum necessariarum est æterna, vt dictum est supra in Logica, & propterea dicuntur propositiones æternæ veritatis: dependenter tamen à Deo, nam ideo sunt æternæ, quia datur intellectus æternus scilicet diuinus, qui illas format, ita D. Thom. 1. p. q. 16. art. 7

Item sciendum est quòd vna veritas transcendentalis est maior siue perfectior alia, veritas enim hæc consequitur entitatem, & regulatur ab illa, sicut & aliæ proprietates entis: datur autem vna entitas maior siue perfectior aliâ, sic & vna datur veritas, bonitas & vnitas maior aliâ: maximè si in hac comparatione includatur Deus, nihil enim est vniuocum illi & creaturis, sed omnia quæ sunt in creaturis, sunt cum dependentia ab illo: similiter vna veritas formalis est maior aliâ, quia vnus intellectus potest magis adæquari ad rem quàm alius, si illam perfectius cognoscat: vnde diuinus intellectus quia perfectissimè adæquat rem, cùm illam infinitè comprehendat, est infinitè verus, & sic proportionaliter de aliis. Similiter veritas enunciationum non est æqualis in omnibus, sed vna est maior alia, licèt enim, vt enunciatio sit vera, debeat illud quod enunciatur ita esse; tamen hæc veritas dependet & fundatur in veritate transcendentali rerum, & in connexione prædicati cum subiecto expressa in enunciatione: vnde cùm ista connexio in aliquibus sit maior, est enim maior in necessariis, quàm in contingentibus, & inter necessaria est maxima in Deo, qui solus simpliciter est necessarius, ideo etiam veritas enunciationum est maior in vno quàm in alio: & hoc maximè apparet, si loquamur ex suppositione, nam res quæ cadunt sub reuelatione diuina, ita sont veræ ex suppositione reuelationis diuinæ, vt omnes aliæ veritates nihil sunt in comparatione illarũ & prius Cœlum & Terra transibunt, quàm verb. Christi prætereant, vt ipsemet dixit.

Probatur generaliter conclusio, scilicet quòd veritas formalis sit quædam perfectio absoluta iudicij, dicens ordinem transcendentalem, siue secundùm dici tantùm ad obiectum cognitum, ex D. Th. 1. p. q. 16. art. 5. ad 2. vbi sic ait: *Verum intellectûs nostri est secundùm quòd conformatur suo principio scilicet rebus, à quibus cognitionem accipit: sicut veritas rerum est secundùm quòd conformantur suo principio, scilicet intellectui diuino.* Item art. 1. ait: *Cùm verum sit in intellectu secundùm quòd conformatur rei intellectæ.* Idem sæpe reperit, quòd scilicet veritas formalis sit per ordinem ad res intellectas, non per ordinem secundùm esse, vt statim probabitur: ergo per ordinem secundùm dici siue transcendentalem.

Probatur prima pars conclusionis. Ordo iudicij intellectûs ad obiectum est ordo realis, & non tantùm rationis, cùm sit ordo rei mensuratæ ad mensuram: sed veritas formalis consistit in conformitate iudicij mentalis ad rem cognitam, & non in conformitate ipsius obiecti cogniti ad seipsum vt est à parte rei. Primò vt patet ex D. Thom. modo citato. Secundò, nam veritas formalis primariò conuenit intellectui, & secundariò rebus vt toties dictum est, quod non esset, si veritas formalis consisteret in conformitate eiusdem rei vt cognitæ ad seipsam, vt est à parte rei: per prius enim conueniret rebus & per accidens intellectui, quod est falsum, nam hæc conformitas per se primò conuenit intellectui, estque illius vt subiecti, ad rem cognitam vt ad terminum suæ habitudinis. Tertiò, quia veritas propositionis vocalis consistit in conformitate vocum ipsarum ad rem significatam & conceptum, vnde similiter veritas mentalis consistit in conformitate ipsius iudicatiuæ propositionis ad rem cognitam. Quartò, denique quia res habent quòd sint in esse obiectiuo & cognito ab intellectu, & consequenter quòd sint veræ formaliter, vnde intellectus primariò dicatur verus veritate formali sibi intrinseca, scilicet conformitate sui iudicij sibi inhærente, sicut propositio est vera intrinsecè à conformitate ipsarum vocum cum obiecto significata: ergo veritas formalis non consistit in pura relatione rationis. Confirmatur primò. Hæc propositio, homo est animal, est vera priùsquam obiectum per illam expressum repræsentetur, & sit in esse obiectiuo, nam per illum actum quo mentaliter formatur hæc propositio, producitur species repræsentans hæc extrema vnita & hoc totum: ergo veritas formalis non consistit in hac conformitate obiecti vt cogniti ad seipsum, vt est à parte rei; sed præcedit illam: sicut enim esse visum resultat in pariete ex visione sic esse cognitum resultat in obiecto ex cognitione ad illud terminata: in illo autem priori, cognitio iudicatiua, cùm sit enuntiatio mentalis, aut est vera aut falsa. Confirmatur secundò. Veritas formalis causatur à rebus ipsis, sicut mensuratum à sua causa exemplari & mensurante, ex eo enim quòd res est, vel non est, propositio mentalis est vera vel falsa: sed idem à seipso non potest realiter causari aut mensurari: ergo veritas formalis non est conformitas eiusdem rei cognitæ ad seipsam, vt est à parte rei. Denique, si veritas formalis consisteret in conformitate obiecti vt cogniti ad seipsum vt est à parte rei, non diceretur propositio vera vel falsa, ab eo quòd res est vel non est, sed diceretur ab eo quòd res esset sibi conformis vel difformis, quod est contra axioma Philosophi in prædicamentis cap. de substantia: ergo veritas formalis non consistit in hac conformitate.

Probatur secunda pars conclusionis. Sicut veritas transcendentalis est intrinseca rebus, sic veritas formalis est intrinseca conceptui intellectus: sed veritas transcendentalis non consistit in entitate rei cum connotatione iudicij conformis vt dictum est supra: ergo nec veritas formalis consistit in entitate iudicij cum connotatione obiecti conformis. Confirmatur. Vel hæc connotatio obiecti est sola coëxistentia obiecti à parte rei, vel in esse obiectiuo: non primum, nam ante coëxistentiam physicam Antichristi, hoc iudicium est verum, Antichristus erit, Antichristus non est lapis: non secundùm,

quia esse obiectum præsupponit tale iudicium vt fundamentum sui, sicut esse visum præsupponit visionem : sed in illo priori tale iudicium est verum aut falsum : ergo veritas formalis non consistit in illa connotatione. Secundò, quæcumque obiecti coëxistentia tantùm potest esse in iudicio relatio & denominatio rationis, sicut coëxistentia hominis ad columnam causat in illa tantùm relationem rationis, v.g. dexteritatis : sed ante omnem relationem rationis iam consummata est veritas mentalis : ergo veritas non consistit in illa connotatione. Deinde talis connotatio nihil reale potest addere iudicio, sed tantùm denominationem rationis, quæ non existit in illo, nisi quando actu cognoscitur: & etiam talis connotatio intelligitur resultare ex præsuppositis extremis, scilicet iudicio veluti fundamento, & obiecto veluti termino : sed iudicium est verum ante actualem intellectûs considerationem ad eius veritatem terminatam, & ante quamcumque resultantiam rationis, eo ipso quòd iudicium ad tale obiectum terminatur : ergo ante talem connotationem est verum. Denique quando aliquid ex sua natura est respectiuum, debet constitui per ordinem ad aliud, & non per solam connotationem alterius vt patet: sed veritas iudicij mentalis est respectiua ex natura sua, vt probabitur: ergo debet constitui per intrinsecum ordinem ad obiectum, & non per solam connotationem obiecti.

Probatur tertia pars conclusionis. Antequam resultet quæcumque relatio realis prædicamentalis, siue secundùm esse inter aliqua, debet præsupponi fundamentum, siue ratio fundandi illius, vt probabitur infra : sed inter iudicium intellectûs & obiectum cognitum, non potest esse aliud fundamentum relationis similitudinis aut æqualitatis, nisi quia hoc iudicium adæquat obiectum, ita vt cognoscat sicuti est, nec aliud potest intelligi, nam per hoc præcisè denominatur verùm : hoc autem quod assignatur pro fundamento talis relationis, nempe adæquatio intellectus ad rem, est veritas formalis : ergo veritas formalis non est relatio prædicamentalis, sed præsupponitur ad illam.

Probatur quarta pars conclusionis. Supposito priùs ad eius euidentiam, quòd hoc iudicium, v.g. Petrus disputat, vt antecedit resultantiam relationis prædicamentalis, (quam potest habere ad suum obiectum) habet ordinem transcendentalem ad illud, quo illud respicit per modum expressiui & enuntiatiui ipsiusmet obiecti, vt sic apprehensi & enunciati iam in apprehensiua propositione : deinde disputante Petro, habet idem iudicium negationem excessus in sua expressione, nam ita adæquatur, vt nec excedat, nec excedatur ab illo, & ad hanc expressionem adæquatam sequitur relatio æqualitatis, vel mensurati conformis & adæquati, realis quidem si alia requisita adsint : vel rationis, aliquo illorum deficiente: dicimus igitur non esse expectandam huiusmodi relationem, vt constituatur veritas in iudicio, sed ante illius resultantiam consummatur in expressione obiecti cogniti adæquatè cum negatione excessûs, ita vt illa cognitio adæquata & positiua expressio iudicij sit ratio illius formalis, negatio verò excessûs sit eius complementum intrinsecum : hoc posito probatur ex D.Th. 1.p.q.16.art.7. Deinde veritas formalis reperitur in Deo, vt realis eius perfectio, & speciale attributum, vt concedunt communiter Theologi, cùm enim in rebus intellectualibus sit melior ipsa quàm non ipsa, est perfectio simpliciter simplex, & consequenter in Deo est attributum speciale, quia ratione distinguitur ab aliis : sed non potest hoc saluari, nisi consistat in positiua iudicij expressione, quæ est quidam ordo transcendentalis ad obiectum : nam in iudicio diuino possumus considerare pro materiali ipsam eius entitatem, quæ vt sic non est veritas, nec attributum, sed ipsa essentia, nostro modo concipiendi, radix attributorum : vel possumus considerare respectum formalem, quem dicit diuinum iudicium ad obiectum, siue increatum, siue creatum : & hic est respectus rationis, qui nec realis perfectio, nec attributum esse potest : vel tandem possumus considerare rationem adæquatè expressiui, & sic diuinum iudicium terminatum, siue ad obiectum increatum, siue creatum, est perfectio realis & absoluta in Deo, nam intellectus diuinus iudicans Deum esse trinum, aut Antichristum futurum dicit aliquid reale absolutum, per quod hæc omnia cognoscit & exprimit, sicut sunt in se : & hoc non est aliud quàm perfectissima adæquatio & expressio, quæ licèt non possit explicari sine respectu ad obiecta, tamen est realis & absoluta in se, & libera ab omni dependentia. Hæc igitur constituit verum in intellectu diuino : & similiter dicendum est de veritate creata, quæ mensuratur à diuina, & cum illa analogatur in ratione communi talis perfectionis.

Quod autem negatio excessûs sit quid pertinens ad complementum veritatis formalis, vt patet, nam veritas fundat relationem conformitatis, quæ est quædam æqualitas intellectus ad rem: sed æqualitas ex parte fundamenti petit intrinsecè negationem excessus: ergo hæc requiritur vt complementum veritatis formalis.

Ad primum ergo dicendum, quòd conceptus formalis ex eo dicitur verus? quia attingit rem vt in se est, & producit verbum mentale exprimens id quod concipit, quod adæquatè debet repræsentare obiectum, & ideo conceptus formalis secundùm hoc totum quod importat, conformatur obiecto, non in esse rei, sed in esse repræsentatiuo, ad quod esse repræsentatiuum sequitur relatio realis talis conceptus ad obiectum, si alia requisita adsint; sin minùs relatio rationis. Ad confirmationem dicendum, quòd propositio vocalis per prius exprimit conceptum & propositionem mentalem, quàm significet rem ad extra, & exprimendo propositionem mentalem significat conformitatem ipsius ad obiectum.

Ad secundum dicendum, quòd veritas formalis addit ordinem transcendentalem expressiui ad obiectum, supra conceptum formalem, qui ordo non est quid distinctum ab ipsa entitate iudicij, & adiuncta negatione excessûs constituit veritatem formalem. Ad confirmationem dicendum, quod mutato obiecto propositio mentalis de vera fit falsa, non quòd ipsa intrinsecè mutetur, sed quia non est amplius conformis, nec amplius includit negationem excessus.

Ad tertium dicendum, quòd conformitas intellectus ad rem, in qua consistit veritas formalis, non est similitudo formaliter, sed tantùm fundamentaliter, & ita explicandus est D. Thom. nam in vnitate quadam & conuenientia iudicij cum obiecto fundatur relatio similitudinis, quæ relatio est realis ex parte mensurati, diuinus autem intellectus respectu omnium creatorum; sicut & intellectus creatus practicus respectu moralium & artificiatorum habent rationem mensuræ, sed intellectus creatus speculatiuus habet rationem mensurati per ordinem ad res. Negatio autem excessûs hoc præstat per esse fundamentale quod habet in suo obiecto, non verò per se formalissimum quod potest habere per operationem intellectus illam actu considerantis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm veritas formalis sit tantùm in iudicio mentali propriè & perfectè?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd veritas formalis non sit tantùm in iudicio mentali propriè & perfectè. Ita tenent aliqui. Platonici dixerunt veritatem formalem propriè & perfectè reperiri in prima mentis operatione, scilicet apprehensione terminorum, alij verò in secunda operatione, prout præcisè dicit compositionem & diuisionem. Probatur. Aristoteles 1. posteriorum. cap. 8. distinguit prima principia demonstrationis in suppositiones, siue propositiones per se notas, & in positiones, scilicet rerum definitiones quæ in simplicium apprehensione reperiuntur : sed principia demonstrationis sunt præmissæ veræ : ergo ex Aristotele in apprehensione simplicium datur veritas formalis.

§ 2. Præterea,

§ 2. Præterea. Veritas formalis nihil est aliud, quàm conformitas intellectûs ad rem: sed intellectus simpliciter apprehendens est conformis rei apprehensæ, si apprehendat illam sicuti est: ergo veritas formalis est in prima etiam mentis operatione. Confirmatur. In apprehensione simplicium potest dari oratio significans verum vel falsum, vt ista, animal rationale. Nec requiritur ad veritatem, quòd hæc conformitas cognoscatur; iam ista cognitio non est, nisi per actum reflexum: constat autem quòd ante quamcumque reflexionem intellectus est verus. Deinde in definitione veritatis ponitur intellectus simpliciter: ergo etiam vt apprehendens potest esse verus.

§ 3. Præterea, Proprietas propositionis siue enuntiationis, est quòd sit vera vel falsa: sed in compositione & diuisione formantur veræ propositiones, ibi enim aliquid affirmatur & negatur de alio: ergo saltem in secunda mentis operatione, prout præcisè dicit compositionem & diuisionem, est veritas formalis: & hoc sæpe docet D. Th.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, Bannes 1. p. q. 16. art. 2. dub. 1. Zumel ibidem q. vnicâ, Araujo lib. 4. Metaphysicæ q. 5. art. 4. ac plures alij.

Conclusio.

Cùm veritas formalis sit tantùm propriè & perfectè in illo, vbi habet proprium modum essendi, scilicet modum cogniti, est tantùm hoc modo in iudicio mentali.

Respondeo dicendum, quòd veritas formalis non est propriè, completè, & perfectè, sed tantùm inchoatiuè, impropriè, & incompletè in prima mentis operatione, scilicet in simplicium apprehensione. 2. similiter non est omninò propriè, & perfectè in secunda operatione, scilicèt in compositione & diuisione, vt præscindunt à iudicio. 3. sed est in iudicio mentali propriè & completè. Ad cuius euidentiam sciendum est ex Logica tres esse mentis operationes: prima dicitur simplex rerum apprehensio, siue simplicium apprehensio: secunda dicitur compositio & diuisio, siue affirmatio & negatio, in qua est iudicium, quo aliquid affirmamus, vel negamus de aliquo: tertia denique est illatio, qua vnum ex alio inferimus: certum est autem ante illationem reperiri veritatem in intellectu, imò in ipsa illatione non est veritas, sed bonitas, & propterea dicitur bona illatio, & non vera: vnde solùm restat inquirendum, si in prima mentis apprehensione, qua res simplices & terminos apprehendit, nihil componens, aut diuidens, affirmans, negans, aut iudicans, sit propriè veritas formalis: vel tantùm sit in secunda eius operatione, & in quo eius munere: nam in ipsa reperitur affirmatio & negatio, aliquando sine iudicio, & aliquando cum iudicio, per quod determinatè præbet assensum, aut dissensum suæ affirmationi aut negationi.

Probatur conclusio quoad omnes eius partes authoritate D. Th. 1. p. quæst. 16. art. 2. vbi sic ait: *Licèt visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem quæ est inter rem visam, & id quod ipse apprehendit de ea: intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest, sed tamen non apprehendit eam secundùm quòd cognoscit de aliquo quod quid est: sed quando iudicat rem ita se habere sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primò cognoscit & dicit verum, & hoc facit componendo & diuidendo: nam in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per subiectum, vel remouet ab ea, & ideo bene inuenitur quòd sensus est verus de aliqua re, vel intellectus cognoscendo quod quid est: sed non quod cognoscat, aut dicat verum: & similiter est de vocibus incomplexis: veritas igitur potest esse in sensu, vel in intellectu cognoscente quod quid est, vt in quadam re vera, non autem vt cognitum in cognoscente, quod importat nomen veri: perfectio enim intellectûs est verum vt cognitum, & ideo propriè loquendo veritas est in intellectu componente & diuidente, non autem in sensu, aut intellectu cognoscente quod quid est.* Hæc D. Th. in intellectu autem componente & diuidente includit iudicium, vt patet ax ipso contextu. Idem docet alibi sæpe.

Probatur prima pars conclusionis. Contraria nata sunt fieri circa idem subiectum: sed simplex apprehensio mentis non est subiectum mendacij, aut falsitatis ex Arist. in Anteprædic. cap. 4. & D. Th. 3. de anim. lect. 11. item 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. ergo in prima mentis operatione non est veritas formalis completè.

Secundò, veritas formalis & falsitas sunt proprietates propositionis vt patet ex Logica, sola enim propositio potest esse vera & falsa, sicut sola propositio vocalis significat verum vel falsum: sed in simplicium apprehensione non est propositio, at solùm sunt termini mentales, ad propositionem conficiendam in secunda mentis operatione ordinati: ergo in prima mentis operatione non est propriè veritas formalis, sed tantùm inchoatiuè.

Tertiò, veritas formalis secundùm proprium modum quo est in intellectu, est conformitas intellectûs ad rem, vt cognita in actu exercitio (non enim est quæcumqua conformitas, aut similitudo existens in intellectu, sed est conformitas existens in intellectu modo sibi proprio: modus autem proprius essendi rei in intellectu, est esse vt cognita in cognoscente, nam esse per informationem, aut inhæsionem conuenit aliis subiectis:) sed hæc conformitas vt cognita non est in simplicium apprehensione, cùm enim intellectus in tali prima operatione, siue apprehendens tantùm quod quid est, non applicet prædicatum ad subiectum non cognoscit aliquid vt est conforme, vel sibi difforme, & sic tantùm hoc cognoscit intellectus applicans vnum alteri affirmando, vel remouens negando: ergo veritas formalis non est completè in prima mentis operatione. Confirmatur & declaratur hæc ratio. Licèt possit dari in simplicium apprehensione similitudo repræsentans veritatem in actu signato per modum cuiusdam quidditatis, tamen hæc non est veritas formalis propriè, sed est species siue conceptus quidditatis ipsius veritatis: veritas autem formalis prout est propria intellectûs, non est in illo purè subiectiuè per modum formæ inhærentis, sed per modum obiecti cogniti in actu exercito, quod non potest esse in prima apprehensione, sed solùm in intellectu formante propositionem veram vel falsam (propositio autem est vera, quæ enunciat verum, idest rem ita esse sicut per illam enunciatur, falsa verò dicitur, quæ enunciat falsum, id est rem aliter se habentem quam per ipsam enunciatur:) vnde tantùm impropriè & inchoatiuè reperitur veritas formalis in simplicium apprehensione, quia in illa formantur aliquæ imperfectæ compositiones, vt complexa definitionum &c. quæ sunt viæ ad formandas perfectas enunciationes, in quibus veritas formalis consummatur: vnde sicut in simplicibus terminis non est veritas in significando completa, sic nec est completè veritas formalis siue in cognoscendo in simplici apprehensione, quæ exprimitur per terminos; sed tantùm est inchoatiuè, sicut & in terminis est inchoatiuè, quia sunt principium propositionis vocalis, in qua est completa veritas in significando: & consequenter in iudicio affirmante vel negante, quod exprimitur per propositionem vocalem, est veritas formalis completè siue in cognoscendo.

Probatur secunda pars conclusionis. Potest esse in intellectu aliqua compositio aut diuisio, antequam intellectus iudicet de illa ita esse aut non esse, nam de facto intellectus potest formare hanc propositionem, astra sunt paria, & manere pendulus circa illam suspendens positiuum assensum, aut dissensum vt patet, nam propositio apprehensiua est obiectum superuenientis iudicij, per quod intellectus iudicat, aut ita esse sicut per illam significatur, aut aliter esse, obiectum autem benè potest separari ab actu ad se terminato: sed in illo priori nec veritas, nec falsitas in tali compositione reperitur; siquidem in illo priori intellectus, nec verus nec mendax est: si enim aliquis proferat aliquam veritatem, aut falsitatem antecedenter ad illud iudicium, dicitur veritas aut falsitas materialis tantùm: ergo intellectus antecedenter ad iudicium non habet veritatem, aut falsitatem formalem.

Secundò, in compositione & diuisione est tantùm ve-

ritas tanquam in ſigno, nam hæ dicunt propoſitiones apprehenſiuas,in quibus intellectus affirmat,vel negat prædicatum de ſubiecto,v.g. homo eſt animal,homo non eſt lapis : ſiquidem iſtæ propoſitiones exprimunt, cùm ſint conceptus mentales, ipſam veritatem formalem, & ſunt ſigna formalia illius, ſicut propoſitiones vocales ſunt ſigna inſtrumentalia : ergo ſicut in iſtis veritas eſt tantùm vt in ſignis inſtrumentalibus, ſic in illis eſt tantùm vt in ſignis formalibus : & ita non eſt propriè & ſimpliciter, ſed impropriè & ſecundùm quid.

Probatur tertia pars concluſionis.In aliqua operatione intellectûs etiam antecedenter ad diſcurſum,qui eſt tertia mentis operatio, debet reperiri veritas formalis : ſed non datur in prima, nec in ſecunda vt præcisè dicit compoſitionem & diuiſionem, ſiue apprehenſiuam propoſitionem : ergo debet dari in alia ſecunda operatione, quæ dicitur iudicium ſiue indicatiua propoſitio.

Secundò, veritas eſt formaliter, vbi habet proprium modum eſſendi in intellectu, ſcilicet modum cogniti in cognoſcente : ſed in ſolo iudicio eſt per modum cogniti, nam per ſolum iudicium cognoſcit intellectus rem ita eſſe, vel non eſſe, ſicut per illius conceptum vel imaginem repræſentatur : nam ſolum iudicium habet reflecti quodammodo non per actum diſtinctum (quando in compoſitione & diuiſione includitur iudicium) ſed per eumdem actum attendens ſupra apprehenſiuam propoſitionem obiecti complexi repræſentatiuam, ſiue expreſſiuam,& iudicare obiectum illud ita eſſe aut non eſſe,ſicut per talem propoſitionem exprimitur, & ſic cognoſcit intellectus habitudinem conformitatis vel difformitatis rei ad ſuum conceptum, in cuius habitudinis cognitione veritas ipſa formalis aut falſitas conſummatur : ergo cùm hæc cognitio ſit propria ſolius iudicij, in illo ſolo reperitur completè veritas formalis & falſitas.

Tertiò, intellectum eſſe verum aut falſum formaliter & modo peculiari, eſt ipſum mentaliter dicere verum aut falſum:ſed per iudicium tantùm habet mentaliter dicere verum aut falſum,nam quamdiu intellectus non iudicat, non dicit mentaliter verum aut falſum, at incipit dicere, quando obiecto in enunciatione propoſito & repræſentato præbet aſſenſum vel diſſenſum, conformem aut difformem : ergo in ſolo iudicio reperitur completè veritas aut falſitas formalis. Hæc ita procedunt in intellectu humano, qui paulatim perficitur in ſua cognitione per varias operationes quas formaliter habet : Angelicus verò & ſupereminenter diuinus, cùm ſint perfecti ſimplici intuitu vident omnia & dicunt omnia ſicut ſunt, vnde in illis non ſunt plures operationes, niſi tantùm virtualiter & in illa ſimpliciſſima eſt veritas formalis, licèt vt habet rationem iudicij.

Ao primum ergo dicendum, quòd Ariſt. non vult definitiones ſolas & per ſe, eſſe principia vel præmiſſas demonſtrationis, ſed quia ex ipſis conficiuntur præmiſſæ addito ſubiecto & copulâ : vel nomine principiorum intelligit præcognitiones aut præcognita, ex quibus procedit demonſtratio : illarum autem altera eſt quod quid eſt: horum vnum eſt medium demonſtrationis, quod eſt definitio in prima demonſtratione.

Ao ſecundum dicendum, quòd veritas formalis conſiſtit completè in conformitate cognita intellectûs ad rem cognitam, quæ non reperitur in prima operatione. Ad confirmationem dicendum hanc orationem & ſimiles non ſignificare verum aut falſum, niſi adiungatur copula, ſed tunc pertinent ad ſecundam mentis operationem, & non ad ſimplicem apprehenſionem.Nec iſta conformitas cognoſcitur tantùm per actum reflexum, ſed etiam per directum vt dictum eſt, nam intellectus, cùm ſit ſuper omnes alias potentias cognoſcibilis, habet quòd ſimul & ſemel cognoſcat rem, & cognoſcat ſe cognoſcere per quamdam reflexionem, & attentionem ad ſuum actum, non quòd habeat ſimul duos actus, ſed per eumdem cognoſcit & percipit ſe cognoſcere. Ad aliam confirmationem dicendum, quòd ſi hæc definitio explicet veritatem formalem, tam completam quàm inchoatam, nominat intellectum ſimpliciter : ſi autem explicet tantùm veritatem completam, nominat intellectum ratione iudicij : vnde debet ſumi per accommodationem.

Ao tertium dicendum, quòd proprium eſt propoſitionis eſſe veram vel falſam, per modum ſigni, & hoc modo propoſitio apprehenſiua eſt vera vel falſa : formaliter tamen ſola propoſitio iudicatiua eſt vera vel falſa, & ideo propoſitio in tota ſua latitudine, vt abſtrahit ab apprehenſiua, iudicatiua, & vocali, habet proprium vt ſit vera vel falſa aliquo modo, ſiue per modum ſigni formalis, aut per modum ſigni inſtrumentalis, ſiue propriè & formaliter:vnde D.Thom.ſolùm vult veritatem eſſe in compoſitione & diuiſione intellectûs, prout includitur ibi iudicium, quia quando componit aut diuidit, ſtatim iudicat regulariter loquendo, & ita compoſitio & diuiſio includit ordinariè, ſiue annexum habet iudicium.

Articvlvs III.

Quid ſit falſitas formalis, & in quo reperiatur?

AD tertivm ſic proceditur. Videtur quòd falſitas formalis,nec etiam imperfectè & inchoatiuè reperitur in ſenſu, & in prima mentis operatione ſiue ſimplicium apprehenſione. Ita Suares, Fonſeca,& alij:vnde dicunt quòd quandò ſenſus, aut intellectus in prima operatione dicuntur falſi, hoc debet intelligi omninò metaphoricè. Probatur. Ariſtoteles 3. de anima textu 21. & D.Thom. 1. p. quæſt.17. art.2. dicunt in intellectu apprehendente quod quid eſt rei, non eſſe falſitatem : ergo in ſenſu, & in intellectûs prima operatione non eſt falſitas, niſi fortè metaphorica.

¶ 2. Præterea, Si ſimplicium apprehenſio dicitur falſa, quia eſt difformis rei cognitæ, ſemper erit falſa, quia conceptus formalis apprehenſiuus ſemper eſt difformis, ſaltem reſpectu alicuius rei : ſed non poteſt dici quòd apprehenſio ſimplicium ſit ſemper falſa : ergo nunquam propriè, ſed tantùm metaphoricè eſt falſa.

¶ 3. Præterea, Falſitas formalis conſiſtit in difformitate & inadæquatione intellectûs cum obiecto:ſed intellectus in prima operatione non poteſt eſſe difformis ſuo obiecto, quia vel obiectum repræſentatur per ſpeciem intelligibilem receptam, vel non : ſi primum, intellectus adæquatè illud apprehendit, & ſic non eſt falſus : ſi ſecundum, ſcilicet ſi talis ſpecies non repræſentat obiectum, ſed aliquid aliud ; ſemper apprehenſio erit vera, nam apprehendit illud aliud : ergo non poteſt eſſe falſitas in prima mentis operatione, niſi metaphorica.

Sso contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem ſequuntur Caietanus, & Bannes 1.p.q.17.& communiter Thomiſtæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm ſit eadem ratio contrariorum, & veritas formalis ſit inchoatiuè in prima mentis operatione, & tantùm in iudicio rationis completè, ſic falſitas formalis eſt inchoatiuè in ſimplicium apprehenſione, & completè in iudicio mentali.

Respondso dicendum, quòd falſitas formalis perfectè & completè reperitur tantùm in intellectu iudicante, vnde eſt difformitas ſiue inadæquatio iudicij iudicantis aliter de rebus, quàm ſint in ſe : 2. imperfectè autem & inchoatiuè reperitur in compoſitione & diuiſione præcisè ſumptis, ſicut & in ſimplicium apprehenſione & ſenſu : non autem tantùm metaphoricè : 3. in propoſitione autem apprehenſiua eſt tanquam in ſigno formali,in propoſitione verò vocali tanquam in ſigno inſtrumentali. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt dari falſitatem in intellectu, ideo enim ſunt tot hæreſes, quia hæretici non admittunt veritates Catholicas : deinde in ſcientiis reperiuntur opiniones oppoſitæ contradictoriè, in contradictoriis autem vna pars debet eſſe vera & alia falſa. Falſitas autem in genere eſt inadæquatio, quæ reperitur inter intellectum & rem. Falſitas obiectiua quæ ſe tenet ex parte rerum, (quam poſſumus vocare tranſcendentalem

quia

quia opponitur veritati transcendentali) est inadæquatio rei ad intellectum: formalis autem est inadæquatio intellectûs ad rem. De illa loquuntur proportionaliter Doctores ad veritatem, cùm enim contrariorum eadem sit ratio, ideò aliqui falsitatem propriè dictam constituunt in relatione rationis, alij in entitate iudicij cum connotatione obiecti aliter se habentis, alij in relatione reali secundùm esse & prædicamentali, nos autem in respectu reali transcendentali iudicij rationis ad obiectum aliter se habens, sicut proportionaliter diximus veritatem formalem consistere in respectu transcendentali iudicij mentalis ad obiectum ita se habens, sicut iudicatur.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. qui illam expresse docet 1. p. q. 17. sed quia sola difficultas est de sensu, & prima mentis operatione, ideò authoritas D.Th. ad hæc limitanda est: art. 2. de sensu sic ait: *Contingit falsitatem esse in sensu, ex hoc quòd apprehendit, vel iudicat res aliter quam sint*, Et infra subdit: *Circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens & in paucioribus, ex eo quod propter indispositionem organi non conuenienter recipit formam sensibilem: de sensibilibus verò communibus, & per accidens potest esse falsum iudicium, etiam in sensu rectè disposito, quia sensus non directè fertur ad illa, sed per accidens & ex consequenti, inquantum refertur ad alia:* De simplicium autem apprehensione art. 3. sic ait: *Per accidens in operatione intellectûs, qua cognoscitur quod quid est, potest esse falsitas, inquantum ibi compositio intellectûs admiscetur, vel cùm definitionem vnius attribuit alteri, vel secundùm quòd partes definitionis componit adinuicem, quæ simul sociari non possunt: & propter hoc in cognoscendo quidditates simplices non potest esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit.*

Probatur prima pars conclusionis. Falsitas propriè & completè sumpta est difformitas & inadæquatio intellectus ad rem intellectam: sed hæc propriè & completè reperitur tantùm in iudicio intellectus, quo aliter iudicat de re quàm sit: nam tantùm per hoc iudicium potest attribui rei, quod illi à parte rei non competit modo supra explicato, dum loquebamur de veritate formali: nam pari modo philosophandum est de contrariis vt sic: definita autem fuit veritas completa & perfecta per ordinem conformitatis iudicij ad obiectum: ergo falsitas propriè & completè sumpta est difformitas iudicij ad obiectum. Et sicut veritas includit in suo conceptu positiuum ordinem conformitatis cum negatione excessûs connotata, ita falsitas includit positiuum ordinem difformitatis cum carentia conformitatis, & hæc sola amittitur quando propositio transit de falsa in veram, ex D.Th. 1. part. quæst. 17. art. 4. vnde licèt falsitas vt sic, dicat priuationem, tamen hæc fundatur in aliquo reali, nam dicit iudicium apprehendens aliter obiectum quàm sit, quod totum est positiuum, & sic dicit ordinem positiuum, sed tamen includit aliquam priuationem, scilicet carentiam conformitatis.

Probatur secunda pars conclusionis. Falsitas saltem imperfecta est inadæquatio actus alicuius potentiæ cum suo obiecto: sed tam in sensibus, quàm in intellectu etiam apprehendente quod quid est, datur aliquando talis inadæquatio, dicuntur enim quædam aues vellicasse racemum depictum à Zeuxide, & ægrotus percipit dulcia vt amara, & baculus cuius media pars est in aqua & alia extra, apparet fractus; cùm tamen sit continuus: & similiter in intellectu apprehendente potest esse, quòd species non repræsentet obiectum vt est à parte rei: ergo falsitas imperfectè & inchoatiuè reperitur in compositione & diuisione, & etiam in prima apprehensione intellectus, ac in sensu. Nec euacuat vim argumenti solutio Suaris dicentis quòd in tali casu, nulla sit falsitas in sensu, aut intellectu, quia reuera rem apprehendit vt illi repræsentatur per speciem; nam si hæc solutio valeret, tueret omnis falsitas, nam intellectus nihil iudicat, nisi ipsi repræsentatum per speciem, & sic iudicium conformæ speciei esset verum, licèt esset difforme obiecto quod est à parte rei, quod nullus dicet, nam veritas vel falsitas intellectûs mensuratur à rebus vt sunt in se, vel vt secundùm se præbent fundamentum, & non præcisè per hoc quòd repræsentantur, ex hoc enim quòd res est vel non est, dicitur oratio tam mentalis, quàm vocalis vera aut falsa.

Probatur tertia pars conclusionis. Veritas formalis est subiectiuè in solo iudicio mentali, in propositione autem apprehensiua est tanquam in signo formali, in propositione verò vocali tanquam in signo instrumentali: ergo similiter falsitas contraria veritati; contraria siquidem nata sunt fieri circa idem.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Th. & Arist. locis citatis debent explicari de falsitate propriè & completè sumpta.

Ad secundùm dicendum, quòd si aliquid probaret, probaret omnem operationem semper esse falsam, nam iudicium rectum de aliqua re & illi conforme, est difforme aliis rebus: vnde dicendum est, quòd veritas & falsitas attendenda est respectu illius rei, aut subiecti, quod intelligens intendit apprehendere, & non respectu aliorum.

Ad tertium dicendum, quòd prima operatio intellectûs non est adeò indiuisibilis ex parte obiecti, quin multa possit apprehendere coniuncta, quæ à parte rei coniungi non possunt, aut vnam rem per conceptum alterius: & ita hæc operatio erit difformis aliquo modo respectu illius obiecti, quod intendit apprehendere; vt docet D.Thom. 1. p. quæst. 17. art. 4. vbi sic ait: *Falsum aliquid ponit: est enim falsum ex eo quod dicitur, vel videtur aliquid esse quod non est, vel non esse quod est: sicut enim verum ponit acceptionem adæquatam rei, ita falsum acceptionem rei non adæquatam:* Et ideò verum & falsum sunt contraria.

QVÆSTIO X.

De Bono siue Bonitate Transcendentali.

SEQVITVR vltima proprietas entis examinanda, vt ita primus Metaphysicæ liber concludatur, hæc autem proprietas est bonum siue bonitas transcendentalis. Circa bonitatem formalem nulla, vel parua est difficultas, cùm consistat in ipsa perfectione rei causata ex aliqua forma superaddita, vt potentia, habitu, actu &c. vnde hæc prætermissa circa bonitatem transcendentalem & malum ipsi oppositum quæruntur sex.

¶ Primò, Quid dicat formaliter bonitas transcendẽtalis?

¶ Secundò, Vtrùm bonum conuertatur cum ente vt vera eius proprietas?

¶ Tertiò, Vtrùm bonum transcendentale diuidatur adæquatè in honestum, vtile, & delectabile?

¶ Quarto, Vtrùm impossibile possit efficaciter & absolutè appeti?

¶ Quintò, Vtrùm ipsum non esse possit habere rationem boni & appetibilis?

¶ Sextò, Quid sit malum, & quomodo reperiatur in rebus?

ARTICVLVS I.

Quid dicat formaliter bonitas Transcendentalis?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd bonitas transcendentalis dicat formaliter supra ens relationem rationis tantùm, non finis & appetibilis, sed conuenientis. Ita Fonseca lib. 4. Metaph. cap. 2. q. 7. sect. 5. ab hac opinione parum distat Suares tom. 1. disp. 10. sect. 1. qui dicit bonum addere tantùm supra ens connotationem extrinsecæ naturæ illud appetentis, ad hanc etiam opinionem potest reduci Capreolus, qui tenet rationem boni integrari ex aliquo reali absoluto & quodam respectu rationis tanquam complemento, quem respectum rationis docet in 1. d. 3. q. 3. art. 1. ad 9. esse respectum appetibilitatis: in 2. verò d. 34. q. 1. art. 3. docet esse respectum perfectiui, ad quod consequitur appetibilitas, idem videtur dicere

Ferrar. t.

Ferrar. 1. contra gentes cap. 37. Probatur. Bonitas transcendentalis debet formaliter dicere aliquid ſupra ens, cùm ſit proprietas eius: ſed non poteſt dicere aliquid reale, nam nihil reale poteſt ſuperaddi enti, cùm omne quod eſt, ſit ens: ergo ſolùm dicit ſupra ens reſpectum rationis.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd bonitas tranſcendentalis dicat formaliter relationem realem conuenientiæ entis ad affectum, ſiue appetitum, Ita Durandus in 2. d. 34. q. 1. Vaſques 1. p. diſp. 205. cap. 4. Probatur ex definitione boni tradita ab Ariſtotele, definitur etiam eſſe illud quod omnia appetunt: ergo bonum eſt appetibile: conſtat autem quòd appetibilitas in re eſt relatio realis, cum appetibilitas eſt realis; & ita bonitas tranſcendentalis dicit formaliter relationem realem conuenientis entis ad appetitum.

¶ 3. Præterea, Bonum dicit aliquid ſupra, ens non abſolutum: ſi enim diceret aliquid abſolutum, eſſet ratio perfecti: ſed hæc ratio non eſt aliquid ſupra ens, cùm ens ex ſe præciſè ſit perfectum: ergo dicit relationem realem conuenientiæ entis ad appetitum. Scotus autem in 1. d. 3. q. 3. tenet rationem boni dicere formaliter quandam rationem abſolutam ab ente diſtinctam ex natura rei, ſed eius fundamenta ſupra relata & examinata ſunt, cùm ageremus de proprietatibus entis in communi.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. & communis ſententia Thomiſtarum hanc tenet Caietan. 1. p. q. 5. ar. 1. Iauellus ibid. Herueus quodl. 3. q. 2. Araujo 4. Metaph. q. 6. art. 4. & forte Capreol. & Ferrar. non diſſentiunt, hanc etiam plures ſequuntur extra ſcholam D. Thom.

Conclusio.

Cùm quodlibet ens ſit in ſuo ordine perfectum, & vt tale conueniens appetitui, bonitas tranſcendentalis dicit formaliter ſupra ens ordinem tranſcendentalem conuenientiæ eius ad appetitum.

Respondeo dicendum, quòd ratio boni non eſt ita abſoluta, & enti ſuperaddita, vt ab illo diſtinguatur ex natura rei. 2. nec conſiſtit in relatione rationis. 3. Nec in ſola entitate cum connotatione alterius naturæ. 4. ſed conſiſtit completè in ipſa perfectione rei abſoluta, vt dicit ordinem tranſcendentalem conuenientiæ ad appetitum, vel vt in ipſa ſibi complaceat, vel vt ipſam deſideret, quod idem eſt, ac dicere bonitatem tranſcendentalem conſiſtere in perfectione rei radicaliter appetibili, vel appetitu complacentiæ inquantum conueniens, vel appetitu deſiderij inquantum perfectiua: & ſub vtraque ratione eſt terminare appetitum rationalem, ſiue voluntatem per modum obiecti amati. 5. præcipuè autem hæc ratio conuenientiæ attenditur ad primam & increatam Dei voluntatem: 6. ad hanc verò rationem conuenientiæ radicalis conſequitur appetitio paſſiua, ſiue appetibilitas actualis vt proprietas eius, in qua fundatur relatio rationis, quam dicit bonum ad appetitum, & appetitio actiua ſiue actus appetitûs, in qua fundatur relatio realis illius ad bonum, ſi alia requiſita adſint. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt dari bonitatem in rebus, contra Manichæos dicentes omnes res corporeas eſſe malas, & ideo non eſſe creatas à Deo, ſed à Diabolo; vnde ponebant duo prima principia, Deum ſcilicet bonorum ſiue ſpiritualium, & Diabolum malorum, ſiue corporalium, vt referunt ſancti Patres, Aug. lib. contra Fauſtum, & alij, ſed hoc dictum, eſt manifeſta hæreſis, nam habetur Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*: Ibi autem traditur omnia etiam corporalia à Deo eſſe facta. Item 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura bona eſt*. Deinde repugnat rationi naturali: Ariſtoteles enim in 1. Ethic. cap. 1. definit bonum eſſe illud, quod omnia appetunt, videmus autem quòd nulla res eſt, quæ non habeat aliquam rationem appetibilitatis. Denique ſi nulla eſſet bonitas in rebus, non eſſet maior ratio, cur homo magis appeteret ſcire, ex illo Philoſophi: Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat, quam non ſcire, quæ omnia oſtendunt eſſe abſurdum negare rebus bonitatem. Bonitas autem tranſcendentalis idem eſt ac perfectio, quam habet vnaquæque res, ex eo quòd habeat proportionatum ſibi eſſendi modum, vnde bonum & perfectum idem ſunt, perfectum enim definitur ab Ariſt. 5. Metaph. cap. 16. vt ſit illud, extra quod non eſt vllam partem accipere, ſiue cui nihil deeſt: & ita perfectum communiter dicitur à Philoſophis illud, cui nihil deeſt ſibi debitum: aliquid autem poteſt eſſe bonum & perfectum, vel in ſe abſolutè, vel in ordine ad aliud.

Probatur prima pars concluſionis ex D. Th. 1. p. q. 5. art. 1. vbi ſic ait: *Manifeſtum eſt quòd in tantùm eſt aliquid bonum, inquantùm eſt ens, eſſe enim eſt actualitas omnis rei*: Et ſic bonum & ens ſunt idem ſecundùm rem, ſed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens. Deinde ens intrinſecè imbibitur & includitur in omni re, aliàs nihil eſſet: vnde nihil ſubterfugit conceptum entis, Denique ſecluſâ omni realitate, & formalitate ex natura rei ab ente diſtincta, ens eſt bonum, conueniens, & appetibile, cum iſta conuertantur cum ente, & ſint tranſcendentia: & ſic ens eſt bonum à ſua entitate, & non ab illa qua ſuperaddita formalitate diſtincta ab illo ex natura rei: ergo ratio boni non eſt ita abſoluta, & enti ſuperaddita, vt ab illo diſtinguatur ex natura rei.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Ratio boni eſt ratio perfecti, & bonitas eſt perfectio: ſed relatio rationis neque eſt perfectio, nec conſtituit perfectum: ergo ratio boni non conſiſtit in relatione rationis. Deinde ex Ariſt. 6. Metaph. textu 3. bonum & malum ſunt in rebus, ſicut verum & falſum in intellectu: ſed relatio rationis non eſt in rebus, nec extra intellectum, niſi fundamentaliter tantùm: ergo in illa non conſiſtit ratio boni. Deinde bonitas diuina eſt abſoluta perfectio, vnde licèt in Deo ſint tres relationes reales, non tamen ſunt tres bonitates reſpectiuæ, & nulla eſt bonitas in vna diuina perſona, quæ non ſit in alia, & hoc quia bonitas eſt prædicatum abſolutum, & quia per idem res aliqua eſt bona, per quod eſt ſui diffuſiua ex D. Dyoniſio cap. 4. de diuinis nominibus, & per quod eſt finis finaliſans, ac mouens voluntatem ex D. Th. 1. p. q. 5. art. 4. ſed ratio diffuſiui, ac finaliſandi eſt perfectio realis, & non relatio rationis, quia aliquid rationis non poteſt realiter cauſare ac mouere, aut diffundere ſe per modum finis, quæ eſt potiſſima, ac prima cauſarum: ergo ratio boni non conſiſtit in relatione rationis. Denique, ex Fonſeca bonum verum habet diuerſam conuenientiam ab illa, quam habet bonum apparens, hoc enim tantùm habet conuenientiam ſecundùm eſſe apprehenſum, illud verò habet conuenientiam ſecundùm eſſe reale, quæ conuenientia conſtituit verum bonum, ac realiter conueniens, ſicut illa conſtituit bonum tantùm apparens, & in eſſe tantùm apprehenſo conueniens: ergo ratio conuenientis in vero bono debet eſſe realis, aliàs ſi eſſet rationis, non poſſet præſtare effectum realem, qualis eſt conſtituere realiter conueniens ac verè bonum.

Probatur tertia pars concluſionis. Cùm hæc connotatio ſit extrinſeca denominatio, non habet eſſe reale conſummatum in rebus ante operationem intellectus, ſicut nec relatio rationis, & ideò eiſdem rationibus impugnatur. Deinde proportionaliter conſtituitur ratio boni in ordine ad appetitum, ſicut ratio veri in ordine ad intellectum: ſed vt dictum eſt ſupra ratio veri non conſtituitur per connotationem extrinſecam: ergo nec ratio boni.

Probatur quarta pars concluſionis ex D. Th. 1. p. q. 5. art. 1. vbi ſic ait: *Ratio boni in hoc conſiſtit, quòd aliquid ſit appetibile*. Manifeſtum eſt autem, quòd vnumquodque eſt appetibile ſecundùm quòd eſt perfectum: nam omnia appetunt ſuam perfectionem; in tantùm eſt autem perfectum vnumquodque, inquantum eſt actu, vnde manifeſtum eſt, quòd in tantùm eſt aliquid bonum, inquantum eſt ens: eſſe enim eſt actualitas omnis rei: & ſic bonum & ens ſunt idem ſecundùm rem, ſed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens. idem docet art. 3. Item etiam docet Ariſtot. 1. Ethic. cap. 1. vbi dicit quòd bonum eſt illud, quod omnia appetunt: ergo ratio boni conſiſtit in hoc quòd ens ſit radicaliter appetibile, & terminatiuum appetitûs per ſuam perfectionem: nam ibidem dicit D. Th. quòd Ariſtoteles definiuit bonum per aliquod poſterius, tanquam per proprietatem.

Præterea

Præterea verè ac propriè repetitur in Deo bonitas,quæ est aliquid absolutum, nam seclusa quocumquere respectu siue reali, siue rationis Deus est summè bonus: ergo bonitas in suo conceptu est quid absolutum, nec includit respectum realem secundùm esse siue prædicamentalem, quia talis respectus distinguitur realiter à re vt infra dicetur, secluso autem quocumque extrinseco quæcumque res est bona: & sic solùm potest includere ordinem transcendentalem ad appetitum. Qui ordo non distinguitur ab ipsa re, quæ refertur: cùm autem sit duplex appetitus scilicet conuenientiæ fruitionis aut societatis, respectu boni præsentis vel aliquando habiti vt sic: & alius sit appetitus desiderij respectu boni absentis vt sic, ideò in bono distinguitur duplex conuenientia, cùm debeat adæquare appetitum, scilicet conuenientia ad appetitum complacentiæ, & conuenientia ad appetitum desiderij: quæ non distinguuntur, nisi penes absentiam vel præsentiam boni: non est autem dubium, quin appetitus rationalis, qui est perfectior aliis, possit tendere ad bonum quodcumque, siue sit tantùm conueniens appetitui vt bonum obiecti, quia in se est bonum, sine sit etiam bonum ipsius appetentis, quatenus perfectiuum illius.

Probatur quinta pars conclusionis. Diuina voluntas est regula ac mensura bonitatis creatæ, nam secundùm gradus diuinæ dilectionis consurgunt in rebus gradus bonitatis in vniuerso (loquendo de diuina dilectione prout terminatur ad creaturas) respectu cuius omnis bonitas creata est effectus, & obiectum congruum ab illa mensuratum: diuersimodè enim creaturæ dicuntur bonæ respectu Dei, & respectu nostri, quia respectu Dei præcisè dicuntur bonæ, quia congruunt diuinæ voluntati absque aliqua causalitate, aut indigentia diuinæ voluntatis à creaturis: nam bonitas creaturarum non est causa, cur illas Deus amet, sed potiùs amor Dei est causa bonitatis illarum: quod econtra aduenit respectu nostri, nam bonitas rei est causa nostri appetitus, & non econtra: ergo cùm omnia præcipuè sint attendenda per ordinem ad primam & propriissimam regulam, à qua per se res pendent: ratio bonitatis rerum consideranda est per ordinem ad increatam Dei voluntatem, non vt perfectiua ipsius, sed potiùs vt perfecta ab ipsa.

Probatur sexta pars conclusionis. Ex eo quòd res est appetibilis, sequitur quòd actu appetatur, ad quam appetitionem passiuam sequitur relatio rationis: nam ex parte mensuræ ad mensuratum est sola relatio rationis, vt communiter fatentur Philosophi, quia mensura est independens à mensurato: res autem appetibilia est mensura nostri appetitûs, inquantum ad suum modum illum causat: ex parte autem rei mensuratæ est relatio realis, cùm dependeat à mensura, vt patet inter scientiam & scibile: ergo ad appetitum actualem sequitur relatio realis ex parte appetitûs appetentis, & relatio rationis ex parte appetibilis obiecti. Respectu autem Dei, quia eius voluntas est mensura bonitatis creatæ, ideò ex parte eius est sola relatio rationis, & realis ex parte rerum.

Ad primum ergo dicendum, quòd bonum dicit ipsum ens sub expresso conceptu appetibilis, siue conuenientis appetitui, quod non exprimit ipsum ens: & ita bonum dicit formaliter aliquid reale absolutum simpliciter, dicens tamen ordinem transcendentalem ad appetitum.

Ad secundum dicendum, quòd si ly appetibile sumatur pro appetibili radicali, hæc definitio boni est essentialis: si verò sumatur pro appetibili actuali, est tantùm descriptiua data per proprietatem. Quomodocumque autem sumatur, non est relatio realis secundùm esse, nam appetibilitas radicalis est tantùm relatio transcendentalis siue secundùm dici: actualis autem fundat tantùm relationem rationis ex parte rerum, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd ratio boni dicit ipsam perfectionem rei, quæ non est formaliter ipsa ratio entis sed exprimit quendam modum generalem, quem non exprimit ens, ens enim ex se nec perfectum, nec imperfectum exprimit, sed abstrahit confusè ab vtroque.

Summa Philosophica R. P. Philippi Carm. disc.

Articvlvs II.

Vtrùm bonum conuertatur cum ente, vt vera eius proprietas?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd bonum conuertatur cum ente, ita vt omnia entia sint simpliciter bona, etiam Mathematica, materia prima, & relationes secundùm esse Ad. Ita Vasques 1.p.q.5.art.3. Hurtadus disp.7. Metaph.sect.3.Suares quantùm ad materiam primam affirmat, negat verò de Mathematicis: Molina autem affirmat de materia prima & Mathematicis, negat verò de relationibus. Probatur ex D. Thom. 1.p.quæst.5. art. 3. vbi affirmat simpliciter omne ens, inquantum ens esse bonum: ergo bonum conuertitur cum ente.

§ 2. Præterea, Bonum est vera proprietas entis, & consequenter conuenit omni enti: ergo omne ens, ac proinde materia prima, entia Mathematica, & relationes secundùm esse Ad, cùm vt sic sint entia, etiam sunt bona.

Sed contra est expressa authoritas D.Thom.& communis sententia Thomistarum.

Conclvsio.

Cùm omnia sint bona, in quantùm entia actu, materia prima, entia Mathematica, & relationes secundùm esse Ad, non sunt simpliciter bona, quia non sunt entia actu.

Respondeo dicendum, quòd bonum est proprietas entis non solùm verè & propriè. 1. sed etiam realis solâ ratione ratiocinatâ ab illo distincta, & cum illo conuertibilis. 3. cum hac distinctione, quòd si bonum sumatur pro perfecto, est proprietas solius entis in actu secundo existentis, si verò sumatur absolutè vt præuenit rationem perfecti, est proprietas entis prædicamentalis, siue dicentis essentiam 4. materia prima non est bona actu, sed tantùm in potentia: 5. entia verò Mathematica, licèt absolutè considerata, siue secundùm esse reale sint bona: non tamen formaliter inquantum subsunt abstractioni à materia, & à motu Physico sic enim sumuntur formaliter, nam vt sic sunt obiectum Mathematicæ: 6. relationes autem reales, licèt adæquatè sumptæ sint bonæ, præcisè tamen secundùm esse Ad, nec bonæ, nec malæ sunt.

Pobatur prima pars conclusionis. Bonum est quidam modus generalis consequens ens in communi, & exprimens aliquid quòd non exprimitur nomine entis vt patet: nam exprimit appetibilitatem, quam ens non exprimit: sed proprietates entis nihil dicunt aliud, quàm tales modos vt dictum est supra: ergo bonum est verè & propriè proprietas entis.

Probatur secunda pars conclusionis. Bonum est obiectum voluntatis: sed obiectum voluntatis est quid reale, cùm in illo quiescat voluntas: ergo bonum est proprietas realis. Deinde, bonum ipsum habet proprietates reales, scilicet esse diffusiuum sui, esse appetibile, habere rationem finis, hæc enim omnia cùm sint à parte rei, sunt realia: ergo bonum ipsum est quid reale, proprietates enim non sunt perfectiores illo, cuius sunt proprietates. Denique, bonum in Deo dicit proprietatem siue perfectionem realem, sicut & alia attributa diuina, quia illi à parte rei nemine cogitante verè & propriè conueniunt, quamuis sola ratione ratiocinata ab illo distinguantur, distinguuntur enim solùm penes diuersos conceptus obiectiuos: ergo licèt bonum sola ratione ratiocinata distinguatur ab ente, siue penes diuersos tantùm conceptus obiectiuos, non propterea definit esse verè & propriè eius realis proprietas, cùm illi conueniat à parte rei esse appetibile, & non per solam rationem, licèt per solam rationem ratio appetibilis ab ente distinguatur. Quòd autem bonum solâ ratione ratiocinatâ distinguatur ab ente, docet D.Thom. 1. p.q.5.art.1. in corpore & in responsione ad primum. Ratio autem est manifesta, vnumquodque enim est appetibile per suam

LLll perfectionem

perfectionem & entitatem actualem, per quam est ens actu; quia omnia appetunt suam perfectionem: sed vnumquodque dicitur bonum quia est appetibile ex Aristotele 1. Ethic. cap. 1. ergo per suam entitatem vnumquodque est bonum: & sic bonum sola ratione ratiocinata distinguitur ab ente. Quòd autem bonum sit conuertibile cum ente, probat sic D.Th 1.p.q.5.art. 3. omne ens inquantum est ens, est in actu, & quodammodo perfectū quia omnis actus perfectio quædam est, perfectum verò habet rationem appetibilis & boni: ergo omne ens in quantùm huiusmodi est bonum. 2. omne ens, vel est increatum scilicet Deus, vel creatum vt omnes creaturæ: sed Deus est bonus, imò est summa bonitas vt infra probabitur, imò alia in comparatione illius non sunt bona, ex illo Christi Domini, *Nemo bonus nisi solus Deus:* creaturæ etiam sunt bonæ ex illo Genesis 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Et ex illo 1.ad Tim.4. *Omnis creatura Dei est bona:* Et ratio est quia omnis creatura est quædam participatio diuinæ perfectionis, & dependet à Deo, ac terminat eius causalitatem: Deus autem omnia causat per suam voluntatem, quæ terminatur ad bonum, & ideò sicut nulla creatura subterfugit causalitatem Dei ita neque rationem boni, ergo bonum est conuertibile cum ente.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionis ex D.Th. 1.p.q.5.art.1.ad.1. vbi bonum absolutè distinguit ab vltimo perfecto, siue à bono simpliciter & omnibus modis per hoc quòd res dicitur absolutè bona per eamdem formam, per quam habet suam essentiam, siue esse substātiale quod appellat primum actum: bona verò omnibus modis & perfecta non dicitur, nisi per collectionem accidentium sibi debitorum, & conuenientium sub actuali existentia: & hunc appellat actum secundum, cùm sit primi complementum; quia perfectum est illud cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis ex D.Th.1.p.q.4.art.1. ergo bonum sumptū pro perfecto est proprietas solius entis in actu secundo existentis: sumptum verò absolutè est proprietas entis prædicamentalis, siue dicentis essentiam. Confirmatur quoad primum. Res cui deest existentia, non habet omnem perfectionem sibi debitam: ergo non est bona, vt bonum dicit perfectū quoad secundum autem, aliæ proprietates entis conuertuntur cum ente nominaliter sumpto, siue vt dicit essentiam, nam est vnum, verum &c. ergo & bonum debet cum illo conuerti. Deinde ens prædicamētale, vt præuenit in priori naturæ actualem existentiam, est obiectum voluntatis ad minùs diuinæ: ergo habet rationē appetibilis & boni. Denique per id res sunt bonæ, per quod graduantur in bonitate & perfectione: sed per suas vltimas differentias essentiales graduantur in bonitate ac perfectione saltem essentiali, nam seclusis actualibus existentiis natura Angelica est nobilior ac perfectior quàm humana, & humana quàm lapidea: ergo ad ens concretum essentiæ sequitur bonum conuertibile cum illo, vt vera proprietas.

Probatur quarta pars conclusionis ex D. Th. 1.p.q.5. art. 3. vbi sic ait: *Materia prima sicut non est ens, nisi in potentia, ita nec bona, nisi in potentia:* Et ratio est, nam bonitas cùm sit proprietas entis, debet regulari ad modum ipsius, & ideò quod est ens actu, est bonum actu: quod autem est tantùm ens in potentia, etiam est tantùm bonum in potentia. Hæc autem bonitas, sicut & entitas materiæ non dicuntur sic esse in potentia, quasi non dicant aliquid reale & positiuum, sed quia nullam includunt actualitatem modo supra explicato in Physica. Probatur ratione quòd habeat aliquam bonitatem, materia prima est entitas realis creata, terminus actionis creatiuæ, ac proinde terminus diuinæ volitionis: ergo est aliqualiter bona & appetibilis. Deinde ratio boni non solùm saluatur in fine formaliter & intrinsecè, sed etiam in medio ad finem ordinato, sicut & ratio entis: sed materia prima habet rationem medij ad finem generationis ordinati: ergo habet aliquam specialem & sibi intrinsecam bonitatem.

Probatur quinta pars conclusionis ex D. Th. 1.p.q.5. art.3.ad 4. vbi hæc habet: *Mathematica non subsistunt separata secundùm esse, quia si subsisterent, esset in eis bonum scilicet ipsum esse ipsorum:* Sunt autem Mathematica separata secundùm rationem tantùm, prout abstrahuntur à motu & à materia: & sic abstrahuntur à ratione finis, qui habet rationem mouentis: non est autem inconueniens quòd in aliquo ente secundùm rationem non sit bonum vel ratio boni, cùm ratio entis sit prior, quàm ratio boni. Probatur ratione quoad primum, triangulus v.g. consideratus in esse talis accidentis, non magis abstrahit ab esse quàm albedo vt per se patet: sed quia albedo non abstrahit ab ordine ad esse, est bona bonitate transcendentali: ergo & triangulus, & sic de aliis Mathematicis ex D.Th.q.21. de veritate art.2.ad 4. Probatur quoad secundum, quando aliquid abstrahit omnino à fine abstrahit omninò à ratione boni, quia bonum & finis conuertuntur: sed Mathematica vt sic abstracta à materia sensibilis & à motu, abstrahunt omninò à fine, quia Mathematica non sunt apta habere rationem finis, nisi respectu materiæ & motus sensibilis, nam secundùm rem sunt entia naturalia, & in indiuiduis materialibus tantùm inueniuntur: vnde abstrahendo à materia & motu sensibili, debent abstrahere à fine materiæ sensibilis ac motus, & abstrahendo à tali fine, abstrahunt totaliter à fine, quia non sunt nata subire rationem alterius finis: ergo Mathematica abstrahunt à ratione boni, & sic non sunt bona. Et licèt habeant rationem finis respectu scientiæ Mathematicæ, tamen illam terminant præcisè secundùm esse obiectiuum, vnde etiam potest illi concedi bonitas merè obiectiua, sed non actualis à parte rei, at solùm est bonitas obiectiuè repræsentata, quam habent, vel possunt habere vt sunt à parte rei. Vnde hæc est differentia inter vniuersalia Physica, Metaphysica, & Mathematica, quòd vniuersalia Physica, cùm solùm abstrahant à materia singulari, habent à parte rei indiuidua subsistentia cum materia sensibili, Metaphysica etiam iuxta propriam abstractionem subsistunt à parte rei, vt patet in Angelis qui abstrahunt ab omni materia sensibili & intelligibili, sed Mathematica iuxta propriam abstractionem sumpta nullibi realiter existunt, quia nullum habent rerum natura indiuiduum abstrahens à materia sensibili, non enim hæc linea, aut hæc superficies inuenitur, nisi in terminatione corporis sensibilis.

Probatur sexta pars conclusionis ex D.Th. qui illam docet multis locis. Deinde perfectio accidentis realis desumitur per ordinem ad subiectū, cùm ab illo habeat esse: ergo & bonum esse: sed relatio secundùm esse, Ad, præcisè non dicit ordinem ad subiectum, at tantùm ad terminum, vt omnes fatentur: ergo secundùm esse, Ad, præcisè non est bona. Deinde esse, Ad, præcisè sumptum, siue vt excludit esse, In, non est quid reale in relatione, sed abstrahit vt quid analogum à reali & rationis: ergo non est bonum bonitate reali. Denique, si relatio secundùm esse, Ad, præcisè dicit perfectionem, sequitur quòd in diuinis sint tres perfectiones realiter distinctæ & oppositæ, & quòd quælibet persona habeat perfectionem, quam non habent aliæ, ac careat perfectionibus quas habent aliæ: quia diuinæ relationes secundùm esse, Ad, opponuntur, & quælibet distinguit personam, quam refert, ab aliis, hæc autem sunt contra fidem: ergo relatio secundùm esse, Ad, præcisè non dicit perfectionem, nec est bona. Vnde dicendum quòd relatio realis adæquatè sumpta est bona: nam licèt esse, In, & esse, Ad, ratione distinguantur vt duæ rationes, quarum vna respicit subiectum, alia verò terminum: tamen realiter sunt vna simplex realis entitas, bona secundùm vnam rationem ex illis, & non secundùm aliam: & per hæc patet ad argumenta contraria, quòd scilicet omnia entia sunt bona eo modo, quo sunt entia, & qualiter D. Thom. sit explicandus.

ARTICVLVS

ergo bonum transcendentale oon diui-ditur adæquatè in honestum, vtile, & delectabile.

§ 4. Præterea, Dantur multa alia bona, vt supernaturalia & naturalia, spiritualia & corporea, &c. ergo bonum non diuiditur adæquatè in honestum, vtile, & delectabile.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. 1. p. q. 5. art. 6. quem communiter sequuntur alij.

CONCLVSIO.

Cùm bonum non solùm morale, sed etiam transcendentale sit terminus appetitiui motus, diuiditur adæquatè in honestum, vtile, & delectabile.

RESPONDEO dicendum, quòd bonum non solùm morale, sed etiam transcendentale diuiditur adæquatè in honestum, vtile, & delectabile, istæ autem tres rationes differunt penes diuersos modos conuenientiæ siue conformabilitatis, quos per modum obiecti radicaliter appetibilis dicunt ad voluntatem. 1. diuinam per se primò, secundariò autem ad creatam. 3. hæc autem diuisio est analoga duplici analogiâ, scilicet attributionis & proportionalitatis, in ordine ad omnia membra: 4. vnde non est alicuius superioris in partes subiectiuas, nec subiecti in accidentia: sed eiusdem rei in diuersos conceptus, siue in diuersas rationes formales. Ad cuius euidentiam sciendum est plures alias dari diuisiones boni. Diuiditur enim Primò in bonum per essentiam, & bonum per participationem: bonum per essentiam dicitur illud, quod per suam essentiam secluso quocumque alio est simpliciter bonum, vel quod ex sua essentia, vel ab intrinseco petit habere illud omne, per quod res constituitur simpliciter bona, & simpliciter perfecta: & sic solus Deus est bonus, vt ait Christus Dominus in hoc sensu Lucæ 15. Nam perfectio rei præcipuè consistit in esse perfectissimo, in attributis perfectissimis, & in assecutione finis, hæc autem perfectissimè reperiuntur in Deo vt illi intrinseca, nam est suum esse infinitum & illimitatum, ac proinde babens in se omnem perfectionem essendi, habet sua attributa infinitè perfecta, realiter sibi identificata, & tandem quiescit in se, qui est vltimus omnium finis, cùm sit summum bonum. Bonum autem per participationem dicitur illud, quod per suam essentiam non est tale: nec petit ab intrinsecu habere illud in quo consistit ratio boni, sed ab aliquo alio extrinsecu habet bonitatem illimitatam, & sic sunt creaturæ, quæ nec ex se habent esse, nec vllam perfectionem; sed ista recipiunt extrinsecè à Deo, vnde in nullo sensu est admittendum quòd creaturæ sint bonæ per essentiam: nam essentia rerum, si sumatur vt possibilis, nullam in se habet bonitatem, quia in se nihil est, cùm non sit extra potentiam diuinam, si autem sumatur vt actualis, dicit quidem bonitatem, sed communicatam à Deo, & illam habet dependēter ab existentia, sine qua non potest conseruari. Diuiditur secundò bonum in absolutum, quod est in se bonum, & in respectiuum siue relatiuum quod est alteri bonum. Diuiditur tertiò in bonum verum quod scilicèt est in se tale, & in bonum apparens quod non est in se tale, sed æstimatur esse tale, & vtrumque mouet appetitum media apprehensione, siue vera, siue falsa, æstimata tamen vera. Diuiditur quartò in bonum naturale, & bonum morale quod soli conuenit creaturæ intellectuali. Diuiditur quintò in bonum animi quod perficit animum, vt sunt quinque habitus intellectuales, & virtutes morales, siue Theologicæ. in bonum corporis, vt est sanitas, vires, bona complexio &c. in bonum fortunæ, vt sunt opes, bona fama, dignitates & alia.

quod motum, cùm per ipsum tendatur in aliud, & h[oc] in motu appetitus est bonum vtile: finis prout dicit re[m] in quam tendit appetitus, & vocatur bonum honestu[m] quia honestum dicitur, quod per se desideratur, deniq[ue] ipsa quies in termino, siue in re desiderata, & est bonu[m] delectabile, nec aliquid aliud ex parte obiecti deside[ra]tur ad motum: ergo bonum adæquatè diuiditur in hon[e]stum, vtile, & delectabile: per honestum autem intelli[git] D. Th. ibidem ad 2. illud quod habet in seipso, vnde d[e]sideretur: per vtile verò quod in se non habet, vnde d[e]sideretur, sed solùm desideratur per ordinem ad aliu[d] tandem per delectabile, quod nullam habet aliam ratio[nem] appetibilitatis, nisi delectationem, cùm aliquand[o] sit noxium, vel inhonestum: vnde hæc diuisio non tra[] ditur per oppositas res, sed per oppositas rationes, [&] hæc triplex ratio integrat rationem boni, vt est propriet[a]s entis, quia nullum est ens, cui aliqua illarum ratio[] num non conueniat, & illarum collectio extra latitud[i]nem entis non inuenitur, imò in aliquibus entibus pa[r]ticularibus saluatur.

Probatur secunda pars conclusionis. Omne bonum vel est increatum, vel creatum: si increatum, certum est quòd primò & per se terminat diuinam voluntatem: [si] creatum, cum diuina voluntas sit eius regula ac mensura debet considerari primò & per se per ordinem ad illam cùm primò & per se ab illa dependeat: quòd autem quodcumque bonum siue creatum, siue increatum possit terminare secundariò voluntatem creatam, patet, nam appetimus & ipsum bonum diuinum vt quid honestum, siue vt conueniens ac per se appetibile tanquam vltimum finem, appetimus etiam ipsum vt bonum delectabile, vt in illo scilicet quiescamus, & licèt secundùm se non habeat rationem vtilis (hæc enim ratio, quia ordinatur ad aliud, repugnat vltimo fini) tamen ex nostra imperfectione potest illam induere, & ordinari ad aliud, quod etiā est euidens respectu boni creati: nam idem potest habere triplicem hanc rationē, & vt sic appeti à nobis, nam quod est in se honestū, potest appeti vt tale, & sic de aliis.

Probatur tertia pars conclusionis ex D. Th. loco citato ad 3. vbi sic ait: *Bonum non diuiditur in ista tria, sicut vniuocum æqualiter de his prædicatum, sed sicut analogum quod prædicatur secundùm prius & posterius, primò enim prædicatur de honesto, secundo de delectabili, tertiò de vtili.* Probatur ratione. Ratio boni non conuenit æqualiter, sed quodam ordine istis tribus, ita tamen vt sit intrinsecè in illis: de bono honesto & delectabili patet, non enim illa appeteremus, nisi intrinsecè essent bona: de vtili autem docet D. Th. 2. 2. q. 145. art. 3. dicens, quòd virtus continet rationem boni honesti, delectabilis, & vtilis: vtilis, inquantum ordinatur ad beatitudinem: sed hic ordo est intrinsecus. Deinde ibidem docet omne vtile esse delectabile quodammodo, quod non esset, nisi haberet bonitatem intrinsecam. Denique quia vtile vt sic terminat electionē, quæ est actus voluntatis aliquandò propter bonitatem medij: ergo ratio boni est analoga ad ista tria analogia proportionalitatis, vt patet ex supra dictis: de analogia verò attributionis probatur: nam bonum delectabile, & vtile præcisè vt ordinantur ad bonum honestum, sunt bona bonitate illius extrinsecè, quia sicut non considerantur nisi per ordinem ad illud, sic nec sunt bona nisi per bonitatem illius. Sciendum tamen est quòd licèt respectu nostri bonum honestum non sit semper vltimus finis, sed aliquando delectabile, & aliquando vtile, secundùm quòd bonum honestum ordinamus ad ista: tamen secundùm se bonum

honestum, quod simpliciter in se est bonum, habet rationem finis, ad quam ordinatur tam vtile vt patet, quàm delectabile, nam vt docet D. Thom. delectatio non est intenta per se à natura, sed datur in necessariis, vt illâ moti appetamus honesta, & bona nobis conuenientia: vtile etiam non solùm ordinatur ad bonum honestum quod est finis, sed etiam ad delectabile quod importat quietationem in fine.

Probatur quarta pars conclusionis. Diuisio superioris in partes subiectiuas datur per oppositas res, quæ sunt verè inferiora, & quarum vna excludit alteram, atque ab illa abstrahit abstractione negatiua, ita vt sit verum dicere, hæc non est illa: sed ratio boni in istis tribus non se habet sic, cùm sæpe reperiantur vnita in eodem, imò & identificata, nam vt docet D. Th. loco citato eadem virtutis bonitas est honesta, vtilis, & delectabilis secundùm diuersos respectus: ergo non est diuisio alicuius superioris in partes subiectiuas. Quod etiam non sit diuisio subiecti in accidentia, probatur. In diuisione subiecti in accidentia est alietas realis inter diuisum, ac membra diuidentia formaliter sumpta, nam homo est aliud realiter ab albo, & à nigro consideratis quoad sua formalia: sed hæc non reperiuntur hîc, nam istæ bonitates carent reali distinctione, vna enim prædicatur de alia, honestum siquidem dicitur delectabile, & ècontra: ergo non est diuisio subiecti in accidentia, sed eiusdem rei in diuersos conceptus, aut in diuersas formalitates, eo modo quo diuiditur idem intellectus in practicum & speculatiuum, eadem Logica in docentem & vtentem: quamuis isti diuersi respectus possint dici res diuidentes respectu rationis bonitatis, superioris analogicè. Et per hæc patet ad argumenta in contrarium.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm impossibile possit efficaciter & absolute appeti?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd impossibile, siue ex suppositione, siue ex vi terminorum iudicatur impossibile, & sic propositum absque errore & ignorantia possit appeti à voluntate, volitione absoluta simplicis complacentiæ. Ita tenet Scotus in 2. d.6.q.1 Gabriel ibidem q. vnica art.3. dub. 2. Maior ibidem Lorca 1.2.disp.17.membro 3. Vasques t. tom. 1. 2. disp.42.cap. 3. 4. & 5. Probatur. Angelus primo peccato appetiit Dei æqualitatem, quam iudicabat impossibilem lumine naturali, qui appetitus non fuit conditionatus aut velleitas, aliàs non fuisset peccatum: sed fuit verè absoluta simplicis complacentiæ: ergo impossibile potest efficaciter & absolutè appeti.

¶ 2. Præterea, Qui facit actum odij circa Deum, vult ipsum non esse, quod est impossibile, & tamen hic actus est absolutus. Similiter voluntas potest absolutè velle frui seipsâ, siue appetere esse summum bonum, quod etiam est impossibile: ergo impossile potest efficaciter & absolutè appeti.

¶ 3. Prætarea, Bonum in tota sua latitudine est obiectum appetitus siue voluntatis: ergo potest efficaciter & absolutè appetere quodcumque bonum, licèt sit impossibile.

SED CONTRA est expressa authoritas D Th. quem sequuntur communiter Thomistæ. ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm voluntas non possit velle nisi bonum; & impossibile non habeat rationem boni, bonum enim dicit ordinem ad esse, sequitur quòd voluntas non possit efficaciter & absolutè appetere quod est impossibile.

RESPONDEO dicendum. quòd impossibile simpliciter, & vt tale propositum voluntati non potest efficaciter & absolutè appeti. 2. vnde nihil proponitur voluntati vt prosequendum affectu absoluto, nisi sub ratione possibilis in actu, non quidem signato, sed exercito repræsentatum. 3. impossibile verò ex suppositione potest appeti affecto absoluto complacentiæ 4. sed vt subest suppositioni suæ impossibilitatis, solo affecto conditionato potest apperi, sicut & quodlibet aliud impossibile etiam simpliciter. 5. iste appetitus ad quoduis impossibile terminatus, potest prouenire ex plena deliberatione sufficienti ad meritum & peccatũ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd bonum est obiectum formale voluntatis, ita vt voluntas nihil possit appetere nisi sub ratione boni: vnde res non appetitur, sed bonitas rei, siue res vt est formaliter bona: & sic bonitas est ratio appetendi: & in hoc differt à vero, vt supra dictum est, quod est solùm conditio sine qua non obiecti intellectus, quod est ipsum ens, nam cognitio præcisè attingit vltimatè rationem entia absque hoc quòd attingat rationem veri, vt his verbis docet D. Th. 1.p.q.5.art.2. *Primum in conceptione intellectûs cadit ens, quia secundùm hoc vnumquodque cognoscibile, est in quantum est actu, vnde ens est primum obiectum intellectûs, & sic est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile.*

Item sciendum est quòd duplex est voluntas, vna efficax, operatiua, ac procedens ad executionem ex præuia consultatione mediorum eligendorum, alia inefficax, quæ dicitur voluntas simplicis complacentiæ, siue velleitas, quæ ad executionem non procedit, nec est effectiua, vel operatiua alicuius effectûs. Deinde alia est voluntas deliberata, in qua potest reperiri meritum vel demeritum, alia indeliberata præueniens plenum consensum rationis, ac proinde incapax meriti vel demeriti: in voluntate autem, vt communiter tenent Thomistæ ac plures alij contra Vasquem, sunt actus conditionati, tam ex parte tendentiæ actus. quàm ex parte obiecti. Primi sic exprimuntur: si hoc succedat, me determinato ad illud volendum. Secondi verò sic: si hoc facias, hoc tibi dabo: primi includunt velleitates, vt vellem facere si hoc esset: hoc ita D. Th. 3.p. q. 21. art. 4. item q.16. de malo art. 5. ad 9. non est dubium, quin in Deo sunt multi actus quibus vult aliquid sub conditione, vt volitio quâ voluit deriuationem gratiæ originalis in posteros Adami, si ille non peccasset, & illa qua vult omnes homines saluos fieri, perseuerent in gratia: patet etiam quòd multi fiunt contractus sub conditione, vt si hoc facias pro me, hoc faciam pro te: ergo cùm isti contractus sint voluntarij, dantur actus conditionales in voluntate. Quod maximè apparet in illo qui proiicit merces in mare, vt euadat naufragium, absolutè enim vult hic & nunc pensatis omnibus circomstantiis proiicere, & tam efficaciter vult vt actu proiiciat, & tamen vellet non proiicere, nam contristatur dum proiicit.

Item sciendum est, quòd impossibile est duplex: vnum simpliciter per se & ex vi terminorum, vt hominem esse leonem, Angelum esse æqualem Deo, aliud verò secundùm quid & per accidens ex vi alicuius accidentalis suppositionis, vt Adamum non peccasse. Aliquod autem impossibile potest aliquandò iudicari possibile, vel ex ignorantia, siue errore, siue ex passione ligante rationem & nunc non est dubium, quin sic iudicatum possit appeti voluntate efficaci, absoluta, vtque deliberata, ac si reuera esset possibile repræsentatum: vnde difficultas solùm procedit ab impossibili iudicato impossibili, quod omnes dicunt non posse appeti voluntate efficaci operatiua, & ad executionem procedente: vnde solùm est difficultas ab voluntate absoluta simplicis complacentiæ.

Probatur conclusio generaliter authoritate D. Thom. q.16. de malo art.3. ad 9. vbi sic ait: *Voluntas quæ dicitur impossibilium, non est perfecta voluntas tendens in aliquid consequendum, quia nullus tendit in id, quod existimat impossibile, sed est quædam imperfecta voluntas quæ dicitur velleitas, quia scilicet aliquis vellet id quod existimat impossibile, sed sub hac conditione, si possibile esset.* Idem docet in 2. d. 30. quæst 1. art.1. ad 6. item d. 33. quæst.2. art.2. ad 2. itemq.22. de veritate art. 13. ad 12. item 1.2 q.13. art.5. & alibi sæpe.

Probatur prima pars conclusionis ratione D.Th. electio est circa actiones nostras, ac proinde de illis rebus

quæ

quæ per nostras actiones aguntur, nam electio est eorum quæ deseruiunt ad finem nostrum consequendum: illa autem quibus consequimur nostrum finem, aut sunt actiones nostræ, aut res aliquæ quibus vtimur per actiones nostras, sed quæ à nobis aguntur, sunt possibilia, subsunt enim nostræ potestati: ergo electio tantùm est possibilium. Deinde, quando quis consultando media ad finem consequendum, peruenit ad aliquod impossibile, discedit ab illa consultatione, & non vltra progreditur ratio consultana, vt patet experientiâ: ergo nec voluntas vltra potest progredi motu electiuo circa tale medium impossibile: cùm electio non possit esse nisi medij præconsiliati. Denique, obiectum, ad quod mouetur voluntas absoluto affectu, est bonum verum, vel apparens, vt verum repræsentatum sed in concepto obiectiuo boni includitur ordo ad esse, nihil enim est bonum, nisi ens aptum existere, vel actu existens vt patet ex dictis: ergo etiam includitur ratio possibilis; nam ordo & aptitudo ad esse non compatitur cum ratione impossibilis. Confirmatur. Intellectus mouet per suum imperium practicum voluntatem ad assecutionem boni conuenientis, ab illo eidem propositi: sed quod est cognitum impossibile non potest iudicari assequibile, aut vt conueniens, cùm non possit acquiri & vniri subiecto: ergo impossibile simpliciter, & vt tale propositum voluntati non potest efficaciter & absolutè appeti.

Probatur secunda pars conclusionis. Nihil potest appeti, nisi sub ratione conuenientis proponatur vt patet: sed ipsa ratio conuenientis excludit impossibilitatem, & includit rationem possibilia in actu exercito, nam ratio conuenientis est illa, per quam res est apta conuenire subiecto, & est ab illo assequibilis, quæ est exercita ratio possibilia, & sic quidquid proponitur sub ratione conuenientis, proponitur etiam sub ratione possibilis: non quòd requiratur repræsentatio possibilitatis in actu signato, id est quòd repræsentetur quid sit ratio possibilitatis, quæ non est aliud quàm ordo ad potentiam factiuam ex parte talis obiecti: ergo nihil proponitur voluntati vt persequendum affectu absoluto, nisi sub ratione possibilis in actu, non quidem signato, sed exercito repræsentatum.

Probatur tertia pars conclusionis. Quod est impossibile ex sola suppositione, simpliciter in se est possibile & bonum, ac proinde conueniens, nam non peccasse Adamum &c. absolutè consideratum est possibile: sed possibile bonum & conueniens vt sic iudicatum in se, potest terminare appetitum absolutum complacentiæ: ergo impossibile ex suppositione potest appeti affectu absoluto complacentiæ.

Probatur quarta pars conclusionis. Quodcumque subest conditioni suæ impossibilitatis, vt sic est impossibile reduplicatiuè, ita vt ad illud nulla sit dabilis potentia: sed impossibile vt sic iudicatum non potest appeti appetitu absoluto, at solùm conditionato vt dictum est: ergo impossibile ex suppositione, vt subest suppositioni suæ impossibilitatis solo affectu conditionato potest appeti. Deinde, si factâ aliqua suppositione obiectum videtur impossibile, statim voluntas desperat de illius assecutione, ac de illius conuenientia: sed voluntas desperans non potest appetere appetitu absoluto obiectum de quo desperat, at solum conditionato; vt si hoc esset possibile, illud vellem, quod etiam potest fieri circa quodcumque impossibile. Quod confirmatur ex D. Th. qui 2.2. quæst. 152. art. 3. dicit corruptam non posse habere absolutum propositum virginitatis, nec posse velle absolutà suam innocentiam qui amisit primam gratiam, non aliâ ratione, nisi quia præteritum vt præteritum est impossibile ex suppositione: ergo impossibile ex suppositione, vt subest suppositioni suæ impossibilitatis, solo affectu conditionato potest appeti, sicut & quodlibet aliud impossibile etiam simpliciter. Cùm hac tamen differentia, quòd quando appetitus conditionatus terminatur ad impossibile simpliciter, terminatur tantùm per accidens & ratione alterius, quia ex se non habet rationem entis, ac proinde nec appetibilis: ad impossibile autem ex suppositione terminatur per se, siue ratione sui.

Probatur quinta pars conclusionis. Appetitus quo damnati & odientes Deum volunt ipsum Deum non esse est ad impossibile simpliciter, & deliberatus, ac vitiosus, cùm per illum magna fiat Deo iniuria. Deinde post primum peccatum ex erroneo iudicio potuerunt Angeli apostatæ appetere Dei æqualitatem sibi impossibilem: sed in tali appetitu peccatum inuoluitur: ergo appetitus ad quoduis impossibile terminatur, potest prouenire ex plena deliberatione sufficienti ad meritum & peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Angelus in primo peccato non appetiit simpliciter Dei æqualitatem, quia hoc naturaliter sciebat esse impossibile, & natura illa tam ordinata non poterat primò ferri in aliquid impossibile, nec simpliciter, nec sub conditione: sed debuit ferri ad appetibile per se & affectu absoluto prosequendum: si tamen habuisset talem appetitum conditionatum, peccasset vt dictum est: illud autem quod appetiit & in quo peccauit, fuit habere appetitum ponendi in se suam beatitudinem, saltem illam consequendi suis viribus, in quo fuisset similis Deo, hæc enim soli Deo competunt. Et hoc appetiit, quia non habuit plenam notitiam supernaturalium, & maximè beatitudinis, vt docet D. Th. vnde peccauit, quia non se ordinauit ad Deum.

Ad secundum dicendum, quòd ille, qui facit actum odij circa Deum, vel appetit tantùm conditionate Deum non esse, & hoc per accidens ratione alicuius boni adiuncti, aut in ordine ad aliud; vel si appetit absolutè, non debet illud iudicare vt impossibile. Ad aliud dicendum, quòd in hoc casu volũtas iudicat esse possibile, vt sit sibi summum bonum, & ita potest hoc appetere absolutè: vel si iudicat impossibile, appetit tantùm conditionatè.

Ad tertium dicendum, quòd bonum est quidem obiectum voluntatis in tota sua latitudine, sed impossibile vt sic, cùm non habeat rationem entis, non enim dicit ordinem ad esse, sic nec habet rationem boni & appetibilis absolutè, sed solùm conditionatè.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ipsum non esse possit habere rationem boni & appetibilis?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd ipsum non esse aut non viuere, non habeat rationem boni & appetibilis à voluntate, vt libera & deliberata, nisi falsa ducatur æstimatione & erroneo iudicio mentis moueatur ita Durandus in 4. d. 50. q. 2. & d. 17. q. 5. Probatur. Impossibile est vt quis seipsum odio habeat, saltem licitè ex illo ad Rom. 5. nullus vnquam Carnem suam odio habuit: sed velle sibi non esse, est odio se habere vt patet: ergo non esse non habet rationem boni & appetibilis.

¶ 2. Præterea, Quod nullo modo induit rationem appetibilis, nullo modo potest appeti: sed huiusmodi est desitio essendi, nam si esset appetibilis, maximè vt ablatiua miseriæ: sed intellectus potest apprehendere ablationem miseriæ independenter à desitione essendi, ac proinde voluntas potest appetere. Deinde quia terminus motus appetentia est ipsum esse appetentia, cùm vnusquisque appetat sibi bonum. Item quia esse est bonum naturale, ad quod omnis natura necessariò necessitate specificationis ordinatur, Denique quia D. T. 1. p. q. 63. art. 3. probat Angelum non potuisse appetere æqualitatem Dei, quia per talem æqualitatem transmutaretur in alteriorem naturam, & amitteret suum esse, quod est contra naturale desiderium: ergo non esse non potest habere rationem boni & appetibilis.

¶ 3. Præterea, Quidquid rectè aliquis præeligit, debet facere meliorem ipsum appetentem quando illud acquirit, quam illud quod refugit: sed non esse non facit meliorem ipsum appetentem, quàm miseria, imò neque

quàm malum culpæ, quia non esse destruit omnino subiectum virtutis, quod non destruit pœna inferni, neque malum culpæ: ergo non esse non potest præeligi ad miseriam inferni, vel ad malum culpæ, & sic nullum habet rationem boni & appetibilis. Confirmatur. Non esse est summum malum, nec est necessarium ad vitandum peccatum neque est promotiuum virtutis, cum sit destructiuum subiecti illius, ac proinde priuet omni bono tam naturali, quàm supernaturali: ergo non potest habere rationem boni & appetibilis.

§ 4. Præterea, Vita miseriis obnoxia est bona, & vtilis ad augmentum meritorum, & sic est præelegenda morti: ergo nullus potest licitè eligere mortem istam temporalem spe felicioris vitæ.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. ac communis sententia Thomistarum, quàm sequuntur Scotus, Ricardus, Molina, Vasques, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm appetitus naturalis tendat per se ad esse, non potest tendere ad non esse, nisi per accidens sine ratione alterius, vnde non esse potest habere aliqualem rationem boni & appetibilis.

RESPONDEO dicendum, quòd non esse omnino, ac non viuere potest aliquandò appeti, & de facto fuit à multis appetitum. 2. hæc tamen negatio omnimoda ipsius esse aut vitæ, non per se sed per accidens, & ratione alicuius adiuncti induit rationem boni & appetibilis. 3. non quidem à voluntate vt natura, siue vt appetitus naturalis est. 4. sed vt est potentia libera ac electiua. 5. qui appetitus siue electio, licèt aliquando sequatur intellectus deceptionem, ac erroneum dictamen, tamen etiam aliquando potest sequi rectum iudicium.

Probatur conclusio generaliter authoritate D. Th. multis locis suæ doctrinæ 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. Item in 4. d. 44. q. 3. art. 1. Item q. 22. de veritate art. 1. ad 7. sed præcipuè 1. 3. q. 5. art. 2. ad 3. vbi hæc habet. *Non esse secundum se non est apetibile, sed per accidens, inquantum scilicet ablatio alicuius mali est appetibilis, quod malum quidem aufertur per non esse:* Ablatio verò mali non est appetibilis, nisi in quantum per malum priuatur quoddam esse: illud igitur quod per se est appetibile, est esse: non esse verò per accidens tantùm, inquantum scilicet quoddam esse appetitur, quo homo non sustinet priuari: & sic etiam per accidens non esse dicitur esse bonum.

Probatur prima pars conclusionis ex illo Iob 3. *Pereat dies in qua natus sum*: Quo loco sanctus vir manifestè declarat se appetere non fuisse. Item Ieremias ait cap. 20. *Maledicta dies in qua natus sum*. Deinde non esse potest ab aliquo apprehendi sub ratione boni, scilicet ab illo qui est in magnis miseriis vt sunt damnati, vt patet ex illo Matthæi 26. quòd Christus Dominus protulit de Iuda proditore: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, id est, vt ait D. Thom. *Melius illi esset secundùm apprehensionem, qua priuatio apprehenditur ad modum entis, omnino non fuisse, quàm Deum vendere, & æternum subire supplicium.* Explicatio quam Durandus huic loco adhibet, communiter reiicitur, dum dicit non esse intelligendum de omnimoda negatione essendi, sed de negatione solius natiuitatis non excludendo conceptionem.

Probatur secunda pars conclusionis. Oppositum illius, quòd natura appetit desiderio naturali, non est appetibile per se, sed tantùm per accidens, quia terminus naturalis desiderij est appetibilis secundùm se, & consequenter eius oppositum non potest esse per se appetibile, aliàs naturale desiderium tenderet ad opposita, quod est impossibile, cùm natura sit determinata ad vnum: sed natura appetit naturali desiderio esse, ex Philosopho 9. Ethicor. cap. 4. & 9. vbi ait: *Quòd viuere bonum est, atque iucundum, siue delectabile, ac proinde appetibile natura*: Et D. Th. 1. 2. q. 85. art. vltimo, qui docet omnem formam naturaliter appetere suum esse, & illius conseruationem, & sic mortem esse hominibus contra naturam suæ formæ, licèt naturalis illi sit spectatâ conditione naturæ: ergo non esse non est per se appetibile, sed tantùm per accidens.

Secundò, illud est tantùm per se bonum & appetibile quod habet intrinsecam ac realem bonitatem vt patet: sed omnimoda negatio esse aut vitæ, cùm non sit ens, sed priuatio entis, nullam habet bonitatem intrinsecam, ac realem: ergo per se non est bona & appetibilis, sed tantùm per accidens, inquantum potest apprehendi sub ratione alicuius boni apparentis, siue vt terminatiuum, & remotiuum alicuius mali: vnde videmus, quòd licèt homo appetat viuere, tamen refugit vitam miseriis obnoxiam, quia vult vitam ex amore suæ fœlicitatis: vnde Philosophus loco citato subiungit, *Non oportet autem vitam sumere prauam atque corruptam, neque in doloribus constitutam*, Quod patet experientiâ: nam aliqui in magnis miseriis vel pœnis constituti, eligerent non esse vt illas euaderent, quia apprehendunt non esse vt remedium harum miseriarum.

Probatur tertia pars conclusionis ex D. Th. qui. 1. 2. q. 10. art. 1. probat voluntatem appetere naturaliter, siue appetitu naturali aliqua obiecta, vt bonum in communi, vltimum finem, scire, esse, viuere, & alia quæ conueniunt volenti secundùm suam naturam: sed non esse, & non viuere cum destruant naturalem consistentiam appetentis, non possunt esse conformia naturæ: ergo voluntas vt natura siue vt appetitus naturalis non potest ad illa terminari. Deinde, probatur ratione D. Thom. ibidem ad 3. voluntas per modum naturæ determinatur ad vnum cùm omnis natura sit ad vnum determinata ex Philosopho, illud autem est bonum in communi, & alia recensita conuenientia homini secundùm naturam: alia autem bona particularia potest prosequi, vel refugere: vnde ad illud solùm est determinata, quod naturaliter appetit, & ad quod necessitatur quoad specificationem: sed ad non esse non est sic determinata, cùm non esse non contineatur directè sub ratione boni, nec formaliter & intrinsecè participet rationem boni: ergo voluntas non potest ferri ad illud vt est natura, siue appetitus naturalis. Maximè quia, non esse est oppositum ipsi esse, ergo voluntas vt natura non potest esse determinata ad vtrumque. 3. Deinde quod est secundùm naturam appetibile, appetitur vt in pluribus sb habentibus illam, vt patet inductione: sed non esse appetitur à paucioribus, plures enim sunt qui appetunt esse, licèt omnes damnati non esse appetant, quia plures sunt beati quàm damnati, si in vtroque numero includantur tam Angeli quàm homines. Deinde damnati antequam damnarentur, appetierunt naturaliter esse, & in inferno appetunt non esse ex deprauata voluntate, & non vt natura est: ergo voluntas non potest, vt natura siue vt est appetitus naturalis, appetere non esse ex quo patet falsam esse opinionem illorum, quos refert S. Aug. & D. Thom. ad illa verba Matthæi 26. *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille*, asserentium quòd non esse & non viuere prout important absolutam ac omnimodam entitatis ac vitæ negationem, melius est & eligibilius, quàm esse ac viuere miseriis, ac pœnis obnoxium.

Probatur quarta pars conclusionis. Non esse sub ratione terminatiui & exclusiui præsentis miseriæ, est appetibile, & de facto ab aliquibus appetitur etiam absque spe adipiscendi aliud esse vt dictum est: non à voluntate vt natura siue vt est appetitus naturalis, vt etiam probatum est: ergo à voluntate vt potentia libera ac electiua. Deinde eodem modo quantùm ad præsens attinet, est esse bonum, ac esse exclusiuum mali, vt eligatur & appetatur ex Philosopho 5. Ethic. cap. 8. vbi dicit, quod carere malo bonum quoddam est: sed bonum est eligibile à voluntate vt potentia libera ac electiua: ergo & non esse vt est mali exclusiuum.

Probatur quinta pars conclusionis quantùm ad principale, scilicet quòd appetitus ad non esse possit sequi rectum iudicium (de contrario enim, scilicet quòd sequatur aliquando intellectùs deceptionem, nulla est difficultas)

ficultas) si aliquis poneretur in hoc discrimine, vt deberet eligere vnum ex his tribus ; vel malum culpæ, vel pœnas inferni, vel non esse, tunc posset, imò deberet potiùs eligere ipsum non esse, quàm malum culpæ: non tamen posset recto iudicio potiùs eligere non esse, quàm pœnas inferni, quia minùs malum est eligendum in conspectu maioris: sed pœnæ inferni sunt minora mala, quam annihilatio, siue non esse, cùm ipsa compatiantur secum bonum naturale scilicet esse: annihilatio autem est minùs malum, quam culpa, cùm hæc sit malum superioris ordinis, est enim offensa Dei habens in se infinitam malitiam si sit mortalis culpa, annihilatio autem siue non esse est malum ordinis naturalis: ergo appetitus siue electio non essendi potest sequi rectum iudicium, nec est ex obiecto indebita & illicita. Confirmatur. Velle suum non esse, vt quis non peccet, vel, non offendat Deum est maximus actus charitatis, nam præfert honorem Dei sibi simpliciter & suo esse: ergo non solùm non est illicitum, imò est maximi meriti in hoc casu eligere non esse & hoc voluit dicere Christus Dominus, cùm dixit de Iuda, *Bonum erat ei si natus non fuisset*: Id est, melius illi erat nihil esse, quàm esse, & Christum tradere.

Secundò, ex D.Th. 1.p.quæst.48. art. 6. peccatum est summum omnium malorum, cùm obiectiuè opponatur Diuinæ bonitati, & illam destruat quoad affectum peccantis: ergo est magis detestabile, quàm quodlibet aliud malum, scilicet non esse, pœna inferni, carentia visionis Dei, vnde ista debent præeligi ad illud, & sic contritus debet in se esse affectus vt subeat omne aliud malum ad vitandum peccatum: & propterea D. Th. q. 3. supplementi art. 1. dicit contritionem esse summum dolorem de peccato appretiatiuè, quatenus ex parte obiecti malum culpæ præponit aliis malis pœnæ, & præ ceteris detestatur; idémque repetit ad 4. Confirmatur. Annihilatio creaturæ siue non esse illius potest appeti à Deo, non autem peccatum: ergo appetitus siue electio non essendi potest sequi rectum iudicium.

Tertiò, ex opposito sequeretur peccatum non esse magis detestandum vt offensiuum Dei, quàm vt illatiuum pœnæ peccatori, quod est impium dicere: nam diuina bonitas debet & iubetur diligi super omnia, & consequenter peccatum, qua ratione ei opponitur, est super omnia, imò super alias rationes, quas inuoluit, detestandum: vnde si fiat alicui specialis reuelatio à Deo, quod vult ipsum annihilare ne imposterum peccet, potest licitè, imò debet & erit actus maximi amoris Dei, præeligere annihilationem ad peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex rationabili causa potest aliquis se odio habere, & sic etiam eligere non esse: quod odium erit meritorium ex illo Christi Domini: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*: Sine causa autem rationabili non potest quis se odio habere licitè, & sic intelligendus est ille locus D. Pauli.

Ad secundum dicendum, quòd non esse induit rationem boni & appetibilis in apprehensione, quia apprehenditur vt adæquatum medium ablatiuum miseriæ, vel quia apprehenditur necessaria connexio inter non esse, & bonum ablatiuum miseriæ: & sub hac ratione appetitur secundariò, & consequenter à voluntate damnati & desperati, vel quia iudicat non esse minus malum quam aliud. Ad aliud dicendum cum D. Thom. q.16. de malo art. 3. quòd motus appetentis in bonum est duplex: alter quo vult appetens sibi acquirere aliquod bonum, in quo vtitur seipso vt termino, ad quem, & quia terminus ad quem debet saluari in motu, ideò tali motu non potest appetere se non esse vt probat obiectio: alter verò est, quo appetens vult à se remouere aliquod malum, & in hoc vtitur seipso vt termino, à quo, & quia terminus, à quo, non debet saluari in motu, ideò tali appetitu potest appetere non esse. Ad aliud dicendum, quòd appetitu sensitiuo, & multò magis rationali potest appeti id, ad quod non inclinatur ex se natura, vt patet in his qui se obiiciunt morti, propter virtutem, vel propter aliud motiuum: vnde solùm probat quòd voluntas vt natura non potest appetere non esse quod concedimus, non autem quod non potest vt potentia libera & electiua. Ad aliud denique dicendum quòd talis appetitus Angeli non fuit possibilis, quia in illo Angelus debuisset se habere vt terminum, ad quem, talis motus, qui saluari debet in motu: in illo autem non poterat saluari vt patet.

Ad tertium dicendum quòd, si illud quod appetitur, sit positiuum, verum est argumentum, aliàs sufficit quòd illud, quod quis refugit, sit peius, sicut est malum culpæ, quod quis debet appetitu ordinato saltem conditionato plus detestari, quàm non esse, & absoluto si daretur casus. Ad confirmationem dicendum, quòd non esse non est absolutè summum malum, sed est tantùm summum in ordine naturali: malum autem culpæ est malum superioris ordinis, id est, diuini, & ideò maius: vnde si daretur casus debet præeligi non esse, ad malum culpæ vt dictum est: nam omnia quæ priuat non esse etiam supernaturalia, pertinent ad bonum creaturæ: malum autem culpæ, quantùm est in se, priuat & destruit bonum diuinum, quod sufficit in moralibus, vt reputetur pro facto, & ideò est maximũ malum: vnde si damnati appeterent non esse, vt non peccarent, ille appetitus esset ordinatus: sed ideò est inordinatus, quia illud appetunt, vt fugiant malum pœnæ, quod est minus malum quàm non esse, quia cõpatitur bonũ naturale, quod totaliter destruit non esse.

Ad quartum dicendum, quòd si quis appetat mortem solùm vt vitet miserias, licèt hic appetitus non sit virtuosus, sed sit imperfectus, tamen non est grauiter peccaminosus, maximè dum vrgent miseriæ, quia non datur præceptum in contrarium, nec obligamur ad id quod est perfectius: si quis autem appeteret mortem, ne Deum offenderet, hic appetitus esset valdè ordinatus & meritorius.

Articvlvs VI.

Quid sit malum, & quomodo reperiatur in rebus?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd malum sit quid positiuum. Ita tenebant Manichæi, vt refert D. Aug. & alij, dicebant enim omnia corporea esse mala, & sola spiritualia bona, & sic ponebant duo prima principia, Deum scilicet spiritualium ac bonorum, Diabolum verò corporeorum ac malorum. Probabant omnia nociua sunt mala: sed corporea sunt nociua, quod manifestè apparet in multis illorum, vt in serpentibus, venenis &c. ergo corporea sunt mala, & sic malum est quid positiuum.

¶ 2. Præterea, Omne quod facit Deus, est quid positiuum, actio enim Dei terminatur ad existentiam: sed Deus facit malum iuxta Amos. 3. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit*: Ergo malum est quid positiuum.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur, non solùm Thomistæ, sed etiam alij omnes.

Conclvsio.

Cùm omne positiuum sit ens reale, & omne ens reale sit bonum, nullum positiuum est malum, nec malum est quid positiuum.

Respondeo dicendum, quòd malum transcendentaliter sumptum & formaliter consideratum non est quid positiuum. 2. nec mera negatio vlterioris perfectionis, sed est priuatio debitæ bonitatis & perfectionis. 3. malũ simpliciter dictum, vt consistit in sola dicta priuatione, non habet causam per se, sed per accidens tantùm: 4. malum autem secundùm quid, cùm sit quid positiuum, habet causam per se materialem, formalem, efficientem, & finalem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D
1. part. quæst 48. art. 1. ac alibi sæpè, Idem d
muniter Sancti Patres. Probatur ra
reale vt sic, quod est à parte rei e

pra dictis : ens enim reale & bonum conuertuntur : ſed omne poſitiuum eſt ens reale : ergo omne poſitiuum eſt bonum, & ſic nullum poſitiuum eſt malum, nec malum eſt quid poſitiuum. Deinde, nullum malum vt malum eſt, eſt opus Dei ex illo Deuteronomij 32. *Dei perfecta ſunt opera* : ſed omne poſitiuum vt ſic, eſt opus Dei: nam omne ens per participationem debet reduci vt in primam cauſam, ad ens per eſſentiam, quod eſt Deus: ergo nullum poſitiuum vt ſic eſt malum, nec vllum malum eſt poſitiuum; vniuerſalis enim negatiua conuertitur ſimpliciter.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Si malum eſſet mera negatio vlterioris perfectionis, & non priuatio debitæ bonitatis & pefectionis, ſequeretur quòd omnia entia naturalia eſſent mala, quia nullum eſt ens creatum, quod non careat aliqua perfectione quæ poteſt illi communicari, vel ſecundùm potentiam naturalem, vel ſecundùm obedientialem : ſed non poteſt dici quòd omnia entia naturalia ſint mala : ergo malum non eſt mera negatio vlterioris perfectionis, ſed eſt priuatio debitæ bonitatis & perfectionis.

Probatur tertia pars concluſionis. Malum ſimpliciter dictum vt conſiſtit in ſola priuatione, non eſt effectus ſed defectus : ergo non habet cauſam per ſe, ſed tantùm per accidens : nam cauſa agens per ſe intendit producere effectum, ad quem aliquando ſequitur defectus, v. g. corruptio alterius, & ſic eſt tantùm cauſa illius per accidens. Nec habet finem licèt ab extrinſeco poſſit ordinari ad finem, nam ex D. Thom. corruptiones rerum ordinantur à Deo in bonum vniuerſi, non quòd per ſe ſint ordinabiles, ſed tantùm per accidens, quia non poſſunt eſſe nouæ generationes ſine corruptionibus. Deinde, quia perfectiones vniuerſi magis eluceſcunt inter imperfectiones, & ideò pertinet ad Deum ſummum & vniuerſalem prouiſorem vniuerſi cauſare corruptiones, & defectus naturales in effectibus cauſarum ſecundarum, vnde monſtruoſitates & corruptiones dicuntur eſſe de intentione naturæ vniuerſæ, ſed non particularis.

Quarta pars concluſionis non indiget probatione : omne enim poſitiuum habet ſuas cauſas, ſi ſit quid productum, ſicut ſunt omnia creata. Ex dictis ſequitur malum ſimpliciter opponi bono priuatiuè quoad rationes formales, cùm ſit priuatio debitæ perfectionis vt dictum eſt, in qua conſiſtit ratio boni : malum verò ſecundùm quid opponi bono contrariè, quia dicit formam poſitiuam diſconuenientem, hæc autem opponitur contrariè bono.

Malum diuiditur primò & adæquatè in malum turpe, ſiue inhoneſtum, ſiue diſconueniens ſimpliciter, in malum contriſtans, ſiue nociuum : & in malum inutile, & hæc diuiſio conuenit tam malo morali, quàm tranſcendentali. Diuiditur ſecundò in malum quod eſt diſconueniens naturæ vt ſic, & in malum quod eſt diſconueniens naturæ rationali ſpecialiter, & hoc vltimum ſubdiuiditur à D. Th. adæquatè in malum culpæ, & malum pœnæ. Diuiditur tertiò in malum ſimpliciter quod opponitur bono priuatiuè, & dicitur malum in ſe abſolutè, & in malum ſecundùm quid, quod opponitur bono contrariè, & dicitur malum reſpectu alterius. vt calor reſpectu aquæ : iſtæ autem diuiſiones mali poſſunt probari per contra poſitionem ad bonum ſuum contrarium.

Ad primum ergo dicendum, quòd res nociuæ aſſignatæ, & ſimiles poſitiuæ non ſunt malæ, niſi ſecundùm quid.

Ad ſecundum dicendum, quòd Propheta intelligit de malo pœnæ, quòd eſt malum ſecundùm quid & poſitiuum, & ſimpliciter bonum, vnde poteſt fieri à Deo.



LIBER SECVNDVS METAPHYSICÆ

DE DIVISIONE ENTIS IN DECEM PRÆDICAMENTA.

Summa.

COGNITA iam naturâ entis per aliqualem eius definitionem ſiue deſcriptionem, eiúſque proprietatibus demonſtratis, ad maiorem ipſius notitiam procedimus ad ſecundum tractatum Metaphyſicæ, qui eſt de diuiſione entis in decem prædicamenta, (diuiſio enim eſt ſecundus ſciendi modus) Cùm autem obiectum Metaphyſicæ ſit ens reale in tota ſua latitudine; plures eius occurrunt diuiſiones, Prima eſt in increatum & creatum; de ente increato agetur in fine huius tertiæ partis. Secunda eſt entis creati in ſubſtantiam & accidens, ſiue in decem prædicamenta, de hac, aliis prætermiſſis, ſex quæſtionibus agetur.

QVÆSTIO XI.

De prædicamentis in communi.

IAM in prima parte huius operis de prædicamentis, tam in communi, quàm in particulari actum eſt ſed compediosè, remiſſo ad hunc locum tanquam proprium exacto ipſorum tractatu, vnde de ipſis in communi quinque quæruntur.

¶ Primò, Vtrùm ſint decem prædicamenta?

¶ Secundò, Quæ entia collocentur in prædicamentis?

¶ Tertiò, Vtrùm ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, ſignificet eſſentiam?

¶ Quartò, Vtrùm accidens ſit vniuocum ad nouem prædicamenta?

¶ Quintò, Vtrùm inhærentia ſit de eſſentia accidentis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſint decem Prædicamenta?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd non ſint decem prædicamenta. Ita tenent multi authores, quorum quidam dicunt eſſe pauciora, inter primos aliqui ponunt vnicum ſcilicet ens, dicentes ipſum eſſe vniuocum, ſed de hoc iam ſupra actum eſt contra Scotum : Alij ponunt duo, ſcilicet ſubſtantiam, & accidens quia dicunt accidens eſſe vniuocum reſpectu omnium accidentium, ſicut eſt ſubſtantia ad ſua inferiora, ſed hoc poſtea examinabitur : Alij conſtituunt tria, ſcilicet ſubſtantiam, quantitatem, & actionem : Alij quatuor, ſcilicet

tiam, quantitatem,& actionem: Alij quatuor,scilicet substantiam, quantitatem, illud quod est aliqoo modo se habere, & illud quod est ad aliud se habere: Alij ponunt quinque scilicet ens, idem, diuersum, motum, & quietem: Alij denique nouem inclndentes in vno prædicamento motûs actionem & passionem, vel auferentes à numero prædicamentorum Vbi, dicentes locum nihil esse reale sed tantùm quid rationis: horum fundamenta leuia sunt.

¶ 2. Econtra, Videtur quod sint plura, quàm decem, ita tenuerunt aliqui antiqui, dicentes prædicamenta esse infinita: sed hi non penettabant, qnid esset prædicamentum, nam si supponerent esse seriem generum & specierum sub vno supremo genere, necessariò admitterent determinata prædicamenta, sicut sunt determinata genera suprema: alij posnerunt viginti, scilicet finitum, infinitum, par, impar, vnum, plura, dexterum, sinistrum, masculum, feminam, quiescens, motum, rectum, curuum, lucrum, tenebras, bonum, malum, qoadrangulare, & longius alterâ parte: Sotus verò constituit vndecim, decem communiter assignata, & vndecimom pro accidentibus spiritualibus vt gratia, fide,spe, charitate &c. sed si eius fundamentum valeret, ad minus adiungendum esset duodecimum,in qoo ponerentur actiones supernaturales: & sic cùm possit abstrahi vnus conceptus qualitatis, vel actionis communis omnibus qualitatibus vel actionibus siue sint naturales, siue supernaturales, vtraque categoria est superflua: horum fundamenta facilè soluuntur.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis,quem sequuntur communiter omnes Philosophi antiqui, post ipsum, Græci, Latini, & Arabes: inter quos Auicenna 7. Metaph. ait, coguntur obseruare illam diuisionem famosam prædicamentorum, quia dicitur esse decem generalissima propter Philosophorum antiquam anthoritatem; cui non debet facilè cootradici: idem docent Sancti Patres Aug. lib. categoriarum à se edito. Damasc. io sua Dialectica, & D. Thom. sæpè.

Conclvsio.

Cùm possint abstrahi decem, & non plures rationes generica suprema in coordinationibus prædicabilium. sunt decem, & non plura prædicamenta.

Respondeo dicendum quòd prædicamenta nec plura, nec pauciora sunt quàm decem. Probatur ratione Aristotelis. 5. Metaph. cap. 7. adhibitâ explicatione D. Th. tot sunt prædicamenta quot possiint abstrahi rationes genericæ supremæ in coordinationibus prædicabilium, prædicamentum enim siue categoria nihil aliud est, quàm coordinatio & series generum & specierum sub vno supremo genere secundum subiicibilitatem & prædicabilitatem: sed hæ rationes, nec plures, nec pauciores sunt quam decem, vt probat D. Th. ex diuerso modo prædicandi rerum qui consequitur diuersum modum essendi, nam prædicatum tripliciter potest se habere ad primam substantiam: primò quando prædicatum est id, qnod est ipsum subiectum non solùm quantùm ad modum significandi, sed etiam quantùm ad rem significatam, vt cùm dicitur, Petrus est homo animal, &c. hæc autem prædicata constituunt prædicamentum substantiæ: secundò quando prædicatum sumitur secundùm quòd inest subiecto, & tunc vel prædicatum inest subiecto absolutè, vt consequens materiam, & est quantitas, vel vt consequens formam, & est qualitas, vel inest non absolotè,sed in ordine ad aliud, & sic est relatio: tertiò, cùm præ iicatum sumitur ab eo quod est extra subiectum, & hoc dupliciter, nam vel id à quo sumitur prædicatum, non omninò est extra subiectum, sed secundùm aliquid est in illo, & tunc si sit secundùm principium, est actio, si verò secundùm terminum, est passio, vel id à quo sumitur prædicatum est omninò extra,& tunc si non sit mensura subiecti, prædicatur per modum babitûs, si verò sit mensura, cùm mensura extrinseca sit, vel tempus, vel locus, ex tempore sumitur. Quando, & ex loco somitur Vbi, non consideratо ordine partium in loco, eo aotem considerato erit situs: ergo prædicamenta nec plura, nec pauciora sunt quàm decem. Confirmantur. Tot sunt prædicamenta, quot quæstiones possunt excitari de aliqua re secundùm dioersum modum prædicandi,& primò diuersum, quibus porest responderi per prædicata vniuoca: sed de aliqua re siue indiuidno tantùm possunt excitari decem quæstiones primò diuersæ, quibus potest responderi per prædicata vniuoca: scilicet quid est res v.g. Petrus, quanta sit, qualis sit, vtrùm sit relatiua, vtrùm agat, vtrùm patiatur, in quo loco, in quo tempore, quo situ, quo habitu: ergo prædicamenta nec plura nec pauciora sunt quàm decem, quæ proximè desumontur à diuerso modo prædicandi, remotè verò à diuerso modo essendi, siue afficiendi primam substantiam, quæ omnia propriis in locis accuratiùs explicabuntur & examinabuntur: solent autem hæc decem prædicamenta exprimi hoc disticho.

Arbor, sex, seruos, feruore, refrigerat, vstos,
Ruri, cras, stabo, nec tunicatus ero.

Articvlvs II.

Quæ entia collocentur in prædicamentis?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd omnia entia collocentur in prædicamentis. Probatur. Prædicamenta sunt constituta velut quædam receptacula entium: ergo omnia entia debent collocari, vel saltem reduci ad hæc decem prædicamenta, vel saltem tenenda sunt plura, vt omnia enria sint in aliquo determinatè.

¶ 2. Præterea, Prædicamenta sic dicuntur, quia sunt series rationum superiorum, quæ de suis inferioribus prædicantur: sed nihil est quod non possit prædicari de aliquo inferiori, siue sit completum, siue incompletum, nam anima prædicatur æquè bene de hac & illa, sicut homo de hoc & illo, & ita de aliis: ergo omnia entia collocantur in prædicamentis.

Sed contra est commonis sententia Philosophorum cum D.Thom. & Aristotele.

Conclvsio.

Cùm prædicamentum sit series prædicabilium, & vt aliquid sit per se prædicabile, requiratur vt sit ens reale, per se, completum, incomplexum, vniuocum, & essentiale, solùm ponuntur directè in prædicamentis entia realia, per se, completa, incomplexa, vniuoca, & essentialia.

Respondeo dicendum, quòd entia quæ ponuntur directè, siue in recta linea prædicamentorum, debent esse realia, per se, completa, incomplexa, vniuoca, & essentialia: vnde à recta linea excluduntur entia rationis, entia per accidens, incompleta, complexa, æquiuoca, analoga, & prædicata accidentalia. 2. In prædicamento substantiæ ponuntur tantum directè concreta. 3. In prædicamentis verò accidentium tantùm ponuntur directè abstracta. 4. Multa ponuntur indirectè siue ad latus. 5. Multa etiam ponuntor reductiuè.

Probatur prima pars conclusionis. Cùm prædicamentum sit series siue ordinatio prædicabilium, ad hoc vt aliquid per se directè collocetur in prædicamento, requiritur quòd propriè & per se sit prædicabile, ita vt inter ea quæ sic ponuntur, sit propria series & ordinatio, nam verba in definitione stant simpliciter: sed vt aliqua sint simpliciter prædicabilia, debent esse entia realia, per se completa, incomplexa, & vniuoca, vt verò habeant propriam seriem & coordinationem, debent esse prædicata essentialia, nam inter illa tantùm potest esse essentialis subordinatio superioris & inferioris: & hoc patet manifestè quoad omnes partes, nam entia rationis cùm simpliciter non sint, non sunt simpliciter prædicabilia: similiter entia per accidens, & entia complexa non sunt quid vnum simpliciter, sed entia per accidens constant ex entibus diuersorum prædicamentorū, complexa verò sunt composita: entia autem incompleta non prædicantur in recto de toto: entia etiam quæ non sunt vniuoca, sed sunt æquiuoca, vel analoga, cùm non significent vnum nisi secundùm quid si loquamur de analogis, & simpliciter significent multa, sunt confusissima, nec possunt esse genera aut species, nam ista dicuot vnum conceptum simplicissimum:

quidquid autem ponitur in prædicamentis eſt genus, aut ſpecies, aut indiuiduum tanquam baſis, & fundamentum prædicamenti: & omnis confuſio debet remoueri à prædicamentis, & ptopterea Ariſtot. in Antepredicamentis agit de æquiuocis & analogis, vt illa excluderet à recta ſerie prædicamentorum: ergo omnes illæ conditiones aſſignatæ requiruntur, vt aliquid directè ponatur in prædicamentis.

Ex dictis ſequitur, quòd excluduntur à recta linea prædicamenti differentiæ eſſentiales, quia non prædicantur omninò in quid, ſed in quale quid: nec intet ipſas & alia prædicata eſſentialia eſt propriè ſeries aut ſubordinatio eſſentialis ſuperioris & inferioris, nam reſpectu gradus generici non eſt propriè inferior, cùm non includat illud: reſpectu autem gradûs ſpecifici, non eſt ſuperior ſed æqualis, cùm ſit conſtitutiua illius, excluduntur etiam, quia ſignificant per modum partis & per modum alteri adiacentis: genus autem, licèt ſit pars ſpeciei, tamen vt ſic non ponitur, ſed vt eſt quoddam totum confuſè continens inferiora vt dictum eſt ſupra in Logica: quia tamen quoad rem ſignificatam ipſæ differentiæ ſunt tota eſſentia; ideò inter alia omnia quæ indirectè collocantur in prædicamentis, habent ſpecialem dignitatem & proprium locum, ſcilicet ad latus illius ſpeciei quam conſtituunt, vt videtur in arbore Porphyrij.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Sola concreta ſubſtantiæ ſunt entia completa, abſtracta autem conſiderantur per modum partis, vt patet in homine & in humanitate: ſed tantùm completa, vt dictum eſt, ponuntur directè in prædicamentis, nam ſolùm illa poſſunt in recto prædicari: ergo in prædicamento ſubſtantiæ ponuntur tantùm directè concreta, & maximè apud Logicos, qui nihil directè ponunt in prædicamento, niſi habeat perfectam rationem generis, vel ſpeciei.

Probatur tertia pars concluſionis. Abſtracta accidentium vt albedo, ſunt entia per ſe & completa, concreta autem ſunt entia per accidens, ſaltem quoad modum prædicandi, vt album: ſed entia per ſe ponuntur in prædicamentis, non verò entia per accidens: ergo in prædicamentis accidentium tantùm ponuntur directè abſtracta: vnde D.Thom. q.27. de veritate art.1. ad 8. ait: *Ad hoc vt aliquid ſit in prædicamento aliquo accidentis, non requiritur quòd ſit compoſitum compoſitione reali, ſed ſolummodo compoſitione rationis ex genere & differentia.*

Sciendum tamen eſt quòd Caietanus cap.7. de ente & eſſentia conſiderans in concretis accidentium rem ſignificatam tantùm, (idem enim ſignificant ac abſtracta, vt ſupra probatum eſt in Logica,) & non modum ſignificandi, dicit illa directè pertinere ad prædicamenta Metaphyſicæ, quæ tantùm conſiderat rem ſignificatam; non verò ad prædicamenta Logicæ, quæ non tam rem ſignificatam, quam modum ſignificandi attendit: hanc Caietani ſententiam multi Thomiſt. defendunt, Sanches lib.5. Logicæ q. 2. Maſius in Antepredicam. ſect.2. q.4. Atanjo 5. Metaph. q.1. art.3. alij verò nimis reprobant appellantes illam ſingularem & improbabilem, ſed immeritò, dicimus autem quòd eſt ſtandum communi doctrinæ, ſcilicet abſtracta ſubſtantiæ non poni in prædicamento, ſicut nec concreta accidentium, ſine vlla diſtinctione Logicæ, vel Metaphyſicæ: ita enim docet abſolutè Ariſtot. 3. Topic. cap.1. D.Th. cap.7. de ente & eſſentia. Item opuſc.42. c.19. Soto cap. de quantitate q.1. ad 2. Noſtri Complutenſes in Logica diſp.11. quæſt. vltimâ dubio 1. & communiter Dialectici: & ratio eſt, quia licèt Metaphyſicus non conſideret nomina vt partem ſui obiecti, ſicut conſiderat Logicus, tamen non adducit res ipſas in ſcholas, neque eas per ſeipſas collocat in prædicamentis, ſed loco illarum ſubſtituit nomina, quibus cùm ſit intrinſecus modus ſignificandi, non rectè faciet, ſi in prædicamentis accidentium loco rerum ſubſtituat nomina concreta.

Probatur quarta, & quinta pars concluſionis communi conſenſu Philoſophorum, qui indirectè ſiue ad latus prædicamenti conſtituunt differentias diuiſiuas generum & conſtitutiuas ſpecierum realiter identificatas cum ipſis ſpeciebus: reductiuè autem ponunt 1. omnes partes, in prædicamento in quo directè & per ſe continetur earum totum: 2. entia poteſtate vt ſic reducuntur ad prædicamentum, in quo ſunt quando ſunt actualia: 3. principia & termini in prædicamento, vbi ſunt res ortæ ab illis principiis & terminatæ illis terminis: 4. motus in prædicamento termini, vt dealbatio in prædicamento qualitatis, in quo continetur albedo: 5. priuationes & negationes in prædicamento, in quo ſunt formæ quas priuant & negant.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnia entia realia, quæ ſimpliciter ſunt entia, collocantur in prædicamentis, vel directè, vel indirectè, vel reductiuè, vt probat argumentum, ſolo Deo excepto ob rationes infra adducendas.

Ad ſecundum dicendum, quòd etiam partes ponuntur in prædicamentis, ſed tantùm reductiuè, ſolùm enim ponuntur directè entia completa, quæ propriè ſunt genera & ſpecies.

Articvlvs III.

Vtrùm ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, ſignificet eſſentiam?

AD tertium ſic proceditur. Videtur quòd ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, non ſignificet eſſentiam, ſed tantùm exiſtentiam: hæc opinio tribuitur Caietano cap. 4. de ente & eſſentia, ſed fortè nihil aliud vult, quam requiri ad hoc vt aliquid ponatur in prædicamento, quòd ſit actu ſiue exiſtat, & quòd entia tantùm poteſtate non ponuntur, ita vt exiſtentia non ſit quidem ratio formalis cur aliquid ſit in prædicamento, ſed tamen ſit conditio ſine qua non. Probatur. Illud ens diuiditur in decem prædicamenta, cui competunt proprietates entis tranſcendentalis: ſed enti quod ſignificat eſſentiam, non competunt proprietates entis tranſcendentalis, ſicut competunt enti quod ſignificat exiſtentiam, nam bonum eſt vna proprietas entis, quæ non conuenit rei niſi exiſtenti, vel ratione exiſtentiæ: ergo ens quod diuiditur in decem prædicamenta, non ſignificat eſſentiam, ſed tantùm exiſtentiam.

¶ 2. Præterea, Ex communi conſenſu Philoſophorum ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, eſt ens actu: ſed ens tantùm, vt ſignificat exiſtentiam, eſt ens actu, nam vt ſignificat eſſentiam, dicit tantùm aliquid in potentia, eſſentia enim eſt in potentia ad exiſtentiam: ergo ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, non ſignificat eſſentiam, ſed tantùm exiſtentiam.

¶ 3. Præterea, Ens diuiditur in prædicamenta ſecundùm id quod eſt nobilius in eo: ſed vt infra probabitur, exiſtentia eſt multò nobilior quàm eſſentia: ergo ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, non ſignificat eſſentiam, ſed tantùm exiſtentiam.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur Philoſophi, præſertim Thomiſtæ, Capreolus in 1. d. 8. q. 1. ad 10. Ferrar. 1. contra gentes cap. 25. Soto cap. 4. Antecateg. quæſt. 1. Argentina in 2. d. 3. quæſt. 1. art. 2. Maſius cap. 6. Antepræd. ſect. 2. quæſt. 2. & alij.

Conclvsio.

Cùm prædicamentum ſit ſeries ſiue coordinatio attributorum eſſentialium, ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, ſignificat eſſentiam, & non tantùm exiſtentiam.

Respondeo dicendum, quòd ens quod diuiditur in decem prædicamenta, ſignificat eſſentiam, & non tantùm exiſtentiam. 2. exiſtentia autem non continetur in certo aliquo prædicamento, ſed per omnia ſe diffundit, vnde exiſtentia ſubſtantiæ continetur in prædicamento ſubſtantiæ, exiſtentia quantitatis in prædicamento quantitatis, & ſic de alijs. 3. non directè, ſed reductiuè tantùm. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ens apud D.Th. Ariſtotelem & communiter apud Philoſophos ſumitur dupliciter. ſcilicet nominaliter prout ſignificat eſſentiam rei, & participaliter prout ſignificat exiſtentiam, & tunc idem eſt ens, ac exiſtens.

Probatur

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. quodlib.2.q.2. art. 1. Item 10. Metaph.4.vbi sic ait: *Ens quod diuiditur in decem prædicamenta, significat ipsas naturas decem generum secundum quod sunt actu, vel potentiâ*: Constat autem quòd ens, vt significat existentiam, non diuiditur in actum,& potestatem, nam existentia est actus simplex, imò vltima rerum actualitas, essentia autem aliquando est actu, & aliquando tantùm potestate.

Secundò, prædicamentum est series & coordinatio attriburorum essentialium, siue quæ essentialiter prædicantur: sed existentia non est prædicatum & attributum essentiale respectu illorum, quæ continentur in prædicamentis, nam vt infra probabitur nulli enti creato conuenit essentialiter, sed tantùm soli Deo qui non ponitur in prædicamento: ergo ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, significat essentiam, & non tantùm existentiam.

Tertiò, hæc est series prædicamentalis. Petrus est homo, homo est animal, animal est viuens, viuens est corpus,corpus est substantia:& proportionaliter in aliis prædicamentis: sed hæc omnia significant essentiam & prædicata essentialia, nam siue Petrus existat, siue non existat, hæ propositiones sunt veræ, imò sunt æternæ veritatis: ergo ens, quod diuiditur in decem prædicamenta,significat essentiam per se, licèt connotet existentiam, non vt rationem formalem constituendi aliquid in prædicamento, sed tantùm vt conditionem sine qua non, nam vt dictum est tantùm res actuales ponuntur actu in prædicamentis, sunt autem actuales per existentiam modo infra explicando.

Probatur secunda pars conclusionis. Eadem est ratio quoad hoc de essentia,ac existentia vt patet: sed essentia vt sic in communi non continetur in certo aliquo prædicamento,sed se diffundit per omnia,alia est enim essentia substantiæ, alia quantitatis,&c.ergo etiam existentia, quæ proportionaliter essentiæ quam actuat & terminat, in communi sumpta non continetur in certo aliquo prædicamento,sed per omnia se diffundit:& hoc docet D.Th. quodlib.2.q.2.art.1. Item in 1.d.8.q.4.art.2. Capreol.ibidem q. 1. art. 3. ad 3. Caietanus cap.5. de ente & essentia q. 10. Iauellus cap. 4. de transcend. Soncinas 4. Metaph. q.12.Masius loco citato: & similiter Scotus in 2. d.3.q.3. Durandus in 1.d.8.q.2.

Probatur tertia pars conclusionis. Quod ponitur directè in prædicamento,debet esse ens completum,& prædicari vt tale, ita vt partes solùm ponantur reductiuè vt dictum est: sed existentia est tantùm pars entis Metaphysici:ergo non ponitur directè,sed reductiuè tantùm in prædicamento. Quod proportionaliter est dicendum de subsistentia, quæ ob eamdem rationem ponitur reductiuè in prædicamento substantiæ:& similiter partes componentes Physicè essentiam materialem, vt forma & materia.

Ad primum ergo dicendum,quòd non sola existentia est bona,sed etiam ipsa essentia actualis,prout dicit ordinem ad existentiam, vnde habet in se bonitatem,sed dependenter ab existentia, & sic essentia non ponitur in prædicamento,nisi fit existens.

Ad secundum dicendum,quòd solùm probat ens,quod ponitur in prædicamento,debere existere,ita vt existentia sit conditio sine qua non ponendi aliquid in prædicamento.Deinde essentia actualis in illo priori naturæ,quo præcedit existentiam modo infra explicando, est ens actu,licèt dicat ordinem ad vlteriorem actum scilicet existentiæ.

Ad tertium dicendum, quòd res non ponuntur in prædicamento ratione prædicati nobilioris, sed ratione prædicati essentialis completi &c. nec illa, quæ ponuntur in prædicamento, sunt nobiliora his quæ non ponuntur: nam Deus non ponitur, & tamen infinitè excedit omnem nobilitatem: nec poni directè infert in re maiorem nobilitatem, quàm poni indirectè,nam differentiæ sunt nobiliores generibus,& tamen non ponuntur nisi indirectè, cùm genera ponantur directè &c.& idem dicendum de essentia & existentia, quòd hæc ponitur tantùm reductiuè,& tamen est perfectior essentia quæ ponitur per se directè, in concreto quidem in prædicamento substantiæ, in abstracto autem in prædicamentis accidentium.

Articvlvs IV.

Vtrùm accidens sit vniuocum ad nouem prædicamenta?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd accidens sit vniuocum ad nouem prædicamenta.Ita tribuitur quibusdam Thomistis,& reuera tenent illi qui docent esse tantùm duo prædicamenta, vnum substantiæ & aliud accidentis,sicut & Scotus qui docet ens esse vniuocum, vnde multò magis debet tenere quòd accidens sit vniuocum. Probatur ex Aristotele qui 10. Metaphysicæ ponit discrimen inter diuersum & differens, quòd diuersitas importat inter duo omnimodam discrepantiam, ità vt in nullo vniuoco conueniant, differentia autem licèt aliquam importet discrepantiam inter aliqua,non tamen omnimodam, quia in aliquo superiori vniuoco conueniunt,ibidem antè Arist.dicit accidentia inter se differre: ergo conueniunt in aliquo superiori vniuoco, & ita accidens est vniuocum ad nouem prædicamenta.

§ 2. Præterea, Substantia constituit vnum prædicamentum, & est supremum genus illius, ac proinde vniuoca: ergo idem dicendum est de accidente, nulla enim quantùm ad hoc est disparitas: nam sicut datur duplex substantia, vna in lata significatione prout opponitur accidenti, & includit modos,differentias,& partes substantiales, & vt sic non est vniuoca ad omnes substantiast alia est substantia completa, siue dicens naturam integram, & hæc est vniuoca, ac supremum genus prædicamenti substantiæ: ita debet admitti duplex accidens, vnum quidem in lata significatione, prout opponitur substantiæ, & includit differentias,modos,& partes accidentales, & vt sic non est vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium:aliud autem est accidens completum quod importat naturam integram,& hoc debet dici vniuocum ad nouem prædicamenta.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Caietanus de ente & essentia cap.7.ad 3.Ferrar. 1. contra gentes cap. 32. Soncinas 4. Metaph. q. 4. ad 2, Masius,nostri Complutenses in Logica,& alij.

Conclvsio.

Cùm prædicamenta sint inter se primo diuersa, accidens non potest esse vniuocum ad nouem prædicamenta.

Respondeo dicendum, quòd accidens non est vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium, sed est transcendens respectu eorum; cùm in eis nihil inueniatur, de quo formaliter non prædicetur, ac proinde non significat immediatè aliquem gradum siue conceptum obiectiuum illis communem, sed ipsa nouem genera secundùm suas proprias rationes vt proportionaliter se habentes, vnde est analogum proportionalitatis propriæ ad illa prædicamenta quæ intrinsecè sunt accidentia & entia, respectu verò omnium est analogum proportionalitatis metaphoricè,quia vt infra dicetur sunt quædam quæ consistunt in sola denominatione extrinseca scilicet, Vbi, Quando,Habere: debent tenere quotquot admittunt decem prædicamenta.

Probatur conclusio authoritate D.Th. qui opusc. 42 cap. 3. hæc habet: *Ens vno modo dicitur substantia, alio modo accidens: & hæc est diuisio entis per decem prædicamenta*: Ergo sensit D. Thom. quòd non datur vnus conceptus vniuocus accidentis, alioquin ens diuideretur immediatè in substantiam & accidens, & non immediatè in decem prædicamenta.

Secundò, licèt accidens prædicetur eodem nomine, non tamen prædicatur eadem ratione de nouem prædicamentis accidentium, nam quantitas est ratione qua est accidens, includit aliquid,quod non includit qualitas, & sic de aliis, siquidem differentia sine modus intensus,per quem distinguitur quantitas à qualitate, & qualitas à quantitate &c. cùm non sit substantia, est accidens:ergo

accidens non eſt vniuocum ad decem prædicamenta accidentium, quia vniuocum prædicatur eodem nomine & eadem ratione de ſuis inferioribus, vt patet ex eius definitione. Confirmatur. Natura vniuoca eſt præciſa per intellectum à conceptu ſuorum inferiorum, ita vt dicat vnum conceptum ſimpliciter communem inferioribus: ſed ratio accidentis, vt dictum eſt intrinſecè includitur in vltimis differentiis & modis nouem prædicamentorum, imò dicit immediatè nouem prædicamenta, vt inuicem ſimilia in entitate accidentaria: ergo accidens non eſt vniuocum ad illa.

Tertiò, ratio accidentis non æqualiter conuenit nouem prædicamentis accidentium, ſed per prius & perfectiori modo prædicatur de vno, quàm de alio, nam inter accidentia quædam ſunt perfectiori modo in ſubiecto, quàm alia, imò aliqua ſunt intrinſecè accidentia, alia verò ſolùm extrinſecè, vt infra dicetur, & ſolùm afficiunt ſubiectum per denominationem extrinſecam: Ineſſe autem & afficere ſubiectum inhærendo eſt ratio accidentis, vnde illa ratio non conuenit æqualiter omnibus, ſed per prius & perfectiori modo vni, quàm alteri: ergo non eſt vniuoca ad illa; nam vt patet ex Logicis, ratio vniuoca æqualiter ratione ſui participatur à ſuis inferioribus.

Quartò, ex D. Th. 1. contra gentes cap. 32. ratione 5. omnis vox ſimplex, quæ dicitur vniuocè de multis, vel eſt genus, vel ſpecies: ergo accidens, ſi prædicetur vniuocè de nouem prædicamentis accidentium, eſt vel genus, vel ſpecies: non ſpecies, quia hæc ſolùm prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus; conſtat autem nouem prædicamenta accidentium pluſquam numero differre: ergo eſt genus, & conſequenter non dantur nouem genera ſuprema accidentium, cùm conueniant in alio ſuperiori, & ita non erunt nouem prædicamenta accidentium: prædicamentum enim eſt ſeries & coordinatio generum & ſpecierum ſecundùm prædicabilitatem & ſubiicibilitatem ſub vno ſupremo genere, & proinde erit vnicum prædicamentum accidentis, quod eſt contra Ariſt. & communem curſum philoſophorum. Confirmatur ex Ariſtot. 3. Metaph. cap. 3. ens non eſt genus quia non eſt vniuocum, & non eſt vniuocum quia eſt intimè incluſum in conceptu vltimarum differentiarum: ergo ſimiliter dicendum eſt de accidente, quod ideò non eſt genus quia non eſt vniuocum, & non eſt vniuocum quia eſt incluſum in vltimis differentiis.

Ex dictis facilè probantur aliæ conſequentiæ poſitæ in concluſione, ex hoc enim principali probato ſequuntur alia, vt patet ex dictis ſupra dum ageretur de analogia entis.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando Ariſtot. dicit accidentia differre; loquitur de differentia lato modo, prout idem eſt, ac diuerſitas aliqua. Vel poteſt dici quòd differunt per ſuos modos, quia ſupra accidens dicunt aliquam eius rationem, non expreſſam nomine accidentis: & qui habent aliqualem ſimilitudinem cum differentiis propriè dictis. Vel denique non loquitur Philoſophus de primis generibus accidentium, ſed de aliquibus generibus aut ſpeciebus accidentium intra idem prædicamentum.

Ad ſecundum dicendum, quòd quia ratio ſubſtantiæ eſt eſſe per ſe vt infra dicetur, & eſſe per ſe principaliter conuenit ſubſtantiis completis: ideò datur vnus ſimplex & vniuocus conceptus ſubſtantiæ, qui non conuenit modis differentiis, & partibus ſubſtantialibus quæ non ſunt per ſe ſimpliciter: imò aliqualiter ſunt in alio, ſcilicet in toto; licèt non per inhæſionem: ratio autem accidentis eſt ineſſe, ſiue eſſe in alio per inhæſionem, quod conuenit indifferenter omnibus accidentibus, tam completis, quàm incompletis, ſcilicet modis, differentiis, & partibus accidentium: & ideò ratio accidentis eſt intrinſecè incluſa in vltimis etiam differentiis, vnde non eſt vna ſimpliciter & vniuoca, ſed analoga.

ARTICVLVS V.

Vtrùm inhærentia ſit de eſſentia accidentis?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd inhærentia etiam aptitudinalis non ſit de eſſentia accidentis: ſed quòd vtraque, ſcilicet tam actualis, quàm aptitudinalis ſit vera relatio. Ita Scotus in 4. d. 12. quæſt. 1. Item 7. Metaph. quæſt. 1. & communiter eius diſcipuli. Probatur. Eſſentia alicuius non poteſt de illo per demonſtrationem concludi ex Ariſt. 2. de demonſtratione: quia primum medium demonſtrationis eſt ipſa eſſentia ſiue definitio rei: ſed per demonſtrationem concludimus de accidente inhærentiam etiam aptitudinalem: ergo inhærentia etiam aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis.

§ 2. Præterea, Nihil poteſt concipi ſine eo quod eſt ſibi eſſentiale; nam eſſentia eſt inſeparabilis etiam per intellectum à re, cuius eſt eſſentia: ſed Mathematici conſiderant accidens ſine vlla inhærentia, conſiderant enim quantitatem & figuras abſtrahendo à materia ſenſibili, ac proinde ſine inhærentia, & nos poſſumus conſiderare accidentia in abſtracto, vt albedinem, quod eſt ipſa conſiderare ſine vlla inhærentia: ergo inhærentia etiam aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Capreolus in 1. d. 42. quæſt. 1. articulo 3. Item in 4. d. 11. Caietanus de ente & eſſentia cap. 7. quæſt. 15. Ferrar. 4. contra gentes cap. 75. Iauellus, Aquarius, Maſius, noſtri Complutenſes in Logica, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm accidens ſit entis ens, inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia illius.

RESPONDEO dicendum, quòd inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis: 2. non verò actualis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd inhærere eſt eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto ſuſtentante, vnde ſolet etiam appellari ineſſe ſiue exiſtere: in abſtracto autem dicitur inhærentia, propria accidentis, accidentis enim eſſe eſt ineſſe: duplex autem eſt inhærentia, vna actualis quando accidens eſt actu in ſubiecto, alia aptitudinalis quæ eſt quædam aptitudo ſiue propenſio accidentis ad inhærendum. Philoſophi antiqui exiſtimarunt non ſolam inhærentiam aptitudinalem, ſed etiam actualem eſſe de eſſentia accidentis, quia cùm viderent omnia accidentia actu inhærere, & ex rebus ſenſatis non poſſit conuinci quòd accidens poſſit eſſe ſine actuali inhærentia, facilè hanc tennere opinionem, nam fuiſſe Ariſtotelis & Commentatoris docet noſter Baconius in 1. d. 28. Maſius autem præcipuè colligit Ariſtotelem fuiſſe in hac opinione ex 1. Phyſic. cap. 7. vbi pro maximo infert abſurdo dicere accidentia eſſe ſeparabilia à ſubiecto.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. in 4. d. 12. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 2. vbi ſic ait: *Eſſe in ſubiecto non eſt definitio accidentis, ſed è contrario res cui debetur eſſe in alio, & hoc nunquam ſeparatur ab aliquo accidente, neque ſeparari poteſt, quia illi rei, quæ eſt accidens, ſecundùm rationem ſuæ quidditatis ſemper debetur eſſe in alio.* Item 3. p. quæſt. 77. art. 1. ad 2. ait: *Non eſt definitio accidentis ens in ſubiecto, ſed quidditati ſiue eſſentiæ accidentis competit habere eſſe in ſubiecto.* Item authoritate Ariſtotelis quæ ad minus hoc probat nam 7. Metaph. cap. 1. dicit quòd accidentis eſſe eſt in eſſe: ergo ex Philoſopho accidens dicit ordinem eſſentialem ad inhærendum ſubiecto, & ita inhærentia aptitudinalis eſt de eius eſſentia. Item cap. 4. dicit quòd in accidentibus datur eſſentia, quæ explicatur eſſentiali definitione, non tamen primo, ſed ſecundo loco, id eſt, non per ſe, ſed per aliud ſcilicet per habitudinem ad ſubiectum, & attributionem ad illud: & propterea accidens communiter dicitur entis ens; non ens, ſed entis, quia vt ibidem dicit eſt analogum attributionis ad ſubſtantiam.

Secundò, accidens intrinſecè & eſſentialiter opponitur

tur substantiæ, diuidunt enim immediatè ens per rationes oppositas: ergo habet essentiam oppositam essentiæ ipsius substantiæ: sed essentia substantiæ est esse per se, non dependens ab alio tanquam à subiecto vt infra probabitur: ergo essentia accidentis est esse in alio, & dependere ab alio tanquam à subiecto, non secundùm actum vt statim probabitur: ergo secundùm aptitudinem; & sic inhærentia aptitudinalis, quæ significat hanc dependentiam, est de essentia accidentis: & ideò sicut substantia dicitur ens per se, sic accidens dicitur ens in alio siue per aliud.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Ecclesiæ, quæ proponit credendum accidentia esse in Sanctissimo Sacramento sine subiecto, vnde est de fide. Hanc etiam docet D.Th. locis ante citatis, item opusc. de Sanctissimo Sacramento, vbi dicit quòd in eo accidentia sine subiecto existunt.

Secundò, quod est de essentia alicuius, non potest ab illo separari, vt certissimum est in Philosophia, nihil enim tam intimum rei, quàm essentia, cùm ipsam rem intrinsecè constituat: sed inhærentia actualis non solùm potest separari, sed etiam actu separatur continuò ab accidentibus, nam vt patet in Sanctissimo Sacramento conseruantur accidentia sine subiecto, ex Concilio Tridentino sessione 13. Canone 2. Item ex Concilio Constantiensi, quod inter varios errores Ioannis Hus, sessione 8. condemnat istum quem affert secundo loco, accidentia non esse in Eucharistiæ Sacramento sine subiecto: ergo inhærentia actualis non est de essentia accidentis.

Si dicatur quòd hoc argumentum solùm conuincit de quantitate, non verò de aliis accidentibus, nam alia accidentia inhærent quantitati quæ miraculosè induit rationem subiecti: contra, nam licèt sit certum hoc argumentum non afferre tantam certitudinem de aliis accidentibus, ac de quantitate, tamen adhuc de omnibus efficaciter probat. 1. quia est eadem ratio de omnibus accidentibus, nam quantitas, aut qualitas &c. non exigunt subiectum in quo sint ex sua peculiari ratione, imò quædam secundùm propriam rationem tendunt quasi extra subiectum, vt relatio, actio transiens, & quòd sint in subiecto, habent ex communi ratione accidentis. 2. quia quantitas non est integrum & connaturale subiectum aliorum accidentium, ad quod dicunt essentialem ordinem quia illam non denominant, & sic ibi accidentia sunt sine actuali inhærentia in proprio subiecto. 3. quia illa inhærentia actualis aliorum accidentium in sola quantitate est illis miraculosa & sic non est de essentia, nihil enim est tam naturale rei quàm sua essentia, vnde si inhærentia actualis esset de essentia aliorum accidentium, deberet esse respectu subiecti cui connaturaliter inhærent: hæc autem separatur ab accidentibus, vt patet: ergo non est de essentia accidentium.

Vnde ad Scotum dicendum quòd per inhærentiam, siue aptitudinalem, siue actualem non intelligitur relatio prædicamentalis, sed eius fundamentum, quod exprimitur per relationem transcendentalem eiusdem accidentis ad subiectum.

Ad primum ergo dicendum, quòd solùm demonstratur de accidente inhærentia actualis, non verò aptitudinalis.

Ad secundum dicendum, quòd licèt cognitione completâ & distinctâ non possit res cognosci sine eo quod est sibi essentiale, benè tamen potest imperfectè & confusè, nam, v.g. omnes gradus superiores sunt de essentia hominis, vt animal, viuens corpus, substantia, & ens, & tamen non est necesse vt distinctè & completè hæc omnia cognoscantur, ad hoc vt cognoscatur homo, sed sufficit quòd confusè & implicitè: alij dicunt & in idem redit, quòd potest aliquid cognosci sine eo quod est sibi essentiale, non negatiuè quasi hoc ab illo negando, hoc enim est impossibile, sed præcisiuè, id est, præscindendo per intellectum, & considerando rem non considerato illo: & hoc modo considerant Mathematici quantitatem sine inhærentia aptitudinali: vnde dicendum quòd qui cognosceret perfectè & adæquatè accidens etiam in abstracto, videret quòd inhærentia aptitudinalis est de essentia illius; inquantum accidens, licèt secundùm propriam & peculiarem rationem illam non dicat, sicut relatio quæ vt sic non dicit inhærentiam in subiecto, sed potiùs adhærentiam cum tendentia ad suum terminum.

QVÆSTIO XII.

De prædicamento substantiæ.

POSTQVAM actum est de prædicamentis in communi, necesse est vt ad illa in particulari descendamus, incipiendo à primo & principaliori, scilicet substantiæ, ad quod alia ordinantur: circa ipsum quæruntur septem.

¶ Primò, Vtrùm substantia sit prior accidentibus?

¶ Secundò, Quænam sit propria & formalis ratio constitutiua substantiæ?

¶ Tertiò, Qualis sit diuisio substantiæ in primam & secundam?

¶ Quartò, Vtrùm rectè definiantur ab Aristot. prima, & secunda substantia?

¶ Quintò, Vtrùm substantia prima sit magis & perfectior substantia, quàm secunda?

¶ Sextò, Quænam substantiæ ponantur in hoc prædicamento?

¶ Septimò, Vtrùm proprietates substantiæ rectè assignentur ab Aristotele?

ARTICVLVS I.

Vtrùm substantia sit prior accidentibus?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd substantia non sit prior accidentibus, nec definitione, nec cognitione, nec tempore. Probatur de definitione. Si substantia esset prior accidentibus definitione, accidentia definirentur per substantiam: sed accidentia non definiuntur per substantiam, nam constant genere & differentia, & per illa præcisè definientur: sicut albedo dicitur color disgregans visum, & linea definitur à Mathematicis sine ordine ad subiectum, quòd sit longitudo sine latitudine. Deinde non magis dependent accidẽtia à subiecto, quàm creaturæ à Deo, & tamen creaturæ non definiuntur per ordinem ad Deum. Denique ens naturale quod est substantia, definitur per motum qui est accidens: ergo substantia non est prior accidentibus definitione.

¶ 2. Præterea, Quòd non sit prior cognitione. Arist. 7. Metaphysicæ cap.4. dicit quòd ea quæ sunt minus entia, prius cognoscantur, scilicet substantiæ materiales priusquam immateriales: constat autem quòd accidentia sunt minus entia, quàm substantia. Deinde ex cognitione accidentium & proprietatum deuenimus in cognitionem substantiæ, & non è contra. Denique omnis cognitio incipit à sensibilibus qualitatibus, nihil enim cognoscit intellectus nisi per species quas recipit ex sensibus externis: constat autem quòd sensus perficiuntur per species accidentium, & propriè percipiunt tantùm accidentia, vt obiecta propria: ergo substantia non est prior accidentibus cognitione.

¶ 3. Præterea, Quòd non sit prior tempore. Ex Aristotele motus & tempus sunt ab æterno, æterno autem nihil est prius. Deinde ex Aristot. 9. Metaph. cap. 9. quæ sunt priora tempore, sunt imperfectiora: constat autem quòd substantia non est imperfectior accidentibus. Denique proprietates, quæ sunt accidentia, sunt simul cum re cuius sunt proprietates: ergo substantia non est prior accidentibus tempore.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis 7. Metaphysicæ cap. 1. vbi sic ait: *Substantiâ & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est*, Ipsum sequuntur D.Th. & communiter Thomistæ, ac plures alij,

CONCLVSIO.

Conclvsio.

Cùm accidentia definiantur, & cognoſcantur cum ordine ad ſubſtantiam, & præſupponatur aliqua ſubſtantia omnibus accidentibus, ſubſtantia eſt prior accidentibus definitione, cognitione, & tempore.

Respondeo dicendum, quòd ſubſtantia eſt prior accidentibus definitione, & omnia accidentia neceſſariò debent definiri per ſubſtantiam, aliquando expreſsè & explicitè, aliquando verò tantùm implicitè, ſi enim fuerint accidentia propria, ſiue definiantur in abſtracto, ſiue in concreto, ſubiectum ponitur explicitè in eorum definitione: ſi verò ſint accidentia communia & definiantur in concreto, etiam ponitur ſubiectum explicitè: ſi verò definiantur in abſtracto, ponitur tantùm implicitè vt communiter docent Philoſophi. 2. quamuis cognitione ſenſûs, ſubſtantia ſit poſterior accidentibus cognitione, cognitione tamen intellectûs, eſt prior, cùm hac tamen proportione, quòd cognitio confuſa ſubſtantiæ prior eſt cognitione confuſâ accidentium, & ſimiliter cognitio diſtincta ſubſtantiæ prior eſt cognitione diſtinctâ accidentium: ſed cognitio confuſa accidentium præcedit cognitionem diſtinctam ſubſtantiæ: pro cognitione autem confuſa intelligimus eam qua cognoſcitur res imperfectè & ſecundùm gradus generales tantùm, vt quando à longè videmus aliquid, de quo tunc ſolùm apprehendimus eſſe ſubſtantiam, vel corpus, non tamen diſcernimus eſſe animal, aut hominem: diſtincta verò eſt, qua rem apprehendimus perfectè & ſecundùm gradus tam communes, quàm proprios, vt in iſtis exterioribus quando videmus ipſa de propinquo. 3. ſubſtantia denique eſt prior accidentibus tempore.

Probatur concluſio generaliter authoritate Ariſt. loco citato, vbi poſtquam dixit quòd ſubſtantia eſt primum omnium, & ratione, & cognitione, & tempore: ſic probat: *Aliorum enim Categorematum* (ideſt accidentium) *nullum eſt ſeparabile, ſed hæc ſola: ratione quoque hoc primum: neceſſe eſt enim in cuiuſque ratione ineſſe rationem ſubſtantiæ: ſcire etiam tunc putamus vnumquodque magis, cùm quid eſt homo, aut ignis ſciamus, quam quale, aut quantùm, aut vbi &c.* Hæc magis explicabuntur probando ſigillatim concluſionem.

Probatur prima pars concluſionis. Illa per quæ cætera definiuntur, ſunt priora definitione; hoc enim principio Ariſtot. 9. Metaphyſicæ docet actum eſſe priorem potentia definitione, quia hæc per illum definitur: ſed omnia accidentia neceſſariò definiuntur per ſubſtantiam, vt fusè in Logica probatum eſt ex Ariſtot. & D. Th. ſubſtantia autem non definitur per accidentia definitione propria: ergo ſubſtantia eſt prior accidentibus definitione.

Probatur ſecunda pars concluſionis ſigillatim. 1. quòd cognitione ſenſûs priùs cognoſcantur accidentia quàm ſubſtantia. Senſus externi habent pro obiectis formalibus accidentia, ſubſtantia verò eſt tantùm obiectum illorum per accidens: ſed obiectum formale eſt primum quod cognoſcitur, & mediante ipſo cognoſcitur obiectum per accidens: ſenſus etiam interni primò cognoſcunt, quod primò illis repræſentatur per ſpecies quas recipiunt à ſenſibus externis; ſed hæ ſpecies repræſentant primò accidentia ſiue conditiones indiuiduantes: ergo cognitione ſenſûs ſubſtantia eſt poſterior accidentibus cognitione.

Quòd cognitione intellectûs priùs cognoſcatur ſubſtantia cum dicta proportione, Probatur. Accidentia ſunt entis entia ſiue entia ſecundùm quid, & reſpiciunt ſubſtantiam vt propriam menſuram, à qua ſicut participant eſſe, ſic etiam participant cognoſci, vt docet D. Thom. explicans verba adducta Ariſtotelis: ergo quælibet cognitio accidentium præſupponit cognitionem ſaltem confuſam ſubſtantiæ.

Probatur ſpecialiter de cognitione diſtincta. Cognitio diſtincta definiti dependet ex cognitione diſtincta partium definitionis: nam cùm definitio explicet naturam rei, non poteſt res diſtincta in cognitione explicari & apprehendi, niſi prius diſtinctè partes definitionis cognoſcantur: ſed ſubſtantia eſt pars definitionis accidentium, nam vt dictum eſt ſupra, accidentia definiuntur per ſubſtantiam: ergo cognitio diſtincta accidentium ſupponit cognitionem diſtinctam ſubſtantiæ.

Quòd denique aliqualis cognitio accidentium præſupponitur ad cognitionem diſtinctam ſubſtantiæ docet Ariſt. 1. de anima cap. 1. & patet, nam ex proprietatibus, operationibus, & accidentibus, quæ ſunt nobis viciniora, inueſtigamus latentes ſubſtantiarum eſſentias.

Probatur tertia pars concluſionis, & explicatur expoſitione D. Thom. 7. Metaphyſicæ lect. 1. cæteris omiſſis, In tota latitudine ſubſtantiarum datur aliqua ſubſtantia, ſcilicet Deus optimus maximus, quæ præceſſit duratione exiſtentiam omnium accidentium, cùm ſit ſine vllis accidentibus: non datur autem in tota latitudine accidentium aliquod accidens quod non fuerit in ſubſtantia, & cum ſubſtantia productum: ergo accidens non poteſt eſſe prius tempore ſiue duratione ſubſtantiâ, ſubſtantia autem eſt prior accidentibus tempore ſiue duratione: & hoc voluit ſignificare Ariſt. dum dixit: *Aliorum enim nullum eſt ſeparabile: hæc autem ſola.*

Ad primum ergo dicendum, quòd abſoluta benè poſſunt definiri per ſuum genus & ſuam differentiam: accidens autem dicit eſſentialem ordinem ad ſubiectum, & ideò in eius definitione debet aliqualiter exprimi, cùm definitio explicet naturam rei, vnde in definitione albedinis & lineæ implicitè continetur ſubiectum: ſi autem definiretur accidens in concreto vt album, explicitè poneretur ſubiectum, vt dictum eſt ſupra in Logica. Ad aliud dicendum, quòd ſi creaturæ definiantur ſub ratione creaturæ, cùm vt ſic dicant relationem ad creatorem, tunc debent definiri, ſi rectè definiantur, cum expreſſione talis relationis: ſi verò exprimantur propriis nominibus abſolutis, v.g. Angeli, hominis &c. cùm vt ſic nullum dicant ordinem, tunc definiuntur per ſuas rationes abſolutas, vt homo quòd ſit animal rationale: accidens autem quomodocumque ſumatur, cùm ſit entis ens, dicit ordinem ad ſubiectum, & ideò in definitione talis ordo debet exprimi aliquando explicitè, aliquando tantùm implicitè. Ad aliud dicendum quòd hîc loquimur de ſubſtantia in communi non limitando ad hanc, vel ad illam: ſubſtantia verò materialis, cùm includat materiam ſenſibilem quæ inuoluit accidentia ſenſibilia, non eſt mirum ſi definiatur per illa, tanquam per aliquid poſterius, vt ſub ratione effectûs, &c.

Ad ſecundùm dicendum, quòd nihil aliud vult Ariſtoteles vt ipſemet ſe explicat, quàm quòd ſubſtantiæ materiales quæ ſunt minùs entia, priùs cognoſcantur, quàm ſubſtantiæ immateriales: vnde ly, (quæ ſunt minus entia) eſt copula implicationis, quæ nihil refundit in principalem propoſitionem: non autem dicit per cauſalem (quia ſunt minus entia) quòd tamen erat neceſſarium ad intentum argumenti. Ad aliud patet ex dictis; ſolùm enim concludit, quòd ad diſtinctam cognitionem ſubſtantiæ requiritur aliqualis cognitio accidentium, quod concedimus. Ad aliud dicendum, quòd ſolùm probat accidentia priùs cognoſci cognitione ſenſûs, quàm ſubſtantia, quòd etiam concedimus, non verò cognitione intellectûs. Quomodò autem ſpecies intelligibilis abſtracta à phantaſmatibus repræſentet primò ſubſtantiam, cùm ipſa phantaſmata & ſpecies intentionales primò & per ſe repræſentent accidentia, dictum eſt ſupra.

Ad tertium dicendum, quòd quia Ariſtoteles poſuit mundum eſſe ab æterno, poſuit etiam motum ab æterno, & ex hoc ſequuntur aliqua contradictoria in eius doctrina, nam ipſe negat infinitum actu, & tamen ſi motus eſt ab æterno tranſierunt infinitæ circulationes cœli. Item ſi generationes humanæ ſunt ab æterno, ſunt actu infinitæ animæ rationales, quæ ex ipſo ſunt ſubſiſtentes, nec tranſmigrant de vno corpore in aliud: & ſimiliter ſequitur præſens contradictio: nam ſi motus eſt ab æterno, nihil eſt prius illo, cùm æterno nihil ſit prius & tamen dicit quòd ſubſtantia eſt prior accidentibus tempore: niſi velis illum explicare cum Alexandro, cuius explicationem approbat Maſius, quòd Ariſtoteles vult quam-

libet

libet substantiam esse priorem tempore suis accidentibus separabilibus, non enim comproducuntur cum ipsa: secundùm fidem verò quæ ponit mundum & motum incepisse in tempore, habemus quòd prima substantia Deus optimus maximus est prior duratione omnibus accidentibus. Ad aliud dicendum, quòd Aristoteles intelligendus est de his, quorum vnum ordinatur in aliud essentialiter, quia natura incipit ab imperfectioribus, nam prius est semen, postea embrio, deinde homo: non verò intelligendus est de aliis, maximè quæ sunt in diuersis prædicamentis. Ad aliud patet ex dictis.

Articvlvs II.

Quanam sit propria & formalis ratio constitutiua substantiæ.

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd propria & formalis ratio constitutiua substantiæ, non sit aliquid positiuum, sed dicat negationem essendi in alio, quæ exprimitur per ly (esse per se) Ita Soncinas 5. Metaph. q. 14. & tribuitur Porphyrio in interrogationibus. Probatur. Ratio constitutiua substantiæ est aliquid superadditum enti, non aliquid rationis, cùm sit ratio constitutiua entis realis: nec etiam aliquid reale, aut positiuum, quia in quolibet reali inhibitur ens essentialiter, vnde non potest esse illi superadditum: & sic in definitione substantiæ committeretur nugatio, nam bis repeteretur ens, si ly (per se) positum pro differentia esset quid positiuum includens ipsum ens, nam semel poneretur ens proprio nomine, & iterum quando dicimus per se existens. Deinde Deus non constituitur substantia, nisi per negationem essendi in alio: ergo ratio formalis constitutiua substantiæ non est quid positiuum.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd propria & formalis ratio constitutiua substantiæ sit subiici, siue substare accidentibus. Ita Boëtius & alij. Probatur ex Etymologia nominis: nam *Substantia* ex Isidoro est, *Quæ propriè substare dicitur*. Item Aristot. c. de substantia docet primas substantias esse magis substantias quàm secundas, quia magis & pluribus substant: ergo propria & formalis ratio constitutiua substantiæ est subiici, siue substare accidentibus.

¶ 3. Præterea, Per se esse, siue per se existere non est ratio constitutiua substantiæ, quia humanitas Christi Domini est vera substantia, & tamen non existit per se, sed per existentiam verbi ex D. Thom. 3. p. q. 17. art. 2. Deinde quia per se existere diuinitus communicatur accidentibus, quæ remanent in Eucharistia: constat autem quòd ratio constitutiua substantiæ non potest esse communicata accidentibus, etiam diuinitus, cùm accidens & substantia intrinsecè opponantur: ergo restat quòd propria & formalis ratio constitutiua substantiæ sit subiici, siue substare accidentibus.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. & communis sententia, non solùm Thomistarum, sed etiam Philosophorum.

Conclvsio.

Cùm substantia sit quid positiuum, & intrinsecè opposita accidenti, ratio eius constitutiua est esse per se, sicut ratio formalis constitutiua accidentis est esse in alio.

Respondeo dicendum, quòd propria & formalis ratio constitutiua substantiæ non consistit in negatione essendi in alio. 2. neque in subiici aut substare accidentibus, 3. sed est esse per se, siue per se stare & subsistere, si intelligatur secundùm aptitudinem: sicut propria ratio formalis accidentis est esse in alio, si sumatur secundùm aptitudinem. Hæc ratio est communis omni substantiæ contentæ in hoc prædicamento. 4. si verò accipiatur, vt est quid analogum Deo & creaturis, ly per se esse, aut subsistere, denotat vel actum, vel aptitudinem: nam actu subsistere est essentiale soli Deo, creaturis autem solùm competit essentialiter posse subsistere, & non actu subsistere. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd nomen substantiæ impositum fuit enti per se, vt notat S. Isidorus lib. 2. originum cap. 27. ex duplici proprietate, scilicet subsistendi in se, & substandi aliis: differunt autem subsistere & substare, quòd subsistere est perfectè in se esse independenter à quolibet alio vt à sustentante: substare verò est subesse aliis tanquam fundamentum: & licèt subsistere sit prius quàm substare, quia priùs res est in se, quàm ordinetur ad alia, tamen quia hoc vltimum est notius, ideò frequentius per illud exprimitur substantia ab Aristotele in cap. de substantia & 5. Metaph. cap. 8. substantia autem quatuor modis accipitur. Primò pro essentia, vnde dicimus quòd aliquid conuenit accidenti, v.g. calori secundùm suam substantiam: & ratio est, quia quælibet essentia etiam accidentium quodammodò substat suis proprietatibus. Secundò sumitur substantia, prout contradistinguitur ab accidente, & comprehendit quidquid non est in alio tanquam in subiecto, & propterea Philosophus in Physicis materiam, formam, modos, & differentias substantiales appellat substantias: & ratio est, quia accidentia simpliciter non substant aliis, sed tantùm secundùm quid, & vt quo. Tertiò sumitur substantia pro ea, quæ ponitur in recta linea huius prædicamenti, scilicet pro substantia creata completa, quæ propriè & simpliciter substat accidentibus, quia in se & per se subsistit independenter à quocumque alio, non solùm vt à subiecto, sed etiam vt à compatte, siue concausa suæ subsistentiæ, & in hoc sensu differentiæ, & partes substantiales non sunt substantiæ: & ratio huius est, quia substantiæ completæ perfectius substant accidentibus: quia verò nomen substantiæ in his acceptionibus sumitur à substando accidentibus, ideo aliqui Sancti vt Aug. 7. de Trinitate cap. 6. negant Deum esse substantiam, id est, subiectum accidentium: de substantia autem in hac 3. acceptione in præsenti agimus. Quartò tandem sumitur pro substantia indiuiduata & singulari existente, & ita Aristoteles disputat contra ideas Platonicas, & asserit non esse substantias, imò dicit naturas vniuersales non esse substantias, id est, actu existentes per se: substantia quæ est supremum genus huius prædicamenti, est substantia completa, scilicet totum substantiale siue Physicum, siue Logicum, aut Metaphysicum: ratio est quia omnia inferiora quæ directè ponuntur sub supremo genere, & de quibus illud genus directè prædicatur, sunt quid completum: nam corpus, viuens, animal, homo, &c. significant naturam completam, vnde supremum genus huius prædicamenti est quid completum, non enim incompletum prædicatur directè & in recto de aliquo completo.

Probatur prima pars conclusionis. Nullum ens reale positiuum potest intrinsecè constitui per solam negationem, aliàs puta negatio esset quid positiuum, quia ratio constitutiua dat esse rei constitutæ, vnde si esse rei constitutæ sit positiuum, etiam ratio eius constitutiua erit positiua: sed substantia est ens reale positiuum, & inter entia perfectissimum, non autem potest dici quòd negatio sit quid positiuum, imò intrinsecè opponuntur: ergo propria & formalis ratio constitutiua substantiæ non consistit in negatione essendi in alio.

Secundò, illud est ratio formalis constitutiua substantiæ, quod primò & per se concipitur in substantia, nam ratio formalis essentialiter constitutiua definitur id quod est primò in re, sed negatio essendi in alio non est illud, quod primò & per se concipitur in substantia (imò generaliter nulla negatio potest esse primum quod concipitur in re positiua) nam priùs est rem esse in se, quàm non esse in alio, ex eo enim non est in alio, quia est in se, omnis quippe negatio innititur alicui affirmationi, & causatur ab ea vt patet inductione, ideo enim homo non est lapis, quia est rationalis: vnde substantia non est in alio tanquam in subiecto, quia essentialiter petit esse in se, & per se, & ita hoc præcedit talem negationem: ergo propria & formalis ratio constitutiua substantiæ non consistit in negatione essendi in alio.

Probatur secunda pars conclusionis præcedenti argumento, substare accidentibus non est primum quod inuenitur

inuenitur in ſubſtantia, nam prius eſt rem, eſſe in ſe & per ſe, quàm quod ſubiiciatur aliis, non enim ideò ſubſtantia eſt in ſe & per ſe, quia ſubſtat accidentibus, ſed econtra ideò ſubſtat illis, quia eſt res in ſe & per ſe ſubſiſtens: ergo ſubiici aut ſubſtare accidentibus non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ. Confirmatur. Ariſtoteles in cap. de ſubſtantia ait, quòd ſubſtare accidentibus ſit proprietas ſubſtantiæ, ſic enim ait: *Eſt proprium maximè, vt vna eademque cùm ſit, vim habeat recipiendi contraria accidentia: quod autem eſt proprietas, non eſt ratio eſſentialis, ſed illam ſupponit:* Ergo propria & formalis ratio conſtitutiua ſubſtantiæ non eſt ſubiici aut ſubſtare accidentibus.

Secundò, ſubſtantia non definitur eſſentialiter per ordinem ad accidentia, quia vt vidimus ex Ariſtotele 7. Metaph. cap. 1. ſubſtantia eſt prior accidentibus definitione. Deinde, quia alioquin ſubſtantia haberet definitionem incompletam & ex additione, ſicut accidentia: ergo ſubiici, aut ſubſtare accidentibus non eſt ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ, nam quia ſubiici aut ſubſtare accidentibus dicit ordinem ad accidentia, ſi eſſet de ratione eſſentiali ſubſtantiæ, ipſa diceret ordinem eſſentialem & intrinſecum ad illa, ac proinde deberet exprimi in definitione eſſentiali, definitio enim eſſentialis debet explicare naturam rei, ſaltem quoad vltimam rationem conſtitutiuam, & ſic cùm ſubiici accidentibus non exprimatur in definitione eſſentiali ſubſtantiæ, non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiua illius. Confirmatur. Ratio ſubſtantiæ debet eſſe communis, ſaltem analogicè, ſubſtantiæ increatæ & creatæ: ſed ſubſtare accidentibus nullo modo conuenit ſubſtantiæ increatæ, quidquid enim eſt in Deo, eſt Deus, aliàs in ſua eſſentia, non haberet omnimodam perfectionem: ergo propria & formalis ratio conſtitutiua ſubſtantiæ non eſt ſubiici aut ſubſtare accidentibus.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate. Ariſt. lib. de cauſis ſic definit ſubſtantiam, *Subſtantia eſt, quæ per ſe ſtat.* Item S. Damaſcenus cap. 23. ſuæ Logicæ ſic definit: *Subſtantia eſt res per ſe exiſtens non indigens altero ad conſiſtentiam.* Idem docet S. Aug. lib. de prædicamentis cap.9. hanc definitionem admittit D.Th. opuſc.42. cap.10. Item in 4.d.12.q.1. art.1. quæſt.1. ad 2. dicit enim definitionem, vel quaſi definitionem eſſe ſubſtantiæ quòd ſit res, cui debetur eſſe per ſe: ſicut definitio accidentis eſt, quòd ſit res, cui debetur eſſe in alio. Idem repetit 3.p. q.77. art.1. ad 2. dicit enim, *Quidditati ſiue eſſentiæ ſubſtantiæ competit habere eſſe non in ſubiecto: quidditati autem ſiue eſſentiæ accidentis competit habere eſſe in ſubiecto.*

Secundò, probatur & explicatur: ly (per ſe) poteſt ſumi tripliciter. Primò vt diſtinguitur contra per accidens, & ſignificat illud quod vnicam habet eſſentiam, quod conuenit omnibus prædicamentis, vnde vt ſic non eſt ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ. Secundo vt opponitur ad eſſe per aliud, & ſignificat idem ac ens à ſe, & ſic nulli creaturæ conuenit, ſed ſoli creatori, qui cùm ſit primum ens, habet eſſe à ſe, ſiue eſt ens a ſe, id eſt, non ab alio: vnde ſic etiam non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ prædicamentalis. Tertiò denique ſumitur (eſſe per ſe) vt opponitur ad eſſe in alio, vt ſcilicet ſignificat illud, cui ex natura ſua competit per ſe ſtare independenter à quocumque ſubiecto ſuſtentante: & ita eſſe per ſe & eſſe in alio ſunt quidam modi generales oppoſiti, per modum expreſſionis enti ſuperadditi, & illud determinantes ad ſubſtantiam & accidens. Hoc poſito ſic procedit ratio: cùm ſubſtantia & accidens ſint intrinſecè oppoſita, debent conſtitui per modos & rationes formales intrinſecè oppoſitas: ſed propria & formalis ratio conſtitutiua accidentis eſt eſſe in alio ſecundùm aptitudinem, vt dictum eſt, ſiue eſt inclinatio ad inhærendum alteri: ergo ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ creatæ eſt aptitudinalis perſeitas, ſiue eſſe tem, cui debeatur per ſe exiſtere independenter ab alio tanquam à ſubiecto, hæc enim ſola ratio opponitur poſitiuè ad eſſe in alio, nam non eſſe in alio eſt mera negatio, quæ non poteſt eſſe formalis ratio conſtitutiua entis realis, qualis eſt ſubſtantia vt dictum eſt: hæc autem ratio ſic intellecta conuenit ſubſtantiæ completæ, quæ per ſe pertinet ad hoc prædicamentum: ſubſtantiæ enim incompletæ, ſcilicet partes, modi, & termini ſubſtantiales, quæ ad illud reducuntur, licèt non dependeant ab alio tanquam à ſubiecto, dependent tamen tanquam à comparte ſiue conçauſa ſuæ ſubſtantiæ, vel tanquam ab eſſentia quam modificant aut terminant: & ita abſolutè non ſtant per ſe, neque ſunt res quibus debeatur per ſe exiſtere. Quarta pars concluſionis ex ſe patet.

Ex dictis colligitur ſubſtantiam prædicamentalem ſic eſſe definiendam, vt ſit ens reale, ſimplex, finitum, completum, per ſe aptum eſſe ſiue ſubſiſtere: hæc autem definitio, cùm non conſtet genere & differentia, non eſt ita rigoroſa nec eſſentialis, ſed deſcriptiua, ens enim quod obtiner in illa locum generis, non poteſt eſſe verum genus, imò ipſa ſubſtantia quæ definitur eſt ſupremum genus, & ita non poteſt habere aliud ſupra ſe.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſubſtantia non dicitur addere ſupra ens aliquid poſitiuum, quaſi ibi dentur duo conceptus, quarum vnus ſupperaddatur alteri, nam prædicamenta ſunt conceptus omnino ſimplices: ſed dicitur addere aliquid poſitiuum, quia exprimit realiter proprium eius conceptum realem, qui nomine entis non exprimitur, & ex hoc patet quòd in hac definitione non committitur nugatio, ſufficit enim quòd ly (per ſe) exprimat aliquam rationem, quæ non exprimatur nomine entis, maximè quia iſtæ definitiones prædicamentorum non ſunt veræ definitiones, ſed quaſi definitiones vt ait D. Th. quia ens non poteſt poni in definitionibus vt ſæpe docet Ariſt. Ad aliud dicendum quòd Deus non conſtituitur per negationem, ſed per ſuam eſſentiam poſitiuam ſimpliciſſimam & perfectiſſimam: verum quidem eſt, quòd ratio conſtitutiua ſubſtantiæ meliùs intelligitur & explicatur per negationem eſſendi in alio, quàm per ly poſitiuum (eſſe per ſe.)

Ad ſecundùm dicendum ex D.Th. 2.2.q.92.art.1. ad 2. quod argumentum ab Ethymologia ſumptum non eſt efficax, nam res à qua nomen imponitur, & res ad quam ſignificandam imponitur valde diuerſæ ſunt aliquando, vt patet in lapide, cuius nomen accipitur à lædendo pede. Deinde dicimus quòd nomen ſubſtantiæ deriuatur à per ſe ſtando, ſiue per ſe ſubſiſtendo, vt viſum eſt ex eodem D. Iſidoro. Ad aliud dicendum, quòd argumentum Ariſtot. eſt à poſteriori, procedens ex reali proprietate ſubſtantiæ ad ipſam eſſentiam ſubſtantiæ, vnde nihil concludit contra nos.

Ad tertium dicendum, quòd ly (per ſe) quod eſt ratio conſtitutiua ſubſtantiæ, non excludit eſſe in alio, vel tanquam in toto vt ſunt partes ſubſtantiales, quamuis vt dictum eſt non ita propriè dicantur eſſe per ſe: nec excludit eſſe in alio tanquam in ſuppoſito, ſicut eſt humanitas Chriſti in ſuppoſito Verbi diuini, ſed excludit eſſe in alio tanquam in ſubiecto. Ad aliud dicendum quòd accidentia quæ ſunt in Euchariſtia, dicunt ordinem ad ſubiectum vt illi inhæreant, nec ſunt aut ſubſiſtunt per ſe; ſed per aliquid extrinſecum ſuſtentans, ſiue ſit per manutenentiam diuinam immediatè, ſiue per aliquem modum ſubſtantialem illis à Deo communicatum.

Articvlvs III.

Qualis ſit diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam ſit talis, vt diuiſum illius ſit ſubſtantia ratione ſecundæ intentionis, ita vt ſenſus ſit, ſubſtantia ſecundùm quod eſt ſubiectum prædicationis, alia eſt vniuerſalis alia particularis, vnde hæc diuiſio eſt æquiuoca. Ita Tartaretus.

§ 2. Econtra, Videtur quòd diuiſum huius diuiſionis ſit ſubſtantia ratione ſuæ proprietatis realis ſubſtandi accidentibus, ita vt ſit ſenſus, ſubſtantia qua ratione ſubſtat

substat accidentibus, alia scilicet particularis primò substat; alia scilicet vniuersalis secundò substat: vnde hæc diuisio est analoga. Ita Iauellus 5. Metaphysic. quæst.7. Suares disp. 32 Metaph. sect. 2. Toletus, Rumus & Conimbricenses in Logica. Probatur ex Arist. qui sæpe in cap. de substantia comparat primam & secundam in ratione substandi, dicit enim primam substantiam esse magis substantiam, quia magis substat: ergo diuisum huius diuisionis est substantia ratione suæ proprietatis realis substandi accidentibus.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. & communior sententia Thomistarum, nostri Complutenses hanc tenent in Logica, Araujo 5. Metaph. q.2. art. 1. Zanardus ibidem q.14. Sanches, Gallego, Caietan. Masius & alij.

Conclusio.

Cùm diuisum huius diuisionis sit id, quod per se pertinet ad prædicamentum substantiæ & collocatur in recta eius linea, necessariò est substantia secundùm suam essentiam, siue secundùm suum conceptum quidditatiuum.

Respondeo dicendum, quòd licèt probabile sit diuisum huius diuisionis esse substantiam, ratione proprietatis substandi accidentibus. 2. probabilius tamen est & magis ad mentem Aristotelis, & D. Th. diuisum huius diuisionis esse substantiam secundùm suam essentiam & conceptum quidditatiuum, qui diuiditur in duos modos subsistendi, scilicet particulariter & vniuersaliter: primus modus est realis, quem suppositum addit supra naturam; secundus autem est modus & accidens rationis, à quo natura constituitur in esse vniuersalis: vnde hæc diuisio simpliciter est subiecti in accidentia, & secundùm quid analogi in analogata, cùm vnum membrum diuidens sit quid reale, & aliud rationis: & sic nullo modo est vniuoca, siue generis in species. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc diuisionem esse substantiæ completæ, nam sola substantia, quæ directè ponitur in prædicamento, dicitur propriè substantia prima aut secunda: in substantia autem completa tria possumus considerare, scilicet ipsam essentiam siue conceptum quidditatiuum substantiæ, deinde realem eius proprietatem substandi accidentibus, & tandem secundam intentionem à qua substantia denominatur subiectum prædicationis.

Probatur conclusio authoritate D.Thom. quæst. 9. de potentia art. 2. ad 6. vbi sic ait: *Cùm diuiditur substantia in primam & secundam, non est diuisio generis in species: sed est diuisio generis secundùm diuersos modos essendi, nam secunda substantia significat naturam generis secundùm se absolutam; prima verò significat eam vt indiuidualiter subsistentem: vnde magis est diuisio analogi, quàm generis*: hæc D. Th. vbi non absolutè dicit hanc diuisionem esse analogam; dixit enim in ea diuidi genus in diuersos modos, qui modus diuisionis est necessariò subiecti in accidentia, sed dixit magis esse analogi, quàm generis, quia magis accedit ad diuisionem analogam quàm vniuocam. Idem docet D.Th. 1.p.q.29. art. 1. ad 2.

Probatur secunda, & tertia pars conclusionis (prima enim patet ex dictis) diuisum huius diuisionis est id, quod per se pertinet ad prædicamentum substantiæ, & collocatur in recta eius linea: sed hoc non est secunda notio vt patet, nam res collocantur in prædicamento ratione suæ entitatis, & non ratione alicuius notionis: & propterea liber categoriarum pertinet tantùm ad obiectum materiale Logicæ: nec est proprietas substantiæ, sed eius essentia; nam res collocantur in prædicamentis secundùm prædicabilitatem & subiicibilitatem essentialem, vt fatentur Philosophi: ergo hæc diuisio est substantiæ secundùm suam essentiam; & consequenter est diuisio subiecti in accidentia, nam sic per diuersos modos scilicet particulariter subsistendi in rerum natura, & vniuersaliter subsistendi in intellectu: qui modi habent rationem accidentis respectu substantiæ: cùm autem ex istis modis vnus sit realis, & alius rationis, & inter ens reale & ens rationis non sit vniuocatio, sed tantùm analogia, vt dictum est supra, hæc diuisio non potest dici generis in species, sed quodammodo est analoga.

Ex dictis colligitur, quòd diuisum huius diuisionis sit substantia secundùm se, siue secundùm sua essentialia tantùm, siue vt præintelligitur ad modos particulariter, vel vniuersaliter essendi, & vt abstrahit ab illis, & vt sic nec est indiuiduum, nec genus nec species, nec prima nec secunda substantia: quia tamen ipsa natura substantiæ secundùm sua essentialia considerata habet vnitatem formalem, quæ ex se non est propria huius vel illius indiuidui, ideò potest dici communis, siue vniuersalis negatiuè tantùm: & quia hoc est fundamentum vnitatis genericæ: ideò hæc diuisio dicitur à D. Th. loco citato diuisio generis in diuersos modos: esse autem negatiuè communem non sufficit ad veram & formalem vniuersalitatem, vt dictum est in Logica, vnde nec sufficit ad rationem secundæ substantiæ. Secunda autem substantia formaliter sumpta vt membrum diuidens huius diuisionis, non includitur in prima substantia, nec de illa prædicatur, hæc enim formaliter est falsa, prima substantia est secunda substantia: quamuis sit verum, quòd res illa, quæ denominatur secunda substantia materialiter, prædicetur de prima, nam talis res est ipsa natura substantiæ secundùm se, vt abstrahit à modis primæ vel secundæ substantiæ: sic autem non est membrum diuidens, sed est potiùs diuisum: & ita vnum membrum diuisionis huius non prædicatur de alio formaliter, imò sunt formaliter opposita, & per hæc patet ad obiecta.

Articulus IV.

Vtrùm rectè definiantur ab Aristotele prima & secunda substantia?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd non rectè definiatur ab Aristotele prima substantia. Primò quia datur per negationes, sic enim definit primam substantiam (quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est) Secundò quia prima substantia est substantia singularis, singularia autem ex Arist. 7. Metaph. c. 5. non definiuntur. Tertiò quia prima substantia prædicatur de hac & illa prima substantia. Quartò quia substantia secundùm se, & vt abstrahit à prima & secunda, nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto, & sic hoc malè appropriatur soli primæ substantiæ. Quintò denique quia Arist. post traditam definitionem primæ substantiæ posuit pro exemplo, quidam homo: sed quidam homo prædicatur de hoc & illo: ergo rectè definitur ab Aristotele prima substantia.

§ 2. Præterea. Videtur quòd non rectè definiatur sic secunda substantia (substantiæ secundæ sunt genera & species, in quibus insunt primæ.) Primò quia de ratione secundæ substantiæ non est quòd sit genus, vel species; sed tantùm quòd sit vniuersalis, quia esse genus vel speciem, idem est ac substantiam esse talem, aut talem, quòd non conuenit substantiæ secundæ vt sic, prout abstrahit ab omnibus substantiis secundis. Secundò quia substantiæ secundæ prædicantur de primis, & non primæ de secundis, & sic potiùs secundæ sunt in primis, quàm primæ in secundis, quod enim prædicatur de aliquo, est in illo: & quod non prædicatur, non est: ergo non rectè definitur ab Aristotele secunda substantia.

Sed contra est communis acceptatio Philosophorum propter authoritatem Aristotelis.

Conclusio.

Definitio tam primæ, quàm secundæ substantiæ tradita ab Aristotele est optima.

Respondeo dicendum, quòd bonitas harum definitionum primæ & secundæ substantiæ apparet ex earum explicatione. Dictum est supra in Logica, quòd quando accidentia definiuntur in concreto, res definita est ipsum accidens, licèt ex modo significandi fiat suppositio pro subiecto, & consequenter definitio tantùm conuenit accidenti, vt quo. Sic igitur explicanda est definitio primæ substantiæ, vt notant Caietanus, & nostri Complutenses

cap. de substantia: nam prima substantia importat pro materiali ipsam essentiam substantiæ, & pro formali modum realem singulariter subsistendi vel substandi accidentibus, & sic definitio conuenit, vt quo, illi modo reali & simul explicatur quòd talis definitio exercetur in ipsa substantia, quæ est velut subiectum talis modi: & ita sensus definitionis est, quòd ille modus singulariter subsistendi sit ratio, quare substantia prima, neque sit in subiecto, & per hoc differt ab accidentibus, neque dicatur de subiecto, & per hoc differt à secundis substantiis.

Proportionali modo est explicanda definitio secundæ substantiæ, nam ille modus vniuersaliter essendi, siue secunda intentio per quam substantia constituitur in esse secundæ siue vniuersalis, est ratio cur primæ substantiæ sint in secundis siue contineantur potentialiter in illis, vt partes subiectiuæ illarum: nam primæ substantiæ continentur in secundis vt inferiora essentialia in superioribus: & hanc potentialem continentiam dat secundis substantiis notio secunda vniuersalitatis, non qualiscumque, sed tantùm notio generis, vel speciei, quæ tantùm sunt superiora essentialia respectu primę substantiæ: vnde Aristoteles rectè definit secundas substantias quòd sint genera vel species, in quibus insunt primæ. Cùm autem prima & secunda substantia sint termini complexi, ipsæ potius sunt definitiones, & ideò, quæ hîc sunt examinatæ, non sunt tam rigorosæ definitiones, quàm quædam descriptiones: possunt autem sic breuiùs tradi. Prima substantia est substantia singularis. Secunda substantia est substantia vniuersalis.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando definitio est tantùm descriptiua, potest loco differentiæ habere aliquas negationes, maximè quando iam explicatum est illud positiuum quod dicunt: iam autem Aristoteles explicuerat cap. 2. quid sit esse in subiecto, & dici de subiecto, aliquando enim negatio magis explicat, quàm aliqua differentia positiua: tali definitione vtimur sæpe: nam punctum definitur, cuius non sunt partes, quamuis hæc verba (neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur) non sint explicanda merè negatiuè, sed quasi contrariè, ita vt sit sensus, prima substantia est id, cui positiuè repugnat esse in subiecto, vel dici de illo. Ad aliud dicendum, quod Aristot. tantùm vult singularia corruptibilia, si fuerint determinata vt Socrates, non posse definiri, non autem singularia indeterminata, vt indiuiduum vagum, persona, & similiter substantia singularis: nam licèt dicant modum particulariter existendi, hoc tamen est absque determinatione, & cum quadam communitate. Ad aliud dicendum, quòd licèt prima substantia vt sic significet modum subsistendi communem, supponit tamen pro Socrate, vel Platone: in quibus exercetur definitio, & de quibus debet verificari quòd non sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto, vnde prima substantia in actu exercito non prædicatur de aliquo, bene tamen in actu signato. Ad aliud dicendum, quòd substantia secundùm se, vt abstrahit à singularitate & vniuersalitate, nec conuenit, nec repugnat esse, aut dici de subiecto, sed habet se merè negatiuè: pertinet autem ad rationem primæ substantiæ, quòd illi positiuè repugnet, & sic intelligenda est definitio. Ad aliud denique dicendum cum Scoto, quòd Aristoteles per ly (quidam homo) non intellexit aliquid commune, sed certam & determinatam substantiam, putà Socratem.

Ad secundum dicendum, quòd licèt de ratione secundæ substantiæ non sit esse determinatè genus, vel determinatè speciem, tamen neque etiam est esse quodcumque vniuersale, sed tantùm illud quod est superius essentiale primæ substantiæ, quod necessariò est genus, aut species: in his enim tantùm continentur essentialiter primæ substantiæ. Ad aliud dicendum, quòd secundæ substantiæ sunt actu in primis, vt considerantur per modum partis, nam sic sunt de totum essentia, primæ verò sunt in potentia in secundis, vt secundæ sunt quid totum confusum, nam substantiæ primæ sunt partes subiectiuæ secundarum, definitio autem procedit de hac continentia potentiali.

Articulus V.

Vtrùm substantia prima sit magis & perfectior substantia, quàm secunda?

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd substantia prima non sit magis, nec perfectior substantia, quàm secunda: ita tenent Ammonius & Villapandus: insuper dicunt, quòd si in Logica Arist. docuit primas substantias esse magis substantias quàm secundas, hoc docuit in opinione vulgi; nam 8. Metaph. cap. 1. expressè dicit vniuersalia esse magis substantias, quàm singularia, & in Postprædicamentis docet vniuersalia esse priora singularibus. Item cap. de substantia dicit, quòd substantia non recipit magis & minus, vt postea examinabitur: ergo prima substantia non est magis, nec perfectior substantia quàm secunda.

¶ 2. Præterea, species sunt magis de priori intentione naturæ, quàm indiuidua, nam indiuidua sunt tantùm propter speciem, vnde videmus quòd in incorruptibilibus vt Sole, Lunâ, & in substantiis separatis in qualibet specie non est, nisi vnum indiuiduum: ergo species, quæ est secunda substantia, est magis perfectior substantia, quàm indiuiduum quod est prima substantia.

¶ 3. Præterea, substantia dicitur à substando: sed substantia secunda magis substat, quàm prima, imò prima substat ratione secundæ, nam ideò Socrates substat gradibus superioribus substantiæ, corporis, viuentis & animalis, ac illorum proprietatibus, quia est homo, hæc enim valet, Socrates est risibilis, quia homo est risibilis: ergo substantia prima non est magis, nec perfectior substantia, quàm secunda.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis in Logica cap. de substantia, quem communiter sequuntur Philosophi, Porphyrius in interrogationibus de substantia cap. 15. Caietanus, Iauelius, Masius, & alij.

Conclusio.

Cùm prima substantia magis substet, & magis accedat ad esse, quàm secunda est magis, & perfectior substantia, quam secunda.

Respondeo dicendum, quòd prima substantia est magis, 2. & perfectior substantia, quàm secunda: 3. inter secundas verò illa est magis, & perfectior substantia, quæ magis accedit ad primam, & ita species infima est magis, & perfectior substantia, quàm genus proximum, & hoc quàm genus remotum, & sic deinceps. 4. Omnes verò species infimæ ex æquo sunt substantiæ, nec vna est magis substantia quàm alia. 5. Quamuis vna sit perfectior quàm alia, ratione suæ differentiæ; non ratione communi substantiæ.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd Arist. nomine primæ substantiæ intelligit substantiam singularem, nomine verò secundæ, substantiam vniuersalem vt dictum est. Variæ sunt interpretationes authorum de mente Arist. circa hoc: sed his relictis dicendum cum Caietano ideò substantias singulares dici ab Arist. primas, quia primo illis tanquam causis competit ratio significata nomine substantiæ, quæ est per se existere, siue subsistere: quod constat conuenire singularibus primò & per se, vniuersalibus verò secundariò, & ratione singularium, nam existunt & subsistunt in singularibus, & illis destructis pereunt, non autem dicuntur primæ secundùm statum consequendi, illa enim hoc modo sunt priora, à quibus non valet consequentia, & talia sunt vniuersalia.

Probatur prima pars conclusionis. Substantia dicta est vel à substando accidentibus, vel à subsistendo, & ideò illa dicetur primò & magis substantia, quæ magis substat accidentibus, & magis subsistit: sed prima substantia magis substat accidentibus, & magis subsistit, quàm secunda, nam ideò homo substat accidentibus, quia Socrates substat illis, ideò homo subsistit; quia Socrates subsistit: ergo prima substantia est magis substantia, quàm

quàm secunda. Hanc rationem innuit Arist. nam probat primam substantiam esse magis substantiam, quia pluribus substat, quod debet intelligi non solùm quoad prædicationem, sed etiam & maximè quoad realem sustentationem.

Probatur secunda pars conclusionis. Perfectio rei maximè prouenit ab existentia, & ideò illud est perfectius, cui perfectiori modo conuenit existere, existentia enim est vltima actualitas, & maxima perfectio rei: sed prima substantia perfectius existit quam secunda, nam prima existit in se & per se, secunda autem existit in prima & per primam, non enim dantur vniuersalia à parte rei separata à singularibus: ergo prima substantia est perfectior substantia, quam secunda.

Probatur tertia pars conclusionis. Substantia secunda, quò magis accidit ad primam, magis substat, nam homo v.g. pluribus substat, quàm animal. quia substat omnibus quibus substat animal, & insuper substat ipsi animali. Deinde magis accidit ad existentiam, cùm magis accedat ad primam, cui per se conuenit existere: ergo inter substantias secundas illa est magis & perfectior substantia quæ magis accidit ad primam.

Probatur quarta pars conclusionis. Licèt inter species infimas vna pluribus substet, quàm alia. v. g. leo pluribus substat quàm homo. nam substat omnibus gradibus superioribus quibus substat homo, & insuper substat bruto quod est genus intermedium, tamen non magis substat intensiuè, quia infima species quantum est in se omnibus superioribus gradibus substat etiamsi per impossibile essent infiniti, vnde est per accidens quòd vna magis substet extensiuè, siue pluribus: quando autem Arist. vocat illam substantiam magis substantiam, quæ pluribus substat, debet intelligi de substantia quæ substat pluribus per se & non per accidens: ergo omnes species infimæ ex æquo sunt substantiæ, nec vna est magis substantia quàm alia.

Probatur quinta pars conclusionis. Omnes species differunt essentialiter: ergo perfectione essentiali, non in ratione communi substantiæ, aut alicuius gradûs superioris vniuoci, quia in illo æqualiter conueniunt, ratio enim vniuoca æqualiter participatur ab inferioribus, vt patet ex Logica: ergo ratione suæ differentiæ.

Ad primum ergo dicendum, cum D. Th. quòd Arist. in primo loco loquitur ex mente Platonis, qui docebat vniuersales naturas, siue ideas esse magis substantias, ibi enim eius refert sententiam. Vel debet intelligi non absolutè, sed quantùm ad hoc quòd vniuersalia sunt incorruptibilia & immutabilia, vnde dicuntur magis substantia, quàm singularia corruptibilia. Ad aliam locum dicendum, quòd Aristoteles ibi distinguit duplicem prioritatem, scilicet consequentiæ, & sic vniuersalia sunt priora singularibus, quia ab vniuersalibus ad singularia non valet consequentia, sed ècontra: aliam causalitatis, & sic singularia sunt priora vniuersalibus, quia vniuersalia recipiunt à singularibus existentiam & causalitatem: hic autem Aristoteles substantias singulares vocat primas hoc secundo modo, qui pertinet ad perfectionem, non verò primo, qui potius arguit imperfectionem. Ad vltimum locum dicendum, quòd aliud est vnam substantiam esse magis & perfectiorem substantiam aliâ: aliud verò est quòd eadem numero recipiat magis & minus, siue intendatur & remittatur ad modum qualitatis: hoc secundum intelligit Aristoteles, dum dicit quòd substantia non recipit magis & minus.

Ad secundum dicendum, quòd species nunquam potest esse nisi in aliquo indiuiduo, in quo subsistit & existit, & sic species intenditur à natura, vt sit in aliquo indiuiduo; quamuis non in hoc vel illo determinatè, vnde multiplicatio indiuiduorum solùm requiritur in illis speciebus, quarum indiuidua sunt corruptibilia, ab indiuiduo autem, in quo reperitur, species habet existere, ac proinde habet suam perfectionem, & ideò ipsum singulare & indiuiduum est magis perfectum, nam propter quod vnumquodque tale & illud magis.

Ad tertium dicendum, quòd solùm procedit de connexione prædicati cum subiecto, non verò de reali eorum existentia, quamuis enim prædicata superiora, & ipsæ proprietates vt risibile, priùs respiciant hominem quàm Petrum, quia immediatiùs respiciunt hominem, quia ab illo dimanant, & ratione illius conueniunt Petro, tamen quantùm ad realem existentiam, ideò risibile &c. existit in homine, quia realiter existit in Petro, & ratio est, quia connexio prædicati cum subiecto cùm sit necessaria, absoluitur à tempore, & ita per priùs conuenit speciei: sed eorum existentia est temporalis & contingens, conueniens eis per actionem causæ efficientis, ac proinde per priùs conuenit singularibus, quæ propriè dicuntur fieri.

ARTICVLVS VI.

Quænam substantiæ ponantur in hoc prædicamento?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd multæ substantiæ non ponantur in hoc prædicamento. Scotus in 3.d.7.quæst.1. Basolis, & Durandus ibidem dicunt Christum in quantùm hominem non contineri in hoc prædicamento. Probatur Christus Dominus est persona Diuina: persona autem est quæ ponitur in prædicamento: ergo cùm Deus non ponatur in prædicamento, nec etiam Christus.

§ 2. Præterea, Videtur quòd Angeli non ponantur in hoc prædicamento. Ita tenent aliqui. Probatur Arist. 10. Metaph. cap. vltimo dicit corruptibile & incorruptibile differre genere: ergo Angeli incorruptibiles non ponuntur in hoc prædicamento, vbi ponuntur substantiæ corruptibiles. Deinde Angeli ex Arist. 9. Metaphis. textu 22. sunt substantiæ simplices, & propterea non constant genere & differentia, cùm in eis non sit materia à qua desumitur genus: sed quæ non constant genere & differentia, non ponuntur in prædicamento, quia non participant rationem supremi generis alicuius prædicamenti: ergo Angeli non ponuntur in prædicamento.

§ 3. Præterea, Videtur quòd cœli non ponuntur in hoc prædicamento. Ita tenent Auerroës, Gandauensis & alij: ob eandem authoritatem Philosophi, quòd corruptibile & incorruptibile differant genere. Deinde quia inter alias proprietates quas Aristoteles assignat substantiæ prædicamentali, est posse recipere contrarias qualitates sine sui mutatione, vt calefieri, frigefieri, &c. sed Cœli ex eodem Arist. 1. de Cœlo c. 5. non possunt recipere contrarias qualitates: ergo Cœli non ponuntur in hoc prædicamento.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur ferè omnes Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm omnis substantia creata constet ex genere & differentia, omnis substantia creata ponitur in hoc prædicamento.

RESPONDEO dicendum, quòd in hoc prædicamento substantiæ ponuntur omnes substantiæ corporeæ & corruptibiles, vt elementa, mixta inanimata, plantæ, animalia &c. 2. Cœli etiam: 3. & substantiæ separatæ creatæ, scilicet Angeli: 4. Item Christus Dominus inquantum homo eo modo, quo alia indiuidua naturæ humanæ: 5. solus Deus Optimus Maximus non ponitur in hoc, aut in alio prædicaměto, nec directè: 6. nec reductiuè.

Probatur prima pars conclusionis. In substantiis corporeis corruptibilibus est sufficiens fundamentum ad formandos gradus genericos & differentiales, cùm sint compositæ ex materia & forma, ex materia enim desumitur genus, & ex forma differentia, vt probatum est in Logica: ergo in hoc prædicamento substantiæ ponuntur omnes substantiæ corporeæ corruptibiles.

Probatur secunda pars conclusionis. Cœli sunt compositi ex genere & differentia, quia componuntur ex materia & forma, ex quibus in rebus materialibus desumitur genus & differentia vt dictum est in Logica:

ergo continentur ſub ſupremo genere ſubſtantiæ, cuius conceptum participant. Deinde non eſt maior ratio, cur accidentia cæleſtia, vt quantitas, figura, ſitus &c. ponantur in prædicamentis, potiùs quàm ipſa ſubſtantia Cœlorum, nam ipſa habent incorruptibilitatem, ſicut & ipſa ſubſtantia: ſed ipſa accidentia Cœlorum ponuntur in prædicamentis, nullus enim de hoc dubitat: quantitas quidem in prædicamento quantitatis, figura in prædicamento qualitatis, & ſic de aliis: ergo Cœli ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D.Th. qui 1.p.quæſt.88.artic.2.ad 4.ſic ait: *Subſtantiæ immateriales creatæ in genere quidem naturali non conueniunt cum ſubſtantiis materialibus, quia non eſt in eis eadem ratio potentiæ & materiæ: conueniunt tamen cum eis in genere Logico, quia etiam ſubſtantiæ immateriales ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, cùm earum quidditas non ſit earum eſſe.* Deinde, Angeli componuntur ex genere & differentia, ita vt ipſorum eſſentia ſit finita & limitata ad ſpecies particulares, cùm enim in eis ſit aliqua potentialitas (non enim ſunt actus puri, nam eorum eſſentia ſiue quidditas, vt ait D. Thom. non eſt ſuum eſſe) ideò in eis eſt ſufficiens fundamentum conſtituendi gradum genericum ſubſtantiæ, ſpiritûs &c. in quo omnes conueniunt, & gradus differentiales in quibus omnes inter ſe differunt; ſed quæ participant conceptum genericum ſubſtantiæ, ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ: ergo ſubſtantiæ ſeparatæ creatæ ſcilicet Angeli ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate D.Th. qui 3. p.quæſt. 2. artic. 3. ad 3. ſic ait: *In rebus creatis res aliqua ſingularis non ponitur in genere, vel in ſpecie ratione eius quod pertinet ad eius indiuiduationem, ſed ratione materiæ quæ ſecundùm formam determinatur, cùm indiuiduatio magis ſit ſecundùm materias in rebus compoſitis:* Sic ergo dicendum eſt quòd Chriſtus eſt in ſpecie humana ratione naturæ aſſumptæ, non ratione ipſius hypoſtaſis, quòd ſi in ſpecie, etiam erit in genere, nam ſpecies potentialiter continentur in genere: idem docet alibi ſæpe. Deinde indiuidua ſiue ſingularia alicuius naturæ ponuntur in prædicamento ratione ſuæ eſſentiæ vel naturæ: ſed Chriſtus Dominus verè eſt indiuiduum & ſingulare naturæ humanæ, ſic enim definitum eſt ab Alex.3.cap.cum Chriſtus, de hæreticis, & reddit rationem, quia ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ita eſt verus homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens: ergo verè & propriè Chriſtus Dominus inquantum homo ponitur in prædicamento ſubſtantiæ eo modo, quo alia indiuidua naturæ humanæ: ſed quia naturæ ſubſtantiales non ponuntur in prædicamento ſignificatæ in abſtracto, ſed in concreto vt connotant ſuppoſitum, quod in Chriſto eſt ipſum ſuppoſitum Verbi Diuini, propterea ponitur in prædicamento non ſecundùm ſe abſolutè, ſed præciſè quatenus gerit vicem ſuppoſiti humani, ſiue vt ſuſtentat humanitatem Chriſti Domini, vt docet expreſsè D.Thom in 3.d.6.quæſt.1.artic. 1.quæſt. 1. ad 2. & communiter eius diſcipuli, Bannes 1.p.quæſt. 3. art. 5. Araujo lib.5.Metaph.quæſt.2.art.4. radix autem iſtius eſt quia ſuppoſitum non ponitur in prædicamento ratione ſui, ſed ratione naturæ quam habet, nam genera prædicantur de indiuiduis alicuius ſpeciei, quia participant naturam ſiue rationem talis ſpeciei, quæ continetur potentialiter in ipſis generibus: vnde cùm Chriſtus Dominus habet veram naturam humanam eiuſdem ſpeciei cum aliis, verè eſt indiuiduum ſpeciei humanæ, & continetur in genere ſubſtantiæ, in quo continetur tota ſpecies, ac omnia illius indiuidua: quod patet, nam omnia genera prædicamenti ſubſtantiæ æquè prædicantur de Chriſto, ac de quolibet alio indiuiduo, iſtæ enim ſunt veræ, Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt animal, viuens, corpus, ſubſtantia.

Probatur quinta pars concluſionis contra Nominales, & Vaſques authoritate D. Thom. qui 1.p.quæſt.3.art.5. id expreſsè determinat: videantur eius diſcipuli loco citato, Gonzales, Nauarrete, Nazarius. Item Araujo lib.5. Metaph. quæſt. 2.art. 3. & communiter ferè omnes Philoſophi, & Theologi.

Secundò, quodlibet prædicamentum importat limitatam perfectionem entis, nam ens diuiditur in decem genera primò diuerſa, quorum rationes ſunt inter ſe diſtinctæ: ſed Deus habet infinitam & illimitatam perfectionem entis, cùm ſit ſuum eſſe, & quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus: ergo Deus non ponitur in hoc prædicamento ſubſtantiæ, de aliis enim nullus dubitat, quia Deus non eſt formaliter quantitas, aut qualitas &c. propter hanc rationem dixit D. Auguſt. quòd *Nimis anguſta eſt domus Categoriarum, vt tantùm hoſpitem,* ſcilicet Deum *Recipere poſſit.*

Tertiò, vt Deus ponatur in prædicamento, aliquid debet eſſe genus reſpectu Dei & aliorum: ſed nihil poteſt eſſe genus ad Deum & creaturas, nam ſicut ratio entis non dicitur de Deo & creaturis vniuocè, ſed tantùm analogicè vt dictum eſt, ſic nec ratio ſubſtantiæ, nec quicquam aliud: & ſic non poteſt eſſe genus reſpectu Dei: ergo Deus non ponitur in prædicamento.

Quartò, ideò ens non ponitur in prædicamento, quia non habet differentias in quibus intrinſecè non includatur: ſed etiam Deus includitur intrinſecè in omnibus quæ Dei ſunt, vt patet in prædicationibus quæ in abſtracto fiunt de Deo: ergo Deus non ponitur in prædicamento, nec habet genus aut differentiam, & hoc eſt, quia in Deo nulla eſt compoſitio ex actu & potentia ſed ſua eſſentia eſt ſuum eſſe per ſe ſubſiſtens, & per conſequens actus ſecundùm omnem conſiderationem ſimpliciſſimus & puriſſimus, & propterea nihil eſt in eo, quod poſſit eſſe radix aut fundamentum gradus potentialis, qualis eſt genericus: ac proinde nec habet definitionem, aut demonſtrationem à priori, ſed tantùm per effectum; quia vera definitio conſtat genere & differentiâ: demonſtrationis autem primæ à priori, eſt medium ipſa ſubiecti definitio.

Probatur ſexta pars concluſionis. Quod ponitur in aliquo prædicamento reductiuè, ponitur ex eo quòd eſt principium alicuius generis, vt punctum quantitatis continuæ, vnitas quantitatis diſcretæ, & ita reducitur ad vnum genus, vt non extendatur ad alia genera ex D. Th. 1.p.quæſt. 3. art. 5. ſed Deus eſt principium totius eſſe: ergo non ponitur reductiuè in prædicamento: cùm enim non magis reducatur ad vnum genus, quàm ad aliud, eſt in omnibus, non vt contentus, ſed vt continens: & ſic intelligendus eſt D. Thom. quando in 1.d.8.quæſt.4.art. 2.ad 3. Item quæſt.7.de potentia art.3. ad 7. docet Deum eſſe per reductionem in genere ſubſtantiæ, vt principium eius, & in hoc ſenſu eſt in omnibus generibus, cùm omnia contineat, quamuis per appropriationem quandam dicatur eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, quia hæc propinquior eſt Deo quàm accidentia, vt dicit Nazarius 1. p. quæſt. 3. articulo 5. Bergomenſis in concordantiis, dub. 464. vnde melius dicetur quòd omnia prædicamenta reducuntur ad Deum, & ſic abſolutè negandum eſt Deum etiam reductiuè poni in prædicamento, quia illa tantùm propriè ponuntur, quæ in illo continentur.

Ex dictis patet diſparitas inter infinitum ſimpliciter & infinitum ſecundùm quid, nam infinitum ſecundùm quid, v.g. linea infinita, ſi daretur, ſolùm careret termino quantitatiuo, & haberet veros terminos eſſentiales ſcilicet verum genus & veram differentiam ſpecificam, & conſequenter poneretur in prædicamento: infinitum autem ſimpliciter ſiue ſecundùm eſſentiam eſt, quod caret terminis eſſentialibus ipſam eſſentiam limitantibus, ſcilicet genere & differentia, quæ eſſentiam, quam conſtituunt, limitant ad vnam ſpeciem, & tale infinitum eſt Deus, & ideò ſub nullo genere continetur.

Nec dictis contrariatur S. Auguſt.5.de Trinitate cap.8. quandò dicit quòd Sacra Scriptura loquitur de Deo ſecundùm categorias, aliquando impropriè, vt cùm dicit Deum habere diſpoſitionem, aut habitum; aliquando

propriè,

propriè, vt cùm dicit Deum esse substantiam; idem affirmant alij Sancti Patres: sed tamen dicendum quòd nihil aliud volunt, quàm quòd substantia & relatio propriè dicantur de Deo, quod verissimum est; non tamen volunt quòd eodem modo dicantur de Deo, ac de creaturis, vnde sunt tantùm quid analogum, principaliùs enim conueniunt Deo, cùm substantia & relatio in Deo sint Deus, illimitatam continentes perfectionem: & sic patet quòd substantia, quæ est supremum genus huius prædicamenti, significat essentiam; non quæ sit suum esse, sed cui competit sic esse, id est per se esse.

Ad primum ergo dicendum, quòd persona non ponitur in prædicamento ratione sui, sed ratione naturæ: & ita Christus ponitur ratione naturæ humanæ: vnde non valet hoc genus argumentandi, Deus non ponitur in prædicamento: Christus est Deus: ergo non ponitur in prædicamento, vel è contra, Christus ponitur in prædicamento; Christus est Deus; ergo Deus ponitur in prædicamento: quia variatur appellatio; nam vt dictum est, poni in prædicamento conuenit personæ ratione naturæ: vnde cùm in Christo sit duplex natura, potest aliquid ei conuenire ratione vnius, quod repugnat ratione diuinitatis, Deus autem solùm dicit diuinitatem, cui repugnat poni in prædicamento, & ita non potest dici absolute dici, quòd Deus sit in prædicamento, sed potest dici quòd aliqua persona quæ est Deus, scilicet Christus, ponitur in prædicamento, sed ratione humanitatis.

Ad secundum dicendum, quòd quando Aristoteles dicit corruptibile & incorruptibile differre genere, debet intelligi de genere Physico scilicet materia prima, quæ est in Cœlis alterius rationis, diuersæ speciei à materia sublunarium, non autem intelligit de genere Logico. Ad aliud dicendum quòd quando Aristoteles vocat Angelos substantias simplices, & entia semper in actu; solùm vult quòd non sint compositi ex materia & forma, & quòd physicè loquendo sint formæ puræ, nec habeant potentiam contradictionis ad essendum & non essendum: Metaphysicè tamen loquendo non sunt actus puri, sed sunt compositi realiter ex essentia & esse, vt infra dicetur, & hoc sufficit ad constituendam in eis compositionem Logicam ex genere & differentia: vnde autem in eis desumatur genus & differentia, videantur quæ circa hoc dicta sunt in Logica.

Ad tertium dicendum, quòd Aristoteles per contraria, non intelligit contraria rigorosa tantùm, dum assignat proprietates substantiæ, sed contraria quomodocumque, in Cœlis autem sunt motus contrarij.

Articvlvs VII.

Vtrùm proprietates substantiæ rectè assignentur ab Aristotele.

AD septimvm sic proceditur. Videtur quòd proprietates substantiæ non rectè assignentur ab Aristotele, prima enim est, quòd tam prima quam secunda substantia non est in subiecto, quod non est verum, nam secundæ substantiæ reuera sunt in primis, & primæ aliquo modo sunt in secundis, vt dictum est supra: ergo hæc proprietas non rectè assignatur.

§ 2. Præterea, Quinta proprietas est, substantia non suscipit magis & minùs: sed supra probatum est vnam substantiam esse magis substantiam quàm aliam: ergo hæc proprietas non rectè assignatur.

§ 3. Præterea, Sexta proprietas est, quòd eadem manens sit contrariorum susceptiua, inquantùm est subiectum quod accidentium: sed hoc etiam conuenit quantitati, nam eadem manens potest recipere diuersas figuras, & ipsa etiam est subiectum adæquatum & immediatum aliquorum accidentium, vt patet in Eucharistia, ibi enim accidentia alia inhærent quantitati, vt subiecto quod, non per nouam inhæsionem causatam ex consecratione, vt patet: & sic ante consecrationem hoc modo inhærebant: ergo hæc proprietas non rectè assignatur ab Aristotele.

Sed contra est communis sententia Philosophorum cum D. Thom.

Conclvsio.

Proprietates substantiæ benè intellectæ rectè assignantur ab Aristotele.

Respondeo dicendum, quòd hæ sunt proprietates substantiæ assignatæ ab Aristotele. Prima, quòd tam prima quàm secunda substantia non est in subiecto: 2. quòd secundæ substantiæ, & differentiæ vniuocè prædicantur de prima substantia: 3. quòd prima substantia significet hoc aliquid, secundæ verò videntur significare quale quid: 4. quòd substantiæ nihil est contrarium. 5. quòd non suscipit magis & minùs: 6. quòd eadem manens sic contrariorum susceptiua.

Probatur, & explicatur prima proprietas. Intellecta absolutè non conuenit secundis substantiis, quæ reuera sunt actu in primis vt partes ipsarum, nam de illis formaliter prædicantur: sed intellecta, vt debet intelligi ad mentem Philosophi, conuenit tam primæ quàm secundæ, nam per non esse in subiecto, intelligit per veram inhæsionem ad modum accidentis, & sic est proprietas substantiæ quarto modo, nam conuenit omni, soli, & semper.

Probatur, & explicatur secunda proprietas. Prædicari vniuocè idem est, ac prædicari nomine & ratione quidditatiuè siue essentialiter: sed hoc conuenit soli substantiæ secundæ, & omni, & semper: ergo est proprietas quarto modo substantiæ secundæ, sed non substantiæ vt sic, nam prima substantia non prædicatur formaliter de seipsa: & sic est eius proprietas 1. modo.

Probatur, & explicatur tertia proprietas iuxta interpretationem D. Thom. omissis aliis. Prima substantia dicitur significare hoc aliquid, quia semper in prædicatione habet locum subiecti siue substantiæ: secundæ verò dicuntur significare qualequid, quia respectu primarum habent locum prædicati, quod generali quadam ratione dicitur qualitas & forma subiecti, quia quodammodò adiacet illi: & hæc explicatio fundatur in verbis Philosophi, nam reddens rationem huius differentiæ sic ait: *Neque enim res vna subiecta est, vt in prima substantia, sed de multis homo, animálque dicuntur &c.* Postea subdit, quòd *secundæ substantiæ non significant qualitatem, sed quasi designant & adsignificant.* Videantur quæ dicta sunt de differentia in Logica. Vnde hæc proprietas, significare hoc aliquid, est proprietas substantiæ vt sic primo modo; nam conuenit soli substantiæ, sed non omni, quia non conuenit secundis: secundæ autem substantiæ diuerso modo prædicantur de primis, ac accidentia, cùm enim prædicentur essentialiter, non solùm ipsæ secundæ substantiæ, sed etiam earum definitiones formaliter, quatenus sunt definitiones, prædicantur: nam essentia rei & definitio essentiæ formaliter de re, cuius est essentia, prædicatur, vnde benè dicitur, Petrus est homo, & Petrus est animal rationale, nam prædicantur in quid, & talis prædicatio reducitur ad secundum prædicabile, quod non habent accidentia respectu primæ substantiæ, nam horum aliqua, scilicet in abstracto, nec nomine, nec ratione prædicantur, alia verò, scilicet concreta, prædicantur quidem nomine, sed non definitione, nam licèt verè dicatur, Petrus est albus, Petrus est disgregatiuus visus, ibi tamen non prædicatur definitio albi, quatenus formaliter definitio est, sed vt est accidens commune, & ideò hæc prædicatio est quinti prædicabilis: hoc discrimen ponit Aristoteles, & hoc modo explicant Albertus Mag. Caietanus, Soto, Masius, & nostri Complutenses.

Probatur, & explicatur quarta proprietas, quæ conuenit substantiæ secundo modo vt dicit Aristoteles, nam licèt conueniat omni substantiæ non habere contrarium; non tamen conuenit soli, nam etiam quantitas non habet contrarium, vtrumque autem intelligendum est de contrariis propriè dictis, quæ scilicet sub eodem genere

maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: ex qua aduertentia soluuntur plurima, quæ possunt obijci, nam formæ substantiali non contrariatur propriè priuatio, cùm non sint sub eodem genere; nec differentiæ substantiales inter se, quia non sunt in subiecto, à quo se debeant expellere: nec tandem elementa sunt hoc modo inter se contraria, quia non se expellunt ab eodem subiecto, sed eorum qualitates: dicuntur autem forma & priuatio contraria largè, quia opponuntur priuatiuè, & largius differentiæ, quia sunt primò diuersæ: elementa verò radicaliter, quia sunt radices qualitatum formaliter contrariatum.

Probatur, & explicatur quinta proprietas, quæ etiam conuenit substantiæ secundo modo. Sciendum est ex Aristotele aliud esse quòd vna substantia sit perfectior aliâ, aliud verò quòd suscipiat magis & minùs: ad illud enim sufficit, vt eadem indiuisibilis essentia habeat perfectius esse in vno quàm in alio, siue quòd inæqualiter participetur ab eis ratione inæqualium differentiarum, siue essentialium, siue indiuidualium: ad hoc verò requiritur, vt notat D. Thom. 1. 2. quæst. 52. art. 1. item opusc. 48. tract. 2. cap. 4. quòd in ipsa essentia indiuiduali etiam sit latitudo gradualis, ita vt possit secundùm se augeri & minui, quod significatur nomine intensionis & remissionis, primum autem conuenit substantiæ, nec excluditur per hanc proprietatem, secundum autem excluditur, nec conuenit substantiæ, non enim Socrates modo est minùs homo, & postea magis homo, sicut qualitates quæ intenduntur & remittuntur, suscipiunt magis & minùs, nam idem numero calor nunc minor est, postea maior, & è contra.

Probatur & explicatur sexta proprietas recipere contraria, vt hîc loquitur Aristoteles, necessariò fit cum aliqua mutatione intrinseca subiecti, vt docet ipsemet Aristoteles repugnat enim quòd vnum numero subiectum abijciat vnum contrariorum, & recipiat alterum, quin intrinsecè mutetur: similiter Arist. non loquitur hîc de quocumque subiecto, sed de eo quod propriè & absolutè est subiectum, & appellatur subiectum Quod: constat autem, quòd nullum accidens potest esse subiectum Quod respectu alterius: nam D. Th. & Arist. vniuersaliter affirmant vnum accidens tantùm esse subiectum alterius, quia est ratio recipiendi illud, siue inquantum ambo recipiuntur & inhærent ipsi substantiæ ordine quodam, vnde substantia simul cum primo accidente constituit integrum & immediatum subiectum secundi: ita vt non sint duo subiecta integra, vnum remotum, & aliud proximum: sicut proportionaliter in causis efficientibus, substantia ignis & eius calor propriè non sunt duæ causæ, alia proxima, & alia remota: sed ab vtroque simul procedit calefactio, ab igne quidem vt à supposito quod operatur; à calore verò vt à ratione agendi siue à virtute qua ignis agit. Hoc docet Aristoteles 4. Metaph. textu 14. vbi ait: *Accidenti enim non est accidens, nisi quia ambo eidem accidunt.* Idem etiam docet D. Th. 5. 2. q. 7. art. 1. ad 2. vbi sic ait: *Aliquid dicitur accidens alicuius dupliciter, vno modo, quia inest ei, sicut album dicitur accidens Sortis, alio modo, quia est simul cum eo in eodem subiecto.* Idem repetit ad 3. Item q. 2. de virtutibus art. 3. ad 2. sic ait: *Forma non est forma, ita quod vna forma præster subiectum alteri, nihil tamen prohibet plures formas in eodem subiecto esse secundùm quemdam ordinem scilicet vt vna sit formalis respectu alterius, sicut calor est formalis respectu superficiei.* Idem vnanimes docent Thomistæ contra Suarem: & ratio horum est, quia accidens definitur per proprium & immediatum subiectum cui inhæret, vt dictum est supra in Logica: sed omne accidens ex Aristotele definitur per substantiam: ergo ipsa est proprium & immediatum subiectum omnium accidentium, & nullum accidens est subiectum, quod, alterius. Confirmatur ex D. Th. materia non est integrum & immediatum subiectum alicuius accidentis, quia non habet propriam subsistentiam: sed nullum accidens habet propriam subsistentiam: imò illi ab intrinseco repugnat: ergo nullum accidens est integrum & immediatum subiectum alterius.

Sed sciendum, quòd aliud est substantiam habere aptitudinem ad recipienda contraria, siue esse susceptiuum eorum: aliud verò actu recipere illa: nam aliud est esse risibilem, & aliud actu ridere. Aptitudo igitur ad recipiendum contraria est proprietas substantiæ prædicamentalis quarto modo, nam conuenit omni, soli, & semper, actualis verò receptio accidens commune: vnde licèt valeat, substantia recipit contraria, quia Socrates recipit: valet tamen, ideò Socrates est susceptiuus contrariorum, quia substantia contrariorum est susceptiua.

Hæc autem proprietas est solius substantiæ prædicamentalis, vnde non conuenit Deo, quia non ponitur in prædicamento: conuenit autem omni substantiæ contentæ in prædicamento: Constat de Angelis, nam sunt susceptiui scientiæ & erroris &c. Item conuenit Cœlis, nam mouentur motibus contrariis, scilicet naturali & raptos, aut saltem sunt sic mobiles (quod dictum sit ratione primi mobilis:) item Planetæ in propriis Epicicliis interdum mouentur sursum, vt quandò tendunt versus Augem, aliquandò verò deorsum, quando ad oppositum Augis regrediuntur, quamuis isti motus non sint propriè contrarij, vt docet D. Th. lib. 1. de Cœlo lect. 8. quia non fiunt à contrario in contrarium, neque per eamdem lineam, neque super eosdem polos: sed hoc non obstat, quia Aristoteles non loquitur de contrariis rigorosè, sed tantùm vult quòd sit maximè proprium substantiæ esse subiectum, quod, accidentium, siue sint propriè contraria, siue non cum immutatione intrinseca: & propterea oratio, cùm de vera fit falsa, non dicitur recipere contraria, nam eadem omnino oratio remanet sine vlla sui mutatione, sed dicitur mutari extrinsecè mutato obiecto quod enuntiat: vnde hæc oratio Socrates sedet, est vera illo sedente, falsa verò dum surgit.

Ad primum ergo dicendum, quòd secundæ substantiæ, licèt sint in primis, non sunt tamen in illis per inhæsionem, cùm hæc sit propria accidentibus, vnde econtra non esse in subiecto per inhæsionem est proprium substantiæ, tam primæ, quàm secundæ.

Ad secundum dicendum, quòd vna substantia comparata ad aliam, potest esse magis aut minus substantia quam illa: sed tamen non est recipere magis & minus: hoc enim respicit eamdem numero substantiam, quæ nunc sit minùs, postea magis substantia, vel econtra.

Ad tertium ergo dicendum, quòd quantitas non est subiectum, quod, figuræ, nec quodcumque accidens respectu alterius vt dictum est, sed est solùm ratio cur substantia diuersas recipiat figuras: Aristoteles enim dicit, quòd maximè proprium substantiæ esse videtur, quòd cùm vna numero sit, sit susceptiua contrariorum. Ad illud de accidentibus Hostiæ consecratæ, vel vini, consecrati dicendum quòd miraculosè virtute consecrationis sic habet quantitas in Eucharistia per modum subiecti, quod, quia habet vbi virtute diuina modum substantiæ, vt docet D. Th. 3. p. q. 77 art. 3. ad 2. sine hoc fiat per solam manutenentiam diuinam conseruando scilicet quantitatem cum sua existentia, & supplendo per nouum concursum vicem substantiæ, vt docent aliqui Theologi, siue tribuendo quantitati modum quemdam quasi substantialem, ratione cuius aliquo modo per se fit, de quibus disputant Theolog. 3. part. loco citato.

QVÆSTIO XIII.

De prædicamento quantitatis?

POST substantiam immediatè sequitur quantitas, ipsa enim inter alia accidentia quamdam habet similitudinem cum ipsa substantia, imò aliqui non distinguebant realiter à substantia. Philosophos diuidit ipsam in continuam & discretam & vtrique suas assignat species, de quibus omnibus agendum est, ordine tamen: primò de quantitate in communi, deinde

deinde de quantitate continua, postremò de quantitate discreta, circa quæ quæruntur nouem.

¶ Primò, Vtrùm quantitas distinguatur realiter à substantia?

¶ Secundò, Quæ sit ratio formalis constitutiua quantitatis?

¶ Tertiò, Vtrùm substantia corporea habeat partes entitatiuas sine quantitate?

¶ Quartò, Vtrùm linea, superficies, & corpus sint veræ species quantitatis continuæ?

¶ Quintò, Vtrùm locus, Tempus, & motus sint veræ species quantitatis?

¶ Sextò, Vtrùm vnitas prædicamentalis addat aliquid supra quantitatem continuam.

¶ Septimò, Vtrùm numerus prædicamentalis sit ens per se?

¶ Octauò, Vtrùm vltima vnitas sit forma numeri?

¶ Nonò, Vtrùm oratio sit vera species quantitatis discretæ?

ARTICVLVS I.

Vtrùm quantitas distinguatur realiter à substantia.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd quantitas non distinguatur realiter à substantia. Ita tenuêre Stoici & Nominales, dicentes quantitatem esse eamdem rem cum substantia, vocabant autem substantiam secundùm quòd substat accidentibus, quantitatem verò secundùm quòd habet partes extra partes, idémque dicebant de aliis accidentibus corporeis, quòd non distinguerentur à quantitate, sed seipsis essent quanta & extensa. Probatur proprietas quarto modo substantiæ, quæ est recipere contraria, conuenit quantitati: sed proprietas quarto modo non conuenit rebus distinctis: ergo quantitas non distinguitur realiter à substantia.

¶ 2. Præterea, Non potest intelligi quantitas sine substantia corporea, vel è contra, nam simul oriuntur & intereunt: & sicut quantitas habet partes extra partes, sic & substantia corporea: ergo quantitas non distinguitur realiter à substantia.

¶ 3. Præterea, Si quantitas esset quid distinctum à substantia, maximè esset vt illa mediante substantia reciperet accidentia contraria: sed hoc non requirit distinctionem inter substantiam & quantitatem, nam recipere contraria est proprietas substantiæ, vnde seipsâ sine aliquo alio potest illa recipere: ergo quantitas non distinguitur realiter à substantia.

SED CONTRA est expressa authoritas Arist. 7. Metaph. textu 8. S. Aug. 5. de Trinit. c. 10. D. Thom. 3. p. q. 77. art. 2. Item in 4. d. 12. q. 1. art. 1. quæst. 3. & communis sententia Philosophorum.

CONCLVSIO.

Cùm omne accidens reale sit distinctum à substantia, & quantitas sit verum accidens reale, distinguitur realiter à substantia.

RESPONDEO dicendum, quòd quantitas realiter distinguitur à substantia. Probatur authoritate Aristotelis 7. Metaph. textu 8. cap. 3. vbi dicit longitudinem, latitudinem, & profunditatem non esse substantias, sed quantitates, quia quantitas non est substantia, sed maximè differt ab ea. Item 1. Physic. cap. 2. apertè dicit substantiam & quantitatem non esse vnum, sed duo.

Secundò, nullum accidens reale potest esse idem realiter cùm substantia; implicat enim quòd eadem entitas realis sit realiter per se, & realiter inhæreat alteri, cùm sint oppositi modi includentes contradictionem: sed quantitas est accidens reale, annumeratur enim à Philosopho inter nouem genera accidentium: ergo non potest esse idem realiter cum substantia, vnde realiter distinguitur ab illa.

Tertiò, in Eucharistia quantitas panis de facto separatur à substantia eiusdem panis, nam in hostia consecrata remanet quantitas panis, & tamen substantia panis conuertitur in substantiam Corporis Christi, vt fides docet: ergo quantitas realiter distinguitur à substantia, nam realis separatio est signum euidens distinctionis realis, idem enim non potest à seipso separari. Nec valet solutio Nominalium dicentium, quantitatem panis simul cum ipsa substantia desinere esse in hostia, sed remanere quantitatem coloris & saporis &c. quæ distinguntur à substantia panis. Nam 1. contrariatur communi sententiæ Theologorum receptæ in Ecclesia, Concilia enim & Patres dicunt quod per consecrationem fit conuersio totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi manentibus eisdem accidentibus vt patet ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. capite 1. & Tridentino sess. 13. can. 2. sed Nominales fatentur quòd quantitas panis sit verum accidens de prædicamento accidentis: ergo etiam ipsa debet remanere: 2. Idem effectus formalis debet prouenire ab eadem forma: ergo extensio sine substantiæ, siue accidentium est ab eadem quantitate, & sic frustrà multiplicatur quantitas, vna substantiæ, alia accidentium: sed in hostia remanent extensa accidentia, vt albedo sicut patet ad oculum: ergo in illa est quantitas quæ extendit accidentia, & ante consecrationem extendebat substantiam: 3. Denique, quia nisi remaneret quantitas panis, in qua vnirentur alia accidentia, nullam inter se haberent vnionem, nam istæ qualitates verbi gratia color, & sapor non comparantur inter se tanquam actus & potentia, nec potest inter illa fingi alius modus vnionis, nisi secundùm quòd sunt in eodem communi subiecto, quod nullum aliud potest esse nisi quantitas panis: ergo ipsa remanet, & separatur à substantia panis, ac realiter distinguitur ab illa.

Ad primum ergo dicendum, quòd recipere contraria, vt quod, est proprietas substantiæ quarto modo: recipere autem contraria non conuenit, nisi vt quo ipsi quantitati.

Ad secundum dicendum, quòd substantia præcisè potest concipi sine quantitate, imò & substantia corporea prout dicit substantiam, cui debetur trina dimensio, longitudo, latitudo, & profunditas: si autem per substantiam corpoream intelligatur ipsa substantia, vt actu habet istas dimensiones, cùm istæ dimensiones sint quantitas, certum est quòd non possit concipi sine quantitate: sed hoc non infert identitatem substantiæ & quantitatis, vnde potest vna sine alia concipi, imò & esse saltem diuinitus: nec quicquam obstat hoc quòd simul oriantur & intereant, nam proprietates simul oriuntur & intereunt cum subiecto, & tamen realiter ab illo distinguntur: nec etiam verum est quòd substantia sine quantitate habeat partes extra partes, sed de hoc postea.

Ad tertium dicendum, quòd non solùm propter hoc quantitas distinguitur à substantia, sed dato & concesso, dicendum est quòd substantia recipit accidentia, vt quòd, subiectum verò, quod, non excludit subiectum, quo, quale est quantitas, sed potiùs illud exigit, vt sit ratio recipiendi.

ARTICVLVS II.

Quæ sit ratio formalis constitutiua quantitatis?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd ratio formalis constitutiua quantitatis sit ratio mensuræ, ita Albert. tract. 8. c. 1. Probatur authoritate Philosophi, cap. de quantitate, vbi docet orationem esse quantitatem, quia mensuratur syllabâ breui & longâ. Item D. Th. opusc. 52. sic habet: *Propria ratio quantitatis quæ competit quantitati vt quantitas est, ratio est mensura*: quod probatur. Illa est ratio formalis constitutiua quantitatis, quæ diuiditur in diuersas species huius prædicamenti, contracta per diuersas differentias: sed hæc est sola ratio mensuræ, nam superficies & locus, quæ ponuntur ab Aristotele duæ species quantitatis, non differunt nisi secundùm diuersum modum mensurandi, nam eadem extensio vt mensurat subiectum in quo est, dicitur superficies,

perficies, vt verò mensurat corpus quod continet, dicitur locus: ergo ratio formalis constitutiua quantitatis est ratio mensuræ.

¶ 2. Econtra, Videtur quòd ratio formalis constitutiua quantitatis sit diuisibilitas. Ita tenent Capreolus in 2.d.3.q.1.art.3.ad 11.Soncinas: 5.Metaph.q.21. Iauellus q. 20.Flandria,q.14. art.4. Aquarius q. 11. Item Scotus cum suis discipulis. Probatur authoritate Arist.5.Metaph. textu 18. vbi quantum definit *esse id, quod est diuisibile in ea qua insunt, quorum vtrumque vel vnumquodque vnum quid aptum est esse*. Item D.Th.in 1.d.19.q.1.art.1. ad 1.vbi ait: *Æqualitas consequitur rationem quantitatis que consistit in quadam diuisibilitate*. Quod probatur. Iuxta diuersos modos diuisibilitatis ponuntur diuersæ species quantitatis, nam quantitas continua est aliter diuisibilis, ac discreta, quia hæc diuiditur in partes non copulatas aliquo communi termino, illa verò in partes communi termino copulatas. Item linea, superficies & corpus distinguuntur per hoc, quod vna est diuisibilis secundùm longitudinem, alia secundùm latitudinem, & alia secundùm profunditatem, & sic de aliis: ergo ratio formalis constitutiua quantitatis est diuisibilitas.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd ratio formalis constitutiua quantitatis sit impenetrabilitas, siue repugnantia, quam habet substantia corporea vt sit in eodem loco cum alia, ita tenent aliqui Philosophi, quorum fundamenta satis soluuntur ex dicendis.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Ferrar. 4.contra gentes cap. 87. Nuñu 3. p. q. 76.art.4.dub.vnico, Araujo 5. Metaph.q.3.art.1. Masius, Sanches, Gallego, nostri Complutenses in Logica, & communiter Philosophi, nec dissentiunt fortè authores supra citati, vt patebit.

Conclusio.

Cùm habere partes extra partes sit illud, quod primò competit quantitati, & ad quod alia omnia resoluuntur, est formalis ratio constitutiua illius.

Respondeo dicendum, quòd essentia siue ratio formalis constitutiua quantitatis, non est ratio mensuræ, tam actiuæ, quàm passiuæ. 2. Nec diuisibilitas proxima. 3. Nec impenetrabilitas. 4. Sed est extensio partium in ordine ad se; siue habere in se partes extra partes. Ad cuius euidentiam sciendum est, quantitatem habere duplicem acceptionem ex D. Th. 1.p.q 42.art.1.ad 1. Primò enim sumitur latè pro perfectione siue virtute cuiuscunque naturæ, & solet appellari quantitas virtutis siue perfectionis, quo sensu dicitur magna scientia, virtus: &c. quod idem est, ac perfecta, & Deum appellamus magnum non corpore, sed perfectione, de qua accepttune D. Aug. 6. de Trinit. cap.8. dicit in his quæ non mole, sed virtute magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse. Secundò sumitur quantitas strictè, vt significat molem siue extensionem corporum, & appellatur quantitas molis, & hæc constituit hoc prædicamentum: species autem quantitatis appellantur ab Aristotele quantæ per se, alia verò omnia quanta per accidens, tum quia per se sunt principia, vnde ad res alias deriuatur denominatio quanti, tum quia est speciale in quantitate quodammodo denominari à seipsa, ob rationem declarandam, nam licèt ratio mensuræ vt dicit ordinem ad aliquid extrinsecum, siue actiuè, siue passiuè, non sit essentia quantitatis, sed proprietas, quia tamen est nobis notior, ideò frequentius loquimur de quantitate sub ratione mensuræ, & sub hac ratione egit Aristoteles in Logica, & quia inter quantitates nulla est prima, cùm hoc tantùm conueniat puncto & vnitati, ideò hoc est speciale quantitati, quòd vna possit mensurari per aliam ex D. Th. q.3. de potentia art. 17. ad 24. vnde quantitas, quæ in se & intrinsecè est mensura aliarum rerum, dicitur etiam mensurata, dum regulatur per aliam quantitatem, ac proinde eadem quantitas simul dicitur mensura, & mensurata: & in eodem sensu dicitur quantitas & quanta, quia tamen vnam quantitatem per aliam mensurari, non tollit quominus in se & intrinsecè sint mensuræ aliarum rerum, ideò eadem quantitas intrinsecè est mensura & quanta, & mensuratur per se ipsam, res verò aliorum prædicamentorum dicuntur per accidens, siue per aliud mensuratæ & quantæ.

Item sciendum est, hæc tria tribui substantiæ à quantitate, scilicet ratio mensuræ, diuisibilitas in partes, & earum extensio: mensura propriè dicta definitur ab Aristotele 10. Metaph. textu 2. esse id quo quantitas rei cognoscitur. Nam per vlnam cognoscitur quantitas panni: ad hoc autem requiritur vt mensura sit vna, & indiuisibilis secundùm illam rationem, secundùm quam assumitur, vt sit mensura, & ita vlna in ratione vlnæ est indiuisibilis, quia non componitur ex vlnis: si autem mensura non sit simpliciter indiuisibilis, sed secundùm quid (vt vlna, quæ licèt in ratione vlnæ sit indiuisibilis, est tamen diuisibilis in palmos ex quibus componitur) est simul mensura & res mensurata si autem sit indiuisibilis simpliciter, vt vnitas, & punctum, quæ proinde sunt primæ mensuræ quantitatiuæ, repugnat ei quòd sit res mensurata, hæc proportionaliter applicantur quantitatibus virtutis, inter quas est etiam mensura virtutis, siue perfectionis ex Aristotele loco citato, vnde dicitur quòd primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum illius generis, per accessum enim, vel recessum ab illo primo cognoscitur perfectio aliorum in illo genere, ita D.Th. in 1.d.8.q.4.art.2. ad 3. & alibi. Mensura autem alia est extrinseca, vt vlna respectu panni, alia extrinseca, vt quantitas respectu substantiæ cui inhæret, & aliorum accidentium corporalium, quæ mediâ quantitate recipiuntur in substantia: cùm enim à quantitate recipiant extensionem, verè mediâ quantitate cognoscitur eorum magnitudo, & ita habet rationem mensuræ: ita D. Th. in 2. d. 2. q. 1. art. 1. ad 1. Item q. 1. de veritate art. 5. & ratio est manifesta: nam substantia habet à quantitate, quòd sit tanta: ergo etiam ab illa habet, quòd cognoscatur esse tanta, & sic de accidentibus corporeis: vnde quæcumque quantitas simul est mensura & res mensurata, & hoc quia mensurat intrinsecè proprium subiectum, & constituit aptum assumi, vt mensura extrinseca aliorum, tum etiam vt passiuè mensuretur per aliam mensuram extrinsecam: ex quo aliqui diuidunt mensuram in actiuam & passiuam, actiua est aptitudo quantitatis ad alia mensuranda, passiua verò est aptitudo eiusdem, vt mensuratur, sed hæc mensura passiua dicitur impropriè mensura: licèt autem quæuis quantitas possit esse mensura aliorum, vsu tamen hominum introductæ sunt determinatæ mensuræ, vt vlna, palmus &c.

Item sciendum est quòd diuisibilitas nihil aliud est, quàm aptitudo siue potentia passiua rei, vt diuidatur in partes, siue Physicas, siue Metaphysicas, siue integrantes, vt lineæ in suas partes aliquotas, & dicitur diuisio in partes extensionis, & hæc est propria quantitatis: talis autem diuisibilitas est duplex, vna proxima & est illa immediata ratio quare quantitas diuidatur, alia remota à qua fluit diuisibilitas proxima: extensio autem prout hîc loquimur, est latitudo illa, siue moles quæ est in substantia corporea affecta quantitate, & explicatur per hoc quòd sit habere partes extra partes: est autem duplex, vna in ordine ad locum, quando scilicet vna pars est actu extra locum alterius: alia est extensio in ordine ad se, quando scilicet vna pars est extra aliam, ita vt secundum suam molem quantitatiuam non sint permixtæ, & confusæ, licèt tales partes correspondeant eidem loco de quo habemus exemplum in Eucharistiæ Sacramento, vbi Christus Dominus verè est extẽsus in ordine ad se, nam eius caput est vnitum immediatè collo, & extra illud collum pectori, & non immediatè pedibus &c. Tamen non est actu extensus in ordine ad locum, quia omnes partes sui sacrati Corporis correspondent eidẽ indiuisibili spatio, & ita totus Christus cõtinetur in qualibet parte minutissima hostiæ: ita autẽ se habent istæ duæ extensiones, vt naturaliter non possint separari, sed tantum

tùm supernaturaliter : constat autem extensionem in ordine ad locum tantùm, esse proprietatem quantitatis, & non essentiam, nam vt communiter docent Theologi contra Durandum, Christus Dominus in Eucharistia habet quantitatem, & tamen non est ibi extensus in ordine ad locum.

Probatur prima pars conclusionis. Esse mensuram primam in hoc genere conuenit tantùm puncto & vnitati ex Aristot.10. Metaph. cap.2. quæ tamen non sunt quantitates, sed principia earum : ergo ratio mensuræ, maximè actiuæ, cùm conueniat primò alteri à quantitate, non est essentia quantitatis. Deinde essentia quantitatis ex æquò debet conuenire omni quantitati, vt patet, nam ratio vniuoca essentialis æqualiter participatur secundùm se ab inferioribus : sed esse mensuram ex Aristotele loco citato non conuenit ex æquò omni quantitati, at primò conuenit quantitati discretæ. Denique per rationem mensuræ, vel intelligitur aptitudo quam quantitas tribuit substantiæ, vt affirmatur ad mensurandas alias res, quæ appellatur mensura actiua; vel aptitudo vt passiuè mensuratur; actu enim mensurare, aut mensurari est accidens : sed in neutra aptitudine potest consistere ratio formalis constitutiua quantitatis. Primò quia si daretur quantitas infinita vt linea, verè esset quantitas, & tamen non posset mensurare aut mensurari, quia infinito repugnat esse mensuram, aut mensurabile. Secundò, vtraque aptitudo supponit extensionem partium, & oritur ex illa, ideò enim aliquod quantum potest alia mensurare, aut ab aliis mensurari, quia habet partes, & priùs est habere partes, quàm habere talem aptitudinem : essentia autem est primum quod est in re : ergo essentia siue ratio formalis constitutiua quantitatis, non est ratio mensuræ, tam actiuæ, quàm passiuæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Essentia siue ratio formalis constitutiua alicuius rei est id, quod primò ei competit per se patet: sed diuisibilitas proxima, siue aptitudo ad diuisionem, siue posse diuidi non competit primò quantitati, sed supponit in illa extensionem partium, ideò enim aliquid est diuisibile in partes, quia illas habet, & non econtra, imò Aristot.6.Physic. concludit quantitatem posse diuidi, quia componitur ex partibus diuisibilibus : essentia autem rei non demonstratur de illa ex Aristot.1.de demonstratione, cùm sit primum quod est in re, & ideò à priori non datur medium quo demonstratur: ergo ratio formalis constitutiua quantitatis non est diuisibilitas proxima. Si dicatur quòd diuisibilitas, aut mensurabilitas radicalis sit essentia quantitatis, verum quidem est, nam ipsa extensio est radicaliter diuisibilitas aut mensurabilitas, cùm sit radix, vnde oriuntur diuisibilitas, & mensurabilitas proxima, sed tamen per hoc non explicatur sufficienter essentia quantitatis : sicut si quis diceret risibilitatem radicalem esse essentiam hominis, bene diceret, nam radix risibilitatis est rationalitas, tamen insufficienter & confusè explicaret essentiam hominis, quia non exprimeretur quid esset illud à quo oritur risibilitas, tanquam à radice : & idem accidit in præsenti.

Probatur tertia pars conclusionis. Impenetrabilitas supponit necessariò extensionem rerum in ordine ad locum, siquidem non habent repugnantiam vt penetrentur, nisi quia sunt extensæ in loco : extensio autem in ordine ad locum, nec est essentia quantitatis, nec effectus formalis primarius, cùm ab illa in Eucharistia separetur, sed tantùm est effectus formalis secundarius. Deinde, quia impenetrabilitas separata fuit à quantitate, vt patet in natiuitate Christi Domini, penetrauit enim sacrum Virginis matris vterum, in Ascensione, nam penetrauit Cœlos, in Resurrectione in qua penetrauit monumentum, & quando penetrauit ianuas clausas, cùm intrauit ad discipulos : vnde impenetrabilitas est tantùm proprietas quædam quantitatis, quæ tunc fuit impedita, vel ablata ex D.Thom. in 4. d. 44. quæst. 2. art. 2. de impenetrabilitate autem radicali idem dicendum, ac de diuisibilitate & mensurabilitate.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Th. 1.p.quæst.14. art. 12. ad 1. sic ait : *De ratione quantitatis est ordo partium.* Item 4. contra gentes cap. 63. ait : *Positio, quæ est ordo partium in toto, in eius* (scilicet quantitatis) *ratione includitur.* Deinde illud est essentia alicuius, quod illi primò competit, & æqualiter omnibus eius inferioribus, & in quod randem resoluuntur omnes illius proprietates, vt per se patet, nihil enim est prius in re quàm essentia, cùm illam constituat; omne autem aliud aduenit ei constitutæ : essentia autem alicuius superioris vniuoci æqualiter participatur ab eius inferioribus, & tandem essentia est radix & origo, vnde dimanant proprietates : sed habere extensionem partium in ordine ad se primò competit quantitati, & æqualiter omnibus eius speciebus, & in illud resoluuntur omnes proprietates quantitatis : non enim est assignabilis alia ratio prior, quare quantitas est in se extensa, nisi quia est quantitas: item omnes species quantitatis æqualiter participant hoc, quod sit esse extensum sine habere partes extra partes, licet cum propriis differentiis, vt patet inductione. Deinde esse æqualem vel inæqualem conuenit quantitati, quia est extensa : item conuenit illi mensurare & mensurari, quia in se habet extensionem: item est diuisibilis in partes, quia illas habet : & demum est impenetrabilis, quia ratione extensionis occupat locum : ergo ratio formalis constitutiua quantitatis est extensio in ordine ad se, siue habere partes extra partes. Confirmatur. Secundùm extensionem partium sunt diuisiones essentiales quantitatis, nam continuitas, aut discretio, longitudo, latitudo, & profunditas sunt varij modi habendi partes : locus etiam reiicitur à prædicamento quantitatis, vt postea patebit, quia non dicit distinctam extensionem à superficie : ergo ratio formalis constitutiua quantitatis est extensio partium in ordine ad se, siue habere partes extra partes.

Ad primum ergo dicendum, quòd Aristoteles in Logica egit de quantitate sub ratione mensuræ, quia est proprietas eius nobis maximè nota, & ideò ex illa sumpsit argumentum ad probandum quòd oratio sit vna species quantitatis : & similiter dicendum est ad D. Thom. vel quòd loquitur de mensura radicaliter sumpta, non vt dicit ordinem ad aliquid extrinsecum vt illud mensuret, aut ab illo mensuretur, sed per ordinem intrinsecum ad substantiam quantitas dicitur ens mensurabile prout est apta illi tribuere partes determinatas, coniunctas, & inter se ordinatas, quod sine dubio est essentia quantitatis : vel loquitur secundùm considerationem Logicam, Logicus enim agit de quantitate sub ratione mensuræ: propterea Aristoteles posuit locum & superficiem, vt duas quantitatis species, quod voluit explicare D.Thom. in illo opusculo, habent enim diuersum modum mensurandi, superficies enim mensurat intrinsecè corpus cui inest, locus autem extrinsecè mensurat locatum : in Metaphysica verò, vbi agitur de quantitate secundùm essentialem eius rationem, non annumeratur locus vt species distincta à superficie, quia non habet aliam extensionem. Denique hoc opusc. non ita habetur certum inter opera D.Thom. vt dicit D.Anthoninus 3. p. histotialium titulo 18.cap.10.Sixtus Senensis lib.4. Biblioth.& confirmat editio Pij V. sub minusculis characteribus, & per hoc patet ad rationem.

Ad secundum dicendum, quòd Aristoteles ibi definiuit quantitatem per diuisibilitatem, tanquam per proprietatem eius, quæ notior est ipsa essentia, & ex qua facilè ipsa essentia colligitur, sicut propter eamdem rationem D. Thom. definiuit quantitatem per rationem mensuræ in loco autem citato loquitur de diuisibilitate radicali, vnde dixit in quadam diuisibilitate : nec ibi opus fuit loqui de extensione partium, quia non definiebat quantitatem & similiter dicendum ad rationem, quòd diuersæ species quantitatis sumuntur à diuerso modo diuisibilitatis, tanquam à signo nobis notiore, sed non tanquam à prima radice, nam diuisibilitas supponit extensionem partium, vt proprietas essentiam, sicut dictum est.

Articvlvs III.

Vtrùm ſubſtantia corporea habeat partes entitatiuas ſine quantitate?

AD tertivm ſic proceditur. Videtur quòd ſubſtantia corporea ex ſe independenter à quantitate habeat partes integrales, & ſuam extenſionem; non quidem quantitatiuam, ſed ſubſtautialem & entitatiuam. Ita tenent Nominales, Suares diſput. 4. Metaph. ſect. 4. Fonſeca lib.5.cap.13.q.2. Conimbric.1.Phyſic.cap.2.q.2. art. 3. Ruuius ibidem cap. 3. q.2. & plures alij. Probatur authoritate D.Thom. in 2.d.30.q.2.art.1.vbi docet quantitatem debere proportionari materiæ: ergo ſicut quantitas eſt extenſa, ita & materia. Ibidem etiam docet quòd per nutritionem non ſolùm acquiritur noua pars quantitatis, ſed etiam ſubſtantiæ; quia nutritio eſt motus ſucceſſiuus præcisè terminatus ad ſubſtantiam, ſicut augmentatio ad quantitatem: ergo ſubſtantia corporea habet partes entitatiuas ſine quantitate.

§ 2. Præterea, Si ſacerdos per deſignationem conſecraret tantùm medietatem hoſtiæ, tunc ibi eſſet vna tantùm quantitas, & tamen in illa parte conſecrata non eſſet ſubſtantia panis, ſicut eſt in alia, & ita ſubſtantia diuiditur ſecundùm ſeipſam, & non ad diuiſionem quantitatis, cùm quantitas maneat ibi integra & indiuiſa, vt in ſimili docet D.Th. 3.p.q.77.art.8.ad 2. ſi vino conſecrato infunderetur vinum non conſecratum: ergo ſubſtantia corporea habet partes entitatiuas ſine quantitate.

§ 3. Præterea, Subſtantia corporea eſt ſubiectum quantitatis, & ita tota quantitas recipitur in tota ſubſtantia, & partes quantitatis in partibus ſubſtantiæ, forma enim & ſubiectum debent inter ſe proportionari: ergo ſubſtantia corporea ſecundùm ſe habet partes entitatiuas ſine quantitate, alias res diuiſibilis reciperetur in ſubiecto indiuiſibili.

§ 4. Præterea, Subſtantia affecta quantitate habet partes ſubſtantiales, vt in ſocrate, caput, manus &c. ſunt partes ſubſtantiales diſtinctæ: ergo illas non recipit à quantitate, quia nullum accidens poteſt tribuere effectum ſubſtantialem. Deinde Cœlum p[illegible]t ex ſe maiorem quantitatem, quàm formica: ergo habet in ſe maiorem ſubſtantiam: nam ad maiorem ſubſtantiam ſequitur maior quantitas.

§ 5. Præterea, Sequitur ex oppoſitu, quòd in ſubſtantia corporea ablatâ quantitate identificarentur caput, manus &c. quæ ſecundùm ſe ſunt diſtincta, quod eſt impoſſibile. Item talis ſubſtantia remaneret in loco; ſupponimus enim eſſe in rerum natura: ergo in illo habet extenſionem, nihil enim eſt in loco niſi ſit extenſum.

§ 6. Præterea, Ponatur quòd Deus in inſtanti auferat ab Oceano quantitatem, tunc vel eius ſubſtantia remanet diuiſibilis, vel redditur indiuiſibilis. Si primum dicatur: ergo ſubſtantia ex ſe ſine quantitate eſt diuiſibilis, ac proinde habet partes entitatiuas: ſecundùm autem non poteſt dici, aliàs tota illa ſubſtantia conflueret in punctum. Nec eſt maior ratio cur eſſet in vna parte, quàm in alia. Deinde iſte motus fieret in inſtanti poſtremo qui biberet guttam illius aquæ, biberet totum Oceanum, quæ omnia ſunt impoſſibilia: ergo ſubſtantia corporea habet partes entitatiuas ſine quantitate.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli Caietan. 1. p. q.52. art. 1. Ferrar. 1.Phyſic. q. 4. Nazarius 1.p.q.50.art.2. Soncinas 5. Metaph. q. 19. Sanches, noſtri Complutenſes in Logica. Extra ſcholam D. Thom. ſequuntur Durandus in 1. d. 34.q. 1. B. Albert. 1. Phyſic. q. 6. Toletus ibidem q. 7. & Vaſques 1. p. diſp. 196. cap. 1 vbi acriter reprehendit oppoſitum.

Conclvsio.

Cùm eſſe extenſum quacumque extenſione, ſit quid accidentale reſpectu ſubſtantiæ, non poteſt illi ſecundùm ſe conuenire, & ita non habet partes entitatiuas ſine quantitate.

Respondeo dicendum, quòd ſubſtantia corporea ex ſe ſine quantitate nullam habet extenſionem, nec partes entitatiuas integrantes, & ita ablatâ quantitate remaneret indiuiſibilis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd nulla ſit difficultas inter Doctores, ſubſtantiam incorpoream, & omninò ſpiritualem eſſe indiuiſibilem ſecundùm partes integrantes, vnde ſolùm dubitatur de ſubſtantia corporea. Nec etiam eſt difficultas quòd Deus poſſit conſeruare ſubſtantiam corpoream ſine quantitate: ſuppoſito enim quòd realiter diſtinguuntur, & quòd ſit tanta dependentia ſubſtantiæ à quantitate, quanta eſt quantitatis à ſubſtantia vt patet, cùm Deus conſeruet in Euchariſtia quantitatem ſine ſubſtantia, multò magis poterit conſeruare ſubſtantiam ſine quantitate: & in hoc caſu quæritur, an talis ſubſtantia haberet partes integrantes, v.g. caput, manus, pedes &c. non enim eſt dubium, quin haberet partes eſſentiales, tam Phyſicas, ſcilicet materiam & formam, quàm Metaphyſicas, ſcilicet eſſentiam, ſubſiſtentiam & exiſtentiam, cùm hæ contineantur illam. Concedunt autem communiter Doctores ſubſtantiam corpoream ſine quantitate non habere extenſionem partium in ordine ad locum ſiue in loco, ſed ſolùm dubitant, an habeat extenſionem actualem in ordine ad ſe.

Item ſciendum eſt, quòd non poſſumus percipere, aut imaginari ſubſtantiam nudam ab omni accidente, etiam ſi nitamur illam percipere, vt præuenit accidentia ſecundùm ſe, quin imaginemur illam, ac ſi verè haberet accidentia: quod prouenit ex hoc quòd intelligimus mediis ſenſibus & imaginatione, quæ non poſſunt percipere ſubſtantiam ſecundùm ſe abſque aliquo accidente: inter accidentia autem, quæ neceſſariò requiruntur vt ſenſus interior operetur, ſunt accidentia communia, quantitas motus, vbi &c. vnde niſi intellectus corrigat imaginationem, & eleuetur ſupra modum, quem pro hoc ſtatu habet connaturalem, ſcilicet intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata, non poteſt apprehendere ſubſtantiam ſine aliqua extenſione, vbicatione &c. ſi autem ſupra ſe eleuetur, poteſt cognoſcere quòd ſicut ſubſtantia ante albedinem receptam in ſeipſa non eſt alba, ſed dealbabilis, ita ante quantitatem non eſt extenſa, ſed extenſibilis, nam eſſe extenſum eſt effectus formalis quantitatis, qui ſine ipſa forma non poteſt communicari. Item poteſt cognoſcere quòd ſicut dealbabilitas in ſubſtantia non eſt aliqua albedo entitatiua, ſed potentia paſſiua ad recipiendam albedinem: ita extenſibilitas non eſt aliqua extenſio entitatiua, ſed potentia paſſiua ad recipiendam extenſionem: cùm verò potentia paſſiua, quamdiu non recipit actum, habet priuationem illius; ideò hæc duo ſunt vera, ſcilicet quòd ſubſtantia ante quantitatem eſt extenſibilis, ſed non extenſa, & vbicabilis, ſed non vbicata: vnde aduerſarij decipiuntur imaginatione, dum ponunt in ſubſtantia extenſionem entitatiuam vt poſſit recipere quantitatem, ne diuiſibile recipiatur in ſubiecto indiuiſibili, ad hoc enim non requiritur, nam accidens ſolùm requirit in ſubiecto potentiam paſſiuam ad ſui receptionem: cauſa autem huius deceptionis adducitur à D.Thom. quia inextenſionem ſiue indiuiſibilitatem ſubſtantiæ concipiunt, vt oppoſitam contradictoriè, aut contrariè extenſioni & diuiſibilitati quantitatis, cùm tamen ſit tantùm oppoſita priuatiuè.

Probatur concluſio authoritate D. Thom. 4. contra gentes cap.65. vbi ſic ait: *Remotâ quantitate, ſubſtantia omnis indiuiſibilis eſt vt patet per Philoſophum 1. Phyſicorum.* Item 1.p.q.50. art.2. ait: *Materiam autem diuidi in partes non conuenit, niſi ſecundùm quòd intelligitur ſub quantitate, qua remotâ remanet ſubſtantia indiuiſibilis vt dicitur 1. Phyſicorum.* Item quodlib.9.q.4.art.2. ait: *Impoſſibile eſt quòd vna materia contrarias & diſparatas formas recipiat, niſi ſecundùm diuerſas partes:* Diuerſitas autem partium non poteſt intelligi in materia non intellectâ diuiſione, neque diuiſio non intellectâ dimenſione, quia ſubſtantia quantitate ſublatâ remanet indiuiſibilis, vt dicitur 1.Phyſic. idem docet alibi ſæpe.

Secundò, præciſa quantitate non poteſt eſſe in ſub-

ſtantia

ſtantia compoſitio partium integralium, etiam entitatiuarum, nam talis compoſitio eſt accidentalis, cùm non fit ex actu & potentia ſimpliciter, nam vna pars non conſtituit aliam, nec dat illi eſſe, nec ſunt primò diuerſæ, ſed eiuſdem rationis: vnde debet prouenire ab aliquo accidente, ſcilicet quantitate, quæ eſt primum accidens, quidquid enim ante accidentia præintelligitur in ſubſtantia, pertinet ad eſſentiam: ergo eſt impoſſibile quòd ſubſtantia habeat partes entitatiuas ſine quantitate. Confirmatur primò. Partes integrales etiam Ethemgeneæ, & earum diſtinctio cauſatur ab accidentibus, nam caput v.g. & manus ſolùm de materiali ſignificant ſubſtantiam, de formali verò talem vel talem figuram cum his accidentibus: ſimiliter oſſa non diſtinguuntur à carne in ſubſtantia ſecundùm ſe, ſed penes durum & molle: ergo ablatâ quantitate & aliis accidentibus, non dantur in ſubſtantia tales partes, caput, manus, &c. Confirmatur ſecundò ſpecialiter de materia prima. Priùs eſt eſſe, quàm maius eſſe, nam eſſe ſimpliciter præcedit eſſe ſecundùm quid: ſed materia ſecundùm ſe non habet eſſe vt probatum eſt ſupra in Phyſicis: ergo ex ſe non habet quòd ſit maior, & conſequenter non habet eſſe partes entitatiuas.

Tertiò, eſſe extenſum quacumque extenſione, eſt eſſe ſecundùm quid, illud enim eſt eſſe ſecundùm quid reſpectu ſubſtantiæ, per quod non poteſt reſponderi ad quæſtionem, quid eſt ipſius ſubſtantiæ, vel quòd non complet aut terminat illam intra limites ſubſtantiæ, ſicut ſubſiſtentia & exiſtentia: eſſe autem extenſum eſt huiuſmodi, vt patet, nam quærenti, quid eſt homo; non poteſt reſponderi, eſt extenſus etiam entitatiuè: ergo ſicut eſſe quale aduenit ſubſtantiæ per qualitatem, ſic eſſe extenſum aduenit per quantitatem: & ſicut non poteſt diſtingui eſſe quale entitatiuè, & quale qualitatiuè, & primum attribui ſubſtantiæ ſecundùm ſe, ſic non poteſt attribui ſubſtantiæ ſecundùm ſe eſſe extenſam entitatiuè: vel dicendum eſt quòd nullum datur quantùm per accidens, nam ſi in ſubſtantia admittenda eſt extenſio, ne diuiſibile ſcilicet quantitas recipiatur in ſubiecto indiuiſibili, ſic etiam in aliis accidentibus admittenda eſt extenſio, ne indiuiſibile recipiatur in ſubiecto diuiſibili.

Ex dictis infertur quòd optimè definitur quantitas per ſuum primarium effectum formalem, quòd ſit accidens tribuens partes ſubſtantiæ, ſiue accidens ſubſtantiæ extenſiuum, ideſt, quantùm ad aptitudinem, quam ſemper retinet, licèt ſit ſeparata à ſubſtantia vt in Eucharistia, corpus enim de genere ſubſtantiæ eſt ſubſtantia extenſibilis, ſiue apta vt extendatur per quantitatem.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. in loco illo ſolùm dicit materiam non poſſe recipere quamcumque quantitatem imaginabilem, quia non recipit quantitatem, niſi ratione formæ ſubſtantialis, cui debetur determinata quantitas, quæ eſt proportionata materiæ ſigillatæ præcedentibus diſpoſitionibus, nec verbum dicit de extenſione materiæ, imò non eodem articulo expreſsè docet noſtram concluſionem, dicit enim ex materia res quanta efficitur, non per extenſionem, cùm extenſio non fit niſi eius quod alicuius quantitatis erat, ſed per quantitatis ſuſceptionem, & infra ait: *Diuiſio non accidit materiæ, niſi ſecundùm quòd conſideratur ſub dimenſionibus ſaltem interminatis, quia remotâ quantitate vt in 1. Phyſic. dicitur, ſubſtantia erit indiuiſibilis.* In ſecundo verò loco nihil dicit contra nos, dicimus enim quòd nutritio & augmentatio ſunt ſimul: & ſic non producitur pars ſubſtantiæ, niſi ſub quantitate, aliàs non eſſet pars actualis: quamuis prioritate naturæ præintelligatur nutritio terminari ad ſubſtantiam ſecundùm ſe, & hoc ſufficit vt ſpecificetur ab illa: ſed tunc intelligitur tantùm vt potens recipere actualem extenſionem, & vt radix illius, non autem vt actu extenſa, aut pars actualis: imò nutritio à natura ordinatur ad augmentationem, & non ècontra, quia natura in nutritione tantùm intendit perficere eſſe in ordine ad operari, quod fit per acquiſitionem quantitatis congruæ, licèt in prima rei generatione primò intendat ſubſtantiam, cui primò competit eſſe, & ſecundariò quantitatem.

Ad ſecundùm dicendum, quòd poſito tali caſu, eſſet duplex quantitas in realitate, quamuis ſecundùm apparentiam ſit vna: & ſic intelligendus eſſet D. Th. quia non eſt idem ſubiectum, ſicut partes non viuentes in arbore non continuantur cum viuentibus, licèt videantur continuari, & quælibet habeat ſuam quantitatem diſtinctam. Vel dicendum cum Caietano, Capreol. & aliis quòd illæ dimenſiones ſunt continuæ: ſed negandum quòd ibi ſubſtantia diuidatur ſecundùm ſe, ſed vna pars deſinit eſſe ex vi actionis ſupernaturalis conuertentis illam in corpus Chriſti: nam ſubſtantia, dum eſt ſub quantitate, verè habet partes ſibi communicatas à quantitate, & in illas immediatè poteſt attingere agens ſupernaturale, vel annihilando, vel corrumpendo, vel conuertendo integrâ manente quantitate, licèt hoc non poſſit fieri ab agente naturali, quòd non agit niſi attingendo quantitatem, quia agit mediis diſpoſitionibus naturalibus, quæ ſubiectantur in illa vt in ſubiecto, quo.

Ad tertium dicendum, quòd proportio inter formam & ſubiectum conſiſtit in hoc, quòd ſubiectum habeat potentiam paſſiuam ad recipiendam formam, & forma vim actuandi talem potentiam, & tribuendi ſuum effectum formalem, & non quòd habeat ſimilem effectum, imò debet habere priuationem illius: vnde tota quantitas recipitur in ſubſtantia, & in ſua receptione dat ſubſtantiæ eſſe actu totum integrale, & habere partes: & ſic res diuiſibilis poteſt recipi in ſubiecto indiuiſibili priuatiuè, ſiue cui debetur diuiſibilitas, non verò in ſubiecto indiuiſibili negatiuè, ſiue cui repugnat diuiſibilitas vt in Angelo.

Ad quartum dicendum, quòd quantitas non tribuit ſubſtantiæ partes ſubſtantiales ſic, quòd totum hoc ſit eius effectus formalis, ſed tribuit ſubſtantiæ habere partes eo modo, quo dicimus calorem facere ſubſtantiam calidam: vnde ſimiles propoſitiones non ſunt formales; ſed materiales & denominatiuæ, & eodem ſenſu debet intelligi quandò dicitur, quòd caput & manus ſubſtantialiter diſtinguuntur: non enim debet intelligi, quòd principium cauſans hanc actualem diſtinctionem ſit ſubſtantia, nam hæc diſtinctio ſolùm prouenit à quantitate. Ad aliud dicendum, quòd forma cœli petit maiorem quantitatem, quàm forma formicæ, vnde ſubſtantia cœli eſt maior ſubſtantia formicæ, non actu ſecundùm ſe, ſed tantùm radicaliter, quia eſt radix maioris quantitatis: hoc autem non eſt habere maiorem extenſionem actualem, ſed eſt eſſe extenſibilem per maiorem quantitatem: vnde non benè infertur, ex eo quòd quantitas abſolutè ſequitur ſubſtantiam corpoream, quòd tanta quantitas ſequatur tantam ſubſtantiam, ſed ſolùm quòd ſequatur ſubſtantiam, quæ habet capacitatem ad tantam quantitatem.

Ad quintum dicendum, quòd cùm diſtinctio, vel identitas ſint inter duo, in caſu quo auferretur quantitas à ſubſtantia, partes eius nec dicerentur idem eſſe, aut eſſe diſtinctæ, quia non remanerent, ſed ſubſtantia eſſet indiuiſibilis, nec in aliquo eſſet loco, ſed locus, quem antea occupabat, repleretur aëre, vel alio, & ſic eſſet in rerum natura eo modo, quo ſunt Angeli, & ideò in iſtis non eſt credendum imaginationi.

Ad ſextum dicendum, quòd in tali caſu ſubſtantia Oceani maneret priuatiuè indiuiſibilis, vnde ſicut ſubſtantia, dum recipit quantitatem, non tranſit de minori ad maiorem magnitudinem, vel de minori ad maiorem locum & ſitum, ſed tranſit de non magna in magnam, & de non ſituata in ſituatam: econtra, ſi auferretur quantitas, non tranſiret de maiori ad minorem, nec de maiori loco aut ſitu in minorem, ita vt conflueret in punctum, ſed omninò deſineret eſſe extenſa, & in loco: fallitur autem imaginatio, vt ait: D. Thom. dum imaginamur indiuiſibilitatem ſubſtantiæ ablatâ quantitate, ad modum indiuiſibilitatis puncti, nam prima eſt per remotionem totius generis quantitatis, & ita nec eſt in

loco, nec habet ſitum, cùm iſta ſupponant quantitatem: at punctum, licèt ſit indiuiſibile, tamen habet determinatum ſitum in quantitate, vt principium illius: in tali autem caſu Oceanus non habet guttas, cùm non haberet partes, nec bibi poſſet aut moueri, cùm non eſſet in loco.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm linea, ſuperficies, & corpus ſint veræ ſpecies quantitatis continuæ?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd linea, & ſuperficies non ſunt veræ ſpecies quanticati continuæ. Ita Hurtado diſp. 13. Metaph. ſect. 6. Cabedo in Logica cap. de quantitate diſp. 2. dub. 5. hi enim ſolùm admittunt corpus ex tribus aſſignatis eſſe veram ſpeciem quantitatis continuæ. Probatur. Sicut motus ordinatur eſſentialiter ad terminum, & punctum ad lineam: ſic linea ordinatur eſſentialiter ad ſuperficiem, & ſuperficies ad corpus: ſed motus & punctum, quia ordinantur ad alia, ſunt quid incompletum, ac proinde non ſunt veræ ſpecies quantitatis continuæ: ergo nec linea, nec ſuperficies.

¶ 2. Præterea, Species alicuius generis debent eſſe oppoſitæ, nec vna includit aliam: ſed linea & ſuperficies non opponuntur inter ſe, aut corpori, at ſuperficies includit lineam, & corpus includit vtramque: ergo linea, & ſuperficies non ſunt veræ ſpecies quantitatis continuæ.

¶ 3. Præterea, De ratione quantitatis eſt, quòd habeat partes impenetrabiles, eſt enim proprietas, ſaltem ſecundaria ipſius vt dictum eſt: ſed nec linea, nec ſuperficies haberet partes impenetrabiles: nam ſi duæ lineæ ſe tangant, penetrabunt ſe: & ſimiliter ſi ſupra vnum corpus perfectè planum ponatur aliud æquale, ſuperficies vltima vnius tangit omnes partes ſuperficiei vltimæ alterius, ac proinde penetrantur: nam penetrari nihil aliud eſt, quàm quòd vna quantitas tangat omnes partes alterius: ergo linea, & ſuperficies non ſunt veræ ſpecies quantitatis continuæ.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis in Logica cap. de quantitate & 5. Metaph. cap. 13. D. Thom. ibid. lect. 16. & opuſc. 48. tract. 3. cap. 5. quos communiter ſequuntur Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm linea, ſuperficies & corpus habeant propriam & completam extenſionem, eſſentialiter ab alia diſtinctam, ſunt veræ ſpecies quantitatis continuæ.

RESPONDEO dicendum, quòd linea, ſuperficies, & corpus ſunt veræ & per ſe ſpecies quantitatis continuæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd quantitas diuiditur ab Ariſtotele in continuam, & diſcretam: hæc autem diuiſio eſt generis in ſpecies, nam Ariſtoteles poſt numeratas quantitates, tam continuas, quàm diſcretas ait: *Propriè autem quantitatis hæ ſunt, quas diximus: alia autem omnia ſecundùm accidens.* Ita etiam docet D. Thom. 1. p. q. 30. art. 3. & q. 9. de potentia art. 7. quem communiter ſequuntur Philoſophi: & ratio eſt manifeſta, nam continuam & diſcretum diuidunt quantitatem ſecundùm rationem formalem eius, nam habere partes formaliter, diuiditur per habere partes vnitas, quod eſt eſſe continuum, & per habere partes diſcretas, quod eſt eſſe diſcretum: ergo ſunt differentiæ per ſe & eſſentiales, & ſic conſtituunt veras ſpecies.

Item ſciendum eſt, quòd linea eſt longitudo ſine latitudine, quæ intelligitur cauſari ex ductu puncti, ſuperficies eſt longitudo, & latitudo ſine profunditate, quæ intelligitur cauſari ex ductu lineæ: corpus autem dicit has tres dimenſiones, ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & intelligitur cauſari ex ductu ſuperficiei: non quòd corpus componatur ex ſuperficiebus, ſuperficies ex lineis, & lineæ ex punctis, ſed quia partes corporis vniuntur mediis ſuperficiebus, partes ſuperficierum mediis lineis, & partes lineæ mediis punctis, incipiunt, & terminantur ab illis: vnde linea includit vnam dimenſionem, ſuperficies duas, & corpus tres: non quia omnes has de formali ſignificent, vt notat D. Thom. opuſc. 48. tract. 3. cap. 5. ſed de formali vnaquæque ſpecies ſignificat vnam dimenſionem tantùm, vt linea longitudinem, ſuperficies latitudinem ſupponendo longitudinem, corpus vero profunditatem ſupponendo longitudinem, & latitudinem: vnde dicit Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 13. *Magnitudo autem, quæ quidem ad vnum continua eſt, longitudo, quæ vero ad duo latitudo, quæ autem ad tria, profunditas eſt:* Longitudo linea, latitudo autem ſuperficies, profunditas verò corpus eſt: ex quibus ſic poſſumus definire has ſpecies, linea eſt quantitas continua punctis, ſuperficies eſt quantitas continua lineis, corpus eſt quantitas continua ſuperficiebus. Hæ autem tres ſpecies quantitatis ſunt ſpecies infimæ, non enim propria vniuſcuiuſque ratio continet ſub ſe extenſiones eſſentialiter diſtinctas in ratione extenſionis cuius ſignum eſt, quòd linea recta poteſt fieri curua, ſuperficies quadrata poteſt fieri circularis, & corpus piramidale poteſt fieri quadratum, &c. quæ omnia ſunt differentiæ accidentales deſumptæ à diuerſis figuris: vnde tales diuiſiones ſunt ſubiecti in accidentia.

Probatur concluſio. Linea, ſuperficies, & corpus habent à ſeipſis, & non ab alio extenſionem, & diuiſibilitatem, ita vt vnum quodque habeat propriam & completam extenſionem, eſſentialiter diſtinctam ab extenſione alterius, nam vniuſcuiuſque partes petunt diuerſa continuatiua vt copulentur, partes enim lineæ copulantur punctis, partes ſuperficiei lineis, & partes corporis ſuperficiebus: nec vna extenſio, quatenus talis, ordinatur ad aliam, & ita vnaquæque ex his dimenſionibus habet propriam & completam extenſionem, diſtinctam eſſentialiter ab alia: ergo linea, ſuperficies, & corpus ſunt veræ ſpecies quantitatis diſcretæ. Confirmatur. Linea, ſuperficies, & corpus habent diuerſas proprietates: nam productum & breue ſunt proprietates lineæ, latum & ſtrictum ſuperficiei, celſum & humile corporis, vt docent Ariſtoteles, & D. Thom. locis citatis: ergo & eſſentias habent ſpecie diuerſas; diuerſitas enim proprietatum arguit diuerſitatem eſſentiarum.

AD primum ergo dicendum, quòd lata eſt diſparitas: nam motus ſemper conſideratur vt via ſiue tranſitus, & conſequenter vt quid incompletum: & ſimiliter punctum ſecundùm omnem conſiderationem, & verſus omnem partem eſt quid indiuiſibile & inextenſum: & ideò nullo modo ſunt ſpecies quantitatis: ſed linea, vt linea eſt, & ſic proportionaliter de ſuperficie, poteſt conſiderari dupliciter. Primò verſus longitudinem, & ſic veram & propriam habet extenſionem, & eſt diuiſibilis in partes nec formaliter vt ſic, ordinatur ad ſuperficiem (quæ formaliter tantùm dicit latitudinem, licèt ſupponat longitudinem) & conſequenter eſt quid completum & vera ſpecies quantitatis: Secundò verſùs latitudinem, & ſic linea eſt indiuiſibilis, & ordinatur ad vniendas partes ſuperficiei; ſicut punctum ad vniendas partes lineæ: ac proinde vt ſic non eſt quantitas, nec ſpecies quantitatis; ſed eſt continuatiuum quantitatis.

AD ſecundum dicendum vt ſupra ex D. Th. quòd corpus non dicit eſſentialiter trinam dimenſionem, ſed tantùm profunditatem, licèt ſupponat alias: vnde tantùm materialiter includit lineam, & ſuperficiem: & ſimiliter ſuperficies tantùm materialiter includit lineam, in quantùm ſupponunt eas: & ideò hoc non tollit eſſe veras ſpecies quantitatis continuæ, ſicut enim in quantitate diſcreta, quaternarius includit ternarium, non formaliter vt ternarius eſt, ſed materialiter ratione trium vnitatum: & ideò ternarius eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

AD tertium dicendum, quòd illæ duæ lineæ, aut ſuperficies non ſe penetrarent: quia non ſe tangerent formaliter ſecundùm quòd ſunt quantitates, ſiue vt diuiſibiles, ſed formaliter quatenus ſunt indiuiſibiles, licèt vnaquæque earum materialiter tangat omnes partes alterius: nam ad penetrationem non ſufficit duas quantitates ſe vtcumque tangere in omnibus ſuis partibus, ſed

vltra

ultra requiritur vt tangant se in omnibus partibus formaliter secundùm illam dimensionem, versùs quam fit contactus, quod non est in præsenti, quia nec linea secundùm latitudinem, nec superficies secundùm profunditatem habent partes, sicut habet corpus: & ideò si duo corpora se tangerent secundùm omnes partes, se penetrarent, quia daretur intromissio vnius in aliud secundùm eundem locum, quæ intromissio non esset in præsenti, cùm non sint partes.

Articvlvs V.

Vtrùm locus, tempus, & motus sint veræ species quantitatis?

AD qvintvm sic proceditur. Videtur quòd locus, tempus, & motus sint veræ species quantitatis. Probatur de loco, & motu, de quibus est specialis difficultas, locus numeratur ab Aristotele in Logica inter species quantitatis continuæ: ergo est vera species.

§ 2. Præterea, Locus est verè extensus, & distinguitur essentialiter à superficie corporis ambientis nudè sumpta, nam dicit pro formali immobilitatem per ordinem ad polos mundi, & hanc superaddit ipsi superficiei: ergo est vera species quantitatis essentialiter distincta à superficie.

§ 3. Præterea, Motus habet propriam extensionem, & continuitatem, & propria continuatiua, scilicet mutata esse: ergo est vera species quantitatis continuæ: maximè quia est idem realiter, ac tempus, & si distinguantur, est quid perfectius tempore: nam tempus fluit à motu, vt proprietas ab essentia ex D.Thom. 1. p. q. 53. art. 3. passim autem siue proprietas est imperfectior illo, cuius est proprietas: ergo si motus excluditur à prædicamento ob sui imperfectionem, multò magis tempus, vel si tempus admittitur, multò magis motus.

Sed contra est communis sententia Thomistarum cum D. Thom. & Aristotele, quos referemus ad singulas partes conclusionis.

Conclvsio.

Cùm tempus habeat propriam extensionem; locus autem non aliam habeat, quàm extensionem superficiei; motus verò sit quid imperfectum & viale, sequitur quòd tempus sit vera species quantitatis continua, non verò locus, nec motus.

Respondeo dicendum, quòd locus non est propriè & per se species quantitatis continuæ, sed reducitur ad eam, ratione superficiei quam includit 2. sicut nec motus est propriè & per se species quantitatis 3. tempus verò est vera species licèt imperfecta & tenuissimæ entitatis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd locus definitur ab Aristotele sic 4. Physic. *Est vltima superficies corporis continentis, immobilis, primi:* Vnde non solùm importat superficiem, sed etiam relationem aliquam ad corpus locatum, vel saltem aptitudinem continendi, & circumscribendi illud. Tempus autem definitur ab Aristotele 6. Physic. cap. 11. sic: *Est numerus motus secundùm prius & posterius:* Per ly autem (numeros) non intelligitur species quantitatis discretæ, de quo infra agendum est: cùm tempus sit quid continuum: sed numerus ibi idem est, quòd mensura, siue extensio: & ita sensus definitionis est, tempus est mensura siue extensio motus secundùm prius & posterius. Motus autem consistit propriè & formaliter in fluxu & transitu intermedio, nulla habita ratione termini, licèt necessariò vtrumque requirat terminum ex D.Thom. in 2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. vt autem intelligitur in termino, à quo, nondum est, vt verò intelligitur in termino, ad quem; iam non est: definitur autem sic ab Aristotele 3. Physic. cap. 2. *Est actus entis in potentia, prout in potentia:* Quæ definitio supra suo loco explicata fuit. Quòd autem attinet ad præsens, est quòd verus motus, vt distinguitur à mutatione instantanea, dicit essentialiter quòd non simul actuat totum mobile, sed partim actuet, & partim relinquat in potentia actuandum: vnde necessariò intelligitur ibi esse prius & posterius, ac vera extensio successiua, & hæc est tempus: quæ extensio intelligitur dimanare ab ipsa quantitate, siue extensione permanenti rei mobilis medio motu, in genere causæ quasi efficientis: sicut ipsa quantitas siue extensio permanens fluit immediatè à substantia corporea, vt docet Aristoteles 5. Metaph. cap. 13. dum dicit tempus habere extensionem à motu, & motum à magnitudine in genere causæ efficientis, sed hoc non tollit, quin ipsum tempus in genere causæ formalis extendat, & mensuret motum, & quantitatem permanentem, sicut quantitas permanens substantiam à qua fluit.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Aristotelis 5. Metaphysicæ cap. 13. & D.Thom. ibidem lect. 15. vbi docent locum esse quantum per accidens: constat autem quòd Philosophus egit exactius de naturis rerum in Metaphysica. Nec sibi contrariatur, dum in Logica numerat locum inter species quantitatis continuæ, nam vt supra dictum est, ibi egit de quantitate sub ratione mensuræ; vnde cùm locus habeat diuersum modum mensurandi à superficie, hæc enim est mensura intrinsece rei cuius est, locus autem mensurat extrinsecè locatum, ideò ibi numerat vt duas species.

Secundò, locus præter superficiem includit relationem siue aptitudinem continendi corpus locatum, & immobilitatem ad polos Mundi: sed hæc per accidens se habent ad propriam & essentialem rationem quantitatis, quæ est in superficie, vt patet: ergo locus prout sic, non est vera species quantitatis, sed ens per accidens. Deinde nullam aliam habet extensionem præter extensionem superficiei: ergo reducitur ad superficiem, & non constituit distinctam speciem.

Probatur secunda pars conclusionis contra Fonsecam 5.Metaph.cap.13. q.8. & Conimbric. 3.Physic.cap.2.q.2. Aristoteles nec in Logica, nec in Metaphysica, vbi exactè egit de naturis rerum, numerauit motum inter species quantitatis, cùm numerauerit alias: ergo motus non est species quantitatis. Nec hoc argumentum procedit ab authoritate merè negatiua, cùm enim in illis locis enumeret veras species & reiiciat alia, quæ videbantur esse veræ species, putà locum: & 11.Metaph. apud D. Thom. lect. 9. docuerit quòd motus sit quidam fluxus & transitus de vno in aliud, & consequenter ens incompletum & imperfectum, quòd non potest per se poni in prædicamento, illum reiicit à prædicamento quantitatis: imò illud constituit postprædicamentum: ergo motus non est propriè & per se species quantitatis, sed reducitur ad prædicamentum sui termini, vt dictum est supra.

Probatur tertia pars conclusionis contra Sanchem in Logica lib. 5. q. 17. & Araujo in Metaph. quam tamen sequuntur nostri Complutenses, noster Didacus, Masius in Logica, Aquarius 5. Metaphysicæ q. 11. & alij plures etiam extra scholam D. Thom. Probatur inquam authoritate Aristotelis, qui in Logica cap.de quantitate numerat tempus inter eius species: nec sibi contrariatur 5. Metaphysicæ, dum dicit tempus esse quantum per accidens, ibi enim distinguit duos modos quanti per accidens, vnum quod verè dicitur tale, quia de se nullam habet extensionem sed extenditur per ipsam extensionem subiecti, vt musicum, album &c. musica enim, & albedo nullam habent propriam extensionem: aliud verò quòd non tam dicitur quantum per accidens, quàm per aliud, vt ibidem explicat D.Thom. lect. 15. quia nimirum licèt habeat propriam extensionem, illa tamen resultat & deriuatur ab alia, quam præsupponit, & ita non diuiditur per se, sed ad diuisionem alterius, & hoc modo tempus appellatur ab Aristotele quantum per accidens, siue per aliud: quo posito sic probatur ratione: Tempus esse quantum per aliud modo explicato non tollit, quin sit vera species quantitatis, licèt imperfectissima, & tenuissimæ entitatis: nam etiamsi superficies necessariò supponat extensionem lineæ, & corpus superficiei, & oriantur quodammodo ex eis, adhuc sunt veræ species quantitatis: & similiter licèt numerus supponat necessariò quantitatem conti-

 nuam,

nuam, & cauſetur ex eius diuiſione, vt ait D.Thom. 1. p. q. 30. art. 3. tamen eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ, non aliâ ratione, niſi quia habent propriam extenſionem diſtinctam ab ea, quam præſupponunt, & à qua intelliguntur oriri: ergo etiamſi tempus ſupponat, & oriatur ab extenſione permanente rei mobilis medio motu, adhuc erit vera ſpecies quantitatis continuæ, cùm habeat propriam extenſionem omninò ab aliis diſtinctam, tempus enim habet proprias partes, ſcilicet præſens, præteritum, & futurum, & propria continuatiua, ſcilicet inſtantia, item habet proprietates ab aliis diuerſas, nam cæteræ ſpecies quantitatis menſurant permanenter, tempus verò ſucceſiuè, & ideò non habet totum eſſe ſimul, ſicut aliæ: quòd autem tempus ſit imperfectiſſimum, & debiliſſime entitatis, patet, quia vt docet D. Thom. opuſc. 44. illa ſunt minimæ entitatis, quæ vel ſecundùm ſe non ſunt entia actu vt materia prima, vel ſecundùm ſe tota non exiſtunt, ſed tantùm ſecundùm aliquid ſui, vt tempus, & alia ſucceſſiua.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtoteles in Logica egit de quantitate ſub ratione menſuræ, cùm hæc ratio ſit valde nota, & ideò numerauit locum inter ſpecies eius, quia habet peculiarem modum menſurandi, vt dictum eſt: in Metaphyſica autem egit de illa exactius ſub propria ratione extenſionis, quam locus non habet diſtinctam ab extenſione ſuperficiei, & ideò non numerat inter ſpecies quantitatis, ſed reducit ad ſuperficiem.

Ad ſecundum dicendum, quòd illa immobilitas, & quidquid ſuperaddit locus ſuperficiei, non pertinet ad rationem formalem quantitatis, & ideò non poteſt conſtituere illum ſpeciem peculiarem quantitatis diſtinctam à ſuperficie.

Ad tertium dicendum, quòd licèt motus habeat propriam extenſionem actualem, diſtinctam ab extenſione temporis (falſum eſt enim quòd tempus, & motus ſint idem realiter) illa tamen extenſio eſt incompleta & imperfecta, ſicut & motus, & ideò non poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis. Ad aliud dicendum, quòd tempus non fluit à motu, vt vera & rigoroſa proprietas eius, ſed tantùm fluit à motu eo modo, quo proprietas ab eſſentia: nec motus eſt ſubiectum proprium & adæquatum, ſiue ſubiectum, quod, ipſius temporis, ſed tantùm eſt ſubiectum, quo, ſiue ratio recipiendi: & ideò non ſequitur quòd ſit perfectior tempore, non enim ſubiectum, quo, vniuerſaliter loquendo eſt ſemper nobilius eo, quod in ipſo ſubiectatur, nam multæ qualitates recipiuntur in ſubſtantia mediâ quantitate, quæ propterea eſt ſubiectum, quo, & tamen quantitas eſt imperfectior qualitatibus: & ita dicendum quòd motus eſt ſolùm id, quo mediante extenſio temporis recipitur in re mobili, & dimanat ab ea: & ita tempus poteſt habere ſufficientem perfectionem, non habet motus, qui ex natura ſua eſt ens incompletum, & via ad terminum, tempus autem eſt completum.

Articvlvs VI.

Vtrùm vnitas prædicamentalis addat aliquid ſupra quantitatem continuam?

AD sextvm ſic proceditur. Videtur quòd vnitas prædicamentalis nihil addit ſupra quantitatem continuam, ſiue ſupra rem quantam. Ita Durandus in 1. d. 24. q.2. Gregorius ibidem, Fonſeca 5.Metaph. cap. 13. q.3. Suares diſp.4.ſect.9. & alij, qui dicunt vnitatem prædicamentalem explicandam eſſe eo modo, quo explicatur tranſcendentalis aliorum entium, ita vt ſicut vnitas qualitatis nihil poſitiuum addit ſupra qualitatem, ſed eſt ipſa eius entitas indiuiſa, ſic vnitas prædicamentalis eſt ipſa quantitas continua, vt indiuiſa. Probatur. Si vnitas prædicamentalis adderet aliquid poſitiuum ſupra quantitatem continuam, vel illud ſuperadditum eſſet relatio, vel entitas abſoluta: non primum, quia quantitas prius in ſe eſt vna, quàm in ea ſit relatio: non ſecundum, quia cùm illa entitas non poſſit eſſe res alterius prædicamenti, aliàs faceret ens per accidens, debet eſſe vel quantitas diſcreta, vel continua: non prima, quia vnitas potius dicit indiuiſionem: ſi ſecunda, habetur intentum, quia vnitas pro materiali dicit quantitatem continuam.

§ 2. Præterea, Vnitas in aliis entibus nihil addit poſitiuum ſupra ipſa, nam ſubſtantia, qualitas &c. ſeipſis ſunt quid vnum, & conſtituunt numero: ergo idem dicendum eſt de quantitate ex paritate rationis, nam vt bene arguit D.Thom. contra eos, qui dicebant vnitatem tranſcendentalem addere aliquid reale ſuper ens: ſi quantitas continua eſt vna per aliquid ſibi ſuperadditum, illud eſt etiam vnum: ergo per aliquid aliud, & ſic in infinitum. Deinde ex eo quòd aliquid eſt vnum vnitate tranſcendentali, poteſt connumerari cum aliis, & conſtituere numerum: ergo fruſtra ponitur vnitas prædicamentalis, cùm ad nihil aliud admittatur, niſi ad conſtituendum numerum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Th. Ariſtotelis etiam, & Commentatoris, vt dicit idem D.Th. in 1. d.24. q.1, art.3. quos communiter ſequuntur omnes Thomiſtæ.

Conclvsio.

Cùm quantitas continua ſeipſâ non poſſit eſſe vna quantitatiuè, & principium numeri, neceſſariò vnitas prædicamentalis dicit aliquid poſitiuum ſupra quantitatem continuam.

Respondeo dicendum, quòd licèt vnitas tranſcendentalis nihil addat poſitiuum ſupra entitatem, cuius eſt vnitas, prædicamentalis tamen addit aliquid reale ſupra quantitatem continuam, quod eſt quid incompletum reductiuè pertinens ad prædicamentum quantitatis, ratione cuius ipſa quantitas continua eſt pars numeri prædicamentalis, vnde non dicit ſolam quantitatem continuam vt indiuiſam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hîc agimus de vnitate prædicamentali in ordine ad numerum: numerus enim eſt multitudo menſurata per vnum ex D.Th. 1. p. q.7. art.4. & ita explicatis ſpeciebus quantitatis continuæ, cùm accedendum eſſet ad explicationem ſpecierum quantitatis diſcretæ, ſcilicet numeri, & orationis, & cognitio numeri pendeat ex cognitione vnitatis, neceſſariò præmittenda fuit præſens difficultas de vnitate prædicamentali propria quantitatis, reperitur enim tantùm in hoc prædicamento, & diſtinguitur ab vnitate tranſcendentali, quæ reperitur in omnibus entibus, de qua ſupra actum eſt: propterea etiam numerus prædicamentalis, qui eſt multitudo vnitatum prædicamentalium, de quo articulo ſequenti, diſtinguitur à multitudine tranſcendentali, quæ non tam propriè dicitur numerus, & reperitur in omnibus rebus ſicut dicimus eſſe tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, tres Hierarchias, & nouem ordines Angelutum.

Probatur concluſio authoritate D.Thom. quodlib.10. art. 1. ſic ait: *Vnum, quod eſt principium numeri, de neceſſitate aliquid poſitiuè dicit in eo, cui attribuitur, quia cùm ex vnitatibus numerus conſtituatur, niſi vnitas res aliqua eſſet, numerus res eſſe non poſſet: & ſic non poſſet poni in aliquo genere tanquam ſpecies* &c. Item in 1. d.24. q. 1. art. 3. ait: *Vnum, quod conuertitur cum ente, nihil poſitiuè addit ad id, cui adiungitur: ſed vnum, quod eſt principium numeri, ponit aliquid additum ad eſſe, ſcilicet eſſe menſura: enim ratio primò inuenitur in vnitate, & deinde conſequenter in aliis numeris, & deinceps in quantitatibus continuis.* Idem docet 1.part. quæſt. 11. art.1. ad 1. vbi ait: *Sic igitur dicendum eſt, quòd vnum, quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem ſupra ens, ſed vnum, quod eſt principium numeri, addit aliquid ſupra ens ad genus quantitatis pertinens.* Nec valet ſolutio, quam adhibent his locis D. Thomæ, Fonſeca, & Suares, quòd ſcilicet D. Th. nihil aliud velit, quàm quòd vnitas prædicamentalis addat ſupra ſubſtantiam ipſam quantitatem continuam, quæ eſt res poſitiua: nam primò ipſa ſolutio repugnat manifeſtè ipſis verbis D. Thom. rectè & ſimpliciter intellectis. Secundò D. Th. expreſſè docet 1.p. q.3. art.5. quòd illud, quod addit vnum prædicamentale

tale ſupra ens, ponitur reductiuè in prædicamentu quantitatis, ſic enim ait: *Aliquid eſt in genere dupliciter, vno modo ſimpliciter & propriè, ſicut ſpecies quæ ſub genere continentur, alio modo per reductionem, ſicut principia & priuationes, ſicut punctus & vnitas reducuntur ad genus quantitatis, ſicut principia*: Et ſic non eſt quantitas, quæ ſimpliciter & propriè ponitur in prædicamento. Idem repetit q.7. de potentia art. 3. ad 7. Tertiò, D.Th.1.p.q.11. art. 5. facit comparationem inter vtramque vnitatem: nulla autem eſſet comparatio, niſi vnitas prædicamentalis adderet aliquid poſitiuum, ſupra id cuius eſt vnitas, ſcilicet ſupra quantitatem continuam, ſiue ſupra quantum: nam ſine dubio etiam vnitas tranſcendentalis ponit aliquid poſitiuum, inquantum ponit ipſum ens, cuius eſt vnitas vt docet D.Thom.q.7.de potentia art.3.ad 4.& tamen diſtinguit inter vtramque vnitatem, & dicit quòd tranſcendentalis nihil addit ſupra rem cuius eſt vnitas, prædicamentalis autem aliquid addit, & licèt 1. p. loco citato vtatur nomine ſubſtantiæ, pro ſubſtantia tamen intelligit eſſentiam, vt exponunt communiter Thomiſtæ, & contextus ipſe requirit: vnde vult D.Thom. quòd vnitas tranſcendentalis nihil addat ſupra ſubſtantiam, ſiue ſubſtantiam entis cuius eſt vnitas, prædicamentalis verò addat aliquid poſitiuum ſupra ſubſtantiam, ſiue eſſentiam entis ſcilicet quanti cuius eſt: aliàs nihil concluderet D. Thom. nam etiam aliæ vnitates tranſcendentales aliorum accidentium addunt ſupra ſubſtantiam accidentia ipſa, quæ ſunt res poſitiuæ.

Secundò probatur ratione D. Thom. niſi vnitas prædicamentalis adderet aliquid reale incompletum ſupra quantitatem continuam, ratione cuius fieret pars numeri prædicamentalis, talis numerus non eſſet ens per ſe, nec vera ſpecies quantitatis: nam ideò numerus tranſcendentalis duorum intellectuum, aut duorum Angelorum non eſt ſpecies alicuius generis, quia vnitates tranſcendentales illum conſtituentes, cùm ſint ipſæ entitates talium rerum, cum negatione diuiſionis abſque aliquo alio, non ſunt ſimpliciter partes, ſed ſunt entia completa, ac proinde numerus ex illis reſultans eſt aggregatum entium completorum, & ens per accidens: Sed eſt contra Ariſtot.& D.Th. dicere, quòd numerus prædicamentalis, nec eſt ens per ſe, & vera ſpecies quantitatis diſcretæ: ergo vnitas prædicamentalis addit aliquid poſitiuum ſupra quantitatem continuam.

Tertiò, in quantitate continua datur aliqua entitas incompleta, quæ ſit principium magnitudinis, ſcilicet punctum: ergo etiam eſt admittenda entitas incompleta in quantitate diſcreta, quæ ſit principium numeri: nam tam vnitas prædicamentalis, quàm punctum ſunt menſura ſimpliciter prima in genere quantitatis, quæ propterea non poſſunt menſurari, & conſequenter non poſſunt eſſe ſola quantitas continua cum indiuiſione, nam quantitati ſolùm conuenit ſic eſſe menſuram, vt ſit etiam res menſurata, quod tamen repugnat primæ menſuræ. Deinde quia ad rationem menſuræ non ſufficit rem eſſe indiuiſam, ſed requiritur quòd ſit indiuiſibilis ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam eſt menſura ex Ariſtotele: ergo ad rationem menſuræ ſimpliciter primæ in genere quantitatis requiritur, quòd ſit in tali genere indiuiſibilis ſimpliciter, quod non habet quantitas continua, etiam cum indiuiſione, nam talis indiuiſio non tollit, ſed potiùs ſupponit diuiſibilitatem in quantitate: ergo præter hanc debet poni aliqua alia entitas indiuiſibilis & incompleta, quæ ſit vnitas prædicamentalis.

Quartò, quantitas continua non poteſt eſſe vna quantitatiuè, & pars numeri prædicamentalis per ſeipſam: nam aliàs inter ea, inter quæ ſemel inuenitur talis numerus, ſemper inueniretur, & vbi à principio non eſſet, nunquam eſſet, vt accidit in vnitate & numero tranſcendentali, quatenus tales ſunt, cuius tamen contrarium videmus in prædicamentali, nam in re continua, non eſt numerus quantitatum, ſed vnitas: ſed ſi diuidatur, non eſt ampliùs vnitas, ſed numerus: ergo tales res, & quantitates ſunt vnæ per aliquid ſuperadditum, quod per diuiſionem poſſit produci, & per vnionem deperdi, illud autem ſuperadditum ſaltem modaliter diſtinguitur à quantitate continua, nam illa eadem manente acquiritur, & deperditur.

Eſt autem ſatis difficilè explicare quid ſit illud, quod vnitas prædicamentalis ſuperaddit quantitati continuæ: dicendum tamen relictis aliis modis explicandi: vel cum Auicenna 3. Metaphyſicæ cap. 2. quòd ſit ipſum eſſe indiuiſum, ſine exiſtentia quantitatis continuæ, nam eſſe eſt omninò ſimplex vt infra dicetur, vnde quantitas vna habet vnum eſſe, ſi autem diuidatur, deperditur illud eſſe, & quælibet pars diuiſa habet nouum eſſe. Vel cum Capreolo, Zanardo, noſtris Complutenſibus, & aliis quòd ſit quoddam accidens indiuiſibile conſequens quantitatem continuam, & differt à puncto in hoc, quòd punctum habet ſitum in linea, vel continuo, non autem vnitas, ſed habet pro ſubiecto adæquato totum continuum, ita quòd aucto, vel diminuto tali continuo, non remanet prior vnitas, ſed alia: hoc autem eſt ratio primæ menſuræ, vt docet D.Thom. quodlibeto citato, & hoc vltimum eſt probabilius.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud quod addit vnitas prædicamentalis ſupra quantitatem continuam, eſt aliquid abſolutum, ſed incompletum & indiuiſibile, pertinens ad quantitatem diſcretam, non per ſe, & vt ſpecies eius, ſed reductiuè vt principium numeri: ſicut punctum pertinet ad quantitatem continuam vt principium lineæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd eſt diſparitas, quia cùm ſolius quantitatis, ſit proprium diuidi in partes integrantes, vt ſupra dictum eſt, ideò ſola quantitas inter omnia entia habet ſpecialem & proprium modum vnitatis, & dicitur prædicamentalis, & eſt aliquid indiuiſibile ſuperadditum quantitati, quod non eſt vnum per aliquid aliud, ſed per ſeipſum, quia eſt eſſentialiter ipſa vnitas, & ſic eſt per ſeipſam vna, & ita non proceditur in infinitum, ſicut procederetur in vnitate tranſcendentali: hæc autem vnitas non eſt vna quantitatiuè niſi vt quo, vt quod verò vnitate tranſcendentali, quæ ſupra entitatem ſolùm addit negationem diuiſionis. Ad aliud dicendum, quòd vnitates tranſcendentales, ſicut nihil addunt ſupra rem, ſic efficiunt numerum tranſcendentalem, qui non eſt aliquid ſuperadditum ipſis rebus, & ſic eſſet numerus prædicamentalis, ſi vnitas prædicamentalis nihil ſuperadderet quantitati continuæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm numerus prædicamentalis ſit ens per ſe?

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quòd numerus prædicamentalis non ſit ens per ſe. Ita tenent Nominales, Durandus, Conimbricenſes, Suares, Vaſques, Fonſeca, & alij. Probatur. Ariſtot. 3. Phyſic. cap. 3. & 8. Metaph. cap. 3. dicit numerum non eſſe vnum, ſed ſicut cumulum. Item D.Th. 1. p.q.30. art. 1. ad 4. & art. 2. ad 5. dicit numerum abſolutum, ſicut abſtractum non eſſe niſi in intellectu, tantùm ens rationis, & non ens per ſe.

§ 2. Præterea, Ex multis entibus in actu & completis non poteſt fieri ens per ſe ex Ariſt. nam de ratione entis completi eſt, quòd non ordinetur ad componendum eſſentialiter: ſed vnitates prædicamentales ſunt plura entia in actu & completa, cùm ſint ipſæ quantitates continuæ: ergo numerus ex illis reſultans non poteſt eſſe ens per ſe.

§ 3. Præterea, Ens per ſe debet habere partes vnitas, cùm debeat habere vnicam eſſentiam, vna autem eſſentia requirit partes vnitas, nam ſeparatæ ſunt ſimpliciter plura: ſed numerus non habet, imò repugnat illi habere partes vnitas: ergo non eſt ens per ſe: maximè quia accidens quod eſt per ſe vnum, requirit vnum ſimpliciter ſubiectum, & non poteſt eſſe in pluribus realiter diſtinctis & diuiſis, ſicut eſt numerus in pluribus vnitatibus, & ita non poteſt eſſe ens per ſe vnum.

§ 4. Præterea, Inter vnitates componentes numerum, non ſolùm non reperitur vnio Phyſica, ſed nec vnio ordinis

dinis, nam in ternario v.g. vna vnitas non habet quòd ſit prima, alia ſecunda, & alia tertia: ſed hoc illis aduenit per intellectum,& licèt haberent hanc vnionem ordinis, tamen hæc non ſufficit ad conſtituendum ens per ſe, vt patet in exercitu, ciuitate &c. ergo numerus non eſt ens per ſe.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtot. tum in Logica, tum in 5. Metaph. D. Th. S. Aug. lib. Categor. cap. de quantitate, quos ſequuntur non ſolùm omnes Thomiſtæ, ſed etiam Scotus 5. Metaph. q. 9. ac vniuerſi eius diſcipuli, omnes Mathematici cum Euclide in ſua Arithmetica, item Toletus, Ruuius, ac plures alij.

Conclusio.

Cùm numerus ſit verum obiectum Mathematicæ habens veras proprietates quæ de illo demonſtrantur, verè eſt ens per ſe, & vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

Respondeo dicendum, quòd numerus prædicamentalis eſt ens per ſe,& vera ſpecies quantitatis: 2.non quidem infima, ſed ſubalterna, vnde diuiditur tanquam verum genus in ſuas ſpecies, ſcilicet binarium, ternarium &c. binarius autem in ſua indiuidua in hunc & illum binarium. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt numerum tranſcendentalem non eſſe ens per ſe, aut veram ſpeciem alicuius generis, vt patet ex dictis: circa autem prædicamentalem conſiderandum eſt, quòd poteſt dupliciter accipi, vel vt applicatus ad ipſas quantitates continuas, & alias res numeratas, ſiue ſignificatas in concreto, & appellatur ab Ariſtot.4.Phyſic.cap.12.numerus numeratus: & ſic certum eſt non eſſe propriè ſpeciem, neque ens per ſe, ſicut dicitur de aliis concretis accidentium, vel poteſt accipi in abſtracto, ſcilicet vt dicit vnitates prædicamentales,vt abſtrahunt ab ipſis rebus quantis,& ſic appellatur ab Ariſt.numerus numerãs,& de hoc procedit difficultas.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. 5.Metaph lect.15.item lib.8.lect.3. vbi inter alia hæc habet: *Eſt enim per ſe vnum numerus, inquantum vltima vnitas dat numero ſpeciem & vnitatem,ſicut etiam in rebus compoſitis ex materia & forma, per formam eſt aliquid vnum,& vnitatem & ſpeciem ſortitur*, & infert pro inconuenienti,quòd ſi numerus non eſſet ſimpliciter vnum,ſed per modum coaceruationis,non eſſet aliqua ſpecies entis. Idem docet locis citatis articulo præcedenti,& alibi ſæpe.

Secundò, vt aliquid ſit per ſe vnum, ſaltem in infimo gradu perſeitatis, non eſt neceſſe quòd partes eius ſint realiter vnitæ: ſed ſufficit quòd ſint eſſentialiter inter ſe ordinatæ, per modum actus & potentiæ ad componendum, & habeant aliquam vnitatem compoſitionis, vel ordinis: nam domus v. g. & alia artificialia ſunt entia per ſe ratione vnius figuræ, quam habent partes eius, licèt non ſint realiter vnitæ. Deinde non repugnat aliqua verè eſſe entia incompleta,& quòd componantur vt actus & potentia; licèt phyſicè inter ſe non vniantur, & ſic verè poſſunt eſſe partes alicuius entis diſcreti. Denique quia ratio vnius per ſe non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet plures gradus, nam Deus eſt magis eus & vnum quàm Angelus, Angelus quàm ſubſtantia materialis, & hæc pluſquam quantitas continua: ergo ſaltem in infimo gradu poteſt aliquid diſcretum eſſe per ſe vnum, ſi partes eius ſint quid incompletum, & habeant inter ſe ordinem actûs & potentiæ, licèt non ſint inter ſe vnitæ, & huiuſmodi eſt numerus ex Ariſt.& conſtabit articulo ſequenti. Hæc ratio fundatur in doctrina D. Th. 9. Metaph. lect. vltimâ: vbi hæc inter alia habet: *Compoſitum quandoque ſortitur ſpeciem ab aliquo vno, quod eſt vel forma, vt patet in corpore mixto, vel compoſitio, vt patet in domo, vel ordo, vt patet in ſyllaba & numero: & tunc oportet quòd totum compoſitum ſit vnum ſimpliciter: quandoque verò compoſitum ſortitur ſpeciem ab ipſa multitudine partium collectarum, vt patet in aceruo, & populo, & in talibus compoſitum non eſt vnum ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid.*

Tertiò, numerus eſt verum obiectum per ſe Arithmeticæ, quæ eſt verè & propriiſſimè ſcientia, vt communiter conceditur: ergo non poteſt eſſe ens per accidens, ſed eſt verum ens per ſe: quia ex Ariſtot. 6. Metaph. cap. 2. non datur ſcientia, aut definitio de ente per accidens: nam ens per accidens non habet vnicam & determinatam eſſentiam,ac proinde nec habet proprietates quæ de illo poſſint à ſcientia demonſtrari, proprietates enim conſequuntur ad eſſentiam conſtitutam in determinato gradu entis per differentiam eſſentialem,hæc autem conſtituit verum ens per ſe,& licèt in hoc poſſet admitti aliqua difficultas circa obiecta ſcientiarum ſubalternarum, tamen circa obiecta non ſubalternarum,qualis eſt Arithmetica, nulla admittitur inter Metaphyſicos.

Huic argumento reſpondent aduerſarij dupliciter: quidam vt Soares dicunt, quòd licèt numerus à parte rei ſit ens per accidens, tamen concipitur per modum vnius, & ſic de illo verè poteſt dari ſcientia: quæ ſolutio coincidit in ſententiam Aureoli, quòd ſcilicet numerus pro formali ſit ens rationis: alij verò dicunt obiectum Arithmeticæ non eſſe numerum pro formali,ſed ſumptum materialiter pro ipſis quantitatibus continuis.

Sed contra primam ſolutionem ſic ait Sanches: *Mirabile quidem. Volunt Doctores iſti obiectum Logicæ eſſe ens reale contra communem ſententiam: obiectum autem Arithmeticæ faciunt ens rationis contra communem omnium ſenſum.* Contra ſecundam autem eſt primò, quòd quantitas continua, quæ eſt materiale in numero, eſt obiectum Geometriæ, quæ eſt diſtincta ab Arithmetica, & ſic petit obiectum diſtinctum. 2. Quia Arithmetica non curat, an numerus ſit linearum, aut corporum: ſed potiùs abſtrahit à continuitate, & conſiderat tantùm rationem multitudinis. 3.Quia proprietates quas Arithmetica demonſtrat de numero, ſcilicet proportiones & proportionalitates, non conueniunt illi ex materiali ratione quantitatis continuæ, ſed ſecundùm rationem formalem quantitatis diſcretæ, quod patet, nam vt proportionem aut proportionalitatem aliqualiter applicemus quantitati continuæ, debet apprehendi ſub formali ratione diſcretæ, vt bipalmaris,bicubitæ &c. Deinde quia Arithmeticus demonſtrat nullum eſſe numerum, qui non habeat aliquam ſpeciem proportionis reſpectu cuiuſcumque alterius, cuius tamen oppoſitum concludit Geometra de quantitate continua, probat enim eſſe aliquas incommenſurabiles ſiue nullam habentes proportionem numerorum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Magis differunt binarius & ternarius, quàm duo binarij aut ternarij inter ſe: ſed hi differunt numero: ergo illi differunt ſpecie; & ita numerus non eſt ſpecies infima quantitatis, ſed ſubalterna. Deinde binarius v. g. verè prædicatur de hoc & illo binario, ſicut & ternarius, aut quaternarius de hoc & illo tanquam de indiuiduis: ergo ſunt diuerſæ ſpecies, quod enim prædicatur de pluribus numero differentibus, eſt ſpecies, & ita numerus eſt ſpecies ſubalterna,& non infima. Denique Ariſt.8.Metaphyſicæ cap.3. docet quòd in numeris addita vel detracta vnitate, mutatur ſpecies: ergo ſunt plures ſpecies numerorum,& ita numerus non eſt ſpecies infima, ſed ſubalterna.

Ad primum ergo dicendum, quòd non dicit Ariſt. id quod imputant ei aduerſarij, ſic enim habet: *Numerum oportet aliquid eſſe. quo vnus. ſi vnus eſt: aut enim non eſt, ſed quaſi congeries; aut ſi eſt, dicendum eſt quidnam illud ſit, quod eum ex multis facit.* Ex quibus patet quòd ſolùm volt, quòd ſi numerus vnus eſt, aut erit ſicut aceruus, aut explicandum erit quid ſit illud, quod ipſum vnum conſtituit: quod ſtatim explicat, dicit enim quòd numerus eſt vnum, vt ibidem exponit D. Thom. lect. 3. ex eo quòd vna pars eius eſt vt forma alterius: D. Th. autem non intendit quòd numerus prædicamentalis ſit ens rationis, ſed tantùm quòd non datur à parte rei numerus abſtractus ab omni ſubiecto, ſicut nec aliæ ſpecies, aut genera ſunt abſtracta à parte rei, ſed tantùm per intellectum, quamuis reuera ſint à parte rei in ſuis inferioribus: ſic & numerus.

An ſecundum dicendum, quòd vnitates prædicamentales non ſunt ipſæ quantitates continuæ, vt dictum eſt, ſed quid incompletum ipſis ſuperadditum, & vna ſe ha-

habet vt potentia, & alia vt forma modo explicãdo articulo sequenti, & sic possunt constituere vnum ens per se.

Ad tertium dicendum, quòd sufficit partes vniri aliquo ordine, vt faciant vnum per se, & ita vniuntur partes numeri, quod sufficit vt absolutè non sint plura, sed habeant vnicam essentiam, quamuis discretam. Ad aliud similiter dicendum, vnum accidens non posse esse in pluribus subiectis adæquatis & totalibus, benè tamen in pluribus inadæquatis & partialibus, quod essentialiter requirit ens discretum, vnde sicut binarius non est vnaquæque vnitas, sed ambæ simul, ita adæquatum eius subiectum non est vna quantitas, sed duæ.

Ad quartum dicendum, quòd non est necesse ad hoc vt sit ordo realis inter vnitates, quòd vna determinatè sit prima, alia secunda &c. sed sufficit quòd indeterminatè se habeant inter se vt materia & forma: maximè quia vltima vnitas specialiter est forma numeri, quia quasi determinat alias, & constituit in hac vel illa specie, vt statim probabitur ex D. Th. 8. Metaph. lect. 3. Ad aliud dicendum quòd quia in hominibus, in quantum sunt partes exercitus, vel ciuitatis, non est aliqua realis entitas incompleta, à qua constituantur partes, sed moraliter tantùm, & in æstimatione hominum censentur quid incompletum, ideò exercitus vel ciuitas Physicè loquendo, non est ens per se, sed tantum moraliter, cuius contrarium est in numero propter contrariam rationem, quia scilicet vnitates, ex quibus componitur, sunt quid Physicè incompletum vt dictum est.

Articvlvs VIII.

Vtrùm vltima vnitas sit forma numeri?

Ad octavvm sic proceditur. Videtur quòd vltima vnitas non sit forma numeri. Ita tenent Aureolus, Murcia, Ruuius, & alij, qui dicunt omnes vnitates componentes numerum esse materiam eius, illud verò, quod resultat ex illis vnitatibus, esse formam, quamuis admittant vltimam vnitatem, quandò assignatur, posse dici impropriè & metaphoricè formam numeri, non quia habeat verè rationem formæ respectu aliarum vnitatum, sed quia est vltima pars materiæ. Probatur. Compositio materiæ & formæ requirit quòd partes ipsæ verè vniantur inter se, scilicet quòd forma actuet materiam, & materia actuetur per formam: sed hoc non reperitur in numero, nam eius partes petunt ab intrinseco, quòd sint discretæ & disiunctæ, alias non esset numerus: ergo in illo non est compositio materiæ & formæ, & ita vltima vnitas non est forma respectu aliarum.

§ 2. Præterea, Compositio quæ fit in entitate accidentis, non potest esse cõpositio ex materia & forma, maximè in quantitate, quæ habet omnes partes eiusdem rationis: ergo in numero nulla vnitas est forma respectu alterius.

§ 3. Præterea, Si vltima vnitas numeri est eius forma; debet esse determinata, nam determinata species habet necessariò formam determinatam: sed vltima vnitas non est semper determinata, nam si simul producantur tres vnitates, nulla erit determinatè vltima: ergo vltima vnitas non est forma numeri.

Sed contra est expressa authoritas Aristotelis & D. Th. quos vniuersi sequuntur Thomistæ, ac plures alij.

Conclvsio.

Cùm vltima vnitas det speciem numero: necessariò est forma eius.

Respondeo dicendum, quòd vltima vnitas verè est forma numeri. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd est duplex forma, vna totius vt humanitas, alia partis vt anima: non est dubium quin in ternario v. g. aut quaternario, ternitas aut quaternitas sint forma totius, & quòd in hac consideratione omnes vnitates se habeant vt materia: cum hoc tamen stat, quòd inter ipsas vna sit forma respectu alterius, sicut etiam respectu humanitatis corpus & anima habent rationem materiæ, & tamen anima est verè forma respectu corporis.

Item sciendum est Thomistas inter se differre in modo explicando, quo vltima vnitas est forma numeri. Aliqui dicunt vltimam vnitatem, non solùm habere rationem formæ quasi Physicæ respectu aliarum, sed etiam esse formam Metaphysicam, siue differentiam essentialem numeri: ita Gallego qui putat hanc esse opinionem communem Thomistarum: Sed contra est, quòd omnes ferè Thomistæ dicunt cum D. Th. vltimam vnitatem esse formam partialem numeri. Deinde differentia essentialis significat totam rei essentiam, & prædicatur de illa in recto, vt patet ex dictis supra in Logica: sed vltima vnitas non est totus numerus, nec prædicatur de illo in recto, vt patet: ergo vltima vnitas non est forma metaphysica, & differentia essentialis numeri.

Alij verò licèt dicant vltimam vnitatem esse tantùm formam numeri, quasi Physicam & partialem: dicunt tamen quòd in quolibet numero sit aliqua vnitas determinata, quæ à parte rei sit vltima & forma aliarum; quamuis ignoretur quænam sit: hunc modum dicendi tenent esse probabilem Capreolus, Sanches, Ianellus, & alij. Sed contra, omnes vnitates numeri entitatiuè consideratæ sunt eiusdem rationis, & sic ex natura rei non potest dari vltima quæ sit forma aliarum, maximè si simul actu producantur quod est possibile. Deinde sequeretur, quòd species numeri non mutaretur nisi per ablationem illius determinatæ vnitatis, quæ est vltima: nam si maneat forma cum alijs partibus materiæ, licèt auferatur aliqua pars, non mutatur species, vt patet inductione in omnibus, non enim homo desinit esse homo, quia illi abscinditur brachium.

Alij denique dicunt, quòd à parte rei & entitatiuè vnaquæque vnitas prædicamentalis ex natura sua simul est determinabilis per alias, & determinatiua illarum; sub diuersis tamen formalitatibus, ac proinde adinuicem habent rationem materiæ & formæ: sicut in matrimonio, & quolibet alio contractu vterque consensus se habent vt materia & forma, secundùm quòd se inuicem determinant, & determinantur. Hic modus dicendi est communior inter Thomistas, illum sequuntur Sanches lib. 5. Logicæ q. 22. Masius in cap. 2. de quantitate sect. 1. q. 5. Nostri Complutenses ibidem disp. 13. q. 8. Araujo 5. Metaph. q. 3. art. 2. ad 5. pro cuius tamen explicatione sciendum est, quòd cum omne accidens ex natura sua sit actus & forma, nullum potest propriè componi ex materia & forma: vnde si quando accidens ex propria ratione postulat partes, non debet requiri ad eius vnitatem vt aliqua simpliciter sit forma aliarum, sed sufficit quòd omnes sint talis naturæ, vt essentialiter ordinentur ad constituendam vnam integram formam siue essentiam: nam eo ipso altera est quodammodo alteri ratio essendi, in quo consistit hoc quod est ad inuicem habere rationem materiæ & formæ, & hoc contingit in numero, ex eo quòd vnitates eius sint quid incompletum, & essentialiter ordinentur ad componendum illum.

Probatur conclusio authoritate Philosophi, qui docet vt explicat D. Thom. vltimam vnitatem esse formam numeri, & illi tribuere speciem & vnitatem, & ex eius additione vel substractione, causari diuersas species numerorum: ait enim D. Thom. 8. Metaph. lect. 3. *Est enim per se vnum numerus, inquantum vltima vnitas dat numero speciem & vnitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia & forma per formam est aliquid vnum, & vnitatem & speciem sortitur.* Idem docet D. Thom. eodem 8. Metaph. lect. 3. vbi compositionem numeri ex vnitatibus comparat compositioni Physicæ ex materia & forma: in hoc tamen differunt, quòd materia & forma sunt primò diuersæ, & ita altera sic est potentia, vt non possit esse actus: altera verò sic est actus, vt non possit esse potentia: & ideò ab ea, quæ est actus determinatè sequitur species, quia actus est, qui speciem constituit: at verò vnitates prædicamentales, cùm sint eiusdem rationis, nulla determinatè est actus aut potentia, & sic nulla determinatè constituit, sed ad inuicem habent rationem actus & potentiæ: & propterea subdit D. Th. *numerus est*

vnum per ſe; ex eo quod vna pars eſt vt forma alterius.

Secundò probatur ratione D.Thom.vltima vnitas dat numero ſpeciem & vnitatem : ergo vltima vnitas eſt forma numeri, quod enim dat ſpeciem & vnitatem ſpecificá alcui, eſt eius forma vt patet inductione in omnibus. Oportet tamen ſcire, quòd quia numerus eſt vnus vnitate ordinis, vt docet Ariſt. in Logica cap. de quantitate his verbis,& in numero ſimili modo ex eo planè,quia prius, vnum quàm duo, & duo quàm tria, & tria quàm quatuor numerantur : atque hoc quidem pacto ordinem quemdam habent,&c.inde eſt quòd licèt materialiter loquendo , nulla vnitas in particulari ſit determinatè vltima, vel non vltima,prima vel ſecunda; tamen formaliter loquendo in qualbet ſpecie numeri,ſemper vna vnitas eſt vltima, nempe in binario ſecunda,in ternario tertia,& ſic de aliis:cùm enim realis numerabilitas vnitatum includat dictum ordinem,quomodocumque numerentur vltima ternarij eſt tertia,quaternarij quarta &c.ac proinde hæc exercet rationem formæ & determinat alias.

Ex dictis ſequitur Primò, quòd ſint variæ proprietates numerorũ, quia ſunt variæ illorum ſpecies : vnde Arithmeticus ſæpè demonſtrat proprietates de aliquo numero,quæ nullo modo conueniunt aliis, vt quòd binarius ſit ſimpliciter primus,quòd ternarius ſit primus impar, quòd quidam ſint lineares , quidam ſolidi &c. quæ etiam ſunt ſignum diſtinctionis eſſentialis inter ipſos. Sequitur ſecundò , quòd vnus numerus formaliter non conſtituit alium,ſed tantùm materialiter:ratio primi eſt, quia ſpecies alicuius generis ſunt inter ſe contrariæ, numeri autem vt binarius & ternarius differunt ſpecie vt dictum eſt , & ſic vnus non conſtituit alium formaliter, propter quod Ariſt. 5.Metaph.cap.14. docet bis tria non eſſe ſex : ratio ſecundi eſt quia vnitates ſunt materia numeri : ſed vnitates, quæ componebant numerum ternarium, poſſunt applicari ad componendum numerum ſenarium : ergo vnus numerus conſtituit aliũ materialiter. Sequitur tertiò, quòd quilibet numerus eſt vnus tantùm vnitate tranſcendentali,& non quantitatiuà : ratio primi eſt, quia vnum tranſcendentale & ens conuertuntur , vt dictum eſt eo modo quo eſſentia & proprietas : ſed quilibet numerus eſt ens per ſe : ergo & vnum vnitate tranſcendentali, quia verò vnum eſt idem ac indiuiſum , ideò quilibet numerus,quia vt ſic eſt vnus, eſt etiam indiuiſibilis in ratione talis numeri , vt ternarius in multos ternarios, quamuis ſit diuiſibilis in ſuas vnitates , & ita eo modo quo aliquid eſt vnum, eſt etiam indiuiſum : ratio ſecundi eſt, quia quæ ſunt vnum quantitatiuè, ſunt affecta vna quantitate coniuncta:ſed nullus numerus eſt affectus vnâ quantitate coniunctâ , cùm ſit eſſentialiter quantitas diſcreta : ergo nullus numerus eſt vnus vnitate quantitatiuâ. Sequitur quartò , quòd numerus recipit ſuam vnitatem numericam à ſubiecto cui applicatur, ſiue à rebus numeratis , quæ omnes ſimul ſumptæ ſunt ſubiectum adæquatum numeri, quia cùm componatur ex multis vnitatibus, ſic idem reperitur in multis ſubiectis partialibus. Sequitur quintò , & vltimò numerum prædicamentalem reperiri tantùm in rebus diſcretis affectis qualitate continua , & ideò numerus rerum ſpiritualium, ſicut Angelorum, animarum rationalium , &c. non eſt prædicamentalis, ſed tranſcendentalis.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc compoſitio, cùm fiat inter partes diſcretas, ſolùm requirit vnionem ordinis inter ipſas partes,& quòd vna extrinſecè recipiatur in alia ſecundùm quòd illam determinat,qui eſt modus informationis & actuationis, proportionatus naturæ entis diſcreti, ſicut in contractu vnus conſenſus determinat & actuat extrinſecè alium , hæc autem determinatio extrinſeca ſufficit ad conſtituendum vnum per ſe, quandò fit à forma per ſe ordinata ad modum partis ad actuationem alterius.

Ad ſecundum dicendum , quòd compoſitio , quæ fit in ipſa entitate accidentis, non poteſt eſſe ex materia & forma Phyſica , ſiue ex partibus primò diuerſis , poteſt tamen eſſe ex partibus , quæ ad inuicem habent rationem materiæ & formæ modo explicato.

Ad tertium dicendum, quòd quando ſpecies petit eſſentialiter componi ex materia & forma, quæ ſint ſimpliciter tales & primò diuerſæ, tunc determinata ſpecies requirit formam determinatam , tam formaliter ,quàm entitatiuè: quando verò ſpecies ipſa componitur ex partibus eiuſdem rationis, ad hoc vt ſit ſpecies determinata, ſufficit quòd habeat formam aliquo modo determinatam, ſcilicet in communi, & ſecundùm aliquam formalitatem , licèt entitatiuè & in particulari ſit indeterminata, & hoc contingit in præſenti.

Articvlvs IX.

Vtrùm oratio ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ?

Ad nonvm ſic proceditur. Videtur quòd oratio non ſit vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Ita tenent aliqui,vt Suares, Fonſeca,Vaſques, & poteſt probari iiſdem rationibus, quibus ſupra aduerſarij probabant numerum non eſſe ens per ſe & veram ſpeciem quantitatis: quibus conſultò omiſſis. Probatur ſpecialiter. Non eſt aſſignabile in quo differat oratio à numero , aut ab aliis ſpeciebus quantitatis , nam ſi ſumatur oratio pro ipſa extenſione ſyllabarum, vt ſunt continuæ , erit potius quantitas continua, quàm diſcreta:& ſic non eſt ſpecies quantitatis diſcretæ : ſi verò ſumantur ipſæ ſyllabæ , vt ſunt quid diſcretum, inquantum vnaquæque pronunciatur ſeperatim ab alia, talis extenſio eſt numerus , qui etiam poteſt applicari rebus ſucceſſiuis , dicimus enim tres & quatuor dies : ergo oratio non eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

§ 2. Præterea, In oratione hæc tantùm reperiuntur, ſcilicet ipſæ ſyllabæ, motus quo proferuntur , & inſtrumenta quibus mediis proferuntur, ſcilicet lingua, dentes, &c. ſed hæc nec coniunctim,nec ſeparatim poſſunt conſtituere ſpeciem quantitatis: non coniunctim,cùm enim ſint plura faciunt vnum per accidens tantùm : nec ſeparatim, nam ſyllabæ cùm componantur ex pluribus litteris , ſunt etiam vnum per accidens, motus autem, cùm ſit quid incompletum , excluditur à recta linea prædicamenti, ipſa verò inſtrumenta : ſunt ſubſtantia : ergo oratio non eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſt. in Logica cap. de quantitate : D.Th. in 4. d. 3. q. 1. art. 2. quæſt. 4. ad 1. item opuſc. 48.tract.3.cap.2. & alibi quos communiter ſequuntur non ſolùm Thomiſtæ, Soncinas 5. Metaph.q.4. Araujo ibidem q. 3.art.4. Soto, Maſius, noſtri Complutenſes & alij : ſed etiam plures extra ſcholam D.Th.Toletus. Rauius &c.

Conclvsio.

Cùm oratio habeat propriam & peculiarem extenſionem partium diſcretarum , eſt vera ſpecies quantitatis diſcreta.

Respondeo dicendum , quòd oratio eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd oratio ſumitur multipliciter. Primò à Theologis pro actu virtutis religionis, quo aliquid petimus à Deo, & definitur, quòd ſit eleuatio mentis in Deum, de qua agit D. Th. 2. 2. q. 83. Sumitur ſecundò à Dialecticis vt deſeruit ad explicandos animi conceptus, & definitur ab Ariſt. 1. Perihern.c.4. quòd ſit vox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars ſeparata ſignificat. Sumitur tertiò à Rethoribus pro inſtrumento quodam ad perſuadendum. Sumitur quartò à Muſicis pro oratione externa ſiue vocali , vt eſt realis multitudo prolationum ſiue ſyllabarum diſcretarum , ordine quodam ſibi ſuccedentium, & hoc modo ſumitur in præſenti.

Item ſciendum eſt, quòd ſonus eſt qualitas cauſata in aëre ex duorum corporum colliſione.vt dictum eſt ſupra: vox autem eſt ſonus cauſatus ex colliſione quarumdam partium corporis animalis, ſcilicet gutturis , palati,

linguæ,

linguæ, dentium & labiorum: vnde est vnica vox, quæ ex vnica collisione causatur, quod fit quando vna littera vocalis, aut sola, aut cum aliqua, aut aliquibus consonantibus pronuntiatur: & sic vna vox in præsenti est vna syllaba, & plures voces plures syllabæ: oratio verò est aggregatum ex illis pluribus vocibus, aut syllabis, vt hæc dictio (Dominus) est oratio causata tribus percussionibus, sibi succedentibus iuxta tres syllabas, & ita est quid successiuum: cùm autem inter vnam & alteram pronuntiationem fit aliqua temporis morula, consequenter tales syllabæ sunt discontinuæ, & sic oratio est quid discretum: in his autem vocibus plura reperiuntur. 1. aër verberatus, in quo recipitur sonus: & hic, cùm sit substantia, non est oratio. 2. sonus ipse causatus ex tali percussione: & hic est qualitas, vt infra dicetur. 3. illa motio siue percussio, qua causatur sonus, quæ secundùm se non est oratio, sed vera productio, & ponitur in prædicamento actionis: continet autem durationem siue extensionem vocis, secundùm quam quælibet syllaba, est magna vel parua, longa vel breuis: hæc est quantitas vocis, quæ etiã dicitur tempus eius; non quidem extrinsecum & primi mobilis, sed intrinsecum, scilicet illa extensio & dilatio syllabæ, quæ maior est in longa, quàm in breui, & ratione cuius sunt ordinabiles secundùm consonantiam, à qua sumitur vnitas & essentia orationis, sicut ab ordine vnitatum sumitur essentia numeri: vnde sicut iste essentialiter consistit in multitudine vnitatum sic ordinatarum, ita oratio essentialiter consistit in multitudine illorum temporum discretorum, siue extensionum syllabarum sibi correspondentium secundùm consonantiam. Et ita sunt diuersæ orationes secundùm quòd syllabæ, vel motus diuerso modo ordinantur secundùm breuitatem & longitudinem: vnde alia est oratio (populus) pro arbore, & alia pro ciuitate, nam illa est ex prima longa, ista, ex prima breui: & similiter sunt diuersæ orationes (Dominus, & Domini) sub ratione sic explicata continentur omnia genera carminum, Hexametrum, Pentametrum, Sapphicum, Alcaïcum &c. Item omnes pedes carminum, Dactylus, Spondæus &c. omnes species tonorum, vt Diapente, Diatessaron &c.

Probatur breuiter conclusio. Oratio sic explicata habet verè partes extra partes, scilicet illas durationes & morulas syllabarum sibi ordinatè succedentes. Deinde, illa extensio orationis verè mensurat prolationes syllabarum, & etiam mensuratur suis partibus, scilicet syllaba longa & breui, sicut numerus mensuratur vnitatibus: ergo oratio verè est quantitas. Quòd autem sit discreta patet, nam motiones ipsæ aëris, siue prolationes syllabarum, cùm fiant distinctis percussionibus, necessariè sunt discontinuæ, licet imperceptibiliter: ergo similiter illæ durationes, siue morulæ syllabarum sunt discretæ. Quòd verò non sit ens per accidens, probatur ex paritate numeri, nam licèt eius partes non sint vnitæ, quia tamen habent verum ordinem inter se prioris & posterioris, secundùm quem essentialiter petunt numerari vna post aliam: sic partes orationis in ipsa successione sibi correspondent in ordine ad consonantiam, & sic constituunt vnum per se.

Ad primum ergo dicendum, quòd oratio distinguitur à numero, per hoc quòd numerus, licèt possit attribui rebus successiuis (dicimus enim tres dies &c.) imò & syllabis orationis (dicimus enim hanc esse dissyllabam, aut trissyllabam:) aut non quidem mensurat illas secundùm consonantiam, sed tantùm secundùm multitudinem: ab aliis autem speciebus quantitatis distinguitur, quia sunt continuæ, oratio verò discreta.

Ad secundum patet ex dictis.

QVÆSTIO XIV.

De Prædicamento Qualitatis?

Licet Aristoteles in Logica præmiserit prædicamentum relationis prædicamento qualitatis: vel quia agens de quantitate fecerat mentionem quorundam relatiuorum, vel quia aliquæ relationes fundantur in quantitate, tamen in eodem lib. c. 4. enumerans prædicamenta præposuit qualitatem relationi, sicut & 5. Metaphysicæ: ideò hic in Metaphysica, maximè sequuti Aristotelem Christianum D. Th. priùs agimus de qualitate, & meritò, nam qualitas est quid absolutum; absoluta autem sunt priora relatiuis. Deinde, quia qualitas est fundamentum relationis, sicut & quantitas, de fundamento autem priùs agitur. Denique, quia D. Th. opusc. 48. cap. 4. hoc ordine procedit: diuidit autem Philosophus qualitatem in quatuor species. Prima est, habitus & dispositio. Secunda, naturalis potentia & impotentia. Tertia, passio & passibilis qualitas. Quarta, forma & figura: de quibus breuiter, nam multa circa qualitatem, putà de intensione & remissione supra tractata sunt: vnde in præsenti quæruntur tantùm quinque.

¶ Primò, Quæ sit ratio formalis constitutiua qualitatis?

¶ Secundò, Vtrùm habitus & dispositio differant specie?

¶ Tertiò, Vtrùm potentia & impotentia sint duæ species qualitatis?

¶ Quartò, Vtrùm passio & passibilis qualitas essentialiter differant?

¶ Quintò, Quomodò differant forma & figura?

Articulus I.

Quæ sit ratio formalis constitutiua qualitatis?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd ratio formalis constitutiua qualitatis rectè exprimatur per definitionem assignatam ipsi à Suares disp. 42. Metaph. sect. 1. *Qualitas est accidens quoddam absolutum adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quàm in agendo*: Hanc sequuntur Conimbricenses, & multi alij recentiores.

¶ 2. Præterea, Videtur quòd ratio formalis constitutiua qualitatis rectè explicetur per definitionem traditam ab Hurtado disp. 14. Metaph. sect. 1. *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum*: hic author valdè reprehendit definitionem qualitatis datam ab Aristotele dicens non esse definitionem sed inanem quamdam nugationem.

¶ 3. Præterea, Videtur quòd dicta ratio hac definitione optimè declaretur. Qualitas est accidens proueniens à forma in esse quieto, nam per primam partem distinguit qualitatem à quantitate, & aliis prædicamentis consequentibus quantitatem, scilicet Vbi, situ, quia ex D. Th. 5. Metaph. lect. 9. & 3. p. quæst. 90. art. 2. & alibi quantitas sequitur materiam, qualitas verò formam: per aliam autem partem distinguit ab actione, quæ consequitur formam, sed quasi in motu & fluxu, quem secum trahit actio, non autem qualitas, & ideò ponitur, in esse quieto.

Sed contra est definitio tradita ab Aristotele, & aliæ D. Thom. differentes à præcedentibus, quas communiter amplectuntur Thomistæ, ac plures alij.

Conclusio.

Definitio qualitatis tradita ab Aristotele est huiusmodi, Qualitas est secundum quam quales esse dicimur. *Definitio verò D. Thom. Prima*, Qualitas est dispositio substantiæ siue accidens dispositiuum substantiæ. *Secunda*, Qualitas est accidens modificatiuum, siue determinatiuum: vel imponens modum & determinationem substantiæ.

Respondeo dicendum, quòd definitio qualitatis tradita à Suares non est expressiua rationis formalis constitutiuæ qualitatis, & multa continet superflua. 2. definitio etiam tradita ab Hurtado non exprimit essentiam qualitatis, nec est ei adæquata: 3. Tertia autem definitio, licèt nihil alienum habeat à veritate, non tamen explicat essentiam qualitatis: 4. definitio verò tradita ab Aristotele, licèt non sit rigorosa, nec ita exacta, 5. tamen non est contemnenda, sed illâ possumus vti: 6. definitiones



verò traditæ à D.Thom. ſunt optimæ, rectè exprimentes eſſentiam qualitatis, & proprium eius effectum formalem. Ad quorum euidentiam ſciendum eſt, quòd qualitas ſumitur variis modis ab Ariſtotele.5.Metaph. cap:14. & 18. Primò enim ſumitur pro quacumque differentia, etiam eſſentiali, & in hoc ſenſu differentiæ ſæpe appellantur qualitates generis, & prædicantur in qualequid. Secundò ſumitur pro omnibus accidentibus, ſiue propriis, ſiue communibus cuiuſcumque prædicamenti, vnde omne accidens prædicatur in quale, non ſolùm quoad modum ſignificandi vt differentiæ, ſed etiam quoad rem ſignificatam. Tertiò denique, ſumitur qualitas prout ſignificat hoc peculiare prædicamentum, à quo propriè & ſimpliciter denominamur quales, & per quod reſpondetur ad interrogationem factam per quale, vt diſtinguitur ab aliis interrogationibus, per quid, quantum, vbi, quando &c. Eſt autem valde difficile explicare in communi eſſentiam qualitatis, vt teſtatur S. Auguſt.lib.Categor. non ſolùm quia eſt genus ſupremum & conceptus ſimplex, & propterea non propriè definitur, ſed etiam ratione particulari ſtatim aſſignanda: nam eſſentias aliorum generum vtcumque, ſed clarè explicamus, ſcilicet rationem in qua omnes ſpecies conueniunt, vt in quantitate aſſignamus extenſionem, in relatione rationem. Ad, &c. in qualitate autem non apparet, niſi per eius concretum: & ideò Ariſtoteles in Logica ſic definit. *Qualitas eſt ſecundùm quam quales dicimur*: In 5. autem Metaphyſicæ, vbi erat proprius locus, illam non definit: propter quod Oña negat Ariſtotelem cognouiſſe eſſentiam qualitatis. Ratio autem cur qualitas eſt obſcurior in communi, licèt in particulari plures ſint qualitates ſenſibus ipſis notæ, procedit ex imperfecto modo cognoſcendi intellectûs noſtri, cuius obiectum pro hoc ſtatu eſt quidditas, ſiue natura in materia corporali exiſtens ex D. Th. 1. part. quæſt. 84. art. 7. vnde ſubſtantiam materialem facilè cognoſcit, & etiam facilè percipit quantitatem, quia proximior eſt ſubſtantiæ materiali, & illi conuenit ſecundùm quòd talis eſt, & etiam quia eſt ſecundùm ſe ſenſibilis: alia verò accidentia, non ſunt ita proportionata noſtræ cognitioni pro hoc ſtatu, & ideò ad illa cognoſcenda indigemus, & vtimur aliquo extrinſeco: relatio autem & alia vltima ſex prædicamenta in ſua ratione includunt ordinem ad aliquid extrinſecum, & ideò per illud extrinſecum facilè poſſunt cognoſci: ſola qualitas in communi, nec eſt proportionata intellectui noſtro pro hoc ſtatu, nec dicit ordinem vt ſic ad aliquid extrinſecum, ſed eſt omnino abſoluta: nam ex D.Thom. 5. Metaph.lect.17. *Qualitas ſecundùm quòd qualitas eſt, ſolùm reſpicit ſubiectum in quo eſt, non autem ordinatur ad aliud, niſi ſecundum particulares rationes huius, vel illius qualitatis, ſcilicet habitûs, & potentiæ &c.* Vnde licèt intellectus noſter facilè cognoſcat aliquas particulares ſpecies qualitatis, difficilè tamen percipit communiſſimam rationem huius prædicamenti, in qua omnes eius ſpecies conueniunt: non tamen illa ratio eſt omnino nobis ignota, vt aſſerit Fonſeca lib.2. Dialecticæ cap. 12. aliàs non poſſet conſtituere peculiare prædicamentum, quod dicit vnum conceptum vniuocum genericum ſupremum, nec poſſent aſſignari eius ſpecies, ſpecies enim debent participare rationem eſſentialem generis.

Probatur prima pars concluſionis, & examinatur talis definitio. Quòd enim non exprimat rationem propriam & formalem qualitatis, patet nam verè conuenit quantitati, quia reuera eſt accidens abſolutum adiunctum ſubſtantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tam in exiſtendo, quàm in agendo: non enim res corporea poteſt eſſe naturaliter, ac proinde nec agere ſine quantitate: maximè quia ad agendum requiritur, vt in plurimum, contactus inter agens & patiens. Quod autem contineat multa ſuperflua, ponderant noſtri Complutenſes. Primò, ly (quoddam) nec ponitur pro genere, nec addit aliquid ſuper ea quæ ponuntur ex parte differentiæ. Secundò, ly (abſolutum) etiam ſuperfluit, non enim ſignificat aliquem gradum poſitiuum, inter accidens, & quantitatem, ac qualitatem, ſed negationem relationis immediatè fundatam in proprio vniuſcuiuſque conſtitutiuo: & ita ſicut ſuperfluè definiretur, equus eſt animal irrationale hinnibile, cùm irrationale contineatur in hinnibili & ita bis poneretur: ſic ſuperfluè ponitur ly (abſolutum) in definitione qualitatis. Tertiò, etiam ſuperfluunt hæc verba (adiunctum ſubſtantiæ creatæ) id enim continetur in prima particula definitionis, nam accidens ex ſua natura petit adiungi ſubſtantiæ creatæ, cùm nulla poſſint eſſe accidentia in ſubſtantia increata. Quartò ſuperfluunt etiam alia verba (ad complementum perfectionis eius) nam accidens vt accidens hoc facit, accidentia ſiquidem ex eo quòd ſint entia, & perfectiones ſecundùm quid, complent ſubſtantiam in aliquo eſſe, & perfectione accidentali: & ſi per hoc intelligat Suares, vt fatetur, quòd qualitas ſit ornamentum ſubſtantiæ, eſt falſa, nam habitus vitioſi, & alia ſimilia non poſſunt dici ornamenta. Quintò, ſi hæc vltima pars (tam in exiſtendo, quàm in agendo) ſumatur collectiuè, eſt falſa definitio, quia plures qualitates non ſunt actiuæ: ſi verò disiunctiuè, tunc non eſt vna definitio, ſed plures: nec definitur genus ſupremum, ſed membra diuidentia, quibus adæquatè conuenit vnaquæque pars talis diſiunctionis.

Probatur ſecunda pars concluſionis, & examinatur definitio tradita ab Hurtado. Quòd non exprimat eſſentiam qualitatis, patet, quia non exprimit quid ſit illud, per quod qualitas diſtinguitur à quantitate: ſicut ſi quis definiret, animal eſt viuens diſtinctum à planta, nam talis definitio æquiualet iſti negatiuæ, animal eſt viuens, quod non eſt planta, quem modum definiendi vt imperfectiſſimum reiicit Ariſtoteles 1. Topic. cap. 4. Quòd autem non ſit adæquata, probatur: Vel per accidens abſolutum excludit tantum veram relationem, & ſic hæc definitio conuenit vltimis ſex prædicamentis: vel excludit quemcumque reſpectum, tam prædicamentalem, quàm tranſcendentalem, & ſic non conuenit omni qualitati, nam habitus potentiæ, ſimiles ſunt relationes tranſcendentales: ergo hæc definitio non eſt adæquata, quia vel conuenit aliis à definito, vel non conuenit omni contento ſub ipſo.

Probatur tertia pars concluſionis. Quòd hæc definitio nihil contineat alienum à veritate, patet ex eius explicatione. Quòd autem non explicet eſſentiam qualitatis, probatur, quia adhuc reſtat inquirendum, quæ ſit illa ratio, aut perfectio accidentalis, cui annexum eſt prouenire à forma in eſſe quieto.

Probatur quarta, & quinta pars concluſionis, D. Th. opuſ.48. tract. 4. c. 1. & communiter Philoſophi admittunt hanc definitionem: & ratio eſt; quia cùm ſit valdè difficilè cognoſcere eſſentiã qualitatis, non potuit commodius deſcribi, quàm per eius effectum formalem, ſignificatum nomine ſui concreti, quod nobis eſt aliquandò notius, nam definitio ſemper debet tradi per notiora: aliquid verò eſt notius dupliciter ex Ariſt.6. Topic.cap.2. in ordine ad definitionem. Primò quandò res, per quas traditur definitio, ſunt abſolutè & ſecundùm ſe notiores, quod accidit quando ſunt priores, quia tunc ſunt verè partes, ſiue principia definiti, vt punctum reſpectu lineæ, vnitas reſpectu numeri, littera reſpectu ſyllabæ: & in hoc caſu definitio eſt propria & rigoroſa, & optimè explicat eſſentiam rei, vt ſi quis diceret, linea eſt quantitas continua cauſata ex ductu puncti, numerus eſt quantitas diſcreta vnitatum &c. Secundò, quandò definitio traditur per notiora nobis, licèt ſecundùm ſe ſint minus nota, & hoc modo res poſteriores & compoſitiores ſunt nobis magis notæ, quàm priores & ſimpliciores, vnde hæ per illas ſolent definiri, ſicut quandò dicitur punctum eſt extremitas lineæ, vnitas eſt principium numeri &c. Hæ autem definitiones, vt ibidem ait Ariſt. licèt non explicent propriè eſſentiam rei, quia non traduntur per priora & notiora ſecundùm ſe, quia tamen traduntur per notiora nobis, faciunt nos clariùs cognoſcere res illas, quæ ſecundùm ſe ſunt priores & notiores, vt ita tandem per eas res poſteriores poſſint definiri: cùm igitur quodlibet concretum

tum

tum sit notius quoad nos, quàm abstractum, quia ex Aristotele 7. Metaph. concreta apparent magis entia, quàm abstracta, ideò quando abstractum non potest habere veram definitionem, vt sunt generalissima accidentium, non incongruè definitur per concretum, tanquam per aliquid nobis notius: & hoc fecit Arist. in præsenti: vnde cùm similes definitiones sint tantùm secundum quid, & quoad nos definitiones, non oportet in eis requirere omnes conditiones rigorosæ definitionis, sed sufficit quòd aliquo modo verificentur: & per hoc patet ad omnia, quæ contra hanc definitionem obiiciuntur; nam licèt abstractum & concretum sint idem secundùm rem significatam: non tamen in modo significandi, vnde hîc non definitur idem omnino per seipsum. Deinde ipsa definitio est notior aliquo modo definito: nec admittitur propriè circulus, nam quale definitur secundùm se per qualitatem, qualitas autem quoad nos tantùm definitur per quale, circulus autem est, quando vnum definitur per aliud eodem modo, quo aliud definitur per ipsum, & hic modus circuli aliquandò licet in demonstrationibus, vt dictum est supra ex D Th. in libris Posterior.

Probatur, & explicatur sexta pars conclusionis. Prima definitio habetur 1. p. q. 28. art. 2. *Qualitas est dispositio substantiæ, siue accidens dispositiuum substantiæ.* Pro qua sciendum est dispositionem dici à disponendo, disponere autem idem est ac ordinare, siue ponere aliqua cum ordine: & ita requiritur quòd in re disposita sint plura siue partes: definitur enim dispositio generaliter sumpta ab Arist. 5. Metaph. textu 14. sic, dispositio est ordo habentis partes, sicut vt ibidem lect. 10. ait D. Th. dispositio est ordo partium in habente partes: dispositio autem partium, vna est in ordine ad locum, & hæc constituit prædicamentum situs: alia est dispositio rei in seipsa, de qua intelligitur definitio D. Th. ad hanc autem dispositionem non requiritur quòd sint verè & realiter partes, aut plura in habente ipsam, sed sufficit vt in illa sit quædam indifferentia, siue potestas ad plura, quæ est virtualis quædam latitudo, ratione cuius apprehenduntur quasi plures partes potentiæ, etiam in ordine ad obiectum eiusdem habitus, secundùm quas potest magis ac magis actuari per talem habitum, & secundùm extensionem, & intensionem, vnde habitus sic actuans illas quasi partes potentiæ, verè est dispositio, quia per hanc gradualem actuationem ponit ordinem inter tales potentias, quæ antea intelligebantur quasi confusæ & inordinatæ: idem apparet in omnibus qualitatibus, quæ recipiunt magis & minùs; nam potentia ligni ad calorem quasi confusa intelligitur, antequam adueniat calor, & ipsum actuet, vt duo, tria, &c. Item forma ordinat veræ partes v. g. corporis humani in ordine ad se, quamois subsequatur ordinatiè situs, sed non necessariò vt patet in Eucharistia, vbi Christus Dominus habet corpus perfectissimè ordinatum in se præcisè. Idem faciunt figuræ Mathematicæ, nam circulus v. g. disponit partes lineæ: similiter potentiæ disponunt essentiam rei in ordine ad propria obiecta, quæ secundùm se erat indifferens: ergo cùm hæc conueniant omnibus speciebus qualitatis, non autem aliis accidentibus, sequitur quòd prima definitio qualitatis tradita à D. Th scilicet. *Qualitas est dispositio substantiæ, siue accidens dispositiuum substantiæ;* sit optima rectè exprimens essentiam qualitatis, & proprium eius effectum formalē.

Explicatur secunda definitio, quam 1. 2. q. 49. art. 2. tradit sic. *Qualitas est accidens modificatiuum, siue determinatiuum, vel imponens modum & determinationem substantiæ.* Pro qua sciendum est, quòd modus sumitur multipliciter. Primò latè pro omni accidente, siue completo, siue incompleto. Secundò pro quibusdam accidentibus complens, sed minimæ & imperfectissimæ entitatis, & hoc modo figuræ, & vltima ex prædicamenta, & relationes dicuntur modi. Tertiò pro quibusdam entibus perfectissimis & incompletis, quæ nec sunt in genere, nec in specie entis, nec sunt veræ partes, sed sunt modificationes, aut affectiones entium, pertinentes reductiuè ad prædicamenta eorum, vt punctum, vnitas, postprædicamenta &c. his autem tribus modis non sumitur modus in definitione D. Th. sed sumitur, pro vt modus significat dispositionem, siue ordinatam determinationem: modus autem in hac acceptione coincidit cum dispositione, vnde etiam hæc secunda definitio coincidit cum prima: potest etiam dari alia optima descriptio qualitatis desumpta ex eius tertia proprietate, quæ illi conuenit quarto modo, sumpta in proprio sensu, & non per translationem. Qualitas est accidens, secundùm quod res dicuntur similes aut dissimiles.

Articvlvs II.

Vtrùm habitus & dispositio differant specie?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd habitus & dispositio non differant specie, sed tanquam perfectum & imperfectum intra eandem speciem. Ita tenent Scotus quæst. 9. huius prædicamenti, Vasques 1. 2. disp. 8. cap. 3. Salas ibidem quæst. 52. disp. 5. sect. 1. & alij. Probatur. Differentia quæ assignatur inter habitum & dispositionem, non est essentialis, sed merè accidentalis, scilicet esse facilè vel difficilè mobile: motus enim est extra genus qualitatis, & ita accidentaliter se habet ad qualitatem: quod patet in passione & patibili qualitate, quæ etiam differunt secundùm facilè & difficilè mobile, & tamen differunt solùm accidentaliter: ergo habitus & dispositio non differunt specie.

§ 2. Præterea, Habitus interdum fit dispositio, & dispositio fit habitus; nam scientia est habitus, & tamen si diminuatur, transit in dispositionem, redditur enim facilè mobilis: & èconträ febris est dispositio, & tamen aliquandò transit in habitum, vt cùm fit ethica, redditur enim difficilè mobilis: ergo signum est, quòd non differunt specie, vna siquidem species non potest fieri alia, sed tantùm differunt, vt perfectum & imperfectum intra eandem speciem.

§ 3. Præterea, Dantur aliqui habitus facilè mobiles à subiecto, vt patet in gratia habituali, quæ facilè deperditur: èconttra verò dantur aliquæ dispositiones difficilè mobiles, vt patet in opinionibus, quibus aliqui firmissimè inhærent: ergo differentia, quæ est inter habitum & dispositionem, non est essentialis & specifica, sed merè accidentalis.

Sed contra est expressa authoritas Arist. & D. Th. quos communiter sequuntur Thomistæ, Caietanus, Conrado 1. 2. quæst. 49. art. 2. Araujo 5. Metaph. q. 5. art. 3. Iauellus, Soto, Masius, Sanches, & nostri Complutenses in Logica: extra Scholam D. Th. Lorca, Valentia, Fonseca, Conimbricenses, Toletus, Ruuius, & alij.

Conclvsio.

Cum habitus ex natura sua sit difficilè mobilis à subiecto, dispositio autem facilè mobilis, necessariò differunt specie.

Respondeo dicendum quòd quamuis habitus propriè dicti vt scientia &c. quando sic imperfectè insunt, vt facilè possint amitti, dicantur dispositiones: & èconträ dispositiones propriè dictæ vt sanitas, quandò ex aliquo accidenti redduntur difficilè mobiles, dicantur habitus: & ita secundùm communem modum loquendi distinguantur tantùm, vt perfectum & imperfectum, intra eandem speciem: tamen absolutè loquendo habitus & dispositio propriè dicti, quibus scilicet ex natura sua conuenit esse facilè, aut difficilè mobiles, verè differunt essentialiter & specificè. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd habitus dicitur ab habendo, vnde cùm habere sumatur tripliciter, ita & habitus ex Arist. 5. Metaph. textu 25. & D. Th. 1. 2. q. 49. art. 1. Habere primò idem significat, ac possidere quocumque modo, siue per inhærentiam, siue per relationem, vt habere scientiā, amicum &c. habere siue habitus in hac acceptione est postprædicamentum, vt cùm Arist. in cap. de oppositis dicit à priuatione ad habitum non est possibilis regressus.

Secundò sumitur, vt est quoddam medium per modum actionis & passionis, inter habentem & rem debitam, ratione cuius dicitur aliquis vestitus, armatus &c. qui enim habet vestem in arca, non dicitur illam habere hoc secundo modo: habitus autem in hac acceptione constituit speciale prædicamentum. Tertiò tandem sumitur magis strictè, vt significat id, quo res se habet benè, vel malè in seipsa, aut in ordine ad aliquid aliud: quo sensu solemus inquirere ab amico, quomodò te habes; & in hac acceptione habitus pertinet ad hoc prædicamentum, & est prima eius species. Dispositio autem præter alias acceptiones quas retulimus articulo præcedenti, tandem sumitur pro habitu in hac tertia acceptione: nam indifferenter solemus inquirere, quomodo te habes, & quomodo dispositus es; & ideò habitus & dispositio sæpe confunduntur ab Arist. & D. Th. secundùm quòd pertinent ad hanc primam speciem. Hoc autem inter illa est discrimen, vt ait Arist. in Logica & D.Th.1.2.q.49.art.2. ad 3. quòd nomen habitus magis propriè & frequentiùs tribuitur qualitatibus istius speciei quæ sunt difficilè mobiles: nomen verò dispositionis illis quæ sunt facilè mobiles: nam nomen habitus, vt ibidem dicit D. Th. importat diuturnitatem & permanentiam, quam non importat nomen dispositionis. Dispositio autem sumitur dupliciter, aliquando genericè, & sic comprehendit tam habitum quàm dispositionem: aliquandò verò sumitur specificè, & stat pro imperfectiori specie, & hoc est ordinarium, quando genus stat pro aliqua specie: & ita dispositio genericè sumpta est qualitas, qua res benè vel malè disponitur, abstrahendo ab hoc quòd sit facilè, vel difficilè mobilis à subiecto: specificè verò sumpta includit essentialiter, quòd sit facilè mobilis.

Item sciendum est, quòd ratio formalis, siue essentia huius primæ speciei, vt comprehendit tam habitum propriè dictum, quàm dispositionem, consistit in hoc quòd sit qualitas determinans, vel disponens rem benè, vel malè in ordine ad naturam, siue per se primò ordinata ad benè, vel malè, esse naturæ subiecti, vel secundùm seipsam vt contingit in sanitate, pulchritudine &c. vel in ordine ad aliquam operationem, vt in scientia, virtute, & aliis habitibus immediatè afficientibus potentias. Ita Arist. 5. Metaph. 25. D.Th.q.49. citatâ art.1.2.& 3. & affert rationem, quia in hoc conueniunt omnes qualitates huius primæ speciei essentialiter, & per hoc distinguuntur ab aliis speciebus vt patet consideranti: nam omnia quæcumque continentur sub hac specie, vel afficiunt naturam præcisè & absolutè, vel afficiunt naturam potentiarum, quibus insunt in ordine ad operationem: secunda autem species scilicet naturalis potentia & impotentia, per se primò sumitur in ordine ad operationem absolutè sumptam, non curando an sit conueniens, aut disconueniens, idem enim intellectus est potentia, tam respectu intellectionis scientificæ, quàm erroneæ: voluntas est potentia, tam respectu volitionis honestæ, quàm turpis, habitus autem siue dispositio secundùm se per se primò ordinantur ad benè vel malè esse naturæ ipsius subiecti, & potentiarum eius, & ex consequenti, siue ex parte subiecti important ordinem ad operationem, inquantum est finis naturæ, vel perducens in finem ex D. Th. art. 3. citato. Tertia autem species per se primò hoc importat, vel quòd sit terminus alicuius alterationis procedentis à potentiis secundæ speciei, vel quòd sit obiectum alicuius sensûs, ad quod est impertinens esse conueniens, vel disconueniens naturæ subiecti: quòd etiam per accidens conuenit quartæ speciei, nam figura præcisè vt sic, non dicit conuenientiam, aut disconuenientiam, vt patet in Mathematicis: imò vt ait D.Th.art.2. citato, quandò v.g. calor & frigus quæ sunt obiectum tactûs, aut color qui est obiectum visûs, aut forma & figura considerantur secundùm rationem conuenientiæ, aut disconuenientiæ, in ordine ad naturam subiecti, tunc reducuntur in hanc primam speciem: nam color & figura pertinent ad pulchritudinem, vel deformitatem, calor & frigus, ad sanitatem vel ægritudinem, vt dicit Aristoteles cap. de qualitate. Ex dictis sequitur, sic definiendam esse primam speciem qualitatis, vt includit habitum & dispositionem, est qualitas secundùm quam res benè vel malè se habet: si autem addatur, difficilè mobilis, determinatè definitur habitus, dispositio verò si addatur, facilè mobilis.

Probatur conclusio ratione Aristotelis & D. Th. Qualitates, quæ ex se sunt facile mobiles, si ex aliquo accidenti reddantur difficilè mobiles, dicuntur habitus, vt Febris quæ transit in Ethicam: & ècontra quando qualitates, quæ ex se sunt difficilè mobiles, ita imperfectè insunt, vt facilè possint amitti, vt patet in scientia in sua prima acquisitione, dicuntur dispositiones: ergo signum est, propriam rationem habitus intrinsecè, & essentialiter importare diuturnitatem, & permanentiam, & èontra dispositionem esse facilè mobilem, & ita habent diuersas specie essentias. Confirmatur & explicatur. Ex diuersitate causarum per se & propriarum, sumitur distinctio essentialis in effectibus, nam diuersæ causæ diuersos producunt effectus, si per se ordinentur ad tales effectus: ergo cùm habitus habeat causam ex natura sua difficilè mobilem, vt patet in scientia, quæ procedit ex demonstratione, quæ ex se habet firmare omnino intellectum: dispositio autem ècontra habeat causam ex natura sua facilè mobilem, vt patet in opinione, quæ procedit à medio probabili, quòd ita mouet & inclinat intellectum in vnam partem, vt relinquat formidinem alterius, essentialiter distinguuntur.

Sub habitu continentur omnes scientiæ & virtutes: diuiditur autem habitus in acquisitum & infusum. Sub infuso continentur fides, spes, charitas, lumen gloriæ, & alia permanentia, Spiritûs sancti dona, & virtutes aliæ per se infusæ. Habitus acquisitus diuiditur in intellectualem & moralem: hic in virtutem moralem & vitium illi oppositum, & vnumquodque in suas species, de quibus D. Th. 2.2. ferè totâ: quamuis non desint, qui dicant vitia esse dispositiones & non habitus, quia cùm sint contra lumen rationis, ex sua natura sunt facilè mobilia ab homine rationali. Intellectualis verò diuiditur ab Aristotele 6. Ethic. cap.3. in intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem. Intelligentia est habitus principiorum speculabilium. Sapientia non distinguitur essentialiter à scientia vniuersaliter sumpta, sed est scientia perfectissima. Ars diuiditur in septem Mechanicas, Liberales enim non sunt artes nisi secundùm quid. Prudentia denique Monasticam, Oeconomicam, & Politicam.

Sub dispositione continentur omnes dispositiones corporales, vt sanitas, ægritudo, pulchritudo, deformitas, facilitas saltandi, psallendi &c. Si autem sanitas, & ægritudo non sunt qualitates distinctæ à primis qualitatibus: & similiter pulchritudo, & deformitas non sint distinctæ à colore & figura, cùm vt sic sint entia per accidens, tantùm reductiuè pertinent ad hanc speciem: pertinent etiam ad hanc speciem species expressæ, ita communiter Thomistæ, Soncinas 9. Metaph, q.21. ad 4. Ferr. 2. de anima q.22. Sanches, & nostri Complutenses in Logica: & ratio est manifesta: nam ex natura sua sunt facilè mobiles, & ordinantur ad benè, vel malè esse potentiæ: vnde aliqui malè constituunt species expressas sub tertia specie qualitatis contra D. Th. qui 3.p.q.63. art. 2. ad 2. ait: *In tertia specie qualitatis non sunt, nisi sensibiles qualitates*, & in 4.d.4. q.1. art.1. docet ex Aristotele qualitates tertiæ speciei semper habere ordinem ad aliquam transmutationem corporalem, vel quia eam inferunt, vel quia ab ea causantur. Sub hac specie continetur etiam ex spiritualibus illa qualitas, quæ per primum, aut secundum actum virtutis relinquitur in voluntate, hæc enim non est verè habitus, sed dispositio ex D. Th. 1.2. q.51. art.3. vbi dicit, quòd per primum actum scientiæ potest generari scientia, quæ sit verè habitus, licèt imperfectus: per primum verò actum virtutis non potest generari virtus, quæ sit verò habitus, sed solùm quæ sit dispositio.

De gratia est specialis difficultas, an ad habitum, an ad dispositionem

dispositionem pertinet. D.Th. 1.2. q. 110. art. 3. ad 3. videtur reducere ad dispositionem: sic enim ait. *Gratia reducitur ad primam speciem qualitatis, neque tamen est idem quod virtus, sed habitudo quadam, qua præsupponitur virtutibus infusis.* Item in 2.d.26.q.1.art.4. ad 1.ait de gratia, quòd non est propriè habitus, sed habitudo quædam, sicut sanitas se habet ad corpus, & ideò dicit Chrysostomus,quòd gratia est sanitas mentis.Dicendum tamen est, quòd sit propriè habitus, & hoc suadet eius excellentia & perfectio: colligitur etiam ex D.Th.q.27. de veritate art.1.ad 9. vbi dicit gratiam ex natura sua esse difficilè mobilem à subiecto etiamsi per vnum actum peccati mortalis amittatur. Nec sibi contrariatur in aliis locis,quia solùm ibi negat gratiam esse habitum, sicut Philosophi locuti sunt de habitibus, vt ipse ibidem se explicat: nam habitus ex Philosophis immediatè ordinantur ad operationem, & subiectantur in potentiis, quod non habet gratia, quæ immediatè perficit substantiam animæ.

Ad primum ergo dicendum cum D.Th.quòd licèt istæ differentiæ videantur accidentales, cùm pertineant ad motum, qui est extra genus qualitatis, designant tamen proprias & per se differentias essentiales harum specierum. Ad illud de passione & patibili qualitate dicetur suo loco.

Ad secundum dicendum, quòd numquam habitus fit dispositio specificè sumpta, nec dispositio habitus, licèt quantùm ad modum quo participantur, habitus dicatur interdum dispositio, quia imperfectè participatur, vt scientia in suo principio: & dispositio dicatur habitus, quia valdè radicatur, & diu permanet in subiecto. vt febris Ethica: hoc tamen non exigunt ex natura sua, nisi reduplicatiuè, scilicet vt tali modo & statu participata.

Ad tertium dicendum, quòd gratia ex natura sua est difficilè mobilis,sed peccatum est tam malignantis naturæ, vt quamcumque gratiam expellat, quia est offensa Deo facta, ac proinde infinitæ malitiæ, vt docent communiter Thomistæ & plures alij. Ad aliud dicendum, quòd opinio ex natura sua est facilè mobilis, quia fundatur in medio probabili, quod non conuincit intellectum, sed relinquit cum formidine alterius partis: vnde solùm ex pertinacia opinantis, & ita ab extrinseco habet, quòd sit difficilè mobilis.

Articvlvs III.

Vtrùm potentia & impotentia sint duæ species qualitatis?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd potentia naturalis & impotentia essentialiter distinguantur, & ita sint duæ species qualitatis. Ita tenent aliqui etiam Thomistæ, qui tamen sua opera non edidère in lucem. Probant quia Arist. & D. Th. enumerantes species qualitatis, eodem modo comparant inter se habitum & dispositionem ac potentiam & impotentiam, & similiter de aliis: sed habitus & dispositio sunt duæ species: ergo etiam potentia & impotentia.

¶ 2. Præterea, Impotentia non dicit puram negationem,sed dicit potentiam quæ difficilè fertur in suum obiectum, potentia verò facilè fertur: sed ferri difficilè,& ferri facilè,ex natura sua importat differentiam essentialem, vt patet in habitu & dispositione,quæ per hoc præcisè distinguuntur specie, quia respiciunt subiectum sub ratione facilè,& difficilè mobilis ab illo:ergo & potentia ac impotentia distinguuntur specie, quia respiciunt obiectum sub ratione facilis & difficilis tendentiæ.

¶ 3. Præterea, Durities est potentia ad resistendum; mollities verò est impotentia: sed durities & mollities specie distinguuntur: ergo potentia & impotentia sunt duæ species qualitatis.

Sed contra est communis sententia omnium ferè Philosophorum, qui scripserunt.

Conclvsio.

Cùm eademmet numero potentia naturalis ex aliquo accidenti possit reddi impotentia, vel è contra, potentia & impotentia non distinguuntur nisi accidentaliter,& ita non sunt duæ species qualitatis.

Respondeo dicendum, quòd potentia naturalis & impotentia non sunt duæ species qualitatis. Ad cuius euidentiam sciendum est duo esse principia operationis: vnum radicale & remotum, quod est ipsa forma substantialis vt probatum est in Physicis, vt anima rationalis respectu intellectionis, quod sine dubio non pertinet ad hoc, sed ad prædicamentum substantiæ:aliud proximum & formale, vt intellectus, & hoc est qualitas pertinens ad hanc secundam speciem,quæ quando dat ipsi subiecto posse fortiter & debitè operari, dicitur potentia naturalis, vt potentia visiua in iuuene: quando verò non dat nisi posse debiliter operari, dicitur impotentia,vt eadem potentia visiua in sene, & similiter potentia generatiua dicitur potentia naturalis, quando habet debitum temperamentum, à quo si deficiat vt in frigidis &c. dicitur impotentia, qui propterea dicuntur impotentes: vnde patet quòd impotentia non dicit meram negationem, aut priuationem potentiæ, sed potentiam debilem & remissam, ac proinde potentia & impotentia præcisè vt sic non distinguuntur specie,sed accidentaliter vt perfectum & imperfectum intra eandem speciem,nisi aliunde distinguantur: sicut durities & mollities distinguuntur specificè, non quia sunt potentia aut impotentia præcisè, sed quia sunt talis potentia & impotentia:nam etiam inter ipsas potentias reperitur distinctio essentialis, non solùm specifica vt inter potentias actiuas, sed etiam generica vt inter potentias actiuas & passiuas.

Probatur conclusio. Eademmet numero potentia naturalis, quæ nunc est perfecta & dicitur simpliciter potentia,redditur imperfecta ex aliquo accidenti,& dicitur impotentia vt dictum est: sed vna species non transit in aliam,vt communiter docent Philosophi: ergo potentia & impotentia non sunt duæ species qualitatis vt sic præcisè, sed distinguuntur accidentaliter tantùm, vt perfectum & imperfectum intra eamdem speciem.

Definitur autem hæc species sic: potentia est qualitas productiua, siue est qualitas, quæ simpliciter est principium actionis: si per ly (actionis) intelligatur tam actio propriè, quàm impropriè dicta, siue id quod habet modum actionis, vt magna vel parua resistentia ad diuisionem, quarum sunt principia durum & molle, vnde durities & mollities sunt qualitates istius speciei ex Arist. cap. de qualitate, & D.Th. in 1. d. 42. q. 1. art. 1.

Diuiditur primò potentia in actiuam & passiuam siue resistitiuam, non enim omnis potentia passiua est qualitas, vt patet, potentia enim passiua materiæ primæ ad formam substantialem est ipsa substantia materiæ. Potentia actiua est illa, quæ est principium veræ actionis:potentia verò resistitiua est illa, quæ est principium alicuius habentis modum actionis, cùm tamen non sit vera actio,vt durum & molle,salubre & valetudinarium, prout dicunt robur vel debilitatem corporis in sua constitutione, ratione quorum facilè vel difficilè cedit infirmitatibus, non autem vt dicunt sanitatem vel infirmitatem, quæ pertinent ad primam speciem. Ad hoc etiam pertinent grauitas & leuitas prout hæc est principium resistendi motui deorsum, illa verò motui sursum:vtrum autem sint veræ potentiæ actiuæ suorum motuum,patet ex dictis supra in Physicis. Est probabile quòd ad hanc speciem pertinent species impressæ, tam sensibiles quæ dicuntur intensionales, quàm intelligibiles: vt docent Sanches, & nostri Complutenses: quia complent potentias operatiuas, tanquam earum concausæ: quamuis etiam alij probabiliter dicant, saltem de intelligibilibus, quòd sint habitus,cùm disponant hominem in ordine ad naturam, & sint ex se difficilè mobiles, & hoc colligitur ex D.Th. 1.2.q.50.art. 5.& 6. Ad hanc speciem qualitatis pertinent characteres, qui in aliquibus Sacramentis imprimuntur: character quidem baptismi ad potentiam passiuam,

paſſiuam, quia non ordinatur ad aliquam actionem, ſed ad receptionem aliorum Sacramentorum: character verò confirmationis, & ordinis pertinent ad potentiam actiuam, nam ordinantur ad actiones hierarchicas ex D.T.3.p.q.63.art.2. & in 4. d. 4. q. 1. art. 4. quæſt. 3. vbi docet tantùm reductiuè pertinere ad hanc ſpeciem: ſic enim ait, *ideò ſicut virtus quæ eſt in Sacramentis, non eſt in genere per ſe, ſed per reductionem, eo quòd eſt quiddam fluens & incompletum, ita etiam character non propriè eſt in genere, vel ſpecie; ſed reductiuè ad ſecundam ſpeciem qualitatis.*

Potentia actiua diuiditur in immanentem & tranſeuntem. Sub immanenti continentur potentia cognoſcitiua & appetitiua: illa diuiditur in ſenſitiuam, & intellectiuam, hæc in appetitum ſenſitiuum, & rationalem. Sub tranſeunti continentur intellectus agens, & potentiæ vegetatiuæ animæ, ſcilicet generatiua, nutritiua, & augmentatiua cum ipſarum miniſtris, & vniuerſaliter omnes potentiæ & virtutes naturales creaturarum ordinatæ à natura ad producendum aliquem effectum in extranea materia, vt virtus magnetis ad attrahendum ferrum &c. de quibus omnibus actum eſt in libris de anima.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſt. & D.Th. tantùm enumerant primas ſpecies qualitatis, in quas immediatè qualitas diuiditur: & quia non ſunt nobis noti conceptus illi communes, in quibus conueniunt membra diuidentia aſſignata pro vnaquaque ſpecie, ideò aſſignantur illa membra diuerſa: vtrùm autem differant ſpecie, vel tanquam perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem, eſt alia difficultas. Nec debent omnia eodem modo regulari, quædam enim diſtinguuntur ſpecie, alia verè diſtinguuntur tantùm vt perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem,

Ad ſecundum dicendum, quòd nulla eſt potentia, quæ ab intrinſeco petat ferri difficilè vel difficulter in ſuum obiectum, imò ex ſe toto impetu fertur in illud, niſi aliunde impediatur, vel in ſe debilitetur eadem ſemper numero manens.

Ad tertium dicendum, quòd duritiés & mollities non diſtinguuntur ſpecie præcisè in ratione communi potentiæ & impotentiæ, ſed in ratione particulari talis potentiæ, vt dictum eſt.

Articvlvs IV.

Vtrùm paſsio & paſsibilis qualitas eſſentialiter differant?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd paſſio & paſſibilis qualitas eſſentialiter differant. Ita tenent iidem, qui articulo præcedenti docuerunt potentiam & impotentiam differre ſpecie. Probant ſuo argumento communi, ſcilicet quòd Ariſtoteles enumerans ſpecies qualitatis, eodem modo comparat inter ſe paſſionem & paſſibilem qualitatem, quomodo habitum & diſpoſitionem: ergo ſicut habitus & diſpoſitio eſſentialiter differunt; ita & paſſio & paſſibilis qualitas.

¶ 2. Præterea, Quæ petunt cauſas eſſentialiter diuerſas, eſſentialiter differunt, non enim aliunde diſtinguuntur eſſentialiter habitus & diſpoſitio, niſi quia petunt cauſas eſſentialiter diuerſas, à quibus procedant, nam ſcientia, quæ eſt habitus, procedit à demonſtratione, & opinio quæ eſt diſpoſitio procedit ab argumento probabili: ſed paſſio & paſſibilis qualitas petunt cauſas à quibus procedant, eſſentialiter diuerſas ex Ariſtotele, nam paſſio procedit ab aliquo caſu repentino, putà rubor ex verecundia, pallor ex timore aut morbo &c. paſſibilis qualitas verò habet cauſam permanentem, & inde eſt quòd paſſio eſt ex natura ſua facilè mobilis, paſſibilis verò qualitas difficile mobilis: ergo eſſentialiter diſtinguuntur, ſicut habitus & diſpoſitio propter eamdem rationem.

¶ 3. Præterea, Motus rectus & circularis eſſentialiter differunt, licèt terminentur ad eundem terminū, quia habent diuerſum modum tendendi & procedendi: ergo ob eandem cauſam differunt eſſentialiter paſſio & paſſibilis qualitas, nam procedunt diuerſo modo, paſſio enim citò tranſit, paſſibilis autem qualitas diù permanet, & hoc habent ex natura ſua.

Sed contra eſt communis ſententia omnium ferè Philoſophorum.

Conclvsio.

Cùm eadem numero qualitas, quæ eſt paſſio, quia oritur ex caſu repentino, poſſit fieri paſſibilis qualitas, ſi diu perſeuerat, certum eſt quòd paſſio & paſſibilis qualitas eſſentialiter non differunt.

Respondeo dicendum, quòd paſſio & paſſibilis qualitas non differunt eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter ex diuerſo modo & principio quo procedunt, ſicut mus productus per generationem, non differt eſſentialiter à mure producto à Sole ex putri materia. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd paſſio ſumitur multipliciter ex Ariſt. 5. Metaph. textu 26. lect. 20. apud D.Th. primò pro proprietatibus, quæ fluunt ab eſſentia & ſic non eſt ſpecies qualitatis, inuenitur enim in aliis etiam prædicamentis. Secundò pro receptione effectùs agentis in paſſo, & ſic conſtituit ſpeciale prædicamentum paſſionis. Tertiò pro receptione alicuius effectùs nociui & diſconuenientis, in qua intercedit alteratio; & quantò effectus eſt magis nociuus, tantò maior dicitur paſſio: & hæc acceptio paſſionis eſt frequentior, vnde dicimus paſſionem Chriſti fuiſſe maximam: & hoc contingit, ſiue qualitas ex natura ſua ſit nociua, ſiue ſit per accidens propter exceſſum, vt nimia triſtitia, & etiam nimia lætitia: & hæc acceptio adhuc pertinet ad prædicamentum paſſionis. Quartò denique ſumitur pro qualitate, ſecundùm quam eſt alteratio, vel quia cauſat talem alterationem, vt dulce & amarum, quæ cauſant alterationem in guſtu, calidum & frigidum in tactu; vel quia cauſantur ex tali alteratione, vt album & nigrum: cuius ſignum eſt vt ait Ariſtoteles, quòd quando aliquis afficitur pudore, rubeſcit, & palleſcit qui metuit: & per hoc diſtinguitur hæc ſpecies à prima, quòd hæc ſpecies afficit ſenſum, prima autem afficit naturam in ordine ad eſſe, vel operari: & propterea Ariſtoteles calorem & frigus ponit ſub prima ſpecie, & etiam ſub hac tertia propter hanc diuerſam rationem: non autem per ſe poſſunt poni in vtraque, implicat enim quòd aliquid ſit duplicis ſpeciei, ſicut & naturæ, quia non eſſet vnum, ſed duo: vnde ponuntur per ſe in vna, & reductiuè propter aliquam ſimilitudinem in alia, vt ſtatim dicetur.

Diſtinguuntur autem vt dictum eſt paſſio & paſſibilis qualitas tantùm accidentaliter, eo modo quo potentia & impotentia, quod probat Ariſtoteles, quia paſſio ſignificat qualitatem ex aliqua breui alteratione cauſatam, vt eſt pallor ex metu, rubor ex verecundia: paſſibilis autem qualitas ſignificat eaſdem qualitates, vt procedunt ex permanenti & fixa alteratione, vt pallor & rubor permanentes, ſiue ſiot ex natura, ſiue ex aliqua infirmitate: & ideò dicit Ariſtoteles quòd paſſio non eſt qualitas; ſed intelligendus eſt, quoad modum, quia ab illa non denominamur quales, non enim dicitur quis rubicundus, quia aliquandò erubuit.

Probatur concluſio ratione. Eademmet numero qualitas, quæ eſt paſſio, quia oritur ex aliqua repentina alteratione, vt pallor ex morbo, ſi tranſacto morbo diu perſeuerat, dicitur & eſt paſſibilis qualitas, ſic enim ait Ariſtoteles cap. de qualitate: *Siue enim à prima conſtitutione natura pallor, aut ater exiſtit, qualitas dicitur, quales enim ex eis appellamur, ſiue longe morbo, aut ardore eadem comparatæ ſunt qualitates, nec facilè corrigi poſſunt, aut per omne tẽpus ætatis valent, qualitates etiam hæ patibiles nominantur; ſiquidem ex iis quales appellamur*, Et paulò infra ait: *Omnes mentis ex ſuo ſtatu depulſiones, quæ non natura, ſed aliis quibuſdam caſibus hominibus eueniant, ſi vix euelli poſſunt, in qualitatum numero, hac enim habentur, quippe cum ex iis quales nominemur.*

Ergo

Ergo passio & passibilis qualitas non differunt essentialiter; sed tantùm accidentaliter, idem enim non potest mutare speciem; aliàs esset idem ex suppositione, & non idem, quia haberet diuersam essentiam.

Qualitas passibilis, cùm sit definitio, propriè definiri non potest, sic tamen describitur, est qualitas sensibilis, siue obiectiua, id est constituens obiectum alicuius sensus. Sub illa continentur lux, color, odor, sapor, & quatuor primæ qualitates tangibiles calor, frigus, humiditas, siccitas, quamuis aliqui de istis quatuor primis dubitent, nam cùm sint potentiæ actiuæ elementorum, videntur pertinere ad secundam speciem: sed tamen D.Th. illas collocat sub hac tertia specie 1. 2. q.50. art.1. ad 3. & q. 52. art.1. ad 3. nam verè sunt qualitates tangibiles: deinde quia secundùm illas attenditur primò alteratio, & sic primò & per se causant aliquam passionem, vel causantur ab ea, vnde sumpta est denominatio passibilis qualitatis. Ex his numeratis lux, & quatuor primæ qualitates sunt species infimæ, aliæ verò sunt subalternæ: nam color diuiditur in albedinem, nigredinem, & colores intermedios: sonus in acutum & grauem, ac alios medios: asperum autem & lene, rarum & densum, licèt videantur qualitates, pertinent tamen propriè ad prædicamentum sitûs, vt ait Aristot. nam rarum est, cuius partes distant, densum, cuius partes propè sunt, asperum, cuius partes sunt inæquales: ita vt aliæ sint aliis eminentiores; lene verò siue læue, cuius partes quasi in tecto sitæ sunt: quæ omnia pertinent ad dispositionem partium in loco.

Ad primum ergo dicendum, vt supra articulo præcedenti.

Ad secundum dicendum, quòd in his qualitatibus diu durare, vel citò transire, non prouenit ex natura illarum, nec quia ab intrinseco petant causas essentialiter distinctas: sed tantùm prouenit ex dispositione subiecti: quamuis enim passio petat citò ex causa repentina, ac proinde citò transire, hoc tamen non habet ratione suæ speciei, cùm vt dictum est, idem rubor & pallor, qui oriuntur ex causa repentina v.g. morbo, & consequenter sunt passiones, possint diu durare, & fieri patibiles qualitates: sed hoc tantùm habet ex imperfecto modo radicationis in subiecto, quem importat, qui non sufficit ad mutandam speciem in qualitatibus, sed solummodo ad mutandũ statum.

Ad tertium dicendum quòd est dispar ratio, nam motus cùm essentialiter sit tendentia in terminum, ideò diuersus essentialiter modus tendendi causat in eo distinctionem essentialem, & propterea motus rectus & circularis differunt essentialiter: hoc autem non contingit in aliis rebus absolutis & completis, vt patet, nam in eadem specie sunt animalia diuerso modo producta, sicut ea quæ simul generantur ex semine, & ex putri materia, omnes enim mures, quomodocumque producantur, sunt eiusdem speciei.

Articvlvs V.

Quomodo differant forma & figura?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd forma & figura distinguantur essentialiter, tanquam duæ species qualitatis. Probatur. Forma naturalis, quam vnaquæque res habet à natura, distinguitur essentialiter à figuris Mathematicis: sed ex D. Thom. 5. Metaphysicæ lect. 16. & Aristotele in Logica cap. de qualitate, forma hîc accipitur pro forma naturali, figura verò pro figuris Mathematicis, nam pro exemplo figuræ adducit triangulum: ergo forma & figura essentialiter distinguuntur.

§ 2. Præterea, Accidentia specificantur penes diuersum ordinem ad subiectum siue materiam: sed forma dicit ordinem ad materiam sensibilem; figura verò abstrahit à tali materia, & dicit tantùm ordinem ad materiam intelligibilem: ergo forma & figura habent diuersam specificationem, & ita essentialiter distinguuntur.

§ 3. Præterea, Forma naturalis est quid mixtum & irregulare, figura verò Mathematica est quid simplex & regulare: sed mixtum & simplex, regulare & irregulare distinguuntur essentialiter: ergo forma & figura essentialiter distinguuntur.

Sed contra est communis sententia omnium Philosophorum.

Conclvsio.

Cùm forma & figura significent eamdem omninò qualitatem; sed diuersimode, & diuersi applicatam, distinguuntur tantùm accidentaliter.

Respondeo dicendum, quòd forma & figura non sunt duæ species qualitatis, sed tantùm distinguuntur accidentaliter. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd forma multipliciter sumitur. Primò pro forma substantiali, & sic non pertinet ad hoc prædicamentum, sed reductiuè ad prædicamentum substantiæ, vt dictum est supra. Secundò sumitur pro quocumque actu accidentali, & ita peruagatur omnia nouem prædicamenta accidentium. Tertiò tandem sumitur pro dispositione, quam habent partes quantitatis in ordine ad se, à qua deriuatur denominatio formosi, vel difformis, & in hac acceptione est vera species qualitatis. Similiter figura ex D.Thom. in 5. d. 16. q. 2. art. 1. ad 1. Sumitur primò pro imagine, vel signo alicuius, & sic non pertinet ad hoc prædicamentum, cùm sit ens per accidens, scilicet substantia similis. Secundò sumitur pro qualitate resultante ex terminatione quantitatis, & ita est vera species huius prædicamenti: nam disponit rem in seipsa, & ita patet quòd forma in tertia acceptione, prout præcisè est qualitas, & figura in hac secunda sunt omnino idem: distinguuntur autem accidentaliter; vel per hoc quòd forma significat istam speciem Physicè & naturaliter, scilicet iunctam cum aliis accidentibus sensibilibus: figura verò eamdem significat Mathematicè, id est abstractam ab accidentibus sensibilibus vt docet Boetius, & D.Th. indicat 3.contra gentes cap. 105. vel vt ipsemet docet 5. Physicor. lect. 5. quia forma significat istam qualitatem, prout reperitur & dat esse artificiatis, dicitur enim forma turris, domus &c. figura verò significat eamdem qualitatem simpliciter, aut in rebus naturalibus.

Sub forma comprehenduntur qualitates constitutiuæ artefactorum, vt domus, turris, nauis, arcæ &c. sub figura verò præter figuras diuersorum animalium, & aliarum rerum naturalium, comprehenduntur omnes Geometricæ, quæ sic ordinantur: alia est plana quæ fit in superficiebus, alia solida quæ fit in corporibus: plana diuiditur in triangularem siue trigonam, & quadrangularem siue tetragonam, pentagonam, exagonam &c. ac Circulum qui est figura perfectissima inter planas: sub triangulari continentur Isocheles, isopleuros, & scalenon: sub quadrangulari quadratum ex altera parte longius, rhombus, rhomboides, &c. quæ diuisio fit etiam in aliis excepto Circulo, qui est species infima. Figura verò solida diuiditur in pyramidem, chilindrum, cubum, oualem, lenticularem &c. ac sphæram, quæ est perfectissima inter figuras solidas, de quibus Horontius l.1 suæ Geometriæ, & alij Mathematici.

Ad primum ergo dicendum, quòd forma naturalis & figura Mathematica, vt pertinent ad hoc prædicamentum, significant eamdem prorsus qualitatem, resultantem ex terminatione quantitatis, disponentem eius partes in ordine ad se: & ita solùm extrinsecè, & accidentaliter distinguuntur.

Ad secundum dicendum, quòd non est verum quòd accidentia specificentur à materia, nam albedo reperitur in diuersis materiis: si autem sint accidentia relatiua, ex diuerso quidem ordine ad terminum specificantur, non autem ex diuerso ordine ad subiectum: nam omnes relationes paternitatis sunt eiusdem speciei, siue sint in homine, siue in leone &c. maximè quia abstractio, quam importat figura Mathematica, non est à parte rei, sed tantùm per intellectum.

Ad tertium dicendum, quòd regulare & irregulare sunt differentiæ accidentales, sicut & mixtum & simplex in qualitatibus, prout important vnionem, vel separationem ab aliis qualitatibus sensibilibus: quamuis in substantiis mixtum & simplex sint differentiæ essentiales.

In fine huius quæſtionis notandum eſt, quòd licèt Ariſtoteles modeſtiæ cauſa dicat fortè eſſe alia genera qualitatis, communiter tamen Doctores tenent eius diuiſionem eſſe adæquatam: cuius rationem adducit D.Th. 1. 2. q.49. art. 2. ex natura qualitatis depromptam: nam aliquid vel modificatur & diſponitur ſecundùm naturam, & tunc eſt prima ſpecies, ſcilicet habitus & diſpoſitio, in qua ſola attenditur ratio conuenientis & diſconuenientis, ſiue boni & mali: vel modificatur ſecundùm actionem & paſſionem, attendendo principia ipſarum, & eſt ſecunda ſpecies potentia naturalis & impotentia: vel attendendo terminos actionis & paſſionis, & eſt tertia ſpecies, paſſio & paſſibilis qualitas: vel tandem modus & diſpoſitio eſt inter partes quantitatis, & ſic eſt quarta ſpecies, forma & figura: nec eſt aliqua ſpecies, quæ ad has non reducatur. De intenſione & remiſſione qualitatum dictum eſt ſupra in lib. de generatione & corruptione.

QVÆSTIO XV.

De Prædicamento Relationis.

POSTQVAM determinatum eſt de tribus primis prædicamentis, quæ ſunt fundamenta relationis, determinandum eſt de ipſa relatione, & quia dependet, tum à fundamento & ratione fundandi, tum à termino: ideò ſigillatim de illis omnibus agetur, circa quod quæruntur octo.

¶ Primò, Vtrùm dentur relationes reales?

¶ Secundò, Vtrùm omnes relationes reales ponantur in hoc prædicamento?

¶ Tertiò, Vtrùm relatio, vt ſit realis, requirat aliquas conditiones?

¶ Quartò, Vtrùm ſint tantùm tria fundamenta relationis?

¶ Quintò, Vtrùm relatio diſtinguatur realiter à ſuo fundamento?

¶ Sextò, Vtrùm relatio terminetur ad abſolutum, vel reſpectiuum?

¶ Septimò, Vnde ſumatur vnitas aut diſtinctio relationum, tum ſpecifica, tum numerica?

¶ Octauò, Vtrùm ritè aſſignentur proprietates relatiuorum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm dentur relationes reales?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd non dentur relationes reales. Ita tenuerunt Stoici, Zeno, & alij: Aureolus autem in 1. d. 30. q. 1. art. 2. dicit ſolas relationes diuinas eſſe reales: Bartholomæus verò de Medina, licèt concedat dari relationes reales ſecundùm eſſe, in, quod important, negat tamen, quòd ſecundùm eſſe ad, ſint reales. Probatur. Relatio non poteſt habere differentias diuiſiuas, aut conſtitutiuas reales, nam differentiæ diuiſiuæ reales opponuntur contrariè, & quaſi priuatiuè: differentiæ autem relationis opponuntur tantùm relatiuè, inter ſimile enim & diſſimile, inter patrem & filium eſt tantùm oppoſitio relatiua: ergo relatio non eſt aliquid reale, nam genus reale debet habere ſub ſe ſpecies, & conſequenter debent dari differentiæ reales diuiſiuæ illius, & conſtitutiuæ ſpecierum.

¶ 2. Præterea, Relatio diuagatur per multa prædicamenta, & ad illa conſequitur, nam ordo vnius ad illud inuenitur in multis generibus: imò prius, & poſterius, oppoſitio, & alia poſtprædicamenta ſunt relationes: ſed hæc omnia non poſſunt eſſe quid reale, cùm ſint minimæ entitatis: ergo non dantur relationes reales.

¶ 3. Præterea, Si relatio eſſet quid reale, poneretur in abſtracto in ſuo prædicamento, nam in prædicamentis accidentium ſola abſtracta collocantur, vt dictum eſt ſupra: ſed relatio in abſtracto non poteſt poni in prædicamento, quia hoc prædicamentum dicitur ab Ariſtot. ad aliquid; relatio autem in abſtracto non eſt ad aliquid, non enim ipſa, ſed concretum propriè refertur: ergo relatio non eſt aliquid reale.

¶ 4. Præterea, Probatur ſpecialiter dictum Medinæ authoritate D.Th. qui 1.p.q.28. art.1. hæc habet: *Solùm in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua ſecundùm rationem tantùm, & non ſecundùm rem: quod non eſt in aliis generibus.* Item quodlib.9.art.4. ait: *Quamuis ad aliquid, ex ratione ſui generis non habeat quòd ponat aliquid: non tamen etiam habet, quòd nihil ponat: quia ſic nulla relatio eſſet aliquid in rerum natura*: Sed eſſe, Ad, eſt propria ratio relationis: ergo eſſe Ad, nihil ponit: & ita non eſt aliquid reale.

SED CONTRA eſt expreſſa authoritas Philoſophi, tum in Logica, tum 5. Metaphyſicæ, Magiſtri in 1. d. 30. D.Th. 1. p. q. 13. art. 7. & q. 28. art. 1. Item q. 7. de potentia art.9. & alibi, quos ſequuntur communiter omnes Theologi, & Philoſophi.

CONCLVSIO.

Cùm à parte rei dentur aliqua æqualia & inæqualia, ſimilia & diſſimilia &c. quæ omnia important relationem: verè dantur à parte rei relationes, ac proinde reales.

RESPONDEO dicendum, quòd verè dantur relationes creatæ à parte rei ſiue reales. 2. tam ſecundùm eſſe, In, quàm ſecundùm eſſe, Ad, ſiue tam ſecundùm rationem communem accidentis, quàm ſecundùm propriam & ſpecialem rationem ſui conſtitutiuam, & quaſi differentialem. 3. ſecundùm quam conſtituit hoc ſpeciale genus entis realis, ſiue prædicamentum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſæpe Ariſt. vtitur nomine, Ad aliquid, pro nomine relationis, quia vt notat Caietanus hoc nomen melius ſignificat, & exprimit effectum formalem relationis, nam exprimit ipſum exercitium referendi, ſiue id quod eſt ad aliud ſe habere: agit autem de illa ſignificata in concreto, & in plurali dum dicit, Ad aliquid. Siue relatiua dicuntur: in concreto quidem, quia vt notat D. Th. opuſc. 48. tract. 5. cap. 1. relatio paruum habet de entitate, & ideò agitur de illa in concreto, nam vt ait Ariſtot. 7. Metaph. cap. 1. accidentia in concreto apparent magis entia: in plurali verò, quia vt notat Albertus magnus ſic meliùs explicatur relationem exerceri inter duo: vnde ſic definit Ariſtot. *Relatiua ſunt ea, quibus ipſum eſſe eſt ad aliud quodammodo ſe habere*; Quæ definitio communiter acceptata paucis mutatis ſic profertur relatiua ſunt, quorum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere, igitur illa ſunt verè relatiua, quorum ratio formalis eſt ipſum reſpicere aliud, & per hoc excluduntur relatiua ſecundùm dici: nam horum ratio formalis, licèt inuoluat aliquem reſpectum, non tamen eſt ipſe reſpectus, ſed quid abſolutum, & ideò ipſum totum eſſe non eſt ad aliud, quia tribuunt ſubiecto aliquod eſſe abſolutum, & quaſi ex conſequenti ordinant ad aliud: relatio autem in abſtracto ſic definitur, relatio eſt accidens faciens reſpicere aliud (nota, ex primario & natiuo ſuo effectu): ex eo autem quòd eſt accidens, dicit eſſe, In, ex eo verò quòd faciat reſpicere aliud, dicit eſſe, Ad, quod eſt propria eius ratio: quæ definitio coincidit cum ſequenti, relatio eſt accidens, cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere, ſcilicet vt quo, nam eſt ratio, qua media fundamentum ſe habet ad aliud vt quod.

Probatur prima pars concluſionis. In diuinis ſecundùm fidem dantur veræ relationes reales, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio: ergo etiam dantur relationes reales in creatis, nam ideò Pater æternus habet relationem realem paternitatis ad Filium, quia verè generat illum: ſed etiam in creatis pater verè generat filium: & ſimiliter ideò Filius Dei habet relationem realem filiationis ad Patrem, quia generatur ab illo: ſed etiam in creatis filius verè generatur à patre: ergo verè dantur relationes creatæ à parte rei, ſiue reales.

Secundò, ſic probat D.Th. q. citata de potentia. Perfectio & bonum, quæ ſunt in rebus extra animam, non

ſolùm

solùm attenditur secundum aliquid absolutè inhærens rebus, sed etiam secundùm ordinem vnius rei ad aliam, sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit, cui ordini comparat Philosophus ordinem vniuersi 11. Metaphysicæ: ergo oportet in ipsis rebus ordinem quendam esse: sed hic ordo est relatio quædam: ergo oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas vnum ad alterum ordinatur: Confirmatur. A parte rei vna quantitas est vel inæqualis, vel æqualis alteri, vnus color similis, aut dissimilis alteri: sed æquale & inæquale, simile & dissimile non significant res absolutas, ad habitudines vnius ad alterum: ergo à parte rei verè dantur relationes, ac proinde reales.

Probatur secunda pars conclusionis. 1. authoritate D.Th. quæst.8. de potentia art.2. Deinde relatio vt constituit hoc prædicamentum formaliter secundùm quòd dicit esse. Ad, determinat ens & accidens reale, vt sit speciale genus entis realis: ergo non solùm ratio communis accidentis, quæ est in relatione, & exprimitur per esse, in, sed etiam propria ratio ipsius, quæ illam constituit in esse talis accidentis, & exprimitur per esse, Ad, est aliquid reale: maximè quia ipsa determinatio entis & accidentis ad prædicamenta fit per realem transcendentiam, & essentialem inclusionem entis ipsius, & accidentis in ipsis modis constitutiuis prædicamentorum: & ita necessariò debent esse quid reale: imò omnino idem cum ente & accidente, & ita repugnat quòd relatio vt dicit, In, siue rationem communem accidentis, sit aliquid reale, & non quatenus dicit, Ad, siue propriam suam rationem relationis.

Probatur tertia pars conclusionis. Relatio, cùm sit ordo realis vnius ad alterum, habet peculiaterm modum essendi, & diuersum ab aliis entibus absolutis vt patet, & etiam sub se habet plures species, & diuersos referendi modos vt postea probabitur: ergo constituit speciale genus entis realis, siue prædicamentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd differentiæ diuisiuæ relationis etiam opponuntur contrariè, & priuatiuè eo modo quo aliæ aliorum generum, quia non possunt conuenire eidem speciei, inuenitur tamen etiam in illis oppositio relatiua illis propria, quæ non est in aliis, & ideò specialiter ab eis denominantur.

Ad secundum dicendum, quòd postprædicamenta propriè non sunt entitas, sed modus entitatis imperfectus & incompletus, & ideò consequuntur ad plura prædicamenta: relatio autem, licèt imperfectior aliis accidentibus, tamen est entitas completa, nec inuenitur in pluribus prædicamentis ratione sui, imò sic constituit proprium prædicamentum: sed tantùm ratione sui fundamenti. Prius autem, posterius, simul, & similia non sunt perfectæ relationes, sed puri modi, vnde sunt postprædicamenta.

Ad tertium dicendum, quòd relatio non ratione concreti, sed ratione sui ponitur in prædicamento, & ad hoc sufficit quòd in abstracto considerata, siue ratione sui habeat esse ad aliud vt quo, & si id quo medio fundamentum refertur ad terminum vt quod.

Ad quartum dicendum, quòd D. Thom. in his locis non sumit, ad Aliquid, prout constituit hoc prædicamentum; sed secundùm communem & abstractam rationem, prout continet tam relationes reales, quàm rationis: & sic verum est quòd relatio rationis dicitur simpliciter relatio, quod non contingit in aliis generibus, nam licèt formemus entia rationis per modum substantiæ vt chimeras, aut per modum qualitatis vt priuationes, tamen simpliciter non dicuntur substantia aut qualitas, nisi cum addito, scilicet rationis: & ita explicandi sunt Thomistæ, qui dicunt relationem secundùm propriam rationem abstrahere à reali & rationis. Hæc autem disparitas prouenit, tum ex parte intellectus, cuius proprius actus est vnum referre ad aliud, & ita propriè facit relationem rationis, non autem habet actum substantificandi, aut qualificandi, & ita non facit propriè substantiam, aut qualitatem rationis: prouenit etiam ex parte rerum, nam vt ait D. Thom. alia genera secundùm omnem rationem, tam communem, quàm propriam respiciunt subiectum, vt patet inductione, & ideò secundùm omnem rationem sunt quid reale, & apprehenduntur vt talia: relatio autem, licèt vt accidens & secundùm esse, In, respiciat subiectum, tamen secundùm propriam rationem quæ est esse, Ad, respicit terminum: vnde licèt relatio ex suo fundamento, etiam secundùm propriam rationem prout constituit hoc prædicamentum, sit quid reale sicut alia accidentia, tamen ex modo quo concipitur & exprimitur præcisè vt est, Ad, non exprimit realitatem, sicut exprimunt rationes propriæ aliorum prædicamentorum: & ideò vt sic formaliter fundat similitudinem cum relationibus rationis, sufficientem vt ipsæ dicantur absolutè relationes, quod non est in aliis prædicamentis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnes relationes reales ponantur in hoc prædicamento?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd omnes relationes reales, tam secundùm esse, quàm secundùm dici ponantur in hoc prædicamento. Ita Paulus Venetus, Ammonius, Simplicius, & aliqui Scotistæ. Eorum fundamentum est, quia non solùm relatiuis secundùm esse, sed etiam secundùm dici, conuenit definitio prima relatiuorum adducta ab Aristotele, scilicet, ea dicuntur ad aliquid, quæ id quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, vt patet in scientia, sensu &c. ergo omnes relationes reales ponuntur in hoc prædicamento.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur, non solùm Thomistæ, sed & alij Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm omnes, & solæ relationes reales secundùm esse, sint vera relationes, omnes, & solæ ista ponuntur in hoc prædicamento.

RESPONDEO dicendum, quòd omnes, & solæ relationes reales creatæ secundùm esse ponuntur in hoc prædicamento: 2. non autem relationes diuinæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd relatio diuiditur multipliciter. Primò, in realem & rationis. Secundò, in relationem secundùm esse & secundùm dici. Tertiò, in prædicamentalem & transcendentalem. De prima diuisione nihil in præsenti occurrit, dictum est fusè in Logica, præcipuè de relatione rationis: vnde breuiter dicimus, quòd relatio realis est illa, quæ à parte rei ante operationem intellectus facit aliud respicere: relatio verò rationis est illa quæ tantùm beneficio intellectus, & non à parte rei facit respicere aliud. Circa secundam diuisionem dixerunt aliqui vt Auicenna 3. Metaph. & Henricus quodlib.3.q.4. quòd coincidebat cum prima, ita vt sint idem relatio rationis & relatio secundùm dici; item relatio realis & secundùm esse, & hoc Suares reputat probabile: sed tamen est manifestè contra D.Thom. in 1.d.30. q.1. artic.3. ad 4. Item quæst. 7. de potentia artic. 10. ad 11. & affert rationem D. Thom. quia etiam in entibus rationis dantur relationes secundùm esse, vt patet in secundis intentionibus, quarum tota essentia consistit in ordine vnius ad aliud, ac proinde verè habent esse relationis: dantur etiam relationes secundùm dici propter aliqualem respectum quem habent, vt patet in negationibus & priuationibus, quæ concipiuntur per modum formæ absolutæ, ac proinde solùm habent dici relationes, quia important aliqualem respectum ad formas quas negant & priuant. Circa secundam & tertiam diuisionem dicit Suares, quòd non coincidunt, vnde priùs diuidit relationem in secundùm esse & secundùm dici, deinde relationem secundùm esse subdiuidit in prædicamentalem & transcendentalem: *Quia*, inquit, *extra hoc prædicamentum dantur relationes secundùm esse, vt inter materiam & formam, inter accidens & subiectum, creaturam ad creatorem, &c.* Sed tamen hoc dictum Suaris est contra communem ferè

conſenſum Philoſophorum, qui dicunt idem eſſe realiter relationem ſecundùm eſſe, & prædicamentalem: ſicut relationem ſecundùm dici, & tranſcendentalem; eſt etiam contra D. Thom. 1. p. quæſt. 13. art. 7. ad 1. vbi ſic ait: *Quædam relatiua ſunt impoſita ad ſignificandas ipſas habitudines relatiuas, vt Dominus, Seruus, Pater, & Filius, & huiuſmodi: & hæc dicuntur relatiua ſecundum eſſe: quædam verò ſunt impoſita ad ſignificandas res, quas conſequuntur quædam habitudines, ſicut mouens, & motum, caput & capitatum, & alia huiuſmodi quæ dicuntur relatiua ſecundùm dici.* Conſtat autem quòd nullum nomen impoſitum eſt extra hoc prædicamentum ad ſignificandas ipſas relationes, cùm alia prædicamenta ſint abſoluta, & ita omnes relationes ſecundùm eſſe ſunt prædicamentales, & è contra. Nec fundamentum Suaris eſt firmum, nam materia, forma, accidens, ſubſtantia, creaturæ, & ſimilia non ſignificant ipſas habitudines, ſed res ad quas conſequuntur tales habitudines, vnde ſunt relatiua ſecundùm dici & tranſcendentalia: ſi autem tales habitudines propriis nominibus ſignificarentur, & haberent alia requiſita, eſſent relatiua ſecundùm eſſe & prædicamentalia. Relatio ſecundùm eſſe, ſiue prædicamentalis, ſubdiuiditur in mutuam & non mutuam: mutua eſt illa, cui ex parte termini correſpondet alia relatio realis, vt paternitas & filiatio: non mutua eſt illa, cui non correſpondet in termino relatio realis, vt relatio ſeruitutis creaturæ ad Deum, relatio maternitatis in B. Virgine ad Chriſtum. Nec his obſtat quòd omnis relatio dicitur ad conuertentiam, quia ad hoc ſufficit vnica relatio inter vtrumque, nam eo ipſo vnum reſpicit & aliud reſpicitur, in quo conſiſtit propria conuertentia relatiuorum: & licèt in termino relationis non mutuæ intellectus poſſit formare relationem rationis, quia tamen hoc procedit ad libitum intellectus & non neceſſariò & naturaliter, ideò dicitur non mutua. Subdiuiditur relatio mutua in relationem æquiparantiæ & diſquiparantiæ, ſiue vt ait D. Damaſcenus cap. 34. ſuæ Logicæ, *Æqualis & inæqualis comparationis*: Relatio mutua æquiparantiæ eſt illa, cui correſpondet in termino alia eiuſdem rationis, vt ſimilitudo, æqualitas, diſſimilitudo, inæqualitas: relatio diſquiparantiæ eſt illa, cui correſpondet in termino alia diuerſæ rationis, vt paternitas cui correſpondet filiatio, & è contra.

Probatur prima pars concluſionis. 1. authoritate. Nam Ariſtoteles in Logica reiicit definitionem ſupra adductam relationis, traditam à Platone, quia ex illa inferebatur relatiua ſecundùm dici pertinere ad hoc prædicamentum. Deinde D. Thom. 1. p. quæſt. 28. art. 1. ad 2. Item quæſt. 1. de veritate art. 5. ad 15. & alibì ſæpe conſtituit hoc diſcrimen inter relationem, & alia prædicamenta, quòd hæc ſecundùm proprias rationes ponunt aliquid in ſubiecto, illa verò ſecundùm propriam rationem tantùm eſt ad aliquid, ſiue purus reſpectus: conſtat autem quòd huiuſmodi relatio eſt relatio ſecundùm eſſe: ergo hæc ſola ponitur in hoc prædicamento.

Secundò, ad prædicamentum quantitatis, vel qualitatis ſolùm pertinent veræ quantitates, aut qualitates, & ſic de aliis: ergo etiam in prædicamento relationis illæ ſolæ collocantur, quæ verè ſunt relationes reales: ſed tales ſont omnes, & ſolæ relationes ſecundùm eſſe vt dictum eſt: ergo omnes, & ſolæ relationes creatæ ſecundùm eſſe ponuntur in hoc prædicamento.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Diuinæ relationes, licèt ſint veræ relationes ſecundùm eſſe, quia tamen identificantur cum eſſentia ſiue natura Diuina, ſunt ipſa ſubſtantia Dei: ergo non ponuntur in hoc prædicamento, cùm ſit vnum prædicamentum accidentium: & ita in illo ſolùm collocantur relationes accidentariæ: tum etiam ob alias rationes, quibus ſupra probatum eſt Deum, & pari ratione Diuina non poni in prædicamento.

Ad argumentum ergo in contrarium dicendum, quòd potiùs eſſet oppoſitum inferendum, nam propterea Ariſtoteles hanc definitionem antiquorum reiicit, quia conuenit relatiuis ſecundùm dici.

Articvlvs III.

Vtrùm relatio, vt ſit realis, requirat aliquas conditiones?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd, vt relatio ſit realis, non requiruntur quatuor conditiones ſequentes communiter aſſignatæ, ſcilicet ſubiectum reale realiter exiſtens: 2. ratio fundandi realis: 3. terminus realiter exiſtens: 4. diſtinctio realis fundamenti & termini. Probatur ſigillatim de vnaquaque. Fundamentum ſiue ſubiectum relationis paternitatis in Petro v.g. eſt potentia generatiua: ſed deperditâ potentiâ generatiuâ, vel propter ſenium, vel propter mutilationem genitalium, vel ob alios caſus remanet paternitas in Petro, ſi adhuc habeat filium; nam verè dicitur, & verè eſt pater: ergo vt relatio ſit realis non requiritur ſubiectum reale realiter exiſtens.

§ 2. Præterea, Res intellecta, aut viſa dicit relationem realem ad intelligentem & videntem: ſed ex parte rei intellectæ & viſæ, non eſt aliqua ratio fundandi realis, licèt ſit ex parte intelligentis & videntis, ſcilicet intellectio & viſio: ergo vt relatio ſit realis, non requiritur ratio fundandi realis.

§ 3. Præterea, Ex communi conſenſo Philoſophorum inter ſcientiam & eius obiectum ſcibile, eſt relatio realis ex parte ſcientiæ, licèt non ſit realis ex parte obiecti, vnde Logica dicit relationem realem ad ſuum obiectum, quod eſt ens rationis: ſed ens rationis, vt patet, non eſt terminus realis, nec realiter exiſtens: ergo vt relatio ſit realis, non requiritur terminus realis realiter exiſtens.

§ 4. Præterea, Si eadem albedo per impoſſibile poneretur in duobus ſubiectis, eſſet relatio realis inter illa; nam realiter eſſent ſimilia: imò maximè ſimilia: ergo vt relatio ſit realis, non requiritur diſtinctio realis fundamenti, & termini ſaltem quantùm ad rationes formales.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. opuſc. 48. tract. 5. c. 1. vbi præter has conditiones aſſignat quintam pro mutuis tantùm, ſcilicet quòd relatiua ſint eiuſdem ordinis, illum communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm relatio eſſentialiter ſit ordo inter duo, aut plura, ad hoc vt ſit realis, neceſſariò requirit quatuor aſſignatas conditiones.

Respondeo dicendum, quòd vt relatio ſit realis, requiruntur quatuor aſſignatæ conditiones. Probatur & explicatur concluſio, diſcurrendo de ſingulis. Prima quidem, ſcilicet quòd ſubiectum ſit reale realiter exiſtens, neceſſariò requiritur, nam accidens reale neceſſariò petit ſubiectum reale, & realiter exiſtens, cùm illi debeat inhærere: ergo cùm relatio realis ſit accidens reale, neceſſariò requirit ſubiectum reale realiter exiſtens.

Probatur de ſecunda conditione, quòd ſcilicet in ſubiecto debeat eſſe ratio fundandi realis, ratione cuius inſit ei relatio & referatur: nam ex hoc diſtinguuntur maximè relationes reales, & relationes rationis. Deinde hoc exigit ipſa natura relationis, cùm enim ſit ordo inter aliqua, & eius realitas formaliter non ſumatur à termino, ſed à fundamento, ſi in hoc non ſit aliquid reale, quod ſit ratio cur reſpiciat aliud, talis reſpectus non poteſt eſſe realis: hæc autem ratio appellatur ratio fundandi, & ab aliis fundamentum, ſed non eſt differentia in re, ſi benè intelligantur, quia primi accipiunt in abſtracto, & alii in concreto, nam ſubiectum relationis eſt ipſa res materialis, cui relatio inhæret v. g. Petrus, ratio verò fundandi eſt illud, ratione cuius relatio inhæret ſiue fundatur in ſubiecto, vt albedo eſt ratio fundandi ſimilitudinem: fundamentum autem eſt compoſitum ex ſubiecto & ratione fundandi album: vnde aliqui etiam ſubiectum vocant fundamentum remotum, rationem verò fundandi fundamentum proximum. Vtrùm autem ratio fundandi debeat ſemper eſſe accidens, aut diſtincta à ſubiecto, infra patebit.

Probatur

Probatur de tertia conditione, ſcilicet quòd terminus debeat eſſe realis realiter exiſtens ex D. Thom. 1. p.q.13. art. 7. Item in 1. d. 26. quæſt. 2. art. 1. Item, lib. 2. contra gentes cap. 12. Deinde in relationibus mutuis relatio inhæret in vtroque extremo, vt patet, cùm vtrumque referatur: ergo vtrumque debet exiſtere, nam vt dictum eſt, accidens reale non poteſt inhærere, niſi in ſubiecto reali realiter exiſtente: vniuerſaliter autem probatur, nam relatio ex ſua natura eſt ordo inter duo: ergo vnum debet habere aliquid, ratione cuius fundet relationem; & aliud debet etiam habere aliquid, ratione cuius terminet, & ſic vtrumque debet exiſtere.

Probatur de quarta conditione, ſcilicet quòd extrema debeant eſſe realiter diſtincta, non ſolùm quantùm ad rationes materiales, ſed etiam quantùm ad formales ſecundùm quas attenditur relatio. Relatio eſt ordo inter duo, & realis oppoſitio: ergo ante operationem intellectus terminus abſolutè eſt aliud à fundamento, ac proinde realiter diſtinguuntur, etiam ſecundùm rationes formales cauſantes relationem: vnde defectu huius conditionis relationes ſimilitudinis & æqualitatis inter diuinas Perſonas ratione eſſentiæ, non ſunt reales: nam eſſentia quæ eſt ratio formalis, ſecundùm quam attenditur talis ſimilitudo & æqualitas, eſt omnino eadem numero in tribus diuinis Perſonis, ita communiter Theologi cum D. Thom. 1. p. quæſt. 42. art. 1. ad 4.

Ex dictis patent quædam diſcrimina inter relationem prædicamentalem ſiue ſecundùm eſſe & tranſcendentalem ſiue ſecundùm dici. Nam, Primò prædicamentalis ſupponit aliquod fundamentum abſolutum, cùm ſit vera relatio, ac proinde diſtincta à fundamento: tranſcendentalis autem, cùm non ſit vera relatio, ſed aliquid abſolutum, illud neceſſariò non ſupponit. Secundò, relatio prædicamentalis non eſt per ſe intenta à natura, ſicut tranſcendentalis. nam vera relatio non poteſt produci per ſe, ſed ad productionem alterius, cùm ad illam non detur motus ex Ariſtotele 5. Phyſicor. quod tamen non repugnat rei abſolutæ, quæ eſt relatio tranſcendentalis, vt patet in ſcientia & ſimilibus. Tertiò, relatio prædicamentalis petit terminum realem, realiter exiſtentem, & realiter diſtinctum à fundamento, quorum nullum neceſſariò reperitur in tranſcendentali, nam ſcientia verſatur circa obiectum, licèt non ſit exiſtens, aut ſit ens rationis: quamuis autem petat terminum diſtinctum à ſe realiter, ſaltem negatiuè ſi terminetur ad ens rationis, aut ad ens non exiſtens, nam eiuſdem ad ſeipſum non poteſt eſſe niſi tantùm relatio rationis, non tamen à ſuo fundamento, quia non ſupponit illud neceſſariò. Quartò denique relatio prædicamentalis reſpicit terminum purè vt terminum: tranſcendentalis verò reſpicit illum non ſub præciſa ratione termini, ſed ſub alia ratione, puta ſubiecti, effectûs, finis, efficientis: vnde terminus relationis prædicamentalis ſecundùm rationem formalem termini, ſiue vt formaliter opponitur alteri relatiuo, eſt correlatiuum eius; nam cùm relatiua ſint ſimul natura, inde fit vt quamuis in radicali ratione terminandi illorum poſſit includi ratio cauſæ, effectûs, obiecti &c. tamen horum nihil per ſe petitur ad formalem terminationem talium relatiuorum, quæ in hoc præciſè conſiſtit quòd terminus terminet eas, & correſpetatur illis, & ſit purus terminus reſpectu earum: quod non reperitur in relatiuis tranſcendentalibus, quæ nec ſunt ſimul natura, nec propriè relatiua, ſed quid abſolutum dicens ordinem ad aliquid extrinſecum, à quo ſumunt totam ſuam eſſentiam: vnde formaliter terminantur ad illud ſub aliqua ſpeciali ratione cauſæ, vel effectûs, obiecti, ſubiecti &c. vt ſcientia per ſe formaliter terminatur ad obiectum vt obiectum, & cauſa ad effectum &c.

Ad primum ergo dicendum, quòd paternitas ſubiectatur immediatè in ſubſtantia patris vt infra dicetur.

Ad ſecundum dicendum cum D. Th. quòd res intellecta aut viſa, non refertur ad intelligentem aut videntem, propter defectum ſecundæ conditionis, quia eſſe intellectam aut viſam nihil reale ponit in ipſa.

Ad tertium dicendum, ſicut dictum eſt ſupra in Logica, quòd propter defectum tertiæ conditionis Logica non dicit relationem realem ad ſuum obiectum ens rationis; quicquid dicant alij.

Ad quartum dicendum, quòd in tali caſu non eſſet inter illa duo relatio realis, licèt enim eſſent duo ſubiecta materialia, non tamen eſſent duo ſubiecta formalia ſiue fundamenta, vnde non eſſent duo alba, ſed duo, quæ eſſent idem album, & ita non eſſet ſimilitudo, ſed omnino identitas numerica in albedine, relatio autem requirit duo extrema.

Articvlvs IV.

Vtrùm ſint tantùm tria fundamenta relationis?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd non ſint tantùm tria fundamenta relationis communiter aſſignata. Scilicet 1. vnitas & numerus: 2. actio & paſſio: 3. menſura & menſurabile. Probatur. Dantur multæ relationes, quæ fundantur immediatè in ſubſtantia, ita vt ſubſtantia non ſolùm ſit ſubiectum illarum, ſed etiam ſit fundamentum ſiue ratio fundandi, vt patet in relationibus identitatis in natura, quas dicunt duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, ibi enim in vnoquoque natura ſingularis eſt fundamentum talis relationis. Item in relationibus diuerſitatis inter duo indiuidua diuerſarum ſpecierum & generum: ergo ſunt pluſquam tria fundamenta relationis.

§ 2. Præterea, Qualitas eſt peculiare fundamentum relationis ſimilitudinis & diſſimilitudinis &c. Item Vbi, & Quando ſunt fundamenta relationum præſentiæ & coëxiſtentiæ. Et tandem vna relatio poteſt eſſe fundamentum alterius, vt docet Scotus & eius diſcipuli: ergo ſunt pluſquam tria fundamenta relationis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Th. 5. Metaph. lect. 17. & Ariſtotelis ibidem, cap. 15. quos communiter ſequuntur omnes Philoſophi.

Conclvsio.

Cùm vnum poſſit ordinari ad aliud tantùm tripliciter, ſunt tantùm tria fundamenta relationis.

Respondeo dicendum, quòd ſunt tantùm tria genera fundamentorum, ſiue rationum fundandi relationem prædicamentalem, ſcilicet 1. Vnitas & numerus: 2. actio & paſſio: 3. menſura & menſurabile. Probatur ratione D. Thom. Cùm relatio realis ſit ordo vnius ad aliud à parte rei, tot modis dicitur relatio, quot modis à parte rei vnum ordinatur ad aliud, & conſequenter tot erunt fundamenta relationis: ſed poteſt à parte rei vnum ordinari ad aliud tripliciter. Primò ſecundùm eſſe, inquantùm eſſe vnius dependet ab alio vt à menſura ſuæ perfectionis, & ſic eſt tertium genus menſuræ & menſurabilis. Secundò, inquantum vnum dependet ab alio ſecundùm virtutem actiuam & paſſiuam, quia vel aliquid recipit ab alio vel illi confert, & ita eſt ſecundum genus actionis & paſſionis. Tertiò inquantum vnum dependet ab alio, ſecundùm quòd quantitas eius poteſt menſurari quantitate alterius; & ſic eſt primum genus, ſcilicet vnitas & numerus, & ad hæc tria genera referuntur omnes relationes vt patebit: ergo ſunt tantùm tria genera aſſignata fundamentorum ſiue rationem fundandi relationem prædicamentalem, quæ ſigillatim ſunt examinanda.

Circa primum genus, ſcilicet vnitatem & numerum, ſciendum eſt ex communi conſenſu interpretum Ariſtot. & diſcipulorum D. Th. cum ſanctiſſimo præceptore. q. 7. de potentia art. 9. Item in 3. d. 5. q. 1. art. 1. quòd quantùm ad vnitatem extenditur ad omnia prædicamenta, in quantùm in illis attenditur vnitas, vel multitudo, ad quod ſufficit vnitas tranſcendentalis illorum: & propterea dixit Ariſt. eadem namque ſunt, quorum vna eſt ſubſtantia: ſimilia verò, quorum qualitas eſt vna: æqualia verò quorum quantitas eſt vna: & ita communiter dicitur vnum in ſubſtantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate verò ſimile: quòd proportionaliter dicendum

est de aliis prædicamentis, licèt non habeamus nomina exprimentia proprium modum relationis vniuscuiusque: sicut si dicatur, vnum in Vbi facit præsens, in Quando facit coëxistens &c. vnde sub hoc genere sunt relationes identitatis, diuersitatis: æqualitatis, inæqualitatis: similitudinis, dissimilitudinis: præsentiæ, absentiæ: propinquitatis, distantiæ: coëxistentiæ &c. Ex quibus identitas, æqualitas, similitudo, præsentia, propinquitas, & coëxistentia fundantur in vnitate absolutè sumpta, & non formaliter vt est principium numeri siue multitudinis, quia in huiusmodi relatiuis attenditur ordo secundùm id in quo extrema conueniunt: nam Petrus & Paulus fundant relationem identitatis secundùm quòd sunt vnum in natura, siue vt habent principium conueniendi, non verò secundum quòd causant numerum, siue vt sunt principia differendi. Aliæ verò relationes dictis oppositæ, scilicet diuersitas, inæqualitas, dissimilitudo &c. fundantur in vnitate non absolutè sumpta, sed vt est principium numeri, nam in his relatiuis potiùs attenditur id in quo differunt, & sunt plura, & ideò aliqui dicunt has relationes fundari in numero, sed meliùs dicitur quòd fundatur in vnitate, vt est principium numeri, quia non inuenitur numerus ex parte alicuius extremi, & consequenter numerus non potest esse ratio fundandi, sicut est in proportionibus numerorum. De secunda parte huius fundamenti dicendum est, quòd illæ relationes propriè fundantur in numero, quæ habent aliquem numerum pro ratione fundandi ex parte alicuius extremi, sicut proportiones omnes, tam numeri ad numerum, quàm numeri ad vnitatem, vt ait Philosophus his verbis. Dicuntur autem secundùm numerum, aut simpliciter, aut determinatè ad eos, aut ad vnum; vt duplum ad dimidium. Et prosequitur omnes proportiones numerorum, quod optimè explicat D.Th. ibidem lect. 17. ratio autem manifesta est, quia relatio non dicitur fundari in numero, ex eo quòd fundamentum & terminus faciant numerum, nam sic omnis relatio, cùm necessariò petat distinctionem fundamenti à termino vt sit realis sicut supra dictum est, fundaretur in numero: nec similiter quia ponat disconuenientiam aut differentiam inter illa, hoc enim faciunt etiam relationes fundatæ in actione & passione: ergo relatio ideò dicitur fundari in numero, quia ipse numerus est extremum quod refertur media tali relatione. Pro numero autem intelligimus prædicamentalem, quia transcendentalis non est ens per se vt dictum est, & ideò solæ propositiones inter numeros quantitatiuos siue prædicamentales, sunt veræ relationes prædicamentales, quia numerus prædicamentalis est ens per se: vnde est dispar ratio de vnitate, nam tam vnitas prædicamentalis, quàm transcendentalis est ens per se, sicut & ipsum ens cuius sunt vnitates.

Circa secundum genus fundamenti relationum est differentia inter authores, nam Scotus 5. Metaph. cap. 15. & in 4. d. 6. quæst. 10. docet potentiam generatiuam esse rationem fundandi paternitatem: generationem verò tantùm esse conditionem sine qua non: Suares autem dicit ipsam substantiam esse rationem fundandi, rationes vtriusque facilè ex dicendis soluuntur: vnde dicendum est cum Thomistis, Caietano 3.p.q.35.art.5. Soto 5. Physic. q. 2. art. 2. Iauello 5. Metaph. q. 21. Sanches, Gallego, nostris Complutensibus in Logica generationem ipsam actiuam, & non potentiam generatiuam, aut substantiam patris propriè esse rationem fundandi paternitatem, ita docent Aristot. & D.Thom. qui assignant pro fundamento harum relationum; non substantiam, aut potentiam actiuam & passiuam, sed actionem & passionem: D.Thom. 1. p.q.28. art. 4. sic ait: *Secundùm Philosophum in 5. Metaph. relatio omnis fundatur, vel supra quantitatem vt duplum & dimidium, vel supra actionem & passionem vt faciens & factum, pater & filius &c.* Item opusc. 48. tract. 5. cap. 4. ait: *Fundamentum paternitatis est actio, scilicet generatio, qua quis genuit filium, & fundamentum filiationis est passio scilicet generatio passiua.* Ad cuius euidentiam sciendum est vnum accidens non esse subiectum; quod, alterius, sed tantùm subiectum, quo, vnde generaliter loquendo relatio non debet inhærere rationi fundandi, ita vt ipsa sit quasi immediatum & integrum fundamentum relationis, sed ita quòd sit medium siue ratio, quare relatio inhæreat ipsi substantiæ, quæ est subiectum quod, & adhuc specialiter innititur in hoc genere relationis, quòd non debeat inhærere rationibus fundandi, quia in primo, & tertio genere fundamenti rationes fundandi sunt formæ perfectæ, nullum includentes motum aut transitum, & sic permanenter, & quasi in facto esse constituunt fundamentum, & sunt rationes recipiendi relationes: sed in hoc secundo genere rationes fundandi secum afferunt aliquem motum aut transitum, nam requirunt actionem causæ efficientis; quare cùm à causa efficiente (quando est vniuoca, vt patet respectu filij) solùm dependeat effectus dum fit, non verò in esse & conseruari: inde est rationes fundandi istarum relationum non debere permanenter, & quasi in facto esse constituere fundamentum siue esse rationes recipiendi illas, sed tantùm in fieri: cuius signum est, quòd in aliis generibus relatorum, licèt extrema supponantur producta, tamen ipsa productio non requiritur ab intrinseco ad relationem, nam si per impossibile essent duo alba non producta, ibi esset vera similitudo: sed in isto genere relationum, ita est annexa productio, siue facere & fieri, vt positis omnibus aliis, & illa sublata nulla sit relatio; illa vero posita, sublatis & præcisis quibuscumque aliis ponitur relatio, nam ad generare præcisè sequitur paternitas, ad generari filiatio: vnde in relationibus huius secundi generis ratio fundandi solùm est necessaria in fieri, siue in primo produci relationis, & ita potest manere non existente ratione fundandi, quod non est in aliis duobus generibus. Hæc quæ dicta sunt debent intelligi de relationibus huius generis quæ supponunt actionem, & ad illam consequuntur, vt paternitas & filiatio: vnde dicit Aristot. sic enim pater filij pater dicitur, hoc enim fecit, et illud passum quid est. Sunt autem aliæ relationes huius generis, quæ non requirunt actionem & passionem, nec vt rationem fundandi, nec vt conditionem, sed fundantur in potentia actiua & passiua: sic enim ait Arist. 5. Metaph. *Actiua verò & passiua secundùm potentiam actiuam & passiuam, sunt & actiones potentiarum, vt calefactiuum ad calefactibile, quia potest: & iterum calefaciens ad calefactum; & secans ad sectum tanquam agentia*: Et ita ad hoc genus pertinent omnes relationes inter quamlibet causam efficientem creatam & effectum eius. Diuiditur autem secundùm diuisionem actionis & passionis, & potentiæ actiuæ & passiuæ, vnde alia est relatio causæ vniuocæ, alia causæ æquiuocæ, alia causæ immanentis, alia transeuntis &c.

Circa tertium genus fundamenti relationum sciendum est ex Aristot. D.Th. 1. p.q.13. art. 7. & communi consensu Doctorum, quòd relationes huius generis tantùm sunt reales ex parte vnius extremi, scilicèt ex parte mensurabilis ad mensuram, vt patet in scientia respectu scibilis, & in sensu respectu sensibilis: nam scientia & sensus realiter referuntur ad sua obiecta, tamen obiecta non habent relationem realem ad scientiam & sensum: ratio D.Th. est, quia ex parte mensuræ non datur aliqua ratio realis, quæ sit ratio fundandi relationem, non enim scibile dicitur relatiuè propter aliquid ex parte eius, sed solùm propter actionem alterius scilicèt scientiæ, quæ cùm sit immanens, nihil ponit reale in obiecto, sicut ponit in scientis: & propterea Aristot. dicit scibile aut sensibile non dici relatiuè; quia ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa: ratio autem fundamentalis horum est, quia ratio fundandi harum relationum est vniuscuiusque intima perfectio, secundùm quòd est mensurabilis ab alia perfectiori, quæ respectu eius habet rationem mensuræ extrinsecæ, & ita in re mensurata est vera & realis dependentia, saltem in genere causæ quasi exemplaris, & consequenter vera & realis relatio: in eo verò quòd est mensura perfectionis alterius, vt sic nulla est dependentia, & consequenter nec realis relatio respectu eius: vnde vt notat D. Th. hæ relationes semper inueniuntur

inter

inter res diuersi ordinis, siue quarum vna dependeat ab alia,& non è contra. Ad hoc igitur genus pertinent relationes, quibus creaturæ referuntur ad Deum, relationes, quibus scientiæ, habitus, & potentiæ, respiciunt sua obiecta,item relationes,quibus omnes species euiuscumque generis referuntur ad primam & perfectissimam, quæ est regula & mensura perfectionis illarum, iuxta illud axioma, primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum illius generis.

Ex dictis sequitur multas relationes prædicamentales fundari immediatè in substantia in vnoquoque genere ex D.Thom. q.7. de potentia art.9. ad 4. item quodlib.7. art. 10. ad 4. & patet discurrenti per singula : nam in Primo genere est relatio identitatis inter substantiam Petri & Pauli &c. in Secundo, patet ex dictis de paternitate, & licèt hæc fundaretur in potentia generatiua, nullum tamen est dubium de filiatione, quia effectus immediatè per suam substantiam absque aliqua potentia passiua de genere accidentium terminant generationem substantialem, ac proinde immediatè per suam substantiam fundant relationes ad suas causas efficientes. In Tertio, sunt relationes,quas dicunt species alicuius generis substantialis ad perfectissimam.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio fundandi hatum relationum non est ipsa substantia præcisè, sed vnitas in substantia vt dictum est.

Ad secundum dicendum pari modo, quòd qualitas non est ratio fundandi tales relationes, sed vnitas in qualitate,nam qualitas ex D.Thom. non est peculiare fundamentum relationis secundùm propriam rationem, quia vt sic tantùm ordinatur ad subiectum cui inhæret & ad aliud verò non ordinatur,nisi vel secundùm rationem potentiæ actiuæ vel passiuæ, siue vt principium actionis & passionis, & sic pertinet ad secundum genus : vel secundùm quòd induit rationem quantitatis, quatenus dicitur vna vel plures, & sic pertinet ad primum genus. Ad aliud dicendum, quòd Vbi aut Quando præcisè non fundant has relationes, sed vnitas in Vbi & Quando.

Ad illud de tertio dicendum cum D. Th. 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. quòd vna relatio non est fundamentum alterius : sic enim ait : *Neque iterum vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem, cùm enim dicimus quòd paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem, quia vtroque modo multiplicaretur in infinitum.* Item q. 45. art. 3. ad 2. *Relationes, cùm hoc ipsum quòd sunt, ad aliquid dicantur, non referuntur per aliquas alias relationes, sed per seipsas.* Idem docet q.7.de potentia art.9.ad 2.& affert rationem à priori, quia relatio essentialiter est relatio : ergo seipsâ refertur, & non mediâ aliâ relatione : sicut quia actio essentialiter est actio, seipsâ fit, & non mediâ aliâ actione distinctâ.

Articvlvs V.

Vtrùm relatio distinguatur realiter à suo fundamento?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd nulla relatio à parte rei distinguatur actualiter à suo fundamento, sed tantùm per operationem intellectus. Ita Nominales,Suares, Conimbricenses & alij,ex Thomistis verò Siluester, Heruæos,Iauellus,Soncinas,Zumel:quamuis aliqui explicent hos Thomistas quòd solùm intendant relationem non distingui à fundamento, tanquam rem à re. Probatur ex Arist. 5. Physic. textu 10. vbi sic ait : *Quia altero subeunte mutationem, alterum mutationem non subiens, verè potest dici ad aliquid.* Vbi D.Th. lect.3. sic habet : *Nihil aduenit mihi de nouo, per hoc quod incipio esse alteri æqualis, per eius mutationem.* Item opusc.48. tract.5. c.2. ait : *Cùm dico quòd similitudo Sortis habet albedinem eius vt fundamentum, non est intelligendum, quòd similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine, sed solùm est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis vt ad terminum : si enim similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione.*

§ 2. Præterea, Relatio aduenit fundamento sine vlla eius mutatione reali, nam Petro existente albo, vbicumque ponatur aliud album, statim Petrus incipit esse illi similis, quod fit absque productione nouæ entitatis, cùm nulla sit assignabilis causa talis productionis : & si daretur talis causa, daretur per se motus ad relationem contra Aristotelem 5. Physicorum, omnis enim entitas realis est per se producibilis,& potest terminare per se actionem siue motum : ergo relatio non distinguitur realiter à fundamento, quia non potest alicui aduenire aliqua forma realis de nouo, quin aliter se habeat ac priùs, quod est mutari.

§ 3. Præterea, Accidens reale distinctum à parte rei à suo subiecto facit cum illo compositionem, vniuntur enim per modum actus & potentiæ : sed relatio adueniens fundamento non facit compositionem realem cum illo ex D.Th. quæst.7. de potentia art.8. & ratio est manifesta, nam vnum album post productionem alterius non est magis compositum, quàm antea : ergo relatio non distinguitur realiter à fundamento & si distingueretur, posset Deus illam separare à fundamento etiam remanente termino, cùm neutrum sit de essentia relationis,quod tamen est impossibile, nam positis duobus albis necessariò dicendum est quòd sint similia.

§ 4. Præterea, Numerus quaternarius est duplus respectu binarij, & ita dicunt adinuicem relationem : sed illa relatio non est distincta ab illis quatuor, vel duabus vnitatibus, aliàs vna simplex relatio esset in quatuor subiectis distinctis,quod est impossibile. Item duplicitas,qua corpus bicubitum est duplum respectu corporis vnius cubiti,non est quid distinctum ab ipsa quantitate continua : aliàs vel esset totum in qualibet parte, & hoc non, alioquin quælibet pars esset dupla : vel esset totum in tota & pars in parte, & hoc etiam non, quia relatio non habet partes : ergo relatio non distinguitur realiter à suo fundamento.

Sed contra est expressa authoritas D.Th. & communis sententia Thomistarum, quos sequuntur Scotus in 3.d.3. q.1. Durand. in 1.d.30.q.2. Molina, Valentia, Ruuius, & alij.

Conclvsio.

Cùm relatio & eius fundamentum pertineant ad diuersa prædicamenta, & relatio possit perire remanente fundamento, realiter distinguitur ab illo.

Respondeo dicendum, quòd omnis relatio prædicamentalis distinguitur actualiter realiter à suo fundamento : 2. hæc distinctio non est tantùm modalis, nec solùm entitatiua ex parte essentiæ, sed verè distinguuntur vt duæ res habentes diuersas existentias : 3. relatio autem transcendentalis non distinguitur à fundamento. Ad quorum euidentiam sciendum est, quòd illa quæ per se ponuntur in diuersis prædicamentis, distinguuntur realiter inter se ex Aristotele 5. Metaphys. textu 14. vbi docet, ens extra animam diuidi in decem prædicamenta per diuersos modos, non solùm prædicandi, sed etiam essendi. Item lib.10. textu 8. docet nomine entis realis non significari immediatè aliquid vnum, sed ipsa plura & suprema genera, quæ non possunt intelligi sine aliqua distinctione actuali à parte rei inter prædicamenta, nam si à parte rei dantur decem suprema genera nomine entis immediatè significata, à parte rei vnum non est aliud. Idem docet D.Thom. quæst.8. de potentia art. 2. ad 1. & ex hoc probat substantiam creatam non posse esse idem à parte rei cum relatione, bene tamen essentiam diuinam, quia substantia creata, inquit, est definita ad vnum genus, & per consequens excluditur ab alio genere : quæ ratio probat omnia prædicamenta distingui realiter inter se, & res vnius prædicamenti distingui à rebus alterius, cùm enim quælibet res per se posita in prædicamento sit definita ad vnum, excluditur à quocunque alio. Idem docet alibi (sed debet hoc intelligi de prædicamentis, quæ important aliquam formam intrinsecam non de aliis, quæ consistunt in denominatione extrinseca, vt quæstione

sequenti

sequenti examinabitur: nec rationes, nec authoritates adductæ conuincunt.) Probatur ratione, D. Thom. in 2. d.12.q.1.art.1.ad 3. Item q.7.de potentia art.3. ad 2. docet prædicamenta seipsis distingui, siue esse primò diuersa: ergo inter illa est aliqua actualis distinctio ex natura rei, & ante operationem intellectûs: quæ enim seipsis distinguuntur, sunt principia actualis distinctionis in aliis, siue sunt rationes actu differendi, & sic ipsa magis distinguuntur inter se, nam propter quod vnumquodque tale & illud magis. Deinde quæ habent diuersas essentias, quarum vna actu & adæquatè non est alia, distinguuntur realiter, nam distinctio realis positiua sequitur necessariò vnitatem transcendentalem eius rei, quæ non est alia, ita vt quodlibet in se vnum sit realiter ab aliis distinctum: vnde tunc aliqua erunt à parte rei distincta, quando à parte rei vnumquodque fuerit in se vnum, nam eo ipso erit realiter in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio: est autem vnumquodque à parte rei vnum per suam entitatem siue essentiam realem, cum vnitas sit passio entis, & ita illud à parte rei erit distinctum ab alio, quod à parte rei habuerit diuersam actu, & adæquatè essentiam ab alio: sed quæ pertinent ad diuersa prædicamenta, habent diuersas essentias, quia res ponuntur in prædicamentis ratione essentiæ, & ita si pertinent ad diuersa prædicamenta, habent diuersas essentias: maximè quia distinguuntur à primo gradu generico, vsque ad vltimam differentiam, & ita totaliter differunt in natura: ergo, quæ ponuntur in diuersis prædicamẽtis distinguuntur realiter. Deinde quælibet propositio, in qua vnum prædicamentum de alio negatur secundùm se, est actu immediata & per se nota, vt patet ex dictis in Logica: ergo seclusâ operatione intellectûs quidditas & essentia substantiæ actu non est quidditas & essentia quantitatis, qualitatis, &c. Denique, maior separatio est in primò diuersis, quàm in realiter distinctis, nam hæc possunt vniuocè conuenire, illis verò nihil est commune præter nomen: sed prædicamenta sine ordine ad intellectum sunt primò diuersa, aliàs non darentur decem à parte rei: ergo etiam actu sunt distincta ante operationem intellectus.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D.Thom. 1.p.q.28, art.2, ad 2. vbi hæc habet: *Sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relatiuè, non solùm est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum: ita & in Deo, sed tamen aliter & aliter, nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res, in Deo autem non est alia res, sed vna & eadem*: Vbi sine dubio loquitur D.Thom. de distinctione reali, aliàs nulla esset assignata differentia, nam etiam in Deo absolutum, & relatio distinguuntur per intellectum.

Secundò, quæ pertinent ad diuersa prædicamenta quæ important formam intrinsecam, distinguuntur realiter, vt probatum est: sed relatio & fundamentum pertinent ad diuersa prædicamenta vt satis ex se patet: ergo inter se realiter distinguuntur.

Tertiò, relatio aduenit realiter fundamento existente, & perit realiter ipso remanente, nam Petrus antequam generet Filium, non est Pater, & illo genito est verè & realiter Pater, similiter pereunte filio ipse remanet, licèt desinat esse Pater, & sic de aliis relationibus: sed quæ ita se habent, vt vnum adueniat alteri realiter iam existenti, & pereat illo realiter remanente, distinguuntur realiter ex Arist.Phys.c.cap.1.vbi sic ait: *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem, &c. implicat enim, quòd idem à seipso realiter separetur, aut quod idem simul sit & non sit*: Ergo relatio prædicamentalis distinguitur realiter à suo fundamento. Nec valet responsio contrariorum, quòd scilicet non perit realitas relationis, sed tantùm formalitas siue relatiua denominatio, nam contra, vel illa formalitas, & denominatio, quæ aduenit aut perit, est aliquid rationis aut aliquid reale: si aliquid rationis: ergo non aduenit aut perit aliquid, quod pertineat ad essentiam relationis prædicamentalis, quia nullum ens rationis est de essentia entis realis, & sic Petrus antequam generet, habebit totam essentiam relationis paternitatis, & sic verè erit relatio prædicamentalis sine termino, quod est absurdum: si autem illa formalitas vel denominatio est quid reale: ergo aduenit & perit aliquid reale, & consequenter distinguuntur realiter vt probat argumentum, separatio enim plus dicit, quàm distinctio; aliqua enim distinguuntur, quæ non possunt separari vt Diuinæ Personæ: nulla verò separantur, quæ non distinguantur, nam separatio inter aliqua importat, quòd vnum tollatur, & aliud remaneat.

Quartò, quandò aduenit relatio prædicamentalis, realiter & intrinsecè mutatur fundamentum, alias possent poni in Deo relationes reales ex tempore respectu creaturarum saluâ immutabilitate diuinâ, quòd tamen communiter negant Theologi: ergo relatio prædicamentalis realiter distinguitur à suo termino, nihil enim mutatur realiter intrinsecè, nisi acquirat vel deperdat aliquam formam intrinsecam, tunc enim solum aliter se habet ac antea. Deinde relatio prædicamentalis facit compositionem realem cum fundamento ex D.Thom. in 1. d.33.q.1. art.1. & alibi: & ratio est manifesta, nam relatio est verum accidens reale, & comparatur vt forma realis subiecto, cui inest, ex actu autem & potentia fit compositio: ergo relatio prædicamentalis realiter distinguitur à fundamento, nam compositio realis non fit, nisi ex entitatibus realiter distinctis. Confirmatur. Potest augeri fundamentum relationis v. g. albedo, non aucta similitudine: nam si æqualiter in duobus augeatur, non erunt magis similes: ergo realiter distinguuntur, quia est impossibile eamdem rem realiter augeri, & non augeri.

Quintò, dantur aliquæ relationes, quarum fundamentum est substantia, ipsæ autem vt patet sunt accidens cum constituant peculiare genus accidentis: sed est impossibile idem à parte rei esse substantiam, & accidens reale prædicamentale: quia omnino repugnat idem realiter esse per se, & in alio, cùm sint modi inuoluentes contradictionem: quod enim est per se, non est in alio, & quod est in alio, non est per se: ergo saltem hæ relationes distinguuntur realiter à fundamento.

Probatur secunda pars conclusionis, quam sequuntur Caietan.1.p. q.28. art.2. Capreol. in 2.d.30. q.1. Ferrar.4 contra gentes cap. 14. Flandria, Zanardus, Deza, Sanches, Gallego, Nostri Complutenses contra Bannes, Araujo, Soto, &c. qui admittunt tantùm distinctionem modalem. Item contra Masium, & Aquarium qui admittunt tantùm distinctionem ex parte essentiæ. Probatur, inquam, authoritate D.Thom. qui in 1.d.2.q.1.art.5.ad 2. dicit quòd Res comprehendit sub se absoluta & relationes. Item locis citatis pro prima parte dicit quòd fundamentum & relatio sunt alia & alia res. Item quòd aliud sit esse relationis, & substantiæ quæ refertur: per ly autem (esse) intelligit existentiam, vt patet ex antecedentibus. Item in 1.d.20.q.1.art.1. sic ait. *Relatio quæ habet esse in creatura, habet aliud esse, quàm sit esse sui subiecti, vnde est aliquid aliud à suo subiecto.* Item d.21.q.1. art.2. *In creatis per paternitatem additur nouum esse quod est esse accidentale, & non idem quod est subiecti*: Idem repetit 4. contra gentes cap.14. ergo ex D.Thom. relatio non est purus modus sed res habens esse completum.

Secundò, potest probari iisdem rationibus, quibus probata est prima pars, breuiter tamen confirmatur. Quod verè habet essentiam & existentiam propriam completam, est res: sed talis est relatio prædicamentalis, cùm sit accidens constituens speciale genus entis: ergo propriè est res, & distinguitur à fundamento vt res à re: quamuis aliquando vocetur modus, & eius distinctio modalis propter eius tenuem & imperfectam entitatem, sicut & de sex vltimis prædicamentis dicitur: sola enim substantia dicitur absolutè res, & etiam quantitas, & qualitas; quia ipsi substantiæ magis appropinquant: vnde solùm videtur quæstio de nomine inter Thomistas, an distinctio relationis à fundamento sit rei à re, vel tantùm modalis.

Probatur

Probatur tertia pars concluſionis creatio tranſcendentalis, ſiue ſecundùm dici nihil eſt aliud, quàm ipſa entitas rei, quæ ab intrinſeco reſpicit alind, putà accidens per ordinem ad ſubſtantiam; cùm eſſentialiter ſit entis ens: ergo relatio tranſcendentalis non diſtinguitur realiter à ſuo fundamento.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ariſtot. & D. Th. in primo loco nihil aliud volunt, quàm quòd non detur per ſe motus ad relationem non enim producitur per actionem ad ipſam per ſe terminatam, producitur tamen per accidens ad productionem alterius, nam naturaliter reſultat in fundamento ex poſitione termini, & ita ad illam per accidens datur motus ex D.Th. in 1.d.9. in expoſitione ad 1. ad id autem quod dicunt relationem aduenire ſubiecto ſine eius mutatione, dicendum quòd debet intelligi de mutatione Phyſica & propriè ſumpta, qua ſcilicet per ſe producitur aliquid, vt augmentatione, alteratione, generatione &c. vel qua de vno loco tranſitur in alium, non verò de mutatione Metaphyſica & communiter dicta, qua aliquid producitur per ſimplicem emanationem. Ad alium locum ex opuſc. 48. Sanches reſpondet D. Th. mutaſſe ſententiam: alij Thomiſtæ, vt Maſins, noſtri Complutenſes, ac alij dicunt hoc opuſc. non eſſe D.Th. & hoc ſuadet, quòd nullam eius mentionem faciunt Iauellus, & Soncinas qui ſunt in contraria opinione, & ideò illis fauebat: alij tandem dicunt, quòd D.Thom. nihil aliud vult, quàm quòd ſimilitudo non ſit alia res ab albedine, producta per actionem per ſe terminatam ad ipſam.

Ad ſecundum dicendùm, quòd licèt non detur cauſa producens talem relationem per actionem per ſe terminatam ad ipſam: datur tamen cauſa realis, à qua reſultet per ſimplicem emanationem, vt à ſimili docet D.Th. 1.p.q.77. art.7. de paſſionibus animæ: talis autem cauſa non eſt terminus, ſed ipſum fundamentum, à quo non reſultauit à principio relatio, quia poſitio termini eſt conditio ſine qua non: vnde inter res ſunt aliquæ, quæ fiunt per ſe primò & terminant primariò actionem: aliæ verò ſunt, quæ petunt fieri per reſultantiam, cùm ab intrinſeco petant comproduci ad productionem alterius à quo eſſentialiter dependent, vt proprietates, potentiæ &c. de quorum numero eſt relatio, quæ eſſentialiter petit ſuum fundamentum productum, à quo naturaliter reſultat poſito termino.

Ad tertium dicendum, quòd relatio facit compoſitionem cum fundamento, nam album ſimile eſt magis compoſitum, quàm album ſolùm, ſimilitudo enim eſt eſſentialiter verum accidens, fallitur tamen imaginatio ex eo quòd relatio non dicit explicitè, In, ſed Ad: & propterea dicit D. Thom. relationem ſecundùm explicitam rationem, Ad, non efficere compoſitionem cum ſubiecto, nam vt ſic conſideratur per ordinem ad terminum, non autem vt in ſubiecto: non tamen hoc tollit, quin ſecundùm eſſe, In, componat cum illo, vt ait D.Th. art. ſequenti ad 3. Ad aliud dicendum quòd dato per impoſſibile auferri relationem ſimilitudinis à duobus albis, non manerent formaliter ſimilia, ſed tantùm fundamentaliter.

Ad quartum dicendum, quòd ſicut numerus prædicamentalis, qui eſt accidens reale, reperitur in pluribus ſubiectis inadæquatis etiam diſtinctis, & diſcontinuis: ſic & relatio dupliciatis, quæ eſt propria paſſio numeri, & fundatur in eo, eſt in pluribus ſubiectis partialibus realiter diuiſis. Ad aliud dicendum, quòd relatio eſt quid ſimplex ratione ſui, requirit tamen tale ſubiectum determinatum, nec denominat niſi ſubiectum adæquatum: ſic duplicitas eſt in tota quantitate bicubita, vnde ſi illa quantitas diuidatur, perit relatio, nec amplius eſt dupla.

Articvlvs VI.

Vtrùm relatio terminetur ad abſolutum, vel reſpectiuum?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd relatio prædicamentalis terminetur ad abſolutum. Quidam tenent vniuerſaliter de omni relatione, vt Scotus in 1. d.30. q. 1. Vaſques, Suares & alij, quidam verò, licèt dicant relationes mutuas terminari ad reſpectiuum; volunt tamen non mutuas terminari ad abſolutum. Ita Ferrar. 4. contra gentes cap. 11. Maſius, Gallego, Rubius, Valentia & alij. Probatur. Poſito fundamento & termino, ſtatim reſultat relatio: ergo ante illam intelligitur fundamentum integrè & formaliter conſtitutum in eſſe fundamenti, & terminus in eſſe termini, quod enim habet rationem cauſæ reſpectu alicuius, debet eſſe prius illo, non ſolùm ſecundùm ſuam entitatem materialem, ſed etiam formaliter ſecundùm id, per quod conſtituitur in eſſe cauſæ eius; ſed quidquid antecedit relationem, eſt res abſoluta: ergo terminus conſtituitur formaliter in eſſe termini per aliquid abſolutum, maximè quia terminus pertinet ad ſpecificatiuum relationis, & ita ſecundùm rationem formalem terminandi illam antecedit, cùm ſpecificatiuum habeat rationem cauſæ reſpectu rei ſpecificatæ. Deinde ſi vna relatio eſſet terminus alterius, expoſitione vnius reſultaret alia, & ſic non eſſent ſimul natura.

¶ 2. Præterea, Si quæ eſſent relationes, quæ terminarentur ad reſpectiuum, eſſent mutuæ; ſed hæ terminantur ad abſolutum, quia in his ratio terminandi vnam, eſt ratio fundandi aliam, in hoc enim conſiſtit relationem eſſe mutuam: ergo nulla relatio terminatur ad reſpectiuum, quod maximè apparet in relatione maternitatis B. Virginis, quæ terminatur ad abſolutum; non enim habet correſpondentem relationem in Chriſto Domino ex D.Th. 3. p. q. 35. art. 5. Deinde patet ex communi modo loquendi; nam vnum album non dicitur ſimile alteri ſimili, ſed alteri albo.

¶ 3. Præterea, Vnum relatiuum debet eſſentialiter definiri per ſuum terminum, vt patet ex Ariſtot. ſed non poteſt definiri per ſuum terminum ſumptum formaliter, vt correlatiuum, multa enim ſequerentur inconuenientia, nam primò cùm relatiua adinuicem definiantur, idem eſſet notius & ignotius ſeipſo; ſi definitio ſumeretur à termino ſecundùm rationem reſpectiuam. Secundò committeretur in his definitionibus circulus, qui tamen reiicitur ab Ariſtot. & D. Th. Tertiò tandem ſequeretur in his definitionibus vnum per ſeipſum definiri, & definitum ingredi definitionem; nam ex Ariſt. 2. Topic. cap. 2. in definitione loco nominis poteſt poni eius definitio, & ſic fiet nugatoria definitio patris, pater eſt qui eſt ad eum, qui eſt ad patrem.

¶ 4. Specialiter de relationibus non mutuis probatur, Ariſt. aſſignans proprietatem relatiuorum, quòd ſint ſimul natura, dicit hanc conuenire mutuis, & negat conuenire non mutuis. Item D.Th. 1.p.q.13. art. 7. ad 4. dicit quòd Deus terminat relationem creaturæ abſque aliquo ordine ipſius ad creaturam, & ita ſub ratione abſoluta. Deinde in relationibus non mutuis terminus eſt quid abſolutum, non enim correfertur, & propterea ſunt relationes non mutuæ: ergo ſub ratione abſoluta terminat.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, & D. Thom. quos ſequuntur Caietanus in Logica cap. de relatione, item 1. part. quæſt. 13. artic. 7. Bannes, Nazarius, Zumel ibidem, Flandria, Araujo, 5. Metaph. Sanches, noſtri Complutenſes, & alij: nec contrariatur Capreolus, Soncinas, & Soto: cùm enim dicunt relationem terminari ad abſolutum, loquuntur de termino materiali.

Conclvsio.

Cùm in relatione ſit oppoſitio, & oppoſitio relatiua non ſit aliud, quàm reſpectus extremorum, omnis relatio prædicamentalis terminatur ad reſpectiuum.

Respondeo dicendum, quòd omnis relatio prædi-

camentalis

camentalis, ſiue mutua, ſiue non mutua terminatur ad reſpectiuum ſiue relatiuum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd fundamentum & terminus relationis ſolént etiam appellari aliis nominibus, ita vt fundamentum dicatur relatiuum, terminus autem correlatiuum, quia ex eo quòd fundamentum referatur ad terminum, terminus ipſe correfertur ad fundamentum, vel relatione in ipſo termino reſultante vt patet in relationibus mutuis, vel ſecundùm rationem vt in relationibus non mutuis, ita vt in his terminus denominetur extrinſecè correlatiuum à relatione fundamenti: iſta autem nomina in hoc differunt, quòd fundamentum & terminus non dicunt pro ſuo formali ſignificato ipſas relationes, ſicut alia dicunt & exprimunt: vnde licèt ex dictis conſtet relationem eſſentialiter exigere terminum, non tamen adhuc conſtabit, vtrùm exigatur tantùm ſub ratione materiali abſoluta, an verò ſub ratione formali termini, id eſt, ſub ratione reſpectiui, & vt correlatiuum.

Probatur Concluſio authoritate. Ariſtoteles in Logica probat omnia relatiua, ſi rectè aſſignentur, dici ad conuertentiam, & ſubdit quòd ſublatâ à termino quacumque ratione abſolutâ, ſi maneat relatiua denominatio, verè terminat relationem, & ècontra, ſi ab illo auferatur eſſe relatiuum, non ampliùs terminat relationem, licèt maneant quæcumque aliæ rationes abſolutæ: ſic enim inter alia ait: *Ampliùs ſi quidem conuenienter aſſignatur ad quod dicitur, omnibus aliis ſublatis quæcumque accidentia ſunt, relicto autem ſolo illo ad quod aſſignatum eſt, conuenienter ſemper ad ipſum dicitur: vt ſi ſeruus ad hominem dicitur, circumſcriptis omnibus quæ accidentia ſunt domino, vt eſſe bipedem vel hominem, relicto verò ſolo quod dominus eſt ſemper ſeruus ad ipſum dicetur:* Item paulò poſt ait: *Circumſcribatur ab homine eſſe dominum, non ſanè ampliùs ſeruus ad Dominum dicetur, cùm enim Dominus non ſit, neque ſeruus eſt &c.* Patet autem ex textu, quòd loquitur vniuerſaliter de relationibus: ergo ex Ariſt. ratio terminandi quamcumque relationem non poteſt eſſe abſoluta, ſed debet eſſe reſpectiua. Idem docet Porphirius cap. de ſpecie. Idem etiam expreſsè docet D. Thom. primò quia 1. p. q. 42. art. 3. ad 2. & opuſc. 37. cap. 1. docet vnum relatiuum formaliter includi in definitione alterius: Secundò quia ex ipſo omnia relatiua, ſiue mutua ſiue non mutua, ſi rectè aſſignentur, ſunt ſimul natura. Tertiò quia 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. explicans definitionem relatiuorum docet per ly (aliud) intelligendum eſſe correlatiuum formaliter ſumptum, ſic enim ait: *Cùm dicitur quòd relatiui eſſe eſt ad aliud ſe habere, per ly (aliud) intelligitur correlatiuum, quod non eſt priùs, ſed ſimul naturâ.* Item 2. contra gentes cap. 11. ait: *Non poteſt aliquid intelligi ad alterum, niſi è conuerſo illud relatiuè diceretur ad ipſum.*

Secundò, relatiua formaliter ſumpta exercent oppoſitionem relatiuam vt patet: ſed oppoſitio relatiua eſſentialiter includit rationes referendi & terminandi; cùm non ſit aliud oppoſitio relatiua, quàm reſpectus vnius ad alterum, vt tenent omnes cum Ariſt. in poſtprædicam. cap. de oppoſitis, & D. Th. 1. p. q. 28. art. 3. conſtat autem, quòd in reſpectu vnius ad alterum includitur per ſe vtraque ratio referendi & terminandi, non enim poteſt intelligi vnum reſpicere aliud, quin iſtud reſpiciatur & reſpectum terminet: ergo relatiua & referuntur, & terminant per relationes, cùm per ipſas relationes, non verò per fundamenta abſoluta habeant formalem oppoſitionem. Confirmatur. In relatiuè oppoſitis illud per ſe primò inſpicitur ab altero, quod per ſe primò illi opponitur, quia oppoſitum relatiuè illud per ſe primò reſpicit, quod è regione ſibi correſpondet primò, primò contraponitur & aduerſatur, non autem quæ materialiter & quaſi diſparatè ſe habent: ſed quod primò opponitur relatiuo, eſt correlatiuum formaliter ſumptū ex D. Th. locis citatis, nam ipſa relatio eſt formalis oppoſitio: ergo terminus inſpicitur vt correlatiuū formaliter, ſiue terminat ſub ratione reſpectiua.

Tertiò, in Diuinis Pater & Filius adinuicem referuntur, & terminant ſuos reſpectus per ipſas relationes paternitatis & filiationis: nam pater & filius adinuicem referuntur, & ſe inuicem terminant per eas rationes, per quas realiter opponuntur & diſtinguuntur, cùm idem non referatur, nec terminetur realiter ad ſeipſum: certum eſt autem ex fide Diuinas Perſonas non diſtingui, aut opponi per aliquid abſolutum, ſed tantùm per relationes, iuxta illud Theologicum axioma, in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio, & conſequenter per ſolas relationes ſe inuicem reſpiciunt & terminant: ergo etiam in creatis ſimiles relationes verè terminantur ad relatiuum, cùm aſſimilentur diuinis in hoc quod eſt reſpicere terminum, & etiam in ratione terminandi, quia etiam ex ipſa natura oppoſitionis relatiuæ prouenit quòd relationes diuinæ terminentur ad relatiuum: nam ſicut diſtinctio inter diuinas perſonas non poteſt reduci, niſi ad oppoſitionem relatiuam, quæ diſtinctionem in ſua ratione includit, ita etiam terminare ſecundùm rationes relatiuas non poteſt aliunde, quàm ex oppoſitione relatiua prouenire: ergo cùm relationes creatæ verè importent oppoſitionem relatiuam, ſicut diuinæ, idem proportionaliter de vtriſque dicendum eſt. Videantur aliæ rationes apud noſtros Complutenſes, deſumptæ ex proprietatibus relatiuorum, quòd ſcilicet vnum ponatur in definitione alterius, & quòd ſint ſimul natura & cognitione, quod non eſſet, niſi terminarent vt formaliter correlatiua, ſiue ſecundùm rationem reſpectiuam.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando Dialectici dicunt quòd poſito termino reſultat relatio, intelligunt de termino materialiter, non formaliter ſumpto, terminus autem materialis eſt ipſa perfectio abſoluta, vnde oritur, & ſupra quam fundatur ipſa ratio formalis terminandi, in qua vltimo ſiſtit reſpectus alterius relatiui: vnde eſt differentia inter fundamentum & terminum, quòd relatio exigit fundamentum vt dicit, In, & ex communi ratione accidentis, ex quo habet eſſe ens reale ex D. Th. 1. p. q. 28. art. 2. & ita comparatur ad fundamentum vt ad cauſam ſui eſſe & realitatis, ac proinde præexigit illud integrè & formaliter conſtitutum in eſſe fundamenti: at verò terminus formalis conuenit relationi ex propria & præciſa ratione relationis, & vt dicit, Ad, ex qua parte formaliter loquendo non habet eſſe in rerum natura, ſed ſolam oppoſitionem ad correlatiuum ex D. Thom. ac proinde ratio formalis terminandi non eſt cauſa relationis, ſed quaſi conditio concomitans eam, & conſequenter relatio non præexigit terminum formaliter conſtitutum in ratione termini, qui potiùs conſtituitur per ipſam oppoſitionem ſiue relationem: ſed tantùm præexigit terminum materialem, ſiue rationem radicalem terminandi, quæ eſt quodammodo cauſa relationis, & ſimpliciter radix ſpecificationis eius: & ideò ex poſitione eius reſultat relatio, & eius vnitas vel diſtinctio cauſat vnitatem vel diſtinctionem relationis: ratio verò formalis terminandi non ſic ſpecificat relationem, ſed per modum puri termini ſiue conditionis concomitantis illam: & ideò relatio non tam dicitur ſpecificari à termino formali, quàm ad terminum, qui modus ſpecificandi non exigit cauſalitatem aut prioritatem: nam ſicut eſt ſingulare in relatione, quòd ſit purus reſpectus ad aliud, ita ſingulare eſt in illo alio, quòd ſit purus terminus, & vt ſic ſpecificet relationem. Ad aliud dicendum, quòd ex poſitione termini materialis, & non formalis reſultat relatio in vtroque extremo in mutuis, quorum vnumquodque eſt fundamentum propriæ relationis, & terminus alterius.

Ad ſecundum dicendum, quòd vt relatio ſit mutua, non ſufficit terminum vnius materialiter ſumptum, eſſe fundamentum alterius, aliàs paternitas & ſimilitudo eſſent inter ſe relationes mutuæ: nam Paulus v.g. qui eſt terminus materialis paternitatis, poteſt eſſe fundamentum ſimilitudinis: neque requiritur vt ipſa ratio formalis terminandi vnam, ſit ratio fundandi aliam vt patet ex dictis, nam ratio fundandi antecedit relationem: ter-

minus

minus verò formalis concomitatur, ſed ſufficit, & requiritur vt rationes fundandi vtramque per ſe ſibi correſpondeant, & inter ſe habeant aliquem tranſcendentalem ordinem, vt patet in vnitate & numero, in actione & paſſione: relatio autem maternitatis B.V. non eſt mutua, cùm Chriſtus Dominus propter ſuppoſitum diuinum non ſit capax relationis realis ad Matrem, & ita non terminat maternitatem per aliquam relationem realiter in ipſo exiſtentem, ſed per relatiuam denominationem, qua dicitur Filius à maternitate in B.V. exiſtente: & hoc modo terminantur omnes relationes non mutuæ: quæ relatiua denominatio termini non poteſt impediri poſita relatione fundamenti. Ad aliud dicendum, quòd quando dicimus ſimiles propoſitiones, comparamus fundamentum cum termino materialiter ſumpto, ſi enim ſumeremus tam fundamentum, quam terminum formaliter, formaremus proportiones importantes meras relationes, ſicut cùm dicimus, ſimile eſt ſimili ſimile.

Ad tertium dicendum, quòd vnum relatiuum neceſſariò petit definiri à ſuo termino formali, ſiue correlatiuo ex Ariſtotele 6. Topicor. cap. 3. & 4. Ad inconuenientia autem dicendum, quòd æquè ſunt contra ipſos aduerſarios in definitione relationum diuinarum, ſi dicenda ſunt inconuenientia: & ita ad primum dicimus vnum relatiuum non aſſumi in definitione alterius, vt priùs aut magis notum, ſed vt ſimul & æquè notum, definitio autem huiuſmodi notificat eſſentiam definiti, licèt quælibet pars definitionis non ſit notior illo, quia connoritia relatiua ad hoc cooperatur, quod ſufficit vt tota definitio abſolutè dicatur tradi per notiora, nec eſt mirabile quòd ſingulare genus entis ſibi vindicet ſingularem modum definitionis & notitiæ. Ad ſecundum dicendum, quòd in his definitionibus non datur circulus vniformis, ita quòd relatiua eodem omninò modo, & ſecundùm eandem formalitatem ſe inuicem definiant & definiantur, non autem eſt inconueniens dari circulum difformem, imò eſt neceſſarium in relatiuis, vt in eodem capite expreſsè docet Ariſtoteles, ait enim: *Oportet autem non latere quadam fortaſſe aliter definiri non poſſe, vt duplum ſine dimidio, & quæcumque per ſe ad aliquid dicuntur, nam omnibus huiuſmodi eſt idem eſſe ei, quod eſt ad aliquid ſe habere: quare non eſt poſſibile ſine altero alterum cognoſcere, eo quòd neceſſarium eſt alterius oratione aſſumi, & ad alterum*: Quando autem D.Thom. docet omnipotentiam non definiri per poſſibile, verum dicit, nam omnipotentia non eſt relatio prædicamentalis & ſecundùm eſſe, ſed quid abſolutum: definitiones autem abſolutorum debent tradi per ſimpliciter priora, & ideò in eis eſt vitioſus quicumque circulus, etiam difformis. Ad tertium dicendum, quòd illa regula Ariſtotelis intelligenda eſt, quoad ea quæ intrinſecè cadunt in definitione, ſcilicet quoad partes intrinſecas definiti, non verò quoad ea quæ ponuntur vt additum ſiue connotatum, vt accidit in præſenti: maximè quia correlatiuum ponitur in definitione relatiui, vt formaliter exercet rationem termini oppoſiti, qu... n poteſt exerceri per eius definitionem, cùm in ea alterum relatiuum contineatur, aliàs iſtud ſibi opponeretur & referretur, quod eſt impoſſibile.

An quartum dicendum, quòd omnia relatiua, ſiue mutua, ſiue non mutua dicuntur ad conuertentiam, & ſunt ſimul natura, ſi rectè fuerint aſſignata, & ita Auerroës, dicit intelligendum Ariſtotelem, idem etiam docet D.Thom. loco citato ad 6. nam reddens rationem, cur ſcientia & ſcibile non ſunt ſimul natura, ait: *Nam ſcibile dicitur ſecundùm potentiam, ſcientia autem ſecundùm habitum, vel ſecundùm actum, vnde ſcibile ſecundùm modum ſuæ ſignificationis præexiſtit ſcientiæ, ſed ſi accipiatur ſcibile ſecundùm actum, tunc eſt ſimul cum ſcientia ſecundùm actum, nam ſcitum non eſt aliquid, niſi ſit eius ſcientia*: Idem dicit de Deo formaliter vt eſt Dominus creaturarum, & ita D.Thom. loquitur de termino materialiter ſiue fundamentaliter, & de ratione terminandi non formali ſed radicali: & licèt loqueretur de ratione terminandi formali, tantùm intendit quòd Deo non conueniat terminare ſeruitutem creaturarum per aliquam relationem realiter in eo exiſtentem, vt patet ex titulo articuli, quærit enim, vtrùm Deus realiter referatur ad creaturam, ita quòd relatio ſit res aliqua in Deo: cùm hoc tamen ſtat Deum formaliter terminare ſeruitutem creaturarum per ipſam relatiuam denominationem, à qua denominatur Dominus, & conſtituitur correlatiuum earum: vnde licèt in relationibus non mutuis terminus à parte rei non habeat aliquam relationem realem, habet tamen relatiuam denominationem à relatione alterius extremi prouenientem, per quam conſtituitur formaliter terminus, & correlatiuum illius: & hoc conuenit relatiuis tertij generis ex Ariſtotele 5. Metaph. cap. 15. ait enim: *In relatiuis tertij generis alterum extremum dici ad aliquid, non quia ipſum dicitur ad aliquid, ſed quia aliud dicitur ad ipſum, & hoc procedit ex natura relatiuorum, quæ neceſſario opponuntur relatiuè*: Et ſic eo ipſo quòd vnum extremum terminet relationem alterius, eſt abſolutè & formaliter relatiuum, ita vt implicet contradictionem habere rationem termini, & non eſſe hoc ipſo formaliter relatiuum ſecluſo quocumque intellectu: vnde Doctores communiter docent relatiua tertij generis eſſe formaliter mutua non tamen quoad realitatem, nam relatio realis eſt tantùm intrinſeca ex parte vnius extremi: vnde in his ratio realis & perfectio intrinſeca eſt ſolùm radicalis ratio terminandi, formaliter verò conſtituuntur in eſſe termini per id ipſum, per quod conſtituuntur in eſſe oppoſiti & correlatiui, ſcilicet per relatiuam denominationem, quod eſt ſpeciale in relatiuis, vt ab eadem relatione in altero extremo exiſtente vtrumque ſimul denominetur relatiuum vnum intrinſecè, alterum extrinſecè quia relatiua ſunt ſimul natura, ſi enim adeſſet aliqua prioritas, non eſſet oppoſitio relatiua: & ſic licèt inter relationem & denominationes ab ipſa procedentes ſit aliqua prioritas; cùm relatio ſit cauſa, cur vtrumque extremum denominetur relatiuum, inter ipſas tamen denominationes intrinſecam & extrinſecam, ſolùm importatur exigentia iſtius ab illa, tanquam à neceſſaria conditione concomitante.

Articvlvs VII.

Vnde ſumatur vnitas aut diſtinctio, tum ſpecifica tum numerica relationum?

Ad septimvm ſic proceditur. Videtur quòd vnitas aut diſtinctio, tum ſpecifica, tum numerica relationum deſumatur à ſolo fundamento. Ita Flandria 5. Metaph. q. 16. art. 1. Nazarius 1. p. q. 32. art. 2. controuerſia 2. qui citant pro ſe Caietanum, & Bannes: ſed immeritò. Probatur authoritate D.Thom. 3. p. q. 35. art. 5. vbi ſic ait: *Vnitas relationis, vel eius pluralitas non attenditur ſecundùm terminos: ſed ſecundùm cauſam, vel ſubiectum*: Ideſt fundamentum ſiue rationem fundandi, vt explicat Caietanus. Item quodlib. 9. art. 4. ait: *Quia verò ex eodem res habet eſſe, & vnitatem, ideò realis vnitas relationis penſanda eſt ex ipſo relationis fundamento vel cauſa*: Quæ ratio D.Thom. ſic expenditur. Ab eodem relatio habet vnitatem & diſtinctionem, à quo habet eſſe, quia vnum & multa conſequuntur ens, & patet inductione, nam homo ab eadem differentia, qua conſtituitur, habet ſuam vnitatem, & diſtinctionem ab aliis: ſed relatio habet eſſe à fundamento, & non à termino vt patet ex dictis, non enim producitur à termino, at illo poſito efficienter reſultat à fundamento, ad quod priùs intelligimus conſequi, quàm terminari ad terminum: in illo autem priori habet ſuam vnitatem, & diſtinctionem numericam, & ſpecificam: ergo vnitas aut diſtinctio, tum ſpecifica, tum numerica relationum ſumitur à ſolo fundamento, ſiue adæquatè ab illo, & nullo modo à termino.

¶ 2. Præterea, Filiatio, qua filius refertur ad Patrem & Matrem, eſt vna in ſpecie propter eandem rationem

fundandi, & tamen habet rationes radicales terminandi ſpecie diuerſas, ſcilicet concurſum actiuum patris & paſſiuum matris; ſimiliter paternitas & maternitas ſpecie differunt propter diuerſas rationes fundandi; & tamen habent eundem terminum ſpecie, ita D.Thom.3.p.q.35. art.5. vbi ait: *Rectè conſideranti apparet eadem relatione referri vnumquemque ad ſuum patrem & matrem, propter vnitatem cauſæ, eadem enim natiuitate naſcitur homo ex patre & matre, vnde eadem relatione ad vtrumque refertur*: Et ad 3. ait: *Contingit quòd ex parte vnius extremi eſt vna relatio, ex parte autem alterius extremi ſunt multæ relationes: ſicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, alia maternitatis, quæ ſunt ſpecie differentes propter hoc quod alia ratione pater, & alia mater eſt generationis principium*: Ergo vnitas, aut diſtinctio ſpecifica & numerica relationum ſumitur à ſolo fundamento.

¶ 3. Econtra, Videtur quòd vnitas, aut diſtinctio ſpecifica relationum ſumatur adæquatè à terminis totalibus, & nullo modo à fundamentis. Ita Soncinas 5. Metaph. q.32. Araujo ibidem art.6. Probatur authoritate D.Thom. 1.part.quæſt.32.art.2.vbi ſic ait: *Cùm ratio ſpecifica relationi conſiſtat in hoc, quòd ad aliud ſe habeat, neceſſe eſt dicere, quòd duæ relationes non ſunt diuerſæ ſecundùm ſpeciem, ſi ex oppoſito vna relatio eis correſpondeat*: Quæ authoritas fundatur in hac ratione, omne accidens reſpectiuum ſpecificatur adæquatè ab eo quod reſpicit, vt patet inductione in potentiis, habitibus, & motu qui adæquatè ſpecificatur à termino, ad quem: ſed relatio prædicamentalis eſt accidens eſſentialiter reſpectiuum, cùm totum eſſe illius ſit ſe habere ad terminum: ergo adæquatè ſpecificatur à termino, cuius ſignum eſt quòd relatio eſſentialiter definitur per terminum, tanquam per differentiam: conſtat autem quòd vnitas, & diſtinctio formalis alicuius deſumitur ab eo, quod ponitur tanquam differentia in eius definitione.

¶ 4. Præterea, ab eo relatio habet diſtinctionem ſpecificam, ac proinde vnitatem, quo poſito ponitur diſtinctio, & quo ablato aufertur: ſed poſito termino ponitur diſtinctio ſpecifica relationum, & eo ablato aufertur, nam ſtante eadem ratione fundandi, verè dantur in vno fundamento relationes ſpecie diſtinctæ reſpectu diuerſorum terminorum, nam nix per eamdem albedinem eſt ſimilis Cygno, & diſſimilis Coruo, conſtat autem relationes ſimilitudinis & diſſimilitudinis ſpecie differre, deficiente autem quocumque ex his terminis deficit relatio ad ipſum terminata: ergo vnitas aut diſtinctio ſpecifica relationum ſumitur adæquatè à terminis totalibus & nullo modo à fundamentis.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Thom. & communiter ſententia Thomiſtarum, inter quos Noſtri Complutenſes, Noſter Didacus, Maſius, & Sanches in Logica, Caietanus, & Bannes 1.p.q.32.art.3. qui dicunt ſumi ſpecificationem relationum à fundamento cum ordine ad terminum, & alij vt Suares, Ruuius, &c.

CONCLVSIO.

Cùm relatio ſit eſſentialiter ordo vnius ad aliud, ſcilicet fundamenti ad terminum, & vtrumque requirat ad ſuum eſſe, vnum tanquam id à quo emanat, aliud tanquam id ad quod tendit, ab vtroque deſumitur eius vnitas, aut diſtinctio ſpecifica.

Respondeo dicendum, quòd vnitas & diſtinctio numerica relationum ſumitur ex vnitate, vel diſtinctione numerica ſubiecti cui inhærent, vnde vnus pater eadem numero paternitate reſpicit plures filios: 2. vnitas autem & diſtinctio ſpecifica ſumitur, tum ex termino, tum ex fundamento, non ſecundùm entitates materiales eorum, ſed ſecundùm rationes fundandi & terminandi. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt vnitatem genericam relationis, ſicut & aliorum prædicamentorum ſumi ex diuerſo modo eſſendi in inferioribus, & prædicandi de illis: & licèt relatio in actu exercito requirat duo extrema, ſcilicet relatiuum & correlatiuum, non tamen propterea ſunt duo ſuprema genera huius prædicamenti, nam relatio, vt conſtituit hoc prædicamentum, accipitur in actu ſignato, & ita requirit terminum non in actu exercito, ſed tantùm in actu ſignato, quod non tollit, quominus quæcumque relatio ex parte termini exercens rationem correlatiui, verè contineatur ſub illo conceptu abſtracto, & præciſo relationis, & conſequenter ſit tantùm vnum genus generaliſſimum huius prædicamenti.

Probatur prima pars concluſionis contra Scotum in 3. d. 8. q. 1. Vaſquem tom. 4. in 3.p.q.91.art.1. Suarem, &c. authoritate D.Thom. 3.p. q.35. art.5. vbi ſic ait: *Et quia plures formæ eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſimul ineſſe eidem ſubiecto, non eſt poſſibile quòd ſint plures paternitates in eo, qui eſt pater plurium filiorum generatione naturali*: Idem habet quodlib. 1. art. 2. & quodlib. 9. art. 4. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli. Non immoror in probatione, ſufficit ratio D. Thom. quòd duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, quod fusè probatum eſt ſupra, videantur quæ ibi dicta ſunt. Vnde ad hoc vt pater iam habens filium, quando naſcitur alius, dicatur de nouo reſpicere ſecundum, non eſt neceſſaria noua relatio realis, ſed præcedens quaſi extenditur ex parte termini materialis, & ſic poſito primo filio ponitur relatio, & extenditur ad alios, nec perit, niſi omnibus ſublatis, ſed quaſi extenditur aut limitatur, ad poſitionem aut deſitionem aliorum filiorum: ſicut ſcientia per vnicam demonſtrationem circa vnam concluſionem acquiritur, nec per nouam demonſtrationem circa aliam concluſionem acquiritur nouus habitus, ſed præexiſtens extenditur ad aſſentiendum ſecundæ concluſioni: cum hac tamen differentia, quòd ſcientia per talem extenſionem intrinſecè & realiter mutatur, & fit maior cùm ſuſcipiat magis & minùs, ſed relatio conſiſtit in indiuiſibili, & ideò intrinſecè non fit maior, ſed dicitur extendi, quia multiplicantur termini materiales ſub illa ratione formali, quam per ſe primò reſpicit, nam hæc paternitas, quæ eſt in Petro, non reſpicit primò hunc vel illum filium in particulari, ſed communem rationem filij à ſe geniti, non enim talis relatio habet quòd ſit hæc & indiuidua, per hoc quòd ſit ad hunc particularem filium, ſed per hoc quòd eſt huius particularis hominis, qui eſt pater: quia ergo terminus per ſe primò reſpectus nunc participatur ab vno, & poſteà à duobus & pluribus filiis, ideò relatio dicitur extendi, ex eo quòd addatur nouus terminus materialis, quem de nouo reſpicit, quia participat ſuum terminum formalem, ſcilicet rationem filiationis, & ita nulla fit mutatio intrinſeca paternitati in eius entitate, quando naſcitur alius filius, licèt enim ſecunda, aut tertia generatio eſſet ſufficiens conſiderata abſolutè, vt reſultaret relatio, ſi nondum eſſet in Petro, per accidens tamen in hoc caſu prout conſideratur vt ſecunda aut tertia, non eſt ſufficiens, quia iam productam inuenit: & ex his facilè ſoluuntur obiectiones.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Authoritate D.Th. vt patet ex locis adductis pro vtraque contraria opinione, nam quædam dicunt relationem ſpecificari à fundamento, quædam verò à termino: ne igitur dicatur D.Thom. ſibi contrarius, fatendum eſt ex eius ſententia ad ſpecificandam relationem concurrere, tam fundamentum, quàm terminum. De termino eſt doctrina generalis 1. 2. quæſt. 54. art. 2. vbi dicit, quòd omnia quæ dicuntur ſecundùm ordinem ad aliquid, diſtinguuntur ſecundùm diſtinctionem eorum, ad quæ dicuntur.

Secundò, relatio eſſentialiter eſt ordo vnius ad aliud, ita vt non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter importet vtrumque extremum: ergo vtrumque per ſe requiritur ad eſſentiam & ſpecificationem eius, alterum tanquam id à quo emanat, & alterum tanquam id ad quod tendit.

Quomodo autem tam fundamentum quàm terminus concurrant ad ſpecificationem relationis, diuerſimodè explicatur à Thomiſtis, ſed hæc diuerſitas potiùs eſt verborum, quàm ſenſus; Araujo enim dicit terminum concurrere ſecundùm ſe, fundamentum verò concurrere vt

præhabens

præhabens ipſum terminum, fundamentorum enim diuerſitas refunditur in rationem formalem termini, ſicut quia diuerſitas principiorum refunditur in rationem formalem obiecti, principia concurrunt ad ſpecificationem ſcientiæ. Sanches verò, & alij dicunt relationem ſpecificari à fundamento, quaſi in genere cauſæ efficientis; quia fundamentum eſt radix & cauſa relationis, à termino autem quaſi in genere cauſæ formalis extrinſecæ, quia eſt id in quo vltimo ſiſtit relatio. Alij denique & fere idem dicunt ſpecificationem relationis ſumi à fundamento initiatiuè, & radicaliter, à termino verò completiuè & formaliter: igitur ex rationibus fundandi, & terminandi completur integrum ſpecificatiuum, à quo ſumitur vnitas & multiplicatio ſpecifica relationum: quia tamen vnitas habet rationem boni, quod eſt ex integra cauſa, multiplicatio verò rationem mali, quod accidit ex quocumque defectu: ideò ad vnitatem ſpecificam relationum requiritur vnitas ſpecifica, tam fundamenti, quàm termini totalis; ad multiplicationem verò ſufficit diuerſitas ſpecifica alterutrius.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th. vel loquitur de vnitate aut pluralitate numerica relationis, vel ſi loquatur de ſpecifica, intelligendus eſt in genere cauſæ efficientis, nam relatio ſolùm effectiuè habet à fundamento eſſe reale, ac vnitatem: tamen quia relatio ſecundùm propriam rationem dicit, Ad, nam vltra habitudinem ad fundamentum à quo accipit eſſe & realitatem, dicit etiam ex propria ratione ordinem ad extrinſecum terminum, ideò propria eius vnitas & diſtinctio non ſolùm ſumitur ab eo in quo & à quo habet eſſe, ſed etiam ab eo ad quod eſt, ſiue quod reſpicit: & ſimiliter dicendum ad rationem, ſolùm enim probat, quòd relatio initiatiuè & in genere cauſæ efficientis habet ſpecificationem à fundamento, & ſi quid ampliùs probaret, probaret nihil ſpecificari ab extrinſeco, quod eſt falſum: & ita in illo priori ſolùm intelligitur ſpecificatio relationis radicaliter & initiatiuè, non verò formaliter & completè, donec intelligatur terminus: quia nec etiam ante illum intelligitur completa ratio relationis.

Ad ſecundum dicendum, quòd in filio non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter eſt vnica relatio, qua reſpicit patrem & matrem, licèt enim pater & mater diuerſimodè concurrant ad productionem filij, neuter tamen eſt cauſa completa & per ſe ſufficiens, ſed concurrunt generationibus partialibus, intrinſecè ordinatis ad complendum vnicum totale principium filij, cuius ſignum affert D.Thom. quia filius vnicâ natiuitate naſcitur ex patre & matre: vnde non ſolùm ex parte filij eſt vnica productio paſſiua, quæ eſt ratio fundandi filiationem, ſed etiam ex parte parentum datur tantùm vna completa ratio radicalis terminandi, conſurgens quaſi ex partibus heterogeneis, ex concurſu actiuo patris & paſſiuo matris: ac proinde non dantur duæ integræ rationes terminandi, quod erat neceſſarium ad multiplicandam ſpecificè filiationem: vnde nec ſola paternitas, nec ſola maternitas conſtituit per ſe integrum correlatiuum filiationis, ſed ſunt quaſi partes diuerſæ eiuſdem integri extremi, vnde ipſæ ſolùm diſtinguuntur inter ſe ſpecie incompleta, & quaſi partialiter: vnde quando D.Thom. docet relationibus ſpecie diuerſis non poſſe ex oppoſito correſpondere vnicam relationem, loquitur de relatiuis totalibus, ſiue de relationibus habentibus integras rationes fundandi, & terminandi.

Ad tertium dicendum, quòd D.Thom. ſolùm probat relationem ſpecificari à termino completè & formaliter: locus autem eius debet explicari ſicut immediatè ante explicuimus. Ad rationem verò dicendum, quòd maior eſt vera, ſi intelligatur de omni eo, ad quod accidens dicit. eſſentialem habitudinem, ſiue tanquam ad terminum, ſiue tanquam ad cauſam vel obiectum: vnde quia relatio prædicamentalis ſecundùm adæquatam rationem non ſolùm reſpicit eſſentialiter terminum, ſed etiam fundamentum à quo cauſatur, ideò ab vtroque ſpecificatur. Nec eſt ſimile quod obiicitur de potentiis, habitibus, & motu, iſta enim ſolùm materialiter important ſubiectum; aut terminum à quo: relatio autem, vt dictum eſt, formaliter requirit, & importat vtrumque extremum: ſufficit autem ponere in definitione eſſentiali relationis loco differentiæ, id quod eam ſpecificat completè & formaliter; quia in eo quodammodo continetur ſpecificatiuum radicale, & ſic relatio rectè definitur per ſolum terminum ſiue correlatiuum.

Ad quartum dicendum, quòd non ſolùm poſito, vel ablato termino, ponitur, vel aufertur relatio: ſed etiam poſito, vel ablato fundamento: nam ſicut ſtante eadem ratione fundandi dantur relationes ſpecie diuerſæ, propter diuerſos terminos, ſic etiam ſtante eadem ratione terminandi dantur diuerſæ ſpecie relationes, propter diuerſa fundamenta: & ſic argumentum probat noſtram concluſionem.

Articvlvs VIII.

Vtrùm ritè aſſignentur proprietates relatiuorum?

Ad octavvm ſic proceditur. Videtur quòd non ritè aſſignentur proprietates relatiuorum, ſcilicet 1. habere contrarium. 2. ſuſcipere magis & minùs. 3. relatiua dici ad conuertentiam. 4. & 5. relatiua eſſe ſimul natura & cognitione. Probatur. Nam contra primam, ad relationem non datur per ſe motus, benè autem ad qualitatem: ergo relatio non poteſt ratione ſui habere contrarium, ſed ſolùm ratione qualitatis in qua fundatur.

¶ 2. Præterea, Contra ſecundam, ſuſcipere magis & minus eſt intendi & remitti, vt per ſe patet: ſed intendi & remitti conuenit ſolis qualitatibus: ergo etiam ſuſcipere magis & minùs, & ita non eſt proprietas relatiuorum.

¶ 3. Præterea, Contra tertiam, dantur relatiua non mutua, vt ſunt tertij generis: ſed relatiua non mutua non poſſunt dici ad conuertentiam: ergo dici ad conuertentiam non eſt proprietas, ſaltem quarto modo relatiuorum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Philoſophi, quem eius interpretes communiter ſequuntur.

Conclvsio.

Ritè aſſignantur proprietates relatiuorum: ſi ritè intelligantur.

Respondeo dicendum, quòd ex aſſignatis proprietatibus quædam conueniunt relatiuis ratione ſui, aliæ ratione fundamenti vt patebit diſcurrenti per ſingulas.

Circa primam, ſcilicet habere contrarium, communiter docent interpretes non conuenire relationi ſecundùm ſe, ſed ratione fundamenti quando eſt qualitas, vt optimè probat argumentum contra ipſam adductum.

Circa ſecundam, ſimiliter dicendum eſt, quòd non conuenit relationi ratione ſui, ſed tantùm ratione fundamenti quando eſt qualitas, vt explicat D.Thom. 1.2.q.82. art.4. & communiter omnes: nam ſuſcipere magis & minùs, ſiue intendi & remitti requirit quòd ſit in tali re quædam latitudo gradualis ratione cuius poſſit ſecundùm ſeipſam augeri & minui, ſiue magis aut minùs imprimi ſubiecto, quod ſolis conuenit qualitatibus: relationes verò conſiſtunt in indiuiſibili ex D.Thom. 1.2.q.52. art. 1. ac proinde quando augetur aut minuitur quantitas, vel qualitas, non augentur aut minuuntur relationes, ſed variantur, ita vt priores deperdantur, & acquirantur aliæ: & ſic relatio ratione ſui non ſuſcipit magis & minus, ita Araujo, & noſtri Complutenſes: non tamen inde ſequitur quòd tunc tantùm relatio inter qualitates eiuſdem ſpeciei ſit ſimilitudo quando illæ ſunt eiuſdem intenſionis; quandò verò altera eſt remiſſior aut intenſior, ſit diſſimilitudo, hoc enim eſt manifeſtè contra D.Thom. 1. p. q. 42. art. 1. ad 2. vbi ait quòd *Quæcumque conueniunt in vna forma, poſſunt dici ſimilia, etiamſi inæqualiter illam participent, vt aer dicitur ſimilis igni*

in calore, ſed non poſſunt dici æqualia &c. Deinde ex oppoſito ſequeretur, quòd ſimilitudo & diſſimilitudo non eſſent relationes ſpeciei diuerſæ: licèt igitur ex intenſione vel remiſſione qualitatis, relationes ibi fundatæ varientur: tamen dum manent qualitates eiuſdem ſpeciei, omnes relationes ſunt, & dicuntur ſimilitudines.

Circa tertiam proprietatem, ſcilicet relatiua dici ad conuertentiam, ſciendum eſt Ariſtotelem non loqui de conuerſione propoſitionum, nec de conuertibilitate terminorum, quando mutuâ prædicatione de ſe inuicem in recto prædicantur: ſed dici ad conuertentiam, eſt vnum relatiuum explicari per ordinem ad aliud in obliquo poſitum, vel quomodocumque dicatur eſſe illius: nam eo ipſo quòd inter aliqua duo, ſit aliquis reſpectus, quod reſpicit, aliquid reſpicit, & quod reſpicitur, ab aliquo reſpicitur: & hæc proprietas non ſolùm conuenit relatiuis propriis & ſecundùm eſſe, ſed etiam impropriis & ſecundùm dici, ſi rectè aſſignentur; & ita ſolùm conuenit huic prædicamento ſecundo modo, id eſt, omni, ſed non ſoli.

Circa quartam & quintam proprietatem, ſcilicet relatiua eſſe ſimul naturâ & cognitione, ſiue quòd qui cognoſcit vnum, debeat cognoſcere aliud: dicendum quòd ſunt maximè propriæ relatiuorum ſecundùm eſſe & prædicamentalium. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex Ariſtotele in poſtprædic. cap. de modis ſimul, illa dici ſimul natura, quæ eſſendi quidem conſequentia cum conuertantur, neutrum tamen vt ſic alteri cauſa eſt, vt in duplo & dimidio intueri licet: hæc enim conuertuntur, nam ſi duplum eſt, dimidium eſt, & ſi dimidium eſt, duplum eſt, neutrum tamen eſt cauſa, vt alterum ſit: igitur ad ſimultatem naturæ neceſſariò requiruntur iſtæ duæ conditiones. Prima quòd aliqua ſe mutuò inferant, ita vt ſi vnum eſt, alterum etiam ſit. Secunda quòd vnum non ſit cauſa alterius, quod manifeſtè apparet in relationibus mutuis, nam v. g. paternitas neceſſariò infert filiationem, ſed non efficit illam, cùm non ſit actiua. Idem dicendum eſt de relatiuis non mutuis, nam propriè & formaliter ſumpta ſunt ſimul natura, ſi rectè aſſignentur correlatiua, vt patet ex ſupradictis: nam illæ relatiuæ denominationes, quibus à relatione vnius extremi vtrumque denominatur, relatiuum vnum intrinſecè, aliud extrinſecè; ſe mutuò inferunt: nam valet, eſt ſcientia ſecundùm actum: ergo & obiectum ſcitum, vel è contra, vna etiam denominatio non eſt cauſa alterius, quia repugnat talem relationem tribuere fundamento denominationem relatiui, quin in eodem ſigno naturæ intelligatur correlatiuum, cui formaliter opponatur, conſequenter ipſa relatiua denominatio, à qua conſtituitur in eſſe talis. Iſtæ autem conditiones non ſunt in rebus abſolutis, quæ ſubſtant his relationibus, nam licèt generans inferat genitum, & è contra, tamen vnum eſt cauſa alterius. Similiter licèt vnum album vt ſic, non ſit cauſa alterius; tamen non ſe mutuò inferunt. Denique ſcientia & ſcibile, ſi ſumantur pro rebus abſolutis, licèt ſe inferant, tamen vnum eſt cauſa alterius. Igitur relationes omnes, ſiue mutuæ, ſiue non mutuæ ſunt ſimul naturâ, & conſequenter fundamentum & terminus, vt formaliter denominantur ab ipſis, & vt ſignificantur nominibus relatiuis, non verò ipſæ entitates abſolutæ fundamenti & termini, nec fundamentum & terminus, prout ſignificantur nominibus abſolutis: vnde Ariſtoteles loquitur in ſenſu formali, dum dicit relatiua eſſe ſimul natura. Sicut & in vltima proprietate, ſcilicet quòd vnum definiatur per aliud, debet enim intelligi de relatiuis, vt relatiua ſunt formaliter, & exprimuntur nominibus relatiuis, ac proinde ſunt ſimul cognitione, & per hæc patet ad argumenta in contrarium.

QVÆSTIO XVI.

De vltimis ſex prædicamentis.

AD concluſionem huius ſecundi Libri Metaphyſicæ ſuperſunt examinanda ſex vltima prædicamenta, à quibus nos breui expediemus, Ariſtot. alióſque Philoſophos imitati, licèt enim plurima occurrant de actione & paſſione, tamen remanent determinata in Phyſicis, circa hæc igitur quæruntur ſex.

¶ Primò, Vtrùm iſta ſex prædicamenta ſint quid abſolutum?

¶ Secundò, Quid ſit Actio, & Paſſio metaphyſicè conſiderata?

¶ Tertiò, Vtrùm Vbi ſit quidam modus intrinſecus?

¶ Quartò, Vtrùm Quando ſit quid diſtinctum à tempore?

¶ Quintò, Vtrùm Situs ſit diſpoſitio partium?

¶ Sextò, Quid dicat formaliter Habere?

ARTICVLVS I.

Vtrùm iſta ſex prædicamenta ſint quid abſolutum?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd iſta ſex prædicamenta ſint veræ relationes. Ita Capreol. in 2. d. 6. q. 1. Scotus autem in 4. d. 13. q. 1. facta diſtinctione relationis in extrinſecùs, & intrinſecùs aduenientem, dicit hæc prædicamenta eſſe relationes extrinſecùs aduenientes. Probatur. Hæc prædicamenta dependent in ſuo eſſe ab aliquo extrinſeco: ergo ſunt veræ relationes ſecundùm eſſe.

SED CONTRA eſt communis ſententia Thomiſtarum, quam ſequuntur Maſius, Sanches, Iauellus, Soncinas, Herueus, Soto, Araujo, noſtri Complutenſes, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm hæc vltima ſex prædicamenta ſint diſtincta à prædicamento relationis, & non reſpiciant formaliter aliud vt correlatiuum, non ſunt veræ relationes, ſed quid abſolutum.

RESPONDEO dicendum, quòd hæc prædicamenta non conſiſtunt in aggregato ex abſoluto & relatiuo. 2. nec ſunt veræ relationes, ſed quid ſimpliciter abſolutum. 3. licèt connotent aliquid extrinſecum, vnde dicuntur relationes ſecundùm dici. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt authores inter ſe diſcrepare, an hæc vltima ſex prædicamenta ſint puræ denominationes extrinſecæ: quidam id abſolutè docent, alij abſolutè negant, dicentes eſſe quoſdam modos intrinſecos, ſed mediâ videtur incedendum viâ. Dicendum igitur eſt, Actionem, Paſſionem, & Situm eſſe accidentia intrinſeca, at Vbi, Quando, & Habere conſiſtere in denominatione extrinſeca, vt ſigillatim in vnoquoque melius explicabitur: & hoc fortè voluit indicare Ariſtot. non enim egit de his prædicamentis eo ordine, quo nunc agimus: ſed agit 1. de actione. 2. de paſſione. 3. de ſitu, quæ ſunt quid intrinſecum. Deinde agit de aliis extrinſecis, ſcilicet 4. de Habere, quod licèt extrinſecum ſit, tamen magis adhæret, quod explicat per armatum aut veſtitum eſſe. 5. de Vbi, vt in lycæo eſſe, locus enim eſt magis extrinſecus quàm veſtis. 6. tandem de Quando, vt heri & cras, quod eſt adhuc magis extrinſecum.

Probatur prima pars concluſionis. Prædicamenta ſunt entia per ſe & ſimplicia, cùm ſint ſuprema genera, ac proinde ſolùm important conceptus ſimplices: ergo non conſiſtunt in aggregato ex abſoluto & relatiuo, nam tale aggregatum eſſet ens per accidens, & ſimpliciter compoſitum.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Si hæc prædicamenta non ſunt quid abſolutum, ſed veræ relationes, ſequitur quòd pertinent ad prædicamentum relationis, in quo collocantur omnes veræ relationes, & ſic non eſſent peculiaria

peculiaris prædicamenta,& ita essent tantùm quatuor prædicamenta, quod nullus dixerit : ergo hæc prædicamenta non sunt veræ relationes, sed quid simpliciter absolutum.

Secundò, vera relatio secundùm esse ex sua propria ratione, facit formaliter respicere aliud vt correlatiuum, & hoc causat tanquam primarium effectum : sed hoc non faciunt hæc prædicamenta, vt patet inductione per omnia : nam tempus, locus, & quæ adiacent corpori (quæ constituunt tria ex his prædicamentis) certum est quòd formaliter dicunt aliquid absolutum : Situs autem primariò habet disponere partes locati in loco : Actio verò & Passio, licèt sint fundamenta relationum : tamen non sunt veræ relationes, quia si essent, essent mutuæ vt patet, quod tamen repugnat, cùm non sint simul naturâ (quod requiritur in omni relatione &c. maximè in mutua) nam actio est actus actiui, passio verò actus passiui, actiuum autem est causæ passiui, & prius illo ex Aristot. 3. Physic. textu 29. ergo hæc prædicamenta non sunt veræ relationes, sed quid simpliciter absolutum.

Probetur tertia pars conclusionis. Actio connotat passionem, passum, & effectum productum in passo, & è contra, passio connotat actionem, causam agentem, & effectum receptum : Situs connotat locum : Vbi connotat rem locatam : Quando connotat rem mensuratam tempore : Habere verò, cùm dicat adiacentiam vnius ad aliud, importat connotationem : & hæc connotatio rei extrinsecæ non conuenit solùm his prædicamentis secundùm aliquam rationem communem, sed etiam secundùm propriam & vltimò constitutiuam : sed quæ sunt huiusmodi, sunt relationes secundùm dici : ergo hæc prædicamenta sunt relationes secundùm dici.

Ad argumentum ergo in contrarium, dicendum quòd non sole relatiuæ secundùm esse, sed etiam relatiua secundùm dici dependent essentialiter ab aliquo extrinseco; maximè ista propter imperfectissimam & debilissimam entitatem.

Articvlvs II.

Quid sit Actio & Passio metaphysicè considerata?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd actio metaphysicè considerata sit motus vt ab egente fluens, passio verò idem motus vt in passo receptus. Ita tenent multi, etiam ex Thomistis, maximè illi qui identificant actionem & passionem. Probatur, ex Philosopho, & D. Thom. idem actus est agentis vt à quo, & passi vt in quo : sed per actum intelligitur motus : ergo actio metaphysicè considerata est motus vt ab agente fluens, & passio idem motus vt in passo receptus.

¶ 2. Præterea, Actio est facere rei, passio verò est fieri eiusdem rei : sed facere importat motum vt ab agente, fieri verò motum vt in passo : ergo actio metaphysicè considerata est motus vt ab agente, passio autem idem motus vt in passo.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. & communior sententia Thomistarum, vt visum est supra in Physicis.

Conclvsio.

Actio definitur à Gilberto, quòd sit forma secundùm quam in id, quod subiicitur, agere dicimur, passio verò, quòd sit actualis receptio termini producti per actionem.

Respondeo dicendum prædictas definitiones actionis & passionis communiter acceptari à Philosophis cum D. Thom. opusc. 48. tract. 5. possunt autem clariùs tradi sub aliis verbis. Actio est causalitas causæ efficientis, siue actus secundus potentiæ operatiuæ, siue est accidens à quo res constituitur actu producens. Passio autem est actus secundus potentiæ passiuæ, siue accidens à quo res constituitur actu recipiens : notandum tamen est, quòd ipsa receptio quæ est vera passio, exprimitur ad modum actionis : non enim ipsa receptio passiua termini in subiecto, est passio constituens hoc prædicamentum, sed ipsa receptio quasi actiua, qua subiectum recipit terminum, siue ipsum recipere subiecti, quo recipit terminum productum per actionem vnde fallitur imaginatio, dum ipsum recipere apprehendit per modum actionis.

Ex dictis infertur specificationem actionis sumi à principio, siue potentia operatiua, specificationem verò passionis à termino producto per actionem. Ita D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 3. item 1. p. q. 14. art. 5. ad 3. item q. 20. de veritate art. 1. ad 2. & ratio est manifesta, quia actio vt actio dicit ordinem essentialem ad agens, vt proprius actus potentiæ operatiuæ, passio verò vt passio est receptio termini producti per actionem, & ad illum essentialiter ordinatur : respectiua autem specificantur ab illo, ad quod essentialiter ordinantur : ergo actio specificatur à principio siue potentia operatiua, passio autem à termino recepto : vnde quando potentia operatiua fuerit vna in specie, actiones adæquatæ erunt eiusdem speciei, licèt termini per ipsas producti sint specie diuersi. Et similiter quoties termini fuerint specie diuersi, toties etiam passiones erunt diuersæ speciei, licèt actiones non differant specie. Nec sibi contrarius est D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. dum ait ex duobus actionem specificari, scilicet ex principio, & fine siue termino. Nam ibi loquitur de actionibus causarum particularium, in quibus idem est, quòd specificatio sumatur vel à principio, vel à termino, quia in his causis, quoties dantur termini specie distincti, toties etiam dantur principia specie distincta, & è contra, vt patet in calefactione & frigefactione : vel loquitur de tota operatione aut motu, secundùm quod includit actionem & passionem, vnde sub disiunctione dixit specificari ex principio, vel termino.

In prædicamento actionis continentur non solum actiones transeuntes, sed etiam immanentes creatæ; nam vtrobique reperitur vera ratio actionis : de illis quæ producunt terminum, vix est difficultas, cùm sint veræ productiones, & procedant à vero agente, & vera potentia operatiua : de illis verò quæ non producunt terminum, sed acquirunt, sicut est visio Beatifica, quædam sensationes &c. est aliqua difficultas, tamen cùm in omni rigore sint actiones, & per illas constituatur quis agens in actu secundo, & verè cum omni proprietate denominetur agens, debent necessariò poni in hoc prædicamento actionis, & non reduci ad prædicamentum qualitatis quasi essent actiones purè Grammaticales. Subdiuiditur autem tam actio transiens, quàm immanens iuxta diuisiones potentiæ actiuæ, de quo supra in 2. specie qualitatis : emanationes autem omnes accidentium à subiecto, & proprietatum ab essentia non pertinent ad hoc prædicamentum, cùm non sint veræ actiones, vt patet ex Physicis, licèt actiones per quas ab agente producuntur, pertineant. Nec pertinent etiam actiones diuinæ, cùm sint ipsa substantia Dei, & aliis titulis repugnet.

In prædicamento verò passionis solùm ponuntur illæ, quæ præsupponunt & sequuntur actiones prædicamentales : vnde non est vera passio directè pertinens ad hoc prædicamentum, sed tantùm reductiuè receptio proprietatum in essentia, vel aliorum accidentium per accidens productorum, siue resultantium in subiecto vt relationis : nec etiam creatio passiua creaturarum est passio huius prædicamenti, quia creatio actiua Dei, quam per se præsupponit, non est vera actio prædicamentalis ex D. Th. 1. p. q. 45. art. 2. & 3. illæ autem omnes passiones pertinent ad hoc prædicamentum, quæ ex natura sua præsupponunt actionem prædicamentalem : vnde si Deus per seipsum calefaceret, aut moueret localiter lignum, verè in hoc esset passio prædicamentalis, mediâ qua reciperet calorem &c. licèt actio Dei, quam tunc præsupponeret, non esset prædicamentalis, hoc enim esset per accidens, nam talis passio ex natura sua postulat actionem causæ creatæ. Passio autem primò diuiditur in substantialem, qua recipitur forma substantialis, & accidentalem, qua recipitur forma accidentalis : illa subdiuiditur iuxta diuisionem generabilium adductam in arbore substantiæ : hæc verò iuxta diuisionem motûs in augmentationem, alterationem, & lationem passiuam. Augmentatio passiua est infima species, quia quantitas quæ est terminus eius, nempe corpus est

species

species infima; alteratio verò passiua diuiditur iuxta diuisionem primæ & tertiæ speciei qualitatis, hæ siquidem solùm producuntur per veram actionem, aliæ autem per emanationem: denique latio passiua, quæ inuenitur in motu locali, diuiditur iuxta diuisionem Vbi, quod est terminus eius, cuius species statim adducentur.

Ad primum ergo dicendum, quòd ibi per actum non intelligitur actio & passio, sed terminus actionis receptus in passo, qui est actus agentis, in quantùm ab illo producitur, & etiam passi, inquantum recipitur in illo.

Ad secundum dicendum, quòd facere rei est concretum continens rem, & actionem qua res: vnde actio non est facere rei, sed id quo res fit: similiter passio non est totaliter fieri rei, sed solùm importat receptionem esse, vel formæ substantialis, videantur quæ circa hoc dicta sunt supra in Physicis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Vbi sit quidam modus extrinsecus?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd Vbi sit quidam modus intrinsecus, siue accidens intrinsecum per quod res aliqua dicitur esse alicubi: authores tamen huius opinionis differunt in hoc quod aliqui, vt Suares disp. 15. Metaph. sect. 1. & alij volunt quòd iste modus sit independens à loco, siue superficie corporis ambientis, & vocant locum intrinsecum: & hoc modo dicunt quòd vltima sphæra habet locum intrinsecum, & ideò propriè est & mouetur in loco, quamuis non habeat locum extrinsecum, siue superficiem alterius corporis ambientis: alij verò licèt dicant Vbi esse modum intrinsecum; tamen fatentur dependere à loco, & ad acquisitionem loci resultare. Ita Nostri Complutenses in Logica, & alij. Probatur ex D.Thom. in 4. d. 16. q. 3. art. 1. vbi sic ait: *Potest dici circunstantia, vel illud quod est ad actum concurrens, ad quem proportionatur, sicut locus, aut tempus vel ipsa conceptio quæ ex illis relinquitur, vt Quando, vel Vbi*: Ergo Vbi est modus intrinsecus.

§ 2. Præterea, Omnia prædicamenta realiter distinguntur: ergo Vbi dicit modum intrinsecum distinctum à superficie corporis ambientis, hæc enim pertinet ad prædicamentum quantitatis. Nec valet dicere, quòd Vbi distinguitur à superficie, per hoc quòd superficies denominat intrinsecè corpus, Vbi verò solùm denominat extrinsecè locatum. Nam contra, distinctio penes intrinsecam & extrinsecam denominationem eiusdem formæ, non potest causare diuersa prima genera, eadem enim omnino forma, quæ intrinsecè denominat subiectum in quo est, denominat extrinsecè terminum quem respicit per eumdem & vnicum effectum formalem eius, animal enim esse videns, & parietem esse visum, non sunt duo effectus formales visionis.

SED CONTRA est expressa authoritas Philosophi, & D.Thom. quos sequuntur Masius, ac plures alij, tam Thomistæ, quàm extra scholam D.Thom.

CONCLVSIO.

Cùm per motum localem nihil omninò intrinsecum acquiratur, & Vbi sit terminus motus localis, non potest esse modus intrinsecus.

RESPONDEO dicenlom, qoòd Vbi est locus extrinsecus circumscribens corpus, non autem aliquis modus intrinsecus 1. maximè qui sit independens à loco.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 110. art. 3. vbi docet, quòd mobile secundùm locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, sed solùm ad aliquid extrinsecum scilicet locum. Item 2. contra gentes cap. 13. ait: *Aliquando denominatur aliquid ab eo quod est extra ipsum sicut à loco dicitur aliquid esse alicubi*: Ergo per motum localem solus locus acquiritur & non vbi intrinsecum. Idem clariùs docet opusc. 48. de prædicamento Vbi cap. 1. sic dicens: *Vbi nihil est aliud secundùm rem, quàm locus vt denominat locatum denominatione extrinsecâ: imò videtur approbare, quòd Vbi sit respectus loci ad rem locatam, vnde postea subdit: nihil ergo acquiritur in mobili, nisi Vbi, quod est respectus loci ad locatum, vt circunscribit illud, vel est denominatio supponens prædictum respectum: hic autem respectus terminatiuè est in ipso locato.* Et infra ait: *In motu locali acquiritur Vbi, quod denominat extrinsecè vel est respectus extrinsecus fundatus in locante, & terminatus in locato:* Ecce quàm expressè D. Thom. negat Vbi esse modum intrinsecum locato: & licèt sit difficultas, an hoc opusc. sit D.Thom. tamen magnam habet authoritatem, maximè dum conformatur aliis locis D. Thom. vt accidit in præsenti.

Ex dictis infertur, quòd definitio tradita à Gilberto, scilicet *Vbi est circumscriptio corporis ex circumscriptione loci prouenienes*, Non bene explicatur ab his, qui dicunt, Vbi esse ipsam præcisè circumscriptionem passiuam corporis, quasi ipsa sit accidens resultans ex circumscriptione actiua loci: vnde dicendum qoòd Vbi exprimitur per modum actionis & passionis simul, sicut & Quando, & Habere: nam esse in loco, in tempore, & esse vestitum, totum hoc dicit.

Probatur secunda pars conclusionis ex dictis. Deinde, quia est manifestè contra Aristotelem 11. Metaph. cap. 10. Item 3. Physic. cap. 1. Item 4. cap. 1. vbi indeferenter pro termino motus, assignat locum vel Vbi: ergo idem sunt, vel saltem Vbi non potest esse sine loco: vnde dicit D. Thom. loco citato Metaph. lect. 12. erunt igitur tria genera entis, in quibus potest esse motus: scilicet quantitas, qualitas, & Vbi, loco cuius ponit locum, quia nihil aliud significat esse Vbi, nisi esse in loco, & moueri secundùm locum nihil est aliud, quàm moueri secundùm Vbi. Ad id autem de vltima sphæra, dicimus nunc breuiter (nam fusè dictum est in Physica) non esse in loco per se & adæquatè, sicut sunt alia corpora inferiora, sed imperfectè & inadæquatè, scilicet secundùm partes, & eodem modo & non aliter habet Vbi: vnde cùm sit supremum corporum attingit aliqualiter vicinum genus spirituum ratione sui totius, quia sicut illi secundùm se non sunt in loco, sic nec ipsa est in loco secundùm se totam vt contenta, sed alia continet & conseruat.

Ad hoc prædicamentum non pertinet Vbi, siue vbique diuinum, nec Vbi definitiuum Angelorum; quia nec substantiæ spirituales sunt propriè in loco, sed tantùm æquiuocè, nec circumscribuntur loco, aut continentur ab illo, sed potiùs continent illum, & consequenter non conuenit Vbi Angelico definitio Gilberti. Vbi creaturarum dicitur communi nomine definitiuum, quia omnes creaturæ sunt in definito & determinato loco, & ita sunt hic, vt non sint alibi. Subdiuiditur autem in definitiuum particulariter dictum, & circumscriptiuum. Definitiuum particulariter dictum est, quando res aliqua ita est in loco, vt tota correspondeat toti loco, & tota cuilibet parti loci, eo modo quo anima rationalis est in corpore: Vbi verò circumscriptiuum est, quando res ita est in loco, vt tota correspondeat toti loco, & partes eius partibus loci. Vbi circumscriptiuum est supremum genus huius prædicamenti, vt communiter docent Thomistæ, Caietanus, Bannes, Nazarius cum D.Th. 1. p. q. 52. art. 1. Item Capreol. in 2. d. 2. q. 1. Ferrar. 3. contra gentes cap. 68. Soto, Nostri Complut. in Logica, Arauso in Metaph. esse autem sex species huius prædicamenti docet Aristoteles 3. Physic. textu 45. vbi sic ait: *Ampliùs omne corpus sensibile in loco est: loci autem species & differentia sunt, sursum & deorsum, ante & retrò, deorsum & sinistrorsum: & hoc non solùm ad nos & positione sunt, sed in ipso toto determinata sunt.* Videatur D.Thom. ibidem lect. 9. istæ autem species non sunt accidentariæ, quasi desumantur per ordinem ad nos, sed desumuntur per ordinem ad polos mundi, vt explicatum est supra in Physicis.

Ex dictis sequitur, quòd Vbi diuinum siue vbique Dei, nec reductiuè huc pertinet, cùm Deus non sit in loco determinato, sed contineat omnem locum: Vbi verò definitiuum Angelorum huc tantùm reductiuè pertinet, quia non sunt propriè in loco, sed tamen eo modo quo

sunt

sunt, sunt in loco determinato: Ubi etiam Sacramentale non pertinet, nisi reductiuè, nam Christus formaliter loquendo solùm est præsens speciebus Sacramentalibus; & non loco ipsarum, nisi per accidens, & sic ibi per accidens est in loco, & per accidens mouetur in illo, nec per motum localem specierum acquirit vel deperdit Vbi Sacramentale vt dicit Suares, sed tantùm Vbi circumscriptiuum earum ex D.Thom.in 4.d.10. quæst.1. art. 3. quæstiunc. 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th.ibi nihil aliud vult quàm ex loco, vel tempore resultare in actu aliquid intrinsecum morale tantùm, vt conditio & proprietas eius, vnde vocat illud conceptionem, quod denotat aliquid morale, vel rationis, & non istum modum intrinsecum, quem dicunt constituere ista prædicamenta.

Ad secundum dicendum, quòd locus, & Vbi distinguuntur aliquo modo realiter à superficie, quam materialiter includunt, vt dictum est supra in Physicis. Deinde licèt non distinguerentur ratione alicuius intrinseci, distinguuntur tamen ratione connotati, nam locus, & Vbi vt constituunt hoc prædicamentum, dicunt supra superficiem rationem mensuræ extrinsecæ, per ordinem ad corpus quod ambiunt, & hæc distinctio includentis & inclusi, cùm sit realis, sufficit ad multiplicationem prædicamentorum.

Articvlvs IV.

Vtrùm, Quando sit quid distinctum à tempore?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd Quando ita sit distinctum à tempore, vt sit quidam modus intrinsecus rei mensuratæ tempore: in hoc tamen differunt authores huius opinionis, quod aliqui docent hoc accidens facere rem durare, etiam independenter à tempore; Imò clariùs dicit Suares disput. 50. Metaph. Quando nihil aliud esse, quàm intrinsecam rei durationem, & persistentiam in suo esse; alij verò dicunt esse quendam modum intrinsecum resultantem in re mensurata tempore. Probatur ex definitionibus communiter acceptatis. D.Th. sic definit: *Quando est id quod ex adiacentia temporis relinquitur*: Gilbertus autem sic definit: *Quando significat rationem ex temporis insidentia relictam, non tempus ipsum*: & infra: *Quando est quadam affectio rebus addita, per quam dicuntur esse, aut fuisse, aut futuræ esse, non verè est tempus ipsum*: Ergo Quando est quid distinctum à tempore.

¶ 2. Præterea, Tempus est quantitas continua, & ita collocatur in prædicamento quantitatis, vnde non potest constituere hoc prædicamentum; cum prædicamenta debeant esse distincta, & idem non possit contineri in duobus prædicamentis vt probatum est, aliàs haberet, duplicem essentiam, quod implicat: ergo Quando est aliquis modus intrinsecus, resultans in re temporali ex adiacentia temporis, vel dicendum est quòd hoc prædicamentum constituitur per meram denominationem extrinsecam.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quam sequuntur Masius, ac plures alij.

Conclvsio.

Cum denominatio huius prædicamenti sit tantùm extrinseca, Quando nihil est aliud, quam tempus ipsum adiacens rei temporali, siue mensurata tempore.

Respondeo dicendum, quòd tempus ipsum secundùm se est species quantitatis, sic enim est numerus motus primi mobilis ipsum intrinsecè mensurans: 2. in quantùm verò extrinsecè mensurat temporalia, constituit hoc prædicamentum, & dicitur Quando, quod distinguitur modaliter à tempore ratione connotati: 3. vnde Quando non est modus intrinsecus, maximè independens à tempore.

Prima pars conclusionis manet probata supra in prædicamento quantitatis.

Probatur secunda pars conclusionis ex D. Th. 2. contra gentes cap.13. & opusc.48.tract. 5. vbi docet absolutè quòd Quando vel est ipsum tempus mensurans, vel respectus temporis mensurantis ad rem temporalem: negat verò quòd sit respectus rei temporalis ad ipsum tempus: ergo D.Th. absolutè negat Quando esse modum intrinsecum rei temporali, resultantem ex ipso tempore.

Probatur tertia pars conclusionis. 1. quia est contra Aristotelem cap. 4. categor. vbi sic ait: *Quando est vt esse heri, superiori anno &c.* sed cessante tempore vt in fine mundi, non erit heri, cras &c. est etiam contra D.Thom. 5. Physic.lect. 3. vbi sic ait: *Quando significat in tempore esse.* Est etiam contra communem vsum loquendi; nam est eadem omnino interrogatio, Quando fecisti, & quo tempore fecisti? ergo Quando non est saltem independens à tempore. Deinde impugnatur Suares, duratio in schola D. Thom. est accidens & vera quantitas virtutis, aut molis, quia ex intrinseca sua ratione est mensura rei durantis, vnde diuiditur in æternitatem, æuum, & tempus, Suares verò dicit quòd sit ipsa existentia rei continuata: sed existentia diuagatur per omnia prædicamenta vt patet: ergo malè dicitur quòd Quando sit duratio intrinseca rei, & constituat hoc prædicamentum. Denique, licèt omnis existentia creata sit accidens prædicabile, non tamen omnis est accidens prædicamentale, vt patet de existentiis substantiarum, quæ verè sunt actus & termini substantiales: ergo si duratio est existentia: non omnis duratio pertinebit ad hoc prædicamentum, scilicet duratio substantiæ: cùm tamen prædicamenta accidentium constituantur, & distinguantur ex diuerso modo afficiendi, & denominandi substantiam.

Ad hoc prædicamentum pertinent tantùm per se & directè durationes temporales, vt patet ex eius definitione iam tradita, indirectè autem reducuntur aliæ durationes creatæ, vt æuum, tempus discretum Angelorum &c. species verò huius prædicamenti sumuntur ex diuerso ordine, quem res mensuratæ habent ad diuersas partes temporis, licèt tempus ipsum sit vnum, & ita Aristoteles cap. 4 assignat vt species Quando, heri, hodie, superiori anno &c. Nec mirum est, si non habeat species tam rigorosè sumptas, cùm non afficiat intrinsecè, sed consistat in denominatione extrinseca.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. per ly (relictum ex adiacentia temporis) intelligit ipsas denominationes extrinsecas determinatas, rebus mensuratis tempore relictas, scilicet quod fuerint heri, sint hodie, erunt cras &c similiter explicandus est Gilbertus: quando verò dicit, quòd Quando non est tempus ipsum, intelligit præcisè, sed non vt adiacens & mensurans extrinsecè.

Ad secundum dicendum, quòd denominationes extrinsecæ, quas important Vbi, Quando, & Habere, non sunt ipsa prædicamenta: sed indicant quòd hæc prædicamenta non efficiunt, aut denominant substantiam intrinsecè, sicut alia prædicamenta accidentium; sed tantùm extrinsecè. Vnde dicendum est quòd tempus vt sic absolutè est species quantitatis continuæ, subiectiuè & intrinsecè mensurans motum primi mobilis, ipsum verò vt extrinsecè mensurans, & extrinsecè denominans res temporales est Quando: & sic vt constituit hoc prædicamentum Quando, distinguitur à seipso absolutè sumpto, tantùm modaliter per dictum respectum ad res temporales quas connotat: distinctio autem modalis, cùm sit realis licèt minima, sufficit inter prædicamenta, vt patet in figura & quantitate: & sic proportionaliter dicendum de loco & Vbi &c.

Articvlvs V.

Vtrùm Situs sit dispositio partium in loco?

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd Situs non sit dispositio partium in loco Probatur D.Th. opusc. quæst. 48. videtur indicare, quòd Situs sit dispositio partium loci per respectum ad locatum: ergo non est dispositio partium locati in loco.

¶ 2. Præterea, Quantitas ex ſe habet hanc poſitionem partium in ordine ad locum, nam eius eſſentia conſiſtit in hoc, quod eſt habere partes extra partes in ordine ad ſe; ad quod neceſſariò conſequitur tanquam proprietas, habere poſitionem partium in ordine ad locum: ergo cùm Situs ſit quid diſtinctum à quantitate, vtpote conſtituens diſtinctum & diuerſum prædicamentum, non eſt diſpoſitio partium in loco.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Gilberti, D. Th. & communis ſententia Philoſophorum.

CONCLVSIO.

Cùm diuerſitas Situs dicat diuerſam commenſurationem partium locati per ordinem ad locum, neceſſariò ſitus eſt poſitio partium locati in loco.

Respondeo dicendum quòd Ariſtoteles non exactè tractat de his vltimis prædicamentis, & ita in his Philoſophi communiter ſequuntur Gilbertum Porretanum accuratè de his diſſerentem. Definit autem Situm, quòd ſit poſitio partium, ſecundùm quam dicuntur ſtantia, vel ſedentia, vel aſpera, vel lenia &c. D. Th. autem opuſc. 48. tract. 5. ſic breuiùs definit: *Situs eſt poſitio, ſiue ordo partium in loco*: vnde conſtat eſſe modum intrinſecum, ſiue accidens diſponens partes locati in loco, vt communiter tenent doctores, & ſpecialiter D. Th. 5. Metaph. lect. 20. & opuſc. citato, ac alibi ſæpè.

Situs diuiditur in naturalem, & præternaturalem ſiue ex appetitu animalis, nam vnicuique corpori conuenit à natura aliquis ſitus, vt homini quòd habeat corpus tali modo, caput ſcilicet erectum &c. leoni autem, boui &c. conuenit naturaliter habere corpus diuerſo modo compactum, & ex hac diuerſitate ſunt varij ſpecie Situs: & ſimiliter præternaturalis Situs ſunt variæ ſpecies, vt iacere, ſedere, ſtare &c. ſeſſio enim diuerſo modo diſponit partes in ordine ad locum, ac iacentia, aut ſtatio, non ſolùm in diuerſis corporibus, ſed etiam in eodem.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Th. loco citato hæc habet cap. 2. ſeſſio & cubatio magis videntur dicere diſpoſitionem partium locati per reſpectum ad partes loci, quàm è conuerſo, quod licèt in dicto loco non determinet abſolutè, alibi tamen illud determinat, & ita non eſt contra nos.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſaluatur eſſentia quantitatis, licèt non ſit in loco, vt patet in corpore Chriſti Domini ſub ſpeciebus Sacramentalibus; quod reuera eſt extenſum in ordine ad ſe, quia tamen non occupat locum, nullum habet ſitum; verum tamen eſt quod debetur quantitati, tanquam proprietas occupare locum, ac proinde habere ſitum in loco, ſed ſitus non eſt ipſa quantitas, ſed aliqua proprietas quantitatis.

ARTICVLVS VI.

Quid dicat formaliter Habere?

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd prædicamentum Habere ſiue Habitus dicit formaliter modum intrinſecum. Probatur 1. argumento generali. Prædicamenta omnia conueniunt analogicè analogia proportionalitatis: ergo omnia prædicamenta accidentium afficiunt intrinſecè ſubſtantiam, & intrinſecè denominant; nulla enim eſt proportio inter denominationem intrinſecam & extrinſecam.

¶ 2. Præterea, Eſſe veſtitum, armatum &c. eſt peculiaris modus eſſendi: ergo dicit aliquid intrinſecum rei veſtitæ, armatæ &c. vnde Habere dicit formaliter modum intrinſecum.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. quem ſequuntur Maſius, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm Habere ſit corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia, non dicit formaliter modum intrinſecum.

Respondeo dicendum, quòd Habere, ſiue Habitus vt conſtituit hoc prædicamentum, definitur à Gilberto quòd ſit corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt, adiacentia: vnde non rectè aliqui conſtituunt hoc prædicamentum in diſpoſitione & aptitudine membrorum, vt induantur: nec eſt modus intrinſecus, vt alij volunt, ſed eſt ipſa extrinſeca adiacentia veſtium ad corpus: & ita D. Thom. opuſc. 48. cap. 10. ſic ait: *Homo dicitur habere tunicam, & reſpectus eſt tunicæ ad ipſum hominem habentem: & non è contrario, & hoc Habere pertinet ad hoc prædicamentum, ſcilicet Habitûs, nec ponit aliquid intrinſecum in re veſtita, niſi ſit relatio reſultans*: vnde D. Th. 5. Metaph. lect. 20. exprimit hoc prædicamentum per modum actionis & paſſionis, dicit enim, ſi conſideretur procedendo ab homine ad veſtem, erit vt actio, prout ſignificatur in hoc quod dicitur habere: ſi verò è conuerſo, erit vt paſſio motus, prout ſignificatur in hoc quod dicitur haberi: vnde ſemper quod adiacet, debet eſſe quid extrinſecum rebus, & non pars illarum, vt docet D. Thom. & ſic arma naturalia animalium, & veſtes naturales non pertinent ad hoc prædicamentum, ſed tantùm illa, quibus induuntur, vel armantur ad vſus humanos.

Species huius prædicamenti deſumuntur ex varietate armorum & veſtium. Videatur D. Thom. opuſc. citato. Quæ hîc videntur deſiderari, ſcilicet ſeries vniuſcuiuſque prædicamenti, proprietates, poſtprædicamenta &c. habentur proprio loco in Logica.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt prædicamenta, quæ intrinſecè afficiunt & denominant, habeant maiorem inter ſe proportionem, quàm cum illis quæ ſolùm afficiunt & denominant extrinſecè, habent tamen etiam cùm illis aliqualem, ſaltem metaphoricam, vt dictum eſt ſupra.

Ad ſecundum dicendum, quòd eſſe veſtitum, armatum &c. ſicut & eſſe in tempore, & in loco ſolùm denotant & important extrinſecam adiacentiam veſtis, loci, & temporis, nam rem contineri loco, & locum continere, item menſurari tempore, & tempus menſurare, item rem veſtiri veſte, & veſtem veſtire ſiue adiacere, ſunt per modum actionis & paſſionis: vnde ſi ponimus propter modum ſignificandi, in re quæ eſt in loco, tempore, aut eſt veſtita, aliquid intrinſecum, etiam debemus ponere aliquid intrinſecum loco, tempori, & veſti, quod reſultet illis: & ita nihil ponimus intrinſecum reſultans ex hac adiacentia, tam ex parte rei, quàm ex parte loci, temporis, & veſtis præter relationem, quæ pertinet ad prædicamentum relationis.

LIBER

LIBER TERTIVS METAPHYSICÆ

DE COMPOSITIONE METAPHYSICA ENTIS.

Summa.

EXAMINATIS his, quæ ad quidditatem, proprietates, & diuisionem entis pertinent, accedimus ad tertium Metaphysicæ Librum de compositione Metaphysica Entis, quæ fuit antiquis penè ignota, nunc verò propter varias opiniones satis implicata; vtilissima tamen & omnino necessaria ad explicanda duo præcipua fidei mysteria, Augustissima scilicet Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ. Eius partes sunt Essentia, subsistentia, & Existentia, de quibus ugetur primò sigillatim, secundò comparando eas ad inuicem, quatuor sequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO XVII.

De Essentia?

QVIA Essentia est ptimum, quod in vnoquoque ente reperitur ideò est ptima pars compositiooïs Metaphysicæ, vnde ab ipsa iocipiendum est: circa qoam quæruntut qoinque.

- ¶ Primò, Quid sit essentia formaliter?
- ¶ Secundò, Per quid coostituatut essentia?
- ¶ Tettiò, Vtrùm essentiæ rerum habeant caosam?
- ¶ Qnartò, Vtrùm essentiæ terum sint ab æterno?
- ¶ Quintò, Vtrùm forma sit oobilior tota esseotiâ rei matetialis?

ARTICVLVS I.

Quid sit essentia formaliter?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtor quòd essentia sit formaliter idem quod existentia. Probatur, esseotia dicitur ab esseodo: sed esse est idem ac existeotia ex D.Thom. & communi consensu Philosophorum: ergo essentia est formaliter idem quod existentia.

¶ 2. Præterea, Philosophus vocat essentiam qoidquid erat esse rei: sed esse est formaliter existentia: ergo essentia est formaliter idem quod existentia

SEO CONTRA est commonis seotentia Philosophorum, qui in creatis saltem formaliter distinguuot essentiam ab existentia.

CONCLVSIO.

Essentia formaliter est ipsa quidditas rei.

RESPONOEO dicendum, quòd essentia potest sic describi, vt formalitet sit illud, quo quælibet res primò intriosecè & adæquatè io se constitoitur, & distinguitut ab aliis. Ad cuius euidentiam sciendum est, plura esse nomina, quibus significatur & exprimitur essentia, dicitur enim qoidditas, natura, ratio tei, definitio, cooceptus obiectiuus &c. dicitur igitur 1. essentia, quod oomeo detiuatur ab essendo, quia hoc principium constitutiuum rei dicit ordinem ad esse, siue ad existentiam: ideò denominatut essentia, quasi via & tendentia ad esse, vnde etiam dicitor entitas rei. Dicitur 2. quidditas tei, siue quod quid etat tes, & hoc maximè exprimit quid sit essentia, essentia enim tei, est illud qood est res nihil enim tam intimom tei, quàm ipsa eius essentia, & propterea dicitur quidditas rei. Dicitur 3. natuta oou p.ovt sumitur natura in Physicis, scilicet vt principium motûs & quietis ptimò, & per se in eò in quo est, nam in hoc sensu natura non est idem, quod essentia, imò tantùm significat quamlibet partem essentiæ entis Physici diuisim: sumptam, vt ibidem probatum est: sed in alia significatione latiori, provt se extendit ad omoia absolutè, vndè dicimos naturam dioinam, natotam accidentis &c. Dicitur 4. ratio rei, licèt enim hoc nomen, Ratio, significet etiam causam; tamen etiam significat illud, quod exprimitur pet essentialem definitionem, vode dicimos; hoc est de ratione entis, contra rariooem entis, &c. Dicitur 5. definitio, non quod ipsa definitio sit essentia, sed quia sumitut ibi definitio pro definito, quod per ipsam definitionem exprimitur: defioitio enim est otatio exptimens natutam rei. Dicitur 6. conceptus obiectiuus, qui correspondet cooceptui formali: cùm enim quis intendit apprehendere aliquam tem, format cooceptum illius, qui dicitur conceptus formalis, cuius terminus est species expressa, siue verbum mentis repræsentaos tem: illud autem quod in tali specie teptæsentatur, est cooceptus obiectious, siue essentia rei intellectui obiecta & repræsentata: varias habet alias denominationes, sed hæ traditæ sunt magis vsitatæ, & sufficiunt ad iotellectionem conclosionis.

Probatur & explicatur conclusio. Dicitut igitut essentia principium primom iotrinsecum, adæquatè constitutiuom rei in se, & distioctiuum illius à quolibet alio. Dicitur principium, quia omne quod causat vel facit aliquid, est verum ptincipium. Dicitur primum, sed adæquatum intrinsecum, quia licèt forma & alia sint principia, etiam iortiosecа constitutiua, & distinctiua; tamen vel non sunt prima, vel non sunt adæquata vt patet inductione, nam forma est quidem ptinciplum constitutiuum, & distinctiuum rei primom & intrinsecum; sed oon adæquatum, accideotia verò licèt aliqualiter constituant, & distinguant res, hæc tamen constitutio; & distinctio noo est intrinseca, sed accidentalis & extrinseca. Igitur res ab intrioseco & adæquatè distingountur per hoc, quòd habent diuersas essentias, & quò magis diuersas, tantò maior est distinctio, vnde vous homo distinguitur tantùm ab alio homine numero, quia habent essentias solo numero distinctas: differt verò specie à leooe, quia habent essentias specie diuersas: differt autem genere à planta, & magis remotè à lapide, &

adhuc magis ab accidentibus, quia eſt maior diuerſitas inter eſſentias illorum: eſſentia autem eſt quid tranſcendens ad omnia, nihil enim eſt à parte rei, quod non habeat ſuam eſſentiam.

Ad primum ergo dicendum, quòd eſſentia denominatur quidem ab eſſendo, non quòd ſit ipſum eſſe: ſed quia ordinatur ad eſſe, & ſit quaſi via & tendentia ad ipſum.

Ad ſecundum dicendum, quòd duplex eſt eſſe: ſcilicet eſſentiæ, & exiſtentiæ: Philoſophus autem in illa deſcriptione eſſentiæ, accipit eſſe pro eſſe eſſentiæ, ſiue pro quidditate rei. Vel dicendum vt ad primum, quòd eſſentia dicitur eſſe, non quòd ſit ipſum eſſe, ſed quia ordinatur ad illud.

Articvlvs II.

Per quid conſtituatur eſſentia?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd eſſentia non conſtituatur, quod enim eſt omninò ſimplex, ſe ipſo eſt tale, & non conſtituitur tale per aliquid: nam conſtitutiua rei comparantur ad ipſam rem, vt partes eius: quod autem eſt omnino ſimplex, non habet partes; ſed omnis eſſentia eſt aliquid ſimplex, conſiſtit enim in indiuiſibili, cui ſi aliquid addas vel detrahas, mutatur ſicut numerus, vt ait Philoſophus: ergo eſſentia non conſtituitur per aliquid.

§ 2 Præterea, Si aliqua eſſentia per aliquid conſtituitur, maximè eſſentia rei materialis, quæ componi dicitur ex materia & forma, ſed hoc eſt falſum: nam ſola forma eſt tota eſſentia, cùm ipſa ſola dat ſpeciem, & eſt in materia tanquam in aliquo extrinſeco, à qua ſeparata remanet in eadem ſpecie & perfectione: ergo eſſentia non conſtituitur. Confirmatur ex illo Ariſtotelis 7. Metaph. textu 21. vbi dicit, quòd forma eſt principium, quo res eſt, materia verò eſt principium, quo res non eſt. Item ex illo Themiſtij 2. Phyſic. cap. 2. dicentis, res naturales habere à forma vt ſint, à materia verò.

Sed contra eſt expreſſa authoritas Ariſtotelis, D.Th. & communis ſententia omnium Philoſophorum.

Conclvsio.

Cùm genus, & differentia ſint partes logica eſſentia creata, materia verò & forma partes phyſica eſſentia materialis, eſſentia creata conſtituitur Logicè per genus, & differentiam, eſſentia verò rei materialis conſtituitur Phyſicè per materiam & formam.

Respondeo dicendum, quòd eſſentia Logicè conſiderata conſtituitur ex genere & differentia: ſi ſit eſſentia creata. 2. Phyſicè autem loquendo omnes formæ completæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales habent ſuas eſſentias ſimplices ex nullo compoſitas. 3. entia verò Phyſica & materialia habent ſuas eſſentias compoſitas ex materia & forma, ita vt, tam materia, quàm forma ſint partes eſſentiales illarum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt triplicem dari compoſitionem, ex qua reſultat totum per ſe. Prima & fundamentum aliarum eſt Phyſica, quæ reſultat ex vnione materiæ primæ & formæ ſubſtantialis (hîc non loquimur de alia Phyſica, qua reſultat totum per accidens ex ſubiecto & accidente.) Secunda eſt Logica, quæ conſtat ex genere, & differentia, ex animali enim & rationali reſultat homo, qui eſt animal rationale: hæc autem compoſitio fundatur in compoſitione Phyſica, in iſtis enim materialibus genus petitur à materia, & differentia à forma eo modo quo explicatum eſt ſupra in Logica: hæc compoſitio dicitur etiam Metaphyſica, ſed meliùs Logica ad diſtinctionem ſequentis. Tertia compoſitio dicitur Metaphyſica, & conſtat tanquam ex partibus, ex eſſentia, ſubſiſtentia & exiſtentia: de hac vltima agimus in toto hoc tractatu: non autem in hoc articulo, cùm enim eſſentia ſit pars compoſitionis Metaphyſicæ, non poteſt eſſe totum in hac compoſitione: vnde ſolùm difficultas poteſt procedere, vel ſecundùm conſiderationem Logicam, ſecundùm quod in eadem re ſimpliſſima cum fundamento in ipſa conſtituimus diuerſos conceptus, qui ſe habent inter ſe vt actus & potentia, ex quibus reſultat totum quod conſideratum in abſtracto dicitur eſſentia, in concreto verò dicitur indiuiduum: vel poteſt procedere ſecundùm conſiderationem Phyſicam & realem, in qua debet fundari Logica, vbi enim non inuenimus aliquam compoſitionem Phyſicam eſſentiæ ex potentia Phyſica, & actu Phyſico; vel ſaltem in qua eſſentia ſit vera, & realis potentia ad vlteriores gradus Metaphyſicos, ibi non inuenimus compoſitionem Logicam ex genere & differentia, vt patet in Deo. Breuiter expedietur hæc difficultas, plura enim ad illam pertinentia iam examinata ſunt in Phyſicis, dum quæreretur, an ens naturale eſſentialiter conſtituatur ex materia & forma, ex quo poteſt deſumi completa huius difficultatis reſolutio.

Probatur, & explicatur prima pars concluſionis. Dicimus igitur, quòd humanitas v.g. conſtituitur ex animalitate tanquam ex genere, & rationalitate tanquam ex differentia, quæ frequentiùs exprimuntur in concreto, ſcilicet homo conſtituitur ex animali, & rationali: genus autem deſumitur à materia, vel ab aliquo habente rationem materiæ ſiue potentiæ, vt dictum eſt ſupra in Logica cap. de genere: & quia in Deo nulla eſt materia aut potentia paſſiua, cùm ſit ſuum eſſe, ac proinde actus puriſſimus, ideò non eſt in illo fundamentum generis, & conſequenter nec compoſitionis Logicæ: differentia autem ſumitur à forma ſiue ab actu, ex cuius defectu vt dictum eſt in 1. Phyſicorum, in materia prima non eſt fundamentum differentiæ, cùm ſit pura potentia, & conſequenter nec compoſitionis Logicæ, vnde ex ſe nullam habet ſpecificationem, aut ſpeciem poſitiuam, vt ibidem probatum eſt, ſed habet à forma: ergo eſſentia omnis creata completa Logicè conſiderata conſtituitur ex genere & differentia.

Probatur, & explicatur ſecunda pars concluſionis. Dicimus igitur, quòd omnes formæ completæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, Phyſicè loquendo, habent ſuas eſſentias ſimplices, ex nullo compoſitas; dicimus formas completas, nam incompletæ non habent propriè eſſentiam, ſed ſunt partes formales & principales conſtitutiuæ eſſentiæ, vnde ſolùm habent eſſentiam partialem, quæ dicit intrinſecum & eſſentialem ordinem ad totum, vt anima rationalis & aliæ formæ ſubſtantiales, quæ eſſentialiter ſunt partes totius. Per formas verò completas ſubſtantiales ſiue ſubſiſtentes, intelligimus Deum & Angelos, de quibus poſtea agetur, quorum eſſentia eſt quid ſimplex, Dei verò ſimpliciſſima, quæ conſiſtit in grado intellectualitatis ſiue intellectiui, Dei autem intellectiui in actu. Accidentia ſimiliter, ſiue materialia vt albedo, calor &c. ſiue immaterialia vt virtus, ſcientia &c. habent etiam eſſentias ſimplices ex nullo Phyſicè compoſitas, ſed tantùm Logicè ex genere & differentia: tamen in hoc differunt à formis completis ſubſtantialibus, quòd iſtæ habent ſuas eſſentias per ſe à ſolo Deo dependentes, formæ verò accidentales habent ſuas eſſentias dependentes à ſubiecto, ad quod dicunt eſſentialem ordinem, ab ipſo dependentes in fieri, & in conſeruari: dicuntur autem materiales ratione ſubiecti materialis.

Probatur tertia pars concluſionis contra quoſdam Auerroïſtas, qui dicebant eſſentiam, ſiue quidditatem rei materialis adæquatè contineri in forma, & materiam tantùm deferre eſſentiam, quia tamen argumentis vrgebantur, poſtea diſtinxerunt eſſentiam à quidditate, dicentes materiam eſſe quidem de eſſentia, ſed non de quidditate rerum. Probatur tamen concluſio, quidquid eſt de eſſentia omnium indiuiduorum contentorum ſub ſpecie, vniuerſaliter conceptum, eſt de eſſentia ſpeciei, aliàs eſſentia, ſiue natura ſpecifica non diceret totam eſſentiam indiuidui: ſed materia eſt de eſſentia omnium indiuiduorum naturalium vt patet, nam hæc anima eſſentialiter reſpicit hanc materiam vt compartem, & ex vtroque vnito reſultat hoc indiuiduum; ergo materia vniuerſaliter

uersaliter accepta est de essentia speciei, & sic non cadit in specie, vt deferens essentiam, sed vt pars essentiæ.

Secundò quando alicui quidditatiuè sumpto conuenit aliqua passio adæquata, oportet in illo inuenire intrinsecè causam talis passionis, nam passio fluit ab intrinsecis principiis quidditatis & essentiæ, aliàs non conueniret ei secundùm quod ipsa: sed corpus contrarietati subiectum quidditatiuè sumptum, est subiectum cui conuenit corruptibilitas, per modum passionis adæquatæ, corruptibilitas enim primò concluditur de corpore subiecto contrarietati: ergo in corpore contrarietati subiecto quidditatiuè sumpto oportet intrinsecè inuenire causam corruptibilitatis: sed talis causa non est nisi materia prima, quæ est primum principium generationis & corruptionis, vt probatum est supra in Physica: ergo materia prima est pars intrinseca essentiæ rei materialis.

Tertiò, quod est pars humanæ naturæ, est pars quidditatis & essentiæ hominis, hæc enim idem sunt natura, quidditas, & essentia vt dictum est supra, & docet Aristot. multis locis 7. Physicæ textu 14. vbi sic ait: *quod quidem igitur definitio concludit, quæ quidem est ipsius quidquid erat esse, ratio, & quidquid erat esse, substantia & essentia est.* Item Commentator. 7. Metaph. comm. 50. referens testimonium citatum Arist. sic ait: *Quidditas rei descriptione Logicâ describitur, sicque est illa, quam significat definitio: definitio autem est oratio explicans naturam, siue essentiam rei*: Sed materia prima est pars humanæ naturæ, materia enim & forma concurrunt ad eius constitutionem, vnde ex separatione animæ à materia sequitur dissolutio humanitatis: aliàs homo non moreretur, anima enim non moritur, at separata subsistit: ergo non sola anima rationalis est quidditas & essentia hominis, sed materia & forma siue anima rationalis sunt compartes illius.

Quartò, ratione D.Th. 1.p.q.75.art. 4. id est de quidditate rerum naturalium; quod comprehenditur sub definitione essentiali ipsarum, nam quidditas & essentia exprimuntur per definitionem: sed non solùm simplex forma, sed etiam materia communis comprehenditur sub definitione essentiali, quia sicut de definitione huius hominis est, vt sit ex hac anima, & ex his carnibus, & ossibus: ita de definitione hominis est, quòd sit ex anima, & carnibus, & ossibus, quia de quidditate specierum est, quidquid communiter est de substantia omnium indiuiduorum contentorum sub ipsis speciebus: ergo materia communis est vera pars quidditatis. Idem docet D.Th. de ente & essentia cap. 2. vbi probat quòd quidditas rerum naturalium non est materia tantùm, quia ipsa non est principium cognoscendi, cùm de se sit ignota: nec est forma tantùm, nam definitiones naturales per hoc differunt à Matematicis, quia istæ significant solam formam siue formam sine materia sensibili; naturales verò significant formam & materiam sensibilem. Confirmatur. Omne quod est, vel est quidditas, vel habens quidditatem, vel est pars quidditatis vt patet: sed materia non est quidditas, nec habens quidditatem scilicet completam, vt patet ex Physicis: ergo est pars quidditatis compositi naturalis. Deinde, quidditas rei sufficit ad hoc vt res sit: sed sola forma non sufficit vt sit compositum naturale: ergo forma sola non est tota quidditas sed materia est pars illius.

Quintò, est expressa mens Arist. nam 7. diuinorum textu 33. sic ait: *Quoniam definitio ratio est, & omnis ratio partes habet, & sicuti se habent partes rationis ad rationem, sic se habent partes rei ad rem: vti ergo partes rei nempe composita, putà materia & forma exprimunt totam rem, ita omnes partes rationis totam rationem rei.* Item 1. Physic. textu 65. ait: *quidditas rerum naturalium est, in quam resoluitur ratio earum*: Sed non resoluitur in formam tantùm, nec in materiam tantùm, sed in formam & materiam simul: igitur forma & materia pertinent ad quidditatem rerum materialium. Idem docet 7. Metaphysicæ, vbi Auerroës comm. 17. dicit quòd quidditas, quam habent species in rebus generabilibus, est aliquid medium, idest, compositum ex materia & forma. Item Auicenna 4. Metaph. dicit quòd quidditas substantiarum compositarum est ipsa compositio formæ & materiæ. Ita communiter docent omnes Philosophi.

Ad primum ergo dicendum, quòd nulla essentia creata est simplex Logicè, sicut nec vlla essentia rei materialis est simplex physicè, licèt omnis essentia consistat in indiuisibili, idest, importet vnam rationem formalem determinatam, quæ si varietur, iam non est illa essentia, quæ ratio formalis determinata & indiuisibilis potest esse, aut simplex, aut composita siue resultans ex partibus essentialibus simul vnitis.

Ad secundum dicendum, quòd sola forma non est tota essentia, nec sola dat speciem, sed vt vnita materiæ: anima autem separata non est in specie completa, sed reducitur ad speciem humanam, cuius est forma. Ad confirmationem dicendum, quòd Arist. & Themistius non excludunt à materia, quòd sit pars intrinseca essentiæ: sed cùm materia sit principium generationis & corruptionis, ideò Arist. dicit quòd materia est principium, quo res non est, siue corruptionis rei, hoc enim primò competit materiæ vt dictum est supra in physica: & quia ipsa sola est etiam principium & subiectum generationis, ideò dicit Themistius quòd res naturales habent à materia, vt fiant: & quia etiam ipsa materia nullâ satiatur formâ, sed quando habet vnam, appetit alias, ex quo appetitu resultat corruptio formæ quam habet, ac proinde totius compositi, ideò vterque dicit quòd forma tantùm, & non materia est principium quo res est, vel ab illa habent res naturales vt sint, idest vt persistant & perseuerent in esse.

ARTICVLVS III.

Vtrùm essentiæ rerum habeant causam?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd essentiæ rerum non habeant causam. Ita tenuerunt aliqui antiqui, qui dicebant omnia esse à seipsis, si loquamur de primis indiuiduis cuiuscumque speciei, illos sequuntur illi impij quos vocamus Atheos, qui cùm negent esse Deum optimum maximum, primam scilicet causam, coguntur concedere omnia fuisse ex necessitate à seipsis, independenter ab alio: horum fundamenta sunt nullius momenti & contra illos potiùs esset agendum igne quàm ratione. Probatur tamen proposita difficultas contrario fundamento, si quæ esset ratio, cur concedendum esset essentias rerum habere causam, esset quia primum in vnoquoque genere est causa cæterorum, & ita cùm Deus sit primum ens erit causa omnium aliorum entium: sed hoc axioma est falsum, nam albedo est primus color, & tamen non est causa aliorum colorum, & ècontra Sol non est calidus, & tamen est causa caloris: ergo non datur ratio efficax probans, quod essentiæ rerum habeant causam.

SED CONTRA est communis sententia, non solùm Fidelium, sed etiam Philosophorum omnium, qui fuerunt alicuius nominis.

CONCLVSIO.

Cum essentiæ rerum finitarum sint entia per participationem, & contingentia, necessariò habent causam sui effectricem.

RESPONDEO dicendum, quòd essentiæ omnium rerum habent causam sui effectricem, nihil enim est à seipso, præter Deum Optimum Maximum. 2. qui est prima & vniuersalis aliorum causa. 3. quia primum in vnoquoque genere est causa cæterorum illius generis. Ad cuius euidentiam sciendum est, Deum esse primum ens, & esse per essentiam, creaturas verò entia per participationem: hæc veritas versatur in ore omnium & est manifesta: nam Deus est ens necessarium & æternum, continens in se omnem perfectionem: ergo est primum & per essentiam ens, creaturæ autem sunt entia contingentia, creata

in tempore, ab alio dependentia, & limitatæ perfectionis: ergo sunt entia per participationem, siue sunt participationes primi entis: & hoc significat nomen creaturæ, nam denotat illas dependere à causa efficiente creante, quæ debet præhabere in se omnem perfectionem quam communicat creaturis, quia nemo dat quod non habet, & aliquid agit in quantùm est actu: & ita, cùm Deus omnia creet, & in se habeat omnes perfectiones omnium rerum formaliter vel eminenter, tales perfectiones vt communicatæ creaturis, sunt limitatæ participationes illius diuinæ & infinitæ perfectionis.

Item sciendum est, quòd essentiæ rerum non possunt terminare actionem agentis, siue fieri vt quod, nam illud tantùm fit vt quod, cui competit esse & operari vt quod: solis autem suppositis, siue subsistentibus competit esse & operari vt quod, ex illo axiomate Philosophico, actiones & passiones sunt suppositiones siue per se subsistentium: & ratio est, quia illa tantummodò sunt eos completum & totale; vnde quærentes, an essentiæ rerum habeant causam, quærimus an in suo fieri, vt quo, & in suo esse, vt quo, dependeant ab aliqua causa efficiente.

Probatur prima, & secunda pars conclusionis 1. ex infinitis locis Sacræ Scripturæ, vt *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Item *Qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*, & authoritate D.Thom. 1.p.q.44.art.1.ad 1.vbi ait: *Ex hoc quod aliquid per participationem est ens, sequitur quòd sit causatum ab alio.* Deinde, omnia alia præter Deum sunt simpliciter entia contingentia, & non necessaria: videmus enim quòd ista materialia (quæ solùm admittuntur ab his contra quos præcipuè agimus, nam si negant Deum esse, multò magis negant esse alia spiritualia) modo sunt, modo non sunt, hodie incipiunt, cras desinunt: nec ex se essent, nisi ab aliis producerentur: & similiter dicendum de his quæ præcesserunt, etiam recurrendo vsque ad prima, cùm sint eiusdem essentiæ & rationis: ergo nihil præter Deum est à seipso: quod enim est contingens potest esse, & non esse, ita vt sit indeterminatum, nec ex se petat magis esse, quàm non esse: vnde debet ab aliquo extrinseco ipsum determinante reduci ad esse, & ita nulla creatura fuisset, nisi ab aliqua causa prima fuisset producta.

Probatur specialiter secunda pars conclusionis. Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum illius generis, vt statim examinabitur & probabitur: sed Deus est primum ens simpliciter vt infra probabitur: ergo est prima & vniuersalis aliorum causa.

Probatur tertia pars conclusionis contra Vasquem qui dicit hoc axioma: *Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum illius generis*: Non esse Arist. & quod si Arist. aliquid simile dicat, debet intelligi iuxta istud aliud traditum 1. poster. c.2. *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*: Et non vt intelligitur communiter. Sed hoc dictum Vasquis est contra communem acceptationem Philosophorum: nam D.Th. multis locis docet hoc axioma esse Arist. 2. Metaphysicæ, & ab illo vsurpatur iuxta communem sensum, & docet in hoc sensu fuisse traditum ab Arist. ita 1.p.q.2.art.3.vbi hæc habet: *Vt dicitur 2. Metaphysicæ, quod dicitur maximè tale in aliquo genere, est causa omnium quæ sunt illius generis, sicut ignis qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, vt in eodem libro dicitur.* Item 3.p.q.56.art.1.ait: *Respondeo dicendum, quòd illud quod est primum in quolibet genere, est causa omnium quæ sunt postea, vt dicitur 2. Metaph. primum autem in genere nostræ resurrectionis fuit resurrectio Christi.* Item 3. contra gentes cap.82.ait: *Amplius primum in vnoquoque genere est causa eorum quæ sunt postea: inter omnes alias autem motus primus est motus Cæli &c.*

Secundò probatur vniuersaliter, quòd non solum in quolibet genere causandi, sed etiam in quolibet genere prædicamentali est verum prædictum axioma (scilicet quòd primum in vnoquoque genere sit causa, non solùm exemplaris, sed etiam quandoque efficiens, & quandoque finalis cæterorum illius generis) D.Th. ex hoc axiomate probat Deum esse, qui sit principium cæterorum entium, & Christi resurrectionem esse causam nostræ, & Cæli motum esse causam aliorum motuum: sed Deus non est tantum primum in genere causandi, nec resurrectio Domini est solum prima in genere causandi, nec motus Cœli: imò sub istis nominibus Deus, resurrectio, & motus non rationes causandi, sed rationes entitatiuæ declarantur: ergo non solum in quolibet genere causandi, sed etiam in quolibet genere prædicamentali est verum prædictum axioma. Deinde primum & perfectissimum in quolibet genere entis, est causa saltem exemplaris cæterorum: nam omnes colores mensurantur albedine primo & perfectissimo omnium, & omnes numeri mensurantur vnitate, quæ est principium numeri, & omnes motus regularissimo motu primi mobilis: vnde Philosophus 10. Metaph. c.2. dixit: *Maximè autem mensuram esse cuiuscumque generis primum.* Item 5. textu 12. ait: *Prima enim mensura principium est, quo namque primo cognoscimus, hoc prima cuiuscumque generis mensura: quia per mensuram res mensuratæ cognoscuntur*, Vt ibidem lect. 8. subdit D.Th. *Quia alia graduantur in perfection., secundùm quod accedunt ad illud, & similiter à nobis cognoscuntur, quatenus ex maiori, aut minori accessu ad primum sui generis, eorum perfectiones & gradus innotescunt*: Ergo non solùm in genere causalitatis, sed etiam in genere entis primum est causa cæterorum, saltem formalis extrinseca, qualis est mensura & exemplar respectu mensurati & exemplati. Denique, quòd primum in vnoquoque genere, non sit tantùm causa exemplaris cæterorum illius generis, sed etiam quandoque efficiens & finalis. Probatur 1. quia Philosophus dixit absolutè, & sine vlla determinatione aut restrictione, quòd primum in vnoquoque genere est causa, siue principium cæterorum illius generis: causa autem & principium absolutè sumptum supponere potest pro causa effectiua, finali, & formali extrinseca siue exemplari: quia istæ nullam includunt imperfectionem repugnantem primo & dignissimo cuiuslibet generis. Hoc autem axioma sumitur vniuersaliter, nam appropriatur primo & dignissimo etiam in genere entis: vnde cùm illi repugnet esse materiam, aut includere aliquid potentialitatis, ideò quando dicimus quòd primum in quolibet genere est causa cæterorum illius generis, excludimus causam materialem, licèt etiam materia possit esse respectu aliorum potentialium causa exemplaris. Deinde quia D.Th. loco supra citato probat resurrectionem Christi esse causam nostræ resurrectionis hoc axiomate: sed in eodem articulo docet Christi resurrectionem esse causam nostræ in duplici genere causæ, scilicet exemplaris, & effectiuæ: ergo hoc axioma de vtroque potest intelligi. Denique D.Th. 1.2.q.1.art.1. in argumento sed contra, probat ex hoc axiomate omnem actionem humanam esse propter finem, quia finis est primum in genere agibilium, sed actiones humanæ non causantur ab hoc effectiuè, formaliter vt finis est, at finaliter: ergo etiam in genere causæ finalis hoc axioma est verum.

Ex dictis inferimus, quòd per ly (in vnoquoque genere) non intelligitur genus strictè sumptum, sed intelligitur aliqua ratio communis, siue sit vniuoca, siue analoga. Nec intelligitur in genere causalitatis tantùm, sed etiam in genere entis, nam aliàs talis glossa, vt benè notat Capreolus, esset ridicula, nullus enim hactenus dubitauit, quin primum in genere causalitatis sit causa cæterorum, nihil quippe est aliud, quàm quòd prima causa sit causa aliorum: sed sic debet intelligi, quod illud quod est in aliquo genere prius, & perfectione, & natura, & tempore, habet aliquam causalitatem super alia eiusdem generis: per ly (est causa cæterorum) intelligitur causa indeterminatè, siue efficiens, siue formalis extrinseca, siue finalis: igitur eo modo quo est primum, est etiam causa: si primum dignitate, erit causa exemplaris saltem quoad nos: si etiam primum intentione in ratione mouentis moraliter ad aliquem affectum, erit causa finalis: si denique fuerit etiam primum secundùm virtutem & efficaciam, erit causa effectiua: sed quia primum in vnoquoque genere semper participat rationem illius generis digniori modo, ideò causalitas exem-

plaris

plaris necessariò debet illi conuenire, finalis autem, & effectiua aliquando & permissiuè. Igitur hoc axioma est vniuersalissimum, nec idem est quod istud aliud: *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: nam illud secundum est tantummodò verum in his, quæ participant idem nomen & eamdem rationem, primum autem est vniuersalissimum. Nec est idem quod istud aliud: *Maximè autem mensuram esse cuiuscumque generis primum*: Nam istud etiam non est vniuersale, sed determinat causam exemplarem.

His positis sic expenditur ratio adducta pro nostra conclusione fundata in hoc principio. Deus est primum simpliciter ens, tum perfectione, tum quoad efficaciam causandi, tum ratione terminandi vt finis, vt probatur suis locis tam ex fide, quàm ratione naturali: ergo est causa omnium entium, tum exemplaris, tum efficiens, tum finalis: sed essentiæ rerum sunt entia, cùm sint quid à parte rei positiuum licèt incompletum in ordine substantiæ: ergo Deus est causa illarum, vnde essentiæ rerum habent causam.

Ad argumentum ergo in contrarium dicendum, quòd albedo est causa saltem exemplaris aliorum colorum; non quoad materiale, scilicet secundùm rationem diaphani, sed quoad formale scilicet secundùm lucem, quæ est formale in compositione coloris, nam per maiorem vel minorem accessum ad illam, varij gradus in ratione lucidi & coloris innotescunt. Ita D. Th. q. 2. de veritate art. 9. ad 4. Item 5. Metaph. citato: quod verum est, si loquamur de mensura proxima; non autem si loquamur de remota: nam vt ait D. Thom. q. 7. de potentia art. 4. accidentia non sunt entia absolutè, sed per ordinem ad substantiam, quæ est primum in genere entis, & ideò non oportet quòd efficiantur, vel mensurentur aliquo primo quod est accidens, sed aliquo primo quod est substantia. Ad aliud dicendum, quòd Sol est eminenter & virtualiter calidus, & ita potest causare calorem: vnde primum calidum includit, tum formale, tum virtuale: primum calidum formale est ignis, virtuale est sol, & ad vnum ex his debet reduci, vt ad causam, omnis calor productus.

Articvlvs IV.

Vtrùm essentiæ rerum sint ab æterno?

Ad qvartvm sic proceditur. Videtur quòd essentiæ rerum sint ab æterno extra Deum, non quidem secundùm esse existentiæ, sed secundùm aliquam realitatem, siue entitatem essentiæ valde diminutam, Ita Scotus in 1. d. 35. q. vnicâ, & communiter eius discipuli. Probatur. Ex communi consensu Philosophorum naturæ vniuersæ sunt perpetuæ, expertes ortûs, & interitûs, omnis loci & temporis, semper & vbique, quod etiam admittit D. Th. 1. p. q. 46. art. 2. sed hoc non potest intelligi, nisi essentiæ rerum sint ab æterno, nam vniuersalia sunt in particularibus, nec possunt ab illis separari nisi per intellectum: ergo essentiæ particulares rerum sunt ab æterno.

§ 2. Præterea, Quæcumque continentur in prædicamentis, sunt entia realia: sed essentiæ rerum antequam existant continentur in prædicamentis, nam antequam vlla existat rosa & ab æterno, datur ista series: rosa est flos, viuens, corpus, substantia: ergo essentiæ rerum antequam existant, sunt entia realia, vnde ab æterno habent aliquod esse reale diminutum.

§ 3. Præterea, Ista propositio, homo est animal, est vera ab æterno: sed propositio dicitur vera aut falsa, ex hoc quòd res est vel non est: ergo ab æterno homo est animal, & sic ab æterno habet aliquod esse: & similiter dicendum de aliis essentiis, quòd ab æterno habent aliquod esse diminutum, per quod dicantur esse ab æterno extra Deum positiuè ingenerabiles & incorruptibiles, & per quod etiam durabunt in æternum.

§ 4. Præterea, Quæ sunt vnum & idem, habent eandem entitatem: sed qualibet essentia antequam existat & postquam existit est vna & eadem, nam est eadem rosa, quæ est producibilis in hyeme, & est producta in vere: ergo essentiæ rerum antequam existant, habent ab æterno eandem entitatem essentiæ, quam habent postea existentes. Confirmatur. Quælibet res antequam producatur, est producibilis, vnde habet esse producibile, ac proinde aliquod esse: ergo cùm ab æterno sit producibilis, ab æterno habet aliquod esse; cùm omnis potentia fundetur in aliquo esse. Item essentiæ ingrediuntur obiectum potentiæ creandi in Deo: sed obiectum potentiæ æternæ debet esse æternum: ergo essentiæ rerum sub aliquo esse sunt ab æterno.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem sequuntur, non solùm eius discipuli, sed etiam communiter ferè omnes Philosophi.

Conclvsio.

Cùm essentiæ rerum sint quid dependens à Deo, ac proinde creata, non sunt ab æterno, cùm creatio omnium rerum fuerit in tempore secundùm fidem.

Respondeo dicendum, quòd essentiæ rerum non sunt perpetuæ positiuè, nec fuerunt ab æterno extra Deum in aliquo gradu entis realis, siue secundùm aliquod esse, licèt diminutissimum, vnde nihil sunt antequam existant, & pereunt ac euanescunt cùm priuantur existétia. Ad cuius euidentiam sciendum est Deum potuisse creare omnia ab æterno, vt probatum est in physicis: vnde præsens difficultas non procedit de potentia, sed de facto, scilicet, an Deus ab æterno produxerit essentias rerum in aliquo esse diminuto, & ita sint ab æterno: nec idem est ac quærere, vtrùm essentiæ rerum sint æternæ aut mensurentur æternitate, hoc enim est impossibile, si loquamur de mensura propria & adæquata non tamen, si de extrinseca, prima & vniuersaliori, nam vt sic omnia sunt in æternitate, & mensurantur æternitate simul, quæ successiuè mensurantur tempore, vt docet 1. p. q. 14. Schola Thomistica cum D. Th. vnde aliud est esse æternum, siue mensurati, æternitate, & aliud est esse ab æterno: primum repugnat omni creaturæ quæ aliquo modo est mutabilis, æternitas autem est mensura rei omnino immutabilis, & secundùm esse, & secundùm operari: secundum autem scilicet esse ab æterno, non repugnat creaturæ, sed licèt esset ab æterno, mensuraretur tamen mensura sibi debitâ.

Probatur conclusio authoritate D. Th. 1. p. q. 10. art. 5. ad 9. item q. 3. de potentia art. 5. ad 2. vbi sic ait: *Quidditas creata antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia.*

Secundò, implicat aliquid habere essentiam realem extra Deum, & non habere existentiam: sed res non habent ab æterno existentiam: ergo nec essentiam realem, & sic essentiæ rerum non sunt ab æterno. Consequentia est manifesta, minor est de fide vt etiam concedit Scotus, scriptura enim docet omnia creata esse, & incepisse existere in principio temporis: maior autem probatur. Vel hoc esse diminutum, quod habent ab æterno essentiæ est dependenter à Deo, vel non: hoc secundum non potest dici, quia ex illo sequitur, quòd aliquid reale sit independens à Deo, quod est contra fidem quæ docet omnia (nullo etiam minimo & diminutissimo ente reali excepto) per ipsum esse facta ex illo Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: est etiam contra veram Philosophiam, quæ docet Deum esse primum ens & per essentiam tale; alia autem omnia esse entia per participationem: quod autem est primum in vnoquoque genere, & eo modo quo est primum, est causa cæterorum illius generis, vt supra dictum est. Si autem dicatur quòd habent illud esse dependenter à Deo debet concedi quòd sit causatum ab illo per aliquam actionem, vel emanationem realem: sed omnis actio productiua terminatur ad existentiam, nam per actionem productiuam ponitur res producta extra causas, quod autem est positum extra causas, existit, nam licèt essentia non ponatur formaliter extra causas per existentiam, sed in aliquo priori natura sit per suam actualitatem, quam habet distinctam ab existentia, vt infra dicetur, tamen verum est, non dari in aliquo in-

stanti

stanti reali aliquid actuale sine existentia, quia licèt actio intelligatur priùs terminari ad essentiam, & sic facere actualem: Deinde ad subsistentiam, ea qua cum essentia constituitur subsistens siue suppositum: denique ad existentiam, quæ est vltima actualitas intrinseca, & complementum substantiale rei: tamen ista sunt instantia naturæ & rationis, in eodem verò instanti reali totum existens producitur, vnde actio terminatur ad existentiam: ergo implicat dari aliquid reale extra Deum, quod non existat.

Tertiò, ex opposita sententia sequitur non dari creationem, verè & propriè loquendo, in tempore: sed hoc est contra scripturas, quæ docent omnia fuisse creata in principio temporis, genesis 1. ergo essentiæ rerum non sunt ab æterno. Probatur maior. Creatio vt accipitur à Sanctis patribus & Theologis, est productio totius entis secundùm omnem entitatem, & realitatem intrinsecam, & substantialem quam habet: sed talis productio esset impossibilis, si datetur illa realitas essentiæ ab æterno, nam in tempore non produceretur, sed præsupponeretur producta: ergo ex opposita sententia sequitur non dari creationem, verè & propriè loquendo, in tempore. Confirmatur. Ideò homo non dicitur simpliciter creatus, sed genitus, quia dum creatur præcipuum hominis scilicet anima rationalis, præsupponitur materia cui talis anima vnitur: ergo licèt crearetur in tempore existentia, si præsupponeretur essentia, cui vnitur, esse ab æterno, non posset simpliciter res dici creata in tempore. Deinde, si essentiæ rerum sint aliquid reale ab æterno: cùm essentia humana v. g. constet ex anima & corpore, sequitur quòd corpus & anima sint ab æterno, quòd est contra Concilium Lateranense in cap. firmiter. de Summa Trinitate, vbi definitur vtramque creaturam corpoream & spiritualem, non ab æterno, sed in principio temporis à Deo esse conditam.

Ad primum ergo dicendum, quòd similes propositiones solùm indicant naturas vniuersales esse perpetuas, immensas, & incorruptibiles negatiuè, quia ex se non habent vnde oriantur, aut intereant, nec petunt sibi determinatum tempus, aut locum: non tamen indicant ipsas esse perpetuas positiuè quasi nunquam habuerint principium, aut sint habituræ finem, vnde non est necesse ponere ab æterno essentias particulares & indiuiduas rerum.

Ad secundum dicendum, quòd illa quæ actu continentur in prædicamentis, sunt actu, sed negandum, quòd essentiæ rerum antequam existant sint actu in prædicamentis; sed sunt tantùm potestate, inquantum ab æterno sunt possibiles, non per aliquam potentiam passiuam realem in ipsis, sed per potentiam actiuam causæ, in cuius virtute præexistunt. Vel dicendum quòd ab æterno sunt in prædicamentis repræsentatiuè, inquantum repræsentantur in idæis diuinis constitutæ in propriis prædicamentis, sed hoc non est formaliter esse secundùm aliquam realitatem, etiam diminutam essentiæ.

Ad tertium dicendum, quòd veritas huius propositionis æternæ, homo est animal, non fundatur in aliqua entitate creata hominis & animalis, quæ sit ab æterno: sed in entitate exemplarium diuinorum, quæ non distinguuntur ab ipso Deo, in quibus repræsentatur perpetua & necessaria connexio inter hominem & animal, ita vt si producendus sit homo necessariò, sit animal.

Ad quartum dicendum, quòd maior est vera in illis, quæ sunt vnum & idem positiuè, essentiæ autem rerum antequam existant non sunt idem positiuè, sed tantùm negatiuè cum seipsis postquam existunt: licèt enim non sint diuersæ essentiæ (quod sufficit vt dicantur esse idem negatiuè,) habent tamen diuersum statum, primò obiectiuum tantùm postea actualem: & hoc facit vt non possint dici idem positiuè. Ad confirmationem dicendum sicut dictum est quòd res non dicuntur producibiles per aliquam potentiam in se, sed per potentiam actiuam Dei, in qua præexistunt: vnde sunt ab æterno producibiles, quia Deus ab æterno potest illas producere: & hoc sufficit vt sint obiectum potentiæ creandi æternæ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm forma sit nobilior totâ essentiâ rei materialis?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd forma sit nobilior totâ essentia rei materialis. Ita tenet Aquarius. Probatur. Forma essentialiter est actus, & in ratione actus nulla inuoluitur imperfectio, cùm hæc ratio conueniat Deo & Angelis: sed compositum in sua ratione inuoluit imperfectionem, & propterea simplicitas in Deo est perfectio, quia compositio dicit aliquid potentiale: ergo forma est nobilior totâ essentiâ rei materialis. Confirmatur. Compositum siue essentia composita solùm dicit materiam & formam: sola autem forma dicit perfectionem; materia autem nullam dicit imò dicit imperfectionem, cum sit pura potentia: & forma per hoc quod illi vnitur, redditur imperfectior, per hanc enim receptionem in materia, limitatur & immergitur materiæ ergo forma est nobilior totâ essentiâ rei materialis.

§ 2. Præterea, Propter quod vnumquodque tale & illud magis, ex Philosopho 1. posterior. c. 2. & 2. Metaph. c. 1. sed essentia composita est vna, & ens, & perfecta per formam: ergo ipsa forma est magis ens, & perfectior. Confirmatur. Forma saltem hominis producitur nobiliori modo, scilicet à solo Deo per creationem, quàm totum quod producitur à causa creata per generationem. Deinde illud est nobilius, cuius scientia est præstantior ex Arist. Prolog. 1. de Anima & 6. Metaph. sed scientia de anima est præstantior quàm scientia de toto composito: ergo saltem forma siue anima rationalis est nobilior totâ essentiâ rei materialis.

§ 3. Præterea, Forma habet conditiones nobiliores, quam tota essentia, est enim simplex, expers omnis compositionis, est actus expers omnis materiæ & potentialitatis, quæ non conueniunt composito: ergo forma est nobilior illo, maximè quia istæ conditiones sunt perfectiones simpliciter, quibus assimilatur Deo: & ita saltem compositum non erit perfectius forma, sicut nec aggregatum ex Deo & vniuersitate creaturarum est perfectius solo Deo, quia vniuersitas creaturarum nullam dicit perfectionem, quæ in Deo eminentiori modo non præhabeatur.

SED CONTRA est expressa authoritas Aristotelis 2. de anima D. Th. 1. p. q. 3. art. 7. ad 2. vbi sic ait: *Apud nos composita sunt meliora simplicibus:* Quia perfectio bonitatis creaturæ non inuenitur in vno simplici, sed in multis ipsum sequuntur communiter eius discipuli, Soncinas, & Araujo in Metaphysica: item Scotus 7. Metaph. quæst. 6. & communiter omnes ferè Philosophi, tam Græci, quàm Latini.

CONCLVSIO.

Cùm forma non includat tantam perfectionem, quantam tota essentia rei materialis, non est nobilior ipsâ, imò est ignobilior.

RESPONDEO dicendum, quòd tota essentia rei materialis est simpliciter nobilior formâ substantiali, nobilitate essentiali & specificâ, a. licèt secundùm quid, id est quoad aliquas conditiones ipsa forma sit nobilior. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd forma substantialis est simpliciter nobilior materia, contra quosdam antiquos Philosophos, quos refert Aristoteles, qui dicebant materiam primam esse totum compositum substantiale, & consequenter esse priorem dignitate formis ipsis, eo quòd asserebant substantias differre per solas formas accidentales, & illas solas per generationem acquiri; per corruptionem verò amitti; supposito tamen quòd dentur formæ substantiales (quod supra probatum est, quia vera datur generatio & corruptio substantialis, cuius terminus debet esse forma substantialis,) probatur nostra

stra suppositio. Forma est magis ens quàm materia, cùm materia sit pura potentia carens omni actualitate, forma verò est actus essentialiter: ens autem denominatur ab actu, ita vt quod est magis actuale, sit magis ens, & consequenter magis perfectum & bonum, cùm ista sint proprietates consequentes modum entis, & propterea Deus qui est purus actus, est etiam summè perfectus, & summum bonum. Vnde forma secundùm suam rationem formalem magis accedit ad entia perfectissima, scilicet substantias separatas quàm materia, quia ipsæ sunt etiam formæ; sed seclusis imperfectionibus. Deinde forma est finis materiæ, quæ ad ipsam tendit illámque appetit. Forma est principium agendi, materia verò tantum patiendi. Forma dat esse specificum & existentiæ, modo infra explicando, tam materiæ, quàm toti composito: sed ista non possunt saluari nisi forma sit nobilior materia: ergo forma quinque perfectionibus excedit materiam, scilicet actualitate, ratione finis, ratione principij agendi, ratione terminandi formaliter generationem, & tandem ratione communicandi esse specificum essentiæ & existentiæ.

Probatur prima pars conclusionis. Compositum includit totam perfectionem & actualitatem suæ formæ, & vltra illam includit entitatem materiæ, quæ suo modo habet suam bonitatem & perfectionem, scilicet potentialem. Deinde dicit ipsam formam vt vnitam materiæ: est autem perfectio ipsi formæ actu vniri materiæ, ex D.Th. in disp. q. de anima art. 17. ad 1. licèt enim formæ vt sic non sit perfectio, imò imperfectio vniri materiæ; tamen tali formæ quæ scilicet est essentialiter para, est perfectio vniri suæ compatti, & constituere suum totum, nam finis rei est eius perfectio, & illum assequi, est assequi perfectionem: ergo tota essentia est nobilior sola forma substantiali.

Secundò tota essentia habet nobiliores conditiones quàm sola forma. Nam 1. est ens completum in recta linea prædicamentali, saltem considerata in concreto. 2. est principium agendi vt quod. 3. est terminus per se intentus in generatione substantiali. 4. est finis vtriusque partis, forma verò est quid incompletum & partiale, agit & terminat generationem tantùm vt quo, deinde non habet esse nisi vt quo (si demas animam rationalem:) ergo essentia composita est nobilior solâ formâ.

Probatur secunda pars conclusionis. Supposito quòd id quod simpliciter est imperfectius, potest esse perfectius secundùm quid, vt ait D.Th. 1. 2. q. 71. art. 3. ad 1. forma habet aliquas conditiones quæ aliquam dicunt perfectionem, quas non habet essentia composita. 1. quòd in se sit omnino immaterialis, cùm compositum contineat materiam. 2. quòd sit in genere causæ formalis causa compositi, & compositum ipsum causatum. 3. quòd sit prior composito. 4. quòd sit simplicior. Quod potest confirmari rationibus primæ opinionis, quæ hoc tantùm probant: ergo forma est secundùm quid nobilior tota essentia rei naturalis, siue toto composito, & ita intelligendi sunt Aristoteles 7. Metaph. cap. 3. & D.Thom. ibidem lect. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt ratio actus vt sic, nullam dicat in suo conceptu imperfectionem: & propterea conueniat Deo, & Angelis; tamen ratio actus est analoga: provt enim conuenit Deo, & Angelis dicit actum per se subsistentem, qui sine dubio nullam inuoluit vt sic imperfectionem: provt verò conuenit formæ, dicit actum informantem, ac proinde quid incompletum & imperfectum: compositum autem, licèt aliquam dicat imperfectionem; compositio enim includit potentialitatem ex parte vnius extremi componentis, potest tamen continere maiorem perfectionem, quàm aliqua res simplex; ratione partium ex quibus componitur: vnde in Deo simplicitas est perfectio, quia in illo simplicissimo esse, & in summa simplicitate includuntur omnes perfectiones: in aliis autem rebus, cùm sint limitatæ, non inuenitur debita perfectio, nisi in compositione. Ad confirmationem dicendum, quòd materia sicut est ens in potentia, sic dicit perfectionem potentialem modo explicato in Physicis: forma verò sine actus per se subsistens licèt diceret imperfectionem, si vniretur materiæ; hæc tamen non dicit forma, quæ essentialiter est actus informatiuus materiæ, vnde quòd sit informatiuus, est imperfectus actus, quod autem informet suppositâ tali naturâ est perfectio in illo.

Ad secundum dicendum, quòd illud axioma patitur multas exceptiones. Primò enim non valet in causis materialibus & formalibus. Deinde dato quòd valeret, intelligendum est de causa adæquata, forma autem non est causa adæquata perfectionis compositi. Ad confirmationem dicendum, quòd modus productionis non arguit semper maiorem perfectionem, nam etiam materia prima creatur, & tamen est imperfectissima. Ad aliud dicendum, quòd obiectum librorum de anima est totum animatum, & non sola anima: & quia ibi specialiter agitur de præcipua parte entis naturalis, ideò inter Physicos est nobilior, ratione tamen obiecti totalis, quòd est nobilissimum inter entia Physica & naturalia.

Ad tertium dicendum, quòd confirmat secundam partem conclusionis. Ad confirmationem dicendum, quòd est disparitas, nam forma non continet formaliter aut eminenter perfectionem compositi, Deus autem continet omnem perfectionem creaturarum.

QVÆSTIO XVIII.

De subsistentia.

DEINDE considerandum est de subsistentia, quæ immediatè aduenit essentiæ substantiali, reddens aptam recipiendi ipsum esse per se, siue existentiam substantialē, quæ est vltima rei actualitas, ac vltimus terminus actionis productiuæ, circa quod quæruntur sex.

¶ Primò, Quid sit subsistentia?

¶ Secundò, Quid addat subsistens super essentiam?

¶ Tertiò, Quomodo distinguatur subsistentia ab essentia?

¶ Quartò, Quæ sit causa subsistentiæ, & quomodò producatur?

¶ Quintò, Vtrùm sint multæ partiales subsistentiæ in eodem composito?

¶ Sextò, Vtrùm subsistentia habeat propriam existentiam, distinctam ab existentia essentiæ substantialis siue suppositi?

ARTICVLVS I.

Quid sit subsistentia?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd subsistentia sit omnino idem, ac personalitas siue suppositalitas, ita vt subsistentia constituat in omnibus suppositum. Probatur ex communi vsu loquendi. Solemus enim dicere, quòd actiones & passiones sunt suppositorum, siue per se subsistentium: ergo idem sunt suppositum, & subsistens, ac proinde abstracta constitutiua ipsorum, scilicet subsistentia, & suppositalitas siue personalitas sunt idem.

¶ 2. Præterea, Subsistens est indiuiduum completum naturæ substantialis, & incommunicabile alteri tanquam in supposito, hoc enim solùm potest addere subsistens supra primam substantiam, cui competit ab intrinseca natura substantiæ esse incommunicabilem alteri tanquam subiecto: sed esse indiuiduum completum substantialis naturæ incommunicabile alteri tanquam supposito, est definitio personæ siue suppositi: ergo subsistens, & suppositum siue persona sunt idem, ac proinde abstracta constitutiua ipsorum sunt etiam idem.

SED CONTRA est authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, ac plures alij.

CONCLVSIO.

Cùm subsistens, & suppositum siue persona non sint omninò idē, sic nec subsistentia, & suppositalitas siue personalitas.

RESPONDEO dicendum, quòd subsistentia est actus,

ſiue forma Metaphyſica, qua conſtituitur ſubſiſtens. 2. nec eſt, vniuerſaliter loquendo, idem quod perſonalitas ſiue ſuppoſitalitas. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt hanc eſſe differentiam inter ſequentia nomina, ſingulare ſiue indiuiduum, prima ſubſtantia, ſubſiſtens, ſuppoſitum, & hypoſtaſis ſiue perſona, quòd ſingulare ſiue indiuiduum ſignificat aliquid in ſe indiuiſum, ſeu quod non poteſt diuidi in alia eiuſdem rationis, & diuiſum à quolibet alio, & reperitur tam in ſubſtantiis, vt hic homo, quàm in accidentibus, vt hæc albedo. Prima ſubſtantia dicit idem quod ſingulare & indiuiduum, ſed limitatum & coarctatum ad ſubſtantiam, dicitur autem prima ad diſtinctionem ſecundarum, quæ ſunt genera & ſpecies, quæ tantùm ſunt & fundantur in primis. Subſiſtens autem dicit ipſam primam ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, id eſt non dependentem ab alio, vt ſit, & operetur per ſe, vt quod: licèt enim ſubſtantia, vt ſic, ſit per ſe; illud tamen eſſe per ſe opponitur tantùm ad eſſe in alio vt in ſubiecto, quòd conuenit accidenti: ſed ſubſiſtere præter hoc dicit eſſe per ſe vt quod, & operari vt quod, certùm enim eſt quòd hoc conuenire non poteſt omni ſubſtantiæ. Denique ſuppoſitum, hypoſtaſis, & perſona, licèt in eodem ſint idem, & vt in plurimùm ſint etiam penitus idem, quod ſubſiſtens, aliquod tamen eſt inter illa diſcrimen, differunt enim iſta tria à ſubſiſtente, quia totum dicunt quod ſubſiſtens, & ſuperaddunt illi eſſe incommunicabile alteri tanquam ſuppoſito terminanti: habemus autem de hoc vnicum exemplum, ſcilicet in natura diuina quæ habet propriam ſubſiſtentiam abſolutam, vt probatur ex D. Thom. in materia de Trinitate, & conſequenter ſubſiſtit, & tamen adhuc terminatur perſonalitatibus trium diuinarum perſonarum, quibus communicatur; vnde ſubſiſtens præcisè non dicit eſſe incommunicabile alteri tanquam ſuppoſito, & ita in eſſe ſiue in ratione incommunicabilis, iſta tria diſtinguuntur à ſubſiſtente, quamuis in omnibus aliis idem ſint. Suppoſitum autem diſtinguitur ab hypoſtaſi & perſona, quia eſt communius & vniuerſalius, nam hypoſtaſis quod eſt nomen Græcum, & perſona quod idem eſt, limitatur ad naturam intellectualem; perſona enim definitur, quòd ſit rationalis ſiue intellectualis naturæ indiuidua & incommunicabilis ſubſtantia; ſuppoſitum verò ſe extendit ad omnes naturas ſubſtantiales, vnde in rebus intellectualibus idem omnino eſt, quod hypoſtaſis & perſona; in aliis autem idem ſignificat, quod perſona in intellectualibus.

Abſtracta iſtorum ſunt: ſingularis & indiuidui, differentia indiuidualis ſiue hæcceitas: primæ ſubſtantiæ, differentia indiuidualis ſiue hæcceitas: ſed in genere ſubſtantiæ: ſubſiſtentis, ſubſiſtentia: ſuppoſiti, ſuppoſitalitas: hypoſtaſis ſiue perſonæ, perſonalitas aut differentia hypoſtatica, quæ proportione ſeruatâ habent eamdem inter ſe differentiam, quam habent eorum concreta, aliquando tamen ſubſiſtentia ſumitur in concreto pro ſuppoſito, aut perſona.

Ex dictis patet definitionem perſonæ communiter receptam eſſe optimam, ſcilicet, perſona eſt rationalis naturæ indiuidua & incommunicabilis ſubſtantia. In qua definitione ponitur, rationalis naturæ, per quod differt perſona à ſuppoſito, quod vt dictum eſt vniuerſaliter reperitur in omnibus ſubſiſtentibus, perſona verò in ſola rationali natura, ſi per ly rationalis intelligas intellectualem. Dicitur 2. indiuidua, per quod excluduntur naturæ abſtractæ, quæ propriè non ſunt perſonæ, vt homo, quia per ſe non ſubſiſtunt, ſed ſubſiſtunt in ſingularibus, vt in hoc & in illo homine; indiuiduum autem ſumitur duobus modis. Primò vt eſt quid determinatum & ſingulare, & diſtinctum à naturis vniuerſalibus, quomodo ſumitur à Logicis, ſcilicet hæc natura humana contracta per proprietatem indiuidualem ſiue hæcceitatem, & vocatur prima ſubſtantia. Secundò ſumitur abſolutè, & dicitur id quod non ſolùm eſt hoc ſingulare determinatum, ſed etiam per ſeipſum & non in alio ſubſiſtit, quia habet in ſe ſuum terminum ſubſtantialem, quo conſtituitur ſubſiſtens independenter ab alio. Dicitur tandem incommunicabilis ſubſtantia. 3. per ly, incommunicabilis, non intelligimus incommunicabile quocumque modo, tam eſſe incommunicabile alteri naturæ, non eſt contra rationem perſonæ, cùm videamus perſonam Verbi diuini communicatam humanitati Chriſti: ſed tantùm intrinsecè dicit perſona, quòd ſit incommunicabilis alteri tanquam in ſuppoſito ſiue in perſona, ita vt non poſſit ſubſiſtere in alieno ſuppoſito. 4. per ly autem, ſubſtantia, intelligitur completa: vnde à ratione perſonæ excluduntur, tam accidentia, quàm partes ſubſtantiales etiam anima rationalis ſeparata, quia non eſt natura ſubſtantialis completa, ſed pars naturæ humanæ ex D. Thom. 1. p. q. 75. art. 4. ad 2. Hæc definitio ſic explicata traditur à D. Thom. 1. p. q. 29. art. 1.

Probatur prima pars concluſionis. Concreta conſtituuntur à ſuis abſtractis, vt patet inductione in omnibus, homo enim conſtituitur ab humanitate, album ab albedine, &c. ſed ſubſiſtens eſt concretum, cuius abſtractum eſt ſubſiſtentia, vt conſtat ex ipſis terminis: ergo ſubſiſtentia eſt actus ſiue forma Metaphyſica, qua conſtituitur ſubſiſtens. Eius natura magis explicabitur, ſi aſſignentur conceptus eſſentiæ, ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ. Eſſentia igitur eſt id præcisè, quo aliquid eſt tale ens ſecundùm hanc rationem ſpecificam, ita vt eius ſignificatum ſit per modum formæ abſtractæ, vt hæc humanitas. Subſiſtentia autem eſt id, quo conſtituitur formaliter ſubſiſtens vt dictum eſt, quod conſtituitur ex eſſentia tanquam ex potentia, & ex ſubſiſtentia tanquam ex actu: ſubſiſtens autem eſt totum compoſitum ex eſſentia & ſubſiſtentia, & eſt ſubiectum habens talem eſſentiam, quod ſignificatur nomine concreto, vt hic homo habens humanitatem. Denique exiſtentia eſt vltima actualitas eiuſdem ordinis, ſcilicet ſubſtantiæ, vltimò terminans ipſam eſſentiam ſubſiſtentem, ſiue vt eſt in illo habente, ſed de hoc ſuo loco dicetur.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Abſtracta eo modo differunt inter ſe proportione ſeruatâ, quo eorum concreta, imò differentia inter abſtracta cauſat differentiam inter concreta; cùm ſint conſtitutiua ipſorum, & ita communicant ipſis eſſe & differentiam ſpecificam, aliáque ad hæc conſequentia: ſed ſubſiſtens quod eſt concretum ſubſiſtentiæ; non eſt vniuerſaliter loquendo idem, quòd perſona ſiue ſuppoſitum quæ ſunt concreta perſonalitatis ſiue ſuppoſitalitatis: nam vt dictum eſt Diuina eſſentia præciſis per intellectum perſonalitatibus Diuinarum perſonarum, adhuc eſt ſubſiſtens, & potens terminare naturam creatam, & tamen vt ſic non eſt perſona, aliàs non eſſet, communicabilis tribus diuinis perſonis: & hæc debent concedi ab omnibus, qui in Diuinis admittunt vnam ſubſiſtentiam abſolutam præter tres relatiuas, licèt non diſtinctam ab ipſis: ergo ſubſiſtentia non eſt vniuerſaliter loquendo idem, quod perſonalitas ſiue ſuppoſitalitas, quamuis in creaturis ſint realiter idem; non autem formaliter.

Ad primum ergo dicendum, quòd in hoc axiomate ponitur, tam ſuppoſitum, quàm ſubſiſtens, quia licèt in creaturis ſint idem; non tamen vniuerſaliter propter exemplum allatum in diuinis; propter quod additur ly (per ſe ſubſiſtentium) nam actiones ad extra vt creatio, &c. non conueniunt diuinis perſonis ſecundùm propria perſonæ (ſic enim conueniunt tantùm notionalia) ſed conueniunt illis vt ſunt vnus Deus: propter quod dicuntur opera Trinitatis indiuiſa: Deus autem vt præintelligitur perſonis, non eſt ſuppoſitum aut perſona, ſed tantùm per ſe ſubſiſtens.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſubſiſtens vniuerſaliter non dicit eſſe incommunicabile, ſed tantùm eſſe & operari, vt quod, & hoc addit ſubſiſtens ſupra primam ſubſtantiam: vnde non eſt verum, quòd pri[illegible]
tia ſit idem quod ſubſiſtens & perſona, [illegible]
Chriſti Domini verè eſt prima ſubſta[illegible]
finitione primæ ſubſtantiæ tradit[illegible]
enim ſubſtantia eſt illud, quò[illegible]

modum quo insunt accidentia, nec prædicatur de subiecto cùm non habeat inferiora; quæ siue dubio conueniunt humanitati Christi Domini: & tamen nullus Catholicus dixit esse subsistentem ex se aut personam, aliàs fuisset inassumptibilis à Persona Diuina.

ARTICVLVS II.

Quid addat subsistens super essentiam?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd subsistens siue suppositum tantùm addat super essentiam negationem. Aliqui dicunt hanc negationem esse diuisionis: ita vt per hoc præcisè sit suppositum, quia est in se indiuisum. Alij dicunt esse negationem actualis dependentiæ ab alio vt à supposito, ita vt per hoc præcisè constituatur suppositum, quod non dependet actualiter ab alio tanquam à supposito. Alij denique duplicem ponunt negationem, scilicet, & actualis, & aptitudinalis dependentiæ ab alio vt à supposito: ponunt autem negationem aptitudinalis dependentiæ ad excludendam animam rationalem separatam, quæ non est persona; quia licèt actu non dependeat ab alio vt supposito, dependet tamen aptitudinaliter, siue dicit aptitudinalem dependentiam ab illo. Probatur. Subsistentia nihil est reale positiuum; si enim esset quid reale, vel esset substantia, vel accidens, cùm ista adæquatè diuidant ens reale: non substantia, quia Aristoteles in 2. de anima adæquatè diuidit substantiam in materiam, formam, & totum compositum, quorum neutrum est subsistentia: non accidens, quia cùm repugnet intrinsecè accidenti subsistere siue esse per se, non potest constituere totum substantiale, sicut constituit subsistentia. Deinde si esset quid reale positiuum, posset separari ab essentia, quod nullus dicit: ergo subsistentia importat tantùm negationem.

¶ 2. Præterea, Si subsistens siue suppositum diceret aliquid reale super essentiam, debuisset assumi à verbo tempore incarnationis, aliàs aliquid defuisset perfectioni humanitatis Christi: sed suppositum humanum nec est assumptum, nec assumptibile, cùm de ratione eius sit incommunicabilitas, imò hanc formaliter importet: ergo subsistens siue suppositum non dicit aliquid reale super essentiam. Confirmatur. S. Damascenus dicit id quod non est assumptum à verbo, non fuisse sanatum, & ideò Deus assumpsit quidquid in homine plantauerat: sed suppositum humanum fuit sanatum, & tamen Verbum assumpsit solam essentiam siue naturam humanam: ergo suppositum nihil dicit reale super naturam siue essentiam.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Thom. 1. part. quæst. 3. art. 3. quem vnanimiter sequuntur eius discipuli in loco citato, ac ferè omnes tam Philosophi, quàm Theologi.

CONCLVSIO.

Cùm subsistere sit aliquid reale positiuum, debet procedere ab aliqua forma positiua scilicet subsistentia, quam subsistens siue suppositum addit super essentiam siue naturam.

RESPONDEO dicendum; quòd suppositum siue subsistens non est omnino idem, quod natura siue essentia: 2. nec solam superaddit negationem. 3. sed addit aliquid positiuum. Ad cuius euidentiam sciendum est subsistentiam & subsistere sumi quinque modis. Primò subsistere idem est, ac realiter esse: vnde dicuntur entia realia habere subsistentiam in rerum natura, entia verò rationis non habere, id est, illa esse realiter, hæc verò non. Secundò subsistere idem est, ac alteri subesse: vnde substantia dicitur subsistere siue substare accidentibus. Tertiò subsistere idem est, ac esse per se, prout opponitur accidenti, & in hoc sensu partes substantiales dicuntur subsistere; Quartò subsistere limitatur ad esse per se, prout competit essentiæ rei substantiali[illegible], & in hoc sensu humanitas Christi dicit[illegible] sanctis Patribus per se subsistere. Quint[illegible] maximè propriè subsistere idem est, ac [illegible]municabiliter alteri vt supposito, & tale subsistere conuenit tantùm enti completo habenti esse vt quod, & hoc ens in creatis, vniuersaliter loquendo, est suppositum.

Item sciendum est, quòd suppositum sumitur duobus modis. Primò pro indiuiduo siue pro substantia indiuidua, quæ subiicitur gradui supremo substantiæ: & in hoc sensu docuit D. Thom. 1. p. q. 3. art. 3. in substantiis immaterialibus suppositum non distingui à natura; sic enim ait: *In his quæ non sunt composita ex materia & forma, oportet quòd ipsa forma per se sint supposita subsistentia, & in eis suppositum non distinguitur a natura.* In hoc autem sensu, vt explicant communiter Thomistæ, suppositum siue indiuiduum in Angelis non distinguitur, nec re, nec ratione (si clarè cognoscerentur vt sunt in se) ab eorum natura siue essentia, quia nihil omninò superaddit; differentia enim indiuidualis, qua quilbet Angelus constituitur hæc substantia, non distinguitur nec re, nec ratione ab essentia Angeli, nam vnumquodque indiuiduum Angelicum constituitur hoc per differentiam essentialem, quia in eis, vt supra dictum est, & infra dicetur; non datur principium indiuiduationis intra eamdem speciem. Secundò sumitur suppositum iuxta Metaphysicos; vt dictum est, pro substantia indiuidua completa subsistente per se, & non per aliud, à quo tanquam à supposito; siue ab essente & operante vt quod dependeat: & in hoc sensu suppositum distinguitur ab essentia Angeli vt postea probabitur. Suppositum autem primo modo constituitur ex natura specifica & differentia indiuiduali, quæ vniuntur per modum actus & potentiæ. Secundo autem modo constituitur suppositum ex essentia & subsistentia, quam addit super essentiam, ita vt essentia in concreto considerata se habeat per modum potentiæ, & subsistentia per modum actûs & formæ, & ex his vt ex partibus vnitis resultat suppositum, essentia autem se habet vt limitans, nam recipiens subsistentiam facit, quod constituat suppositum huius naturæ, v.g. humanæ: non quòd subsistentia producatur in se indeterminata, sed quia producitur determinata ad exigentiam naturæ siue essentiæ, cui communicatur, & in hoc sensu dixit D. Thom. Verbum diuinum constitui in esse suppositi per naturam humanam; non enim voluit suppositum diuinum constitui intrinsecè per naturam humanam in esse suppositi, hoc enim plusquam falsum esset, sed tantùm voluit dicere, Verbum diuinum extrinsecè constitui in esse suppositi per naturam humanam, nam ex vnione hypostatica qua Verbum diuinum vnitur naturæ humanæ, est suppositum humanum, cùm sit in se diuinum; & sic est idem suppositum veri Dei; & veri hominis Christi Iesu.

Probatur prima pars conclusionis contra Durandum. Si natura & suppositum in omnibus rebus creatis sunt idem omnino realiter, sequitur quòd Verbum diuinum assumendo naturam humanam, assumpsit etiam suppositum humanum: quando enim aliqua sunt idem realiter, impossibile est illa ab inuicem separari, & vbicumque vnum reperitur, ibi etiam aliud debet reperiri: sed est hæreticum dicere quòd Verbum diuinum assumendo naturam humanam, assumpserit personam aut suppositum humanum; est enim definitum in Concilio Ephesino anathem. 3. *Si quis post naturarum vnionem subsistentias in vno Christo diuidit, vnicuique nimirum suam propriam assignans, anathema sit.* Idem est definitum in aliis Conciliis, & est communis fides Catholicorum: ergo suppositum siue subsistens non est omninò idem, quod natura siue essentia.

Respondet Vasques inefficacem esse hanc rationem, quia sufficit distinctio rationis inter naturam & suppositum, vt sit & dicatur natura assumpta, non verò suppositum, sicut sufficit eadem distinctio inter naturam & personas diuinas, vt dicatur persona diuina, & non natura diuina assumens, pater generans, & non natura &c. Sed contra, Primò quia cùm ens diuinum sit ex omni parte perfectissimum, continet vnitè quidquid diuisum reperitur in creatis; vnde non licet colligere,

quòd ſi in diuinis ſufficit diſtinctio rationis ad aſſerenda oppoſita, quòd etiam ſemper ſufficiat in iſtis inferioribus. Secundò concedunt communiter Theologi, quòd natura diuina ſecundariò aſſumpſit humanitatem, ex hoc quod eſt idem cum perſona primariò aſſumente: ergo ſimiliter, ſi perſona humana eſt idem realiter cum natura, quia natura eſt primariò aſſumpta, perſona ſecundariò erit aſſumpta, quod tamen non poteſt dici. Confirmatur. Quia partes humanitatis vnitæ ſunt idem realiter cum humanitate, ideò dicimus humanitatem completam fuiſſe primariò aſſumptam, partes verò ſecundariò. Tertiò denique, licèt hæc reſponſio ſuaderet ſuppoſitum humanum ſub formalitate ſuppoſiti reduplicatiuè non fuiſſe aſſumptum, tamen non ſuadet ſuppoſitum humanum ſecundùm ſuam realitatem non fuiſſe aſſumptum, nam licèt natura diuina primariò non terminet humanitatem, quia tamen eſt idem cum perſona primariò terminante, etiam ipſa ſecundariò terminat: ita vt verè ſit in Chriſto etiam diuina natura, quæ tamen non dicitur incarnata, quia non terminat primariò humanitatem: ſed eſt condemnatum vt hæreticum dicere, quòd ſuppoſitum humanum ſecundùm ſuam realitatem, ſiue primariò ſiue ſecundariò fuerit aſſumptum: ergo eſt efficax ratio, qua probatur ſuppoſitum & naturam non eſſe idem realiter in his inferioribus. Nec vrgent quæ obiicit Durandus, ſcilicet ex Ariſtotele 7. Metaph. vbi ſic ait: *Quod quid eſt idem cum eo cuius, id eſt quidditas eſt idem cum ſuppoſito cuius eſt.* Deinde cum diuiditur aqua in duas partes, fiunt duo ſuppoſita, ſi ſuppoſitum addit aliquid reale ſupra naturam, debent produci duæ entitates, & tamen non eſt aſſignabilis actio productiua, cùm ipſa diuiſio ſit potius deſtructiua. Dicendum eſt enim quòd Philoſophus per ly, (quod quid eſt) intelligit quidem eſſentiam; ſed per ly, (eo cuius eſt) non intelligit ſuppoſitum ſiue ſingulare & indiuiduum in actu exercito, ſed tantùm indiuiduum in actu ſignato, quod eſt idem realiter cum eſſentia, ſolo modo ſignificandi diſtinctum. Ad aliud dicendum, quòd diuiſionis actio eſt occaſionaliter productiua illarum entitatum, quæ emanant connaturaliter ab illis indiuiduis diſſectis conſequenter ad actionem diuiſionis: ſicut ad diuiſionem lacertæ ex vna forma ſequuntur duæ totales, quarum vnaquæque informat ſuam partem materiæ, cùm antea eſſet tantùm vna actu, ſed multiplex in potentia: & ita diuiſio eſt deſtructiua totius, ſed productiua partium, quæ diuiſæ à toto fiunt tota.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Vel perſona generaliter conſtituitur in eſſe perſonæ per illas negationes, vel tantùm aliqua perſona: ſed neutrum poteſt dici. Non primum, nam perſona vt ſic ſecundùm Fidem & Theologiam reperitur in Deo: ſed non poteſt dici quòd conſtitutiuum diuinæ perſonæ ſit negatio, imò ex fide ſunt veræ proprietates reales, ſcilicet paternitas, filiatio, & proceſſio: aliàs aſſerere in diuinis eſſe tres perſonas, eſſet aſſerere quòd ſint tres negationes, quod eſt abſurdum: quod autem eſt de eſſentia alicuius conceptûs generaliter accepti, debet reperiri vbicumque reperitur talis conceptus. Si dicatur ſecundùm, ex eo quòd ratio perſonæ conuenit Deo & creaturis analogicè. Contra primò, nam mirum eſt in Scoti doctrina, qui tot admittit vniuocationes inter Deum & creaturas, ſcilicet in ratione entis, ſubſtantiæ &c. quòd non admittat in ratione perſonæ. Secundò poteſt peti ab ipſo, vt aſſignet conceptum communem perſonæ prout conuenit Deo & creaturis. Tertiò Concilia & ſancti Patres dicunt Verbum diuinum aſſumpſiſſe humanam naturam, & non ſuppoſitum, ſiue perſonam humanam: ſed hæc propoſitio indicat ſuppoſitum, ſiue perſonam eſſe aliquid reale, & non meram negationem: ergo ſuppoſitum ſiue ſubſiſtens non ſuperaddit eſſentiæ ſolam negationem.

Probatur tertia pars concluſionis. Conſtitutiuum rei poſitiuæ, debet eſſe aliquid reale poſitiuum, quale enim eſt conſtitutiuum, talis eſt res conſtituta, vt per ſe patet, quidquid enim habet res conſtituta, hoc habet à ſuo conſtitutiuo: ſed illud quod addit ſuppoſitum, ſiue ſubſiſtens ſuper eſſentiam, eſt conſtitutiuum rei poſitiuæ, ſcilicet ipſius ſuppoſiti & ſubſiſtentis, quod in ſua formaliſſima ratione, vt conſtruitur ab illo ſuperaddito eſt aliquid reale poſitiuum, cùm vt ſic importet poſitiuam perfectionem: ergo ſuppoſitum ſiue ſubſiſtens addit aliquid poſitiuum ſuper eſſentiam, illud autem eſt ſubſiſtentia, quæ licèt habeat effectum formalem poſitiuum, qui eſt facere vt ſubſtantia ſit per ſe, & operetur per ſe vt quod, habet tamen alios negatiuos, ſed conſequentes & ſecundarios, vt quòd reddat naturam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito, independentem &c.

Ad primum ergo dicendum, quòd tam ſubſiſtentia, quàm exiſtentia, licèt non ſint ſubſtantiæ completæ, tamen ſunt actualitates, perfectiones, & termini ſubſtantiales: vnde reducuntur ad categoriam ſubſtantiæ, vt complementa eſſentiæ ſubſtantialis, ſicut exiſtentia accidentium reducitur ad categoriam accidentis, cuius eſt exiſtentia: Ariſtoteles autem in illo loco ſolùm fecit mentionem totius phyſici, & partium eius eſſentialium: huius autem compoſitionis Metaphyſicæ & partium eius, perfectam notitiam habemus ex myſterio Trinitatis, & Incarnationis.

Ad ſecundum dicendum, quòd non datur potentia obedientialis ad contradictoria, vnde hæc potentia definitur, quòd ſit non repugnantia in creatura, vt in ea Deus operetur quidquid non implicat: & ideò cùm ſuppoſitum ab intrinſeco ſit incommunicabile alteri ſuppoſito, implicat quòd ſit aſſumptibile: Verbum autem diuinum aſſumpſit quidquid pertinet ad perfectionem naturæ humanæ eſſentialem & intrinſecam, & hoc ſufficit vt dicatur aſſumpſiſſe totum hominem, & ita intelligendus eſt S. Damaſcenus.

Articvlvs III.

Quomodo diſtinguatur ſubſiſtentia ab eſſentia?

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd in omnibus ſubſtantiis, tam materialibus, quàm immaterialibus ſubſiſtentia tantùm diſtinguatur modaliter ab eſſentia. Ita tenent multi Philoſophi, præſertim recentiores. Probatur. ſicut ſe habet inhærentia actualis in accidentibus, ita ſubſiſtentia in ſubſtantiis, nam ſicut illa dat accidenti exiſtere per aliud, ita ſubſiſtentia dat ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtere: ſed inhærentia actualis in accidentibus eſt tantùm modus: ergo & ſubſiſtentia in ſubſtantiis.

§ 2. Præterea, Diſtinctio ſubſiſtentiæ ab eſſentia præcipuè nobis innotuit ex myſterio Incarnationis, in quo reperimus humanitatem priuatam propria ſubſiſtentia: ſed ad hoc ſufficit diſtinctio modalis, modus enim poteſt auferri à re modificata, & ſic res modificata poteſt eſſe ſinè ſuo modo, vt hæc quantitas poteſt ſeparari ab hac figura, nam ex rotunda poteſt fieri quadrata: ergo ſubſiſtentia ſolùm diſtinguitur modaliter ab eſſentia.

§ 3. Præterea, Si ſubſiſtentia eſt entitas diſtincta ab eſſentia, tanquam res à re, poteſt ab illa realiter ſeparari: ita vt eſſentia exiſtat ſine illa, & conſeruetur ſine vlla ſubſiſtentia ſiue perſonalitate: ſed hoc eſt abſurdum dicere: Primò quia eſt de ratione ſubſtantiæ vt per ſe ſubſiſtat, & ita non poteſt eſſe ſine vlla ſubſiſtentia. Secundò quia immediatum receptiuum exiſtentiæ eſt ſuppoſitum, nam exiſtentia eſt vltima actualitas: eſſentia autem priuata ſubſiſtentia non eſt ſuppoſitum, cùm conſtitutiuum ſuppoſiti ſit ſubſiſtentia, & ita non poteſt exiſtere priuata ſubſiſtentiâ, ac proinde nec conſeruari, implicat enim aliquid conſeruari, quod non exiſtat: ergo ſubſiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia tanquam res à re, ſed ſolùm modaliter.

Sed contra eſt authoritas D. Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Caietanus, Bannes, Nazarete 1. p. q. 3. art. 3. Medina 3. p. q. 4. art. 2. ac plures alij, etiam extra ſcholam D. Thom.

Conclvsio.

Conservato.

Cùm subsistentia habeat conceptum proprium & adæquatum, non includentem primariò rem cuius est subsistentia, distinguitur ab essentia, non tanquam modus à re modificata; sed tanquam res à re.

Respondeo dicendum, quòd subsistentia distinguitur realiter ab essentia in omnibus rebus creatis, tam materialibus, quàm immaterialibus, a. non solùm tanquam modus à re modificata, sed tanquam res à re. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem partim decisam esse articulo præcedenti, nam suppositum creatum pro suo constitutiuo formali dicit subsistentiam, vnde cùm probatum sit suppositum superaddere essentiæ aliquid reale positiuum, sequitur euidenter ipsam subsistentiam distingui realiter ab essentia, quod tamen magis in præsenti declarabitur, dum ostendetur qualis sit ista distinctio realis. Hic autem non comprehendimus Deum optimum Maximum, quia in Deo omnia sunt vnum, vbi obuiat oppositio relatiua: constat autem quòd inter essentiam diuinam, & subsistentiam absolutam, & inter eandem essentiam & subsistentias relatiuas non datur oppositio relatiua, & ita sunt omninò idem realiter: dicimus tamen dari in diuinis distinctionem rationis, tam inter essentiam & subsistentiam absolutam, quàm inter eandem essentiam & subsistentias relatiuas: alius enim formatur à nobis pro hoc statu conceptus essentiæ, alius subsistentiæ cum sufficienti fundamento, quoties enim aliqua distinguuntur realiter in creaturis, distinguuntur ratione in Deo.

Probatur conclusio quoad vtramque partem authoritate D.Thom. qui 3.p.q.4.art.2. dicit, quòd si natura præintelligeretur assumptioni, oporteret quòd corrumperetur eius suppositum. Idem docet de Angelis ibidem art.1.ad 3.vbi dicit, quòd potest de nouo produci natura Angelica sine propria personalitate. Idem docet alibi sæpè: sed illa quorum vnum potest separari ab alio realiter, distinguuntur realiter tanquam res à re, si vnum debeat assumi à Verbo ad vnitatem personæ non assumpto alio, vt postea probabitur: ergo ex D.Thom. subsistentia distinguitur ab essentia tanquam res à re.

Probatur specialiter prima pars conclusionis. In omni eo, cuius natura est assumptibilis à Deo in vnitatem personæ, distinguitur realiter subsistentia & suppositum ab essentia siue natura, nam natura ideò est assumptibilis, quia potest priuari propria subsistentia sine personalitate, & terminari diuina, quia cùm propria est inassumptibilis, per illam enim redditur incommunicabilis alteri supposito, vt communiter fatentur Theologi & Christiani Philosophi: quod autem potest esse sine aliquo realiter, distinguitur realiter ab illo: sed omnis natura substantialis etiam Angelica est assumptibilis à Deo in vnitatem personæ, vt etiam communiter docent Theologi cum D.Thom.3.p.q.4.art.1. ad 3. quod etiam indicat illud ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, Vbi Apostolus magnificat bonitatem Dei erga homines, quia illorum naturam assumpsit, non Angelorum, præferens homines Angelis: quæ bonitas non ita esset extollenda, si natura Angelica non esset assumptibilis, potuisset enim quis respondere Apostolo, quid miraris quòd Deus non apprehendit Angelos, cùm non potuerit apprehendere, & ideò apprehendit semen Abrahæ. Nec contrarius est nobis D.Thom. dum 1.p.q.3. art.3. & alibi dicit in substantiis immaterialibus suppositum non distingui à natura, quia ibi accipit suppositum pro indiuiduo, vt dictum est supra.

Probatur secunda pars conclusionis. Nullus modus habet conceptum sibi proprium & adæquatum; nam in suo conceptu includit id cuius est modus, vt etiam fatentur aduersarij, quia modus essentialiter importat quòd non sit entitas omnino distincta ab entitate rei modificatæ, vt patet in figura respectu quantitatis: nec sufficit ad rationem modi, quòd respiciat essentialiter id cuius est modus, aliàs dicendum esset omnia accidentia, materiam primam, & formam substantialem esse modos, quia hæc omnia essentialiter respiciunt aliud, accidentia scilicet respiciunt subiectum, forma & materia se inuicem; & etiam sunt entia incompleta; nullus tamen dixit hæc esse modos: sed subsistentia habet conceptum proprium & adæquatum, non includentem rem cuius est subsistentia, nam sicut conceptus realis essentiæ excludit omninò subsistentiam, cùm dicat tantùm prædicata essentialia; sic subsistentia, cùm præcisè dicat actum, quo res redditur subsistens incommunicabiliter & independenter ab alio, non includit in suo conceptu ipsam essentiam, sed tantùm connotat, quia ipsam respicit: ergo subsistentia non est modus, & ita distinguitur ab essentia non solùm modaliter, sed tanquam res à re.

Secundò, si subsistentia non esset res distincta ab essentia, sed esset tantùm modus, vel hoc haberet ex suo conceptu communi, vel vt est in creatura, vel vt est creata: sed neutrum potest dici. Non primum aliàs subsistentia diuina esset modus, quod nullus dicet, nisi abutamur nomine modi, qui intrinsecè inuoluit imperfectionem, scilicet modificare siue limitare. Non secundum, quia in Christo Domino humanitas subsistit per subsistentiam Verbi diuini, quæ non est modus, sed distinguitur secundùm fidem ab humanitate tanquam res à re. Non tertium, quia si subsistentia creata esset modus, Verbum diuinum non potuisset incarnari: ideò enim fuit incarnatum, quia assumpsit humanitatem in vnitatem personæ, supplendo subsistentiam humanam per communicationem propriæ: sed si subsistentia humana esset modus, non potuisset suppleri, cùm enim modus in suo conceptu formali inuoluat imperfectionem, scilicet modificare & limitare rem modificatam, intrinsecè informando, non potest suppleri à Deo per seipsum immediatè, non enim Deus potest esse figura quantitatis, aut formaliter supplere figuram: & ita si subsistentia humana esset modus, subsistentia diuina non posset illam supplere seipsa: quam tamen suppleuisse est de fide: ergo subsistentia est vera res, & realiter distincta ab essentia, quam actuat & perficit terminando: & ideò potuit suppleri à Deo, quem omnes fatentur non posse supplere genus causæ materialis & formalis, & multò minùs modos. Cùm hoc tamen stat quòd subsistentia creata ratione suæ entitatis debilis inest toti vt forma, licèt ex sua ratione communi non habeat inesse ad modum informantis aut inhærentis, sed intrinsecè terminantis præcisè.

Ad primum ergo dicendum, quòd cùm accidens sit ens imperfectum respectu substantiæ, non potest habere paritatem cum illa, sed tantùm aliqualem comparationem: & ideò benè potest esse quòd actualis inhærentia accidentis sit modus, non autem subsistentia substantiæ. Deinde dicendum, quòd inhærentia actualis non est modus, nec aliquid distinctum ab accidente etiam modaliter, sed est ipsa coniunctio actualis accidentis cum subiecto, quæ nihil aliud importat, quàm accidens actu connotans & informans subiectum. Si dicatur quòd alio modo se habet accidens dum inhæret, ac dum non inhæret, vt patet in Eucharistia, & ita videtur quòd inhærentia sit modus: respondetur quòd non omne quod facit rem aliter, siue alio modo se habere, est modus prout hic loquimur: nam agens dum agit alio modo se habet, ac antea, & tamen actio non est modus, & similiter accidens dum inhæret, alio modo se habet, quia communicat subiecto suum effectum formalem, qui non distinguitur ab ipso, effectus enim formalis importat ipsam formam actu informantem.

Ad secundum dicendum vt dictum est. Quòd si subsistentia esset modus, non potuisset suppleri in mysterio Incarnationis. Deinde hæc ratio si quid probaret, tantùm probaret, quòd non repugnat subsistentiæ esse modum, non autem probaret quòd sit modus, & non actus perfectus, ac proinde quòd non distinguatur ab illa tanquam res à re.

Ad tertium dicendum cùm Caietano, quidquid dicant alij, quòd de potentia absoluta potest natura aliqua existere absque omni subsistentia & personalitate; vnde

eſt tantùm de ratione ſubſtantiæ, vt aptitudine, non verò actu ſubſiſtit, ſicut non eſt de ratione accidentis actu inhærere, ſed ſolùm aptitudine : in tali igitur caſu natura priuata ſubſiſtentia, licèt exiſteret actu : tamen non ſubſiſteret actu, ſed tantùm aptitudine, & appeteret ſubſiſtere, vnde eſſet in ſtatu præternaturali. Et ita patet ad primam abſurdum. Ad aliud verò dicendum quòd conſtitutiuum receptiui alicuius formæ eſt duplex, vnum quod dat rationem formalem receptiui, & hoc modo formæ ſubſtantialia conſtituit materiam primam in ratione receptiui exiſtentiæ, & ita implicat materiam poſſe immediatè recipere exiſtentiam ſine forma, vt probatum eſt in Phyſicis : aliud conſtitutiuum eſt tantùm conditio connaturaliter neceſſaria, & huiuſmodi conſtitutiuum eſt ſubſiſtentia reſpectu eſſentiæ ad recipiendam exiſtentiam, & hoc poteſt à Deo ſuppleri, vel per manutenentiam, vel alio modo.

ARTICVLVS IV.

Quæ ſit cauſa ſubſiſtentiæ, & quomodo producatur?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd ipſa eſſentia ſubſtantialis ſit ſola cauſa ſubſiſtentiæ; non productiua, ſed emanatiua. Probatur. Subſiſtentia eſt proprietas ſubſtantiæ; ſubſtantiæ enim conuenit ab intrinſeco ſubſiſtere : ſed ipſa eſſentia eſt cauſa ſuarum proprietatum; non productiua, ſed emanatiua vt communiter docent Philoſophi : ergo eſſentia ſubſtantialis eſt cauſa ſuæ ſubſiſtentiæ, non productiua, ſed emanatiua.

¶ 2. Præterea, Communiter docent Theologi, quòd ſi Verbum diuinum dimitteret humanitatem aſſumptam, ipſa emanaret propriam ſubſiſtentiam : ergo ipſa eſſet cauſa ſuæ ſubſiſtentiæ, non productiua, ſed emanatiua, vnde & quælibet alia eſſentia ſubſtantialis eſt cauſa emanatiua ſuæ ſubſiſtentiæ.

SED CONTRA eſt communis ſententia Philoſophorum cum Ariſtotele, & D.Thom.

CONCLVSIO.

Cùm eſſentia rei non ſit perfectè & completè, antequam recipiat ſubſiſtentiam & exiſtentiam, non poteſt eſſe cauſa ſubſiſtentiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd ſubſiſtentia rerum immaterialium, & omnium aliorum quæ immediatè creata ſunt, immediatè producitur ab ipſo Deo : 2. ſiue potiùs comproducitur & concreatur ad creationem totius : 3. ſubſiſtentia verò rerum materialium, quæ producuntur à cauſis ſecundis, comproducitur ab iiſdem cauſis ſecundis : 4. non inſtrumentaliter, ſed principaliter : 5. quamuis poſſit dici quòd ſubſiſtentia, tam rei creatæ, quàm alio modo productæ emanat ab ipſa eſſentia : 6. non autem quod educitur de potentia ipſius. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt creaturas ſubſtantiales diuidi in ſpirituales & corporales, ſiue in materiales & in immateriales : horum autem productio eſt diuerſa; nam creaturæ ſpirituales, ſiue ſint completæ vt Angeli, ſiue incompletæ vt animæ rationales, producuntur immediatè à Deo per creationem, aliæ verò ſcilicet corporeæ producuntur, non ſolùm à Deo tanquam à prima cauſa, ſed etiam producuntur à ſuis cauſis proximis: ſi Cælos & elementa in prima ſui productione, Adamum & Heuam, ac alias creaturas in ipſo mundi primordio productas excipias : nam Cœli & Elementa fuerunt creata, Adam verò & Heua & aliquæ aliæ creaturæ fuerunt immediatè à Deo productæ, poſtea verò omnia materialia cœperunt generari ſumptâ generatione ſtrictè aut latè, omnibus autem ſubſtantiis, tam materialibus quàm immaterialibus, tam completis quàm incompletis competit ſubſiſtere, vel in ſe vel in alio, modo deinceps explicando : vnde ſubſiſtere eſt proprietas, vel ad modum proprietatis ſubſtantiæ generaliter conſiderata.

Item ſciendum eſt, quòd tam ſubſiſtentia, quàm exiſtentia pendet in genere cauſæ materialis ab eſſentia, non quòd ſit pars materialis concurrens ad eius compoſitionem, ſed quia præſupponitur eſſentia prioritate naturæ, vt ſubiectum recipiens ſubſiſtentiam, & ſubſiſtens præſupponitur eadem prioritate vt ſubiectum recipiens exiſtentiam, ita vt agens primò producat rem in ſpecie, deinde ſubſiſtentiam incommunicabilem alteri ſuppoſito, proportionatam tali eſſentiæ, ac proinde ſub tali ſpecie, & tandem exiſtentiam qua totum eſt completè in rerum natura : ratio huius manifeſta eſt, quia ſubſiſtentia non poteſt produci, niſi tanquam actus quo ſubſiſtat natura ſiue eſſentia, & ideò dependenter ab illa vt à ſubiecto recipiente : & ſimiliter exiſtentia producitur vt ratio exiſtendi ſuppoſito, ac proinde cum dependentia ab illo, imò ſubſiſtentia limitatur ab eſſentia in qua recipitur, nam ſubſiſtere ſecundùm ſe non dicit limitationem, limitatur autem ad ſubſiſtere humanum, quia ſubſiſtentia recipitur in eſſentia humana, & ſimiliter eſſe, ſiue exiſtentia limitatur radicaliter ab eſſentia, proximè verò à ſuppoſito in quo recipitur : nam eſſe ſecundùm ſe nullam dicit limitationem, vt ſæpe docet D. Thom. & propterea eſſe Dei ſit irreceptum, eſt infinitum & illimitatum, limitatur verò, quia recipitur realiter in hac vel illa eſſentia, ſiue ſuppoſito, vnde habet quòd ſit eſſe Angeli, vel hominis. Hæc doctrina eſt manifeſta in Schola D.Thom. qui docet, quòd forma per ſe ſubſiſtens non habet in ſe vnde limitetur, & ita ſi ſubſiſtentia & exiſtentia non reciperentur, ſunt illimitatæ perfectionis, quia in ſe non habent vnde limitentur, vnde debent produci per ordinem ad aliquam eſſentiam, in qua ſint receptibiles. Eſſentiæ autem ſunt limitatæ, quia ſunt determinatæ ſpeciei conſtantes ex genere & differentia, quæ ſunt termini eſſentiales : ſi autem ſubſiſtentia & exiſtentia nullam haberent cauſam materialem, ipſarum concreta eſſent actus puri, nam excluderent omnem potentialitatem, & ita Metaphyſici communiter docent, eſſentiam ſe habere vt potentiam & materiam reſpectu ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ, & propterea in Deo, cùm nulla detur potentia receptiua, omnia ſunt actus purus, & illimitatæ perfectionis.

Probatur prima pars concluſionis. Quæ creantur, immediatè procedunt à Deo, creatio autem terminatur ad totum exiſtens, vt communiter docent Philoſophi : ergo tam partes eſſentiales Phyſicæ (ſi loquamur de entibus naturalibus ſiue materialibus) quàm partes Metaphyſicæ, quæ ſunt eſſentia, ſubſiſtentia, & exiſtentia immediatè producuntur à Deo, quando res creantur.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Totum propriè creatur ex D.Th. 1.p. q.45. art.4. ita vt ſit terminus creationis; partes autem, cùm per ſe non ſint, ſed habeant eſſe in toto; ſic ex ſe non ſiunt quaſi ex ſe ſint termini actionis, ſed ſiunt & producuntur, dum ſit & producitur totum, eſſe enim & fieri proportionantur, ita vt, cui non competit per ſe fieri, nec competit per ſe eſſe, & cui non competit per ſe eſſe, nec ei competit per ſe fieri : ergo cùm ſubſiſtentia ſit pars Metaphyſica, non creatur, ſed concreatur ad creationem totius, & ſimiliter dicendum eſt de eſſentia & exiſtentia. Vnde dicimus creationem habere pro termino adæquato ipſum totum, ſiue ſuppoſitum exiſtens, quod includit eſſentiam, ſubſiſtentiam & exiſtentiam : & ita concipimus ipſam actionem creatiuam formaliter vnam, quaſi virtualiter diuidi, ita vt primò attingat eſſentiam : ſiue compoſitam producendo & vniendo partes illius (ſi quod creatur eſt corporeum vt Cœlum,) ſiue ſimplicem, ſi ſit res immaterialis. Secundò attingit ſubſiſtentiam, illámque vnit eſſentiæ, ipſam recipiente vt potentia & ſubiecto, ex quarum vnione reſultat ſuppoſitum. Tertiò attingit exiſtentiam vltimam rei actualitatem, & complementum intrinſecum, eámque ſuppoſito communicat : & quia hæc tria ſunt termini inadæquati creationis, ſi ſigillatim ſumantur, ideò quodlibet ipſorum dicitur concreari ad creationem totius.

Probatur tertia pars concluſionis. Sicut ſuppoſitum eſt terminus actionis creatiuæ, ita & generatiuæ, ac quocumque modo productiuæ, vt eſt certum in Philoſophia:

ſophia : ergo ſubſiſtentia rerum materialium, quæ producuntur à cauſis ſecundis, comproducitur ad productionem totius ab iiſdem cauſis ſecundis : hæc conſequentia patet ex immediatè ante dictis, eſt enim paritas rationis vtrobique.

Probatur quarta pars concluſionis. Cauſæ ſecundæ vniuocæ ſunt cauſæ principales ſuorum effectuum, quia producunt effectus eiuſdem omnino rationis & ſpeciei, & non excedentes ipſarum virtutem ; propterea enim dicuntur cauſæ vniuocæ, & ipſi effectus dicuntur vniuoci : ſed multæ dantur cauſæ ſecundæ vniuocæ, vt equus reſpectu alterius equi : ergo dantur multæ cauſæ ſecundæ principales ſuorum effectuum: ſed effectus actionis generatiuæ, aut alio modo productiuæ, eſt ſuppoſitum, cùm actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum : ſuppoſitum autem dicit, vt formale ſui conſtitutiuum, ipſam ſubſiſtentiam vt dictum eſt : ergo cùm cauſæ ſecundæ ſint cauſæ principales productionis ſuppoſiti, ſunt etiam cauſæ principales comproductionis ſubſiſtentiæ. De exiſtentia dicetur infra, à quo, & quomodo producatur.

Probatur quinta pars concluſionis. Aliquid emanare ab alio, nihil eſt aliud, quàm ipſum fieri ad exigentiam illius, non enim proprietates propter aliam rationem dicuntur emanare ab eſſentia, niſi quia producuntur ſimul cum illa ab aliquo agente ad exigentiam ipſius eſſentiæ vt dictum eſt in Phyſicis : ſed ſubſiſtentia fit ad exigentiam eſſentiæ, cùm ſit eius terminus ſubſtantialis, & per modum proprietatis illius, neceſſariam cum illa habens connexionem vt dictum eſt : ergo poteſt dici quòd ſubſiſtentia, tam rei creatæ, quàm alio modo productæ emanat ab ipſa eſſentia.

Probatur ſexta & vltima pars concluſionis. Ad propriè dictam eductionem, vt dictum eſt in Phyſica, requiritur realis tranſmutatio ſubiecti, & propterea ibidem negatum eſt formas cœlorum, & elementorum in primâ ſui productione fuiſſe eductas de potentia materiæ. Item negatum eſt proprietates (quia non præſupponunt ſubiectum taliter priuatum, & conſequenter nec in illo veram tranſmutationem) educi de potentia ſubiecti, & dictum eſt comproduci cum illo : ſed idem currit in præſenti, in nullo ſiquidem inſtanti reali eſt eſſentia ſine ſubſiſtentia : ergo ſubſiſtentia non educitur de potentia eſſentiæ. Videantur quæ dicta ſunt ſupra in Phyſica de eductione. Idem omnino dicendum eſt de ſubſiſtentia hominis, nam in homine non eſt alia ſubſiſtentia, quàm animæ rationalis, ipſa enim contrario modo ſe habet, ac aliæ formæ ſubſtantiales ; cùm enim creatur, habet propriam ſubſiſtentiam & exiſtentiam, quas communicat toti compoſito, aliæ verò formæ ſubſiſtunt & exiſtunt tantùm, vt quo, per ſubſiſtentiam & exiſtentiam totius compoſiti.

Ad primum ergo dicendum, quòd verum eſt ſubſiſtentiam emanare ab eſſentia, ſed hoc non excludit, quin producatur effectiuè ab aliqua cauſa extrinſeca, cùm eſſentia non poſſit eſſe cauſa productiua ipſius.

Ad ſecundum dicendum, quòd in tali caſu humanitas Chriſti Domini immediatè emanaret ſuam ſubſiſtentiam, ſed tamen non eſſet cauſa productiua illius, at Deus in quantùm creator animæ Chriſti, cui debebatur talis ſubſiſtentia, niſi fuiſſet præuenta à Verbo, quod ipſi propriam ſuam ſubſiſtentiam communicauit. Nec eſſet opus quòd Deus haberet nouam actionem circa humanitatem, ad hoc vt emanaret talis ſubſiſtentia, ſed ſufficit creatio animæ præcedens, quæ adhuc extat virtualiter in ſuo primario termino, ſcilicet in ſubſtantia animæ Chriſti, vt dictum eſt ſupra in Phyſicis in ſuo ſimili, quando eſſentia decurſu temporis emanat ſuas proprietates, vt quando aqua ſemel calida reducit ſe ad priſtinam frigiditatem.

Articulus V.

Vtrùm ſint multæ partiales ſubſiſtentiæ in eodem compoſito?

Ad quintum ſic proceditur. Videtur quòd ſint multæ partiales ſubſiſtentiæ in eodem compoſito phyſico, ita vt quælibet pars, tam eſſentialis, quàm integralis habeat ſuam propriam ſubſiſtentiam, & quòd iſtæ partiales ſubſiſtentiæ componant vnam totalem. Ita tenent aliqui recentiores. Probatur. Eſſentia & ſubſiſtentia debent adinuicem proportionari, ſicut actus proprius ſuæ potentiæ : ſed eſſentia compoſiti Phyſici eſt compoſita ex diſtinctis entitatibus : ergo ſimiliter eius ſubſiſtentia totalis eſt compoſita ex multis partialibus ſubſiſtentiis : maximè, quia ſubſiſtentia eſt modus eſſentiæ : modus autem non addit nouam entitatem ſupra rem modificatam, & ita tot erunt ſubſiſtentiæ partiales, quot entitates in compoſito phyſico.

§ 2. Præterea, In homine materia & forma habent diſtinctas ſubſiſtentias proprias. De anima enim certum eſt, & docent communiter Philoſophi cum D.Thom. quia creatur, creatio enim terminatur ad ſuppoſitum. Materia etiam habet, quod enim eſt receptiuum vt quod accidentium, ſubſiſtit vt quod, materia autem ſecundùm ſe eſt receptiua vt quod accidentium materialium, & ita ſubſiſtit vt quod, vnde habet propriam ſubſiſtentiam : ergo ſimiliter in aliis compoſitis Phyſicis ſunt plures ſubſiſtentiæ partiales.

§ 3. Præterea, Quandò diuiditur Lacerta, aut aliquod aliud habens formam diuiſibilem, partes ſubſiſtunt ſeparatæ, non per ſubſiſtentiam totius, quia eadem entitas non poteſt informare duo ſubiecta ſeparata : ergò quælibet pars ſubſiſtit per ſubſiſtentiam propriam & partialem, quam ante habebat in toto, non enim apparet, vnde producantur de nouo iſtæ ſubſiſtentiæ partiales, & ita in eodem compoſito Phyſico ſunt multæ partiales ſubſiſtentiæ.

Sed contra eſt authoritas D.Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, & etiam multi extra eius ſcholam.

Conclusio.

Cùm ſubſiſtentia reddat incommunicabile, & in ſuo ordine ſit actus, non poſſunt eſſe in eodem compoſito multæ partiales ſubſiſtentiæ.

Respondeo dicendum, quòd in eodem compoſito Phyſico non ſunt multæ partiales ſubſiſtentiæ : ſed datur vnica totalis, qua primò ſubſiſtit totum, ſecundariò partes. 2. ſi excipias hominem in quo, licèt ſit vnica ſubſiſtentia ; tamen propria eſt animæ rationalis, & illâ primò ipſa anima ſubſiſtit, ſecundariò verò materia, & totum compoſitum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt hanc difficultatem non habere locum in ſubſtantiis immaterialibus & ſimplicibus, quæ cùm non habeant partes ſubſtantiales Phyſicas ex quibus componantur, ſed tantùm conceptos Logicos : ideò cùm ſubſiſteotia conueniat rei, non prout concipitur, ſed prout eſt à parte rei, non eſt verum quòd in illis non ſint multæ partiales ſubſiſtentiæ : in Deo autem optimo maximo, quia omnia ſunt mirabilia, inuenimus vnam ſubſiſtentiam abſolutam, qua conſtituitur eſſentia diuina ſubſiſtens, ſed non incommunicabiliter, & etiam conſtituitur hic Deus vt indiuiduum in actu exercito, quia omnis perfectio abſoluta conuenit eſſentiæ diuinæ, etiam vt præintelligitur perſonis Diuinis, præſcindens per intellectum ab illis : inſuper dantur ſecundùm veram doctrinam Thomiſticam tres ſubſiſtentiæ relatiuæ realiter inter ſe diſtinctæ, ſiue tres perſonalitates, quarum vnaquæque conſtituit vnam perſonam Diuinam : ſed ſolâ ratione diſtinguuntur à ſubſiſtentia abſoluta, & eſſentiam diuinam ſubſiſtentem vltimò terminant. Quòd autem ſint ponendæ in diuinis iſtæ tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, patet ; ipſæ enim idem ſunt, ac perſonalitates, in diuinis

nis autem ſecundùm fidem debent admitti tres perſonalitates, cùm ſint tres perſonæ ſubſtantiuè loquendo, conſtitotiuum autem perſonæ eſt perſonalitas: ſed nomina ſubſtantiua numeralia multiplicant formam, & propterea non poſſumus dicere trea Deos, quia concedendæ eſſent tres diuinitatea; ergo in diuinis ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Nec contrarius eſt D.Hieronymus, dum dicit, quis audeat ore ſacrilego dicere in Deo eſſe tres ſubſiſtentias, nam ibi pro ſubſiſtentia intelligit ſubſtantiam, quia antequàm termini Theologici, quibus nunc in myſterio Trinitatis vtimur, ritè intelligerentur, fuit magna de illis diſſenſio inter ſanctos Patres.

Probatur prima pars concluſionis primò authoritate D. Thom. manifeſtè enim colligitur ex his quæ docet 1.p.q.45.art.4. Item 3.p.q.17.art.2. & alibi ſæpe. Deinde ſubſiſtentia creata eſt idem, ac ſuppoſitalitas ex communi doctrina Philoſophorum, ac proinde reddit illud cui communicatur, incommunicabile alteri vt ſuppoſito: & propterea Concilia & ſancti Patres negant eſſe in Chriſto ſubſiſtentiam humanam, quia ſi eſſet natura humana eſſet inaſſumptibilis: ergo repugnat partibus compoſiti Phyſici habere ſuas partiales ſubſiſtentias; cùm ſit de ratione partis eſſe communicabilis toti ſuppoſito, pars enim eſſentialiter reſpicit totum cuius eſt pars.

Variè reſpondent aduerſarij huic argumento. Aliqui dicunt non eſſe de ratione ſubſiſtentiæ partialis reddere incommunicabile. Alij dicunt quòd ſolùm reddit incommunicabile alteri tanquam ſubiecto, non verò tanquam toti. Alij denique dicunt, quòd ſolùm reddit incommunicabile alieno ſuppoſito, non verò proprio. Sed contra primum, nam ſubſiſtentia in ſuo conceptu formali, & eſſentiali importat, quòd reddat rem incommunicabilem alteri vt ſuppoſito, vt dictum eſt, propterea enim negamus in humanitate Chriſti ſubſiſtentiam creatam: ergo ſubſiſtentia omnis, ſiue totalis, ſiue partialis habet ab intrinſeco quòd reddat incommunicabile alteri vt ſuppoſito, illud cui communicatur: vel dicendum quòd ſubſiſtentia totalis & partialis eſſentialiter differunt; cùm non participent eamdem rationem formalem & eſſentialem: & ita illud quod aduerſarij vocant ſubſiſtentiam partialem, non erit ſubſiſtentia, ſed aliquid aliud. Contra ſecundum, quælibet pars ſubſtantialis ex ſe, ſecluſo quocumque ſuperaddito, habet quòd non inhæreat, nec poſſit inhærere: hoc enim conuenit ſubſtantiæ vt ſic, ſiue completæ, ſiue incompletæ, cùm opponatur accidenti cui conuenit inhærere, ſiue eſſe in altero tanquam in ſubiecto: ergo partes compoſiti phyſici non habent proprias ſubſiſtentias, aliàs eſſent fruſtra, nullum enim ipſis communicarent effectum formalem, cùm ille aſſignatus, nempe eſſe incommunicabile alteri vt ſubiecto, conueniat ſubſtantiæ ex ſe, præciſo quocumque alio. Contra tertium, materia prima, cùm ſit incorruptibilis ſemper debet retinere ſuam partialem ſubſiſtentiam, & tamen variis ſucceſſiuè communicatur ſuppoſitis, imò dum eſt in vno ſuppoſito, appetit alias formas, ac proinde appetit communicari aliis ſuppoſitis: ergo nulla eſt reſponſio, nam ex aduerſariis habemus materiam ſubſiſtentia propria terminatam, communicari alieno ſuppoſito. Deinde, ſi ſubſiſtentia Verbi ſufficit, vt ſubſiſtant per illam omnes partes humanitatis Chriſti, quare non ſufficiet ſubſiſtentia, vel totius in aliis compoſitis; vel animæ rationalis in homine, quæ intimè, ſicut & ipſa anima, communicatur materiæ & omnibus partibus integrantibus.

Secundò, vt ex illis ſubſiſtentiis partialibus fiat vna totalis; debent inter ſe vniri per modum actus & potentiæ, aliàs non facerent vnam ſubſiſtentiam per ſe: nam ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe, quod enim aduenit enti in actu, aduenit accidentaliter: ſed iſtæ ſubſiſtentiæ partiales non poſſunt vniri per modum actus & potentiæ, quia quod in vno genere eſt actus, in eodem genere non poteſt eſſe potentia, quamuis in alio genere poſſit, vt patet inductione in omnibus: aliàs vltimus terminus in vno genere poſſet vlterius terminari in eodem genere, quod implicat: conſtat autem quòd ſubſiſtentia in genere ſubſiſtendi eſt actus, & vltimus terminus rei: & ita implicat quòd in genere ſubſiſtendi ſit potentia, & ab alia vlteriùs terminetur. Videantur quæ dicta ſunt in Phyſica, dum impugnata fuit exiſtentia materiæ primæ: ergo non dantur in compoſito Phyſico ſubſiſtentiæ partiales, quæ efficiant vnam totalem.

Tertiò, nulla affertur ratio ab aduerſariis, quæ probet non poſſe partes ſubſiſtere vnica ſubſiſtentia totiùs, imò concedunt id fieri in Chriſto: ergo fruſtra ponuntur iſtæ ſubſiſtentiæ partiales.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Anima rationalis producitur per creationem, vt fides docet: ergo habet propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, creatio enim terminatur ad eſſe: ſed prius natura creatur quàm vniatur, priùs enim aliquid intelligitur eſſe, quàm alteri vniatur, propterea D.Thom.dicit quòd humanitas Chriſti præintelligitur aſſumptioni: ergo priùs ipſa ſubſiſtit propriâ ſubſiſtentiâ, quàm illam communicet materiæ, & toti compoſito.

Ad primum ergo dicendum, quòd actus & potentia debent neceſſariò proportionari: ſed in præciſa ratione actûs & potentiæ, non verò in particularibus rationibus: & ita ſubſiſtentia proportionatur vt actus ipſi eſſentiæ vt potentia eſt, non autem in aliis rationibus in ipſa incluſis. Ad aliud autem dicendum, quòd ſubſiſtentia non eſt modus, ſed actus perfectus & diſtinctus, tanquam res à re ab ipſa eſſentia, vt ſupra dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd in homine eſt vnica ſubſiſtentia ſpiritualis animæ rationalis, quæ communicatur materiæ, & toti homini vt dictum eſt. Ad aliud dicendum, quòd materia prima non eſt ſubiectum receptiuum accidentium materialium, ſed totum compoſitum, vt dictum eſt ſupra, dicuntur autem accidentia materialia, quia ſunt in ſubiecto materiali, & ad exigentiam ipſius materiæ.

Ad tertium dicendum, quòd illæ partiales ſubſiſtentiæ, quas habent partes ſeparatæ, de nouo emanant ab ipſis eſſentiis partialibus, vnde ſicut in toto non erant actu illæ diſtinctæ eſſentiæ, ſed tantùm in potentia, ſic nec ſubſiſtentiæ erant actu, ſed tantùm in potentia: ſunt autem actu ſicut & eſſentiæ, conſequenter ad illam diuiſionem, vt dictum eſt.

Articvlvs VI.

Vtrùm ſubſiſtentia habeat propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia eſſentiæ ſubſtantialis, ſiue ſuppoſiti?

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur quòd ſubſiſtentia habeat propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia eſſentiæ ſubſtantialis, ſiue ſuppoſiti. Ita Suarez & alij, qui identificant eſſentiam cum exiſtentia; & ita cuilibet rei habenti propriam eſſentiam, ſiue completam, ſiue incompletam aſſignant propriam exiſtentiam: vnde cùm ſubſiſtentia ſit aliquid habens peculiarem eſſentiam etiam ex illis authoribus habet peculiarem exiſtentiam. Probatur. Modus qui eſt ſubſiſtentia, diſtinguitur realiter ab eſſentia tanquam aliquid actuale poſitum extra ſuas cauſas, nam actu determinat naturam, & facit eam ſubſiſtere incommunicabiliter: ergo habet ſuum eſſe diſtinctum ab eſſe eſſentiæ, nam quælibet res actualis non diſtinguitur à ſua exiſtentia. Deinde, quando ſubſiſtentia incipit terminare actu naturam, oportet vt ſit actu, ac proinde quòd habeat aliquam exiſtentiam.

¶ 2. Præterea, In diuinis dantur tres exiſtentiæ relatiuæ præter abſolutam: ergo ſubſiſtentia ex natura ſua trahit ſecum ſuam exiſtentiam.

¶ 3. Præterea, Subſiſtentia conſequitur per ſimplicem emanationem ad productionem eſſentiæ ſubſtantialis,

& antequam sequatur, existentia in eadem essentia: sed est omnino impossibile, quod detur ista simplex emanatio, nisi detur actualis existentia eius, si enim emanat ante existentiam essentiæ, est ante talem existentiam, ac proinde existit propria existentia, maximè quia in illo priori habet effectum formalem actualem, scilicet reddere essentiam capacem recipiendi existentiam: ergo subsistentia habet suam propriam existentiam, distinctam ab existentia essentiæ substantialis, siue suppositi.

SED CONTRA est communis sententia Thomistarum vt infra probabitur, qui excludunt partiales existentias, sed præcipuè circa hanc difficultatem est Nauerræ t.p. q. 3. art. 4. controuer. 19.

CONCLVSIO.

Cum subsistentia nullam habeat præcisè ex se actualitatem specificam, nec terminet ex se seorsùm actionem productiuam, sed sit essentiæ ratio recipiendi existentiam, non habet propriam existentiam, distinctam ab existentia essentiæ substantialis, siue suppositi.

RESPONDEO dicendum quòd subsistentia non habet peculiarem existentiam sibi propriam, sed eadem existentia existit, qua essentia subsistens. Ad cuius euidentiam sciendum est subsistentiam distingui à supposito, tamquam partem à toto; ipsum enim suppositum constituitur, tum ex essentia in concreto concepta quasi ex materiali, tum ex subsistentia pro formali, realiter distinctis: si ab hoc Deum excipiamus in quo non distinguuntur, nisi in modo significandi per modum concreti & abstracti, sed realiter sunt idem: in creaturis autem distinguuntur, tanquam includens ab incluso: & licèt aliquando sumantur pro eodem: tamen in rei veritate sic distinguuntur. Præsens difficultas poterat comprehendi sub alia vniuersali, quam infra examinabimus, scilicet, an dentur partiales existentiæ, sed tamen, ne quid desit ad perfectam notitiam subsistentiæ, hîc breuiter perstringimus.

Item sciendum est, tam subsistentiam, quàm existentiam specificari ab ipsa essentia, in qua recipiuntur, & si loquamur de essentiis compositis, earum specificatio radicaliter desumitur ab ipsa forma in genere causæ formalis, id est quia forma constituit formaliter naturam in specie, constituit etiam in specie quidquid substantialiter pertinet ad eamdem naturam, taliter quod per ordinem ad talem formam intelligatur omnis participatio talis speciei: maximè quia ratio specifica in omnibus, quæ reperiuntur in natura specifica, & efficiunt vnum in specie cum illa, est vnica & indiuisibilis, ac proinde debet prouenire ab vnica & indiuisibili forma: constat autem quòd subsistentia, & existentia faciunt vnum per se cum natura specifica, quam actuant, vnde illarum specificatio prouenit à forma formaliter, supposito vno certò, quòd scilicet non habent ex se propriam speciem, si enim haberent, non possent constituere eamdem rem vnius speciei cum ipsa natura siue essentia. Vnde cùm Thomistæ dicant subsistentiam & existentiam specificari à forma modo explicato, immeritò illos arguit Suares volens probare, quòd ipsi intendant formam concurrere in genere causæ materialis ad specificationem subsistentiæ & existentiæ, quamuis aliquo modo possit dici concurrere materialiter, quia recipit ipsas, vt vera potentia Metaphysica, & ita comparatur ad ipsas ad modum materiæ. Hic autem modus tribuendi speciem non est perficiendo simpliciter subsistentiam & existentiam, sed potiùs determinando illas & coarctando earum actualitatem ad certam & limitatam rationem specificam. Igitur subsistentia & existentia secundùm se nullius sunt speciei, sed transcendunt omnem speciem: & propterea Deus qui est suum esse irreceptum, est omninò illimitatus, limitatur autem aliquod esse, quia recipitur in natura limitata, & fit esse, vel Angeli vel hominis &c. vnde dare speciem non est perfectio, si comparatio fiat ad omnia, quæ illam recipiunt, sed solùm si fiat comparatio ad illa, quæ illam recipiunt vt quid po-

tentiale: patet ergo quòd subsistentia specificatur à forma secundùm quòd emanat ab ipsa, tanquam à principio formali quo: existentia verò secundùm quòd producitur immediatè à Deo per ordinem ad talem formam, quæ est formale specificatiuum essentiæ, in qua recipiuntur.

Probatur conclusio, subsistentia non habet secundùm se aliquam actualitatem specificam, præter illam quam participat ab essentia, vt patet ex dictis: ergo nec habet aliquam existentiam secundùm se, sed existit per existentiam essentiæ siue naturæ: nam quidquid recipit existentiam, debet esse sub determinato genere, & sub certa specie, & habens esse essentiale vt recipiat existentiam finito & limitato modo: ac proinde cùm subsistentia secundùm se non sit in certa specie, & consequenter nec capax existentiæ limitatæ & finitæ, non habet propriam existentiam, sed existit existentiâ totius. Nec soluit argumentum dicere, quòd subsistentia secundùm se præcisè est quidem incapax existentiæ, cùm secundùm se non sit determinatæ speciei, ac proinde vt sic sit illimitata, & respiciens existentiam illimitatam, quæ est incommunicabilis creaturæ: non autem vt vnita naturæ, à qua habet suam limitationem specificam, ac proinde capacitatem recipiendi existentiam limitatam. Nam contra, non potest intelligi subsistentia specificata, & limitata per essentiam, nisi intelligatur vt efficiens vnum specificè & substantialiter cum essentia: ergo existentia debet consequi conformiter ad istam vnitatem, & consequenter debet esse vna & eadem existentia actuans eodem modo substantialiter vtrumque vt vnum.

Secundò, subsistentia est ratio ipsi essentiæ recipiendi existentiam, vt dicetur infra iuxta communem doctrinam Thomistarum: ergo existit eadem existentiâ, qua existit essentia, eadem quippe informatione actuatur subiectum, quod, & subiectum quo, quia in ratione subiecti receptiui non ponunt in numero subiectum quod, & subiectum quo, vt patet inductione: nam quia quantitas est ratio recipiendi accidentia materialia, eadem informatione informatur per illa, ac informatur substantia. Confirmatur. Nec essentia per se, nec subsistentia per se, possunt recipere existentiam, quia nec essentia, nec subsistentia est quæ existit, sed totum subsistens in essentia specifica: ergo existentia recipitur in subsistentia, & in essentia, tanquã in vnico subiecto totali & adæquato.

Tertiò, nulla actio terminatur ad subsistentiam producendam secundùm se & seorsùm, quia actio productiua solùm terminatur, vel ad id quod subsistit, vel quod in alio existit, non autem terminatur ad ipsam rationem subsistendi seorsùm vt patet: nam actiones & passiones sunt suppositorum, vel per se subsistentium: ergo nec existentia conuenit subsistentiæ secundùm se: nam existentia producitur ex vi actionis productiuæ extrahentis rem à suis causis, & ita cum ista actio terminetur ad rem quæ extrahitur, & non ad rationem ipsius subsistendi, etiam existentia non communicatur tali rationi subsistendi seorsùm scilicet subsistentiæ: sed rei subsistenti; vnde subsistentia non habet peculiarem existentiam sibi propriam, sed eadem existentia existit, qua essentia subsistens.

AD primum ergo dicendum, quòd subsistentia distinguitur, tanquam res à re ab ipsa essentia, & tamen non inde sequitur, quòd debeat habere existentiam distinctam: dicimus autem quòd in eodem instanti reali subsistentia tribuit essentiæ subsistere, & esse incommunicabilem, & simul recipit esse ab existentia, & hoc sufficit ad verificandum, quòd actualiter facit subsistere: tamen præintelligitur in priori naturæ causare suum effectum formalem faciendi subsistere, in quo nondum intelligitur existentia, sed tantùm capacitas ad illam recipiendam: ratio est, quia pro illo tunc non consideratur res in facto esse, siue in esse extra causas, sed in fieri, & in poni extra illas: & ideò non est necesse, quòd tunc intelligatur existentia, quæ est vltima actualitas, qua res posita est completè extra causas, vt dictum est supra 1. Physic. circa existentiam materiæ.

Ad secundum dicendum quòd in doctrina D. Thom. licèt dentur in diuinis tres subsistentiæ relatiuæ, non dantur tamen tres existentiæ relatiuæ, vt expressè docet D. Thom. 3. p. q. 17. art. 2. ad 3. vbi sic ait: *Quia persona diuina idem est cum natura, in personis diuinis non est aliud esse persona, præter esse naturæ: & ideò tres personæ non habent, nisi vnum esse: haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, & aliud esse naturæ:* tamen dato, & non concesso quòd in diuinis essent tres existentiæ relatiuæ, non inde sequitur, quòd subsistentia creata habeat suam existentiam, qua peculiariter existat: ratio disparitatis est quia in diuinis subsistentia est aliquid subsistens, non enim in Deo distinguuntur concretum & abstractum, nisi in modo significandi: vnde subsistentia diuina potest habere peculiarem existentiam, in creatis autem subsistentia est essentialiter pars subsistentis, & distinguitur realiter ab illo: vnde non potest existere vt quod, sicut nec subsistere vt quod, & ideò non habet suam peculiarem existentiam, sed existit existentia totius.

Ao tertium dicendum, quòd omnis simplex emanatio requirit existentiam, vel tanquam præequisitum aliquod, vel tanquam concomitans, illa quidem quæ reducitur ad genus causæ efficientis, præequirit existentiam, & ab illa participat primam actualitatem simplicis emanationis: illa verò quæ reducitur ad genus causæ formalis, requirit existentiam in eodem instanti, non tamen pro illo priori simplicis emanationis: subsistentia autem & existentia solùm emanant ab essentia in genere causæ formalis, quatenus habent ab illa suam specificationem: in genere autem causæ efficientis, emanant ab ipso agente, subsistentia modo explicato, existentia verò modo explicando, agens enim comprodacit illas in tali specie ad exigentiam suæ essentiæ, quòd est ab illa emanare in genere causæ formalis. Ad aliud dicendum, quòd subsistentia causat suum effectum formalem per præcisam communicationem suæ entitatis quæ in illo priori est actu, sed nondum existit; & ita licèt ex vna parte conferat perfectionem personando, tamen ex illa recipit perfectionem quoad existendum, cùm enim sit actus incompletus, necesse est quòd actuando habeat esse, & dependenter ab actuatione existat, quod est commune omnibus formis, tam substantialibus quàm accidentariis.

QVÆSTIO XIX.

De existentia.

DEinde considerandum occurrit de existentia, quæ est vltimus actus compositionis Metaphysicæ, vltimus terminus, & vltima perfectio substantialis entis Metaphysici, circa quam quæruntur sex.

¶ Primò, Quid sit existentia substantiæ?
¶ Secundò, Vtrùm existentia distinguatur ab essentia?
¶ Tertiò, Quæ sit causa efficiens existentiæ creaturarum, & quomodo producatur?
¶ Quartò, Quis sit effectus formalis existentiæ?
¶ Quintò, Vtrùm in composito physico sint plures existentiæ partiales?
¶ Sextò, Vtrùm accidentia habeant propriam existentiam, distinctam ab existentia substantiæ?

ARTICVLVS I.

Quid sit existentia substantiæ?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd existentia sit accidens. Ita tenuerunt aliqui antiqui, qui propterea constituerunt peculiare prædicamentum existentiæ. Probatur. Illud omne est accidens, quod contingenter aduenit rei constitutæ in actu, vt patet ex definitione accidentis: sed existentia contingenter aduenit rei constitutæ in actu per materiam & formam: ergo existentia est accidens.

¶ 2. Præterea, Quidquid est reale, vel est substantia, vel accidens, ens enim reale diuiditur adæquatè in ens per se, & ens in alio: sed existentia non est substantia; quia Aristoteles diuidit etiam adæquatè substantiam in materiam, formam, & totum compositum, quorum neutrum est existentia: ergo existentia est accidens.

SED CONTRA est authoritas D. Thom. quem sequuntur, non solùm eius discipuli, sed & communiter alij Philosophi.

CONCLVSIO.

Cùm existentia det rei substantiali esse per se, & adueniat ipsi nondum constituta in vltimo actu substantiali, & ad illam essentia ordinetur, non est accidens prædicamentale.

RESPONDEO dicendum, quòd existentia substantiæ non est accidens prædicamentale, 2. sed tantùm prædicabile, 3. vnde propriè describitur, quòd sit terminus substantialis, quo res tanquam vltima actualitate posita extra causas primariò completur, & terminatur. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd essentia rei prout possibilis, siue antequam producatur, nullam habet actualem entitatem distinctam à Deo: & hoc supra probatum est contra Scotum ex D. Thom. q. 3. de potentia art. 5. ad 2. vbi ait: *Ipsa rei quidditas creari dicitur quia antequam esse habent, nihil est nisi forte in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia.* Esse autem sumitur tribus modis. Primò pro copula in compositione conuertente attributum cum subiecto. Secundò pro essentia, & quidditate rei, vnde dicitur, quòd definitio explicat quod quid erat esse rei, id est essentiam. Tertiò tandem, & frequentiùs pro existentia actuali.

Probatur prima pars conclusionis. Nullum accidens potest constituere substantiam in ordine substantiæ; ita vt facit ipsam esse per se, nam constitutiuum rei est quod dat tale esse rei, constat autem quòd accidens non dat rei, quam constituit, nisi esse accidentale, & consequenter esse in alio, quod opponitur ad esse per se: sed existentia constituit substantiam in ordine substantiæ, ita vt faciat ipsam esse per se, nam substantia est, & dicitur ens per se, quia existit, siue habet esse per se, imò solus ordo ad existentiam per se, siue substantialem constituit substantiam in esse per se, vnde substantia definitur esse ens, quod potest per se existere: ergo existentia substantiæ non est accidens prædicamentale.

Secundò, nulla substantia potest intelligi sine ordine ad existentiam, cùm sit impossibile aliquid creati, nisi dicat talem ordinem, quia per creationem acquirit esse siue existentiam: sed omnis substantia creata, aut creabilis potest intelligi sine ordine ad accidens, quia quodlibet potest intelligi præcisè cum suis prædicatis, vel essentialibus, vel cum illis cum quibus habet necessariam omnimodè connexionem vt sit, nullum autem accidens prædicamentale est prædicatum essentiale substantiæ, aut ipsi omnimodè necessarium vt sit, vt ex se patet: ergo existentia non est accidens prædicamentale.

Tertiò, accidens prædicamentale aduenit rei in actu vltimo substantiali constitutæ, vt communiter docent Philosophi, quia accidens est entis ens, & desumit suam actualitatem à substantia actuali, & ideò debet illam præsupponere in actu completo substantiali: sed existentia non aduenit rei in actu vltimo substantiali constitutæ, cùm sit id quod dat formaliter substantiæ, vt actu vltimo compleatur; vnde non præsupponit, sed facit esse completam: ergo existentia non est accidens prædicamentale.

Probatur secunda pars conclusionis. Accidens prædicabile definitur, quòd sit illud, quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione, siue vt eaplicatum est suo loco, sine quo subiectum potest concipi esse, vnde est illud, quod non omnimoda necessitate, sed contingenter aduenit rei, cùm sit extra essentiam ipsius: sed existentia est huiusmodi, vt postea probabitur; ergo existentia est accidens prædicabile.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionia. Dicimus quòd existentia substantialis (& idem dicendum est proportione seruata de inexistentia accidentium) sit vltima actualitas rei intra ordinem substantiæ, qua in tali ordine terminetur & compleatur: dicitur autem quòd primò terminat, quia substantia prius completur in ordine substantiæ, deinde completur per alias actualitates accidentarias, vel ad modum accidentalium: & hic conceptus conuenit omni existentiæ etiam diuinæ, saltem quoad modum nostrum intelligendi: quod autem natura, cujus est eaistentia, sit posita extra causas, hoc est per accidens respectu existentiæ vt sic, & solùm competit existentiæ creatæ: natura enim diuina non est posita extra causas, cùm non habeat, Deus enim est prima & vniuersalis omnium causa: vnde patet quòd non rectè assignatur ab aliquibus conceptus existentiæ, quòd sit id, quo res quælibet est actu posita extra suas caosas; non enim conuenit existentiæ vt sic, cùm non conueniat omni, scilicet diuinæ: prout autem attribuitur eaistentiæ creatæ, indiget eaplicatione, de quo agetur infra.

Ad primum ergo dicendum, quòd duplex est accidens, scilicet prædicabile, & dicit omne illud quod non ingreditur essentiam rei, vel non est ipsa essentia, & hoc modo eaistentia est accidens: aliud est prædicamentale, quod aduenit rei in actu vltimo substantiali constitutæ, & ita est actus accidentalis, & hoc modo existentia non est accidens, vt dictum est.

Ad secundum dicendum cum Capreolo, & Caietano, quòd eaistentia secundùm se, nec est substantia, nec accidens, sed eaistentia substantiæ est actus substantialis, eaistentia verò accidentis est actus accidentalis: vnde existentia substantiæ reducitur ad prædicamentum substantiæ, sicut principium formale vltimatum ipsius substantiæ; quia per hoc res ponitur in prædicamento substantiæ, quia est capax esse sobstantialis: existentia verò accidentis redocitur ad prædicamentum illius accidentis, cuius est. Aristot. autem in hoc loco diuidit substantiam physicè consideratam, & non metaphysicè.

Articvlvs II.

Vtrùm existentia distinguatur ab essentia?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd existentia non distinguatur realiter ab essentia, sed sola ratione. Ita tenent Durandus in 1. d. 8. q. 2. Herueus quodlib. 7. q. 9. Gabriel. in 3. d. 6. q. 2. quos sequuntur vniuersi Nominales, ac plures recentiores eatra Scholam D. Th. Suares, Vasques. Valentia, &c. Probatur. illud, quo res constituitur extra suas causas, est existentia, vt patet ea definitione eaistentiæ: sed quælibet res constituitur extra suas causas per actualitatem essentialem, siue per essentiam actualem: ergo existentia est realiter ipsa essentia.

§ 2. Præterea, Si existentia distinguitur realiter ab essentia, sequitur primò quòd existentia creata sit actus purus, cùm nihil includat potentialitatis. Sequitur secundò quòd per seipsam eaistit, cùm enim nihil potentialitatis includat, non potest per alium actum existere, & sic per semetipsam existit, quod soli Deo competit. Sequitur tertiò quòd in compositis materialibus sit duplex compositio realis, substantialis, vna ex materia & forma, alia ea esse & essentia, ac proinde esset compositum per accidens, quæ omnia sunt absurda: ergo existentia non distinguitur realiter ab essentia.

§ 3. Præterea, Si essentia & existentia realiter distinguuntur, sequitur quòd Deus possit ipsas ab inuicem separare, & sic separatas conseruare, cùm enim sint distinctæ, possunt diuinitus vna sine alia conseruari: sed implicat quòd essentia conseruetur sine eaistentia, si enim conseruatur, est actu, & ita includit existentiam: ergo existentia non distinguitur realiter ab essentia.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, Capreol. in 1. d. 8. q. 1. Caietanus de ente & essentia cap. 5. q. 10. Ferrar. 2. contra gentes cap. 52. Bannes 1. p. q. 3. art. 4. dub. 2. Soncinas 4. Metaph. quæst. 12. Iauellus de transcendentalibus cap. 4. & alij.

Conclvsio.

Cùm existentia, siue esse cuiuscumque rei creata, sit receptum realiter, distinguitur ab essentia.

Respondeo dicendum, quòd in omnibus rebus creatis eaistentia distinguitur realiter ab essentia. 2. tanquam res à re, & non tantùm modaliter. Ad cuius euidentiam sciendum est, hanc difficultatem non procedere de Deo ente increato, in quo certum est idem esse existentiam cum essentia ex illo Eaodi. 3. *Ego sum qui sum.* Item, *Qui est, misit me ad vos*: Sed de hoc infra, vnde in præsenti solùm agimus de ente creato, cuius essentia potest considerari in duplici statu, scilicet possibili, & actuali, in statu possibili nihil est in se, vt supra dictum est, sed tantùm in virtute causæ, quòd nihil est aliud, quàm in causa esse virtutem ad illam producendam, & vt sic non solùm distinguitur realiter negatiuè ab eaistentia, sed etiam à seipsa vt actuali tanquam ens à non ente. In statu verò actuali est, quando est producta, & iam posita in rerum natura extra causas, & iuxta hanc considerationem procedit difficultas, vtrùm existentia in actu exercito distinguatur ab essentia actuali.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 3. art. 4. vbi sic ait: *Oportet quòd illud, cuius esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio*: Ergo cùm omnes res creatæ habeant esse causatum à Deo, illud esse est aliud ab earum essentia. Idem docet de ente & essentia cap. 5. item 2. contra gentes cap. 52. & 53. imò fusè probat multis rationibus.

Secundò, sacra Scriptura, Concilia, & Sancti Patres communiter docent, quòd est proprium & peculiare ipsius Dei, quòd eius essentia sit suum esse iuxta illud Eaodi. 3. *Ego sum qui sum.* Item, *Qui est, misit me ad vos*: Ergo in creaturis esse siue eaistentia distinguitur realiter ab essentia. Nec valet solutio, quam aliqui adhibent, scilicet in Deo nullam esse omnino distinctionem etiam rationis inter esse & essentiam: & propterea benè dicunt Sancti Patres, quòd est proprium Dei, quòd eius essentia sit suum esse; non autem in creaturis, in quibus essentia & esse ratione distinguuntur. Sed contra etiam in Deo esse & essentia ratione distinguuntur, ea D. Th. 1. p. q. 2. art. 1. vbi docet, non esse per se notum quoad nos, Deum esse: ergo ratione distinguit essentiam Dei ab eius eaistentia, nam verè ex vna parte debemus apprehendere Deum, & ea alia esse Dei, aliàs si non possumus vnum apprehendere sine alio, necessariò si apprehendimus Deum, apprehendimus ipsum esse, & ita erit per se notum quoad nos Deum esse. Deinde in Mysterio Incarnationis natura & essentia diuina nihil facit in humanitate, nec dicitur vnita humanitati primariò, cùm vnio non sit facta in natura, & tamen eaistentia diuina facit humanitatem eaistere, & est vnita ipsi primariò non absolutè, quasi immediatè, sed per modum termini vltimi, vt intelligitur quasi appropriata secundæ personæ: ergo in Deo essentia & existentia ratione distinguuntur; vel admittendæ sunt simul de eodem secundùm eamdem rationem contradictoriæ propositiones. Denique subsistentia diuina distinguitur ratione ab essentia, vt admittunt aduersarij, & videtur certum, cùm alius sit conceptus essentiæ, & alius subsistentiæ, & etiam quia aliqua conueniunt Deo ratione subsistentiæ, quæ non conueniunt ratione essentiæ, vel è contra: ergo pari ratione existentia diuina distinguitur ratione à diuina essentia.

Tertiò, si essentia est idem realiter cum existentia, vix intelligitur quomodo Verbum diuinum assumpsit humanitatem sine existentia creata, communicando illi immediatè, non solùm personalitatem, sed etiam diuinam existentiam, quæ sententia est D. Th. 3. p. q. 17. art. 2. vbi docet, quòd in Christo Domino sit tantùm vnum esse diuinum: ergo in creatis existentia distinguitur realiter ab essentia.

Quartò, essentia, quæ habet existentiam sibi identificatam, nullum habet accidens in se receptum, quia est essentialiter suum esse, & sic ex se præcisè est constituta in vltimo actualitatis simpliciter, & sine vlla limitatione; quia esse secundùm se non limitatur, sed dicit illimitatam perfectionem, & tantùm limitatur ab essentia, in qua realiter recipitur: si autem identificatur, non recipitur, & ita esset actus purus, & proinde in eo non esset potentia ad aliquid recipiendum, quia summa actualitas, siue actus purus excludit omnem potentiam passiuam, & receptiuam: hunc modum procedendi tenet D. Th. in probando quòd in Deo nullum est accidens, quòd sit infinitus, illimitatus, actus purus, summum bonum, imò quòd sit ens necessarium, nam si eius essentia est suum esse, per suam essentiam est, & eius essentiæ non potest non conuenire esse: sed nulla est creatura, quæ non habeat aliquod accidens vt patet: ergo nulla est essentia creata, quæ habeat existentiam sibi identificatam. Vel dicendum esset, quòd illa existentia, siue illud esse esset illimitatum, & infinitum simpliciter, cùm non habeat vnde limitetur: nam ex D. Th. forma irrecepta v. g. albedo est pura, & nihil habet nisi se tantùm, & est infinita in specie albedinis, non enim est determinata ad aliquem albedinis modum, quia quod est per se tale, habet omnem perfectionem passibilem illi naturæ: & sic esse irreceptum erit infinitum esse, & consequenter quid infinitum in ordine essendi, & ita infinitum simpliciter quod repugnat esse creato.

Sextò, essentia & existentia producuntur à diuersis causis totalibus, & non subordinatis, essentia scilicet à causa secunda principaliter, existentia autem à solo Deo principaliter, vt infra dicetur: ergo realiter distinguntur: est enim receptum apud Philosophos nullum effectum posse produci saltem naturaliter, à duabus causis totalibus principalibus, & non subordinatis, nam causa totalis alicuius effectùs est illa, à qua effectus habet totum suum esse, & ita vna causa totalis proxima sufficit, & aliæ sunt superfluæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Primò iisdem fundamentis, quibus supra probatum est subsistentiam distingui ab essentia, tanquam rem à re, & non solùm modaliter. Deinde, est maior ratio cur existentia distinguatur ab essentia, quàm subsistentia, nam existentia est magis distans & extrinseca ipsi essentiæ, quàm sit subsistentia, nam existentia non recipitur in essentia, nisi mediante subsistentia, vt infra dicetur, & subsistentia est terminus substantialis intrinsecus supposito, vnde hæc propositio est æternæ veritatis, Petrus subsistit: existentia verò est terminus extrinsecus, vnde hæc non est æternæ veritatis, Petrus existit: ergo existentia distinguitur ab essentia, tanquam res à re, & non tantùm modaliter.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc definitio existentiæ, prout accipitur ab aduersariis, non est vera, non enim vtcumque existentia ponit rem extra causas, sed tantùm completè, vnde priùs prioritate naturæ intelligitur essentia actualis poni initiatiuè extra causas, efficienter per causam agentem, formaliter verò per suam entitatem actualem, antequam adueniat illi existentia, licèt in eodem instanti reali sint simul, sed de hoc suo loco: essentia autem actualis sua actualitate essentiali distinguitur à seipsa, vt est in potentia obiectiua, sicut ens reale à non ente, quæ distinctio vocatur realis negatiua; non autem distinguitur, vt ens actu existens à non ente, quod tamen aduersarij intendebant.

Ad secundum dicendum, quòd ex hoc ipso quòd existentia recipitur in essentia, limitatur ad hanc speciem, vnde includit imperfectionem & potentialitatem, & ita non est actus purus, nam post ipsam adueniunt rei actus accidentales, quod repugnat actui puro. Ad aliud dicendum, quòd existere conuenit supposito vt quod, partibus autem vt quo, & ita existentia seipsa existit vt quo, imò est ratio existendi aliis, Deus autem existit seipso vt quod. Ad aliud dicendum quòd nullum est inconueniens admittere in rebus materialibus hanc duplicem compositionem, nec tamen sequitur compositum esse vnum per accidens, quia in compositione Metaphysica non essentia physica, constans ex materia & forma, est vera potentia respectu existentiæ actuantis. Differentia, quæ est inter has compositiones, infra adducetur.

Ad tertium dicendum, quòd multa sunt realiter distincta, quæ non possunt separata conseruari, materia enim distinguitur realiter à forma, & tamen est impossibile conseruari sine aliqua forma, & sic impossibile est essentiam conseruari sine aliqua existentia, vt infra probabitur, propter intimam dependentiam prouenientem ex ipsa ratione essentiæ.

Articvlvs III.

Quæ sit causa efficiens existentiæ creaturarum, & quomodò producatur?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd causæ secundæ principales alicuius effectus, sint etiam causæ principales existentiæ eiusdem effectus. Ita tenent multi recentiores extra scholam D. Th. qui pro se citant aliquos Thomistas, vt Caietanum, & Ferrariensem, sed immeritò. Probatur ex D. Th. qui sæpe docet omnes causas in hoc conuenire, quòd causent esse, & in alio loco dicit quòd causent effectus, & sint eorum causæ, non solùm in fieri, sed etiam secundùm esse: ergo causa secunda est causa principalis existẽtiæ sui effectus.

¶ 2. Præterea, si causa secunda non est dicenda causa principalis existentiæ sui effectus, est maximè quia non habet ex se, sed ab extrinseco existentiam: sed hæc ratio non valet, aliàs sequitur, quòd non producat essentiam sui effectus, quia etiam eius essentia est ab extrinseco. Deinde causa secunda verè causat aliquod esse actuale in suo effectu; aliàs nihil faceret: sed hoc actuale est existentia: ergo causa secunda est causa principalis existentiæ sui effectus.

¶ 3. Præterea, Si existentia effectus non producitur principaliter à causa secunda, sed à solo Deo, vel producitur ab ipso per creationem, vel per eductionem: sed neutrum potest dici, nam creari est suppositorum, vel subsistentium vt quod, qualia non est existentia, educi autem præsupponit esse actu illud à quo res aliqua educitur, essentia verò non est actu ante existentiam, cùm ab illa habeat suam actualitatem: ergo existentia producitur principaliter à causa secunda.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quam communiter sequuntur eius discipuli.

Conclusio.

Cùm effectus quilibet debeat reduci in causam sibi proportionatam, esse siue existentia, quæ est effectus vniuersalissimus, debet reduci ad solam causam vniuersalissimam scilicet Deum, vt ad causam principalem.

Respondeo dicendum, quòd solus Deus optimus maximus est propria, principalis, & proxima causa efficiens existentiæ in omnibus rebus: 2. Ita tamen quòd si immediatè creentur, ab ipso solo producatur. 3. Si autem res immediatè non creantur, earum existentia à solo Deo tanquam à causa principali, à causis verò secundis, vt ab instrumentis Dei producitur, 4. non autem producitur effectiuè ab essẽtia. 5. talis productio, in rebus quæ creantur, dicitur concreatio, in aliis verò comproductio, 6. nunquam tamen potest dici eductio de potentia essentiæ, 7. licèt possit dici emanatio. Ad cuius euidentiã sciendum est causas secundas efficientes verè efficere suos effectus, & hoc certum est tum ex fide, tum ratione natu-

rali-

fali, ex fide quidem, quia sæpe hoc dicit Sacra Scriptura, ratione autem, quia aliàs peccata deberent reduci ad Deum. Deinde si ignis v. g. non vrit, sed Deus ad præsentiam ignis, sequitur quòd iste effectus æquè poterit attribui cuicumq; & indifferenter, & maximè si multa sunt præsentia, dum producitur: quòd est absurdum. Vt autem aliquid sit causa, etiam principalis, alicuius effectus, non est necesse vt producat existentiam illius: habemus exemplum in beatissima Virgine, quæ verè est Mater Dei, vt definitum est in Concilio Ephesino, & tamen non produxit existentiam Christi Domini, cùm in sententia D. Th. sit existentia Diuina. Deinde Petrus est verè causa efficiens Pauli filij, & tamen secundùm fidem non producit eius existentiam, nam existentia hominis est existentia animæ rationalis, quæ secundùm fidem creatur; vnde vt aliquid sit causa alterius, sufficit quòd eius actio productiua terminetur ad totum compositum, & non requiritur quòd terminetur ad aliquam partem compositi, vt patet in productione hominis geniti, nam eius anima creatur à Deo, materia verò, quæ est alia pars intrinseca, præsupponitur ad productionem illius.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. infinitis ferè locis: 1. p. q. 8. art. 1. sic ait: *Cùm Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quòd esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis: hunc autem effectum causat Deus in rebus non solùm quando primò esse incipiunt, sed quamdiu in esse conseruantur* &c. Item q. 45. art. 5. ait: *Oportet vniuersaliores effectus in vniuersaliores & priores causas reducere: inter omnes autem effectus vniuersalissimum est ipsum esse, vnde oportet quòd sit proprius effectus primæ & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus, vnde etiam dicitur in lib. de causis, quòd neque intelligentia, vel anima nobilis dat esse, nisi inquantùm operatur operatione diuina.* Item 2. contra gentes cap. 21. ait: *Effectus particulares causis particularibus, vniuersalibus verò causis vniuersales effectus respondent, esse autem est causatum primum, quod in ratione suæ communitatis apparet, causa igitur propria essendi prima simpliciter, est agens primum & vniuersale, quod est Deus.* Item lib. 3. cap. 66. per totum, vbi hæc inter alia habet: *Secundùm ordinem causarum est ordo effectuum: primum autem in omnibus effectibus est esse, nam omnia alia sunt determinationes ipsius: igitur esse est proprius effectus primi agentis, & omnia alia agunt ipsum, inquantum agunt in virtute primi agentis.* Et paulò infra ait: *Quod est per essentiam tale, est propria causa eius quod est per participationem tale; Deus autem solus est ens per essentiam suam, omnia autem alia sunt entia per participationem, nam in solo Deo esse est sua essentia: esse igitur cuiuslibet existentis est proprius effectus eius; ita quòd omne quod producit aliquid in esse, hoc facit inquantum agit in virtute Dei.* Item quæstione 3. de potentia articulo primo ait: *Nulla res dat esse, nisi inquantum est in ea participatio diuinæ virtutis*, & articulo quarto ait: *Primus effectus est ipsum esse, quod omnibus aliis effectibus præsupponitur, & ideò oportet quòd dare esse inquantum huiusmodi, sit effectus primæ causæ solius secundùm propriam virtutem, & quæcumque alia causa dat esse, hoc habet inquantum est in ea virtus, & operatio primæ causæ, sicut instrumentum efficit actionem instrumentalem, non per virtutem propriæ naturæ, sed per virtutem mouentis.* Ecce quàm clarè D. Thom. causalitatem existentiæ siue esse creaturarum, soli Deo principale, instrumentalem verò causis secundis attribuit.

Secundò probatur rationibus desumptis ex his authoritatibus, omnis effectus secundùm suam proportionem debet reduci in causam sibi proportionatam, ita vt si sit particularis, debeat reduci in causam particularem; si vniuersalis, in causam vniuersalem; si vniuersalissimus, in causam vniuersalissimam: hoc enim petit subordinatio effectus ad causam, & correspondentia causæ & effectuum, vt docet D. Thom. locis citatis, & Aristoteles 2. Phys. aliàs nisi fiat ista reductio effectuum ad causas proportionatas, non est assignabilis ratio, cur hic effectus reducatur potiùs in hanc, quàm in illam causam: sed existentia est effectus omnium vniuersalissimus, & quo non potest dari vniuersalior in ratione veri & realis effectus, nam reperitur in omnibus rebus realibus, siue sint substantiæ, siue accidentia vt vltimus ipsarum actus, & vltimum terminatiuum, & à quo omne ens reale desumit suam rationem entis realis producti, nam ens reale definitur per ordinem ad existentiam, siquidem ens reale est illud quod est, aut potest esse: vnde cùm tribuat rationem formalem gradui vniuersalissimo, scilicet enti reali, debet esse actus vniuersalissimus, qui secundùm se nullam omnino dicit limitationem, quia secundum se nec pertinet ad speciem aliquam, nec ad genus aliquod entis, imò nec ad aliquem modum entis: substantia autem pertinet ad modum per se entis, essentia autem secundùm se est, aut saltem petit esse in determinata specie (negatiuè si loquamur de materia prima, positiuè si loquamur de aliis) vnde solum esse limitatur ab extrinseco, scilicet ab essentia in qua recipitur: ergo esse siue existentia est effectus proprius, & immediatus causæ vniuersalissimæ, scilicet Dei: & ita solus Deus est propria, principalis, & proxima causa efficiens existentiæ in omnibus rebus, hæc pars conclusionis magis roborabitur ex dicendis ad alias partes.

Probatur secunda pars conclusionis. Non potest dari causa, nec principalis, nec instrumentalis creationis præter Deum, de principali concedunt omnes, de instrumentali probant communiter Thomistæ cum D. Th. 1. p. quæstione 45. articulo quinto, & ratio est manifesta: nam instrumentum præsupponit aliquid, in quo exerceat suam actionem instrumentalem, vt patet ex dictis in Physica, creatio autem nihil præsupponit, cùm sit productio totius entis ex nihilo, nec res est producta simpliciter in aliquo instanti reali, nisi habeat esse, cùm sit intimissimum omnium, vt ait D. Th. nec terminatur creatio, nisi sit communicatum per ipsam esse ordinariè loquendo: (solam enim habemus exceptionem in creatione animæ Christi: vbi creatio non fuit terminata, sed præuenta assumptione, qua esse diuinum fuit communicatum eidem animæ) ergo non datur vlla causa præter Deum, nec principalis, nec instrumentalis existentiæ rerum quæ immediatè creantur.

Probatur tertia pars conclusionis. Supposito priùs quòd hæc pars duo continet. Primum, quòd solus Deus sit etiam causa principalis existentiæ rerum, quæ non immediatè creantur. Secundum, quòd producatur à causis secundis, vt ab instrumentis Dei. Quantùm ad primum, quòd Deus sit causa principalis, iam probatum est, & amplius probabitur ex dicendis: quòd autem solus Deus, & ita nulla alia causa inferior. Probatur. Quod est causa efficiens principalis alicuius effectus, debet continere radicaliter in sua essentia rationem formalem talis effectus; aut formaliter, si sit causa vniuoca; aut eminenter, si sit causa æquiuoca: vnde licèt aliqua causa efficiens producat effectum per virtutem, quàm in se habet, si talis virtus sit tantùm in ea subiectiuè, & participata ab extrinseco, non autem contenta & radicata in eius essentia, vel formaliter, vel eminenter, tunc talis effectus non attribuitur illi, vt causæ principali, sed tantùm vt causæ instrumentali, siue vt deferenti virtutem alterius ad producendum talem effectum: illi autem, in quo est talis virtus radicata in essentia, vel contenta formaliter aut eminenter, attribuitur effectus tanquam causæ principali, vt patet inductione in omnibus, nam aqua calida, quia habet tantùm calorem subiectiuè, & non radicatum in essentia sua, non dicitur calefacere vt causa principalis, sed tantùm vt instrumentum illius, à quo recepit talem colorem, & sic de aliis (nec inuenietur instantia in contrarium in causis naturalibus, licèt possit esse in causis liberis respectu actuum vitalium supernaturalium, hoc tamen aliunde prouenit, quia scilicet repugnat causæ liberæ esse instrumentum propriè dictum respectu sui actus vitalis, & adhuc hæc instantia solùm reperitur in schola D. Th. non enim il-

iam admittunt aduersatij :) vel saltem ratio producenda in effectu debet reperiri in causa, vt constitutiua ipsius in ratione principij quod, qualiter reperitur subsistẽtia actiones enim sunt suppositorum: sed nulla causa secunda continet radicaliter in sua essentia rationem formalem existentiæ, formaliter aut eminenter, nam aliàs sequeretur quod existentia essentialiter deberetur, & competeret alicui creaturæ, & quòd essentia esset perfectior aut æquè perfecta, ac existentia, quæ omnia falsa sunt, nec existentia constituit eam in ratione principij quod, cùm sit pura conditio sine qua non ad agendum: ergo nulla causa secunda est causa principalis existentiæ sui effectus.

Quòd autem sit causa instrumentalis, Probatur contra Bannes. Actio causæ secundæ, qua producit suum effectum perdurat vsque ad completam productionem effectua, vt patet ad oculum: ergo aliqualiter attingit existentiam illius, nam existentia est terminus intrinsecè complens fieri,& esse rei: sed non attingit principaliter, vt probatum est: ergo instrumentaliter. Vnde dicimus quòd præmotio, qua Deus applicat causas secundas ad operandum, habet tantùm rationem applicantis in ordine ad productionem essentiæ & subsistentiæ effectûs: in ordine verò ad productionem existentiæ, habet rationem eleuantis, quia causa secunda non est in actu primo ad producendam existentiam ex se, vt dictum est, vnde indiget eleuari ad illam producendam: & ita virtus diuina est simul applicatiua,& eleuatiua: habemus multa de hoc exempla, nam Sacramenta eadem virtute applicantur, & eleuantur ad causandã gratiam, & Cythara eadem motione pulsatur & artificiosè pulsatur: & hoc expresse docet D.Th.locis citatis, dum dicit quòd nulla res dat esse,nisi in quantùm est in ea participatio diuinæ virtutis. Nec vrget inconueniens, quod obijcit Bannes, scilicet quòd causa secunda esset causa principalis simul & instrumentalis respectu eiusdem effectûs, nullum enim est tale inconueniens, cùm sit commune omni instrumento, quòd exercens præuiè suam actionem principalem, & consequenter producens aliquid principaliter in effectu, exerceat actionem instrumentalem, cui in effectu correspondet aliquid instrumentaliter, sicut in factione scamni,sectio ligni est effectus principalis serræ, nam conuenit illi secundùm propriam virtutem & dentaturam, solùm enim indiget motione qua applicetur, qua etiam indiget omnis alia causa principalis, vt operetur, sectio verò artificiosa est effectus principalis artificis tantùm, & instrumentalis serræ, excedit enim eius virtutem, & solùm illam producit eleuata per motionem artificiosam ipsius artificis, & ita proportionaliter accidit in præsenti.

Probatur quarta pars conclusionis. Omnis causa efficiens debet præcedere in aliquo instanti, saltem naturæ, suum effectum: ita vt habeat esse completum, & consequenter existat, nam operari sequitur, & præsupponit esse, cùm operari sit actus secundus & accidentalis, esse verò actus primus & substantialis: Certum est autem actum primum substantialem debere præcedere actum secundum accidentalem: sed essentia non potest habere esse completum sine existentia, cùm ipsa existentia sit eius primum complementum intrinsecum: ergo existentia non producitur effectiuè ab essentia: maximè quia causa est perfectior suo effectu, essentialiter, si sit æquiuoca, accidentaliter autem, si vniuoca: infra autem probabitur quòd existentia est perfectior essentia.

Secundò si essentia esset causa efficiens suæ existentiæ, esset causa sui ipsius,siue esset sibi causa essendi, nam illud dicitur causa alicuius, quod dat illi esse,hæc enim est definitio causæ efficientis ab omnibus recepta: si autem essentia esset causa efficiens suæ existentiæ,daret sibi esse, & reduceret se de potentia in actum, nam existentia est esse simpliciter, constituens completè in actu substantiali, & ita essentia esset causa sui ipsius: sed nihil potest esse causa sui ipsius, nam causa præcedit effectum vt eius principium productiuum, & effectus subsequitur vt productum, idem autem non potest se præcedere, nec se subsequi: ergo essentia non est causa effectiua suæ existentiæ.

Tertiò,si essentia esset verè causa efficiens suæ existentiæ, deberet illam producere mediante aliquâ actione: nam causa efficiens actu constituitur talis per suam causalitatem actualem, quæ est actio vt dictum est supra in Physicis:sed essentia non potest producere suam existentiam mediante aliqua actione, tum quia actio est actus secundus præsupponens primum, qui est existentia, tum quia illa actio deberet recipi,& subiectari in illa essentia, omnis enim actio subiectatur in agente vt dictum est in Physicis, constat autem quòd forma accidentalis non potest recipi in essentia, si non habet existentiam coniunctam, in illo autem priori non esset existentia, imò subsequeretur illam actionem, vt terminus per illam productus: ergo essentia non potest esse causa efficiens suæ existentiæ.

Probatur quinta pars conclusionis. Actio productiua alicuius, terminatur ad totum existens, vt ad terminum adæquatum;ad partes verò quæ simul producuntur cum toto, vt ad terminos inadæquatos: ergo in rebus, quæ immediatè creantur, totum existens creatur, existentia verò,& aliæ partes concreantur: & ita productio existentiæ in re immediatè creata, est concreatio: in aliis verò, quæ immediatè non creantur, totum producitur vt terminus adæquatus; partes verò comproducuntur: vnde productio existentiæ rerum, quæ immediatè non creantur, est comproductio.

Probatur sexta pars conclusionis. Ad veram eductionem, vt dictum est in Physicis, debet præintelligi res,de cuius potentia aliquid educitur, ad minùs in priori naturæ constituta in actu substantiali completo:sed nec essentia est in aliquo reali habens priuationem existentiæ,nec potest intelligi sine illa esse vltimò completa, cùm sit eius complementum: ergo existentia non educitur de potentia essentiæ: maximè,quia simul & semel producitur cum essentia, quod apparet in rebus quæ creantur. Videantur quæ dicta sunt in Physicis de eductione.

Probatur septima pars conclusionis. Aliquid emanare ab essentia, nihil est aliud, quàm fieri à causa agente ad exigentiam talis essentiæ,& recipi in illa: sed existentia fit à Deo proportionata essentiæ, secundùm eius exigentiam, & recipitur in essentia: ergo emanat ab illa, prout præcisè explicuimus emanationem.Et in hoc sensu est intelligendus D. Th. dum dicit, quòd esse consequitur ad formam, nisi fortè sit intelligendus de esse specifico.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th. intelligendus est de causalitate indeterminata, abstrahendo à principali & instrumentali, vel per ly (esse) intelligit esse actuale essentiæ,& non existentiæ. Ad aliud verò locum dicendum, quòd esse rerum sublunarium dependet in conseruari à causis vniuersalioribus, scilicet Cœlo, Astris &c. conseruatur enim in essentia mediis quibusdam dispositionibus, quæ tum quoad temperiem, tum quoad operationes vitales dependent ab influentiis causarum superiorum: & ita peculiariter conseruatio ipsius esse tribuitur causis vniuersalioribus, quia tales dispositiones in actuali conseruatione solùm dependent ab illis, & non à causis secundis particularibus: hic tamen concursus cœlestis est instrumentalis, vnde esse sicut fit, sic etiam conseruatur à solo Deo, vt à causa principali, & ita intelligendus est D. Thom.

Ad secundum dicendum, quòd ratio assignata est optima, vt examinatum est. Nec vrget quod obiicitur de essentia, nam licèt essentia producatur à causa extrinseca: tamen est ipsa essentia res & conuenit illi essentialiter; vnde non est mirum si sit causa principalis in effectu, omnium quæ in sua essentia radicaliter præhabet. Ad aliud dicendum, quòd causa secunda causat principaliter esse actuale essentiæ, instrumentaliter verò esse existentiæ.

Ad tertiam dicendum, sicut dictum est, quòd si res

creatur

creatur immediatè, eius existentia producitur per creationem, & dicitur concreari, si verò res non creatur, actio qua producitur, dicitur comproductio, nunquam tamen admittendum est illam educi de potentia essentiæ, vt probat argumentum, quamuis aliqui hoc concedant, quia fit cum aliqua subordinatione ad essentiam, scilicet ad eius exigentiam, & in illa recipitur: sed hoc propriè non est educi, aliàs anima rationalis educeretur de potentia materiæ, nam fit cum tali subordinatione, dependet enim à materia vt disposita, tanquam à conditione necessaria: nam solùm creatur, dum materia est vltimò disposita ad receptionem, & informationem ipsius: nullus tamen dicit animam rationalem educi de potentia materiæ.

ARTICVLVS IV.

Quis sit effectus formalis existentiæ?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd effectus formalis existentiæ, sit formaliter ponere rem extra causas. Ita tenent plurimi extra scholam D. Thom. vnde definiunt existentiam, quòd sit id, quo res formaliter ponitur extra causas. Probatur. Res quælibet est extra causas per suam actualem essentiam, ipsa enim essentia, quæ vt possibilis est in virtute causarum, ponitur extra causas, per hoc quòd redditur actualis: sed essentia actualis est ipsa existentia: ergo effectus formalis existentiæ est ponere rem extra causas.

§ 2. Præterea, Esse extra causas est esse in se, vt communiter docent Philosophi: nam esse in se, est esse in rerum natura productum, ac proinde positum extra causas: sed esse in se, est existere: ergo esse extra causas est formaliter existere: sed effectus formalis existentiæ est facere existere: ergo & ponere rem extra causas.

SED CONTRA est expessa authoritas D. Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, præcipuè nostri Complutenses 1. Physicorum disp. 3. quæst. 5. ex quibus plura hic adducimus de verbo ad verbum.

CONCLVSIO.

Cùm essentia sit actualis in priori naturæ, antequam adueniat ipsi existentia, non est effectus formalis existentiæ ponere rem vtcumque extra causas, sed positam extra causas vltimò complere.

RESPONDEO dicendum, quòd effectus formalis existentiæ non est vtcumque rem ponere extra causas: sed est rem positam extra causas, siue in rerum natura actualem, si sit substantia vltimò substantialiter complere, & ita in priori naturæ supponit illam actualem. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd in creaturis essentia, vt reipsa & in se est aliquid, distinguitur realiter ab existentia, vt probatum est supra, & docet D. Thom. 3. part. q. 3. artic. 4. Item q. 44. art. 1. Item q. 54. art. 1. Item 2. contra gentes cap. 52. & alibi sæpe, imò essentia actualis vt talis, etiam ratione suæ actualitatis distinguitur realiter ab existentia, si loquamur non de actualitate vltima, sed de actualitate realiter viali, & ad rationem essentiæ pertinente, quia totum suppositum in materialibus, vt includens actualitatem essentialem materiæ & formæ, intelligitur esse in quadam substantiali tendentia ad actualitatem existentiæ substantialis: vnde essentia realis, aut actualis actualitate ad ordinem essentiæ pertinente, & vt terminata per subsistentiam, est id quod realiter recipit existentiam, estque id quod ea propria ratione correspondet directè prædicatis quidditatiuis possibilibus, non verò existentia. Quare quia essentia hominis, vt est sub statu possibilitatis, consistit in hoc quòd sit animal rationale; ideò essentia illius realis, & actualis actualitate ad ordinem essentiæ pertinente, est id quod reipsa & actualiter importat hæc prædicata: existentia verò solùm dat, quòd hæc eadem essentia quæ est in fieri, siue in egredi ab agente, habeat vltimam actualitatem, per quam constituitur omninò extra causas, & consequenter in facto esse, & in statu sistentiæ: & sic existentia solùm tribuit rei, quòd sit formaliter in facto esse, non verò quòd sit in fieri, siue in via ad vltimam perfectionem substantialem: nam essentia seipsa formaliter, connotando tamen existentiam in eodem instanti reali, sed in alio posteriori naturæ illi conuenientem, terminat tunc primò illud fieri, & ideò seipsa formaliter est aliquid, licèt effectiuè habeat totum hoc ab agente. Vnde essentia vt actualis actualitate realis essentiæ, habet quasi medium statum inter alios duos extremos, quorum primus est status puræ possibilitatis, in quo essentia est actualiter nihil, secundus autem est status existentiæ, in quo tanquam in vltimo substantiali termino definit, & quiescit totus hic substantialis processus: cùm tamen eadem essentia in illo medio statu sit in egressu à priori, & in progressu ad posteriorem, & ideò res non abeunt in nihilum pereunte existentia, quia existentia dat formaliter essentiæ quòd sit aliquid, sed quia requiritur per modum connotari ad hoc quòd essentia sit extra suum essentiale nihil, nam quòd res sit omnibus modis extra nihil, ac proinde extra nihil completè, prouenit formaliter ab existentia, quia est vltima actualitas: & ita sicut agens communicat effectui essentiam actualem, dum eius causalitas intelligitur quasi in sui initio, & ob id dicimus effectum, vt est in egredi, habere suam essentiam actualem, licèt talis essentia distinguatur à suo fieri, sic communicat existentiam, dum intelligitur eius causalitas esse in vltimo sui exercitij per se primò intenti, quia existentia est vltimum complementum substantiale, & vltima actualitas substantialis cuiuscumque rei: vnde in eodem instanti temporis causa efficiens producit essentiam & existentiam; existentia verò actuat essentiam, & essentia recipit existentiam: in hoc tamen instanti temporis distinguit intellectus cum fundamento in re plura instantia naturæ, in quibus ista omnia habent rationem prioris & posterioris, in diuerso genere causæ: nam in genere causæ efficientis priùs est efficientem operari, quàm effectum esse productum, & in ipso effectu prius est existentiam in genere causæ quasi formalis actuare essentiam: in genere verò causæ materialis, est priùs essentiam recipere existentiam, quàm existentiam actuare illam. Quo fit, quòd sicut res est omnino nihil, quandò omninò est intra omnes suas causas, & omnibus modis est aliquid, quandò est omnino extra omnes illas, ita intelligitur esse quodammodò nihil, & quodammodò aliquid, quando intelligitur esse aliquo modo extra vnam, & non intelligitur esse extra aliam, quia ea qua parte intelligitur modo dicto esse extra aliquam vel aliquas, ac proinde esse in illo quasi statu medio, intelligitur esse aliquid, & ex qua parte intelligitur non esse extra aliquam aliam, intelligitur esse nihil quoad id, quod ab illa causa habitura est in genere, & in ordine illius. Hinc ergo dicimus quòd realiter loquendo, & in eodem instanti essentia simul cum existentia terminant actionem agentis: cæterùm prout essentia intelligitur esse extra efficientem saltem in fieri, & nondum extra causalitatem formalem existentiæ, ac proinde neque etiam omnino extra causalitatem efficientis, censetur esse aliquid in se, & quodammodò nihil, quia nondum intelligitur esse extra causalitatem formalem existentiæ, ac proinde neque extra causalitatem efficientis in facto esse, & dum intelligitur esse extra causalitatem formalem existentiæ, & consequenter omnino in facto esse extra causalitatem efficientis, & omnium suarum causarum, intelligitur esse omnibus modis aliquid, quia intelliguntur iam exhaustæ omnes causalitates. Hæc nostri Complutenses.

Probatur conclusio. Supposità distinctione reali inter essentiam & existentiam est impossibile intelligere existentiam communicari essentiæ, nisi præ intelligatur essentia aliquo modo actualis ante talem communicationem, quomodo enim aliquid communicabitur & adueniet alteri, nisi aliquo modo sit, quod illud recipit? sed essentiæ communicatur existentia per modum formæ: ergo

ergo ante aduentum eius præsupponitur essentia actualis: si præsupponitur essentia actualis ante existentiam in aliquo priori: ergo per illam non ponitur extra causas formaliter, sed tantùm completiuè modo iam explicato. Confirmatur. D.Th. 3.p.q.4.art.2. vt probaret Filium Dei non assumpsisse personam humanam, vtitur hoc principio, illud quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni, sicut illud quod mouetur localiter, præintelligitur ipsi motui: vnde humanitas Christi, vt assumeretur, debuit præintelligi assumptioni, per hoc autem fuit assumpta præcisè, quia fuit illi communicata subsistentia diuina, & etiam existentia in schola D. Th. ita vt priùs aliqua prioritate naturæ communicatio subsistentiæ præcesserit communicationem existentiæ: & propterea D.Th. 3.p.q. 17. art. 2. ex vnitate personæ siue suppositi in Christo (cuius formale constitutiuum est subsistentia.) Infert quòd in Christo sit vnum tantùm esse substantiale: sed non potest humanitas præintelligi assumptioni, nisi aliquo modo præintelligatur in se actualis, ac proinde inchoatiuè extra causas ante aduentum subsistentiæ & existentiæ: ergo existentiæ effectus formalis non est vtcumque ponere rem extra causas, sed completè.

Ad primum ergo dicendum, quòd res est inchoatiuè extra causas per essentiam actualem actualitate essentiali, ipsa autem essentia sic actualis non est existentia; sed præintelligitur existentiæ, & realiter distinguitur ab ipsa, & à seipsa vt possibili & totaliter constituta in virtute causarum.

Ad secundum dicendum, quòd eo modo, quo res est in se, eodem modo est extra causas, esse autem in se, & extra causas tantùm inchoatiuè, non est existere vt dictum est.

Articvlvs V.

Vtrùm in composito Physico sint plures existentiæ partiales?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd in composito Physico sint plures existentiæ partiales. Ita tenet Suares, & quotquot identificant essentiam cum existentia: cùm enim in composito Physico sint plures essentiæ partiales, scilicet materiæ primæ & formæ, consequenter ad suam doctrinam, dicunt esse plures existentias partiales. Probatur. Tot sunt in composito Physico existentiæ, quot sunt entia actualia, nam ens actuale est ens existens: sed in composito Physico sunt plura entia actualia, scilicet partes actu distinctæ, nempe materia & forma: ergo in illo sunt plures existentiæ partiales.

¶ 2. Præterea, Perfectio rei desumitur ab existentia, vel ab ordine ad existentiam, vnde si materia & forma existerent vna existentia totius, & illam respicerent; essent eiusdem perfectionis, quod nullus dicet: ergo quælibet existit sua propria & partiali existentia, & ita in composito Physico sunt plures existentiæ partiales.

¶ 3. Præterea, Materia prima habet propriam partialem existentiam, aliàs quoties transit de vno in aliud compositum, mutaretur, imò corrumperetur, & de nouo generaretur, ex vi enim generationis totius, reciperet nouum esse, siue nouam existentiam, quod est de nouo generari, cuius contrarium docet Philosophus, scilicet materiam primam esse ingenerabilem & incorruptibilem. Deinde, in homine est etiam animæ rationalis existentia, ipsa enim creatur, & creatio terminatur ad esse: ergo saltem in homine sunt plures existentiæ partiales.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem sequuntur Nauarrete 1.p.q.3.art.4. controuer. 18. Aluares 3.p.q.4.art.1. & communiter alij eius discipuli.

Conclvsio.

Cùm partes compositi Physici non possint naturaliter existere separatæ, nec fiant secundùm se, sed constituant vnum per se scilicet totum compositum, non habent proprias partiales existentias, sed existunt existentia totius; & ita in composito Physico non sunt plures existentiæ partiales.

Respondeo dicendum, quòd in quolibet composito Physico datur vnica existentia totalis, qua primariò totum compositum, secundariò, autem omnes partes, tam essentiales, quàm integrantes etiam realiter inter se distinctæ existunt 2. in solo homine inuertitur ordo: nam licèt in eo sit vnica existentia, tamen primariò conuenit animæ rationali vt propria, quam communicat materiæ, & toti composito, vnde illa secundariò existunt, & ita in composito Physico non sunt plures existentiæ partiales. Ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem non procedere de Angelis, nullus enim de præsenti dubitat, quin in illis sit vnica existentia; quia non componuntur ex partibus Physicis, nullam enim includunt materiam: & propterea dicuntur substantiæ separatæ; & licèt componantur ex partibus Logicis, scilicèt genere & differentia, tamen istæ partes sola ratione distinguuntur & sunt idem realiter, vnde sufficit eis vnica existentia: componuntur etiam Metaphysicè ex gradibus Metaphysicis, scilicet essentia, subsistentia, & existentia; eadem autem est existentia, qua existit essentia & subsistentia, siue essentia subsistens, vt dictum est supra. Nec existentia habet peculiarem existentiam à se distinctam, qua existat, cùm enim non sit id quod existit, sed id quo aliud existit, existit seipsa vt quo, imò est impossibile concipere vnam existentiam per aliam existere, cum enim existentia sit vltimus terminus substantialis, & vltima actualitas substantialis, non potest ordinari ad aliquid vlterius, aliàs non esset vltimus terminus: & cùm sit vltima actualitas, non potest vlterius actuari, hæc enim implicant in terminis, & ita non datur existentia existentiæ. Vnde difficultas procedit tantùm de compositis materialibus, quæ constant ex pluribus partibus realiter distinctis, quale est totum Physicum constans ex materia & forma, totum integrale constans ex suis partibus integrantibus: totum autem materiale triplici modo potest constitui ex suis partibus. Primò, ita vt partes remaneant perfectæ & integræ, nec per se vniantur, vt accidit in toto per accidens, siue per aggregationem, & in hoc toto materiali certum est reperiri plures existentias, sed tamen non partiales propriè, quia sunt ibi plures essentiæ totales realiter distinctæ. Secundò, ita vt partes transmutentur & corrumpantur, vt accidit in mixtis, & in hoc toto vt sic, certum est non esse plures existentias, quia in illo quatenus tali non sunt plures partes. Tertiò tandem, fit totum materiale ex pluribus imperfectis & partialibus realiter distinctis, & in toto remanentibus, vt est totum Physicum ex materia & forma, & de hoc est præsens difficultas.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. 1.2. q.4.art.5.ad 2. vbi sic ait: *idem est esse formæ & materiæ, & hoc idem est esse compositi: nam esse totius non est alicuius suarum partium: vnde vel pars omnino desinit esse destructo toto, sicut partes animalis destructo animali, vel si remanent, habent aliud esse in actu, sed anima humana remanet esse compositi post corporis destructionem.* Item 3. parte quæstione 17. articulo secundo, postquam dixit quòd in eodem sunt multa esse secundùm quid, vt esse album &c. docet quòd esse simpliciter est tantùm vnum; vnde sic concludit: sed illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasim, vel personam secundùm se, impossibile est in vna hypostasi vel persona multiplicari, quia impossibile est, quòd vnius rei non sit vnum esse: per esse autem quod pertinet ad personam intelligit esse per se siue substantiale, vt patet ex ipso textu: & propterea concludit quòd in Christo est vnicum esse, & ibidem loquens de partibus integrantibus, sic ait: *Ex omnibus his non fit, nisi vnum esse in Sorte: & si contingeret quòd post constitutionem personæ Sortis aduenirent Sorti manus, vel pedes, vel oculi (sicut accidit in cæco nato) ex his accresceret Sorti aliud esse sed solùm relatio quædam ad huiusmodi.* Idem docet D. Th. alibi.

Secundò,

Secundò, si materia & forma haberent proprias partiales existentias, quibus existerent; possent naturaliter existere separatæ à toto, ideò enim anima rationalis separata existit, quia habet propriam existentiam: quod similiter conuenitet aliis formis, nam ad existendum sufficit, quòd aliquid habeat existentiam, siue sit materialis, siue sit spiritualis: nec esse essentialiter partem, obstat, cùm anima rationalis sit essentialiter pars, & tamen separata existat: sed partes compositi Physici, scilicet materia & forma (exceptâ rationali, propterea enim colligimus habere propriam existentiam) non possunt existere separatæ naturaliter. De materia probatum est in Physicis implicare contradictionem: de forma materiali patet, nam si posset separata existere naturaliter, aliqua separata existeret, cuius contrarium experimur, nam pereunt omnes, quando materia recipit aliam de nouo: ergo materia & forma non habent proprias partiales existentias, & ita non sunt plures partiales existentiæ in composito Physico. Nec euacuat vim rationis instantia, quam in contrarium obiiciunt aduersarij, scilicet ex hac ratione sequi, quòd accidens possit existere separatum naturaliter, quia habet propriam existentiam. Dicimus enim, quòd existentia, cùm sit proportionata essentiæ, facit existere proportionatè ad exigentiam essentiæ, ita vt si essentia sit ens per aliud siue in alio, faciat existere illam essentiam per aliud, siue dependenter ab alio: vnde cùm accidens sit entis ens, siue ens in alio & per aliud, non potest naturaliter existere, nisi dependenter ab alio, licèt habeat propriam existentiam: si essentia verò est ens per se, existentia faciet illam existere per se, & independenter ab alio: constat autem quòd essentia materiæ primæ & formæ, prout habent conceptum essentiæ sunt substantiæ, & consequenter entia per se: ergo si eis concedatur existentia propria, existent separatæ naturaliter, sicut anima rationalis existit separata, quia habet propriam existentiam.

Tertiò, si in composito Physico essent plures existentiæ partiales, ita vt eius partes illis existerent, non posset ex illis fieri vnum per se, si enim partes compositi Physici existerent propriis existentiis, cùm existentia sit vltimus actus, essent plura entia in actu, ex pluribus autem entibus in actu, non potest fieri vnum per se, sed tantùm vnum per accidens, vt communiter docent Philosophi: sed ex materia & forma, quæ sunt partes compositi Physici, fit vnum per se, vt ex communi consensu probatum est supra in Physicis: ergo in composito Physico non sunt plures existentiæ partiales. Respondent aliqui hoc axioma, scilicet ex pluribus entibus in actu non fieri vnum per se, esse verum quando illa plura sunt actu completa; non verò quando sunt incompleta, qualia sunt materia & forma. Sed contra, nam Aristot. vtitur hoc axiomate, ad probandum quòd materia prima debet esse pura potentia, omnem excludens actum, vt ex illa & actu substantiali fiat vnum per se, non dicit quòd si materia esset actu, fieret tantùm ex illis vnum per accidens: per actum autem intelligit, tam Physicum, quàm Metaphysicum, vt probatū est supra in Physica. Deinde D.Th. vtitur eodem axiomate, ad probandum quòd in quolibet composito est tantùm vna forma substantialis, quia si essent plures, ex illis non posset fieri vnum per se, quia essent plura actu: sed tam materia prima, quàm forma substantialis sunt entia incompleta, cùm essentialiter sint partes: ergo hoc axioma est verū, tam in completis, quàm in incompletis.

Quartò, si in composito Physico sint plures existentiæ partiales: vel ita terminant partes, vt adhuc dicant ordinem ad existentiam totius, à qua dependeant, & vltimò perficiantur: vel in toto non reperitur alia existentia totius, quæ sit distincta ab istis partialibus: vel tandem ex istis partialibus simul vnitis fit vna totalis. Sed neutrum istorum est possibile. Non primum, nam si partes habent suam existentiam, per illam simpliciter existunt, & vltimâ suâ actualitate complentur, hoc enim dicit existere, & ita nullam perfectionem intrinsecam recipiunt ab existentia totius, cum vltimò perfectæ ad existentiam totius præsupponuntur, partes enim ordine generationis præcedunt totum. Deinde existentia in suo conceptu est vltimus rei terminus intrinsecus, & ita non potest ordinari ad vlteriorem, quod enim est vltimum in aliquo genere, non potest in eodem vlterius ordinari. Denique, licèt quod est actus in vno ordine, possit esse potentia in alio, (vt patet in forma quæ est actus Physicus; & tamen est potentia Metaphysica,) non tamen potest fieri, vt idem in eodem ordine sit actus & potentia: sed existentiæ istæ partiales, si darentur, essent actus in ordine existendi: ergo est impossibile, quòd in eodem ordine existendi essent potentia, & sic non dicerent ordinem ad existentiam totius, tanquam ad suum perfectibile. Non secundum, quia si in toto non est existentia totius, distincta ab istis partialibus, sed per illas existit totum, sequitur quòd primò conuenit esse partibus, & secundariò toti, quod nullus dicet, nam totum est per se & in se, partes verò sunt in toto, & ita potiùs dicendum est, quòd partes participant existentiam totius. Non denique tertium, quia appatet impossibile, quomodo ex duabus actualitatibus vltimis possit fieri vnum per se, cùm vt fiat ex duobus vnum per se, se debeant habere per modum actus & potentiæ. Deinde, dato quòd hoc sit possibile, habemus adhuc intentum, quòd scilicet in toto non est, nisi vna existentia totalis, & moltæ partiales.

Probatur, & explicatur secunda pars conclusionis. Secundùm fidem anima rationalis creatur, quod etiam lumen naturale demonstrauit antiquis Philosophis, quod enim educitur de potentia materiæ, non potest existere separatum à materia, nec habet operationes independentes & eleuatas à materia: constat autem quòd anima rationalis existit separata à materia, & habet operationes independentes ab illa, purà intelligere, vt probat Aristot. creatio autem terminatur ad esse, sicut & quælibet actio productiua: ergo animæ rationali intelligitur communicari esse in aliquo priori naturæ, antequam vniatur, non enim potest intelligi aliquid alteri vniri, nisi sit, & ita in illo priori, ac proinde primariò conuenit existentia animæ rationali vt propria, deinde communicat materiæ, & toti composito, vnde illa secundariò existunt.

An primum ergo dicendum, quòd partes compositi Physici sunt actuales actualitate existentiæ per existentiam totius, vt dictum est, actualitate verò essentiali per suas entitates realiter distinctas, & ab inuicem, & ab existentia qua existunt, vnde maior argumenti est simpliciter falsa, siue procedat de actualitate essentiæ, siue de actualitate existentiæ.

An secundum dicendum, quòd vtraque pars compositi Physici respicit quidem eamdem existentiam totius, sed vna nobiliori modo, quàm alia, forma enim per priùs respicit, & recipit existentiam, materia verò per posteriùs, & dependenter à forma, & eadem existentia diuersam vtrinsque capacitatem replet, ita vt per illam nobiliori modo existat forma, quàm materia, sicut nobiliori modo informatur vna pars totius ab eadem anima, quàm alia, & hic diuersus modus respiciendi, & recipiendi existentiam diuersificat perfectiones partium.

Ad tertium, quantùm ad materiam, videantur quæ dicta sunt supra in 1. Physicorum: quantùm ad formam, patet ex dictis quomodo existentia animæ rationalis est existentia totius compositi Physici.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm accidentia habeant propriam existentiam, distinctam ab existentia substantiæ?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd accidentia non habeant propriam existentiam, sed quòd existant formaliter per existentiam substantialē subiecti. Ita tenet Soto 1. Physic. q.6. aliquando etiam fuit in hac opinione Bannes, sed seipsum retractauit, dum aduertit esse

eſſe contrariam D.Thom. Probatur. Si accidentia habent propriam exiſtentiam, illa debet eſſe inhærentia ipſius accidentis, cùm accidentis eſſe ſit ineſſe, eſt enim entis ens: ſed nulla inhærentia eſt exiſtentia accidentis: non aptitudinalis, cùm ſit eius eſſentia, vnde nec concipi poteſt accidens ſine illa: nec actualis, quia accidentia in ſanctiſſimo Sacramento exiſtunt ſine actuali inhærentia, nihil tamen poteſt exiſtere, ſine aliqua exiſtentia, vt per ſe manifeſtum eſt: ergo accidentia nullam propriam habent exiſtentiam.

§ 2. Præterea, Eius eſt eſſe, cuius eſt produci; quia productio terminatur ad eſſe: ſed accidentia non habent diſtinctam productionem, à productione totius ſubſtantiæ: ergo nec habent exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ: maximè, quia exiſtentia ſubſtantiæ eſt perfectiſſima, & ita propter ſuam eminentiam poterit terminare, non ſolùm ſubſtantiam, ſed etiam accidentia, & hoc docet D.Th. 1.p. q.8. art.1. vbi ſic ait: *Eſſe autem eſt illud, quod eſt magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus ineſt: cùm ſit formale reſpectu omnium, quæ in re ſunt.*

Sed contra eſt expreſſa authoritas D.Th. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, Caietanus 1.p. q.28. art.2. Item de ente & eſſentia cap.7. Flandria 7. Metaph. q.1. art.5. Soncinas ibidem q. 5. Nauarrete 1.p.q.3. art.4. Bannes ibidem dubio 5. Aluares, & alij.

CONCLVSIO.

Cùm ſubſtantia conueniat per ſe exiſtere, accidenti verò inexiſtere, ſiue exiſtere in alio, exiſtentia accidentis eſt diſtincta ab exiſtentia ſubſtantiæ.

Respondeo dicendum, quòd accidentia habent propriam exiſtentiam accidentalem, diſtinctam tanquam rem à re ab exiſtentia ſubſtantiæ. 2. quæ exiſtentia non eſt actualis inhærentia accidentis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, hîc non agi de accidentibus prædicabilibus vt ſic: nam cùm inter illa reperiantur ſubſtantiæ (cùm omne illud quod eſt extra eſſentiam rei, ſit accidens prædicabile,) ideò debent reduci in ordinem ſubſtantiæ, quantùm attinet ad præſentem difficultatem: vnde ſolùm loquimur de accidentibus prædicamentalibus, quæ propriè eſſentialiter ſunt, & dicuntur accidentia: quæ, vt conſtat ex Myſterio Sacroſanctæ Euchariſtiæ, poſſunt eſſe ſeparata, & de facto ſeparantur à ſuo ſubiecto, vt definitum eſt à multis Conciliis, quæ expreſsè dicunt poſt conſecrationem manere ſolas ſpecies, id eſt, ſola accidentia panis & vini, & hoc canit Eccleſia in officio à D.Th. edito, accidentia in eodem ſine ſubiecto exiſtunt.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Th. 3. p. quæſt. 17. art. 2. vbi diſtinguit duplex eſſe in Chriſto, vnum eſſe ſubſtantiale, quod vocat perſonale, ſiue pertinens ad hypoſtaſim & perſonam, aliud accidentale, vt eſſe album, & huiuſmodi: de quo ſic ait: *Nihil prohibet multiplicari in vna hypoſtaſi: aliud enim eſt eſſe, quo Sortes eſt albus, & quo Sortes eſt muſicus; ſed illud eſſe, quod pertinet ad ipſam hypoſtaſim ſecundum ſe, impoſſibile eſt in vna perſona multiplicari.* Idem docet multis aliis locis, vt cap.7. de ente & eſſentia. Item 4. contra gentes cap.14. item in 1. d. 3. quæſt.2. art.3. & alibi. Idem docet Ariſt.3. de anima, vbi ait: *Aliud eſt magnitudo, & magnitudinis eſſe: & aqua, & aquæ eſſe, vbi ſicut eſſe aqua diſtinguit ab aqua, ſic diſtinguit eſſe magnitudinis à magnitudine.*

Secundò, producta ſubſtantia, poteſt per aliam actionem alterantis generari nouum accidens, vt patet; con[...] dum hoc ſuccedit: ergo accidens habet propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, nam illa actio terminatur ad nouum eſſe, cùm omnis actio productiua terminetur ad eſſe.

Tertiò, accidentia in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento exiſtunt independenter ab exiſtentia ſubiecti, quia ſecundùm fidem non ſunt ibi in ſubiecto: ergo exiſtunt ibi per propriam exiſtentiam; & ita omnia accidentia habent propriam exiſtentiam, cùm ſit par ratio, quantùm ad hoc, de omnibus. Si dicatur quòd illis communicatur aliquis modus ſubſtantialis, eſto ſit, tamen hic modus tantùm ſupplet dependentiam, quam habet à ſubiecto inexiſtentia accidentis.

Quartò, modus exiſtendi ſubſtantiæ eſt per ſe exiſtere, & independenter ab alio, modus autem exiſtendi accidentium eſt inexiſtere, ſiue exiſtere in alio, & cum dependentia ad aliud: ſed hi modi ſunt contradictoriè oppoſiti, eſſe enim per ſe & in ſe idem eſt, ac non eſſe in alio aut per aliud: ergo requirunt oppoſitas exiſtentias, nam effectus formales oppoſiti arguunt cauſas formales oppoſitas, cùm effectus formalis non importet aliud, quàm ipſam cauſam formalem vt communicatam. Nec videtur poſſibile, quòd eadem ſimplex exiſtentia poſſit cauſare hanc diuerſitatem: ergo alia eſt exiſtentia ſubſtantiæ, & alia accidentium. Confirmatur Primò. Duæ potentiæ adæquatæ inter ſe realiter diſtinctæ, reſpiciunt, & exigunt duos actus adæquatos realiter inter ſe diſtinctos, nam potentia eſt eſſentialiter ordinata ad actum, & ita quælibet potentia adæquata diſtincta realiter ab alia, reſpicit diſtinctum actum: ſed eſſentia ſubſtantiæ, & eſſentia accidentium ſunt duæ potentiæ adæquatæ, realiter diſtinctæ, primò diuerſæ, imò oppoſitæ: ergo reſpiciunt, & exigunt duos actus, quælibet ſuum, ſcilicet propriam exiſtentiam, quæ eſt actus ad quem eſſentialiter ordinatur eſſentia. Confirmatur Secundò. Si accidentia exiſtant per exiſtentiam ſubſtantiæ, ſequitur quòd ſint ſubſtantia, nam ſubſtantia eſt ens per ſe, ſiue potens per ſe exiſtere: ſed accidentia in tali caſo exiſterent per ſe, nam exiſtentia ſubſtantialis facit eſſe, & exiſtere per ſe, & ita accidentia eſſent ſubſtantia, quod eſt abſurdum aſſerere. Nec valet dicere, quòd illa exiſtentia primariò tantùm terminaret ſubſtantiam, & ſecundariò accidentia. Nam contra, ratio reſpectiui & terminatiui proportionantur, cùm terminatiuum ſit actus proprius reſpectiui: ſed accidentia reſpiciunt primariò illam exiſtentiam, cùm nullam aliam reſpiciant, (nam reſpectus ſubiecti pertinet ad eſſentiam accidentis, & ſubiectum non eſt actus ipſius:) ergo illa exiſtentia terminat primariò accidentia ſiue eſſentiam accidentium.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Nulla res poteſt exiſtere, ſiue eſſe in rerum natura, deſtituta omni exiſtentia, vt infra probabitur, licèt poſſit eſſe ſine hac vel illa: ſed accidentia aliqua ſunt in rerum natura, & verè exiſtunt ſine vlla omnino inhærentia actuali, vt patet in accidentibus realibus panis & vini, quæ remanent in Euchariſtia: ergo exiſtentia accidentis non eſt eius actualis inhærentia, ſi dicatur, quòd alia inhæreant quantitati, vt docet D.Th. tamen adhuc argumentum eſt in ſuo robore: nam ſufficit inuenire vnum accidens, quale eſt quantitas, cuius exiſtentia non ſit inhærentia actualis, quod conuincit argumentũ, vt idem aſſeramus de aliis accidentibus, quæ omnia proportionaliter exiſtunt, ſiue inexiſtũt.

Ad primum ergo dicendum, quòd inhærentia non eſt exiſtentia accidentis, ſed tantùm ſe habet ad illam concomitanter; quia accidentia non poſſunt exiſtere, niſi vel actu vel aptitudine inhæreant, vnde exiſtentia accidentis connotat inhærentiam, & propterea dicitur inexiſtentia, ſiue exiſtentia rei inhærentis, eſt autem vltimus terminus intrinſecus eſſentiæ accidentis proportionaliter, vt dictum eſt de exiſtentia ſubſtantiali.

Ad ſecundum dicendum, quòd dantur multa accidentia, quæ per ſe primariò, & productione propria producuntur, vt illa quæ terminant mutationes accidentales, putà alterationem, augmentationem &c. illa autem quæ comproducuntur cum toto, etiam ſuo modo terminant illam actionem productiuam, quæ virtualiter eſt multiplex, cùm habeat plures terminos: & licèt accidentia ſint ſecundarij termini, ſic quodammodo ſecundariò exiſtunt, ſcilicet dependenter à ſubiecto, ſed per propriam exiſtentiam, cùm eorum productio ſit dependenter à ſubiecto, nam generatio totius terminatur ſecundariò ad accidentia ſimul comproducta, ad exigentiam totius, quod illa requirit, & propterea dicitur quòd qui dat eſſe,

dat

dat quæ consequuntur ad esse. Ad aliud patet ex dictis, quomodò existentia substantialis non potest esse sufficiens & proportionata, vt accidentia per illam existant formaliter, quamuis extrinsecè ab illa dependeant. Ad D. Thom. dicendum quòd loquitur de esse vt sic, prout abstrahit ab esse substantiali, & ab esse accidentali.

QVÆSTIO XX.

De essentia, subsistentia, & existentia ad inuicem collatis.

EXAMINATIS iis, quæ sigillatim ad essentiam, subsistentiam, & existentiam pertinent, superest vt ad inuicem conferamus, & agamus de modo, quo se habeant inter se, tum ratione dependentiæ, tum perfectionis, tum prioritatis in compositione Metaphysica, circa quod quæruntur sex.

¶ Primò, Vtrùm subsistentia, & existentia distinguantur realiter inter se: sicut distinguuntur realiter ab essentia?

¶ Secundò, Vtrùm subsistentia priùs naturà aduentiat essentiæ quàm existentia?

¶ Tertiò, Vtrùm subsistentia sit essentiæ ratio recipiendi existentiam?

¶ Quartò, Vtrùm essentia possit esse actu in rerum natura, sine substentia, & existentia, vel ècontra?

¶ Quintò, Vtrùm subsistentia, & existentia sint quid simplex, vel debeant proportionari suæ essentiæ?

¶ Sextò, Quis sit ordo perfectionis inter essentiam, subsistentiam, & existentiam?

ARTICVLVS I.

Vtrùm subsistentia, & existentia distinguantur realiter inter se, sicut distinguuntur realiter ab essentia?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd subsistentia, & existentia non distinguantur realiter inter se, sed solà ratione. Ita tenent Capreolus in 3. d. 5. q. 3. art. 3. Zumel 1. p. q. 3. art. 3. & alij. Probatur authoritate D. Th. nam multis locis pro eodem sumit subsistere, & in se existere, vt 1. p. quæst. 29. art. 2. Item in 1. d. 23. quæst. 1. art. 2. ad 4. &c. sed vbi concreta sunt idem, etiam sunt idem abstracta constitutiua concretorum, & ita subsistentia & existentia sunt idem. Deinde D. Thom. aliis locis dicit, per se esse siue per se existere, esse constitutiuum personæ, aut pertinere ad rationem eius, aut quòd sit ratio eius, aut quòd in nomine personæ intelligatur, vt 3. p. q. 19. art. 1. ad 4. Item q. vnicâ de vnione verbi art. 2. ad 14. & ad 17. Deinde D. Th. aliis locis dicit substantias subsistere per esse, vt quæst. 21. de veritate art. 1. Item cap. 5. de ente & essentia. Item quodlib. 9. quæst. 4. art. 6. Deinde aliis locis dicit suppositum, vel personam dicere id quod est perfectissimum in tota natura, quod non esset, si intrinsecè compleretur per actum à se distinctum ipsius existentiæ, id dicit 1. part. quæst. 29. art. 3. Item in 3. d. 5. quæst. 3. art. 2. & art. 3. Denique aliis locis admittit tantùm duplicem compositionem; Physicam ex materia & forma, ac Metaphysicam, ex esse & essentia, vt opusc. 48. tract. 2. cap. 2. &c. sed si subsistentia distingueretur realiter ab existentia, esset duplex compositio Metaphysica, prima ex essentia & subsistentia, secunda ex supposito & existentia: ergo subsistentia, & existentia non distinguuntur realiter.

¶ 2. Præterea, Existentia per se tribuit naturæ siue essentiæ omnimodam incommunicabilitatem, cùm existentia ipsa sit omninò incommunicabilis, & debeat communicare hunc effectum formaliter illi, cui aduenit: maximè quia per se existere includit negationem existendi in alio, quod est esse omninò incommunicabile: ergo frustra ponitur subsistentia distincta ab existentia, vt constituatur suppositum, cùm suppositum nihil aliud importet, quàm incommunicabilitatem, & independentiam ab alio in existendo.

¶ 3. Præterea, Si subsistentia distinguitur realiter ab existentia, sequuntur inter alia hæc duo inconuenientia. Primum, quòd ordinatur in vlteriorem actum, scilicet existentiam, quæ est actua intra lineam substantiæ, cùm tamen suppositum sit ex D. Th. quid completum in genere substantiæ. Secundum est, quòd suppositum non est incommunicabile, cùm communicetur existentiæ: imò possit assumi à Deo ad existendum, nullum est enim inconueniens dicere, quòd à supposito possit separari propria existentia, si non sit eius constitutiua, sed totaliter distincta, & ei communicari diuina.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. quem sequuntur Caietanus 3. p. quæst. 4. art. 2. Bannes 1. p. q. 3. art. 3. dub. 1. Nazarius 1. p. quæst. 50. art. 2. controu. 3. Nauarrete tom. 1. controu. 19. Ferrar. 2. contra gentes cap. 43. Aluares 3. p. disp. 23. Nostri Complutenses 1. Physicorum disp. 3. q. 5. ad 4. & nunc communis est sententia inter Thomistas.

CONCLVSIO.

Cùm subsistentia, & existentia habeant distinctos effectus formales adæquatos, diuersas etiam causas totales, & non subordinatas, realiter inter se distinguuntur.

RESPONDEO dicendum, quòd subsistentia, & existentia distinguuntur inter se realiter, tanquam rea à re, eo modo quo distinguuntur ab essentia. Ad cuius euidentiam sciendum est multiplicem esse communicationem, siue communicabilitatem, ac proinde incommunicabilitatem, contrariorum enim est eadem ratio. Prima communicabilitas est intentionalis, moralis, & extrinseca, qualis est, illa, qua finis communicat mediis bonitatem, vel malitiam. Secunda est etiam extrinseca, sed realis & effectiua, vt illa qua causa efficiens se communicat suis effectibus. Tertia est intrinseca, & formalis, vt illa qua aliqua forma se communicat sobiecto. Quarta est per rationem solùm, vt illa qua naturæ vniuersales se communicant suis inferioribus. Quinta tandem est communicatio per identitatem multis suppositis, vt illa qua se communicat natura diuina tribus diuinia personis.

Probatur conclusio authoritate D. Th. quodlib. 2. q. 2. art. 4. ad 2. vbi dicit, quòd esse non est de ratione suppositi Angelici: sed subsistentia est de ratione suppositi Angelici: ergo in Angelis, ac proinde in aliis rebus creatis, in quibus est maior compositio, subsistentia & existentia realiter distinguuntur. Huic testimonio adhibent aliqui varias solutiones: sed reuera videntur violentæ, & parum conformis ipsi litteræ, vt intuenti patebit. Item D. Th. 3. p. quæst. 17. art. 2. ad 1. ait: *Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est: personam autem siue hipostasim consequitur, sicut habentem esse:* Ergo esse supponit personam siue suppositum, quod consequitur, tanquam subiectum recipiens, & habens ipsum esse: ergo realiter distinguitur esse, siue existentia à subsistentia, quam necessariò præsupponit vt constitutiuam suppositi. Si dicatur, quòd sufficit distinctio rationis inter illa, vt vnum dicatur consequi aliud, vel habere aliud, & sic erit tantùm sequela Logica, & non Physica. Contra, nam ex illa responsione sequitur qòod existentia non distinguitur ab essentia, quia D. Thom. in hoc loco dicit, esse consequi vtrumque, scilicet naturam vt quo, & suppositum vt quod: ergo si in vno sufficit distinctio rationis, etiam sufficiet in alio, & ita esse non distinguetur ab essentia, & tamen ex hoc quòd esse consequitur naturam, distinguitur ab illa, in schola D. Thom.

Secundò, subsistentia est de intrinseca ratione suppositi; cùm illud formaliter constituat in esse suppositi, vnde hæc propositio est æternæ veritatis, suppositum subsistit. Existentia autem non est de intrinseca ratione suppositi, nec illud formaliter constituit in esse suppositi, vnde hæc non est æternæ veritatis, suppositū est, siue existit.

Et hoc ita est necessarium, vt impossibile omnino sit concipere suppositum, & non concipere in ipso subsistentiam quasi exercitam, cùm sit constitutiua ipsius: potest tameo concipi supposisum absque eaistentia, cùm solo ordine ad ipsam: sed quod est de intrinseca ratione alicuius, distinguitur realiter ab illo, quod non est de intrinseca ratione eius, vt per se patet: ergo subsistcotia, & existentia realiter inter se distioguuntur.

Tertiò, quæ habent diuersas causas principales totales, & nou subordinatas, distinguuntur tanquam res à re: cùm idem effectus oou possit produci à duabus causix proximis adæquatis, saltem naturaliter in omnium opinione, vt dictum est in Physicis: sed subsistentia & existentia habent diuersas causas priucipales totales, nou subordinatas, vt supra probatum est, nam diximus existentiam à solo Deo principaliter produci, concurrente tantùm vt instrumento ad eius productiouem causâ secundâ, quæ tamen principaliter producit suppositum & subsistentiam, vt etiam probatum est: ergo subsistentia, & existentia inter sx realiter distinguuntur.

Quartò, potest conseruari de potentiâ absolutâ aliqua essentia substantialis sine subsistentia, & tamen est impossibile conseruari sine existentia, vt infra probabitur, propter quod colligimus habere diuersos effectus formales adæquatos: ergo subsistentia & existentia realiter inter se, vt Duæ res distinguuntur, aliàs contradictoriæ de eodem secundùm idem simul essent veræ, scilicet istæ, potest diuinitus essentia conseruari sine hac simplicissima entitate, & non potest sine illa conseruari. Confirmatur. Ex hac distinctione faciliùs explicantur plures difficultates in mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis occurrentes, putà quomodo in diuinis, cùm sint tres subsistentiæ relatiuæ siue personalitates, quod idem est, tamen est vnica existentia absoluta. Item quomodo humanitas sit assumpta à solo Filio per communicationem subsistentiæ relatiuæ, licet etiam fuerit illi communicata existentia absoluta, & similes: si enim existentia per se faceret formaliter subsistere, hæc essent impossibilia. Noo tamen propterea ponimus distinctionem realem inter existentiam diuinam, & subsisteotias relatiuas, sed dicimus quòd ex distioctione reali, quæ in creatis est inter subsistentiam & existentiam, colligitur distinctio virtualis, quæ est inter illas in diuinis.

Au primum ergo dicendum, quòd D. Thom. in illis locis, quæ in triplici ordine priori referuntur, ex manifesto declarat occultum, & loquitur à posteriori, cùm enim sit valde occultum, quid sit subsistentia, & subsistere, vix enim possunt explicari per terminos positiuos, & ideò ordinariè vtimur nominibus negatiuis, putà incommunicabilitatis alteri, independentiæ ab alio, &c. proptèrea illa explicuit per, existere per se, siue esse in se in rerum natura, quæ sunt manifesta omnibus, nullus enim est, qui non facilè percipiat, quid sit esse in se, & esse in alio, & propterea dicit, quòd subsistere est esse per se. Item quòd res subsistunt per esse. Item quòd esse sit constitutiuum, aut ratio personæ, aut pertineat ad rationem personæ, aut intelligatur in nomine personæ; & hoc est valde vsitatum nobis exprimere essentias latentes, per earum proprietates, dicimus enim quòd leo est animal rugibile, & sic de aliis: & ita subsistere exprimitur per esse in se, & existere per se; quod est velut proprietas, ad quam ordinatur vltimò ipsum subsistere, & suppositum. Ad alia loca dicendum, quòd persona dicitur perfectissimum, quod est in natura, quia est totum vt quod, nec loquitur D. Th. de persooa præcisè, sed vt includit esse: vel dicendum, quod persona dicitur perfectissimum quod est in natura, non absolutè, sed perfectissimum suppositum. Ad alia demum loca dicendum, quòd D. Thom. non numerat compositionem, quæ fit ex esseotia & subsistentia, quia non est completa, sed vialis & ordinata ad aliam, scilicet ex essentia iam terminata & personata per subsistentiam & esse, & ita ibi enumerat duas compositiones completas, vnam Physicam ex materia & forma, aliam Metaphysicam ex essentia subsistente vel completa siue persona, & esse. Deinde dubitatur an illud opusculum sit D. Thom.

Au secundum dicendum quòd existentia non tribuit hanc incommunicabilitatem naturæ, sed supponit. Nec potest tribuere ea se, quia cuilibet substantiæ competit existere per se, vt ly per se includit negationem existendi in alio vt in subiecto: deinde substantiæ incompletæ non conuenit illa omnimoda incommunicabilitas, si enim sit pars, communicatur alteri vt toti, si sit essentia integra, sed oon subsistens, communicatur alteri vt supposito.

Ao tertium dicendum, quòd primum non est inconueniens scilicèt quòd aliquid completum in vno ordine, putà subsistendi, ordinetur ad vlteriorem actum alterius ordinis, qualis est existentia, suppositum autem est completum in suo ordine, & subsistentia dicitur complementum intriosecum naturæ, nou verò existentia, quia cùm essentia substantiæ sit esse per se, non intelligitur completa intrinsecè, nisi intelligatur omnino esse per se, quod habet ab ipsa subsistentia, nam tunc ita est per se, vt non sit in alio tanquam subiecto, nec tanquam toto, nec sit communicabilis alteri vt supposito, existentia autem nihil simile tribuit substantiæ, sed vltimò perficit & actuat vt dictum est, & ita non dicitur terminus intrinsecus, aut complementum intrinsecum substantiæ in hoc sensu: quamuis in alio sensu dici possit, & dicta fuerit à nobis complementum, aut terminus intrinsecus substantiæ; cùm sit in ordine substantiæ, scilicet actus substantialis, vt ita excluderemus actus extrinsecos, scilicet accidentales, qui sunt extra limites substantiæ. Ad aliud dicendum, quòd suppositum non communicatur existentiæ, sed ècontra, cùm suppositum habeat esse vt quod, & esse sit suppositi, & nou ècontra: & propter hoc datâ distinctione inter subsistentiam & existentiam, adhuc negandum est, quòd suppositum creatum possit assumi à Deo ad existendum, nam cùm suppositum existat existentia, & ipsam habeat vt quod ex D. Th. 3. p. q. 17. art. 2. ad 1. debet esse necessariò proportio inter suppositum, & esse siue existentiam, vnde nec persona creata potest existere existentiâ increatâ, nec persona increata existentiâ creatâ: & ita si assumeretur natura existens, non solùm deberet priuari propriâ subsistentiâ, sed etiam existentiâ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm subsistentia priùs naturâ adueniat essentiæ, quàm existentia?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd subsistentia non priùs naturâ adueniat essentiæ, quàm existentia. Ita tenent aliqui, præsertim extra scholam D. Th. qui ponunt istum ordinem in compositione Metaphysica: dicunt enim quòd primum in ordine est essentia rei, & de hoc nullus dubitat. Secundò ponunt existentiam talis essentiæ. Tertiò subsistentiam. Quartò aliam existentiam, quam vocant totius indiuidui siue suppositi: & rectè ac consequenter ad suam doctrinam loquuntur, cùm enim teneant existentiam non distingui ab essentia, sicut distinguitur subsistentia, priùs debet concipi essentia cum existentia, quàm cum subsistentia: idem enim est sibi magis intimum, quàm aliud quodcumque à se distinctum. Probatur vniuersaliter. Priùs aliquid est ens, quàm subsistens, quæ enim sunt vniuersaliora, sunt priora, vt patet inductione: certum est autem quòd ens est vniuersalius, quàm subsistens, subsistens enim in solis substantiis completis reperitur, ens verò transcendit omnia: ergo priùs est esse, quod correspondet enti, quàm subsistere siue esse per se, quod correspondet subsistenti: ac proinde priùs aduenit existentia, à qua res habet esse, quàm subsistentia, à qua habet subsistere, idem enim est ordo in abstractis, qui in concretis.

¶ 2. Præterea, Impossibile est concipere, quòd aliqua realis entitas adueniat, & vniatur alteri, nisi illud alterum sit actuale, nam aliqua duo vniri actu, supponit ambo esse actu: sed essentia fit actu per existentiam, existere enim,

quod

quod causat existentia, idem est ac esse actu: ergo essentiæ non potest aduenire, nec vniri subsistentia, nisi præsupponatur actualis per existentiam, & ita priùs illi aduenit existentia, quàm subsisteotia.

§ 3. Præterea, illud priùs alicui aduenit, quod est illi magis intimum, ac maiori necessitate connexum, quod enim est magis intimum & connexum alicui, priùs ab illo exigitur, & ita priùs prouidetur à natura, quæ ordinatè procedit in suis operationibus; sed existentia est magis intima, & maiori necessitate connexa essentiæ, quàm subsistentia ex D.Thom.1.p.q.8.art.1. vbi sic ait: *Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cùm sit formale respectu omnium, quæ in re sunt.* Deinde quia in opinione Thomistatum de potentia Dei absoluta, potest conseruari essentia sine subsistentia, non verò sine existentia: ergo existentia priùs aduenit essentiæ, quàm sobsistentia.

Seo contra est expressa authoritas D.Thom. quem communiter sequuntur eius discipuli, Caietan. 1. p. q.3. art.4. Baunes, Nauarrete ibidem, Nazarius q. 50. art. 2. Nostri Complutenses 1. Physic. disput. 3. quæst. 5. ad 4. & alij plurimi.

Conelvsso.

Cùm subsistentia sit essentiæ substantiali ratio recipiendi existentiam, priùs naturâ aduenit essentiæ, quàm existentia.

Rssponoeo dicendum, quòd subsistentia priùs naturâ aduenit essentiæ, quàm existentia. Ad cuius euidensiam sciendum est ex Aristot. in postprædicamentis cap.2. & alibi, esse varios modos prioritatis. Prima est prioritas temporis, vt inter Adam & Abel. Secunda est prioritas consequentiæ, scilicet quandò ab vno non valet consequentia ad aliud, vt animal est prius consequentiâ homine, non enim valet, est animal: ergo est homo. Tertia est prioritas ordinis, quando est inter aliqua habitudo principij, vel partis, vt inter principia & conclusiones, inter litteram & sillabam. Quarta est prioritas dignitatis, vt inter Regem & clientes. Quinta est prioritas naturæ inter ea, quæ licèt inuicem conuertantur, tamen vnum est causa alterius, vt inter essentiam & proprietates. Sexta est prioritas, quam Theologi vocant originis, quæ inuenitur inter diuinas personas, & non est prioritas in quo, quia non datur aliquod instaos, vel signum etiam naturæ, in quo vna Diuina Persona sit prior aliâ: sed dicitur prioritas à quo, quia vna persona procedit ab alio. His potest addi prioritas rationis, quæ ponitur inter aliqua ab intellectu cum fundamento in re: vnde idem secundùm vnam rationem consideratur prius seipso, secundùm aliam rationem: secundùm hanc prioritatem ponimus quinque notiones in diuinis. Et quia est eadem contrariorum disciplina, totidem sunt modi posterioritatis, totidem etiam sunt modi simultatis; sed tres sequentes, quos assignat Aristoteles in postprædicamentis cap. 3. sunt magis vsitati. Prima simultas est temporis, quando aliqua sunt simul in eodem tempore. Secunda est simultas naturæ, quando vnum conuertitur cum alio, nec vnum est causa alterius. Tertia est simultas differentiæ, quatenus ipsæ differentiæ comparantur ad genus, vt diuisiuæ illius, nam inter se comparatæ, & vt constitutiuæ specierum, vna est prior aliâ, sicut & species quas constituunt. Non est dubium inter authores, quin simul simultate temporis adueniant essentiæ subsistentia, & existentia, imò in eodem instanti temporis, quo primò ipsa essentia est actualis, vnde sola difficultas est de prioritate naturæ, & ratioois.

Probatur conclusio authoritate D.Thom. citatâ articulo præcedenti ad alium finem, qui 3.p. quæst.17. art.1. ad 1. ait: *Esse consequitur naturam & suppositum: naturam quidem, sicut qua aliquid est. suppositum verò sicut id quod est. siue vt habens esse:* Vbi habetur ex S.Doctore quòd esse recipitur in natura vt in subiecto quo, in supposito autem vt in subiecto quod: ergo priùs aduenit essentiæ subsistentia, quàm existentia, quia natura siue essentia non recipit esse, nisi supposita & subsistens in supposito, nam ex D.Thom. esse consequitur vtrumque: sed essentiâ suppositatur, & redditur subsistens per subsistentiam, vt per se patet: ergo priùs aduenit illi subsistentia, quàm existentia. Quod confirmatur, nam forma quælibet receptibilis, simul & semel recipitur in subiecto quo, & subiecto quod.

Secundò, essentia non est immediatè susceptiua existentiæ, sed mediante subsistentiâ, vt infra dicetur, ita vt ista causalis in sensu formali sit vera, homo existit, quia Petrus existit: ergo priùs aduenit essentiæ subsistentia, quam existentia, si enim essentia non est immediatè susceptiua existentiæ, sed requiritur vt mediet subsistentia, vt reddens aptam essentiam ad receptionem existentiæ, necessariò priùs intelligitur essentiæ aduenire subsistentia, quàm existentis.

Tertiò, sicut fieri proportionatur ad esse, sic etiam operari, ex communi consensu Philosophòrum, dicitur enim quòd operari sequitur esse, & modus operandi modum essendi: sed suppositum operatur vt quod, iuxta illud axioma, actiones sunt suppositorum: ergo etiam habet esse, siue existit vt quod; vnde est subiectum receptiuum existentiæ, & sic præsupponitur ad existentiam, priùs enim aliquid est in se, antequam recipiat aliud: sed formale constitutiuum suppositi est subsistentia adueniens essentiæ, & illi vnita: ergo priùs aduenit essentiæ subsistemia quàm existentia.

Quartò, hoc ordine procedendi faciliùs, & securiùs explicatur mysterium Sanctissimæ Incarnationis, maximè in sententia D.Thom. & discipulorum eius, qui nullam admittunt in humanitate Christi existentiam creatam, sed dicunt existere per existentiam diuinam sibi communicatam, quæ existentia est vna tantùm absoluta, vt ait D.Thom. 3.p. q.17.art.2.ad 3. Si enim priùs naturâ adueniat essentiæ existentia, quàm subsistentia, & hoc ex necessitate exigentiæ ipsius naturæ, priùs communicata fuit homanitati Christi existentia diuina absoluta, quàm subsistentia relatiua, non enim datur fundamentum admittendi contrarium cùm in mysteriò Incarnationis non sit immutatus ordo naturæ. Et ita vnio humanitatis primariò esset facta in aliquo absoluto, quàm in relatiuo, quod communiter improbatur à Theologis contra Durandum. Et hoc adhuc maiorem habet difficultatem in opinione illorum, qui vltra hoc, quod dicunt existentiam priùs aduenire essentiæ, quàm subsistentiam, nullas admittunt subsistentias relatiuas in diuinis: ergo subsistentia prius aduenit essentiæ, quam existentia.

Ao primum ergo dicendum, quòd verum est ens, siue rationem entis esse priorem in se, quàm subsistens, siue rationem subsistentis, nam vniuersaliora sunt priora, quia ab illis non valet consequentia: sed tamen non indè sequitur, quòd aliquid sit prius ens sumptum participaliter, vt sumitur in argumento, quàm subsistens, nam licèt vniuersaliora sint priora secundùm se, opn tamen prius participantur à subiecto; imò è contra, nam priùs conuenit Petro, quòd sit homo quàm animal, animal quàm viuens, & sic de aliis vsque ad rationem entis exclusiuè, oam ex communi consensu Philosophorum, homo est medium quo probatur Petrum esse animal, & ita animal conuenit Petro, quia conuenit illi homo. Et sic proportione seruatâ vsque ad ens nominaliter sumptum exclusiuè, quod priùs conuenit Petro, quàm omnes alij gradus, non quia est vniuersalius, sed quia est transcendens intimè inclusum in omnibus, etiam in vltimis differentiis. Nec tamen inde sequitur, quòd Petrus sit priùs ens participialiter quàm subsistens, aut quòd priùs illi conueniat esse & existentia, quam subsistentia, nam esse non conuenit rei vtcumque, sed vltimò completæ, cùm sit vltima actualitas: vnde cùm subsistentia sit complementum intrinsecum substantiæ, priùs illi aduenit, quàm existentia.

Ao secundum dicendum, quòd essentia, vt vniatur subsistentiæ, præsupponitur esse actu, sed actualitate essentiæ distinctâ ab actualitate existentiæ, qoam effectiuè habet à causa, & formaliter à seipsa, vt supra dictum est:

& ſimiliter ſuppoſitum præſupponitur eſſe actu actualitate ſibi propriâ, & eſſentiali diſtinctâ ab actualitate exiſtentiæ, vt illi vniatur.

Ad tertium dicendum, quòd aliquid poteſt eſſe magis intimum alicui, & magis connexum cum illo, à quo tamen non ita dependebit in ſuo conſeruari, ſicut dependebit ab alio magis extrinſeco, ſicut accidit in præſenti, fatemur enim quòd eſſentia dependet omnino in ſuo conſeruari ab exiſtentia, ita vt nullo modo poſſit eſſe in rerum natura ſine illa, quamuis non ſit ita intima, & illi connexa, ſicut ſubſiſtentia, ſine qua diuinitus poteſt exiſtere ob rationem poſtea adducendam. Ad D. Thom. dicendum, quòd eſſe vt ſic conuenit, tam eſſentiæ ſubſtantiali, quàm accidentibus, & ita eſt formale reſpectu omnium, quæ in re ſunt, vnde dicitur eſſe magis intimum, & profundius ineſſe, quamuis ſubſiſtentia reſpectu eſſentiæ ſubſtantialis ſit magis intima.

Articvlvs III.

Vtrùm ſubſiſtentia ſit eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam?

Ad tertivm ſic proceditur. Videtur quòd ſubſiſtentia non ſit eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam. Ita tenent omnes illi, qui docent exiſtentiam priùs aduenire eſſentiæ, quàm ſubſiſtentiam, & ſubſiſtentiam eſſe modum exiſtentiæ, & conſequenter dicunt: cùm enim ſubſiſtentia ex ipſis non ſit priùs vnita eſſentiæ, non poteſt vllo modo diſponere eſſentiam, aut reddere capacem recipiendi exiſtentiam, cùm illam iam vnitam eſſentiæ præſupponat. Probatur. Eſſentia diuina immediatè habet exiſtentiam, nec conuenit illi mediâ aliquâ ſubſiſtentiâ: non abſolutâ, quia in diuinis non datur, aliàs diuina eſſentia eſſet incommunicabilis tribus diuinis perſonis, vtpote ſubſiſtens: non relatiuâ, quia in diuinis abſoluta ſunt priora relatiuis: ergo pari ratione idem dicendum eſt in aliis eſſentiis creaturarum.

¶ 2. Præterea, Perſonalitas, cùm pertineat ad perfectionem indiuidualem, potiùs coarctat eſſentiam, quàm perficiat, & reddat capacem exiſtentiæ: ergo ſubſiſtentia, quæ eſt idem quod perſonalitas, non eſt eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam, cùm exiſtentia ſit perfectio ſimpliciter, & magis conueniat rei ſecundùm ſe quàm vt eſt limitata: maximè quia exiſtentia conuenit eſſentiæ ſecundùm ſuam propriam rationem, aliàs non fieret compoſitio ex eſſe & eſſentia, vt communiter dicitur, ſed ex eſſe & ſuppoſito.

¶ 3. Præterea, Iſta cauſalis eſt vera, Petrus eſt animal, quia homo eſt animal: ergo ſimiliter hæc eſt vera, Petrus habet eſſe ſiue exiſtit, quia homo habet eſſe & exiſtit: quia ſicut animal eſt prædicatum ſuperius, ita & eſſe: prædicata autem ſuperiora deſcendunt ad ſubiecta infima per ſubiecta media: ergo eſſe ſiue exiſtentia conuenit eſſentiæ immediatè, & perſonæ ratione naturæ, non verò ratione ſubſiſtentiæ: & ita ſubſiſtentia non eſt eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam. Confirmatur. Ratio entis conuenit Petro, quia conuenit homini: ergo ratio exiſtentiæ conuenit Petro, quia conuenit homini, nam eſſe correſpondet enti inquantùm ens, & ita exiſtentia immediatè conuenit eſſentiæ: vnde ſubſiſtentia non eſt eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam.

Sed contra eſt authoritas D.Thom. quem communiter ſequuntur eius diſcipuli, Caietanus 3.p.q.17.art.2. Aluares 3.p.q.4. Bannes, Nauarrete, Nazarius 1. p. q. 3. art.4. & alij.

Conclvsio.

Cùm terminus primarius actionis productiuæ, putà generationis, ſit ſuppoſitum, cuius formale conſtitutiuum eſt ſubſiſtentia, & ratio formalis ſub qua aliquid producitur ſit exiſtentia ſiue eſſe, ſubſiſtentia eſt eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam.

Respondeo dicendum, quòd eſſe ſiue exiſtentia recipitur in ſuppoſito, vt in ſubiecto quod: 2. in eſſentia verò & in partibus illam conſtituentibus, ſicut & in ſubſiſtentia, vt in ſubiecto quo, 3. Ita vt ſuppoſitum primò, & immediatè per illam exiſtat, alia verò ſecundariò, & mediatè coexiſtant, 4. vnde ſubſiſtentia ſuppoſiti conſtitutiua, naturaliter loquendo, eſt eſſentiæ ratio recipiendi exiſtentiam, 5. & ſolùm ſupernaturaliter poteſt illam immediatè recipere ſine ſubſiſtentia. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, hanc difficultatem differre à præcedenti, poſſet enim benè fieri, quòd ſubſiſtentia priùs adueniret eſſentiæ, quàm exiſtentia, & tamen non eſſet ratio formalis recipiendi illam, imò nec conditio ſimpliciter, aut etiam ad melius eſſe neceſſaria ad talem receptionem: quod in præſenti examinamus. Et ne ſit aliqua æquiuocatio, oportet ſcire, quòd etiam ſubſiſtentia & exiſtentia habent ſuam eſſentiam & quidditatem, prout eſſentia abſtrahit à completa & incompleta: hæc autem eſſentia ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ incompleta conſiſtit in hoc, quòd ſint termini ſubſtantiales alicuius naturæ, ſiue eſſentiæ: eſſentia enim ſubſiſtentiæ eſt eſſe actum ſubſtantialem, cuius effectus formalis ſit facere ſubſiſtere, & conſtituere ſuppoſitum: exiſtentiæ verò eſt facere exiſtere, ſiue vltimò complere. Quandò autem fecimus comparationem ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ cum eſſentia, nunquam aſſumpſimus eſſentiam in hoc ſenſu, ſed intelleximus eſſentiam indiuiduam alicuius, in ſpecie completam. Certum eſt enim, quòd nec ſubſiſtentia, nec exiſtentia diſtinguuntur à ſua eſſentia propria, nec eſt illa eſſentia quam ſubſiſtentia facit ſubſiſtere, & exiſtentia exiſtere. Nec in præſenti quærimus, vtrùm ſubſiſtentia ſit ratio ſuæ eſſentiæ recipiendi exiſtentiam, cùm ipſa non habeat propriam & peculiarem exiſtentiam, vt ſupra dictum eſt, ſed comparationem facimus cùm eſſentia ſpecificè completa, & indiuidua alicuius indiuidui ſubſtantialis, vtrùm ſcilicet ſubſiſtentia Petri ſit ratio eſſentiæ eiuſdem Petri recipiendi exiſtentiam. Conſtat autem quòd hæc difficultas non pertinet ad accidentia, licèt enim habeant eſſentiam completam: tamen in illis ſubſiſtentia, nec eſt, nec eſſe poteſt medium, aut ratio recipiendi exiſtentiam, cùm ſit impoſſibile accidentia habere ſubſiſtentiam & ſubſiſtere: imò in hoc differunt ſubſtantia, & accidens entitatiuè & eſſentialiter conſiderata, quòd ſubſtantia eſt ens per ſe & independens, ita quòd ſecundùm ſe dicat ordinem ad eſſe per ſe, tanquam ſubiectum, cui debetur eſſe per ſe abſque dependentia ab altero, & tanquam à ſubiecto, quod habet ex hoc præcisè quod eſt ſubſtantia, & tanquam à ſuppoſito, prout eſt terminus ſubſiſtentia, quam velut proprietatem ab intrinſeco petit: accidens verò eſt ens in alio, taliter quòd ſecundùm ſe & independenter, non dicat ordinem ad ſuam inexiſtentiam, imò dependet in exiſtendo eſſentialiter ab alio, ſiue ſubiecto, ſiue ad modum ſubiecti ex hoc præcisè, quia eſt accidens, ſiue entis ens: pendet etiam à ſuppoſito, connaturaliter loquendo, quia cùm ex ſe ſit incapax ſubſiſtentiæ, cùm habeat eſſentiam oppoſitam ſubſtantiæ, cuius eſt velut proprietas ſubſiſtentia, ideò inexiſtit in ſuppoſito.

Item ſciendum eſt, quòd aliud eſt eſſe actum, aliud verò eſſe ens in actu, vnde dicimus quòd licèt ſubſiſtentia & exiſtentia ſint actus, tamen non ſunt entia in actu, quoniam non habent eſſe: ſed exiſtentia eſt id quo aliud eſt, & ſubſiſtentia id quo aliud ſubſiſtit: vnde ex eſſentia, ſubſiſtentia, & exiſtentia non ſit vnum compoſitum ex pluribus entibus in actu, ſed ex pluribus actibus in diuerſo genere: quia licèt id, quod eſt actus in vno genere vel ordine, non poſſit eſſe in eodem ordine potentia, in diuerſo tamen poteſt eſſe, cuius exemplum affert D.Thom. q. vnicâ de anima. art. 6. ad 3. de diaphaneitate, quæ eſt actus reſpectu corporis diaphani, & potentia ad lumen recipiendum: ſic eſſentia rei dicit actualitatem eſſentialem (exceptâ materiâ primâ) hæc tamen in alio ordine ſcilicet ſubſiſtendi eſt potentia, & ideò recipit ſubſiſtentiam, vt proprium actum, ex quibus ſit vnum per ſe: hoc autem compoſitum ſiue ſuppoſitum, licèt in ordine ſubſiſtendi ſit omnino completum & importet vltimam actualitatem,

actualitatem, tamen in ordine existendi est potentia, & ita recipit existentiam vt proprium actum, & ex illis fit vnum per se: & inter ista tria datur relatio realis, qua vnum refertur ad aliud, vel vt potentia, vel vt actus: & quia tam subsistentia, quàm existentia; licèt sint entitates, non tamen ponuntur in rerum natura vt sint, sed vt per seipsas alia sint, ideò nulla actio, siue sit creatiua, siue generatiua, terminatur ad existentiam, aut subsistentiam in seipsis, sed tanquam ad actus, quibus id quod creatur, aut generatur, habet subsistere & existere: nec propriè dicuntur creari, aut produci, sed concreari, vel comproduci: & licèt tam in creatione, quàm in generatione existentia sit terminus principalis, & primariò intentus, tamen est terminus quo, vt docet D.Thom.q.21. de veritate art. 4. ad 4. dicit enim, quòd ens sumitur, & pro eo quod habet esse, & pro principio quo habet: existentia igitur non dicitur ens, quasi habeat esse; sed quia illa aliquid est: vnde sicut in particulari specie fit vnum ex materia & forma, ita in genere entis fit vnum ex essentia & existentia.

Probatur conclusio authoritate D.Thom.3.part. q.17. art. 2. vbi probat, quòd in Christo est tantùm vnum esse substantiale siue vna existentia, quia in illo est tantùm vna persona: hæc autem ratio non concluderet, nisi existentia reciperetur immediatè in persona, & subsistentia esset ratio reciperetur immediatè in persona, & subsistentia esset ratio recipiendi illam: nam si reciperetur immediatè in natura siue in essentia præcisè sumpta, in Christo sunt duæ naturæ, & consequenter essent duæ existentiæ: vnde in via D. Thom. existentia non recipitur, nisi in essentia terminata subsistentiâ siue personata, & ita subsistentia est essentiæ ratio recipiendi illam: cùm enim esse ex D. Thom. sit propriè actus suppositi, siue naturæ suppositatæ, formale autem constitutiuum suppositi sit subsistentia, necessariò sequitur, quòd subsistentia sit essentiæ ratio recipiendi esse siue existentiam. Nec contrarium docet hoc loco Caietanus, dum dicit quòd existentia est actus naturæ & suppositi, diuersimodè tamen, quia suppositi est actus, vt subiecti quod, at verò naturæ, vt principij quo: non enim per hoc intendit, vt aliqui interpretantur, quòd natura sit supposito ratio recipiendi existentiam, quasi sit ipsa cui immediatè debeatur, sed vocat naturam principium quo existentiæ, in quantum est pars constitutiua suppositi cum subsistentia, cui supposito debetur existentia.

Secundò, essentia præcisè sumpta non est immediatè susceptiua existentiæ, sed mediante subsistentia, nam terminus qui primarius generationis, est suppositum quod generatur, & terminus primarius alterius actionis productiuæ, est suppositum productum: natura verò siue essentia comproducitur, & ita cum fieri rei debeat proportionari ipsi esse, & ècontra, immediatum & primarium susceptiuum ipsius esse siue existentiæ, est suppositum, quia esse siue existentia est ratio formalis, sub qua aliquid dicitur generari, vel produci: nam aliquid ab aliquo produci, est ab illo recipere esse, vnde dicitur quòd productio terminatur ad esse: ergo in genere causæ materialis & susceptiuæ ipsius existentiæ, mediat subsistentia, tanquam formale constitutiuum suppositi, ita vt sit ratio recipiendi illam, nam ista causalis in sensu formali est vera, homo existit, quia Petrus existit. Hæc ratio probat conclusionem quoad omnes partes, nam si suppositum recipit vt quod existentiam, & existit vt quod, & in supposito non sit alia existentia pròpria partium, vt dictum est supra, sequitur quòd omnes eius partes, cùm sint in rerum natura, per illam secundariò & mediatè coëxistant, ac proinde quòd subsistentia, quæ est formale constitutiuum suppositi, sit essentiæ ratio recipiendi existentiam, naturaliter loquendo, quia hic ordo diuinitus potest mutari, vt statim articulo sequenti dicetur, nam essentia potest existere sine subsistentia. Hæc ratio fundatur in doctrina D.Thom. supra adducta, nam 3.part. quæst.17.art.2. ad 1. docet quòd esse consequitur suppositum, vt id quod, naturam verò, vt id quo. Ex his faciliùs explicatur mysterium Incarnationis, quare vnio non dicatur facta in aliquo absoluto, sed in relatiuo, licèt humanitas fuerit etiam vnita existentiæ diuinæ absolutæ. Dicimus enim, quòd primò fuit terminata, & immediatè per subsistentiam relatiuam Filij, mediatè verò, & secundariò per existentiam absolutam, mediante scilicet personalitate Filij, velut ratione recipiendi existentiam diuinam, quæ propterea consideratur vt propria Filij.

Ad primum ergo dicendum, quòd in diuinis datur subsistentia absoluta, ita quòd natura diuina est per se subsistens præscindendo à subsistentiis personalibus: & ita secundùm se habet existentiam completam, quælibet autem natura creata subsistit in supposito, & ideò non potest recipere existentiam completam secundùm se, nec existere vt quod, hæc autem disparitas fundatur in perfectione naturæ diuinæ, & imperfectione naturæ creatæ.

Ad secundum dicendum, quòd non est personalitas quæ coarctat naturam specificam, sed est differentia indiuidualis: nam subsistentia & personalitas adueniunt naturæ in aliqua prioritate actuali, & consequenter indiuiduæ, ac coarctatæ: vnde subsistentia nullam affert imperfectionem essentiæ, sed multas perfectiones, nam facit subsistere, reddit capacem existentiæ, &c. Ad aliud dicendum, quòd existentia non conuenit essentiæ secundùm propriam rationem præcisè, nam licèt ab intrinseco ordinetur ad existentiam, tamen non est capax, nec receptiua illius, connaturaliter loquendo, nisi priùs recipiat subsistentiam, qua mediante illam recipiat: vnde verum est, quòd propriè loquendo, fit compositio ex supposito & esse, ex illis enim immediatè resultat vnum per se Metaphysicum omninò completum, scilicet existens, non autem propriè ex essentia & esse, quia secundariò vniuntur, tamen aliqualis fit compositio ex illis.

Ad tertium dicendum, quòd illa causalis antecedentis est vera, falsa verò illa, quæ est in consequenti. Ad probationem autem dicendum, quòd solùm sit vera in prædicatis superioribus quidditatiuis siue essentialibus: esse verò siue existentia est prædicatum accidentale in creaturis, nam conuenit illis contingenter, ex vi productionis prouenientis ab extrinseco, & ideò priùs reperitur in suppositis inferioribus, quàm in natura superiori, quia suppositum secundùm se est primarius, & immediatus terminus, qui, productionis; natura autem comproducitur tantùm in alio. Ad confirmationem dicendum, quòd ens prout significat prædicatum quidditatiuum, conuenit immediatè omnibus, siue superioribus, siue inferioribus propter suam transcendentiam, nam includitur etiam in vltimis differentiis: vnde falsum est, quòd conueniat Petro, quia, conuenit homini: sed dato, tamen vt sic non importat esse siue existentiam, nec correspondet illi, quia sumitur nominaliter, & tantùm dicit capacitatem remotam ad existentiam: vt autem ens importat esse, sumitur participaliter, & idem est ac existens: in hac autem acceptione nullo modo potest concedi, quòd conueniat Petro, quia conuenit homini, sed è contrario conuenit homini, quia conuenit Petro, nam sicut fieri, agere, & pati, sunt suppositorum, sic & esse, cùm ista omnia sint adinuicem proportionata.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm essentia possit esse actu in rerum natura sine subsistentia, & existentia, vel è contra.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd essentia aliqua non possit esse actu in rerum natura, sine subsistentia & existentia, nec subsistentia aut existentia sine essentia. Hæc opinio quantùm ad illud, quod asserit essentiam non posse esse actu in rerum natura sine existentia, conceditur ab omnibus, quòd autem non possit esse sine subsistentia. Probatur. Subsistentia est formalis ratio recipiendi existentiam substantialem: ergo non

non potest recipi existentia in essentia, nisi priùs habeat subsistentiam: sed conceditur ab omnibus, quòd non possit aliqua essentia esse in rerum natura siue existentia: ergo nec potest esse sine subsistentia.

¶ 2. Præterea, Subsistentia est intimius, & maiori necessitate vnita essentiæ, quàm existentia, nam aduenie priùs, & immediatam facit cum illa compositionem, quæ non competunt existentiæ: ergo, si diuinitus essentia non potest esse in rerum natura sine existentia, multò minus poterit esse sine subsistentia, quæ enim intimiùs, & maiori necessitate, & connexione vniuntur inter se, difficiliùs ab inuicem separantur.

¶ 3. E contra videtur, Quòd subsistentia & existentia non possint esse sine essentia. Probatur primò, quia sunt modi essentiæ, modus autem propriè dictus non potest esse sine re modificata, quamuis res modificata possit esse sine illo. Deinde subsistentia est essentiæ ratio subsistendi, & existentia ratio existendi, nullam enim aliam habent entitatem vel essentiam: ergo nec diuinitus possunt esse separatæ ab essentia, nam separatæ non possunt esse rationes subsistendi & existendi, vel dicendum quòd essent sine propria essentia, quod est impossibile. Denique essentia non potest esse sine illis: ergo nec illæ sine essentia; cùm sit æqualis ex vtraque parte dependentia.

Sed contra est communis sententia Thomistarum, quæ colligitur ex doctrina D.Thom.

CONCLVSIO.

Cùm subsistentia, & existentia sint actus perfecti: possunt diuinitus separati ab essentia esse in rerum natura: essentia autem, cùm vt sic respiciat ab intrinseco existentiam, non autem subsistentiam, potest diuinitus esse sine subsistentia, & non sine existentia.

Respondeo dicendum, quòd subsistentia & existentia, licèt non possint naturaliter esse in rerum natura separatæ ab essentia. 2. supernaturaliter tamen possunt 3. non quidem sine ordine, & dependentia ab essentia, per ordinem ad quam fuerunt productæ, sine quo ordine non potuère produci. 4. potest etiam diuinitus conseruari essentia in rerum natura siue subsistentia, sed in tali casu non esset subsistens, nec personata, nec incommunicabilis alteri vt in supposito. 5. implicat autem, quòd conseruetur in rerum natura sine existentia, vel aliquo suppiente vicem existentiæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd ad causalitatem materialem & formalem, non requiritur necessariò existentia, sicut requiritur ad causalitatem efficientis (loquimur autem hîc prout materia & forma causant essentiam) & consequenter potest esse in aliqua prioritate naturæ essentia sine subsistentia & existentia: sed hoc non est esse simpliciter in rerum natura, sed est esse in fieri, & non in facto esse vt supra dictum est: ratio autem disparitatis est, quia causa materialis & formalis causant præcisè per hoc, quòd mutuò se sibi communicant in constitutione essentiæ, & cum essentia, vt dictum est, in priori naturæ intelligatur actualis, sed in fieri, ante aduentum existentiæ, ideò causa materialis, & formalis ad causandum non requirunt existentiam: sed causalitas efficientis, scilicet actio, est aliquid distinctum à causa, cùm sit accidens, propterea supponit, vt actus secundus in causa agente actum primum, qui est esse, & illam præsupponit intrinsecè substantialiter constitutam: vltimum autem huius constitutionis complementum est: existentia, & ideò communiter dicitur, quòd operari sequitur esse, vnde debet priùs prioritate saltem naturæ, causa agens esse, quàm operetur, ita vt contrarium implicet contradictionem: ordinariè autem & connaturaliter causa agens, debet esse prius tempore, antequam agat, causa verò materialis & formalis, licèt in eodem instanti reali temporis debeant existere, in quo causant, priùs tamen naturâ causant, quàm existant, quia earum causalitas, vt dictum est, cùm tendat ad constitutionem essentiæ, prærequiritur ad existentiam, sicut & ipsa essentia, quæ actualis recipit existentiam, nec dantur existentiæ partiales, quibus sigillatim existant materia & forma: sed hæc essentiæ actualitas antecedenter ad existentiam non est in facto esse, sed tantùm in fieri, & ideò non potest dici essentia in illo priori simpliciter esse in rerum natura, siue à parte rei, nam hoc denotat factum esse, & modum sistendi, non autem fieri à causis, & esse in egredi ab illis. Hæc magis fient manifesta, si concipiatur, quòd ista prioritas naturæ & rationis, est tantùm per intellectum cum fundamento ex parte rerum, quia vna est aliquo modo causa alterius, &c. vnde semper verum est, in nullo instanti temporis has causas agere, in quo non existant.

Probatur prima pars conclusionis. Nunquam naturaliter successit, quòd subsistentia & existentia essent in rerum natura separatæ ab essentia: ergo naturaliter non possunt esse separatæ, vix enim contingit, quòd illud quod est in potentia naturali, non reducatur aliquando in actum, hanc partem probant rationes adductæ in tertio argumento in contrarium.

Probatur secunda pars conclusionis. Subsistentia, & existentia sunt entitates, & veræ actualitates in suo ordine completæ: ergo possunt conseruari separatæ ab essentia, accidentia enim, quæ magis dependent à subiecto, de facto conseruantur separata, ex hoc quòd sunt actus: quod si recipiunt in illa separatione aliquem modum substantialem, hoc tantùm requiritur quia non sunt quid sobstantiale, subsistentia autem & existentia, non solùm sunt actus substantiales, sed etiam sunt perfectissimi. In tali autem casu existentia seipsa existeret, subsistentiæ autem deberet communicari aliqua existentia ipsi proportionata. Nec obstat, si dicatur quòd accidentia sunt entia completa in specie, non verò subsistentia & existentia. Habetur enim secundùm communem opinionem, quòd Deus potest conseruare formas substantiales materiales separatas à materia, quæ sunt actus imperfectiores subsistentia & existentia, nec sunt in specie completa: ergo multò magis poterit conseruare subsistentiam & existentiam, cùm sint actus perfectiores, & ad hoc vt sint in specie, sufficit quòd dicant ordinem ad essentiam, per ordinem ad quam fuerunt productæ, siue cum qua fuerunt comproductæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Implicat contradictionem, quòd aliquid producatur in rerum natura, & non sit limitatum, & in aliqua specie saltem reductiuè, aliàs esset illimitatum, maximè si sit actus: nam esset illimitatæ perfectionis, cùm enim actus dicat ex se perfectionem, si non sit limitatus, dicit perfectionem illimitatam, ac proinde infinitam: sed actus vel limitantur, quia sunt determinatæ speciei, vel quia recipiuntur in subiecto limitato, & sic reducuntur ad speciem: subsistentia autem & existentia non sunt ex se determinatæ speciei, cùm non sint, nec essentia, nec partes essentiæ, & ita ex se non sunt limitatæ, & sic tantùm limitari possunt à subiecto proprio: sed subiectum subsistentiæ & existentiæ est essentia determinatæ speciei, à qua specificantur, vt supra dictum est: nam subsistentia immediatè recipitur & specificatur ab essentia, ex quibus resultat suppositum determinatæ speciei, quia habet essentiam in specie determinatam: existentia verò immediatè recipitur in supposito determinatæ speciei, & specificatur ab illo immediatè; radicaliter tamen ab essentia: ergo non possunt produci, nisi per ordinem ad essentiam, ac proinde nec conseruari sine tali ordine & dependentia. Nec potest dici quòd per hoc præcisè essent limitatæ, quia producerentur à Deo: nam actio diuina ex se est infinitæ virtutis, & sic ipsa præcisè non ponit limites rebus, nisi producat in determinato grado entis, gradus autem determinati entis sunt species: ergo vt Deus producat aliquid determinatum, debet producere in determinata specie: subsistentia autem, & existentia præcisè secundùm se non sunt determinatæ speciei, imò quantùm ad ipsas attinet, sunt illimitatæ perfectionis, & solùm limitantur quia recipiuntur, vel producuntur per ordinem ad essentiam determinatam in specie, cuius sunt actualitates: limites autem siue termini speciei, quibus limitatur & determinatur, sunt genus & differentia, hoc modo procedit D.Thom. ad probandum, quòd Deus sit infinitus.

Probatur

Probatur quarta pars conclusionis ex Caietano 3. p. q. 4. art. a. in tali casu non apparet vlla contradictio, nam verè adbuc talis essentia existeret (supponimus enim quod haberet existentiam) nec tanta est connexio subsistentiæ & existentiæ inter se, quin diuinitus non possie communicari existentia sine subsistentia: ergo potest diuinitus conseruari essentia in terum natura sine subsistentia. Deinde eo modo se babet subsistentia in substantia, ac inhæteuoa actualis in accidente: sed diuinitus potest cunseruari, imò de facto conseruatur accideus sine actuali inhæteniia, vt patet io Eucharistiæ Sacramento: ergo & substantia poterit conseruari sine subsistentia: maior, in qua sola est difficultas probatur & explicatur. Substantia, cùm sit ens perse, petit tanquam proprietatem subsistere per se, vnde per subsistentiam constituitur perfectè ens per se, nam per illam redditur independens ab alio, siue vt subiecto, siue vt supposito: èconrta accidens essentialiter sic ens in alio, vnde dicitur entis ens, & sic eius essentia dicit aptitudinalem ordioem ad aliud, scilicet subiectum, & petit tanquam ptoprietatem in illo actu esse, & per hoc quòd in illo actu sit, perfectè constituitur ens in alio: ergo eo modo se babet subsistentia in substantia, ae inbætentia actualis in accidente. Quòd autem in tali casu essentia non esset subsistens, nec personata, nec incommunicabilis alteri vt in supposito, est manifestum, nam ista sunt effectus fotmales subsistentiæ, effectus autem fotmalis ooo teperitur sine forma.

Probatur quinta pata conclusionis. Si conseruaretur essentia in terum natura sine existentis diuinitus, vel boc fieret mediâ aliquâ entitate superadditâ ipsi essentiæ, vel fieret ab ipso Deo immediatè per manutenentiam extrinsecam. Si dicatur primum, habetur intentum, nam dicimus quòd illa entitas fotmaliter efficeret id, quòd faceret existentia, si esset, aliàs non deberet superaddi: nam esset frustra: si facit quod efficeret existentia, cessat difficultas, quia non conseruaretur essentia nnda, sed cum aliquo supplente vices existentiæ. Secundum autem non potest dici, nam illa manutenentia Dei ex tempore, debet inferre peculiarem aliquam perfectionem intrinsecam rei, quæ manntenetur, nam quæcumque assistentia Dei extriosèca non potest augere virtutem alicuius, vel addere perfectionem, ita vt possit, quod aotea non poterat, vt communiter docetur in schola D. Thom. nisi dicatur quòd Deus per seipsum immediatè supplet rationem existentiæ creatæ terminando essentiam: sed hoc est extra statum difficultatis, nam in tali casu Deus vniretur intrinsecè cum essentia modo quodam ineffabili, vt accidit in mysterio Incarnationis: ergo implicat quòd essentia conseruetur in terum natura sine existentia, vel aliquo supplente vicem existentiæ.

Ratio autem disparitatis cur essentia possit à Deo conseruari sine subsistentia, & non possit conseruari sine existentia, est, quia existentia est vltimus terminus substantialis actionis productiuæ, quæ terminator ad esse, & vltima actualitas, qua res ponitur & sistit extra causas, ad quam ab intrinseco ordinatur essentia vt sic, nulla enim est essentia, siue substantialis, siue accidentalis, quæ non existat: & inde colligitur quòd existeotia est eius terminus necessariò simpliciter requisitus, vt sit extra causas, & in rerum natura conseruata: hoc enim importat statum sistendi: subsistentia autem oon est termious essentiæ vt sic, nam multæ sunt essentiæ, scilicet accidentales, quæ non subsistunt: & inde colligitur quòd subsisteotia tantùm requiratur necessariò ad constitutionem personæ; non verò requiritur necessariò simpliciter, vt essentia sit in rerum natura. Ex boc apparet efficacia præcedentis rationis, nam ad hoc vt essentia sit sine subsistentia, cùm non sit ipsa quæ formaliter dat esse, sufficit quòd Deus; vel destruat ipsam subsistentiam, si natura quæ debet conseruari, sit iam producta; vel non comproducat, siue impediat, ne actio productiua totius illam attingat, si natura siue essentia, quæ debet conseruari, de nouo producitur. Existentia autem, cùm formaliter faciat esse, aliquo modo debet suppleri, aliàs res sine essentia, quæ diceretur conseruari sine illa, non esset. Vnde meritò quæsitum est, quomodò suppleretur, an per aliquam entitatem superadditam, an per extrinsecam manutenentiam Dei.

An primum ergo dicendum, quòd subsistentia est quidem formalis ratio recipiendi existentiam; sed tantùm connaturalis, non autem ita necessaria, quin diuinitus possit in hac dispensari, & mutari hic ordo.

An secundum dicendum, quòd aliquid potest esse magis intimum, & magis connexum alicui, à quo tamen illud non ita dependeat in suo conseruari, sicut dependet ab alio magis extrinseco: & ita videmus quòd naturaliter vnus homo possit conseruari sine pelle, & non sine aëre, etiam si pellis sit magis intima & coonexa homini, quàm aër: & ita accidit in præsenti, quòd essentia dependet omninò ab existeotia, ita vt nullo modo possit esse, & conseruari in terum natura sine illa, quamuis noo sit illi ita intima, sicut subsistentia, sine qua tamen diuinitus potest existere, & conseruari.

Ao tertium dicendum, quòd subsistentia & existentia non sunt modi. Ad aliud dicendum, quòd essentia subsistentiæ & existentiæ in boc consistit, quòd aliqua natura possit per illas subsistere & existere non quòd actu per illas subsistat, aot existat: vnde hic effectus formalis potest ab illis seperari, sicut actu separatur ab anima rationali, dum est separata, & separaretur ab aliis formis materialibus, si diuinitus cooseruarentur separatæ, & ab accidentibus dum actu separantur à subiecto in Eucharistia; nec verum est, quòd aliqui dicunt, scilicet essentiam subsistentiæ & existentiæ in hoc esse, vt actu causent istos effectus, vix enim alterius entis realis essentia, præterquant Dei, consistit in actu: vnde requiritur, quòd subsistentia & existentia recipiantur in essentia, sicut quòd accidentia inhæreant suis subiectis, ad boc vt causent suos effectus formales: boc autem Deus potest moderari, vt sint in rerum oatura, & tamen in nulla essentia recipiantur, nec illi communicent suos effectus formales. Ad aliud dicendum, quòd est disparitas ex parte essentiæ respectu existentiæ, nam essentia nullam habet actualitatem aut perfectiooem, nisi per ordinem ad existentiam, & essentialiter ab illa dependet; quia in ordine Metaphysico est pura potentia: potentia autem, cùm vt sic dicat imperfectionem & indigentiam, plus dependet ab actu, quàm actus à potentia, vt patet in compositione Physica: existentia autem est vltimus actus Metaphysicus, ac perfectissimus, & ideò potest esse sine essentia; quamuis essentia non possit esse sine illa.

Articvlvs V.

Vtrùm subsistentia & existentia sint quid simplex; vel debeant proportionari suæ essentiæ?

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd existentia noo sit semper aliquid simplex, sed in rebus compositis sit composita. Ita tenentur dicere omnes illi, qui identificant existentiam cum essentia. Probatur. Res materiales sunt minus simplices, quàm aliæ quæ per se subsistunt, vt sunt res spirituales: ergo simpliciter existentia illarum est minùs simplex, nam perfectio maior, aut minor cuiuscumque rei prouenit illi ab existentia: si autem existentia materialium est minùs simplex, sequitur quòd habeat in se aliquam compositionem: ergo in rebus compositis existentia non est quid simplex, sed proportionatur essentiæ.

§ 1. Præterea, Esse partium rei compositæ, est esse in concreto: ergo prout concernit materiam siue subiectum compositum ex partibus, etiam ipsum esse habet compositionem: nam de forma in concreto debemus loqui conformiter ad subiectum, cuius est forma, nam sopponit pro subiecto, sicut album supponit pro corpore habente albedinem, & similiter esse in concreto supponit pro re quo

quæ existit: & ita si tes existens non est simplex, sed composita, etiam eius esse in concreto non erit simplex.

§ 3. Præterea, Ens vt ens, siue vt transcendens omnia, habet maiorem compositionem in rebus, quæ sunt magis compositæ, nam cùm sit idem ac ipsæ tes, ipsis proportionatur: ergo etiam existentia correspondens enti, in rebus quæ sunt magis compositæ, habet maiorem compositionem, ens enim dicit ordinem ad esse, res autem composita non potest dicere ordinem ad aliquid simplex: ergo in rebus compositis existentia non est quid simplex, sed proportionatur suæ essentiæ.

Sed contra est communis sententia Thomistarum, & aliorum qui distinguunt existentiam ab essentia.

CONCLVSIO.

Cùm subsistentia & existentia sint actus perfecti, & repugnet actui vt sic, esse compositum, sunt quid simplex, etiam in rebus compositis.

Respondeo dicendum, quòd tam subsistentia, quàm existentia in rebus etiam compositis, sunt actus simplices; ita tamen vt compleant & actuent subiectum secundùm se totum, & secundùm omnes eius partes, & secundùm omnes eius gradus, tum specificum, tum genericos prout componunt totum, & non secundùm incompletam rationem vniuscuiusque: & ita absque aliqua compositione, sed sub simplici modo actuandi communicant suã perfectionem: nec ex eo quòd recipiatur ista perfectio in pluribus, plurificatur, sed absque diuisione & plurificatione communicatur: vnde nec subsistentia, nec existentia deprimuntur ad imperfectionem recipientis, sed secundùm suum modum illud perfectiunt. 2. & ita sunt actus indiuisibiles. Ad cuius euidentiam sciendum est præsentem difficultatem solùm procedere de subsistentia & existentia rerum materialium, vt sunt omnia entia naturalia, composita ex materia & forma, nam in essentiis simplicibus, siue Physicè non compositis non habet locum; quia cùm subsistentia & existentia sint perfectiores essentia, ad quam comparantur, sicut actus ad potentiam: non potest esse quòd essentia sit simplex, subsistentia verò & existentia sint aliquid compositum: nam compositum cæteris paribus est imperfectius re simplici, quia inuoluit semper aliquam potentialitatem: & ita non est difficultas de subsistentia & existentia diuina, cùm in Deo summa simplicitas sit attributum: nec de Angelica, Angeli enim sunt spiritus, nullam habentes compositionem Physicam in sua essentia, vt postea dicetur: nec de humana, licèt enim essentia hominis sit physicè composita ex materia & anima rationali, tamẽ vt dictum est, ipsa anima, cùm sit spiritualis, creatur, & ex vi creationis habet suam subsistentiam & existentiam, quam communicat materiæ, & toti composito: nec denique de existentia, siue inexistentia accidentiũ, quia accidentia sunt formæ simplices.

Item sciendum est, quòd perfectio cuiuscumque formæ vt sic, prouenit illi per ordinem ad materiam: vnde tantò forma dicitur perfectior, quantò est apta actuare perfectiorem materiam, siue perfectiori modo dispositam, & tantò forma dicitur simplicior, quantò modus actuandi fuerit simplicior: & sic vna forma dicitur simplicior & perfectior aliâ, quia simpliciori modo respicit materiam: iste autem simplicior modus nihil aliud est, quàm modus immaterialior. Itaque forma excedit materiam; secundùm quòd actus excedit potentiam, & secundùm immaterialitatem, nam materialitas est conditio materiæ: & consequenter forma in ratione formæ est simplicior, quandò immaterialiori modo actuat, quia vt sic est abstractior à materia, & ita simplicior.

Probatur prima pars conclusionis. Repugnat actui vt sic, esse compositum in eo ordine, in quo est actus, ita vt si sit actus Physicus, non erit compositus compositione Physica materiæ & formæ: si actus Metaphysicus, in eo ordine in quo est, putà subsistendi, vel existandi; non erit compositus compositione Metaphysicâ, imò nec Physicâ, cùm actus Metaphysicus sit perfectior & simplicior actu Physico, & quantò superior, tantò simplicior: sed subsistentia & existentia sunt actus Metaphysici, quilibet vltimus in suo ordine, scilicet subsistendi & existendi, vt dictum est: ergo non sunt quid compositum, sed simplex. Probatur maior, in qua sola est difficultas. Si actus esset quid compositum (in eo ordine in quo est actus) continens potentiam & actum, in eo ordine non esset actus per se, sed esset vnum ens completum in actu, vt per se patet: ergo repugnat actui in eo ordine, in quo est actus, esse compositum. Quod adhuc est manifestius de actu simpliciter vltimo, qualis est existentia, quæ complet totam compositionem Metaphysicam, nam actus vltimus nullam dicit rationem potentiæ respectu alterius, si enim respiceret aliud vt potentia, iam non esset vltimus actus, sed illud aliud quod respiceret, & ita vltimus actus est secundùm se totum actus, & nullam includit rationem potentiæ, ac proinde nec vllam compositionem, & sic repugnat, esse vltimum tum in genere actùs tum pari ratione in genere potentiæ, & esse compositum. Confirmatur. 1. actus Physicus, qui est imperfectior Metaphysico, cùm ad illum comparetur vt potentia, nullam admittit compositionem in ordine Physico, siue Physicam: ergo multò magis actus Metaphysicus, qualis est subsistentia & existentia, nullam admittet compositionem Metaphysicam, ac proinde nec Physicam, quæ est materialior & imperfectior. Confirmatur. 2. specialiter de existentia, quæ non solùm est actus vltimus complens totam compositionem Metaphysicam, sed etiam est actus vniuersalissimus, correspondens enti vt ens est (prout tamen importat vltimam actualitatem essentialem rei, omnia enim ratio entis inuoluit, licèt non exprimat,) ita vt existentia sit actus rei, vt ens est in ordine essentiæ vltimo completum: sed actus vniuersalissimus, & supremus excludit omnem compositionem, nam si componeretur, includeret actum & potentiam: & sic ille actus, quem includeret, esset prior illo in genere actus; repugnat autem actui supremo habere alium superiorem: ergo existentia est quid simplex.

Dicendum est ergo quòd per generationem, quæ est actio vnica, producitur totum, tum Physicum, tum integrale cum suis partibus: generatio autem completur in existentia, primò & per se communicata eidem toti, & secundariò communicata partibus, & quamuis admitterentur in toto diuersæ formæ substantiales, etiam in partibus integralibus, vt aliqui admittunt, dummodo facerent vnum per se (quod tamen videtur implicare vt supra probatum est,) non propterea essent ponendæ diuersæ existentiæ, quia existentia non complet primò & per se formam partialem & incompletam, sed de ratione eius est, cùm sit vltimus actus, terminare rem secundùm suam vltimam actualitatem essentialem: vnde eadem dignitas, quæ est in toto, reperitur etiam in partibus propter participationem eiusdem esse, vt patet in Christo Domino, in quo omnes eius partes, & etiam sanguis, propter vnionem ad Verbum & participationem esse diuini, habent infinitam dignitatem. Esse autem siue existentiæ sunt inæqualis perfectionis ratione essentiæ, ad cuius productionem comproducuntur, vt actus proportionati & commensurati.

Probatur, & explicatur secunda pars conclusionis. Formæ Physicæ, quæ sunt aliquantulùm perfectæ, sicut sunt perfectorum animalium, vt equi, Leonis &c. sunt indiuisibiles, quia indiuisibilitas dicit perfectionem, propter quod formæ imperfectiores illam non habent, sed sunt diuisibiles: ergo multò magis subsistentia & existentia erunt indiuisibiles, cùm sint actus perfectiores, imò sint actus actuum Physicorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd existentiæ rerum immaterialium sunt simplices, & minùs compositæ, (& similiter dicendum de subsistentiis) quàm subsistentiæ & existentiæ rerum compositarum ex materia & forma, non quia istæ componantur ex partibus, sed quia minùs abstrahunt à materia in actuando, & ita minùs abstrahunt à potentia: vnde quantò res, quæ actuatur, est minùs composita & minùs materialis, tantò ipsa subsistentia

stentia & existentia dicitur minus composita : vnde formaliter loquendo in illis non sumitur ratio maioris, aut minoris compositionis, nisi ex modo actuandi iam dicto.

Ad secundum dicendum, quòd forma in concreto, vt album, significat solam albedinem, vt dictum est supra in Logica, licèt connotet corpus: sic esse significat ipsam existentiam solam, sed connotat eius subiectum, vnde non dicit propriè compositionem. Deinde in præsenti quærimus de ipsa subsistentia & existentia in abstracto.

Ad tertium dicendum, quòd ratio entis communissima, prout dicit gradum illum vniuersalissimum in quadam confusione, est imperfectissimum quod est in re, cum non exprimat alios gradus inferiores & actualiores : sed vt sic non est capax recipiendi existentiam, sed vt dicit & exprimit vltimam perfectionem essentialem rei : essentia autem, siue ens vt dicit essentiam, licèt sit quid compositum, potest ordinari ad aliquid simplex & indiuisibile, corpus enim ordinatur ad animam rationalem, quæ licèt sit indiuisibilis, adæquat corpus diuisibile, ita vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte : & ita est de subsistentia & existentia : vnde licèt perfectior entitas totalis petat esse perfectius, tamen perfectior entitas partialis non petit esse perfectius, sed solùm perfectiorem modum actuationis, indiuisibiliter prouenientem ab eodem esse, siue ab eadem existentia, & subsistentia.

Articvlvs VI.

Quis sit ordo perfectionis inter Essentiam, Subsistentiam, & Existentiam?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd essentia sit perfectior, quàm existentia. Ita tenent multi extra scholam D. Thom. Probatur. Quod conuenit alicui per se primò, & in primo modo dicendi per se, est nobilius eo, quòd illi conuenit contingenter, nam quod conuenit per se primò, constituit differentiam nobiliorem in genere entis, scilicet necessariam, aliud autem constituit imperfectiorem differentiam, nempe contingentiam, sed essentia conuenit per se primò rei cuius est essentia, existentia autem conuenit tantùm contingenter, vt communiter asserunt Philosophi: ergo essentia est nobilior & perfectior existentiâ. Confirmatur. Maius augmentum perfectionis tribuit essentia, quàm existentia, nam Petrus plus excedit leonem existentem in perfectione, ratione suæ essentiæ, quàm Petrus existens Paulum non existentem ratione existentiæ : ergo essentia est perfectior existentiâ, forma enim quæ causat effectum formalem perfectiorem, est perfectior.

§ 2. Præterea, Essentia est principium productionis existentiæ ex D. Th. 2. contra gentes cap. 54. vbi dicit, quòd sicut lux se habet ad lucere, ita forma ad esse : sed quod est principium alicuius, debet in se præhabere perfectionem eius, & aliquid ampliùs, iuxta illud, nemo dat quod non habet : ergo essentia est perfectior existentiâ. Confirmatur. Esse est primus gradus dicens ordinem ad vlteriores, nempe ad viuere, sentire, ratiocinari, qui sunt perfectiores, & tamen includuntur in essentia : ergo essentia est perfectior, quàm esse siue existentia.

§ 3. Præterea, Essentia in Deo est perfectior, quàm esse, nam omnis perfectio, quæ in nobis reperitur, præhabetur in essentia diuina : ergo idem dicendum est in creaturis. Confirmatur. Verbum diuinum assumpsit, quod erat perfectius in natura humana, quia, cùm Christus fuerit perfectissimus homo, debuit assumere quod est perfectius in homine : sed non assumpsit subsistentiam secundùm fidem, nec existentiam iuxta sententiam D. Th. ergo essentia est perfectior subsistentiâ, & existentiâ.

§ 4. Præterea, Res secundùm essentiam considerata est obiectum intellectûs, propterea scientiæ desumuntur ab essentiis rerum, nam omnis scientia abstrahit ab existentia scibilis ; res verò sub existentia est obiectum voluntatis : sed obiectum potentiæ nobilioris est nobilius, cùm potentiæ specificentur ab obiectis: intellectus autem est nobilior voluntate : ergo & essentia est nobilior existentiâ. Deinde, scientiæ desumuntur à rebus secundùm id, quod est perfectissimum in illis, nam intellectus mediâ scientiâ intendit penetrare vltimam perfectionem rei scibilis : ergo essentia, à qua desumuntur scientiæ ; est perfectior existentiâ.

Sed contra est expressa authoritas D. Th. quem communiter sequuntur eius discipuli, Caietanus 1. p. q. 3. art. 4. Bannes 1. part. loco citato dubio 3. Nauarrete ibidem controu. 14. & alij.

Conclvsio.

Cùm existentia sit actualior siue immaterialior, quàm subsistentia, & subsistentia quàm essentia, existentia est perfectior subsistentiâ, & subsistentia est perfectior essentiâ.

Respondeo dicendum, quòd intra limites suæ speciei quælibet essentia est perfecta, eius subsistentia perfectior, & existentia perfectissima. 2. qui ordo perfectionis reperitur in istis, etiam in concreto, ita vt subsistens sit perfectius viuente, & existens perfectius omnibus. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd loquendo in concreto, certum est subsistentiam & existentiam esse perfectiores essentiâ : nam subsistens & existens, non solùm dicunt subsistentiam, & existentiam, sed etiam includunt essentiam, vnde sine dubio sunt perfectiores cùm includant ipsam perfectionem essentiæ, & propriam. Vnde difficultas procedit de illis in abstracto, possunt autem in abstracto considerari dupliciter. Primò secundùm suum proprium conceptum præcisè, & sic nullam inuoluunt imperfectionem, imò sunt perfectiones simpliciter simplices, & reperiuntur formaliter in Deo, & Deus seipso immediatè illas supplet in mysterio Incarnationis. Secundò possunt considerari, vt sunt determinatæ ad speciem essentiæ, cuius sunt actus, & vt sic tanquam partes reducuntur ad perfectionem totius, vt imperfectum ad perfectum, totum enim est perfectius suis partibus sigillatim sumptis, nam præter ipsarum perfectiones sigillatim consideratas, includit perfectionem propriæ essentiæ, & omnis pars perficitur in vnione ad suum totum. Subsistentia autem & existentia, siue subsistere & existere, vt dictum est, secundùm se nullam dicunt limitationem, sed solùm limitantur secundùm quòd recipiuntur, vel respiciunt essentiam ad speciem limitatam : & cùm omnis limitatio perfectionis sit imperfectio, sequitur quòd subsistentia & existentia secundùm proprium conceptum sint perfectiores seipsis limitatis. Hîc autem inquirimus de subsistentia & existentia limitatis ad speciem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Th. specialiter de existentia 1. p. q. 4. art. 1. ad 3. sic ait : *Ipsum esse est perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia vt actus : nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est.* Item quæst. 8. art. 1. ait : *Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cùm sit formale respectu omnium, quæ in re sunt.* Item 1. contra gentes cap. 28. ait : *Omnis nobilitas cuiuscumque rei, inest sibi secundùm suum esse : nulla enim nobilitas esset hominis ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset &c. sic ergo secundùm modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate.* Item quæst. 4. de potentia art. 2. ait : *Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi, secundùm hoc enim aliqua perfecta sunt, secundùm quòd aliquo modo esse habent.* Sed clarius q. 7. de potentia art. 2. ad 9. vbi sic ait : *Hoc quod dico esse, est inter omnia perfectissimum, quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia, qualibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc quod esse ponitur, nam humanitas, vel igneitas potest considerari, vt in potentia materia existens, vel in virtute agentis aut etiam in intellectu, sed per hoc quod habet esse, efficitur actu existens, vnde patet quòd hoc, quod dico esse, est actualitas omnium actuum, & propter hoc est perfectio omnium perfectionum.*

Secundò, illud est perfectius, quod magis participat de actualitate, & minùs de potentia, si sint in eodem genere, vel ordine, ex communi consensu Philosophorum, perfectum enim est illud, quod habet quæ sibi sunt debita,

debita, actus autem hæc habet loquutum huiusmodi potentia verò passiua, de qua loquimur, dicit indigentiam, nempe quòd aliquid sibi deest, quod respicit & potest recipere: sed in genere substantiæ,& in compositione Metaphysica essentia est potentia respectu subsistentiæ, quæ est actus eius, ita vt essentia in hoc ordine sit pura potentia, essentia autem & subsistentia sunt potentia respectu existentiæ, quæ est vltima essentiæ subsistentis, siue suppositi ex essentia & subsistentia resultantis, actualitas intra limites substantiæ,nec vllam potest habere rationem potentiæ, & consequenter subsistentia magis participat de actualitate, quàm essentia, & minus quàm existentia: ergo existentia est perfectior quàm subsistentia, & subsistentia quàm essentia. Confirmatur. Illa forma est perfectior, quæ est abstractior à materia, à qua tantùm potest limitari, & hoc manifestè apparet in formis Physicis, nam in ipsis secundùm gradum abstractionis,siue eleuationis à materia,est gradus perfectionis: sed subsistentia in eodem ordine substantiæ est magis abstracta, & eleuata à materia quàm essentia, & minus quàm existentia, nam essentia aliquando includit materiam Physicam, vt in rebus corporeis, semper autem se habet ad modum materiæ in compositione Metaphysica: subsistentia autem nunquam includit materiam Physicam secundùm se, licèt actuet essentiam ex illa compositam,in compositione verò Metaphysica se habet vt forma respectu essentiæ, quamuis se habeat ad modum materiæ respectu existentiæ, quæ est vltima actualitas, & ideò totaliter abstrahit à materia,tum Physica,tum Metaphysica: ergo subsistentia est perfectior quàm essentia, & existentia perfectior vtraque.

Tertiò, quod in eodem ordine habet rationem finis, respectu actionis qua agens producit suum effectum, siue quod habet rationem vltimi in eodem ordine in productione rei, est perfectius & principalius aliis, quæ per eandem actionem producuntur, quia natura incipit ab imperfectioribus; & ita quæ sunt priora ordine generationis, sunt imperfectiora, quæ verò posteriora, sunt perfectiora: quia ex D.Thom. 1. p. q. 85. art.3.omnia causa naturalis, quæ procedit de potentia in actum per vnam actionem, prius procedit in actum incompletum, & imperfectum: nam v.g.in generatione humana, prius communicatur gradus vegetatiuus quàm sensitiuus, & sensitiuus prius quàm rationalis:sed in productione rei subsistentia habet rationem finis respectu essentiæ, existentia verò respectu vtriusque, cùm intra limites substantiæ sit vltima actualitas, & vltimum complementum essentiæ subsistentis:agens enim nihil aliud intendit per suā actionem tanquam finem, quàm causare suum effectum, vt subsistentem, & perducere illum ad esse,siue vt existat in rerum natura: ergo subsistentia est perfectior essentiā, & imperfectior existentiā. Hæ rationes probant de istis tribus, tam in communi, quàm in particulari considetatis, putà de hac essentia respectu suæ subsistentiæ & existentiæ, nam siue in communi, siue in particulari essentia est potentia respectu subsistentiæ, & vtraque respectu existentiæ,quæ solùm habet rationem actus,ex D.Th.quæst. vnica de anima art. 6. ad 2. dicit enim, quòd esse participatur ab omnibus, ipsum verò non participat.

Probatur secunda pars conclusionis. Quò forma est perfectior, eò habet perfectiorem effectum formalem, cùm communicetur formaliter per intrinsecam communicationem ipsiusmet formæ: ergo in istis est idem ordo perfectionis in concretis, ac in abstractis, non solùm quia subsistens dicit indiuiduum substantiale, & aliquid amplius scilicet subsistentiam, & existens dicit subsistens siue suppositum, & aliquid amplius scilicet existentiam, sed secundùm etiam præcisam suam rationem, ita vt considerata natura subsistens in illo priori naturæ, in quo nondum intelligitur existens, sit imperfectior seipsā, vt considerata existens sine subsistentia, quod diuinitus esse potest Nec contrariatur D.Th.dum dicit, personam esse perfectissimum quod est in natura, non enim excludit esse sine existentiam à persona, nam alibi docet quòd esse est perfectissimum omnium, & ita est perfectius persona. Sed sciendum est, quòd in istis,sicut & in aliis soler fieri, ratio superior attribuitur imperfectiori speciei, & sic existens, quod est quid superius ad omnia existentia, solet attribui principaliter existentibus, quæ non attingunt ad gradum vitæ: & propterea existens in viuentibus exprimitur per nomen concretum significans essentiam rei: vnde dicit Aristoteles 2. de anima quòd esse in viuentibus, est viuere: & ita aduertendum est quandò ly (viuere) significat essentiam vel existentiam viuentis,pro vtraque enim sumitur: pro existentia quidem apud D.Thom. 1.2.q.2. art.5. ad 2. vbi sic ait: *viuentia, sunt meliora existentibus*: similiter aliquando intelligere sumitur pro existentia, siue esse naturæ intellectualis, ex D.Th. ibid. fixum tamen manet existens in concreto, siue hoc, siue alio speciali nomine exprimatur, esse perfectius aliis gradibus, & magis assimilari Deo, qui est suum esse per essentiam.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliud est aliquid conuenire rei magis intimè, & aliud quòd conferat ei maiorem dignitatem. Primum conuenit essentiæ, quæ propterea conuenit necessariò. Secundum conuenit existentiæ, licèt conueniat rei tantùm contingenter: vnde necessarium est nobilius contingenti tantùm, quando cætera sunt paria, quod non accidit in præsenti. Ad confirmationem dicendum, quòd inter existens & non existens, est quodammodo infinita distantia, quia non conueniunt in aliquo reali actu, positiuā perfectione; & ideò plus excedit in perfectione Petrus existens, Paulum non existentem, quàm leonem existentem.

Ad secundum dicendum,quòd essentia solùm materialiter se habet ad existentiam, vt scilicet eius receptiuum, & specificatiuum. Ad D. Thom. dicendum, quòd si ly, esse, sumatur pro esse specifico, verum est quòd consequitur formam, quæ dat speciem rei: si autem sumatur pro esse existentiæ, consequitur ad formam modo dicto, cùm forma sit specificatiua essentiæ, & eius pars principalis; sed non eo modo, quo lucere ad lucem: vnde D. Thom. per ly, sicut tantùm exprimit necessariam consecutionem vtriusque ex alio,sed non eundem modum consecutionis. Ad confirmationem patet ex dictis, quòd esse non dicit ordinem ad viuere, ratiocinari &c. vt sumuntur pro gradibus essentialibus, imò est complementum, & vltima actualitas illorum: si autem viuere, & intelligere sumantur pro existentia, siue esse rei viuentis & intelligentis, comparantur ad esse, vt significat tantùm existentiam tetum non viuentium, sicut perfectum ad imperfectum, & ita esse ordinatur ad vlteriorem gradum, sed hoc non facit contra nos.

Ad tertium dicendum, quòd essentia diuina est suum esse, vnde non potest fieri comparatio in perfectione inter illa, tamen nostro modo intelligendi existentia diuina concipitur vt vltima perfectio essentiæ diuinæ,& complementum quasi intrinsecum. Ad confirmationem dicendū, quòd verbum assumpsit in natura humana,quod erat perfectissimum, sed assumptibile, subsistentia autem & existentia non sunt assumptibiles,vt dictum est,sed sola essentia.

Ad quartum dicendum, quòd verum est voluntatem non ferri in res, nisi vt existentes, quia tantùm vt sic habent bonitatem, intellectus autem fertur in res, & secundùm existentiam, & secundùm essentiam: vnde nihil contra nos. Ad aliud dicendum, quòd scientiæ non considerant, quod est nobilius in suis obiectis, sed quod est magis necessarium, & immutabile, cùm scientiæ debeant esse fixæ, & ideò considerant essentias immutabiles secundùm esse obiectiuum, licèt imperfectiores suis existentiis, quæ sunt contingenter, vnde existentia non est scibilis, siue non consideratur ab illa scientia, quæ considerat illam essentiam, cuius est existentia: existentia autem vt sic in communi, & in se considerata secundùm illam perfectissimam actualitatem, quam dicit est quædam essentia scibilis, & pertinet ad obiectum nobilissimæ scientiæ inter naturales, scilicet nostræ Metaphysicæ, & propterea de illa egimus.

LIBER

LIBER QVARTVS METAPHYSICÆ.

DE SVBSTANTIIS SEPARATIS.

Summma.

HACTENVS de obiecto totali & adaquato Metaphysica, de eius proprietatibus, diuisione & compositione egimus, superest, vt Philosophum imitati hic in fine aliquid agamus de obiecto principali, scilicet substantiis separatis, ne Metaphysica principaliori parte sui obiecti defraudetur. Si de aliis breuiter, de istis breuissimè pertractabitur, cùm perfectus eorum tractatus ad sacram pertineat Theologiam, Primò autem agetur de Angelis vnicâ quæstione. Secundò de Deo optimo maximo quatuor vltimis.

QVÆSTIO XXI.

De Angelis.

PLVRIMA de Angelis in sacra Theologia considerantur, videlicet de eorum natura, Hierarchia, causalitate, motu, cognitione, illuminatione, locutione, & aliis, quibus propterea prætermissis aliqua tantùm de eorum existentia, & natura dicentur, vnde solùm in præsenti quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm in rerum natura sint Angeli?

¶ Secundò, Vtrùm numerus Angelorum excedat multitudinem omnium specierum materialium creatarum?

¶ Tertiò, Vtrùm Angeli sint omnino incorporei & immateriales?

¶ Quartò, Vtrùm sint, ut possint esse plures Angeli in eadem specie?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in rerum natura sint Angeli?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd in rerum natura non sint Angeli. Ita senserunt Saducæi & Samaritani in antiqua lege, de Saducæis refert S. Lucas Actuum 23. Saducæi, inquit, dicunt non esse Angelum, neque spiritum: horum errorem sequuti sunt multi hæretici, qui dicebant Sacram Scripturam per bonos Angelos intelligere bonas inspirationes, per malos verò malas. Potest probari, quia Angeli sunt superflui in rerum natura, nihil enim attribuitur ipsis, quod aliunde fieri non possit: nam directio hominum immediatè debet pertinere ad Deum, qui immediatè creauit, & immediatè conseruat, vnde ad ipsum pertinet immediatè per suas inspirationes dirigere contra malas inclinationes. Item Cœli immediatè mouentur à Deo, non enim possunt corpora tam magna moueri, nisi ab aliquo motore infinitæ virtutis, si moueantur ab extrinseco: sed nihil est superfluum in natura: nam sicut Deus & natura non deficiunt in necessariis, sic nec faciunt superflua, vtrumque enim importat imperfectionem: ergo in rerum natura non sunt Angeli.

¶ 2. Præterea, Si in rerum natura sunt Angeli, debent esse creati, si enim essent ex se necessarij & independentes, essent Dij, vnde admittenda esset pluralitas Deorum, quod est contra lumen rationis: sed Angeli non sunt creati, nulla enim fit mentio in scripturis de eorum creatione, vt patet legenti, quæ tamen non fuisset prætermittenda, cùm Angeli sint entia nobilissima, & Moyses tam clarè & copiosè expresserit in Genesi creationem rerum materialium ignobilium: ergo in rerum natura non sunt Angeli.

SED CONTRA est expressa authoritas sacræ Scripturæ infinitis propè locis, communis doctrina sanctorum Patrum, & assensus omnium Catholicorum. De Angelis agit D. Th. 1. p. quæst. 50. & Deinceps.

CONCLVSIO.

Cùm vniuersum debeat esse perfectum, ac proinde participare perfectum gradum intellectualitatis, & habere motores Cœlorum, debent admitti in rerum natura Angeli.

RESPONDEO dicendum, quòd necessariò debemus concedere esse in rerum natura Angelos. Ad cuius euidentiam sciendum est, hanc difficultatem non procedere de possibili, certum enim est, tum ex fide, tum ratione naturali nullum dari terminum diuinæ omnipotentiæ, quæ dignoscatur ex creatione rerum, nec aliunde apparet implicantia ex parte creaturæ. Per Angelos intelligimus creaturas omnino spirituales, quæ alio nomine vocantur intelligentiæ: si autem dantur actu creaturæ spirituales incompletæ, scilicet animæ rationales, quæ etiam separatæ subsistunt, vt omnes etiam gentiles, paucis exceptis concedunt, etiam poterunt dari aliæ creaturæ spirituales completæ, quales debent esse Angeli.

Probatur conclusio authoritate sacræ Scripturæ. Psalmo 103. *qui facit Angelos suos spiritus.* Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Item ex illo Actuum 12. vbi fit mentio de Angelo, qui liberauit S. Petrum ex carcere. Item ex lib. Tobiæ, vbi Angelus Raphaël, dicitur fuisse comes itineris Tobiæ. Item ex libris Prophetarum, vbi passim fit mentio de Angelis: quæ loca debent necessariò intelligi simpliciter secundùm explicationem sanctorum Patrum, nec possunt explicari de inspirationibus diuinis.

Secundò, probatur authoritate Aristot. vltimo Metaphysicæ cap. 10. vbi postquam ex motu Cœlorum conclusit esse substantias separatas, scilicet Intelligentias & Angelos: in fine hæc habet: *tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi Dij sint, vniuersamque naturam diuinam contineant. Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius quod conferat opportunitatem, iam illata sunt: hominiformes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia, & similia iis quæ dicta sunt, quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod Deos arbitrabantur, primas substantias esse diuinè profectò dictum putabit, & (vt veri simile est) sæpius quaque arte & Philosophiâ, quoad possibile, fuit inuenta*

corruptáque rursus, has illorum opiniones quasi quasdam reliquias nunc vsque saluatas esse. Paterna itaque, ac priorum opinio in tantùm nobis manifesta sit. Item 1. de cœlo lect. 21. apud D. Thom. sic ait. *Patet ergo neque locum extra Cælum esse, neque vacuum, neque tempus: quo circa neque apta sunt ea, quæ illic sunt, esse in loco, neque tempus senescere ipsa facit, neque vllius eorum est vlla mutatio, quæ super extima sunt disposita latione: sed nullis alterationibus, nullis passionibus prorsus subiecta, optimam in vniuersa sempiternitate vitam, & sufficientissimam habent: diuinę namque nomen hoc pronunciatum est ab antiquis.*

Tertiò, probatur ratione D. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. vniuersum, cùm sit perfectum, debet assimilari ad Deum suum authorem: perfecta autem assimilatio effectus ad causam tunc est, quando effectus imitatur causam secundùm illud, per quod causa producit effectum: ergo cùm Deus sit intellectualis, & producat omnia per intellectum, debet vniuersum perfectè participare gradum intellectualitatis: ergo cùm intelligere non sit actus corporis, debent in rerum natura admitti substantiæ intellectuales separatæ à materia, aliàs vniuersum priuaretur potissima perfectione. Nec sufficit anima rationalis, cùm in ordine intellectuali sit imperfectissima & incompleta.

Quartò ex Philosopho 12. Metaph. cap. 8. dantur motores Cœlorum: sed hi motores sunt intelligentiæ siue Angeli: ergo in rerum natura sunt Angeli. Huic argumento respondent diuersimodè: dicunt quidam quòd Cœli viuunt & mouent seipsos: alij quòd non datur, nisi vnum Cœlum solidum immobile, scilicet Empireum, & ita non sunt necessarij motores Cœlorum; alij licèt dicant Cœlos non viuere, dicunt tamen quòd mouentur seipsis, sicut graue mouetur deorsùm, & leue sursum motu naturali, licet non sint animata, alij denique dicunt quòd Deus immediatè mouet Cœlum. Sed contra, primum videtur ridiculum, nam si Cœlum viuit, cùm sit corporeum, debet nutriri, crescere, ac proinde est alterabile & corruptibile, nisi miraculosè id fiat, miracula autem non debent admitti in communi, & regulari, siue ordinaria conseruatione rerum. Secundum autem est de nouo introductum contra antiquam Aristotelis, aliorum Philosophorum, ac sanctorum Patrum doctrinam, imò ipsius Scripturæ quæ plures admittit Cœlos solidos vt dictum est supra. Tertium etiam non potest stare, nam Aristoteles docet omnem motum naturalem inanimatorum, vel esse à medio, vel ad medium, nec contradicit, dum alibi vocat motum Cœlorum ipsis connaturalem, solùm enim vult, quòd talis motus circa medium, illis conuenit ratione suæ figuræ rotundæ, sed tamen ab extrinseco. Deinde ens naturale non mouetur naturali motu, nisi quando est extra suum locum naturalem, graue enim in Centro non mouetur motu naturali, sed tantùm vt tendat in Centrum: Cœlum autem est in proprio loco, & tamen ibi mouetur, & ita eius motus non est naturalis & ab intrinseco. Quartum autem non affert impossibilitatem, sed tamen non videtur conueniens ordini naturali, vt Deus immediatè moueat Cœlum, cùm soleat infima per media, & media per superiora, & corporea per spiritualia dirigere.

Quintò, vt est notissimum & quotidianum in Ecclesia Dei, imò & in gentilitate sunt Energumeni, in quibus videntur effectus excedentes naturam rerum materialium, nam videmus mulierculas, aut rusticos loquentes Latinè, Græcè, & aliis linguis Barbaris, efficientes motus extraordinarios, detegentes aliqua abscondita, prædicentes futura, &c. quæ non possunt attribui ipsis vt patet: nec Deo, nam sæpe mentiuntur, & blasphemant contra Deum, quod est impium attribuere Deo: nec possunt attribui influentiæ cœlesti, vt satis manifestum est: nec alicui animæ damnatæ, cùm illi motus extraordinarij excedant virtutem animæ, si enim illos non possunt efficere in proprio corpore, in quo magis dominantur, multò minùs in alieno: deinde authoritate Ecclesiæ, & vi exorcismorum coacti dicunt se esse Angelos, & non animas. Item Magi virtute dæmonum extraordinaria operantur: ergo necessariò debemus concedere esse in rerum natura Angelos.

Ad primum ergo dicendum, quòd creatio & conseruatio non possunt esse, nisi immediatè à Deo, vt infra explicabitur: directio autem hominum, & motio Cœlorum potest, & conuenit fieri mediis aliis causis superioribus vt dictum est. Nec requiritur virtus infinita ad mouendum Cœlos, sed sufficit virtus excedens, qualis est purè spiritualis Angelorum. Nec propter hoc solum ponuntur, sed ponuntur ad pulchritudinem vniuersi, ad manifestandam Dei potentiam & perfectionem, in tam perfectis creaturis, quæ sunt participationes illius.

Ad secundum dicendum, quòd licèt non fieret mentio in Scripturis de Angelorum creatione, sufficit quòd fieret de Angelis creatis, vt sæpe fit. Deinde aliqui sancti, in illo, *creauit Deus Cælum & Terram*, comprehendunt creationem Angelorum, per Cœlum intelligentes Angelos.

Articulus II.

Vtrùm numerus Angelorum excedat multitudinem omnium specierum materialium creatarum?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd numerus Angelorum non excedat multitudinē omnium specierum materialium creatarum. Ita tenuerunt aliqui, qui valde paucos ponebant Angelos. Algazel tantùm decem, & Aristot. 12. Metaph. cap. 10. tantùm quinquaginta septem, iuxta numerum motuum cœlestium. Probatur. Tob. 2. Apocalipsis 1. & alibi dicitur septem esse Angelos, qui astant coram Domino: ergo non excedunt multitudinem specierum materialium creatarum.

§ 2. Præterea, Omnes Angeli debent influere in hæc inferiora, ne sint frustra in rerum natura, cùm vniuersum sit vnum vnitate ordinis, ex Aristotele & D. Thom. & hic ordo consistat in hoc, quòd inferiora regantur à superioribus, & inferiora agant in infima ex D. August. 3. de Trinitate c. 4. & propterea Cœlum Empireum influit in hæc inferiora: sed Angeli, qui influunt in hæc inferiora, sunt tantùm quinquaginta septem, cùm non possint Angeli influere, nisi per motus locales Cœlorum, qui motus ex Aristotele 12. Metaph. cap. 10. sunt tantùm quinquaginta septem, & ita sunt tantùm quinquaginta septem Angeli: sed multò plures sunt species rerum materialium creatarum: ergo numerus Angelorum non excedit multitudinem omnium specierum materialium creatarum.

§ 3. Præterea, Quantò aliqua sunt propinquiora primo principio, tantò sunt minoris multitudinis, sicut quantò numerus est propinquior vnitati, tantò est multitudine minor: sed Angeli inter alias species creatas sunt propinquiores Deo, qui est primum principium, & summè vnus: ergo Angeli sunt minoris multitudinis, quàm aliæ species materiales creatæ, & ita non excedunt illas in numero.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. 1. p. q. 50. art. 3. & alibi sæpe, sequuti D. Dionysium c. 14. Cœlestis hierarch. est etiam communis sententia Theologorum, etiam extra scholam D. Tho.

Conclusio.

Cùm Angeli sint entia perfectiora, per se intenta, & cuilibet generi, cuilibet speciei, & cuilibet indiuiduo naturæ humanæ sint deputati ad custodiam, excedunt multitudinem omnium specierum materialium creatarum.

Respondeo dicendum, quòd numerus Angelorum multùm excedit multitudinem omnium specierum materialium creatarum, 2. tamen est certus, & determinatus. Probatur ex Scriptura. Danielis 7. sic habetur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quæ verba explicans D. Thom. 1. part. q. 111. art. 4. ad 2. sic ait: *Nec tamen hoc pro tanto dicitur, quia tantus solùm sit Angelorum numerus, sed multò maior,*

maior, quia omnem materialem multitudinem excedit: quod significatur per multiplicationem maximorum numerorum supra seipsos, scilicet denarij, centenarij, millenarij vt Dionysius ibidem dicit. Item Ioh 25. *nunquid est numerus militum eius:* quibus testimoniis denotatur maximum esse & excessiuum numerum Angelorum: ac proinde excedere multitudinem specierum materialium.

Secundò, quantò partes præcipuæ Vniuersi per se primò intentæ, ac per se primò pertinentes ad eius integritatem sunt perfectiores, tantò sunt creatæ in maiori excessu, vel secundùm magnitudinem, vt patet in corporibus cœlestibus, vel secundùm numerum, hoc enim requirit perfectio saltem extensiua vniuersi, quod debemus credere fuisse conditum à Deo cum maxima perfectione sibi connaturali: constat autem quòd sit perfectius, si contineat plures species perfectiores, quàm imperfectiores, solæ enim species pertinent per se ad perfectionem vniuersi, indiuidua autem tantùm per accidens, vt in illorum continuata successione conseruentur species: vnde videmus quòd solùm in corruptibilibus multiplicantur indiuidua, in corruptibilibus verò, vt Sole, Luna &c. non multiplicantur (nisi fortè aliunde necessitas requirat): sed Angeli sunt perfectissimi inter omnes species substantiales creatas, per se intenti, ac per se partes Vniuersi; cùm quilibet constituat suam speciem, vt infra dicetur, & sunt omnino immateriales, ac proinde Deo magis similes: ergo Angeli sunt creati in maiori excessu, quàm res materiales, non secundùm magnitudinem, cùm sint incorporei, ac proinde non habeant quantitatem molis: ergo secundùm numerum, & ita numerus Angelorum excedit multitudinem omnium specierum materialium creatarum.

Tertiò, cuilibet generi, cuilibet speciei, & singulis indiuiduis naturæ humanæ deputatur à Deo ad custodiam proprius & determinatus Angelus ex D. Thom. 1. part. q. 113. articulo 2. & communi consensu Sanctorum Patrum & Theologorum, quod videtur congruum diuinæ prouidentiæ, quæ principaliter est de illis quæ perpetuò sunt duratura, vt sunt genera, species, & indiuidua humana; Angelorum enim custodia est quædam nobilis executio diuinæ prouidentiæ: ergo numerus Angelorum excedit multùm omnem multitudinem omnium specierum materialium; cùm vt dictum est, quælibet habeat suum Angelum custodem, & insuper quilibet homo suum, & omnes illi qui deputantur ad custodiam hominum, sunt ordinis inferioris. Nec valet effugium Durandi dicentis, quòd iidem Angeli successiuè variis deputantur hominibus, hoc enim nec reuelatione, nec ratione constat, & est contra communem opinionem.

Probatur secunda pars conclusionis. Vt docet efficaciter D.Thom. 1. p. q. 7. art. 4. omnis multitudo existens in rerum natura est finita, nam omnis multitudo debet esse in aliqua specie numeri, vel prædicamentalis, vel transcendentalis, nihil enim est in genere, quin sit in aliqua eius specie: ergo numerus Angelorum, quantumuis maximus, est tamen certus & determinatus.

Ad primum ergo dicendum, quòd per septenarium numerum, vel intelliguntur numerus indeterminatus Angelorum, quod est valde familiare in Scripturis, vt per numerum septenarium vniuersitas designetur, cuius rei multa exempla habent Expositores. Vel intelliguntur septem Angeli primatij, qui assistunt coram Deo, quibus commissa est gubernatio totius Terræ, quique parati sunt ad omne imperium Dei, vel per se, vel per alios Angelos exequendum, præcipuè in cura & administratione hominum, de quorum numero sunt *Michaël, Gabriel, Raphaël, &c.*

Ad secundum dicendum, quòd non est necesse vt omnes Angeli influant immediatè in hæc inferiora, ad hoc vt non sint frustra in vniuerso, sed sufficit quòd supremi influant in medios, & medij in infimos ex D. Thom. 1. p. q. 66. artic. 3. ad 2. & quia infimi agunt ex influxo mediorum, & medij ex influxu supremorum; ideò influxus Angelorum ad hæc inferiora reducitur etiam ad supremos: sicut D.Thom. ibidem docet, quòd Cœlum Empyreum influit in hæc inferiora quæ mouentur, licèt ipsum non moueatur, per hoc quòd influit in primum Cœlum quod mouet, non aliquid transiens, & adueniens per motum, sed aliquid fixum & stabile, putà virtutem continendi & causandi, vel aliquid huiusmodi ad dignitatem pertinens.

Ad tertium dicendum, cum D. Thom. 1. p. q. 50. artic. 3. ad 2. quòd ex hoc quòd natura Angelica est Deo propinqua, oportet quòd habeat minimum de multitudine in sui compositione: non autem ita quòd in paucis subsistat: & ita maior propinquitas ad Deum aufert multitudinem in compositione Physica ex materia & forma: non autem in compositione Metaphysica ex genere & differentia, quæ necessariò competit creaturis: nam carentia eius in rebus completis arguit infinitatem per essentiam, cuius termini sunt genus & differentia, per hæc enim limitatur ad speciem.

Articvlvs III.

Vtrùm Angeli sint omninò incorporei, & immateriales?

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd Angeli non sint omnino incorporei & immateriales. Saducæi, & aliqui alij quos refert Aristoteles 4. Physicorum dixerunt Angelos esse omninò corporeos. Alij licèt negarent Angelos esse extensos quantitatiuè, dicebant tamen constare ex forma substantiali & materia prima eiusdem rationis ac nostra. Alij denique, vt Alensis, D. Bonauentura, Richardus, Aureolus &c. dixerunt Angelos constare materia prima spirituali, quæ sit entitas partialis, & incompleta per modum puræ potentiæ, omnino indiuisibilis, & incapax quantitatis, ac proinde illis ex ea cum sua forma spiritali componi Physicè. Probatur ex August. lib. 12. confessionum cap. 11. vbi sic ait: *Deus fecit materiam communem visibilium & inuisibilium:* ergo Angeli, licèt inuisibiles, habent materiam. Item in lib. Genesis habetur, *videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores:* sed hoc non potest fieri, nisi haberent corpora: per filios autem Dei intelliguntur Angeli: ergo Angeli sunt materiales & corporei. Quod videtur experientiâ, nam Angeli apparent cùm corporibus, & exercent actiones vitales, putà manducant, vt constat ex libro Tobiæ de Raphaële Archangelo.

¶ 2. Præterea in substantia sunt duo extrema, scilicet purus actus, & pura potentia, alia autem omnia participant de vtroque extremo: sed Angeli non sunt purus actus, hoc enim soli Deo competit; nec sunt pura potentia, cùm hoc competat soli materiæ primæ: ergo participant de vtroque, ita vt habeant formam quæ sit actus, & materiam quæ sit potentia. Confirmatur. Angeli sunt compositi ex genere & differentia: sed vt dictum est supra, genus petitur à materia: ergo in Angelis est materia.

¶ 3. Præterea, Inter formas aliquæ sunt spirituales, vt est anima rationalis, aliæ materiales, sicut sunt cæteræ: ergo etiam inter materias vna erit corporea & quantitatiua, alia verò spiritualis: est enim in vtroque paritas. Plura possunt videri argumenta apud D. Th. de spiritualibus creaturis art. 1.

Sed contra est magis fidei consentaneum asserere Angelos esse omnino incorporeos & expertes materiæ: & ita tenent communiter Theologi cum D.Th. 1. p. q. 50. art. 2. & alibi sæpe.

Conclvsio.

Cùm Angeli secundùm se sint intellectuales, per se subsistentes, & incorruptibiles, sunt omnino incorporei & immateriales.

Respondeo dicendum, quòd in Angelis nulla est materia corporalis & extensa. 2. aut quæ sit eiusdem rationis cum nostra. 3. nec est materia spiritualis, sed sunt omnino incorporei, & immateriales. 4. ac omninò incorruptibiles.

Probatur prima pars conclusionis authoritate. Psal. 103. habetur:

habetur: *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Ad Ephes. 6. *Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Item ex Concilio Lateranensi cap. firmiter. de Summa Trinitate & fide Catholica, vbi sic dicitur: *Vnum vniuersorum principium creator omnium visibilium & inuisibilium, & spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Deinde probatur ratione D. Th. cùm hoc vniuersum secundùm se totum sit opus Dei perfectissimum iuxta illud Genesis. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, debet perfectè illi assimilari, hoc enim petit effectus, si sit perfectus, vt perfectè repræsentet suam causam, quantùm est in se: ergo Angeli, qui sunt perfectiores partes vniuersi, sunt purè intellectuales sicut Deus, quamuis non eodem modo: ergo sunt incorporei, in corporeis enim non potest esse pura intellectualitas, cùm enim immaterialitas sit ratio cognoscibilitatis, tam actiuæ, quàm passiuæ ex D. Th. 1.p.q.14. art.1. vbi non est pura immaterialitas, non potest esse pura intellectualitas, vt patet in homine qui non est purè intellectualis, sed rationalis, & cognoscitiuus in sua intellectione per conuersionem ad phantasmata, quia non est immaterialis & incorporeus, licèt habeat animam intellectiuam.

Probatur secunda pars conclusionis. Si in Angelis esset materia eiusdem rationis cum nostra, secundùm se esset capax quantitatis sibi debitæ ad modum proprietatis, & ita vel miraculosè eâ priuaretur, quod non est admittendum, nam constitutio rerum naturalium est naturalis, vel illam actu haberet, & ita esset corporea & extensa, quod tamen supra impugnatum est. Deinde, si esset eiusdem rationis ac nostra, appeteret alias formas sicut nostra, & ab intrinseco esset capax recipiendi illas, & ita Angeli essent corruptibiles ab intrinseco, quod nullus dicet: ergo in Angelis non est materia eiusdem rationis cum nostra.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. 1.p.q.50.art. 2. vbi sic ait: *sed adhuc vlteriùs impossibile est, quòd substantia intellectualis habeat qualemcumque materiam.* Item q.6. de potentia art.6. ad 4. ait: *posset autem dici quòd esset alia materia à materia corporum diuisa; non quidem dimensionis diuisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actui proportionatur: magis tamen credimus quòd non sint Angeli ex materia & forma compositi, sed sint formæ tantùm per se stantes.* Item opusc. 15. cap. 18 ait: *ex quibus patet omnibus hanc fuisse Dionysii sententiam, quòd Angeli sunt immateriales, & simplices substantiæ.* Item de spiritualibus creaturis art. 1. *inter omnes autem creaturas Deo maximè appropinquant spirituales substantiæ, vt patet per Dionysium 4. cap. cœlestis Hierarchiæ. Vnde maximè accedunt ad perfectionem primi actus, cùm comparentur ad inferiores creaturas, sicut perfectum ad imperfectum, & sicut actus ad potentiam:* nullo ergo modo hæc ratio ordinis rerum habet, quòd substantiæ spirituales ad esse suum requirant materiam primam, quæ est incómpletissimum inter omnia entia, sed sunt longè supra totam materiam, & omnia materialia eleuatæ.

Secundò, quæcumque materia sit etiam spiritualis: debet esse pura potentia, aliàs ex ipsa & forma non fieret vnum per se, vt supra probatum est, cùm ex duobus entibus in actu non fiat, nisi vnum per accidens; vnde materia illa spiritualis Angelica esset physicè pura potentia, sed hæc repugnat naturæ Angelicæ: nam cùm Angeli sint altissimi & perfectissimi inter omnes creaturas, magis participant de ratione essendi: ac proinde sunt magis actu, & magis remoti à pura potentialitate, quia actus est potissima ratio essendi, & quod magis participat de actu, magis est remotum à pura potentialitate: ergo Angeli ita sunt actus, vt nullam habeant materiam physicam quamcumque, aliàs non essent remoti à pura potentialitate.

Tertiò, si in Angelis esset aliqua materia Physica, vel eorum forma esset separabilis à tali materia, vel non. Si dicatur primum: ergo Angeli sunt corruptibiles (cuius contrarium statim probabitur) propter hanc enim rationem homines sunt corruptibiles & corrumpuntur. Si secundum: ergo forma Angelica non est per se subsistens; non enim aliunde colligimus animam rationalem esse per se subsistentem, nisi quia remanet separata à materia, & ita forma Angelica esset imperfectior humana, quod nullus dicet: ergo in Angelis non est materia spiritualis, sed sunt omninò immateriales.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Th. 1.p.q.50.art.5. præcipuè ad 3. vbi expressè docet Angelos esse incorruptibiles, licèt eorum esse dependeat à Deo, sicut à causa, & concludit: *non autem dicitur aliquid esse corruptibile, per hoc quòd Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conseruationem, sed per hoc quòd in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.* Idem docet 2. contra gentes cap. 30. & alibi.

Secundò, in Angelis non est potentia passiua realis ad non esse, cùm in illis non sit materia prima, vt dictum est. nihil enim potest esse potentia passiua realis ad non esse in substantiis creatis, nisi materia prima, quia cùm non esse sit simpliciter malum, vt pote priuatio omnis boni, non potest esse obiectum per se, & primarium alicuius inclinationis naturalis, cùm natura tendat in bonum, sed tantùm est obiectum per accidens & secundarium, inquantum potentia & inclinatio fertur in aliud esse incompossibile cum eo quod habet, quod solummodò competit materiæ primæ, ipsa enim sola est potentia ad formam substantialem, incompossibilem cum forma qua actu informatur (duæ enim formæ substantiales sunt incompossibiles in eadem materia, vt dictum est in Physicis:) & ita eo ipso quòd materia est potentia ad alteram formam, per accidens est etiam potentia ad non esse illius formæ quam habet: ergo Angeli ex natura sua sunt incorruptibiles ab intrinseco, quia vt aliquid sit corruptibile ex natura sua requiritur vt in ipso sit potentia passiua ad non esse, & non sufficit quòd in Deo sit potentia actiua ad eius destructionem, sic enim aliquid dicitur corruptibile ab extrinseco, sicut omnia dicuntur ab æterno creabilia ab extrinseco, propter omnipotentiam Dei creantis, & ita non sufficit in re non repugnantia ad non esse, vt possit dici corruptibilis ab intrinseco.

Tertiò, Angelus ex natura sua est forma per se subsistens, cùm sit simplex, spiritualis, & independens in suo esse à natura: ergo est incorruptibilis ab intrinseco; tum corruptione per accidens, quando scilicet aliquid corrumpitur ad corruptionem alterius, quod enim habet esse per se independens ab alio, non corrumpitur ad corruptionem illius, tum corruptione per se propriâ ad ipsum primariò terminatâ, quia talis corruptio non accidit, nisi quando ab aliquo separatur esse existentiæ, vel forma tribuens illud, vel vtrumque: constat autem quòd à forma per se subsistente non potest separari esse, quia tale esse conuenit illi per se & necessariò perseitate & necessitate Physicâ (licèt non Metaphysicâ quæ est necessitas simpliciter ex vi terminorum:) ideò enim materia & compositum habent esse, quia habent formam, & esse amittunt, quia formam amittunt: constat etiam quòd forma prædicta non potest à seipsa separari, nec forma per se existens à seipsa per se existente, vt ex terminis ipsis manifestum est. Si dicatur quòd est corruptibilis corruptione per se, sed impropriâ scilicet per annihilationem: verum quidem est: sed hæc corruptibilitas non conuenit rei per aliquod principium positiuum ad illam tendens, nulla enim creatura petit annihilari, & ita connaturaliter nulla potest annihilari, quia ex D. Thom. 1. p. q. 104. art. 4. annihilatio est actio miraculosa, & ita est corruptibilitas omnino ab extrinseco, cui subiecta est omnis creatura: & propterea 1. ad Thimoteum 6. dicitur quòd solus Deus habet immortalitatem, id est, non solùm à se, quòd non competit creaturæ, sed etiam omnimodam,

nimodum, id est, & ab intrinseco, & ab extrinseco, quod etiam non conuenit creaturæ.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 1. ad 4. quod August. ibi per materiam communem visibilium & inuisibilium, intelligit ipsam substantiam, tum terum corporearum, tum Angelorum prout est informis secundùm quòd nondum est conuersa ad Verbum, à quo illuminatur. Ibidem etiam D. Thom. ad 14. explicat D. Damascenum qui dicit, solus Deus immaterialis est, dicendo quòd solus Deus dicitur immaterialis & incorporeus, quia omnia eius simplicitati comparata, possunt reputari quasi corpora materialia, licèt in se sint incorporea & immaterialia. Ad alium locum dicendum, quòd per ly, filij Dei vel Angeli Dei, iuxta interpretationem Septuaginta, intelliguntur filij Seth, quia colebant Deum, per filias autem hominum, intelliguntur mulieres descendentes ex stirpe Cain. Quandò autem Angeli apparent cum corporibus, efformant sibi illa ex aëre condensatò, nec exercent actiones corporales vitales, sed alias similes, vt ipsemet Raphaël manifestauit dicens, *videbar vobis manducare, &c.*

Ad secundum dicendum cum D. Thom. loco citatò ad 25. quòd quando duo extrema ita se habent, vt vnum sit perfectissimum, & aliud imperfectissimum, si medium sit superioris gradus & rationis, non participat de extremo omnino imperfecto, sed de perfectissimo cum elongatione ab imperfecto; & hoc contingit in præsenti. Ad confirmationem dicendum, quòd solùm in rebus compositis ex materia & forma, genus sumitur à materia, vt supra dictum est, & docet D. Thom. 1. p. q. 50. art. 2. ad 1. sed de immaterialibus sic ait: *in rebus immaterialibus non est aliud determinans & determinatum, sed vnaquaque earum secundùm seipsam tenet determinatum gradum in entibus*: & ideò genus, & differentia in eis non accipitur secundùm aliud & aliud, sed secundùm vnum & idem, quæ tamen differunt secundùm considerationem nostram, inquantum enim intellectus noster considerat illam rem vt indeterminatè, accipitur in eis ratio generica, inquantum verò considerat vt determinatè, accipitur ratio differentiæ.

Ad tertium dicendum, quòd nulla est paritas: nam materia ex se importat, quòd sit materialis, & ita implicat dari materiam primam, quæ sit spiritualis: forma verò abstrahit ab vtroque; vnde si sit immersa materiæ, dicitur materialis; si sit per se subsistens, dicitur spiritualis.

Articvlvs IV.

Vtrùm sint, aut possint esse plures Angeli in eadem specie?

Ad quartvm sic proceditur. Videtur quòd sint, aut possint esse plures Angeli in eadem specie. Quòd omnes Angeli de factò sint eiusdem speciei, docent Albertus & S. Bonauentura. Quòd aliqui sint, docent Gabriel, Alensis, Molina, Valentia. De possibili verò secundùm legem ordinariam tenent Henricus, Scotus, Durandus, Suares, Vasques, & alij. De potentia verò absoluta tenent etiam aliqui Thomistæ, Ferrariensis, Bannes, &c. Capreolus verò tenet probabile. Probatur quòd de facto sint, Angeli conueniunt in gradu intellectualitatis, sicut homines in gradu rationalitatis: ergo sicut esse magis ratiocinatiuum non distinguit speciem hominis, sic nec esse magis intellectiuum distinguet specie Angelos: constat autem quòd solùm distinguuntur in hoc quòd sunt magis, vel minùs intellectiui: & ita solo numero distinguuntur. Confirmatur. Nam sancti dicunt, quòd Angeli sunt vnius naturæ, aut vnius & eiusdem essentiæ, sicut homines. Deinde in Angelis debet esse perfecta dilectio, similitudo autem in specie confert ad dilectionem. Denique, ex opposito sequitur quòd Angeli inferiores non cognoscant quidditatiuè superiores, nam potentia intellectiua & species intelligibiles proportionantur quidditati vniuscuiusque Angeli, & ita virtus intellectiua inferioris, & species eius sunt multò inferiores in cognoscendo & repræsentando intelligibilitate passiua superiorum, si specie distinguantur, & ita adæquatè non cognoscentur ab inferioribus: sed falsum est quòd Angeli inferiores non cognoscant quidditatiuè superiores: ergo non distinguuntur specie.

§ 2. Præterea, quòd saltem possint esse diuinitus plures in eadem specie. Probatur ex quadam determinatione Vniuersitatis Parisiensis vnà cum Episcopo, nam inter articulos ab ipsa damnatos sunt sequentes. Primus, *dicere quòd quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non posset plures eiusdem speciei facere, error.* Secundus, *dicere quòd Deus non potest multiplicare indiuidua sub vna specie sine materia, error.* Tertius, *quòd forma non recipiant diuisionem, nisi secundùm materiam, error.* Item D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 12. dicit, quòd si Deus annihilaret omnes Angelos, posset sine dubio creare multò plures eiusdem speciei & gradus: ergo saltem diuinitus possunt esse plures Angeli in eadem specie.

§ 3. Præterea, Animæ rationales, etiamsi crearentur extra materiam, & sine vllo ordine ad illam, essent tamen eiusdem speciei: ergo Angeli, etiamsi sint expertes materiæ, nec vllum dicant ordinem ad materiam, possunt tamen esse eiusdem speciei. Confirmatur, si Deus destrueret & annihilaret v. g. *Michaëlem*, in tali casu vel posset producere alium eiusdem speciei, vel non. Si dicatur primum, habetur intentum, quòd saltem successiuè ad minùs possunt esse plures Angeli eiusdem speciei. Secundum autem non potest dici, aliàs virtus diuina periisset. Deinde potest Deus augere perfectionem substantialem Gabrielis: ergo poterit etiam facere quòd natura Gabrielis sit in alio indiuiduo, multiplicantur enim indiuidua eiusdem speciei, per hoc quod aliqua natura essentialiter indiuisibilis recipiat in indiuiduis diuersam perfectionem substantialem, vt patet in hominibus.

Sed contra est expressa authoritas D. Thom. quem sequuntur Caietanus de ente & essentia cap. 5. quæst. 9. Bergomensis in tabula aurea dubio 115. Capreolus in 2. d. 3. q. 1. ad 2. Nazarius 1. p. q. 50. art. 4. Contronerst. 2. Nostri Salmanticenses ibidem dubio 5. 6. & 7. Ægidius, Herueus, & alij.

Conclvsio.

Cùm Angeli sint partes principales vniuersi, per se subsistentes, omninò incorruptibiles, ac penitus immateriales, nec sunt, nec possunt esse plures in eadem specie.

Respondeo dicendum, quòd de factò non sunt plures Angeli in eadem specie. 2. nec possunt esse de potentia Dei ordinaria. 3. imò nec de potentia absoluta. Ad cuius euidentiam sciendum est omnes Angelos conuenire genericè in natura intellectuali, quæ est infinitè inferior diuinà, & superior humanà siue rationali, vt manifestè apparet ex diuersa operatione intellectuali, cuique propria: nam Angelica est intellectualis per simplicem vel contemplationem, humana verò siue rationalis habet annexum discursum, deueniendo scilicet ex vno in aliud, quod sine dubio est imperfectius: vnde si Angeli distinguuntur specie, vt dictum est distingui, talis distinctio consistit in diuersis modis participandi naturam intellectualem, qui diuersi modi sint essentiales.

Probatur prima pars conclusionis authoritate, & rationibus D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 8. & 2. contra gentes c. 93. vbi ait, *quòd illa sola videntur multiplicari secundùm numerum in vnica specie, quæ sunt corruptibilia, vt natura speciei, quæ non potest conseruari in vno, conseruetur in pluribus: sed Angeli sunt incorruptibiles: ergo non sunt plures Angeli vnius speciei.* Minor argumenti D. Thom. patet ex supra dictis. Consequentia est manifesta. Probatur & explicatur maior, Sol, Luna, & cœlestes orbes sunt creata à Deo in vnico indiuiduo, ex hoc præcisè quòd sunt incorruptibilia, ac proinde conseruabilia in vnico indiuiduo: ergo illa sola videntur multiplicari secundùm numerum in vnica specie, quæ sunt corruptibilia. Nec obstant instantiæ aduersariorum in contrarium, quòd scilicet anima rationalis est

est incorruptibilis, sicut & aliqua accidentia, vt intellectus, voluntas &c. ac tandem Stellæ, quæ tamen omnia multiplicantur secundùm numerum in vnica specie. Dicendum enim ad primam & secundam, quòd D. Thom. est intelligendus de incorruptibilitate rei substantialis per se subsistentis & completæ, qualis est Angelus; non verò anima, quæ ex hoc quòd est forma corporis, ad eius multiplicationem multiplicatur, sicut & accidentia ad multiplicationem subiecti, cuiussunt formæ. Ad tertiam verò instantiam dicendum, quòd si Stellæ sunt continuæ cum Cœlo, vt pote partes eius crassiores, & diuersa organa ad influendum ad hæc inferiora, vt tenet Nazarius, sunt idem indiuiduum cum toto Cœlo in quo sunt, sicut diuersæ partes corporis humani, & ita non multiplicantur in specie vt indiuidua totalia & adæquata. Si autem dicatur quòd sunt tantùm contiguæ cum Cœlo, vt alij dicut & nos supra diximus, dicendum quòd distinguuntur omnes specie inter se, & à Cœlo in quo sunt, sicut omnes Cœli distinguuntur specie adinuicem ex D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 8.

Secundò, bonum & perfectio vniuersi consistit principaliter in ordine per se, non verò in ordine per accidens, qui solum per accidens in eo reperitur: ergo Angeli, qui sunt principales partes vniuersi, distinguuntur specie, nam ordo essentialis perfectionis inter species est ordo per se, ordo verò inter indiuidua est materialis, & per accidens; solùm scilicet requisitus à natura propter corruptibilitatem ipsorum indiuiduorum, vt scilicet species, quæ non potest conseruari in vnico indiuiduo, conseruetur in pluribus sibi continuò succedentibus.

Probatur secunda pars conclusionis iisdem authoritatibus D. Thom. quas retexuimus in probatione tertiæ partis, quæ à fortiori hanc probant. Deinde repugnat naturæ specificæ Angelorum multiplicari in indiuidua, cùm sit irreceptibilis in materia: forma autem irreceptibilis ex D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. est immultiplicabilis in indiuidua, vt patet in exemplo albedinis adducto ibidem, quæ si esset actu & aptitudine separata à subiecto, ita vt nullum diceret ordinem ad illud, esset vnica numero, & immultiplicabilis; ergo de potentia saltem Dei ordinaria, non possunt esse plures Angeli in eadem specie: nam posse fieri aliquid de lege, vel potentia ordinaria, est posse fieri iuxta naturas rerum, & modo eis debito ac conuenienti seruato.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 75. art. 7. vbi loquens de Angelis sic ait: *manifestum est quòd necesse erit in eis esse diuersitatem speciei: non enim potest intelligi, quòd aliqua forma separata sit, nisi vna vnius speciei, sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi vna tantùm.* Item de spiritualibus creaturis art. 8. ait: *si autem Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere quòd sint plures Angeli vnius speciei.* Item in 2. d. 3. q. 1. art. 4. sic ait de Angelis: *si enim immateriales ponuntur, cùm nulla forma vel natura multiplicet numerum, nisi ex diuersitate materiæ, oportet quod forma simplex & immaterialis, non recepta in aliqua materia sit vna tantùm: vnde quidquid est extra eam, est alterius naturæ, eo quòd distet ab eo secundùm formam, non secundum materiale principium, quod ibi nullum est.* Idem docet alibi, vt 10. Metaph. lect. 11. exponens Philosophum expressè docentem nostram conclusionem.

Secundò, vnitas & distinctio prouenions Physicè à forma, tanquam à prima radice, necessariò est vnitas, & distinctio specifica, & non purè indiuidualis, cùm sit vnitas & distinctio formalis: sicut vnitas & distinctio proueniens à materia est purè indiuidualis, quia est materialis: quòd autem distinctio & vnitas formalis sit specifica, conceditur communiter, & signum huius est, quòd omnis vnitas & distinctio specifica prouenit à forma: sed in forma simplici per se subsistente, omninò separata à materia, nec vllum dicente ordinem ad materiam qualis est Angelus, vnitas & distinctio prouenit Physicè à forma, tanquam à prima radice, cùm talis forma nihil dicat intrinsecum sibi pertinens ad suam essentiam, nisi seipsam vt patet, (sola enim materia potest pertinere ad essentiam cum forma, supponitur autem, quòd talis forma sit penitus separata à materia, vt supra probatum est:) ergo vnitas & distinctio, quæ est in Angelis, est specifica, & non purè indiuidualis. Confirmatur, indiuidua alicuius speciei conueniunt in perfectione intrinsecè spectante ad naturam specificam, ita vt tota sit in quolibet indiuiduo: distinguuntur autem in diuersis modis substantialibus habendi illam, quia non totaliter, siue non omni modo possibili habetur à singulis: sed quando natura specifica est ab intrinseco per se subsistens, omninò separata à materia, siue receptiuo tam actu quàm aptitudine, non potest dari pluralitas, aut diuersitas modorum habendi illam: vt enim demt talis diuersitas, vt dictum est, debet quodlibet indiuiduum non totaliter & adæquatè illam participare, sed limitatè, licèt totam participet: si enim quodlibet indiuiduum illam totaliter, & quantùm participabilis est ex parte modi, participaret, non possent esse plures modi participandi distincti, vt patet ex terminis: vbi autem natura specifica est omninò separata à materia, non est vnde possit prouenire hæc limitatio modorū substantialem illam participādi, cùm limitatio debeat prouenire ab opposito, sicut limitatio actus à potentia, & limitatio formæ à materia: ergo in natura purè immateriali non potest esse multiplicatio purè numerica indiuiduorū.

Respondent aduersarij huic rationi, eiúsque confirmationi diuersimodè. Aliqui negant quòd distinctio proueniens à forma sit semper formalis, sed tantùm concedunt quando distinctio prouenit à forma secundùm id quod est in ipsa formale, & non secundùm id quod est materiale; dant exemplum, quia duæ animæ rationales distinguuntur tantùm materialiter, & tamen distinctio prouenit ab ipsis, quæ sunt formæ. Alij dicunt, quòd distinctio numerica Angelorum prouenit à subsistentia, quæ est receptiuum essentiæ, & afferunt pro se authoritatem D. Th. in 1. d. 34. q. 1. vbi sic ait: *in illis, in quibus aliud est essentia, quàm hypostasis vel suppositum, oportet quod sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur & determinetur ad hoc singulare.* Alij denique dicunt, quòd talis distinctio numerica prouenitet ab actione Dei producentis, in cuius potestate est producere res in tanta perfectione & limitatione, & ita talis natura non totaliter communicaretur vni.

Sed contra primum. Sicut materia vt sic non potest esse principium distinctionis, nisi purè materialis, sic nec forma potest esse principium distinctionis, nisi purè formalis; aliàs effectus esset vltra suam causam. Contra id autem quod dicitur, in forma esse aliquid materiale: cùm sit sermo de indiuiduatione physica, principium distinctionis purè indiuidualis debet esse aliquid Physicum, à quo desumatur indiuiduatio, & differentia indiuidualis Metaphysica. Hoc posito sic procedit ratio. Vel forma Angeli Physicè considerata & indiuiduata, dicit aliquid materiale Physicum supra seipsam, vel non. Si dicatur primum: ergo Angeli non sunt omninò immateriales, cùm importent aliquid materiale Physicum in sua essentia in se absolutè considerata, cuius contrarium probatum est. Si dicatur secundum: ergo distinctio, quæ est in Angelis, est omninò formalis, cùm procedat à forma quæ nihil includit materiale. Ad exemplum autem dicendum, quòd duæ animæ rationales distinguuntur numero, quia dicunt ordinem ad materias distinctas.

Contra secundum. Subsistentia est actus & oritur à forma vt patet: ergo vnitas & distinctio, quæ prouenit ab ipsa, radicaliter prouenit à forma, ac proinde est formalis & specifica, & non materialis aut purè numerica: nec contrarium docet D. Th. in loco citato: in eo enim tantùm vult, quòd subsistentia sit principium indiuiduationis loco materiæ, siue quòd indiuiduatio sumatur per ordinem ad subsistentiam, in his quæ carent materia Physica, & in quibus suppositum est aliud à natura: non autem vult quòd subsistentia sit principium indiuiduationis eo prorsus modo, quo materia in rebus composi-

tis.

tis, quia subsistentia, cùm sit actus procedens à forma, habet oppositam rationem materiæ, quæ est pura potentia: & ita subsistentia secundùm se potest quidem esse principium indiuiduationis & distinctionis numericæ, sed non purè numericæ, at numericæ simul & specificæ sine illa distinctione virtuali: & ita D.Thom. ibi per naturam communem non intelligit specificam atomam, sed specificam subalternam siue genericam.

Contra tertium. Principium indiuiduationis debet esse intrinsecum & connaturale, cùm quodlibet indiuiduum sit intrinsecè indiuiduum, & se habeat eo proportionali modo, quo causa formalis respectu sui effectûs formalis: & ita cùm Deus non posset supplere defectum causæ formalis, vel quasi formalis, siue quæ se habet intrinsecè eo proportionali modo respectu sui effectûs, quo causa formalis respectu sui, sic non potest supplere huiusmodi principium: & ita actio diuina non est sufficiens principium indiuiduationis aliquorum, & ita ex se est indifferens vt producat distincta numero, aut specie.

Ad primum ergo dicendum, quòd est magna disparitas, quia in hominibus est materia; & ideò est distinctio purè indiuidualis, non autem in Angelis, in quibus non est materia, differentiæ autem specificæ Angelorum sunt extra intellectualitatem communem omnibus, sed sunt nobis ignotæ. Ad confirmationem dicendum, quòd sancti per naturam aut essentiam, non intelligunt specificam specie infimâ, sed subalternam siue communem scilicet naturam intellectualem in qua conueniunt, sicut homines in rationali, sed non eodem modo. Ad aliud dicendum quòd similitudo in specie non est causa semper maioris dilectionis, nam possumus plus diligere Deum & Angelos, quàm alios homines. & maximè quando dilectio sequitur cognitionem purè intellectualem abstrahendo à sensu, nam fertur in maius bonum: vnde cùm distinctio specifica Angelorum sit maius bonum vniuersi, quàm si esset solùm numerica, potiùs iuuat, quàm impediat dilectionem mutuam. Ad aliud dicendum, quòd species quæ sunt in aliqua potentia, possunt quidditatiuè repræsentare res aliquo modo superiores illis, in quibus sunt tales species; dummodo conueniant in eodem gradu immaterialitatis, sicut conueniunt omnes Angeli, licèt magis & minùs illum participent, sed hoc se habet materialiter ad speciem, ac proinde ad potentiam.

Ad secundum dicendum, quòd hi articuli fuerunt reuocati ab Stephano Episcopo Parisiensi anno Domini 1325. quatenus poterant esse contra D. Th. & Vrbanus Pontifex præcipit doctrinam eius recipi vt Catholicam, & damnat omnes qui eam damnât vt erroneam, cùm sit approbata à Christo, quamuis etiam possit dici hos articulos præcipuè esse contra Auerroistas, vt notant Caietanus, & Ferrariensis, qui vnicum ponebant intellectum humanum, quem dicebant non posse multiplicari, quia non erat materialis. Ad aliud dicendum, quòd Aug. loquitur de specie subalterna, & de gradu ordinis vel Hierarchiæ.

Ad tertium dicendum, quòd licèt Deus crearet animas rationales extra materiam, tamen dicerent ordinem ad illam, cùm essentialiter sint partes hominis, & materia pertineat ad hominis essentiam, vt compars, & ex hoc ordine indiuiduarentur sub eadem specie. Ad confirmationem dicendum, quòd in tali casu, si Deus vellet producere Angelum eiusdem speciei, deberet reproducere eumdem *Michaelem*; quia est impossibilis alius eiusdem speciei. Ad aliud dicendum, quòd est impossibilis talis additio perfectionis substantialis, manente eadem specie: si varietur species, sumus extra casum difficultatis.

QVÆSTIO XXII.

De Existentia Dei optimi maximi.


IN obiecto principali Metaphysicæ principalissimum est Deus, cùm sit primum ens, ac ens entium; propterea vocatur Theologia naturalis: vnde necessariò agit de Deo, quia tamen Deus est obiectum adæquatum sacræ Theologiæ, ideò exactam Dei considerationem illi relinquimus, maximè circa ea quæ fide supernaturali reuelata sciuntur, aliqua tantùm lumine naturali cognita cum Philosopho cursim hîc prælibantes: de Deo autem quatuor occurrunt consideranda. Primò de eius existentia. Secundò de quidditate, & attributis siue perfectionibus illius in communi. Tertiò de attributis absolutis. Quartò de attributis respectiuis: circa primum quæruntur tria.

¶ Primò, Vtrùm sit Deus?

¶ Secundò, Vtrùm sit tantùm vnus Deus?

¶ Tertiò, Vtrùm possit dari ignorantia inuincibilis, quod sit Deus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit Deus?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd non sit Deus. Ita tenent quædam hominum monstra Athei nominati, qui vt faciliùs vitiis, & voluptatibus fruantur, conantur reluctanti conscientiæ suadere nullum esse Deũ, vt ita sublato iudice stimulos conscientiæ deponant, cum quibus licèt igne potius, quàm ratione agendum esset: tamen ad eorum confusionem, & ad eiusdem Dei gloriam, Aristotelem & D. Thom. imitati hanc difficultatem examinabimus. Potest autem sic probari quòd non sit Deus, si esset Deus in hoc mundo, debitè prouideret omnibus creaturis, ita vt nihil eueniret nisi optimè ordinatum, cùm esset generalis prouisor huius vniuersi: sed videmus experientiâ, quòd multa eueniunt casualia, & non ritè ordinata, vt sunt monstra, & similia: ergo non est Deus.

¶ 2. Præterea, Si in hoc Mundo esset Deus, esset æquus iudex præmians, aut puniens vnumquemque secundùm merita, vel demerita: sed non datur talis iudex: nam experientiâ constat sæpe malos & impios prosperari, bonos autem affligi: ergo non est Deus.

SED CONTRA est non solùm authoritas Scripturæ communis sententia Philosophorum, lumen naturale, sed etiam communis vox omnium creaturarum clamantium, quòd sit Deus conditor, & gubernator huius mundi.

CONCLVSIO.

Cùm in hoc Mundo sit vnum primum mouens immotum, prima causa, vnum ens necessarium perfectissimum &c. est admittendum quòd sit Deus.

RESPONDEO dicendum, quòd in hoc Mundo est Deus: Ad cuius euidentiam sciendum est non esse procedendum hîc authoritatibus, vel Sacræ Scripturæ, vel Philosophorum, cùm Athei, contra quos agimus, dicant illos somniare, qui fatentur Deum esse, & ita conuincendi sunt demonstrationibus: inter quas sunt efficaciores, quæ à D.Th.1. p. q.2. art.3. afferuntur, quas hîc aliquantò fusiùs expendemus. Hæ autem demonstrationes primariò concludunt dari in rerum natura primum mouens, primam rerum omnium causam, vnum ens necessarium, perfectissimum, & supremum gubernatorem vniuersi: sed quia ista sunt proprietates solius Dei, secundariò & ex consequenti efficaciter concludunt esse Deum. Si quis autem nolit hoc primum ens vocare Deum, solùm erit disputatio de nomine. Talis autem est ordo rationum D.Th. nam cùm Deus solùm cognoscatur viâ naturali per creaturas: quòd autem creatio est immediatè respiciat virtutem creantis, cuius est reducere aliquid de potentia in actum, ideò in prima ratione demonstratur quòd Deus sit primum mouens, & consequenter immobilis: & quia primum mouens mouendo causat, & est prima causa, ideò in secunda ratione demonstratur Deum esse primam causam, & illam esse in rerum natura: & quia prima causa non potest esse ab alio, aliter enim non esset prima causa, sed illud aliud à quo esset, ideò in tertia ratione demonstrat dari vnum ens necessarium, nam quod est, & est à se, necessariò, & essentialiter petit esse, & sic necesse est esse, & ita semper fuit: illud autem oportet quòd sit nobilissimum, & maximè tale, quod probatur in quarta ratione: & quia ex Aristotele 12. Metaphysicæ à pri-

mo mouente debet prouenire ordinatio vniuersi, ideò probatur in quinta ratione, dari vnum supremum gubernatorem, & ordinatorem huius vniuersi.

Probatur conclusio. Datur vnum primum mouens immotum: sed hic est Deus: ergo datur Deus. Ad cuius rationis euidentiam sciendum est, dari motum in rerum natura, tam Physicum, quàm Metaphysicum: inter Physicos numerat Aristoteles generationem, corruptionem, nutritionem, aggenerationem, augmentationem, alterationem, & lationem siue motum localem: inter Metaphysicos verò & morales, annumerantur operationes siue motus intellectus, voluntatis, & aliarum potentiarum, tam interiorum, quàm exteriorum, quarum actiones non transeunt in exteriorem materiam, sed sunt immanentes, intelligere enim, velle, & sentire sunt quoddam moueri ex Arist. illud enim mouetur, quod aliter habet se nunc, quàm antea se habebat, constat autem sensu & experientiâ, quòd qui incipit intelligere, velle, &c. aliter se habet nunc, quàm antea se habebat; nunc enim intelligit, & vult, antea verò nec intelligebat, nec volebat.

Item sciendum est, omne quod mouetur, ab alio moueri ex Aristotele 8. Physicorum, quia quod incipit moueri, aliquando fuit in potentia ad motum: ergo debuit reduci in actum motus per aliquod ens actu, omne enim intantum agit, inquantum est ens in actu primo, actio enim, quæ est actus secundus, præsupponit essentialiter actum primum, & hoc patet: nam lignum, quod est calidum in potentia, fit actu calidum siue reducitur in actum caloris ab igne, qui est actu calidus: ergo quod est in potentia ad motum, mouetur siue reducitur in actum motûs, vel ab alio vel à seipso: si ab alio, habetur intentum, scilicet omne quod mouetur, ab alio moueri: si dicatur quòd mouetur à seipso: Contra, si aliquid, quod incipit moueri, moueretur à seipso, simul esset in potentia & in actu respectu eiusdem motûs: esset enim in potentia, quis de nouo moueretur, & reciperet motum, quod enim recipit actum, est in potentia ad illum: si enim non esset in potentia ad illum, sed actu haberet, non reciperet; non enim recipit quis, quod iam habet: esset etiam actu, si moueret, nam omne quod mouet & agit, debet esse actu, siue debet præhabere id quod communicat, nemo enim dat quod non habet, & ideò si communicat sibi motum, debet præhabere motum: & sic esset in potentia ad motum, inquantum moueretur, esset etiam in actu motus, inquantum mouerет se: non autem est possibile, vt idem sit simul in actu & in potentia secundùm idem, & eodem modo, sed solùm secundùm diuersa: nam quod est in potentia, simpliciter non est, quod autem est actu, simpliciter est: vnde idem esset & non esset simul secundùm idem, quod implicat: & ideò quod est calidum in potentia, non potest simul esse calidum in actu, sed est simul frigidum in actu. Nec sufficit esse in actu primo virtuali, vt reducat se in actum formalem, licèt enim possit reducere alia in actum formalem, sicut Sol, qui est virtualiter calidus, aut piper, &c. possunt quidem alia calefacere, sed non seipsa. Si dicatur quòd sufficit habere potentiam motiuam, quæ sit actus primus, & quòd ipsa possit se reducere in actum secundum: Contra, nam quidquid sit de causis liberis (de quibus hîc non agimus, idem tamen dicendum de omnibus, siue præmoueantur Physicè, siue tantùm moraliter) tamen causæ necessariæ & naturales indigent necessariò applicari ad suas operationes, saltem à causa prima propter subordinationem ad illam, vt probatum est in Physicis, & ita debent præmoueri: vnde stat firmum, quòd omne, quod mouetur, ab alio mouetur: & licèt sint aliqua mobilia, quæ non mouentur à motoribus proximis, vel non videntur moueri, sed à seipsis, sicut aqua calefacta, quando se restituit ad pristinum frigus, vel grauia & leuia, quando mouentur suis motibus naturalibus sursum, & deorsum, tamen nullum mobile est, quod non subordinetur, & applicetur ad suum motum, saltem per primum aliquod mouens immobile, quod operatur respectu vniuscuiusque, iuxta exigentiam naturæ eius: & sic dato quòd non esset aliud agens naturale, quòd reducat aquam calefactam ad pristinum frigus, tamen semper concedendum est, quòd Deus illam mouet, & reducit ad illud, nam, vt dictum est, omnis actio quæcumque sit causæ secundæ, siue productiua, siue conseruatiua dependat ab actione causæ primæ, ita vt illa cessante nihil ageretur.

Item sciendum est, quòd in motu non est progrediendum in infinitum, si enim daretur talis progressus, nullus esset motus, cuius contrarium experimur: nam vt aliquid moueatur, debet incipere motus à prima causa, ita vt prima moueat secundam, secunda tertiam, & sic successiuè vsque ad vltimam: & vice versa vltima non mouet, nisi moueatur ab alia, & illa ab alia perueniendo vsque ad primam: sed si essent causæ infinitæ mouentes, & subordinatæ respectu alicuius motûs, omnes illæ causæ non possent pertransiri, repugnat enim infinito pertransiri, quia non potest in resolutione causarum perueniri vsque ad primam: si enim daretur prima, non essent infinitæ, vbi enim est primum & vltimum, non est infinitas. Si autem non esset aliquod primum mouens, nullum esset mouens, quia mouentia secunda non mouent, nisi per hoc quòd sunt mota à primo mouente, vnde est contradictio dicere, quòd possint dari infinita mouentia. Quod sic manifestatur. Causa media vt sic necessariò dependet à prima, de ratione enim causæ est efficacia, nisi enim causa aliquid efficiat, non est causa: cùm igitur causa media sit vera causa, oportet ipsam habere efficientiam siue causalitatem completam, complementum autem causalitatis causæ mediæ non potest esse, sine dependentia à prima causa, & sic causa media vt talis, dependet à prima ex Arist. & D. Th. ergo si tolleretur causa prima sic, quòd ante omnem causam esset alia causa, nunquam perficeretur causalitas istarum causarum essentialiter dependentium: nam infinitas ascensûs, vel descensûs repugnat earum complemento, & ita deueniendum est ad vnam primam causam mouentem, & in se immobilem. His positis sic procedit prima demonstratio D. Th. omne quod mouetur quocumque motu, siue Physico, siue Metaphysico, siue materiali, siue spirituali, etiam morali propter appetitum alicuius finis, ab alio mouetur, & in istis mouentibus non datur processus in infinitum: ergo deueniendum est ad vnum primum motorem, qui istis motibus est omnino immobilis, qui neque realiter, finaliter, neque alio quouis modo mouetur ab alio, sed solùm secundùm nostrum modum concipiendi mouetur à sua bonitate: sed talis primus motor omnino immobilis est Deus benedictus, nam talis motor debet esse infinitæ potentiæ, purus actus &c. vt facilè potest probari, quæ sunt propria solius Dei: ergo datur vnus Deus: sic autem proceditur in motu, baculus v.g. mouetur à manu, manus autem à potentia motiua per spiritus vitales, qui procedunt à corde, & proximè per animales qui procedunt à cerebro: potentia autem motiua applicatur ad mouendam manum, vel appetitu sensitiuo, vel à voluntate, si illa motio baculi sit cum determinatione: voluntas autem mouetur à solo Deo immediatè, simul concurrente intellectu proponente bonum, intellectus autem mouetur à Deo mediantibus Angelis, manus autem non posset moueri à potentia motiua, nisi concurrerent & mouerent illam Cœli per suas influentias, omnes enim motus Physici reducuntur ad primum mobile, tanquam ad primum in eodem genere, Cœli autem mouentur ab Angelis, & Angeli à Deo.

Secundò, datur vna prima causa omnium rerum: sed hæc causa est Deus: ergo est Deus. Ad euidentiam huius secundæ demonstrationis D. Th. sciendum est, dari generationes & corruptiones in rerum natura, quod patet ad oculum. Deinde sciendum est quòd nihil potest producere seipsum, omne enim, quod producitur, non est, nam si iam esset, non produceretur: & omne, quod producit, est, quia operari sequitur esse, & quod reducit aliquid de potentia in actum, debet esse actu, nemo enim dat quod non habet: & ita si aliquid produceret seipsum, & produceretur à seipso, simul esset & non esset, quod impli-

cat

cat esset, quia produceret & ageret, non esset, quia produceretur. Deinde inter causam & effectum datur relatio realis secundùm omnes, sed eiusdem ad se ipsum non est relatio realis, cùm relatio realis petat extrema realia realiter distincta, & ita idem non potest esse causa, & effectus suipsius. Denique sciendum est, quòd in causis efficientibus ordinatis non potest dari processus in infinitum, sicut nec in mouentibus: nam in subordinatis primum est causa medij, & medium causa vltimi, siue media sint plura, siue vnum tantùm: remota autem causa remouetur effectus; & ita si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit vltimum, nec medium: sed si procedatur in infinitum non erit prima causa efficiens, & sic nec erit effectus vltimus, nec causæ efficientes mediæ, quod patet esse falsum: & ita non proceditur in infinitum in causis efficientibus. Hoc posito sic procedit ratio, datur vna prima causa omnium rerum, quæ à nullo alio fit, vt patebit ex dicendis modò: sed talis causa est Deus, nam ipsam oportet esse infinitam omnipotentem &c. quæ soli Deo competunt: ergo est Deus.

Tertiò, datur vnum ens necessarium: sed tale ens est Deus: ergo est Deus. Ad euidentiam huius tertiæ demonstrationis sciendum est dari multa possibilia & contingentia in rerum natura: nam multa generantur & corrumpuntur, quod autem generatur & corrumpitur, est possibile esse & non esse, siue habet potentiam ad esse & non esse, à quo potest separari esse; esse autem potest separari ab omnibus, in quibus non est ipsorum essentia, quia talia essentialiter & necessariò non petunt esse, sed contingenter, & ab alio habent esse: quòd enim habet esse, & non à se, ab alio habet, & contingenter: sed omnia generabilia & corruptibilia sunt talia, vt possit ab illis separari esse, ac proinde vt possint desinere esse: ergo omnia quæ generantur & corrumpuntur, & omnia quæ possunt generari & corrumpi, siue ab intrinseco vt materialia sublunaria, siue ab extrinseco vt Cœli & res spirituales, sunt possibilia esse & non esse: & licèt ab æterno creati fuissent Angeli, vel quælibet alia creatura, tamen essent entia possibilia & contingentia, saltem ab extrinseco, quia etsi semper fuissent, tamen posito quòd sint creaturæ, non habent esse à se, sed ab alio, & per consequens sunt contingenter, & non necessariò simpliciter: etiam modò Angeli sunt possibiles non esse, siue habent potentiam ad non esse; non quidem intrinsecam, cùm non habeant materiam primam, nec constent ex contrariis (contrarietas enim dispositionum, & potentia materiæ ad varias formas est causa corruptionis ab intrinseco) habent tamen Angeli potentiam ad non esse ab extrinseco, cùm possint à Deo annihilari. Non autem est possibile, quòd omnia entia simpliciter sint contingentia & possibilia, sed debet inter illa dari aliquod ens necessarium, quia quod est possibile esse, debet reduci ad esse per aliquid, quod habeat esse actu, vt dictum est, nemo enim dat quod non habet, vnde nihil dat esse actu, nisi quod habet esse actu, maximè quia operari sequitur esse: sed si omnia essent possibilia, & nullum esset ens necessarium, non daretur tale ens actu, quod reduceret alia ad esse: nam si non esset aliquod ens necessarium, & cuius essentia esset esse, quodlibet ens haberet esse ab alio: non autem potest dari processus in infinitum, vt dictum est: ergo si omnia sunt possibilia esse, aliquando nihil fuit, vnde nec incepit aliquod esse, & sic modò nihil esset, quod patet esse falsum: ergo non omnia sunt possibilia, sed datur aliquod ens necessarium, quod alia possibilia reducit ad esse. Nec potest dici, quòd aliquod ens possibile habet esse à se, per simplicem emanationem ab ipsa eius essentia: nam si aliquid emanaret suum esse, produceret seipsum, quia esset causa sui esse: supra autem probatum est, quod nihil potest producere seipsum: ergo restat quòd detur aliquod ens necessarium, cuius esse sit eius essentia, & cuius essentia sit ipsum esse, & quod dat esse aliis, & hoc vocamus Deum.

Quartò, datur in rerum natura aliquod ens perfectissimum, & summè bonum, quod est causa saltem exemplaris, & mensura bonitatis aliorum omnium, & per accessum ad quod alia omnia dicuntur magis vel minùs bona, secundùm quod magis vel minùs participant bonitatem illius: sed illud ens est Deus, nam sub nomine Dei intelligimus ens perfectissimum, & summè bonum, continens perfectiones omnium rerum etiam possibilium: ergo in rerum natura est Deus. Ad huius demonstrationis euidentiam sciendum est, dari in rebus gradus perfectionis, nam certum est aliqua esse meliora & perfectiora aliis, secundùm quòd magis appropinquant ad aliquod, quòd est maximè tale siue perfectissimum, sicut aliqua dicuntur magis calida, quia magis accedunt ad ignem, qui est calidissimus: & hoc reperitur in omnibus positiuis, quæ participant magis & minus aliquam formam, & ideò quia in rerum natura sunt aliqua bona, & alia meliora, debet concedi quòd detur summum bonum per accessum, ad quod alia sunt aliis meliora: in priuatiuis autem est è contra, dicuntur enim aliqua priuatiua magis & minùs talia, non per accessum ad aliquod, quod sit maximè tale, sed per recessum ab ipsa forma, quàm priuant, & ideò ex eo quòd dentur mala, & maxima mala, non colligitur esse summum malum in Mundo, quia nullum malum excludit totaliter bonum, sed fundatur in aliquo bono, saltem naturali, aliter non posset esse, ex se enim nihil est reale, sed est priuatio, priuatio autem est in re, quam priuat aliqua forma.

Quintò, omnia etiam inanimata, tendunt in finem, non autem vt se dirigentia in illum, cùm illum non cognoscant: ergo vt directa ab aliquo superiori intelligente: sed ille supremus intelligens est Deus, debet enim esse omnisciens, omnipotens, omnibus prouidens &c. quæ omnia soli Deo competunt: ergo est Deus. Ad huius demonstrationis euidentiam sciendum est, omnia etiam inanimata agere propter finem, quod apparet ex hoc, quòd semper, aut frequentiùs eodem modo operantur, vt quod est eis optimum consequantur, vnde non à casu, sed ex intentione perueniunt in finem: illa autem, quæ carent cognitione, non tendunt in finem ex sua propria directione, hæc enim supponit cognitionem, & appetitum elicitum, cuius obiectum est bonum cognitum: restat igitur quòd saltem inanimata tendunt in suos fines ex instinctu naturæ, qui instinctus debet esse impressus naturæ ab aliquo cognoscente omnium rerum fines, qui ad pulchritudinem, & decentem gubernationem vniuersi singula quæque vario, sed proportionato modo dirigit in suos fines: illa autem dicuntur agere ex instinctu naturæ, & non vt dirigentia se, sed vt directa ab alio, quæ semper, aut frequentiùs eodem modo agunt, vt videmus in bestiis, natura enim saltem imperfecta est determinata ad vnum modum operandi, id est sine electione. Voluntas autem, cùm ex se sit indifferens, determinatur moraliter ex parte obiecti & finis per intellectum sibi propositi, & effectiuè à Deo vt à prima causa: cùm autem in quolibet bono creato possit intellectus reperire aliquam rationem mali (cùm enim sit bonum creatum, necessariò est limitatum, si limitatum, non est summum bonum, si non est summum bonum, caret aliqua ratione boni, carentia autem boni est malum,) ideò intellectus proponit voluntati illud bonum limitatum, manifestando illi talem defectum, & sic voluntas potest illud respuere ratione talis defectus, vnde si illud vult, liberè vult, nec necessitatur, nisi à summo bono, in quo nulla est ratio mali, & in non potest respuere summum bonum, siue beatitudinem in communi, nec summum bonum in particulari, scilicet Deum quando ipsum clarè cognoscit, & videt esse summum bonum: cùm autem voluntas creata sit indeterminata ad amplectendum quodlibet bonum limitatum, & omne indeterminatum mobile, & deficere possibile debet reduci in aliquod primum principium immobile, & per se necessarium, alioquin remaneret semper in sua indifferentia, vt docet D.Thom. 1.p.q.2.art.3.ad 2. ideò debet determinari à Deo. Hucusque sunt demonstrationes D.Thom. loco citato.

Sextò, hic ordo quem in rebus creatis videmus, non potest esse sine ordinante: sed hic ordinans est Deus: ergo est Deus: hoc argumentum est validissimum etiam inter gentiles: vnde vt refert Tullius, dicebat Trismegistus, *quis mare finibus circumscripsit? quis terra pondus statuit, & libras in medio? est certè aliquis horum author & Dominus, &c.* Item dixit D. August. *interroga Mundi ornatum, Cæli fulgorem, dispositionem syderum, & vide si non sensu suo tibi respondeant, Deus nos fecit.*

Septimò, nullus appetitus naturalis animæ est frustra: ergo potest acquirere, quod naturaliter appetit: aliàs natura inclinaret ad aliquid impossibile, quod nullus dicit: vnde illud quod naturaliter appetit, est: sed naturaliter appetit summum bonum, nullo enim bono limitato, imò nec omnibus bonis limitatis satiari potest, cùm omnia bona limitata, etiam simul sumpta, non faciant nisi bonum limitatum: ergo datur summum bonum, quod vocamus Deum. Primum antecedens est notum, nam sicut Deus & natura non deficiunt in necessariis, sic nihil faciūt frustra.

Octauò, naturalis cuiusque speciei instinctus non potest esse frustra & inanis, quòd enim est in tota specie, est à natura, quæ non inclinat ad falsum: sed hominis species fertur immutabiliter in Dei religionem: nam vt ait Cicero, *nulla est tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non sit fixa hæc persuasio*, Deus esse. Et Tertullianus ait: *cum aliquis afflictatur, aut turat, aut orat, de repente, non Capitolium aspicis, non Iouem inuocat; sed Deum ad Cœlum conuersus testem, & omnia videntem protestatur.*

Ad primum ergo dicendum cum D.Th. q.6. de potentia, art.2. ad 8. quòd monstra, licèt fiant contra naturam particularem; non tamen fiunt contra naturam vniuersalem: permittuntur autem monstra in vniuerso, ad pulchritudinem ipsius, ad quam concurrunt per accidens, in quantùm perfectiones creaturarum magis elucent, comparatæ imperfectionibus monstrorum, iuxta illud axioma, contraria iuxta se posita magis elucescunt.

Ad secundum dicendum quòd datur vnus supremus Iudex Deus benedictus, qui largitur præmium virtutibus, & pœnas flagitiis, etiam in præsenti vita: nam videmus bonos sæpissime prosperari, sceleratos autem sæpe torqueri infortuniis: si tamen aliquando contrarium accidit; accidit ex peculiari Dei prouidentia, vt inde colligamus esse aliam vitam, in qua iusti præmia consequenter, mali autem supplicia: quibus propter bona aliqua opera, quæ egerunt, benignus Dominus aliquod præmium temporale concedit, cùm sint indigni æterno: bonos autem aliquando permittit hic affligi, vt magis perficiantur, & copiosius præmientur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit tantùm vnus Deus.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd non sit tantùm vnus Deus. Is communiter tenuerunt gentiles, ipsi enim admittebant multitudinem Deorum, nouos quotidie creantes, imò inter ipsos constituebant sceleratissimos. Fundamentum huius multiplicationis, erat videre in aliquibus aliquam participationem diuinitatis: & ita vel ratione beneficiorū, quæ percipiebant, vel ratione timoris, ne ab ipsis læderentur, tanquam Deos venerabatur. Potest hic error probari ex Scriptura: 1.ad Chor.8. dicitur: *siquidem sunt multi dij*: ergo non est vnus tantum Deus,

§ 2. Præterea, In diuinis sunt tres personæ, quarum quælibet est Deus. Tunc vel sunt idem Deus, vel non idem: si hoc secundum dicatur: ergo non est vnus tantùm Deus, sed sunt tres Dij: primum autem non potest dici, nam Filius est alius à Patre, cùm sit persona distincta: ergo est alius Deus, & non idem Deus: & similiter de Spiritu sancto. Deinde tres diuinæ personæ habent naturas distinctas, cum quælibet singularis natura sit incommunicabilis: ergo sunt tres Dij.

SED CONTRA est authoritas Scripturæ, omnium Sanctorum Patrum, & Philosophorum alicuius nominis.

CONCLVSIO.

Cùm Deus sit suum esse per se subsistens, continens omnem perfectionem essendi, non potest esse nisi tantum vnus.

RESPONDEO dicendum, quòd est tantùm vnus Deus: a. qui est maximè vnus. Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, Symbolis Apostolorum & S. Athanasij, ac communi sententia Sanctorum Patrum, qui constituunt hanc veritatem, tanquam fundamentum fidei, impugnantes pro viribus multitudinem Deorum. Item authoritate Philosophorum. De Orphæo dicitur, quòd hæc scripserit filio: *solum Regem formatorem aspice mundi, vnicus, ac sibi perfectus, sunt omnia ab vno.* Item quòd in testamento iusserit filio, vt vnum tantùm Deum coleret factorem mundi, multitudinem verò aliorum Deorum aspernaretur. Socrates propter hanc veritatem, vt refert Cicero, occisus est ab Atheniensibus, deriserat enim multitudinem Deorum. Plato sæpe fatetur vnum tantùm esse Deum, sicut & Aristoteles, sed præcipuè 12. Metaphysicæ, vbi postquam dixerat mundum debere optimo regimine gubernari, his verbis librum & totam Metaphysicam concludit. *At entia nolunt malè gubernari. Non est bonum pluralitas principatuum, vnus ergo princeps.*

Secundò, Deus debet esse perfectissimus, continens in se omnem perfectionem possibilem, cùm sit suum esse illimitatum & infinitum, ac proinde summum bonum; ens enim & bonum conuertuntur: & ita qui continet totam perfectionem essendi, continet omnem rationem bonitatis: ergo est tantùm vnus Deus: nam si essent plures, deberent inter se differre, ita vt vnus haberet aliquid, quod alius non haberet: illud autem, in quo differrent, deberet esse aliqua perfectio propria vnicuique, nam imperfectio in Deo esse non potest, & ita esset in vnoquoque aliqua perfectio, quæ non esset in alio, & sic nullus esset Deus, cùm Deus debeat continere omnem perfectionem possibilem.

Tertiò, si essent plures Dij, vel distinguerentur specie, vel solo numero, primum non potest dici, nec vllus dixit, aliàs vnus esset essentialiter perfectior alio, species enim distinguuntur perfectione essentiali inter se: & ita redit primum argumentum, quod esset aliqua perfectio in vnoquoque, quæ non esset in alio, & sic nullus esset Deus, cùm Deus debeat esse summè perfectus, ac proinde continere omnem perfectionem: secundum etiam non potest dici, cùm enim Deus sit omnino immaterialis, est immultiplicabilis inter eandem speciem, materia enim sola est principium indiuiduationis, siue multiplicationis purè numeralis: ergo est tantùm vnus Deus.

Quartò, est vnus tantùm gubernator vniuersi, vt optimè probat Aristoteles, & constat ex optimo ordine qui reperitur in rebus, qui debet esse vnus per se, & non vnus per accidens, ac proinde procedit ab aliquo vno simpliciter & per se; non verò ab vno per accidens, siue à pluribus vt conueniunt in vnum: sed hic gubernator est Deus: ergo est vnus tantùm Deus.

Probatur secunda pars conclusionis ratione D. Thom. 1. p. q. 11. art. 4. Cùm vnum sit ens indiuisum, ad hoc vt aliquid sit maximè vnum, debet esse maximè ens, & maximè indiuisum: sed Deus est maximè ens, & indiuisum; ens quidem, cùm sit suum esse per se subsistens, ac proinde illimitatum & infinitū, & continens omnem perfectionem essendi: indiuisum autem, cùm nec potentia sit diuisibilis quocumquemodo diuisionis, propter omnimodam eius simplicitatē, de qua infra: ergo Deus est maximè vnus.

Ad primum ergo dicendum, cum D. Th. quòd Apostolus loquitur secundùm errorem gentilium, nam postea subdit, nobis autem vnus Deus. Vel loquitur de Regibus & Principibus, qui sæpe in Scriptura Dij appellantur, iuxta illud, *Ego dixi Dij estis*. Item *Diis non detrahes.*

Ad secundum dicendum quòd tres diuinæ personæ sunt idem Deus, vnde licèt Filius sit alius à Patre, non tamen alius Deus, & hoc, quia iuxta regulas summulatum, nomina substantiua numerant formam, & ita qui diceret tres Deos, diceret tres habentes tres deitates, quia

Deus

Deus est nomen substantiuum: nomina verò adiectiua numerant subiectum formæ, siue suppositum, & ita in diuinis dicimus tres æternos, tres omnipotentes &c. ex D. Thom. 1. p. q. 39. artic. 3. quia sunt tria supposita habentia æternitatem, omnipotentiam &c. explicat etiam S. Athanasium contrarium dicentem, quòd accipit ista nomina substantiuè.

Articvlvs III.

Vtrùm possit dari ignorantia inuincibilis, quòd sit Deus.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd possit dari ignorantia inuincibilis, quòd sit Deus. Ita tenet Molina 1. p. q. 2. artic. 1. Probatur. Illud quod est de fide, non debet sciri lumine naturali: sed Deum esse est de fide, vt patet ex Symbolo, *Credo in vnum Deum.* Item ex illo ad Hebræos 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: ergo non debet sciri lumine naturali: sed est ignorantia inuincibilis, quando aliquid nescitur, quod non debet sciri: ergo potest dari ignorantia inuincibilis, quòd Deus sit.

§ 2. Prætcrea, Sunt multi, qui negant Deum esse, ex illo Psalmi 13. *dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Item Exodi. 5. *dixit Pharao se nescire Deum.* Deinde si non fuisset ignorantia inuincibilis de vero Deo, gentiles antiquitus non coluissent tot Deos, non enim est credibile, quòd tot homines reliquissent ductum rationis: ergo potest dari ignorantia inuincibilis, quòd sit Deus.

§ 3. Prætetea, Vt sciamus Deum esse, opus est discursu: sed sunt aliquæ gentes tam Barbaræ & incultæ, vt non possint discurrere: ergo potest dari ignorantia inuincibilis quòd sit Deus, cùm nullus ad impossibile teneatur. Confirmatur. Multi sunt, qui nullum colunt Deum, antequam instituantur à Christianis, & viuunt more brutorum, vt dicitur de Brasiliensibus, & aliis qui incolunt remotissima Africæ loca: ergo in istis est ignorantia inuincibilis quòd sit Deus.

Sed contra est communis sententia Theologorum, Gonzalis 1. p. disput. 11. Montesini 1.2. q.76. art.2. disp.8. q.5. Aluaris ibidem. Valentiæ 1. p. q.2. puncto 2. qui dicit in hac veritate debere conuenire Catholicos, Bannia 1. p. q. 2 art. 2. qui ait, negare posse demonstrari Deum esse, quantùm sat est ad obligandum homines ad cultum Dei, est hæresis.

Conclvsio.

Cùm ignorantia de Deo damnetur in Scripturis, & idololatria sit peccatum, & lex naturalis sit innata omnibus hominibus, non potest dari ignorantia inuincibilis, quòd sit Deus.

Respondeo dicendum, quòd est per se notum quoad se Deum esse, ita vt hæc propositio, Deus est, sit per se nota quoad se & immediatè. 2. non autem quoad nos. 3. tam facili tamen negotio potest naturaliter sciri, vt circa hoc non possit esse ignorantia inuincibilis. Ad cuius euidentiam sciendum est, triplicem esse ignorantiam, scilicet inuincibilem, crassam, & affectatam: & incipiendo ab vltima: ignorantia affectata tunc est, quando aliquis tenetur scire aliquid, & tamen sciens, ac volens fugit occasiones, & media quibus illud potest scire: ignorantia crassa est, quando aliquis non procurat scire, quod tenetur scire, vtraque hæc ignorantia est voluntaria, ignorantia autem inuincibilis ex D. Th. 1. 2. quæst. 67. art. 2. est illa, quæ studio superari non potest, vnde est simpliciter inuoluntaria, & hoc contingit tripliciter. Primò, quando res ita ignoratur, vt nullo modo venerit in mentem, nec vlla eius suspicio. Secundò, quando præcessit quidem eius cognitio aut suspicio, sed non fuit locus inuestigandi veritatem, vel defectu mediorum, vel iusta occupatione, propter quàm talis inuestigatio legitimè potuit differri in aliud tempus. Tertiò tandem, quando est quidem sufficienter inuestigata veritas, sed non potuit innotescere.

Probatur prima pars conclusionis ratione D. Thom. 1. part. quæst. 2. art. 1. illa propositio est per se nota quoad se & immediata, in quo attributum est de essentia subiecti: hæc enim propositio non potest cognosci medio discursu à priori, nec per causam, nec per rationem formalem: nam primum medium discursûs à priori est definitio subiecti, quæ conuertitur & est idem cum essentia rei: & ita non potest probari essentia, & id quod est de essentia rei per definitionem, nam ideo probaretur per seipsum: vnde sicut attributum, quod est de essentia subiecti immediatè, primò, & per se in primo modo perseitatis vnitur subiecto, ita propositio exprimens hoc complexum est immediatè seipsa cognoscibilis, siue nullo mediante discursu, at sola explicatio terminorum ad hoc sufficit: sed esse de essentia Dei, imò essentia Dei est ipsum esse per se subsistens, vt infra probabitur, cùm Deus sit ens necessarium: ergo hæc propositio. Deus est, est per se nota quoad se & immediata: ergo & Deum esse, quod exprimitur per hanc propositionem, est per se notum quoad se.

Probatur secunda pars conclusionis. Illa propositio tantùm est nota quoad nos, quæ statim explicatis terminis immediatè, siue nullo mediante discursu cognoscitur: sed pro hoc statu explicato nobis, quid sit Deus, & quid sit esse, non statim cognoscimus Deum esse, imò Athei negant, nullus autem potest negare propositiones per se notas quoad nos: vnde indigemus discursu ad hoc cognoscendū procedendo ab effectibus: ergo hæc propositio, Deus est, non est per se nota quoad nos: ergo nec Deum esse est per se notum quoad nos. Deinde licèt Deus sit suum esse realiter, tamen esse distinguitur ratione ab essentia diuina ex D. Thom. quæst. 10. de veritate artic. 1. ad 4. & sic possumus pro hoc statu cogitare essentiam diuinam sine esse, quæ enim distinguuntur ratione possunt cognosci separatim: ergo Deum esse non est per se notum quoad nos. Denique, si hæc propositio, Deus est, esset per se nota & immediata quoad nos, quia prædicatum est de essentia subiecti, sequeretur quòd etiam ista, Deus est trinus, esset per se nota & immediata quoad nos, quia etiam personæ diuinæ sunt realiter ipsa essentia diuina: sed hæc propositio, Deus est trinus, non est per se nota quoad nos, imò nescitur, nisi per fidem in hac vita: ergo nec ista, Deus est, est per se nota quoad nos.

Ex dictis infertur, quòd licèt prima principia tam speculatiua, quàm practica sint per se nota quoad nos, tamen hoc principium practicum, Deus est colendus, est hypotheticum, id est, Deus est colendus, si sit: sicut istud aliud, parentes sunt honorandi, si sint: quod autem Deus sit non est per se notum quoad nos, vt dictum est, quia non cognoscimus clarè pro hoc statu quid sit Deus, siue quidditatem eius, & ita possumus concipere Deum cùm opposito eius, quod est de sua quidditate & essentia, scilicet cùm non esse: vnde licèt concipiatur Deus esse id, quo maius excogitari non potest, tamen hoc est in actu signato & in apprehensione, non in actu exercito siue à parte rei. Secundò infertur, quòd desiderium siue appetitus naturalis summi boni & beatitudinis, est tantùm beatitudinis & summi boni in communi: sed in quo sit ratio summi boni & beatitudinis in particulari, non constat naturaliter; imò apud Philosophos tot fuerunt circa hoc sententiæ, quot capita. Tertiò, infertur, quòd puer in primo instanti vsus rationis non tenetur explicitè Deum cognoscere, quia cum non sit per se notum quoad nos Deum esse, indiget aliquo discursu ad hoc cognoscendum, quem non tenetur formare in illo instanti, ac proinde non tenetur se formaliter in illum conuertere, sed tantùm virtualiter, quia tenetur se conuertere ad bonum quod illi proponitur, puer enim in primo instanti rationis per dictamen rationis, & synderesim duo cognoscit. Primum est, quòd bonum sit faciendum, & malum fugiendum. Secundū verò est, quòd illud quod agit vel tunc occurrit agendum, est bonum aut malum morale: tenetur igitur in illo instāti eligere bonum, quod illi proponitur, & fugere malum: si non eligit bonum, peccat peccato omissionis, si eligit malum, peccat peccato commissionis;

nis, contemnit enim legem Dei, dum contemnit legem naturalem per ſynderesim illi propoſitam, quæ eſt quædam impreſſio legis æternæ: ſi verò eligat bonum rationis, formaliter quidem conuertitur illud bonum, & virtualiter in Deum, ad quem ordinatur tale bonum. Vndè in illo inſtanti non eſt neceſſe, quòd puer cognoſcat Deum, etiam vt legiſlatorem, ſed ſufficit quòd cognoſcat legem, & ita intelligendus eſt D. Thom. 1. 2. quæſt. 89. art. 6.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Scripturæ. Pſal. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* ad Rom. 1. *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur & ita vt ſint inexcuſabiles.* Sapientiæ 13. *vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei; & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Deum, quis eſt; neque operibus attendentes agnouerunt, quis eſſet artifex.* Item, *à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Item, *nec his debet ignoſci, ſi enim tantùm potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?* Iob. 12. *interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia Cæli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris: quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit.* Item cap. 36. *omnes homines vident eum, & vnuſquiſque intuetur procul, id eſt per effectus*: ſupra quem locum ait S. Gregor. *omnis homo eo ipſo, quòd rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere eum, qui ſe condidit, Deum eſſe.*

Secundò, ſi admittatur ignorantia inuincibilis circa hoc, quod Deus ſit, ſequitur idolatriam non eſſe peccatum, quia ibi non eſt peccatum, vbi non fit aliquid contra rectam rationem, in tali autem caſu idololatriæ nihil fieret contra rectam rationem, nam inuincibiliter ignoraretur eſſe verus Deus, cui ille cultus idolo exhibitus deberetur: ſed non poteſt dici, quòd in aliquo idololatria non ſit peccatum: ergo non datur ignorantia inuincibilis, quòd ſit Deus.

Tertiò, lex naturalis eſt innata omnibus hominibus, ex illo Pſalmi, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: ſed fundamentum huius legis eſt dari vnum ſupremum iudicem, qui ſit vindex malorum operum, & remunerator bonorum, facilè enim colligitur ex hoc, quòd mala non ſunt facienda, & quod ſint punienda, ſi fiunt, & è contra quòd bona ſunt facienda, & ſi fiant, ſint præmianda: ſed talis ſupremus iudex eſt Deus: ergo non poteſt dari ignorantia inuincibilis, quòd ſit Deus.

Quartò, ſi daretur ignorantia inuincibilis, quòd ſit Deus, non damnaretur in Scripturis talis ignorantia; ſi enim eſt inuincibilis, non eſt mala, ſi non eſt mala, non eſt damnabilis, ſed talis ignorantia damnatur in Scripturis, vt patet ex locis ſupra citatis Sap. 13. & ad Rom. 1. ergo non datur ignorantia inuincibilis, quòd ſit Deus.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deum eſſe, vt eſt author naturæ, non eſt articulus fidei, ſed præambulum ad fidem, ſicut & aliæ propoſitiones, quæ naturaliter poſſunt demonſtrari de Deo: in Symbolo autem, & in illo loco Apoſtoli eſt ſermo de Deo, vt eſt author ſupernaturalis, quod patet ex hoc, quòd ibi, accedentes, idem eſt: ac iuſtificati, iuſtificamur autem à Deo, vt authore gratiæ: ſimiliter, remunerator, ſumitur in eodem ordine ſupernaturali, ex D. Thom. 2. 2. quæſtione 1. art. 7.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi peccator, ſiue inſipiens in corde ſuo dicit non eſſe Deum, non eſt quòd illud credat; ſed ſibi illud ſuadere conatur, vt poſſit ſine remorſu conſcientiæ frui illicitis, & ſi credit, talis fides eſt culpabilis. Ad aliud dicendum, quòd gentiles hoc fecerunt excæcati ſua malitia, & aliorum exemplum ſecuti, vt libertate legis gentilicæ fruerentur, quâ omnia ſenſualia permittebantur.

Ad tertium dicendum, quòd vt cognoſcatur Deus, non eſt neceſſe, vt fiat diſcurſus ſyllogiſticus: ſed videndo creaturas, poſſumus ita facilè agnoſcere Deum eſſe, ac viſo fumo ignem eſſe. Nec dantur homines tam rudes, vt fingitur, omnes enim ſunt rationales, & habent dictamen rationis, vt expertus ſum in Indiis Orientalibus per octo integros annos, vbi vidi homines eductos ex remotiſſimis & ſecretiſſimis Africæ locis. Ad confirmationem dicendum, quòd licèt aliqui nullum colant Deum, non tamen propterea inuincibiliter ignorant.

QVÆSTIO XXIII.

De quidditate, & attributis Dei in communi.

Cognito de aliquo, an ſit, inquirendum reſtat; quid ſit, & quomodo ſit? Quod inquirimus de Deo in ſequentibus quæſtionibus, examinando, Quid ſit eius eſſentia, & attributa in communi? circa quod quæruntur tria.

¶ Primò, In quo conſiſtat formaliter eſſentia diuina.
¶ Secundò, Vtrùm in Deo ſint aliqua attributa?
¶ Tertiò, Quomodo attributa diuina diſtinguantur inter ſe, & ab eſſentia Dei?

Articvlvs I.

In quo conſiſtat formaliter eſſentia diuina.

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd eſſentia diuina conſiſtat formaliter in infinitate. Ita tenet Scotus in 1. d. 3. q. 1. Item quodlib. 1. art. 1. Probatur: illud formaliter eſt eſſentia Dei, quod non poteſt communicari creaturis: ſed ſola Dei infinitas non poteſt communicari creaturis: ergo ſola infinitas eſt eſſentia Dei.

¶ 2. E contra, Videtur quòd eſſentia diuina conſiſtat formaliter in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis per eſſentiam, prout diſtinctæ virtualiter à ratione ſubſtantiæ intelligentis: ita Cornejo 1. part. quæſt. 14. articulo 4. qui diſtinguit virtualiter eſſentiam à natura. Probatur authoritate D. Thom. 1. part. quæſt. 39. artic. 2. ad 3. vbi ſic ait: *quia natura deſignat principium actûs, eſſentia verò ab eſſendo dicitur, poſſunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, ſicut omnia calefacientia, ſed vnius eſſentiæ dici non poſſunt, niſi quorum eſt vnum eſſe: & ideò magis exprimitur vnitas diuina, per hoc quod dicitur, quòd tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ; quàm ſi diceretur quòd ſunt vnius naturæ.* Deinde ratio ſubſtantiæ ſpiritualis per eſſentiam eſt primum, quod intelligitur in ordine eſſendi, quo Deus conſtituitur, & diſtinguitur ab aliis, quæ ſunt tantùm ſubſtantia per participationem, cùm ſint, creaturæ, & antecedit gradum ſubſtantiæ intelligentis, quæ eſt in ordine operandi, imò eſt ratio formalis illius; nam D. Thom. probat quòd ideò Deus eſt intellectiuus, quia eſt immaterialis ſiue ſpiritualis: ergo eſſentia diuina conſiſtit formaliter in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis per eſſentiam, prout diſtinctæ virtualiter à ratione ſubſtantiæ intellectiuæ.

¶ 3. E contra, Videtur quòd eſſentia diuina formaliſſimè ſumpta, conſiſtat in ratione ſubſtantiæ intellectiuæ in actu ſecundo puriſſimo & vltimo, ſiue in intelligere per ſe ſubſiſtente, ſiue in intellectione per eſſentiam. Ita tenent aliqui etiam Thomiſtæ. Probatur authoritate D. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 4. vbi ſic concludit: *vnde patet, per hoc quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in eius ſubſtantia*, & quæſtione 27. articulo 2. docet, ideò proceſſionem Verbi eſſe generationem, quæ eſt communicatio naturæ diuinæ, quia in Deo idem eſt eſſe & intelligere: quæ ratio non conuinceret, ſi ſolùm fieret ſermo de identitate reali, quia hoc modo etiam velle Dei eſt eſſe Dei, & ita proceſſio Spiritus ſancti eſſet generatio: vnde articulo quarto ad 1. negat ex identitate reali ſumendam eſſe rationem generationis. Item 1. part. quæſt. 14. articulo ſecundo dicit, quòd intellectus diuinus, & intellectum ſiue eſſentia diuina ſint idem omnibus modis; & art. 8. dicit Deum cauſare omnia per intellectum & intelligere, quia ſuum eſſe eſt ſuum

suum intelligere. Deinde essentia diuina est in ordine intellectuali, & in illo debet esse purissimus actus, cùm in illa non possit esse vlla potentialitas: sed purissimus actus in aliqua linea debet pertingere à prima potentia illius vsque ad vltimam actualitatem, quam constat in linea intellectiua esse intellectionem: ergo essentia diuina formalissimè sumpta, consistit in intelligere per se subsistente, siue in intellectione per essentiam.

Sed contra est authoritas D. Th. quem sequuntur, non solùm Thomistæ, sed plures extra scholam Thomisticam, vt Curiel, Arrubal, Albertinos, & alij.

Conclusio.

Cùm essentia diuina sit purissimus actus in linea intellectuali essendi; & linea essendi sit distincta à linea operandi, formaliter consistit in intelligere per se subsistente, prout ly, intelligere, est esse substantiale naturæ intellectiuæ, non vt importat operationem intellectiuam, siue intellectionem per essentiam.

Respondeo dicendum, quòd essentia diuina formalissimè sumpta non consistit in infinitate. 2. Nec tantùm in ratione substantiæ spiritualis per essentiam, prout distinctæ virtualiter à ratione substantiæ siue naturæ intellectiuæ. 3. Nec in intelligere per se subsistente, vt importat actum secundum, siue intellectionem per essentiam, 4. sed in intelligere per se subsistente, vt idem est, ac esse per se naturæ intellectiuæ. Ad cuius euidentiam sciendum est, hanc difficultatem procedere de essentia diuina, non quoad nos præcisè, quia nos ex nostro imperfecto modo concipiendi, quo Deum inadæquatis multis conceptibus intelligimus, constituimus essentiam diuinam in aliquo potentiali in ordine essendi, quod completur per ipsum esse siue existere: vnde distinguimus ratione essentiam & esse in Deo, & propterea non est per se notum quoad nos Deum esse, vt docet D. Thom. 1. parte quæst. 2. articulo secundo, sed procedit de essentia diuina secundùm se, non quidem in sensu identico, quia cùm Deus sit simplicissimus, omnia quæ sunt in Deo, sunt ipsa essentia diuina, & ipse Deus: sed in sensu formali, quod sic potest explicari. Si per impossibile esset distinctio realis actualis in Deo inter absoluta, quid præcisè esset eius essentia, & quid attributum illi realiter superadditum? Quia verò ens diuinum propter suam eminentiam, includit distinctiones reales virtuales, loco actualium, in absolutis, potest sic explicari, quid sit formaliter & præcisè essentia diuina, prout virtualiter distincta à quocumque alio, quod est extra rationem formalissimam essentiæ. Dicendum igitur, quòd essentia diuina constituitur formaliter & adæquatè ex sequentibus gradibus, nec virtualiter inter se distinctis, sed solâ ratione, adhuc non fundatâ in re, sed in imperfecto nostro modo concipiendi, scilicet ex gradu entis, substantiæ, spiritualis siue immaterialis, & intellectiuæ in actu potissimo pertinente ad lineam essendi, siue quæ sit suum esse substantiale intellectiuum per se subsistens, ita vt hoc vltimum sit quasi differentia constitutiua deitatis, alia verò sint rationes superiores: & de hac est præsens difficultas. Intelligere autem tria significat, scilicet ipsam operationem intellectiuam in concreto ex Aristotele & D. Thom. 1. Metaph. lect. 1. Deinde gradum determinatum naturæ intellectiuæ, sicut viuere gradum viuentium. Denique significat existentiam in concreto, siue existere rei intellectualis iuxta illud Aristot. & D. Th. 2. de anima viuere in viuentibus est esse, ac proinde cùm ex eodem D. Th. in procemio q. 54. 1. partis intelligere sit quoddam viuere, est esse rei viuentis vita intellectuali.

Probatur prima pars conclusionis. Essentia non potest demonstrari à priori de eo, cuius est essentia, per aliquid intrinsecum ipsi, cùm essentia sit primum, quod est in re: sed à D. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 1. infinitas demonstratur de Deo, per veram rationem eius formalem, intrinsecam ipsi Deo, quia scilicet Deus est suum esse irreceptum: ergo infinitas Dei non est essentia diuina formalissimè sumpta. Deinde infinitas non habet rationem formæ, sed rationem modi ipsius formæ; infinitas enim significat illimitationem alicuius formæ, & ita supponit ipsam formam in suo esse essentiali completam: ergo infinitas non est essentia diuina formaliter, sed attributum eius. Denique infinitas prædicatur de omnibus quæ sunt in Deo, prædicatione non solùm identica, sed etiam formali: dicimus enim essentiam Dei, scientiam, bonitatem, relationes diuinas &c. esse quid formaliter infinitum: constat autem quòd essentia diuina formalissimè sumpta non prædicatur de aliis, quæ sunt in Deo, prædicatione formali, at tantùm identica: ergo infinitas Dei non est eius essentia formaliter sumpta, sed habet rationem modi consequentis essentiam diuinam, & omnia quæ sunt in Deo formaliter.

Probatur secunda pars conclusionis. Ratio substantiæ spiritualis per essentiam, non dicit formaliter esse, tantùm enim importat ipsam per se talem, & independenter ab alio: sed esse perfectissimum, naturæ scilicet intellectualis, est de essentia Dei, iuxta illud Exodi. 3. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos*: Quod esse est ipsum intelligere per se subsistens, vt dictum est: ergo essentia diuina formalissimè sumpta non consistit in ratione substantiæ spiritualis per essentiam præcisè. Deinde non potest præscindi ab essentia diuina ratio intellectiui perfecti, aliàs esset in aliquo gradu potentiali & imperfectissimo, quia non exprimeret gradum viuentis, qui solummodo est triplex, scilicet vegetatiuus, sensitiuus, & intellectiuus: & ita si essentia diuina non dicit formaliter aliquem ex his gradibus vitæ, non dicit formaliter gradum viuentis: vel dicendum est, quòd consideratur essentia diuina secundùm gradus vniuersales tantùm, & non secundùm vltimum, vt ita dicamus, & quasi differentialem, & ita non est conceptus eius completus & adæquatus. Deus autem non potest esse viuens vegetatiuum, aut sensitiuum vt patet, cùm ista supponant corpus & organa corporea, quæ secundùm fidem non sunt in Deo, ipse enim est omnino incorporeus & immaterialis: ergo est viuens intellectiuum, & sic ratio intellectiui non potest præscindi formaliter ab essentia diuina. Et licèt spirituale per essentiam includeret intellectiuum perfectum, non tamen exprimit, quia spirituale in substantia, aliud est rationale, qualis est homo, aliud verò intellectiuum, qualis est Angelus, & Deus est purissimus in hoc ordine, quod non exprimitur per ly, spiritualis.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. tum 1. p. in procemio q. 14. vbi ait: *Post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de iis, quæ pertinent ad operationem ipsius,* Scilicet de intelligere, & velle vt ibidem exprimit: vnde intelligere, & velle non pertinent ad substantiam diuinam formalissimè: ergo multo minùs ad essentiam, & art. 1. demonstrat à priori de Deo, quòd sit intelligens per hoc quòd sit immaterialis, vt fere omnes fatentur Thomistæ: ergo esse intelligens siue intelligere, vt importat intellectionem actualem, non est formaliter essentia Dei, essentia enim non demonstratur à priori per aliquid intrinsecum. Deinde omnipotentia est attributum, vt communiter tenent Theologi cum D. Th. sub ipsa autem continetur potentia generatiua patris ex D. Th. q. 2. de potentia art. 5. vbi ait: *Ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est patris tantùm cum omnipotentia respiciat omne possibile*; Et ita docet Nazarius & alij Thomistæ, constat autem quòd potentia proxima generatiua est intellectus diuinus, vt est in patre, ac proinde intellectus est attributum formaliter, & non essentia: ergo multò magis ipsum intelligere vt importat actum secundum intellectûs, cùm inter ipsum & essentiam mediet intellectus. Denique, linea operandi est distincta virtualiter in Deo à linea essendi, & realiter in creaturis, quamuis linea essendi sit radix & fundamentum cuiuslibet lineæ operatiuæ: vnde essentia siue natura constituit peculiarem lineam, quamuis sit principium radicale operationis: aliàs non esset assignabilis ratio, cur directè non pertineret ad omnes lineas operatiuas, cùm sit principium radicale omnium, quod tamen est impossibile:

& ita linea operatiua quælibet conſtituitur ex ſolo principio proximo ſiue potentia formali, & actu, vt linea intellectiua ex intellectu & intellectione: ipſa autem ſpecies, cùm ſe teneat, non ex parte potentiæ quamuis ſit complementum ipſius, ſed ex parte obiecti, ſolùm reductiuè pertinet: ſed intelligere, vt importat operationem, pertinet ad lineam operandi, & eſſentia pertinet ad lineam eſſendi, quæ eſt omnino prima vt patet: ergo eſſentia diuina formaliſſimè ſumpta non conſiſtit in intelligere, prout importat actum ſecundum intellectus.

Probatur quarta pars concluſionis. In Deo linea eſſentiæ ſiue naturæ, vt pote prima & fundamentum aliarum præintelligitur conſtituta ante lineas operatiuas, vt dictum eſt, & conſtat ex axiomate Philoſophico, operari ſequitur eſſe: aliunde verò, quia eſſentia & natura diuina eſt in ordine intellectuali infinitè perfecta, debet eſſe actus puriſſimus in linea intellectuali eſſendi: ſed vltimus & puriſſimus actus in linea eſſendi, eſt exiſtentia ſiue eſſe, quod in natura intellectuali eſt intelligere: ac proinde natura diuina debet illud ſibi identificare, abſque vlla diſtinctione etiam virtuali: ergo eſſentia diuina formaliſſimè ſumpta conſiſtit in intelligere per ſe ſubſiſtente, vt dictum eſt, ac eſſe per ſe naturæ intellectiuæ: & hoc concordat cum prædicta authoritate Exod.: vnde in Deo, abſque vlla diſtinctione virtuali, idem ſunt eſſentia, ſubſiſtentia abſoluta, & exiſtentia ſiue eſſe.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere per ſe ſubſiſtens non eſt communicabile creaturis, quas implicat eſſe ſuum eſſe, infinitas autem, vt dictum eſt, non eſt eſſentia, ſed quaſi modus eſſentiæ, & aliorum quæ ſunt in Deo.

Ad ſecundum dicendum, quòd D. Th. non loquitur ibi de natura ſtricto modo, vt hîc loquitur, ſed in alio latiore prout aliqua dicuntur eſſe eiuſdem naturæ, quæ participant in aliqua forma, vt patet ex ipſis verbis D. Th. Ad aliud dicendum, quòd ſubſtantia ſpiritualis per eſſentiam conſtituit quidem, & diſtinguit Deum ab aliis, ſed non per modum differentiæ atomæ, quia non importat determinatum gradum vitæ, & ita ſolùm conſtituit, & diſtinguit per modum gradûs ſuperioris: intelligere autem per modum actûs puriſſimi in linea eſſendi, ſiue per ſe ſubſiſtens, importat ſummam immaterialitatem, & per modum actûs puriſſimi, imò formaliſſimè loquendo, eſt ipſamet ſumma immaterialitas per modum actûs puriſſimi: nec vnum iſtorum eſt ratio formalis alterius: vnde immaterialitas eſt ſolùm ratio à priori intelligibilitatis, prout intelligibilitas dicit, non principium radicale, ſed proximum intelligendi, & actum ſecundum: & ita ſumit D. Th. nam dicit 1. p. q. 14. art. 1. quòd, cùm Deus ſit in ſummo immaterialitatis, ſit etiam in ſummo cognitionis. Ad declarandum autem conſtitutiuum diuinæ eſſentiæ, vtimur potiùs nomine intellectiui in actu puriſſimo intra lineam eſſendi, quàm nomine ſummè immaterialis, quia immateriale non ſignificat, aut exprimit directè gradum vitæ, ſicut exprimit intellectiuum: maxime quia ſunt multa immaterialia vt accidentia, quæ non viuunt: intellectiuum autem in actu vltimo eſſentiali, non poteſt demonſtrari de Deo à priori per aliquid intrinſecum, ſicut nec alia eſſentia poteſt demonſtrari de re, cuius eſt eſſentia, per aliquid intrinſecum rei à priori, cùm eſſentia ſit primum quod eſt in re, ſed tantùm per aliquid extrinſecum, putà per cauſam finalem, aut exemplarem, vt quòd homo ſit rationalis, quia factus eſt ad ſimilitudinem Dei, & ad beatitudinem conſequendam.

Ad tertium dicendum, quòd D. Th. in primo loco intelligit de multiplicitate reali actuali, quia in Deo intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere ſunt omninò vnum & idem, id eſt, tam realiter, quàm in eſſe cognoſcibili: & hoc compatitur diſtinctionem virtualem inter eſſentiam, & intelligere: quòd autem intelligat de identitate reali, patet ex præmiſſis, nam hæc ſufficit, vt intelligere quod eſt actus & perfectio intelligentis, non ſit quid extrinſecum ſuperadditum Deo, ac proinde quòd aliquid aliud, iuxta Philoſophum, non ſit actus & perfectio diuinæ ſubſtantiæ.

Ad ſecundum locum dicendum, quòd ſufficit identitas realis cum diſtinctione virtuali inter eſſe, & intelligere diuinum, adhoc quòd proceſſio Verbi ſit generatio, quia cùm ex vna parte intelligere producat Verbum ſimile intellecto, ſi ex alia parte ſit per ſe ſubſiſtens, ac eſſe puriſſimum ſubſtantiale, ac proinde infinitè perfectum, produceret Verbum perfectè ſimile, ac proinde ſubſtantiale, & eiuſdem naturæ numericæ cum re intellecta: quòd non conuenit ipſi velle, quod ex natura ſua non habet producere aliquid ſimile rei volitæ, ſed tantùm de materiali, inquantum eſt velle diuinum, quia quidquid eſt in Deo, eſt Deus; quòd ſi per impoſſibile non ita eſſet, velle non produceret Deum, quia ex ſua linea non habet producere ſimile: intelligere autem adhuc produceret Deum, quia cùm præſupponatur perfectum & ſubſtantiale, & ex ſua linea producat ſimile, produceret ſimile in ſubſtantia, & ita ex identitate reali ſumitur ratio generationis in intellectu diuino, non in voluntate. Ad alium locum dicendum, quòd intellectus & eſſentia diuina dicuntur eſſe omnibus modis idem, quia ſunt idem, tam in eſſe cognoſcibili, quàm in eſſe entitatiuo, quod tamen non excludit diſtinctionem virtualem. Ad alium denique dicendum, quòd ſufficit identitas realis inter eſſe ſubſtantiale, & intelligere diuinum, adhoc vt Deus dicatur cauſare omnia per intellectum & intelligere: per hoc enim, quòd realiter identificetur cum eſſe diuino, habet omnimodam perfectionem & efficaciam. Ad rationem dicendum, quòd cùm linea operandi ſit diſtincta à linea eſſendi, & eſſentia diuina ſolùm petat eſſe puriſſimus actus intra propriam lineam, ſufficit vt identificet ſibi abſque diſtinctione virtuali, intelligere prout eſt eſſe & vltima actualitas ſubſtantialis naturæ intellectualis, non autem vt importat actum ſecundum, ſiue operationem intellectiuam.

Articvlvs II.

Vtrùm in Deo ſint aliqua attributa?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd in Deo non ſint aliqua attributa. Probatur. Si ſint in Deo attributa, debent eſſe aliquæ perfectiones per modum proprietatis, eſſentiæ diuinæ ſuperadditæ: ſed nihil poteſt eſſe in Deo ſupperadditum eſſentiæ diuinæ; cùm ſit ſuum eſſe, ac proinde actus puriſſimus, cui repugnat ſuperaddi aliquid: actus enim vt ſic non eſt receptiuus, ſi enim recipit, habet rationem potentiæ, quæ repugnat puriſſimo actui: ergo in Deo non ſunt aliqua attributa.

¶ 2. Præterea, attributa diuina, ſi ſint, colliguntur ex creaturis, cùm omnis cognitio quæ habetur de Deo, vel ſit per creaturas tanquam per effectus eius, vel per quamdam analogiam ad creaturas; cùm ſimus materiales, ac proinde cognitio noſtra debeat incipere à rebus materialibus ſed nulla eſt perfectio in creaturis, quæ poſſit attribui Deo, nulla enim eſt, quæ non inuoluat aliquam imperfectionem, aut aliquem perfectionis defectum, cùm omnis ſit finita & limitata: ergo in Deo non ſunt attributa.

Sed contra eſt communis ſententia, tum Philoſophorum, tum Theologorum, qui in principio ſummæ Theologicæ agunt cum D. Th. de attributis diuinis.

Conclvsio.

Cùm in Deo ſint formaliter aliquæ perfectiones, diſtinctæ virtualiter ab eius eſſentia, in ipſo ſunt aliqua attributa.

Respondeo dicendum, quòd Deus eſt perfectiſſimus: continens formaliter omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ reperiuntur in creaturis. 3. perfectiones verò ſecundùm quid, non formaliter quidem. 4. ſed eminenter. 5. vnde in Deo ſunt aliqua attributa. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd eſt duplex perfectio. Prima eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſecunda eſt perfectio ſecundùm quid. Perfectio ſimpliciter ſimplex definitur, quòd ſit illa quæ in vnoquoque melior eſt ipſa, quàm non ipſa: vnde duo requiruntur, vt aliquid ſit perfectio ſimpliciter, primum vt illud importet perfectionem illi, cui attribuitur, ex cuius defectu oritur negatio, nec relatio ſecundum

cundùm esse Ad, præcisè est perfectio simpliciter : secundum est, quòd illa perfectio sit melior, quàm quælibet alia sibi contraria & incompossibilia : vnde ly, non ipsa, non sumitur negatiuè, aliàs omnia perfectio esset perfectio simpliciter simplex, nam melior est ipsa, quàm non ipsa, siue quàm nihil, sed sumitur contrariè, id est, melior est ipsa, quàm alia. Per ly autem, in vnoquoque, non intelligitur indiuiduum determinatum, vel secundùm suam naturam specificam, aut indiuidualem, sed consideratum secundùm generalem entis rationem, & ita licèt viuere non sit melius, quàm non viuere lapidi vt sic, imò destruat naturam eius, tamen meliùs est lapidi, vt ens est, & cuilibet enti vt sic, viuere quàm non viuere. Perfectio secundùm quid contrario modo definitur, nam est illa, quam non melius est esse in quolibet ente vt ens est, quàm non esse : v. g. non est meliùs enti esse lapidem, quàm non esse lapidem, & similiter rationalitas est tantùm perfectio secundùm quid, nam licèt sit meliùs homini inquantum homo ratiocinari, quàm intelligere sine discursu, quia illud est de essentia hominis, hoc verò illam destruit, tamen enti vt sic melius est esse intellectiuum, quàm ratiocinatiuum vt patet : perfectum autem dicitur aliquid tripliciter : Primò, entitatiuè, quando nihil ipsi deest debitum secundùm ordinem naturalẽ. Secundò, comparatiuè, quando non superatur ab alio in eodem genere & ordine, in quo fit comparatio. Tertiò, terminatiuè, quando est assecutum finem suum, & in hoc sẽsu charitas viæ nunquã est perfecta, sed perficitur in patria.

Probatur prima pars conclusionis. Deus est summum bonum, vt infra dicetur, & patet ex illo Exodi 33. *Ostendam tibi omne bonum* : ergo est perfectissimus, bonum enim & perfectum conuertuntur: vnde si deesset Deo aliqua perfectio, deesset illi aliquid in ratione boni, & sic non esset summum bonum. Deinde, Deus secundùm omnem rationem est infinitus, vt infra probabitur: ergo etiã in ordine perfectionis, & ita nulla perfectio illi deest; quod non potest dici de aliqua creatura, quæ essentialiter est limitata, & cui repugnat infinitas perfectionis: vnde Deus est perfectissimus entitatiuè, & comparatiuè. Quòd etiam sit perfectissimus terminatiuè, patet, cùm enim sit summum bonum, est sibi finis sufficientissimus beatitudinis, imò & aliis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Th. 1. p. q. 4. art. 2. vbi illam ex professo probat, & citat Dion. cap. 5. de diuinis nominibus, vbi dicit quòd Deus in vna existentia omnia præhabet. Deinde perfectiones simpliciter simplices, quæ reperiuntur in creaturis, prædicantur propriè & formaliter de Deo, non solùm in concreto, quod sufficeret, sed etiam, quod magis est, in abstracto vt patet ex Scripturis : Deus enim dicitur vita æterna, sapientia &c. 1 Ioan. 1. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis* : ergo illæ perfectiones sunt formaliter in Deo, nam prædicari aliquid de alio, supponit quòd sit in illo, aliàs esset falsa prædicatio, diceremus enim aliquid inesse, & non inesset; prædicatio enim dicitur vera, aut falsa, ex eo quòd res est, vel non est. Deinde est communis consensus sanctorum Patrum, & Theologorum quòd in Deo sit propriè intellectus, voluntas, sapientia &c. Nec potest dici quòd sint tantùm eminenter : quæ enim sunt in aliquo tantùm eminenter, non prædicantur de illo simpliciter & sine addito, sicut ista prædicantur de Deo, nam esse eminenter aliquid in alio; non est ipsum esse, sed aliquid aliud, in cuius virtute continetur.

Secundò, Deus est ipsum esse per se subsistens, vt infra dicetur : ergo continet totam perfectionem essendi formaliter : nam sicut calor non limitatus continet totam perfectionem caloris, aliàs esset limitatus : sic esse illimitatum continet totam perfectionem essendi aliàs esset esse limitatum : sed esse per se subsistens est esse illimitatum, abstracta enim, vt patet inductione in omnibus, limitantur à suo recipiente, & esse ita limitatur in Angelo, homine &c. vt dicatur esse; non simpliciter, sed Angeli vel hominis, ab essentia Angeli vel hominis, in qua recipitur : vnde dicit D. Th. 1. p. q. 4. art. 1. ad 3. quòd ipsum esse est perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia vt actus, nihil enim habet actualitatem, nisi inquantum est : vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum, vnde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens : sed esse Dei est irreceptum, cùm sit ipsa Dei essentia vt postea dicetur; nihil enim dicitur esse receptum in seipso : & ita est esse illimitatum, quod proinde continet totam rationem & perfectionem essendi formaliter : sed perfectiones simpliciter simplices pertinent simpliciter & formaliter ad perfectionem essendi, vt patet ex ipsis terminis, intantum enim aliqua perfecta sunt, inquantum habent aliquod esse perfectum : ergo perfectiones omnes simpliciter simplices sunt simpliciter in Deo, ac proinde formaliter, quod enim est tantùm eminenter non dicitur simpliciter & sine addito esse.

Probatur tertia pars conclusionis. Perfectiones secundùm quid, in suo conceptu essentiali includunt aliquam imperfectionem, & propterea dicuntur perfectiones secundùm quid, & non simpliciter : sed nulla potest esse in Deo imperfectio, etiam minima, cùm sit perfectissimus: ergo perfectiones secundùm quid non sunt formaliter in Deo, quod patet ex eo quòd non prædicantur de Deo formaliter, sed tantùm Metaphoricè, vel cùm aliquo addito, Deus enim non dicitur leo, agnus &c. formaliter, sed metaphoricè.

Probatur quarta pars conclusionis. Causa secundùm quòd causa, continet perfectionem sui effectus secundùm quòd effectus, si sit causa vniuoca, secundùm eandem rationem vniuocam, si verò sit causa æquiuoca, secundùm eminentiorem rationem, vt patet inductione, & probatur; nam causa communicat perfectionem effectui in quãtùm est effectus, nihil autem operatur, nisi inquantum est actu, item nemo dat quod non habet : sed Deus est causa æquiuoca omnium rerum, secundùm omnia positiua quæ in eis sunt, & secundùm omnes gradus, à supremo scilicet entis, vsque ad vltimam differentiam, nihil enim, quocumque modo sit, dummodo sit quid reale, effugit causalitatem Dei, omnia enim per ipsum facta sunt : ergo Deus continet eminenter omnes perfectiones secundùm quid omnium rerum.

Secundò, Deus vnico intuitu comprehendit omnia, vt manifestum est ex ordinatissima eius prouidentia, & gubernatione circa omnia, non enim posset perfectè prouidere omnibus, nisi perfectè videret, quid expedit vnicuique, quod importat perfectissimam & comprehensiuam cognitionem, non enim potest quis scire perfectè & infallibiliter, quid expediat alicui rei, nisi perfectè cognoscat talem rem secundùm omnes eius rationes, nam aliquid potest expedire alicui rei secundùm vnam rationem, quod non expedit illi secundùm aliam, & inde prouenit quòd prouidentiæ hominum sunt timidæ, & incertæ cogitationes eorum, & quòd prudentissimi quique multoties decipiuntur : sed Deus omnia comprehendit comprehendendo seipsum : omnia enim cognoscit in seipso, quod patet : nam omnia cognoscit ab æterno, tam possibilia, quàm actualia in aliqua temporis differentia, antequam sint : ergo in Deo sunt eminenter perfectiones secundùm quid omnium rerum, implicat enim quòd aliquid videatur in alio, nisi sit aliquo modo in ipso. Nec potest dici, quòd in Deo sint species intelligibiles omnium rerum; cùm in Deo nullum sit accidens, nec sit assignabilis causa productiua ipsarum, cùm deberent esse ab æterno, nihil autem præter Deum est ab æterno. Restat ergo dicendum, quòd Deus videns suam essentiam infinitè perfectam, & consequenter infinitè participabilem, videat omnes creaturas quæ sunt participationes, vel possibiles, vel actuales ipsius : & hoc est illius contineri eminenter in Deo, id est contineri in diuina essentia, quæ licèt in se simplicissima, habet tamen perfectionem eminentissimam, vnitè & adæquatè continentem omnes perfectiones dispersas in creaturis, cum sit altioris & perfectioris ordinis.

Tertiò, nulla perfectio etiam minima eſt Deo deneganda; cùm ſit infinitè perfectus, & ſummum bonum, & conſequenter contineat omnem rationem perfectionis: ſed perfectio ſecundùm quid eſt aliqua perfectio, licèt enim ſimpliciter non pertineat ad rationem perfectionis, at ſecundùm qoid tantùm, vt io ipſiſmet terminis exprimitur, tamen aliquo modo pertinet, id eſt ſecundùm aliquid ſui: ergo omnis perfectio ſecundùm quid eſt in Deo, non formaliter, vt dictum eſt, ratione imperfectionis quam inuoluit in ſuo cooceptu eſſentiali: ergo eminenter.

Probatur quinta pars concluſioois. Per attributa diuina nihil aliud intelligunt Theologi & Philoſophi, quàm perfectiones quaſdam ſimpliciter ſimplices, virtualiter diſtinctas ab eſſentia diuina, quàm conſequuntur ad modum proprietatis noſtro modo concipiendi, & prædicantur de Deo formaliter: ſed in Deo ſunt multæ tales perfectiones, vtpote omnipotentia, immenſitas, & aliæ de quibus poſtea agetur: ergo in Deo ſunt aliqua attributa.

An primum ergo dicendum, quòd iſtæ perfectiones non ſunt diſtinctæ realiter ab eſſentia diuina, ſed ſolum virtualiter, & hoc ſufficit vt babeant rationem attributi ſuperadditi eſſentiæ, non realiter, ſed virtualiter formaliter. Et ita non ſunt receptæ realiter, nec eſſentia diuina eſt recipiens realiter, vt probat argumentum, ſed tantùm virtualiter, vt magis explicabitur articulo ſequenti.

An ſecondum dicendum, quòd licèt omnes perfectiones creaturarum, vt ſunt in ipſis limitatæ, importent aliquam imperfectionem, tamen in ſuo conceptu formali præciſo nullam important: ſapientia enim vt ſic nullam dicit imperfectionem, licèt dicat vt eſt ſapientia humana: iſtæ aoem perfectiones attribuontur Deo ſecundùm ſuum conceptum formalem præciſum, & non vt limitatæ; vnde in illis conuenimus tantùm analogicè cum Deo.

Articvlvs III.

Quomodo attributa diuina diſtinguantur inter ſe, & ab eſſentia Dei?

AD tertivm ſic proceditur. Videtur quòd attributa diuina diſtinguantur inter ſe, & ab eſſentia Dei ex natura rei. Ita tenet Scotus, & eius diſcipuli, qui dicunt banc diſtinctionem ex natura rei eſſe actualem à parte rei, mediam inter diſtinctionem realem & diſtinctionem rationis, & dicunt reperiri inter ea, quæ à parte rei ante omnem mentis operationem diſtinguuntur. Probatur. Illa quæ fundant operationes contradictorias, & babent diuerſas definitiones eſſentiales, diſtinguuntor ante omnem mentis operationem, ac proinde ſaltem à parte rei & ex natura rei: ſed eſſentia diuina & attributa eius, etiam adinuicem fundant propoſitiones contradictorias, & babent diuerſas definitiones eſſentiales: nam iſtæ propoſitiones contradictoriæ ſunt veræ, Deus intelligit per intellectum, Deus non intelligit per ſuam eſſentiam, aut voluntatem, &c. Item aliter definitur eſſentia Dei, aliter eius ſapientia, aliter iuſtitia: ergo attributa diuina diſtinguuntur inter ſe, & ab eſſentia Dei ex natura rei.

¶ 2. Præterea, A parte rei nemine cogitante, Deus eſt ſapiens ſapientiâ, & non iuſtitiâ: iuſtus verò iuſtitiâ, & non ſapientiâ, & ſic de aliis: ergo nemine cogitante iuſtitia, & ſapientia à parte rei diſtinguuntur, ac proinde ex natura rei: maximè quia attributa ſunt quaſi proprietates eſſentiæ diuinæ, proprietates autem debent diſtingui, ſaltem ex natura rei, ab eo cuius ſunt proprietates, nihil enim eſt proprietas ſoi ipſius.

¶ 3. Præterea, Si intellectus, & voluntas in Deo non diſtinguuntor, ſaltem ex natura rei, nec etiam diſtinguentur actus ipſorom, & ita Deum intelligere peccatum, erit velle peccatum: & ſimiliter proceſſio Filij, quæ eſt actus intellectûs, non diſtinguetur à proceſſione Spiritûs ſancti quæ eſt actus voluntatis: ac proinde Filius & Spiritos ſanctus, qui ſunt perſonæ procedentes non diſtinguentur: ergo attributa diuina diſtinguuntur inter ſe ex natura rei.

Sed contra eſt expreſſa authoritas D. Thom. 1. p. q. 4. art. 2. ad 1. & q. 13. art. 12. quem communiter ſequuntur ferè omoes Theologi.

Conclvsio.

Cùm in Deo nulla ſit compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas, diuina attributa non diſtinguuntur inter ſe, nec ab eſſentia ex natura rei.

Respondeo dicendum, quòd in Deo nulla eſt actualis diſtinctio inter attributa diuina ad inuicem, nec inter ipſa & eſſentiam ante omnem mentis operationem: & ita non eſt diſtinctio realis. 2. nec ex natura rei. 3. ſed tantùm eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, per intellectum cum fundamento in re, ſcilicet com diſtinctione virtuali ex parte rei. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt attributum diuinum ſic definiri, quòd ſit quædam perfectio formalis eſſentiæ diuinæ, competens ad modum proprietatis, quæ de creaturis analogicè dicitur: hæc definitio patet ex dictis, quomodo nihil poteſt attribui Deo, niſi ſit perfectio; & quomodo ſola perfectio formalis ſit attributum, cùm illa quæ ſunt tantùm eminenter in Deo, ſecundùm ſuum formalem & ſpecificum conceptum inuoluunt imperfectionem, ſunt enim tantùm perfectiones ſecundùm quid. Attributa autem diuina ſont in triplici differentia: quædam ſignificantur per rationes poſitiuas, & nominibus affirmatiuis, vt iuſtitia, ſapientia, intellectus, voluntas &c. quædam ſignificantur per rationes poſitioas, ſed nominibus negatiuis, vt infinitas, immenſitas, &c. iſta enim nomina licèt ſint negatiua, non tamen ſignificant puras negationes, ſed perfectiones poſitiuas: alia denique ſignificantur per rationes poſitiuas, & nominibus affirmatiuis, tamen dicunt aliquem reſpectum rationis ad creaturas, vt omnipotentia ad res poſſibiles, prouidentia, miſericordia &c. hæc vltima attributa ſecundùm iſtum reſpectum rationis præciſè diſtinguuntur realiter, ſed negatiuè ab eſſentia diuina, tanquam ens rationis ab ente reali, quamuis ſecundùm poſitiuum, quod dicunt, ſint realiter idem inter ſe, & cum eſſentia.

Probatur prima pars concluſionis authoritate. In multis Conciliis definitum eſt has propoſitiones eſſe veras & Catholicas, Deus eſt diuinitas, & diuinitas Deus: item Deus eſt ſua bonitas, &c. ſed hæ propoſitiones non eſſent veræ, ſi bonitas diſtingueretur à Deo realiter; & ſic de aliis. Item Concilium Florentinum definit, quòd in diuinis omnia ſunt vnom, vbi non obuiat relationis oppoſitio: ſed non obuiat oppoſitio relationis inter eſſentiam & attributa diuina, ac inter ipſa attributa ad inuicem: ergo attributa diuina ſunt idem realiter inter ſe, & cum eſſentia, ac proinde non diſtinguuntur realiter inter ſe, nec ab eſſentia.

Secundò, ſi attributa diuina diſtinguerentur realiter inter ſe, & ab eſſentia; in Deo eſſet realis compoſitio, quæ eſt aliquotom realiter diſtinctorum vnio: ſed in Deo non eſt realis compoſitio, vt definitum eſt in variis Conciliis, & probabitur infra: & hoc eſt, quia compoſitio realis includit eſſentialiter imperfectionem, ſaltem ex parte alicuius ex componentibus quod ſe habet vt potentia: ergo attributa diuina non diſtinguontur realiter inter ſe, nec ab eſſentia.

Tertiò, ſi attributa diuina diſtinguantur realiter ab eſſentia diuina, ſequitur eſſentiam diuinam non eſſe infinitè perfectam, quod repugnat fidei & infra dicendis, cùm enim ipſa eſſentia diuina ſit ſuum eſſe per ſe ſubſiſtens, continet omnem perfectionem eſſendi, & conſequenter eſt infinitè perfecta: eſſe enim per ſe ſubſiſtens, actus puriſſimus, ſummum bonum, & infinita perfectio conuertuntur: probatur aotem hoc ſequi. Illud non eſt ſecundùm ſe infinitè perfectum, quod ex ſe noo continet omnem perfectionem, vt patet ex ipſis terminis: ſed ſi attributa diuina diſtinguerentur ab eſſentia Dei, eſſentia diuina non baberet ex ſe omnem perfectionem, nam ex ſe non eſſet ſapiens, nec iuſta, &c. ſed haberet per aliquas entitates ſibi realiter ſuperadditas: ergo attributa dioina non diſtinguuntur realiter ab eſſentia diuina. Confirmatur. Si attributa diuina diſtinguerentur realiter ab eſſentia, ſequeretur quòd eſſentia diuios eſſet vera & realis potentia paſ-

ſiua

ſiua receptiua attributorum, quod maximam inuoluit imperfectionem, & indigentiam ex parte diuinæ naturæ. Item ſequeretur quòd attributa non eſſent infinitè perfecta, cùm vnumquodque diceret determinatam perfectionem, quia excluderet perfectionem aliorum attributorum, imò & infinitatem, quæ eſt vnum attributum: ergo attributa diuina non diſtinguuntur realiter nec inter ſe, nec ab eſſentia Dei.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Vnitas & ſimplicitas in Deo eſt perfectio: ergo debet perfectiſſimo modo reperiri in illo: ſed reperitur perfectiori modo, ſi admittatur ſola diſtinctio rationis, inter attributa diuina, & eſſentiam diuinam, ac inter ipſa attributa adinuicem, quàm ſi admittatur diſtinctio ex natura rei, ibi enim eſt maior & perfectior vnitas & ſimplicitas, vbi eſt minor diſtinctio, diſtinctio autem rationis, cùm ſit ſolùm per noſtrum intellectum, eſt minor, quàm diſtinctio ex natura rei, cùm ſit diſtinctio actualis à parte rei nemine cogitante, vt dicunt Scotiſtæ: ergo inter attributa diuina & eſſentiam diuinam, non eſt diſtinctio ex natura rei, nec inter attributa ad inuicem. Confirmatur. Hæc diſtinctio ex natura rei, videtur quòd ſit diſtinctio realis, nihil enim vltra requiritur ad diſtinctionem realem inter aliqua, quàm vt à parte rei ante quamcumque mentis operationem actu diſtinguantur: ergo non debet admitti in diuinis inter illa, quæ realiter non diſtinguuntur. Diſtinctio autem virtualis non obſtat diuinæ ſimplicitati, non enim importat eminentiam diuinæ ſubſtantiæ, quæ in ſe ſimpliciſſima exiſtens, vnitè continet plures perfectiones, diſperſas in creaturis, ſiue potiùs infinitam perfectionem adæquantem, imò excedentem omnes omnium creaturarum perfectiones; & ita virtualiter eſt multiplex, ac proinde fundat diſtinctionem virtualem, quatenus hæc diuina perfectio in quantùm eſt ſapientia, virtualiter eſt diſtincta & alia à ſeipſa in quantùm eſt iuſtitia &c.

Probatur tertia pars concluſionis. Si attributa diuina non diſtinguuntur ratione ratiocinatâ ab inuicem, & ab eſſentia diuinâ, ſequitur quòd omnia nomina ſignificantia diuinas perfectiones ſunt ſynonima, idem enim ſignificaret abſque vlla differentia, miſericors ac iuſtus: ſed omnia nomina, quæ attribuuntur Deo, non ſunt ſynonima ex D. Th. in 1. d. 2. q. 1. art. 3. & patet, nam alia eſt definitio iuſtitiæ diuinæ, alia miſericordiæ, alia eſſentiæ: ergo attributa diuina diſtinguuntur ratione ratiocinata ab inuicem & ab eſſentia. Confirmatur. Diuinæ perſonæ diſtinguũtur ratione ratiocinatâ ab eſſentia diuina, vt approbatum fuit in Concilio Florentino, vbi quidam celebris Theologus dictus Ioannes, per hanc diſtinctionem ſoluit multa obiecta contra myſterium Trinitatis: quæ diſtinctio neceſſariò eſt admittenda, aliàs duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, nam iſtæ duæ propoſitiones ſunt veræ ſecundùm fidem, Pater æternus generat, eſſentia diuina non generat: & tamen ſi pater & eſſentia ſunt omnino idem, ſecundùm etiam rationem, ſunt propoſitiones contradictoriæ, cùm ibi ſit affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, ſecundùm eandem omnino rationem: ergo etiam attributa diuina diſtinguuntur ratione ratiocinatâ ab inuicem, & ab eſſentia ob eamdem rationem, aliàs vt patet poſſent formari ſimiles propoſitiones contradictoriæ ſimul veræ aut falſæ.

Secundò, conceptibus formalibus correſpondent conceptus obiectiui: ſed de vnoquoque attributo diuino, & de eſſentia diuina habemus diuerſos conceptus formales, ita vt aliud concipiamus, dum concipimus diuinam iuſtitiam, & aliud, dum concipimus diuinam miſericordiam, & hoc cum fundamento in re: quia quando in creaturis aliqua realiter diſtinguuntur, eſt ſufficiens fundamentum diſtinctionis rationis in Deo, quæ procedit partim ex imperfecto noſtro modo concipiendi Deum, partim ex perfectione & eminentia Dei: ergo in Deo ſunt diuerſi conceptus obiectiui, alius ſcilicet eſſentiæ, alius iuſtitiæ, alius miſericordiæ, qui non poſſent eſſe ſine diſtinctione rationis ratiocinatæ: ergo attributa diuina diſtinguuntur ratione ratiocinata ab inuicem, & ab eſſentia.

Ex dictis duo ſequuntur. Primum eſt, quòd diſtinctio rationis inter diuina attributa & eſſentiam diuinam, in hoc præcisè conſiſtit, quòd noſter intellectus poſſit facere conceptum de eſſentia, præſcindendo ab attributis, & de quolibet attributo præſcindendo ab aliis, & ab eſſentia: non verò quòd intellectus noſter intelligat iſta à parte rei actu eſſe diſtincta, eſſet enim falſus, & erroneus conceptus. Secundum eſt, quòd nullum ſit inconueniens admittere in Deo aliquam compoſitionem rationis, dummodo talis compoſitio rationis non fundetur in aliqua compoſitione reali, vel illam ſupponat neceſſariò, vt ſtatim dicetur de compoſitione Logica ex genere & differentia. Vnde datur compoſitio rationis inter eſſentiam diuinam & eius attributa, ipſa enim diuina attributa concipiuntur per modum actûs actuantis, & perficientis ipſam diuinam eſſentiam: nec hoc derogat infinitæ perfectioni diuinæ eſſentiæ, quòd enim concipiatur per modum potentiæ receptiuæ reſpectu attributorum, hoc non facit quòd in ſe realiter ſit potentia, ſed tantùm prouenit ex imperfectione noſtri intellectûs, qui non poteſt adæquatè vnico conceptu apprehendere ipſam diuinam ſubſtantiam, vnde concipit ipſam pluribus inadæquatis & diuerſis conceptibus, modo ſub ratione eſſentiæ, modo ſub ratione huius vel illius attributi, & ita non eſt mirum, ſi concipiendo ipſam ſubſtantiam diuinam per modum eſſentiæ conceptu imperfecto & limitato, ipſam concipiat cum aliqua imperfectione, nam eo ipſo quòd concipit illam limitatè, licèt concipiat perfectiſſimam in ratione eſſentiæ, tamen non concipit vt illimitatam, & vt dicit totam ſuam perfectionem. Si quis autem perfectè cognoſceret diuinam eſſentiam vt in ſe eſt cognoſceret ipſam non ſolùm perfectam in ratione eſſentiæ, ſed cognoſceret eſſe infinitè perfectam, nec poſſet definire, niſi poneret in eius definitione Trinitatem perſonarum, & omnia attributa: & ſic diuina ſubſtantia non poteſt concipi cum aliqua imperfectione, ſiue cum limitatione perfectionis concepta conceptu adæquato, benè tamen conceptu inadæquato, vt ait D.Th. 1.p. quæſt. 28. art. 2. ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad fundandas propoſitiones contradictorias, & formandas definitiones eſſentiales diuerſas, ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ: maximè quando eſt etiam ex parte rei diſtinctio virtualis, vt accidit in præſenti. Et ſimiliter ſufficit diſtinctio virtualis inter ſapientiam, & iuſtitiam diuinam, vt Deus dicatur ſapiens ſapientia, & non iuſtitia, quia ex hoc fundamento diſtinguimus ratione ratiocinatâ, ſapientiam, & iuſtitiam. Nec eſt verùm, quòd proprietates debeant ſemper diſtingui, aut realiter, aut ex natura rei, ab eſſentia cuius ſunt proprietates, vt patet in proprietatibus entis, & per hoc patet ad ſecundum. Et ſimiliter ad Tertium, nam diſtinctio virtualis inter intellectum diuinum, & diuinam voluntatem ſufficit, vt Deus dicatur intelligere, & non velle peccatum: nec proceſſio filij diſtinguitur actu à proceſſione ſpiritûs Sancti (niſi ratione alicuius notionalis, quod important) at tantùm virtualiter, licèt Filius & Spiritus ſanctus realiter actu diſtinguantur: ſed hæc diſtinctio præcisè prouenit ex hoc quòd Spiritus Sanctus procedit à Filio, propterea enim relatiuè opponuntur, ſola autem oppoſitio relatiua diſtinguit realiter in diuinis. Videantur quæ ſupra dicta ſunt q. 4. art. 3. vbi reſponſum eſt iiſdem argumentis, & hæc omnia ſunt ſatis fusè explicata.

QVÆSTIO XXIV.

De Attributis Dei Abſolutis.

DEinde ſequitur conſiderandum de attributis Dei in particulari, & primò de abſolutis, abſoluta enim ſunt priora relatiuis: non autem de omnibus, ſed tantùm de his, quæ lumine naturali cognoſcuntur, & habent aliquam difficultatem, vnde quæruntur ſex.

¶ Primò, Vtrùm Deus sit omninò simplex?
¶ Secundò, Vtrùm Deus sit infinitus?
¶ Tertiò, Vtrùm solus Deus sit bonus per essentiam?
¶ Quartò, Vtrùm Deus sit immutabilis omnino?
¶ Quintò, Vtrùm Deus sit æternus?
¶ Sextò, Vtrùm Deus sit immensus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deus sit omnino simplex?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit omninò simplex, sed sit in eo aliqua compositio, saltem Logica ex genere & differentiis. Ita tenent aliqui, qui constituunt Deum in prædicamento substantiæ. Probatur. Deus conuenit cum aliis in ratione substantiæ, & differt secundùm suam propriam rationem: ergo in eo reperitur ratio generica substantiæ, & propria differentia: & ita in eo est compositio ex genere & differentia, quæ cùm sit tantùm compositio rationis, nullam inuoluit imperfectionem: ergo Deus non est omninò simplex.

¶ 2. Præterea, Deus ponitur directè in prædicamento, Aug. enim dicit, quòd Sacra Scriptura loquitur de Deo secundùm categorias, aliquando impropriè, cùm dicit Deum habere dispositionem & habitum; aliquando propriè, cùm dicit Deum esse substantiam: nec ratio infinitatis obstat, nam si daretur linea infinita, poneretur in categoria quantitatis: sed quod ponitur in prædicamento, componitur ex genere & differentia, prædicamentum enim est series generum & specierum: ergo in Deo est compositio Logica ex genere & differentia, & ita non est omninò simplex.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. 1. p. q. 3. per omnes articulos, quem communiter sequuntur eius discipuli, ac omnes Theologi, exceptis paucis quoad compositionem Logicam.

CONCLVSIO.

Cùm Deus sit primum ens, simpliciter necessarium, prima omnium aliorum causa, est omnino simplex.

RESPONDEO dicendum, quòd Deus est omnino simplex, ita vt in illo nulla sit compositio realis, siue Physica ex materia & forma 2. aut ex subiecto & accidente 3. siue Metaphysica ex essentia & supposito 4. aut ex esse & essentia 5. nec compositio Logica ex genere & differentia 6. aut ex natura & differentia indiuiduali. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd hoc nomen Deus, potest sumi tripliciter. Primò, vt significat concretum quasi specificum diuinæ naturæ, id est habens deitatem, & ita accipiebatur à gentilibus admittentibus pluralitatem Deorum, sed hoc est chimericum, contra fidem & lumen naturale. Secundò, vt significat concretum indiuiduale naturæ diuinæ, id est hoc habens deitatem, seu hunc Deum. Tertiò, vt significat aliquod suppositum naturæ diuinæ, id est, hoc incommunicabiliter habens deitatem, id est, hanc personam diuinam. Hîc autem accipimus Deum aliquando in secunda, aliquando in tertia acceptione, & licèt in secunda acceptione, vt significat indiuiduum naturæ diuinæ commune tribus personis, non significet suppositum secundùm rei veritatem, cùm sit commune tribus personis (quod repugnat supposito, quod est omninò incommunicabile) æquiualet tamen supposito quoad habitudinem identitatis, vel distinctionis à natura, comparatur enim ad illam, vt habens ad habitum, vt quod est ad quo est, vt subsistens ad naturam in qua & ex qua subsistit: vnde secundùm opinionem Philosophorum accipitur vt suppositum, nihil enim illi deest, nisi esse incommunicabile, communicatur enim tribus diuinis personis, sed hoc non scitur lumine naturali, at sola fide.

Item sciendum est simplicitatem esse perfectionem secundùm se, quatenus opponitur compositioni, quæ intrinsecè importat imperfectionem, vel secundùm se, vel ratione saltem alicuius extremi, quod in illa se debet habere vt potentia: & ita licèt concedatur persona Christi Domini composita, ex duabus & in duabus naturis subsistens, & quòd hæc compositio secundùm se non dicat imperfectionem, dicit tamen in vno extremo, scilicet humanitate, quæ se habet vt potentia terminata per subsistentiam verbi, quæ solùm habet rationem actûs terminantis, qui vt sic præcisè dicit perfectionem tantùm. Quando tamen res simplex non adæquat perfectionem rei compositæ, vt contingit in istis inferioribus, simplicia non sunt perfectiora compositis, & in illis simplicitas non est perfectio, vt patet in elementis per comparationem ad mixta.

Probatur prima pars conclusionis. Deus est ens perfectissimum, vt omnes fatentur, est etiam primum agens & prima causa: ergo in Deo non est compositio ex materia & forma: nam materia importat imperfectionem, cùm sit potentia, perfectissimo autem repugnat imperfectio, sicut repugnat etiam habere perfectionem ab alio, quia quod est perfectissimum, debet ex se, & non ab alio habere suam perfectionem: si autem in Deo esset compositio ex materia & forma, Deus non haberet suam perfectionem à se, sed à sua forma, omne enim compositum est bonum & perfectum per suam formam, & ita per participationem, & non per essentiam. Deinde primum agens & prima causa, maximè quæ agit per creationem, debet esse agens seipsa, quia ratio & perfectio agendi debet illi perfectissimè, ac proinde ab intrinseco conuenire: & sic debet esse primò & per se forma, nam ratio agendi prouenit à forma, & ita secundùm se totam debet esse forma, vnde in illa non potest esse compositio ex materia & forma. Denique, dantur creaturæ purè spirituales, vt concludit Philosophus, quia debent mouere cœlos: ergo multò magis creator est purè spiritualis, causa enim debet esse perfectior effectu, si sit æquiuoca, gradus autem purè spiritualis est perfectior eo, qui est materialis.

Probatur secunda pars conclusionis. Subiectum est potentia receptiua accidentis, quo actuatur: sed cùm Deus sit perfectissimus, excludit omnem rationem potentiæ: ergo in Deo non est compositio ex subiecto & accidente. Deinde, vt modo probabitur, Deus est suum esse: sed ipsum esse, cùm sit vltima actualitas, nihil potest habere adiunctum: quamuis illud quod habet esse, & non est ipsum suum esse, possit habere aliquid adiunctum, sicut calidum potest quidem habere aliquid adiunctum, v.g. albedinem, non autem ipse calor: ergo Deus nullum habet accidens adiunctum, & sic in illo nulla est compositio ex subiecto & accidente. Denique si in Deo essent accidentia, essent causata saltem per emanationem ab eius essentia, quæ esset prior accidentibus, quia quod est per se, est prius eo quod est per accidens, & ita essentia diuina præcisè sumpta, quæ est ens per se, præcederet compositum ex ipsamet essentia & accidentibus: sed in Deo nihil est causatum, cùm sit prima causa: ergo in eo non sunt accidentia, ac proinde nec compositio ex subiecto & accidente.

Probatur tertia pars conclusionis. Suppositum diuinum Patris, aut filij, aut Spiritûs sancti est omnino idem quod essentia diuina, si enim distinguerentur, non possent prædicari de illis in abstracto diuina natura & attributa, quæ enim in abstracto de aliquo prædicantur, debent esse realiter idem cum illo aliàs prædicatio esset falsa, nam annuntiaretur aliquid esse, & tamen non esset: & per hoc differt prædicatio in abstracto à prædicatione in concreto, quòd in prædicatione in concreto solùm importatur quòd subiectum participet illam formam, quæ in nomine concreto exprimitur, licèt distinguatur ab illa, vt cùm dicitur homo est albus, solùm importatur, quòd homo participet albedinem, à qua tamen realiter distinguitur: in prædicatione verò in abstracto importatur, quòd subiectum sit realiter ipsa forma, quæ prædicatur, vt cùm dicitur, homo est albedo: sed de diuinis personis siue suppositis prædicatur diuinitas in abstracto, sicut & diuina attributa, istæ enim propositiones, personæ diuinæ sunt diuinitas, sunt sapientia æterna, sunt veræ & Catholicæ, imò in

Concilio

Concilio Remensi condemnatus fuit Gilbertus Porretanus, quia negabat has propositiones: ergo ea essentia diuina, & suppositio siue subsistente in natura diuina (eadem enim est ratio quantum ad hoc) non est compositio realis Metaphysica. Confirmatur. si Diuinitas & Deus non sunt omnino idem realiter, ita vt ex illis fiat compositio realis Metaphysica; cùm diuinitas sit aliquid reale, vt potè natura diuina, vel est quid maius, vel minus, vel æquale Deo. Non primum, quia implicat aliquid esse maius Deo, Deus enim est id quo maius excogitari non potest. Non secundum, implicat enim quod id, quo Deus, est Deus cùm debeat esse infinitum simpliciter, sit minus Deo, vnum siquidem infinitum in eodem genere & ordine non est minus alio. Non tertium, aliàs essent duo summa bona, & aliquid, quod non esset Deus, esset summum bonum, quod implicat: ergo diuinitas & Deus sunt idem realiter, & ita in Deo non est compositio ex essentia & supposito, quæ sit realis Metaphysica. Quamuis possit admitti compositio rationis per intellectum, aut virtualis, sicut & distinctio virtualis, & rationis inter ista: sed hoc non obstat diuinæ simplicitati, vt dictum est supra, fundatur enim in eminentia diuinæ substantiæ, quæ in se simplicissima, tamen vnitè continet rationem absoluti & relatiui, essentiæ & personæ, & sic potest à nobis apprehendi sub diuersis istis rationibus.

Probatur quarta pars conclusionis rationibus D. Th. illud, cuius esse est aliud à sua essentia, ita vt ea illis fiat compositio realis, haber esse causatum, vel ea principiis essentialibus ad modum proprietatis, vel ab aliquo exteriori: sed Deus non habet esse causatum, nec à principiis essentialibus, quia nulla res sufficit quòd sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum, aliàs idem produceret seipsum, daret enim sibi esse, quod implicat: quia, quatenus reciperet esse non esset, sed per ipsam receptionem inciperet esse: quatenus autem daret esse, præsupponeretur iam esse: nam si daret sibi esse, ageret, agere autem siue operari supponit, & sequitur esse. Nec ab aliquo exteriori, aliàs non esset primum ens, & prima causa efficiens, sed illud aliud, à quo reciperet esse causatum, quod est contra communem sensum mortalium, & maximè Philosophorum, qui fatentur Deum esse primum ens, ac primam causam: ergo in Deo non est aliud esse ab essentia, ac proinde nec compositio realis Metaph. ea esse & essentia.

Secundò, impossibile est quòd in Deo sit aliquid potentiale, cùm potentia passiua dicat imperfectionem intrinsecè in subiecto, denotat enim subiectum indigens, ac priuatum eo ad quod dicit potentiam: sed si in Deo esse distingueretur realiter ab essentia, & cum ipsa faceret compositionem realem, in Deo esset potentia passiua. nam esse comparatur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam: & licèt specificetur ab essentia, tamen in eo quod specificatur, nullam perfectionem recipit, sed potiùs deprimitur, & descendit ad esse limitatum Hominis, vel Angeli, per hoc quòd recipiatur in essentia Hominis, vel Angeli, ac ita redditur imperfectum: ergo in Deo non distinguitur realiter esse ab essentia, nec est compositio realis ex esse & essentia.

Tertiò, si Deus non sit realiter suum esse, sequitur quòd sit ens per participationem, sicut illud quod habet ignem & non est ignis, est ignitum per participationem: si Deus sit ens per participationem, non est ens per essentiam, nam esse aliquid per essentiam & per participationem opponuntur: si autem Deus non est ens per essentiam, sed per participationem, reducitur tanquam ad causam ad eos per se & per suam essentiam tale, sicut omne ignitum est ignitum per ignem, omne calidum est calidum per calorem: Deus autem, cùm sit primum ens & prima causa, non potest reduci ad aliud tanquam ad causam, à qua habeat esse, aliàs non esset prima causa, sed illud aliud à quo haberet esse, & ita est ens per essentiam, ac proinde suum esse: ergo in ipso non est compositio realis ex esse & essentia. Vnde restat quòd sit sola distinctio rationis, ac proinde compositio rationis in Deo ex esse & essentia, nulla enim est distinctio virtualis inter esse, & essentiam diuinam, vt explicatum est supra, propter fundamenta ibi assignata, esse enim diuinum, cùm non sit receptum, est intrinsecum ipsi essentiæ diuinæ, sicut & Deo; quod non est in creatis vbi esse est receptum, ac proinde consequitur suppositum propriè vt quod, & non naturam, sed tantùm vt quo, inquantum est pars constitutiua suppositi.

Probatur quinta pars conclusionis. Nihil est commune vniuocum Deo & creaturis, sed tantùm analogum, cùm Deus sit causa æquiuoca creaturarum secundùm omnes gradus & rationes, quæ in ipsis reperiuntur, vt communiter docent Philosophi excepto Scoto: de ratione entis probatum est supra: de ratione substantiæ videtur manifestum, nam substantia quæ est suum esse, qualis est diuina, est diuersæ rationis à substantia, quæ non est suum esse; sed habet esse, quia inæqualiter participant rationem substantiæ, quæ est esse per se: ergo non datur genus commune Deo & creaturis, cùm genus sit ratio communis vniuoca, ac proinde in Deo non est compositio Logica ea genere & differentia: maximè quia nihil in eo est reale in Deo, quod non sit realiter Deus, imò & formaliter: constat autem quòd genus est conceptus simplex, sicut & differentia; & ita formaliter genus non est differentia.

Secundò, omnis compositio Logica supponit in subiecto compositionem Physicam, & fundatur super illam, quia genus semper desumitur ab aliquo potentiali, in cõpositis quidem materialibus à materia, vt dictum est in Logica, in immaterialibus verò ab essentia, vt recedit ab esse: sed in Deo nulla est compositio Physica, vt dictum est: ergo nec Logica ex genere & differentia. Dantur duo signa compositionis Logicæ ex genere & differentia, sicut etiam ex natura & differentia indiuiduali. Primum est, quando extrema componentia non possunt in abstracto prædicari de se inuicem, sicut non dicitur rationalitas est animalitas formaliter. Secundum est, quando extrema componentia emanant suas proprietates realiter inter se distinctas: vt v. g. in homine à substantia est proprietas recipiendi accidentia, à corpore emanat quantitas, à viuente potentiæ vitales, ab animali potentiæ sensitiuæ à rationali potentiæ intellectiuæ, quæ proprietates realiter inter se distinguuntur, licèt genera & differentiæ, à quibus oriuntur, identificentur realiter; in homine enim idem est realiter rationale, animal, viuens, corpus substantia, & ens quod imbibitur in omnibus, hæc autem signa non reperiuntur in Deo, quidquid enim est in Deo, formaliter est Deus, nec in ipso sunt proprietates absolutæ realiter distinctæ, nam proprietates personales aliunde habent quòd distinguantur, scilicet quia opponuntur, secundùm esse Ad, non secundum esse In, si per ordinem ad essentiam: ergo in Deo non est compositio Logica ex genere & differentia.

Probatur sexta pars conclusionis. Ratione D. Th. p. q. 3. art. 3. In his, quæ non sunt composita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, id est per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet quòd ipsæ formæ sint supposita subsistentia, siue seipsis indiuidua: vnde in eis non differt suppositum siue indiuiduum, & natura, ac proinde nec differentia indiuidualis & natura, sunt enim omnino idem, cùm non sit radix vnde desumatur differentia indiuidualis, distincta à differentia suæ naturæ specifica: sed Deus non est compositus ex materia & forma, vt dictum est: ergo in Deo nulla est distinctio naturæ & differentiæ indiuidualis, ac proinde nec compositio, quæ debet esse ex pluribus. Vnde Deus est sua Deitas, & quidquid est in Deo formaliter est Deus: & sic non sunt in Deo prædicta duo signa compositionis Logicæ ex natura & differentia indiuiduali.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus non conuenit vniuocè cum aliis in ratione substantiæ, sed tantùm analogicè, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd verum est substantiam dici propriè de Deo, non tamen eodem modo, ac de creaturis, vnde non est vniuoca, sed tantùm analoga ad Deum & creaturas, & ita non est genus, nec categorica, directè: sed

sed dicitur secundùm categorias fieri prædicatio de Deo, cùm dicitur, Deus est substantia, propter analogiam quam habet substantia quæ de Deo prædicatur, cum substantia Categorica. Ad aliud dicendum, quòd est magna differentia inter infinitum secundùm essentiam, & infinitum secundùm quid, nam infinitum secundùm quid, putà linea infinita, si daretur, solùm careret termino quantitatiuo, & non essentiali, quia haberet verum genus & veram differentiam specificam, ac proinde poneretur in prædicamento: infinitum autem secundùm essentiam est, quod caret terminis essentialibus ipsam essentiam limitantibus: ipsi autem termini limitantes essentiam sunt genera & differentiæ, quæ limitant naturam ad vnam speciem determinatam: & ita quod est infinitū secundùm essentiam non ponitur in prædicamento; quia non constat genere & differentia: Deus autem, cùm sit suum esse per se subsistens & irreceptum, est infinitus secundùm essentiam, & ita non ponitur in prædicamento.

Articvlvs II.

Vtrùm Deus sit Infinitus?

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit infinitus. Probatur. Nihil attribuitur Deo, nisi sit perfectum, siue aliqua perfectio: sed infinitas non est perfectio, duplex enim est infinitas, scilicet priuatiua, & negatiua: priuatiua competit rei aptæ finiri, & non finitur, & hæc non est perfectio, imò imperfectio, omnis enim priuatio dicit imperfectionem: negatiua similiter non est perfectio, cùm sit ens rationis, & ita non ponit in re perfectionem: ergo Deus non est infinitus.

¶ 2. Præterea, Si Deus est infinitus, hoc debet esse in perfectione essentiali: sed talis infinitas nō conuenit Deo, ex hac enim sequeretur, quòd omnes creaturæ essent æquales in perfectione (quod est falsum): nam maior vel minor perfectio creaturarum, attenditur penes maiorem vel minorem distantiam à perfectione Dei, quæ debet esse causa exemplaris omnis perfectionis, primum enim in vnoquoque genere est causa exemplaris cæterorum illius generis: sed si Deus est infinitè perfectus, omnis perfectio creaturæ distat infinitè ab ipso, cùm omnis perfectio creata sit finita, & finiti ad infinitum sit infinita distantia: si autem quælibet creatura distat infinitè à Deo in perfectione, omnes æqualiter distant, quia vna distantia infinita non est maior alia similiter infinita: ergo Deus non est infinitus.

Sed contra est authoritas expressa Scripturæ, Psalmo 144. *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, communis consensus Philosophorum, & Theologorum cum D. Th. 1. p. q. 7. art. 1.

Conclvsio.

Cùm Deus contineat omnes omnium rerum, etiam possibilium perfectiones, nec sit in eo compositio ex genere & differentia, nec ex esse & essentia, cùm sit suum esse per se subsistens, est simpliciter infinitus.

Respondeo dicendum, quòd Deus est simpliciter infinitus. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd infinitum definitur quòd sit illud, quod caret fine: ratio autem finiti & infiniti ex Arist. per se competit quantitati, quæ cùm duplex sit, scilicet quantitas molis, & quantitas virtutis, etiam duplex est finitas vel infinitas, scilicet materialis quæ cōpetit quantitati molis, & formalis quæ competit quantitati virtutis: infinitas vel finitas formalis subdiuiditur in finitatem vel infinitatem formæ, & in finitatem vel infinitatem esse seu actus, qui est communior forma, sicut autem est duplex actus, scilicèt esse & forma, ita duplex est potētia receptiua actûs, scilicet materia respectu formæ, & essentia respectu esse: & sicut esse est actus alterius rationis à forma, & essentia est potentia alterius rationis à materia, vt constat ex differentia quæ est inter compositionem Physicam ex materia & forma, & Metaphysicam ex esse & essentia: sic alterius rationis est receptio esse in essentia, & receptio formæ in materia, & consequenter finitatis ipsius esse in essentia, & formæ in materia: nam esse secundùm se dicit perfectionem, sed non determinatam, nisi alicui naturæ attribuatur, putà Hominis, Angeli, Sapientiæ, Albedinis, &c. Vnde per hoc quòd recipitur in aliqua essentia, sortitur limites suæ perfectionis secundum modum naturæ recipientis, & ideò si in nulla essentia recipiatur, sed in seipso naturaliter subsistat, nullum essentialem terminum habebit: forma autem, licèt secundùm se dicat perfectionem, tamen dicit limitatam, etiamsi nulli materiæ sit vnibilis, vt patet in Angelis: & sic maximè differunt finitio esse per essentiam, & finitio formæ per materiam, nam penes illam attenditur finitum & infinitum simpliciter, penes istam verò finitum & infinitum secundùm quid tantùm: vnde quælibet forma Angelica est infinita secundùm quid, quia quælibet habet totam perfectionem suæ speciei: sed quia esse & forma conueniunt in ratione actûs & receptibilis in alio, ideò ex finitate & infinitate formæ potest procedi ad finitatem vel infinitatem ipsius esse.

Probatur conclusio. Quod continet omnes perfectiones omnium rerum, etiam possibilium vnitè, & in summa simplicitate, ac eminentiori modo, quàm sint in rebus, est infinitæ perfectionis simpliciter, ac proinde simpliciter infinitum, quia cùm creaturæ sint in infinitum possibiles, semper magis ac magis perfectiores, perfectio ipsarum collectiuè sumpta est infinita syncategorematicè, siue in potentia: nam assignata talis perfectio in quocumque gradu finito, potest semper crescere, cum sint possibiles aliæ creaturæ perfectiores in infinitum, nam data quacumque perfecta, potest dari perfectior, cùm potentia Dei sit infinita, & creatura sit participatio diuinæ naturæ in infinitum perfectiori modo semper participabilis: constat autem quòd si sit aliquid actuale, adæquans actu infinitam perfectionem in potentia, est actu simpliciter infinitum: sicut si daretur aliqua linea actu, quæ adæquaret aliam infinitam in potentia secundùm gradus determinatos, talis linea esset actu simpliciter infinita: sed Deus continet omnes omnium rerum, etiam possibilium perfectiones vnitè, in summa simplicitate, ac eminentiori modo, quàm sint in rebus, vt dictum est & patet, nam omnis causa continet in se perfectionem omnium suorum effectuum, secundùm quòd est causa, nam causa, si causat illam perfectionem in effectu, communicat & dat talem perfectionem effectui, nemo autem dat quod non habet, nec reducit aliud de potentia in actum, nisi prius ipse reducens fuerit in actu: & ita causa continet omnes perfectiones suorum effectuum, cum hac tamen differentia, quòd causa vniuoca continet illas perfectiones secundùm eandem rationem vniuocam & specificam, causa verò æquiuoca continet illas eminentiori & perfectiori modo, cùm enim talis causa non conueniat in specie cum suo effectu, sic nec eius virtus conuenit in specie cum virtute per ipsam effectui communicata; sed semper ipsa causa & perfectio causæ est eminentior effectu, & perfectione effectus: non autem potest esse causa principalis imperfectior effectu, quia quod est perfectum, non potest contineri in alio imperfectiori, tanquam in causa principali, nec formaliter, nec in virtute, quod autem est imperfectum, potest contineri in alio perfectiori: vnde causa æquiuoca est semper perfectior suo effectu, & eminentiori modo continet perfectiones sui effectûs: constat autem quòd Deus est causa æquiuoca omnium rerum secundùm omnem rationem entis & perfectionis, & à primo genere vsque ad vltimam differentiam, & ita continet vnitè in se eminentiori modo omnes omnium rerum, etiam possibilium, perfectiones: ergo Deus est infinitè perfectus, ac simpliciter infinitus. Hæc ratio procedit à posteriori ab effectu ad causam, & in illa supponimus, quòd creaturæ possibiles sint infinitæ syncategorematicè, semper perfectiores, quia Deus habet potentiam infinitam, & essentiam infinitè participabilem, quod non est probatum à priori, sicut infra probabitur per infinitatem ipsius Dei, aliàs assumeretur pro principio, id quod probandum est: sufficit pro nunc dicere, quòd infi-

nita

nita Dei potentia siue omnipotentia apparet ex creatione rerum, nam ex nihilo aliquid facere, arguit infinitatem potentiæ: cùm autem natura rei debeat proportionari eius virtuti, si virtus sit infinita in producendo, natura est infinita in ratione participabilis, nam effectus possibilis contentus in virtute causæ, est participatio possibilis ipsius causæ, effectus autem productus, est participatio eius actualis.

Secundò, ex duplici tantùm capite potest prouenire, quòd aliqua forma sit finita & limitata, siue est tantùm duplex limitatio formæ. Prima est formalis, quando limitatur ad aliquod genus & speciem, per differentiam formalem siue specificam, & ita natura humana est limitata, quia per rationale coarctatur ad speciem animalis rationalis siue hominis, & non se extendit ad alias species: secunda est limitatio materialis, qua esse vel existentia limitatur ad hoc indiuiduum huius speciei: sed neutra limitatio est in Deo: non prima, quia supra probatum est in Deo non esse compositionem ex genere & differentia, quæ sunt termini essentiæ, & ita non limitatur ad speciem: nec secunda, quia in Deo non est compositio ex esse & essentia, vt etiam probatum est: vnde esse Dei in nullo recipitur, & cùm sit irreceptum, à nullo limitatur, cùm à solo recipiente possit limitari: ergo Deus est vndequaque simpliciter infinitus. Ex dictis constat, quòd non est formaliter idem, esse irreceptum in aliquo, & esse irreceptum siue non receptum ab aliquo: primum enim excludit causam materialem, secundum autem excludit causam efficientem. De esse irrecepto primo modo procedit demonstratio D. Th. non secundo modo, vt interpretatur Valentia: nec enim per hoc quòd aliquid habeat esse ab alio, concluditur quòd sit finitum, nisi ex consequenti, vel quia eius actio est finita, vel quia tale esse est receptum: vnde si per impossibile daretur aliquod esse creatum non receptum, & productum per actionem infinitam, qualis est diuina, esset esse infinitum: nam actio diuina, cùm ex se sit infinita, non limitat effectum, nisi producendo in determinata specie: quæ determinatio repugnat esse irrecepto, cùm esse ex se nullius sit speciei, imò abstrahit ab omni specie sed solùm limitatur ab essentia limitata in specie, per terminos essentiales, genus scilicet & differentiam, & ab ipsa specificatur. Quod ampliùs declaratur, nam in diuinis filius habet esse ab alio, scilicet Patre, & tamen esse filij est infinitum, quia non est in aliquo receptum.

An primum ergo dicendum, quòd infinitas secundùm quòd attribuitur Deo, sumitur negatiuè, & licèt negatio in se formaliter sumpta non sit perfectio, fundamentaliter tamen potest esse perfectio, siue id quod significatur per negationem: & ita infinitas, immensitas &c. licèt videantur significare tantùm negationes, significant tamen aliquid positiuum, quod non potest apprehendi, nec exprimi, nisi per nomina negatiua: & hoc maximè reperitur in simplicibus, dicimus enim quòd punctum est illud, quod non habet partes, & tamen ly, non habere partes, cùm sit essentia puncti, est quid positiuum, omnis enim essentia entis realis est positiua, & tamen exprimitur per negationem. Ita docet D. Th. 1. p. q. 33. art. 6. ad 1. quod multò magis reperitur in diuinis, cum diuina maximè excedant nostram cognitionem, & ita non possunt apprehendi & exprimi, quid sint in se, sed solùm per negationem imperfectionis.

An secundum dicendum cum Caietano, quòd si aliquid est infinitum ex omni parte, non datur vnum infinitum maius alio: si autem detur infinitum ex vna parte, quod ex alia sit finitum, bene poterit ex ea parte, qua est finitum, esse maius vel minus alio solùm etiam infinito ex vna parte: distantia autem inter Deum & creaturas est tantùm infinita ex parte Dei, ex parte autem creaturarum est finita: vnde poterit esse maior distantia huius creaturæ quàm alterius, ac proinde maior aut minor perfectio vnius creaturæ, quàm alterius, vnde etiam vna creatura est propinquior Deo, sicut si tempus fuisset ab æterno, dies hodiernus magis distaret ab æternitate quàm hesternus, & crastinus quàm hodiernus.

Articulus III.

Vtrùm solus Deus sit bonus per essentiam?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd non solus Deus sit bonus per essentiam: sed etiam omnia alia. Ita tenet vasquez 1. p. q. 6. art. 3. disp. 24. cap. 2. & alij. Probatur, ex illo Genesis 1. *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: sed Deus fecit essentias rerum: ergo essentiæ rerum sunt bonæ, ac proinde res sunt bonæ per suam essentiam. Confirmatur. Ens appetibile, & bonum conuertuntur: sed quælibet res est ens per suam essentiam, & est appetibilis propter suam essentiam, non enim appetitur sola existentia rerum, at principaliter appetitur essentia: ergo quælibet res est bona per suam essentiam.

§ 2. Præterea, Omnia sunt bona antequam existant, cùm habeant sua prædicata essentialia, & diligantur à Deo creaturæ nondum existentes, sed purè possibiles: ergo sunt bonæ per essentiam; quia quod diligitur, habet rationem appetibilis, ac proinde rationem boni.

§ 3. Præterea, Perfectio rerum graduatur secundùm earum essentiam, ita vt res vna sit perfectior aliâ, quia habet perfectiorem essentiam, vnde vna est essentialiter perfectior aliâ: ergo res sunt perfectæ, siue bonæ per essentiam, nam eadem realitate, qua res constituitur perfectior aliâ, constituitur in se perfecta & bona.

SED CONTRA est expressa authoritas D. Th. 1. p. q. 6. art. 2. & 3. quem communiter sequuntur eius discipuli, & plures alij.

Conclusio.

Cùm solus Deus sit suum esse, solus Deus est simpliciter bonus per essentiam.

RESPONDEO dicendum, quòd solus Deus est bonus per essentiam, prout ly, per essentiam, excludit per participationem, & ita est bonitas per essentiam, siue essentia bonitatis, ac summum bonum: 2. est etiam solus Deus bonus per essentiam, vt ly, per essentiam, excludit quodcumque aliud superadditum essentiæ, itavt Deus solus habet à sua essentia adæquatè omnem suam bonitatem: 3. vnde simpliciter & absolutè loquendo solus Deus potest dici bonus per essentiam, 4. quamuis creaturæ possint dici bonæ per essentiam secundùm quid, id est, bonitate essentiali & transcendentali.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Scripturæ, ex illo Lucæ 18. & Matthæi 19. *nemo bonus, nisi solus Deus*: quem locum communiter interpretantur sancti Patres, quòd ideò nemo dicitur bonus, nisi solus Deus, quia nemo est à se, & per essentiam bonus, nisi solus Deus, omnia enim alia sunt bona participatiuè ab alio. Ita D. Th. 1. p. q. 6. art. 2. ad 2.

Secundò, illud dicitur bonum per essentiam, & non per participationem, quod habet omnem omnino rationem bonitatis & perfectionis, cui enim nulla deest ei ratio bonitatis, illam illimitatè & adæquatè habet, & consequenter est ipsa essentia bonitatis, ac summa bonitas: sicut qui haberet omnimodam rationem caloris, itavt adæquatè & illimitatè esset calor, verè esset calor per essentiam: sed solus Deus continet illimitatè rationem bonitatis, cùm sit infinitè perfectus, continens vnitè omnes omnium rerum perfectiones, in maxima simplicitate, & eminentiori modo, vt pote causa æquiuoca omnium, & est suum esse per se subsistens & irreceptum: omnes autem creaturæ continent perfectionem & bonitatem limitatè, & per partes, ita vt bonitas vnius creaturæ non contineatur in bonitate alterius: ergo solus Deus est bonus per essentiam, siue est ipsa essentia bonitatis, nulla autem creatura est bona per essentiam, sed tantùm per participationem.

Probatur secunda pars conclusionis ratione D. Th. vnumquodque est bonum, secundùm quòd est perfectum: aliquid autem habet suam perfectionem. Primò secundùm quòd in suo esse constituitur. Secundò prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam operationem necessaria. Tertiò quia attingit suum finem: sed hæc triplex perfectio nulli creaturæ competit per essentiam, siue secundùm suam essentiam,

cùm nullius creaturæ eſſentia ſit ſuum eſſe, aut ſua virtus operatiua, aut ſuus finis, vt patet: ſoli autem Deo competit, cuius eſſentia eſt ſuum eſſe, & cui non adueniunt aliqua accidentia, quæ enim de aliis dicuntur accidentaliter, Deo conueniunt eſſentialiter, vt eſſe potentem, ſapientem &c. deinde Deus non ordinatur ad aliquid aliud ſicut ad finem, ſed ipſe eſt ſibi finis, ac vltimus finis omnium rerum, iuxta illud. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: ergo ſolus Deus habet omnimodam perfectionem & bonitatem ſecundùm ſuam eſſentiam, ſiue per ſuam eſſentiam, & ita ſolus Deus eſt bonus per eſſentiam ſecluſo quocumque alio.

Probatur tertia pars concluſionis. Solus Deus eſt bonus ſimpliciter per eſſentiam, vt probatum eſt: ergo abſolutè & ſimpliciter ſolus Deus poteſt dici bonus per eſſentiam, alias daretur intelligi, quòd aliqua creatura eſſet bona, non participatione, aut quòd in ſe haberet eſſentialiter omnem bonitatem, ſibi debitam, ſi poſſet dici bona per eſſentiam, vt patet ex dictis.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate D. Th. q. 21. de veritate art. 5. ad 1. vbi ſic ait: *Dicendum quòd creatura non poteſt eſſe non bona bonitate eſſentiali, quæ eſt bonitas ſecundùm quid.* Deinde licèt eſſentia creaturæ ſecundum ſe, & ſecluſa exiſtentia, non ſit ſimpliciter bona, cùm non ſit ſimpliciter perfecta, nec in ratione entis, nec in ratione ſubſtantiæ, ſed ſolùm ſit pars ſubſtantiæ completæ, & reſpiciat ipſam exiſtentiam, à qua vltimò completur in ordine ſubſtantiali, actuatur, & perficitur, tamen eſt aliquid poſitiuum actuale: ergo aliquo modo bona; & ita quælibet creatura eſt bona per ſuam eſſentiam ſecundùm quid, id eſt bonitate eſſentiali, & tranſcendentali, quæ conſequitur omne ens poſitiuum: vnde D. Th. loco citato ad 6. dicit, quòd creatura eo modo dicitur bona, quo ens: eſſentia autem ſecluſa exiſtentiâ non eſt ſimpliciter & completè ens. Et per hæc patet reſponſio ad argumenta in contrarium, ſolùm enim probant hanc quartam partem concluſionis. Circa ſecundum notandum eſt, quòd res eo modo ſunt bonæ, quo ſunt entia; cùm ens & bonum conuertantur: vnde ſicut res, quamdiu non exiſtunt, non ſunt actu entia, nec entia actualia, ſed ſolùm obiectiua & in potentia, ſic nec ſunt bona actu, nec bona actualia, ſed bona obiectiua & in potentia, ſecundùm ordinem quem dicunt ad exiſtentiam. Ad aliam partem eiuſdem ſecundi argumenti, dicendum quòd Deus non diligit creaturas poſſibiles, vt ſic, ſed ſolùm actuales in aliqua temporis differentia, vt communiter cum D. Th. 1. p. q. 19. docent eius diſcipuli. Et ratio eſt manifeſta, nam Deus non eodem modo amat, quo amant creaturæ, nam creaturæ ſupponunt bonitatem in re, quam amant, & ideò amant illam bonitatem, & rem propter talem ſuam bonitatem: amor autem Dei reſpectu creaturarum, non ſupponit bonitatem in creaturis, ſed cauſat bonitatem in illis, vnde aliquas res amat amore naturali, quia cauſat in illis bonitatem naturalem, vt eſſe &c. alias autem amat amore ſupernaturali, quia cauſat in illis bonitatem ſupernaturalem, ſcilicet gratiam, gloriam &c. quia amare Dei, eſt velle bonum, vnde cùm velle Dei ſit efficax, ideò Deum amare aliquam rem, eſt illam efficere bonam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Deus ſit immutabilis omnino?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd Deus non ſit immutabilis, nec quoad ſubſtantiam, nec quoad operationem. Probatur. Deus in myſterio Incarnationis factus eſt homo, vnde tranſiit de non eſſe hominis, ad eſſe hominis: ſed tranſire de non eſſe ad eſſe, ſicut & de eſſe ad non eſſe, eſt mutari, vt communiter docent Philoſophi: ergo Deus in myſterio Incarnationis fuit mutatus, ac proinde non eſt immutabilis quoad ſubſtantiam, nam ab actu valet conſequentia ad potentiam: maximè quia vnio humanitatis ad Verbum non eſt accidentalis, vt docent Theologi, ſed ſubſtantialis. & ita mutatio, quæ illam conſequuta eſt, non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis.

¶ 2. Præterea, Mutatur Deus quoad operationem, nam exit de potentia in actum, cùm aliquando creet actu, quæ antea non creabat, ex Philoſopho autem 3. Phyſic. quod exit de otio in actum, aliqualiter mutatur. Item tranſit de vna voluntate in aliam, nam mutauit legem antiquam in nouam. Item pœnituit eum feciſſe hominem &c. ergo Deus non eſt omnino immutabilis, cùm actu mutetur quoad operationem.

SED CONTRA eſt authoritas fidei, & communis ſententia, tum Philoſophorum, tum Theologorum cum D. Th. 1. p. q. 9.

CONCLVSIO.

Cùm Deus ſit primum mouens, actus puriſſimus & perfectiſſimus, eſt omnino immutabilis, tam quoad eſſe, quam quoad operari.

RESPONDEO dicendum, quòd Deus eſt omninò immutabilis, tam ſecundùm eſſe, quàm ſecundum operari; tam ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco. 2. & hæc immutabilitas eſt propria Dei.

Probatur prima pars concluſionis. Eſſe mutabile eſt poſſe mutari, mutari autem eſt tranſire, vel de eſſe ad non eſſe, vel de non eſſe ad eſſe: ſi ſit eſſe vel non eſſe ſimpliciter, eſt mutari ſimpliciter: ſi autem ſit tantùm eſſe vel non eſſe ſecundùm quid, eſt mutari ſecundùm quid; ſed Deus non poteſt tranſire de eſſe ad non eſſe, vel de non eſſe ad eſſe ſimpliciter, cùm ſit ens ſimpliciter neceſſarium, vt ſupra dictum eſt, & ſit ſuum eſſe, quod proinde non poteſt ſeparari ab ipſo: nec ſimiliter poteſt tranſire de eſſe ad non eſſe, vel de non eſſe ad eſſe ſecundùm quid, cùm Deus ſit omnino ſimplex, vt dictum eſt, excludens compoſitionem, quæ eſt neceſſaria in mutatione ſecundùm quid, ſcilicet ex ſubiecto & illo eſſe quod acquirit vel perdit: & ſimiliter cùm ſit purus actus excludens omnem potentialitatem, quæ neceſſaria etiam eſt in hac mutatione; & denique cùm ſit ab intrinſeco infinitè perfectus, vt probatum eſt, ac proinde incapax recipiendi aut deperdendi aliquid: ergo Deus eſt omnino immutabilis ab intrinſeco, tam mutatione ſimpliciter, quàm mutatione ſecundùm quid, & conſequenter tam ſecundùm eſſe, quàm ſecundùm operari: maximè quia eſt ſummè Beatus, ſe fruens vltimo fine. Quòd etiam ſit immutabilis ab extrinſeco, vel per annihilationem, vel alio modo, manifeſtum eſt. Primò, quia eſt ens neceſſarium ſimpliciter, ac proinde ab intrinſeco & eſſentialiter exigens ſemper eodem modo eſſe, vnde illi ab intrinſeco repugnat quòd aliquando non fuerit, aut non ſit eodem modo: quod autem neceſſariò eſt ſemper eodem modo, eſt omnino immutabile, quia ſi mutaretur, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco, non eſſet ſemper eodem modo, vt patet ex ipſis terminis. Secundò, quia Deus, cùm ſit primum ens, & prima cauſa, nulli ſubiicitur, ſed omnia ſubiiciuntur illi, quia ſi alteri ſubiiceretur, illud cui ſubiiceretur, eſſet prius & nobilius, & propterea Philoſophus concludit in Phyſicis primum motorem eſſe omnino immobilem; nihil enim poteſt eſſe prius & nobilius primo ente, & prima cauſâ, vt patet ex dictis: ergo Deus eſt etiam omnino immutabilis ab extrinſeco.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Omnis creatura eſt mutabilis, tàm ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco, ſiue tam per potentiam in ipſa exiſtentem, quàm per potentiam alterius: ab extrinſeco quidem omnis creatura eſt mutabilis ſimpliciter, nam ſicut recepit eſſe à Deo liberè agente, ſic illud perderet, ſi Deus deſineret conſeruare ſubtrahendo ſuum concurſum, quo continuò eſſe influit creaturæ, & ſic rediret in nihilum: ab intrinſeco autem non omnis creatura eſt eodem modo mutabilis, nam quædam, vt ſunt omnia ſublunaria, ſunt ſimpliciter mutabiles per generationem & corruptionem, cuius mutabilitatis principium eſt intrinſecum, ſcilicet materia prima: quædam ſunt tantùm mutabiles ſecundùm locum, putà cœli, quorum materia non compatitur priuationem huius formæ: quædam, vt ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, licèt non ſint mutabiles ſecundùm eſſe per potentiam intrinſecam, (cùm ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, & ideò non poſſint ſeparari à ſeipſis, in mutatione autem ſecundùm eſſe requiritur ſeparatio à ſubiecto); ſunt tamen mutabiles ſecundum ſuas operationes, & etiam ſecundùm locum:

locum: ergo esse omnino immutabilem secundum quamcumque rationem, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco est proprium Dei.

Ad primum ergo dicendum, quòd in mysterio Incarnationis Deus factus est homo, & transiit de non esse hominis ad esse illius: sed hoc non est mutari, quia non est simpliciter transire de non esse ad esse, non enim ex natura humana habet Filius Dei, quòd sit simpliciter, cum fuerit ab æterno: sed solùm habet quòd sit homo, per hoc quòd assumat naturam humanam communicando illi suum esse, & ita mutatio est in humanitate, & non in Filio Dei assumente, qui nihil intrinsecum recepit ab humanitate: vnio autem humanitatis dicitur substantialis, quia humanitas assumpta est ad esse substantiale personæ Verbi, & ita non vnitur accidentaliter Verbo: licet enim quod aduenit post esse completum, adueniat accidentaliter, si habeat aliud esse, non tamen si trahatur in communionem illius esse completi. Ita D. Th. 3. p. q. 2. art. 6. ad 2.

Ad secundum dicendum cum D. Th. in 1. d. 8. q. 3. art. 1. ad 4. quòd in omnibus, in quibus operatio differt à substantia, oportet aliquem esse modum motus, ex hoc quod exit de nouo in operationem, quia acquiritur in ipso operatio, quæ priùs non erat: in Deo autem operatio sua, est sue substantia; vnde sicut substantia est æterna, ita & operatio: sed non sequitur operationem operatam ab æterno, sed secundùm ordinem sapientiæ, quæ est principium operandi. Ad aliud similiter dicendum, quòd Deus non transit de vna voluntate in aliam, sed ab æterno simul voluit, totum quod euenit postea successiuè cum varietate, & ita voluit legem antiquam hoc & tanto tempore durare, quo elapso induceretur lex gratiæ per Christum: sicut vir prudens multò ante præuidet, & statuit quid sit agendum in diuersis euentibus. Ad aliud dicendum, quòd Deum nunquam pœnituit fecisse hominem, aut aliquid aliud, sed hoc dicitur ad manifestandam grauitatem peccati, quæ tanta est, vt si esset possibile, induceret tales motus tristitiæ in Deo.

Articvlvs V.

Vtrùm Deus sit Æternus?

Ad qvintvm sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit æternus. Probatur. Si Deus est æternus, debet mensurari æternitate, tanquam propriâ mensurâ, æternitas autem est tota simul, & ideo in ea nihil est præteritum, aut futurum, at totum simul est præsens: sed in scripturis dicuntur de Deo verba præsentis temporis, præteriti, & futuri: ergo Deus non mensuratur æternitate, ac proinde non est æternus.

¶ 2. Præterea, Si Deus est æternus, est ab æterno, siuè non est illi assignabile principium suæ durationis: sed hoc non potest dici, nam licèt æternitas sit tota simul & indiuisibilis formaliter, est tamen diuisibilis virtualiter, ita vt adæquet infinitam durationem successiuam, si esset: Ponatur igitur tempus ab æterno esse in tali casu, cùm non haberet principium, sed esset infinitum à parte ante, non potuisset perueniri ad præsens, repugnat enim infinito, quòd possit pertransiri, aliàs finiretur: sicut si tempus esset infinitum à parte post, non posset pertransiri, sed semper duraret: ergo similiter dicendum de æternitate, quòd si Deus esset ab æterno, non potuisset pertransire suam durationem infinitam, & ita non peruenisset ad præsens, sicut nec perueniet ad finem suæ durationis, cùm æqualis sit distantia, scilicet infinita versùs vtramque partem.

Sed contra est authoritas fidei, & communis sententia Philosophorum, qui posuerunt primum motorem & primam causam ab æterno, ac Theologorum cum D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2.

Conclvsio.

Cùm Deus sit ens necessarium simpliciter, & omninò immutabile, est æternus.

Respondeo dicendum, quòd Deus est æternus, siue est ab æterno, & erit in æternum. Ad euidentiam huius difficultatis videantur, quæ dicta sunt supra in Physicis de æternitate, quæ ne iterum repetantur, hìc omittimus. Probatur conclusio. Quod est simpliciter necessarium esse, est æternum, illud enim dicitur simpliciter necessarium esse, quod non potest non esse, & ita semper est, fuit, & erit, quod est esse æternum: sed Deus est ens simpliciter necessarium esse, vt dictum est supra, cùm sit suum esse, ac proinde essentialiter petens esse, & ita semper illi conuenit esse; ergo Deus est æternus.

Secundò, quod est à se independenter à quolibet alio, necessariò est æternum, quia quod est tale, non potest esse indifferens ad esse & non esse, & ita necessariò est, ac proinde ab æterno, quod enim est indifferens ad esse & non esse, siue quod est in potentia ad vtrumque, debet reduci in actum & in esse, per aliquid quod sit actu, vt supra probatum est: sed Deus est à se independenter à quolibet alio; cùm sit primum ens & prima causa omnium: ergo Deus est æternus.

Tertiò, quod est omnino immutabile est æternum: aliàs si non est æternum, ita vt vel aliquandò non fuerit, vel aliquando futurum non sit, fuit mutatum de non esse ad esse, vel est mutandum de esse ad non esse, quod repugnat rei omnino immutabili; sed Deus est omnino immutabilis, vt supra dictum est: ergo Deus est æternus.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. ad 4. quòd verba diuersorum temporum attribuuntur Deo, inquantum eius æternitas omnia tempora includit, non quòd ipse varietur per præsens, præteritum, & futurum.

Ad secundum dicendum, quòd æternitas est tota simul, & tamen adæquat infinitum tempus: vnde, detur illa suppositio, quòd tempus fuerit ab æterno, & quòd loquendum sit de æternitate proportionaliter ad tempus, dicendum est cum D. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 5. ad 3. Ex his quæ secundo loco obiicit, quòd tempus præteritum esset ex parte anteriori infinitum, & ex posteriori finitum: tempus autem futurum è contrario, vnicuique autem ex parte illa qua finitum est, est ponere terminum, & principium vel finem, non verò ex illa parte qua est infinitum: vnde non mirum, quòd si tempus solùm habeat esse ab æterno, possit dari illius finis à parte post, ac proinde & præterito. Quòd autem ab hoc instanti vsque in æternum non possit deueniri ad finem, est quia proceditur ab ea parte, à qua tempus habet finem ad eam, secundùm quam non habet illum: & similiter si tempus futurum sit infinitum, non poterit ab hoc instanti vsque in æternum à parte post deueniri seu præteriri, aliàs ex ea parte tempus illud non esset infinitum.

Articvlvs VI.

Vtrùm Deus sit Immensus?

Ad sextvm sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit immensus. Ita tenuerunt aliqui antiqui, imò aliqui attribuunt hunc errorem Arist. lib. 1. de Cœlo. cap. 9. & lib. de mundo ad Alexandrum, vbi dicit quòd Deus est tantùm in Cœlo, sicut Rex Persarum solet esse tantùm in Regia vrbe Ecbatanis, aut Susis. Probatur ex Scriptura, in psal. 113. dicitur, *Cœlum Cœli Domino, Terram autem dedit filiis hominum*: ergo colligitur, quòd Deus sit solùm in cœlo, & ita non est immensus.

¶ 2. Præterea, quod comprehenditur spatio finito, non est immensum, cùm habeat limites suæ extensionis: sed Deus comprehenditur spatio finito huius mundi, cùm extra hunc mundum nihil sit, in quo Deus esse possit: ergo Deus non est immensus.

¶ 3. Præterea, est inconueniens dicere, quòd Deus sit in inferno, in damnatis, in rebus sordidis: ergo cùm non sit vbique, non est immensus.

Sed contra est authoritas expressa Scripturæ, communis sententia Theologorum cum D. Thom. 1. p. q. 8. & etiam Philosophorum: nec contradicit Arist. nam 1. de cœlo nihil tale dicit, de alio autem libro dubitatur, an sit Arist. & dato quòd sit, nihil aliud intendit, quàm Deum esse in cœlo sicut in sua curia, vbi se magis manifestat, quàm alibi.

CONCLVSIO.

Cùm Deus sit vbique, vt manifestè apparet ex eius operatione, operatur enim in omnibus rebus: est immensus.

RESPONSIO dicendum, quòd Deus est immensus, ita vt sit in omni loco, tam actuali, quàm possibili. 2. quod nulli creaturæ conuenire potest. 3. Non tamen est in spatiis imaginariis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd agens dicitur attingere immediatè passum dupliciter: vel immediatione virtutis, vel immediatione suppositi: attingit immediatione virtutis, quando virtus agentis iungitur effectui, non per aliquod medium, sed ipsa immediatè, & quantò agens est superius, tantò immediatius agit immediatione virtutis, quoniam agens inferius agit virtute superioris agentis, & non ècontra: attingit autem immediatè immediatione suppositi, quando inter suppositum agens, & effectum nullum mediat suppositum subordinatum simul agens: & propterea in agentibus creatis, quantò agens est inferius, tantò immediatius attingit effectum immediatione suppositi: vnde licèt in agentibus naturalibus non sit necesse quòd agens sit præsens secundùm substantiam in omnibus in quibus operatur, sed sufficiat quòd sit præsens secundùm suam virtutem, vt patet in Sole qui non est secundùm suam substantiam, sed solùm secundùm suam virtutem in visceribus terræ, & tamen ibi operatur aurum, argentum, &c. necesse est tamen quòd sit immediatè secundùm suam substantiam in illa re, in qua immediatè producit suum effectum, sicut idem Sol in suo orbe, quem immediatè illuminat. Est autem hæc differentia inter agens corporeum & spirituale, quòd agens corporeum sit præsens ipsi passo, siue effectui per contactum quantitatis: agens verò spirituale per contactum virtualem, siue per applicationem propriæ virtutis: ex quo sequitur alia differentia, quòd scilicet agens corporale, licèt sit præsens per contactum quantitatis, ei in quod agit, non tamen dicitur esse in illo, quia quantitas vnius corporis non penetrat aliam: sed agens spirituale per virtualem contactum ita fit præsens subiecto in quod immediatè agit, vt sit in illo, quia contactus virtutis spiritualis intus est vbi est eius effectus: virtus autem ipsa, vel est in substantia spirituali sicut in subiecto, vel est ipsa agentis substantia vt in Deo, & ideò vbi erit eius virtus, ibi & substantia eius erit. Nec debemus sequi imaginationem in comparatione rerum spiritualium cum corporalibus, quantum ad hoc quòd est esse in loco, fallitur enim imaginatio, nam res materiales, cùm tangant locum per suam quantitatem, priùs sunt in loco, quàm ibi immediatè operentur: res autem spirituales, cùm non tangant locum nisi per contactum virtutis, qui consistit vel in actione vel in passione, ideò priùs operantur, vel patiuntur in aliquo, quàm sint in illo tanquam in loco, licèt præsupponantur præsentes ante actionem, & passionem: Deus autem hoc habet speciale, quòd priùs operetur in rebus, quam sit in illis vllo modo, & consequenter simpliciter est in rebus, quia operatur in rebus, & non èconttra, quia contactus diuinus, siue operatio diuina non præsupponit res, sed per ipsam operationem Dei fiunt, & sunt, siue conseruantur. Ex dictis sequitur quòd quamuis aliud sit esse præsentem secundùm substantiam, & aliud esse præsentem secundùm potentiam, non tamen aliud est esse præsentem secundùm substantiam, & aliud esse præsentem secundùm potentiam immediatè attingentem effectum siue passum, licet distinguantur sicut ratio præsentiæ & res præsens, nam immediatè attingere est ratio præsentiæ, non solùm ipsi potentiæ, sed etiam substantiæ, ita quòd sicut substantia situata, situ est præsens, sic substantia spiritualis immediatâ operatione fit præsens loco, ita vt sit locata, loquendo de creaturis, Deus enim absolutè fit præsens per operationem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate scripturæ. psal. 138. habetur: *si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*: subditque rationem qua vtitur D. Th. scilicet quòd Deus ibi est, quia ibi operatur conseruando res, dicit enim: *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Item actuum 17. *Deus non longè est ab vnoquoque nostrûm*, & subditur eadem ratio: *in ipso enim, siue per ipsum, viuimus, mouemur, & sumus*: vnde Molina arguit eos, qui impugnant rationem D. Th. & concludit contra impugnantes, vel quòd debeant dicere Spiritum Sanctum ineptam & inefficacem reddidisse rationem præsentiæ Dei in omnibus rebus, vel debeant fateri ex immediata Dei operatione in rebus, efficaciter demonstrari præsentia Dei in illis. Item Hiere. 23. *cælum & terram ego impleo.* Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c.* poterant hîc adduci plures Sancti Patres, qui non solùm dicunt Deum esse vbique, sed addunt rationem quia operatur vbique.

Secundò, quod operatur immediatè in omnibus rebus immediatione suppositi, & etiam virtutis, est in omnibus rebus, ac proinde est immensus. (supposito, quòd si essent infinitæ aliæ res, eodem modo operaretur in illis) nam vt dictum est, licèt operari in aliquo, vtcumque non inferat præsentiam realem ipsius operantis in illo, vt patet in Sole qui existens in cælo operatur, in visceribus Terræ, tamen operari immediatè in aliquo, tam immediatione suppositi, quàm virtutis, infert præsentiam realem operantis in illo, vt patet inductione in omnibus, & ex ipsis terminis: sed Deus operatur immediatè in omnibus rebus immediatione suppositi, & etiam virtutis, nam Deus dat esse omnibus, quæ de nouo fiunt, immediatè quidem & seclusis aliis causis, si sint res spirituales, si verò sint res materiales, licèt non excludantur aliæ causæ, tanquam instrumenta Dei, tamen Deus etiam immediatè dat illis esse: quod apparet ex immediata conseruatione, quæ est continuatus influxus ipsius esse, quæ conseruatio non solùm se extendit ad ipsas res materiales conseruatas, sed etiam ad actiones siue influxus causarum secundarum, quibus conseruantur, & ad causas conseruantes, omnia enim dependent in suo conseruari à Deo: & maximè materia prima, quantùm ad suam entitatem essentialem, ipsa enim à Deo immediatè seclusâ quacumque aliâ causâ conseruatur, vt explicatum est in 8. Physicorum: & ita cùm reperiatur in omni composito materiali, de necessitate Deus in omni composito materiali immediatè operatur: præsertim quia Deus est agens immaterialissimũ & simplicissimum, & propterea, licèt admittat in productione & conseruatione rerum alias causas inferiores, tanquam instrumenta, tamen ipse concurrit, non solùm præuiè, sed etiam simultaneè ad effectus, ac proinde immediatè, & immediatiùs quàm causæ proximæ, quod apparet ex omnimoda dependentia rerum à Deo: licèt enim sint aliqui effectus, qui non dependeant in conseruari à causâ, à qua dependent in fieri, tamen omnia dependent à Deo, & in fieri, & in conseruari: & ratio huius est, quia solus Deus est causa principalis ipsius esse in omnibus, & ideò sicut non potest conseruari lumen sine continuo influxu illuminantis, sic nec esse sine continuo influxu Dei: ergo Deus est in omnibus rebus, & cùm res possint in infinitũ multiplicari, ita vt datâ quacumque multitudine, possit à Deo semper & semper in infinitum per omnipotentiam augeri, manifestè sequitur, quòd Deus sit immensus, siue quod actu habeat virtutem existendi in infinitis rebus, & de facto existeret, si per impossibile essent infinitæ, & per hoc patet quòd immensitas sit proprietas Dei, & nulli creaturæ conueniat, licèt enim Deus possit producere tam perfectas creaturas spirituales, vt adæquent in sua existentia aliquas prouincias; imò quòd possint adæquare totum hunc mundum, aut etiam quodcumque spatium creabile finitum, non tamen habent virtutem adæquandi spatium infinitum, data hypothesi quòd esset, quia semper essent creaturæ, ac proinde finitæ & limitatæ, Deus autem adæquaret tale spatium, & per hoc patet ad secundam partem conclusionis. Hæc ratio D. Th. secundùm Thomistas est demonstratio à priori, vt apparet ex dictis, secundùm alios verò est demonstratio à posteriori; solus Scotus illam impugnat, eius tamen rationes non multùm vrgent, nam vel procedunt ex aliqua suppositione impossibili, vel ex omnimoda paritate creaturæ ad Deum: vnde dicimus quòd licèt in creatura sit perfectio agere in magis remotum, quia eius virtus magis extenditur per medium, tamen nihil potest esse remotum à Deo, hoc enim importaret imperfectionem in ipso. Nec res possibiles distant à Deo, cùm distantia sit inter extrema positiua: quando autem fiunt actuales per actionem diui-

nam,

num, statim necessariò Deus est in illis, sine vlla Dei mutatione, vnde potiùs dicendum est, quòd ipsæ sunt in Deo: assignantur autem quinque modi existendi Deum in rebus. Primus est singularis Christo, scilicet per vnionem hypostaticam. Secundus est proprius Iustorum, scilicet per gratiam, quomodò est amicus in amico: alij verò tres modi sunt communes omnibus rebus, scilicet per essentiam, præsentiam, & potentiam. Per essentiam, inquantum diuina substantia est intimè in omnibus. Per præsentiam, inquantum omnia sunt in conspectu eius nuda & aperta. Per potentiam inquantum omnia eius potestati subduntur.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate. D. Bernard. lib. 5. de consideratione ait: *Aliàs verò vbi erat Deus antequam Mundus fieret, ibi est, non est quòd quæras vltra vbi erat, præter ipsum nihil erat: ergo in seipso erat.* Tertullianus contra Praxeam cap. 5. ait: *Ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi & locus erat, & omnia.* Nec contrarius est D. Thom. quodlib. 11. q. 1. art. 1. vbi dicit, quòd Deus non solùm est in illis, quæ sunt, fuerunt, & erunt, sed etiam in illis quæ possunt, imaginari esse. Nec etiam D. Aug. 11. de ciuitate Dei, dum ait: *Nunquid Deum à tantis locorum extra mundum spatiis absentem dicturi sunt; non puto eos in hæc vaniloquia progressuros.* Dicendum est enim ad locum D. Th. quòd Angelicus Doctor ibi probat, quòd sit proprium Dei esse vbique, & ad hoc probandum dicit, quòd Deus etiam est in rebus imaginariis, non quòd velit Deum esse verè realiter in illis, sed quòd Deus sit in illis eo modo quo ipsæ sunt scilicet per imaginationem, non enim possumus imaginari aliquid esse, nisi imaginemur Deum in illo esse, vt dans illi esse: quod non potest conuenire alicui creaturæ, nam si imaginaretur locus infinitus, non posset imaginari in illo esse adæquatè, cùm ex eo quòd sit creatura, non possit habere virtutem infinitam, quæ requiritur ad adæquandum locum infinitum. Ad locum verò D. Aug. dicendum, vel quòd argumentatur ad hominem contra aliquos, qui concedebant spatia imaginaria esse aliquid à parte rei, vel quòd tantùm vult Deum non contineri limitatè in hoc mundo, cuius contrarium dicebant illi, contra quos agit. Hoc etiam modo explicandus est Caietanus.

Secundò, Deus non est in aliquo vt contentus, sed vt continens & conseruans, vt ait D. Th. 1. p. q. 8. & q. 52. ita vt operatio sit ratio formalis constitutiua rerum spiritualium in loco: sed Deus non continet, nec conseruat spatia imaginaria, nec operatur aliquid in ipsis (quamuis in illis possit aliquam creaturam producere) cùm ipsa spatia nihil sint, nisi quid fictitium & chimericum: ergo Deus non est in spatiis imaginariis, sicut nec in nihilo. Rationes contrariorum fundantur in falsa imaginatione, quòd in illis spatiis esset vera distantia, & quòd ibi posset fieri motus, cùm enim ibi sint tantùm res imaginariæ, non verè distant, nam distantia est inter extrema positiua, sicut & motus.

Ad primum ergo dicendum, quod similia Scripturæ loca tantùm significant Deum esse in Cœlo speciali modo, quia ibi manifestat clarè suam gloriam; sed non negant quòd sit alibi, ista verò verba Iob. 22. *Circa cardines Cœli perambulat, nec nostra considerat*, dicuntur ex persona impiorum.

Ad secundum dicendum, quòd Deus non est in hoc mundo, vt contentus ab illo, sed vt illum continens, & ita non comprehenditur, aut definitur illo, sed illum comprehendit, vnde nec per accidens potest moueri ad motum Mundi, si moueretur, sed Mundus in illo moueretur, sicut & omnia in ipso mouentur.

Ad tertium dicendum, quòd nullum est inconueniens, imò est necessarium dicere, quòd Deus sit in inferno, & in damnatis &c. inquantum conseruat omnia, ad manifestationem vel suæ gloriæ, vel bonitatis, vel iustitiæ, nihil autem est sordidum respectu Dei, nisi solùm peccatum, & peccator vt peccator est.

QVÆSTIO XXV.

De Attributis Dei Respectiuis?

Cvm bonum sit sui diffusiuum, & Deus sit summè bonus imò ipsa essentia bonitatis, est summè communicatiuus, & se summè communicat in mysterio Incarnationis, supra modum autem in Cœlo per gloriam, & multis hic per gratiam, sed hæ communicationes, vt pote supernaturales transcendunt Metaphysicam Theologiam naturalem, & sic sacræ Theologiæ reseruantur: communicatio autem Dei, vt authoris naturalis, est secundùm esse naturale, quod primò communicat per creationem, continuat per conseruationem; creaturas verò dirigit per prouidentiam. Ex his colligimus quædam attributa, quæ conueniunt Deo ex tempore secundùm illud rationis, siue respectiui quod important, quamuis secundùm reale quod important, sint ipsamet substantia diuina: & de his solummodo restat agendum, non de omnibus, sed de his quæ aliquam habent difficultatem, quæruntur igitur quatuor.

§ Primò, Vtrùm Deus sit omnipotens?
§ Secundò, Vtrùm Deus sit creator omnium?
§ Tertiò, Vtrùm Deus sit conseruator creaturarum?
§ Quartò, Vtrùm Deus sit generalis prouisor huius Mundi?

Articvlvs I.

Vtrùm Deus sit omnipotens?

Ad primvm sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit omnipotens. Probatur. Multa sunt, quæ Deus non potest facere. Putà quòd materia prima sit sine forma, quòd homo sit Angelus &c. Item ipse non potest peccare: sed quod est omnipotens omnia potest: ergo Deus nõ est omnipotens.

§ 2. Præterea, Esse omnipotens, est habere potentiam infinitam: sed Deus non habet potentiam infinitam, nam potentiæ infinitæ debet correspondere effectus, constat autem quòd Deus non potest producere effectum infinitum: ergo Deus non est omnipotens.

Sed contra est authoritas Ecclesiæ, & communis sententia Theologorum cum D. Thom. 1. p. q. 25. art. 3.

Conclvsio.

Cùm Deus sit simpliciter infinitus, est etiam omnipotens.

Respondeo dicendum, quòd Deus habet potentiam infinitam, ac proinde est omnipotens. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd potentia & virtus causæ manifestatur ex effectu, vnde illa causa est perfectior, quæ potest producere perfectiorem effectum, effectus autem Dei sunt omnes creaturæ, actuales quidem sunt effectus actu producti, possibiles verò sunt effectus possibiles, & ex istis debemus colligere & pensare diuinam virtutem & potentiam. Dicitur autem aliquid possibile, vel impossibile dupliciter, vel per ordinem ad aliquam causam particularem, vel absolutè ex habitudine terminorum: possibile quidem, quando prædicatum non repugnat subiecto: impossibile verò quando prædicatum repugnat subiecto. Dicimus igitur quòd Deus potest omnia ea, in quibus prædicatum non repugnat subiecto, siue omnia possibilia absolutè, & hoc est Deum esse omnipotentem, quia eius potentia fertur super omne quod habet rationem entis: & cùm impossibile absolutè, scilicet illud in quo prædicatum repugnat subiecto; destruat rationem entis (in eo siquidem attributum importat non esse subiecti, & subiectum non esse attributi) non potest esse obiectum diuinæ potentiæ, quæ respicit ens, non verò non ens: vnde non derogatur diuinæ omnipotentiæ dicere, quòd non possit illa quæ implicant contradictionem: quamuis meliùs dicatur illa non esse possibilia, quia per istud denotatur illa non habere rationem factibilis, ac proinde nec possibilis, & ita defectus siue impossibilitas se tenet ex parte ipsorum, per illud autem videretur importari defectus, & impossibilitas ex parte diuinæ virtutis & potentiæ, & sic arguit Deum non esse omnipotentem.

Probatur conclusio à priori. Intantum aliquid est actiuum, inquantum est actu, sicut è contra, intantum aliquid est passiuum, inquantum est potentia: sed Deus est infinitè actu, siue est actus infinitus, cùm sit actus purissimus, per se subsistens, ac irreceptus, ac proinde illimitatus, & infinitus, nam vt dictum est, actus purus non habet vnde limitetur, nam actus vt distinguitur à forma siue completa, siue incompleta, solùm limitatur ab essentia in qua recipitur: forma verò siue completa siue incompleta, limitatur in sua essentia per genus & differentiam, quæ sunt termini

eſſentiales, quorum vtrumque excludit actus puriſſimus, nam nec eſt receptus in aliquo, nec admittit compoſitionem ex genere & differentia, in qua eſt aliquid potentiale, vnde deſumitur genus, omnis autem potentialitas repugnat actui puriſſimo, vt patet ex ipſis terminis: ergo Deus eſt infinitè actiuus, & conſequenter in agendo eſt omnipotens. Confirmatur. Potentia proportionatur rei, cuius eſt potentia: ſed Deus eſt ſimpliciter infinitus, vt dictum eſt: ergo & eius potentia eſt infinita, vnde eſt infinitè actiua, ac proinde omnipotentia: ergo Deus habet omnipotentiam, & ſic eſt omnipotens.

Secundò probatur à poſteriori; Deus creauit hunc mundum ſecundùm fidem & ſecundùm lumen naturale, vt articulo ſequenti dicetur: ſed quod poteſt creare, eſt omnipotens, cùm creatio ſit productio totius ex nihilo, & ita attingit nihilum, & ens vt ſic ſubditur eius voluntati & poteſtati, cùm ſolùm eius imperium ſufficiat, vt incipiat eſſe quodcumque voluerit, quod ſine dubio arguit potentiam infinitam & omnipotentiam: ergo Deus eſt omnipotens.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa omnia implicant contradictionem, vnde non poſſunt fieri à Deo. Ad aliud de peccato dicendum cum D. Th. 1. p. q. 25. art. 3. ad 2. quòd peccare non eſt efficere, ſed deficere à perfecta ratione, vnde poſſe peccare, eſt poſſe deficere in agendo, quod non conuenit, ſed potiùs repugnat omnipotentiæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd repugnat effectui creato, vt ſit infinitus, quamuis ex parte Dei ſit potentia potens producere infinitum, quantùm eſt in ſe: quod apparet ex hoc, quòd poſſit in infinitum producere plures, & perfectiores ſemper effectus. & hoc ſufficit, vt talis potentia dicatur infinita, maximè, quia in modo producendi, ſcilicet creando, apparet eius infinitas.

Articvlvs II.

Vtrùm Deus ſit Creator omnium?

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur quòd Deus non ſit creator omnium. Ita tenuerunt aliqui antiqui, vt refert D. Th. 8. Phyſic. lect. 1. & alibi. Probatur ex illo communi axiomate inter Philoſophos, relato ab Ariſt. 1. Phyſic. textu 34. *ex nihilo nihil fit*: ergo Deus non eſt creator, cùm creatio ſit impoſſibilis, cùm ſit productio alicuius ex nihilo.

¶ 2. Præterea, Inter ens, & nihil, eſt infinita diſtantia: vnde ad creandum, ſiue ad faciendum aliquod ens ex nihilo debet pertranſiri infinita diſtantia, manifeſtum eſt autem, quòd infinitum non poteſt pertranſiri: ergo creatio non eſt poſſibilis, ac proinde Deus non eſt creator omnium; ſed multa ſunt à ſeipſis, à quibus proceſſerunt alia.

Sed contra eſt authoritas fidei, ſententia Ariſtot. 2. Metaphyſicæ textu 4. quamuis dixerit creatum eſſe mundum ab æterno. Item communis conſenſus Theologorum cum D. Th. 1. p. q. 45. art. 2.

Conclvsio.

Cùm Deus ſit primum ens, & prima cauſa, eſt creator omnium.

Respondeo dicendum, quòd Deus eſt creator omnium, & creare ita eſt proprium eius. 2. vt non poſſit communicari alicui creaturæ, vel tanquam cauſæ principali. 3. vel tanquam inſtrumento. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd creatio ſumitur dupliciter, latè, & strictè: in lata ſignificatione ſignificat quamcumque productionem, vel promotionem alicuius in ſuperiorem ſtatum, vnde dicimus procreare filios, creare aliquem Epiſcopum: in ſtricta verò ſignificatione ſignificat productionem alicuius ex nihilo, particula autem, Ex, non importat cauſam materialem, ſed potiùs terminum à quo. Vnde idem eſt fieri ex nihilo, ac fieri poſt nihilum, ſiue aliquid fieri cùm antea nihil eſſet. De creatione loquimur hîc in hac propria acceptione, quæ in hoc diſtinguitur à generatione ſiue eductione, quòd generatio fiat ex præſuppoſito ſubiecto ſcilicet materia prima, creatio autem, cùm ſit productio totius ex nihilo, nihil præſupponit, id eſt nullum ſubiectum. Opponitur autem annihilationi, quæ eſt deſtructio totius nullo eius remanente, ſiue eſt reditio rei in nihilum.

Probatur prima pars concluſionis ex Scriptura, Gen. 1. dicitur: *In principio creauit Deus Cælum & Terram &c.* Item in Symbolo, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ*: hæc veritas eſt definita in multis Conciliis, & ſæpe reperitur à Sanctis Patribus: quos non eſt opus referre. Probatur ratione, Ariſt. 2. Metaph. textu 4. D. Th. 2. contra gentes c. 15. ſolus Deus eſt ens neceſſarium: ergo eſt creator omnium aliorum: patet conſequentia, quia ſi nihil aliud eſt ens neceſſarium, nihil aliud habet eſſe à ſeipſo, & ſic habet ab alio: & cùm non ſit proceſſus in infinitum, deueniendum eſt ad vnum primum ens neceſſarium, à quo ſunt producta alia omnia, non per generationem, quia hæc præſupponit materiam, de qua eſſet eadem difficultas, cùm debeat eſſe ab alio: ergo per creationem, quæ nihil rei producendæ præſupponit. Probatur Antecedens. Si alia præter Deum eſſent entia ſimpliciter neceſſaria, haberent eſſe à ſeipſis, & ſic non [illegible]hilis ratio, cur in vno perfectius eſſe re[illegible], quàm in alio, cuius contrarium videmus: ergo ſolus Deus eſt ens ſimpliciter neceſſarium, & perfectiſſimũ, à quo alia habent eſſe.

Secundò, ſolus Deus eſt ens per eſſentiam; cùm ſit ſuum eſſe per ſe ſubſiſtens & irreceptum, vt apparet ex infinita eius perfectione, alia verò omnia ſunt entia per participationem, cùm habeant eſſe receptum, vt apparet ex eorum limitatione ad determinatum genus entis: ſed quod eſt per participationem, debet reduci tanquam ad cauſam, ad id quod eſt per eſſentiam tale: ergo omnia alia procedunt à Deo, qui eſt ens per eſſentiam, & continens omnem rationem & perfectionem entis; per creationem immediatè, ſi ſint res ſpirituales & incorruptibiles vt Cœli, ac elementa in prima ſui productione, alia verò per creationem mediatè, inquantum in ipſis eſt materia prima, quæ fuit creata; homines verò habent vtramque partem creatam, ſed ipſe homo eſt genitus.

Probatur ſecunda pars concluſionis ratione D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. eſt ſimpliciter impoſſibile, quòd actio, quæ eſt propria Dei, communicetur alicui creaturæ, tanquam cauſæ principali, vt patet ex ipſis terminis, aliàs non eſſet propria Dei: ſed creare eſt actio propria Dei, cùm ſit producere eſſe abſolutè, non in quantùm eſt hoc vel tale, certum eſt enim quòd effectus debent proportionari cauſis, ita vt vniuerſaliores effectus in vniuerſaliores & priores cauſas reducantur, vnde cùm eſſe ſiue ratio entis vt ſic, ſit effectus vniuerſaliſſimus inter omnes, oportet quòd ſit proprius effectus primæ & vniuerſaliſſimæ cauſæ, quæ eſt Deus: & ita creatio, quæ eſt productio ipſius eſſe, eſt propria actio Dei: ergo non poteſt communicari alicui creaturæ, tanquam cauſæ principali. Reſpondet Suares, quòd ipſum eſſe vt ſic in communi non ſit effectus ſiue terminus creationis, ſed eſſe determinatum hoc vel illud, ſcilicet Angeli vel hominis, aliàs ſequeretur quòd creatio Angeli non diſtingueretur ſpecie à creatione hominis, quod eſt falſum, nam cùm actiones ſpecificentur à ſuis terminis, & homo differat ſpecie ab Angelo, etiam actiones productiuæ ipſorum: vnde concludit quòd licèt non poſſit communicari alicui creaturæ virtus creatiua abſolutè, cùm ſint aliqua entia perfectiſſima creabilia, quæ in infinitum ſyncategorematicè ſe excedunt in perfectione, ad quorum productionem requiritur virtus infinita, poterit tamen communicari virtus creatiua reſpectu aliquorum. Sed contra, eſſe vt ſic eſt terminus formalis creationis, nam terminus, qui, alicuius actionis debet eſſe id, quod formaliter opponitur termino, à quo, talis actionis: ſed terminus, à quo, creationis neceſſariò eſt non eſſe, ſiue negatio entis vt ſic abſolutè & vniuerſaliſſimè ſumpti, & non negatio talis entis, hoc enim ſe habet de materiali, quod colligitur ex vniformi modo quo omnia per creationem producuntur, creatio enim eſt productio totius ex nihilo: vnde eſſe vt ſic vniuerſaliter ſumptum, & vt imbibitur in omnibus gradibus rei productæ eſt terminus, ad quem, formalis creationis: & ita ſi alicui creaturæ communicaretur virtus creandi, communicaretur virtus ad producendum ens vt ſic, & ita ſe extenderet ad omne illud quod habet rationem entis, & conſequenter ad omne ens creabile: vnde ad inſtantiam Suaris dicendum, quòd creatio Angeli & creatio hominis non diſtinguuntur ſpecie, quia actiones ex D. Th. ſpecificantur à principio,

principio, virtus autem creatiua Angeli & hominis est eiusdem speciei, quia respicit esse vt sic taliter producendum: imò esset vna & eadem numero, quia determinatio ipsius esse se habet per accidens ad formalem rationem creationis, licèt ei necessariò coniungatur: sicut visiones diuersorum colorum sunt eiusdem speciei, quia procedunt à potentia visiua, quæ respicit formalem rationem coloris, cui per accidens coniungitur, quòd sit albus, aut niger.

Secundò, non potest communicari creaturæ virtus ad agendum infinita, cùm virtus debeat proportionari illi cui communicatur, saltem tanquam causæ principali; creatura autem est finita ex sua intrinseca ratione: sed virtus ad creandum est infinita, quia tantò maior virtus requiritur in agente, quantò potentia est magis remota ab actu, siue quantò terminus, à quo, actionis magis distat à termino, ad quem; vnde virtus agentis ex nulla præsupposita potentia, quale est agens creans est infinita, cùm procedat ex non ente ad ens, inter quæ est infinita distantia: ergo virtus ad creandum non potest communicari alicui creaturæ, tanquam causæ principali. Ita D. Th. loco citato ad 3.

Probatur tertia pars conclusionis ratione D. Th. ibidem; ad rationem veri instrumenti Physici, de quo loquimur, pertinet vt propriâ virtute agat aliquid præuium ad actionem principalis agentis, cum hac tamen differentia, quòd si habeat perfectam & rigorosam rationem instrumenti, illud præuium debet esse dispositiuum ad actionem principalis agentis, quod apparet ex hoc quòd sunt determinata instrumenta pro diuersitate actionum, sicut securis ad scindendum, quæ ex propria ratione suæ formæ habet scindere, quod est præuium & dispositiuum ad scissionem artificiosam, siue ad factionem scamni: si autem non habeat tam perfectam & rigorosam rationem instrumenti, licèt non requiratur quòd agat propria virtute aliquid præuium, per veram & physicam alterationem & transmutationem passi, tamen requiritur quòd aliquid saltem præuium faciat propriâ virtute, aliàs frustra adhiberetur ad agendum: quod manifestatur in operatione miraculorum, nam v.g. Christus Dominus suâ sacratissimâ vtebatur humanitate, tanquam instrumento coniuncto ad patranda miracula, aliquando autem humanitas, licèt faceret aliquid præuium ad actionem diuinitatis, non tamen semper erat dispositiuum ad illam, vt patet in resuscitatione S. Lazari, vbi solùm humanitas præuiè per vocem intimauit diuinum imperium: sed in creatione alicuius creaturæ nulla causa alia potest propriâ virtute causare aliquid, non solùm dispositiuum ad actionem Dei creantis, sed nec præuium, imò nec concomitans, cùm creatio sit productio totius ex nihilo, ita vt nihil rei creandæ præsupponatur, in quod causa secunda agat: ergo creare non potest communicari alicui creaturæ, etiam tanquam instrumento, quia si nihil ageret propria virtute, ipsa non crearet, sed Deus crearet ad præsentiam eius.

Ad primum ergo dicendum; quòd Philosophi illi loquebantur de emanatione effectuum particularium à causis particularibus, in qua ex nihilo nihil fit, non autem de emanatione prima ab vniuersali rerum principio. Ita D. Th. 1. p. q. 45. art. 2. ad 1.

Ad secundum dicendum cum D. Th. ibidem ad 4. quòd obiectio illa procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum & ens, quod patet esse falsum, procedit autem falsa hæc imaginatio, ex eo quòd creatio significatur, vt quædam mutatio inter duos terminos existens.

Articvlvs III.

Vtrùm Deus sit Conseruator creaturarum?

Ad tertivm sic proceditur. Videtur quòd Deus non sit conseruator creaturarum. Probatur. Quod est necessarium esse, est sibi sufficiens vt conseruetur in esse, nec indiget agente extrinseco ad sui conseruationem: sed sunt multæ creaturæ quæ sunt necessariæ, scilicet illæ quæ sunt formæ per se subsistens, cùm enim esse sequatur formam, non potest ab illa separari, & ideò quod est tale, est necessarium; quia non potest amittere esse: ergo Deus non est conseruator creaturarum, saltem omnium.

§ 2. Præterea, Si Deus conseruaret creaturas, hoc faceret media aliqua actione: sed talis actio Dei erga creaturas non datur, quia per omnem Dei actionem circa creaturas fit aliquid, in creatura autem non apparet, quid possit fieri per actionem conseruationis, non esse, quia producitur per creationem, si aliquid aliud, sequitur quòd Deus continuò ponat aliquid in creatura: ergo Deus non est conseruator creaturarum.

§ 3. Præterea, Si Deus conseruaret creaturas sequeretur quòd nulla vnquam periret: cùm ipse Deus sit omnipotens, & omnisciens, & ita adhiberet media proportionata & efficacissima ad conseruationem illarum: sed experimur quotidie multas creaturas perire: ergo Deus non est conseruator creaturarum.

Sed contra est authoritas fidei, & communis sententia Theologorum cum D. Th. 1. p. q. 104. art. 1. & 2.

Conclvsio.

Cùm esse omnium creaturarum dependeat à Deo; tanquam à prima causa in fieri, dependet etiam in conseruari, & ita Deus est conseruator omnium.

Respondeo dicendum, quòd Deus est conseruator creaturarum omnium. 2. ex quibus quasdam conseruat immediatè, seclusis quibuscumque aliis, alias verò. 3. mediantibus causis secundis, 4. ita tamen, vt semper Deus immediatè influat. Ad cuius euidentiam sciendum est ex D. Th. loco citato, quòd conseruatio est duplex: directa & per se; quandò scilicet illud quod conseruatur, ita dependet à conseruante, vt sine eo esse non possit: & indirecta, ac per accidens, quandò illud quod conseruatur solùm dependet ab alio, tanquam à remouente corrumpens, & vtroque modo creaturæ conseruantur à Deo.

Probatur prima pars conclusionis rationibus D. Thom. quandò aliquid dependet ab alio; non solùm in fieri, sed etiam in esse, dependet etiam ab illo in conseruari: nam sicut fieri rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundùm fieri: ita nec esse rei potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectùs, non solùm secundùm fieri, sed etiam secundùm esse: & ita si remaneat, est per actionem talis causæ, quod est conseruari ab illa: sed omnes creaturæ dependent à Deo, non solùm in fieri, sed etiam in esse: cùm enim Deus sit suum esse per essentiam siue per se subsistens, omne esse per participationem, & receptum, quale est esse cuiuscumque creaturæ, debet ab illo dependere, & ad illud reduci vt ad causam, ideò enim dicitur esse participatum. Deindè cùm Deus sit agens æquiuocum & eminentissimum, creaturæ ab illo dependent quantùm ad formam simpliciter, & non solùm quantùm ad esse formam in materia: in hoc enim differt causa vniuoca ab æquiuoca, quòd causa æquiuoca & maximè prima est causa formæ simpliciter, ac proinde ipsius esse quod consequitur formam, causa verò vniuoca non potest esse causa per se formæ alterius, inquantum est talis forma, quia sic esset causa formæ propriæ, cùm sit eadem ratio vtriusque, sed potest esse causa huiusmodi formæ secundùm quod est in materia, id est, quòd hæc materia acquirat hanc formam, quod est esse causam secundùm fieri tantùm: ergo omnes creaturæ dependent à Deo in conseruari, ac proinde Deus est conseruator creaturarum omnium.

Probatur secunda pars conclusionis. Quæ fiunt à Deo immediatè seclusis quibuscumque aliis causis, dependent à Deo immediatè & secundùm fieri, & secundùm esse seclusis quibuscumque aliis: nam cùm in suo fieri recipiant esse, non possunt recipere esse, nisi ab eo à quo fiunt: dependere autem ab aliquo secundùm esse, est dependere ab illo in conseruari: sed multa sunt, quæ facta sunt à Deo immediatè seclusis aliis causis, vt Angeli, Cœli, imò quotidie fiunt animæ rationales: ergo Deus conseruat quasdam creaturas immediatè seclusis quibuscumque aliis.

Probatur tertia pars conclusionis. Multa sunt, quæ impediunt actiones corrumpentium, vt patet experientia; sal enim impedit carnes à putrefactione, & simile est in multis aliis: sed hoc est conseruare indirectè. Deinde influxus

cœlestes;

cœleſtes, bonus aër &c. fortificant complexionem, quòd eſt aliquo modo conſeruare: ergo Deus conſeruat aliquas creaturas mediantibus cauſis ſecundis. Quarta pars concluſionis iam ſupra probata eſt, vbi oſtenſum eſt Deum immediatè operari in omnibus, tam immediatione ſuppoſiti, quam virtutis, licèt ſint aliæ cauſæ ſecundæ operantes, quia eſt intimus omnibus tanquam cauſa eſſendi.

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. quòd eſſe per ſe conſequitur formam creaturæ, ſuppoſito tamen influxu Dei, ſicut lumen ſequitur Diaphanum aëris ſuppoſito influxu Solis: vnde potentia ad non eſſe in ſpiritualibus creaturis & corporibus cœleſtibus, magis eſt in Deo, qui poteſt ſubtrahere ſuum influxum, quàm in forma vel in materia talium creaturarum.

Ad ſecundum dicendum etiam cum D. Th. quòd conſeruatio rerum à Deo, non eſt per aliquam nouam actionem; ſed per continuationem actionis, qua dat eſſe: quæ quidem actio eſt ſine motu & tempore, ſicut etiam conſeruatio luminis in aëre eſt per continuatum influxum à Sole: & ita conſeruatio eſt productio rei continuata.

Ad tertium dicendum, quòd ſi Deus vellet aliquid ſemper conſeruare, numquam corrumperetur, vt probat objectio, & ſic poſt reſurrectionem conſeruabit homines, Deus autem conſeruat omnia iuxta exigentiam propriæ naturæ, vnde cùm ſint multa corruptibilia, conſeruat ipſa donec corrumpantur, & ſinit corrumpi, quia generatio vnius eſt corruptio alterius, & hæc viciſſitudo rerum conducit ad pulchritudinem vniuerſi.

Articvlvs IV.

Vtrùm Deus ſit generalis Prouiſor huius Mundi?

Ad qvartvm ſic proceditur. Videtur quòd Deus non ſit generalis prouiſor huius Mundi. Quidam tenuerunt omnia euenire caſu & fortuitò, vnde dixerunt Deum non habere prouidentiam eorum, quæ ſunt & fiunt in hoc Mundo. Ita Democritus & Epicurei. Alij dixerunt quòd Deus ſolùm haberet prouidentiam rerum incorruptibilium, non autem corruptibilium ſecundùm indiuidua, ſed tantùm ſecundùm ſpecies. Alij vt Rabbi Moyſes, ea corruptibilibus ſolos homines ſubiecerunt diuinæ prouidentiæ. Probatur ex illo 1. ad Corinth. 9. *non eſt Deo cura de bobus.* Item Iob 22. *Nubes latibulum eius, & circa Cardines Cœli perambulat, neque noſtra conſiderat.*

§ 2. Præterea, Sapiens prouiſor excludit defectum & malum, quantùm eſt in ſe, ab his quorum curam gerit: ſed in hoc Mundo eueniunt multa mala, tum naturalia vt patet in monſtris, tum moralia vt ſunt peccata: ergo Deus non eſt prouiſor generalis huius Mundi, aut non eſt ſapiens, cùm non excludat defectus, aut non eſt omnipotens, cùm non poſſit excludere.

§ 3. Præterea, Si omnia eueniunt ex prouidentia Dei, ſequitur quòd nihil eueniat fortuitum, & contingens in hoc Mundo, ſed omnia ſint neceſſaria, cùm ordo poſitus in rebus à Deo non poſſit immutari: aliàs argueret imperfectionem in diuina prouidentia: ſed multa eueniunt fortuita, & contingentia: ergo Deus non eſt generalis prouiſor huius Mundi.

Sed contra eſt authoritas fidei, & communis ſententia Philoſophorum cum Ariſtotele vltimo Metaphyſicæ, qui ex optimo Dei regimine infert Deum eſſe vnum tantùm, Item Theologorum cum D. Th. 1. p. q. 22. art. 1. & 2.

Conclvsio.

Cùm Deus ſit prima omnium cauſa, quantum ad omnia quæ in eis ſunt, & debeat agere propter finem, oportet quòd ſit generalis prouiſor huius Mundi, & omnium quæ in Mundo ſunt, etiam in particulari.

Respondeo dicendum, quòd Deus eſt prouiſor generalis huius mundi, ita vt omnia quæ ſunt & fuerunt, ſint ſubdita eius prouidentiæ; non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari. 2. immediatè quidem, quantùm pertinet ad rationem ordinis rerum prouiſarum in finem. 3. Licet quoad executionem huius ordinis, ſint aliqua media diuinæ prouidentiæ, quia inferiora gubernat per ſuperiora; non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, vt dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicaret. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd prouidentia nihil eſt aliud, quàm ratio ordinis rerum in finem, vnde neceſſariò præſupponit cognitionem ipſarum rerum in prouidente.

Probatur prima pars concluſionis ratione Philoſophi, vltimo Metaphyſicæ, optimum regimen, quod eſt in mundo, non poteſt euenire à caſu vt patet, quæ enim ita ſunt ordinata, vt ſemper, aut ferè ſemper eodem modo fiant, debent habere authorem ſui ordinis: ſed author huius ordinis non poteſt eſſe alius, quam Deus: ergo Deus eſt prouiſor generalis huius mundi. Deinde Deus produxit omnia, quæ ſunt in mundo, per intellectum: ergo cum debito ordine ad proprium finem; repugnat enim ſapientiæ & bonitati Dei, quod non producat omnia ad ſtatum perfectum, qui conſiſtit in aſſecutione finis, quæ aſſecutio præſupponit debitum ordinem ad talem finem, hoc autem importat prouidentiam in Deo, ergo Deus eſt prouiſor generalis huius mundi.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Deus eſt prima cauſa omnium, agens per intellectum, vnde debet præhabere in ſuo intellectu rationem omnium etiam minimorum, & licet præfecerit cauſas determinatas ad producendos determinatos effectus, tamen etiam eis dedit virtutem ad illos producendos, & ſtatuit eis modum quo eos producerent, ita vt hic ordo ſit infallibilis, nec poſſit quiſquam ex illo exire: & ſi quis exire videtur ex vno ordine diuinæ prouidentiæ, quatenus reſiſtit diuinis præceptis, incidit in alium ordinem eiuſdem prouidentiæ, ita vt eueniat infallibiliter quod Deus ab æterno futurum eſſe decreuit: ergo Deus eſt generalis prouiſor immediatus, quantùm pertinet ad rationem ordinis rerum prouiſarum in finem. Tertia pars concluſionis eſt manifeſta, & conſtat experientià: videmus enim ordinem ſtabilitum à Deo in hoc mundo, vt inferiora per ſuperiora regantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd creatura rationalis ſpeciali modo ſubditur diuinæ prouidentiæ, vt ſcilicet ei imputetur aliquid ad culpam, vel ad meritũ, & reddatur ei aliquid vt pœna, vel præmium. & hanc prouidentiã Dei Apoſtolus negat bobus. Ad aliud dicendum, quòd Iob hoc dicit ex perſona impiorum, qui negant diuinam prouidentiam.

Ad ſecundum dicendum, quòd cum Deus ſit prouiſor generalis, permittit aliquos defectus in mundo naturales, quia indirectè conducunt ad decorem vniuerſi, morales autẽ, quia ita eſt potens & bonus, vt ex illis bona multa eliciat.

Ad tertium dicendum, quòd cum Deus ſit omnipotens, non ſolùm eueniunt quæ ipſe ordinauit ventura, ſed etiam eo modo, quo ordinauit: & ita effectibus contingentibus præparauit cauſas contingentes, & effectibus neceſſariis cauſas neceſſarias, quamuis omnia infallibiliter eueniant, vel neceſſariò, vel contingenter eo modo, quo Deus ordinauit: poſſunt autem omnia dici euenire neceſſariò reſpectu Dei, ſed neceſſitate conſequentiæ.

Hæc ſunt quæ in tota Philoſophia mihi dicenda occurrerunt. Hîc quieſco: dum in lucem edenda quàm primum Theologica præparo. Vtinam quæ dicta ſunt cedant ad maiorem gloriam Dei, Sanctiſſimæ Virginis, ac Angelici Doctoris D. Thom. Si quid autem præter intentionem irrepſerit, non ſolum contra fidem Catholicam & bonos mores; ſed etiam contra doctrinam eiuſdem Angelici Doctoris, millies reuoco, omniaque iudicio infallibili Eccleſiæ Romanæ libentiſſimè ſubmitto.




Cav. G. DI GIACOMO
Restauro del Libro Antico e Legatoria
PESCARA

